COMMENTARIUS
LITERALIS
IN S. SCRIPTURAM.

ECCLESIASTES, CANTICUM CANTICORUM,
SAPIENTIA, ECCLESIASTICUS, ISAIAS.

COMMENTARIUS
LITERALIS
IN OMNES LIBROS
VETERIS ET NOVI
TESTAMENTI,

AUTHORE

R. P. D. AUGUSTINO CALMET

Ordinis S. Benedicti Congregationis SS. Vitoni & Hydulphi.


OPUS GALLICÉ PRIMÚM AB AUTHORE,

Nunc verò Latinis literis traditum

A JOANNE DOMINICO MANSI

Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei, Lucensi.

TOMUS QUINTUS.

LUCÆ, MDCCXXXIII.

TYPIS SALVATORIS ET JO: DOMINICI MARESCANDOLI

SUPERIORUM PERMISSU.

IN ECCLESIASTEN
PROLEGOMENON.

Hebraicè Inscribitur hic Liber, *Kobeleth*, quod fœmininum nomen est, ad literam sonans *Eam quæ publicè loquitur*, seu cœtum convocat. Sed genere nominis neglecto, Septuaginta, & post illos Latini, verterunt, *Ecclesiastes*, quo Græco nomine Orator, seu pro concione loquens vir indicatur. Hoc sibi nomen in toto Libro usurpat Salomon, iisque se notis indicat, quæ uni ipsi conveniunt, uti titulo: *Verba Ecclesiastæ* (Koheleth) *filii David Regis Israël*. Opera sua, divitias, ædificia (*a*); Scripta pariter, & maximè parabolas [*b*], non silet. Sententiosus ejus stilus ubique regnat, seque præcedentium omnium, qui Jerosolymis floruerunt, sapientissimum ditissimumque perhibet; quibus omnibus dubitatio de illo universa subducitur.

(a) *Eccle.* II, 4, 5.
(b) *Eccle.* XII, 9.

Non defuerunt tamen e Criticis, qui falsò inscriptum Salomoni Opus suspicarentur, ejusque Regis personam simulasse Scriptorem aliquem, doctum alioqui, qui exercendi ingenii gratiâ Opus illud susceperit, Salomonis stilum & res ipsas exprimens; quemadmodum Græcus Author Libri Sapientiæ eodem consilio stilum & sententias Salomonis in suo Opere affectat. Diù post Salomonem scriptum Opus Grotius (*c*) suspicatur; & [*d*] ab aliquo Viro docto, jussu Zorobabelis, exaratum credit, ut æternum pœnitentiæ Salomonis monumentum staret: in capite verò XII, 12, ad filium ejus Abiud sermonem converti suspicatur illis verbis: *His amplius, fili mi, ne requiras*. Suadetur autem his rationibus, quòd in eo Libro plurima deprehendat aliena a puritate eloquii Judaici, quæ nonnisi in Esdra & Daniele recurrunt. Sed Calovius, qui omnia sedulò examinavit, collectis pariter vocibus Chaldæis, quas sparsim Grotius in suo Commentario adnotavit, nonnisi quatuor offendit (*e*), e quibus duæ priores ex Hebræo dubio procul deducuntur. Duæ reliquæ Chaldææ vel Arabicæ sunt voces, facilè apud Hebræos ætate Salomonis obtinentes; cùm enim quàm latè pateret Hebraica lingua, nostro sæculo ignoretur, contingere facilè potuit, ut plura contineret, quæ hodie nonnisi in linguis Chaldæâ & Arabicâ perseverant. Quid insuper prohibet, quin Salomon aliquas finitimarum gentium voces usurpaverit?

(c) *Præfat. in Eccle.*
(d) *In Ecclef.* XII, 11, 12.
(e) *Ecclef.* VII, 6, סיר *Ollas* XII, 5 אביונה VIII, 1, פשר X, 8, לבין

Author opinionum quorumdam Hollandorum Theologorum testatur, non deesse qui credant, Dialogum toto eo Libro scribi inter pium virum, & impium, dogmata Sadducæorum defendentem. Profectò, inquit, in illo plura inter se pugnantia occurrunt, quæ ab uno eodemque scribi nequeunt. Sed quod æquè ferant Scriptores illi, affirmamus, ne vestigium quidem Dialogi in eodem Opere deprehendi. Plura pugnantia scripta esse ab Authore fatemur; sed Oratoris ille personam gerit & Principis, qui pro concione populum instituens, impiorum cavillationes proponit & refellit; vel, si mavis, suos ille prioris ætatis sensus prodit, quam absurda & ridenda ipse olim saperet, simul demonstrans. Denique viri sapientis personam gerit in utramque partem disputantis, qui expositis variis alicujus rei sententiis, omnia perpendit, omnia excutit, & æquâ judicii lance utriusque partis momenta librans, tandem in saniorem inclinat. Occurrunt in eo quidem Sadducæorum & impiorum opiniones, quibus tamen Author nunquam adhæret; alteram vitam agnoscit [*f*], & præmia pœnasque post obitum (*g*). Laudibus prosequitur sapientiam, virtutem, justitiam; Orationem suam claudens, in eo totam hominis rationem sitam esse prodit, ut Deum timeat, ejusque præceptis obsequatur [*h*].

(f) *Ecclef.* XI, 8, 9.
(g) *Ecclef.* XII, 14.
(h) *Ecclef.* XII, 13.

Verùm ne ultra immoremur cavillationibus refellendis & conjecturis, quas turbidæ quædam mentes, inquietæ, superbæ, suis tantùm studentes, promovent, de quibus Apostolus [*i*], quæ speciem doctrinæ & pietatis præferunt, rem non habenr; damnant cætera, quæ minùs assequuntur; & divinas Scripturas perinde ac Libros quosque profanos habent; in proferendis conjecturis suis de Authoribus Sacris, atque in rejiciendâ Ecclesiæ & probatissimæ vetustatis authoritate procaciores sunt, quàm si de proferendo in Authorem aliquem classicum judicio ageretur. Deferendum aliquid saltem censerent judicio Criticorum, & diuturnæ ac nunquam turbaræ Scriptoris, cui Opus aliquod longâ ætate vindicatum est, possessioni. At cùm de Libro aliquo Divino res est, nullam sibi regulam, præter malam illam libidinem Criticum & censorem agendi, & inter cæteros præstandi, constituunt. En Ecclesiæ Jesu Christi Reformatores, suæ pariter communionis viris odiosi, imbecillibus perniciosi, nec

(i) 2 *Timoth.* III, 1, *&c.*

cæteris minùs noxii, qui incaurè, nullum dolum suspicati, ad eorum scripta legenda se conferunt! Væ illis, qui *cæco*, ut inquit Moyses (*k*), *offendiculum ponunt!* Nullus enim metuendi locus est doctis hominibus, judicium per se de rebus ferre valentibus, quibus rationes ab adversariis prolatæ, utpote leviores plane & nullius ponderis, nihil probant.

De tempore scripti Operis incerta sunt omnia. Gemitum esse Salomonis resipiscentis, qui sub vitæ exitum, cùm denique rerum hujus mundi vanitatem nosset, seque in viam restitueret, scribere hoc Opus susceperit, Hebræi, S. Hieronymus & Commentatores plerique (*l*) censuerunt. Putavit Rex sapientissimus relinquendum a se esse perpetuum resipiscentiæ suæ monumentum, quo simul posteri monerentur, ne vanitate rerum, atque voluptatum assentatione, ambitione, & amore divitiarum seduci se paterentur; sed omnium maximè removendos censuit ab amore mulierum [*m*], quem sibi funestissimum expertus fuerat. Hujus sententiæ documenta in ipso eodem Libro spectantur; ita enim loquitur Salomon, quasi vir omnia expertus, qui ad voluptatem nihil sibi reliqui fecerit, nihilque intentatum reliquerit, quod maximè homines optant, ædificia, locupletem gazam, convivia, voluptates, scientiam, oblectamenta, denique quidquid hominis vota explet; sed in his omnibus nihil se præter vanitatem offendisse profitetur. Ipsum etiam scripti Operis tempus quodammodo definire visus est, prodens, ad illud se contulisse, cùm jam *composuisset parabolas multas* (*n*).

Contraria tamen opinio, scriptum esse a Salomone Opus ante liberioris vitæ crimina, neque rationum momentis neque authoritate destituitur (*o*). Si enim, inquiunt hujus sententiæ patroni, Salomon hunc librum post criminosæ vitæ licentiam scripsisset, quo æternum resipiscentiæ suæ monumentum staret; cur tanta de æternâ ipsius salute caligo & ambiguitas? Patres, & Interpretes hoc argumentum in utramque partem tractant. Hæc sanè illorum ratiocinatio planè propositum evincit, demonstrans, saltem nunquam in Ecclesiâ eam opinionem obtinuisse, quæ scriptum a Salomone post ejus resipiscentiam Opus constituit. Exploratum ne habemus, Dei Spiritum nunquam deseruisse Salomonem, quo tempore ille a rectâ viâ aberravit? Fateamur tamen oportet, priorem sententiam majori rationum & authoritatum pondere fulciri, ac mitiora defendere, adeoque & nos in suas partes nonnihil inclinare: destituitur tamen eâ asseveratione, quæ dubitationem omnem subducit. De salute Salomonis ejusque resipiscentiâ quæstio est non hominum judicio, sed Divino definienda.

Judæorum Scriptores docent (*p*), & S. Hieronymus post illos confirmat [*q*], Doctores Judæorum, qui Sacrorum Librorum Canonem describere jussi sunt, de Libro Ecclesiastæ aliquandiu suspensos hæsisse. Deliberatum est inter illos, utrum supprimi Opus deberet, quod pugnantia quædam, & noxia aliqua contineret, quæ imbecillioribus offendiculum pararent, & errori de mortalitate animarum favere videretur. Verùm post longum rei examen tandem excipiendum censuerunt, quòd scilicet in eam sententiam clauderetur, oportere Deo timorem & Legibus ipsius obsequium exhibere. Quodcumque tandem judicium de hac traditione feratur, illud constat, apud Judæos æquè & apud Christianos divinam esse Operis hujusce authoritatem.

Non semper tamen idem fuit erga Divinum hoc Opus obsequium. Quid Grotius & Amanuensis Theologorum Hollandiæ senserint, superiùs observavimus. Theodorus Mopsuestenus [*r*] persuasum habebat, Salomonem eo, quo præstabat, naturalis sive studio comparatæ sapientiæ acumine, nullâ intercedente S. Spiritûs revelatione, Opus illud scripsisse. Hæreticorum nonnulli, de quibus Philastrius [*s*], tamquam Epicureis favens, rejiciebant. Lutherus [*t*], pro innatâ illâ obtrectandi libertate, sive potiùs audaciâ, Authorem hujus Operis *neque ocreis neque calcaribus indutum esse* dicit; Opus esse Thalmudi simillimum, nempe ex pluribus aliis fartum; collecta in eo esse, quæ Salomon inter cœnandum effutiebat, sive quæ in suis scriptis sparserat. Hæc celebratissimi hujus Reformatoris sententia, quem Deus excitasse dicitur, ut in pristinam sanctitatem Ecclesiam Christianam restitueret. Venia nobis profectò dabitur, si talia effutientibus neglectis, traditionem omnium Ecclesiarum præferamus, cui ipsi pariter Protestantes assentiendum arbitrari, hunc librum inter Canonicos recipiunt.

Porrò Liber iste veluti perpetua quædam oratio censendus est, qua Salomon demonstrandum suscipit, omnes hujus vitæ res vanitatis habere plurimum & molestiæ; unum tantùm ex omnibus superesse, cui homines fidant, timorem Dei & debitum illius Legibus obsequium, & judiciorum ipsius reverentiam. Primam Operis partem fusius demonstrandam assumens, longo ordine recenset vana omnia & ficta, quæ homines in errorem inducunt. Per omnes vitæ conditiones excurrit, vitia omnia expendit, stultas hominum actiones detegit, & de vanitate creaturarum, opum, ac voluptatum disputat; atque hæc exemplo suo & experientiâ propositâ demonstrat.

(k) *Levit.* XIX, 14.

(l) *Hieron. in Eccles.* I, 12; *Pineda, a Lapide, Gejer. Mercer. alii plerique.*

(m) *Eccles.* VII, 27.

(n) *Eccles.* XII, 9.

(o) *Vide Bellarm. Bonfrer. Delrio in Cantic. Isagog.*

(p) *Hebræi in Midras.*

(q) *Hieron. in Eccles.* XII, 12, 13, 14.

(r) *Vide Synod. V C. P. Act.* 4.

(s) *Philastr. Hæres.* 132.

(t) *Luther. Colloq. convival.*

Eò

Eò rem ducit, quò vix effrænis quispiam deduceret; probabiliora eorum argumenta, qui frænum in voluptatem laxant, providentiam, & animæ immortalitatem negant, in medium ita affert, ut totam eorum vim explicet, ex quibus audacissimas consequutiones deducit; expositas tamen deinde refellit, & ad sua revocans principia, vana esse omnia demonstrat; voluptatem, gaudium, oblectamenta, quidquid denique homines detinet, fuci habere plurimum, rei nihil, ostendit. Tandem postquam Lectores diu multùmque per communia ista deduxit, & auditorem suum vulgaribus & ad omnium captum accommodatis rationibus exercuit, tandem fateri cogit, nihil esse in hoc mundo quod æstimati, sive amorem nostrum & studium detinere mereatur: nihil solidum: transeunt enim omnia, & evanescunt, ne exceptâ quidem hominis sapientiâ, & solidis quibusque rerum notionibus. Unum tandem esse probat solidum perpetuumque, cui maximè innitamur, virtutem, timorem Dei, pietatem atque fidele Divinis Legibus obsequium.

Salomon in eo opere, ait S. Gregorius Magnus (u), Oratoris seu Philosophi pro concione loquentis personam gerens, veluti motam aliquam seditionem pacaturus, vel concitatæ alicujus turbæ spiritus ad quietem revocaturus, ita orationem suam instruit, ut priùs blandè in auditorum animos influat, varias eorum opiniones distinguens pariter & exponens. Ita verò exponit, ut singularum vim totam simul explicet, simulque ita se omnibus induit, quasi partes suas propugnet. Hæc autem omnia summo artificio disponit, quo eorum cavillationes faciliùs dissipet, supprimat passiones: subitò enim nihil tale cogitantibus laqueum stringit, sparsamque orationem velut in unum cogens, *Finem loquendi*, ait, *omnes pariter audiamus. Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo*. Ad eum unicè scopum Author collimat.

(u) *Greg. Magn. lib. 4 Dialog. cap. 4.*

Arduus in paucis intellectu est Liber, peritissimorum Criticorum judicio [x]. Quod quidem non ex stilo tantùm breviori & maximè conciso repetendum est, sed maximè ex sententiis inter se pugnantibus; laborandum quippe est Lectoribus, ut argumenta ad sua revocent principia, quò Salomonis mentem assequantur, sedulòque distingnant, quæ ipse per se, quæque ex personâ impiorum loquatur; quæ vis ejus argumentis tribuenda, sive intra quos limites definienda; quid concesserit, quid negarit Author, & quousque pariter negandum fuerit, & concedendum. Nec minus negotii facit, quid maximè de rerum hujus mundi vanitate, deque usu oblectamentorum statuendum sit; duo enim sunt latentes utrinque scopuli æquè perniciosi: *Omnia vanitas sunt*; &, *Ego dixi: Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis*. Impegerunt in illum Manichæi, duo statuentes in mundo principia, quorum alterum malum censebant. Abutebantur secundo Epicurei, finem hominis voluptatem esse definientes.

(x) *Mercer. Gejer. Præf. in Eccles. &c.*

Quod a Salomone asseritur, nihil esse in mundo novi, semper enim fuisse quidquid modò est, aliud est errorum seminarium, si ad literam teneatur; rectâ enim ad mundi æternitatem conducit; quod est veterum plurium Philosophorum assertum. Hi scopuli in lectione ejus Libri evitandi, quibus labendi occasio impiorum pluribus facta est, contra Sacri Scriptoris mentem, graphicè rerum vanitatem ideo pingentis, *non utique ob aliud, nisi ut eam vitam desideremus, quæ vanitatem non habet sub hoc sole, sed veritatem sub illo, qui fecit hunc solem* (y).

(y) *Aug. de Civ. lib. 20, cap. 3.*



COMMENTARIUS LITERALIS *IN* LIBRUM ECCLESIASTÆ.

CAPUT PRIMUM.

Rerum humanarum vanitas. Nihil sub sole novum. Hominum studia inania.

℣. 1. VErba Ecclesiastæ, filii David, regis Jerusalem.
℣. 2. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes: vanitas vanitatum, & omnia vanitas.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VERBA ECCLESIASTÆ, FILII DAVID, REGIS JERUSALEM. His verbis satis innuitur Salomon. Unus Davidis filius Jerosolymis imperavit Salomon, qui statim patri successit. Luculentiùs etiam se ipsum Salomon describit ℣. 12: *Ego Ecclesiastes fui rex in Jerusalem.* Post Salomonem nemo Israëlis imperium tenuit Jerosolymis, sed Judæ. Denique Capite XII, 8, eâ sese notâ distinguit, quæ ipsi uni inter cæteros Reges Juda convenit, sapientiâ scilicet, latisque in populum institutis: *Cùmque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, &c.*

Ecclesiastes, quod nomen hìc usurpat Salomon, appellatio est ducta e concione, sive Ecclesiâ, ubi populum alloquebatur. *Ecclesia* Græcè concionem seu cœtum significat: *Ecclesiastes* congregantem, sive concionatorem, vel eum, qui populum pro concione alloquitur. Eædem significationes voci Hebrææ *Koheleth* (a) conveniunt, quæ vox ad verbum sonat *Congregatricem*, sive eam, quæ publico in foro vel in concione convocat. Cur verò vox fœminei generis est? Solent Hebræi fœmineum genus pro communi usurpare; interdum etiam pro masculino: ac toto certè in hoc libro ubique cum masculino jungitur hæc vox *Koheleth*, præter unicum locum (b), ubi fœmineo jungitur. Interpretes denique supplent hìc *Sapientiam*, sive *animam*, seu *vocem*, veluti aliquid additur, quo fœminea vox *Koheleth* regatur. *Verba Sapientiæ*, seu *vocis*, sive *animæ clamantis congregantisque populos*, ut illos gravissimis monitis de terrenarum rerum levissimâ vanitate instituat.

℣. 2. VANITAS VANITATUM, ET OMNIA VANITAS. Quàm plena vanitatis sunt omnia! Quàm nihil, quàmque inane spectrum est quælibet res creata! Nihil e nihilo, ex errore error, falsitas e falsitate. Hoc unum vita omnis est, si hanc eâ mente perspicias, quæ sapiens sit, prudens, & errore vacua. Quicquid apud homines maximè micat, quidquid plurimi omnium æstimatur, maximâque sollicitudine quæritur, mera vanitas est. Ingens & gravissimum exordium; cùmque a sapientissimo doctissimoque Salomone pronuncietur, æquum est, ut cujuslibet hominis animum sententiæ gravitate afficiat. Totius veluti orationis argumentum est, totius libri sive orationis serie demonstrandum. Id probandum proponit, quàm nihil sint ea, quæ amorem & æstimationem hominum alliciunt; idque longâ sapientissimâque enumeratione demonstrat, ubique ferme propriâ experientiâ confirmans.

Pro *Vanitas vanitatum*, reddi potest: *Extrema inanitas*, omnium rerum inanissima. His loquendi formulis uti solent Hebræi, ut extremum in unâquaque re significent, veluti in perfectione aut vitio. Ita dicitur *Canticum canticorum* pro cantico excellentissimo, *Cœlum Cœlorum* pro cœlo omnium sublimissimo, *Deus Deorum* pro maximo inter Deos. Ita per contemptum, *Servus servorum*, pro servorum vilissimo, &c. Septuaginta (c): *Vanitas vanitatum*, sive inutilitas inutilitatum. Cæteri Interpretes Græci: *Vapor vaporum*. Quicquid in terrâ est, merus est halitus. *Omnia*, inquit S. Augustinus (d), *quæ corporeus sensus attingit, ne puncto quidem temporis eodem modo manere posse; sed labi, effluere, & præsens nihil obtinere; idest, ut Latinè loquar, non esse*. Somnium quoddam est homo (e), innumerarum vicium ludibrium.

S. Augustinus (f) in quibusdam Codicibus Latinis legebat, *Vanitas vanitantium*, pro *Vanitas vanitatum*; atque inde moralem institutionem ducit, docetque, rerum humanarum vanitatem potiùs ex hominis vanitate & peccato nasci, quàm esse vitium creaturæ, aut Creatoris imbecillitatem. Si peccatum & hominis corruptionem auferas, vanum nihil in mundo futurum est; omnia enim quæ Creator egit, bona sunt & utilia. Alibi tamen (g) idem S. Augustinus fatetur, mendosam esse lectionem, quamvis justa sint & vera

(a) דברי קהלה בן דוד מלך בירושלם 70: Ρ'ήμαλα Ε'κκλησιαςȣ. (b) *Eccle.* VII, 28. אמרה קהלת
(c) 70: Ματαιότης ματαιοτήτων. *Heb.* הבל הבלים הכל הבל *Alii*: Α'τμὸς ἀτμῶν.
(d) *Aug. Ep.* 2 *nov edit.* (e) *Pindar.* Σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος. (f) *Aug. lib. de quantitate animæ, c.* 33; *& de verâ Relig. c.* 21, *&* 33, *&* *alibi*. (g) *Aug. lib.* 1 *Retract. c.* 7.

℣. 3. Quid habet ampliùs homo de universo labore suo, quo laborat sub sole?

℣. 4. Generatio præterit, & generatio advenit: terra autem in æternum stat.

℣. 5. Oritur sol, & occidit, & ad locum suum revertitur: ibique renascens,

℣. 6. Gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem. Lustrans universa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur.

COMMENTARIUS.

vera ea dogmata, quæ ex eâ ipse collegit.

℣. 3. QUID HABAT AMPLIUS HOMO DE UNIVARSO LABORA SUO, QUO LABORAT SUB SOLE? Quid prodest homini labor suus? Post assiduum totius vitæ laborem, quid homini superest in morte? Quem e laboribus fructum colligit, postquam diu fortonæ & vanitatis ludibrium fuit? Omnia e manibus labuntur, pereunt omnia, ipse cum cæteris. Assiduè laboramus, ut fortunæ bona, gloriam, dignitates consequamur: quis verò laborum finis? Quid post hæc superest? Pœnitentia, mœror, animi angustiæ: *Quid prodest homini*, ioquit Christus (h), *si mundum universum lucretur, anima verò sua detrimentum patiatur?* Quantula res est totus hic orbis, in tam multos populos distributus? Quàm parva res est mundi pars, quam occupamus, cujus imperium igne ferroque hominum ambitio quærit! *Hoc est punctum, quod inter tot grntes ferro & igni dividitur. O quàm ridiculi sunt mortalium termini!* (i) Inania simulacra, infirmi conatus, labores inutilissimi, vanissima vanitas. Hoc scilicet sunt omnia, quæ hìc molimur.

℣. 4. GENARATIO PRÆTERIT, ET GENERATIO ADVENIT; TERRA AUTAM IN ÆTERNUM STAT. Imbecilles hominum animi, quid rebus vanissimis superbitis? Innumeram intuemini generationum seriem, quæ ab ipso rerum exordio effluxere: quò illæ perierunt? Præsens generatio, & quæ haoc sequentur, omnea unà peribunt. Una stabit immobilis tellus, ipsum scilicet telluris corpus, non ea quibus occupatur; si enim hæc inspicias, assiduas vices experitur, temporum, ætatum, turbarumque, quas hominum labores, bella, aquæ, ignis, & reliquæ vicissitudines pariunt. Multò præstantiores vobis videmini, quàm grave hoc & inanimatum telluris corpus, quod vestris pedibus teritur, vestrisque laboribus exagitatur: at illud animo versate, perseverare tellurem, vos labi; vobis pereuntibus, illam superesse; cùmque vos assiduis vicissitudinibus ad absolutum usque vestri exitium agitemini, illam non moveri. *Quid hac vanius vanitate*, inquit hìc S. Hieronymus, *quàm terram manere, quæ hominum causâ facta est; & ipsum hominem terræ dominum in pulverem repentè dissolvi?* Omnis hominum natura a sæculorum exordio usque ad exitum ita haberi potest, veluti circulus sit, connexaque in orbem rerum series, & quodammodo infinita, ubi eadem res nunquam recurrit, quamvis idem semper sit circulus (k): *In orbem nexa sunt omnia, fugiunt & sequuntur.* Telluris immobilitatem hìc a Salomone doceri, quidam Interpretes docent. At illud solummodò consilium Salomonis esse videtur, ut immobilem fixumque telluris statum assiduis generationum vicissim sibi succedentium vicissitudinibus opponat. Quid de telluris quiete senserint Hebræi, peculiari Dissertatione de Mundi Systemate, ex Hebræis, examinavimus.

℣. 5. ORITUR SOL, ET OCCIDIT, ET AD LOCUM SUUM REVERTITUR; IBIQUE RENASCENS, GYRAT PER MERIDIEM, ET FLECTITUR AD AQUILONEM. En aliud inconstantiæ, qua res terrenæ feruntur, argumentum. Sol, qui cœlestium corporum pulcherrimus est, & fulgentissimus, eumdem semper neque locum neque situm servat: quotidie, ut ita dicam, vespere moritur, mane iterum oritur, ut rursus iter instituat; itinere absoluto, cadit, nostroque obtutui absconditur: adeò incerta instabilisque solis natura est. Mentem huc oculosque converte, mortalis vilisque homo, qui quotidie, ut ita dicam, per somnum moreris, quo sensuum rationisque usu aliquandiu privaris, ac de morte, quæ sopor æternus est, admoneris. *Sol ipse*, inquit hìc S. Hieronymus (l), *qui in lucem mortalibus datus est, interitum mundi ortu suo quotidie indicat & occasu.* Solis labores, astrorumque motus laborum nostrorum solatium esse debent, inquit Plinius (m): *Quis cernens stratos siderum labores, non sua necessitati mortalis genitus ignoscat?*

Reddi ad verbum Hebræus potest (n): *Oritur sol, & occidit sol, & anhelus tendit ad locum suum, ibique oritur.* (℣. 6.) *Discedit ad austrum, & circuit ad aquilonem.* Duo hìc dicit Salomon, sedulò distinguenda; alterum, diurnum & quotidianum solis motum ab ortu ad occasum. Oritur, ac præceps fertur, & quodammodò *anhelans ad locum suum*, in domum ac sedem suam. Phrasis est vulgaris communisque apud Veteres (o):

Solis anhelantes abluit amnis equos.

Alterum, annuum solis motum (p) e tropico ad tropicum, per varia Zodiaci signa. Id verò innuit Salomon iis verbis, *Discedit ad austrum, & circuit ad aquilonem.* Signis australibus peragratis ad septemtrionem redit, assiduoque circuitu movetur. Utrùm Hebræi terræ figuram cyclicam crediderint, solemque circa tellurem torqueri, alibi expendimus.

℣. 6. LUSTRANS UNIVERSA IN CIRCUITU PERGIT SPIRITUS (ventus), ET IN CIRCULOS SUOS REVERTITUR. De hujus loci sententià Patres & Interpretes dissident. Alii (q) pro *Spiritu* ventum intelligunt, alii (r) ignem, alii (s) solem; quasi pars essent hæc descriptionis, quæ ℣. 5 cœpta est.

(h) *Matt.* XVI, 26. (i) *Senec. Præfat. in lib. natural. quæst.* (k) *Senec. Ita & Arist. lib. 4 Physic. cap. 24: Φασὶ γὰρ κύκλον εἶναι τὰ ἀνθρώπινα πράγματα. Vide Eccli.* XIV, 18.
(l) *Ita ferè Didymus & Nyssen. in Catenâ.* (m) *Plin. lib. 2, c. 12.*
(n) חרח השמש ובא השמש ואל מקומו שואף זרח הוא שם (6) הלך אל דרום וסובב אל צפון (o) *Catull. lib. 2.* (p) *Ita Hieron. & Olympiod. hic, Theophil. Alex. Ep. 3 Paschali. Cajet. Pined. Mercer. Menoch. alii.* (q) *Ita Sym. Gregor. Thaumat. Hugo Victorin. Cajetan. Vatab. Pined. a Lapide, alii passim.* (r) *Abenezra, Franc. Valef.* (s) *Hieron. Olympiod. Alcuin. Hugo, Dionys. Titelman. Grot. Isidor. de nat. rerum, c. 27.*

℣. 7. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.

℣. 8. Cunctæ res difficiles: non potest eas homo explicare sermone. Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur.

COMMENTARIUS.

est. Sol fortasse *spiritus* dicitur, quòd vitam pariat animamque, ac totam naturam calefaciat, totiusque mundi inferioris anima quodammodo sit, uti Poëtis (t) veteribusque Philosophis videbatur. Neque defuere, qui solem animâ instructum esse putaverint (u); atque hinc factum esse, ut *Spiritus* hoc loco appelletur. Postrema tamen hæc sententia communi omnium consensu rejicitur; quæque de Sole explicat, paucissimos assectas habet.

Nobis videtur Salomon hìc ventos describere, variis e plagis vicissim flantes, e Septemtrione, Meridie, Ortu, Occasu, uti varia ferunt anni tempora, cæteræque aëris affectiones. Varias hujusmodi impulsiones ii magis, ac certiores sentiunt, qui maris plagas incolunt, veluti Judæam, quàm qui longè a mari absunt. Ita igitur hunc locum intelligimus & explicamus, cum Interpretum doctissimis: (x) *Vadit ad Austrum ventus, & circuit ad Septemtrionem; circuiens pergit*; itque reditque, *& in se ipsum redit*. Profectò arduum est explicare, qui sol e Septemtrione ad Meridiem ferri queat; id verò dici necesse est, si prior versiculi pars de Sole explicetur. At si de vento explices, nihil arduum est. Flant venti nunc ab unâ, nunc ab alterâ Cœli plagâ: nunc Auster est, nunc Aquilo. Hæc explicatio proposito Salomonis mirificè servit, quippe qui demonstrare conetur, omnia, quæ in mundo sunt, assiduis motibus vicibusque torqueri.

℣. 7. Omnia flumina intrant in mare, et mare non redundat. Luculentissimum hìc habes inconstantiæ rerum humanarum argumentum. Fluvii omnes, torrentes fontesque assiduo cursu in mare ruunt, vastisque avidissimi atque insatiabilis hujus gurgitis vorticibus miscentur. Omnis hominum vita simillima amni est, in mare semper ruenti, ac nunquam redeunti (y). Hebræi, teste S. Hieronymo hìc, amnium & maris nomine homines significari ajunt, qui ubi perierint, in humum, e quâ conflati sunt, revertuntur. Hebræus ad verbum legit (z): *Omnes torrentes intrant in mare*, quasi præcipitem vitæ nostræ lapsum, ac brevitatem indicantes, *& mare non redundat*; terra enim nunquam impletur mortuorum hominum numero, quos excipit.

Ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant. Varias de fontium amniumque origine sententias Philosophi excogitavere; omnes tamen componi commodè cum iis possunt, quæ hìc Salomon tradit. Sive enim fontium origo sunt imbres, qui in terras lapsi, in montium cavernis servantur, paulatim fluentes per canales, quos natura seu casus duxit usque ad fontium scaturigines; sive ipsa maris aqua per cæcos meatus terræ montiumque viscera penetrat, salsugine positâ in itinere, ut per fontes egrediatur, iterum oceanum repetitura (a); sive eadem maris aqua proprio pondere sub montium radices usque delata, ubique intimo terræ calore in vapores conversa, atque iterum in aquas collecta aëris aut ipsorum montium frigore (b), inde fluit per subterraneos canales ad aditum usque, quem ipsa sibi vel in clivo, vel in montis radicibus fecit: quamlibet ex tribus hisce sententiam amplectaris, semper verè dicentur amnes e mari nasci, ut iterum eò fluant; ipsum enim mare materiam suppeditat vaporibus, imbribus, fontibusque. Nihil autem luculentiùs humanarum rerum vicissitudines demonstrat, quàm hæc aquarum conversio. Quod hìc Salomon de fontium amniumque origine, idem fermè tradit Homerus, qui utrosque ex oceano ducit (c).

℣. 8. Cunctæ res difficiles: non potest homo eas explicare sermone. Quælibet res tam multis difficultatibus impeditur, ut eas dicendo satis assequi nemo queat. Innumeræ sunt difficultates singulis artibus, conditionibus, statibusque. Quàm multæ in unâquaque scientiâ tenebræ & ambages! Ingens opinionum varietas, quæ & nostrâ & Patrum ætate semper obtinuit, de qualibet re, de Religione, de scientiis quæ in contemplatione consistunt, de moralibus, physicisque, mentis humanæ brevitatem, tenebrasque, quibus homo undique cingitur, luculentissimè ostendit. Hebræus (d): *Omnia verba laboriosa*, difficilia: *non explicabit homo dicendo*. Variarum rerum, quæ oculis obversantur, causas assequi, aptasque illarum rationes edisserere non valemus. Pleræque hominum ratiocinationes obnoxiæ errori sunt, sive de iis loquantur quæ sensibus patent, sive de iis quæ sensum superant. At Vulgatæ versionem sequi malumus, ac de iis quæ mox enumeravit Salomon, explicare. Tanta est in variis hisce rerum conversionibus, & assiduis astrorum, aëris, ventorum aquarumque vicissitudinibus obscuritas, ut vel peritissimi ignorantiam suam fateri cogantur.

Non saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur. Nunquam contenta est hominum

(t) *Virgil. Æneid.* VI: *Lucentemque globum lunæ titaniaque astra*
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

(u) *Ita Origen. & Isidor. lib. de nat. rerum, c. 27, & ex antiquis Philosophis nonnulli.*

(x) *Abenezra, Mercer. Gejer. alii.* (y) *Aug. in Psal.* CIX: *Sicut torrens pluviatilibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit, & currendo decurrit, idest, cursum finit; sic omnis iste cursus mortalitatis: nascuntur homines, moriuntur, & aliis morientibus alii nascuntur, succedunt, accedunt, discedunt, nec manebunt.* (z) כל הנחלים הלכים אל הים (a) *Ita Hieron. hìc, Basil. homil. 4 in Hexaëm. Rupert. Hugo Victorin. Ita Plato in Phadone, Senec. lib. 3 nat. qu. 5, c. 15: Occulto enim itinere subit terras, secreto revertitur colaturque transitu mare, quod per multiplices anfractus terrarum verberatum amaritudinem ponit, & pravitatem saporis in tantâ soli varietate exuit, &c.* (b) *Ita ferè Aristotel. 2 Meteor. c. 13. Vide* Regis, systême de Philosophie. (c) *Homer. Iliad.* Φ. Ὠκεανοῖο,
Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα,
Καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα μακρὰ νάουσι.

(d) כל הדברים יגעים לא יוכל איש לדבר *70:* Πάντες οἱ λόγοι ἔγκοποι, οὐ δυνήσεται ἀνὴρ τὸ λαλεῖν.

℣. 9. Quid est, quod fuit? ipsum, quod futurum est: quid est,
quod factum est? ipsum, quod faciendum est.
℣. 10. Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc
recens est: jam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.
℣. 11. Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem, quæ postea
futura sunt, erit recordatio apud eos, qui futuri sunt in novissimo.
℣. 12. Ego Ecclesiastes fui rex Israël in Jerusalem.
℣. 13. Et proposui in animo meo quærere, & investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in eâ.

COMMENTARIUS.

num curiositas. Quò plura novit, plura nosse laborat. Hoc verò luculentissimum est illorum ignorantiæ argumentum, apertèque demonstrat, quàm malè ea nôrint, quæ se scire putant. Siquam aliquando scientiam perfectè assequerentur, nihil ulteriùs quærerent. Ipsa hæc sollicitudo non mentis modò, sed voluntatis morbum demonstrat. Ita mera est in hominum studiis, inquisitionibus, ac scientiis vanitas. *Cupimus quotidie scire nova*, inquit S. Ambrosius (e): *& quid est ipsa scientia, nisi quotidiani doloris subjectio?*

℣. 9. Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. (10) Nihil sub sole novum. Colligit ex hoc loco Origenes (f), plures fuisse mundos, antequam hic, quem occupamus, existeret; atque hoc pereunte seu mutato, alios huic successuros. At quamvis hæc verba huic sententiæ favere videantur, nihil tamen ita intelligi jubet (g); neque desunt apud Scripturam argumenta, quæ mundum æternum non esse ostendant. Invicta novitatis suæ indicia secum ipse Mundus fert. Omnium fermè artium, Imperiorum, magnarumque vicissitudinum exordia novimus. Hominum historia & recordatio certum annorum numerum minimè superat. Quamobrem, si æternus est mundus, cur intra quater vel quinquies mille annorum seriem clauditur? Hoc igitur solummodò vult Salomon, in hac assiduâ causarum effectorumque conversione, in hac rerum sibi succedentium vicissitudine nihil esse, quod parere admirationem debeat. Quicquid olim gestum est, fieri iterum potest: quæ nunc fiunt, rursus post nostram ætatem evenient (h). Imperia vidimus mox surgere, mox destrui; bonos malosque simul mistos, oppositosque semper sibique adversantes; virtutem ac vitium in hac vitâ misceri; opprimi justitiam ac veritatem; scelus ac mendacium debacchari; versis verò vicibus mendacium sub veritate cadere, sub iniquitate æquitatem. Nihil in mundo novum est: nihil eodem semper in statu est: *Nihil permanere sub sole* (i), *Nemo est mane qui fuit pridie: corpora nostra rapiuntur fluminum more. Quicquid vides, currit cum tempore. Nihil ex his quæ videmus, manet: ego ipse dum loquor mutari ista, mutatus sum* (k).

℣. 11. Non est priorum memoria: sed nec eorum quidem, quæ postea futura sunt, erit recordatio. Quod mox dixit, omnia scilicet, quæ nunc evenire cernimus, elapsis retrò ætatibus jam contigisse (l), his verbis probat. Si omnia quæ olim gesta sunt, nosceremus, veteresque historias revocare liceret, ætatis nostræ narrationes resque gestas in libris bis millium annorum ætate superioribus legeremus, mutatis tantummodo nominibus rerumque adjunctis. Quod nunc sunt, idem semper homines fuere: vitio corrupti, injusti, mali. Eadem causa perseverans eamdem semper rem parit. *Nihil est dictum, quod non sit dictum priùs* (m). Quem in locum Donatus, S. Hieronymi præceptor, exclamabat (n): *Pereant qui ante nos nostra dixerunt*; quasi Priscis invideret, quòd aliqua ante se invenissent.

℣. 12. Ego Ecclesiastes fui rex Israel in Jerusalem. Apertissimè sese innuit hoc loco Salomon. Nullus post illum Rex Israëlis Jerosolymis fuit. Sui ipsius experientiâ probare incipit ea quæ mox dixit, quæque deinceps dicturus est. Ipse idem florentissimi Imperii Rex fui, cui nihil deerat, ut quicquid boni malive, fuci aut veritatis, solidi vel inanis in hujus vitæ dignitatibus, bonis, gloriâ, famâ, voluptatibus est, experirer. Mihi experto crede. Morale quiddam, seu potiùs insanum comminiscuntur Rabbini quidam (o) in hæc verba: *Ego fui Rex in Jerusalem*; ajuntque, Salomonem Regno sese abdicasse, sive pœnitentiæ causâ, ut quibusdam placet, sive ab Asmodæo Dæmone coactum fugatumque, ut aliis videtur; cùmque criminum conscientiâ angeretur, clamare inter cives consuevisse: Ego Ecclesiastes, olim Salomon, Rex in Jerusalem, &c. Docent alii, hæc a Salomone scripta dictaque esse, cùm is in desertis locis apud Dæmonem Asmodæum lateret. Quis hasce ineptias curet, aut iis capiatur?

℣. 13. Proposui in animo meo quærere, et investigare sapienter de omnibus. Studiorum suorum rationem hìc reddit Salomon. Cùm sese florentissimæ gentis principem, amplo ac felici ingenio instructum, insolitâque prorsus sapientiâ a Deo donatum sentiret, curas omnes eò convertit, ut naturæ vires, & cætera, quæ nosci ab homine possent, scrutaretur. Quorsum verò hæc studia? Eò scilicet desinunt, ut doceat, sese nihil nisi vanitatem, inane, nihil in quibuslibet rebus invenisse; ipsamque animi contentionem, studiumque meram esse *spiritûs afflictionem* (p); atque hanc inter cæteras pessimam esse sollicitudinem,

(e) *Ambros. de bono mortis, c. 7.* (f) *Origen. lib. 3 de Princip. c. 5. Ita & Hebræi quid. apud Maimon. lib. 2 More Neboch, Hugo, Cajet.* (g) *Vide Philon. Opuscul. Utrùm mundus sit corruptibilis.* (h) *Ita Hieron. Olympiodor. Aug. lib. 12 de civit. c. 13; Alcuin. hic, Palæphatus de incredib. histor. initio.* Αἱ νῦν οὐκ εἰσὶ (μορφαὶ) τὰ τοιαῦτα οὐκ ἐγίνετο, εἰ γὰρ ποτε, καὶ ἄλλοτε ἐγίνετο, καὶ νῦν τε γίνεται, καὶ αὖθις ἔσται. Ἀεὶ δὲ ἔγωγε ἐπαινῶ τοὺς συγγραφέας Μέλισσον, καὶ Λαμίσκον τὸν Σάμιον, ἐν ἀρχῇ λέγοντας ἔστιν, ἃ ἐγίνετο, καὶ νῦν ἔσται. (i) *Eccle. 11, 12.* (k) *Senec. ep. 58.* (l) *Marc. Antonin. lib. 12.* Πᾶν τὸ γινόμενον οὕτως ἀεὶ ἐγίνετο, καὶ γενήσεται, καὶ νῦν πανταχοῦ γίνεται. (m) *Terent. in Eunucho.* (n) *Hieron. hic, de Donato.* (o) *Vide, si placet, Chald. hic, & Cornel. a lap.* (p) *Eccle. 1. 14: Ecce universa vanitas, & afflictio spiritûs.*

℣. 14. Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce universa vanitas, & afflictio spiritûs.

℣. 15. Perversi difficilè corriguntur, & stultorum infinitus est numerus.

COMMENTARIUS.

dinem, quam Deus hominibus dederit: *Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum*. Ubique salebræ, ambages, difficultates. Quanti stant unicuique scientiæ? Quàm densis tenebris, gravibusque ambiguitatibus impediuntur ea, quæ optimè nobis perspecta esse arbitramur? Quantus animi dolor, ubi post diuturnos labores, haustasque funditus scientias, utilitatem, voluptatem, veritatemque non invenis, quam tibi pollicebaris?

„ Doctissimus nostræ ætatis Philosophus (q) „ jure merito ajebat, quamlibet scientiam duo „ inter extrema sibi contigua jacere. Alterum „ mera est ignorantia, quam unusquisque hominum ex naturâ refert, cùm esse inter homines „ incipit. Alterum, illud est ignorantiæ genus, „ quò magnæ quorumdam hominum mentes perveniunt, quæ iis omnibus sollicitè sedulòque „ versatis, quorum notitia a solertissimis hominum acquiri solet, nihil denique se scire sentiunt, eàdemque ignorantiâ sese obvolutos experiuntur, quam ex ipsâ origine secum tulerant. Hoc tamen doctæ ignorantiæ genus est, „ se ipsam agnoscentis. Qui inter duo hæc extrema sunt, naturali scilicet ab ignorantiâ egressi, at doctam ignorantiam non assecuti, aliquid sibi scire videntur, suâque cognitione contenti, de rerum scientiâ sibi blandiuntur. Hi „ scilicet turbas ubique serunt, ac nemo pejus „ judicium ferre de rebus solet. Totus humanæ „ gloriæ fulgor plerumque ex ignaro vulgo & ex „ hominibus mediocriter doctis est. Cæteri despiciunt, & despiciuntur. Ita hic, qui alibi (r) „ scribit: Summa rerum cognitio, & summa cognitionis inopia insaniæ juxta damnantur. Optima solùm ducitur mediocritas. Ita multitudini „ placuit, quemlibet hominum conviciis lacessenti, siquis mediocritatis fines prætergrediatur.

Doctissimorum hujusmodi hominum e numero fuit Salomon, ex iis scilicet amplissimis ingeniis, qui extremos scientiarum fines attingunt, omnemque illarum amplitudinem & profunditatem assequuntur. At inter paucos unus ad justæ mediocritatis fines reverti novit, ne cæteris inutilis fieret. Omnes hominum scientias meram vanitatem esse fatetur, unumque ab omnibus plurimi faciendum esse, maximèque curandum, Dei timorem ac pietatem. Turbæ sese iterum miscet, ut ita dicam, communemque viam iterum ingreditur, postquam ipsum Cœli verticem attigit. Unum inter cætera studium commendat, veræ sapientiæ inquisitionem, de qua tam multa in Proverbiis dixit, quæ ipsa Religio est, & Dei timor (s): *Timor Domini, principium sapientiæ.*

℣. 14. Ecce universa vanitas, et afflictio spiritus. Septuaginta (t): *Et ecce omnia vanitas, & electio spiritûs.* Omnia mera vanitas sunt, ac pretium ex vanâ hominum æstimatione habent. Aquila (u), Symmachus, & Theodotion: *Omnia vapor & pastio venti*; vel, cibus adeò levis, vanus, satiandoque hominis animo ita ineptus, uti ventus corpori (x): *Ephraim pascit ventum.* Hebræus fert dolorem, mœrorem, vexationem animi (y), contritionem spiritûs (z), ex S. Hieronymo, variisque Interpretibus. At Recentiorum plures (a) Græcam versionem tuentur: *Pastio venti*. Alii: *Cogitatio venti*. Illud hoc loco vult Sapiens, omnes hominum labores atque omnia negotia prorsus esse inania; nihil autem prorsus esse, quæ homines & pluris faciunt, & sollicitè quærunt. Quicquam anxiè cupis? Idipsum est animi dolor. Quæ cupieras adeptus es? Statim tædet, & acquisita contemnis, quippe quæ ita solida esse non sentis, quàm tibi pollicebaris. Ignorantiâ laboras? Animi cruciatus, & discendi desiderium. Intimas rerum cognitiones pervasisti? Mentis angor, tam multos labores miserrimè perditos deplorantis, quorum sola superest pœnitentia, amaraque cum Salomone confessio, omnia meram esse solamque vanitatem. Tua te ambitio ad famam opesque comparandas impellit? Id verò multò vanius est, quàm quæ recensuimus, cùm ex falsâ hominum æstimatione pendeat, ipsorumque libidini, atque inconstantissimæ voluntati obnoxium sit.

O curas hominum! o quantum est in rebus inane! (b)

℣. 15. Perversi difficile corriguntur; et stultorum infinitus est numerus. Utraque hæc sententia absolutè vera est. Nihil magis arduum est, quàm animum scelere corruptum perversumque ad virtutis iter convertere. Qui in brevem aliquam nequitiam labuntur, seu valido libidinum æstu agitati, sive animi propensione, vel amicorum exemplo, aut consuetudine, facilius corriguntur. At qui mente animoque perverso sunt; qui firmatam in religionis incuriâ, Divinarumque legum contemptu voluntatem gerunt, idque meditatè ac de industriâ; vel qui pessima licentiæ dogmata altè animo imbiberunt, longâque habitudine confirmavere; hi profectò si ad meliorem frugem revertantur, rarissima planè res est, & prodigii loco reputanda.

Stulti, quorum *numerum infinitum esse* ait Salomon, ii non sunt, qui mentis errore feruntur, aliterque ac cæteri hominum cogitant differuntque. Horum numerus adeò ingens non est, ut alterius generis stultorum, quibus Urbes, & oppida implentur. Homines sunt nullo rationis principio agentes, ignorantesque, quid verè utile sit, temerè viventes, atque aliud planè agentes, quàm quod debent. Impios frequenter *stultos* appellat Spiritus S. & peccatum *stultitiam*. Quos igitur stultos hîc nuncupat Sapiens, homines impii sunt, scelesti, & Religionem penitus ignorantes. Horum numerus infinitus est, tantoque deterior stultitia, quò minùs nota; quantoque insaniores plerumque sunt ii, qui sapientissimi inter homines vulgo existimantur. Ubi libido, & insania totum latè orbem pervaserint, nemo eâ laborare videtur (c). Felix cui Deus oculos animumque aperit, ut sæculi vitium atque insaniam agnoscat fugiatque.

He-

(q) Paschal, pensées, ch. 9. (r) Chap. 25. (s) *Prov.* 1, 7. (t) Καὶ ἰδοὺ πάντα ματαιότης, προαίρεσις πνεύματος. (u) Ἀτμὸς καὶ νομὴ ἀνέμου. *Sym.* Βόσκησις.
(x) *Osee*, XII, 1. (y) *Hieron. Syr. Munst. Tig.* (z) *Chald. Rab. Sal. Jun. Pagn. Grot.*
(a) *Ita Mont. Mercer. Drus. Pisc. Geier. Anglic.* (b) *Persius, Satyr. I.* (c) *Aug. Enchirid. c.* 80: *Peccata, quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur.*

℣. 16. Locutus ſum in corde meo, dicens: Ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientiâ, qui fuerunt ante me in Jeruſalem, & mens mea contemplata eſt multa ſapienter, & didici.

℣. 17. Dedique cor meum, ut ſcirem prudentiam, atque doctrinam, erroreſque, & ſtultitiam: & agnovi, quòd in his quoque eſſet labor, & afflictio ſpiritûs:

℣. 18. Eò quòd in multâ ſapientiâ multa ſit indignatio: & qui addit ſcientiam, addit & laborem.

COMMENTARIUS.

Hebræus (d): *Perverſum non poteſt corrigi, & defectus non poteſt numerari*, totus orbis libidinibus vitiiſque minimè corrigendis abundat. Ubique ſcelera ſunt, peſſima dogmata, pravique mores, quos nihil unquam eliminabit. Adde innumeros defectus, imbecillitates, miſerias, quæ omnem prorſus numerum ſuperant. Deficiunt hominum judicia, æſtimatio, eligendi vis & cognoſcendi, morum regulæ, omnes denique vivendi leges, & inſtituta. Quidquid gerimus, optamus, inſtituimus, ſi quis ea propiùs inſpiciat, undique deficientia deprehendet. Ea ipſa, quæ ſanctiſſima videntur, ac laude digniſſima, frequenter malâ cupiditatis propriique amoris, cujus expers nemo eſt, radice vitiantur. Unuſquiſque naturâ ſuâ beatitudinem ac ſummum bonum quærit. Quàm multis verò in illius inquiſitione peccatur! Ebrio ſimiles ſumus, qui domum quærens nunquam invenit (e).

Septuaginta (f): *Perverſum non poterit ornari; & defectus*, paupertas, *id quod deficit, numerari non poterit*. Quod naturâ pravum eſt, ornari nequit. Vel: E diſtorto ligno, & male compacto, nihil eximium confici poteſt. Quod verò hominibus deeſt, hominum vitia atque infirmitates eo numero ſunt, ut nemo recenſere queat. Probè compertum habendum eſſet, quid hominum natura valeat, quantâque in perfectione illam condiderit Deus, ut æquum ferri poſſet judicium, quantum illi detrimentum ex peccato acceſſerit; utì neceſſe eſt hominem ante jacturam cognoviſſe, ut quantum amiſerit, ſcias.

℣. 16. Præcessi omnas sapientia. Regum omnium, quos noverimus, ſapientiſſimus fuit Salomon. Major naturæ viribus, ac cœlitus data fuerat ipſius ſapientia (g). Acceptam verò divinitus naturam planè eximiam ipſe ſtudio earum rerum coluit, quæ illius ætate doctorum hominum meditationes exercebant. Adeò autem iis profecit, ut ſatis dici nequeat. Hujus ſapientiæ monumenta in Proverbiorum libro, & in Eccleſiaſte ſuperſunt. Tantæ dignitatis & ſapientiæ hominem minimè dedecet, aliquid ſibi glorioſum prædicare, cùm populus monitis inſtituendus eſt, & autboritas orationi monentis addenda. Cavet tamen, ut ſolummodo tunc ſapientiæ ſuæ præſtantiam commendet, cùm illi dicendum eſt, ſeſe illius ope didiciſſe, omnia meram eſſe vanitatem, & ſpiritûs afflictionem, ipſumque rerum altiſſimarum ſtudium laborem ſolummodo eſſe, & animi cruciatum.

℣. 17. Ut sciren pruoantiam atque octrinam, arroresqur et stultitiam. Pars ſapientiæ eſt, hominum errores atque inſaniam noſſe. Niſi probè nôris, ita ſedulò, utì decet, non vitabis; neque adeò facile eſt, utì vulgus putat, hominum errores perverſaque itinera cognoſcere. Nihil fermè eſt, quod his vitiis careat; nullaque hominum conditio expers illorum eſt. Sapientibus miſerabile, aut potiùs horrore dignum videtur illud ipſum, quod plerorumque hominum admirationem & deſiderium movet. Mundi ſapientia Deo inſania eſt (h). Reddi Hebræus poteſt (i): *Adjeci animum meum ad cognitionem ſapientiæ & ſcientiæ, veſaniæ & erroris*. Septuaginta (k): *Sapientiam & cognitionem, parabolas, & ſcientiam*.

℣. 18. In multa sapiantia multa indignatio. Quo doctior fueris, eò perſpectiùs habebis te nihil ſcire; eòque magis indignaberis, tam multos labores te miſerrimè perdidiſſe. Idcirco ne tam diuturnis laboribus incumbendum erat, & nulli unquam quieti indulgendum? Aliter: Quò majori ſcientiâ excultus fueris, eò luculentius tua ipſius vitia cognoſces, longiùſque a virtute abeſſe te ſenties, & eò majori dolore cruciaberis, communem mundi corruptionem, ſtultorumque errores intuens (l). Vel: Quo majorem ſtudiis operam dederis, eò majori ſtudio te indigere cognoſces, laborumque præteritorum inutilitatem; breviſſima enim vita eſt (m), & veritas magis latet (n) quàm ut illam facilè aſſequamur. Denique: Quò plura noſti, eò magis Numinis iræ obnoxius es, niſi vita cum ſcientiâ conſenſerit (o).

(d) מעות לא יוכל לתקן וחסרון לא יוכל להמנות (e) *Boët. de conſol. Philoſ. lib. 3, proſ. 2.*
(f) *Διεστραμμένον οὐ δυνήσεται τοῦ ἐπικοσμηθῆναι, καὶ ὑστέρημα οὐ δυνήσεται τοῦ ἀριθμηθῆναι,*
(g) *3 Reg. III, 12.* (h) *1 Cor. III, 19.* (i) לדעת חכמה ודעת הללות ושכלות
(k) *Σοφίαν καὶ γνῶσιν, παραβολὰς καὶ ἐπιστήμην. Aquil.* Πλάνας, errores. הללות *Th.* Παραφορὰς, *errores mentis.* (l) *Vide Aug. de animâ & ſpiritu, c. 29; Greg. Magn. lib. 28 Moral. c. 24; & Hieron. hic: Quanto magis quis ſapientiam fuerit conſecutus, tantò plus indignetur ſubjacere vitiis, & procul eſſe a virtutibus quas requirit. Vide & Greg. in Ezech. 1, 1, Homil. 10.* (m) *Hippocr. initio Aphoriſm.* Ὁ μὲν βίος βραχὺς, ἡ δὲ τέχνη μακρή. (n) *Vide Hieron. hic; Dolet tam in abdito & profundo latere ſapientiam.* (o) *Olympiodor.*

CAPUT II.

Voluptatum, opum, ædificiorum vanitas. Quàm vanum, opes ignoto hæredi congregare.

℣. 1. DIxi ego in corde meo: Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque esset vanitas.

℣. 2. Risum reputavi errorem: & gaudio dixi: Quid frustra deciperis?

℣. 3. Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam, donec viderem, quid esset utile filiis hominum: quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DIXI IN CORDE MEO: VADAM, ET AFFLUAM DELICIIS. Totus hic Liber ceu Sapientis oratio habendus est, cujus partes optimè invicem nexæ sunt. Demonstratâ rerum hujus vitæ ipsarumque scientiarum vanitate, pergit Salomon, testaturque, sese ad voluptates, quibus sensus alliciuntur, convertisse, probaturum, utrùm in illis veram solidamque beatitudinem inveniret, quam in cæteris rebus frustra quæsiverat (a). Mirum profectò accidit, qui fieri potuerit, ut Salomon, tantâ sapientiâ ingenioque vir, putaverit, satis animo suo facturas vilissimas voluptates, postquàm sapientiæ sublimiumque scientiarum studio sese id assequi non posse expertus fuisset. Quamobrem visum quibusdam Interpretibus est (b), Salomonem, Concionatorum more, vitiosi ac libidinosi hominis exemplum sub sui ipsius nomine proponere, terrenarum voluptatum fallaciam vanitatemque agnoscentis, postquam illas penitùs exhausit, totoque mentis nisu illis indulsit. Certum tamen aliis sedet, ipsum de se loqui, non qualis prioribus Regni annis fuit, quibus absolutissimum sapientiæ & pietatis exemplar prodigiumque sese exhibuit, sed qualis tum esse cœpit, cùm laxatis in voluptatem habenis, neglectâque sapientiâ, qua abundabat, animi sui cupiditatibus indulgens, in omne voluptatum genus ruit, iis rebus profusè abutens, quibus allici sensus solent. At hoc quoque meram esse vanitatem denique sensit, animique sui capacitatem impleri voluptatibus non posse, quippe fallacibus levissimisque: *Vidi quòd hoc quoque esset vanitas.*

℣. 2. RISUM REPUTAVI ERROREM, ET GAUDIO DIXI: QUID FRUSTRA DECIPERIS? Insaniam, errorem, vanitatem in ipso risu & gaudio inveni. Hebræus (c): *Risui dixi: Insanis; & gaudio: Quid hoc agit?* Quid hoc prodest? Vel, cur me fallere conaris? Septuaginta (d): *Risui dixi: Circulationem*, fallaciam, errorem; *& gaudio: Quid hoc facis?* Immodicum sonorumque risum Sapientes viri nunquam non damnavere, veluti insaniæ argumentum (e): *Fatuus in risu exaltat vocem suam; vir autem sapiens vix tacitè ridebit.* Virtutis hostes sunt voluptas & lætitia, ac disciplinæ dissolutionem nimiamque securitatem suadent. *Non solùm corporalis lætitia, sed etiam spiritualis, est tentatio possidenti (f).*

℣. 3. COGITAVI IN CORDE MEO ABSTRAHERE A VINO CARNEM MEAM. Voluptatum conviviorumque pertæsus, futurum ariolabar, ut in abstinentiâ a vino, vitâque frugi ac temperante sapientiam quæsitamque beatitudinem invenirem. At dum vini, rationem perturbantis, malasque animi libidines excitantis sive confirmantis, discrimen vito, in alteram vanitatem vitiumque feror, ædificiorum scilicet hortorumque amorem, opumque cogendarum, & aliarum hujus generis rerum sollicitudinum. Sumptuosum ac molle vivendi genus cum studio sapientiæ jungere conabar: at spes me fefellit. Tandem aliquando intellexi fieri non posse, ut hæc extrema simul colantur. Quamobrem novâ iterum vanitate, novoque angoris argumentò implicor. Quod Salomon expertus est, id quotidie hujus sæculi amatores sentiunt. Mundanæ vitæ institutum pro arbitrio sibi fingunt. Deo vivere cupiunt, pietatem colere, studio sapientiæ indulgere; at omnibus penitus animi sui impedimentis sese abdicare nolunt. Vino abstinebunt, at delicatissimos cibos quærent, vestes domosque sumptuosissimas; vitamque suavem, & omni voluptatum & oblectamentorum genere beatam relinquere nolent. Hinc fit, ut omnia illorum proposita re infectâ dissipentur.

Hebræus (g): Constitui, seu *decrevi in corde meo attrahere in vinum carnem meam, & inducere in sapientiam animam meam, & possidere stultitiam.* Sapientiæ studium cum conviviis, vino & oblectamentis me jungere posse censebam, iisque conjunctis, me inventurum beatitudinem, quam neque in solius sapientiæ studio (h), neque in risu, gaudio, oblectamentis, ac vesanis mundi curis, conviviisque nancisci potui. Hæc explicatio cum iis quæ sequuntur optimè congruit, cùm deinceps scribat, sese operam dedisse magnificis ædibus construendis, omnibusque vitæ commodis ac deliciis sibi comparandis, minimè tamen positâ Sapientiæ curâ (i): *Sapientia quoque perseveravit mecum*; at denique sese agnovisse, sapientiam cum stultitiâ non posse componi, in iisque omnibus, non secùs atque in cæteris, *vanitatem & afflictionem spiritûs vidisse*, ℣. 11. Voluptatum igitur etiam pertæsus, ad unam sapientiam rediit, &c. ℣. 12.

Alii (k) ita interpretantur: *Volui vitam meam tra-*

(a) *Ita Hieron. Bossuet. Jans. Cornel.* (b) *Greg. Mag. lib. 4 Dialog. c. 4; Albin. hic, Hugo, Dionys. Vat. &c.* (c) לשחק אמרתי מהולל ולשמחה מה זה עשה (d) Τῷ γέλωτι εἶπα περιφορὰν, καὶ τῇ εὐφροσύνῃ, τί τοῦτο ποιεῖς; Legendum fortasse, παραφορὰν, uti legit Theodotion superiùs, *Eccle.* 1, 17. At legitur περιφορὰ etiam hic ℣. 12, *& Eccle.* VIII, 26. *Aqu.* Πλάνησις, *error. Sym.* Θόρυβον, *tumultus.* (e) *Eccli.* XXI, 23. (f) *Hieron. hic.*
(g) תרתי בלבי למשוך ביין את בשרי ולבי נהג בחכמה (h) *Eccle.* 1, 17, 18.
(i) *Eccle.* II, 5, 2. (k) *Hieronym. Vide Mercer. hic, & Bossuet.*

℣. 4. Magnificavi opera mea: ædificavi mihi domos, & plantavi vineas.

℣. 5. Feci hortos, & pomaria, & conſevi ea cuncti generis arboribus,

℣. 6. Et extruxi mihi piſcinas aquarum, ut irrigarem ſilvam lignorum germinantium.

℣. 7. Poſſedi ſervos, & ancillas, multamque familiam habui, armenta quoque, & magnos ovium greges, ultra omnes, qui fuerunt ante me in Jeruſalem.

℣. 8. Coacervavi mihi argentum, & aurum, & ſubſtantias regum, ac provinciarum: feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, ſcyphos, & urceos in miniſterio ad vina fundenda:

COMMENTARIUS.

traducere deliciis, & carnem meam ab omnibus curis liberare; & quaſi vino, ſic voluptate ſopire, ut vel ſic concepto animo dolore ob quæſitam irritis laboribus beatitudinem mitiùs cruciarer. Quamobrem voluptates, oblectamenta, vinum, veſaniam ſectatus ſum, nunquam tamen penitùs ſapientiæ oblitus, politi ſcilicet rerum judicii & æſtimationis, acris ingenii, & induſtriæ. Salomonis enim ſapientiam inter ipſas illius libidines, ædificia, nequitiaa nemo non admirabatur. Voluptatem non adeò ferarum more amplexus eſt, nt ii faciunt, qni ſeſe ita voluptati dedunt, ut ipſum illius ſenſum denique habetem reddant; ſed cum delectu, liberaliter, ſapienterque.

Septuaginta (l): *Et conſideravi, ſi cor meum trahet ut vinum carnem meam, & cor meum duxit me in ſapientiâ, & ut dominarer in lætitiâ*, &c. ſcilicet (m): Periculum facere volui, utrùm voluntas mea carnis motibus imperare, & voluptatis illecebras coërcere poſſet, ut vini vires domat; atque inter aſſiduam hanc temperantiæ & continentiæ exercitationem, ſtudio ſapientiæ operam dedi, in eoque profeci. Vel: Experiri volui, utrùm voluptatis ſenſum coërcere ita facilè poſſem, uti vini cyathus exhauritur, &c. At commodior eſt explicatio, quam ex Hebræo dedimus.

Numero dierum vitæ suæ (n), totius vitæ curriculo, brevi dierum numero, quibus vita illis agenda eſt. *Dies numeri* ſunt tempus breviſſimum, ut *homines numeri* ſunt parva hominum manus (o).

℣. 4. Magnificavi opera mea. Magnificas Salomonis ædes, Jeroſolymis conſtructas, appellataſque Saltum Libani ob ingentem cedrinarum columnarum numerum, deſcribit Scriptura (p). Alteras in Reginæ uxoris ſuæ, filiæ Pharaonis, uſum condidit, nonnullaque alia Jeroſolymis opera confecit, ut Templum Domini prætaeream, mirâ planè magnificentiâ conditum: urbeſque in Judæâ Syriâque conſtructas, & ea quæ in Libano ædificavit (q).

℣. 5. Feci hortos et pomaria, et conſevi ea cuncti generis arboribus. Hebræus (r): *Feci mihi hortos & paradiſos, & plantavi in eis lignum omnes fructûs*, omne genus arborum fructiferarum. *Paradiſus* Hebraicè eſt hortus domeſticis ac fructiferis arboribus conſitus. Veteres, & noſtrâ etiam ætate Orientales, de hortis aliter planè ac nos ſentiunt. Amplos cultoſque hortos amant, fructiferis umbroſiſque arboribus refertos; utilitatem tamen magis quàm nos in iis quærunt. Fructiferas potiùs arbores ſerunt, quàm ſteriles, ſolâque frondium pompâ aut proceritate commendabiles. Hortum ſuâ ipſius manu deſcriptum conſitumque Cyrus junior Lyſandro oſtendit (s). Iis qui Palæſtinam peragrant, locus circa Bethlehem demonſtratur, ubi Salomonis hortos olim fuiſſe ajunt (t). Nullius tamen momenti eſſe debent, quæ ex incertiſſimis hujuſmodi fontibus hauriuntur.

℣. 6. Extruxi mihi piscinas aquarum. In aliquibus Palæſtinæ locis piſcinæ quædam viſuntur, a Salomone, ut ajunt, conſtructæ, uti circa Bethlehem una, cujus aquæ per aquæductus adhuc noſtrâ ætate Jeroſolymam derivantur (u). Has tamen aquas Jeroſolymam deductas nonniſi ſub Romanis fuiſſe, alibi demonſtravimus (x). Quædam etiam aquæ objiciuntur tribus circiter paſſuum millibus a Tyro, & fons ad Libani radices, vetuſta, inquiunt, aquarum receptacula a Salomone ædificata. Nihil his narratiunculis incertius.

℣. 7. Possedi servos et ancillas, multamque familiam habui. Hebræus (y): *Emi ſervos & ancillas, & filii domûs fuerunt mihi*. Servos emptitios a vernis domi natis diſtinguit. Opum loco habebantur eâ ætate ſervi. Hebræi indigenæ in ſervitute eſſe nonniſi uſque ad annum Sabbaticum poterant, niſi ipſi vellent. Plerumque ſervis alieno genere ſatis utebantur.

Armenta et ovium greges. Minimæ hujuſmodi domeſticæ curæ Reges etiam ampliſſimos non dedecere olim credebantur. Davidi Salomonis patri ingens fuit gregum copia; major Salomoni: ac Præfectos Davidicorum gregum recenſet Scriptura. Ipſi autem greges e bobus erant, camelis, aſinis, ovibuſque (z). Equos addidit Salomon, quibus caruit David (a).

℣. 8. Coacervavi mihi argentum et aurum, et substantias Regum ac provinciarum. Annuus Salomonis cenſus erant ſexcenta & ſexaginta & ſex talenta aurea (b), librarum ſcilicet nummi noſtratis quadringenties & ſexagies centena millia, ducenta nonaginta ſeptem millia, octin-

(l) *Καὶ κατεσκεψάμην εἰ ἡ καρδία μου ἑλκύσει ὡς οἶνον τὴν σάρκα μου, καὶ καρδία μου ὡδήγησέ με ἐν σοφίᾳ, καὶ τοῦ κρατῆσαι ἐπ' εὐφροσύνῃ.* (m) *Vide Nyſſen. & Olympiodor.* (n) מספר ימי חייהם (o) *Geneſ.* xxxiv, 30; *Iſai.* x, 9; *Jerem.* xliv, 28, *&c.* (p) 3 *Reg.* vii, 1.....8. (q) 2 *Par.* viii, 3, 4, 5; 3 *Reg.* ix, 19. (r) עשיתי לי גנות ופרדסים ונטעתי בהם עץ כל פרי (s) *Xenophon Oeconomic.* (t) Doubdan, voyage de la Terre ſainte, ch. 20, pag. 152. (u) Doubdan, *ibid.* Eugéne Roger, l. 1, ch. 14; Maundrel, p. 148. (x) *Vide nos in Ezechielem*, xlvii, 1. (y) קניתי עבדים ושפחות ובני בית היה לי (z) 1 *Par.* xxvii, 29, *& ſequ.* (a) 2 *Par.* ix, 28; 3 *Reg.* x, 25. (b) 3 *Reg.* x, 14.

℣. 9. Et supergressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Jerusalem: sapientia quoque perseveravit mecum.

℣. 10. Et omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se in his, quæ præparaveram: & hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo.

COMMENTARIUS.

octingentæ & duæ, præter vectigalia & portoria, quæ ex mercatoribus referebat, & tributa Regum vectigalium, Præfectorumque Provinciarum; ac præter ea, quæ singulis trienniis classe ex Ophir advehebatur. Quamobrem nihil mirum est, si Scriptura testetur, Salomonis ætate minimi habitum esse argentum Jerosolymis, atque adeò vulgare fuisse, uti lapides erant (c).

FECI MIHI CANTORES ET CANTATRICAS, ex more orientalium Regum, Persarum præsertim (d), quibus ajunt ingentem fuisse Cantorum Cantatricumque numerum, noctu coram Regiis ædibus, atque interdiù, cùm Reges pranderent, canentium; & quolibet instrumentorum genere concrepantium. Apud Davidem etiam in Regiâ domo erant Cantores & Cantatrices, teste optimo sene Berzellai, qui, Rege sese Jerosolymam accersente (e), ineptas jam diù cantorum & cantatricum vocibus aures causatus, recusavit.

SCYPHOS ET URCEOS IN MINISTERIO AD VINA FUNDENDA. Aquilam & Symmachum sequitur S. Hieronymus (f), dum vertit Hebræas voces *Sadda* & *Saddoth*, scyphos & urceos. At huic interpretationi refragantur Septuaginta (g) cæterique Interpretes, vertuntque Hebræas voces *pocillatores* & *pocillatrices*; pincernas, puellasque vina fundentes. Chaldæus vertit canales frigidam fundentes, & canales calidam fundentes. Alii (h): *Captivam, & captivas*. Nonnulli (i): *Puellam, & puellas*. Quidam (k): *Sufficientiam, & sufficientias*, quidquid postulari potest, & abundè habetur. Alii (l): *Symphoniam omnimodam*. Sunt qui putent (m), *Sidda* & *Siddoth* nomina esse Musicorum instrumentorum. Censet Bochartus (n), his vocibus significari carminum genera, easque ortas esse e *Sido*, celebri inter Phœnices fœminâ, cui hymnorum & musices inventum tribuit Sanchoniathon (o). His tamen argutationibus posthabitis, cur ita totum versiculum non explicamus? Cantores, & Cantatrices mihi comparavi, omnesque hominum voluptates; *agros cultos & incultos*, sive cujuslibet generis agros; ad verbum, *agrum & agros*. Nemo est qui huic significationi vocum *Sadeh*, & *Sadoth* repugnet. Cur enim comparata sibi oblectamenta recensens, innumeros fundos, agrosque sese possedisse non diceret? Indigna ne Salomone hæc cura fuit? quis nesciat, inter Regum Hebræorum sollicitudines non ultiman fuisse, ut ingentem agrorum copiam suis sumptibus colerent (p)? Nabothi vineam quantâ vi Achab sibi comparârit (q), nemo ignorat. Utraque vox Hebræa *Sadeh*, & *Sadoth* unicâ voce Latinâ reddi potest *Latifundia*.

℣. 9. SAPIENTIA QUOQUE PERSEVERAVIT MECUM. Sapientiæ nomen hoc loco pro acri ingenio, industriâ, utilibusque cognitionibus usurpatur (r). In quamlibet voluptatem habenas sine delectu non effudi ferarum more. Delectum moderabantur sapientia & judicium. Quæ ego construxi, communis exterorum admiratio fuerunt; meæque familiæ fulgor quidlibet toto in orbe magnificentissimum obscuravit. Quidlibet exquisitissimum in voluptatibus carpsi, &c. Intelligi certè hìc nequit illud sapientiæ genus Divinitus illi collatum, atque ab his sumptibus, mollissimoque vivendi instituto & voluptatibus remotissimum; illius, inquam, sapientiæ, quam Salomon ipse in Proverbiis pulcherrimam & moderatissimam pinxit, quæque, teste S. Jacobo, III, 17, primùm casta est, tum pacifica, modesta, credula, misericordiæ bonorumque operum plena, hypocrisis inimica, in judiciis continens. Sunt qui censeant, innui hoc loco velle a Salomone falsam opinionem, qua ipse tunc tenebatur, cùm omni voluptatum genere mersus sapientiâ tamen sese carere minimè arbitraretur. Ajunt alii, servatam reverà fuisse in secretissimis animi penetralibus a Salomone sapientiam inter hæc ipsa oblectamenta, cùm errore quodam difficillimè intelligendo putaret, duo hæc adeò contraria jungi posse, veram sapientiam, mollisque vitæ delicias & voluptates. Vide quæ diximus in ℣. 3. Aliter: At inter hæc ipsa, ad sapientiam confûgi, ipsamque intra me ipsum consului, ut de iis, quæ hactenus animi mei cura fuerant, æquum judicium ferrem; eâque docente didici, quàm vana, quàm nihil, quàm animo molesta essent, non secus ac cætera. Me penitus non destituit sapientia; meque docuit, quid rei essent ea quæ tantopere optabam.

℣. 10. ET HANC RATUS SUM PARTEM MEAM, SI UTERER LABORE MEO. Hebræus (s): *Et hæc fuit pars mea ex omni labore meo*. Arbitratus sum, post diuturnos labores tandem aliquando me posse laboribus meis frui, & in iis quæ comparavi quiescere: at in iis omnibus solam denique vanitatem invêni; fugere omnia & labi expertus sum, constantemque in illis beatitudinem me non posse nancisci. Marcus Aurelius Imperator, postquam omnia expertus est, iisdem fermè ac Salomon verbis utebatur: Dicturus sum quæ ipse experientiâ didici. Id fortasse mihi gloriosum non erit: Sed posteris utile. Quodlibet vitiorum genus sectatus sum, & facere periculum volui, utrum hominis nequitia satis sibi facere posset: at demum sensi, eò magis augeri famem, quò magis voravi; avidius bibentem, siti majore torqueri; diutiùs dormienti dormiendi desiderium crescere; plura habentem, plura optare; quò plura quærerem, eò minora invenire. Nihil denique nactus sum, quod planè animi mei cupiditatem expleret: nihil quod novam majora quærendi aviditatem non acriùs excitaret, ut inexplebile desiderium satiaretur.

℣. 11. Vi-

(c) 3 *Reg.* X, 27. (d) *Athen. lib.* XII, *&* XIV. *Vide Brisson. de Reg. Pers. lib.* I.
(e) 2 *Reg.* XIX, 35.
(f) *Heb. Sidda & siddoth* שדה ושדות S. Hieronymus legit, *Sadda & Saddot*. *Aqu.* Κυλίκιον, *&* κυλίκια. *Sym: Mensarum species & appositiones*. *Hieron. hic*. (g) Οἰνοχόον, καὶ οἰνοχόας.
(h) *Abenezra, Mont. Vat. Merc.* (i) *Gejer. & quidam alii a* שדה *Mamma; quasi dicas, Mammam & Mammas*. (k) *Malvend.* (l) *Jun. Tremel. Pisc. Gejer. Glass.* (m) *Mercer. hic, Hebræi ex Drus. Pisc.* (n) *Boch. de anim. t. 2, l. 6, c. 16.* (o) *Sanchoniat. apud Euseb.* (p) 1 *Par.* XXVII, 25, 26. (q) 3 *Reg.* XXI, 2. (r) *Nyssen. Olympiod. Bossuet. alii.* (s) וזה היה חלקי מכל עמלי

℣. 11. Cùmque me convertiſſem ad univerſa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus fruſtra ſudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole.

℣. 12. Tranſivi ad contemplandam ſapientiam, erroreſque & ſtultitiam? Quid eſt, inquam, homo, ut ſequi poſſit regem Factorem ſuum?

℣. 13. Et vidi, quòd tantum præcederet ſapientia ſtultitiam, quantum differt lux a tenebris.

℣. 14. Sapientis oculi in capite ejus: ſtultus in tenebris ambulat: & didici, quòd unus utriuſque eſſet interitus.

℣. 15. Et dixi in corde meo: Si unus & ſtulti & meus occaſus erit, quid mihi prodeſt, quòd majorem ſapientiæ dedi operam? Locutuſque cum mente meâ, animadverti, quòd hoc quoque eſſet vanitas.

COMMENTARIUS.

℣. 11. VIDI IN OMNIBUS VANITATEM, ET NIHIL PERMANERE SUB SOLE. Hæc ipſa humanarum rerum inconſtantia & vanitas facit, ut nihil ſit, quo animus expleatur, & quò plura vorat, eò magis eſuriat. Aqua eſt ſitim irritans, non ſedans. Vaſta & capax hominis mens uno Deo impleri poteſt. *Quicquid aliud ſine ipſo habueris, latiùs inanis eris* (t). Aliâ re nullâ impleri animi capacitas poteſt. *Feciſti nos ad te*, o Deus, *& inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te* (u). *Ipſa eſt beata vita, gaudere ad te, de te, propter te; ipſa eſt, & non altera* (x).

℣. 12. TRANSIVI AD CONTEMPLANDAM SAPIENTIAM. Poſtquàm voluptatum corporis inanitatem agnovit Sapiens (y), ad Sapientiæ ſtudium revertitur, veluti ad portam, ubi conſtantem perfectamque tranquillitatem ſibi pollicetur. At neque, uti decet, Sapientiam amplectitur; ſolam enim hominis ſapientiam ſectatus, plus erroris & vanitatis, quàm veræ ſolidæque Sapientiæ invênit. Fieri non poſſe cenſuit, ut Conditoris ſapientiam homo aſſequeretur, ipſumque fruſtra laboraturum, ſi eò pervenire tentaret. Denique intellexit, *& illa quæ novimus, opinari nos potiùs quàm tenere, & æſtimare magis, quàm ſcire quod verum eſt*, inquit S. Hieronymus.

Hebræus totius verſiculi fert (z): *Et reſpexi ego, ut perſpicerem ſapientiam, & veſaniam, & ſtultitiam: quoniam quid eſt homo, ut ſequatur Regem? Id quod jam factum eſt.* Trahi hæc verba ad Vulgatæ ſententiam poſſunt: Animum converti ut ſapientiam cognoſcere, hominumque inſanias & errores perſpicerem. At quid agere poteſt homo? Deum ne Regem ſuum ſequetur? An ſuis ipſius viribus Dei Leges ac præcepta ſervare valebit? Aut Dei arcana voluntatemque perſpecta habere, niſi ipſe aperuerit? Quamobrem irritis conatibus laboravi, atque hoc ipſo in ſtudio meram vanitatem, & animi cruciatum invêni. Neque unus ego ſum, quem hæc difficultas deterruerit: alii hoc ipſum iter ingreſſi exitu nihilo meliore uſi ſunt.

Simplicior addi huic loco poteſt interpretatio: Oculos ad Sapientiam converti, ut ipſam intuerer, hominumque errorem & veſaniam agnoſcerem: quid enim infectum reliqui, ut hoc ipſum aſſequerer? Ad verbum: *Quis homo abiens poſt Regem*, poſt me? Quid alterius hominis cauſâ fiet, quod mei gratiâ factum non ſit? Quis majori quàm ego facilitate inſtruatur, ut ad ſapientiam perveniat? Aliter (a): Quis eſt, qui tam magna, tamque magnifica, quàm ego, moliatur? Ad verbum: Quis ſequetur Regem in iis quæ ipſe fecit? Septuaginta (b): *Et aſpexi ut viderem ſapientiam & errorem & ſtultitiam; quoniam quis homo eſt, qui ſequetur conſilium, & quæcumque geſſerunt qui obtemperaverunt illi?* Ubi hominem invenias, qui Sapientiæ & conſilii leges abſolutè ſequatur? Innumeræ hujus loci, in Hebræo obſcuriſſimi, aliæ interpretationes afferri poſſent; ſed hæ ſufficiant.

℣. 13. ET VIDI QUOD TANTUM PRÆCEDERET SAPIENTIA STULTITIAM, QUANTUM DIFFERT LUX A TENEBRIS. Expertus omnia Salomon, bonoque & malo, ſtultitiâ & ſapientiâ, voluptatibus & temperantiâ ſimul collatis, ſententiam denique pro ſapientiâ fert, ac fatetur illam omnino cæteris præſtare, quæ nihil niſi vanitas, veſaniæ, & ſtultitia ſunt. Divina lux eſt Sapientia, hominem qui ipsâ ornatur illuſtrans; nox teterrima eſt ſtultitia, undique inſanum obruens; ut ne uno quidem pede moveri queat, quin præcipitii & exitii diſcrimini objiciatur. Similis cæco eſt inter præcipitia gradienti. Hoc ſignificat ſequenti ℣: *Sapientis oculi in capite ejus*; acri oculorum acie inſtruitur, ſuoſque greſſus moderatur; *ſtultus in tenebris ambulat*, cæcus eſt. Alibi (c): *In facie prudentis lucet ſapientia: oculi ſtultorum in finibus terræ. Via impiorum tenebroſa* (d); *neſciunt ubi corruant.*

℣. 15. ET DIXI: SI UNUS ET STULTI ET MEUS OCCASUS ERIT, QUID MIHI PRODEST, QUOD MAJOREM SAPIENTIÆ DEDI OPERAM? En alteram ſapientiæ ſollicitudinem. Is optimè intelligit, quanto ſuperior cæteris rebus ſit ſapientia. Nihil eâ utilius ſive ad vitæ inſtitutum, ſive ad felicitatem; pericula enim oſtendit, prævenit, vitat. Ubi verò ad mortem acceſſerit, quâ in re potior erit ſtulto ſapiens? Nullâ. Uterque pariter moriuntur; atque in ipſo vitæ curriculo, iiſdem utrique laboribus maliſque obnoxii ſunt (e). Ergo ne brevisſimo

(t) *Aug. in Psal.* 85. (u) *Aug. Confeſſ. lib.* 1, *c.* 1. (x) *Idem, Confeſſ. lib.* x, *c.* 22.
(y) *Hieron. hic, Hugo Victorin. Olympiod. Cajet. Lyr. alii.* (z) ופניתי אני לראות חכמה והללות וסכלות כי מה הידם שיבא אחרי המלך את אשר כבר עשוהו
(a) *Titelman. Clar.* (b) Ὅτι τίς ἄνθρωπος ὃς ἐλεύσεται ὀπίσω τῆς βουλῆς, σὺν τὰ ὅσα ἐποίησαν αὐτήν.
(c) *Prov.* XVII, 24. (d) *Prov.* IV, 19. (e) *Vide Hieron. hic.*

℣. 16. Non enim erit memoria sapientis similiter ut stulti in perpetuum, & futura tempora oblivione cuncta pariter operient: moritur doctus similiter ut indoctus.

℣. 17. Et idcircò tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, & cuncta vanitatem, & afflictionem spiritûs.

℣. 18. Rursus detestatus sum omnem industriam meam, qua sub sole studiosissimè laboravi, habiturus hæredem post me,

℣. 19. Quem ignoro, utrùm sapiens, an stultus futurus sit: & dominabitur in laboribus meis, quibus desudavi, & solicitus fui, & est quidquam tam vanum?

℣. 20. Unde cessavi, renuntiavitque cor meum ultra laborare sub sole.

COMMENTARIUS.

simo hoc vitæ quam agimus tempore, inter assiduas undique insidias agendum est, secumque pugnandum; excubandum semper adversùs animi motus, semper sibi ipsi incumbendum? Denique, Idcirco ne adeo laborandum est, ut operam studio demus, & sapientiam adipiscamur? Ita sibi objicit Salomon; ejusque objectionis vis patet, sive illam Salomon suo, sive alterius nomine proponat.

ANIMADVERTI, QUOD HOC QUOQUE ESSET VANITAS, hæc scilicet ratiocinatio, quam proposui, ductaque inde conclusio *(f)*. Malam esse conclusionem intellexi, cùm dico: Sapiens & stultus æquè moriuntur; inutile igitur est Sapientiæ studium; quasi scilicet in futurâ vitâ infinita bona non superfint Sapienti expectanda. ℣. 16. Aliter: Intellexi, meram esse vanitatem hoc ipsum, quod Sapientiam cæteris præposui. Vel: *Post diuturnas meditationes*, exantlatosque ob Sapientiæ acquisitionem labores, collegi, labores meos, meumque studium, vanitatem esse, meque frustra laborasse, ut Sapientiam compararem. Postrema hæc explicatio proposito Authoris magis servire videtur. Hanc conclusionem Septuaginta *(g)* stulto tribuunt. Oratorum more hìc loquitur Salomon, qui eorum, quos aut defendunt, aut accusant, sententias proferunt; vel ut solent Philosophi, qui utriusque partis argumenta producunt, ut inde tutiùs colligant id, quod sibi luculentius & certius esse videtur.

℣. 16. NON ENIM ERIT MEMORIA SAPIENTIS SIMILITER UT STULTI IN PERPETUUM. Hæc verba quibusdam *(h)* videntur Sapientis responsio ad objectionem superiori versiculo propositam. Non inficior, Sapientem æquè ut stultum mori: at illius conditio post hanc vitam alia planè est ab alterius conditione. Stulti & impii memoria peribit; Sapiens verò & justus æternùm vivent. Alii censent, partem esse objectionis *(i)*. Collegi, Sapientiam ipsam esse vanitatem, cùm Sapiens & stultus non modò æquè moriantur, verùm etiam illorum memoria post mortem penitus intereat. Quamobrem quorsum laborandum est, ut Sapientiam adipiscar? Postrema hæc explicatio aptior videtur, & literæ propior.

℣. 17. IDCIRCO TÆDUIT ME VITÆ MEÆ, VIDENTEM MALA UNIVERSA ESSE SUB SOLE, ET CUNCTA VANITATEM ET AFFLICTIONEM SPIRITUS, & quocumque te vertas, ubique labores esse & cruciatus, in voluptatibus, in vesaniâ & ignorantiâ, in scientiis, ipsâque demum in sapientiâ. Quæ igitur inter tot vitæ mala, tamque miserâ in conditione constitutis esse voluptas potest? Hactenus dictorum conclusio est. Idem fermè quod Apostolus ajebat, qui post assidua spiritûs adversùs carnem prælia, & libidinis adversùs spiritum inimicitias, clamabat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus (k)?*

Hebræus *(l)*: *Odi vitam, quoniam laboriosum est mihi opus, quod fit sub sole*, me cruciat, acri dolore me afficit. Ubique laborem, & animi cruciatum invêni. *Opera quæ fiunt sub sole*, generatim sunt quidquid in hac vitâ contingit, & hominis studia occupat.

℣. 18. RURSUM DETESTATUS SUM OMNEM INDUSTRIAM MEAM .... HABITURUS HÆREDEM POST ME, QUEM IGNORO, UTRUM SAPIENS AN STULTUS FUTURUS SIT. Novum doloris & solicitudinis argumentum Salomoni, & cuilibet Sapienti; dubium scilicet, quid post mortem iis eventurum sit, quæ omnium maximè amantur. Ipsa hominem impellit natura, ut quæ sua sunt amore prosequatur: optat quisque, ut quæ condidit, supersint, & ii, quos morientes relinquimus, nostris institutis obsequantur, & obsecundent. Veretur Sapiens, ne sibi successor detur, qui, quæ ipse congregavit, dissipet, suaque instituta evertat. Id porro cruciat Salomonem. Prævidisse videtur, quid Roboamo Filio suo & hæredi eventurum esset. Is enim imprudentiæ causâ majorem paterni Imperii partem amisit, æternoque dissidio decem Tribus ab Juda, & Benjamino, quæ solummodo in fide permansere, divisit *(m)*. *Reliquit post se de semine suo gentis stultitiam, & imminutum a prudentiâ Roboam, qui avertit gentem consilio suo (n).*

℣. 20. UNDE CESSAVI, &c. Cùm nullam in voluptatibus, conviviis, auro, argentoque, studio, & sapientiâ, labore opibusque quietem nacturum me desperarem, his me solicitudinibus expedire, ac temerè vivere, nullâque lege decrevi. Huc scilicet carnis sapientia impellit, cùm ortæ ex eâ conclusiones ulteriùs quàm par est producuntur. Ut certa menti lex, & constantissima principia præscribantur, redeundum est ad fidem, & Religionem. Hebræus *(o)*: *Et ego verti me*, ad mentem redii; sive, conversus sum, *ut desponderem animum de omni labore, quo laboravi sub sole*. Laborum meorum inutilitatem intuens, fermè desperavi, animumque despondi. Piguit me laborum meorum, & opum quas tam multis curis collegi. Septuaginta *(p)*: *Et conversus sum, ut*

(f) *Hieron. Thaumaturg. Olympiod. Albinus, Hugo, &c.* (g) *Ita 70:* Τὸ περισσὸν ἐλάλησα ἐν καρδίᾳ μου, διότι ἄφρων ἐκ περισσεύματος λαλεῖ, ὅτι καί γε τοῦτο ματαιότης, Nimis locutus sum in corde meo; quoniam supervacuè loquitur stultus; id enim vanitas est. *Ita & Mercer. & Gejer. & alii.* (h) *Hieron. Albin. Hugo Vict. Jans. alii.* (i) *Ita Vulgat. Menoch. Cornel. Gejer. alii plerique.* (k) *Rom. vii, 24.* (l) ושנאתי את החיים כי רע עלי המעשה שנעשה תחת השמש (m) 3 *Reg.* xii, 14. (n) *Eccli.* xlvii, 27, 28. (o) וסבותי אני ליאש את לבי על כל העמל שעמלתי תחת השמש (p) Καὶ ἐπέστρεψα ἐγὼ τοῦ ἀποτάξασθαι τῇ καρδίᾳ μου ἐπὶ παντὶ μόχθῳ ᾧ ἐμόχθησα ὑπὸ τὸν ἥλιον.

℣. 21. Nam cùm alius laboret in sapientiâ, & doctrinâ, & sollicitu-
dine, homini otioso quæsita dimittit: & hoc ergo vanitas, &
magnum malum.
℣. 22. Quid enim proderit homini de universo labore suo, & af-
flictione spiritûs, qua sub sole cruciatus est?
℣. 23. Cuncti dies ejus doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per
noctem mentem requiescit: & hoc nonne vanitas est?
℣. 24. Nonne melius est comedere, & bibere, & ostendere ani-
mæ suæ bona de laboribus suis? & hoc de manu Dei est.
℣. 25. Quis ita devorabit, & deliciis affluet, ut ego?

COMMENTARIUS.

ut valedicerem corde meo omni labori, quo laboravi sub sole. Quietem capere jam volo, pigetque laborare cogendis servandisque opibus, quæ utrùm ad sapientem hæredem perventuræ sint, ignoro.

℣. 21. NAM CUM ALIUS LABORET IN SAPIENTIA ET DOCTRINA ET SOLLICITUDINE, HOMINI OTIOSO QUÆSITA DIMITTIT. Sapientia & scientia ex iis rebus non sunt, quæ ad hæredes transeunt; nisi de libris intelligas, quos viri eruditi in posterorum commodum scribunt (q). Vigiliarum laborumque suorum fructus illis relinquunt: at illi frequenter pessimi animi causâ iis fructibus abutuntur. Hæc verba veluti omnium, quæ hactenus Sapiens dixit, conclusio haberi possunt. Sive labores ut scientiam ac sapientiam acquiras, sive ut opes tibi compares, nihil tibi expectandum est, præter animi cruciatus. His immunem te non efficiet Sapientia; tuæque facultates in hominis planè immerentis & ingrati manus devenient. At aptiùs explicatur hic locus ex Hebræo, de industriâ, sapientiâ, parsimoniâ, quâ industrius homo opes congregat, metuens tamen, ne illas relinquat hæredi, qui nullâ re gestâ eas mereatur (r): *Est homo laborans in sapientiâ & scientiâ & justitiâ* (Septuaginta (s), *cum robore*), *& homini relinquens qui nihil laboravit in eo: etiam hoc vanitas est, & malum magnum.*

℣. 23. CUNCTI DIES EJUS LABORIBUS PLENI SUNT. Ea est conditio eorum hominum, qui cògendis opibus laborant, ut scilicet illas quietis, tranquillitatis, voluptatumque dispendio compa-rent (t):

Nil sine magno
Vita labore dedit mortalibus.

℣. 24. NONNE MELIUS EST COMEDERE ET BIBERE?.... ET HOC DE MANU DEI EST. Cùm opes meo labore & industriâ mihi comparaverim, & ignorem, quis mihi hæres futurus sit, nonne melius est suaviter quiete frui, quàm ea quæ collegi, alieno relinquere, homini, qui nullam mihi laboranti opem tulit? (u)

Parcus ob hæredis curam, nimiumque severus
Assidet insano.

Hoc ex iis quæ hactenus dicta sunt, sponte fluere videtur, ac duplici ex parte inspici potest. Si intra justæ mediocritatis fines quis se continet, ac frugi vitæ genus colit, bonisque sibi a Deo concessis ex justitiæ & modestiæ legibus, ut sua conditio fert, utitur, nihil illi objici potest. Jure vituperatur is, qui justâ bonorum copiâ instructus, iis sese privat, quæ vel natura, vel conditio postulant, quo plura hæredi servet. Suum est & labori & quieti tempus; ac diuturnos post labores æquum est, ut sibi unusquisque aliquandiu vivat (x).

Æternisque senes curis dum quærimus ævum,
Perdimus, & nullo votorum fine beati,
Victuros agimus semper, nec vivimus unquam.

At si quæ diximus eò usque producantur, ut quis voluptatibus conviviisque sine lege indulgeat, illis immodicè utatur, iisque veluti votorum fini adhæreat, denique fruatur, non utatur; nihil hâc re absurdius aut perniciosius colligi potest. Quamobrem hic locus ita habendus est, veluti conclusio e falsis principiis orta, quæ principia Salomon idcirco statuit, ut destruat, iisque eversis, arma impiis auferat. Hinc fit, ut doceat, omnia ea meram esse vanitatem, iisque in rebus beatitudinem non consistere. Addit verò:

Et hoc de manu Dei est. Duplex his verbis sententia subesse potest. I, Cùm Deus misericordiæ suæ beneficio mihi largitus fuerit, quo vitam quietam remotamque ab inopiæ injuriis agam, concessis utar bonis cum gratiarum actione. Aptissima est hæc interpretatio. II, Si bonorum hujus vitæ, & voluptatis, quæ ex bonorum usu hauritur, author est Deus, & utraque idem ipse hominibus largitus est, cur illum nolle censeam, ut iis fruamur, suæque liberalitatis beneficia in nostrum commodum convertamus? An nostræ invidet felicitati? Levissimam planè ac temerariam excusationem! Dat quidem Deus, ut beneficiis suis utamur, non abutamur (y). Ita etiam intelligi hic locus potest: In Dei potestate est, quem habituri simus hæredem, non nostræ electionis. Favent huic explicationi ℣℣. 25, 26.

℣. 25. QUIS DEVORABIT, ET DELICIIS AFFLUET UT EGO? Si justis utor argumentis, quis vetat, quin conviviis ac deliciis mergar? Cui enim aut facilius, aut probabilius esse potest, quàm mihi? Quis me opulentior est, aut graviores labores exantlavit? Hebræus (z): *Quoniam quis comedat, aut quis acceleret ut ego?* Quisquam ne est, qui aut majores voluptates, aut majori aviditate exhauserit? Vel: Quis enim aut plus voravit, aut plus laboravit quàm ego? Quis aut meliùs voluptate frui novit, aut metuit, quàm ego? Septuaginta com superioribus jungunt (*): *Quoniam ex manu Dei est.* ℣. 25. *Quis enim comedit, aut bibit, præter ipsum*, præterquàm ipsius beneficio? Hæc expli-

(q) *Hieron. hic, ad ℣. 20: Diebus ac noctibus vir sapiens in scripturis laboret & componat libros, ut memoriam sui posteris derelinquat, & nihilominùs in manus stultorum veniant, qui frequenter secundùm perversitatem cordis sui semina inde hæreseôn capiant, & alienos labores calumnientur.*
(r) כי יש אדם שעמלו בחכמה ובדעת ובכשרון ולאדם שלא עמל בו יתננו חלקו גם זה הבל ורעה רבה (s) 70: Ἐν ἀνδρίᾳ. Scoliast. ἐν γοργότητι, In agilitate. Hebr. בכשרון
(t) *Horat. lib. 1, Sat. 9.* (u) *Horat. Ep. lib. 2, ep. 4.* (x) *Manilius.* (y) *Vide Aug. lib. 4 contra Julian. c. 3.* (z) כי מי יאכל ומי יחוש חוץ ממני (*) Ὅτι τίς φάγεται, καὶ τίς πίεται πάρεξ αὐτοῦ;

℣. 26. Homini bono in conspectu suo dedit Deus sapientiam, & scientiam, & lætitiam: peccatori autem dedit afflictionem, & curam superfluam, ut addat, & congreget, & tradat ei, qui placuit Deo: sed & hoc vanitas est, & cassa solicitudo mentis.

COMMENTARIUS.

explicatio potest Hebræo aptari: Cur enim bonorum, quæ ego comparavi, usum alteri relinquam? Ad verbum: *Quis enim comedet, & accelerabit præter me?*

℣. 26. HOMINI BONO IN CONSPECTU SUO DEDIT DEUS SAPIENTIAM, ET SCIENTIAM, ET LÆTITIAM. Hic locus satis luculentus est. Hæ Dei dona sunt, sive eas intelligas, quæ ex ordine naturæ sunt, sive eas, quæ naturæ ordinem superant. Horum omnium bonorum fons est Deus. Unica superest in iis quæ sequuntur difficultas: *Sed & hæc vanitas est & cassa sollicitudo mentis*. Hæc tamen verba ad secundam versiculi partem spectant, quam statim explicamus.

PECCATORI AUTEM DEDIT AFFLICTIONEM .... UT CONGREGET ET TRADAT EI, QUI PLACUIT DEO. En alteram vanitatem, ingentemque animi cruciatum; avarus scilicet sese excrucians, ut opes cogat, nullâ laboris remissione. Cui enim eas cogit? Non filiis, non amicis, non sui similibus, sed justis, & Deo charis, quos ipse nunquam non abhorruit & contempsit. Vide *Job*, XIII, 22; & *Prov.* XXVI, 56.

CAPUT III.

Suum unicuique rei tempus est. Omnia continuâ vicissitudine torquentur. Ubique sollicitudo. Æquè moriuntur homines ac bruta.

℣. 1. OMnia tempus habent, & suis spatiis transeunt universa sub cœlo.

℣. 2. Tempus nascendi, & tempus moriendi: templus plantandi, & tempus evellendi, quod plantatum est.

℣. 3. Tempus occidendi, & tempus sanandi: tempus destruendi, & tempus ædificandi.

℣. 4. Tempus flendi, & tempus ridendi: templus plangendi, & tempus saltandi.

℣. 5. Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi: tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. OMNIA TEMPUS HABENT, ET SUIS SPATIIS TRANSEUNT UNIVERSA SUB COELO, scilicet, vel post præscriptum unicuique rei tempus, vel propriâ unicuique tempestate. Quidquid in mundo est, curasque hominum occupat, omnia labuntur, sibique vicissim succedunt suis unaquæque temporibus. Non semper aut pueri sumus aut senes. Nascimur morimurque. *Rerum omnium vicissitudo est*, ajebat Poëta. Hoc ipsum probare vult Salomon rerum hìc deductarum enumeratione. Omnia vanitatem esse demonstrat, inconstantiam, vicissitudinem, nihilque in mundo esse, quod hominis amorem mereatur, aut facere illius beatitudinem possit. Hebræus (a): *Omnibus tempus constitutum est, & tempus est omni voluntati*, omnibus quæ velis velisque, *sub sole*. Supremus naturæ Dominus suum unicuique eventui & rei tempus constituit. Quicquid optamus, molimur, agimus, appetimus, tempus suum habet. Non omnis ætas aut rerum connexio easdem curas postulat. Suæ sunt curæ juventuti, virili ætati, senectuti, incolumi valetudini & affectæ, cuilibet denique vitæ statui & conditioni. Quamobrem nihil fixum certumque sub sole est. Hoc sibi proponit Salomon universale totius orationis argumentum.

℣. 2. TEMPUS NASCENDI, TEMPUS MORIENDI. Totam hanc enumerationem Judæi (b) de variis gentis suæ statibus, ab ipso illius exordio sub Abrahamo ad hanc usque ætatem, interpretantur. Patres & Interpretes quidam variis Christianæ Ecclesiæ temporibus accommodant. Ut unicuique placet, quilibet pro arbitrio philosophatur. Idem dicito de iis quæ de rerum a Salomone hìc deductarum ordine singuli ariolantur. His minimè immoramor, cùm unicuique pro arbitrio ea interpretari, ac sententiam quam maluerit de iis ferre liceat. Unicum Salomonis propositum illud fuisse videtur, ut demonstraret, quicquid in mundo est, incertissimum esse & inconstantissimum.

℣. 3. TEMPUS OCCIDENDI, ET TEMPUS SANANDI. Hostes prælio, & noxii homines supplicio necantur; medicina ægris & vulnere affectis adhibetur.

℣. 5. TEMPUS SPARGENDI LAPIDES fundâ, ET TEMPUS COLLIGENDI, iisque marsupium implendi. Aliter: Tempus spargendi lapides in agrum, ut ager incultus & sterilis fiat, utì aliquando in bellis solebat (c); & tempus colligendi lapides ex agro, ut cultus ac fœcundus efficiatur (d). Vel: Tempus projiciendi lapides inutiles, & tempus colligendi in usum ædificii.

TEMPUS AMPLEXANDI, ET TEMPUS LONGE FIERI

(a) לכל זמן ועת לכל חפץ תחת השמים (b) *Vide Hieron. hic.* (c) 4 *Reg.* III, 25: *Omnem agrum optimum, mittentes singuli lapides, repleverunt.* (d) *Isai.* V, 2: *Lapides elegit ex illâ (vineâ.)*

℣. 6. Tempus acquirendi, & tempus perdendi: tempus custodiendi, & tempus abjiciendi.

℣. 7. Tempus scindendi, & tempus consuendi: tempus tacendi, & tempus loquendi.

℣. 8. Tempus dilectionis, & tempus odii: tempus belli, & tempus pacis.

℣. 9. Quid habet ampliùs homo de labore suo?

℣. 10. Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum, ut distendantur in eâ.

℣. 11. Cuncta fecit bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem.

℣. 12. Et cognovi, quòd non esset melius nisi lætari, & facere bene in vitâ suâ.

COMMENTARIUS.

ET AB AMPLEXIBUS. Nunc perditè amamus quæ statim mox odimus & horremus (e); uti Amon erga sororem Thamarem gessit (f). Judaicæ Religionis Leges viros ab uxoribus arcebant, cùm illæ menstrua incommoda paterentur, & aliquot a puerperio diebus. Mortis supplicium violatoribus indicebatur (g). Conjuges hortatur S. Paulus (h), ut usu conjugii aliquandiu abstineant, mutuo consensu, ut orationi vacent. Ecclesia quibusdam in rebus usu conjugii interdixit, veluti per dies esuriales, in maximarum solemnitatum pervigiliis, cùm uxor menstruis incommodis laborat: eadem tamen ubique disciplina servata non est. Denique S. Augustinus (i) conjugibus præcipit, ne conjugio præterquàm liberorum causâ utantur. Siquid vitandæ intemperantiæ, aut gravioris alicujus criminis gratiâ permittitur, illud ex indulgentiâ est, fatendumque, aliquod peccati genus eâ in re esse: *Concubitus enim necessarius causâ generandi, inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille autem, qui ultra illam necessitatem progeditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur.*

℣. 6. TEMPUS ACQUIRENDI, ET TEMPUS PERDENDI. Quolibet semper tempore acquiri nequit: nunc lucrum fit, nunc jactura. Eæ sunt rerum connexiones, in quibus utilis jactura & quæsitorum profusio est. Sapiens utilem jacturam facere novit; e neglecto enim interdum lucro, majus lucrum exoritur.

℣. 7. TEMPUS TACENDI, ET TEMPUS LOQUENDI. Non semper importunum silentium est. Qui cæteros ad silentium plerumque servandum hortantur, illud absolutè semperque non imperant. Gravissimum Sapientis officium, & difficillima Philosophiæ pars est, opportunè verba facere & cohibere. *Scio loqui plerosque*, inquit S. Ambrosius (k), *cùm tacere nesciant: rarum est tacere posse, cùm sibi loqui nihil prodest.*

℣. 9. QUID HABET AMPLIUS HOMO DE LABORE SUO? Cùm per varias hujusmodi exercitationes cognitionesque excurrerit, atque omnia expertus fuerit, quem deinde fructum referet? Eamdem sententiam vide superiùs, 1, 3. Nimirum omnia vanitas sunt, molestarumque & laboriosarum curarum nexus. ℣. 10. *Vidi afflictionem, quam dedit Deus filiis hominum.*

℣. 11. CUNCTA FECIT BONA IN TEMPORE SUO; ET MUNDUM TRADIDIT DISPUTATIONI EORUM. Miro prorsus ordine varias hujusmodi conditiones curasque distribuit Deus. Quidquid egit, edixit, statuit, optimâ lege constitutum est (l). *Vidit* ab exordio *Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* At hujus ordinis ac distributionis excellentiam nosse, rerumque creatarum pulcritudinem ac perfectionem intelligere homo non potest. Mundum Deus hominum meditationibus ac disputationi reliquit: illorum conatus ridet, sua illos arcana celat, consiliorumque suorum cognitionem illis aufert. Si cujuslibet rei causam, & Dei consilia intueri liceret, planè in admirationem raperemur, ac fieri non posset, quin infinitam omnipotentis Opificis sapientiam commendaremus.

Novam hinc sententiam exordiri possumus, ex Hebræo (m): *Etiam mundum dedit in corde eorum*; adeò *ut non inveniret* (intelligeret) *homo opera quæ fecit Deus.* En novum cruciatûs argumentum. Suâ ipsius naturâ impellitur homo, ut mundum & ea quæ in ipso fiunt, noverit, eorumque causas & effecta scrutari cupit: qui verò hac hominem cupiditate instruxit Deus, voluit, ut illam homo planè explere non posset. Deus tantam sui notitiam per ea quæ gerit, homini largitur, quantâ opus est, ut ipsum homo agnoscat, ametque, illique obsequatur (n); at non qualem discendi cupiditas posceret. Innumera sunt densissimis tenebris condita, quorum cognitione prorsus arcemur. Itaque vanitas, & animi cruciatus.

℣. 12. ET COGNOVI QUOD NON ESSET MELIUS NISI LÆTARI, ET FACERE BENE IN VITA SUA. Eamdem hinc conclusionem colligit, quam Capite II, 24, demonstratâ humanarum sollicitudinum inutilitate. Ita hîc orationem claudit, postquam rerum humanarum vicissitudinem, humanorumque studiorum noscendæ naturæ causâ inutilitatem ostendit. Duplex aptari huic loco explicatio potest: I, quasi Salomon non e suâ, sed ex impiorum sententiâ disserat (o), qui animadversâ mun-

(e) *Greg. Thaumat.* (f) *2 Reg.* XIII, 14. (g) *Levit.* XX, 18. (h) *1 Cor.* VII. .... *Nolite fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.* Vide Hieronymum hîc. *Olympiod. Hugo, Lyr. &c.* (i) *Aug. lib. Enchirid. c.* 78; *& de bono conjugali, cap.* V. (k) *Ambros. lib.* 2 *de offic. c.* 2. (l) *Genes.* 1, 31. (m) גם את העולם נתן בלבם מבלי אשר לא ימצא האדם את המעשה אשר עשה האלהים (n) *Rom.* 1, 20: *Invisibilia enim ipsius, a creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* (o) *Bonavent. alii quidam.*

℣. 13. Omnis enim homo, qui comedit, & bibit, & videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.

℣. 14. Didici, quòd omnia opera, quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum: non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus, ut timeatur.

℣. 15. Quod factum est, ipsum permanet: quæ futura sunt, jam fuerunt: & Deus instaurat, quod abiit.

℣. 16. Vidi sub sole in loco judicii impietatem, & in loco justitiæ iniquitatem.

℣. 17. Et dixi in corde meo: Justum, & impium judicabit Deus, & tempus omnis rei tunc erit.

COMMENTARIUS.

di inconstantiâ, denique colligunt, uti apud Isaiam, XXII, 13: *Comedamus & bibamus, cras enim moriemur*; vel ut Salomon ipse (p) collegerat, quo tempore sapientiâ destitutus, libidini & animi cupiditatibus indulgebat. II, Ita intellige, quasi Sapiens rerum hujus vitæ inanitatem compertam habens, inanisque illarum fulgoris vanissimæque spei errore solutus, doceat, brevem hanc vitam, quæ homini agenda est, ita esse a Sapiente ducendam, ut bonorum operum in Cœlo, verâ æternâque ipsius patriâ, thesaurum colligat, seseque omnibus sæculi curis & sollicitudinibus expediat, ita hic vivens veluti advena & peregrinus (q). *Facere bene* hoc loco item duplicem explicationem admittit: I, animo indulgere, oblectamentis vacare (r), uti superiùs, II, 24, *ostendere animæ suæ bona*; & hic, ℣. 13: *Qui videt bonum de labore suo*; II, virtutem colere, rectè agere, opera charitatis erga proximum exercere. Posterior hæc explicatio pluribus placet (s). Utrùm tamen literæ propior sit, ambigo.

℣. 13. Hoc donum Dei est. Pacificam vitam agere, bonis ac laboribus suis frui, iisque utiliter ac laudabiliter uti, id procul dubio Dei munus est, & eximia felicitas, cui Deus illud concesserit. Si morali sensu explices de rarissimo eo beneficio, quo Deus hominum mentes illustrat, ut opum inanitatem, Dæmonis insidias, ac mundi pericula agnoscant, movetque ut caduca hæc bona sanctis operibus ad acquisitionem beatæ æternitatis conferant, seseque supervacaneis terrenarum rerum curis expediant, id verò multo majus beneficium est, multoque pluris faciendum.

℣. 14. Didici quod omnia opera quæ fecit Deus, perseverent in perpetuum. Docuit mox, omnia quæ sub sole sunt esse inanissima meramque inconstantiam; atque hominis vitam assiduum esse variorum semperque novorum eventuum nexum. Hic verò tradit, in hac ipsâ rerum varietate & inconstantiâ ordinem quemdam esse, æqualitatem quamdam, quoddam denique institutum, quæ nunquam falluntur. Id profectò paradoxon, post ea quæ deduximus, esse videtur: nihilo tamen minùs verum idcirco est. *Apud te*, o Deus, *rerum omnium instabilium stant causæ, & rerum omnium mutabilium immutabiles manent origines, & omnium irrationalium & temporalium sempiternæ vivunt rationes*, inquit S. Augustinus (t). Quicquid in naturâ cernitur, hæc ipsa generationum nascentium ac morientium successio, hi astrorum motus, hæ hominum agitationes, hæ animi perturbationes, quibus homines moventur, certam legem habent, invitâ ipsarum inconstantiâ & inæqualitate. Iidem semper homines fuere, qui nunc sunt. Ab ipsis mundi incunabulis idem astrorum cursus & tempestatum ordo, eadem arborum mutatio semper fuit. *Deus certâ ratione cuncta moderatus est*, inquit hic S. Hieronymus, *& jussit humanis usibus elementa servire, ut homines hæc videntes intelligant, esse providentiam, & timeant a facie Dei*.

℣. 15. Quod factum est, ipsum permanet: quæ futura sunt, jam fuerunt. Hoc ex iis nascitur quæ mox & capite I, 9, diximus. Novum nihil in mundo est; quodque novum videtur, id novum nostræ ignorantiæ est, cùm ea quæ actis antea ætatibus gesta sunt, intueri nequeamus. Hebræus ad verbum (u): *Quid fuit? Jam est. Et quod futurum est, jam est*. Septuaginta (x): *Quod factum est, jam est; & quæcumque futura sunt, jam sunt*. Denique & præterita & futura jam præsentia Deo sunt, quippe cui nihil aut præteritum est aut futurum, sed quidlibet præsens. Aliter: Universi ordo is nunc est, qui olim fuit: eumdem astrorum cursum, eamdem generationum successionem, easdemque in hominibus sententias vides (y). Nihil sub sole novum.

Deus instaurat quod abiit. Imperat, ut quæ olim fuerunt, nostrâ iterum ætate sint, ut ea quæ maximi inter homines momenti & rarissima contigere, rursus, ut ita dicam, oriantur, pluraque post sæcula ad lucem redeant; arbores & animalia perpetuam seriem successione continuâ minimèque intermissâ conficiant. Hebræus (z): *Et Deus requiret eum, qui passus est persecutionem*; eos qui a locupletioribus & iniquis Judicibus iniquissimè opprimuntur vexanturque, ulciscetur. De hujusmodi Judicibus statim ℣. sequenti. Hanc interpretationem sequuti sunt Septuaginta (a), eâdemque Patres frequenter usi sunt. Ut cum sequente versiculo jungatur, redde per interrogationem, novamque hic periodum exordire. Cùm nihil esse sub sole novum dixisset, iterum sibi objecit: At Deus oppressos homines vindicat? *Vidi enim sub sole* aliud scelus, proprium nempe justitiæ locum ab iniquitate imperante occupatum.

℣. 16. Vidi sub sole in loco judicii impietatem. Alterum doloris argumentum Sapienti; Justi oppressionem, & impii superbiam. Si Justum inter mala derelictum impius opprimit, ubi Providentia est? Quorsum Religio & virtus? Sequitur ac respondet.

℣. 17. Dixi in corde meo: Justum et impium

(p) *Ita Hieron. & Interpp. plerique.* (q) *Hieron. hic.* (r) *Abenezra, Camp. Bonav. Gejer. alii.* (s) *Hieron. Didym. Thaumaturg. Nyssen. Olympiod. Chald. Mercer. Vat. alii.* (t) *Confess. lib. 1, c. 6.* (u) מה שהיה כבר הוא ואשר להיות כבר היה (x) Τὸ γεγονὸς ἤδη ἐστί, καὶ ὅσα τοῦ γίνεσθαι ἤδη γέγονε. (y) *Hieron. hic, & alii passim.* (z) והאלהים יבקש את נרדף (a) Καὶ ὁ Θεὸς ζητήσει τὸν διωκόμενον. *Ita & Syr. & Arab. Sym.* Ὁ δὲ Θεὸς ἐπιζητήσει ὑπὲρ τῶν ἐκδιωκομένων. *Ita Lucifer Calarit. Apolog. pro S. Athan. Hieronym. hic, & Thaumaturg. &c. Vide Var. Grot.*

℣. 18. Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & ostenderet similes esse bestiis.

℣. 19. Idcircò unus interitus est hominis, & jumentorum, & æqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati,

℣. 20. Et omnia pergunt ad unum locum: de terrâ facta sunt, & in terram pariter revertuntur.

℣. 21. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum?

℣. 22. Et deprehendi nihil esse meliùs, quàm lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius. Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat?

COMMENTARIUS.

PIUM JUDICABIT DEUS: ET TEMPUS OMNIS REI TUNC ERIT. Quid miraris, si injustitiam atque impietatem inter homines cernis? jacentem justitiam, ac baechantem iniquitatem? Præsens nimirum vita veritatis ac justitiæ regnum non est. In alterâ supremus viventium ac mortuorum Judex unumquemque præmio aut pœnâ afficiet, ut illius desideria & gesta meruerint (b). Hebræus (c): *Dixi in corde meo: Justum & impium judicabit Deus: quoniam tempus omni voluntati, & super omne opus illic erit*. Postremæ hæ voces obscuritatem ac dissidium inter Interpretes pariunt. Censent plerique, supremum Judicium a Sapiente significari, quo tempore Deus de hominum voluntatibus, cogitationibus, animi propensionibus, gestisque sententiam feret. Ambages alii quærunt, ut hunc locum explicent: optimè tamen omnium Vatablus genuinum sensum eruare mihi videtur, cùm legat: *Justum & impium judicabit Deus (quia tempus unicuique rei) & secundùm opera eorum ibi* reddetur singulis. Locus a Vatablo versus, *quia tempus unicuique rei*, totidem verbis legitur ℣. 1 hujus Capitis, eòque apertissimè spectat bis verbis Salomon.

℣. 18. DIXI IN CORDE MEO DE FILIIS HOMINUM, UT PROBARET EOS DEUS, ET OSTENDERET SIMILES ESSE BESTIIS. Nova Salomoni dubitatio, quo tempore rerum omnium pertæsus, vanitatem ubique & animi cruciatus intuens, cogitare cœpit, hominem bestiis dissimilem nonnisi formâ, majorique solertiâ esse; cæterùm bestias hominesque æquè Deo cordi esse, quos in vitam produceret auferretque, beatos faceret miserosque, opprimi & perire, sive erigi ac felices esse pateretur, nullâ vitæ gestorumque ratione habitâ: spem denique homini meliorem quàm bestiis post hanc vitam non superesse; omnia demum cum corporibus interire. Omnem objectionis vim, quæ sequentibus versiculis producitur, eximimus. Hebræus ad verbum (d): *Dixi in corde meo de negotio filiorum hominum, quia creavit illos Deus ut probet*; vel solummodò, *quia creavit illos Deus, ut videre liceat, quid ipsi sunt jumenta*. Impiorum sententiam, potiùs quàm suam, hìc profert Sapiens (e).

℣. 19. UNUS EST INTERITUS HOMINIS ET JUMENTORUM. Quod ad corpus attinet, cæterasque animales functiones, & ea quæ ipsius naturâ postulantur, homo similis bestiæ est, præterquamquòd infirmior est homo, ac longè pluribus morbis obnoxius, quàm illæ. Hebræus (f): Idem est *eventus filiorum hominum, & eventus bestiarum, & eventus uniuscujusque illorum*. Iisdem laboribus & casibus obnoxii utrique sunt. Hactenus nihil magnoperè perniciosum loquitur Sapiens, quo abuti queant impii. At pergit.

℣. 20. OMNIA PERGUNT AD UNUM LOCUM, ad mortem scilicet, homo unà & bestiæ. Utrorumque iter illuc desinit. Quæ illos peperit tellus, illos excipiet (g):

Seriùs aut citiùs sedem properamus ad unam:
Tendimus huc omnes: hæc est domus ultima.

Nondum tamen totum impietatis virus prodidit; quasi per gradus eò descendit, ut anceps sit, vel saltem difficultatem qua cruciatur de animæ immortalitate proponat.

℣. 21. QUIS NOVIT, SI SPIRITUS FILIORUM ADAM ASCENDAT SURSUM, ET SI SPIRITUS JUMENTORUM DESCENDAT DEORSUM? Hoc Salomon non affirmat: anceps est, utrùm brutorum animæ immortales sint, an hominum & brutorum animæ æquè sint mortales. *Quis novit?* scilicet difficile cognitu est; pauci norunt (h); rari sunt qui hanc rem argumentis evincere queant, ac nosse, quid post mortem duplici viventium generi eventurum sit, quæ viventia tum vitâ tum morte simillima inter se esse videntur. Si judicium e solâ rerum specie feratur, quis unam esse hominis belluarumque naturam non credat? Tam ingens verò similitudo quàm amplum dubitandi locum de animæ immortalitate ignaris incautisque hominibus præbet? En totum objectionis robur, quæ capite demùm duodecimo, ℣. 7, solvitur: *Ut revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*.

℣. 22. DEPREHENDI NIHIL ESSE MELIUS, QUAM LÆTARI HOMINEM IN OPERE SUO, ET HANC ESSE PARTEM ILLIUS. Hoc sponte fluit ex iis, quæ mox deduxit. Si nihil post hanc vitam sperandum nobis aut metuendum est, conviviis poculisque indulgere studeamus; cras enim moriemur, inquiunt apud Isaiam impii (i). Tertio jam vel quarto orationem claudit hâc sententiâ Salomon (k), falsam impiorum scelestorumque ratiocinationem in se exhibens. Neque putes, ipsi unquam has sententias placuisse, nisi fortasse id vereri de eo liceat, cùm

(b) *Hieron. hic, & alii passim.* (c) אמרתי בלבי את הצדיק ואת הרשע ישפט האלהים כי עת לכל חפץ ועל כל המעשה שם

(d) על דברת בני אדם לברם האלהים ולראות שהם בהמה המה להם 70: Ὅτι διακρινεῖ αὐτοὺς ὁ Θεὸς, καὶ τοῦ δεῖξαι ὅτι αὐτοὶ κτήνη εἰσί. (e) *Thaumaturg. Greg. Mag. lib. 4 dialog. c. 4.*

(f) כי מקרה בני האדם ומקרה הבהמה ומקרה אחד להם 70: Καί γε αὐτοῖς συνάντημα, &c. (g) *Ovidius.* (h) *Hieron. Alcuin. Hugo Card. Salon. alii. Vide Chald.*

(i) *Isai. xxii, 13.* (k) *Eccles. ii, 1, & 20, & 24; & iii, 22.*

eùm in erimina ruens, animi sui libidines sectabatur (l).

Quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat? Hominem, postquàm e vitâ migraverit, quis revocabit, ut illi ea quæ post illius obitum contigere, demonstret? An rediturus in vitam atque inter homines quisquam est, ut ea discat quæ gesta sunt, videatque, quis sui hæres sit, & quàm bene opibus a se collectis utatur? Simile quid vide Capite I, 11. Reddi etiam Hebræus potest (m): *Quis enim adducet* mortuum, *ut ex eo exquirat, quid futurum sit post nos?* Hæc sententia cum superioribus aptiùs orditur. Non magni interest mortui scire, quid post se geratur: at facilè est, impium, ut sese in suâ dubitatione confirmet, dicere, mortuorum hominum conditionem post hanc vitam esse incertissimam, eùm nemo inde redierit, ut quicquam eâ de re viventibus nunciaret. Aliter: Bonis frui, dum licet, ne morare; quis enim, ubi perieris, te reducet, ut iis gaudeas (n)?

CAPUT IV.

Mutuæ hominum calumnia, injuria, invidia. Insanorum otiositas. Avarorum stultitia. Societatis bona. Supremæ potestatis inconstantia & inanitas. Inconstans populi amor. Obedientia melior sacrificiis.

℣. 1. VErti me ad alia, & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem: nec posse resistere eorum violentiæ cunctorum auxilio destitutos.

℣. 2. Et laudavi magis mortuos, quàm viventes:

℣. 3. Et feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt.

℣. 4. Rursum contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animadverti patere invidiæ proximi: & in hoc ergo vanitas, & cura superflua est.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VIdi calumnias quæ sub sole geruntur. Nova doloris causa homini sapienti, novumque vanitatis rerum hujus vitæ argumentum. Innumeris oppressionibus, injuriis, calumniis obnoxius est pauper & innocens ab iis, qui supremâ potestate potiuntur, quorum esset imbecilles tueri ac protegere.

℣. 2. Laudavi magis mortuos, quam viventes. Mortuorum conditionem meliorem duxi, quàm viventium; illi enim iis malis liberi sunt, quæ pauperes inopesque patiuntur. Illi exactorem non vident (a), neque Judicum iniquitatem experiuntur: invidiæ, injuriis, injustitiæ obnoxii non sunt: inopiam, probrum, dolorem non sentiunt; quibus malis viventes quotidie eruciantur. *Melior est mors, quàm vita amara; & requies æterna, quàm languor perseverans* (b).

℣. 3. Feliciorem utroque judicavi qui necdum natus est. Qui enim vivit, adhuc procellæ discrimina subire potest; qui mortem oppetiit, similis naufrago est, qui e periculo nudus evasit: qui verò nondum lucem vidit, vitæ hujus mala neque expertus est, neque experitur (c). Hanc veritatem Profani non secùs ac Salomon agnovere. Primùm quidem, inquiunt, optimum homini est minimè nasci (d); natum verò quantociùs mori. Naturalibus solummodò rationibus ducitur Philosophia. Innumeris nos malis subducit mors. Rerum hujus vitæ vanitas præcipuè, & injustitia, quæ hìc exerceri solet, a Salomone spectantur. At sublimiores optandæ mortis causæ a Christianâ Religione suppeditantur, odium peccati, peccandi periculum, & æterna beatitudo (e).

℣. 4. Labores hominum et industrias animadverti patere invidiæ proximi. Hebræus (f): *Et vidi ego omnem laborem, & omnem rectitudinem operis, & quoniam sit invidia viri a proximo suo*, ipsius rectitudini amicus invidet. Hebræa vox, quam vertimus *rectitudinem operis*, iterum occurrit in hoc Libro, Capite II, 21, & V, 10; ac reddi potest, felix rei exitus, solertia, convenientia. Ubi quis excellere aliquâ in re cœpit, aut felici exitu quidpiam agere, sive aliquo naturæ ornamento fulgere, invidiæ cæterorum patet. Indigna hæc libido quamlibet hominum conditionem pervasit ab humillimis ad sublimissimos. Si malis & inopiâ opprimeris, dignissimus es, cujus vices doleantur: si quâ felicitate frueris, nihilo fortassè minùs æmulorum causâ es miser (g). Verissimum igitur est, quidquid in hac vitâ occurrit, vanitatem esse atque animi eruciatum: idque Salomonis argumentum est. *Amando quisque excellentiam suam, vel paribus invidet, quod ei con-*

(l) *Vide Thaumaturg. hic; & Greg. lib. 4 dialog. Olympiod. Bonav. Lyr. Cajet. Clar. ad* ℣. 10.
(m) כי מי יביאנו לראות במה שיהיה אחריו (n) *Thaumaturg. hic.* (a) *Job*, III, 17, 18: *Jam securi, non audientes vocem exactoris.* (b) *Eccli.* XXX, 17. (c) *Hieron. hic.*
(d) *Chalcidamas.* A'ρχὴν μὲν φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
Φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι. *Ita & Theognid. &c.*
(e) *Rom.* VII, 24: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*
(f) וראיתי אני את כל עמל ואת כל כשרון המעשה כי היא קנאת איש מרעהו
(g) *Hieron. hic: Deprehendi bonum alterius, esse alterius malum; dum invidus alienâ felicitate torquetur, & patet insidiis gloriosus.*

ỳ. 5. Stultus complicat manus suas, & comedit carnes suas, dicens:
ỳ. 6. Melior est pugillus cum requie, quàm plena utraque manus cum labore, & afflictione animi.
ỳ. 7. Considerans reperi & aliam vanitatem sub sole:,
ỳ. 8. Unus est, & secundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis: nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? in hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.
ỳ. 9. Melius est ergo duos esse simul, quàm unum: habent enim emolumentum societatis suæ.
ỳ. 10. Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli: quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se.
ỳ. 11. Et si dormierint duo, fovebuntur mutuò: unus quomodo calefiet?

COMMENTARIUS.

coaquantur; vel inferioribus, ne ei coaquentur; vel superioribus, quòd ei non coaquetur, inquit S. Augustinus (*b*).

ỳ. 5. STULTUS COMPLICAT MANUS SUAS, ET COMEDIT CARNES SUAS, DICENS: (ỳ. 6.) MELIUS EST PUGILLUS CUM REQUIE, QUAM PLENA UTRAQUE MANUS CUM LABORE. En alteram humanæ vitæ insaniam. Quoddam est pigrorum hominum genus, qui fame perire, quàm laborare malunt. Inertes, manibusque finui insertis otiantur (*i*), & fame tabidi; neque fateri verentur, miseram hanc conditionem sibi magis placere, quàm longè felicissimam, quæ nonnisi labore, & quietis suæ dispendio emi potest. Sordidam alteram imaginem hominis avari exhibet ỳ. 8, sed pigro planè contrariam. Hoc descriptionum genus, quo omne vitii alicujus probrum brevissimè ob oculos exhibetur, acriùs animum movet, quàm præcepta, elaboratæque institutiones. *Comedere manus suas* hoc loco est, extremâ inopiâ laborare, adeo ut manûs digiti, ut ita dicam, vorentur, sugan-turque manus, utì de ursis narratur, *priorum pedum suctu viventibus* per hyemem (*k*). Censent alii, hoc gestu animi pœnitentiam, mœroremque significari, quo piger cruciatur, cùm fortunis suis malè perditis, omnium rerum inopiâ sese laborare sentit, aut cæteris invidet, quòd omnibus abundent (*l*).

Invidus alterius macrescit rebus opimis.

ỳ. 8. UNUS EST, ET SECUNDUM NON HABET.. ET TAMEN LABORARE NON CESSAT. Est qui neque socium, neque hæredem habet, & tamen labori non parcit. Post pigri descriptionem, inopiâ tabescentis, potiùs quàm victûs causâ laboret, avarum pingit, rebus necessariis sese privantem, & quieti nunquam indulgentem, idcircò solùm, ut avaritiæ suæ morem gerat. Hærede caret, filio, fratre, opes tamen congregare non cessat, quasi æternùm victorus, vel quolibet tempore necessariis rebus cariturus; seu demum, quasi paternus amor, aut amicitia ipsum ad laborem impellant, ut saltem felicem alterum efficiat, dum sibi ipsi in rebus maximè necessariis deest. Hæc imago ex naturæ exemplari est; & ridicula quantumlibet imago avari sit, suum ubique exemplar avarus videt. Quàm insani sint ii, qui hæredis ignoti gratiâ laborant, superius jam docuit Salomon, II, 18; III, 22.

ỳ. 9. MELIUS EST ERGO DUOS ESSE SIMUL, QUAM UNUM. Hæc verba cum superioribus jungit S. Hieronymus. Nonne melius avaro fuerit, vitæ comitem habere & amicitias colere, quàm solitariam vitam agere absque convivâ, socio, amico, & cujuslibet voluptatis expertem? At Hebræus (*m*), Septuaginta (*n*), cæterique Interpretes novam hîc sententiam exordiuntur, omittuntque particulam *ergo*. Societatis & consuetudinis bona, omnimodæque solitudinis incommoda hìc prosequitur Sapiens. Minimè tamen damnat solitudinem, quam ratio moderatur, imperant pietas & Religio, ut aut mundi corruptio vitetur, aut damna ex illius consuetudine parta reparentur, aut expientur crimina, quæ irrepserunt. Eam solummodò arguit, quam avaritia, ater humor, humanæ societatis odium pariunt. Vetus est sapientum hominum sententia, eum qui solitariam omnino vitam agit, aut Angelum aut Dæmonem esse oportere.

HABENT ENIM EMOLUMENTUM SOCIETATIS SUÆ. Hebræus (*o*): *Quia est eis merces eximia*. Aliquod saltem oblectamenti genus inter vitæ hujus ærumnas illis est. Societatis & consuetudinis suavitas aliquot malorum, quæ vitari in hac vitâ minimè queunt, oblivionem affert. Quid profectò est solitarii hominis vita, amicis, consuetudine, commercio carentis? *In quibuslibet rebus humanis nihil est homini amicum, sine homine amico*, inquit S. Augustinus (*p*).

ỳ. 10. SI UNUS CECIDERIT, AB ALTERO FULCIETUR. Si in morbum, errorem, inopiam, peccatum laberis, te levabit amicus, docebit, juvabit, arguet. Si solus sis, nemo opem feret: *Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se*. Sancti homines, quos condidit Deus, Divinoque Spiritu abundè cumulavit, ut cæteros ad sublimiorem sanctimoniæ statum per solitudinis ac secessûs iter ducerent, communis vitæ commoda, & societatis suavitatem cum solitudinis quiete ac silentio conjunxere, secretisque a multitudine discipulis, atque in cæterorum fratrum eodem sanctimoniæ desiderio flagrantium societate constitutis, exempla legesque dederunt, quibus majorem in dies morum castimoniam, & sanctitatem sibi compararent. Ita Veteris Testamenti Prophetæ, ita in Novo Religiosorum cœtuum Institutores

---

(b) *Aug. lib. 21 de Genes. ad litt. c. 14.* (i) *Confer Prov.* XXIV, 30, 33. (k) *Plin. lib. 8, c. 36.*
(l) *Horat. lib. 2, epist. 2.* (m) טובים השנים מן האחד אשר יש להם שכר טוב בעמלם
(n) Ἀγαθοὶ οἱ δύο ὑπὲρ ἕνα, οἷς ἔστιν αὐτοῖς μισθὸς ἀγαθὸς ἐν μόχθῳ αὐτῶν. (o) *Vide supra.*
(p) *Aug. Epist. 130 nov. Edit. n. 4.*

℣. 12. Et si quispiam prævaluerit contra unum, duo resistunt ei : funiculus triplex difficile rumpitur.

℣. 13. Melior est puer pauper, & sapiens, rege sene, & stulto, qui nescit providere in posterum.

℣. 14. Quòd de carcere, catenisque interdum quis egrediatur ad regnum: & alius natus in regno, inopiâ consumatur.

℣. 15. Vidi cunctos viventes, qui ambulant sub sole, cum adolescente secundo, qui consurget pro eo.

℣. 16. Infinitus numerus est populi omnium, qui fuerunt ante eum: & qui posteà futuri sunt, non lætabuntur in eo. Sed & hoc vanitas, & afflictio spiritûs.

COMMENTARIUS.

res consuevere. Monasteria ita haberi possunt, velutì loca sint Religionis exercitio destinata, ubi plures simul pii hominea ad eamdem metam cursum instituunt, ac mutuam sibi opem ferunt, ut bello Diabolum petant, ac vim æternæ Beatitudini inserant.

℣. 12. FUNICULUS TRIPLEX DIFFICILE RUMPITUR. Adagium. Docuit mox, melius esse cum altero esse quàm solitarium; addit, multo utilius esse, si tres uno amicitiæ vinculo jungantur; & si duorum societas suavior est, validior & jucundior, quàm solitudo, profectò trium hominum conjunctionem multo jucundiorem fore ac fortiorem, ut diaboli conatus, peccatum ac tædium cohibeat. Plerumque funis ex duplici licin est: at si e triplici constet, multo validior erit. Hæc genuina est hujus loci sententia. Varia hìc mysteria de triplici hoc funiculo Patres & Interpretes commiscuntur. Sunt (q) qui SS. Trinitatis Mysterium hìc videant; qui Theologicas tres Virtutes, Fidem, Spem, Charitatem; qui animam, corpus & halitum; qui tres Pœnitentiæ Sacramenti partes, Contritionem, Confessionem, Satisfactionem; qui Christi Humanitatem, ubi simul junguntur Caro, Anima, & Verbum; qui denique tria Religionis vota. Nullus erit hujusmodi mysteriis modus, si velis.

℣. 13. MELIOR EST PUER PAUPER ET SAPIENS, REGE SENE ET STULTO. Postquam communes cuilibet homini ærumnas percurrit, ad Regum conditionem descendit; docetque, hominem, quòd Regin solio insideat, immunem iis non esse, quæ *vanitas & afflictio spiritûs* ab eodem Salomone appellantur: suos esse Regibus animi cruciatus, ipsorumque conditionem iis vicibua non vacare, quæ vitam homini sapienti molestam efficiunt. Primò enim Princeps quilibet, quamvis ætatis maturitate ornatus, suique Regni securus, ludibrium cæterorum est, si careat sapientiâ prudentiâque, & nisi futura prævideat caveatque. Illo melior censebitur subditorum infimus, vel puer, inops, obscurusque, dum sapientiâ & virtute instruatur. Noti sunt sub Pharaone Josephus, sub Nabuchodonosore Daniel, majori in pretio ob sapientiam habiti, quàm Reges ipsi, quamvis imperio potirentur. Uti nulla est Regiâ conditione sublimior, ita nulla est, cui minùs detur veniæ, si adversùs sapientiam peccet. Id populus a Rege postulat, ut cæteris præstet sapientiâ; ipsumque vulgus, quamvis omnia in Principe admiretur, omnia severissimè carpit, ubi prudentiam illi deesse animadvertat. Frequenter etiam cujuslibet eventûs culpa Regi adscribitur: neque sapientem modò, verùm etiam felicem esse Principem vulgus jubet.

℣. 14. QUOD DE CARCERE CATENISQUE INTERDUM QUIS EGREDIATUR AD REGNUM, ET ALIUS NATUS IN REGNO, INOPIA CONSUMATUR. Hujus reî exempla rarissima apud Historicos minimè sunt. Carcere educitur Josephus, ut Ægypti totius Princeps creetur, totâque Pharaonia authoritate instruatur, ipso Pharaone unicum Regis nomen sibi servante, creditâ Josepho administratione (r). Neque minùs mirifica est Danielis (s) & Mardochæi fortuna (t). Jechonias Judæ Rex, carcere eductus, cæteris Regibus, qui apud Evilmerodachum erant, præficitur (u). Agrippa, post diuturna vincula, in Regnum Judææ revertitur (x).

Si fortuna volet, fies de Rhetore Consul:
Si volet hæc eadem, fies de Consule Rhetor (y).

℣. 15. VIDI CUNCTOS VIVENTES, QUI AMBULANT SUB SOLE, CUM ADOLESCENTE SECUNDO (hærede), QUI CONSURGET PRO EO. En alterum argumentum, quo rerum hujus vitæ inconstantia, & vicissitudo demonstratur. Imperium suo principe occupatur? Jam cogitatur de successore, novaque alterius fortunæ spes sub illo futuræ concipitur. *A plerisque adorari solem orientem* ajebat Tiberius, teste Suetonio. Minores erunt amici Principi Imperium tenenti, quàm hæredi illud ipsum habituro; atque idem hic ubi Regnum capessiverit, statim spes omnis, amor, obsequium ad hujus hæredem transferentur. Optabitur huic successor, atque antecessoris desiderium iterum excitabitur. Vide ℣. 16. Ea est humanæ mentia levitas, ac populi inconstantia. Nemo præsentibus rebus contentus est: laudantur præteritæ, futuræ desiderantur (z).

Et qui mos populis, venturus amatur.

℣. 16. INFINITUS NUMERUS EST POPULI OMNIUM, QUI FUERUNT ANTE EUM: ET QUI POSTEA FUTURI SUNT, NON LÆTABUNTUR IN EO. Principis, qui nunc Regno potitur, atque a præsentibus colitur, nulla ratio est apud innumeros qui præcessere, quique deinde successuri sunt. Gravissima igitur nonne vanitas est, eâ re gloriari, se seque numinis cujusdam loco, innumerâ populi multitudine circumdati, inter homines efferre? Scilicet ingens est ea populi multitudo, ac Principis animum impellere in superbiam potest. Sed ut dulci propriæ excellentiæ errore Regum quilibet expediatur, animadvertat, punctum infinitæ ætatum successionia a se occupari, ipsosque populos, quibus præest, nihil esse, si cum iis qui præcessere, ac deinde orituri sunt, comparentur. Hebræus aliter explicari potest (a): *Non est finis omni populo de omnibus iis qui fuerunt ante ipsos; Sed qui deinde venturi*

(q) *Ita Ambros. Exh. ad Clericos; Hieron. hìc; Greg. lib. 33 Moral.* (r) *Genes.* XLI, 40: *Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet; uno tantùm regni folio te præcedam.* (s) *Dan.* II, 48, v, 29. (t) *Esther*, VIII, 15. (u) *Jerem.* LII, 31. (x) *Joseph. Antiq.* XVIII, 8. (y) *Juvenal. Sat.* 7. (z) *Papinius.* (a) אין קץ לכל העם לכל אשר היה לפניהם גם האחרונים לא ישמחו בו

℣. 17. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, & appropinqua, ut audias. Multò enim melior est obedientia, quàm stultorum victimæ, qui nesciunt, quid faciunt mali.

COMMENTARIUS.

turi sunt, non lætantur in eo. Antequam novus Princeps Regnum capesseret, omnis multitudo illi favebat, votaque pro futuro illius Imperio faciebat: at illo Regnum ingresso, eidem multitudini ipsius administratio non placet, atque alter optatur. Aliter, juncto ℣. 15. Infinitam multitudinem vidi, quæ futurum Regni hæredem honoris causâ sequebatur: at innumeri jam elapsi sunt, & innumeri deinceps erunt, quorum nihil intererit, bona ne an mala Principis fortuna sit. Quamobrem inanissima res est, levi adeò incertoque populi favore lætari.

℣. 17. Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei: et appropinqua ut audias. Ab hoc versiculo, usque ad nonum capitis sequentis, Salomon varios prosequitur hominum errores satis communes, præsertim de Religione. Altero orationis genere utitur, paulò graviore, magisque sententioso. Sunt qui caput quintum ex hoc loco exordiantur (b). Ingens hominum multitudo est, qui satis esse censeant, si frequentes in Templo sint, neglecto interim obsequio, quod ipsi Deo debetur. Is verò ingens error est & inanitas. Tu ubi ad Dei domum accesseris, te ipsum scrutare, tuæque vitæ institutum; primaque omnium sollicitudo sit, Dei legibus obtemperare. *Appropinqua ut audias*, sive ut obedias; *multò enim melior est obedientia quàm stultorum victima, qui nesciunt quid faciunt mali.* Ne impios imitere, in crimina ruentes temerè, nullo animi fastidio, nullâque religione, qui se tutos adversùs Dei furorem futuros putant, dum victimas mactent, quamvis debitam Deo obedientiam negligant. Error & superstitio, quæ hìc a Sapiente damnantur, totum latè orbem quolibet tempore occupavere. Plurimos ubique videas, qui scelestum vitæ institutum, & criminis consuetudinem colunt; dum exteriorem pietatis speciem exhibentes, ac servantes ea, quæ exteriùs a Religione imperantur, se ipsos decipiunt, & multitudinem, quæ sententiam de rebus quibuslibet ab externâ illarum specie ferre solet, fallunt. Hanc simulationem frequenter gravissimis verbis damnavere Prophetæ (c). *Quò mihi*, inquit Isaias, *multitudinem victimarum vestrarum? Plenus sum. Holocausta arietum & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum, & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis?... Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perversè, discite benefacere: quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam. Et venite, & arguite me, dicit Dominus.*

Hebræus (d): *Appropinqua ut audias, ne stultorum sacrificium offeras, qui nesciunt cùm faciunt malum.* Audi quæ te moneo: Cave ne impios imiteris, qui Deo sacrificia offerunt, dum illius jussa contemnunt. Aliter: *Accede ut audias potiùs, quàm ut des sacrificia impiorum, qui nesciunt facere nisi malum*, vel, *qui nesciunt facere voluntatem Dei*; vel, qui nesciunt quid mali faciant. Hæc omnia in eamdem fermè sententiam recidunt, quam nos ex Vulgatâ expressimus. Septuaginta (e): *Custodi pedem tuum in eo si ingressus fueris Domum Dei: & si accedas ad audiendum, super donum stultorum erit sacrificium tuum. Quoniam nesciunt quid faciunt, malum est.* Chaldæus: *Custodi pedes tuos in tempore, quo ieris in domum Sanctuarii Domini ad orandum: ne venias eò plenus peccatis, quòd convertaris: & esto admovens aurem tuam ad excipiendam doctrinam legis a Sacerdotibus & Sapientibus, & ne fueris ut stulti qui offerunt munus pro peccatis suis, & non convertuntur ab operibus suis malis, quæ apprehendunt manibus suis, & ipse non accipit in beneplacito, quia ipsi nesciunt facere in eis inter bonum & malum.*

CAPUT V.

Cautè de rebus divinis loquendum. Vota fideliter solvenda. Dei providentia, innocentium oppressionem permittentis. Avarus insatiabilis. Dives inter opes miser.

℣. 1. Ne temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Deus enim in cœlo, & tu super terram: idcircò sint pauci sermones tui.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Ne temere quid loquaris: neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo. Hebræus (a): *Ne festines super os tuum*, ne præcipiti consilio loquaris; *& cor tuum ne acceleret proferre verbum coram Domino.* Duplex sententia huic Salomonis monito subesse potest. I. Pauca coram Domino loquaris. Ne falsò putes, longas orationes a Deo postulari (b); is enim puram solummodò mentem summumque obsequium poscit. Cùm ad illum accesseris, cogita quid tu, quid ille sit: ipse in Cœlo, tu in terrâ es: quæ tu cogitas, ipse novit, teque altior

(b) *Hebr. & alii ex recentiorib.* (c) *Jerem.* VII, 2, 3, *& sequ. Isai.* I, 11, 12.
(d) קרוב לשמע מתת הכסילים זבח כי אינם יודעים לעשות רע
(e) Φύλαξαι τὸν πόδα σου ἐν ᾧ ἂν πορεύῃ εἰς οἶκον Θεοῦ, καὶ ἐγγὺς τοῦ ἀκούειν ὑπὲρ δόμα τῶν ἀφρόνων θυσία σου. Ὅτι οὐκ εἰσὶν εἰδότες τοῦ ποιῆσαι, κακόν. *Alii libri plures*, τοῦ ποιῆσαι καλόν.
(a) אל תבהל על פיך ולבך אל ימהר להוציא דבר לפני האלהים
(b) *Matt.* VI, 7, 8: *Orantes, nolite multum loqui sicut ethnici: putant enim quòd in multiloquio suo exaudiantur.*

℣. 2. Multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus invenietur stultitia.

℣. 3. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stulta promissio. Sed quodcumque voveris, redde:

℣. 4. Multòque melius est non vovere, quàm post votum promissa non reddere.

℣. 5. Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam: neque dicas coram angelo: Non est providentia: ne forte iratus Deus contra sermones tuos, dissipet cuncta opera manuum tuarum.

COMMENTARIUS.

altior infinito intervallo est. II, Parum loquere & cautè, cùm de Deo rebusque divinis agitur. Quid ille sit, tu parum nosti, atque imbecillior es, quàm ut sententiam de illo feras. De Deo disserere, periculosa res homini est, cùm etiam bene verèque disseritur (c). S. Augustinus (d), postquàm plura maximè sublimia de Divinitate scripsit, ita demum fatetur: *Diximus ne aliquid dignum Deo? Imò verò nihil aliud quàm dicere voluisse sentio: si autem dixi, non est hoc quod dicere volui.* Alio in loco, populum alloquens (e): *Cognoscite infirmitatem cordis vestri; & quia vel occurrit quod cogitare possetis, dicite: Non est illud: non enim, si illud esset, mihi jam occurrisset.* Hæc explicatio de circumspectione, cùm de Divinitate agitur, nititur iis verbis: *Idcirco sint pauci sermones tui.*

℣. 2. MULTAS CURAS SEQUUNTUR SOMNIA: ET IN MULTIS SERMONIBUS INVENIETUR STULTITIA. Mox dictorum argumentum est. Paucis verbis utere, cùm præsertim de divinitate agitur. Ut enim, qui innumerâ variarum cogitationum multitudine impletur, implicitis obscurisque somniis obnoxius est, easdem ipsas cogitationes per quietem nullo ordine revocantibus; ita ubi plura de aliquâ re sublimi adeò, uti Divinitas est, rebusque ad illam spectantibus pronunciata sunt, facillimum est, ut plura ineptissimè protulerimus. Garruli hominis, plurima de Divinitate effutientis, oratio similis somnio est, quo negotiosus homo occupatur. Inter innumeras falsarum rerum species, quæ illi objiciuntur, casu aliqua dormienti obrepunt vera. At si pauca loquaris, mala hæc occupas. Hebræus (f): *Quoniam venit somnium in multitudine negotiorum difficilium, & vox stulti in multitudine verborum.* Uti curæ, quibus mens agitatur, insomnia pariunt; ita stultus sermonum copiâ conspicuam sui imaginem præbet. Qui verbis abundat, malam sui opinionem in cæteris parit, certumque apud omnes est, sapientem hominem consideratè agere, nec facilè sermones serere. En alterum vitium, & vanitatem a Sapiente sub sole animadversam: longos de Divinitate sermones, ineptos plerumque, bonoque sensu carentes. De Deo ac Religione verba facere unusquisque audet, quamvis id nemo agere pro dignitate queat.

℣. 3. SI QUID VOVISTI DEO, NE MORERIS REDDERE. Alterum hîc vitium damnat, inter Judæos communissimum. Ne facilè vota nuncupes, aut quicquam Deo pollicearis; at siquæ promiseris, constantissimè redde. Eamdem hanc rem Moyses Hebræis imperaverat (g): *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus. Et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Nihil præter legis obsequium postulat Deus (h). Si majoris religionis causâ quis pollicetur, sese aliquid gratuitum peracturum, vult Deus, ut quæ ille promisit, sanctè pièque, ac fideliter servet. *Displicet enim Deo infidelis & stulta promissio. Stulta* ea est quæ temerè fit, & inconsideratè, cujus causa solummodò sunt res levissimæ, aut nullius momenti, vel quæ fieri nequeunt, seu malæ. *Infidelis*, cùm promissa negliguntur, aut ex animo excidunt, seu diutiùs differuntur. *Melius est non vovere, quàm post votum promissa non solvere*, inquit hîc Sapiens. *Melius est* enim *ancipitem diu librare sententiam*, inquit S. Hieronymus, *quàm in verbis facilem, in opere esse difficilem.*

℣. 5. NE DEDERIS OS TUUM, UT PECCARE FACIAS CARNEM TUAM. Variæ sunt hujus loci explicationes. Plerique cum superioribus jungunt: Ne facilitas, qua vota nuncupas (i), teque Deo debitorem facis, exitii causa tibi sit. Carnis tuæ infirmitatem eò ne adigas, ut ab iis quæ temerè nimis ac leviter promisisti, recedat. Denique Quæ te explere non posse credis, ne promittito. Corporis tui vires, ac temperamentum consule, tuæque cum voluntatis ardore, ubi insolitum aliquid aggredi velis, compone. Aliter: Cave ne verba & facundiam cæteris fallendis, atque in crimen trahendis adhibeas. Vel: Turpes sermocinationes, quibus animi cupiditates & libidines moventur, ne misceto (k).

NEQUE DICAS CORAM ANGELO: NON EST PROVIDENTIA: NE FORTE IRATUS DEUS DISSIPET CUNCTA OPERA MANUUM TUARUM. Cave ne in occulto mentis recessu esse Providentiam neges; quamvis enim homines celaveris, Angelum tui custodem non latebit: is impiam mentis tuæ sententiam cognoscet, ulturusque injuriam, quam Deo irrogas, opera tua destruet, tuaque molimina & consilia evertet. Idem ipse Angelus, qui solatii, præsidii, salutis causâ tibi datus est, tibi irascetur, atque hostis fiet, teque invitum coget illius justitiam experiri, cujus providentiam negas.

Aliter, ex S. Hieronymo: Ne inanes criminis tui excusationes quæras, neque dicas, tentationis vi, & carnis infirmitate te peccasse; id enim est *peccare facere carnem tuam*, & scelus quod agis, illi adscribere. Ne dicas coram Angelo tuo, pec-

(c) *Cicer. de nat. Deorum: De Deo etiam vera loqui periculosum.*

(d) *Aug. lib. 1 de Doctr. Christ. c. 7.* (e) *Aug. in Psal.* XXVI. *Vide Hieron. hic: Qui plura voluerit de Deo disserere, incidet in stultitiam. Ita Hugo Vict. Lyran. Titelm. Dionys. alii plerique.*

(f) כי בא החלום ברב ענין וקול כסיל ברב דברים 70: Ὅτι παραγίνεται ἐνύπνιον ἐν πλήθει πειρασμοῦ, καὶ φωνὴ ἄφρονος ἐν πλήθει λόγων. (g) *Deut.* XXIII, 21. (h) *Luc.* X, 28; *Matt.* XIX, 17: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* (i) *Chald. Hebræus Doctor, S. Hieron. Glossa, Pined. Lorin. Cornel. alii plures.* (k) *Ita ferè Thaumaturg. Olympiod. Salon. Hugo Card. Lyr. & Titelm. Grot. Bossuet. alii.*

℣. 6. Ubi multa sunt somnia, plurimæ sunt vanitates, & sermones innumeri. Tu verò Deum time.

℣. 7. Si videris calumnias egenorum, & violenta judicia, & subverti justitiam in provinciâ, non mireris super hoc negotio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alii.

℣. 8. Et insuper universæ terræ rex imperat servienti.

℣. 9. Avarus non implebitur pecuniâ: & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas.

COMMENTARIUS.

peccatum esse *ignorantia (l)*, seu infirmitatis, vel *involuntarium (m)*. *Si enim hoc dixeris, Deum provocas, quasi ultorem mali atque peccati, ut iratus sit, & si quid viderit boni habere, auferat de manibus tuis.*

Hanc ego sententiam elicio ex Hebræo (n): *Ne provoces in carnem tuam*, in te ipsum, liberosque tuos *pœnam peccati* infidelitatis & mendacii, dum negligis explere quæ promisisti; *neque dicas coram Angelo* Domini, coram Dei Sacerdote, ejusque Christo, ut te excuses, quòd *peccatum* ignorantiæ est. Ne putes, te fide votorum solvi, dum offers sacrificia, quæ ob ignorantiæ & oblivionis peccatum imperantur. *Cur te obnoxium ira Dei facis*, teque objicis periculo, ne *amittas labores manuum tuarum*? Sacerdotes passim apud Scripturam (o) Angelorum nomine significantur. Sacerdotis autem munus erat, sententiam de rebus voto promissis ferre; certumque sacrificiorum genus erat iis imperatum, qui promissa explere obliti fuerant (p). At qui vel negligentiâ vel contemptu vota non explessent, legis beneficio uti, aut peccatum ignorantiâ excusare non poterant.

℣. 6. UBI MULTA SUNT SOMNIA, PLURIMÆ SUNT VANITATES, ET SERMONES INNUMERI. TU VERO DEUM TIME. Vitium inter Hebræos commune hìc arguit Salomon, scilicet somniorum observationem. Ubi quis hoc superstitionis genus sectari cœperit, innumeris semper curis & animi angoribus cruciatur. Hinc temeraria vota, & consilia male concepta. Tu, inquit Sapiens, Deum verere, solida sit religio tua, prudens ac sapiens, & Dei timore ducatur; non somniis aut visionibus, cæterisque insanæ & superstitiosæ religionis deliriis freta. Alii plures ita explicant (q): *Sicut multa sunt somnia, & in somniis vanitates multa; ita in multis verbis*, in excusationibus, quas pro te affers, non habebis vitium. *Deum time*, constanter exequere, quæ promisisti, neque teipsum fallere inanibus argumentis & excusationibus studeas.

℣. 7. SI VIDERIS CALUMNIAS EGENORUM ... NON MIRERIS SUPER HOC NEGOTIO, QUIA EXCELSO EXCELSIOR EST ALIUS. Nihil faciliùs imbecilles in vitium trahit, atque in dubium de providentiâ, quàm cùm pauperem, justum, innocentem angustiis, calamitatibus, doloribus oppressum vident. At moveri eâ re non debent ii, qui animadvertunt, constitutum esse in rebus humanis ordinem, ac necessariam connexionem, qua omnes vicissitudinum inversiones occupantur. Si judex alteri subditus justitiæ leges violat, superior Judex inferioris judicium corrigit. Si hic iniquam sententiam ferat, corriget Princeps. Denique si Princeps inopis oppressi, & calumniis obruti causam destituat, Regem ipsum omnesque judices judicabit Deus, & unicuique reddet quæ quisque meruerit (r). Quamobrem quibuslibet turbis orbis universus occupetur, mirificus semper ordo in iis est, plenaque sapientiæ & justitiæ connexio. Si prohibere velit Deus, ne quidquam injustitiæ fiat, nihil illius potestati facilius erit: ut verò ea quæ ipse decrevit, exequatur, mala quædam contingere necesse est, e quibus majora bona Divinâ virtute producit. Innocens in hac vitâ malis obruitur; at in alterâ præmio afficitur. Impius justum opprimit; at in alterâ deinde vitâ justam Numinis severitatem experitur.

℣. 8. ET INSUPER UNIVERSÆ TERRÆ REX IMPERAT SERVIENTI. Intelligi hic locus propriè potest de alicujus Regionis Principe, Judicum ipsorum Judice, ad quem provocatio est, si pauperes opprimantur, aliusve quis injustè damnetur. At vulgo (s) explicatur de Deo, supremo viventium ac mortuorum Judice (t):

Regum timendorum in proprios greges
Reges in ipsos imperium est Jovis.

Hebræus (u): *Et proventus terræ super omnia est. Rex ipse colit agrum.* Ita verò cum superioribus jungitur: Ne mireris, cùm inopem oppressum vides: omnia in hac vitâ mutuo nexu & ordine subjiciuntur. A Principe ad subditum, a subdito ad Principem, omnia invicem nexa sunt; & alter esse sine altero nequit. Inopes inferioribus Judicibus subjiciuntur; hi superioribus; superiores Regi; Rex ipse, quantumvis magnus, suis ipsius subditis; ac necesse est, ut & ipse agrum colat, aut coli jubeat, si vitæ consulere velit: huc enim semper redeundum est. Principum felicitas agricolæ sunt & operarii. Aptissima mihi videtur hæc interpretatio (x), atque optimè Salomonis instituto serviens, illud demonstrare conantis, omnia, quæ in Mundo sunt, inanitatem esse, ac mirifico Providentiæ ordine regi. Confer hunc locum cum iis, quæ de se ipso tradidit Capite II, ℣. 4. ... 11.

℣. 9. AVARUS NON IMPLEBITUR PECUNIA; ET QUI AMAT DIVITIAS, FRUCTUM NON CAPIET EX EIS. Nunquam contenta cupiditas est (y):

Crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.

Longè amplior hominis mens est, quàm ut iis rebus impleatur, quæ finibus claudi & perire possunt. Similis est hydropi avaritia. Quo plus bibit,

(l) Heb. שגגה 70: Ἄγνοια. (m) Aqu. Ἀκούσιον. (n) אל תתן את פיך לחטיא את בשרך ואל תאמר לפני המלאך כי שגגה היא למה יקצף האלהים על קולך וחבל את מעשה ידיך (o) Mal. II, 7; Apoc. I, 20. Vide Drus. Pisc. Gejer. Dionys. &c. (p) Levit. V, 4, 5. (q) Jun. Grot. Pisc. Gejer. alii. (r) Hieron. Olympiod. Alcuin. Bonavent. Salon. Hugo, Lyr. alii plerique. (s) Hieronym. & alii supra citati. (t) Horat. lib. 3, ode 1. (u) ויתרון ארץ בכל הוא מלך לשדה נעבד (x) Vide Mercer. & Vatabl. Bossuet. (y) Horat.

℣. 10. Ubi multæ ſunt opes, multi & qui comedunt eas. Et quid prodeſt poſſeſſori, niſi quòd cernit divitias oculis ſuis?

℣. 11. Dulcis eſt ſomnus operanti, ſive parum, ſive multum comedat: ſaturitas autem divitis non ſinit eum dormire.

℣. 12. Eſt & alia infirmitas peſſima, quam vidi ſub ſole: divitiæ conſervatæ in malum domini ſui.

℣. 13. Pereunt enim in afflictione peſſimâ. Generavit filium, qui in ſummâ egeſtate erit.

℣. 14. Sicut egreſſus eſt nudus de utero matris ſuæ, ſic revertetur, & nihil auferet ſecum de labore ſuo.

℣. 15. Miſerabilis prorſus infirmitas: quo modo vênit, ſic revertetur. Quid ergo prodeſt ei quòd laboravit in ventum?

℣. 16. Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumnâ atque triſtitiâ.

COMMENTARIUS.

bit, eò gravius ſitit, & cruciatur æger: Ita avarus inſatiabilem auri ſitim explere non poteſt. Avaritia, inquit Salluſtius (z), *quaſi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effœminat; ſemper infinita, inſatiabilis eſt: neque copiâ, neque inopiâ minuitur.* Qui opes amat nullum ex iis fructum capit. *Semper avarus eget* (a). Opum fructus eſt, illis uti, easque profundere, non ſub terrâ, aut in areis condere. Quorſum opes opibus cumulas, ſi illis abſtineas, & inter omnium copiam fame pereas? Ita ne cogendis opibus laborandum erat, ut collectæ ſimul nonniſi oculos paſcerent? Merus opum ſuarum cuſtos avarus eſt, non Dominus; ſervus non poſſeſſor, inquit S. Chryſoſtomus (b). Similis Tantalo eſt, inter aquas ſitienti (c):

Tantalus a labris ſitiens fugientia captat
Flumina . . . .
. . . . . . Congeſtis undique ſaccis
Indormit inhians, & tanquam parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tamquam gaudere tabellis.
Neſcis quò valeat nummus, quem præbeat uſum.

℣. 10. Ubi multæ sunt opes, multi sunt qui comedunt eas. Avari hominis ſtultitiam & vanitatem, opes colligentis, iisque minimè utentis, demonſtravit. Alterius hominum generis vanitatem nunc oſtenſurus eſt, Principum ſcilicet, qui tam multis licèt opibus affluentes, locupletes tamen dici non poſſunt; vix enim habent, quo ſervos, miniſtros, & aſſeclas expleant. Minima bonorum pars domino ſupereſt; reliqua cæteris diſtribuuntur. Illi ſola ſupereſt diſtribuendi voluptas; cæteri fruuntur. *Uſus divitiarum apud alios; divitibus ſolum nomen cedit & ſolicitudo*, inquit S. Bernardus (d). Quàm multi apud Principes ſunt ventres inutiles, otioſi, ſervi, paraſiti? Qui eas opes poſſidenti fructus præter animi labores inanemque pompam eſt? Unicus Principi venter eſt, uti domeſticorum viliſſimo: *Ille autem videat tantum quod habet, & plus quàm unius hominis cibum capere non poſſit.*

℣. 11. Dulcis est somnus operanti .... saturitas autem divitis non sinit eum dormire. En alteram ſub ſole vanitatem. Alii tanquillam quietem capiunt, quamvis malè paſti, & labore oppreſſi: alii, quamvis probè curatis corporibus, ſomni expertes ſunt. Operarius, cubitum diſcedens poſt diuturnum laborem, tranquillo altoque ſopore mergitur, ſive largâ ſive anguſtiſſimâ menſâ paſtus fuerit. Si jejunus cubitum eat, ſomnum capiet; labor enim ingentem ſpirituum copiam exhauſit, qui ſomno reparantur. Si largo convivio exceptus eſt, ſtomachus facilè cibos concoquit; quippe labore exhauſtus, cibo magnoperè eget, magnâque aviditate cœnat. Quanto autem æſtimabiliores ſunt hominum labori aſſuetorum tranquillitas, quies, bona corporis valetudo, robur, quàm copioſæ locupletum opes, dum illi morbis, corporisque & animi cruciatibus torquentur (e)?

℣. 12. Divitiæ conservatæ in malum Domini sui. Alterum doloris argumentum Sapienti, atque ingens contemnendi vanas mundi res cauſa. Eſt qui immenſam bonorum copiam habet, quæ vel ſuis ipſe ſudoribus, vel parentes acquiſivere, & magno labore ſervaverunt; hic aliquo adverſæ fortunæ caſu omnibus exutus, filium inopem relinquit, atque ipſe in extremâ inopiâ moriens, nudus ad terram revertitur, uti nudus e ſinu parentis prodiit. Hoc ferunt ℣℣. 12, 13, 14. Opes hac arte ſervatæ reverâ fiunt *malum domini ſui*. Has innumeris laboribus collegit, aſſiduisque ſolicitudinibus ſervavit, cum dolore amittit, vitam in graviſſimâ rerum omnium inopiâ eò graviore traducit, quò beatior copia præceſſerat. Denique mœrens moritur, quòd filium in extremâ rerum inopiâ relinquat.

℣. 13. Pereunt in afflictione pessima. Hebræus (f): *Pereunt* hæ opes *in occupatione peſſimâ* (g), vel *in negotio peſſimo*, malæ alicujus difficultatis cauſâ, aut imprudentiæ, aut improvidæ profuſionis. Pereunt denique hæ opes ob triſtes eventûs minimè expectatos.

℣. 15. Quomodo venit, sic revertetur. Nudus inopsque in vitam vênit: nudus morietur. *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ*, inquiebat Job, 1, 20, *& nudus revertar illuc*. Hac in re illius conditio nihil mirum aut rarum eſt, cùm hominum quilibet æquè moriatur, nihil hinc ſecum auferens (h). *Dives homo*, inquit Pſalmiſta (i) *cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus*. Illud ſolummodò hîc expendit Sapiens, quòd is, de quo agit, cùm dives fuerit, prorſus pauper moriatur, & filium inopiâ laborantem relinquat.

℣. 6. Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, &c. Solus & clam cibum capit avarus, ne

(z) *Salluſt. Conjur. Catilin.* (a) *Horat. ep. 2, l. 1.* (b) *Chryſoſt. homil. 2 ad populum.* (c) *Horat. Sat. 5, lib. 5.* (d) *Bern. de converſ. ad Clericos c. 2.* (e) *Vide S. Chryſoſt. homil. 2 ad popul. & de virginit. c. 70.* (f) ואבד העשר ההוא באנין רע (g) Ἐν περισπασμῷ πονηρῷ. *Ita & Pagn. Mont. Munſt. Jun. Merier. Geſir.* (h) 1 *Timot.* VI, 7: *Nihil intulimus in hunc mundum: haud dubium quia neque auferre quid poſſumus.* (i) *Pſal.* XLVIII, 18.

℣. 17. Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis, & bibat, & fruatur lætitiâ ex labore suo, quo laboravit ipse sub sole, numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Deus: & hæc est pars illius.

℣. 18. Et omni homini, cui dedit Deus divitias, atque substantiam, potestatemque ei tribuit, ut comedat ex eis, & fruatur parte suâ, & lætetur de labore suo: hoc est donum Dei.

℣. 19. Non enim satis recordabitur dierum vitæ suæ, eò quòd Deus occupet deliciis cor ejus.

COMMENTARIUS.

ne alterum convivam, suarumque sordium testem habere cogatur. Assiduis curis ac laboribus torquetur. Proh hominis sordes! Nonne melius fuisset, ut cibos liberaliter suaviterque caperet, datisque bonis uteretur, quàm noctuæ modo in ædibus lateret, tristis semper & inquietus? ℣. 17: *Hoc itaque visum est mihi bonum, ut comedat quis & bibat, &c.* Neque hîc hortatur Sapiens, ut vita inter voluptates & convivia absolutè agatur, cùm hujusmodi voluptatum inanitatem sæpiùs demonstraverit; sed meritò suavem jucundamque vitam præfert vitæ avari, ejusque hominum generis, qui quod comedunt, sibi ipsi quodammodo exprobrant (k). Confer ℣. 17 cum capite III, 24, 22; & II, 5, 10, 24.

℣. 19. NON ENIM SATIS RECORDABITUR DIERUM VITÆ SUÆ, EO QUOD DEUS OCCUPET DELICIIS COR EJUS. Qui datis a Deo bonis jucundè frui decrevit, illum vitæ non tædebit: pace fruetur, & suavitate, qua Deus moderatum rerum creatarum usum temperavit. At intellige, illum intra modestiæ rectique usûs fines contineri: quî enim aliter diceret, *Deum occupare deliciis cor ejus?* Deus ne malarum voluptatum author dici queat? Hebræus (l): *Quoniam non multum recordabitur dierum vitæ suæ:* vitæ illius dies jucundè celeriterque fluent, eo fermè non sentiente; *quoniam Deus implebit*, vel occupabit *lætitiâ cor ejus*; seu, efficiet Deus, ut ejus mens gaudium sentiat, quo ipsam replet; intimum gaudii sui testem illi dabit.

CAPUT VI.

Infelix avari conditio. Optimus bonorum fortunæ usus:

℣. 1. EST & aliud malum, quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines.

℣. 2. Vir, cui dedit Deus divitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ, ex omnibus, quæ desiderat: nec tribuit ei potestatem Deus, ut comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & miseria magna est.

℣. 3. Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non utatur bonis substantiæ suæ, sepulturâque careat: de hoc ego pronuntio, quòd melior illo sit abortivus.

COMMENTARIUS.

℣. 2. VIR CUI DEDIT DEUS DIVITIAS .... NEC TRIBUIT EI POTESTATEM UT COMEDAT EX EO: SED HOMO EXTRANEUS VORABIT ILLUD. Author omnium bonorum est Deus, opesque pro arbitrio distribuit: at munus imperfectum est, nisi unà artem opibus fruendi concesserit.

Di tibi divitias dederant artemque fruendi (a). Ea verò ars multò rarior est quàm creditur; pergitque Salomon hoc Capite avarorum insaniam describere, de quâ superiori Capite disseruerat. Uberrimum est argumentum, & gravissimum esse censuit; nunquam enim defuere qui hoc morbo laboraverint. Hic eos aggreditur, qui omni voluptatum genere abstinent, interque opes omnibus indigent, ut vel inviti eas ipsas opes nepoti profuso & voraci, omnia statim consumpturo, relinquant. *Hoc vanitas & magna miseria est.*

℣. 3. SI GENUERIT QUISPIAM CENTUM LIBEROS, ET VIXERIT MULTOS ANNOS, nisi bonis suis utatur, & sepulturâ careat, melior illo est partus abortivus: *ille enim nec mala vidit nec bona*, inquit S. Hieronymus: at avarus bonis uti nescit, quæ Providentiæ beneficio possidet, neque ea sibi ipsi comparare, quæ humanitas & natura postulant, neque amicos & in Cœlo thesauros munificentiâ & eleemosynis acquirere. Nemine dolente moritur: illius memoriam quilibet detestatur: sepulturæ honore non gaudet, sive projectus ad vultures, nemine ipsum curante, cùm ipse bene de nemine meritus fuerit; sive obscuro inhonestoque funere elatus, quòd illius dignitati impar sit; seu denique ab aliquo interfectus, ut hæres illius fortunarum sit, postquàm commune popu-

(k) *Vide Hieron. hîc: Ad comparationem ejus qui opibus suis in curarum tenebris vescitur, meliorem dicit esse eum qui præsentibus fruitur.* (l) כי לא הרבה יזכור את ימי חייו כי האלהים מענה בשמחת לבו (a) *Horat. Epist. lib. 1, ep. 4.*

℣. 4. Fruſtra enim venit, & pergit ad tenebras, & oblivione delebitur nomen ejus.

℣. 5. Non vidit ſolem, neque cognovit diſtantiam boni, & mali:

℣. 6. Etiam ſi duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis: nonne ad unum locum properant omnia?

℣. 7. Omnis labor hominis in ore ejus: ſed anima ejus non implebitur.

℣. 8. Quid habet amplius ſapiens a ſtulto? & quid pauper, niſi ut pergat illuc, ubi eſt vita?

℣. 9. Melius eſt videre, quod cupias, quàm deſiderare, quod neſcias. Sed & hoc vanitas eſt, & præſumptio ſpiritûs.

℣. 10. Qui futurus eſt, jam vocatum eſt nomen ejus: & ſcitur, quòd homo ſit, & non poſſit contra fortiorem ſe in judicio contendere.

COMMENTARIUS.

populi odium ipſe fuit. Quantâvis auri copiâ hoc hominum genus affluerct, aut plura annorum millia viveret, centenoſque liberos ſibi ſuperſtites relinqueret, meliorem illo eſſe puerum abortu ejectum, dicere Salomon non veretur; idque idcirco, quòd *ad unum locum properant omnia*, ℣. 6. Omnium hominum hæreditas ſunt mors, ſepulcrum, putredo. Quamobrem hac ex parte avarus, locuples, Princeps inope humilique, & eo qui lucis uſuram nunquam habuit, nihilo meliores ſunt. Poſtremus hic nulli unquam aut nocuit aut beneficium exhibuit: avarus omnem in laboribus vitam egit, ac nunquam niſi moleſtus cæteris fuit.

℣. 4. FRUSTRA ENIM VENIT, ET PERGIT AD TENEBRAS. Plures (b) de avaro interpretantur, qui inter homines vivens & ſibi inutilis & cæteris eſt, cùm neque ſibi quidquam boni neque cæteris faciat. Meliùs tamen de abortu explicatur (c), quem iis verbis deſcribit, quæ nonniſi tropicè avaro conveniunt; propriè enim quæ ſequuntur de avaro dici nequeunt: ℣. 5. *Non vidit ſolem, neque cognovit diſtantiam boni & mali.*

℣. 6. ETIAMSI DUOBUS MILLIBUS ANNIS VIXERIT, ET NON FUERIT PERFRUITUS BONIS, nihilo melior abortu eſt. In æternam oblivionem cadet, atque ad ſepulcrum adigetur, eâdem prorſus conditione, ac viliſſimum cadaver; *nonne enim ad unum locum properant omnia?* ſcilicet ad ſepulcrum.

℣. 7. OMNIS LABOR HOMINIS IN ORE EJUS: SED ANIMA EJUS NON IMPLEBITUR. Creditor inſatiabilis eſt venter. Reliquæ vitæ neceſſitates relinqui poſſunt; at non cibus. Dum vivimus, pro cibo laboramus (d). Illud ſolummodò ſupereſt, ut modum cupiditatibus & ventris voracitati ponamus. At nunquam fiet, ut comedendi neceſſitas penitùs auferatur: *Anima ejus non implebitur*. Alii ſic interpretantur (e): Plerique hominum, ii præſertim qui rebus affluunt, de ventre ſolummodo & conviviis ſoliciti ſunt: at his rebus ipſorum cupiditas nunquam ſatiatur: alii bonis opus eſt, ut ipſorum capacitas & deſideria expleantur. Aliter (f): Sunt qui omnem laborem ad cibi ſolicitudinem conferant; neque ſatiari queunt. Leve adeò eſt ipſorum lucrum, ut omnis illorum labor ægrè afferat, quo corpus alant. Hæc verò ingens calamitas eſt, & ex inanium rerum numero, quæ ſub ſole cernuntur. Alii rebus abundant, quibus frui neſciunt: alii omnibus carent, quamvis nunquam labore abſtineant.

℣. 8. QUID HABET AMPLIUS SAPIENS A STULTO? ET QUID PAUPER, NISI UT PERGAT ILLUC, UBI EST VITA? Hac in re Sapiens ſtultum ſuperat, ſtultum, inquam, divitem pauper ſapiens, quòd hic æternâ in Cœlo, & apud hominum memoriam vitâ gaviſurus eſt; ille æternâ oblivione ſepeliendus, veræ vitæ bonis nunquam fruetur. Similis abortivo eſt, qui *nunquam vidit ſolem*, &c. Vide ℣℣. 3, 4, 5. In hanc ſententiam reddi poteſt Hebræus (g): *Quid excellentius eſt ſapienti, quàm ſtulto, & pauperi ſcienti viam vitæ?* Quanto præſtantior hujus conditio eſt, quàm avari, & ſtulti? Aliter: Quàm felix eſt Sapiens, ſi cum ſtulto conferatur! Quàm felix eſt pauper, qui annonam laboribus ſibi comparat, vel rebus neceſſariis contentus eſſe ſcit; vel denique, qui vitam agere inter cæteros novit, ad verbum, *ſciens ambulare coram vitâ*, vel *coram viventibus*, ſi illum cum avaro conferas, qui opibus ſuis ſerviens, illis uti neſcit! Verti etiam poteſt: *Quid præſtantius Sapienti eſt quàm ſtulto, & quid pauperi* quàm avaro? Sapiens & pauper *ſciunt ambulare coram viventibus*. Hi vitæ ſocietatem tueri, datiſque ſibi a Deo bonis uti ſciunt.

℣. 9. MELIUS EST VIDERE QUOD CUPIAS, QUAM DESIDERARE QUOD NESCIAS. Melius eſt præſentibus frui, quàm vanâ ſpe paſci: melius eſt habere quod optas, quàm quod non habes, optare. Hebræus convenit (h): *Melior eſt viſio oculorum, quàm ambulare animæ*, vel, quàm vagatio animæ. Apud Hebræos, *viſio* uſurpatur frequenter pro *fruitione*, & *oculi* pro deſideriis. *Vagatio animæ*, ipſius deſideria, ſpes, vota aptiſſimè ſignificat. Quod animus optat, illud, ut ita dicam, perſequitur; nullàque pace aut voluptate fruitur, dum hoc itinere & motu agitatur: votorum finem nondum aſſecutus, nondum contentus eſt.

℣. 10. QUI FUTURUS EST, JAM VOCATUM EST NOMEN EJUS. Eamdem hìc rem dicere videtur quam Capite 1, 9, 10, nihil ſcilicet eſſe novum ſub ſole: quidquid vel fuit vel futurum eſt, jam nunc præſens eſt: ſimiles fermè ſibi eſſe quaslibet ætates: naturæ inſtitutum nunquam mutari: eaſdem rerum viciſſitudines, turbas, inverſiones olim fuiſſe, quibus nos agitamur: hominem nunquam ſui diſſimilem fuiſſe; cùmque hominem dixeris, ea omnia dici, quæ noſmetipſi in nobis experimur,

(b) *Ita Olympiod. Bonav. Hugo, Jan. Jun. Cajet. alii.*
(c) *Thaumat. Lyr. Clar. Mercer. Gejer. Piſc. alii paſſim.* (d) *Vide Hieron. hìc. Vat. Mercer. Chald. Piſc.* (e) *Olympiodor. Titelm. Cajet.* (f) כל עמל האדם לפיהו וגם הנפש לא תמלא
(g) כי מה יותר לחכם מן הכסיל מה לעני יודע להלך נגד החיים
(h) טוב מראה עינים מהלך נפש 70: Ἀγαθὸν ὅραμα ὀφθαλμῶν ὑπὲρ πορευόμενον ψυχῇ, *Viſio oculorum ſupergrediens animam, bona eſt. Sym.* Βέλτιον προβλέπειν, ἢ ὁδεύειν ἀνεπιστάτως, *Melius eſt providere, quàm ambulare ut libet.*

℣. 11. Verba ſunt plurima, multamque in diſputando habentia vanitatem.

COMMENTARIUS.

mur, atque in ceteris animadvertimus. Hebræus (i): *Quid eſt? Jam vocatum eſt nomen ejus: & notum eſt hominem eſſe, & non poſſe contendere cum eo qui fortior eſt ſe.* Hoc ſcilicet homo eſt. Vix in lucem venit, communem cæteris mortalibus conditionem ſubit, Omnipotentis poteſtati & voluntati ſubditus, qui de eo pro arbitrio decernit, quin ullus ſuperſit querendi locus.

℣. 11. Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem. Noſtrarum controverſiarum, orationum, ſententiarumque multitudo, alia eſt confuſionis cauſa. Pluribus ab hinc ſæculis controverſias agitamus, quærimus, naturam ſcrutamur: at nihilo meliùs convenimos. Quid verò idipſum eſt? Nonne ignorantia, mentis imbecillitas, obſtinatio, vanitas? Duplex aptari poteſt Hebræo ſententia: altera abſoluta, uti mox explicavimus (k): *Cùm verba ſunt plurima, multa etiam vanitas.* Altera, juncto hoc verſiculo cum ſuperiore: Vix eſſe incipit inter vivos homo, ſtatim noſcitur quid ipse ſit. *Plurima ſunt, quæ illum vanitati obnoxium faciunt*; ad verbum: *Verba multa*, ſeu res multæ ſunt *quæ multiplicant vanitatem*. Prior interpretatio aptior videtur, & meliùs cum iis quæ ſequuntur, conveniens. Apud Codices Hebræos ad calcem hujus Capitis inſeruntur priora ſequentis Capitis verba.

CAPUT VII.

Inanis curioſitas. Bonum nomen. Objurgationum utilitas. Riſus ſtulti. Quid boni e divitiis referre Sapiens queat. Ne nimium juſtus aut Sapiens ſis. Delationes, & hominum verba negligito. Mulier pernicioſa. Homo rectus conditus.

℣. 1. QUID neceſſe eſt homini majora ſe quærere, cùm ignoret, quid conducat ſibi in vitâ ſuâ, numero dierum peregrinationis ſuæ, & tempore, quod velut umbra præterit? Aut quis ei poterit indicare, quid poſt eum futurum ſub ſole ſit?

℣. 2. Melius eſt nomen bonum, quàm unguenta pretioſa, & dies mortis die nativitatis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUID NECESSE EST HOMINI MAJORA SE QUÆRERE? Quàm miſer eſt, qui totius vitæ tempus, omnemque ſolicitudinem inanibus ſtudiis & meditationibus, vaniſque, pernicioſis & impiis negotiis occupat! Quorſum hoc bonorum hujus vitæ deſiderium, atque hæc de rebus ad ſe minimè ſpectantibus ſolicitudo? Graviſſima ſcilicet nobis negotia ſunt, quæ ad æternam animæ ſalutem pertinent, eaque minimè omnium curamus (a). *Filii hominum, uſquequo gravi corde? Ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?*

Hebræus (b) jungi poteſt cum fine superioris capitis, hoc modo: *Res plurimæ ſunt, quæ multiplicant vanitatem* hujus vitæ. *Quæ utilitas homini* ex iis eſt? *Quoniam quis novit, quid bonum ſit homini in brevi dierum numero vitæ vanitatis ſuæ*, quibus in hac vanitate vivit, *& quos facit velut umbram?* Innumeris occupamur nugis, quæ omne vitæ noſtræ tempus atque omne ſtudium auferunt. Quorſum verò hæc, dum incerti ſumus, utrùm quæ optamus utilia nobis futura ſint, an pernicioſa? Hic opes cogere ſtudet, ſibi ſuæque familiæ exitiales: ille munus anxiè quærit, ex quo nihil præter contemptum relaturus eſt: alter malâ aliquâ cupiditate ductus aliquod vitæ genus aggreditur, quod ſibi calamitatem & exitium inferet. Interim vita velut umbra elabitur. Vix de vitâ cogitamus, cùm incautos mors occupat. Iis ne igitur breviſſimæ hujus vitæ causâ laborandum eſt? Cur graviora negotia non agimus, æternamque in Cœlis ſedem acquirere non ſtudemus?

℣. 2. MELIUS EST NOMEN BONUM QUAM UNGUENTA PRETIOSA. Fragilis licèt atque inanis ſit boni nominis gloria, utpote quæ ab inconſtantis vulgi æſtimatione & judicio pendet, & bonum prorſus alienum atque ambiguum ſit, Sapientis tamen eſt, famam non aſpernari; ſaltem aliorum causâ, quibus eſſe utilis poteſt. Ii præſertim, inquit S. Gregorius Magnus (c), qui cæteris præſunt, conniti omnino debent, ne quid ipſorum famæ contrarium per vulgi ora feratur; ſi enim ipſorum exiſtimatio perierit, id agere non poterunt, quod ex munere debent. Optimè S. Auguſtinus (d): *Nobis neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra.*

ET DIES MORTIS DIE NATIVITATIS; mors enim nos hujus vitæ malis liberos efficit, periculis ſubducit, quæ undique imminent, in certo rerum ſtatu collocat, cùm præſens hæc vita omnis vanitati, animi cruciatibus, periculis obnoxia ſit. Humanarum calamitatum finis mors eſt; initium eſt ortus. Mortem tamen Juſtorum intellige; impiorum enim obitus æternæ calamitatis exordium eſt.

(i) מה שהיה כבר נקרא שמו ונודע אשר הוא אדם ולא יוכל לדין עם שהתקיף ממנו
(k) כי יש דברים הרבה מרבים הבל מה יותר לאדם (a) Psal. IV, 3. (b) Eccle. VI, 11: כי יש דברים הרבה מרבים הבל מה יותר לאדם : כי מי יודע מה טוב לאדם בחיים מספר חיי הבלו ויעשם כצל (VII, 1.) (c) Greg. in Ezechiel.
(d) Aug. de bono viduit. c. 22. Vide & Bernard. lib. 3 de Conſid. c. 4.

℣. 3. Melius est ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivii: in illâ enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum sit.

℣. 4. Melior est ira risu: quia per tristitiam vultûs corrigitur animus delinquentis.

℣. 5. Cor sapientium, ubi tristitia est: & cor stultorum, ubi lætitia.

℣. 6. Melius est a sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi.

℣. 7. Quia sicut sonitus spinarum ardentium sub ollâ, sic risus stulti: sed & hoc vanitas.

COMMENTARIUS.

est. Fuere olim gentes (e), quæ nascente homine lugebant, gaudebant moriente, contrariâ communi hominum consuetudini lege utentes. Hunc verò morem ipsi suspiciebant Profani, veluti hominum sapientiâ & acri ingenio præditorum, qui naturæ nostræ mala optimè intelligerent.

℣. 3. Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. Haberi hic locus potest, veluti orta e superiore sententia. Quâ die in lucem edebantur pueri, & a lacte pellebantur (f), ea dies conviviis, aliisque lætitiæ significationibus celebrabatur. Quotannis etiam natalitium diem, veluti lætitiæ destinatum, Reges celebrabant (g). Docet nihilominus Sapiens, melius esse convivium adire, ubi mortuo justa solvuntur (h), quàm ubi natalis pueri celebratur. Funebribus enim in conviviis, quid deinde futurum sit, consideratur, seque mortalem esse, atque ab exitu non longè removeri discit homo. At in consuetis conviviis, iisque præsertim, quibus natalis celebratur, res planè contraria evenit: gaudio unusquisque indulget, diuturnam sibi vitam pollicetur, deque futuro vitæ cursu plura decernuntur.

℣. 4. Melior est ira risu, minimè tamen ubique & absolutè. Hic ira pro severitate objurgantis usurpatur; risus, pro nimiâ lenitate, qua peccata dissimulat. Hoc ex iis quæ sequuntur, colligitur: *Per tristitiam vultûs corrigitur animus delinquentis*. Utilior est sinceri amici, aut heri severitas, peccata objurgantis, quàm nimia lenitas aut indulgentia, qua ipsa peccata foventur. Hoc ipsum Sapiens aliis verbis docuit in Proverbiis, xxvii, 6: *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.*

℣. 5. Cor sapientium ubi tristitia, et cor stultorum ubi lætitia. Hæc verba veluti appendicem superioris versiculi interpretatur S. Hieronymus in hunc locum: *Vadat* Sapiens *ad domum talis viri, qui se corripiat delinquentem; & non eat ad domum lætitiæ, ubi doctor adulatur, & decipit.* Alii absolutè explicant: Sapiens plerumque cùm loquitur, tristis est potiùs quàm hilaris; quippe cui risus, oblectationes, hilaritas non placent. Hac in re idem docent Religio & Sapientia. Sapiens gravis est, attentus, vigil; solaque plerumque tristitiæ argumenta in hominum nequitiâ & impietate intuetur. Religiosus homo suis & aliorum peccatis dolet: assidua discrimina, quibus obnoxius est, veretur, divinorumque Judiciorum metu totus occupatur.

℣. 6. Melius est a Sapiente corripi, quam stultorum adulatione decipi. Majori, quàm vulgo creditur, opus est sapientiâ, ut utilis sit objurgatio: quòd enim nullus objurgationum fructus sit, ac frequentiùs hæ iram provocent, & malum augeant, illud in causâ est, quod eâ, qua opus est, sapientiâ careant. Interdum medicina tunc adhibetur, cùm animus maximè fervet; aut acrius, quàm par est, remedium admovetur. Primum omnium opus est, ut reo probes, ipsum peccasse: id si neglexeris, quicquid afferas, malam in partem excipiet. Si error in sententiâ sit, animadverte, qua ex parte rem ipse consideret: plerumque enim contingit, ut veritatem ex eâ parte præseferat. Veram igitur esse partim illius sententiam fatere: ita enim ipsum lenies, quippe qui sese deceptum non esse animadvertat, ac solùm in eo defuisse, quòd rem ex alterâ parte non inspexerit. Quamobrem fiet, ut proprius suæ excellentiæ amor ipsum non impediat, quin iis quæ volueris, assentiatur. Omnia non vidisse, non pudet; pudet errasse. Hebræus (i): *Melior est audiens objurgationem Sapientis, quàm vir audiens canticum stulti.*

℣. 7. Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, vel sub lebete (k); sic risus stulti. Lusus verborum est in Hebræo, inter *Sebir*, Canticum, & *Sir*, olla, & *Sirim*, spinæ. Vocem tollit insanus, risusque sonoros edit, uti spinæ sub lebete flagrantes, quæ longè latèque ingentem strepitum edunt; at denique ignis e spinis est, statim periens, nullâ fermè re gestâ. Gaudia, quæ ferre mundus solet, igni spinarum similia sunt: nihil inanius, infirmius aut levius nihil: quamobrem meritò de illis Sapiens pronunciat: *Sed & hoc vanitas.* Dixerat superiùs (l), risum & gaudium merum esse errorem; & alibi (m): *Risus dolore miscebitur.* Et Ecclesiasticus, xxi, 23: *Fatuus in risu exaltat vocem suam.* Et Christus (n): *Væ vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Symmachus (o) ita vertit Hebræum: *Per vocem imperitorum vinculis quispiam colligatur.* Imperiti malique Doctores te periculo non expediunt, sed magis impediunt.

℣. 8. Ca-

(e) *Valer. Maxim. lib. 2, c. 6: Thracia verò illa natio meritò sibi sapientiæ laudem vindicaverit, quæ natales hominis flebiliter, exequias cum hilaritate celebrans, sine ullis Doctorum præceptis verum conditionis nostræ habitum pervidit. Euripid. in Cresph.* Ἐχρῆν μὲν ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
Τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά.
Τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
Χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.

(f) *Genes.* xvi, 8. (g) *Genes.* xl, 20; *Matt.* xiv, 6. (h) *Prov.* xxxi, 6; *Joseph lib.* 2 *contra Appion. & lib.* 2 *de bello, c.* 1, *initio*: Τὴν ἐπιτάφιον ἑστίασιν πολυτελῆ τῷ πλήθει παρασχών. Ἔστι δὲ τοῦτο παρὰ Ἰουδαίοις πολλοῖς πενίας αἴτιον, διὰ τὸ πλῆθος ἑστιᾷν, οὐκ ἄνευ ἀνάγκης. Εἰ γὰρ παραλίποι τις, οὐχ ὅσιος. (i) טוב לשמע גערת חכם מאיש שמע שיר כסילים
(k) כקול הסירים תחת הסיר (l) *Eccle.* ii, 2: *Risum reputavi errorem.* (m) *Prov.* xiv, 13.
(n) *Luc.* vi, 25. (o) *Sym.* Διὰ γὰρ φωνῶν τῶν ἀπαιδεύτων ἐν δεσμωτηρίῳ γίνεταί τις.

ỷ. 8. Calumnia conturbat sapientem, & perdet robur cordis illius.
ỷ. 9. Melior est finis orationis, quàm principium. Melior est patiens arrogante.
ỷ. 10. Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit.
ỷ. 11. Ne dicas: Quid putas causæ est, quòd priora tempora meliora fuere, quàm nunc sunt? stulta enim est hujuscemodi interrogatio.
ỷ. 12. Utilior est sapientia cum divitiis, & magis prodest videntibus solem.

COMMENTARIUS.

ỷ. 8. CALUMNIA CONTURBAT SAPIENTEM, ET PERDET ROBUR CORDIS EJUS. Rari sunt, qui criminationibus impetiti, animi serenitatem servent. Insolitâ virtute opus est, quæ paucis datur. Luculentissimum perfecti hominis indicium est, inter hæc pericula immotum stare. Imbecilliores (p) animum despondent ac turbantur. Beneficium est paucis hominibus datum, in rebus angustis, in cruciatibus, in injuriis gaudere, utì S. Paulus solebat; quique inter homines sapientissimi sunt, quidlibet potiùs quàm calumniam patientur.

Hebræus (q) varias interpretationes habet: *Oppressio*, injuria, calumnia *turbat Sapientem*, *& perdet cor fortissimum*, perfectissimum, divinis beneficiis ornatissimum. Aliter: *Oppressio ad insaniam adigit Sapientem*, *& perdit cor*, mentem *donum*. Qui se corrumpi muneribus sinit, & iniquè in fratres agit, animo & mente deficit, ac penitus furit. Illum fallit avarities, adigitque ad injustitiam, quæ maxima omnium insania est, certissimumque turbatæ mentis indicium. Cor apud Hebræos veluti sapientiæ sedem haberi, nemo ignorat (r). *Calumnia*, vel oppressio hìc ea non est, qua quis afficitur, sed qua alios afficit. Docuerat ante Salomonem Moyses (s): *Munera excæcant oculos Sapientum*, *& mutant verba Justorum.* Judex munerum amator res penitùs expendere, aut æquum jus reddere non potest; caret enim ingenio, sapientià, solertià. *Malè verum examinat omnis corruptus Judex.*

ỷ. 9. MELIOR EST FINIS ORATIONIS, QUAM PRINCIPIUM. Si hanc interpretationem sequaris, dicito (t): *Meliores sant in diecendo epilogi quàm exordium; in his enim dicentis sollicitudo finitur., in illo incipit.* At Hebræus verti potest (u): *Melius est novissimum rei quàm initium.* Cùm manus operi admovetur, incertum est, quid deinde sit eventurum; eo peracto, solicitodo desiit. Communis calamitas est, pulcherrima quæque molimina inani exitu quotidie cadere: at cùm res metam attigit, animus quiescit. Reddi etiam potest: Controversiæ aut jurgii finis melior est quàm initium (x). Servanda tamen videtur sententia generico sensu: Bene cœpisse non satis est: opus est optimè finias. Verendum semper est, dum suprema operi manus non accesserit.

MELIOR EST PATIENS ARROGANTE. Qui patiens, & constans in decretis est, durissima & difficillima negotia meliùs aget, quàm qui temerè viribus suis fidens, audacter sese discrimini objicit. Optima quæque molimina præcipiti temeritate plerumque evertuntur. Simol esse nequeunt sapientia & temeritas. Plerique temeritatem cum audacià miscent, & constantiam cum injurià: quæ quidem longè dissimillima sunt.

ỷ. 10. NE SIS VELOX AD IRASCENDUM; QUIA IRA IN SINU STULTI REQUIESCIT. Sapiens æquè ac stultus iræ motus sentire queunt; at illos coërcet Sapiens, stultus sequitur, atque iram in sinu excipit, ubi veluti proprià in sede quiescit.

ỷ. 11. NE DICAS: QUID PUTAS CAUSÆ EST, CUR PRIORA TEMPORA MELIORA FUERE QUAM NUNC SUNT? Scelerum suorum causam plerumque homines vitium ætatis suæ afferunt: sibi ipsis illam prorsus adscribi nolunt. Ita fert ætas, usus, consuetudo. At cæterorum ludibrium nos fieri jubes, dum insolita vivendi instituta sectamur? Hoc fortasse Patrum ætate probabatur; hic vivendi modus periit. Levissima argumenta! Elapsa ætas nihilo melior præsenti est, ac præsens nihilo vitiosior quàm elapsæ. Cujuslibet ætatis hominum excusatio fuit: Ita mores ætatis ferunt. Nihil novum sub sole est. Quod olim fuit, adhuc est; & jam est, quòd deinceps erit (z). Quolibet tempore boni fuerunt & mali, & multitudinis exemplo atque authoritate sese tueri nunquam non impii voluerunt. Qui pietatem colunt, alterius moris humanisque viribus superioris esse dicuntur, qui humanæ vitæ rationem ad pristinas atque usu deletas leges revocare velint. *Ne vetas sæculum præsenti præferas; quia unus utriusque est conditor Deus. Virtutes bonos dies viventi faciunt; vitia malos* (a). Nos igitur ipsi sæculum aut bonum aut malum facimus, ut boni vel mali sumus. *Vitium est malignitatis humanæ, ut vetera semper in laude, præsentia sint in fastidio*, inquit Tacitus (b). *Neque enim jam quasi lassa & effœta est natura, ut nihil laudabile pariat* (c).

ỷ. 12. UTILIOR EST SAPIENTIA CUM DIVITIIS, ET MAGIS PRODEST VIDENTIBUS SOLEM. Sæpè utiles sunt Sapienti opes; neque optimè collocatæ aut pretio dignæ nisi penès ipsos sunt. Optimus opum locus sunt Sapientis manus: unus ipse illis uti, suoque pretio non indignas facere novit. Illis abutitur stultus, illas perdit, illis corrumpitur, seque unà cum illis in exitium impellit: ipse opibus servit, easque colit: Sapiens illis dominatur, atque utì decet, utitur. Si fortunis cares, sapientia omnis tua in iis quæ sumptum exigunt, inutilis efficitur: parum prodesse cæteris, patriæ, indigentibus potes, Quanta Reipublicæ felicitas foret, si gravissimos Magistratus, & maximi momenti negotia viri Sapientes agerent! At si fortunis careant, qui fieri poterit, ut eas dignitates aut acquirant aut tueantur (d)?

Non facilè emergunt, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi.

Christianæ & Evangelicæ Sapientiæ institutum opes negligi, & relinqui jubet: at iis etiam bene uti docet. Deseri vult, cùm times, ne cum opibus unà esse Sapientia nequeat; vel cùm opum dispen-

(p) *Ambros. in Psal. 118: Qui opprimitur calumnià, non facilè potest divina custodire mandata, &c.*
(q) כי העשק יהלל חכם ויאבד את לב מתנה (r) *Prov. vi, 32; Osee, vii, 11; ubibi passim.*
(s) *Deut. xvi, 19.* (t) *Hieron. hic.* (u) טוב אחרית דבר מראשיתו (x) *Grotius.*
(y) *Hieron. hic: Quamvis aliquis poteas existimetur & sapiens, si iracundus sit, insipiens arguitur.*
(z) *Eccle. i, 10; iii, 15.* (a) *Hieron. hic. Ita & Alcuin. & Salon.* (b) *Tacit. lib. de Orat.*
(c) *Plin. Jun. lib. 6, ep. 21.* (d) *Juvenal. Satyr. 3, v. 165.*

℣. 13. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia: hoc autem plus habet eruditio, & sapientia, quòd vitam tribuunt possessori suo.

℣. 14. Considera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, quem ille despexerit.

℣. 15. In die bonâ fruere bonis, & malam diem præcave: sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum justas querimonias.

℣. 16. Hæc quoque vidi in diebus vanitatis meæ: Justus perit in justitiâ suâ, & impius multo vivit tempore in malitiâ suâ.

COMMENTARIUS.

dispendio sapientia emenda est. At qui sapientiam cum opibus, ac rectum utriusque usum habent, multò præstantiores sunt quàm ii qui inopem sapientiam obtinent, quibus proinde non licet ea exteriùs erga cæteros homines præstare, quæ optimus ipsorum animus cupit. *Majoris est gloria Sapiens cum divitiis, quàm tantùm sapiens*, inquit S. Hieronymus: *alii enim sapientiâ indigent, alii opibus: & qui sapiens est & non dives, potest quidem docere quod bonum est; sed interdum non potest præstare quod petitur.*

Hebræus reddi potest (e): *Melior est sapientia quàm opes*, vel, *bona est ut opes*; vel, *bona est cum opibus*. Triplici huic explicationi sequens versiculus æquè favet. *Divitiæ sicut impedimenta sunt in reprobis, ita in bonis sunt adjumenta virtutis* (f).

℣. 13. Sicut enim protegit sapientia, protegit pecunia. Utraque Sapientem protegit, at variâ ratione, uti statim docet. *Hoc autem plus habet sapientia & eruditio, quòd vitam tribuunt possessori suo.* Hebræus (g): *Quia in umbrâ sapientia, in umbrâ pecunia; & excellentia sapientiæ vitam affert dominis suis.* Ut justam ex hoc loco sententiam elicias, ita explicanda est, cum superioribus juncta: (℣. 12.) Bona est cum opibus sapientia; & magnoperè prodest videntibus solem: (℣. 13.) simul enim sub umbrâ sapientiæ & pecuniæ sunt. Sapientiæ honore fruuntur, & pecuniæ commodis, diuturnamque & felicem vitam obtinent; quæ proprium unius sapientiæ bonum est. Optima tamen est Vulgatæ sententia, quam Interpretes doctissimi sequuntur. Diuturnæ vitæ munus a Sapientiâ conferri, non uno in loco docet Scriptura. *Audi, fili mi*, inquit Sapientia (h), *& suscipe verba mea, ut multiplicentur tibi anni vitæ.* Et alibi (i): *Lignum est vitæ his qui apprehenderint eam.*

℣. 14. Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ille despexerit. Dei potestatem æquitatemque admirare, dona sua quomodo & quibus libuerit, distribuentis. Si hominem aliquo naturæ vitio laborantem nasci permiserit Deus, omnes medicorum artes minimè illis reddent, quod illi non dedit Deus (k). Omnium simul hominum conatus ad meliorem frugem non convertent impium in scelere contumacem, quem Deus gratiæ suæ beneficio non instruxerit (l), aut suis ipsius cupiditatibus trahendum reliquerit. Impiorum conversio uno ex Deo postulanda est. Non enim qui serit aut rigat, sed unus Deus vitam & incrementum arbori largitur (m). Minimè tamen a publicis privatisque exhortationibus & minis abstinendum est: sed omnia ex validâ Creatoris manu expectanda sunt, qui e rupibus Abrahamo filios facere, solusque lapideas mentes auferre potest, ut molliores & carneas substituat (n). Cùm audis, aliquem a Deo *despici*, ne putes, ipsum opera sua reverà negligere aut aspernari: minùs enim propria est loquendi formula. *Nihil eorum odit Deus, quæ fecit* (o); hominem non deserit, nisi priùs ipse ab homine deseratur (p): neminem peccare cogit, cùm nemini eam opem neget, quæ satis est, ut mandata serventur: at peccatum odit, eùmque sæpiùs ab impio ipse neglectus fuerit, illum denique ipse despicit atque aversatur.

℣. 15. In die bona fruere bonis, et malam diem præcave; sicut enim hanc, sic et illam fecit Deus. Beneficiis fortunisque tibi a Deo datis utere. Si firmam corporis valetudinem, venustatem, natalium splendorem, acre ingenium dedit, grates redde, iisque ex ejus voluntate & decretis utere. Si cautum licèt solicitumque aliquo te infortunio affligit, si quo cum naturæ vitio te nasci permisit, animadverte, ipsum esse bonorum omnium malorumque authorem, quin ullus querendi locus supersit. Sapientiam Conditoris, æquitatem, providentiam venerare. Hebræus (q): *In die læto, lætus esto; & in die tristi, inspice* diem lætum; vel, cogita, qua ratione malæ diei te subducere queas; *hunc enim ex adverso illius fecit Dominus*; malum æquè ac bonum diem fecit Deus; alterum alteri opposuit, ac succedere jussit; *ne quid inveniat homo quod reprehendat in ipso.* Utere prosperis rebus, & lætitiam amplectere, si dederit illam Deus; siquam verò in calamitatem incideris, ne animum despondeas: post laborem gaudium, post nubilos dies serenos largietur. *Sapientia divina hæc alternat*, inquit S. Bernardus (r), *ut nec adversa frangant, nec læta dissolvant; cùm potiùs & illa ex istis graviora, & illa ex his tolerabiliora reddantur.*

℣. 16. In diebus vanitatis meæ. In hac miserrimâ vitâ, & quibuslibet vicibus ac vanitatibus obnoxiâ.

Justus perit in justitia sua, et impius multo vivit tempore in malitia sua. Hic profectò piorum dolor est, & periculum, cùm impios inter

(c) טובה חכמה עם נחלה ויתר לראי השמש (f) *Ambros. in Luc. lib. 8, n. 85.* (g) כי בצל החכמה בצל הכסף ויתרון דעת החכמה תחיה בעליה (h) *Prov. IV, 20.* (i) *Prov. III, 18. Vide & Eccli. VI, 12; Baruc, III, 28.* (k) *Ita Chald. Hieron. Tir. Geor. Vat. Olympiod. Clar. Cajet. alii.* (l) *Vide Cornel. a lap. & Confer Eccle. I, 15: Perversi difficilè corriguntur.* (m) *I Cor. III, 7.* (n) *Vide, si placet, Aug. de correpz. & grat. c. 15; & Greg. lib. XI Moral. c. 5.* (o) *Sap. XI, 25.* (p) *Concil. Trid. sess. 6, c. 11: Deus suâ gratiâ justificatos non deserit, nisi ab eis deseratur.* (q) ביום טובה היה בטוב וביום רעה ראה גם את זה לעמת זה עשה האלהים על דברת שלא ימצא האדם אחריו מאומה *Sym.* Καὶ γὰρ τοῦτο ἀνάλογον τούτῳ ἐποίησεν ὁ Θεὸς, τοῦ μὴ εὑρεῖν ἄνθρωπον κατ' αὐτοῦ μέμψιν. (r) *Bern. ep. 36.*

℣. 17. Noli esse justus multùm: neque plus sapias, quàm necesse est, ne obstupescas.

℣. 18. Ne impiè agas multùm; & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo.

℣. 19. Bonum est te sustentare justum: sed & ab illo ne subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, nihil negligit.

℣. 20. Sapientia confortavit sapientem super decem principes civitatis.

COMMENTARIUS.

inter prosperas res, & Justum malis oppressum vident. David quamvis Divino lumine illustratus, atque in Divinarum Legum obsequio constantissimus, ubi animum ad has vices inspiciendas convertit, confessus est (s): *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns.* Cùm impios diuturnâ vitâ frui, & Justos præcipiti morte rapi cerneret, Sapiens stupebat. Apud Veteris Testamenti homines minimè inanis erat hujus stuporis causa, cùm diuturnum vitæ curriculum iis promisisset Deus, qui legibus suis integrâ fide obsequerentur (t): at sub Novi Fœderis lege alia spectamus, atque hujus vitæ calamitates & mala ita nobis habenda sunt, ut beneficia potius quàm supplicia esse credamus, cùm eorum causâ Jesu Christo similiores efficiamur, doceamurque & hujus vitæ bona aspernari, & æterna avidiùs desiderare.

℣. 17. Noli esse justus multum, neque plus sapias, quam necesse est. Virtus in medio est; quicquid utrimque excedit, vitium est (u):

Virtus est medium vitiorum, & utrimque reductum (x).

Hinc fit, ut vulgo ea sententia feratur (y): *Nequid nimis.* Qui severam nimisque perfectam justitiam exigit; qui nullum veniæ locum facit, nimisque absolutam vitæ sanctimoniam postulat; *si quem rigidum & tracem ad omnia fratrum peccata conspexeris, hunc scito plus justum esse, quàm justum est . . . Inhumana justitia est, fragilitati conditionis humanæ non ignoscere (z).* Vulgo dicitur: *Summum jus, summa injuria est.* Aliter: Ne nimis justus, vel nimis sapiens fueris: ne eos imitare, qui, cùm nimis pavidi, nimisque animo infirmi sint, nullam quietem sentiunt, & nihil unquam satis se fecisse existimant (a). Vel: Ne nimis justus sis: ne nimis tibi arroges, justitiæ ac sapientiæ tuæ causâ (b): ne cæteros, quos te inferiores putas, aspernere: ne tibi blandiaris de justitiâ quam non habes. Chaldæus, & Rabbini quidam: Ne sis justus nimium, nimis clemens, nimisque indulgens, aut animo infirmus, ubi vis & severitas adhibenda est. Qui de nimiâ justitiâ & severitate, summoque jure hunc locum explicant, veriora loqui videntur. Agricolam laudat Tacitus raro prorsus encomio: *Retinuit quod est difficillimum, ex sapientiâ modum.* Et de Lepido agens, ostendit, quòd sit æquitatis medium veraque virtus: *Cursum quemdam tenere, inter deforme obsequium & abruptam conscientiam medium, periculo simul & indignitate vacuum.*

Ne obstupescas, ac pro Sapientiâ in insaniam cadas. Hebræus (c): *Ne destruaris*, ne vasteris, aut diripiaris: ne pereas. Jungi potest hic versiculus cum superiore in hanc sententiam: Justum vidi in justitiâ suâ pereuntem, & impium in impietate florentem: at ne idcirco obstupescas. Dei consilia ne curiosiùs perscruteris. Justus nimiùm, aut nimiùm sapiens ne fueris. Ne nimis quæras quod te latere voluit Deus, ne, dum Majestatem scrutaris, opprimaris a gloriâ (d).

℣. 18. Ne impie agas multum. Si hortatur Sapiens, ne quis nimiam justitiam sapientiamque sectetur, multo magis vetabit, ne quis vitio & impietati nimis indulgeat. Iniquitatem ac peccatum sequi nunquam licet; ea enim ab justi regulâ discedunt, quantumvis levis excessus sit. Quamobrem, cùm Sapiens vetat, nequis nimis impius sit, cave putes, illum permittere, ut aliquâ ex parte sis impius: illud enim solummodo vult, cùm hominis vita peccato carere nequeat, ipso Justo septies quotidie peccante, fugienda esse graviora scelera, lapsus frequentiores, malasque habitudines, & quàm celerrimè esse resipiscendum. *Semel peccasse sufficiat*, inquit S. Hieronymus: *debemus nos erigere post ruinam.* Si frequenter labimur, lapsus saltem lethalis non sit. Vires ex ipsâ infirmitate sumamus, quodque peccato amisimus, humilitate & pœnitentiâ reparemus.

℣. 19. Bonum est, te sustentare justum: sed et ab illo ne subtrahas manum. Qui timet Deum, nihil negligit. Cœlestem Patrem imitare, inquit Christus (e), bene cuilibet faciens, ut ille solem suum super pios impiosque oriri jubet.

Hebræus (f): *Bonum est, ut apprehendas illud, & etiam hoc non dimittas; quoniam timens Deum, ambulabit cum omnibus his.* Recole quæ mox te docui, neve ea negligas. Justus esto, quantum opus est, & malum fuge quantum decet: vera enim justitia, sapientia, Dei timor esse absque his nequit; neque cum nimio justitiæ studio aut peccati amore conjungitur. Medium igitur serva, ab utroque extremo æquè absens. Septuaginta (g): *Bonum est te adhærere huic rei, & ne polluas ex eâ manum tuam: quoniam timentibus Deum prosperè evenient omnia.* S. Gregorius Thaumaturgus, & Olympiodorus ita explicant: Bonum est adhærere Deo, atque omnia ex ejus ope expectare, impiumque, vel peccatum fugere. Cavendum est, ne sancta impuris manibus tractentur: qui enim subjectus Deo est, quodlibet discrimen facilè vitat.

℣. 20. Sapientia confortavit sapientem super decem Principes Civitatis. Urbis cujuslibet saluti ac regimini utilior est unicus sapiens, quàm *decem Principes*, scilicet ingens Principum & Gubernatorum copia. Utilius est consilium & Sapientia,

(s) *Psal.* LXXII, 3. (t) *Exod.* XX, 12. (u) *Hieron. ad Demetriad. Philosophorum quoque sententia est:* Μεσότητας ἀρετὰς, ὑπερβολὰς κακίας εἶναι. (x) *Horatius.* (y) *Terent. Andr. act.* 1, *scen.* 1, *ex Græco*, μηδὲν ἄγαν. (z) *Hieron. hîc.* (a) *Bern. serm.* 4 *in Ps. Qui habitat. Vide Drus. Prov.* 1, 2. (b) *Vide Thaumaturg. hîc; S. Aug. tract.* 95 *in Joan. Olympiod. Alcuin. Grot.*
(c) למה השמם 70: Μή ποτε ἐκπλαγῇς. (d) *Ita Lorin. Pineda, Menoch. Tirin.*
(e) *Matt.* V, 45. *Vide Hieron. hîc.* (f) טוב אשר תאחז בזה וגם מזה אל תנח את ידך כי ירא אלהים יצא את כלם (g) 70: Ἀγαθὸν τὸ ἀντέχεσθαί σε ἐν τούτῳ, καὶ ἀπὸ τούτου μὴ μιάνῃς τὴν χεῖρά σου· ὅτι φοβουμένοις τὸν Θεὸν ἐξελεύσεται τὰ πάντα.

℣. 21. Non est enim homo justus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet.

℣. 22. Sed & cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum: ne fortè audias servum tuum maledicentem tibi.

℣. 23. Scit enim conscientia tua, quia & tu crebrò maledixisti aliis.

℣. 24. Cuncta tentavi in sapientiâ. Dixi: Sapiens efficiar; & ipsa longiùs recessit a me

℣. 25. Multò magis quàm erat. Et alta profunditas! quis inveniet eam?

℣. 26. Lustravi universa animo meo, ut scirem, & considerarem, & quærerem sapientiam, & rationem: & ut cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium:

COMMENTARIUS.

tia, quàm vires. Plurima sunt discrimina, in quibus vir fortis cadit, & Sapientia sapientem servat. Hoc ipsum fermè jam dixerat Salomon in Proverbiis, XXIV, 5: *Vir Sapiens, fortis est: & vir doctus, robustus & validus. Quia cum dispositione initur bellum: & erit salus, ubi multa consilia sunt*. Et Capite XXI, 22: *Civitatem fortium ascendit Sapiens, destruitque robur fiduciæ ejus*. Et in Ecclesiaste, IX, 18: *Dicebam, meliorem esse sapientiam fortitudine*. Decem pro pluribus usurpari, nemo ignorat (h). Sunt qui censeant, in qualibet urbe decem magistratus olim fuisse constitutos (i): at nihil de hoc numero certò scimus.

℣. 21. NON EST HOMO JUSTUS IN TERRA, QUI FACIAT BONUM, ET NON PECCET. Spectari hoc loco videtur, quod superiùs docuit, vitandam esse nimiam Sapientiam, nimiamque impietatem. Credere nemo hominum debet, sese peccati expertem esse. At cùm infirmi simus, & septies quâlibet die labamur (k), toties etiam surgere studeamus. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*, inquit S. Joannes (l). *Possibile non est inveniri qui lapsus non sit*, ajebat Crates (m).

℣. 22. SED ET CUNCTIS SERMONIBUS, QUI DICUNTUR, NE ACCOMMODES COR TUUM. Prudentis est negligere ac dissimulare, quæ perniciosa nobis feruntur. Id si negligamus, nullâ quiete fruemur. Intra nostras ipsorum ædes nostri familiares nostris de vitiis obloquuntur; omnia observant, dissimulant nihil. Prohiberi non potest, quin quilibet pro arbitrio cogitet aut loquatur. Obloquantur, inquiebat Imperator quidam, dum non obstent. Antigonus Macedonum Rex cùm in tentorio esset, ac milites aliquot in Regem maledicta congerentes audiret, virgâ tentorii vela diducens, Flebitis, inquit, ni longiùs semoti de me male loquamini (n). Sapiens & liberalis homo contentus esse debet conscientiæ & piorum testimonio, inquit S. Ambrosius (o); & quæ cæteri humilioris conditionis homines de se aut loquuntur aut cogitant, aspernari. Hebræus (p): *Omnibus verbis quæ dicuntur, ne accommodes cor tuum; ne audias servum tuum tibi male imprecantem*. Vel ex Vulgatâ & Septuaginta: *Ne fortè audias servum tuum maledicentem tibi*.

℣. 23. SCIT ENIM CONSCIENTIA TUA, QUIA ET TU CREBRO MALEDIXISTI ALIIS. Æquum est, ut veniam, quam nobis poscimus, cæteris concedamus. Nos certè miseros, si quæ de cæteris nos dicimus, acriter ac severè punirentur!

. . . . *Æquum est*
Peccatis veniam poscentem reddere rursus (q).

℣. 24. DIXI, SAPIENS EFFICIAR; ET IPSA LONGIUS RECESSIT A ME MULTO MAGIS QUAM ERAT. Quò magis Sapiens esse conor, eò magis me sapientiâ carentem sentio. Cùm parum te profecisse sapientiâ & virtute censes, idipsum argumento est, te non parum profecisse; uti non leve indicium scientiæ est, ubi credas te parum scire. Majori, quàm vulgò creditur, opus est sapientiâ, ut sciolorum audaciam quis vitet, prudenterque dubitare noverit. Hæc verò dubitatio initium sapientiæ est (r). Solus denique verusque Sapiens probè noscit, quàm latè pateant sapientia & scientiæ; multoque plura sibi deesse sentit quàm quæ habet.

℣. 25. ET ALTA PROFUNDITAS! QUIS INVENIET EAM? Ii solummodò illius profunditatem atque amplitudinem non mirantur, qui sapientiam penitùs ignorant. Hebræus multo aliter (s): *Remotum est id quod futurum est, & profundum, quis inveniat illud?* Vel: *Longinquum est id quod fuit: altè profundum est: quis inveniat illud?* Vel relatis ad Sapientiam verbis, de qua scilicet versiculo superiore: *Id quàm remotum est! Infinita est illius profunditas: quis exhauriat illam?*

℣. 26. UT QUÆREREM SAPIENTIAM ET RATIONEM, causas omnium; id enim propriè est sapientiæ quæ naturâ, vel si mavis, quæ arte acquiritur, ut a sapientiâ divinitus collatâ distinguitur, quæ in pietatis exercitio ac Dei timore consistit. Sapientia vulgo definitur, clara & distincta rerum cognitio per causas. Res a naturâ gestas partasque, & cæteras mundi vices Sapiens æquè & insipiens indent: at Sapiens causas & rationes rerum quærit. Præcipuum hoc est Sapientis studium. Hebræus reddi potest (t): *Sapientiam & cogitationem*, vel *sapientiam & inventionem*. Septuaginta (u): *Sapientiam & numerum*, sapientiam & rationum momenta. Olympiodorus explicat de Philosophiâ, vel sapientiâ cæterarum gentium, quam Salomon, non secùs ac cætera nosse voluit, ac

(h) *Genes.* XXXI, 7; *Nehem.* IV, 12, *&c.*

(i) *Vide Fruaedent. in Ruth*, IV, 2; *Tir. alios*. (k) *Prov.* XXIV, 16. (l) I *Joan.* I, 8.

(m) Ἀδύνατον εἶναι ἀδιάπτωτον εὑρεῖν, *Crates apud Diogen. Laërt. l.* 6. (n) *Plutarch. Apophtegm.*

(o) *Ambros. Offic. lib.* 1, *c.* 1: *Dissimulet, nihil loquatur, teneat fructum bonæ conscientiæ. Plus committat bonorum judicio, quàm criminantis insolentiæ; contentus sit gravitate morum suorum, quia bene conscius animus, falsis non debet moveri, nec æstimare plus esse ponderis in alieno convitio, quàm in suo testimonio.* (p) גם לכל הדברים אשר ידברו אל תתן לבך אשר לא תשמע את עבדך מקללך (q) *Horat. Satyr. lib.* 1, *sat.* 3. (r) *Aristot.* Ἀρχὴ σοφίας ἀπιστία.

(s) רחוק מה שהיה ועמק עמק מי ימצאנו (t) בקש חכמה וחשבון

(u) Ζητῆσαι σοφίαν καὶ ψῆφον. *Aug. de lib. arbit. lib.* 2, *c.* 8; *Ut quærerem sapientiam & numerum*. *Ita & Ambros. de bono mort. c.* 7.

℣. 27. Et invêni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor ejus, vincula sunt manus illius. Qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illâ.
℣. 28. Ecce hoc invêni, dixit Ecclesiastes, unum & alterum, ut invenirem rationem,
℣. 29. Quam adhuc quærit anima mea, & non invêni. Virum de mille unum reperi, mulierem ex omnibus non invêni.
℣. 30. Solummodò hoc invêni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. Quis talis ut sapiens est? & quis cognovit solutionem verbi?

COMMENTARIUS.

ac scire, quanti facienda essent illorum ratiocinatio, & calculos ducendi modus, ex quibus futura prædicebant, suasque observationes de hominum ortu & fortunis, vel de motu astrorum hauriebant. At post quàm diù multumque scrutatus est, inanem hanc Philosophiam similem esse invêoit meretrici, &c. Eidem verò Philosophiæ accommodat ea, quæ sequentibus versiculis de meretrice traduntur.

℣. 27. ET INVENI AMARIOREM MORTE MULIEREM, QUÆ LAQUEUS VENATORUM EST. Post diuturnos labores ac studia, ut sapientiam acquireret, bonaque & mala, quæ in mundo sunt, agnosceret, claudit denique orationem Salomon, docetque, malorum omnium, discriminum atque insidiarum maximum ac perniciosissimum esse mulierem. Id profectò neque lacrymabiliùs, neque tristiùs, quàm ipsemet Salomon, expertus est (x). Insanissimarum igitur rerum insanissima est, immodicus mulierum amor: quæ enim libidini malisque animi cupiditatibus sese dedidere, miseros amatores in quodlibet scelerum ac vitiorum genus trahunt. Non semel in Proverbiis (y) descripsit Salomon, quàm plena periculi res esset, illicitos mulierum amores sectari: optimè enim norat, quanti hoc esset ad Sapientiæ studium obstaculi. Commune apud Veteres essatum erat (z): *Ignis, mare, & mulier: mala tria.*

VINCULA SUNT MANUS ILLIUS. QUI PLACET DEO, EFFUGIET ILLAM. Mulieris manus, blanditiæ, illecebræ, vincula sunt, quæ quò minùs vides, eò arctiùs animum vinciunt, ac virtutem frangunt. Mulieris oculi *avolare faciunt animum*, inquit idem Salomon in Cantico, VI, 4. Basilisci oculis similes sunt, solo intuitu necem afferentes (a). Magnes est fœmina, inquit S. Basilius (b), virum trahens, utì magnes ferrum. *Fovea profunda os meretricis*, ait Sapiens (c): *cui iratus est Dominus, incidet in eam.* Si mulier accedat & tangat, ita nocet utì fera venenata & rabida, subdit S. Hieronymus (d). Quamobrem castus Josephus, cùm tangere ipsum vellet Ægyptia, *quasi admorsu rabidissima canis, ne paulatim viras serperet, pallium quod tetigerat, abjecit.* Neque solùm resistendum esse fornicationi jubet S. Paulus, sed esse fugiendam (e). Immundarum ac impudentium mulierum consuetudinem, amicitiam, ipsumque aspectum fuge. *Ejusdem libidinis est videri & videre*, scribit Tertullianus (f). *Tam sancti viri est suffundi, si virginem viderit, quàm sancta virginis, si a viro visa sit.*

Addit Salomon: *Qui placet Deo, effugiet illam.* Profectò continentia Dei munus est; & qui cautè discrimen vitat, humilibusque votis a Deo postulat, ut sese incolumem ab his periculis servet, sperandum illi est fore, ut insidias innocentiæ ac pudicitiæ undique paratas fugiat. Qui verò temerè incautèque, ac veluti ludens sese discrimini objicit, *quasi bos ductus ad victimam est, & quasi agnus lasciviens, & ignorans quòd ad vincula stultus trahatur*, ut verbis Sapientis utar (g).

Pro, *Vincula sunt manus illius*, reddunt Septuaginta (h): *Vinculum in manibus ejus*, quo miseros a se superatos vinciat. Aquila (i): *Vincta sunt manus ejus.* Hebræus verti potest (k): *Vincti in manibus ejus* (l): quos ceperit, vinctos trahit. Aptior tamen est & communior Vulgatæ sententia.

℣. 28. ECCE HOC INVENI, UNUM ET ALTERUM SIMUL CONFERENS, UT INVENIREM RATIONEM. En studiorum meorum fructum, mearumque cognitionum compendium: omnibus probè comparatis demum collegi, omnia vanitatem esse, & animi cruciatum sub sole, nullumque ex omnibus malum esse muliere perniciosius; ac denique, utì omnes fermè viri nullius pretii sunt, ita nullam prorsus bonam esse mulierem: quod sequenti versiculo tradit. Incredibilem planè sententiam, cujus ratio adhuc quærenda est: *Ut invenirem rationem*, ℣. 29, *quam adhuc quærit anima mea, & non invêni.* Unicam tamen ejus rei causam afferet ℣. 30, hominem scilicet, qui æquus rectusque conditus est, peccato esse vitiatum, atque hanc justitiæ inversionem, quam in rebus creatis animadvertit, Dei opus non esse, sed criminis pœnam, inquit S. Augustinus.

℣. 29. VIRUM DE MILLE UNUM REPERI; MULIEREM EX OMNIBUS NON INVENI. Quàm rari sint viri sapientiâ instructi, & mulieres haud perniciosæ, his verbis docet: Unum fortasse inter mille viros invenias, qui libidinis ac voluptatis illecebras vitet: at nulla planè fœmina est, cujus consuetudo, colloquium, societas homini vel sapientissimo laqueus fieri nequeat (m). Quòd si hanc sententiam de uno Salomone explices, vix unum se invenisse inter mille viros sapientem fatetur; at nullam sibi occurrisse mulierem, qua in libidinem ac vitia raptus non fuerit (n). *Omnes enim me non ad virtutem, sed ad luxuriam deduxerunt.*

℣. 30. SOLUMMODO HOC INVENI, QUOD FECERIT DEUS HOMINEM RECTUM, ET IPSE SE INFINITIS MISCUERIT QUÆSTIONIBUS. Solvitur hìc difficultas, quæ tam ardua Salomoni fuit. Quæ tam multorum scelerum vitiorumque in naturâ origo est?

(x) *Hieron. hic: Non putemus temerè hanc Salomonem de genere mulierum protulisse sententiam: quod expertus est, loquitur.* (y) *Prov.* II, 56; & V, 2; VII, 5, &c.
(z) Πῦρ καὶ θάλασσα, καὶ γυνὴ. Κακὰ τρία. (a) *Basil. in c. 3 Isai.* (b) *Basil. lib. de virginitate.* (c) *Prov.* XXII, 54. (d) *Hieron. lib. 5 contra Jovinian.* (e) 1 *Cor.* VI, 8. (f) *Tertull. de veland. virginib.* (g) *Prov.* VII, 22. (h) Δεσμὸς ἐν χερσὶν αὐτῆς. (i) *Aqu. apud Hieron. hic.*
(k) אסורים ידיה (l) *Ita Jun. Trem.* (m) *Thaumaturg. aliè passim.* (n) *Hieron. hic.*

est? Cur tam rari occurrunt viri sapientiâ justitiâque præditi, multoque infirmiores atque a sapientiâ remotiores fœminæ sunt? Deus ne hominem vitiatum malumque condidit? an ipse suis se sceleribus corrupit homo ac vitiavit? *Solummodò hoc inveni*, ait Sapiens, *quòd fecerit Deus hominem rectum*, probum, justum, innoxium (o), eoque mentis lumine illustratum, quo satis agnoscere bonum posset, Deoque opem ferente ea erga Conditorem explere, quæ ipsius naturæ legibus imperantur. Nullum enim ab homine obsequium, cultum, amorem exigere posset Deus, nisi aptum his muneribus explendis condidisset. Quamobrem vitia & corruptionem in hominis naturam ipse homo induxit, non Deus, cùm scilicet homo res inanissimas sectatus, *ipse se infinitis miscuerit quæstionibus*. Adami peccatum luculentis verbis non exprimit; satis tamen innuit iis, quæ mox diximus. Divinas enim leges Adam & Heva idcirco violavere, quòd inani curiositati, ac temerariis superbisque dubitationibus locum fecerint (p). Monuit scilicet Hevam serpens, cogitaret, cur pomi esu Deus ipsos interdixerit, probaretque, utrum æquè palato saperet pomum, ut oculis placebat: quæreret, quam potissimùm in rem Numinis minæ ferrentur: periculum faceret, utrùm statim explendæ essent, nullâque sententiæ lenitate, an irrito eventu perituræ. Hæc prima fuerunt peccati primorum parentum præludia.

Censent verò plerique, his verbis nihilo magis Adamum & Hevam, quàm horum posteros spectari, utpote qui amissâ per paternum scelus innocentiâ, & perspicaci acie cognitionis, quibus Conditor illos instruxerat, in inquietam sciendi curiositatem devenere, qua innumeræ quæstiones moventur, inutiles planè & levissimæ, ac plerumque humanis viribus superiores, quæ magna sunt illorum laboris pars, dum vivunt. Hinc fit, ut Sapiens dixerit superiùs, I, 13: *Quærere & investigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub sole, hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in eâ*. Hebræus & Septuaginta (q) in plurali legunt: *Et ipsi quæsiverunt rationes multas*, vel quæstiones; veluti significent, non hominem aut Adamum, sed illius posteros hæc ipsa scrutari. Rabbini de Adamo & Hevâ, utì priùs diximus, interpretantur.

QUIS TALIS UT SAPIENS EST? ET QUIS COGNOVIT SOLUTIONEM VERBI? Ex hoc versiculo Hebræus Caput sequens exorditur. Nova profectò hîc sententia incipit neque hæc necessariò cum superioribus nectuntur, nisi exclamationem esse dixeris, qua mox dicta de hominum vitiis, regnantisque inter homines curiositatis causâ clauduntur. Septuaginta (r): *Quis novit sapientes? & quis novit solutionem verbi?*

CAPUT VIII.

Sapientia in ore sapientis fulget. Regis jussa. Obsequium Regi debitum. Justi in oblivionem abeunt. Mali & impii plerumque in hac vitâ probro affecti. Dei consilia humanis cognitionibus superiora.

℣. 1. SApientia hominis lucet in vultu ejus: & Potentissimus faciem illius commutabit.

℣. 2. Ego os regis observo, & præcepta juramenti Dei.

COMMENTARIUS.

℣. 1. SAPIENTIA HOMINIS LUCET IN VULTU EJUS: ET POTENTISSIMUS FACIEM ILLIUS COMMUTABIT. Jam diximus, priora hujus Capitis verba illa esse, quæ in superioris Capitis calce leguntur: *Quis talis ut sapiens est? Et quis cognovit solutionem verbi?* Sapientia in ore Sapientis nitet, ejusque vultum Omnipotens eâ majestate & comitate ornat, qua ex cæteris & amorem & obsequium exigit. Ut insani vultus, gestus, verba vitium animi ipsius produnt (a), ejusque mentis habitudines ad ipsius os & lineamenta usque feruntur (b), *Os hominis mutat faciem illius sive in bona sive in mala*; ita virtus ac sapientia hominis turbis malisque cupiditatibus soluti in ipsâ hominis fronte pinguntur. Hebræus (c): *Sapientia hominis illustrat vultum ejus; & fortitudo oris illius duplicabitur*. Sapientia hominem efficit lenem & jucundum; & robur, constantiam, virtutemque, qua ornatur, auget. Aliter: *Sapientia illustrabit faciem sapientis, & severitas*, duritia, constantia *oris illius mutabitur*. Sapiens neque asper moribus est, neque ingratus: os præsefert lene, jucundum, quo cæteri alliciuntur. Testis hujus rei experientia est. Nihil magis cultum, jucundius nihil aut suavius, quàm homo virtute veràque sapientiâ ornatus. Qui sapientiæ naturam severam, censoriam, moribus & specie asperam pingunt, veram sapientiæ indolem ignorant. Septuaginta (d): *Sapientia hominis illustrat faciem ejus*, in ore ipsius nitet; *& impudens ore suo odio habebitur*. Hebræus ita reddi potest: *Sapientia in ore sapientis nitet*, eximiâ illum majestate, serenitate, comitate ornat: *sed impudens faciem mutat*, formam oris vertit, varias animi perturbationes ore præfert. Posterior hæc sententia aptissima videtur.

℣. 2. EGO OS REGIS OBSERVO, ET PRÆCEPTA JURA-

(o) *Confer Ephes.* IV, 23, 24: *Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitiâ, & sanctitate veritatis. Et Coloss.* III, 10; *& Sap.* II, 23, 34; *Eccli.* XVII, 5, 2; *Aug. de Civit. lib.* 14, *c.* 11: *Fecit Deus hominem rectum, & per hoc voluntatis bonæ: non enim rectus esset, bonam non habens voluntatem. Hieron. hîc: Bonos nos a Deo creatos: sed quia libera sumus arbitrii derelicti, vitio nostro ad pejora labi.* (p) *Ita fermè Cyrill. Jerosol. Catech.* 2; *Chald. hîc, Bossuet, & Gejer. Lud. de Dieu, Angl. Castal. Rab. Sal. alii.*

(q) והמה בקשו חשבונות רבים 70: Καὶ αὐτοὶ ἐζήτησαν λογισμοὺς πολλούς. *Sym.* Περιειργάσαντο πολυπραγμοσύνην, *Curiosè nimium multis negotiis impliciti sunt.* (r) Τίς οἶδε σοφούς, καὶ τίς οἶδε λύσιν ῥήματος; (a) *Prov.* VI, 12, 13. (b) *Eccli.* XIII, 31.

(c) חכמת אדם תאיר פניו ועז פניו ישנא

(d) Σοφία ἀνθρώπου φωτιεῖ πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ ἀναιδὴς προσώπῳ αὐτοῦ μισηθήσεται.

℣. 3. Ne festines recedere a facie ejus, neque permaneas in opere malo: quia omne, quod voluerit, faciet.
℣. 4. Et sermo illius potestate plenus est: nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis?
℣. 5. Qui custodit præceptum, non experietur quidquam mali. Tempus, & responsionem cor sapientis intelligit.
℣. 6. Omni negotio tempus est, & opportunitas: & multa hominis afflictio:

COMMENTARIUS.

JURAMENTI DEI. Ipsum se exhibet Salomon ut exemplar, vel de Sapiente veluti de se ipso agit. *Os Regis* sunt Regis præcepta. *Præcepta juramenti Dei* ea sunt, quæ Deus in monte Sinai ad Moysem tulit, ubi fœdus cum populo iniit, pollicitusque est, sese fore ipsorum Deum ac patronum, dum populus fidei non deesset. Habes hic duo potissima Sapientis officia, duobus unius sententiæ membris collecta: Deum vereri, illique obsequi; Regem colere, illique obtemperare. Idem ipsum repetit S. Petrus iis verbis (e): *Deum timete, Regem honorificate.*

Hebræus habet (f): *Ego dixi: Os Regis observa, & verba juramenti Dei.* Quæ Rex imperat, quæque tu voto promisisti, fide integrâ exequere. Vel: Regis jussa, fidemque illi a te jurejurando datam integerrimè serva. Fidem, quam Regi debes, ne unquam violaveris. Teste Scripturâ, non proceres modò, verùm etiam populus, seu populi & suo ipsorum nomine proceres fidem Regibus jurabant, cùm præsertim insolitum aliquid in ipsorum creatione contingeret, veluti cùm Regni jus ex unâ in alteram familiam migraret; atque ita gestum est, ubi post Saulis & Isbosethi necem David Regnum capessivit; vel cùm jus primorum natu in minores transferretur, veluti cùm Salomon, cæteris fratribus posthabitis, salutatus est; & Joas post Athaliæ necem est invectus in Regnum. Singulis hisce Regibus proceres fidem juravere (g). Sunt qui *Deum* hoc loco sub nomine Regis intelligant; atque huic opinioni, morali præsertim sensu, ea quæ sequuntur favent. Vide S. Hieronymum. Nos iis subscribimus, qui de humanâ potestate interpretantur.

℣. 3. NE FESTINES RECEDERE A FACIE EJUS, NEQUE PERMANEAS IN OPERE MALO. Constanter Regibus serviendum est. Beneficia & amicitia nonnisi perseverantiâ diuturnâque servitute acquiruntur. Utinam verò qui Deo serviunt, mundi amatores hac in re imitentur! Regum familiares Salomonico huic monito religiosè obtemperant: quæ verò ad spiritualem animæ utilitatem spectant, languido animi fervore homines persequuntur. *Ne permaneas in opere malo.* Siquando lapsus fueris, aut quicquam neglexeris, vel cuilibet officio defueris, statim errorem repara, ne animo cadas; aut quæ Regi displicent, quælibet illa sint, ne pervicaciùs defendas. Hebræus (h): *Ne turberis coram eo: abi, nec stes in re malâ*, neve in malo sermone perseveres. Si Rex irascatur, ne animum despondeas: discede, quin deterrearis: tempus locumque Regi permittito, ut ira cadat: præsertim verò ne temerè aut pervicaciter respondeas; is enim denique dominus est, & *omne quod voluerit, faciet.* Morali sensu hæc de homine in Deum peccante explicantur. Septuaginta cum superiori versiculo jungunt (i): ℣. 2: *Os Regis custodi, & de sermone juramenti Dei* (℣. 3.) *ne festines* loqui: *a facie illius discede, ne stes in verbo malo*, vel in re malâ.

℣. 4. SERMO ILLIUS POTESTATE PLENUS EST. Regis verba similia Dei verbis sunt, inquit alibi Salomon (k): *Divinatio in labiis Regis.* Minæ & *indignatio Regis nuntii mortis; & in hilaritate vultûs Regis, vita* (l). Orientalium Reges absolutissimâ in subditorum vitam potestate quolibet tempore usi sunt. Unica ipsorum voluntas, ipsæque preces pro Lege ac præcepto sunt (m). Apud Persarum Reges, subditorum quilibet nihilo melioris conditionis habebatur, quàm servos (n).

℣. 5. QUI CUSTODIT PRÆCEPTUM Regis, NON EXPERIETUR QUIDQUAM MALI; severitati & iræ Principis obnoxius non erit.

TEMPUS ET RESPONSIONEM COR SAPIENTIS INTELLIGIT. Si minimè vulgari sapientiâ opus est, ut inferiorum aut æqualium vitia utili admonitione arguantur, quanto majori indigebis, ut Principem arguas, illique verum aliquid, sed austerum molestumque suadeas? Ita sapiens cautusque esse debes, uti erga Davidem Nathan (o), cùm illum arguit: aut eâ constantiâ sis oportet, quâ Elias Achabum alloquens (p); vel tantâ sanctitatis famâ & animi virtute instruaris, quantâ S. Ambrosius, cùm Theodosium Ecclesiæ accedentem exclusit. Hebræus (q): *Et tempus & judicium novit cor Sapientis*, tempus scilicet modumque alloquendi Principem. Opportuno tempore uti, ac Principis ingenium ac naturam tractare novit: quibuslibet enim in rebus illud primum est, ut opportunum tempus capias (r). Septuaginta (s): *Tempus judicii cognoscit cor Sapientis*, tempus scilicet severitatis. Tempus furoris vitat, ac misericordiæ & clementiæ tempore utitur.

℣. 6. OMNI NEGOTIO TEMPUS EST, ET OPPORTUNITAS; ET MULTA HOMINIS AFFLICTIO; idque hominem magnoperè cruciat; vel: Plurimis animi angustiis ac laboribus homo obsidetur. Hebræus (t) legit: *Omni voluntati*, rei, negotio, quæ liberè fiunt, suum *tempus est, & judicium*, seu modus. Vide superiorem versiculum. *Et malum hominis mul-*

(e) 1 *Petri* II, 17. *Vide & Prov.* XXIV, 21: *Time Dominum, fili mi, & Regem.*
(f) אני פי מלך שמר ועל דברת שבועה אלהים (g) Vide 2 *Reg.* V, 3, de Davide; 4 *Reg.* XI, 17, de Joas; & 1 *Par.* XXIX, 24, de Salomone.
(h) אל תבהל מפניו תלך אל תעמד בדבר רע
(i) ℣. 2: Στόμα βασιλέως φύλαξον, καὶ περὶ λόγου ὅρκου Θεοῦ (3.) Μὴ σπεύσῃς, ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ πορεύσῃ, μὴ στῇς ἐν λόγῳ πονηρῷ. (k) *Prov.* XVI, 10. (l) *Prov.* XVI, 14.
(m) *Plato ep.* 7. Τὰς τῶν τυράννων δεήσεις ἴσμεν ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις εἰσί.
(n) *Vide Brisson. de regno Persar. lib.* 1, *p.* 30, *& sequ.*
(o) 2 *Reg.* XII, 1, 2, *& sequ.* (p) 3 *Reg.* XVIII, 17, 18. (q) ועת ומשפט ידע לב חכם
(r) *Terent. Tempore adveni, quod est rerum omnium primum.* (s) Καὶ καιρὸν κρίσεως γινώσκει καρδία σοφοῦ. (t) כי לכל חפץ יש עת ומשפט כי רעת האדם רבה עליו

℣. 7. Quia ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuntio.
℣. 8. Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum, nec habet poteſtatem in die mortis: nec ſinitur quieſcere ingruente bello, neque ſalvabit impietas impium.
℣. 9. Omnia hæc conſideravi, & dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt ſub ſole. Interdum dominatur homo homini in malum ſuum.
℣. 10. Vidi impios ſepultos, qui etiam cùm adhuc viverent, in loco ſancto erant, & laudabantur in civitate quaſi juſtorum operum: ſed & hoc vanitas eſt.
℣. 11. Etenim quia non profertur citò contra malos ſententia, absque timore ullo filii hominum perpetrant mala.

COMMENTARIUS.

multum eſt ſuper eum. Ad primum orationis ſuæ propoſitum redit Salomon, omnia ſcilicet animi cruciatum eſſe ac vanitatem. Eò ſubinde lectorem revocat, poſtquàm varia propoſuit hominis officia, varioſque labores, quibus obnoxius eſt, moraleſve ſententias, quibus hominis ſubjectio, vitia, officia demonſtrantur. Nonne ſatis ingens eſt animos dejiciendi cauſa, ipſa noſtræ conditionis ſubjectio, qua non modò Principibus magniſque viris, verùm etiam temporibus rebuſque obſequi cogimur? cùm plerumque rerum vel graviſſimarum exitus a temporum rerumque adjunctis potius, quàm ex ipſius negotii dignitate pendeat. Septuaginta (u): *Unicuique rei tempus eſt & judicium, quoniam cognitio hominis multa eſt in ipſo.* Duarum literarum ſimilitudo *cognitionem* vertere coëgit, pro *afflictione*, quam Hebræus fert.

℣. 7. QUIA IGNORAT PRÆTERITA, ET FUTURA NULLO SCIRE POTEST NUNTIO. Hoc hominem cruciat. Hebræus (x): *Quoniam nemo ſcit, quid futurum ſit: quoniam quis indicabit ei quod futurum eſt?* Ita & Septuaginta (y), qui *præterita* omittunt.

℣. 8. NON EST IN HOMINIS POTESTATE PROHIBERE SPIRITUM; NEC HABET POTESTATEM IN DIE MORTIS. Animam coërcere, quin diſcedat, aut de mortis ſuæ tempore decernere non poteſt. Quis hominum hoc neſciat? Nemo ſe tamdiu victurum ſperat, quamdiù libuerit: at unius Sapientis eſt, ex hoc principio ea ſolùm colligere, quæ ſponte juſtèque naſcuntur. Aliæ ex Hebræo elici poſſunt ſententiæ (z): *Non eſt homo imperans vento (a) ad cohibendum* illum; vel, nemo arcere interitum ſuum poteſt (b), ſive, nemo cohibere iram Regis poteſt, aut mortem vitare: *& nemini poteſtas eſt in diem mortis ſuæ, nullaque miſſio in hac pugnâ, & non evadet impius pœnam impietatis ſuæ.* Quod reddidimus, *Nulla miſſio in hac pugnâ*, verti etiam poteſt: *Ubi quis nomen militiæ dederit, nulla miſſio expectanda eſt*: usque ad belli finem perſeverandum eſt. Apud Hebræos, confecto bello milites dimittebantur: bella verò brevi dierum curriculo abſolvebantur; iiſque abſolutis, unuſquiſque domum & ad res ſuas revertebatur. Impius ſcelerum ſuorum pœnam vitare non poteſt, uti homo vitam tueri, ac mortis ſuæ diem definire nequit. Ut nullus eſt apud ſæviſſimum hunc hoſtem veniæ locus, ita nullam a Deo veniam expectare impius debet.

℣. 9. INTERDUM DOMINATUR HOMO HOMINI IN MALUM SUUM. Eſt qui in magiſtratu infelix vivit, felix & quietus in privatæ vitæ conditione futurus. Privatum quiſque amaturus fuiſſet, quem Regem omnes odere. Alteri Magiſtratus, ampliſſimam mentis capacitatem virtutemque poſtulans, male geſtus contemptum parit, cui minor dignitas, illius viribus par, gloriam fuiſſet allatura. Quàm ingens circa Regem invidorum, ſeditioſorum & adulatorum turba! Quàm pauci Principes a ſubditis amantur æſtimanturque! Verè felix eſſe nemo Principum poteſt, niſi ipſe felicitas ſubditorum ſit.

℣. 10. VIDI IMPIOS SEPULTOS, QUI ETIAM DUM ADHUC VIVERENT, IN LOCO SANCTO ERANT. Impios vidi, qui, dum viverent, falsâ pietatis specie cæteros deceperunt. Templum frequentabant, veluti hominum ſanctiſſimi: apud cives ſummis laudibus celebrabantur. Poſtquam obierunt, ſepulcri honore fruuntur, ac ſuperſtes vivit illorum fama, quaſi vitæ ſanctitate excelluerint. Aliter: Impios novi, qui, dum viverent, tantâ arte vulgi animos decepere, ut viventes adhuc ſanctorum hominum loco haberentur: *Dum adhuc viverent, in loco ſancta erant.* Hebræus (c): *Verè vidi impios ſepultos. Et venerunt, & de loco ſancto diſceſſerunt. Oblivioni traditi fuerunt in urbe, in qua ſic fecerunt*, vel, *in qua rectum fecerunt.* Probare nititur Salomon, impios interdum cum piis miſceri, ipsâque in morte ex exteriori habitu ac ſpecie non dignoſci. Homines procul dubio impii, Templum, non ſecùs ac reliquum vulgus, frequentantes, qui cùm obeunt, pii habentur in eâ ipsâ urbe, quæ ſcelera ipſorum vidit, ac datâ operâ oblivisci criminum videtur, ne horum memoria langueat. Id porrò quanta inanitas eſt? *Sed & hoc vanitas eſt.* Redit ad propoſitum Salomon.

℣. 11. QUIA NON PROFERTUR CITO CONTRA MALOS SENTENTIA, ABSQUE TIMORE ULLO FILII HOMINUM PERPETRANT MALA. Profectò Dei clementia & miſericordia, innoxia eſt malorum cauſa, ſive occaſio, cur homines in exitium ruant. Plerique in

---

(u) Ὅτι παντὶ πράγματι ἐστὶ καιρὸς, καὶ κρίσις, ὅτι γνῶσις τοῦ ἀνθρώπου πολλὴ ἐπ' αὐτόν. Legunt דעת, *Daath*, pro *Raath*, רעה. *Sym.* Ἡ γὰρ κάκωσις τοῦ ἀνθρώπου πολλὴ κατ' αὐτοῦ. Teodotio ut LXX: *Scientia hominis multa ſuper eum. Hieron. hic.*
(x) כי איננו ידע מה שיהיה כי כאשר יהיה מי יגיד לו (y) Ὅτι οὐκ ἔστι γινώσκων τί τὸ ἐσόμενον, ὅτι καθὼς ἔσται τίς ἀναγγελεῖ αὐτῷ; *Sym.* Τίς γὰρ τὸ ἐσόμενον ἀναγγελεῖ αὐτῷ.
(z) אין אדם שלט ברוח לכלא את הרוח ואין שלטון ביום המות ואין משלחת במלחמה ולא ימלט רשע את בעליו (a) *Ita Olympiodor. Cajet.* (b) *Hieron. Non eſt in poteſtate animæ noſtræ ne auferatur a nobis, & egredientem ad imperium Domini ſpiritum cohibere. Nihil prodeſt arte concludere, & vitam retinere fugientem.*
(c) ובכן ראיתי רשעים קברים ובאו וממקום קדש יהלכו וישתכחו בעיר אשר כן עשו

℣. 12. Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognovi, quòd erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus.

℣. 13. Non sit bonum impio, nec prolongentur dies ejus, sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Domini.

℣. 14. Est & alia vanitas, quæ fit super terram. Sunt justi, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum: & sunt impii, qui ita securi sunt, quasi justorum facta habeant: sed & hoc vanissimum judico.

℣. 15. Laudavi igitur lætitiam, quòd non esset homini bonum sub sole, nisi quòd comederet, & biberet, atque gauderet: & hoc solum secum auferret de labore suo, in diebus vitæ suæ, quos dedit ei Deus sub sole.

COMMENTARIUS.

in scelere perseverant, quòd impios prosperis rebus florentes videant, &, quamquam contumaciæ in Deum nunquam intermissæ reos, nihilo infeliciores, quàm eos, qui gestorum suorum legem sibi statuant Dei metum, Divinarumque Legum obsequium. Hæc Dei lenitas impiorum incredulorumque nequitiam atque obstinationem confirmat, ipsosque eò ducit, ut Providentiam esse negent, ipsamque Religionem merum esse hominum inventum asserant. Eò usque humanæ mentis perversitas fertur. Adeò profunda sunt judicia tua, o Deus. Pateris scilicet, ut is, qui spontè in exitium ruit, in animi sui nequitiâ, atque in ipsâ consiliorum tuorum serie causas inveniat, cur in scelere perseveret. At ultionis dies furis instar veniet noctu, cùm impius minimè expectaverit (d): *Adveniet dies Domini ut fur*. In messe, lolium e radicibus evulsum, atque in manipulos collectum, igni tradetur (e). Ubi vindemia accesserit, cæsos e vite racemos prælo iræ subjiciet (f). Cumulum iniquitatis explebit impius; atque ubi scelerum ipsius clamor cœlum ferierit, ipse Deus descensurus est, ut judicium severissimum exerceat. *Ne dixeris: Peccavi, & quid mihi accedit triste? Altissimus enim est patiens redditor. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum* (g). *Nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur* (h). *Pœnitentia remedium peccati sit, non peccandi incentivum* (i).

℣. 12. Attamen peccator ex eo quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur, ego cognovi quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem ejus. Si tantâ est lenitate Deus erga impios, iteratæ iniquitatis reos, tantâque misericordiâ ipsorum pœnitentiam expectat (k), ut post tam multa crimina resipiscendi locum tempusque largitur, quid fidelium servorum gratiâ non faciet? Aliter: Si impios denique supplicio, quod merentur, affici patitur, est igitur providentia: Si impunes impios Deus non prætermittit, multo igitur magis Justos misericordiæ suæ beneficiis cumulabit. Septuaginta (l), aliique Græci Interpretes aliter quàm nos Hebræum legebant. Septuaginta: *Qui peccavit, fecit malum ex tunc, & ex longo tempore*. Ex ipso matris sinu peccavere, neque ab ipso ortu peccare desierunt (m). *Quoniam cognosco ego, quòd bonum est timentibus Deum, ut vereantur a facie ejus*. Symmachus: *Peccans enim maleficus, mortuus est longâ ætate concessâ ei. Sed ego cognovi, quòd erit bonum timentibus Deum*.

℣. 13. Non sit bonum impio. Usurpari hæc verba possunt, veluti mala sint in impios imprecatio. Vel junge cum superiori versiculo: Cognovi, felices fore illos qui Deum verentur, nullâque impios felicitate gavisuros. Vel denique ex Hebræo: Nulla impio voluptas erit, diuturnâque vitâ is minimè fruetur. Hoc Salomoni suadent sapientia & fides, quamvis impii absolutissimâ felicitatis specie stipati sint. Dum esse Deum credis, dubitare non potes, quin impii supplicio, Justi præmio afficiantur; & certissimo huic dogmati, quod verum non esse nequit, dum Omnipotentem æquissimumque Deum esse fatearis, refragari non poteris, nisi omnem religionem abjicias.

Non prolongentur dies ejus, sed quasi umbra transeant. Hebræus (n): *Non prorogabit illi dies sicut umbra*. Septuaginta (o): *Non producet dies in umbrâ*: diù pacificus, & prosperis in rebus non vivet.

℣. 14. Sunt justi, quibus mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum. Hæc sollicitudinis causa quolibet tempore Justis fuit, quòd impios in rebus prosperis, Justos in adversis cernerent. Hinc impiis occasio orta est, ut Deum esse negarent, aliis ut Providentiam. Fuere qui mali principium, alterum a boni principio, comminiscerentur; & qui fatum, certum, necessarium, cæcum, a quo temerè omnia regerentur. Placuit quibusdam metempsychosin, & quædam alterius vitæ peccata somniare. Unica potest hominum dubitationes, ac sollicitudines auferre vera religio, atque in Deum fides. Fatetur David, sesé hujus rei aspectu esse turbatum (p). Arcanos hujus mysterii fines assequi nequeunt Jobi amici. Hac de re queritur cum Domino Jeremias, utpote quæ lapsûs occasio infirmis sit (q). Salomon ipse postquàm id vanitatem esse, & doloris argumentum hominibus sub sole viventibus dixit, deni-

(d) 2 *Petri*, III, 10. (e) *Matth.* XIII, 30. (f) *Apocal.* XIV, 19, 20. (g) *Eccli.* V, 4, 5.
(h) *Tertull. de Pœnit. c.* 7. (i) *Ambros. lib.* 2 *de Pœnit. c.* 9. (k) *Hieron. hic*: *Non statim scelus ulciscitur Deus, sed differt pœnam, dum expectat pœnitentiam*. (l) Ὃς ἥμαρτεν ἐποίησε τὸ πονηρὸν ἀπὸ τότε, καὶ ἀπὸ μακρότητος αὐτῶν. Ὅτι καί γε γινώσκω ἐγὼ, ὅτι ἔστιν ἀγαθὸν τοῖς φοβουμένοις τὸν Θεὸν, ὅπως φοβῶνται ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ. Legunt מעת ex tunc, pro מאת centum. Cæteri legunt מת, mortuus est. Vide Hieronymum in hunc locum. (m) *Hieron. hic*.
(n) לא יאריך ימים כצל (o) Οὐ μακρυνεῖ ἡμέρας ἐν σκιᾷ. Legunt בצל pro כצל
(p) *Psal.* LXXII, 3. (q) *Jerem.* XII, 1: *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui prævaricantur?*

℣. 16. Et appoſui cor meum, ut ſcirem ſapientiam, & intelligerem diſtentionem, quæ verſatur in terrâ. Eſt homo, qui diebus, & noctibus ſomnum non capit oculis.

℣. 17. Et intellexi, quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt ſub ſole: & quantò plus laboraverit ad quærendum, tanto minùs inveniat. Etiam ſi dixerit ſapiens ſe noſſe, non poterit reperire.

COMMENTARIUS.

deoique ex impiorum (r), vel ex ſuâ ipſius, vitiis & cupiditatibus adhuc impliciti, ſententiâ concludit, unicam hominis curam eſſe debere, ut vitam hilarem, quietam, ventri ac voluptatibus deditam, agat (s). At illud potiùs colligendum erat, hujus vitæ bona & mala, fugitiva ſcilicet ac peritura, leviſſimas res ex ſe ipſis eſſe, cùm Deus nullo fermè diſcrimine bonis malisque illa diſtribuat; nobisque aut utilia aut pernicioſa bono malove illorum uſu fieri; Divinam denique providentiam communibus obſequiis eſſe digniſſimam, quavis ille erga nos Providentiæ lege utatur; procul dubio enim ſua merces Juſtis & Impiis aut in hac vitâ aut in alterâ pro meritis rependetur. Quod hîc Salomon ex his verbis colligit (t), hoc in optimam partem uſurpari poteſt, quietem ſcilicet ac tranquillitatem in hac vitâ quærendam eſſe, omiſsâ Divinorum Conſiliorum inveſtigatione, abjectisque ſuperfluis & inanibus curis, quibus ad inveſtigandas Divinæ Providentiæ leges in hominum regimine impellimur: vel hæc Salomonis verba ita interpretare, veluti ſententia impiorum ſint, qui de humanis rebus illud judicium ferunt, quod malæ uniuscujusque cupiditates jubent, cùm nihil humanis rebus ſuperius, aut magis rationi conſonum cogitare ſciant.

℣. 16. Ut intelligerem distentionem (u), quæ versatur in terra, violentam animi intentionem, qua homines occupantur. Ut noſcerem, quid ſit, quod homines intentos occupatosque in hac vitâ detinet; quod humanarum ſollicitudinum ſtudiorumque argumentum ſit; homini ſimilis, qui pedem in viâ figit, ut contempletur, quid illud ſit, in quod oculos conjiciunt, qui hâc iter habent. Hebræus (x): *Ad videndum laborem qui fit ſuper terram.* Noſſe volui, quid ſit, quod tanto labore tantâque ſollicitudine homines afficit. Grotius de ſtudiis politicis interpretatur. Vide ſuperiùs, i, 13; ii, 26.

℣. 17. Intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem. Univerſales eorum, quæ facit Deus, rationes afferre poſſumus; at minimè ſingularum rerum ac eventuum. Illud omnino ſcimus, Deum ſui ipſius causâ omnia egiſſe (y); quicquid ipſe facit, aut quicquid in rerum naturâ contingit, faluti Electorum ſervire (z); mala, quibus hominem cruciari permittit, plerumque neque ipſius, neque paternorum criminum pœnam eſſe, ſed experimenta, utì in Jobo & Tobiâ uſuvênit (α); vel a Deo permitti, ut ipſius gloria luculentior fiat (β). Denique ſcimus, omnia Dei conſilia veritatem eſſe & miſericordiam (γ); judicia, æquitatem & judicium (δ). At de cæteris (ε) illud ſolummodo ſupereſt, ut clamemus (ζ): *O altitudo divitiarum Sapientiæ & ſcientiæ Dei! Quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!*

CAPUT IX.

Nemo ſcit, odio ne an amore ſit dignus. Par bonorum malorumque conditio in hac vitâ. Dum licet, bene age. Sapientia in paupere neglecta.

℣. 1. Omnia hæc tractavi in corde meo, ut curioſè intelligerem. Sunt juſti, atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen neſcit homo, utrùm amore, an odio dignus ſit:

COMMENTARIUS.

℣. 1. Omnia hæc tractavi in corde meo... Sunt justi atque sapientes, et opera eorum in manu Dei. Argumentum ſuperiori capite inceptum hìc proſequitur Sapiens, cur ſcilicet æqua ſit bonorum malorumque conditio, dum inter homines ſunt; adeò ut ſi exteriorem Dei providentiam erga illos ſpectes, varia eſſe utrorumque conditio dici nequeat, nullaque haberi meritorum operumque ratio videatur. His verbis, *In manu Dei ſunt*, fatum ſignificari putat Grotius, atque hoc a Sapiente probari, juſtitiam & ſapientiam in fatis eſſe, & a fortis arbitrio pendere. Suffragatur huic opinioni Chaldæus, cùm doceat, omnia æternis decretis conſtituta eſſe; ipſum etiam amorem & odium, quo Juſti habentur. At S. Hieronymus (a), pleriſque Interpretum aſſentientibus,

(r) *Thaumat. Hugo, Titelm. Cajet. Lyr. Boſſuet.* (s) *Eccli.* viii, 15. (t) Vide *Eccle.* ii, 24; iii, 12, 13. (u) Quidam legunt *Diſſentionem*, utì Editio Complutenſis. Alii, *diſtractionem*, veluti Gloſſa Interlinearis, *Lyr. Hugo.* (x) לראות את הענין אשר נעשה על הארץ 70: Τὸ ἰδεῖν τὸν περισπασμὸν τὸν πεποιημένον ἐπὶ τῆς γῆς. (y) *Prov.* xvi, 4. (z) *Rom.* viii, 28. (α) *Tob.* xii, 13. (β) *Joan.* ix, 3. (γ) *Pſal.* lxxxviii, 15. (δ) *Pſal.* cxviii, 75. (ε) *Vide Hieron. hîc.* (ζ) *Rom.* xi, 33.

(a) *Hieron. hîc: Inveni, juſtorum quidem opera in manu Dei eſſe, & tamen utrùm amentur a Deo an non, nunc eos ſcire non poſſe, & inter ambiguum fluctuare, utrùm ad probationem ſuſtineant, quæ ſuſtinent, an ad ſupplicium.*

℣. 2. Sed omnia in futurum servantur incerta, eo quòd universa æquè eveniant justo, & impio: bono, & malo: mundo, & immundo: immolanti victimas, & sacrificia contemnenti: sicut bonus, sic & peccator: ut perjurus, ita & ille qui verum dejerat.

℣. 3. Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt: unde & corda filiorum hominum implentur malitiâ, & contemptu in vitâ suâ, & post hæc ad inferos deducentur.

℣. 4. Nemo est, qui semper vivat, & qui hujus rei habeat fiduciam: melior est canis vivus leone mortuo.

COMMENTARIUS.

tibus, de studio interpretantur, quo Sapiens scrutatus est, quos amore vel odin prosequatur Deus. Facilè iotellexit Sapiens, bona Justorum opera in Dei manu esse; at certò scire non potuit, ipsique Justi ignorant, utrùm amore an odio digni sint; & mala, quibus in hac vitâ affliguntur, præteritorum criminum pœna sint, an virtutis experimentum.

Hebræus ad verbum (b): *Quoniam omnia hæc posui in corde meo, & ut declararem*, vel ut intelligerem *omnia hæc. Quòd* sunt *justi & sapientes, & servi eorum*, discipuli (c), opera, *in manu Domini*, in Dei decretis sunt. Ita erga illos agit, uti videtur. *Etiam amorem, etiam odium ignorat homo. Omnia ante ipsos* sunt. Iis providentiæ legibus in hac vitâ erga Justos & Sapientes utitur, ut vel ipsi incerti sint, utrùm ex amore an ex odio ita erga ipsos agat. Exterior Dei providentia sive erigat sive deprimat, seu bonam seu malam corporis valetudinem, prosperas sive adversas rerum vices permittat, incerta sunt omnia & disputationi obnoxia; ac nemo hominum est, qui Deum sibi amicum vel inimicum esse noverit. Septuaginta (d): *Quoniam universa hæc posui in corde meo, & cor meum universa hæc novit. Quoniam justi & sapientes & opera ipsorum in manu Dei* sont. *Et amorem & odium nemo hominum novit*. Eadem fermè fuit profanorum de homine sententia (e): *Modicum est hominum robur, vana quoque cura. Brevi ipsius vitæ curriculo labor prope laborem est: inevitabilis autem imminet mors: ipsius enim æqualem sortiti sunt partem boni, & quivis malus*.

℣. 2. Omnia in futurum servantur incerta; eo quod universa æque eveniant justo et impio. Veteres Philosophi discrimen agnoscebant inter ea, quæ verè bona sunt & verè mala, & ea quæ talia videntur, ac media inter bonum malumque sunt (f). Ex his sunt mala & bona corporis valetudo, paupertas, opes, res prosperæ & adversæ, quæ bona vel mala sunt, utì quis bene vel male iis utitur. Hæc justo & impio, sapienti atque insipienti æquè contingunt. Neque ab his abhorret Religio, quippe quæ unicum verè malum esse peccatum, unamque verè bonam virtutem & justitiam putat. Morbo, inopiâ, infortuniis affici potest justus, itemque impius. Ægrè autem exteriùs agnosces, uter meliùs hæc mala pertulerit; alter virtute, alter superbiâ & ambitione. Hæc omnia nos latent, *in futurum servantur incerta*. Unus rei veritatem videt Deus. At morte velum reducente, ipsamque veritatem aperiente, luculentissimè patebit, utrùm amoris an odii causâ illos Deus punierit, impunesve reliquerit, erexerit, aut depresserit; utrùm justus superior impio fuerit, an impius justo: eo enim tempore unusquisque par meritis præmium referet.

℣. 3. Hoc est pessimum inter omnia quæ sub sole sunt. . . . Unde et corda filiorum hominum implentur malitia. Hæc providentiæ æqualitas, qua Deus erga bonos & impios utitur, laqueorum, qui sub sole occurrunt, perniciosissimus est; non quòd Dei providentia aliquâ ex parte aut perfectione careat, aut æquitate, sed quòd eâ homines abutantur, dum pessimas ex eâ consequutiones colligunt, atque alii providentiam esse negant, alii pessimas animi ac voluntatis cupiditates effusis habenis sectantur. Vide quæ diximus in ℣. 14 Capitis superioris.

Implentur malitia et contemptu; et post hæc ad inferos deducentur. Hebræus (g): *Filii hominum pleni malo & insaniâ in corde suo, in vitâ ipsorum; & post hoc ad mortuos proficiscentur*. Optimi plures Interpretes hunc locum explicant, veluti impiorum prosopopœiam, quorum sententias hìc proponit. Hi cùm eamdem providentiæ legem erga bonos malosque servari videant, firmiores in scelere fiunt, atque ad obitum usque perseverant.

℣. 4. Nemo est qui semper vivat, et qui hujus rei habeat fiduciam. Sub ipsum mortis articulum, quilibet ea sibi tribuit, quæ sibi debentur. Illi ipsi, qui Dei appellationem honoremque inter homines voluere, non adeò insaniebant, ut sese immortales esse censerent. Pauci tamen sunt, qui ea quæ decet, ex hoc principio colligant. Hinc discunt Justi, quàm parvi habenda sit vita, quæ fragilis adeò est, ac citissimè labitur: brevissimum hoc temporis spatium, quo donamur, pretiosissimæ rei loco habendum esse, qua ad æternæ felicitatis acquisitionem uti debemus: denique ita vivendum hìc esse, veluti advenæ simus, & peregrini, semperque cogitandum, nos ad eam proficisci, quæ verè patria nobis est (h). At impii & stulti, quorum insaniam hìc describit Salomon, ex adverso colligunt, laborandum esse, ut hâc vitâ, quæ adeò brevis est, sollicitè fruamur; jucundè suaviterque vivendum, omnique studio vitam

(b) כי את כל זה נתתי אל לבי ולבור את כל זה אשר הצדיקים והחכמים ועבדיהם ביד האלהים גם אהבה גם שנאה אין ידע האדם הכל לפניהם

(c) *Chald. Rab. Sal.* (d) Ὅτι σύμπαν τοῦτο ἔδωκα εἰς καρδίαν μου, καὶ καρδία μου σύμπαν ἴδε τοῦτο, ὅτι οἱ δίκαιοι, καὶ οἱ σοφοὶ, καὶ αἱ ἐργασίαι αὐτῶν ἐν χειρὶ τοῦ Θεοῦ. Καί γε ἀγάπην, καί γε μῖσος οὐκ ἔστιν εἰδὼς ὁ ἄνθρωπος. (e) *Simonid. apud Plutarch. consolat. ad Apollon.* Ἀνθρώπων ὀλίγον μὲν κάρτος, ἄπρακτοι δὲ μεληδόνες, αἰῶνι δὲ παύρῳ πόνος ἀμφὶ πόνῳ, ὁ δὲ ἄφυκτος ὅμως ἐπικρέμαται θάνατος, κείνου γὰρ ἴσον λάχον μέρος οἱ ἀγαθοὶ ὅστις κακός.

(f) *Vide Hieron. hic.* (g) בני האדם מלא רע והללות בלבבם בחייהם ואחריו אל המתים

(h) *Heb.* 11, 13; *Ephes.* 11, 19.

℣. 5. Viventes enim ſciunt ſe eſſe morituros, mortui verò nihil noverunt ampliùs, nec habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita eſt memoria eorum.

℣. 6. Amor quoque, & odium, & invidiæ ſimul perierunt, nec habent partem in hoc ſæculo, & in opere, quod ſub ſole geritur.

℣. 7. Vade ergo, & comede in lætitiâ panem tuum; & bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua.

℣. 8 Omni tempore ſint veſtimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.

COMMENTARIUS.

vitam eſſe ſervandam, quippe poſt mortem merum nihil eſſe hominem, *& meliorem eſſe canem vivum leone mortuo*. Ita impii differunt, ſeſe his verbis hortantes *(i)*: *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur;* & ii quorum meminere profani, qui inter libidines, & convivia aridum mortui hominis ſceleton arte factum producebant, ut ſeſe ad voluptates hortarentur, antequam ad mortuorum conditionem pervenirent *(k)*.

Hic locus apud Hebræum difficilis eſt, quippe nimis conciſus *(l)*: *Quoniam, quis eligetur? Omni enim viventi eſt ſpes*. Ad Vulgatæ ſenſum trahi hoc modo poteſt: Quis eligetur, quis immunis erit a communi mortis neceſſitate? Dum vivit homo, ſpes aliqua eſt: eo mortuo, omnia perierunt. Melior eſt canis vivus leone mortuo. Viliſſimum animal, modò vivat, multo pluris æſtimatur, quàm maximum & fortiſſimum, quod vitâ caret. Hoc ſenſu uſurpavit Symmachus *(m)*: *Quis enim poteſt in ſempiternum perſeverare vivens?* Monent Maſſoretæ, legendum eſſe in Hebræo *(n)*: *Quis aſſociabitur?* pro, *Quis eligetur?* Recentiorum Interpretum plerique Maſſoretas ſequuntur: *Quis eſt qui aſſociabitur ad omnes vivos? huic eſt fiducia*. Dum inter vivos homo eſt, quidvis ſperare poteſt: ubi mortuus fuerit, ſpes deſiit. Chaldæus: *Quis eſt vir, qui aſſociabitur omnibus verbis Legis? ad acquirendam vitam ſæculi venturi eſt illi ſpes*. Septuaginta *(o)*: *Quis eſt qui communicet in omnes viventes? Eſt ſpes: quoniam canis vivens ipſe melior eſt leone mortuo*.

Alio in loco Salomon, enumeratis hujus vitæ malis, denium clauſit *(p)*: *Laudavi magis mortuos quàm viventes; & feliciorem utroque judicavi, qui needum natus eſt*. Hîc verò planè contrarium colligit. Eadem ipſa veritas, ſi eam duplici ex parte conſideres, diverſas prorſus concluſiones parit. Sapientes juſtoſque viros, brevitate hujus vitæ expensâ, ſeſe ad virtutem hortari vidimus, dum impii eâdem ratione ducti ſeſe ad libidines voluptatemque convertunt. Quamobrem vitæ præſentis mala vitæ ipſius faſtidium parere in Sapientibus poſſunt, ac deſiderium, ut quantociùs per mortem ipſi vitâ ſolvantur; eademque movere impios queunt, ut voluptate fruendum eſſe dicant, quamdiu licet, quippe qui ſpes ſuas ultra vitæ hujus fines non prorogent. Ita pro variâ uniuſcujuſque habitudine, variiſque cupiditatibus, varia homines ſentiunt.

℣. 7. VADE ERGO ET COMEDE... QUIA DEO PLACENT OPERA TUA. Diſſidium ſententiarum eſt de hoc etiam loco, uti de ſuperioribus, cùm alii verba impiorum eſſe cenſeant, quorum dogmata hîc a Salomone recitari ajunt *(q)*; alii de Salomone ipſo interpretentur *(r)*. Si primos ſequeris, explices neceſſe eſt peſſimo eo ſenſu, qui legenti ſtatim objicitur. Cùm brevis adeò ſit vita, nihilque poſt mortem nobis ſuperſit, nullaque noſtri memoria ſervetur, uti nos omnium obliviſcemur, indulgendum eſt voluptati, conviviis, datiſque a Deo bonis, dum vivimus. Si alteris Interpretibus ſubſcribas: Cùm breve adeò ſit vitæ curriculum, noſque Dei conſilia prorſus lateant, omni poſitâ ſollicitudine, fortunis ſuaviſſimè utamur, fruamurque bonæ conſcientiæ tranquillitate, noſque Deo cariores vitæ ſanctitate reddamus: *Quia Deo placent opera tua*. Hebræus ad verbum *(s)*: *Quia accepta habet*, probavit, *Deus opera tua*.

℣. 8. OMNI TEMPORE SINT VESTIMENTA TUA CANDIDA. Duplici plerumque utebantur veſte Judæi, alterâ interiori, ſcilicet tunicâ, quæ fermè linea erat; alterâ exteriori, ſeu pallio, ut plurimum ex lanâ. Frequenter lavari ſolebat tunica; atque albus color feſtus lætuſque habebatur, uti ater funebris ac nefaſtus. Cùm populus ad ſacram aliquam Religionis celebritatem pararetur, corpus veſteſque proluebat; eademque purgatio iterabatur, cùm quis legali aliquâ ſorde pollutus fuiſſet. Ingens Hebræis erat munditiei cura, quique inter ipſos honeſtiſſimi erant, nitidis lotiſque veſtibus nunquam non utebantur. Mulieris fortis vir in Cœtibus veſtium nitore ac magnificentiâ conſpicuus erat *(t)*; & apud Homerum *(u)* Phæacum Rex, ejuſque liberi veſtibus nitidis lotiſque ſemper ornantur. Proceres ac Magnos viros Hebræi *albos*, ſeu veſtibus albis indutos *(x)* nominant.

OLEUM DE CAPITE TUO NON DEFICIAT. Hoc inter veterum delicias erat, ut caput ungerent, cujus rei monumenta apud Scripturam *(y)* & Profanos plura ſuperſunt. Arguere Phariſæum videtur Chriſtus veluti inurbanum, quòd ſibi caput non unxiſſet, cùm aliena mulier unguento ſibi pedes

---

(i) *Isai.* XXII, 13. (k) *Petron. Trimalc.* (l) כי מי אשר יבחר אל כל החיים יש בטחון
(m) Τίς γὰρ ὃς ἀεὶ διατελέσει ζῶν; (n) כי מי יחבר (o) Ὅτι τίς ἐστιν ὃς κοινωνεῖ πρὸς πάντας τοὺς ζῶντας; ἔστιν ἐλπίς, ὅτι ὁ κύων ὁ ζῶν αὐτὸς ἀγαθὸς ὑπὲρ τὸν λέοντα νεκρόν. (p) *Eccle.* IV, 2, 3. Vide & *Eccle.* VI, 3, 4. (q) *Thaumaturg. Lyr. Cajet. Boſſuet. Rab. Kimchi, & Abenezra. Vide & Hieron. hîc, in 1 expoſit.* (r) *Hieron. 2 explic. Alcuin. Bonav. Hugo, a lapide, Mercer. alii.*
(s) כי כבר רצה האלהים את מעשיך
(t) *Proverb.* XXXI, 23. (u) *Homer. Odyſſ.* VI:
Καὶ δέ σοι αὐτῷ ἔοικε μετὰ πρώτοισιν ἐόντα
Βουλὰς βουλεύειν καθαρὰ χροῒ εἵματ' ἔχοντα·
Οἳ δ' (υἱοὶ) αἰεὶ ἐθέλουσι νεόπλυτα εἵματ' ἔχοντες
Ἐς χορὸν ἔρχεσθαι....
(x) הירים *Vide Eccle.* X, 17.
(y) *Proverb.* XXVII, 9; *Amos*, VI, 6.

℣. 9. Perfruere vitâ cum uxore, quam diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole omni tempore vanitatis tuæ: hæc est enim pars in vitâ, & in labore tuo, quo laboras sub sole.

℣. 10. Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.

℣. 11. Verti me ad aliud, & vidi sub sole, nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientium panem, nec doctorum divitias, nec artificum gratiam: sed tempus, casumque in omnibus.

℣. 12. Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo supervenerit.

℣. 13. Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, & probavi maximam:

℣. 14. Civitas parva, & pauci in eâ viri: vênit contra eam rex magnus, & vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio.

COMMENTARIUS.

des liniret, & capillis tergeret (z).

℣. 9. PERFRUERE VITA CUM UXORE, QUAM DILIGIS &c. Qui hanc esse putant sententiam seriò a Salomone propositam, veluti bene vivendi legem, ajunt, Salomonem unicuique præcipere, ut in suo quilibet statu cum uxore suaviter vivat, cæteris quæ ad sese minimè spectant, neglectis. At qui sensa impiorum hìc recitari censent, contendunt, hìc a Salomone significari libidinem, ac turpem cum scorto consuetudinem: Fruere vitâ cum puellâ, quam diligis. Quodlibet voluptatum genus sectare.

℣. 10. QUODCUMQUE POTEST FACERE MANUS TUA, INSTANTER OPERARE, QUIA NEC OPUS NEC RATIO... ERUNT APUD INFEROS, QUO TU PROPERAS. Duplex subesse huic loco sententia, ut superiori, potest. Bene age, thesauros in Æternitatem compara, dum potes: criminum pœnitentiam age, atque eleemosynis bonisque operibus tempus, quod male perdidisti, repara (a). Vel explica veluti partem orationis impiorum: Festina voluptatibus frui; nullamque prætermittas. Confer huic loco Caput II Sapientiæ, ℣. 5, 6, 7, 8, &c. Huc spectasse videtur Christus, cùm ad Judam inquit: *Quod facis, fac citiùs* (b).

℣. 11. VERTI ME AD ALIUD, ET VIDI SUB SOLE NEC VELOCIUM ESSE CURSUM, stadii præmium. Vel (c): Intellexi, *non adhiberi ad cursum velocissimos, nec ad bellum fortissimos, nec semper sapientibus panem dari, aut doctissimis divitias.* Habes hìc novam ratiocinationem, novumque vanitatis humanarum rerum argumentum. Probat Salomon, nullis conatibus nullâque diligentiâ obtineri posse, ut homines malorum expertes sint, quæsitaque bona assequantur: sortem ac fatum inter homines dominari, ac pro arbitrio voluptates doloresque, præmia & pœnas absolutissimâ potestate distribuere. *Vidi*, inquit, *præmium cursûs velocissimorum non esse, nec victoriam fortissimorum, nec sapientissimorum divitias, sed tempus & casum omnia moderari.* Sanè hæc sententia, stricto sensu usurpata, sapientissimo Salomoni tribui nequit: minimè enim ignorare poterat, imò ubique docet, omnia Providentiâ regi, bonaque & mala a Deo sapientissimis prudentissimisque consiliis distribui. Ex impiorum igitur sententiâ loquitur, vel ex exteriori rerum specie, cùm scilicet prima humanarum rerum frons inspicitur, nullâ Fidei & Religionis ratione. Hoc sensu verum est, præmia humanamque felicitatem Justis ac Sapientibus non tribui: at falsum omnino est, omnia fato & casu regi. Confer cum hac Salomonis sententiâ Mosaica illa verba (d): *Ut assumat*, devoret, *ebria sitientem*; & Homeri versum (e): *Assequetur tardus velocem.*

℣. 12. NESCIT HOMO FINEM SUUM; SED SICUT PISCES CAPIUNTUR HAMO, SIC CAPIUNTUR HOMINES IN TEMPORE MALO, cùm minimè expectaverint. Frustra torquemini, frustraque molimini, ut vitetis mala: eæ ipsæ artes, quibus mala fugere conamini, laboris argumentum erunt. Incautos ac minimè expectantes mala adorientur. Justas legitimasque sollicitudines & curas, quibus vitæ mala præcaventur, minimè damnat Salomon: at nihil profuturas demonstrat, nisi opem contulerit Deus (f). *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam.* Hebræus, & Septuaginta (g): *Non novit homo tempus suum.* Neque vitæ suæ diuturnitatem neque mortis tempus scit. Suprema illi adveniet hora, cùm minimè expectaverit. Capietur ut hamo piscis, & avis reti.

℣. 14. CIVITAS PARVA, ET PAUCI IN EA VIRI. Hanc ingens exercitus obsidet: homo ignobilis, at sapiens, urbem servat: elapso discrimine, negligitur Liberator. Alterum vides argumentum, probans, quàm inanes sint hominum vices, novamque rationem, cur mundi amatores ab ipsius amore removeantur, ingratos scilicet hominum animos, ac veræ virtutis contemptores. Sapiens tum colitur, cùm quis illius sapientiâ indiget:

(z) Luc. VII, 45, 46. (a) Hieronym. hìc: *Fac quodcumque nunc potes, & labora, quia cùm ad infernum descenderis, locus non erit pœnitentiæ.* (b) Joan. XIII, 27. (c) כי לא לקלים המרוץ ולא לגבורים המלחמה וגו (d) Deut. XXIX, 19. (e) Homer. Odyss. Θ: Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα, κιχάνει δὲ βραδὺς ὠκύν. (f) Psal. CXXVI, 2. (g) כי גם לא ידע האדם את עתו. 70: Καί γε οὐκ ἔγνω ὁ ἄνθρωπος τὸν καιρὸν αὐτοῦ.

℣. 15. Inventusque est in eâ vir pauper, & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam: & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.

℣. 16. Et dicebam ego, meliorem esse sapientiam fortitudine; quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba ejus non sunt audita?

℣. 17. Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quàm clamor principis inter stultos.

℣. 18. Melior est sapientia, quàm arma bellica: & qui in uno peccaverit, multa bona perdet.

COMMENTARIUS.

diget; ubi quis eâ usus fuerit, statim in oblivionem redit. Reddi potest (h); *Et homo non recordabatur hominis pauperis hujus*, pro, *Et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis*. Non legitur in Hebræo τὸ *deinceps*.

℣. 16. Dicebam meliorem esse sapientiam fortitudine. Hoc idem sæpe (i) docuit; ejusque rei argumentum est hoc, quod mox tradidit de urbe obsessâ, sapientis viri arte liberatâ. Simile quid in libris Regum (k) legimus, quo hæc veritas comprobatur, Abelam Joabi armis obsessam sapiens mulier liberavit; Bethuliam Judith; Archimedes diu Syracusas adversùs Romanos defendit (l).

Quomodo sapientia pauperis contempta est? Hebræus planiùs fert; *Dixi: Melior est Sapientia fortitudine; & sapientia pauperis contempta est, & verba ejus non audita*. Quamvis nemo Sapientiam cæteris rebus præstare neget, illam homines contemnere non verentur, ubi cum paupertate jungatur. *Dives locutus est, & omnes tacuerunt*, inquit Ecclesiasticus (m); *pauper locutus est, & dicunt, quis est hic? Omnis vir*, ait Theognis (n), *paupertate domitus, neque quidquam dicere nec facere potest; lingua verò ei ligata est*.

℣. 17. Verba sapientium audiuntur in silentio plusquam clamor Principis. Postquam ostendit, verba sapientum opibus carentium ab insanis negligi, narrat hìc, quanti a viris doctis sapientiæ præstantiam cognoscentibus, fiant. Quæ igitur superioribus versiculis recitata est, communis omnium hominum sententia non erat, sed plerorumque, qui numerus insanorum est, & eorum, quibus in pretio id solùm est quod nitet, ac sui specie incautos fallit. Nunquam tamen defuere, quamvis perpauci sint, qui virtutem magni faciunt, & Sapientis verba majori obsequio, & attentione excipiunt, quàm Regis in concione loquentis orationem insani. Alii ita interpretantur: Sapientis oratio, modestâ humilique voce prolata, majus obsequium meretur, quàm Principis sermo imperiosus, ac minax, in vesanæ plebis cœtu pronunciatus. Vel: Sapientum instituta a sapientiæ amatoribus majori obsequio, attentione, silentio excipiuntur, quàm Principum Imperia ab audientibus. S. Hieronymus ita explicat: *Quemcumque in Ecclesiâ videris declamatorem, & cum quodam lenocinio, ac venustate verborum excitare plausus, risus excutere, & audientes in affectus lætitia concitare, scito signum esse insipientiæ, tam ejus qui loquitur, quàm eorum qui audiunt*.

℣. 18. Qui in uno peccaverit, multa bona perdet. Si hæc verba cum superioribus jungas, ita intelligenda esse videntur: Sapientia, & prudentia in rebus bellicis utiliores sunt quàm arma, & robur; qui aliquâ ex parte in iis peccaverit, qui rebus suis deest, aut opportunè hostem non occupat, ingentibus damnis obnoxius erit. Levia peccata in Imperatore fermè nulla sunt, cùm præsertim consilio, & prudentiâ peccat. Hebræus verti potest (o): *Melior sapientia, quàm arma bellica; Sed peccans unus, perdit bonum multum*, vel magna commoda. Sapiens fœmina Abelitis, de quâ mox, urbem servavit; Achan avaritiâ exercitum Israëlis penè perdidit (p). Privatus quilibet, modò prudens, ac sapiens sit, non levibus commodis ornare patriam potest; malus civis, insanus, prudentiâ carens, ingentibus malis afficit. Seba filius Bochri funestissimum Israëli bellum fermè excitavit (q). Morali sensu: Homo virtute præditus, omnibus plerumque virtutibus ornatur, quamquam non æquali gradu; impius, peccator, dum unum scelus admittit, reum se plurimorum facit: mala enim, & scelera nexa invicem sunt, uti virtutes se sequuntur, & quemdam virtutum nexum efficiunt (r).

CA-

(h) ואדם לא זכר את האיש המסכן ההוא 70: Καὶ ἄνθρωπος οὐκ ἐμνήσθη σὺν τοῦ ἀνδρὸς τοῦ πένητος ἐκείνου.

(i) *Proverb*, xx, 18; & xxiv, 6; *hic*, ℣, 10; *Sap*. vi, 1.

(k) 2 *Reg*. xx, 22.

(l) *Vide Plutarch. Vit. Marcelli*.

(m) *Eccli*. xiii, 28, 29.

(n) Πᾶς γὰρ ἀνὴρ πενίῃ δεδμημένος, οὔτε τι εἰπεῖν
Οὔθ' ἕρξαι δύναται, γλῶσσα δέ οἱ δέδεται.

(o) טובה חכמה מכלי קרב וחטא אחד יאבד טובה הרבה

(p) *Josue*, vii, 18, & *seq*.

(q) 2 *Reg*, xx, 1, &c.

(r) *Hieron*, *hic*; *Sic sentiendum est, quòd propter unum peccatum, multa justitia veteò pereant; & se invicem virtutes sequi; & qui unam habuerit, habere omnes; & qui in uno peccaverit, omnibus vitiis subjacere*.

CAPUT X.

Sapientis, & insani discrimen. Imprudens & servus dignitate ornati, dum sapiens & Princeps in obscuro latent. Damnum, quod alteri infertur, in authorem cadit. Rex puer. Principes convivia sectantes. De Principibus ne obloquitor.

℣. 1. MUscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Pretiosior est sapientiâ & gloriâ, parva & ad tempus stultitia.
℣. 2. Cor sapientis in dexterâ ejus, & cor stulti in sinistrâ illius.
℣. 3. Sed & in viâ stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.

COMMENTARIUS.

℣. 1. MUscæ morientes perdunt suavitatem unguenti. Hæc sententia conjungitur cum iis, quæ in fine superioris Capitis leguntur (a): Qui in uno peccat, bona ingentia amittit. Qui famæ studiosus est, nihil negligere, sibique ipsi assiduâ curâ cavere debet. Minima peccata maximam illi inferre injuriam possunt; uti musca, minimum licèt animal, in vas unguenti cadens ipsum corrumpit, totumque unguenti odorem perdit. Hebræus (b): *Muscæ mortis fœtere faciunt, & projicere*, veluti rem animo vel stomacho gravem; vel, *fœtere faciunt, & exhalare unguentum aromatarii*. Varias morales sententias ex hoc loco Patres eruêre; e. g. Hæretici muscis similes sunt importunis, pungentibus, partesque bene valentes corrumpentibus, & jam corruptas vescentibus, sacras res polluentibus; purisque animis vitium inferentibus (c). Alii (d) de impiis generatim explicant, qui eos vitiant, quibus cum vitam & consuetudinem habent: alii (e) de superfluis curis ac solicitudinibus, quas divitiarum ac voluptatum amor in animis excitant. Plures sunt (f), qui muscam & maledicum simillimos esse demonstrant. Musca molesta est, & inquieta; murmurat, pungit, impudens est & insatiabilis, putredinem amat & ulcera. Talis est maledici hominis natura. Omnia percurrit, ut ea quæ ubique dicuntur, notet, & quæ ipse scit, ubique spargat; vitiis solummodo atque alienis peccatis alitur; & ea solùm quærit, quæ maximè vitiosa & corrupta sunt, &c. Oleum muscæ invisum esse ac lethale, nemo ignorat (g). Quamobrem meritò Sapiens ait, muscas in unguento morientes unguenti odorem corrumpere. Eodem sensu S. Paulus scribit, modicum fermenti totam massam corrumpere (h).

PRETIOSIOR EST SAPIENTIA ET GLORIA, PARVA ET AD TEMPUS STULTITIA. Quoddam genus est insaniæ, quæ vera est sapientia. Sapientis est, suo tempore ac loco uti sapientiâ (i):

Misce stultitiam consiliis brevem:
Dulce est desipere in loco.

Morali sensu nihilo certior est hæc veritas. Ut verè sapiens sis, mundo insanum esse necesse est: hæc tamen insania præstantior est quàm omnis hominum sapientia (k): *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus*; hominum enim sapientia coram Deo insania est (l).

Alia ex Hebræo sententia elici potest (m): *Stultitia modicum corrumpit pretiosum e sapientiâ & gloriâ*. Unica mala actio, levissimum imprudentiâ peccatum, minimumque vitium nocere famæ sapientis potest. Quod inconsideratè agitur, interdum molestissimæ rerum vices sequuntur. Hujus rei exemplum habes in Roboami responsione ad populum, post obitum Salomonis (n); & in censu populi a Davide habito (o). Parva quandoque scintilla ingens incendium parit. Uno interdum verbo inconsideratè prolato, bella seditionesque excitantur. Hæc sententia cum superioris Capitis fine congruit: *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet*. Septuaginta (p): *Pretiosius est modicum sapientiæ, quàm gloria insaniæ multa*. Præstantior est vel modica sapientia, quàm mundi gloria, quam temerè agendi ratio comitatur.

℣. 2. COR SAPIENTIS IN DEXTERA EJUS, ET COR STULTI IN SINISTRA ILLIUS. Sapiens sibi semper cavet: incautus negligit; ille omnia cum ratione agit; hic temerè atque insanè. Dextera res bene gestas, bonumque vitæ institutum; sinistra contrarium significat. Hinc in Proverbiis, IV, 27, dicitur: *Vias, quæ a dextris sunt, novit Dominus: perversæ verò sunt quæ a sinistris sunt*. Alibi (q), ut puerorum, qui boni malique discrimen ignorant, simplicitatem indicet, tradit Scriptura, illos minimè nosse, quid inter dexteram ac lævam differat. Scribit hoc loco Salomon, cor sapientis in dexterâ illius esse, totamque bono occupari, cùm insani mens nonnisi de malo cogitet. Alteri in dexterâ est, alteri in sinistrâ (r).

℣. 3. SED ET IN VIA STULTUS AMBULANS, CUM IPSE INSIPIENS SIT, OMNES STULTOS ÆSTIMAT. Unusquisque cæteros tales esse putat, qualis ipse est. Iracundus, avarus, cædis amans eadem in cæteris vitia esse arbitratur. Impii & increduli virtutem ac pietatem censent meram esse simulationem. Nero, bellua maximè in libidinem prona, neminem pudicum esse, persuasissimum habebat (s). Insanus omnes insanire arbitratur, cùm aliâ & cogitandi & differendi ratione utantur.

He-

(a) *Hieron. Olympiod. alii passim.* (b) זבובי מות יבאיש יביע שמן רקח 70. Μυῖαι θανατοῦσαι σαπριοῦσι σκευασίαν ἐλαίου ἡδύσματος. (c) *Vide, si placet, Aug. contra Fulgent. Donat. c. 34; Hieron. contra Pelagian. lib. 2; Epiphan. hæres. 40.* (d) *Thaumat. hic.* (e) *Gregor. lib. 38 Moral. Bern. serm. 44 in Cant. Vide & Chald. hic.* (f) *Bern. serm. de triplici custodiâ.*
(g) *Plin. lib. XI, c. 19.* (h) *1 Cor. V, 6.* (i) *Horat. lib. 4, Ode 12.* (k) *1 Cor. I, 25.*
(l) *1 Cor. III, 18: Sapientia hujus mundi stultitia est apud Deum.*
(m) יקר מחכמה מכבוד סכלות מעט (n) *3 Reg. XII, 14.* (o) *2 Reg. XXIV, 1, 2.*
(p) Τίμιον ὀλίγον σοφίας ὑπὲρ δόξαν ἀφροσύνης μεγάλης. (q) *Deut. I, 39; Jonas, IV, 11.*
(r) *Vide Thaumaturg. Hieron. Chald. Grot.* (s) *Sueton. in Nerone: Ex nonnullis comperi, persuasissimum habuisse eum, neminem hominum pudicum, aut ullâ corporis parte purum esse, sed plerosque dissimulare vitium.*

℣. 4. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio faciet cessare peccata maxima.

℣. 5. Est malum, quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie Principis:

℣. 6. Positum stultum in dignitate sublimi, & divites sedere deorsum.

℣. 7. Vidi servos in equis, & principes ambulantes super terram quasi servos.

℣. 8. Qui fodit foveam, incidet in eam: & qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.

COMMENTARIUS.

Hebræus (t): *Etiam in viâ stultus ambulans, cor ejus deficit*, sapientiâ caret, *& dicit omnibus: Stultus est*. Se ipsum prodit insanus, dum incedit. Ipse gressus sapientiæ & consilii inopiam ostendit. Alterum etiam insaniæ indicium exhibet, quòd scilicet cæteros iosanos putat, unum se sapientem; vel, manifestum omnibus facit, se esse iosanum: suam ipsius vesaniam omnibus nunciat. Septuagiota (u): *Etenim in viâ cùm stultus ambulat, cor illius deficiet*, sapientiâ caret: *& qua cogitabit, omnia stultitia sunt*.

℣. 4. Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris: quia curatio cessare faciat peccata. Veterum plures (x) ita explicant: Si Spiritus tenebrarum, Mundi Princeps, Infernarumque potestatum Rex in se arma moveat, teque alicui peccato obnoxium faciat, ne loco cedas, neque veniam desperes: Pœnitentiam amplectere, ubi malorum remedium certamque salutem invenies. Si inconstantiam in suscepto vitæ instituto, si superbiam, inanem gloriam, iram, impudicitiam suadet, hosti resistito: forti animo in bono tuâque conditione persevera: ne moveri te sinas, neque aut langueas, aut cadas: Virtutem hosti objicito, cordis fores oppone, &c. Plures tamen sententiæ erui possunt ex Hebræo (y): Si Principis amicitiâ frueris, ne locum deseras, neve in superbiam efferaris: molestiâ enim & sapientiâ ducibus, ingentia peccata vitabis. Cæteris aut invisum aut suspectum te ne feceris: Principis gratiâ modestè utere: Subjectus esto illi, qui tuæ dignitatis causa est: ita ea mala vita, quæ iis imminent, qui pristinæ cooditioois io rebus prosperis obliviscuntur.

Reddi etiam potest Hebræus: Si Princeps aliquis tibi irascitur, ne loco movearis. Opportuna animi demissio ingentium peccatorum culpam aufert, ac veniam impetrat; seu denique, gravia supplicia avertit. Aptissima mibi videtur hæc explicatio. Hæc verba, *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te*, significare possunt: Si Priocipis ira in te ferveat. Similes huic locutiones in Scripturâ occurrunt. Job (z): *Cùm spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ*. Psalmista (a): *Spiritus pertransibit in illo & non subsistet, & non cognoscet amplius locum suum*. Isaias (b): Deus *spiritu labiorum suorum interficiet impium*. Zacharias (c): *Requiescere fecerunt spiritum meum in terrâ Aquilonis*; ibi furor meus sævìit. Hebræa vox (d), quæ vulgo redditur *curatio*, seu *medicina*, apud Salomonem usurpatur etiam pro quiete, veoiâ; opponiturque severitati, actioni repugnandi, festinationi, agitationi &c. Cùm aliquid io Principem peccaveris, certissimè veniam consequêris, si cesseris, animum dejeceris, peccatum confessus fueris, veniam postulaveris, non repugnaveris, neque factum defenderis, aut multa moveris.

℣. 5. Est malum quod vidi sub sole, quasi per errorem egrediens a facie Principis, quod ex Principis errore nasci videtur, vel ita haberi potest, quasi illius causa Principis ignorantia sit; sapientiæ & solertiæ defectus. Hoc verò malum, de quo bic Salomon, illud est, quod duobus sequentibus Versiculis describit, mala scilicet munerum, & digoitatum distributio, cùm homines virtute, natalium splendore, fortunisque carentes in digoitatem efferantur.

℣. 6. Positum stultum in dignitate sublimi, at divites sedere deorsum. Inter Judæos enim, ut alibi animadvertimus (e), nullum erat nobilium, aut plebejorum discrimen; & plerumque locupletissimi e Tribubus, ot iis præessent, atque opulentissimi ex oppidis, ut jus dicerent, & magistratus gerereot, eligebantur. Inferiùs etiam, ℣. 20, Dives pro Magistratu usurpatur. S. Hierooymus, aliique de Ecclesiasticis Dignitatibus explicaot, quas interdum ii occupant, qui indignissimi suot, atque inter auditores potiùs recenseri quàm inter Magistros ac Doctores sedere merentur.

℣. 7. Vidi servos in equis, at Principes ambulantes super terram quasi servos. Hæc ordinis inversio, si Principis causâ cootingat, oriri nisi ex illius ignaviâ non potest. Servus conditionis suæ bumilitatem ubique fert. Qui ex ergastulo ad solium veniunt, plerumque arrogantiâ, superbiâ, sævitiâ, & avaritiâ immodici sunt (f). Vide *Prov.* xxx, 21, 22.

℣. 8. Qui fodit foveam, incidet in eam. Qui laqueos tendit, iis capietur. Qoi aliis nocere studet, sibi nocet. Hoc idem Proverbium legitur in Psalmo vii, 16; Proverbiis xxvi, 27; xxviii, 10.

Qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.

La-

(t) וגם בדרך בשה סכל הלך לבו חסר ואמר לכל סכל הוא

(u) *Καί γε ἐν ὁδῷ ὅταν ἄφρων πορεύηται, καρδία αὐτοῦ ὑστερήσει, καὶ ἃ λογιεῖται πάντα ἀφροσύνη ἐστίν.* (x) *Vide Hieron. Ambros. in Psal.* 41; *& lib.* 1 *de Offic. Thaumaturg. hic; Greg. Magn. lib.* 3 *Moral. c.* 13; *Bern. de quadruplici debito, &c.*

(y) אם רוח המשל תעלה עליך מקומך אל הנח כי מרפה יניח חטאים גדלים

(z) *Job*, iv, 15. (a) *Psal.* cii, 16. (b) *Isai.* xi, 4. (c) *Zach.* vi, 8. (d) מרפה 70: Ἴαμα. *Vide Prov.* xiv, 30; xv, 4; xxiv, 10. (e) Vide *Exod.* xviii, 21; *Prov.* xxviii, 16. (f) *Aurel. Victor. in Dioclet. Humillimos quosque, ubi ad alta accesserunt, superbiâ atque ambitione immodicos esse. Et Sueton. in Tiberio.*

. . . . Regnabit sanguine multo,
Ad regnum quisquis venit ab exilio.

℣. 9. Qui transfert lapides, affligetur in eis: & qui ſcindit ligna, vulnerabitur ab eis.

℣. 10. Si retuſum fuerit ferrum, & hoc non ut prius, ſed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur: & poſt induſtriam ſequetur ſapientia.

℣. 11. Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.

COMMENTARIUS.

Latens ſub ſepe coluber illum mordebit, a quo, diſſipatâ ſepe, provocabitur. Qui traditas a Patribus doctrinas deſerit, patrias leges violat, & Reipublicæ ſtatum, aut Religionis ordinem convellere ſtudet, ſeſe graviſſimo diſcrimini objicit. Funeſtiſſima hujus rei exempla in Hæreticis vidimus, qui ſuperioribus ſæculis Europam afflixerunt.

℣. 9. Qui transfert lapides, affligetur in eis. Qui alienæ hæreditatis fines mutat ac transfert, lapidum ipſorum pondere ac mole contundetur, quippe quos ægerrimè ſolus movere queat, ac nonniſi ſolos & clam movere audeat, ne quis audaciæ ſuæ conſcius ſit. Hic Verſiculus, uti & ſuperior, de iis explicari ſolet (g), qui priſcas & maximè venerabiles loci alicujus Leges violant, & ſemel ſapientiſſimè a majoribus, ſive de Religione, ſive de Politicis rebus definita, temerè commovent. Confer Proverbia xxii, 18: *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt Patres tui.* Alii ſimpliciùs interpretantur de iis, qui parietis aut ædificii lapides movent, transferunt, e loco auferunt; hi enim gravi labore ſeſe excruciant, & vulnerum, atque contuſionum periculo ſeſe exponunt. Ita qui moleſtiam aliis facere conantur, ſibi ipſis faciunt. Eadem ſententia in ℣℣. 8, & 9 exhibetur.

Qui scindit ligna, vulnerabitur ab eis. Qui ſecurim in lucum immittit, cujus luci nulla ſibi poteſtas eſt, aut arboris alicujus lapſu, aut propriâ ſecuri ferietur; præceps enim feſtinatio, & metus, ne a quopiam videatur, efficient, ut incauto ictu ſeſe percutiat, vel permittet Deus ut ſe ipſe feriat, in furti pœnam. Cavere unusquisque debet, ne aliena rapiat aut uſurpet; ſuisque finibus contentus, falcem in alterius meſſem, aut ſecurim in alienum lucum inferre non debet. Alii interpretantur de iis, qui temerè & cum periculo aliquid moliuntur, vel ſeditionem adverſus Principem, aut turbas in Republicâ movent. Sunt qui cum verſiculo ſequenti jungant. Qui ligna cædit ſecuri non ſatis acutâ, facilè ſe ipſum feriet.

℣. 10. Si retusum fuerit ferrum, at hoc non ut prius, sed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur; at post industriam sequetur sapientia. Si ferrum obtundatur, magisque iterum hebetetur, ægerrimè acuetur. Ita Sapientia diuturno labore acquiritur. Hominis animus ſimilis ſecuri eſt, rubigine & vetuſtate obtuſæ, quæ ut apta cædendo ſit, diù acuenda eſt. Ita, ut mens aliqua ſolers fiat, elegans & prudens; ut ſapientiæ amor inſpiretur, atque ipſe denique animus ad ſtudium, laborem virtutemque convertatur, multo labore ac induſtriâ opus eſt, minimè tamen ſpectatis auxiliis, quæ Divinitus conferuntur, neque noſtrâ in poteſtate ſunt, noſtroque labore ac ſtudio obtineri nequeunt, ſed oratione, conſtantique ſimul cum gratiâ cooperatione.

Hebræus verti poteſt (i): *Si ferrum hebetatum fuerit, & acies non deterſa*, artifex *validiſſimè laborabit*; vel, & ferrum *ſuperabit vires ſtudentis. At facile reddet opus ſapientia*, difficultates ſuperabit. Si malum inſtrumentum perito artifici tradas, minimè tamen idcirco ab incepto is deterrebitur; quodque ineptiſſimum operi videbatur, ipſe pro apto adhibebit. Imperitus artifex optimis etiam inſtrumentis utens, ſe ipſum feriet, nihilque probandum efficiet; at peritus artem ſuam quolibet inſtrumento oſtendet, omnemque difficultatem ſuperabit; quippe cui ſapientia rerum omnium loco ſit. *Præſtantiſſima directrix ſapientia*, inquit Hebræus. Septuaginta (k): *Si exciderit ferrum, & artifex faciem turbavit, & vires confortabit, & abundantia viro ſapienti.*

℣. 11. Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occulte detrahit. Uti anguis clam ſilensque mordet, atque in percuſſi hominis venas virus inſerit (l); ita maledicus audientium aures animumque veneno inficit. Vitiis aliorum ac tabo veluti anguis alitur: optima quælibet corrumpit ac vitiat; quæque ipſe tetigerit, ſtatim veneno inficit. En veram maledici imaginem. Tres uno ictu necat, ſe ſcilicet ipſum priùs, deinde illum, de quo male obloquitur, ac denique illum, quocum ſermonem miſcet (m).

Hebræus (n): *Si ſerpens mordeat abſque incantatione*, ſcilicet tam noxio ictu, ut curari veneficorum artibus nequeat; vel, cùm nondum ſatis cicuratus eſt; ita *qui loquitur*, qui eloquentiâ præſtat, *nihil eſt amplius*. Veneficus angues carmine cicurans, niſi ſatis peritus ſit, facilè mordebitur. Ita qui eloquentiæ gloriam ſectatur, nihil oratione impetrabit, niſi animos verbis pervadat, ac perſuadeat. Neque modò multitudinem pro arbitrio non aget, ſed a multitudine opprimetur. Malo interpretari de maledico, uti fert Vulgata. Quemadmodum anguis, niſi carmine cicuratus ſit, mordet; ita maledicus veneno inficit eos, quos alloquitur. Nihil melior angue eſt, nihilque differt. *Dominus linguæ* (p) procul dubio eſt homo garrulus, maledicus. Septuaginta (q): *Si momorderit anguis abſque ſuſurro, & non eſt præſtantia incantatori*, nulla in anguem poteſtas; vel,

(g) *Hieron. Olymp. alii plerique.* (h) *Cajet. Geor. Druſ. Hebr.* (i) אם קהה הברזל והוא לא פנים קלקל וחילים יגבר ויתרון הכשיר חכמה (k) Ἐὰν ἐκπέσῃ τὸ σιδήριον, καὶ αὐτὸς πρόσωπον ἐτάραξε. Καὶ δυνάμεις δυναμώσει, καὶ περισσεία τῷ ἀνδρὶ ἡ σοφία. *Sym.* ויתרון השכיר חכמה Προέχει δὲ γοργευσάμενος εἰς σοφίαν, *Excellit agilis ad ſapientiam*, ſtudio ſapientiæ. (l) *Hieron. hic: Serpens & detractor æquales ſunt: quomodo enim ille occultè mordens venenum inſerit; ſic iſte clam detrahens, virus pectoris ſui infundit in fratrem, &c.* (m) *Bern. de tripl. cuſtodiâ: Numquid non viperea eſt lingua iſta? Ferociſſima planè, nimirum quæ tam lethaliter tres inficiat flatu uno.*
(n) אם ישך הנחש בלא לחש ואין יתרון לבעל הלשון (o) Confer Pſalm. xi, 4, 5.
(p) *Vide Pſal.* cxxxix, 12. איש לשון בל יכון בארץ *Vir linguoſus non dirigetur in terrâ.* Hebræus hic legit בעל לשון, ut in *Geneſ.* xxxvii, 19. בעל החלומות *Somniator. Et* xlix, 23. בעלי חצים *Sagittarii. Proverb.* xxii, 24. בעל אף *iracundus.* (q) Ἐὰν δάκῃ ὁ ὄφις ἐν οὐ ψιθυρισμῷ, καὶ οὐκ ἔστι περισσεία τῷ ἐπᾴδοντι.

℣. 12. Verba oris sapientis, gratia: & labia insipientis præcipitabunt eum.

℣. 13. Initium verborum ejus stultitia, & novissimum oris illius error pessimus.

℣. 14. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo, quid ante se fuerit: & quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare?

℣. 15. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere.

℣. 16. Væ tibi, terra, cujus rex puer est, & cujus principes manè comedunt.

℣. 17. Beata terra, cujus rex nobilis est, & cujus principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.

COMMENTARIUS.

vel, neque melior est in eâ re venefici conditio, quàm cæterorum, non enim illi parcet anguis; seu denique, neque vulnus curabit veneficus, qui anguem cicurare potest & cohibere ne mordeat, sed infusi veneni vim coërcere nequit. De more cicurandi carmine angues, apud Judæos vetustissimo, satis egimus peculiari Dissertatione. S. Hieronymus alijque (r) aliter interpretantur: Si anguis clam momorderit, & morsu ictus ad veneficum non accesserit, ut curetur, procul dubio periturus est. Erant venefici, qui anguium ictus & vulnera curarent, & qui angues coërcerent. Ita si quis peccans lethale vulnus animæ inferat, ac morbum aperire medico ac spirituali Incantatori nolit, certissimæ mortis discrimen ultro subibit: *Si enim erubescat ægrotus vulnus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat.*

℣. 12. Verba oris sapientis, gratia: et labia insipientis præcipitabunt eum. Opportunè loqui & silere scit Sapiens, quippe cujus orationem sapientiæ & prudentiæ sal condiat. Nemini non placet, utpote nihil nisi e mediâ æquitate, sapientiâ, & veritate loquens. At insanus innumeris periculis obnoxius est, ipsâ suæ orationis insaniâ, neque opportunè loqui sciens, nec tacere. Cæteros injuriis lacessit, ineptisque sermonibus molestiam parit, ℣. 13: *Initium verborum ejus stultitia, & novissimum oris illius error pessimus*, inconsideratus sermo & ineptus.

℣. 14. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo quid ante se fuerit: et quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare? Mirâ prorsus audaciâ esse hominem necesse est, qui de qualibet re verba facere non veretur, uti stultus solet. Is æquè ignorat, quid ante se fuerit, quidve postea futurum sit; de omnibus tamen sententiam fert. Præsentia præteritis miscet, ac tempora temporibus comparat, quasi omnium ætatum sit. Hebræus (s): *Stultus multiplicat verba, Nescit homo quid futurum sit: & quod erit, quis annunciabit illi?* Vel: Futura ignorat; quis enim ea illum docebit? Hæc sententia usurpari absolutè potest, uti minimè cum superioribus connexa, non secùs ac ea, quæ fertur Capite v, 10, 11; & vi, 10, præsertim verò Capite viii, 7, ubi eadem verba in Hebræo leguntur. Septuaginta (t): *Stultus multiplicat verba. Ignorat homo quid sit quod factum est, & quid quod futurum est. Quoniam post eum*, cum is esse desierit, *quis annuntiabit ei?* Symmachus (u): *Insipiens multa loquetur: non novit quæ facta sunt, sed neque quæ futura sunt.*

℣. 15. Labor stultorum affliget eos, qui nesciunt in urbem pergere. Ita piger est stultus, ut omnia illi molestiam pariant. Ubique laborem videt; ignorat ea, quæ vel stipes sciret: ipsum urbis iter nescit; proverbii genus, ut extrema stulti ignorantia & inertia demonstretur. Eodem fermè sensu alibi tradit Sapiens (x), pigrum queri, leonem in itinere esse, seque ab eo in foro esse interficiendum; alibi (y), leonem esse in viâ, & leænam in semitâ, &c. Omnia ubique ardua invenit, ac viribus majora. Hunc locum de profanis Philosophis explicat S. Hieronymus, cætera omnia scientibus præterquàm quod sciri necesse est, innumerasque de boni malique naturâ disputationes moventibus, quin aliquid boni unquam agant: omnium periti, præterquàm scientiæ quæ ad salutem ducit. Insanissimis hujusmodi Sapientibus, qui patriæ suæ, ac Civitatis Dei viam ignorant, totus undique orbis scatet. Hi nimirum inanibus studiis rebusque occupati, ea negligunt, quæ sola & necessaria sunt & utilia; Philosopho cuidam similes, qui cùm astra intentus contemplaretur, in foveam ruit.

℣. 16. Væ tibi, terra, cujus Rex puer est, et cujus Principes mane comedunt. Minor Regum ætas plerumque fatalis Imperiis fuit: rarò enim accidit, ut Regni Procuratores in unam omnes sententiam conveniant; atquè hinc civilia bella feruntur: dum enim privata quisque commoda sectatur, scinditur Respublica & laceratur. Nihil frequentiùs apud Historicos legitur: atque utinam miserrima hujus rei exempla a nobis abessent, neque illa intra ipsos Regni fines experiremur! Minitatur Judæis Dei nomine Isaias (z): *Dabo pueros Principes eorum*; sive pueros ætate, sive experientiâ intelligas, homines scilicet ætate maturâ, sapientiæ & consilii inopes, idem utrimque discrimen est. *Principes qui mane comedunt*, iidem fortè sunt, quos pueros appellavit, ac prius ejusdem sententiæ membrum repetitur. Pueros quâlibet diei horâ cibum capere, ipsumque diei exordium a cibo ducere, nemo ignorat. Aptiùs tamen de iis intelligitur, qui a consiliis Regis electi, cùm negotiis, quibus plerumque matutinum tempus destinatur, incumbere deberent, oblectationibus, & conviviis indulgent. Vide ℣. sequentem. *Væ qui consurgitis manè ad potandum*, inquit Isaias (a).

℣. 17. Beata terra, cujus Rex nobilis est, et cujus Principes vescuntur in tempore suo. Princeps nobili genere ortus, aptior Regno videtur, quàm is, qui seu bellicâ virtute, sive solertiâ, vel fortunæ beneficio, aliove itinere minùs

(r) *Hieron. hic, & Olympiod. & Cassian. Coll.* 2, c. 1. (s) וְהַסָּכָל יַרְבֶּה דְבָרִים לֹא יֵדַע הָאָדָם מַה שֶׁיִּהְיֶה וַאֲשֶׁר יִהְיֶה מִי יַגִּיד לוֹ (t) Καὶ ὁ ἄφρων πληθύνει λόγους. Οὐκ ἔγνω ὁ ἄνθρωπος τί τὸ γενόμενον, καὶ τί τὸ ἐσόμενον. Ὅτι ὀπίσω αὐτοῦ τίς ἀπαγγελεῖ αὐτῷ; (u) *Sym.* Ὁ ἀνόητος πολλὰ λαλήσει· οὐκ ἔγνω τὰ γενόμενα, ἀλλὰ οὐδὲ τὰ ἐσόμενα. (x) *Prov.* xxii, 13. (y) *Prov.* xxvi, 13. (z) *Isai.* iii, 4. (a) *Isai.* v, 11.

℣. 18. In pigritiis humiliabitur contignatio, & in infirmitate ma-
nuum perstillabit domus.
℣. 19. In risum faciunt panem & vinum, ut epulentur viventes :
& pecuniæ obediunt omnia.
℣. 20. In cogitatione tuâ regi ne detrahas, & in secreto cubiculi
tui ne maledixeris diviti : quia & aves cœli portabunt vocem
tuam, & qui habet pennas, annuntiabit sententiam.

COMMENTARIUS.

nùs illustri ad Regnum venit. Is enim, qui Regios natales sortitus est, inter ipsas majorum imagines domestica virtutis exempla videt, quibus ad virtutem excitatur atque, ex ipso ortu animum gerit sublimem, honestatis studiosum, vulgari majorem, qualis in cæteris conditionibus vulgo non invenitur. Parentum verò institutio eas illi vivendi Leges, eumque sapientiæ amorem inspiravit, qui conditionis ipsius dignitati conveniant. Denique in ipsis populi animis felicia obsequii, amoris, & reverentiæ semina invenit, quæ solius culturæ laborem exigunt; cùm alter privatæ conditionis homo eadem in populis & serere debeat & colere. Illustris vetustæque familiæ decus Principis authoritatem auget, dignitatem tuetur (b).

Hebræus (c): *Beata tu, Terra, quòd Rex tuus filius est candidorum*. Albo colore utebantur Nobiles, proceres, locupletes. Vide Dissertationem nostram de re Vestiariâ Hebræorum. Aliter: *Beata Terra, cujus Rex filius Heroum*. Hebræa vox *Chorim* radix esse videtur Græci vocabuli *Heros*. Fortasse etiam *Candidus* hoc loco ponitur pro illustri, glorioso; opponiturque homini obscuræ conditionis. Septuaginta (d): *Cujus Rex filius ingenui*, ut opponitur servo. Id autem verum esse intellige, ubi Rex a majorum virtute non recedat; secos enim ipsa Principum nobilitas majori probro obnoxios facit, dum illorum vitia in luculentiori loco constituit, ac minor venia plerumque illis datur. *Heroum Filii noxa*, inquit vetus Proverbium, ingentium scilicet malorum origines.

Cibi capiendi hora apud Hebræos, non secus ac apud cæteros, certa non habebatur: ac matutinis horis & ante meridiem cibum capere, intemperantiæ argumentum erat. Qui jus pro Rege dicebant, aut Regi a consiliis erant, gerebantve magistratus, cibos capere nisi rebus confectis non debebant. Cùm ebrietatis accusaretur S. Petrus (e), ita crimen diluit, nondum tertiam diei horam esse, scilicet Gallorum consuetudine, nonam circiter matutinam horam. Idem S. Petrus cùm apud Simonem Coriarium in superiore domûs parte, scilicet in tecto, esset, circa meridiem esuriit (f). Seniores Judæorum, qui jus Babylone dicebant, circa meridiem domum secedebant (g). Josephus convivium fratribus meridie paravit (h); ac tres Angeli eâdem horâ sese Abrahamo obtulerunt, ut quietem & cibum caperent (i).

℣. 18. IN PIGRITIIS HUMILIABITUR CONTIGNATIO. Vel: Contignatio deprimetur, nisi probè fulciatur, magnoque studio curetur. Levissimum hoc est, si literalem sensum brevissimè tantummodo sequaris: at si spiritualem spectes, facilè ex hac comparatione domûs neglectæ ac malè fultæ intelliges, quanto in periculo sit Respublica, aut Ecclesia, quam mali administratores gerunt (k). Si solertiâ & diligentiâ careant ii, quibus spiritualis hujusmodi ædificii cura incumbit, quantociùs imbrium, ventorum, & procellarum vi tectum auferetur, & parietes dejicientur. Optimè etiam de interiori animæ ædificio explicatur, cujus ad custodiam nostra omnis sollicitudo exposcitur, ut virtutis amor & exercitium servetur, omnesque mundi, carnis, ac Diaboli impetus repellantur.

℣. 19. IN RISUM FACIUNT PANEM, ET VINUM, UT EPULENTUR VIVENTES (l). De iis loquitur, qui solùm ad convivia nati esse videntur (m):

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati.

Qui hunc tantummodò bonorum divinitùs concessorum usum norunt, voluptatem, & oblectationes: homines conviviorum, ac libidinis sectatores, qui omnibus animi cupiditatibus indulgent, *Quorum Deus venter est, & gloria eorum in confusionem eorum* (n): supremo contemptu digni, ac mali divitis aptissimi successores.

PECUNIÆ OBEDIUNT OMNIA. Omnes omnium ætatum homines hoc norunt, omniumque sæculorum experientia probat. In hoc cupiditatis & avaritiæ Regno nihil non pecuniâ fit, obtinetur, superatur. Dum locuples fueris, quidlibet impetrabis (o).

Scilicet uxorem cum dote, fidemque, & amicos,
Et genus, & formam regina pecunia donet.

Hebræus totius versiculi alium sensum admittit (p): *Recreat laborantes panis, & vinum lætificat viventes; sed argentum respondet omnibus;* quibuslibet rebus par est pecunia; vel, hæc omnia præstat, recreat, hilares facit, sustinet, vires atque animum affert. Septuaginta (q): *Lætitiæ causâ faciunt panem, & vinum lætificat viventes: & argento obedient simul omnia.* Symmachus (r): *Argentum utile est ad omnia.* Verbum *facere* (s), ex quo omnis hujus versiculi difficultas oritur, fortasse hìc usurpatur pro *laborare*. Panis robur Operis largitur.

℣. 20. IN COGITATIONE TUA REGI NE DETRAHAS.... QUIA ET AVES COELI PORTABUNT VOCEM TUAM. Non modò male de Rege loqui, aut res ab illo gestas palam arguere, sed ne malas quidem adversùs ipsum cogitationes animo concipere debes; quamvis enim te non audiant homines, tuumque secretum non prodant, ipsæ volucres animi tui sensa cogitationesque illi narrabunt. Hyperbole, quâ docemur, quo obsequio de Regibus differendum sit, quamvis Reges ex iis sint, qui hoc loco describuntur; quamvis scilicet Rex puer sit, quique illi a consiliis adsunt, vitam in otio,

(b) *Euripid. in Hecub.* Δεινὸς χαρακτὴρ κἀπίσημος ἐν βροτοῖς. Ἐσθλῶν γενέσθαι.
(c) אשריך ארץ שמלכך בן חורים (d) Ἧς ὁ βασιλεύς σου υἱὸς ἐλευθέρων. (e) *Act.* II, 15.
(f) *Act.* X, 9, 10. (g) *Dan.* XIII, 7. (h) *Genes.* XLIII, 16. (i) *Genes.* XXVIII. (k) *Vide Hieronym.*
(l) Codices nonnulli legunt: *Bibentes*. Vide Editionem Complutensem aliasque innumeras.
(m) *Horat. lib.* 1, *ep.* 2. (n) *Philipp.* III, 19. (o) *Horat. lib.* 1, *ep.* 6.
(p) לשחק עשים לחם ויין ישמח חיים והכסף יענה את הכל (q) Εἰς γέλωτα ποιοῦσιν ἄρτον, καὶ οἶνον εὐφραίνει ζῶντας, καὶ τῷ ἀργυρίῳ ὑπακούσεται σὺν τὰ πάντα. (r) *Sym.* Ἀργύριον δὲ εὔχρηστον εἰς ἅπαντα. (s) עשים Verbum עשה usurpatur interdum absolutè pro *laborare*.

otio, ac voluptatibus agant (t), Hebræus (u): *Etiam in conscientiâ tuâ Regi ne maledicas*. vel in animo tuo, nemine conscio. *Aves Cœli* hoc loco significant exploratores, & delatores, qui intentis semper auribus omnia excipiunt, ac Regi serviunt, aliorum dispendio. Non desunt apud Historicos avium exempla, quibus literæ ultro citroque ferendæ traduntur. Apud aliquos ex Orientalibus nostrâ etiam ætate aluntur columbæ huic ministerio assuetæ. Eò spectare videtur Salomon; vel hyperbole utitur fermè simili nostræ, qua dicimus, parietes ipsos loquuturos, cùm scribit, aves accusaturas hominem, qui male de Principe obloquatur. Hujusmodi autem loquendi formulis significatur, latere nihil posse, ubi aliquis hominum numerus illud nosse ac manifestum alicui efficere studeat. Vulgo fertur: Longissimæ sunt Principum manus: fieri omnino fermè nequit, ut qui in Regem peccavit, illius iræ atque ultioni subducatur.

CAPUT XI.

Eleemosyna omnibus impertienda. Dei opera hominibus ignota. Hujus vitæ bonis utendum, minimè neglectâ mortis memoriâ. Juventutis & voluptatis inanitas.

℣. 1. Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quia post
tempora multa invenies illum.
℣. 2. Da partem septem, necnon & octo; quia ignoras, quid futurum
sit mali super terram.
℣. 3. Si repletæ fuerint nubes, imbrem super terram effundent.
Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.

COMMENTARIUS.

℣. 1. MITTE PANEM TUUM SUPER TRANSEUNTES AQUAS, QUIA POST TEMPORA MULTA INVENIES ILLUM: Vel ex Hebræo (a): *Post multos dies invenies illum*. Triticum in riguis locis sere, si fructum cupis: humidæ paratæque telluri committe, atque uberem messem post aliquod tempus referes. Hoc sonat ipsa Textûs litera. *Panis pro* tritico usurpatur (b), & aquæ pro locis riguis (c). Vulgò tamen creditur (d) Salomon hoc loco significare, uberem eleemosynam unicuique esse impertiendam; idque tantumdem esse, ac si triticum bonæ telluri committeres, & felicem uberemque messem quæreres. Aquarum nomine, si placet, multitudinem intellige (e): *Aquæ populi sunt*. *Omnes* homines *quasi aquæ dilabimur in terram*, inquit Scriptura (f); nostraque omnium vita fluxus assiduus est. Jubent Evangelia (g): *Omni petenti te* eleemosynam *tribue*. *Indiscretè faciendam bene*, ait hic S. Hieronymus, ne digniores excludantur. Alii pro aquis mala hujus vitæ, lacrymas, resque adversas interpretantur. In sinu inopum, opemque poscentium plenis manibus sere. Sunt (h) qui velint, his verbis significari, ipsis etiam ingratis, ex quibus nulla beneficii spes est, bene esse faciendum: Panem tuum in aquas projice, veluti amissâ spe recipiendi. Ita Christus imperat (i), ut ad convivium non amici, familiares, locupletes, & ii, quibus facultas est restituendi, vocentur, sed inopes, advenæ, ægroti, ut supremâ resurrectionis die Deus mercedem restituat. Singulis hisce interpretationibus sua auctoritas, suique asseclæ sunt.

℣. 2. DA PARTEM SEPTEM, NEC NON ET OCTO: QUIA IGNORAS, QUID FUTURUM SIT MALI SUPER TERRAM. Septem & octo indiscriminatim pro pluribus usurpantur (k). Ingens poscentium numerus te ne terreat: da septem, da octo, da omnibus, quibus potes; quid enim tibimetipsi eventurum sit, ignoras. Et tu fortasse ad inopiam redigêris: quod tibi fieri velles, alteri facito: fortunas tuas indigentibus plenâ manu largire, dum potes: utrùm eadem potestas tibi deinceps futura sit, ignoras. Bene faciendi opportunitatem ita amplectere, uti avarus lucrum. Pecunia, quam inopi largiris, bonum fœnebre est (l): *Fœnerare Domino pecuniam in manu pauperis. Ille astringitur & tenetur; ille scribit quicquid egenus acceperit . . . Et adhuc deliberatis? quem ditiorem quæritis fidejussorem?*

Multum diuque Patres & Interpretes de hoc numero septem & octo disseruerunt, ac singulis mysterium invenêre. Judæi (m) pro *septem*, Sabbathi observationem, pro *octo* circumcisionem interpretantur. Patres quidam (n) septenario numero Synagogam, octonario Ecclesiam significari ajunt; octonarius enim numerus perfectior est. Alii (o) priore numero præsentem vitam, posteriore futuram exhiberi arbitrantur. S. Ambrosius huc spectat obscurissimis iis verbis (p): *Mandatum accipis octo illis partem dare, fortasse benedictionibus*; studendum scilicet omnium virtutum exercitio; octava enim, sive octonarius numerus perfectus est, & perfectionem indicat. Has tamen explicationes iis relinquimus, qui mystica sectantur.

℣. 3. SI REPLETÆ FUERINT NUBES, IMBREM SUPER TERRAM EFFUNDENT, Quemadmodum nubes aquâ

(t) Supra, ℣. 16. (u) נם במדעך מלך אל תקלל 70. Ἐν συνειδήσει σου βασιλέα μὴ καταράσῃ. Sym. Μὴ λοιδορήσῃς. (a) כי ברוב הימים המצאנו (b) *Vide Isai.* xxx, 23; *Ruth*, 1, 6. (c) *Isai.* xv, 6; xxxii, 20. (d) *Hieron. Olympiod. Thaumat, alii passim.* (e) *Apoc.* xvii, 5. (f) 2 *Reg.* xiv, 14. (g) *Luc.* vi, 30. (h) *Grot. Mercer. Geier. Tir. alii.* (i) *Luc.* xiv, 12, 13, 14. (k) Vide *Mich.* v, 5: *Suscitabimus super eum septem pastores, & octo primates. Sic & Amos*, 1, 3: *Super tribus sceleribus, & super quatuor. Job*, v, 19: *In sex tribulationibus liberabit te, & in septimâ non tanget te in malum, &c. Vide Vat. Mercer. alios passim.* (l) *Ambros. lib. de Tobia, c.* 16. (m) *Apud Hieron. hic.* (n) *Hieron. hic, & lib. contra Lucifer. & Aug. ep.* 55, *n.* 23, *nov. edit. Olymp. Salon.* (o) *Greg. Mag. lib.* 35, *Moral.* (p) *Ambros. in Luc, lib.* 6, *n.* 49.

℣. 4. Qui observat ventum, non seminat: & qui considerat nubes, nunquam metet.

℣. 5. Quomodo ignoras, quæ sit via spiritûs, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis; sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium.

COMMENTARIUS.

aquâ plenæ effundi cupiunt, imbresque in terras demittere; ita tu si bonis affluis, inopes liberalitate prosequere. Nubes imitare, bonosque & malos irriga: time, ne, dum accuratiùs eligis quem beneficiis prosequare, maximè inopes rejicias; & pauperum Pater ac Patronus eâ electione offendatur. Quid unusquisque mereatur, quantaque sit singulorum inopia, Deo agnoscendum relinque. Patres (q) & Interpretum nonnulli hunc locum de Divini Verbi promulgatione interpretantur. Similes esse nubibus Dei Ministri debent, veritatem doctrinamque in homines effundentes. Cavendum tamen ipsis est, ut priusquàm in cæteros effundant, ipsi iis pleni sint. Nubes esse debent plenæ atque uberes, non inanes, & aquis carentes, quas ventus agit, quæque inanem solummodo spem exhibent (r): *Nubes sine aquâ, quæ a ventis circumferuntur.*

SI CECIDERIT LIGNUM AD AUSTRUM, AUT AD AQUILONEM, IN QUOCUMQUE LOCO CECIDERIT, IBI ERIT. Eodem semper in statu erimus, in quo mors unumquemque occupabit (s). S. Justinus Martyr, aliique post ipsum (t) sententiam huic fermè similem veluti ex Jesu Christo recitant: *In quibus vos deprehendero, in iis & judicabo.* Si lethalis peccati reos, atque a Deo aversos mors rapuerit, æterno exilio a Dei præsentiâ aberimus, æternisque suppliciis damnabimur: at si charitate, justitiâ, & Dei gratiâ instructos occupaverit, certa nobis spes nunquam desituræ felicitatis erit. Quòd si non adeò perfectæ sint justitia & charitas, quas in animo gerimus, ut omnem labem excludant, si leve aliquod ac veniale peccatum expiandum superfuerit, igne purgatorio expiabimus. *Qui fortè agrum non coluerit*, inquit S. Augustinus (u), *post hanc vitam habebit vel ignem purgationis, vel pœnam æternam*, utì merita postulabunt. Hic autem Purgatorii status, in quo animæ corpore exutæ criminum reliquias in alterâ vitâ expiant, ita haberi non debet, quasi medius sit inter *meridiem & Septemtrionem*, inter damnationem & salutem. Certus salutis status est, cujus tamen integer effectus nondum impletur, & aliquandiù differtur. Qui purgatorio igne torquetur, descriptus in vitæ libro est, & gregis electorum particeps, non secus ac veteris legis Patres, in Abrahami sinu detenti, antequam beatitudine fruerentur.

Alia sententia erui potest ex Hebræo cum superioribus juncto (x): *Si repleta fuerint nubes pluviâ, super terram effundent; & si ceciderit arbor ad meridiem, vel ad septemtrionem, ibi erit.* Benè age dum potes. Nubes aquâ plenas imitare, tum deserta, tum culta loca irrigantes. Nemo inops beneficiis tuis careat. Tempus erit, cùm non licebit. Arbor cæsa dejectaque non surget, neque fructum feret, Fer igitur fructum, dum vivis. Tempus locumque lapsûs citò prævide. *Exciditur arbor in morte, & quocumque ceciderit, ibi erit. Quia ibi te judicabit Deus, ubi invenerit. Ibi, inquam, erit immutabiliter, & irretractabiliter. Quò verò casura sit arbor, si scire volueris, ramos ejus attende. Unde major est copia ramorum, & ponderosior, inde casuram ne dubites. Rami nostri desideria nostra sunt, quibus ad Austrum extendimur, si spiritualia fuerint; si carnalia, ad Aquilonem* (y). Aliter: Beneficium omnibus, qui egent, & quibus potes, indiscriminatim exhibe; nubium exemplo, quæ tum cultos agros, tum arenas incultas ex æquo rigant. Eleemosynæ, quas distribueris, ubi erunt, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, ibi persistent; utì arbor cùm cæditur, quæ in eam partem labi permittitur, in quam suum pondus trahit. Qui verè beneficus est, quò beneficia sua cadant, non curat: hinc atque inde effusè largitur; similes homini arbores in nemore cædenti, qui negligit quò illæ cadant (z). Alii (a) pro arbore fructus ipsius arboris significatos putant. Utì fructus quocumque loco ceciderit, sive in plagâ australi, sive aquilonari, erunt qui illum colligant; sic ubique locorum inveniuntur pauperes, in quos possint collocari beneficia. Ea ibi invenies, ubi collocaveris. Hæc sententia optimè cum iis quæ sequuntur convenit.

℣. 4. QUI OBSERVAT VENTUM, NON SEMINAT. *Qui considerat cui benefaciat, & non omni petenti se tribuit, sæpè præterit eum qui meretur accipere* (b). Proprium munifici hominis ac liberalis est, nullam in beneficio legem servare, præter poscentis inopiam. Si quâlibet in re aut negotio, ubi de tuâ ipsius salute, & Dei gloriâ agitur, nimis cautus ac timidus fueris, si quodlibet arduum aut impedimentum priùs cessare volueris, nihil unquam aggredieris, nihilque perficies (c).

℣. 5. QUOMODO IGNORAS QUÆ SIT VIA SPIRITUS . . . . SIC NESCIS OPERA DEI. Cur quæris quid mereatur is, qui stipem poscit? Cur Deo judicandum non relinquis? An non ipse & hominem condidit, & animâ vitâque instruxit, atque hominis corpus & ossa in matris ventre composuit? An nosti, quâ viâ illius hominis anima in corpus venerit (d)? aut quæ corporis illius structura sit? Cùmque hoc nescias, Omnipotentis opera & consilia scrutari audes? Satis habeto, ut bene facias; beneficii enim memor erit Deus. Nihil coram Deo perit. Sunt qui vertant Hebræum (e): *Quomodo ignoras quæ sit via venti* (f), *& quomodo ossa in ventre matris impleantur: ita nescis opera Dei.* Dei Providentiam & consilia in homines ita ignoras, utì ventorum iter in aëre, & artem, quâ natura corpus in ventre matris compingit: & Providentiæ rationes, mo-

(q) *Hieron. Olympiod. alii.* (r) *Juda*, ℣. 12. (s) *Hieron. hîc: Mortis tempestate subversus ubicumque ceciderit, ibi jugiter permanebit. Vide & Olympiod. Alcuin. Salon. Greg. lib. 12 Moral. In die mortis sua justus ad austrum cadit, peccator ad aquilonem, &c.* (t) *Justin. Mart. Dialogo cum Tryph.* Διὸ καὶ ὁ ἡμέτερος κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς εἶπεν· Ἐν οἷς ἂν ὑμᾶς καταλάβω, ἐν τούτοις καὶ κρινῶ. *Clem. Alex. lib. Quis dives salvus? Basil. ad Chilon. Amphiloch. de Pœnitent. alii.* (u) *Aug. de Genes. contra Manich. lib. 2. c. 20.* (x) אם ימלאו העבים גשם על הארץ יריקו ואם יפול עץ בדרום ואם בצפון מקום שיפל העץ שם יהוא (y) *Bern. serm. 49, inter parvos.* (z) *Vide Grot. Coenel. Jun.* (a) *Abenezra, Camp. Clar. Mercer.* (b) *Hieronym. hîc, & Olympiod.* (c) *Greg. Mag. 3 parte Pastoral. c. 15, & 27; Moral. c. 5.* (d) *Hieron. Vat. Lyr. Hugo, Jans. Chald. alii.* (e) כאשר אינך יודע מה דרך הרוח בעצמים בבטן המלאה ככה לא תדע את מעשה האלהים (f) *Ita Mont. Jun. Pisc. Grot. Grjer. Mercer. Ita & Thaumaturg. Olympiod. & Symmach.*

℣. 6. Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua: quia neſcis, quid magis oriatur, hoc aut illud: & ſi utrumque ſimul, melius erit.

℣. 7. Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre ſolem.

℣. 8. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis, & dierum multorum: qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.

℣. 9. Lætare ergo juvenis in adoleſcentiâ tuâ, & in bono ſit cor tuum in diebus juventutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: & ſcito, quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium.

℣. 10. Aufer iram a corde tuo, & amove malitiam a carne tuâ. Adoleſcentia enim, & voluptas vana ſunt.

COMMENTARIUS.

domque quo Deus beneficia diſtribuit, cur tu locuples, alter inops ſit, quâ ratione Deus munificentiam tuam cognoſcat, quove præmio afficiat, quærere non vereris?

℣. 6. MANE SEMINA SEMEN TUUM, ET VESPERE NE CESSET MANUS TUA: QUIA NESCIS QUID MAGIS ORIATUR (utrum citiùs oriturum ſit) HOC AUT ILLUD: ET UTRUMQUE SIMUL (quòd ſi utrumque ſimul oriatur) MELIUS ERIT, vel (g), neſcis, an utrumque æquè bonum futurum ſit. Pergit ſuadere eleemoſynam & munificentiam. Beneficia plenâ manu sparge, qualibet diei horâ ſemen jace (h): oriente ſole incipe, & ad veſperam uſque ne ceſſes. Beneficia tua uberrimè in omnes fluant, qui illis egent; neſcis enim cui beneficio e multis major merces futura ſit; utrùm primo, an ultimo, an omnibus æqua. *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes*, inquit S. Paulus (i), *maximè autem ad domeſticos fidei. Mane & veſpere* pro quolibet tempore, vel pro adoleſcentiâ & ſenectute uſurpatur.

℣. 7. DULCE LUMEN .... (℣. 8.) SI ANNIS MULTIS VIXERIT HOMO, ... MEMINISSE DEBET TENEBROSI TEMPORIS. Dulcis eſt vita, jucunduſque ſolis aſpectus iis qui amicâ & felici fortunâ fruuntur. At quantumvis diuturna ſit hominis vita, atque omnia pro voto contingant, mortis ac tenebrarum, quò ſubeundum eſt, oblivisci non debet. Hæc concluſio eſt ſententiarum, quibus hic liber conſtat, & quas Salomon impiorum nomine atque ut objectiones, potiùs quàm genuina animi ſui ſenſa, propoſuit. Ita autem orationem claudit, hominem ſcilicet mortis, humanarumque rerum vanitatis oblivisci non debere, neque illas veluti beatitudinem, totiuſque vitæ finem, ſectari. Hebræus (k): *Recordetur dierum tenebrarum, quia multa erunt. Quidquid evenit, vanitas eſt.* Vel: Cùm dierum obſcurorum meminerit, tunc diſcet omnia quæ contingunt, vanitatem eſſe & animi cruciatum. Symmachus (l): *Recordari debet & dierum tenebrarum, quæ multa erunt, in quibus omnibus veniet eſſe deſinere.* Hominem in metu continere, atque a voluptatibus arcere poteſt meliùs nihil, quàm mortis & inferni cogitatio. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis*, inquit Eccleſiaſticus, VII, 40.

℣. 9. LÆTARE ERGO, JUVENIS, IN ADOLESCENTIA TUA .... ET SCITO QUOD PRO OMNIBUS HIS ADDUCET TE DEUS IN JUDICIUM. Ironicè. Seriò de morte cogita, atque animo revolve, geſtorum omnium rationem Deo a te eſſe reddendam; atque hoc meditans, ito jam, tranquillo animo voluptatibus fruere, & oblectare (m). Hæc monita altâ mente deſcribe; ac deinde ſæculi delicias ſectare. Sunt (n) qui ita interpretentur, veluti Salomon spirituali licitoque gaudio uti ſuadeat. Vitæ hujus voluptatibus utere cum modo; in Deo lætare; at ne unquam Divinorum Judiciorum, rationiſque ex te exigendæ obliviſcaris. Prior explicatio aptior videtur. Judæi totum hunc & ſequentem verſiculum de gentis ſuæ ſtatu a Salomonis ætate ad hæc uſque tempora interpretantur. Vide S. Hieronymum hìc.

℣. 10. AUFER IRAM A CORDE TUO, ET AMOVE MALITIAM A CARNE TUA. ADOLESCENTIA ENIM ET VOLUPTAS VANA SUNT. Hìc ſeriò loquitur. Iram ac turbulentas animi perturbationes (o), vindictam, odium, ambitionem ne ſectere. Cohibe pernicioſos amoris æſtus, voluptates ſperne, purum ac temperantem te ſerva: nihil enim niſi vanitas, atque animi cruciatus, æternaque pœnitentia in hujuſmodi cupiditatibus eſt. Ab hoc ℣. 10 plures exordiuntur Caput XII.

CA-

(g) ואם שניהם כאחד טובים
(h) *Hieronym. Olympiod. alii plerique.*
(i) *Galat. VI, 10.*
(k) ויזכר את ימי החשך כי הרבה יהיו כל שבא הבל
(l) *Apud Hieron. hic.*
(m) *Ita plerique, ut Thaumat. Bonav. Hugo, Cajet. Boſſuet, Vat. Mercer. Jun. alii.*
(n) *Ambroſ. Exhort. ad Virgin. Greg. lib. 24 Moral. Albin. Olympiod. Clar. Dionyſ. Carthuſ.*
(o) *Hieron. In irâ omnes animi perturbationes comprehendit; in carnis malitiâ, univerſas ſignificat corporis voluptates.*

CAPUT XII.

Quolibet tempore Deum time. Ænigma de senectute & morte. Terrenarum rerum vanitas. Dogmata Ecclesiastæ multo labore scripta. Ingens librorum multitudo inutilis. Rerum omnium summa Dei timor, ejusque præceptorum obsequium. Quicquid homo bene vel male gesserit, ejus rationem exiget Deus.

℣. 1. MEmento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas: Non mihi placent.

℣. 2. Antequam tenebrescat sol, & lumen, & luna, & stellæ, & revertantur nubes post pluviam.

℣. 3. Quando commovebuntur custodes domûs, & nutabunt viri fortissimi, & otiosæ erunt molentes in minuto numero, & tenebrescent videntes per foramina:

COMMENTARIUS.

℣. 1. MEMENTO CREATORIS TUI IN DIEBUS JUVENTUTIS TUÆ, antequam ad senectutem, ætatem miseram molestamque, pervenias. Pergit hic admonitio, quâ Sapiens adolescentem docere cœpit a ℣. 9 Capitis superioris. Te ne fallant robur, quo instrueris, & voluptatis illecebræ, quibus invitaris. Creatoris ne unquam obliviscare, te illius meditatio contineat; te illius timor nimis acrem cohibeat; te demum ipsius lex ducat & doceat. Toto hoc Capite Salomon alio planè orationis genere utitur ac superioribus. In iis impiorum nomine loquebatur. Errores impiorum, & eos fortasse etiam, quibus in libidinum suarum æstu ferebatur, proposuit: hic falsas illorum ratiocinationes evertit, & quid in vitâ sequendum sit, docet.

℣. 2. ANTEQUAM TENEBRESCAT SOL, ET LUMEN.... AT REVERTANTUR NUBES POST PLUVIAM. S. Gregorius Thaumaturgus, S. Hieronymus, aliique (a) hunc locum explicant de signis, quæ supremo judicio præcedent. Mundi exitum similibus fermè phrasibus describit S. Matthæus (b). Alii de morbis senectutem comitantibus explicant (c). Calamitates, infortunia, mœror frequenter significantur nomine eclypsis Solis & Lunæ, lapsûs astrorum, tenebrarum noctis (d), aliisque locutionibus, quæ ex ingenio Orientalium sunt. At plerique de senectutis incommodis explicant, uti etiam versiculi sequentes ferunt: idque & simplicius, & literæ convenientius esse videtur. Sol, Luna, stellæ significare videntur hoc loco intelligendi vim, memoriam (e), & ratiocinationem. Qui gravi senio premuntur, minùs expeditam cogitandi facultatem habent, memoriam infirmam, minùs acrem certamque ratiocinandi vim, minùs vividas cupiditates, ac denique minùs firma decreta. Si hunc locum intelligas de sensibus, qui in capite præsertim sedent, atque exercentur, visu scilicet, auditu, gustu, loquendi potestate, minimè difficilis erit explicatio (f).

Hæc verba, *Antequam revertantur nubes post pluviam*, optimè exhibent malorum seriem invicem succedentium. Imbrem sequuntur nubes. Post calamitatem altera calamitas venit. Vitæ hyems senectus est, ajebat quidam (g). *Senectus ipsa est morbus.* Hinc fit ut plerumque senes morosi sint, tristes, queruli, inquieti, suspiciosi. Hominum umbræ & imagines quodammodo inter homines sunt (h): cæteris molesti, sibi ipsis graves. Nubes imbrem sequentes quorumdam sententiâ sunt fluxiones, distillationes, pituita, quibus senes torquentur; vel oculorum obscuritas, quæ rerum aspectu probibet, veluti nubibus ac nimbis obvolutos.

℣. 3. QUANDO COMMOVEBUNTUR CUSTODES DOMUS. Cum brachia (i), quæ totius corporis custodes, & præsidium sunt, tremere incipient, & robore destitui, ut in senibus usu venit. S. Hieronymus (k), aliique costas interpretantur, quæ custodum loco sunt, nobilissimas hominis partes, cor, pulmones & reliquas tuentium. At nunquam didici, costas vel in senibus tremere. Alii (l) de capite sensibusque nobilissimis explicant. At cùm hic locus opponatur sequenti, qui luculentissimè femora & crura significat, id satis docet, hunc locum de brachiis & manibus esse intelligendum. Qui de Hierosolymorum excidio, & indiciis supremi judicii prænuntiis explicandum docent (m), ii Angelos Mundi regimini præfectos sub nomine custodum domûs intelligunt. *Virtutes Cœlorum movebuntur*, inquit in Evangelio Christus. Sive Præsules, quibus Ecclesiæ habenæ creditæ sunt.

ET NUTABUNT VIRI FORTISSIMI. Chaldæus brachia, at plerique (n) femora & crura, quæ in senibus infirmantur, & nutant, significari hoc loco docent. Hebræus (o): *Curvabuntur*, seu trement, flectentur, eadent *viri roboris*. Ad verbum, intelligi potest de senibus, olim robustissimis, quos senectus curvavit.

Otio-

(a) *Thaumaturg. hic, Hieron. 1 Exposit. in hunc loc. Rich. a sancto Vict. lib. de fine sæculi, Olympiodor.*
(b) *Matt.* XXIV, 29. (c) *Hieron. 2 exposit. Bonav. Lyr. Grot. Hebr. Dionys. alii communiter.*
(d) *Isai.* XIII, 9, 10, 11; XXIV, 20; *Jerem.* IV, 23, 24; *Ezech.* XI, 11, 7, 8, *&c.*
(e) *Vide Gejer. Glass. Smith. tract. Anglico singulari in hunc locum.* (f) *Vide Mercer. Drus. Menst. Castal. Jun. Pisc.* (g) *Solon. Ita & Eratosth. apud Phavorin.* (h) *Euripid. Vide, si lubet, collecta hic a Cornel.* (i) *Munst. Vat. Grot. Bossuet. Gejer. alii passim.* (k) *Hieron. Rab. Sal. Alcuin. Glass. Bonav.* (l) *Lyr. Titelm. Valess. sacr. Philos. c. 66.* (m) *Thaumat. Vide & Olympiod.*
(n) *Hieron. Albin. Bonav. Lyr. Hugo, Titelm. Bossuet, alii passim.* (o) והתעותו אנשי החיל

℣. 4. Et claudent ostia in plateâ, in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris, & obsurdescent omnes filiæ carminis.

℣. 5. Excelsa quoque timebunt, & formidabunt in viâ: florebit amygdalus, impinguabitur locusta, & dissipabitur capparis: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in plateâ plangentes.

COMMENTARIUS.

OTIOSÆ ERUNT MOLENTAS PARVO NUMERO. Hoc ænigma nullo negotio solvitur; dentes enim apertissimè significat. Pauci plerumque supersunt senibus, ineptique muneri suo, mordendo scilicet ac terendo.

TENEBRESCANT VIDENTES PER FORAMINA. Sedum oculi bebent. De ipsâ etiam oculi pupillâ explicatur. *Foramina* seu fenestræ sunt palpebræ, seu ipsa calvariæ orbita, ubi oculi conduntur. Gejerus senum conspicilia esse putat, quasi Salomonis ætate usus coospiciliotum obtinuerit.

℣. 4. CLAUDENT OSTIA IN PLATEA, IN HUMILITATE VOCIS MOLENTIS. Ostia quæ in plateam sive in publicam viam exponunt, plerumque in senibus clausa, ob exilem vocem molentis, labra sunt (p), quæ claudere coguntur senes, dum cibos terunt, maxillas ac gingivas jungere coacti, ut illarum ope cibos comminuant, cùm dentibus careaot. Aliis (q) sunt seoum pedes, qui publicas in vias prodire jam nequeunt, atque iofirmitatis causâ domi consistere coguntur. Mercerus putat hoc loco significari difficultatem, qua senes comedunt. Vatablus de senum oaribos interpretatur, quas plerumque pituita e cerebro cadens impedit. Alii de asperâ arteriâ, & œsophago, quorum altero cibus potusque ad stomachum, alterâ aër ad pulmones respirationis causâ demittitur. Senes plerumque stomacbum impeditum gerunt, ipsaque pulmonis arteria vocem fractam, raucam ac languidam reddit.

CONSURGENT AD VOCEM VOLUCRIS. Brevis atque intermissus est senum sopor: galli cantu (r) excitantur, summoque mane surgunt. Aliter (s): Parum dormiunt senes, ac levissimo avium concentu excitantur.

OBSURDESCANT OMNES FILIÆ CARMINIS. Aures conceotuum suavitatem non excipient: jucundis gratisque vocibus & concentibus surdus fiet, uti optimus senex Berzellai fatebatur, Davidem alloquens (t): *Octogenarius sum hodie: numquid vigent sensus mei ad discernendum suave aut amarum? vel audire possum ultra vocem cantorum atque cantatricum? Quare servus tuus sit oneri domino meo Regi?* Hebræus (u): *Omnes filiæ cantici deprimentur*, cadent, silebunt. Senum vox fracta est, infirma, exilis; eorumque auribus & voci musica & concentus minimè conveniuot. Hebræa vox aptiùs vocem significat, quàm aures (x). Filiæ vocis propriè sunt lingua, pulmones, labra, arteria, epiglotta, dentes. Hæc verò vel infirma suot in senibus, vel penitus desiderantur. Musica & concentus noo æquè appellari queunt *filiæ carminis* (y), quippe quorum argumentum sunt & carminia & hymni.

℣. 5. EXCELSA QUOQUE TIMEBUNT, ET FORMIDABUNT IN VIA. Curvi ac trementes incedunt senes, veluti alicujus rei lapsum timeant, qua conterantur. Aliter: Timebunt loca alta, nec audebunt conscendere (z); ægrè enim flectuntur crura, & pectus ac respiratio impediuntur. Sive: Lentè atque ægrè gradiuotur, nunquam metu liberi, ne labantur, aut aliquid asperum atque inæquale in itinere offendant. Viam salebrosam metuunt; omoia illis incommoda sunt atque ardua. Hebræus posteriori huic explicatiooi favet (a): *Ab alto timebunt, & ab humilibus in viâ*. Septuaginta (b): *Et sublimia aspicient, & terrores illis erunt in viâ*. Symmachus (c): *Super hæc etiam, de excelso videbunt, & error erit in viâ*.

ET FLOREBIT AMYGDALUS. Satis de hoc loco Interpretes conveniunt. Senum capilli cani fient; flori amygdalino similes videbuntur. Albus est amygdali flos, & præcociùs floret, antequam folia erumpant. Suot qui vertant: Sui ipsius curam negliget: vel, amoris illecebras non sentiet: sive, palpebræ senis crescent: vel, *spina illius florebit* (d), spinosa crates dorsi. At rari sunt harum explicationum asseclæ. Hebræus (e) omnino sonat *amygdalum*, vel *vigilantem*, amygdalus enim præcocissimè omnium arburum floret. Vide Jeremiam 1, 11, 12. Canum caput florere, Græci etiam Scriptores dicunt (f).

IMPINGUABITUR LOCUSTA. Gravis & inepta fit senum moles: quamobrem locustæ satis similes non sunt corporis gravitate, quippe quæ levis atque agilis sit: at locustam optimè imitantur garrulitate, cujus vitii expertes perpauci sunt. Cicadis igitur similes esse senes garrieodi libidine, docet Salomoo, sed cicadis gravibus pinguibusque, volando saltandoque ineptis. Ucalegonem & Antenorem producit Homerus (g), senio confectos, atque ætatis causâ belli impatientes; garrulos tamen, ac prælium ex editâ turri aspicientes, veluti cicadæ quæ in arbore stridunt.

Reddunt alii Hebræum (h): *Gravis fiet locusta*; vel, *prægravis efficietur pes*: os femoris ægrè se sustinebit. Hoc de sene arido, macilento, qui cicadæ more veluti saltitando graditur. Grotius: *Particula salax herniam contrahet*. S. Hieronymus, Chaldæus, aliique plures podagram, senes plerumque torquentem, vel crurium tumorem, qui gressum impedit, interpretantur. Prior explicatio omnium quæ apud Ioterpretes leguntur, aptissima videtur.

DISSIPABITUR CAPPARIS. Senum capillos lapsuros

(p) *Heb. Vat. Castal. Gejer. Bossuet.* (q) *Chald. Hieron.* (r) *Hieron. Bonav. Hugo, Dionys. Titelm. alii plerique. Vide Boch. de animal. p. 2, lib. 1, c. 21.* (s) 70: Ἀναστήσεται εἰς φωνὴν τοῦ στρουθίου. *Heb.* יקום לקול הצפור *Ita Mercer. Jun. Pisc. Jans.* (t) 2 *Reg.* XIX, 35. (u) וישחו כל בנות השיר (x) *Vatab. Smith. Cornel. Hebr. Manst. Drus.* (y) *Cajet. Mercer. Tir. alii.* (z) *Hieron. Albin. Drus. Gejer. Pisc. Vat.* (a) גם מגבה ייראו וחתחתים בדרך (b) Καί γε ἀπὸ ὕψους ὄψονται, καὶ θάμβοι ἐν τῇ ὁδῷ. (c) *Apud Hieron. hic.* (d) *Chald. & quid. apud Hieron.* (e) ינאץ השקד *Sym. Obdormiet vigilans.* (f) *Aristoph. Vespis, p. 507:* Ἐπανθοῦσι τρίχες. *Sophocl. Electr. sub init.* Οὐδ' ὑποπτεύουσιν οὐδ' ἐνθυμούμενον. (g) *Iliad.* Γ:

Γήραϊ δὴ πολέμοιο πεπαυμένοι ἀλλ' ἀγορηταὶ
Ἐσθλοί, τεττίγεσσιν ἐοικότες, οἵτε καθ' ὕλην,
Δενδρέῳ ἐφεζόμενοι, ὄπα λειριόεσσαν ἱεῖσι.

(h) ויסתבל החגב 70: Παχυνθῇ ἡ ἀκρίς.

℣. 6. Antequam rumpatur funiculus argenteus, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota super cisternam.

℣. 7. Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.

COMMENTARIUS.

ros dicit, veluti capparis florem, quæ arbor fructum oleæ similem fert (i). Capparis, ubi expanditur, album florem profert, quantociùs labentem, ex quo glandis oblongæ quoddam genus excluditur. Hunc omnino florem innuit Salomon, quippe quo cani senum capilli, e capite fluentes, totumque caput calvum prorsus ac nudum relinquentes, exhibentur. Alii Hebræum vertunt (k): *Dissipabitur appetitus ciborum*, ut ne cappari quidem irritari queat; vel, concupiscentiæ stimulos atque amoris illecebras non sentiet (l): *Extinguetur libido*. Prima explicatio placet.

Ibit homo ad domum æternitatis suæ, rectâ ad sepulcrum tendit. Ea futura est ultima illius sedes. *Sepulcra eorum domus illorum in perpetuum*, ait de impiis Psalmista (m). *Qui descenderit ad inferos*, in sepulcrum, *non ascendet*, inquit Job (n); *nec revertetur ultra in domum suam, neque cognoscet eum ampliùs locus ejus*.

Circuibunt in platea plangentes. Mos lugendi solemni ritu publicis in locis mortuos, apud Scripturam, atque Itineraria tum vetera cùm Recentiora, quibus mores Orientalium describuntur, occurrit. Ægyptiorum luctum fusè narrat Herodotus (o): *Quibuscumque aliquis ex domesticis decessit, homo alicujus momenti, ibi omnes fœminæ caput sibi & vultum oblinunt luto; deinde relicto domi cadavere, ipsæ per urbem vagantes se plangunt. Alterâ ex parte viri se verberant*. Idem erat Hebræis usus; ac veluti latam a Moyse Legem recitat Josephus (p), ut qui in cœtum aliquem plorantium aut ducentium funus offenderent, illis jungerentur, simulque lugerent. Hunc morem spectabat Christus (q), cùm dixit: *Lamentavimus, & non plorastis*. Eugenius Rogerius *lib.* 2, *cap.* 13, *pag.* 306, narrat, Palæstinas fœminas, cùm funus lugent, in orbem cogi, sed ita ut alteram altera minimè tangat, positâ in medio choreæ anu, os & sinum atro colore infectâ, quæ lugubre carmen incipit, mortui laudes ac gesta recitans. Ad singulas laudes silet, eâque silente cæteræ mulieres iterant ea quæ anus cecinit, & choream ritu lugubri agunt. Eamdem rem fusiùs narrat Le Brun, qui choream ære expressam exhibet: duas tamen anus in medio collocat, manus subinde vocemque miserabili prorsus specie tollentes.

℣. 6. Antequam rumpatur funiculus argenteus, et recurrat vitta aurea. Ingens est de hoc loco dissidium. Sunt (r) *Qui catenam argenteam, & vittam auream* interpretentur vitam & animam, quam ex Deo accepimus, quæque post certum annorum, ceu annulorum, numerum, ad sui principium, ex quo prodiere, revertuntur. Judæi (s) vulgò catenam argenteam esse putant medullam spinæ, quæ omnium fermè nervorum origo est, & per totam dorsi spinam, ceu vinculum aut catena, diffunditur; vittam auream, membranas cerebrum obvolventes, quæ apud nos pia mater, & dura mater nuncupantur. Alii (t) priori nomine generatim nervos, posteriori venas & arterias significari putant. Nervi eâ soliditate & candore sunt, ut argentea catena non ineptè dicantur; venis, ad rubrum colorem, sanguinis causâ, accedentibus, vittæ aureæ nomen optimè convenit. Aptissima videtur hæc explicatio. Neque desunt (u), qui priori voce medullam dorsi, secundâ vesicam fellis indicari censeant. Hebræus (x): *Antequam non rumpatur*, non elongetur, *funis argenteus, & frangatur phiala aurea*. Porrò arbitror, *phialam* vasa seminis, quæ utroque in sexu generationi serviunt, significari; ea verò in senibus fracta quodammodo & inutilia efficiuntur.

Et conteratur hydria super fontem, et confringatur rota super cisternam. Vel: *Antequam rota, qua super fontem est*, scilicet vesica (y), *conteratur*, minùs contineat creditum sibi humorem; *& rota, qua super cisternam est*, quâ hauritur aqua, naturalis scilicet urinæ ductus, *confringatur*, ineptus muneri suo fit. Alii (z) locum explicant de corde, & arteriis venisque eò desinentibus. Cor sanguinis fons est, & cisterna, quò redit, & unde egreditur. Sanguinem excipiunt arteriæ, ut ad reliquas corporis partes ferant; venæ ad cor reducunt. Defuncto homine, singula hæc vasa quodammodo fracta sunt, & inutilia. Aliis (a), hic fons & cisterna est jecur; hydria est fellis vesica: aliis denique cerebrum est, & vasa eò desinentia. Aptissima tamen omnium, ac minimè exquisita videtur prior interpretatio. Commodè etiam de vasis generationi servientibus intelligitur. Vide Numeros, xxiv, 7: *Fluet aqua de situlâ ejus, & semen ejus erit in gentes*.

℣. 7. Et revertatur pulvis in terram suam unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Quid sis, quid futurus sis, ne obliviscere. Mortem, tuumque Conditorem animo revolve. Corpus tuum e pulvere conflatum quamprimùm in pulverem, ex quo conditum est, solvetur; & spiritus ad Deum revertetur sui authorem, a quo junctus est huic materiæ parti, quam nunc animat, & mox relicturus est. Quid verè senserit Salomon de naturâ animæ, hic luculenter docet, paucisque evertit id quod superiùs ita sibi objecerat (b): *Unus interitus est hominis & jumentorum, & æqua utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic & illa moriuntur. Omnia de terrâ facta sunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Hanc impiorum quæstionem hoc loco definit. Homo duabus partibus naturâ suâ discrepantibus constat; alterâ, quæ ex humo est,

---

(i) *Dioscorid. lib.* 2, *c.* 169. (k) ותפר האביונה 70: Καὶ διασκεδασθῇ ἡ κάππαρις.
(l) *Vat. Grot. Gejer. Tir. alii plerique.* (m) *Psal.* XLVIII, 12.
(n) *Job*, VII, 9, 10. (o) *Herodot. lib.* 2, *c.* 85, 86. (p) *Joseph. lib.* 2 *contra Appion. p.* 1075: Πᾶσι δὲ τοῖς παριοῦσι θαπτομένου τινὸς, καὶ συνελθεῖν, καὶ συναποδύρασθαι ἐποίησε νόμιμον.
(q) *Luc.* VII, 32; *& Matt.* XI, 17. (r) *Hieron. Albin. Hugo, Gloss. Titelm.* (s) *Ita Hebræi, & Vales. Pineda, Vat. Dras. Menoch. Smith. Mercer.* (t) *Gejer. Jans. Titelm.* (u) *Grot. Bossuet.*
(x) עד אשר לא ירחק חבל הכסף ותרץ גלת הזהב (y) *Ita Bonav. Vales. Titelm. Grot.*
(z) *Vat. Tir. Hebræi quidam.* (a) *Chald. Abenezra, Mercer. Vat. Gejer.* (b) *Eccle.* III, 19, 20, 21.

℣. 8. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas.

℣. 9. Cùmque esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum, & enarravit quæ fecerat: & investigans composuit parabolas multas.

℣. 10. Quæsivit verba utilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos.

℣. 11. Verba sapientium sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno.

℣. 12. His amplius, fili mi, ne requiras. Faciendi plures libros nullus est finis: frequensque meditatio, carnis afflictio est.

COMMENTARIUS.

est, alterâ, quæ ex Cœlo Deoque. Illa moriens ad pulverem redit, hæc ad Conditorem. Luculentissima hujus veritatis notitia Platoni (c), aliisque nonnullis fuit, cùm hujusmodi animas in aëra, sive in Cœlum reverti tradiderunt. At alii, quibus animæ natura, veraque hominis creatio æquè perspecta non fuit, rudiorem hac de re doctrinam reliquere, ac si animæ natura aërea esset, paulòque subtilior, quàm corpora, quæ sensibus obnoxia sunt; cùm Scriptura ipsam veluti Dei halitum, ac rem prorsus spiritualem describat.

℣. 8. Vanitas vanitatum. Ad principium, primumque propositum reddit Sapiens. Postquam omnia, quæ in mundo sunt, meram vanitatem esse docuit, & impiorum sententiam ac rationes pro viribus exposuit; hìc denique brevi sed validâ oratione concludit, totamque ratiocinationis suæ seriem colligit. Animam igitur, corpusque ex ipsorum naturâ distingui docet (d); necessitatem, utilitatemque moralium dogmatum, & institutionum, quæ a sapientibus viris traduntur, constituit (e); curiosarum, arduarumque disquisitionum inutilitatem (f); Dei timorem, & obsequium (g); denique Divini judicii severitatem, quo sua unicuique merces ex operum merito reddetur (h). Hæc summa est Salomonicæ doctrinæ, totiusque moralis disciplinæ compendium.

℣. 9. Cumque esset sapientissimus ... composuit parabolas multas. Diu post Proverbia hunc librum scripsit Salomon. Atque ex hoc loco eorum opinio confirmatur, qui Salomonis confessionem, atque argumenta illius pœnitentiæ tradi hoc libro putant.

℣. 10. Quæsivit verba utilia. Hebræus (i): *Quæsivit Ecclesiastes invenire sermones, qui placerent*, verba voluntatis, res jucundas, scituque dignissimas, atque ab omnibus expetitas. Levia studia, curiosa, inutilia neglexit. Sive, damnat fortasse curiositatem, sibi maximè noxiam, qua olim impellebatur, ut omnia scire cuperet. Vide *Eccle.* 1, 13, 14; & 11, 12, 13. Postquam diu his quæstionibus agitatus est, ad sapientiæ, & moralis disciplinæ studia, seria, utilia, jucunda, sese convertit.

℣. 11. Verba sapientium sicut stimuli, et quasi clavi in altum defixi. Tuto hoc libro Sapientum sententias, ipsosque Sapientes minimi facere videbatur; ipsorumque conditionem re verà miseriorem quodammodo esse, quàm stultorum, docuerat, quippe qui vitæ hujus malis, & calamitatibus nullatenus careant, studiisque laboriosis, & vanitatis, curarumque, non secus ac cæteræ res sunt, plenis occupentur (k). Hìc verò Sapientiæ bona, & sapientum instituta commendat. Horum monita instar stimulorum sunt, quibus inertes & pigri excitantur. Ea menti altè defixa hærent, ut clavi humo infixi; hominemque constantissimum, atque adversùs calamitates, & voluptatis illecebras immobilem efficiunt; ut clavi, & paxilli tentorium adversùs venti ac procellæ vim regunt.

Quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. Unus hic pastor Deus est, unus animarum dominus, atque unica mentium lux (l). Judæi unum pastorem Moysem intelliguot; Magistros verò Sacerdotes, & eos, qui apud Synagogam in Moysis Cathedrâ sedent, ejusque in explicandæ legis munere successores. Optimè etiam ipsi Salomoni Magistri appellatio congruit, qui Moralem legis disciplinam in Proverbiis universam, totamque veterum Sapientum, ac gentis suæ Doctorum eruditionem collegit. Hebræus (m): *Magistri collectionum dederunt illum a Pastore uno.* Qui Sapientum sententias atque orationes collegerunt, id unius Salomonis nomine aut unius Principis jussu præstitere; hic verò aut Salomon ipse fuit, aut Ezechias, qui, ut in Libro Proverbiorum tradidimus, hujusmodi sententias colligi jussit (n). At si hanc sententiam admittas, dicere cogeris, hunc versiculum Salomonis non esse, sed Collectorum; atque hinc fieret, ut totius Libri, aut certè hujus capitis authoritas infirmaretur. Multo etiam minùs de Zorobabele intelligendum est, qui, inquit Grotius, hanc Collectionem adornari jussit, seque Regem dicere non ausus, nomen usurpavit modestius Pastoris. Si sequi conjecturas licet, Nehemiæ potiùs quàm Zorobabeli tribuendum puto; is enim sacra volumina collegit (o), populique regimen administravit; cùm Zorobabel de Bibliothecâ cogitasse nusquam appareat. Nos tamen pro Salomone pugnamus, cùm nihil ferat Scriptura, quod repugnet.

℣. 12. His amplius, fili mi, ne requiras. Præ-

(c) *Tragicus apud Philon. Utrùm mundus sit incorruptib.* Χωρεῖ δ' ὀπίσω τα μὲν ἐκ γαίας φύντ' ἐις γαῖαν, τὰ δ' ἀπ' αἰθερίου βλαστόντα γονῆς, εἰς οὐράνιον πόλον ἦλθε πάλιν. *Lucret. lib.* 2:

Cedit idem retro de terrâ quod fuit ante
In terris: & quod missum est ex atheris oris,
Id rursum cœli rellatum templa receptant.

Epicharm. in Plut. Apolog. Α'πῆλθε ὅθεν ἦλθε πάλιν γᾶ μὲν ἐις γῆν, πνεῦμα δ' ἄνω.

(d) ℣. 8. (e) Vide ℣℣. 11, 12. (f) ℣. 13. (g) ℣. 14. (h) ℣. 15.

(i) בקש קהלת למצא דברי חפץ (k) *Eccle.* VI, 8: *Quid habet amplius sapiens a stulto?* 11, *Verba sunt plurima, multamque in disputando habentia vanitatem. Vide &* VII, 1, 24, 30; & II, 15: *Si unus & stulti & meus occasus erit, quid mihi prodest? &c.* (l) *Hieron. Licèt plurimi doceant, tamen doctrina author unus est Dominus. Ita Salon. & alii plures.*

(m) בעלי אספות נתנו מרעה אחד (n) *Prov.* XXV, 1: *Parabola quas transtulerunt viri Ezechia, &c.* (o) 2 *Macc.* II, 13: *Ut construeret (Nehemias) Bibliothecam, congregavit de regionibus libros, & Prophetarum, & David, & epistolas Regum, & de donariis.*

℣. 13. Finem loquendi pariter omnes audiamus. Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo.

℣. 14. Et cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.

COMMENTARIUS.

Præcepta, quæ tibi tradidi, amplectere: alios magistros ne sequare; mihi penitus crede. Nemo aut me doctior aut ingenio præstantior, aut studiosior fuit. Omnia tentavi, atque omnia undique expendi: quid bonum esset, quid malum, agnovi. Quamvis omnes ubique Doctores librosque consulueris, nihilo plura ex iis disces.

FACIENDI PLURES LIBROS NULLUS EST FINIS. Quamvis innumeros adhuc libros exararem, ac tu innumeros consuleres, eadem semper dogmata traderentur, Monita mea amplectere (p). Pessimus est nostræ ætatis morbus, librorum copia, novosque scribendi libido (q).

. . . . . *Tenet insanabile multos*
Scribendi cacoëthes, & ægro in corde senescit.

Quòd si ab ipsâ Salomonis ætate communis querela hæc fuit, quid nobis agendum est, qui libros habemus innumeros, at bonos libros rarissimos, si eum malis aut inutilibus conferantur? Vetus effatum est, librorum copiam veræ scientiæ bonisque studiis nocere; optandumque esse, ut pauciores sint, dum meliores. Quod ad mores spectat, si probè intelligerentur, ac sedulo studio versarentur ii, quos Salomon cæterique Canonicorum Librorum Scriptores reliquere, veterum omnium jacturam minimi faceremus: quibus si addas Novi Testamenti Volumina, cætera penitus contemnenda sunt (r). Eos qui bonis moribus ac Religioni nocent, penitus omitto, quos prorsus periisse optandum est; eos etiam qui solummodo curiositati, nugis, historiolis, fabulis, obscenisque carminibus serviunt. At, proh dolor! ingens adeò copia hujusmodi librorum est, ut fermè obruat, cùm ii, qui bonos mores ac Religionem docent, nunquam nimii sint (s). *Patet omnibus veritas, nondum est occupata: multis ex illâ etiam futuris relictum est. Utile est*, inquit S. Augustinus (t), *plures a pluribus fieri libros, diverso stylo, non diversâ fide, etiam de quæstionibus iisdem, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic.* Si enim, uti Origenes (u), ac deinde S. Hieronymus (x) animadvertunt, libros, quos scribis, ad veritatem, quæ una est, & ad eum, qui omnium Scripturarum unus finis est, referas, plures libros exarare, aut plura dicere non accusaberis: una res dicitur, unus liber scribitur, cùm unus omnium librorum finis sit veritas.

Hebræus (y): *Faciendi libros multos nullus est finis: & lectio multa*, nimia meditatio, *labor carnis*. Libros ne multos scribas, neque nimiam operam studio dederis: nimis enim assidua librorum meditatio valetudini nocet. Septuaginta (z): *Filî mi, cave facere libros multos: non est finis; & meditatio multa, molestus labor carnis*. Contrarium planè suadere videtur Chaldæus: *Fili mi, monitus esto, ut facias libros sapientiæ plurimos, adeò ut non sit finis, & ut studeas verbis Legis, conspiciasque defatigationem carnis.*

℣. 13. DEUM TIME, ET MANDATA EJUS OBSERVA: HOC EST OMNIS HOMO. Hæc tota est hominis perfectio: hæc humanorum officiorum summa (α). Teste S. Hieronymo, hîc, *Hebræi cùm inter cætera scripta Salomonis, quæ antiquata sunt, nec in memoriâ duraverunt, & hic Liber obliterandus videretur, eo quòd vanas asserat Dei creaturas, & totum putaret esse pro nihilo . . . ex hoc uno capitulo meruisse authoritatem, ut in Divinorum voluminum numero poneretur, quòd totam disputationem suam hac quasi ἀνακεφαλαιώσει coarctaverit, & dixerit, finem sermonum suorum audita esse promptissimum . . . ut scilicet Deum timeamus, & ejus præcepta faciamus.* Hæc verba, *Hoc est omnis homo*, usurpari possunt veluti eorum, quæ hactenus scripsit, conclusio. *Hoc est omnis homo*, vanitas, afflictio spiritûs: imbecillis, innumeris morbis, erroribus, malis obnoxius. Qui Deum minimè timet, neque fidem Conditori suo servat, ipsâ hominis appellatione indignus est.

℣. 14. CUNCTA, QUÆ FIUNT, ADDUCET DOMINUS IN JUDICIUM PRO OMNI ERRATO, SIVE BONUM, SIVE MALUM ILLUD SIT. Assiduus igitur esse debet homini timor, curaque nunquam intermissa, ut ubi mors accesserit, bonis solummodò operibus onustus sit, quibus præmium a Deo debeatur. Quid verè senserit, sibique toto hoc Libro proposuerit Salomon, ex hoc loco, atque ex superiori versiculo intelligendum est.

Hebræus (β): *Quoniam omne opus Deus venire faciet in judicium, cum omni occulto, sive bonum sive malum sit*, Non modò res bene vel male gestas, sed ipsas etiam cogitationes, arcanaque mentis consilia, seu bona, seu mala, illi planè patebunt, illiusque judicio subjicientur. Pro *omni occulto*, Septuaginta (γ) & Symmachus legunt: Omnem negligentiæ aut inconsiderationis errorem.

(p) *Hieron. hîc.* (q) *Juvenal. Satyrâ 7.* (r) *Aug. de Doctr. Christ. lib. 2, c. ult. Et cùm ibi (in libris sacris) invenerit omnia quæ utiliter alibi didicit; multò abundantiùs ibi inveniet ea, quæ nusquam omnino alibi; sed illarum tantummodò scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur.* (s) *Seneca, epist. 33.* (t) *Aug. lib. 1 de Trinit. c. 3.* (u) *Origen. lib. 5 in Joan. Præfat. & Philocal. c. 5.* (x) *Hieron. hîc.*
(y) עשות ספרים הרבה אין קץ ולהג הרבה יגעת בשר (z) Υἱέ μου, φυλάσσου τοῦ ποιῆσαι βιβλία πολλά, οὐκ ἔστι περασμὸς, καὶ μελέτη πολλὴ κόπωσις σαρκός. (α) Confer *Psal. xxiii, 6: Hæc est generatio quærentium Dominum.* Tales esse necesse est, qui coram Deo stare cupiunt.
(β) כי את כל מעשה האלהים יביא במשפט על כל נעלם אם טוב ואם רע
(γ) 70: Ὅτι σύμπαν τὸ ποίημα ἄξει ὁ Θεὸς ἐν κρίσει, ἐν παντὶ παρεωραμένῳ, ἐὰν ἀγαθὸν, καὶ ἐὰν πονηρόν.

Finis Ecclesiastæ.

IN CANTICUM CANTICORUM PROLEGOMENON.

Liber, quem modò explicandum sumimus, inscribitur *Canticum Canticorum*, nempe eximium & omnium excellentissimum Canticum. Solent enim Hebræi exaggerationis gratiâ ita usurpare: *Deus Deorum*, *Rex Regum*, *Mons Montium*, *Cœlum Cœlorum*. Plurali nomine laudat in Officio Ecclesia, *Cantica Canticorum*; idque damnat Otigenes (*a*), veluti Hebræo contrarium; legit enim singulari numero (*b*): *Canticum Canticorum Salomonis*. Sed facilè eo plurali nomine insinuatum est, plura eo Libro collecta simul Cantica & catmina contineri; reverâ enim plura apparent, cùm sedulò in examen vocatur. Unum est Catmen inter plurima a Salomone scripta, quod nostrâ ætate supersit. Scripsetat enim Salomon quinquies mille (*c*) Cantica, quæ omnia pariter intetcidetunt, præter unicum hoc, & alia fottè nonnulla in collectione Psalmorum legenda (*d*).

Patres, & vulgò Interpretes Judæi pariter & Chtistiani Opus Salomoni vindicant. Rabbinorum nonnulli, quorum tamen opinio singulatis est, Isaiæ esse arbitrantur. Porrò ipse Salomon, tum in fronte Operis cùm in cotpore, de nomine sese significat [*e*]: *Venite & videte*, ajunt filiæ Jerosolymæ, *Regem Salomonem in diademate, quo coronavit cum mater sua*. Ejusdem Sponsi nomen pariter & Regiam dignitatem non silet plutibus in locis Sponsa. *Introduxit me Rex in cellaria sua* [*f*]; & : *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum* [*g*]. Et : *Vinea fuit pacifico* (Salomoni nempe) (*h*). Meminit etiam sexaginta custodum Salomonis (*i*), ejus thalami, cutrûs, sexaginta uxotum ptimi ordinis, & octoginta secundi (*k*).

De tempore & occasione sctipti Operis dissident Scriptores; alii enim (*l*) adornatum ipso Regni exordio credunt, quo tempore totus sapientiæ amore tenebatur, & in vivis adhuc agebat mater ipsius Bethsabee, quam designari dicunt capite III, II: *Venite & videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua*. Contra verò alii (*m*) suspicantur, Regem, cùm provectiotis esset ætatis, & a mulierum illecebtis animum mentemque jam extricasset, ad scribendum sese contulisse. Moventur autem, quòd argumentum tractet in eo Carmine sublimissimum, quod puræ mentis Lectorem exigat. Plerique tamen persuasum habent, scriptum occasione nuptiarum Salomonis cum filiâ Phataonis Regis Ægypti (*n*), ac proinde florentibus adhuc ejus Principis annis. Hæc opinio cùm authotitate Scriptorum, tum rationum pondere maximè omnium probatur. Portò filiam Phataonis carissimam omnium Salomoni fuisse, Scriptura ipsa testatur. Ejus enim usui magnificentissimas ædes construxit [*o*]. Ex ipsâ pariter catminis lectione intelligimus, Salomoni eo tempore præsto tantùm fuisse sexaginta conjuges, & octoginta secundi ordinis uxotes (*p*), quem deinde numetum adeo protogavit, ut ad mille uxotes cteverit (*q*). Sponsam, de qua in hoc Libro, Sponsus admirans dicebat (*r*): *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* Supetabat illa filias Israëlis tum otis elegantiâ, tum dignitate, tum natalium splendore.

Nec me fugit, non defuisse qui ctederent, cani hoc catmine epithalamium pro nuptiis Regis cum Tyriâ aliquâ puellâ; cujus gentis, quemadmodum & Phœnicias, mulieres deperiisse Salomon (*s*) legitut. Invitat ibi Rex Sponsam, ut e Libano veniat [*t*]; aquis fluentibus e Libano (*u*), & rurri Libani (*x*) comparat. Nuptiarum Salomonis pompam auxisse filias Tyri, & muneta Sponsæ obtulisse, legimus in Psalmo XLIV. Nuptiæ igitut cum puellâ Tyriâ celebrabantur.

Malunt alii Sponsam ex ipsâ Jerosolymâ, vel e Sunam, vel saltem e vicinâ Jerosolymæ regione accersere. Invitat semel atque iterum Sponsa dilectum (*y*) in domum marris suæ, & in cubiculum genitricis suæ. Et Salomon [*z*] hortum in agro Jetosolymitano designat, locum ejusdem sponsæ suæ natalitium. Illam pariter appellat *Sulamitidem*, sive juxra plurium exemplaria (*a*), *Sunamitidem*; unde occasio quibusdam suspicandi data est, designari *Avisag Sunamitidem*, quæ senem Davidem fovit (*b*), quam & Adonias in uxorem popoicerat (*c*). Credunt enim ejus senrentiæ assertores, quod tamen vix cuiquam persuadeas, Salomonem fœminam, patri suo antea nuptam, post ejus obitum duxisse. Evertendæ autem opinioni, quæ sponsam esse filiam Pharaonis putat, illud etiam addunt, in eo Carmine designari fœminam, quæ pastoritiam exercuerit, cui fratres gtegem agendum commiserint, ac denique sole tostam obscuratamque (*d*). In vineam pariter & agros se confert, quin & in matetnam domum Sponsum invitans, munus pollicetur fructuum omnis genetis, tum

& vini

(a) *In Cantic.*
(b) שיר השירים אשר לשלומה 70: Ἄσμα ἀσμάτων, ὅ ἐστι Σαλωμών.
(c) 3 *Reg.* IV, 32.
(d) Psalmus CXXVII nomine Salomonis in Hebræo inscribitur; cui pariter a Rabbinis tribuitur Psalmus LXXI.
(e) *Cant.* III, II.
(f) *Cant.* I, II.
(g) *Cant.* I, 2.
(h) *Cant.* VIII, II, I2.
(i) *Cant.* III, 7.
(k) *Cant.* VI, 7.
(l) *Quid. Rabb. & alii in Gisler. & Delrio.*
(m) *Vide Delrio in Can. Isag.* 4.
(n) 3 *Reg.* III, I.
(o) 3 *Reg.* VII, 8.
(p) *Cant.* VI, 7.
(q) 3 *Reg.* XI, 3.
(r) *Cant.* VII, I.
(s) 3 *Reg.* XI, I, 5.
(t) *Cant.* IV, 8.
(u) *Cant.* IV, 15.
(x) *Cant.* VII, 4.
(y) *Cant.* III, 4; VIII, I, 2.
(z) *Cant.* VIII, 5.
(a) *Cant.* VI, 12; & VII, 3.
(b) 3 *Reg.* I, 3.
(c) 3 *Reg.* II, 17.
(d) *Cant.* I, 4, 5, 6.

& vini aromatibus conditi (e). Ubi hic princeps fœmina, & maximè Regis Ægypti filia? Nec minùs ab illâ abludit, quòd Sponsa noctu surrexisse, ac per urbem discurrens pluribus injuriis a militibus affecta esse narratur, qui vel pallium illi suum abstulerint (f). Regina ne sola, & incognita per Urbem discurreret, conjugem quæsitura?

Sed facilè hæc omnia diluuntur. Non enim ita Canticum istud habendum est, quasi historiam contineat, vel epithalamium instar Græcorum & Romanorum, quorum moribus receptum est, ut nuptiales puellæ laudes conjugum & connubii felicitatem carminibus celebrent. Sponsus ibi & Sponsa non rarò solitarii, & absque testibus loquuntur. Varietatis autem gratiâ, quò uberiores essent dulciorum colloquiorum fontes, ad varia rerum adjuncta, ficta licèt, confugere visum est, & in varias formas ipsos conjuges convertere. Ita nunc velut Rex cum Reginâ colloquuntur, modò pastor cum puellâ pastoritiâ agente; modò vir cum puellâ rusticâ: solitarii sæpè, interdum coram testibus secum agunt. Hinc errandi occasio pluribus data est, qui de hujus Libri naturâ & argumento acturi, seriem quamdam actionum & personarum sibi constantem atque connexam in eo Libro esse putaverunt. Frustra tamen illi; cùm varias partes, in quas totum Opus distribuitur, varia tempora, Scriptoris artificium distinguere nescierint.

Ut igitur totam Operis œconomiam pleniùs assequamur, animadvertere oportet, I, Apud Judæos, quemadmodum & apud Lacedæmones [g], receptum fuisse ut statim inito matrimonio viri ad novas nuptas modestâ quadam continentiâ, præsertim septem nuptiarum diebus, accederent. Sponsus non ebrius, neque ad lasciviam compositus, sed sobrius & pro more cœnatus cum amicis, novam sponsam conveniebat, paululumque cum eâ moratus, modestè abibat, ut sicut consueverat, cum reliquis juvenibus dormiret. Idemque postea agebat, ut cum æqualibus interdiu degens, noctuque cubans, ad sponsam cautè commearet: verecundè metuens, nequis eorum qui in domo eâ erant, ipsum animadverteret: nec non etiam sponsa id machinabatur, ut commodè & furtim congredi possent: idque agebant non parvo tempore, sed eo usque, ut nonnulli liberi nascerentur, priusquam interdiu suas uxores viderent. Idem pariter a Judæis servatum est, prioribus saltem ab inito matrimonio diebus, quod non uno Cantici, sed aliarum etiam Scripturarum testimonio discimus. Ita in Proverbiis, VIII, 17, 34, Sapientia personam gerit Sponsæ pro iis sollicitæ, qui summo mane ante fores ædium suarum vigilant. Gemina pariter legas in Sapientiâ, IV, 14, 15; *Eccli.* IV, 13; & XIV, 24, 25. Quibus semel in animo positis, si quis deinde ad Cantici lectionem accedat, idem pariter animadvertet. Sponsus nonnisi per quietem noctis ad Sponsam accedit, raptim ab illâ summâque cautione diffugit, vix primo adventante diluculo. Amicorum cœtum & occupationes suas omnes noctu deserit, statimque se illis summo mane restituit.

II, Septem hic noctes vel septem dies non obscurè distinguuntur. Septem diebus nuptiarum solemnitas apud Hebræos producebatur, ut innumeris exemplis discimus. Labanus, cùm in thorum Jacobi Liam pro Rachele furtim induxisset, ait ad illum (h): *Imple hebdomadam hujus copulæ*; eâque absolutâ, alteram tibi sororem conjungam. Pompa nuptialis Samsonis septem diebus producta est (i), totidemque altera Tobiæ cum Sarâ. Hunc autem Tobiam Raguel ejus socer rogavit, ut saltem unâ secum XIV dies moraretur [k], duplex nempe spatium, quàm nuptiarum solemnitas posceret; futurum enim nôrat, ut nunquam deinceps filiam & generum videret. Eadem consuetudo semper apud Judæos mansit in tantum, ut pro singulis, quas duceret Hebræus quispiam, uxoribus septimanam nuptiarum celebrare teneretur, si Rabbinis credimus (l).

Priori Capite Sponsus & Sponsa personam agunt pastoris; hæc Sponsum interrogat, quò gregem sit ducturus, quem locum fallendis meridianis ardoribus seligat, metuens, ne ipsa imprudens alia quærens pascua longè a Sponso vagetur. Primæ huic diei nox succedit, *Cap.* II, 3, 4, 5, 6. Sponsus summo mane e lectulo surgens, sopitam Sponsam deserit, furtimque in agrum secedit, ℣. 7.

Succedit altera nox, *Cap.* II, 8, 9. Sponsus ad fenestram sponsæ accedens, vix ab illâ agnitus aperto ostio introducitur; manè ad campestria vel pastoralia exercitia sese restituit, ℣. 17.

Cùm tertiâ nocte plus justo Sponsus differret, anxia Sponsa e lectulo surgens, ad illum quærendum a custodibus Urbis sese confert. Vix ab illis processit, cùm Sponsum habet obvium, statimque illum in claustra introducit, *Cap.* III, 1, 2, 3, 4. Summo mane raptim Sponsus fugit in montes, Sponsâ dormiente, ℣. 5. Tum surgens Sponsa in agrum egreditur, ℣. 6.

Capite IV, Sponsus nuptæ venustam oris totiusque corporis elegantiam pluribus laudat, quod ab ipso familiari cum illâ sermone in agro facto legentibus apparet.

(e) *Cant.* VII, 13; & VIII, 2.

(f) *Cant.* V, 5, &c. & III, 2, 3, 4.

(g) *Plutarch. in Lycurgo.* Ὁ δὲ νυμφίος οὐ μεθύων, οὐδὲ θρυπτόμενος, ἀλλὰ νήφων ὥσπερ ἀεὶ δεδειπνηκὼς ἐν τοῖς φιδιτίοις παρελθὼν ἔλυε τὴν ζώνην, καὶ μετήνεγκεν ἀράμενος ἐπὶ τὴν κλίνην. Συνδιατρίψας δὲ χρόνον οὐ πολὺν ἀπῄει κοσμίως ὅπερ εἰώθει τὸ πρότερον καθευδήσων μετὰ τῶν ἄλλων νέων. Καὶ τὸ λοιπὸν οὕτως ἔπραττε. Τοῖς μὲν ἡλικιώταις συνδιημερεύων, καὶ συναναπαυόμενος. Πρὸς δὲ τὴν νύμφην μετ' εὐλαβείας φοιτῶν, &c.

(h) *Gen.* XXIX, 22.

(i) *Judic.* XIV, 12, 15, 17.

(k) *Tob.* VIII, 23.

(l) *R. Eliezer Pirke Aboth*, c. 16.

Hæc dilectum conjugem, ut ad se veniat invisendam, appellat (m). Ille ab amicis, quibuscum cibos capiebat, dilabens, ad fores Sponsæ advolat (n); sed illâ fores non statim aperiente, is in hortum sese restituit. Egreditur statim Sponsa, de Sponso milites Urbis custodes interrogat; a quibus vulnere & injuriis affecta, recedens inde, filias Jerosolymæ de dilecto quæsitura convenit (o). Tandem inter eundum amatum virum offendit [p], & aliquandiu cum eo morata, discedit, *Cap.* VI, 9. Hæc quartæ noctis historia.

Succedente nocte, de qua *Cap.* VII, 1, &c. Sponsus paria in uxore suâ, quæ Sponsa de illo in præcedentibus capitibus, laudat; mane verò ambo in agrum petunt ℣. 11, 12, 13.

Sexta nox in agro villâque, in æde matris Sponsæ acta est (q). Invitat Sponsum Dilecta, exquisitos fructus, & vinum optimum pollicita. Mane Sponsus dormientem Dilectam relinquens, ad montes se confert, Cap. VIII, 4.

Septima nox in horto acta est. Post caput VIII, 5, totum deinde Librum occupant dulcia inter Dilectos colloquia. Mane Sponsus, cùm ab amicis observari se animadverteret, secedendi veniam rogat a Sponsâ; cui illa: *Fuge, Dilecte mi, assimilare capreæ hinnuloque cervorum, super montes aromatum*, Cap. VIII, 13, 14. Hæc, quantum assequi potuimus, tota hujus Operis series est, quæ in septem vel octo scenas sive dialogos commodè distribuitur (r); unde facilis oritur conjectura, frustra epithalamium esse ad consuetas ejusmodi carminum Leges exaratum, ab aliquibus reputari (s).

Totam connubiorum cæremoniam se invenisse in eo Opere Sanctius sibi blanditur. In primâ enim scenâ ostendi credit a Sponsâ votum suum amato potiundi (t). In secundâ anxiam se de ejus absentiâ præbet [u]. Succedit deinde in tertiâ tota connubii cæremonia; annulo sponsa donatur, convivium instruitur (x). In quartâ, Sponsa solemni pompâ ad Sponsi ædes deducitur; dum interim in viâ omnia utriusque conjugis laudibus intonant (y). In quintâ scenâ, Sponsa præ foribus dilecti stans, quæ maximè decent puellas recèns nuptas, docetur (z). Verùm ut hæc omnia in Opere inveniantur, plura in literâ Textûs mutanda sunt, totusque capitum ordo invertendus: quod si semel concedatur, quid non Authoribus affingetur?

Universalis hæc, quam huc usque descripsimus, totius Operis imago, re tamen nonnisi Libri cortex habenda est & superficies. Aliud enim longè sublimius consilium fuit Spiritui Sancto, quod maximè Ecclesia & Patres assecuti sunt. Canere enim aggreditur Author castissimum connubium Jesu Christi cum nostrâ hominum naturâ, cum Ecclesiâ, atque animâ singulorum Justorum. Eò mens erigenda est & spiritus, cùm ad lectionem hujus Libri nos ipsos conferimus. Qui enim profanis oculis & minùs casto corde ad illum accedit, pro spiritu vivificante occidentem literam offendit. Sapienter proinde cauteque Judæi lege caverunt, ne quis ante XXX ætatis annum carmen illud legeret (a). Norant quidem viri illi sapientissimi, Sanctum esse & divinitus inspiratum Opus, quamobrem *Sancti Sanctorum* nomine designabant; sed imbecilliores & profanos arcendos censuerunt; grandius est enim quàm ut illorum imbecillitas ferat, sanctius quàm ut ab aliis violetur. Testatur Gerson, apud Christianos & Doctores etiam suæ ætatis obtinuisse, ut ante XXX annum ab ejus lectione abstinerent: quin & ab eâ interdictos, apud Veteres, prorsus homines carnem tantùm & sanguinem sapientibus, qui spiritualibus & mysticis impares essent, S. Isidorus Hispalensis, capite VII Regulæ, est author.

Summo, quo tenebantur erga sensus mysticos abditosque hujus Operis, obsequio, eò adacti sunt Patrum (b), & Interpretum nonnulli (c), ut minimè quærendum sensum literalem & historicum dicerent; frustra autem referri ad carnale Salomonis cum Ægyptiâ vel Judæâ connubium, quæ nonnisi de Spirituali Jesu Christi cum Ecclesiâ fœdere scripta sunt. Fatemur quidem ultro, citra temeritatis & impudentiæ notam nunquam fieri posse, ut omnia ad verbum, spirituali sensu excluso, exponantur. Id enim præterquàm quòd offendiculo esset inevitabili legentibus, tantumdem haberetur, ac si quis toto ex lectione ejus Operis fructu se ipsum privaret. Si quid tamen minus est periculi in opinione, quæ omnia de Jesu Chisto ad literam interpretatur, quàm in eâ quæ omnia ad literam de Salomone exponit, priorem tamen opinionem non idcirco certam assertamque & quovis immunem discrimine censemus. In veteri Lege res omnes sub figurarum umbris latebant. Vetus Testamentum, adeoque & Canticum Canticorum, perpetuâ allegoriâ intexitur, allegoriâ, inquam, duplici instructâ sensu. Primus offertur Judæis carnalibus, secundus spiritualibus; ille præsentia, hic futura respiciebat: alter Jesum Christum alter Salomonem designabat. Judæi Canticum exponunt de casto Domini cum Synagogâ totâque Judæorum gente connubio. Christiani de fœdere Jesu Christi cum Ecclesiâ.

Cùm Concilium Constantinopolitanum II (d) deliria Theodori Mopsuesteni, ejusque in Cantica Commentarium damnavit, quo in Opere impius ille omnia ad nuptias

(m) *Cant.* v, 2.
(n) *Cant.* v, 2.
(o) *Ibid. vers.* 3, *&c.*
(p) *Cant.* VI, 1, 2, *&c.*
(q) *Cant.* VII, 13; *&* VIII, 1, 2, 3.
(r) *Vide, si libet, D. Bossuet, qui simili ferè ordine Cantica in septem noctes distribuit.*
(s) *Origenes in duplici Comment. super Cant. Mercerus Sanct. Durham, &c. Theodoretus hanc sententiam refutat in Cant. pag.* 984.
(t) *Cant.* II, *&* v.
(u) *Cant.* VI, 3; *&* I, 1.
(x) *Cant.* II.
(y) *Cant.* III, *usque ad cap.* VIII.
(z) *Cant.* VIII.
(a) *Origen. & Theodoret. Præf. in Cantic. Hieron. sæpè, maximè Præfat. in Ezech.*
(b) *Vide Præfat. Theodoret. in Cant.*
(c) *Calov. bic, Vat. Durham.*
(d) *Concil. CP. II, Collat.* 4, *art.* 68, 69. 70, 71, *& Epist. Pelagii* 2: *Cùm Theodorus Canticum Canticorum vellet exponere, & non ad commenta, sed potiùs ad deliramenta laboraret, per hunc librum Æthiopissa Regina blanditam esse professus est.*

nuptias Salomonis cum filiâ Regis Ægypti devolvebat; imponendum tantummodo frænum cenſuit eorum licentiæ, qui totos ſe ad literalem ſenſum convertunt, neglecto prorſus ſpirituali, quem maximè quæſitum a S. Spiritu conſtat. Nunquam tamen rejiciendos improbandosque cenſet Patres illos & Interpretes, qui ſenſu literali & hiſtorico admiſſo, ſpiritualem maximè præferunt, ſuamque interpretationem Jeſu Chriſto accommodant. Hanc methodum ſibi conſtituerunt veterum & recentiorum Interpretum plerique; hanc nos etiam poſt ipſos ſequemur.

Hujus Operis authoritas Judæis æquè & Chriſtianis probatur; unumque inter Veteres refragatorem habuiſſe legimus Theodorum Mopſueſtenum. Hic impudentiſſimè aſſerere non dubitavit (e), nunquam in Eccleſiâ & Synagogâ ejus Scripti lectionem permiſſam fuiſſe; carmen verò eſſe convivale potiùs & nuptiale, ſimile Dialogo, quod olim Plato de Amore ſcripſit. Nihil in eo propheticum, Jeſum Chriſtum reſpiciens, contineri [f]; nihil de hiſtoriâ Regni Salomonis; nihil ad formandos mores, ſapientiamque; ſed meram putamque apologiam initi a Salomone cum Ægyptiâ muliere connubii; cujus rei invidiam purgandam apud populum ſuum Rex ſapientiſſimus ita ſuſceperit, ut Sponſæ ſuæ eo ſcripto carmine blandiretur. Dubitatum eſt etiam de ejus authoritate apud Rabbinos nonnullos; & rejicitur ab Anabaptiſtis, non ſine addito Libri peſſimi elogio. *Flagitioſum Librum* habuiſſe fertur Caſtalio [g]; alii, quòd nunquam ſcriptum Dei nomen præſeferat, inter apocrypha amandant; quæ potiſſima erat pariter ejusdem rejiciendi ratio Theodoro Mopſueſteno.

(e) *Conc. CP. II, collat. 4, art. 71.*

(f) *Ibid. art. 68, 69.*

(g) *Scaligeriana.*

Grotius, celebris ille Grotius, qui ſibi tantum licentiæ in eum Librum uſurpavit, quantum caſtæ Lectorum aures, & ii qui debitum ſervare norunt erga Scripturas obſequium, vix ac ne vix quidem patiuntur, id primò contendit (h), ſecretum Salomonis cum filiâ Regis Ægypti colloquium eo Opere contineri, cujus colloquii, inquit, teſtes adhibiti ſunt juvenes Sponſi ſocii, & puellæ ſponſæ comites. Optimè iſta quidem. Addit deinde, Salomonem totum rei maritalis arcanum honeſto quodam verborum involucro occultaſſe; ex quo factum, inquit, ut Judæi ejus Libri lectionem nonniſi maritali ætate viris permittant. Ad ſe verò quod attinet, ſedulò ipſe quidem in ſuo Commentario aggreditur, arcanum illud a Sapientiſſimo Principe caſto verborum amictu velatum denudare. Quamobrem ſalaciſſima omnia in medium producit, Salomoni plurima affingens, quæ neque ſine horrore audiuntur, neque cogitaſſe ipſum unquam, dum ſcriberet, perſuaſum habemus. Hæc detegere profectò nonniſi corruptus mente animoque ſcriptor potuiſſet. Si Rex ille ſapientiſſimus ea doceret in ſuo Opere, quæ Grotius obſervat, ejus carminis lectio non viris modò infra trigeſimum ætatis annum, ſed ſexagenariis etiam & matrimonio copulatis interdicenda fuisſet. Æternæ oblivioni tradi oporteret impuriſſimum Librum, ex quo virus potiùs quàm puri latices haurirentur. Hanc de Sanctiſſimo Opere ſententiam avertat a nobis Deus. Sed illud monendum cenſemus, plus cautionis quàm ſoleat plerumque, adhibendum eſſe adverſus Scriptorem iſtum, magni virum nominis, qui ſub modeſtiæ & vaſtiſſimæ eruditionis obtentu, perniciem Religioni molitur, in dubium revocans tum finem, cùm exitum oraculorum; quæ omnia a Jeſu Chriſto avertens, & pernicioſas plerumque Rabbinorum expoſitiones adoptans, omnia ad factum aliquod Veteris Teſtamenti divertit.

(h) *Præfat. in hunc Lib.*

Neque id ſatis; ſed addit de eodem Cantico Canticorum idem Grotius. Creditur autem Salomon, ut Operi ſuo vulgi æſtimationem conciliaret, *quò magis perennaret hoc ſcriptum*, eo illud artificio exaraſſe, ut ſine multâ diſtortione omnia ad allegoriam de amore Dei erga populum ſuum trahi poſſent; quem proinde ſenſum Paraphraſtes Chaldæus, & R. Maimonides adoptarunt. Cùm verò Dei erga Synagogam amor ſymbolica quædam habeatur imago caſti alterius amoris Jeſu Chriſti cum Eccleſiâ; hinc non infelici exitu Authores Catholici eumdem ſenſum in Opere inveſtigarunt. Quæ Grotii ſententia perinde valet, ac ſi diſertis verbis fateretur, Salomonem Synagogæ æquè & Eccleſiæ illuſiſſe, utramque dolo malo ſefelliſſe in re maximè feriâ & maximi momenti, cùm probandum veluti authoritatis Divinæ opus traderet, in quo nihil præter laſcivos amores & connubiales, ageretur: omnes Judæos pariter & Chriſtianos Scriptores, Concilia omnia, & ipſum quodammodo Deum a callido Rege deceptos fuiſſe, Deum, inquam, qui in eam maximè rem omnes providentiæ curas intendit, ne unquam profanum aliquod vel non Divinum Scriptum tamquam divinitùs inſpiratum habeatur, neve in Canone Sacrorum Librorum recenſeantur Scripta, quibus maximè virus diffunditur. Quid dictu magis horrendum? Ecquis unquam crederet, id auſum fuiſſe Doctorem Chriſtianum, Canticum illud tamquam Divinum Opus adeò probantem, ut Commentario ſuo cæteris explicet? En celeberrimum illum Grotium, quem & laudare omnes & legere ſtudent. Eò ſcilicet illum duxit libertas, & novitatis opinionum amor.

Huic inſaniæ authoritatem opponimus omnium Eccleſiarum, quà ex Catholicis,

quà

quà ex Protestantibus, Judæorum pariter omnium sæculorum, Conciliorum omnium, Patrum, Interpretum, uno assensu Opus inter canonica & fide Divinâ asserta recipientium. Si Dei nomen nullibi legitur, ejus rei causa esse potuit, quòd perpetua in eo Scripto servetur allegoria, in qua Sponsi nomine Deus ipse & Jesus Christus designatur; eò enim maximè spectasse Author creditur: ipsaque Operis natura poscebat, ut latens sub allegoriâ sensus nunquam proderetur. Porrò velamina illa subducere, nudamque veritatem demonstrare, ad nos, qui Commentaria scribimus, pertinet. Frequentissimæ sunt hujus generis apud Scripturam allegoriæ, quemadmodum toties Synagoga & Ecclesia sub imagine vineæ (i) vel Sponsæ [k] exhibitæ satis demonstrant. Quis autem talia legens in Scripturâ, expressum Dei nomen postulet, Dei nempe, hujus Sponsæ viri, & hujus vineæ possessoris? Relinquitur id curæ Scriptorum, qui latentes Scripturæ sensus promere student.

Canticum Canticorum perpetuus est tropus, quo Christi connubium cum Ecclesiâ significatur. Hoc troporum genus amabant Judæi. Quædam verò hujus generis figuræ in Scripturâ leguntur, quæ omnem veræ prorsus historiæ similitudinem præferunt. Porrò nulla ætas est, qua Patres Canticum Canticorum veluti epithalamium connubii mystici Christum inter & Ecclesiam non habuerint. Ea constans est Majorum doctrina, per manus accepta, quam tota semper Ecclesia ab exordio sequuta est. Qui allegorias solummodo ex hoc Libro erui queruntur, injusta planè est istorum querela. Is enim, quem allegoricum ac mysticum appellant, proprius est hujus Libri sensus. Si rudem carnalemque solummodò explicationem sectaris, totum non assequeris. Neque id eò dicimus, ut omnes omnium Interpretum, Mysticorumque Scriptorum explicationes adoptemus. Quæ apud istos puerilia, inepta, vulgaria inveniuntur, ea vitio tribuenda non sunt Libro, qui sacer ac Divinus est. At si Canticum inspicias, veluti imaginem connubii, quo Christus & Ecclesia junguntur, imago nobilissima est, sublimis, omnibusque Veteris ac Novi Testamenti verbis, & communi Synagogæ & Ecclesiæ consensu freta.

Ejus Operis stilus rebus maximè respondet, vividus, mollis, blandus; ut ipsum per se Opus omnibus numeris absolutum, nullâ etiam divinâ revelatione accedente, habendum sit. Ambo conjuges sententias suas figuris, ænigmatibus, comparationibus ex agro deductis ornant. Nihil frequentius occurrit quàm unguenta, aromata, fructus, vinum, horti, fontes, ejus regionis deliciæ. Apparent quidem interdum longiùs deductæ, & vehementiores figuræ; sed indulgendum aliquid tum ingenio Orientalium, tum ferventis amoris igniculis.

Cùm nostrâ ætate Castalio Librum hunc nimis affectatâ vocum blanditie vertisset, quas ille voces ex profanis Authoribus mutuans, perniciosas quaslibet animi cupidirates veluti pingere jussit, ejus consilium Theologi omnes, etiam Protestantes, improbarunt. Visus est enim debito erga Librum obsequio deesse, & sannis impiorum exponere opus venerabile; loquentes nimirum exhibens Sponsum & Sponsam tamquam perditos amantes, qui profana plurima mutuis colloquiis effutiunt. Theodorus Beza, Castalioni in primis adversus, quem in alio reprehendebat errorem, ipse pariter adoptavit; parvo quodam elegantique libello Latinis carminibus Canticum tradens. Porrò Beza indignas adeo Scripturæ gravitate sententias utrique Conjugi affingit, ut honestissimorum quorumcumque invidiam in se provocaverit (l). Gilbertus Genebrardus, cui maximè indignus videbatur in re tam seriâ lusus, eo quo tenebatur Catholicæ Religionis studio, probrosum illud Bezæ Scriptum exagitandum suscepit, ridicula omnia demonstrans, errores detegens, & prolixâ epistolâ coram Ministris Calvinianis Scriptorem accusans; tum carmina carminibus opponens, pro mollibus lascivientibusque seria & elegantissima dedit, doctissimo pariter in Canticum adjecto Commentario.

Paraphrasis Chaldæa ejus Operis prolixam refert & morosam omnium, quæ in Cantico leguntur, cum historiâ Judæorum compositionem. Græca Versio accuratissima est. Du Bos in novâ editione Septuaginta Franeckeræ MDCCIX, Versionem Cantici Symmachi Opus esse arbitratur.

(i) *Ps.* LXXIX, 9; *Isai.* V, 1, *&c. Jerem.* II, 21; *Ezechiel.* XVII, 6; *Matt.* XX, 1; XXI, 33, *&c.*

(k) *Vide Isai.* LIV, 5; & LXI, 10; & LXII, 4, 5; *Jerem.* II, 32; *Ezechiel.* XVI, 8; *Osee,* II, 16; *Matt.* IX, 15; & XXII, 2; & XXV, 1; *Joan.* III, 29; & 2 *Cor.* XI, 2; *Ephes.* V, 23; *Apoc.* XIX, 7; & XXII, 2, 17.

(l) Legitur e. g. *Ecce tu bellissima, His columba prædita Patulis ocellulis, Hinc & inde pendulis Crispulis cincinnulis.* Paulò post: *Talis est tibi coma, Mollicella crispula.* Et alibi: .... *Callida, Altero me patulo Contuens ocellulo, Alterum cervicula, &c.* Et infra: *Hisce me quàm blandulis, Unicè charus mihi Excitavit voculis: Tu mea ô sororcula, Tu mea ô columba.* Et alia ejusdem ingenii sexcenta.

DISSERTATIO

DE CONNUBIIS HEBRÆORUM.

De connubiis tractatio adeò latè porrigitur, ut unicâ Dissertatione totam complecti nunquam possimus. Quare nec ut Jurisconsulti tamquam civile aliquod pactum, nec ut Theologi tamquam morale aliquod sive religionis opus, Dei nominis invocatione sacrum, respiciemus, at de solis nuptialibus ritibus disserendum erit nobis in præsentiâ, tum & de pactis sponsalitiis; quibus de rebus priscos recentesque mores, quantum sat est ut Commentario in Canticum Canticorum serviant, percurremus.

Præcocissima erant apud Hebræos connubia: virorum ætas a Rabbinis præscribitur XVIII annorum (*a*); quam ætatem si quis cælebs exegerit, ille criminis reus est, præceptum illud Dei ad primos homines transgressus: *Crescite & multiplicamini* (*b*). Liberum tamen erat unicuique ætatem illam prævenire. Quod ad puellas attinet, citissimè quidem sponsalibus obligantur; nuptiæ verò tamdiu differuntur, quamdiu pubertatis, quam vocant, ætatem, nempe duodecim annorum & unius diei (*c*), non absolvant. Hinc phrasis illa in Scripturâ familiaris: *Uxor pubertatis meæ* [*d*]; qua priores in adolescentiâ nuptiæ designantur; & illa, *Dux pubertatis* (*e*), quæ de Sponso usurpata est.

Facilè hinc intelligimus, cur virginitas opprobrio esset Israëlitis, ut insignis præ omnibus probri loco ducerent Hebræi, si domum patris sui non ædificatam reliquisse, neque eorum nomen in Israële suscitasse, sibi exprobraretur. Hinc luctus filiæ Jephte, virginitatem suam non secus ac funus lugentis (*f*): dies enim suos virgo claudebat, nullo patris hærede relicto. Hinc etiam Dei adversùs Israëlitas minæ apud Isaiam (*g*), futurum prædicentis, ut rari adeò in Israële viri occurrerent, ut septem fœminæ unicum virum quæsituræ essent, contra communem omnium gentium morem, hoc solùm ab illo postulantes: *Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum super nos: aufer opprobrium nostrum*: ac si dicerent: Id tantùm volumus, ut uxores tuæ appellemur, & virginitatis opprobrium a nobis auferas. Dilecta in Cantico, VIII, 1, ita charum sibi virum affatur: *Quis mihi det, ut inveniam te foris, & deosculer te, & ducam in domum matris meæ, & jam me nemo despiciat?* idest: Quando nam fiet, ut ego uxor & mater facta, duplex a me sterilitatis & cælibatûs opprobrium repellam? id enim designat Sponsi in maternam Sponsæ domum introductio.

Cùm verò mulieres, præsertim puellæ, in claustris domûs suæ ab omni exterorum commercio prohibitæ detinerentur; plerumque alicujus puellæ connubia petebantur, antequam conjuges mox futuri se mutuò cognoscerent. Puella ante conjugium *alma* appellabatur, idest, clausa; & cùm Scriptura grande aliquod malum (*h*), vel novum quid, quo totus. Urbis populus cieatur, exprimit, ipsas e claustris puellas accurrisse dicit: *Filia patris abscondita* (in domo nempe patris) *est vigilia & sollicitudo ejus, aufert somnum; ne fortè in adolescentiâ suâ adulta efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat*, ait Ecclesiasticus, XLII, 9. Et in Cantico, VIII, 8: *Soror nostra parva est, & ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?* idest, quando nuptiæ ipsius postulandæ, sive quando coram dilecto suo producenda; quemadmodum producta est Rebecca coram Eliezero Isaaci pronubo, utrùm iis nuptiis assentiretur, interroganda (*i*). *Si murus est*, addit Canticum, *ædificemus super eam propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*, idest, vestibus splendidissimis, ac muliebri cultu ejus decorem elegantiamque promoveamus.

Hemor pater Sichem, & ipse per se Sichem nuptias Dinæ filiæ a Jacobo parente postularunt (*k*), & Samson visæ a se mulieris in Thamnata, genere Philistinæ, specie captus, ejus nuptias optare se patri suo significavit (*l*). His auditis, parentes & ipse Samson ejus puellæ parentes eâ de re rogarunt, pactaque nuptialia sancita sunt. Nuptiæ tamen diù prorogatæ; cùm enim Samson ad Sponsam sese conferret, leonis a se necati, cùm primò Thamnatam iret, cadaver tabo resolutum offendit, & in nudâ ossium compage apes insedisse. Hoc exemplo doctrina Judæorum confirmatur, pacta nimirum sponsalia diutiùs connubium præcedere, scilicet sex mensium vel totius anni spatio (*m*). Id tamen non usque adeo receptum fuisse, ex Tobiæ junioris historiâ [*n*] docemur, quippe qui statim a postulatis nuptiis matrimonium inivit. Tradunt Rabbini, quibus tamen nimìmè credimus (*o*), integrum non fuisse parentibus, si forte a quopiam filiarum nuptiæ postularentur, recusare, modò puella certam puberta-

(a) Leon Modena, Riti de' Giudei, cap. 3.
(b) *Gen.* 1, 28.
(c) *Selden. Uxor Hebr. lib.* 2, *c.* 3.
(d) *Joël.* 1, 8: *Super virum pubertatis tuæ. Et Malac.* II, 14: *Uxorem pubertatis tuæ.*
(e) *Proverb.* II, 17: *Reliquit ducem pubertatis suæ.*
(f) *Judic.* XI, 37.
(g) *Isai.* IV, 1. *Vide & Jerem.* XXXI, 22: *Mulier circumdabit virum.*
(h) 2 *Macc.* III, 19; & 3 *Macc.* Αἵ τε κατάκλειστοι παρθένοι.
(i) *Genes.* XXIV, 56, 57, &c. 57.
(k) *Genes.* XXXIV, 4.
(l) *Judic.* XIV, 2, 3, &c.
(m) Leon Modena, Riti de' Giudei, cap. 3.
(n) *Tob.* VII, 14, 15.
(o) *Maimon. Halach. Ischoth, c.* 3.

bertatis ætatem, duodecim nempe annorum & unius diei, exegisset. Contrarium planè a Scripturâ innui credimus, apud quam semper filiæ in parentum potestate sunt, & pro arbitrio ipsorum, nemine repugnante, elocantur. Idem observare licet in connubio Rebeccæ, & Saræ uxoris Tobiæ junioris, quæ sanè puellæ legitimam ætatem attigerant: licet etiam spectare in Thamare nuru Juda, quæ sine soceri assensu connubio jungi interdicebatur.

Pacta Sponsalia sive scripto sive traditâ a Sponso argenteâ aliquâ monetâ puellæ, vel saltem contubernio & conjugali commercio firmabantur [p]. Hæc syngraphæ formula: *Tali ferià, tali die mensis N. Anno tali a creatione Mundi, juxta supputationem, qua nos utimur*, &c. *Quo tempore Talis, filius Talis, dixit Tali puellæ, filiæ Talis. Sis mihi Sponsa, juxta institutum Mosis, & Israëlitarum, & dabo tibi dotem virginitatis tuæ, argentum scilicet* cc *zuzorum, quæ summa competens est tibi ex ipsâ Lege. Et assensum præbuit Talis* (puella), *ut ejus jam esset Sponsa. Ideoque Sponsæ huic suæ promisit dotem scripto ei constituere diebus eorum Nuptialibus. Insuperque dixit: In me suscipio, atque in hæredes meos posterosque, præstare quod in hoc Libello sponsalitio continetur, etiam ex pallio, quod in humeris meis: idque sive vivam sive moriar. Quin & suscepit in se Talis* [Sponsus] *præstandi quod in Libello hoc Sponsalitio continetur, onus, juxta ea, quæ ex more attinent ad alios ejusmodi Israëlitidum libellos Sponsalitios, &c. Testes* N. N. N. Pacta verò traditione nummi & sine scripto firmata coram Testibus agebantur; illis enim adhibitis, vir puellæ nummum tradens profitebatur: *Ecce tu mihi ex hoc Sponsa sis*. Oppignerationes per contubernium Lege quidem permitti docent Rabbini (*q*); a Majoribus verò interdici, ob conjugiorum clandestinorum incommoda, & quòd licentiæ ansam præbeant (*r*).

(p) *Selden. lib. 2, c. 2, Uxoris Hebraica.*

(q) *Deut.* xx v, 2.

(r) *Vide Selden. loc. cit.*

Conciliatis semel sponsalibus, mutua virum inter & mulierem familiaritas, ad id usque interdicta (*s*), non tamen licentia, permittitur. Si quid deinde vitii Sponsa cum alio præterquàm cum Sponso contraheret, adulterii rea censebatur (*t*). Sunt qui oppigneratam solùm S. Josepho B. V. Mariam, Jesu Christo fœtam, credant, quæ si fortè criminis, cujus ex tumore ventris suspicionem, mysterium ignorantibus, præbebat, rea deprehensa fuisset, potuisset a viro continuò non dimitti modò, dato repudii libello, sed adulterii nomine punienda Magistratibus deferri. Esto enim mutua inter sponsos familiaritas permitteretur, non ea tamen, quæ conjugibus post celebratas reapse nuptias, facultas dabatur. Ita Patrum edicto cautum habebatur, arctioribus conclusâ finibus Legis licentiâ, quam id minimè vetare ajebant: e re publicâ enim visum est, eâ inhibitione publicæ honestati & morum integritati consulere. Si quis fortè hujus præcepti reus damnaretur, flagrorum animadversionem subibat.

(s) Leon Modena, cap. 3.

(t) *Selden. lib. 2 Uxoris Hebr. cap. 2.*

Receptum erat apud Hebræos, ut Sponsus soluto pretio Sponsam emeret; qua de re conveniebat inter partes, uti de cæteris nuptiarum conditionibus; de dote a viro solvendâ, de muneribus etiam parentibus & fratribus Sponsæ tradendis, antequam pacta Sponsalia rata haberentur. Testem horum exhibemus historiam Jacobi. Conventum est primò inter ipsum & Labanum de septennii famulatu, quo ipse Jacob emendi causâ Rachelis conjugii serviret; totidemque insuper annis serviit pro eâdem Rachele, cùm priores nuptiæ cum Liâ pro Rachele, fraude Labani, conciliatæ fuissent (*u*). Queruntur autem ambæ Jacobi uxores, quòd debitam sibi dotem parens usurparit [*x*]; quarum querelæ sive Labanum injustitiæ accusant, sive minoris erga filias indulgentiæ; neque enim tamquam aliena rapientem restitutionis reum agunt. Saul filiam Micholem Davidi vendidit centum præputiis Philistinorum [*y*]. Sichem, filius Hemoris, Dinæ nuptias postulans, hæc ad fratres puellæ dicebat: *Inveniam gratiam coram vobis, & quæcumque statueritis, dabo. Augete dotem, & munera postulate, & libenter tradam quod petitis: tantùm date mihi puellam hanc uxorem* (*z*). Quindecim nummis argenteis, hordeique mensurâ cum dimidiâ, Osee uxorem êmit (*a*). Nec tamen propterea abstinebat pater, quin pro conditione suâ munera daret filiæ, quæ sumptui in cultum puellarem, & solemnem in domum Sponsi traductionem sufficerent. Moribus receptum erat, ut munera illa quinquaginta zuzos non excederent. Zuzi nummi erant vilissimi (*b*), unico argenteo denario, ex Rabbinis respondentes, idest quartæ parti sicli argentei, sive octo solidis circiter nummi nostratis (*c*).

(u) *Genes.* xxix, 26.

(x) *Genes.* xxxi, 15.

(y) 1 *Reg.* xviii, 25.

(z) *Genes.* xxxiv, 11, 12.

(a) *Osee* iii, 2.

(b) *Misna tit. Ketuboth, c. 6. Vide Selden. lib. 2 Uxoris Hebr. c. 10.*

(c) *Selden. Uxor. Hebr. lib. 2.*

Hæc formula syngraphæ nuptialis apud Hebræos [*d*]. *Die N. Mensis N. anno juxta calculum nobis in usu &c. Ad fluvium N. N. filius N. dixit N. Filiæ N. Virgini: Sponsa sis mihi in uxorem, juxta institutum Mosis & Israëlitarum. Et ego, Deo volente, colam, honorabo, sustentabo, cibabo, alamque, & vestiam te juxta morem Maritorum Judæorum, qui honorant, sustentant, cibant, alunt, vestiuntque uxores suas, ut decet. Do etiam tibi, ut virginitatis tuæ dotem, argentum* CC *Zuzorum* (*e*), *idest* XXV *zuzos argenteos, qui tibi ex Lege competunt; præstiturus etiam tibi alimenta tua, vestimenta tua, & quæ tibi sufficiant, & concubitum tecum juxta morem universæ terræ. Assensum item præbuit illa N. ut esset illi N. in uxorem. Voluit etiam & adjecit ille*

(d) *Maimon. Halac Jebom Vebaliza, c. 4 apud Selden. lib. 2, cap. 10, Uxor. Hebr.*

(e) Summam conficiunt L siclorum argenti, seu LXXXI librarum nummi nostratis.

ille

illi in principalis dotès incrementum summam N. Et bona quæ attulit ipsa Sponsa, æstimantur summâ N. Totum autem Sponsò huic acceptum, in ejus possessionem transit, & illius sit potestatis, atque ut creditum ex ejusce fide pendet. Et sic nobis dixit Sponsus ille N. In me recipio præstare, in me recipio præstationem totius ipsius dotis etiam & bonorum quæ secum ipsa Sponsa attulerit, aut post modicum sibi acquisierit; item & dotis incrementi conditionumque qualiumcumque ad dotem attinentium; nec in me solùm, sed etiam in hæredes meos, qui mihi successerint, & in omnem substantiam meam pretiosiorem, possessionesque meas qualescumque sub Cœlo, quæ sive nunc mihi sunt, sive in posterum fuerint, idque, sive res fuerint mobiles, sive immobiles; quæ universa pignori sunt atque hypothecæ doti jam dictæ toti, ac rebus quas secum attulit, seu postmodum acquisierit Sponsa, & incremento dotis, ut exinde hæc præstentur, sive dum superstes fuero, sive postquam sim mortuus. Quod & de pallio super humeris meis dictum volo. Quin & obligatio omnium rerum, quæ supra scribuntur, memoranturque implenda, non quà probatio suppetat deficiatve, seu pro Libelli formulæ vi, sed juxta vim & effectum omnium Libellorum dotalium, qui in usu apud Israëlitas, & secundùm id quod receperunt & ordinarunt Rabbini nostri piæ memoriæ. Et signavimus Libellum, seu Syngrapham hanc dotalem tempore supra memorato. Resque tota sit manifesta rata ac firma.

Cùm inter partes de nuptiis contrahendis convenisset, certa ad eam rem dies decernebatur. Quartam feriam vel sextam pro puellâ, quintam pro viduâ eligunt Judæi recentiores [f]. Pridie nuptiarum Sponsa ad balneum se confert, totumque ibi corpus mergit; euntemque ac redeuntem comitantur fœminæ, strepentibus circum variis culinæ instrumentis, ut de nuptiis vicinis quisque moneatur. Collaris simul quæ Seldenus, Buxtorfius, & Leo Modena in eam rem scripserunt, cùm non satis illi inter se conveniant, suspicor, non eumdem ubique apud Judæos morem obtinere, sed pro variâ regione in pluribus variari. Qua die celebrandum est matrimonium, Sponsa mundo muliebri ornanda solemni pompâ & inter pronubarum concentus in aulam, ubi ornanda est, deducitur. Deus ipse, si fides Rabbinis (g), a se alienum non censuit, suis ipsum veluti manibus Evam comere, mox ad nuptias Adami producendam. Quare ornata Dei ministerio Sponsa, atque splendidissimis vestibus fulgens, Sponso coram astitit. Canebant interim Angeli omnium instrumentorum concentu, primis illis nuptiis plaudentes; cùm interim Deus triumphalem umbellam, sub qua nuptiæ contrahendæ erant, sufficeret. Miserrima rudioris crassiorisque populi commenta!

(f) Leone Modena, Riti de' Giudei c. 3.

(g) *Rabb. in Talmud. Vide Buxtorf. loc. citat.*

Cæremonia nuptialis plerumque in atrio, horto, vel agro, sub dio semper, celebratur (h); aliquando tamen aula velis ornata in eam rem instruitur, ait Leo Modena, *cap.* 3. Deducendis autem Sponsis nec instrumenta musica desunt, nec umbella a quatuor adolescentulis sustentata. Nigrum flammeum ori Sponsæ obducitur, quo in memoriam reducitur velum Rebeccæ, quo sibi faciem velavit, cùm procedentem obviam Sponsum suum Isaacum prospexit (i): similique velo obnubitur Sponsus, in memoriam, utì ferunt, eversionis Templi Jerosolymitani. Deinde amborum simul conjugum capitibus imponitur *Taled*, quadratum nempe velum, singulis floccis ad quatuor angulos ornatum; id autem ejus rei gratiâ præstitum docent Rabbini, quòd Ruth ad Booz dixerit: *Extende pallium tuum super famulam tuam, quia propinquus es* (k); & Deus de Israëlitis, quos veluti Sponsam exhibet, ita loquatur (l): *Transivi per te, & vidi te, & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam; & juravi tibi, & ingressus sum pactum meum, & facta es mihi.*

(h) *Buxtorf. ibidem.*

(i) *Gen.* XXIV.

(k) *Ruth,* III, 9.

(l) *Ezech.* XVI, 8.

Tunc Rabbinus loci Præfectus, sive Cantor Synagogæ, vel saltem propinquior consanguineus, craterem seu vas plenum vino sumens, pronunciatâ priùs in hæc verba benedictione, *Benedictus sis Deus, qui creasti marem & fœminam, & matrimonium injunxisti &c.* Sponso priùs, deinde Sponsæ gustandum poculum propinat. Secundùm hæc, Sponsus annulum digito Sponsæ coram testibus, Rabbinis plerumque, inserit, hæc simul verba pronuncians: *Ecce mihi Sponsa sis ex hoc annulo, secundùm institutum Moysis & Israël.* E solido auro parari annulum, nullo gemmæ ornamento, Buxtorfius scribit; docens simul, Sponsum universi cœtûs homines testes adhibere, annulum aureum esse, ac pretii quod exquiritur. Excipit deinde lectio syngraphæ nuptialis, quam sponsus puellæ consanguineis servandam tradit. Iterum post hæc vinum sive in vitro sive in fragilis materiæ vase aliquo, post cantatas sex benedictiones, [septem cum priori, de qua supra, canendæ sunt] iterum novis conjugibus propinatur, reliquo in signum lætitiæ effuso. Acceptum deinde vas Sponsus parieti sive humo violenter allidit, cujus confractio Templi Jerosolymitani desolationem exprimit. Solet alicubi cinere ejus rei gratiâ Sponsi caput inspergi. Æquiorem alii moralemque interpretationem ejus cæremoniæ promunt, nimirum ut aliquod mortis symbolum ejus festi lætitiam diluat, eâque veluti imagine fragilem labilemque naturam in vitro expressam homines intueantur. Eò pariter spectare dicunt atra illa velamina, quibus utrinsque Sponsi caput obnubitur (m). Ea porro velamina linea esse, & phrygiis ornamentis, gemmis

(m) Confer *Buxtorf. & Leon. Moden. loc. cit.*

(n) *Selden. Uxor Hebr. lib. 2, c. 5.*

gemmis, auro argentoque ornata, Seldenus post Rabbinos docet (*n*).

Idem Seldenus nonnulla, non abs te prorsus hic referenda, in hæc omnia observat. I, Post contracta Sponsalia, & obsignatam maritalem syngrapham, integrum est Sponso Sponsam in ædes deducere, atque nuptias maturare. Id tamen non sine exceptione viris permititur. I, Si puella duodecimum ætatis annum unâ die nondum excessisset, cautum erat Sponso, ne e domo patris educeret, neve matrimonium consummaret, nisi patre & puellâ simul annuentibus; & utroque assentiente, integrum erat puellæ anni moram petere, quod pariter jus puellæ puberi concedebatur, ut toto anno matrimonium differre posset. Quamquam si pacta Sponsalia integro anno post filiæ pubertatem celebrarentur, tunc unius tantùm mensis mora permittebatur. Fas etiam Sponsæ ad implendas nuptias Sponsum cogere; qui vicissim eodem jure ac Sponsa, de differendo nempe matrimonio, gaudebat. Si ultra concessum tempus nuptiæ protraherentur, alere suis sumptibus Sponsam usque ad nuptias Vir tenebatur, donec ea quæ Sponsa postulaverat, implevisset. Hæc disertè quidem nusquam in Scripturâ. quæ tamen certum aliquod tempus, intra quod Sponsalia definienda essent, non obscurè designat, narrans, Jacobum impleto certo tempore nuptias Rachelis a Labano exegisse (*o*): *Da mihi uxorem meam, quia jam tempus impletum est, ut ingrediar ad illam.*

(o) *Genes.* XXIX, 21.

(p) *Selden. ibid. lib. 2, c. 12.*

(q) *Genes.* XXIX, 17.

(r) *Tob.* XIII, 23.

(s) *Judic.* XIV, 15.

Festis diebus & Sabbato a Sponsalibus & connubiis ineundis Judæi abstinebant: sunt etiam qui privilegium diei festi ad præcedentem Sabbato diem & sequentem [*p*] prorogent; quod testimonio Leonis Modenæ repugnat, ex cujus fide seligi ad eam rem sextam feriam, supra narravimus. Nulla tamen Sabbati religio impedit nuptialia illa festa, septem dierum, ut minimum, spatio celebrata; quemadmodum exemplis Liæ [*q*], Saræ junioris Tobiæ sponsæ [*r*], & Samsonis (*s*) docemur. Ea nuptialis pompa sanctè adeò exigebatur, ut plures licèt uxores vir eâdem die duceret, nihil e septem illis diebus demere permitteretur, inquiunt Rabbini.

(t) *Tob.* VII, 15.

Annulum nuptialem, quo sibi Sponsus puellam oppignerabat, vetustissimam esse, & ad rem conjugii pertinentem cæremoniam plures censuerunt; ejusque ritûs vetustas ex altissimis reperita fontibus deducitur. Seldenus tamen recentiorem esse ex eo demonstrat, quòd ejus mentio in ritualibus quidem Libris Hebræorum frequens, nuspiam tamen in Talmude occurrat; neque de annulis connubialibus quidquam in Scripturâ. Laudat etiam Librum manuscriptum Leonis Modenæ de Ritibus Judaicis, in quo desiisse jam annulos in connubiis Hebræorum, disertis verbis asseritur. Editio Italica habet, plerumque eum morem negligi; sed versio Gallica D. Simonii inseri digito Sponsæ a Sponso coram duobus testibus annulum tradit. Addit Seldenus, præscribi in Ritualibus eam cæremoniam loco veteris alterius jam abrogatæ, tradendi nempe Sponsæ argenteo aliquo vel aureo nummo arrhas connubii. Hinc, ait, is qui toti cæremoniæ præest, nostrâ etiam ætate, testes rogare consuevit, utrùm illius quem ostendit, annuli valor par sit nummo argenteo; quibus affirmantibus, quærit item, utrùm Sponsalia ritè fuerint peracta; iisdemque annuentibus, statim Sponsæ digito annulus inseritur. Portò quæ de annulis nuptialibus S. Annæ & S. Joachimi, S. Virginis Mariæ & S. Josephi feruntur, ad fabellas meritò rejicias. In cæremoniâ nuptiali Tobiæ junioris, Raguel Sponsæ pater apprehensam filiæ suæ manum intra Tobiæ manus posuit, addens (*t*): *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob vobiscum sit, & ipse conjungat vos, impleatque benedictionem suam in vobis.*

(u) *Selden. Uxor Hebr. lib. 2, c. 15, Ex Gemar. & aliis.*

Corona nuptialis vetustior est, cui petita e Scripturâ exempla non desunt. Docent Judæi [*u*], coronas olim in cæremoniâ nuptiali utrumque conjugem gestasse; Sponsum quidem auream vel argenteam, sive roseam, seu myrteam, vel oleaginam; Sponsam verò auream, vel auratam, formâ turritam, qualis Deûm Matri vulgo tribuitur. Harum usum interdictum fuisse ajunt post Jerosolymæ eversionem per Romanos. De coronâ Sponsæ nihil in Scripturâ, nisi fortè eò spectare credatur illud Cantici, IV, 8: *Veni de Libano, veni, coronaberis.* Sed nihil de coronâ in Hebræo. De Sponsi verò coronâ hæc apud Isaiam, LXI, 10: *Gaudens gaudebo in Domino, qui induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me quasi Sponsum decoratum coronâ, & quasi Sponsam ornatam monilibus suis.* Sponsa in Cantico, III, 11: *Videte, filiæ Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius.* Tandem Author tertii Macchabæorum (*x*) describit adolescentes Sponsos catenarum ponderi pro coronis nuptialibus colla subdentes.

(x) Βρόχοις ἀντὶ στεφάνων τοὺς αὐχένας περιπεπλεγμένοι.

(y) *Buxtorf. c. 28 Synagog. Judaic. & Selden. lib. 2, cap. XV, Uxoris Hebr.*

Solent nostræ ætatis Judæi [*y*] super duorum conjugum, præsertim Sponsæ, caput frumentum plenis manibus spargere, illud interim inprecantes: *Crescite & multiplicamini.* Adduntur alicubi nonnullæ argenteæ monetæ, quæ pauperibus colligendæ relinquuntur. Olim verò in moribus positum fuisse tradunt Rabbinorum nonnulli, ut utrique conjugi cistæ humo refertæ exhiberentur, in quibus satum antea hordeum jam germinaret; additâ simul precatione, crescerent illi & augerentur, veluti frumentum illud, quod cæterorum frumentorum præcocissimum est. Simile quid erant horti Adonidis,

nidis, quorum nomine significabantur vimineæ quædam ciſtulæ, ſive argenteæ ad viminearum modum contextæ, in quibus ſatæ, quædam herbæ (z) jam germinabant. Solebant plerumque in feſtis Adonidis deferri, quæ feſta ex indicio quodam pompæ nuptialis incipiebantur. Mane tamen alterius diei ejuſdem Numinis funus lugebatur.

Illud etiam apud Hebræos ſingulare obtinet, ut cùm primùm Sponſus ad umbellam, ſub qua pacta nuptialia celebranda ſunt, pervenit, Sponſa a fœminis deducta ter circa Sponſum gyret, juxta illud Jeremiæ, xxxi, 22: *Fœmina circumdabit virum*. Deinde Sponſus Sponſam manibus tenens, ſemel tantùm circa umbellam ducit [a]. Ridenda hæc quidem ſunt; neque minùs ineptè Jeremiæ locus ad pompam nuptialem accommodatur; id enim tantùm innuit Propheta, futurum, ut poſt ſolutam captivitatem felicia adeò fluant tempora, atque civium numerus adeo floreat, ut nullam e fœminis pudeat maritum ſedulò quærere, ac filios procreare.

Adjectum Sponſo Paranympbum, quem Chriſtus *amicum Sponſi* (b) appellat, ex Evangelio intelligimus. Juvenum etiam florens comitatus ſeligebatur in obſequium illius, ſolemni nuptiarum die. Nec ſimili puellarum pompâ Sponſa deſtituebatur. Porrò nuptiarum ſocii ſpectantur in hiſtoriâ Samſonis (c), & in Cantico Canticorum [d]: amicæ Sponſæ non ſemel etiam in eodem Canticorum Libro parent (e), & in Pſalmo xliv, 8, 13, 15. Docent Rabbini, obtinuiſſe jam, ut in Judæâ, non verò in Galilæâ, duo Paranymphi, Sponſo nempe & Sponſæ, ſinguli ſingulis, aſſignati, ab eorum lateribus nunquam, neque cùm utrique cubarent in lecto, abſcederent, ut nimirum omnem dolum inter utrumque conjugem circa lineum pannum ſanguine tinctum, & virginitatis indicia, de quibus Moyſes (f), occuparent. Hæc non ægrè minùs creduntur, quàm fierent impudenter [g]. Maluerim potiùs, quod etiam ex Cantici Canticorum lectione non obſcurè innuitur, novos Conjuges toto ſeptimanæ nuptialis ſpatio nunquam niſi furtim & obſcuræ noctis ſavore, ſive dubio adhuc diluculo conveniſſe; quod etiam in Prolegomeno ad eum Librum fuſiùs a nobis demonſtratum eſt. Ut hoc Rabbinorum commentum penitus excludatur, ſatis eſt leviſſima circumſpectionis notitia, qua Hebræi cum uxoribus utebantur. Nihil tale ſive ex lectione Cantici, ſive in nuptiis Jacobi cum Liâ, junioris Tobiæ cum Sarâ, Samſonis & cæterorum occurrit.

In ſolemnitate nuptiarum puellæ ſemper novæ nuptæ comites aderant; neque mixtim pueri puellæque ſimul unquam ſpectabantur. In Cantico Salomonis ſemper puellæ cum Sponsâ gaudent, ſive ante clauſtrum illius agunt excubias. Et cùm ſummo mane Sponſus ſurgens abſcedit, puellas nuptiales nunquam non orat, ne Dilectam excitent, donec ipſa ſponte ſurgat (h). Sponſus ipſe furtim ſeſe amicis ſubducit, ut Sponſam noctu conveniat (i): rogatur autem ab illâ, ut demiſſâ voce loquatur; audiri enim ab adoleſcentibus nuptialibus obſervarique animadvertit [k]. Nuſpiam hic Sponſæ Paranymphus, neque etiam Sponſi, qui ab eorum latere ne cubantium quidem recedant.

Paranymphi munus erat, nuptias Sponſi loco curare. Cùm enim Sponſus rerum gerendarum multitudine occuparetur, nec per ſe omnia præſtare poſſet, ejus vicibus ſecundus ab illo fungebatur Paranymphus. *Qui habet Sponſam, Sponſus eſt* (ait S. Joannes de Chriſto): *Amicus autem Sponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponſi* (l). Porrò vir Sanctus Paranymphum ſe Jeſu Chriſti ſignificabat. Apud Græcos, ad fores nuptialis cubiculi Paranymphus vigilabat [m], convivium, omnemque nuptialem pompam curans. Sunt qui credant, *Architriclinum* illum apud S. Joannem, eum fuiſſe inter Sponſi amicos, cui tota convivii inſtruendi, curandique nequid deeſſet, cura commiſſa erat. Id maximè ſpectatur in convivio in Cana, cui Jeſus Chriſtus, ejuſque Mater adfuerunt [n]. S. Gaudentius Brixienſis [o] ex Veterum traditione acceptum dicit, hunc convivii Præfectum e Sacerdotum numero ſelectum eſſe, *qui morem diſciplinæ gubernaret, curamque pudoris ageret conjugalis; ſimul & conviviorum apparatum, miniſtros atque ordinem diſpenſaret.*

Idem & a puellis nuptialibus erga Sponſam præſtabatur. Honoris gratiâ deducebant, muliebri cultu ornabant, aderant cuſtodes, & totius feſti atque ludorum comites; non enim moribus ejus regionis permittebatur, ut mixtæ cum juvenibus puellæ in eâdem menſâ accumberent. Ad eaſdem puellas etiam attinebat epithalamium ſive næniam Sponſæ convenientem canere, ipsâ nuptiarum nocte, qua ſcilicet fauſta novis nuptis imprecabantur. Hinc Pſalmus xliv, quo epithalamium inſtruitur, hanc præfert inſcriptionem למנצח על ששנים .... שיר ידידות *Canticum gaudei per dilectas*. Porrò duo erant epithalamii carminis genera (p), *matutinum* & *vespertinum*: illud excitandis a ſomno, hoc conſopiendis Conjugibus. Sponſus facilè puellas nuptiales rogat, ne matutinum epithalamium canant, illis verbis: *Ne evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit*. Veſpertini meminit Pindarus (q), utriuſque Theocritus (r).

Cùm Sponſus nuptam in ſuas ædes duceret, quod plerumque poſt hebdomadam nuptiarum, in domo ſponſæ actam, differebatur, amicæ Sponſæ illam comitabantur,

(z) *Theocrit. Idyll.* 15: Παρ' δ' ἁπαλοὶ κᾶποι πεφυλαγμένοι ἐν ταλαρίσκοις Ἀργυρέοις.

(a) *Buxtor. Synag. Jud.* c. 28.

(b) *Joan.* iii, 29.

(c) *Judic.* xiv, 11.

(d) *Cant.* v, 9; & viii, 13.

(e) *Cant.* i, 4; & ii, 7; & iii, 5, 11; & v, 8, 16; & viii, 4.

(f) *Deut.* xxii, 15.

(g) *Auguſt. lib.* 14, c. 18, *de Civ. Dei*: *Remotum ab arbitris cubile conquirit, omneſque famulos atque ipſos etiam Paranymphos, & quoſcumque ingredi qualibet neceſſitudo permiſerat, ante mittit foras, quàm vel blandiri conjux conjugi incipiat.*

(h) *Cant.* ii, 7; & iii, 5; & v, 8.

(i) *Cant.* v, 1.

(k) *Cant.* viii, 13.

(l) *Joan.* iii, 29.

(m) *Jul. Pollux*: Καλεῖται δέ τις τῶν τοῦ νυμφίου φίλων καὶ θυρωρὸς, ὁ ταῖς θύραις ἐφεστηκὼς, καὶ εἴργων τὰς γυναῖκας βοηθεῖν τῇ νύμφῃ βοώσῃ.

(n) *Joan.* ii, 9.

(o) *Tract.* 9.

(p) *Scoliaſt. in Theocrit. Idyll.* 18.

(q) *Pyth. Ode* 3.

(r) *Idyll.* 18.

cùm interim omnia festivis carminibus insonarent. Ad eam pompam nocturnum potissimùm tempus seligebatur; ex quo intelligimus, cur Virgines illæ, quæ in occursum sponsorum festinabant, post datam somno brevem aliquam moram, strepitu venientis Sponsi excitatæ, quæ lampades habebant instructas, a Sponsis deductæ fuerint; quæ verò ad emendum sibi oleum discesserant, pompâ jam procedente & Sponsâ in domum receptâ, a convivio nuptiali, quod in ædibus sponsi perficiebatur, exclusæ sint (*s*).

(s) *Matt.* xxv, 1, *&c.*
(t) 1 *Macc.* ix, 37; *&* *Joseph. lib.* 13, *c.* 1, *Antiq.*

Similis cæremoniæ descriptio in Libris Macchabæorum (*t*) legitur. Cùm filii Jamri solemnes nuptias in Medaba, urbe transjordanicâ, celebrarent, quòd ex iis quidam filiam Principis Chananæi duxisset; & Sponsa in ædes viri solemni pompâ deduceretur, strepentibus circum omnibus, quà musicorum instrumentorum, quà armorum fragore; aggressi nuptialem illum comitatum Macchabæi, omnes dissiparunt. Facilè autem credimus, Jesum Christum illâ decem Virginum parabolâ ad eas potiùs spectasse Virgines, quæ venienti in ædes viri Sponsæ occurrerunt, non verò ad eas, quæ totâ hebdomadâ nuptiali Sponsam comitatæ sunt. Cæterùm illud etiam animadvertendum est, occasione hujus pompæ nuptialis filiorum Jamri & Samsonis, qui Philistæam conjugem duxit, illos Hebræorum in nuptiis mores apud finitimas etiam gentes obtinuisse; nec multum abludit Orientalium nostræ ætatis consuetudo, quemadmodum in eâ re, sic etiam in aliis pluribus, de quibus Scriptura.

Observatum est superiùs, consuevisse Judæos ante cæremonias nuptiales, & utriusque conjugis sub nuptiali umbellâ deductionem, syngrapham maritalem signare, & de cæteris omnibus, uti de dote solvendâ, convenire. Spectavimus etiam, post ejus syngraphæ lectionem, datumque puellæ annulum, scriptum illud parentibus Sponsæ tradi consuevisse. Alius tamen ritus in nuptiis Tobiæ servatus est. Raguel enim post præstitum connubio assensum, continuò manus puellæ filiæ suæ Sponsi manibus jungit, ac bene utrique precatus, connubium absolvit. Post hæc, scripta est syngrapha maritalis, quam adscriptione suâ testes firmarunt. Denique initur convivium. Nihil tale apud Judæos recentiores ejus regionis incolas, quamquam apud illos nuptiæ junioris Tobiæ, & cæremoniæ ejusdem conjugii tamquam exemplar felicissimi & optimè instituti connubii habeantur.

(u) *Judic.* xiv, 12.
(x) *Cant.* vii, 12; ii, 15, 11.
(y) *Cant.* ii, 15.
(z) *Cant.* v, 1.
(a) *Cant.* v, 1.
(b) *Cant.* ii, 4, 5.

Singulæ gaudii significationes, quibus toti nuptiali pompæ eo hebdomadæ spatio plaudebatur, recenseri vix possunt. Illud sanè constat, nihil hilaritatis prætermitti a Judæis, nisi quod Lege interdiceretur. Ænigma a Samsone adolescentibus nuptialibus propositum, dignum animadversione est (*u*), & ingenium illius populi, de acumine ingenii gloriantis, demonstrat; ex quo pariter intelligimus, junctas conviviis cæterisque corporis oblectamentis etiam ingenii delicias. Inambulationes in hortis & vineis observes in Cantico Canticorum [*x*]: *Mane surgamus ad vineas*; venationes [*y*]: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas*; convivia [*z*]: *Comedite amici, & inebriamini charissimi*. Mutuis se munusculis in hortis provocabant Sponsi [*a*]: *Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea Sponsa; messui myrrham meam cum aromatibus meis; comedi favum cum melle meo. Bibi vinum meum cum lacte meo*. Et alibi introductam se narrat Sponsa in cellaria dilecti sui, ubi vina & fructus servantur (*b*). Porrò ex animo excutienda sunt ea, quibus de magnificentiâ nostri temporis occupamur, & e magnarum Urbium superbiâ excedendum, ut innoxiarum hujusmodi deliciarum suavitas sentiatur. Sponsus clam nocte intempestâ Sponsam convenit, & summo mane recedit; Sponsa vicissim in tenebris errabunda dilectum quærit, incidit sæpè in milites Urbis custodes, a quibus cæditur; non raró filias Jerosolymæ offendit. Harum vicissitudinum blanda narratio, & eventus pars erat oblectationum, quibus tota hebdomada nuptialis agebatur. Hoc tamen hebdomadæ spatium nullâ adeò sive lege, sive consuetudine definiebatur, quin parentum arbitrio prorogari non posset. Raguel ad dies xiv nuptias filiæ cum juniore Tobia produxit (*c*); quamquam pro viduæ nuptiis, qualis Sara habebatur, tres tantùm dies præscriptæ a Rabbinis leges assignent.

(c) *Tob.* viii, 23.
(d) *Synagog. Jud. cap.* 23.

Tradit Buxtorfius [*d*], post celebratam sub umbellâ cæremoniam nuptialem, totum necessariorum comitatum unà cum sponsis domum sese recipere, ac mensam continuò instrui. Tum Sponsus quantâ potest suavitate prolixam satis benedictionem Hebraicam canit; eâque demum absolutâ, primò cocta pullastra, & crudum ovum mensæ apponitur. Hujus pullastræ parte aliquâ Sponsa donatur a Sponso; statimque veluti dato signo cæteri convivæ omnes in reliquam sese immittunt, discerpunt, lacerantque, ac sibi invicem illam rapientes effuseque ridentes, ovum mutuo in ora projiciunt. Post convivium, dignissimus omnium manu Sponsum apprehendit; ejusque vicissim manum secundus tenet, illius tertius, omnesque simul consertis inter se manibus, choream instruunt in orbem. Surgunt pariter fœminæ ad choreas, seorsum tamen a viris, honestissimâ inter illas manum Sponsæ tenente. Porrò hujus choreæ ge-

nus

nus vetustissimâ traditione apud Judæos obtinet. *Choream precepti* appellant, quòd Dei præcepto pro conjugali festo injunctam ferant.

Deductio Sponsæ in thalamum, Rabbinorum judicio (*e*), ultimum est conjugii complementum; neque enim absolvitur aut benedictione aut cæteris ante illam cæremoniis. Porrò ante solemnem deductionem puella nomen אישה גבורה *Ischa gemurah*, nempe Sponsæ perfectæ, non obtinet; eâ verò accedente, etiamsi concubitus, alicujus impedimenti causâ, non perficiatur, veluti si puella menstruis laboret, quo tempore ad illam accedere capitale viro est [*f*], nihilo tamen seciùs conjux habetur. Si quid igitur simile contigerit, deductio mera est cæremonia; quæ deinde post fœminæ valetudinem iteratur. Ante deductionem benedictio in hæc verba coram decem viris maturâ ætate & ingenuis recitatur.

Benedictus sis, Domine Deus noster Rex mundi, qui universa creavit in gloriam suam; Benedictus sis, Domine Deus noster, Rex mundi, Creator hominis. Benedictus sis, Domine Deus noster, qui creavit hominem ad similitudinem suam, & ad similitudinem imaginis archetypi sui, & preparavit ei ex se ipso structuram seu ædificium usque in sæculum. Benedictus sis, Domine Deus noster Creator hominis. Gaudendo gaudebit, & exultabit sterilis, colligendo liberos suos in sinum suum in lætitiâ. Benedictus sis, Domine Deus noster, qui lætari facis Sion in liberis suis; lætando lætari fac par hoc amatum, juxta lætitiam a te donatam creaturæ tuæ in horto Eden ab antiquo. Benedictus sis, Domine Deus noster, qui lætari facis Sponsum & Sponsam. Benedictus sis, Domine Deus noster, Rex mundi, qui creavit gaudium & lætitiam Sponso & Sponsæ, exultationem, cantum, hilaritatem, jubilationem, amorem, fraternitatem, pacem & amicitiam. Confestim, Domine Deus noster, audiatur in urbibus Judææ, & in plateis Jerusalem vox gaudii & lætitiæ, vox Sponsi & Sponsæ, vox affectûs mutui Sponsorum ex thalamo suo, & pueri e choro modulationis suæ. Benedictus sis, Domine Deus noster, qui lætari facis Sponsum cum Sponsâ [*g*].

Eas benedictiones summopere observant Rabbini, quippe quas ab Esdra derivatas credunt [*h*]. Sed recentiores esse putamus. Porro ea verba, *Confestim, Domine Deus noster, audiatur in Urbibus Judææ & in plateis Jerusalem vox gaudii, & lætitiæ, vox Sponsi & Sponsæ*, satis designant, recentiorem esse formulam eversione Jerosolymæ, & Judæorum dispersione. Vetustiores planè benedictionum formulas exhibet Scriptura in eâ, qua fratres Rebeccæ sorori imprecati sunt, cùm ad Sponsum Isaacum iret. *Soror nostra es: crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum* (*i*). Cùm Ruth Boozi nupsisset, omnes qui ante fores Urbis fortè aderant, ita novæ nuptæ (*k*) faustè acclamarunt: *Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur in domum tuam, sicut Rachel & Liah, quæ ædificaverunt Domum Israel* [perpetuâ filiorum serie] *ut sit exemplum virtutis in Ephratâ* (œconomiæ maritalisque virtutis), *& habeat celebre nomen in Bethleem, fiatque domus tua sicut Phares, quem Thamar peperit Judæ, de semine quod tibi dederit Dominus de hac puellâ, &c.*

(e) *Maimonid. Halach ischoth; & Sculchan aruch, & alii apud Selden. Uxor Hebr. lib. 2, c. 13.*

(f) *Levit.* xx, 18.

(g) *Vide Talmud. ad tit. Cetuboth. Vide & Selden. Uxor Hebr. lib. 1, c. 12.*

(h) *Maimon. Halach Kiriath Schemai, c. 1, § 7.*

(i) *Gen.* xxiv.

(k) *Ruth,* iv, 11, 60.

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN CANTICUM CANTICORUM.

CAPUT PRIMUM.

SPONSA ET PRONUBÆ.

℣. 1. OSculetur me osculò oris sui : quia meliora sunt ubera tua vino,

℣. 2. Fragrantia unguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: ideò adolescentulæ dilexerunt te.

COMMENTARIUS.

℣. 1. OSCULETUR ME OSCULO ORIS SUI. Sponsum veluti tertium aliquem alloquitur Sponsa, majoris obsequii ac pudicitiæ gratiâ, quamvis coram adesse Sponsum ea quæ sequuntur, satis docent. Ecclesiæ Patres ac Judæi Doctores totum hunc Librum mystico ac tropico sensu omoino interpretantur. Canticum Canticorum allegoria est diu producta, qua gcos aliqoa, sub sponsæ nomine exhibira, Deum alloquitur, sponsi appellatione significatum. Familiares erant Hebræis tropicæ hujusmodi locutiones, teste Theodoreto, in Præfatione ad hunc Librum. Judaicam gentem graviter arguit Ezechiel (a), sub prostitutæ impudicæque molieris imagine descriptam; adeò autem figuræ tropoque insistit, ut veram historiam eredas. Sponsa in Cantico Christiana Ecclesia est, vel anima; Christus, sponsus. Atque ut in hominum connubiis per noptiales dies novis maritis comites adolescentes, honoris & obsequii gratiâ, tradebantur (b); ita in Cantico Sponsum sponsamque comitaotur adolescentes ac puellæ. Singula hæc figuras continent, quas explicare conabimur in Commentario.

Osculetur me osculo oris sui. Ita homioum natura, tamdiu promissi Liberatoris desiderio æstuans, Patrem Deum rogat, ut Desideratum cunctis Geotibus sponsum plenissimum venustatis & gratiarum ad se mittat. Vel, Synagoga Verbum ipsum ita alloquitur: Quousque te expectamus? Nulla Vatum promissa satis expectationi sunt; nulla Legis figura desiderium explet. Unus tu spei meæ solatium, ac doloris lenimen (c).

QUIA MELIORA SUNT UBERA TUA VINO. Reddi potest eum S. Hieronymo, capite IV, 10 (d): *Puleriora sunt ubera tua vino*; vel, *Amores tui meliores vino*. Sponsi ubera duo Testameota sunt, Vetus ac Novum (e). Suavissimam instar lactis, atque ut vinum generosissimam in otriusque Fœderis Libris alimoniam porrigit Christus; imbecillibus nempe consolationis lac, fortibus verò vinum, quo extra sensus rapiuntur, piamque ebrietatem hauriunt. Alumoos suos ita nutriebat S. Paulus, ut lac infirmis, solidos verò cibos validis exhiberet (f). Mysticas hujusmodi explicationes leviter delibamus, quas unusquisque fingere nullo negotio potest.

℣. 2. FRAGRANTIA UNGUENTIS OPTIMIS. OLEUM EFFUSUM NOMEN TUUM. Virorum ubera lacte carent plerumque, & odore: at ubi vividus ac fervens amor loquitur, accuratæ castigatæque locutiones frustra quæruntur. Olim, teste Athenæo (g), sinus fragrantibus unguentis perfundebatur. Huc verò spectat Sponsa. Vel, Sponsi ubera eo sensu, quem mox dedimus, vasa sunt unguentis plena. Bonus Christi odor e Divinorum Volumioum sinu effusus, totum latè orbem complevit, ejusdemque hominum Reparatoris nomen unguentum est, quo terra oniversa perfusa est (h). Septuagiota (i): *Odor unguentorum tuorum sicut omnia aromata. Unguentum effusum nomen tuum.*

Alter est Hebræo sensus. Unguenti odor nihil commune habet cum uberibus, versiculo superiore nominatis. Ita igitur vertimus (k): Quod attinet *ad odorem unguentorum tuorum optimorum, oleum effusum est nomen tuum.* Nomen tuum, ipse tu totus ita suaviter redoles, ut unguentum pretiosissimum. Sola nominis tui appellatio amantes facit ac trahit. Ubi illud insonuerit, ea suavitas sentitur, quam latè spargere consuevit unguentom, si effundatur; omnia odore complet. Id porrò de Christi nomine planissimè verum est; vix enim nunciari homioibus cœpit, statim versa sunt omnia. Pro scelere, superstitione, libidine, errore, virtutum exempla ubique floruerunt; ac sanctissima castissimæ Philosophiæ dogmata tradi cœperunt. *Christi bonus odor sumus Deo in omni loco*, inquit Apostolus (l), *in iis qui salvi fiunt,* & in

(a) *Ezech.* XVI, 2, *sequ.* (b) *Vide Judic.* XIX, 11; *Joan.* III, 29; *Matt.* IX, 15; XXV, 1. (c) *Vide Origen. Theodoret. D. Bernard. alios hic.* (d) כי טובים דודיך מיין (e) *Origen. Beda, Just. Cassiodor. Carpath. alii.* (f) 1 *Cor.* III, 2; & *Heb.* V, 12. *Vide* & 1 *Petri* II, 2. (g) *Athenæ. lib.* 15, *c.* 14. (h) *Euseb. lib.* 5 *de Demonstr. c.* 1; *Bern. hic, Beda, Cassiod. Just. Origen.* (i) Ὀσμὴ μύρων σου ὑπὲρ πάντα τὰ ἀρώματα. Μύρον ἐκκενωθὲν ὄνομά σου. (k) לריח שמניך טובים שמן תורק שמך
(l) 2 *Cor.* II, 15, 16.

℣. 3. Trahe me post te: curremus in odorem unguentorum tuorum. Introduxit me rex in cellaria sua: exultabimus, & lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te.

COMMENTARIUS.

& in iis qui pereunt: aliis quidem odor mortis in mortem, aliis autem odor vitæ in vitam.

IDEO ADOLESCENTULÆ DILEXERUNT TE. Amorem suum apertè non profitetur Sponsa, sed circuitu usa, *Adolescentulæ*, inquit, *dilexerunt te*. Unus nominis tui codor illas rapit, ipsæque unguentorum tuorum odorem sequuntur. Puellæ, quæ sponsam per nuptiales dies comitantur, animæ sunt puræ, castæ, fideles, quæ Ecclesiam sectantur, & Christum amant. Hujusmodi sunt Martyres & Christianæ Virgines (m). Hebræi, ut significent, Inter Sponsas tuas, tuasque ancillas nos numera, Hujus Sponsa, aut ancilla nominer, ajunt (n): *Invocetur nomen tuum super nos*. Ut doceat Sponsa, quantopere studeant cæteræ virgines nuptiis amari a se juvenis frui, hac verborum circuitione utitur: Effuso unguento simile nomen tuum est, cujus odor ubique spargitur: nulla igitur ex adolescentulis est, quæ vota non faciat, ut amari abs te, connubii lege jungi, de tuo nomine appellari mereatur.

℣. 3. TRAHE ME POST TE: CURREMUS IN ODOREM UNGUENTORUM TUORUM. Hebræus habet solùm: *Curremus*; cætera in Complutensi Editione deleta sunt, & Vulgata e Septuaginta Interpretibus hausit (o). Ea phrasis, *Trahe me*, frequenter usurpatur pro ducere acies, exercitum (p). Tuis sub signis nos describe; te sequemur alacres paratique ut Imperatorem. Ipse amor vexillum erit, sub quo merebimus. Vide inferiùs, II, 4: *Ordinavit in me charitatem*. Hebræus (q): *Vexillum ejus super me amor*. Animæ quas traxit Pater, Christum sequuntur. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*, inquit Christus (r). Et de se ipso loquens (s): *Si ego exaltatus fuero a terrâ, omnia traham ad me ipsum*. Qui ita trahuntur, magnis itineribus post ipsum currunt. Vide Apostolum (t): *Sequor* Christum, *si comprehendam, in quo & comprehensus sum a Christo Jesu. Ego me non arbitror comprehendisse. Unum autem: quæ quidem retrò sunt obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu*. Trahe igitur nos, Divine Sponse. Quicumque enim audivit, & didicit ex te, ad te venit (u). Nemo te sequetur, nisi tu vocaveris, nisi tu unguentorum tuorum odore, gratiæ tuæ illecebris traxeris. At ubi expertus aliquis fuerit, quàm suavis sis, nihil illum impediet (x).

INTRODUXIT ME REX IN CELLARIA SUA, in loca, ubi is vinum & unguentum condit (y). Pergit allegoria. Sponsi uberum pulcritudinem, vel suavitatem vino, nomen unguento comparat Sponsa; fatetur se expertam esse vinum hoc, & unguentum, eaque in ipso fonte gustasse; denique se Sponso potiri, ac probè sentire, quanta sit sua ipsius felicitas, & gloria, dum tali Sponso jungitur. Sponsi cellas ingressa, ipsius amore & uberibus quodammodo ebria effecta sum; unguenta sincerissima, & exquisitissima elegi. Regiam Sponsi dignitatem Sponsa veluti per transennam indicat, quippe quam *Rex* in cellas suas, vel ex Hebræo, in conclave suum, in penetralia (z) introduxit. Sola ingreditur, sine sociis. Insolita scilicet beneficia, quibus Deus quasdam animas, ad sublimem perfectionis & cognitionis gradum evectas, cumulat, non omnes norunt. Neque communis omnium felicitas est, ad tertium usque Cœlum rapi (a), ibique ea mysteria intelligere, quæ homini pandere non licet, & pulcherrimis spectaculis satiari, quæ nullus unquam oculus vidit, aut auris intellexit, aut mens hominis novit (b). Non omnibus datum est, ut cœlestis Regni mysteria intelligant (c). Solis id Apostolis, verisque Fidelibus debetur. Excluduntur Judæi, quos nonnisi per ænigmata & parabolas alloqui licet.

EXULTABIMUS, ET LÆTABIMUR IN TE, MEMORES UBERUM TUORUM SUPER VINUM. RECTI DILIGUNT TE. Sociarum Sponsæ, vel sponsæ ipsius, sociarum nomine loquentis, voces. Quamvis Dilecta in Sponsi cellas, sive conclavia ingressa sit sola, eâ tamen re gaudent pronubæ, ipsique Sponsæ gratulantur, quasi ipsæ pronubæ introductæ fuerint. *Charitas non æmulatur*, inquit Apostolus (d). *Non est æmulatio in virtutibus* (e). Septuaginta (f): *Exultemus & lætemur in te; diligemus ubera tua super vinum. Rectitudo dilexit te*. Votum pronubarum est, idem sibi poscentium, quod Sponsæ contigit. Intra Tabernaculi tui penetralia nos unà cum Sponsâ ducamur; nobisque largire ut ebriæ gratiâ tuâ, tuoque amore fiamus. Hoc idem postulant omnes Fidelium animæ, quæ perfectionem anhelant, Deumque rogant, ut majoribus in dies beneficiis donisque cumulentur. Si quem alacriùs in Dei viâ incedentem, aut majori solicitudine progredientem aspexerint, illius exemplo excitantur, ac majore nisu imitari student.

Hæc verba, *Recti diligunt te*, ægrè cum reliquis junguntur. Amicis fortasse Sponsi, & sociis conveniunt, ipsum constanter sequutis, atque ab æquitate commendatis. Hæc verò laus veri Salomonis amicis, Christi Apostolis, verisque Fidelibus, & Ecclesiæ filiis aptissimè debetur. Adhuc tamen non satis videtur connexio. Ita verti potest Hebræus (g), & cum superioribus jungi: *Ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me, post te curremus. Introduxit me Rex in penetralia sua: exultabimus, & lætabimur in te. Memorabimus ubera tua meliora vino rectissimo*, ad verbum, *vino rectitudinis: diligunt te* puellæ. Hæ voces, *Diligunt te*, intercalaris næniæ genus sunt, huic loco optimè conveniens. *Vinum rectitudinis* inferiùs etiam, Capite VII, 9, & in Proverbiis, XXIII, 31, legitur. Phrasis est Salomoni familiaris, ut vinum indicet vitio carens, cui nec malus sapor, aut odor, qui neque ingratus palato est, neque minùs seu magis quàm par est, viride aut conditum: denique *vinum rectitudinis* Salomoni idem est, quod nos dicimus *un vin droit*, vinum, in quo nihil damnari queat. Hanc vocem in Pro-

ver-

(m) *Theodoret. Philo Carpath.* (n) *Isai.* IV, 1. (o) Εἵλκυσάν με. Ὀπίσω σου εἰς ὀσμὴν μύρων σου δραμοῦμεν: *Traxerunt me. Post te in odorem unguentorum tuorum currimus.*
(p) *Judic.* IV, 6, 7; *Job*, XXIV, 22, *&c.* (q) דגלו עלי אהבה (r) *Joan.* VI, 44. (s) *Joan.* XII, 32.
(t) *Philipp.* III, 12. (u) *Joan.* XII, 45. (x) *Vide Bossuet. hic, & Ambros.* (y) Ἑ᾿ις τὸ ταμιεῖον αὐτοῦ.
(z) הביאני המלך חדריו (a) 2 *Cor.* XII, 2, 3, *& seqq.* (b) 1 *Cor.* II, 9. (c) *Matt.* XIII, 11.
(d) 1 *Cor.* XIII, 4. (e) *Origen. hic, ex Versione Hieron.* (f) Ἀγαλλιασώμεθα, καὶ εὐφρανθῶμεν ἐν σοί· ἀγαπήσομεν μαστούς σου ὑπὲρ οἶνον. Εὐθύτης ἠγάπησέ σε.
(g) נגילה ונשמחה בך נזכירה דודיך מיין מישרים אהבוך.

℣. 4. Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.

℣. 5. Nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decoloravit me sol: filii matris meæ pugnaverunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi.

COMMENTARIUS.

verbis recitatam S. Hiaronymus reddit, *Vinum quod ingreditur blandè*, ut illud, de quo Horatius (b):

. . . . Generosum & lene requiro,
Quod curas abigat, quod cùm spe divite manet
In venas animumque meum.

℣. 4. Nigra sum sed formosa, filiæ Jerusalem, sicut Tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Sponsa, quæ hujus Carminis argumentum est, ut allegoriæ serviat, Ægyptii Regis filia fuisse dicitur (i). Fuscum Ægyptiarum mulierum colorem esse, nemo ignorat. Hæc igitur oratio aptissima loquentis naturæ est: cùm enim colloquuntur adolescentes, consueta loquendi materies sunt uniuscujusque ornatus, elegantia vestium & corporis, color, &c. Sese igitur, quamvis fuscam, pulcram esse ait Sponsa: corpore proceram, moribus suavem, oratione elegantem: addit denique sequenti versiculo, fusci coloris causam e naturâ ipsius non esse, cùm ante nuptias vinearum custodiæ relicta fuerit. Brevis hæc descriptio per se & ad verbum inutilis est. Ut morum institutioni serviat, mentis oculis inspicienda est. Hunc verò instruere videtur, ut invidiam occupet, qua comites suæ ipsam a Sponso in penetralia introductam ægrè ferre potuissent. Integrior fortasse color vobis est, aut os candidius, quàm mihi: at ego sum elegantior.

Synagogam exhibent filiæ Jerosolymæ, Christi Ecclesiam Sponsa (k). Illa candore, dignitate, Lege, sacris ritibus, sacrificiis, Divinorum denique arcanorum, Scripturarum, veræque Religionis deposito gloriabatur. Hinc suis unius ornamentis tumens, Ethnicos atque alienigenas, Divino lumine & cognitione carentes, vineis potiusquàm sui ipsorum custodiâ occupatos, despiciebat. At ubi Christus oculos ad Ethnicorum gentem convertit, ipsamque Sponsæ loco excepit, hæc venustiorem se esse prædicat, quàm Synagogam, Sponsique amicitiam ac favorem amore fideque erga illum constantissimâ promereri.

Tabernacula Cedar & pelles Salomonis nigro colore inficiebantur: at eâ proceritate, amplitudine, magnificentiâ præstabant, ut coloris vitium abundè corrigerent; intus verò iis opibus luxuque fulgebant, ut locupletissimum amplissimumque Orientis Regem decerent. Arabum seu *Cedarenorum*, quos Arabum Scenitarum appellatione Veteres noverant, vel *Cedraeorum* (l) tentoria e pilis caprarum sunt (m), ac proinde nigra, cùm is color caprarum sit apud illos. Texuntur autem ab Arabum uxoribus ac filiabus (n), & pro ædibus genti sunt, quippe quæ neque urbes habeat, neque certas sedes. Interior tentorii pars magis minusve locuples erat, uti domini vires & dignitas ferrent. Qui Regum Orientalium, ac Visiriorum Imperatorumque Turcicorum tentoria describunt, mirabundi loquuntur. Amplissima & nobilissima nostrorum hominum palatia nihilo splendidiora illis sunt. Quicquid elegantiæ, magnificentiæ, commoditati servit, ibi habetur. Ubique aurum videas, holosericum, cæruleum, cæterosque colores sumptuosissimos. Cùm igitur Sponsam tentoriis Salomonis sese comparantem audis, cave animo concipias vulgaria tentoria, qualia sunt ea, quæ inter nostros pulcherrima & locupletissima existimantur. Nulla planè similitudo est inter Orientalium Principum Regumque tentoria, & ea quæ in castris nostrorum explicantur (o).

Dicuntur autem in Vulgatâ *pelles Salomonis*, sive ex Hebræo (p), *vela Salomonis*, quòd olim tentoria vulgo e pellibus essent: quamobrem Livius (q) *sub pellibus durare* dixit, pro, in castris hyemare. Exterior Dominici Tabernaculi pars in deserto pellibus tegebatur, interior verò aulæis pretiosissimis (r).

℣. 5. Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol. Vel: Ne coloris causâ me spernite: fuscam effecit sol, qui radiis me torrefecit; ad verbum (s), *aspexit me*, vel *despexit me sol*, inquiunt Septuaginta (t). Candida sum naturâ. Fuscum colorem casu exhibeo (u):

Quamvis ille niger, quamvis tu candidus esses.
O formose puer, nimiùm ne crede colori.

Christiana Ecclesia, antequam Christi Sponsa fieret, fusca erat ac deformis: at ubi nobilissimi hujus fœderis particeps effecta est, venustissima fuit, maculæ aut rugæ expers (x). Eadem Ecclesia sæviente persecutorum rabie solaribus radiis quodammodò exusta est (y); nihilo tamen minùs venusta aut Sponso chara. Ecclesiæ Pastores, dum vineæ Dominicæ custodiam agunt, fieri non potest, quin ex necessariâ mundi consuetudine labem aliquam referant: Supremus tamen animarum Pastor optimè novit, quæ vitia ex verbi sui, atque institutionis, & regiminis ministerio, quæque sponte & incuriâ, & præter officii obligationem, oriantur.

Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi. *Vineam suam* hìc nuncupat oris sui speciem, metaphorâ e rebus, de quibus agit, ductâ. Vocis sonus gestusque, quibus hanc sententiam protulit, satis significavit, quid his verbis intelligeret, figuramque jucundiorem efficit. De se loquitur, veluti de rusticâ puellâ, cui a fratribus invitæ reluctantique paternæ vineæ custodia credita est; quæ certè occupatio non satis puellam decet. Morali sensu explicari aptiùs nequit, quàm de Præsulibus cæterisque Reipublicæ administratoribus, quibus aliorum cura invitis tradita est (z): ii enim, quamvis studiosissimè sibi ipsia

(b) *Horat. Ep. lib. 5, ep. 15.*
(i) *3 Reg.* III, 5; VII, 8. (k) *Ita Patres passim, Origen. Theodoret. Hieron. Carpath. Bernard. alii passim.* (l) *Plin. lib.* V, *c.* 11. (m) *Solin. Polyhist. c. 46: Ipsa tentoria cilicina sunt: ea nuncupant velamenta e caprarum pilis texta. Vide & Plin. lib. 6, c. 28.* (n) *Vide Petrum* della Valle, *& catera Itineraria.* (o) Vide descriptionem tentorii Magni Mogolis apud Bernier, & Magni Turcarum Visirii apud Petrum della Valle. (p) כיריעות שלמה (q) *T. Liv. lib. 5.* (r) *Exod.* XXVI, 1, 7. (s) ששזפתני השמש (t) Ὅτι παρέβλεψέ με ὁ ἥλιος. *Aqu.* Συνέκαυσέ με. *Th.* Περιέφρυξέ με, *torrefecit me.* (u) *Virgil. Eclog.* II. (x) *Ephes.* V, 27: *Ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, &c.* (y) *Cassiod. Beda, Just. alii passim.*
(z) *Bernard. serm.* 30.

℣. 6. Indica mihi, quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie: ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum.

SPONSUS.

℣. 7. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos juxta tabernacula pastorum.

℣. 8. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.

COMMENTARIUS.

ipsis caveant, interdum tamen in se ipsos peccant, suæque ipsorum vineæ animæque curam negligunt, dum alienæ saluti studeant. Norunt illi, commissâ sibi aliorum custodiâ, suæ ipsorum animæ periculo futurum, siquis non monitus pereat, aut alienus quis creditum sibi locum prædabundus invadat. Dum hæc animo volvunt, sortem suam, suæque conditionis discrimen lugent.

℣. 6. INDICA MIHI, QUAM DILIGIT ANIMA MEA, UBI PASCAS, UBI CUBES IN MERIDIE: NE VAGARI INCIPIAM POST GREGES SODALIUM TUORUM. Personam hîc mutat Sponsa, seque gregis custodem exhibet, quæ gregem in agrum actura, nosse cupit, quò ducturus sit gregem Sponsus; præsertim verò quò secessurus sit per ferventissimas meridiei horas, ut eò & ipsa secedat, errare metuens, dum alios, præterquàm Sponsi, greges sectatur. Pastores gregem meridie sub umbram agunt: atque ibi dum meridiantur, unà conveniunt, sermones miscent, atque innocuis agri deliciis fruuntur. At Sponsa modestiæ ac pudoris plena illud maximoperè veretur, ne in aliorum societatem incidat, ac Sponsi aspectu privetur.

Hebrææ voces, quas Vulgata reddit, *Ne vagari incipiam*, verti possunt (b): *Ne sim quasi velata post greges sodalium tuorum*. Meretrices plerumque velatæ prodibant, teste Thamaris exemplo apud Genesim, XXXVIII. Eodem modo intellexisse videntur Septuaginta (c) & Vulgata, cùm reddant: *Ne efficiar veluti vaga*, errans, *post greges sodalium tuorum*.

Ethnicorum gens ad Christum conversa, sive Christiana Ecclesia, Sponsa Christi effecta, Divinum Pastorem rogat, ubi is per diei æstum cubet, ne ab ipso per id tempus aberret, atque, ut olim, malos Pastores sequatur. Meridiani æstus sunt persecutionum rabies (d). Nunquam constantiori fide Pastorem Regemque suum, Jesum Christum, prosecuti sunt Christiani, quàm cùm hujusmodi persecutorum furiis agitarentur. Nunquam vividior fuit Christianorum amor, aut purior virtus. Qui a Pastore aberravere, in infidelitatem ac superstitionem lapsi sunt. Sponsæ desiderium, quo Sponsi aspectum cupit, imitari quisque debet. Singulorum Pastor Christus sit ac protector: in rebus adversis, in calamitatibus ac discriminibus quilibet nostrùm ad illum accedat. Sub crucis suæ umbrâ, suisque in Sacramentis cubat: *Spes a turbine, umbraculum ab æstu* (e).

℣. 7. SI IGNORAS TE, EGREDERE, ET ABI POST VESTIGIA GREGUM TUORUM, ET PASCE HOEDOS TUOS JUXTA TABERNACULA PASTORUM. Hîc Sponsus loquitur. Cur verò austeris adeò verbis Sponsæ respondet? Quid illa dixerat, quo lædi posset, dum meridiani secessûs locum postulabat? Illud fortasse, quod addiderat: *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum*. Sola rei turpis imago Sponsi animum offenderat, ac suspicionem moverat. Vel, nimiam Sponsæ familiaritatem fastidierat, velutì illa dignitatis oblivisceretur, cùm posceret, quò ipse gregem ducturus esset per meridiem. Mysticæ interpretationes plurimæ in hæc verba fingi queunt; atque animadvertunt Patres (f), fidelem animam nihil faciliùs a Deo avertere, quàm sui ipsius ignorantiam. Si te ignoras, Deum ignoras: si enim Deum nosses, omnino te non ignorares. *Sis licèt pulcra, & inter omnes mulieres species tua diligatur a me sponso tuo, nisi te cognoveris, & omni custodiâ servaveris cor tuum, nisi oculos juvenum fugeris, egredieris de thalamo meo, & pasces hœdos, qui staturi sunt a sinistris* (g).

Alter est Hebræo sensus (h): *Si ignoras tibi, o pulcherrima mulierum, vade tibi post vestigia gregum*. Si nescis, ubi cubem meridie, abi, si vis, post gregis tui vestigia: seorsum pasce. Austerior responsio. Docere vult fortasse Sponsam, minimè opus fuisse, ut secessûs sui locum ipsa ignoraret, vel oculos a Sponso averteret, aut unico temporis momento a Sponso sejungeretur; denique meritò damnandam esse, quòd errandi post alienos greges periculo se exponat: unâque hac re amoris sui puritatem offendi. Integerrimam fidem, sedulitatem, attentionem postulat Deus ab iis, qui sese ipsius servituti manciparunt. Minima etiam peccata oria austeritate punit. *Dominus zelotes nomen ejus* (i), qui solus totum animum possidere vult, minimèque divisum. Gravissima Sponsæ fuit hæc Sponsi exprobratio, imumque illius animum perfodit. Quamobrem eâ celeritate ad Sponsum festinat, ut curribus Pharaonis comparetur.

℣. 8. EQUITATUI MEO IN CURRIBUS PHARAONIS ASSIMILAVI TE. Sponsæ suæ venustatem ac pernicitatem Sponsus comparat equæ suæ, ita enim fert Hebræus (h), currui Pharaonis junctæ. Currus erat fortasse magnificentissimus, equabus pulcherrimis instructus, quem Pharao socer dono Salomoni dederat. Olim equæ potiùs, quàm equi curribus jungi solebant; dociliores enim sunt ac perniciores. Canit Homerus (l), equas Erichtonii, mortalium opulentissimi, pernici adeò cursu valuisse, ut homi currentes spicam fracturæ non fuissent, in mari verò pedem aquis non mersuræ. Quarumdam equarum meminit Herodotus (m), ter victricium in Olympicis, quarum tumulus prope Athenas cernebatur. Sponsæ autem comparatio neque humilis est, neque injuriosa. Jacob filium suum Aser asino forti similem dicit (n). Prophetæ Israëlem comparant cum juvencâ indomitâ (o): Helenam Theocritus cum Thessalo equo, currum trahente (p).

 K ℣. 9. Pul-

(a) *Ezech.* XXXIII, 2, *& seq.*
(b) אהיה כעטיה על עדרי חבריך (c) Μή ποτε γένωμαι ὡς περιβαλλομένη ἐπ' ἀγέλαις ἑταίρων σου. Bochartus putat, legisse illos טועיה pro עטיעה. Prima vox meretricem, prostitutam significat Chaldaicè & Syriacè. *Sym.* Ῥεμβομένη, *Vaga.* (d) *Cassiodor. Beda, Philo Carpat.*
(e) *Isai.* XXV, 4. (f) *Vide Origen. hîc, Bern. Aug. serm.* 50, *de verbis Domini, &c.*
(g) *Hieron. ep.* 22 *ad Eustoch.* (h) אם לא תדעי לך צאי לך בעקבי הצאן *Aqu.* Ἔξελθε σεαυτῇ. *Sym.* Ἐξελθοῦσα πορεύου. (i) *Exod.* XXXIV, 14. (k) לססתי ברכבי פרעה דמיתיך
(l) *Homer. Iliad.* Υ. (m) *Herodot. lib.* 6. (n) *Genes.* XLIX, 14. (o) *Jerem.* XXXI, 18; *&* XLVI, 20; *Osee*, X, 11. (p) *Theocrit. Idyll.* 28, *Epithalam. Helenæ*: Ἢ ἅρματι Θεσσαλὸς ἵππος.

℣. 9. Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis, collum tuum ſicut monilia.

℣. 10. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.

SPONSA.

℣. 11. Dum eſſet rex in accubitu ſuo, nardus mea dedit odorem ſuum.

℣. 12. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.

COMMENTARIUS.

℣. 9. Pulcræ sont genæ tuæ sicut turturis; collum tuum aicut monilia. Levem animi perturbationem, quam ſtatim oſtenderat, Sponſam ad cæteros Paſtores mittens, Sponſus ſedat: Sponſæ blaoditur, & laudat, fortè nt illam placet, ſuique amoris ſecuram faciat. Sponſæ genas turturis genis ſimiles prædicat, & collum monilibus pretioſiſſimis. Nobiliſſima eſt utraque comparatio; at non ſatis congruens eſſe videtur. Propriè enim genas habere turtur dici nequit, aut alicujus collum monilibus ſimile eſſe. Hebræus (q) mulio aptiùs: *Decora ſunt genæ tua in monilibue, collum tuum in torquibus*. Genæ tuæ tuumque collum, monilibus ornata, venuſtiſſima ſunt. Quovis tempore ac loco fœminæ collum torquibus ornavere: at genas atque os torquibus ornare, quarumdam ſolummodò Orientalium mos erat, Perſarum Matrooæ iis adbuc ornamentis uti feruntur (r). Eadem Hebræa vox & turturem, & catenas inſtar torqnis, & uniones in unam lineam junctos ſignificat.

Turtur ſymbolum Eccleſiæ, & animæ fidelis eſt (s). Hujus fides, gemitus, pudicitia laudes ſunt, quibus amor Eccleſiæ erga Jeſum Chriſtum, animarumque fidelium erga Sponſum commendatur. Suaviſſimâ illius præſentiâ carere nequeunt, quin aſſiduis ſuſpiriis torqueantur. Sponſæ ornamenta ſunt ſpiritualia munera, quæ Chriſtus Eccleſiæ largitus eſt, quæque amicis chariſque ſibi famulis impertitur: aliis quidem donum verbi; aliis docendi: huic orationis, illi eleemoſynæ munus. *Spiritus ubi vult ſpirat* (t), & unicuique pro libito donat (u).

℣. 10. Murenulas aureas faciamus tibi, vermiculatas argento. Latina vox *murenula* catenam ſeu torquem aureum ſignificat, clavis ſeu virgulis argenteis diſtinctum, identidem apparentibus, cum auro intermixtis (x); denique auream catenam fiſtulis ſive anoulis argenteis miſtam. *Murenula* dicitur a murænæ ſimilitudine, cujus cutis per intervalla maculis albis minimis variatur. Hebræus ad verbum (y): *Murenulas aureas cum punctis*, ſive *foraminibus argenti*. Plurali numero hìc loquitur Sponſus, quòd fortaſſe cum nuptiarum comitibus ſeſe ipſe conjungat. Hæc Sponſæ ornameota figuras eſſe gratiarum ac munerum, quibus Eccleſiam Deus ornat, jam animadvertimus. Septuagiota (z): *Similitudines*, figuras, *auri faciemus tibi cum diſtinctionibus argenti*.

℣. 11. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Ad Regem acceſſi, in lecto jacentem, ſive lecto convivali, ſive cubili; ſtatimque diffuſâ nardi meæ fragrantiâ recreatus eſt Rex. Singulis fermè verſiculis perſona mutatur; mox paſtor cum puellâ ruſticâ; hìc Rex in lecto jacens, & Regina ad Regem accedens, fortaſſe ut illum nardo unguentiſque perfundat; fermè utì Maria unguentum in Chriſti caput effudit, cùm ille convivio accumberet (a); atque utì peccatrix fœmina ejuſdem Chriſti pedes unguento liniit (b). Deliciarum genus erat, ac liberalitatis, quo ſingularis virtutis ac dignitatis homines diſtinguebantur. Favet huic opinioni idem ipſe Salomonis in lecto jacentis ſtatus. Utrùm Salomonis ætate convivalium lectorum uſus obtinuerit, incertum eſſe non inficior: at vox Hebræa (c) ſimplicem cathedram, ſolium, ſellam aptiſſimè etiam ſignificat. Nardus planta Indica eſt, unicam fiſtulam pariens, quæ in plures ſpicas diſpeſcitur. Ex his autem ſpicis liquor, ſive unguentum, de quo hìc, exprimitur.

Sponſæ unguentum vota orationeſque Sanctorum, Chriſti ortu vetuſtiorum, ſignificat. Cùm Divinus hìc Salomon in ſinu Patris, veluti in lecto, eſſet, Patriarcharum vota ad ipſum uſque aſcenderunt: ea ipſe audiit, ac demum vênit. Nunc e Cœlo noſtras preces, quæ eximii inſtar unguenti ad ipsum feruntur, exaudit (d): *Phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*.

℣. 12. Fascieulus myrrhæ dilectus meus mihi: inter ubera mea commorabitur. Myrrha non in faſciculos ceu flores, ſed in thecas colligitur; genus enim gummi eſt, ex arbore ſpinoſâ manans in Arabiâ. In guttas colligitur ac duratur; colligitur autem in thecas, quæ ſinu conduntur, ut bene oleant. Contra verò, myrtus arbuſcula eſt ſatis nota. Candidos parit flores & odoros, e quibus unguentarii aquam exprimunt magno in pretio habitam. Myrtus in faſciculos ſtringitur; eâque fortaſſe ſinum ornavit Sponſa, utì ſolebant Veteres, qui florum faſciculos ſinu gerebant, totumque ſinum unguentis perfundebant (e). Malo tamen de thecâ vel ſacculo myrrhâ ſeu myrrhæ guttis pleno interpretari. Hebræa vox (f) plerumque pro crumenâ in uſum pecuniæ uſurpatur, vel pro faſce ex pluribus ejus metalli virgis (g), antequam in nummos redigeretur argentum, utì noſtrâ ætate fit.

Myſti-

(q) נאוו לחייך בתורים צוארך בחרוזים 70: Ωʹραιώθησαν σιαγόνες σε ὡς τρυγόνος, τράχηλός σε ὡς ὁρμίσκοι. Legebant utì Vulgata כתוריה, & כחרוזים (r) Tavernier, Voyage de Perſe, l. 2, ch. 7. (s) *Origen. Theodoret. Caſſiod. Greg. Magn. Nyſſen. Beda, Bern. Rupert. Apon. alii paſſim.* (t) *Joan.* III, 8. (u) 1 *Cor.* XII, 4, 7, *& ſeqq.* (x) *Hieron. ep.* 55 *ad Marcell. Aurum colli, quod murenulam vulgus vocat, quo ſcilicet metallo in virgulas lenteſcente quadam ordinis flexuoſi catena contexitur. Ita & Iſidor. lib.* 19 *Origin. c.* 31.
(y) תורי זהב עם נקדות הכסף (z) Oʹμοιώματα χρυσίε ποιήσομέν σοι, μετὰ στιγμάτων τοῦ ἀργυρίε. *Sym.* Περίζελιστα χρυσία μετὰ ποικιλμάτων, Torques aureos verſicolores. v *Edit.* Στρεπτὸν χρυσίε ἐν κέγχροις, Torquem aureum, cum milii granulis, &c.
(a) *Matt.* XXVI, 7; *Joan.* XII, 3. (b) *Luc.* VII, 47.
(c) עד שהמלך במסבו Vox Hebræa מסבו idem ſignificat ac משב cathedra, ſolium, &c.
(d) *Apoc.* V, 8. (e) *Athen. lib.* 14, *c.* 5: Eʹστεφανῦντο τὰ στήθη, καὶ ἐμύρων ταῦτα.
(f) צרור המור דודי לי בין שדי ילין (g) *Geneſ.* XLII, 35; *Deut.* XIV, 25; 4 *Reg.* V, 23; *Prov.* VII, 20.

℣. 13. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi.

SPONSUS.

℣. 14. Ecce tu pulcra es, amica mea, ecce tu pulcra es! oculi tui columbarum.

SPONSA.

℣. 15. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus! Lectulus noster floridus:

℣. 16. Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

COMMENTARIUS.

Mysticè de Christo in sinu Virginis clauso hic locus explicatur, ubi novem mensibus fuit. Hebræus ad verbum fert, Sponsum in sinu Sponsæ pernoctaturum, sive moram facturum, veluti diuturnam constantemque moram significet: Christus pariter in sinu Ecclesiæ, in Altaris Sacramento commoratur: inter duo Sponsæ ubera, veluti inter duo Testamenta, moram trahit: in animæ fidelis sinu, myrrhæ instar, quæ liquor amarus est & acris, ob cruciatuum ipsius, Crucis, mortis ac sepulturæ memoriam. Hæc mysteria nos solummodo indicamus: tu fusiùs explicata apud Patres legito; eaque unusquisque ante Crucifixi imaginem animo versans, plurima sibi utilia intelliget.

℣. 13. BOTRUS CYPRI DILECTUS MEUS MIHI, IN VINEIS ENGADDI. Cypri nomen non celebrem Mediterranei Maris insulam, verùm arbusculam significat, mali punici altitudine, foliis oleæ similibus, albo & odorato flore, fructu instar racemi pendente, atque odore suavissimo. Frondes cypri aridæ in flavum pulverem comminutæ Ægyptiis & Turcis in usu sunt, ut ungues tingant, & fœminæ manus, partemque capillorum & corporis. Innuit hic Sponsa, cyprum Engaddi omnium esse præstantissimam: vineam verò nuncupat, uti solent Hebræi quodlibet fruticis genus (h). Cypri & balsami in agro Jerichuntis, qui ad Engaddi usque porrigitur, provenientia meminit Josephus (i).

Placet Bochario ita vertere (k): *Botrus cypri dilectus meus mihi in balsaminis hortis Engaddi*. Celebris erat apud Veteres Engaddi non vineis, sed hortis balsami: inter arbores autem balsami feraces, & in illarum hortis fortasse cypri arbusculæ virebant; vel etiam horti habebantur pro unis cypri arbuscolis.

℣. 14. ECCE TU PULCRA ES! OCULI TUI COLUMBARUM. Vividos habet oculos, rubicundos, ardentesque columba; eaque fortasse apud Hebræos præcipua æstimabatur oculorum laus. Jacob filii sui Juda oculos laudans, inquit (l): *Pulcriores sunt oculi ejus vino*. Pudici sunt columbæ oculi; narrantque, turturem, si quem præter socium aspexerit, a cæteris circumveniri ac discerpi, marem a maribus, a fœminis fœminam (m), veluti incontinentiam, ac mutuam infidelitatem ulciscentur. Christus in Evangelio columbæ simplicitatem (n) commendat; simplicem oculum, (o), pudicitiam, æquitatem, fidem laudat. Sanctus ipse Spiritus in columbæ imagine sese spectandum exhibuit (p). Similes columbis sunt Ecclesia, animæque fideles, constantissimo erga Divinum Sponsum amore (q). Tota Sponsæ venustas intus in animo est (r); exterior enim species fuscam exhibet. Vide superiùs, ℣℣. 5, 6.

℣. 15. ECCE TU PULCHER ES, DILECTE MI. Salomonis venustatem nullibi tradit luculenter Scriptura: unus tamen hic locus satis docet, eximiam fuisse. Si de Salomone explices id, quod fert Psalmus XLIV, 3, qui vulgò Salomonis epithalamium creditur, *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis*, luculentius illius venustatis argumentum habebis. Denique eodem modo intelligi possunt ea verba Librorum Regum (s): *Universa terra desiderabat vultum Salomonis*. At præstantissima animi illius ornamenta, magnanimitatem, mentis capacitatem, ingenii aciem & sapientiam singulis fermè paginis sacra volumina commendant. Idem cum proportione de Christi pulcritudine, cujus figura erat Salomon, dicito. Nihil tradidere sacri Scriptores de Christi corporis proceritate, pulcritudine, suavitate & robore: at suam ipsius magnitudinem, majestatem, divinitatem, sapientiam infinitam, gloriam, gratiam, misericordiam, vires innumeris Veteris Testamenti figuris ipse demonstravit; & luculentiori etiam modo in singulis ferè novi Fœderis paginis.

LECTULUS NOSTER FLORIDUS, vel ex Hebræo (t), *viridis*. Septuaginta (u): *Lectulus noster umbrosus*, veluti significent lectum, ubi meridiari soleret, seu lectum convivalem, in horto & inter arbores structum, veluti quos paravit Assuerus (x). Alii de thalamo fœcundo, cui favet Deus, interpretantur. Liberos Salomoni fuisse e Pharaonis filiâ, nuspiam videmus. Christi lectus, sinus Virginis est; & Crux, ubi animam egit, suumque cum Ecclesiâ matrimonium explevit; & uniuscujusque Fidelis anima, in qua per fidem & charitatem moratur. Monasteria etiam Christi lectum esse ait S. Bernardus, ubi quilibet verâ mentis pace fruitur, & in Deo quiescit. Hæc autem loca floribus ornantur, Sanctorum exemplis, institutionum Præsulum, Monachorumque perfectionis studiosorum suavissimo odore complentur.

℣. 16. LAQUEARIA NOSTRA CYPRESSINA. Cypressum nullo non tempore virere, foliisque & ramis a radicibus usque ad cacumen vestiri, nemo ignorat. Ligno est solido, integro, corruptionis experte, & odore suavi. Hebræa vox (y) *Beroth* a nonnullis vertitur *abietes*. Aptiùs tamen de quodam cypressi genere, quæ *bruta* dicitur, odore, soliditate, pulcritudine, minimè tamen proceritate (z), cedro simillimâ, intelligitur. Hæc Salomonicæ domûs ornamenta mysticè de Sacris Scripturis (α), vel de Præsulibus ac Doctoribus, qui Ecclesiæ columnæ ac fulcra sunt (β), explicantur.

(h) *Kimchi in Judic. XV, 14, & Talmudista.* (i) *Joseph. de bello Jud. lib. 5, c. 3, in Latino, pag. 889.* (k) *Boch. de anim. sacr. tom. 1, lib. 2, c. 51, 52.* (l) *Genes.* XLIX, 12. (m) *Ælian. lib. 3, c. 44:* ἐὰν δὲ ἐποφθαλμιάσωσι ἑτέροις, περιέρχονται αὐτὰς οἱ λοιποί, καὶ τὸν μὲν ἄῤῥενα οἱ ὁμόφυλοι διασπῶσι; αἱ θήλειαι δὲ τὴν θήλειαν. (n) *Matt. X, 16.* (o) *Matt. VI, 22.* (p) *Matt. III, 16.* (q) *Origen. Beda, Bern. alii.* (r) *Psal. XLIV, 14: Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus.* (s) *3 Reg. X, 24.* (t) ערשני רעננה (u) Ὡραῖος πρὸς κλίνην ἡμῶν σύσκιος. *Aqu.* Εὐθαλής. *Origen. Ita & Ambros. in Psal. CXVIII.* (x) *Esther, 1, 5: Jussit convivium præparari in vestibulo horti, & nemoris, &c.* (y) רחיטנו ברותים (z) *Plin. XII, c. 27.* (α) *Theodoret. Gisler.* (β) *Greg. Beda, Apon. Anselm. alii.*

CAPUT II.

SPONSA.

℣. 1. EGO flos campi, & lilium convallium.

SPONSUS.

℣. 2. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

SPONSA.

℣. 3. Sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.

℣. 4. Introduxit me in cellam vinariam: ordinavit in me charitatem.

COMMENTARIUS.

℣. 1. EGO FLOS CAMPI, ET LILIUM CONVALLIUM. Versiculus hic ad Capitis superioris finem pertinet. Describens nuptialem Salomonis thalamum Sponsa, inquit: *Lectulus noster floridus & viridis.* Sequitur hic: *Ego flos campi, & lilium convallium.* Ego hoc in lecto cubo, pulcherrimumque sum illius ornamentum. His verbis plaudit Sponsus, ac subdit: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Pulcherrimæ sunt comparationes, & optimè argumento conveniunt. Hebræus (a): *Ego narcissus*, seu rosa, vel flos *Saron* (Hebræus, *bazeleth Saron*), *& lilium vallium. Saron* genericè pro agro fertili usurpatur. In Judæâ tres aut quatuor agri in planitie noscuntur, hoc nomine distincti: alter trans Jordanem in Batanæâ; alter in Magno Campo, sive in planitie Jezraelis; tertius inter Joppem & Cæsaream Palæstinæ; quartus inter Ecdippum & Ptolemaidem. *Bazeleth* ignotum est Interpretibus nomen: oritur tamen ex eâdem radice, ex qua *bazel*, cæpa (b). Hæc pro literâ.

Flos campi, & lilium vallium est Christus (c), præsertim postquam humanis membris indutus est. Eo inter homines numerato, illius venustatem aspeximus, virtutum exemplorumque illius odorem accepimus. De eodem Isaias, XI, 1: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini.* Cuilibet etiam Fideli animæ floris campi appellatio convenit, dum Jesu Christi virtutes, modestiam, clementiam, animi demissionem, puritatem in se ipsis exhibent. Denique Christi Ecclesia eo nomine aptissimè nuncupatur, quæ venustatis causâ, qua ornatur, Martyrum fulgore, candore Virginum, ac demum suavissimo cæterorum Sanctorum odore, flos ac lilium propriè dicitur.

℣. 2. SICUT LILIUM INTER SPINAS, SIC AMICA MEA INTER FILIAS. Laudes, quibus se ipsam ornaverat Sponsa, auget Sponsus. Lilium se esse illa dixerat: hic addit, illam cæteras puellas venustate, gratiis, candore ita superare, uti lilium spinas. Vulgaris erat flos in Palæstinâ lilium; atque in agro sine labore cultuque proveniebat. Pulcherrima in vallibus locisque riguis nascebantur. Lilii pulcritudinem commendat Christus, cùm Salomonem ipsum inter opum suarum superbiam magnificis adeò vestibus fulsisse neget, uti lilium in culmo (d).

Christiana & Catholica Ecclesia inter ethnicos, infideles, hæreticos, schismaticos nitet veluti lilium inter spinas (e). Nullus est spinis odor, nulla venustas, fœcunditas, utilitas: lilium candore nitet, recreat odore, pulcritudine & proceritate imperat. Ecclesia inter spinas quodammodo est, inter hostium injurias & calumnias: his tamen invitis, semper micat, imperat, nitet.

℣. 3. SICUT MALUS INTER LIGNA SYLVARUM, SIC DILECTUS MEUS INTER FILIOS. Pro laudibus laudes Sponsa Sponso restituit; ipsumque malo comparat, pulcritudinis ac proceritatis causâ; tantumque cæteros homines ab eo superari ait, quantum nemoris arbores malo; steriles scilicet, incultas, neglectasque ab utili, fœcundâ cultione. Pergit allegoricè: *Sub umbrâ illius, quem desideraveram, sedi: & fructus ejus dulcis gutturi meo.* Modestè, ut significet: Facta uxor illius sum: me in patrocinium atque in thalamum excepit (f). *Fructus ejus dulcis gutturi meo.* Amoris atque amicitiæ ipsius deliciis fruor. Ita Ethnicorum gens pleno gratissimi amoris animo gloriari potest, collatum sibi a Jesu Christo beneficium expendens, qui ex errore, vitiis ac superstitionibus eductam Sponsæ nomine sibi junxit, in fidem ac patrocinium excepit, fœcundam effecit, quæ sterilis fuerat, innumerisque in Spiritu filiis, qui ipsius gaudium, corona & gloria sunt, locupletavit.

℣. 4. INTRODUXIT ME IN CELLAM VINARIAM: ORDINAVIT IN ME CHARITATEM. Vinum in obscuris humilibusque locis condere non solebant Veteres; interdum enim in editissimis ædium partibus inter cæteras res penuarias ac pretiosissimas collocabant. In Ulyssis domo, teste Homero (g), vinum oleumque in amplis urnis, secus parietem superioris partis ædium dispositis, condebatur, ubi ingens auri argentique & vestium copia, ipseque nuptialis lectus erat. Quamobrem mirum videri non debet, si Sponsa hoc in Libro pluries (h) repetat, sese in cellas vino condendo destinatas esse introductam. Locus erant thalamo proximus; & vinum symbolum amoris est. Addit Sponsa:

(a) אני חבצלת השרון שושנת העמקים 70: Ἐγὼ ἄνθος τοῦ πεδίου, κρίνον τῶν κοιλάδων. *Aqu.* Κάλυκωσις τοῦ σαρῶν. (b) *Num.* 11, 5. (c) *Origen. Theod. Apon. Beda, Cassiod. Anselm. Rupert. &c.* (d) *Matt.* VI, 28. (e) *Orig. Theod. Just.* (f) *Ruth*, III, 9: *Expande pallium tuum super famulam tuam, &c. Theocrit. Idyll.* 18, *Epithal. Helenæ.* Ζανός τοι θυγάτηρ ὑπὸ τὰν μίαν ἵκετο χλαῖναν.
(g) *Homer. Odyss. B*, v. 337: Ὣς φάτο· ὁ δ' ὑψόροφον θάλαμον κατεβήσατο πατρὸς
Εὐρύν, ὅθι νητὸς χρυσὸς καὶ χαλκὸς ἔκειτο,
Ἐσθής τ' ἐν χηλοῖσιν, ἅλις τ' εὐῶδες ἔλαιον.
Ἐν δὲ πίθοι οἴνοιο παλαιοῦ ἡδυπότοιο
Ἕστασαν, ἄκρητον θεῖον ποτὸν ἐντὸς ἔχοντες,
Ἑξείης ποτὶ τοῖχον ἀρηρότες, &c.
(h) *Sup.* ℣. 4, & *infra*, V, 1.

℣. 5. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

℣. 6. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

SPONSUS.

℣. 7. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipsa velit.

COMMENTARIUS.

sa: *Ordinavit in me charitatem*, modum amori meo dedit. Quid verò illud est? An præter ordinem modumque amaverat Sponsa? An verò sacris connubii vinculis vagum sponsæ amorem coërcuit? Hebræus fert (i): *Introduxit me in domum vini, & vexillum ejus super me amor*: me amoris castris addixit; vel, me sub amoris vexillo recensuit, in ordinem disposuit; sive, amoris bellum mihi instituit: amoris vexillum adversùs me erexit. His phrasibus ingentem amoris vim significat, cui Sponsa succumbit, superatur, languet in cellis: vinum postulat, quo recreetur, & poma, quorum odore spiritum revocet. Id verò occurret ℣. 5. Septuaginta (k) ita legunt, veluti Sponsa postulet, ut in cellas introducatur: *Introducite me in domum vini, ordinate in me charitatem*, Hoc a Sponso postulari, putat Origenes.

Cella, ubi vinum servatur, ex Patribus (l), Divinæ sunt Scripturæ, in quibus piorum animæ delicias mentis inveniunt, quibus unà cum Sponso ebriæ fiant; ex aliis (m), Christiana Ecclesia est, Spiritu Sancto plena, quem Christus ipse vino recenti comparat, quod in novis validisque vasis conditur, ne vasa frangantur (n). His in cellis, omni opum genere refertissimis, vinum, oleum, robur, sapientia, amor, pietas, Divinaque lux inveniuntur. Ibi Sponsus charitatem ordinat, docetque, Deum maximè omnium amandum esse per se, cæteros Dei causà, uti nos ipsos amamus. Certas & constantissimas amoris leges erga propinquos, amicos, atque inimicos, tradit. Sola Christi doctrina, quæ in Ecclesià traditur ac probatur, varia hæc hominum officia moderatur (o).

℣. 5. FULCITE ME FLORIBUS, STIPATE ME MALIS, QUIA AMORE LANGUEO. Deficio, animo destituor: acri odore flores porrigite, quibus revocetur spiritus: poma date odorata, mala aurea, citrea, cydonia, quæ animum recreent. Hebræus (p): *Fulcite me lagenis, roborate me malis, quia ægra amore sum*. Septuaginta (q): *Fulcite me unguentis*, vel, ut alii legunt (r), *confirmate me myrrhis*, fructu arboris quæ *myrrhis*, seu *Melia* dicitur. Porrò *myrrhis* adversùs ureri vapores prodest (s). Pergunt Septuaginta: *Sternite mihi lectum e malis, quia vulnerata charitate sum*. Languens in cellis Sponsa postulat, ut sibi lectus sternatur e malis, capiti supponantur lagenæ, seu vasa ubi vinum conditur. Ita propriè ac verè sonant Hebræus ac Septuaginta. Symmachus (t): *Reclinate in me flore*; alius Interpres, *flore vitis*.

Piorum animæ, ubi suavissimis Divini Sponsi deliciis frui in Sponsi cellis incipiunt, frequentibus animi deliquiis deficiunt, iisque solatiis, mentis illustrationibus ac pietatis sensibus, quibus per orationis exercitium fulciuntur, carent. His verò in angustiis postulant, ut malorum odore, ac vini haustu recreentur, gestorum scilicet dictorumque Servatoris memorià, ipsiusque cruciatuum, crucis ac mortis meditatione. Ibi eas quiescere oportet, dum Sponsus accedat, atque a languore ac deliquio revocet (u).

℣. 6. LÆVA EJUS SUB CAPITE MEO, ET DEXTERA ILLIUS AMPLEXABITUR ME. Ita loqui pergit in deliquio Sponsa. Sternantur mihi mala, supponantur capiti lagenæ; hæc enim solummodo in cellis erant. Quicquid obvium mihi paretur, ut cubem: dum me Sponsus non relinquat, lævam capiti meo supponat, meque dexterà amplectatur, incolumis ero. Vide eamdem locutionem Capite VIII, 3. En primam nuptiarum noctem.

Ecclesiæ Sponsus dexteram ac lævam habet, persecutiones & pacem: lævâ cruciat & affligit; dexterâ recreat ac sustinet. Cum inter hostium injurias Ecclesia est, dexterâ eget, ne cadat: in rebus prosperis utiles illi sunt calamitates & mala, quibus custoditur humilitas, ac nimia securitas prohibetur. Hac bonorum malorumque vicissitudine Ecclesiam piosque homines tuetur ac regit Deus. Diei nox, nocti dies; procellæ serenitas, serenitati procella succedunt. Plures ex Patribus (x) ita explicant: Læva gratiam significat, qua Deus in hac vità pios complet; dextera gloriam, qua Justos in alterà donat. Pignus gloriæ gratia est; gloria gratiæ præmium. Aliter (y). Læva manus sunt hujus vitæ bona, incolumitas corporis ac res prosperæ; dextera, æterna felicitas. Hinc in Proverbiis dicitur (z): *Longitudo dierum in dexterâ ejus* (Sapientiæ); *& in sinistrâ illius divitia & gloria*.

℣. 7. ADJURO VOS, FILIÆ JERUSALEM, PER CAPREAS CERVOSQUE CAMPORUM, NE SUSCITETIS DILECTAM. Surgens summo mane Sponsus dormientem Sponsam relinquit, atque in agrum aut ad venatum egreditur. Abiens, puellas Jerosolymitanas invenit, fortasse ante fores ædium Sponsæ coactas, ut matutinum epithalamium canant; duplex enim epithalamii genus erat, teste Theocrito (a), matutinum & vespertinum. Ipsas autem orat per quicquid charissimum illis est, ne amatam excitent, sed præstolentur dum spontè surgat, ne irrito labore ipsum quærendi crucietur. Animadverte, Sponsum ubique hac adjuratione uti, *per capreas cervosque camporum*, ubi de Sponsæ somno agit, oratque ne turbetur (b); unde lorus

(i) הביאני אל בית היין ודגלו עלי אהבה

(k) Εἰσαγάγετέ με εἰς οἶκον τοῦ οἴνου, τάξατε ἐπ' ἐμὲ ἀγάπην. (l) *Greg. Magn. Aponius*.

(m) *Cassiodor. Beda, Anselm.* (n) *Matt.* IX, 17. (o) Vide Origenem, & Theodoretum in hunc locum. (p) סמכוני באשישות רפדוני בתפוחים כי חולת אהבה אני

(q) Στηρίσατέ με ἐν μύροις, (*alibi* μυῤῥοῖς). Στοιβάσατέ με ἐν μήλοις, ὅτι τετρωμένη ἀγάπης ἐγώ.

(r) *Origen. homil.* 3, *p.* 338. (s) *Dioscorid. lib.* 4, *c.* 121. (t) *Sym.* Ἐπανακλίνατέ με ἐν ἄνθει, τετρωμένη γὰρ φίλτρῳ. (u) *Vide Ambros. in Psal.* 118, *serm.* 5; *Bossuet. Titelm.*

(x) *Cassiod. Beda, Carpat. Bern.* (y) *Greg. Anselm. Just. Orgelitan. Beda, &c.* (z) *Prov.* III, 16.

(a) *Theocrit. Idyll.* 18. .... Ἐγρέσθαι δ' ἐπὶ πρὸς ἀῶ· μήτι λάθησθε.

Νεύμεθα κἄμμες ἐς ὄρθρον ἐπεί κα πρᾶτος ἀοιδὸς

Ἐξ εὐνᾶς κελαδήσῃ ἀνασχὼν εὔτριχα δειράν.

(b) *Cant.* III, 5.

SPONSA.

℣. 8. Vox dilecti mei: Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.

℣. 9. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.

COMMENTARIUS.

locus conjecturæ datur, Israëlitarum fortasse puellas, non secùs ac Phœnicum & Lacedæmonum (c), gavisas esse venatu, cæterisque agri exercitationibus laboriosis. Orat igitur per capreas cervosque, quos illæ in montibus venatu agitare tantoperè gaudent. Hebræus (d): *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, in capreis & cervis agri, si suscitaveritis, & si evigilare feceritis dilectam, donec voluerit.* Septuaginta (e): *Adjuravi vos, filiæ Jerusalem, in virtutibus*, exercitibus, *& viribus agri, si suscitaveritis charitatem, donec velit.* Hunc locum Theodoretus ita explicat, quasi Sponsa Jerosolymitanas puellas, Sponsi reditum præstolantes, alloquatur, horteturque ut languentem charitatem excitent, atque ad Sponsum ipsum excipiendum, ubi venerit, præparentur. Mortalium venustatum amatores zelotypiâ flagrant, si, quem amant, oculos in alterum conjicere animadverterint; quamobrem quicquid suspectum sibi esse potest, ab amato arcent. At castus amor, quo quis erga Deum afficitur, nihil vividiùs optare docet, quàm ut nemo sit, qui Deum non amet, illi serviat, eo fruatur. Minimè autem timet, ne Deus in multos nimis amores divisus, aut nimio pluribus communicatus, amorem erga se minuat, cùm infinitam illi perfectionem esse, infinitamque amabilitatem, non ignoret. Sese minùs illi charum non fore scit, quòd is alios in amoris consortium admittat: omnibus sese amantibus sufficit Deus, omnesque illo fruuntur, quasi totus a singulis possideatur. Carnalium amatorum ægritudo brevissimos animi sui, amatique hominis fines esse, luculentissimè illis ostendit. Idem Theodoretus pro *exercitibus & virtutibus agri* Angelos Cœlestesque Virtutes interpretatur, Dei jussu toto Orbe diffusas; vel etiam Prophetas & Apostolos, qui veri Dei cognitionem in universam latè terram detulere.

℣. 8. Vox dilecti mei: Ecce ista venit saliens in montibus, transiliens colles. Rapido ita cursu venit, ut volare videatur. Diceres saltu montes collesque transilire. Pernicissimus venatoris ex agro redeuntis cursus vividioribus fortasse verbis significari non poterat. Dormientem reliquerat amatam Sponsus, summo mane in agrum egrediens, ℣. 7. Redeuntem vespere Sponsum illa e longinquo intelligit, auditâ illius voce aut clamore, aut ipso currendi strepitu; *vox* enim indiscriminatim pro quolibet strepitu usurpatur; statimque per fenestram aspiciens, citissimè e monte descendentem videt. Hebrææ voces (f) propriè significant saltus, iis similes, quibus capreæ cervique feruntur; ac bis terque in hoc Libro (g) Sponsa cursum Sponsi caprearum cervorumque saltibus comparat.

Ecclesia Sponsi, missorumque a Sponso hominum vocem audire assueta, illam facilè agnoscit. *Oves meæ vocem meam audiunt*, inquit Christus (h); &, *qui ex Deo est, verba Dei audit* (i). Qui ovinâ pelle induti, lupi rapacis animum intus gerentes, venerunt, cædem solummodò & sanguinem anhelantes, quærentesque solummodo, ut agnos cum ovibus necarent, hos statim Ecclesia Agni Sponsa cognovit ex voce, hæreticos, hypocritas, falsos doctrinæ correctores, verosque dogmatum & moralis disciplinæ corruptores, consuetudinum ac traditionum suarum hostes: illos constanter aggressa est, irritosque illorum conatus reddidit constantiâ, vi, solertiâ, attentione.

℣. 9. Similis est dilectus meus capreæ, hinnuloque cervorum. Comparationes hujusmodi aptissimè congruunt argumento. Captâ ex pernicissimo dilecti descendentis cursu opportunitate, illum capreæ comparat, hinnuloque cervorum, quibus nominibus apud Hebræos Sponsi sibi invicem blandiuntur. *Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ*, inquit Salomon (k): *cerva charissima, & gratissimus hinnulus. Ubera ejus inebrient te in omni tempore.* Pernicissimo cursu ferri dicuntur hinnuli; testaturque Xenophon (l), velociores statim esse canibus, ubi mater abest, metuque impelluntur. Mysterium inveniunt Patres (m) in capreis cervisque cum Jesu Christo comparatis. Caprea acerrimâ oculorum acie præstat, cervus currendi pernicitate, ac vi educendi angues e cavis, occidendi vorandique impune. Hoc tamen omnino certum non est: at Veteres certissimum credidere; locumque facit morali explicationi de Christi victoriâ, qua tartareum anguem ac draconem, humani generis hostem, profligavit.

En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras. Apud Palæstinos ignotus erat vitri usus ad fenestras, quæ seu velis solummodò seu transennis claudebantur, cùm ingentis æstûs causâ vitrum vel inutile esset vel incommodum. Sponsus in Sponsæ conclavia non statim irrumpit, aut fores ferit, sed sub fenestrâ stat, agrestemque næniam canit, qua Sponsam ad innoxias agri delicias vocat. Hæc tertiâ nuptiarum nocte gesta sunt.

Antequam Patris Verbum humanis membris indueretur, Ecclesiæ Sponsus, nostrarumque animarum Amor veluti per velum prospiciebat: illum per umbras, veterisque Fœderis figuras videbant homines, ejusque voces percipiebant, audiebant Prophetas, ipsumque mirabantur in iis, quæ de ipso tradebantur, descriptionibus: at planè intueri non poterant. Vota pro illius adventu faciebant, quin unquam desiderio satisfacerent. At effuso per Virginem in terras Verbo, ipsum jam audi-

(c) *Virgil. Æneid. 1: Virginis os habitumque gerens, & virginis arma*
Spartanæ......
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque altè suras vincire cothurno.

(d) השבעתי אתכם בצבאות ובאילות השדה אם תעירו וגו (e) 70: Ὥρκισα ὑμᾶς, θυγατέρες Ἱερουσαλήμ, ἐν ταῖς δυνάμεσι, ϗ ἐν ταῖς ἰσχύσεσι τοῦ ἀγροῦ, ἐὰν ἐγείρητε, &c.

(f) מדלג על ההרים מקפץ על הגבעות (g) *Cant.* II, 9, 17; VIII, 14.

(h) *Joan.* X, 2, 3, & 27. (i) *Joan.* VIII, 47. (k) *Prov.* V, 18. (l) *Xenophon, Cyneget.*

(m) *Origen. Theod.*

℣. 10. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni.
℣. 11. Jam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit.
℣. 12. Flores apparuerunt in terrâ nostrâ, tempus putationis advênit: vox turturis audita est in terrâ nostrâ:
℣. 13. Ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge, amica mea, speciosa mea, & veni:

COMMENTARIUS.

audivimus, oculis vidimus, manibus contrectavimus, nostrique solummodo vitii est, nisi semper ipso potiamur, aut ipsum unquam relinquamus. Nonnihil tamen adhuc in hac vitâ nobis deest. Dum hoc mortale corpus feremus, & infirmitatibus cingemur, nostra semper peccata parietem statuent Deum inter & nos, quibus dividimur (n): *Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis.* Quamvis Dominum Jesum inter homines agentem viderimus, ipsumque adhuc in amoris sui Sacramento possideamus, ubi ad hominum nutum, ut ita dicam, iterum nascitur, ut nostræ consolationi serviat ac sanctitati; fatendum tamen est, umbras nondum penitus esse dissipatas, velaque ex hoc mysterio nondum reducta. Sacra ipsius Christi humanitas, inquiunt Patres (o), densissimum est velum, qui Divinitatis aspectu nos prohibet. Porrò una omnino Divinitas explere hominum animos potest. Dum id, quod mortale in nobis est, immortalitate non induatur, post parietem semper erit Jesus: *En ipse stat post parietem nostrum.*

℣. 10. En dilectus meus loquitur mihi: Surge, propera, amica mea, columba mea, &c. Ita Sponsus sub Sponsæ fenestrâ canit. Hebræus habet solùm: *Surge, amica mea, speciosa mea.* Septuaginta addidere: *Columba mea*; eosque Vulgata sequuta est. Nihil hac næniolâ elegantius cultiusque: Jam rediit ver, amorum tempus: omnia undique hilaritatem suadent, atque ad innoxias agri delicias vocant. Hîc tamen nos minimè sistimus; neque hoc profectò nos docere Divinus Spiritus voluit. Christi Ecclesia aptissimè illius Sponsa, dilecta, columba, formosa nuncupatur. His interdum phrasibus usi sunt Apostoli. Scribens ad Corinthios S. Paulus (p) testatur, ipsos a se amari zelotypo prorsus amore, quippe quos *uni viro despoponderit virginem castam exhibere Christo*, qui verè Sponsus animarum est. Novam verò Jerosolymam, Ecclesiam scilicet, describit S. Joannes (q) e cœlo descendentem, novæ nuptæ ornatu, comitante illam Sponso. Christus ipse Dei Regnum nuptiis comparat (r), seseque non uno in loco Sponsi appellatione designat. Causam enim reddens, cur Apostoli minùs studiosi jejuniorum essent, quàm Joannis discipuli, *Nunquid*, inquit (s), *possunt filii Sponsi* (paranymphi) *lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis Sponsus, & tunc jejunabunt.* Atque ipse Joannes de Christo agens ajebat (t): *Qui habet Sponsam, Sponsus est: amicus autem Sponsi qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi.* Se verò ipsum Joannes per amicum Sponsi significabat. Denique S. Paulus Christianos maritos hortatur (u), ut uxores ament, veluti Christus Ecclesiam; quam adeò amavit, ut se ipsum salutis ipsius causâ tradiderit, ipsamque salubri Baptismatis lavacro abluerit, ut gloriâ cumularet, sanctamque & maculâ rugâque & vitio carentem efficeret.

℣. 11. Jam hyems transiit. Ver cœpit: iterum nasci videtur natura. Nova Lex cum Veteri comparata, similis veri est cum hyeme collato (x). Judæorum hæreditas fuere frigus, obscuritas, rigor: Religionis Christianæ laus sunt charitatis fervor, Evangelii lumen, figurarum expletio, suavitas jugi, quod Christus gerendum tradit.

℣. 12. Flores apparuerunt in terra nostra: tempus putationis advenit. Veris descriptio est. Verti potest Hebræus (y): *Flores apparuerunt in terrâ: tempus cantûs advênit*, quo tempore aves canere incipiunt (z). Aptiùs tamen vertitur: Tempus putandi, amputandi ramos, qui inutiles viti sunt (a). Vide Job, xv, 32. Post injurias ab Ecclesiâ ex Judæis atque Ethnicis toleratas, quas optimè hyemem dixeris, *flores apparuerunt* in hac viventium terrâ, agroque electissimo, quem Christus suis & Apostolorum sudoribus coluit. Universus orbis, quem ante Christum spinæ bonorumque operum sterilitas horridum fecerat, statim ornatus, cultus ac fœcundus apparuit. Christianarum ibi virtutum, sublimissimarum, insolitarumque exempla floruere. Cùm verò inter innumerum Sanctorum cœtum quidam etiam Christiani debiles, imperfecti, malique irrepserint; tunc maximè *putandi*, censurasque & pœnas admovendi necessitas apparuit, ut licentia coërceretur, & vitia removerentur.

Vox turturis audita est in terra nostra. Turtur avis peregrina est, quæ per hyemem in ferventiores regiones discedens, vere ad nos redit (b). Turturis cantus, seu gemitus, symbolum est prædicationis Jesu Christi (c); seu potiùs piæ animæ gemituum, in hoc exilio plorantis, cœlestique Sponso jungi enixè cupientis.

℣. 13. Ficus protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Sub ipsum veris initium ficus fructum parit, antequam foliis induatur, quæ ex cacumine proferre incipit. *Cùm jam ramus ejus* (ficûs) *tener fuerit, & folia nata*, inquit Christus (d), *scitis quia prope est æstas.* Vitis seriùs floret. Hebræus fert (e): *Ficus protulit grossos suos; & vites Semadar dederunt odorem.* Rabbini, quibus nostri Interpretes adstipulantur, ajunt, *Semadar* esse minutam uvam, quæ statim pereunte flore apparet, antequàm omphacio impleatur. At uvæ acerbæ nullus est odor; atque ipse vitis flos diù post primos ficuum fructus, in ipso æstatis fervore, cadit. Puto igitur, *Sema-*

(n) *Isai.* LIX, 2. (o) *Ambros. Greg. Cassiodor. Beda, Bernard.*
(p) 2 *Cor.* XI, 2. (q) *Apoc.* XXI, 2, *&c.* (r) *Matth.* XXV, 11. (s) *Matt.* IX, 15.
(t) *Joan.* III, 29. (u) *Ephes.* V, 25, 26, 27. (x) *Orig. Theodoret. Greg.*
(y) הנצנים נראו בארץ עת הזמיר הניע (z) *Mercer. Munst. Jun. Pisc. Mont. Pagn. alii.*
(a) *Ita 70:* Καιρὸς τομῆς ἔφθακε. *Sym. & Aqu.* Καιρὸς κλαδεύσεως. *Ita Syr. Arab. & alii non pauci.*
(b) *Vide Isai.* VIII, 7. (c) *Cassiodor. Beda, Rupert. Carpath. Cyrill. lib.* 15 *de adorat.*
(d) *Matt.* XXIV, 32. (e) התאנה חנטה פגיה והגפנים סמדר נתנו ריח

℣. 14. Columba mea in foraminibus petræ, in cavernâ maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora.

℣. 15. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.

℣. 16. Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia,

℣. 17. Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. Revertere: similis esto, dilecte mi, capreæ hinnuloque cervorum super montes Bether.

COMMENTARIUS.

Semadar genus vitis esse, quæ de loci nomine nuncupatur; quales sunt vineæ Sorek, Engaddi, &c. apud Scripturam celeberrimæ. Ter solummodo hujus vitis meminit hic Liber (f), & præterea nullus. Nota est in Phœnicibus urbs *Simira*, seu *Taximira*. Celebre est vinum Phœnicium; & Phœniciæ loca, Libanum, montem Amana & Sanir, &c. frequenter spectat hoc in Carmine Salomon. *Semadar* loci nomen esse, ipsa Hebræi syntaxis non leviter probat. Censent alii, esse labruscam (g).

℣. 14. COLUMBA MEA IN FORAMINIBUS PETRÆ, IN CAVERNA MACERIÆ. Sponsam in conclavi veluti columbam in nido, in rupis foramine, sive in cellulâ columbarii, spectat Sponsus; hortaturque, ut secum in agrum atque in vineam exeat. Columbam *saxatilem* appellat Varro (h), fortasse a nido, quem in rupibus ponit, eam quam nos *fugacem* dicimus, in agro errantem, & victitantem rapto. Dianam describit Homerus (i) ab Junone fugientem ceu columbam, quæ ab accipitre in cavum rupis sese recipit. Monet Moabitas Jeremias, XLVIII, 28: *Habitate in petrâ, & estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis*. Hebræus (k): *Columba mea in scissuris petra, in abscondito gradûs*, loci præcipitis. Septuaginta (l): *Columba mea in tegimento petra, juxta promurale*. Pro *scissuris petra*, ubi Sponsa moram agit, Patres (m) sacra Christi Vulnera interpretati sunt, ubi piorum animæ moram trahunt, a Dæmonis insidiis & conatibus tutæ; ibi enim præsidium, robur, consolationem inveniunt.

℣. 15. CAPITE NOBIS VULPES PARVULAS, QUÆ DEMOLIUNTUR VINEAS. Ultimus næniæ versiculus, quam Sponsus ad Sponsæ fenestram cecinit. Deinde admittitur a Sponsâ, quæ totam se ipsius esse testatur, ℣. 16. Dum igitur Sponsus ingreditur, imperat suis, ut vineam custodiant, vulpeculasque ipsam vastantes capiant; fortasse enim inde transiens, vastatam a vulpibus viderat. Frequentissimis scatet vulpibus Palæstina (n), quæ magno vineis detrimento sunt (o). Vulpibus verò significantur Hæretici, Christi vineam populantes (p): imperat autem divinus Ecclesiæ Sponsus Jesus Christus Apostolis, Doctoribus, Præsulibus, ut ejusmodi vulpes capiant, fugent, e vineâ exterminent (q): *Cùm proditur dolus, cùm fraus aperitur, cùm convincitur falsitas, rectissimè tunc dicitur capta vulpes*. De Prophetis Israëlem decipientibus ait Ezechiel, XIII, 4: *Quasi vulpes in deserto Propheta tui, Israël, erant*.

NAM VINEA NOSTRA FLORUIT. Hebræus: *Capite nobis vulpes parvulas, corrumpentes vineas, & vineas nostras Semadar* (r). Vide ℣. 13.

℣. 16. DILECTUS MEUS MIHI, ET EGO ILLI, QUI PASCITUR INTER LILIA. Postquam superioribus versiculis Sponsa recitavit ea, quæ Sponsus summo mane sub conclavis sui fenestrâ cecinerat, ipsum intra conclave excipit, testaturque, se totam illius esse, ut ipse suus est. Addit, Sponsum *pasci inter lilia*, ita bene olere, quasi liliis pascatur, totamque noctem inter flores suavissimos exegerit. Septuaginta (s): Dilectus meus, *gregem agens inter lilia*. Pastor est, gregem ex agro liliorum pleno reducens, ac suavissimum inde odorem referens.

Jesus Christus totus Ecclesiæ est, totaque Ecclesia est illi. Ubi vir & uxor duo sunt in carne unâ, ut verbis Scripturæ utar (t); ita Christus unum est cum Ecclesiâ, quam usque eò amavit, ut vitam animamque illius causâ prodegerit, quam tuetur, cum quâ ad exitum usque sæculorum est. Ecclesia item eodem spiritu animata, ejusque gratiæ ope fulta, integram illi fidem & innocentiam servat sententiis, doctrinâ, fide, disciplinâ & virtutum exercitio. Idem cum proportione dicito de animâ fideli Deo conjunctâ, & de ipso Deo ad fidelem animam converso.

℣. 17. DONEC ASPIRET DIES, ET INCLINENTUR UMBRÆ. REVERTERE, &c. Sponsum introducit Sponsa, monetque ut secum sit, donec dies redeat, tunc denique in agrum, ubi consueverat, reversurus. Vel ex Hebræo (u): *Donec flare incipiat dies*, vel, donec aër moderatior, levisque zephyrus vespere spirans sentiatur, *& fugiant umbra, recede, similis esto, dilecte mi, capreæ, vel hinnulo cervorum*, &c. eâ scilicet pernicitate, quâ isti fugiunt. Ubi illuxit dies, Sponsa dilectum monet, ut in agrum redeat, eâ velocitate quâ vènit, vespere reversurus (x), cùm diei æstus transierit, & montium umbræ *fugerint*, majoresque esse cœperint. Colligendum ex hoc loco videtur, Sponsum ac Sponsam nonnisi noctu, seu veluti furtim convenisse; non secùs ac Lacedæmones consueverant, qui primis conjugii mensibus, inter-

dum

(f) *Cant.* II, 13, 15; *&* VII, 12. (g) *Sym.* Καὶ τῶν ἀμπέλων ἡ οἰνάνθη. *Plin. lib.* 12, *c. ult. Est autem (œnanthe) vitis labrusca uva.*
(h) *Varo de re Rust. lib.* 3, *c.* 7.
(i) *Homer. Iliad.* xx: Ὥς τε πέλεια,
Ἥ ῥά θ' ὑπ' ἴρηκος κοίλην εἰσέπτατο πέτρην.
(k) יונתי בחגוי הסלע בסתר המדרגה (l) Περιστερά μου ἐν σκέπῃ τῆς πέτρας, ἐχομένη τοῦ προτειχίσματος. (m) *Greg. Magn. Cassiodor. Beda, Just. Anselm. Bernard. serm.* 61.
(n) Vide *Judic.* xv, 4; *Thren.* xv, 18; 2 *Esdr.* IV, 3. (o) *Aristoph. Equit. Theocrit. Idyl.* v; *Nicand. in Alexiph. Vide Boch. de anim. sacr. t.* 1, *lib.* 3, *c.* 13. (p) *Aug. in Psal.* 80, *Greg. Cassiod. Orig. Beda, Theod. Anselm. alii.* (q) *Bernard. in hunc loc.* (r) וכרמינו סמדר
(s) Ὁ ποιμαίνων ἐν κρίνοις. (t) *Genes.* II, 24; *Ephes.* V, 31: *Erunt duo in carne unâ. Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo, & in Ecclesiâ.*
(u) עד שיפוח היום ונסו הצללים סוב דמה לך דודי לצבי וגו Hebræa vox סוב usurpatur pro recedere, averti, infra, VI, 4. (x) *Ita interpretantur Theodoret. Sanct. alii.*

dum etiam tam diù, ut liberos procrearent, clam omnibus uxores intervisebant (y). Sunt qui reddant Hebræum: *Donec expiret dies, & fugiant umbræ*. Septuaginta (z): *Donec vespiret dies, & moveantur umbræ*. Aquila (a): *Donec cesset dies*, &c. Hebræus propriè significat ventum vespere flantem, de quo Genesis, III, 8: *Ad auram post meridiem*. Et Virgilius, Æneidos septimo:

Aspirant auræ in noctem.

Plinius (b): *Sol & auget & comprimit flatus. Auget exoriens occidensque*. Sub vesperum denique,

Cùm graviter tonsis gemit area frugibus, & cùm
Surgentem ad zephyrum paleæ jactantur inanes (c).

Hæc verba, *Fugiant umbræ*, certè significant solis occasum, quo tempore domum redeunt agricolæ;

Et jam summa procul villarum culmina fumant,
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ (d).

Fugienti umbræ vitam hominis comparat Job, XIV, 2, diei cadenti: *Fugit velut umbra*. Queritur Propheta, Psalmo CI, 12: *Dies mei sicut umbra declinaverunt*; & Psalmo CVIII, 23: *Sicut umbra cùm declinat, ablatus sum*. Salomon hominis dies cum umbrâ fugiente confert (e). Jeremias luculentiùs, VI, 4: *Væ nobis, quia declinavit dies, quia longiores factæ sunt umbræ vesperi*. Hæc verba fusiùs expendere visum est, cùm ex iis totius versiculi explicatio pendeat, eademque recurrant inferiùs, IV, 6. Denique Capite VIII, 14, Sponsa hoc idem quod diximus innuit, Sponsum scilicet diem in agro & venatione transigere, noctu verò ad Sponsam reverti consuevisse; statim autem primo diluculo a Sponsâ moneri, ut capreæ cervique instar fugeret.

SUPER MONTES BETHER. Latini Codices plures ferunt, *Bethel*: sed *Bether* legendum est (f). Ejusdem montis mentio redit infra, VIII, 14, sub nomine montium aromatum, ubi in Hebræo est etiam *Bether*, & a quibusdam Interpretibus redditur, Montes *incisionis*, cùm putent, eos montes feraces esse arborum balsami, aliarumve, ex quibus, inciso cortice, suaves liquores fluant. Nobis montes *Bether* sunt montes *Bethoron*, de quibus frequenter Scriptura. Bethoron inferior duodecim circiter millibus passuum, seu quatuor leucis, boream versùs, Jerosolymis aberat, montique insidebat (g). *Bethron* in Libris Regum nuncupatur (h); *Bether* apud Eusebium (i); *Bethora* ab Josepho (k); & *Bethar* in Itinerario. Amœnissimi fortasse erant & venatu pleni montes Bethoron, cùm Sponsa dilectum capreis montium Bether comparet.

Hæ Sponsi abitiones reditionesque, secreti accessus recessusque, nocturni semper & furtivi, significant, authore S. Bernardo (l), vicissitudines consolationis ac desolationis, ariditatis ac suavitatis, luminis & tenebrarum, quibus animæ maximè fideles perfectæque probantur. Non quolibet tempore, aut cuilibet hominum generi suavissima gratiæ suæ munera largitur Jesus. Castus pudicusque Sponsus est, clam solommodo & in recessu sese exhibens; eosque solùm beneficii hujus participes efficiens, qui mortales caducasque delicias aspernantur & fugiunt. Si inter hominum negotiorumque turbas, & cupiditatum tumultus versasis, nulla tibi spes esse potest fore, ut castis hisce deliciis, quæ animis cupiditate vacuis & sensuum pondere non impeditis servantur, fruaris. Totus Dilecto tuo sis necesse est, ut totus ipse sit tibi. Ingens profectò beneficium est, dignumque, quod boni alicujus ac solatii fugacis pretio emas.

CAPUT III.

SPONSA.

℣. 1. IN lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea: quæsivi illum & non invêni.

℣. 2. Surgam, & circuibo civitatem: per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea: quæsivi illum, & non invêni.

COMMENTARIUS.

℣. 1. IN LECTULO MEO PER NOCTAS QUÆSIVI, QUEM DILIGIT ANIMA MEA. En tertiam nuptiarum noctem. Jam animadvertimus, Sponsum noctu & furtim Sponsam intervisere consuevisse. Cùm autem eo die Sponsus consueto tempore non venisset, Sponsa moræ impatiens surgit, ipsumque quæsitum proficiscens, excubias urbem circumeuntes videt, postulatque, Sponsum ne viderint: at pauld ulteriùs progressa, illum obvium habet, accedit, amplectitur, & domum ducit. Primo diluculo Sponsus de more egreditur, ac Sponsam dormientem relinquit; oratque pronubas, ne Sponsam excitent. Hoc septem hujus Capitis versiculis continetur.

Cùm Jesum quæris, ne inter delicias & inertiam quærito; neque enim in lecto aut in magnificæ domûs quiete est (a): in Cruce, in probris, in laboribus, in inopiâ invenitur. Medius illorum stat, qui suo ipsius nomine coacti sunt, ipsumque verentur. Sponsum quærit Sponsa in Jerosolymæ compitis, neque inventuram sperat. Urbis excubias interrogat, exteriores sensus, homines assiduis negotiis vicibusque agitatos. Hi neque loquentem intelligunt; quamobrem ab iis recedit; statimque illi Sponsus occurrit. Si tenere vis Jesum, & quàm suavis sit Dominus experiri, egredere extra te, urbis & negotiorum tumultus relinque; illud solummodo sensibus ac naturæ concedito, quod negare non potes; statimque Jesus se tibi obvium præbebit, totumque concedet. Magdalenam imitare (b), quæ ad sepulcrum dilecti ante diluculum venit, nullam ubique quietem experitur, præter sepulcrum, totaque amatissimo Jesu occupatur. Hanc imitare, ut hæc Salomonis Sponsam imitata est.

(y) *Plut. in Lycurgo*: Πρὸς δὲ τὴν νύμφην μετ' εὐλαβείας φοιτῶν, αἰσχυνόμενος, καὶ δεδοικὼς μή τις αἴσθοιτο τῶν ἔνδον, ἅμα καὶ τῆς νύμφης ἐπιτεχνομένης, καὶ συνευπορούσης ὅπως ἂν ἐν καιρῷ, καὶ λανθάνοντες ἀλλήλοις συμπορεύοντο. Καὶ τοῦτο ἔπραττον οὐκ ὀλίγον χρόνον, ἀλλ' ὥστε καὶ παῖδας γενέσθαι ἐνίοις, πρὶν εἰς ἡμέραν θεάσασθαι τὰς αὐτῶν γυναῖκας. (z) Ἕως οὗ διαπνεύσῃ ἡ ἡμέρα, καὶ κινηθῶσιν αἱ σκιαί. (a) *Aqu.* Ἕως κοπάσῃ ἡ ἡμέρα. (b) *Plin. lib.* 2, c. 47. (c) *Georgic.* II.
(d) *Eclog.* I. (e) *Eccle.* VII, 1; VIII, 13. (f) על הרי בתר 70: Ἐπὶ ὄρη κοιλωμάτων.
(g) *Josue*, 12, 10. (h) 3 *Reg.* 11, 29. (i) *Euseb. lib.* 4 *hist. Eccles*, c. 6.
(k) *Joseph. Antiq. lib.* V, c. 1. (l) *Bern. serm.* 74 *in Cant.*
(a) *Ambros. lib. de Isaac*; *Cassiodor. hic*, &c. (b) *Joan.* XX, 1, 2, 13, 27.

℣. 3. Invenerunt me vigiles, qui custodiunt civitatem: Num, quem diligit anima mea, vidistis?

℣. 4. Paululùm cùm pertransissem eos, invêni, quem diligit anima mea: tenui eum nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.

SPONSUS.

℣. 5. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam; donec ipsa velit.

SPONSÆ COMITES.

℣. 6. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & universi pulveris pigmentarii?

℣. 7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël:

℣. 8. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.

COMMENTARIUS.

℣. 3. Invenerunt me vigiles qui custodiunt Civitatem. Discimus e Scripturâ *(c)*, certos fuisse in singulis urbibus homines pretio conductos ad urbis custodiam, lustrandamque noctu civitatem destinatos, præsertim incendiorum causâ, improvisorumque tumultuum. Similem huic rem inferiùs narrat Sponsa *(d)*; at secundò injuriis affecta ab excubiis fuit, & pallio spoliata. Custodes compita lustrantes, Ecclesiæ Pastores sunt; quorum munus est, ut solertiam omnem ingeniumque ad ovium pacem & quietem conferant. Quicquid bene agere neglexerint, quicquid male factum non impedierint, supremus Pastor severissimè ex iis exiget. Neque satis futurum illis est, si bene vixerint, sibique sedulò incubuerint: omnem enim solertiam, vitam, quietem animarum saluti sacrificent, necesse est.

℣. 4. Donec introducam illum in domum matris meæ, at in cubiculum genitricis meæ. Nondum Sponsa ritu solemni in Sponsi ædes deducta fuerat; & adhuc in matris ædibus morabatur. Nuptialia festa solemni Sponsæ deductione in domum Sponsi claudebantur. Hujus ritûs meminit Christus *(e)* in decem Virginum parabolâ. Sponsam tamen invisere per id tempus Sponsus non negligebat, sed clam & cautè. Sponsum igitur Sponsa ducit in conclave suum, quod & matris erat; secreta enim ædium pars fœminis destinabatur, cujus ingressu quilibet, præter Sponsum, prohibebatur. Rebeccam in tentorium, quod olim Saræ matris suæ fuerat, Isaac introduxit *(f)*. Inferiùs etiam, VIII, 2, Sponsa inducit Sponsum in matris conclave, quæ supremum fortasse jam diem obierat; nusquam enim toto in Carmine apparet.

Sponsæ domicilium cœlestis Jerosolyma est. Illuc aliquando unà cum Sponso ingressura est, ut paratam Dei amatoribus felicitatem experiatur, & ebria fiat castæ voluptatis torrente, quem Deus nobis pollicetur. Ut eò pervenias, quærendus tibi Sponsus est, noctu diuque quærendus, tenendus, possidendus, conservandus: *Tenui eum, nec dimittam.*

℣. 5. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis dilectam. Eadem hîc adjuratio est, quæ superiùs, II, 7, & infra, VIII, 4. Summo mane Sponsus e Sponsæ conclavi egrediens, dormientem relinquit, cæterosque adjurat, ne illam excitent.

℣. 6. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi? &c. Pulso somno, Sponsa e conclavi egreditur eâ majestate atque oris suavitate, ut illam comites admirentur: tum proficiscentem in agrum intentis usque oculis spectant, fumoque comparant e crematis aromatibus surgenti. Tum sermo de Salomonis lecto & curru instituitur. Hebræus fert *(g)*: *Quæ est ista ascendens e deserto*, vel ex summo monte apparens, *sicut columna fumi suffita myrrhâ & thure, ex omni pulvere pigmentarii?* Nobilissima planè est Sponsæ comparatio cum aromatum fumo, in columnæ morem surgente; ejusque proceritatem, majestatem incessûs, virilemque totius corporis statum significat. Neque mera est nebulæ columna, sed columna ex unguentorum fumo & aromatum. Cùmque nec a vestium splendore, nec ab oris elegantiâ commendare queant, quippe quam e longinquo aspiciant; laudis argumentum usurpant rei pretiosissimæ, nobilis, jucundæque comparationem. Vide infra, VI, 9, & VIII, 5, similem admirantium locutionem.

Christiana Ecclesia, ex Ethnicis ad fidem conversis composita, ad Cælum erigitur, columnæ instar ex aromatum fumo conflatæ *(h)*. Suavis virtutum illius odor toto orbe diffunditur; ipsiusque orationes similes unguento sunt, ante Nominis solium ardenti. Mundus olim bonorum operum inops, atque instar incultæ regionis horrens, deliciarum hortus efficitur, uberrimosque fructus æternitate dignos parit.

℣. 7. En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. Pronubarum vox, de Salomonis magnificentiâ colloquentium. Salomonis lectum seu potiùs conclave, ubi lectus est, sexaginta Israëlitarum fortissimi cataphracti custodiunt, ut nocturnas seditiones occupent, ℣. 8. *Propter timores nocturnos.* Præter forium regiarum excobias, alii custodes erant, qui thalamum Regis custodirent. Scribit Dionysius Halycarnassæus, Tarquinium in Lucretiæ conclave noctu irrepsisse, quin forium custodes animadverterent *(i)*. Ejusdem moris meminit Ovidius.

... *Et thalami qui jacet ante fores.*

Patrum *(k)* & Interpretum plerique de Christianâ

(c) *Vide Psal.* CXVIII, 148; *Malac.* II, 1, 2. (d) *Cant.* V, 7. (e) *Matt.* XXV, 5, *& sequ.*
(f) *Genes.* XXIV, 28, 67. (g) מי זאת עלה מן המדבר כתימרות עשן מקטרת מור ולבונה מכל אבקת דוכל 70: Ὡς στελέχη καπνοῦ τεθυμιαμένη σμύρναν, *&c. Aqu. & Sym.* Ὡς ὁμοίωσις καπνοῦ ἀπὸ θυμιάματος. *Ambros. Ep. 62: Sicut vitis propago fumo incensa, odorificata myrrhâ & thure, ab omnibus pulveribus unguenti.* (h) *Vide, si places, Greg. Bed. Apon. &c.*
(i) *Dionys. Halycarnas. lib. 4.* (k) *Greg. Cassiodor. Beda, Theodoret. Carpat. &c.*

℣. 9. Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani:

℣. 10. Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum: media charitate constravit propter filias Jerusalem.

℣. 11. Egredimini, & videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus.

COMMENTARIUS.

stianâ Ecclesiâ explicant id qood hîc de lecto Salomonis dicitur. Hæc simul Sponsa est & lectus; ibique Christus quietem ac tranquillitatem in Pastorum solertiâ & sapientiâ, fidei doctrinæque puritate, perfectorumqoe Christianorum meritis ac virtote nanciscitur. In solâ Christianâ Eccelesiâ Christus legitimos quotidic filios Cœli hæredes, suarumque virtntum imitatores gignit.

℣. 9. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de signis Libani. Hebræs vox *(l)*, quæ reddits est *ferculum*, seu lectica, recentiorum Interpretum plorimis est *lectuc nuptialis*. Ajunt alii, vehiculum esse velatum, instar lecticæ, quo Sponsa in Sponsi ædes ducenda erat. Ita usurpasse videntur Septuaginta & S. Hieronymus; Hebræaque vox *aphirion* idem significare ac Græcam *phoreion*, currum, lecticam, sellam gestatoriam. Nos lectum nuptialem malumus, cùm sequente versiculo sermo fit de illius columnis, velisque quibus operitur. Ita igitur ex hac sententiâ totum ℣. 10 vertimus *(m)*: *Columnas fecit argento; tabulatum ejus*, seu asserea, qui ex unâ columnâ ad alteram porriguntur, & culcitram stramineam laneamque sustioent, *aureum*: Hebræus ad verbum: *Pavimentum ejus*, tabulatum ejus, *auecum; spaeium ejus purpureum*: vel, *operimentum ejus purpureum*. Hebræus propriè sonat *vehiculum ejuc*, vel *ephippium*, quicquid scilicet equo cæterisque vectnriis jumentis insternitnr *(n)*. Veniculum intelligi non posse, nemo non videt; qois enim vebiculum purpureom dicat? *Medium* lecti constructum est illius causâ, quæ *amatissima* est *inter filiac Jerusalem*. Medius lecti locus, lectus propriè dictus, dilectæ, Sponsæ destinstus est. Eodem vox, quæ hìc a Vulgatâ redditur *chacitas*, *Media chaeitate constavit*, plerumque vertitur in hoc Libro, *dilecta (o)*.

Hæc nuptialis lecti Salomonis descriptio non moltum ab Homericâ dissidet, de Ulyssis lecto *(p)*. Cedrinus erat Salomonis lectus; Ulyssis oleaginus: columnæ auro argentoque distinctæ, & ebore ornatæ; bovis corium purpurâ tinctum pro siparo circa lectum erat, e laqueari sive umbellâ pendens, oleagino sulcro sustcntatum. Msgni Alexandri lectum aureis columellis instructum describit Atheoæus *(q)*. Totum versicnlum ita vertunt Septuaginta *(c)*: *Lectum*, lecticam, vehiculum velatum, *fecit sibi Rex Salomon ex lignic Libani*. ℣. 10: *Columnac ejus fecit argenti, & reclinatorium ipsius aureum; ascensuc ejac purpuram; intimum ejus stratum amore a filiabus Jerusalem*. Hæc de Salomonis solio explicari queunt. Postquam de lecto Salomonis actum est ℣. 9, ptonubæ solium laudant: *Columna argentea; sedslo aureum; velum, quo operitur, purpureum; medium illius quodammodo amore stratum a filiabus Jerusalem*. Solium Regis Persarum iisdem fermè ornamentis sulgens describitur ab Athenæo *(s)*: *Solium aureum erat, quod quatuor aurea & gemmata columella circumposita sustinebant, super quibus varia vestic purpurea extendebatur*. Nos tamen pro lecto nuptiali stamus.

℣. 11. Egredimini, filiæ Sion, et videte regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius. Cæteras Jerosolymæ puellas hortantur Pronubæ, ut confluant, Salomonem intuituræ, diademate ornatum, quo per nuptiales dies redimitus est. Ipsum porrò diadema carbasus erat tenuissima, opere phrygio gemmisque distincta. Credibile profectò est, ipsâ nuptiarum die Regem opulentissimum ac magoificentissimum produxisse quicquid pulcberrimum ac pretiosissimum haberet. Fortè etiam Bethsabee Salomonis mater tam din vitam produxit, nt filii noptias cerneret. Eam porrò Salomon pecnliari amore & obsequio prosequebatur. Ipsius frequenter meminit in Proverbiis, neque hîc temerè ipsam nominat. Magnis illi multisque nominibus plura debebat, præter ea quæ singuli homines parentibus debenr; omnes enim animi nervos intenderat Bethsabee, ut virtutis amorem & horrorem vitii filium doceret *(t)*; Regnum illi comparaverat, in mentem Davidi revocans id quod sibi promiserat, Salomonem post se regnaturum *(u)*, cùm jam Adonias apud Regni Proceres & exercitum Regni hæres haberetur *(x)*. Sponsum ac Sponsam ipsâ nuptiarum die coronam gestare consuevisse, ex aliis Scripturæ lncis *(y)* discimus. Hunc antem usum in viris cessasse ajunt Thalmudistæ *(z)*, sub Judaici belli exordium cum Vespasiano; in fœminis, Jerosolymitsnâ obsidione per Titum. Esdem consuetudo alias apud gentes floruit, utì adbuc in fœmiois apud nos fieri solet.

Salomon coronâ redimitus in nuptiis Verbum Patris indicat, qui mortalibus sese exuviis induens, humsnitate, ceu disdemste, sese redimivit *(α)*. Hac illum coronâ Virgo Parcns ornavit, ipsius materiam ministrans: Incarnationis dies, nuptialis dies est, qua Verbum fœdus eum naturâ bominum junxit; utì Passionis die fœdus cum Ecclesiâ iniit: utque prioribus in nuptiis Maria Parens ipsum diademate einxit, corpus suppeditans, lectumque nuptialem, quolibet virtutum genere fulgeotem, in suâ ipsius animâ paravit; ita in alteris Syoagoga mater spinis coronavit *(β)*, dolore obruit, satiavit probris, probrosamque Crucem pro lecto noptiali exhibuit.

(l) אפריון עשה לו המלך שלמה מעצי הלבנון

(m) עמודיו עשה כסף רפידתו זהב מרכבו ארגמן תוכו רצוף אהבה מבנות ירושלם

(n) *Vide Levit.* xv, 9; *& Ezech.* xxvii, 20. (o) *Dilecta.* האכה *Vide Cant.* ii, 7; iii, 5; viii, 4, *&c.* (p) *Homer. Odyss.* Ψ, *v.* 190. (q) *Athen. lib.* xii, *p.* 535. (r) ℣. 9: Φορεῖον ἐποίησεν ἑαυτῷ ὁ βασιλεὺς Σαλωμὼν ἀπὸ ξύλων τοῦ Λιβάνου. 10, Στύλους αὐτοῦ ἐποίησεν ἀργύριον, καὶ ἀνάκλιτον αὐτοῦ χρύσεον, ἐπίβασις αὐτοῦ πορφύρα, ἐντὸς αὐτοῦ λιθόστρωτον ἀγάπην ἀπὸ θυγατέρων Ἱερουσαλήμ. (s) *Athen. lib.* xii: Θρόνος χρυσοῦς ἦν, ὃν περιεστήκεσαν τέσσαρες κιονίσκοι λιθοκόλλητοι χρυσοῖ, ἐφ' ὧν διετέτατο ἱμάτιον ποικίλον πορφυροῦν. (t) *Prov.* iv, 3; xxxi, 1. (u) 3 *Reg.* i, 17, 18. (x) *Ibidem*, ℣. 5, 6, *& seq.* (y) *Isai.* lxi, 10: *Quasi sponsum decoratum coronâ, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* (z) *Misn. tit. Sota*, *c.* 9, § 14. (α) *Greg. Beda, Alcuin. Honor. Cassiodor. Philo Carpat. alii.* (β) *Theodoret. Cassiod. Just. Bernard. Ansel. Apon. alii.*

CAPUT IV.

SPONSUS.

℣. 1. QUàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecùs latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quæ ascendunt de monte Galaad.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUAM PULCRA ES, AMICA MEA, QUAM PULCRA ES! OCULI TUI COLUMBARUM. Sponsâ ad Sponsum profectâ in agrum, unàque remotis arbitris morante, Sponsus illi blanditur ac laudat. Oculorum suavitatem, colli, crinium, sinûs elegantiam commendat comparationibus ex agro nativâ simplicitate deductis; idque totius Capitis argumentum est. Ut Spiritûs Sancti propositum assequaris, carne & sanguine relictis, in his verbis Jesum, aut Ecclesiam, sive castam fidelemque animam, beneficiis & amoris argumentis a Deo cumulatam, contemplare. Hæ venusti corporis partes, quas Salomon in Sponsâ commendat, symbolum sunt solidioris certiorisque venustatis, quâ pii hominis Christiani, perfecti, & charitate gratiâque repleti anima ornatur. Corporis elegantia frequenter felicitas impiorum est, hominumque vilissimorum, ac scelestissimorum: sæpè etiam laqueus periculosissimus, naturæque munus perniciosissimum: at animæ venustas, puritas, innocentia, justitia munera sunt plurimi facienda, & certissima Divinæ bonitatis indicia.

OCULI TUI COLUMBARUM, vividi, ardentes, micantes, casti, suaves. Vide superiùs, I, 14.

ABSQUE EO QUOD INTRINSECUS LATET. Sponsus amatæ elegantiâ captus, quicquid ex eâ oculis cæterorum objicitur, neque a Sponsæ pudicitiâ modestiàque celatur, laudat.

. . . . . Laudat digitosque manusque,
Brachiaque, & nudos mediâ plus parte lacertos.
Si qua latent, meliora putat (a).

De industriâ frequenter repetit, se illius suavitate capi, & iis quæ videt, & iis quæ videre non potest. Vide hìc ℣. 3, & caput VI, 6, ubi eamdem rem aliis verbis dicit.

Hebræa vox *(b) zamath*, quam S. Hieronymus hìc reddidit, *id quod intrinsecùs latet*, & Capite VI, *occulta tua*, vertitur a Septuaginta *(c)*: *Præter silentium tuum*, præter id quod fileo; seu, præter id quod tu siles; vel, præter id quod modestia tua operit. Rabbini, quibus plerique Recentiorum subscribunt: *Præter cæsariem tuam*, quæ tam eximium est oris tui ornamentum: ut prætercam capillos venustissimos, qui tanta sunt venustatis tuæ pars. Plura tamen sunt, quæ ab hac versione me removent. I, Nullum est argumentum, quod hanc esse vocis *zamath* significationem probet: radix enim ipsa minimè ad capillos pertinet, neque ullus veterum Interpretum ita usurpavit. II, Sponsus hìc & Capite VI, ubi hæc eadem vox legitur, Sponsæ capillos peculiari encomio donat. Quorsum verò ter eadem res uno in loco laudetur? III, *Zamath* apud Isaiam *(d)* legitur, quo loco certè capillos non sonat; filiam enim Babylonis alloquens, ait: *Tolle molam, & mole farinam: denuda turpitudinem* (zamath) *tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina.* IV denique, S. Hieronymus discrtis verbis in Isaiæ Commentariis animadvertit *(e)*, eam vocem propriè significare eas corporis partes, quas pudor celat. Vertendum igitur est: Quàm pulcra es, amica mea, quàm pulcra es! Oculi tui columbarum oculis similes sunt; ut prætercam ea, quæ modestia & pudor celant.

Mystico sensu, Græci Patres, & ex Latinis ii, qui cum Græcis legebant, *Præter silentium tuum*, docent, nihil meliùs Christi Sponsæ, virgini Christianæ convenire, quàm modestiam, silentium, recessum, pudicitiam, sermonis continentiam. Qui legunt, *Absque eo quod intrinsecus latet*, animadvertunt, præcipuam Ecclesiæ piæque animæ venustatem intus latère *(f)*: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus*: mentis puritatem, intentionis rectitudinem, sanctarum veritatum meditationem, charitatem, gratiæ dona.

CAPILLI TUI SICUT GREGES CAPRARUM, QUÆ ASCENDERUNT DE MONTE GALAAD. Montes Galaad trans Jordanem sunt, in finibus Arabiæ Desertæ. Hebræi usurpant *ascendere & descendere*, pro *proficisci*, & *reverti*, ut varius locorum situs ferebat. Cùm Jerosolyma in colle sederet, qualibet ex parte quis eò accederet, aut ex montibus Galaad, aut ex Idumæâ, Babyloniâ, Ægypto, Jerosolymam ascendere dicebatur. Ita capellæ, *quæ ascendunt de Monte Galaad*, capellæ sunt Jerosolymam ductæ ex Galaaditide, quæ regio ferax erat armentorum, pascuorum, præsertim verò capellarum. Aliud nihil sub his verbis latet. Similes huic locutiones, quæ magis etiam insolitæ videntur, occurrunt. Ita dicitur filia Jephte *(g) descendisse ad montes, ut fleret virginitatem suam*. & Achan compulsus dicitur *ascendere in vallem Achor*, ibique obrutus lapidibus *(h)*; denique *(i)* tria Judæorum millia descendisse ad verticem rupis Etam, ut Samsonem caperent, &c.

Hebræus fert *(k)*: *Capilli tui ut grex caprarum tonsarum, de monte Galaad* venientium. Ejus regionis capellæ ovium more tondebantur, earumque ex villis rudes panni, & tentoria conficiebantur, de quibus Capite I, 4. At hìc difficultatis locus non est. Illud ægrè intelligitur, quî Sponsæ cæsaries gregi tonsarum capellarum comparetur: id enim pugnat. Quamobrem malo vertere: *Capilli tui sicut* villi *caprarum Galaad, quæ tonderi solent*. Sponsæ cæsariem non cuilibet capellarum generi similem dicit, sed Galaaditicis, & quæ tonderi solerent; non enim omnes tondebantur. Nihil indignum in hac comparatione fer-

(a) *Ovid. Metam. lib.* I, *v.* 500. (b) מבעד לצמתך (c) 70: Ἐκτὸς τῆς σιωπήσεως. *Ambros. Præter taciturnitatem tuam.* V *Edit.* Ἀπὸ πλήθους τοῦ κάλλους σου, Præter venustatem tuam. *Sym. ad* ℣. 3: Συσκεπασμένης (παρθένου) καλύμματι, tectæ velamine. (d) *Isai.* XLVII, 2. גלי צמתך 70: Ἀποκάλυψαι τὸ κάλυμμά σου. (e) *Hieron. in Isai.* XLVII, 2: *Nolentibus qui interpretati sunt transferre nomen, quod in sanctâ Scripturâ sonat turpitudinem . . . . Ergo zemmateeh, quod Aquila posuit, verenda mulieris appellantur, cujas etymologia apud eos sonat, sitiens tuus.* (f) *Psal.* XLIV, 14. (g) *Judic.* xi. 37. (h) *Josue* VII, 24. (i) *Judic.* XV, 15.
(k) שערך כעדר העזים שגלשו מהר גלעד

℣. 2. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas.

℣. 3. Sicut vitta coccinea, labia tua, & eloquium tuum, dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ, absque eo quod intrinsecùs latet.

COMMENTARIUS.

fertur. Lyciarum capellarum meminit Ælianus *(l)*, quarum villi elegantissimi erant, erinibusque crispatis similes; ex quibus galericuli comati in usum fœminarum conficiebantur *(m)*.

Hudinâ tibi pelle contegenti
Nuda tempora verticesque calva.

Putat Braunius *(n)*, hoc galericulorum genere usam esse Sponsam; additque, apud Lusitanos adhuc fœminas Judæorum iis uti. Cur verò instructam fuisse negemus erinibus suis ita venustis, nigris, crispatisque, uti caprarum Galaaditicarum villis? Arabiæ capellas plerumque nigras esse, ex Itinerariis discimus; atque hinc fieri, ut tentoria e villis caprarum texta atro colore sint, teste ipsâ Sponsâ superius, I, 4. Montes Galaad in finibus Arabiæ desertæ & Cedarenes erant, quibus in regionibus hoc genus caprarum oriebatur.

Sponsæ cæsariem Sponsus inferiùs, VII, 5, similem testatur purpuræ, quæ saturum violæ colorem exhibebat. Stratonice, Seleuci uxor, amissâ ob morbum cæsarie venustissimâ, suam olim comam hyacinthinam laudari a Poëtis gaudebat, quibus idcirco præmia proposuerat *(o)*. Hyacinthinus autem color idem erat ac purpureus. Vulgò Orientalium fœminæ capillos coloribus inficiunt; posteriorem partem croceo, anteriorem atro *(p)*. E Romanis Matronis quædam atrum colorem viridi nucis cortice inducebant.

Tum studium formæ est; coma tum mutatur, ut annos
Dissimulet viridi cortice testa nucis.

Apud Persas *(q)* tum viri tum fœminæ supercilia & barbam tingunt. Furvum capillorum colorem, qui communis apud illos est, odere; nigrum plurimi faciunt. Aliis verò placebat, quorumdam medicamentorum ope auri colorem splendoremque capillis inducere. *Mulieres nostræ capillum cinere ungitabant, ut rutilus esset crinis (r)*. Ovidius *(s)*:

Electro similes faciunt auroque capillos.

Certat hoc loco Sanctius, Sponsæ cæsariem flavam fuisse, idque hac ratiocinatione probare conatur. Missi a Saüle Satellites, capræ vellere supra cervical posito decepti sunt, ipsumque Davidem in lecto jacere putaverunt *(t)*. Cùm igitur David furvus esset, teste Scripturâ *(u)*, necesse est eumdem fuisse crinium Sponsæ colorem, quippe qui villis capellæ similes fuisse dicantur. Adde, quòd iidem capilli purpuræ comparentur *(x)*. Plura tamen sunt, quæ huic argumentationi objici queant. I, non unus omnium caprarum color erat; neque vellus cervicali impositum pro Davide, e capellâ Galaaditicâ fuisse traditur, quod de capellis cum Sponsæ cæsarie comparatis dicitur. II, Davidem furvis seu flavis erinibus fuisse, satis certum est. Rubicundus erat ore, sanguineus, furvus; utrùm verò capillos eo colore habuerit, ignoratur. III, purpura ad nigrum potiùs ac violaceum, quàm ad rubrum accedebat: idque satis probant membranæ purpurâ imbutæ, quæ in rarissimis ac pretiosis Codicibus apud Ecclesiarum tabularia, vel Bibliothecas supersunt; testibus etiam Veteribus, qui purpuram ita descripsere *(y)*: *Laus ei summa color sanguinis concreti, nigricans aspectu, idemque suspectu refulgens.*

Quamquam cæsaries pars corporis non est, atque ornamenti causâ solùm a naturâ data est, ipsam tamen in Sponsâ minimè negligit Sponsus, imò laudat, fateturque, sese unico Sponsæ cirro, ex iis qui collum ornant, saucium esse *(z)*: *Vulnerasti cor meum in uno crine colli tui*. Ita Ritus Ecclesiasticos, exteriores pietatis exercitationes, a viris Divino Spiritu plenis institutas, ut iis alatur virtus atque servetur, quamvis gravissima Religionis pars non fiant, ac potiùs quodammodò a Religione aliena, minimè tamen Ecclesiæ Sponsus parvipendit; eaque, Sponsi exemplo, veri Fideles magni faciunt, colunt, & accuratissimè exercent. Sacræ Sponsæ venustas præsertim in animâ est; at ea ornamenta, quibus venustas sua modestè augetur, & carior Sponso fit, minimè respuit. Qui Divino lumine illustrantur, majoremque perfectionis gradum obtinent, exterioribus hujusmodi exercitationibus, quibus reguntur, minùs egent: at hi perquàm rari sunt, multoque frequentiores sunt ii, quorum imbecillitas his adminiculis confirmatur. Simplices hujusmodi homines atque imperfectos, rudes imperitosque, qui maxima pars Ecclesiæ sunt, Patres *(a)* cum Sponsæ capillis comparant; ii enim numero, collectione, simplici pietate, sincerâ fide, piâ charitate Ecclesiæ caput exornant.

℣. 2. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis foetibus. Hebræus *(b)*: *Dentes tui sicut grex æquatarum*, ovium ejusdem molis & corporis; vel *ordinatarum*, seu *numeratarum*, certo numero; seu denique grex *tonsarum*, quæ ex aquis, ubi lotæ sunt, egrediuntur, coguntur que simul, ut invicem calefiant. Dentes a candore, æqualitate, munditie & ordine laudantur. Tonsarum lotarumque & invicem similium ovium comparatio has dentium laudes satis exprimit. Rei rusticæ Scriptores *(c)* docent, oves aliquos a tonsurâ diebus levari.

Patres *(d)* pro Sponsæ dentibus cum ovium e fonte egredientium grege comparatis, eos intelligunt, qui ex aquis Baptismatis prodeunt, vellere posito, scilicet mundi negotiis, curisque superfluis. Eum ex iis candorem referunt, eamque animæ puritatem, ut ovium lotarum candore satis exprimi nequeant. Denique e sacro fonte prodeunt duplici charitatis fructu ornati, erga Deum scilicet ac proximum; nullusque ex ipsis sterilis est. S. Spiritûs gratiam omnes concipiunt, omnesque bonorum operum fructum pariunt.

℣. 3. Sicut vitta coccinea, labia tua, et

(l) *Ælian. hist. lib. 16, c. 30:* Εὔτριχας δ᾽ αὖ τὰς αἶγας, ὡς εἰπεῖν βοστρύχους ὥς τινας ἕλικας κόμης ἐξηρτῆσθαι αὐτῶν. (m) *Martial. lib. XII, Epig. 45.* (n) *Braun. de vestit. Sacerd. Hebr. lib. 5, c. 9.*
(o) *Lucian. Imagin.* (p) *Bellon. observ. lib. 3, c. 35.*
(q) Chardin, Voyage, liv. 2, *pag. 425.* (r) *Cato Origin. & Valer. Max. lib. 2, c. 1.*
(s) *Ovid. Metam. XV.* (t) *1 Reg. XIX, 13, 16.* (u) *1 Reg. XVI, 12.*
(x) *Cant. VII, 5.* (y) *Plin. lib. IX, c. 38.* (z) *Cant. IV, 9.* (a) *Gregor. Just. Orgel. Phil. Carpath.*
(b) שניך כעדר הקצובות שעלו מן הרחצה שכלם מתאימות
(c) *Columel. lib. 7, c. 4. Pallad. Majus, tit. 8.* (d) *Aug. lib. 2 de doctr. Christ. c. 6; & Theodoret. hic.*

℣. 4. Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.

℣. 5. Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascunt in liliis.

℣. 6. Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.

COMMENTARIUS.

ET ELOQUIUM TUUM DULCE. Satis luculenta sententia est. Mysticè Evangelici Præcones sunt *(e)*, quorum orationem coccini nitore, pretio, ac pulcritudine ornari necesse est. Igne charitatis hi ali, alienæque salutis studio flagrare debent. Opus est, ut sacri Præconis labia Christi sanguine imbuta sint, & carbonibus e sacro Altari eductis purgata.

SICUT FRAGMEN MALI PUNICI, ITA GENÆ TUÆ. Punicum malum ad rubrum accedit. Exterior ejus cutis similis genæ est tereti, succi plenæ, rubicundæ. Hoc vult Sponsus. Reddi potest Hebræus *(f)*: *Sicut fragmen mali punici, ita tempora tua*, seu *globuli tui*, ea scilicet vultûs pars, quæ ad extimum oculi angulum accedit. Rubicundus mali punici color Ecclesiæ Christi pudorem puritatemque significat. Genæ, modestiæ & venustatis sedes, Christianæ virgines sunt, pulcherrima gregis Christi portio, authore S. Cypriano *(g)*, & Ecclesiæ matris suæ gloria & ornamentum: *Flos Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, ... illustrior portio gregis Christi*. Si Ecclesia, Jesu Christi Sponsa, in fide castitatem servat, *(h)* simulque mater & virgo est, cùm novos quotidie in spiritu filios pariat, & Cœlo nutriat; utriusque hujus laudia participes Christianæ Virgines sunt, devotâ Virginum Sponso virginitate [i]: *Despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, constanti bonorum operum exercitio, quæ spiritualium filiorum loco sunt. *Custodiunt etiam in ipsâ carne, quod Ecclesia custodit in fide: imitantur matrem viri & domini sui; nam Ecclesia quoque & virgo & mater est*, inquit S. Augustinus *(k)*.

℣. 4. SICUT TURRIS DAVID COLLUM TUUM, QUÆ ÆDIFICATA EST CUM PROPUGNACULIS: MILLE CLYPEI PENDENT EX EA. Turres olim Urbium præsidio condebantur cum pinnis, ut nullo ex hostibus periculo jaculandi ex iis turribus locus esset defensori. Turrium etiam ornamento, & Civium usui, ubi hostis improvisò adoriretur, clypei e turribus suspendebantur. Clypeorum, pharetrarum, galearumque, quæ ex Tyri mœnibus pendebant, meminit Ezechiel, XXVII, 10; & Isaias, XXII, 6, armorum e mœnibus Jerosolymæ pendentium, quorum usus in obsidionibus atque improvisis invasionibus erat. Sponsæ collum Sponsus turri comparat clypeis ornatæ, quòd fortasse e compositis Sponsæ capillis varia penderent ornamenta ex auro, argento, gemmisque, fermè ut clypei ex hujusmodi turribus circum demittebantur. Fortè etiam torques significat ac margaritas, quibus collum ornabatur. Hebræus variè redditur [l]: *Collum tuum sicut turris David, quæ ædificata est ad Thalpioth*. Tota hujus loci difficultas ex hac voce oritur, quam alii *pinnas*, alii *angulos*, seu *lapides in aciem sive acumen desinentes* reddunt; sive, ædificata *ad suspendendum enses acutissimos*; sive, *ædificata, ut in exemplum sit*. Aquila: Εἰς ἐπάλξεις, *in pinnas*; Symmachus, εἰς ὕψη, *in excelsus*. Omnes temerè. Septuaginta *(m)* Hebræam vocem *Talpioth* servant. Mihi magis arridet, hoc nomine quemdam locum, ac turrim celeberrimam designari, quam David in *excelso faucium* ædificaverit, id enim propriè Hebraicæ voces sonant *(n)*. Quod verò excelsum fuerit, aut quæ fauces, ignoramus. Libet suspicari, fortasse in Libano fuisse. Superatâ Syriâ, David fauces quasdam, in eam Provinciam ducentes, muniit, ut liber sibi semper aditus esset. Varia sunt Syriæ loca, quorum in nominibus hæc vox *Thel*, seu *Thal*, excelsum, sonat *(o)*. Turris David Christi Ecclesia est, *Columna & firmamentum veritatis*, ut inquit Apostolus *(p)*. Clypei ex eâ turri pendentes, Apostoli sunt, præsules, sacrique præcones, qui Ecclesiam doctrinâ sustinent, vitæ integritate docent, verbis ac scriptis tuentur. Ea verò turris rupi firmissimæ insidet, neque unquam ab inferi portis quatietur *(q)*.

℣. 5. DUO UBERA TUA SICUT DUO HINNULI CAPREÆ GEMELLI. Uberum similitudo cum capreæ hinnulis, non satis sentitur, neque satis æqua videtur duarum hujusmodi rerum comparatio. Illud fortasse significat Sponsus, duo Sponsæ ubera e candido illius sinu surgere, veluti duo hinnulorum capita e liliis, inter quæ pascuntur. Ita meliùs constabit sibi comparatio. Cæterùm ubi animus amore percitus loquitur, accurata loquendi ratio quæri non debet. Alibi animadvertimus, duo Sponsæ ubera esse duo Testamenta, fontesque dogmatum & institutionum, quibus Christus filios erudit *(r)*. Duo etiam charitatis fines iis significantur, Deus & proximi.

℣. 6. DONEC ASPIRET DIES, ET INCLINENTUR UMBRÆ, VADAM AD MONTEM MYRRHÆ. Sponsus ad montem myrrhæ secedit, noctem ibi acturus, primoque diluculo reversurus ad Sponsam. Ita explicant Hebræi; quibus Interpretes quidam adstipulantur *(s)*. Veterum, & Recentiorum plerique cum superioribus jungunt *(t)*: *Duo ubera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies*. Nos tamen superiùs, II, 17, ostendimus, his verbis, *Donec aspiret dies, & inclinentur umbræ*, tempus vespertinum, non matutinum significari. Quamobrem dicendum est, Sponsum primo diluculo a Sponsâ discedere, ut elapsis diebus *(u)*, & in aliquem e vicinis montibus, ubi thus & myrrha nascuntur, elabi; actâque in montibus die, vespere reverti, ut Sponsam ex consueto intervisat. Montes myrrhæ & thuris iidem fortasse sunt, ac montes *Bether*, de qui-

(e) *Beda, Greg. Apon. Cassiodor. Anselm. Just. Carpath.*
(f) כפלח הרמון רקתך (g) *Cyprian. de habitu virgin.*
(h) *Vide Aug. de sanctâ virginit. initio.* (i) 2 *Cor.* XI, 2. (k) *Aug. loco cit.*
(l) כמגדל דויד צוארך בנוי לתלפיות אלף המגן תלוי עליו וגו
(m) Ὠικοδομημένος ἐν Θαλφιώθ. (n) תל excelsum, *Deut.* XIII, 22; *Josue*, VIII, 28; *Jerem.* XXX, 18; XLIX, 2; *Ezech.* III, 15. פי Fauces, *Exod.* XIV, 2, 9; *Josue* X, 18.
(o) *Thelassar, Thelmela, Thelbursa, Thelbon, Thelda, Thelde, Thelme, Thelmenissum, &c.*
(p) 1 *Timot.* III. (q) *Matt.* XVI, 18. (r) *Theodoret. hic.* (s) *Hebr. & ex recentiorib. non pauci.*
(t) *Ita Patres plerique. Sanct. Cornel.* (u) *Cant.* II, 7; III, 5.

ỹ. 7. Tota pulchra es, amica mea, & macula non est in te.
ỹ. 8. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.
ỹ. 9. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.

COMMENTARIUS.

quibus supra, 11, 17. Myrrha & thus ex inciso quarumdam arborum gummiferarum, & resinosarum cortice manabant.

Mons myrrhæ, quò secedit Sponsus, mons Calvariæ est, ubi Christus vitæ suæ sacrificium patri obtulit in Crucis Altari, quam amarus myrrhæ sapor indicat. Quidam ex Patribus (*x*) ajunt, myrrhâ corporis afflictationem, thure orationem designari. Alii (*y*) Myrrhâ Passionem Christi, thure resurrectionem innui putant. Unusquisque pro arbitrio. Piorum animæ, quæ Mundi discrimina vitare seriò cupiunt, cujus mundi figura est diei æstus, nihil aptius decernere possunt, quàm ut in montem myrrhæ & thuris cum Sponso secedant, ibique & preces & lacrymas ad Christi Crucis pedem effundant. Si aliquam ibi moram trahant, statim mundum negligere discent, ejusque delicias aspernari.

ỹ. 7. TOTA PULCHRA ES, ET MACULA NON EST IN TE. Antequam abeat, atque in montem myrrhæ & thuris secedat, Sponsus Sponsam laudare, & amoris, quo erga illam flagrat, magnitudinem testari pergit. Fatetur hîc iterum, sese illius venustate captum esse, eoque magis sibi placere, quo magis intuetur: *Macula non est in te*; numeris omnibus absoluta, labe, vitio vel levissimo cares. Idem fermè de Christi Ecclesiâ docuit S. Paulus (*z*): *Exhibuit ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta & immaculata.*

ỹ. 8. VENI DE LIBANO, SPONSA MEA, VENI, CORONABERIS. Mirâ inventione Poëticâ Salomon Sponsam ceu montium nympham exhibet, leonibus pardisque venatu exercendis, in montibus Libano, Amana, Sanir & Hermone, occupatam; ceu ferocem indomitamque virginem, quæ reverti ex agresti domicilio renuit. Hortatur, ut e montium vertice descendat, ipsamque coronâ donaturum, sponsamque sibi juncturum sese pollicetur. Jam animadvertimus, novas nuptas coronâ redimiri (*a*), ac puellas Phœnicias venatu exerceri consuevisse (*b*). Ita Poëtæ Dianam sociasque, atque ipsam Venerem, in montibus percurrentes, ferarumque venatu sese exercentes describunt (*c*).

Nuda genu, vestem ritu succincta Dianæ;
Hortaturque canes, tutaque animalia prada,
Aut pronos lepores, aut celsum in cornua cervum,
Aut agitat damas, &c.

Neque putes, Sponsam eodem tempore montes Libani, Amana, Sanir, & Hermonis peragrasse, cùm alter ab altero nimis amplo intervallo sejungerentur. Libanus Phœniciam ac Syriam distterminat; Amanus inter Ciliciam & Syriam est; montes Sanir & Hermon trans Jordanem jacent (*d*), ad Damasci & Libani meridiem, & ad montium Galaaditicorum aquilonem. Hermon & Sanir partes sunt ejusdem montium jugi, quo Trachonitis, seu Manassis regio ab Arabiâ desertâ separatur. Phœnices communiùs *Sanir*, Hebræi *Hermonem* nuncupant (*e*). Sponsa venationis studio rapta, montes hosce subinde peragrabat. Poëtica inventio est, uti diximus.

Censent Interpretum plures, Salomonem hoc Libani nomine magnificas illas ædes significare, quas ipse Jerosolymis condiderat, ac Saltum Libani appellaverat, ab ingenti columnarum numero, quibus fulciebantur, & cedri copiâ, qua ornabantur. Hoc profectò probabilissimum videri posset, si unius Libani mentio hîc occurreret. At montes Amana, Sanir, Hermon quid Jerosolymitanis ædibus dederunt? Hebræus ad verbum (*f*): Veni *mecum de Libano, Sponsa, mecum de Libano: veni, prospice de capite Amana, de capite Sanir & Hermon, de habitaculis leonum, de montibus pardorum.* Cur fugis, cara? Revertere, atque e montium tuorum vertice, ex editâ nemorum parte, ubi pericula innumera sunt, ubi leones, tigrides & pardi cubant, prospicito. Ferarum nomina non temerè addit, ut Sponsam ad descensum impellat. Puellæ quæ venatu exercebantur, mitioribus prædis contentæ, fortibus ferisque abstinebant (*g*):

. . . . *A fortibus abstinet apris,*
Raptoresque lupos, armatosque unguibus ursos
Vitat, & armenti saturatos cæde leones.

Septuaginta (*h*) nomen *Amana* interpretati, pro *bonâ fide*, seu *veritate* usurpavere: *Veni de Libano, Sponsa, veni de Libano: venies & transibis a principio fidei, a capite Sanir & Hermon*; idque Græci Patres, & ex Latinis quidam (*i*) morali sensu explicant de charitatis cæterarumque virtutum progressu, qui ex homine Christiano ab ipso fidei initio expectatur.

ỹ. 9. VULNERASTI COR MEUM, SOROR MEA SPONSA, IN UNO OCULORUM TUORUM, ET IN UNO CRINE COLLI TUI. Neque Latinam, neque Græcam, neque vernaculam vocem habemus, quæ vim Hebraici vocabuli (*k*), a S. Hieronymo redditi, *Vulnerasti cor meum*, satis exprimat. Septuaginta: *Cor abstulisti mihi*, radicitus evulsisti unico intuitu, & uno capillorum nexu ex iis, quibus collum ornas. Venatricem exhibet, neglectis crinibus, venatu occupatam (*l*).

Namque humeris de more habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque comas diffundere ventis.

Pro, *uno crine colli tui*, Septuaginta (*m*) & Interpretum plures reddunt: *Uno torque colli tui*. At ple-

(x) *Cassiodor. Beda, Apon. Carpat. Just. Orgelit.*
(y) *Nyssen. Theodoret. Psell. Rupert.* (z) *Ephes.* v, 27. (a) *Cant.* III, 11.
(b) *Cant.* II, 7. (c) *Ovid. Metam. lib.* 2, *Fab.* 10, *de Venere.* (d) *Vide* 1 *Par.* v, 23.
(e) *Euseb. & Hieron. in locis.* (f) אתי מלבנון כלה אתי מלבנון תבאי תשורי מראש אמנה מראש שניר וחרמון ממענות אריות מהררי נמרים (g) *Ovid. lib.* x *Metam. Fab.* 10.
(h) Δεῦρο ἀπὸ Λιβάνου, Νύμφη, δεῦρο ἀπὸ Λιβάνου, ἐλεύσῃ, καὶ διελεύσῃ ἀπ' ἀρχῆς πίστεως. *Aqu.* Α'μάνα.
(i) *Vide Aug. in Ps.* 67, *tres Patres in Catenâ, Carpath. Ambros. de virgin. c.* 3, *& de Isaac, c.* 5, *&c.*
(k) לבבתני אחותי כלה 70: Ἐκαρδίωσας ἡμᾶς. v *Edit.* Ἐθάρρυνάς με, audacem reddidisti me. *Ita Sym. apud Theodoret.* (l) *Virgil. Æneid.* 1. (m) 70: Ἐν μιᾷ ἐνθέματι τραχήλου σου. *Sym.* Τῶν ὁρμίσκων τοῦ τραχήλου σου. At Aqu. Ἐν ἑνὶ πλοκάμῳ ἀπὸ τραχήλου σου, in uno cincinno de collo tuo.

℣. 10. Quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror mea sponsa! pulcriora sunt ubera tua vino, & odor unguentorum tuorum super omnia aromata.

℣. 11. Favus distillans labia tua, sponsa: mel, & lac sub linguâ tuâ: odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

℣. 12. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.

℣. 13. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo,

COMMENTARIUS.

plerique servant nexum capillorum. Profectò quis multos collo torques suspendit? *Sororis* nomen blanditias & amicitiam hoc loco significat (*n*). Apud Profanos etiam hoc sensu usurpatur.

Qui mysticas res scribunt, duplicem huic loco explicationem adhibent. Putant alii, Sponsum offensum esse minùs ardenti Sponsæ intuitu, neglectoque capillorum cultu, atque unius capilli licentiâ minimè coërcitâ. Fidelium animarum Sponsus omnia vel levissima in Sponsis observat; ac vel minimum amoris languorem, levissimamque negligentiam aut perturbationem damnat. Alii sensu planè contrario: Animum rapuisti, omnem mentis meæ ardorem uno intuitu, unoque capillorum tuorum nexu devinxisti. Oculus rectam mentis intentionem, amorisque & contemplationis puritatem significat; capilli, pietatis exercitium, eleemosynam, modestiam, &c.

℣. 10. PULCRIORA SUNT UBERA TUA VINO. Eadem est laus, quam Sponsa de Sponsi uberibus prædicaverat superiùs, I, 1; & ea quæ sequuntur, *Et odor unguentorum tuorum super omnia aromata*, iis respondent, quæ Sponsa de Sponso dixerat, I, 1, 2: *Fragrantia unguentis optimis.*

℣. 11. FAVUS DISTILLANS LABIA TUA. Sermo tuus, vocis tuæ sonus jucundissimi sunt, melle suaviores. Ita Veteres Theophrasti eloquentiam ac Nestoris orationem melli similes fuisse tradiderunt (*o*). Hinc fluxisse videtur in Ecclesiam usus, ut recèns baptismate ablutis (*p*) lac & mel gustandum porrigerent, veluti innueret, ipsos ab Ecclesiâ illorum matre, ac Dei Sponsâ ceu filios lacte & melle, e labiis Ecclesiæ manantibus, ali; doctrinæ suæ suavitate, Scripturarum deliciis, verbi sui ac Sacramentorum alimentis. Sponsæ labia Doctores sunt (*q*), Ecclesiæ Præcones. Horum verba, uti S. Paulus solebat, lac & mel imbecillibus esse opus est, cibumque solidum firmis (*r*). Olim nutrices nihil alumnis nisi mansum porrigebant: idque adhuc apud Orientales usurpatur. Ecclesiæ Administratores nutritii subditorum sunt.

ODOR VESTIMENTORUM TUORUM SICUT ODOR THURIS. Vestes suffitu inhalabant Veteres. Esau vestes suaveolentes Rebecca Jacobo tradidit (*s*); & Sponsæ vestes, de quibus Psalmista, myrrhâ & casiâ fragrabant (*t*). Idem apud Homerum legas (*u*). Vestes nostræ bona opera sunt. *Si tamen vestiti & non nudi inveniamur*, inquit S. Paulus (*x*). Laborandum assiduè Christiano est, ut sese vetere homine exuat, & Christo induat; *Induimini Dominum Jesum Christum* (*y*).

℣. 12. HORTUS CONCLUSUS SOROR MEA SPONSA, FONS SIGNATUS. Sponsæ pudicitiam commendat. Nemo illius hortum ingressus est, nemo ex ejus aquis hausit. *Bibe aquam de cisternâ tuâ*, monebat sponsum Salomon (*z*), *& habeto illas solus*. Qui Palæstinam peragrarunt (*a*), *fontis signati* Salomonici meminere, qui adhuc quater mille & quingentis passibus a Bethlehem, & *horti conclusi*, qui prope mœnia Jerosolymæ in orientali plagâ conspicitur; adeò ut hortus conclusus fontem Rogel seu Fullonis contineat. Quàm multa verò hisce narratiunculis adhibenda est fides? Patres (*b*), quæ hìc Salomon de horto concluso & fonte signato tradit, de Ecclesiâ interpretantur; quæ Schismaticis, Hæreticis, Infidelibus clausa, floribus fructibusque, qui Justi probique Christiani sunt, referta est. Steriles etiam arbores, imò & spinas continet, impios scilicet malosque Christianos; minimè tamen prorsus inutiles, quippe qui bonos exerceant, ipsisque criminum suorum umbris virtutis splendorem augeant. Fons in horti medio fluens, doctrina salutis est, Divinis in Scripturis clausa quæ fontis instar clausi sunt ob difficultatem sublimitatemque sententiarum. Pastorum verò est hos fontes recludere, eorumque latices unicuique porrigere.

℣. 13. EMISSIONES TUÆ PARADISUS MALORUM PUNICORUM, CUM POMORUM FRUCTIBUS. Pergit in horti allegoriâ Sponsus. Sponsam exhibet horto similem eximiis fructibus, arboribusque pretiosis atque aromaticis consito. Reddi potest Hebræus (*c*): *Propagines tua paradisus*, hortus frugiferarum arborum, *malorum punicorum, cum fructibus pretiosis*; Symmachus (*d*), *cum fructibus autumnalibus*; Septaginta, *cum fructu nucum*. Veteres quidam, (*e*) *emissiones* munera, dona a Sponsâ missa, interpretantur; alii, *fontes*. At jubet Hebræus intelligi arbores, propagines, & tropicè *liberos*. Sponsa similis fertili horto est, fructus eximios feren-

(n) *Vide Prov.* VII, 4; *& Esth.* XV, 8. (o) *Homer. Iliad.* 1. . . . Τοῖσι δὲ Νέστωρ
Ἡδυεπὴς ἀνόρουσε, λιγὺς Πυλίων ἀγορητὴς,
Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

(p) *Tertull. de coronâ milit. Ter mergimur, inde suscepti, lactis & mellis concordiam prægustamus.*
(q) *Greg. Cassiod. Beda, Theod. Apon. Just. Anselm.* (r) 1 *Cor.* III, 2: *Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis, &c.* (s) *Genes.* XXVII, 27: *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni.*
(t) *Psal.* XLIV, 9. (u) *Homer. Iliad.* Ζ. Αὐτὴ δ᾽ ἐς θάλαμον κατεβήσετο κηώεντα.
Ἔνθ᾽ ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, ἔργα γυναικῶν.
(x) 2 *Cor.* V, 3. (y) *Rom.* XIII, 14, *Coloss.* III, 9: *Expoliantes vos veterem hominem.*
(z) *Prov.* V, 14, 17. (a) *Doubdan, c.* XI, *Adrichom. alii.* (b) *Vide Ambros. lib.* 2 *de virgin. Aug. lib.* 3 *de Bapt. contra Donatist. c.* 27; *Anselm. Theod. Carpath.*
(c) שלחיך פרדס רמונים עם פרי מגדים (d) *Sym.* Ὀπωρῶν. 70: Μετὰ καρποῦ ἀκροδρύων. *Ambros. c.* 5, *de Isaac; Hieron. hic; & lib.* 1 *contra Jovin. Cum fructibus pomorum.*
(e) *Theodoret. Origen. Ambros. c.* 5 *de Isaac.*

℣. 14. Nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum cum universis lignis Libani; myrrha, & aloë cum omnibus primis ungentis.

℣. 15. Fons hortorum: puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.

℣. 16. Surge, Aquilo, & veni, auster: perfla hortum meum, fluant aromata illius.

COMMENTARIUS.

ferenti. Ingentem ac nobilissimam posteritatem edet; ejusque propagines similes lignis aromaticis erunt, quæ longè lateque suavissimum odorem fundent. In singulis aromatum generibus hìc recensitis Mystici totidem inveniunt pariendi modos in Ecclesiâ, cùm varios habeat Ministrorum gradus, ac variæ sint Fidelium conditiones & status.

CYPRI CUM NARDO. De *Cypro* satis diximus superiùs, 1, 13. Docet Theodoretus hoc loco, cyprum arbusculæ genus esse oleum ferentis, cui vis calefaciendi est. Nardus notior est. Apud Indos, Syros, Cilices, aliosque nascitur. Suavissimus nardi odor in radice & spicâ est.

℣. 14. CROCUS, arbor notissima. Præstantissimus, pulcherrimus, ac suavissimus is est, qui in Ciliciâ nascitur, prope Corycum urbem (f), quæ nomen duxisse videtur ex Hebræo כרכם *carcos*, Græcè κρόκος.

FISTULA, calamus aromaticus, suavi odore, apud Arabes & Palæstinos communis. Apud Pharmacopolas quoddam *calami aromatici* genus invenitur, ab Indiâ veniens. Calami aromatici meminit Moyses (g).

CINNAMOMUM, cortex odoratus est; & alterum creditur a nostrâ *cannellâ*. Commune olim apud Arabes fuit, ætate Plinii rarissimum. De hoc egimus in Exodum, xxx, 23.

CUM UNIVERSIS LIGNIS LIBANI. Præter has aromaticas arbores, in horto Sponsæ sunt cætera Libani arborum genera, præsertim cedri. Hebræa vox reddi potest (h): *Cum omnibus lignis turis*, myrrham scilicet, tus, styracem, aliaque gummi aromatici genera ferentibus.

MYRRHA. De hac egimus supra, 1, 12.

ALOE, ingens arbor est, apud Indos nascens, octo vel decem pedum altitudine, cujus caudex humani fœmoris crassitiem æquat; folia, quatuor pedibus oblonga, in caudicis cacumine colliguntur. Florem fert rubrum crocen mistum; ex quo fructus excluditur teres ceu cicer, albus rubro variatus. Lignum maculis inspergitur, amarum est, & bene olet. Ut halitûs vitia corrigantur, cortex aloës manditur, vel aquâ, ex qua cocta fuerit aloë, os proluitur. Hujus e foliis cultro diffissis, quæ crassa magnoperè sunt, succus exprimitur; isque in lagunculas e cucurbitâ collectus, atque in sole siccatus, similis resinæ est. Hujus ligni fragmina Indi in pyras, ubi cadavera cremantur, injiciunt, ut carnis nidorem temperent. Aloë in Europâ nascens trunco caret.

℣. 15. FONS HORTORUM, PUTEUS AQUARUM VIVENTIUM, QUÆ FLUUNT IMPETU DE LIBANO. Fluit in Palæstinâ amnis, quem *nahar Kadischa*, amnem sanctum, nuncupant, inter eos qui e Libano manant, qui ex his aquis, de quibus hìc Salomon, conflatus creditur. Tribus etiam passuum millibus a Tyro est perennium aquarum puteus, quem Salomonicum hunc puteum esse arbitrantur (i). Hujus tamen rei fides tota ex vulgi inscitiâ & peregrinorum credulitate est. Videtur hìc Sponsus Sponsæ fœcunditatem celebrare, sub aquarum e Libano cum impetu fluentium figurâ.

Per aquas e Libano manantes Legem ex Judæis egressam, ac latè in Ecclesiâ Christianâ diffusam intellige (k). Alii has aquas atque hunc puteum esse ajunt Divina Volumina (l), nitidissima, pulcherrima, suavissima, uberrima, profundissima. Suavis jucundaque Scripturarum perspicuitas simplices allicit; profunditas eruditos exercet: *Magnificè & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas sacras modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret.*

℣. 16. SURGE, AQUILO, VENI AUSTER: PERFLA HORTUM MEUM. Aquilo seu boreas & auster contrarii sunt, neque simul flare queunt. Optat Salomon, ut alternatim uterque spiret, atque hortum perflet, ut illius odor longè lateque diffundatur. Quod bonum est, naturâ suâ communicari cupit. Vult igitur Sponsus, ut Sponsæ suæ nomen, venustas, virtus per omnium ora feratur, atque omnes intelligant, ipsam esse mulierem omnium absolutissimam. Interpretes quidam (m) Hebræum vertunt (n): *Recede, aquilo, veni, auster.* At Hebræa vox propriè sonat, *Surge, aquilo, &c.* Ventum, quo Sponsæ hortus perflatur, ejusque odor latè dissipatur, Patres (o) Spiritum Sanctum esse docent, qui Sacrâ Pentecostes die Ecclesiam perflans, perspicuè sese Apostolis infudit; qui flare pergit, ubi vult, suamque lucem & sua munera in Fidelium animis spargit, ac feraces efficit boni odoris fructuum, quibus recreantur ii, qui ipsos aut vident, aut narrari audiunt. Primus Capitis V versiculus in Hebræo in fine quarti est.

(f) *Solin. c. 51.* (g) *Exod.* xxx, 23. Vide & *Jerem.* vi, 20. (h) עם כל עצי לבונה
(i) Vide *Brocard. Adrichom. Breidemb. Doubd.* (k) *Theodoret. Anselm.* (l) *Gregor. Beda, Philo Carpat. Apon. Just. Anselm. Ambros. de Isaac, c. 4.* (m) *Sanct. Est. Theodoret. Menoc. Vide a Lapide.* (n) עורי צפון ובאי תימן (o) *Vide Greg. Nyssen. Rupert. Anselm. Theodoret. Psell. &c.*

CAPUT V.

SPONSA.

℣. 1. **V**Eniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.

SPONSUS.

Vêni in hortum meum, soror mea sponsa: messui myrrham meam cum aromatibus meis; comêdi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VENIAT DILECTUS MEUS IN HORTUM SUUM. Cùm Sponsus similem esse dixerit Sponsam horto amenissimo, pulcherrimo, riguoque, bonorumque fructuum & arborum odoriferarum copiâ refertissimo, statim Sponsa respondet, ac Sponsum invitat, ut in hortum suum veniat. Cùm jucundum adeò hortum descripseris, aut ego in hortum tuum, aut tu in meum deambulaturi veniamus. Vel: Cùm me horto similem dixeris, hunc in hortum Dilectus veniat, in conclave meum subeat. Castus Ecclesiæ Sponsus in castas innocuasque animas ingrediatur, easque amoris & gratiæ suæ suavitate cumulet, suæque misericordiæ & Spiritûs sui dona in Ecclesiæ sinum effundat; pace compleat; lumine ac robore illos instruat, qui Ecclesiam moderantur & regunt.

VENI IN HORTUM MEUM..., MESSUI MYRRHAM MEAM. Sponsæ verbis respondet Sponsus: Votis tuis obtempero. Ingens est precum Ecclesiæ virtus; iisque nunquam non aures porrigit Sponsus. Pollicitus illi est, sese cum illâ usque ad sæculorum exitum fore (a); neque permissurum, ut a portis Inferi superetur (b); simplicibus denique Christianis promittit, sese omnia ipsis concessurum quæ postulaverint (c), si, uti decet, in veritate & justitiâ postulaverint; multo igitur magis Ecclesiæ largietur, quæ ipsa poposcerit. Sponsæ votum, ℣. 1 recitatum, *Veniat dilectus meus in hortum suum*, quidam ex Patribus (d) ita explicant, veluti Synagogæ seu naturæ humanæ desiderium sit, quæ Patris Verbum rogat, ut in hortum suum veniat, nostræque naturæ jungatur, sterilitate liberaturus, & fructuum gratiæ ac benedictionis feracem redditurus. Ferventibus hisce precibus respondet Verbum, atque hæc desideria explet Incarnatione: *Vêni in hortum meum*, in Virginis sinum. Horti amenitas & jucunditas a Sponso descripta, leve symbolum est virtutum ac perfectionis, quibus Deiparæ sinus florebat.

COMEDI FAVUM CUM MELLE MEO. Simplicem ac frugi cœnam, in Sponsæ horto gustatam, Salomon hoc loco describit. Totus cœnæ apparatus erant lac, mel, vinum, & poma nonnulla, suavesque suffitus. Hæc verò castas delicias significabant, quibus puræ & innocuæ mentes inter preces, rerumque Divinarum contemplationem fruuntur, in simplici vivendi genere, a cæteris remotæ, eaque aspernantes, quæ hominum plerique maximoperè amant, mirantur, anhelant; piorum operum, ac virtutum exercitio occupatæ. Pœnitentis hominis lacrymæ, dum peccata deflet, & eæ, quas suavis animi devotio exprimit, jucondiores sunt, quàm cæteræ hujus vitæ voluptates. *Cum quantâ suavitate plorat, in gemitu qui orat! Dulciores sunt lacrymæ orantium, quàm gaudia Theatrorum* (e). *Lacrymæ pœnitentium vinum sunt Angelorum; quia in illis odor vitæ*, inquit S. Bernardus (f). Septuaginta (g): *Manducavi panem meum cum melle meo*. Fortasse placentas significant melle subactas. Animadversione dignum est id quod Sponsus addit: *Bibi vinum meum cum lacte meo*. Chaldæus pro lacte *vinum album* intelligit. At vinum & lac contraria non esse, nemo ignorat, docetque S. Clemens Alexandrinus, utraque misceri consuevisse, *Pædagog. l. 1, c. 6.*

BIBITE ET INEBRIAMINI CHARISSIMI. Convivio non adest Sponsa; nisi tamen ponas, totum hoc figuram esse, quâ Cœlestis Sponsus amicos vocat ad castas animi delicias, quas ipse impertitur, idemque ipse cum puris animabus, sui amore occupatis, delibat. *Inebriari* hoc loco non turpem illam rationis oppressionem significat, quæ homine bene instituto indigna est; illam enim solummodò hilaritatem indicat, quam vinum cum modo haustum parit. Vide quæ animadvertimus in Genesim, XLIII, 34. Verti Hebræus potest (h): *Bibite & inebriamini charitate*. Ita legitur in Proverbiis, V, 19: *Ubera ejus*, vel amores ejus *inebrient te*. Et capite VII, 18: *Venite, inebriemur uberibus*, amoribus. Et in Cantico, I, 1, & IV, 10: *Meliora sunt ubera tua*, vel amores tui *vino*.

Vinum, ebrietas, Convivium Sponsi & amicorum Divinum Eucharistiæ Sacramentum est (i), ad quam nos Christus vocat, ut ibi suo nos Corpore suoque Sanguine alat ex suâ ipsius substantiâ, sub panis ac vini speciebus celatâ. Ibi nos piè ebrios facit sui amoris vino, sobriâ scilicet ebrietate, *germinante virgines* (k), ubi is deliciorum torrens, qui ebrios in Cœlo effecturus est, prægustatur (l): *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*. Hac ebrietate rapti, veterem hominem obliviscimur, ac novi prorsus homines efficimur. Hæc sobrios facit, sapientes, castos, temperantes; ac nedum sensus non capit ac rationem minimè occupat, ad Cœlestium veritatum cognitionem nos erigit, animum ac mentem aperit, ut videant sentiantque, quàm bonus sit Deus: *Sic mentes inebriat, ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritalem sapientiam redigat, ut a sapore isto sæculari ad intellectum Dei unusquisque resipiscat*, inquit S. Cyprianus (m).

℣. 2, EGO

(a) *Matt.* XXVIII, 20. (b) *Matt.* XVI, 18. (c) *Marc.* XI, 24. (d) *Vide Athanas. in Synops. Rupert. Luc. Abb. &c.* (e) *Aug. in Psal.* CXXVIII. (f) *Serm.* 30 *in Cant.* (g) 70: Ἔφαγον ἄρτον μου μετὰ μέλιτός μου. *Sym.* Ἐνιμήθην τὸν δρυμόν μου. *Heb.* אכלתי יערי (h) שתו ושכרו דודים
(i) *Vide Greg. Philon. Carpath. Rupert. hic. Cyprian. Ep.* 63. (k) *Zachar.* IX, 17.
(l) *Psalm.* XXXV, 9. (m) *Cyprian. Ep.* 63; *Bernard. tract. de Dilig. Deo. Sobria illa ebrietas, vero, non mero ingurgitans; non madens vino, sed ardens Deo.*

SPONSA.

℣. 2. Ego dormio, & cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.

℣. 3. Expoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? lavi pedes meos, quomodo inquinabo illos?

℣. 4. Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.

COMMENTARIUS.

℣. 2. EGO DORMIO, ET COR MEUM VIGILAT. Novum hìc oritur argumentum, vel, si mavis, alter hujus Carminis Actus. Non semel animadvertimus, Sponsum nonnisi noctu Sponsam intervisere, ac per diem in agrum secedere, seu cum amicis seu solitarium, totumque diei spatium aut venatu, aut vineis hortisque visendis agere consuevisse. Quartâ hac nocte, Sponsus consueto tardiùs venit, Sponsâ jam cubante, ac semisomni. Vix fores feriit ille clamavitque, illa exaudiit: *Vox dilecti mei pulsantis*. Nihil amore vividius, promptius, attentius, aut solertius est. Animus Dei sui curâ occupatus, nunquam non voces illius sedulò excipit, ac monitis obtemperat.

CAPUT MEUM PLENUM EST RORE. In sudis æstatis diebus ros bis cadit: vespere, statim post Solis occasum, & mane. Quem hìc nominat Sponsa, ros vespertinus est, cùm hæc noctu gesta fuerint, uti rerum series docet. In Palæstinâ ros uberrimè cadit, minoresque imbres æquant, testibus Itinerariis. Narrat Anacreon (*n*), Amorem domûs cujusdam fores feriisse, eodem planè habitu, quo Sponsus hìc exhibetur. Cordis fores pulsat Jesus monitis, gratiâ, suppliciis; noctu verò frequentiùs, quàm per diem; in adversis rebus potiùs, quàm in prosperis. Si fores pulsanti pandimus, ingreditur ipse, nosque beneficiis cumulat. *Ecce sto ad ostium, & pulso*, inquit ipse (*o*). *Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum ipso, & ipse mecum*. Christi capilli rore madidi, ii sunt, quorum charitas tepuit, inquit S. Augustinus (*p*). Mali sunt Christiani, qui licèt Christi capiti hæreant; ipsum tamen corrumpunt potiùs malæ vitæ instituto, & charitatis defectu perfrigerant (*q*).

℣. 3. EXPOLIAVI ME TUNICA MEA: QUOMODO INDUAR ILLA? LAVI PEDES MEOS: QUOMODO INQUINABO ILLOS? Inanes excusationes quærit Sponsa, ne fores Sponso pandat. Id porrò indignum est amore, quo calet. Exorari vult: hæc tamen mora illi magno stabit, diù vagaturæ ac laboraturæ, ut Sponsum inveniat, qui moræ pertæsus abscedet. Sese exuisse ait tunicâ, interiori scilicet veste; ita enim solebant Veteres, nudique cubabant, teste Homero, cujus Heroës cùm e lecto surgunt, priùs tunicam sumunt, deinde pallium. Id etiam apud nos vetustæ picturæ testantur. Addit, sese lavisse pedes, communi apud Palæstinam, cæterasque regiones ferventiores consuetudine, ubi pedibus cruribusque nudis domi incedunt; cùm verò egrediuntur domo, aut iter instituunt, meris sandaliis pedes proregunt. Vide Genesim, XVIII, 4; XIX, 2; XLIII, 24. Hinc orta consuetudo est, ut hospitum pedes lavarentur, quæ communis apud omnes fuit, & graviter adeò in Scripturâ (*r*), vetustisque Monachorum Regulis præcipitur, ipsosque Profanos minimè latebat (*s*).

Animarum Sponsus promptos ac celeres exigit auditores. Vix fores ferit, aperi: nunquam non esto vigil, ne ipse a te recedat fugiatque (*t*). Stultarum Virginum memor, miserum illarum exitum verere (*u*). Ardeant semper lampades tuæ, tuique renes accincti semper sint, ut Sponsum semper paratus excipias, ubi ipse advenerit; ut fores pandas, ubi pulsaverit (*x*).

℣. 4. DILECTUS MEUS MISIT MANUM SUAM PER FORAMEN, ET VENTER MEUS INTREMUIT AD TACTUM EJUS. Ubi illum fores tangere ac pulsare, conarique ut aperiret, intellexi, illius misericordiam totis visceribus sensi. Hebræus (*y*): *Dilectus meus misit manum suam per foramen forium; & viscera mea commota sunt super eo*. Diutiùs ferre non potui, ut ipse exclusus extra fores esset: quamobrem surrexi, ut fores panderem. Sunt qui *foramen* interpretentur fenestram, ad quam Sponsus stabat, atque introductâ manu pandere conabatur; eâ enim ætate, iisque in regionibus nullus erat vitri usus ad fenestras. Alii de ipsarum forium foramine explicant, quo vectie educebatur vel introducebatur; alii de fissurâ, vel seræ foramine, per quam Sponsus vel digitum vel aliud quidlibet introduxit, ut aperiret. Veteres quidam (*z*) putavere, introductâ per fores mano, Sponsæ ventrem tetigisse: *Venter meus contremuit ad tactum ejus*. Minimè tamen probabilis hæc explicatio est, cùm nuptialis thorus prope fores esse non soleret, ipsaque Hebræi syntaxis ita intelligi vetet.

Sponsi aperire conantis, atque in animam ingredi conantis manus, est gratiæ ac Spiritûs illius virtus (*a*). Ipse hominis conversioni initium facit judiciorum suorum metu, quo ipsum quatit, eamque perficit gratiâ sanctum faciente, qua ipsum per-

(n) *Anacreon, Ode* 1.

Βρέφος εἰμί, μὴ φόβησαι.
Βρέχομαι δέ, κἀσέληνον
Κατὰ νύκτα πεπλάνημαι.
Ἐλέησα ταῦτ' ἀκούσας·
Ἀνὰ δ' εὐθὺ λύχνον ἅψας
Ἀνέῳξα, &c.

(o) *Apoc.* III, 20. (p) *Aug. tract.* 57 *in Joan.* (q) *Vide Gregor. Cassiod. Bedam hic.*
(r) 1 *Timot.* V, 10. (s) *Athen. lib.* XII, *c.* 5; XV, 55. (t) *Theodoret. hic.* (u) *Matt.* XXV, 1.
(x) *Luc.* XII, 35. (y) דודי שלח ידו מן החור ומעי המו עליו 70: Ἡ κοιλία μου ἐθροήθη; *Venter meus turbatus est.* Sym. Τὰ ἔντερά μου ἐταράχθη. *Theodot.* Ἐθερμάνθη, *calefactus est.*
(z) *Rupert. Honor. Cassiod. &c.* (a) *Vide Nyssen. & tres Patres apud Theodor.*

℣. 5. Surrexi, ut aperirem dilecto meo; manus meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ.

℣. 6. Pessulum ostii mei aperui dilecto meo; at ille declinaverat, atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est: quæsivi, & non inveni illum: vocavi, & non respondit mihi.

℣. 7. Invenerunt me custodes, qui circumeunt civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me; tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.

℣. 8. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.

SPONSÆ COMITES,

℣. 9. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos?

SPONSA,

℣. 10. Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.

COMMENTARIUS,

perfundit; ipse eo robore, quo nos instruit, ac suavitate qua complet, ipsam conversionem nutrit, ut hilari jucundoque animo, constanterque ad exitum usque jugum Christi perferamus,

℣. 5. SURREXI UT APERIRAM DILECTO MEO; MANUS MEÆ DISTILLAVERUNT MYRRHAM. Cùm fores pandere vellem, ubi vectem tetigi, manus myrrhâ manentes sensi. Sponsus manum per fosium foramen introducens, vectem myrrhâ liniit, abiitque. Apud Romanos in nuptiarum pompâ (b) Sponsa ad Sponsum inter faces tædasque ducebatur; quique Sponsam duxerant, forium postes ungebant: atque hinc *uxor* fœmina nupta dicitur, Obsequii atque urbanitatis genus erat, fores amicarum unguentia perfundere, floribusque & fertis exornare (c);

At lacrymans exclusus amator limina sæpe
Floribus & sertis operit, postesque superbos
Ungit amaracino,

Fenestras Judæi per festos dies liniebant (d):

Herodis venêre dies, unctaque fenestra,

Florum denique sertorumque usus ad fores, totâ Antiquitate notissimus est (e), Quæstionem agit Athenæus (f), ante annos mille, inquit, excitatam, cur amatores amicarum fores floribus ornent,

Hebræus fert (g); *Surrexi ego ad aperiendum dilecto meo; & manus meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei* maduerunt *myrrhâ transeunte super manubrio*, vel super capulum *pessuli*. ℣. 6. Itaque *aperui dilecto meo*, &c. Septuaginta & Vulgata jungunt *pessulum* cum ℣. 6. *Pessulum aperui dilecto meo; ut ille declinaverat*. Significant hæc, qua fide velit Deus ut gratiæ suæque vocationi respondeamus. Animam, quæ fidei deest, myrrhâ, afflictatione, languore perfundit; in tenebris relinquit atque in animi remissione: deliciis suis, suavitate, lumine privat; quæ justa sunt negligentiæ ipsius & incuriæ pœna. Tum demum anima Sponsum frustra quærit; non audientem vocat: *Quæsivi, & non inveni illum; vocavi, & non respondit mihi*, Castus ac zelotypus Sponsus ipsâ sui absentiâ, seque inveniendi labore Sponsam docet, quàm ingens jactura fuerit, & quàm gravis pœna flagitii.

℣. 7. INVENERUNT ME CUSTODES ... PERCUSSERUNT ME ... TULERUNT PALLIUM MEUM. His injuriis objicitur Sponsa, ubi noctu domo egreditur. Meretricem putant vigiliæ, injuriis afficiunt ac vulneribus, pallio seu velamine exuunt; eo scilicet peplo, quo caput tegitur (h), sine quo Orientalium fœminæ nunquam in publicum prodeunt, Similem huic rem superiùs legimus, capite III, 3: ibi tamen vigiles minimè Sponsam afflixere; hîc nullam illius rationem habent. Hunc locum explicant Patres (i) ceu figuram injuriarum ac sævitiæ, quibus Ecclesia in Confessoribus ac Martyribus a persecutorum, Imperatorum, Regum Profanorum, hæreticorum, schismaticorum, impiorum, aliorumque vesaniâ affecta est.

℣. 8. ADJURO VOS, FILIÆ JERUSALEM, SI INVENERITIS DILECTUM MEUM, UT NUNCIETIS EI, QUIA AMORE LANGUEO. Injurias ac vulnera excubiarum spernens, nihil præter amoris vim sentire Sponsa videtur. De Sponso tantùm quærit, unumquemque obvium interrogat. Hebræus (k): *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, quid indicabitis ei? Quia ægra amore sum*; vel, quia ægra amans sum. Addunt Septuaginta: Adjuro vos *in virtutibus & viribus agri*; quas voces alibi ferunt iidem Septuaginta, pro *Adjuro vos per capreas hinnulosque cervorum*. His phrasibus amoris fervor vividiùs quàm dici queat, exprimitur.

℣. 9. QUALIS EST DILECTUS TUUS EX DILECTO? is quem inter cæteros amas? quem unicè deperis? Innuitur his verbis immensus amor, quem Deo debemus (l): *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, ex totis viribus tuis*. Unicus sit, quem ames; unicum deperibis, uni obsequêris, uni studebis; ita amorem tuum moderaberis, ut primus amoris tui locus Deo occupetur (m): *Beatus qui amat te, & amicum in te, & inimicum propter te*.

℣. 10. DILECTUS MEUS CANDIDUS ET RUBICUNDUS. Suavissimus & candidus est oris illius color; at rubicundo nitidoque mistus. Verti potest

(b) *Vide Brisson, de Ritu nuptiarum*. (c) *Lucret. lib. 4.* (d) *Persius, Sat. 5.* (e) *Juvenal. Satyr. 6; & alii passim.* (f) *Athen. lib. XV, c. 3.* (g) קמתי אני לדודי וידי נטפו מור ואצבעותי מור עבר על כפות המנעול 70: Ἀνέστην ἐγὼ ἀνοῖξαι τῷ ἀδελφιδῷ μου, χεῖρές μου ἔσταξαν σμύρναν. Δάκτυλοί μου σμύρνης πλήρεις ἐπὶ χεῖρας τοῦ κλείθρου ἤνοιξα ἐγώ. (h) *Hebr. Redidi.* רדידי 70: Θέριστρον. *Seol*, Τὸ κάλυμμά μου. (i) *Theodoret. Just. Anselm. alii.*
(k) השבעתי אתכם בנות ירושלם אם תמצאו דודי מה תגידו לו שחולת אהבה אני
(l) *Deut. VI, 5. Matt. XXII, 37.* (m) *Aug. Confess. lib. 4, c. 4.*

℣. 11. Caput ejus aurum optimum: Comæ ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi corvus.

℣. 12. Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & resident juxta fluenta plenissima.

COMMENTARIUS.

test Hebræus (n): *Candore rutilat*, ut oculos stringat. Vide Job, XXVIII, 18; Threnos, IV, 7; & 1 Regum, XVI, 12, ubi vox Hebræa, quæ plerumque redditur *rubicundus*, *rutilum* etiam significat;

Candor erat, qualem reffert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus.

Elegantissimam hanc amatoris sui descriptionem a Sponsâ recitatam, Patres (o) Christo accommodant, mystico tamen sensu, neque sine dissidio, ubi singulas descriptionis partes Christo aptant. Aliis enim candidus ac rubicundus Divini hujus Sponsi color sunt Humanitas ac Divinitas; aliis est puritas conceptionis & nativitatis, ac Passionis supplicia. Vel, rubicundus & cruentus Passione fuit, candidus nitidosque Resurrectione.

Electus ex millibus. Hebræus (p) ad verbum: *Vexillatus*, vexillum ferens, *in decem millibus*. Vexillum optimo militum creditur; quique vexillum fert, inter cæteros distinguitur; insignis in toto exercitu est. Ita inter cæteros adolescentes Sponsus meus micat. Moschus (q) Amorem ita describit, ut cum Sponsæ descriptione satis congruat, & quid Priscis pulcherrimum videretur, ostendat:

Præsignis puer est; multa inter millia nôrie.
Non niveus, propiorque igni color, aspera flamma
Lumina succedunt, meat subdola, mellea vox est.
Nunquam idem sentit loquiturque, & dulcia verba
Sapiùs immiti fallax prætexuit ira.
Atque vafer fictusque infligit vulnera ludens.
Crinibus excultum caput est, vultusque protervi, &c.

℣. 11. Caput ejus aurum optimum. Ita venusta ac pretiosa cervix illius est, ut aurum nitidissimum. *Aurum*, vel *aureum* dicitur id, quod pretio dignissimum est: ætas aurea, poma aurea, aurea mediocritas, os aureum, fons aureus, &c. Fortè etiam Sponsi cæsaries aurea erat, non naturâ, utpote quæ inferiùs nigra fuisse dicitur, sed arte, pulvere scilicet aureo, quo inspergebatur. Aptissimè in hanc rem Josephus (r), de Salomonis custodibus agens: Hi *promissâ cæsarie compti, Tyrioque purpura tunicis induti: ad hæc scobem auream capillis quotidie inspergebant, ita ut capita ipsis radiarent, fulgore auri ad solem repercusso.*

Tum Plinius (s): *Est apud Homerum virorum crinibus aurum implexum*. Ita solebant Commodus (t), Lucius verus (u), & Gallienus (x). Amasium suum ita pingi jubet Anacreon (y):

Meos Bathyllum amores,
Ut te docebo, pinge.
Nitidas comas fac illi,
Intus quidem nigrantes,
At aureas supernè.

Similis huic coma Salomonis erat.

Comæ ejus quasi elatæ palmarum. Palmæ frondes, aut, si mavis, comam in summo trunci cacumine parit. *Coma omnis in cacumine*, inquit Plinius (z). Profectò ipsius arboris frondiumque forma similem quodammodò arborem humano capiti facit. Ramos non edit longè lateque porrectos, uti cæteræ arbores solent, sed in ipso caudicis cacumine frondes ac fructus. Fœmina sterilis est, nisi prope marem sata; qui si pereat, illa iterum sterilis fit. Quoddam fructûs genus edit mas, quod involucrum est cujusdam floris, qui fœminam palmam fœcundam facit (a): ii verò fructus *elata* dicuntur. Sponsi igitur cæsariem Sponsa comparat palmæ, frondes & flores parere incipienti. Hebræus (b): *Capilli ejus*, quibus frons obumbratur, *penduli* sunt, fluctuantes, crispi, *nigri veluti corvus*. Septuaginta (c) cum Vulgatâ consentiunt. Nigros crines olim pulcherrimos habitos fuisse, nemo ignorat.

Spectandum nigris oculis, nigroque capillo (d).

℣. 12. Oculi ejus sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte lotæ sunt, quæ lacteo candore nitent. Apud Syros Italosque vulgaris columbarum color albus est; communemque esse his avibus colorem, scribit Columella (e). Candoris columbarum meminit etiam Psalmus LXII, 14. At apud nos, communis columbarum color cæruleus ex nigro est; testaturque Charon Lampsacenus (f), profligatis ad Atho montem Persarum copiis per Græcos, candidas columbas apud Græcos tum primùm visas, quæ antea nullæ usquam fuerant. Cur verò candidum columbarum colorem adeò laudat, ut eum oculis Sponsi comparet? Ingens profectò laus non est oculorum candor.

(n) דודי צח ואדם Λευκὸς καὶ πυῤῥός. (o) *Vide Theodoret. Just. hic. Ambros. lib. 1 de virgin. Hieron. in Isai. LIII, & LXIII, & alii.* (p) דגול מרבבה *Sym.* Ἐπίλεκτος. *Aqu.* Ἐκλελεγμένος. 70: Ἐκλελοχισμένος. (q) *Mosch. Idyll. 1, edit. Vvhitford.* Ἔστι δ' ὁ παῖς περίσαμος· ἐν εἴκοσι πᾶσι μάθοις νιν.
Χρῶτα μὲν οὐ λευκός, πυρὶ δ' εἴκελος. Ὄμματα δ' αὐτῶ
Δριμύλα καὶ φλογόεντα. Κακαὶ φρένες, ἁδὺ λάλημα.
Οὐ γὰρ ἴσον νοέει, καὶ φθέγγεται· ὡς μέλι φωνά, &c.

(r) *Joseph. Antiq. lib. VIII, cap. 7, edit. Hudson. pag. 440.* Μηκίστας μὲν καθειμένοι χαίτας, ἐνδεδυμένοι δὲ χιτῶνας τῆς Τυρίας πορφύρας· ψῆγμα δὲ χρυσίου καθ' ἡμέραν αὐτῶν ἐπέσηθον ταῖς κόμαις, ὡς στίλβειν αὐτῶν τὰς κεφαλὰς τῆς αὐγῆς τοῦ χρυσίου πρὸς τὸν ἥλιον ἀνακλωμένης.

(s) *Plin. lib. XXXIII, c. 1.* (t) *Lamprid. in Commodo.* (u) *Spartian. in Ælio Vero.*

(x) *Trebell. in Gallieno.* (y) *Anacreon, Ode 24:* Γράφε μοι Βάθυλλον οὕτω
Τὸν ἑταῖρον ὡς διδάσκω.
Λιπαρὰς κόμας ποίησον,
Τὰ μὲν ἔνδοθεν, μελαίνας,
Τὰ δ' ἐς ἄκρον, ἡλιώσας.

(z) *Plin. lib. XIII, c. 4.* (a) *Theodoret. hic:* Οἱ γὰρ ἐλάται παρὰ τοῖς ἰσιν φοινίκων ἄρρενος, τοῖς θήλεσι ἐπιβαλλόμενοι, καὶ ὡρίμους γίνεσθαι παρασκευάζουσι τοὺς ἐκείνων καρπούς. *Vide & Dioscorid. lib. 1, c. 126.* (b) קוצותיו תלתלים שחרות כעורב (c) Βόστρυχοι αὐτοῦ ἐλάται, μέλανες ὡς κόραξ. (d) *Horat. de arte poët. Anacreon, od. 24, de Bathyllo.* Μέλαν ὄμμα γοργὸν ἔστω,
Κεκερασμένον γαλήνῃ.

(e) *Columel. lib. VIII, de re Rust. c. 8: Color albus, qui ubique vulgo conspicitur, a quibusdam non nimiùm laudatur. Is vagis maximè est improbandus, quod eum facillimè speculatur accipiter.* Æsopi fabulam CI. (f) *Athen. lib. IX, c. 18.*

℣. 13. Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ a pigmentariis. Labia ejus lilia diſtillantia myrrham primam.

℣. 14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Venter ejus eburneus, diſtinctus ſapphiris.

℣. 15. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ ſunt ſuper baſes aureas. Species ejus ut Libani, electus ut cedri.

COMMENTARIUS.

dor. Quamobrem ita vertendum puto: Oculi ejus ſicut columbarum, quæ cæteras venuſtate & candore ſuperant. Oculos habet ita vividos, rubicundos, micantes, ut albæ columbæ, quarum candor ruborem fulgoremque oculorum auget. Sponſæ oculos oculis columbarum comparatos ſuperiùs vidimus (g). Myſticam capillorum oculorumque Sponſi explicationem vide ſuperiùs.

℣. 13. Genæ illius sicut areolæ aromatum, consitæ pigmentariis. Teneram lanuginem, qua genæ Sponſi veſtiuntur, & unguenta, quibus ipſa illius barba madebat, areolis comparat horti, floribus arboribusque aromaticis pleni (h):

Tunc mihi prima genas veſtibat flore juventa.

Hebræus variè redditur (i): *Genæ illius ſicut areola arborum aromaticarum*, ſicut *turres*, ſeu vaſa in turris modum confecta, *unguentorum* plena; vel, ut arbores quæ creſcunt augenturque. Septuaginta (k): *Maxillæ ejus ut phialæ aromatis fundentes unguentaria*. Profectò libenter exiſtimo, Sponſi vultum undique unguentis manantem, a Sponsâ comparari cum thecâ unguentariâ. Turris nomen hoc loco explicari aliter nequit. Hujusmodi vaſa turris nomen a formâ retulerunt.

Labia ejus lilia distillantia myrrham primam. Duplex liliorum genus eſt, rubicundum & candidum. Sponſi labia Sponſa cum rubicundis comparat; inepta enim foret candidorum comparatio. Addit, myrrham ex his liliis manare, ut ſuavitatem indicet, quâ Sponſus loquitur, verborumque illius jucunditatem, & ſermonis elegantiam. *Myrrha prima* eſt *myrrha puriſſima*. Hebræus (l): *Myrrha tranſiens*, quæ per omnium manus fertur, ab omnibus probata, vel manans, quæ prima e cortice inciſo fluit; eaque puriſſima eſt & optima. Argentum optimæ notæ Hebræi nuncupant *argentum tranſiens per manus mercatorum* (m). Ita cum proportione *myrrha tranſiens* dici poteſt myrrha probatiſſima, electa, eximia.

Chriſti genæ miram illius modeſtiam; labia ſermonis ſuavitatem ſignificant. Ipſe de ſe (n) teſtatur, ſe eſſe *mitem & humilem corde*: genas alapis (o), injuriis, ſputis, noſtræ ſalutis causâ, objecit: ſaturatus eſt opprobriis (p), ut hominum ſuperbiam expiaret, ſuoque exemplo doceret, quàm miti animo ferendæ injuriæ ſint (q). Ea erat divinorum illius ſermonum ſuavitas, ut vel ſæviſſimi hoſtes eâ caperentur. Satellites ipſi ad illum capiendum miſſi, ad Phariſæos reverſi dixere, neminem unquam ita locutum eſſe, ut ipſe loquebatur (r). Cùmque Scripturas Diſcipulis ad Emmaus proficiſcentibus interpretaretur, ipſi animo ſeſe flagrare ſentiebant, dum mens illuſtrata docebatur (s). Myrrha ex ejus labris fluens, ſalubris eſt doctrinæ Evangelicæ auſteritas.

℣. 14. Manus illius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis. Brachia & manuum digiti adeò teretes ſunt, eaque eſt illorum proportio, ut torno ducti videantur: manus ita venuſtæ atque elegantes, ut aureas putes: venæ per tenuem cutem conſpicuæ, hyacinthino lapidi ſimiles ſunt. Hyacinthi color violaceus eſt, ſed dilutus. Hebræus (t): *Manus ejus, annuli aurei, habentes incluſum lapidem Tharſis*. Quæ verba ita intelligi poſſunt: Digiti & brachia illius monilibus annuliſque aureis, pretioſo Tharſis lapide diſtinctis, ornantur. Quod lapidum genus hoc ſit, cujus meminit hìc Scriptura, & Moyſes in Exodo, xxviii, ignoratur. Diſſident Intrepretes: at plerique chryſolythum putant, quæ pertranslucida eſt, aureo colore, & nitidiſſima. Chryſolythus optima ad glaucum colorem, ſimilem expreſſo porri ſucco, accedit.

Venter ejus eburneus, distinctus sapphiris. Eburneo candore eſt, ſapphirino fulgore. Ventris nomine ſuperioris pectoris partem, quæ nuda videbatur, intelligit; ſeu veſtes, quibus venter tegebatur. Septuaginta aliique Interpretes ita reddunt (u): *Venter ejus pixis eburnea, cum lapide ſapphiro*. Hebræus ad verbum: *Viſcera ejus nitidum ebur*, ſeu pixis eburnea, vel, clauſa veluti in eburneo vaſe, ſapphiris diſtincto, ſunt. Hanc ego explicationem probo.

Myſtici Sponſi manus ſunt ipſius opera, beneficia, potentia; venter infinitam illius miſericordiam & ſapientiam ſignificat. Bene omnia fecit Jeſus (x); loca omnia, quæ peragravit, beneficiis implevit (y): infinita æternaque eſt illius miſericordia, non unius populi aut gentis finibus clauſa, ſed orbem univerſum complectens. Uti Adami peccatum genus humanum omne vitiavit; ita Chriſti Sanguis & Mors orbi univerſo libertatem peperit (z). Omnium ſalutem ipſe vult (a); ac nemo niſi volens perit; nam ipſe infinitos gratiæ theſauros ſingulis paravit, promeruit, acquiſivit.

℣. 15. Crura illius columnæ marmoreæ, fundatæ super bases aureas. Sponſi calceamenta, auro micantia, inſtar baſium cruribus ſunt; ipſaque crura inſtar marmorearum columnarum, decora & firma ſunt. Crurium & femoris venuſtatem deſcribit, ut veſtes, quibus teguntur, permittunt. Aquila & Theodotion vertunt (b): *Crura illius columnæ Parinæ, fundatæ ſuper baſes aureas*. Hebræa vox *Schesch* ſonat marmor pretioſiſſimum. Hic verò, & in Eſther, i, 6, & in i Paralipomenon, xxix, 2, ſignificat etiam linum. Atque hinc fortaſſe ortum eſt, ut pro marmore Pario, quod candidum eſt, uſurpetur.

Species ejus ut Libani; electus ut Cedri. Ut Libanus cæteros montes proceritate ſuperat, & ce-

(g) *Cant.* i, 15; iv, 1. (h) *Virgil. Æneid.* 8.
(i) לחייו כערוגת הבשם מגדלות מרקחים (k) Σιαγόνες αὐτοῦ ὡς φιάλαι τοῦ ἀρώματος φύουσαι μυρεψικά. (l) מור עבר 70: Σμύρναν πλήρη. (m) *Geneſ.* xxiii, 16, *in Heb.*
(n) *Matt.* xi, 29. (o) *Thren.* iii, 30. (p) *Jerem. ibidem.* (q) 1 *Petri* ii, 21. (r) *Joan.* vii, 46.
(s) *Luc.* xxiv, 32. (t) ידיו גלילי זהב ממלאים בתרשיש
(u) מעיו עשת שן מעלפת ספירים 70: Κοιλία αὐτοῦ πυξίον ἐλεφάντινον ἐπὶ λίθου σαπφείρου. *Ita Caſt. Tig.* (x) *Marc.* vii, 37. (y) *Act.* x, 38. (z) 1 *Cor.* xv, 22. (a) 1 *Timot.* ii, 4.
(b) שוקיו עמודי שש מיסדים על אדני פז *Aqu. & Theod.* Στῦλοι πάριοι.

℣. 16. Guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis: talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus, filiæ Jerusalem.

SPONSÆ COMITES.

℣. 17. Quò abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quò declinavit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.

COMMENTARIUS.

& cedrus reliquis arboribus nemorum præstat; ita is quem amo, cæteros homines proceritate, corporis elegantiâ, morumque suavitate antecellit. Sponsi crura quidam ex Patribus (c) de Apostolis, qui Ecclesiæ columnæ sunt (d), explicavere: ii verò Jesu Christo, ceu basi, & firmissimo fundamento, innituntur: quamobrem ipse Christus Petro dixit (e): *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.*

℣. 16. GUTTUR ILLIUS SUAVISSIMUM: TOTUS DESIDERABILIS. Hebræus ad verbum (f): *Palatum ejus dulcedines, & totus ipse desideria*, amor, deliciæ. Septuaginta (g): *Guttur ejus dulcedines: & totus desiderium*. Spiritus illius, halitus, vocis sonus, sermo suavissimi sunt. Is erat Sponsæ amicus; atque in sublimiori sensu Divinus hominum Reparator fuit, de quo traditur (h): *Speciosus formâ præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in æternum.* Omnis tamen illius venustas & suavitas intus in animo sunt, ubi vera permanensque venustas est. Hanc animi venustatem, perfectionem scilicet, anhelare debent ii, qui inter Christi Sponsas cupiunt recenseri.

CAPUT VI.

SPONSA.

℣. 1. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat.

℣. 2. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia.

SPONSUS.

℣. 3. Pulchra es, amica mea, suavis, & decora sicut Jerusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DILECTUS MEUS DESCENDIT IN HORTUM SUUM. Ita respondet Sponsa Jerosolymitanis puellis, quæ sub Capitis superioris finem postulaverant: *Quò abiit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.* In hortum profectus est, ut ibi lilia metat, gregem pascat, atque ipse pascatur: *Ut ibi pascatur in hortis.* Hebræus (i) tùm activè tum passivè usurpari potest; atque ita interpretati sunt Septuaginta, veluti Sponsus gregem illuc duxerit; idque maximè probabile est. Jam superiùs, 1, 6, Sponsum sub pastoris imagine exhibitum vidimus, minimè tamen e vulgo pastorum, qui greges in montibus pascendos ducat; gregem enim in hortis pascit, ubi lilia & arbores aromaticæ magno numero sunt; ibique diem agit. Hâc tamen nocte eò etiam secessit, quòd Sponsa pandere statim fores recusaverit (k); subito eo secessu Sponsæ incuriam ultus & moram. Locus Sponsæ fuit, ut incuriæ ipsam pœniteret. Diu quærere coacta est, noctu urbem circumcursare, excubiarum injuriis objici. Vides hìc pœnam illorum, qui Dei dona, oblatamque sibi a Deo opem rejiciunt, ac spernunt. Plorandum illis est, postulandum, ac diu & cum labore quærendum illud ipsum, quod neque postulantibus ultrò oblatum fuerat. *Ego te quæsivi*, inquit S. Ambrosius (l); *sed invenire non possum te, nisi tu volueris inveniri. Et tu quidem vis inveniri, sed vis diu quæri, vis diligentiùs indagari.* Quamvis amore tuo ardeat is qui te quærit, si tamen solertiâ & alacritate careat, illi terga vertes; cùmque is te vocaverit, surdas illi aures præbebis, ut illius desiderium crescat, amorem probes, charitatem exerceas.

℣. 2. EGO DILECTO MEO, ET DILECTUS MEUS MIHI, QUI PASCITUR INTER LILIA. Sponsæ verba Sponsum invenientis atque amplectentis, quem tamdiù quæsierat. Ubi ubi est, meus est, ut ego illius sum, qui pascitur, vel, *qui pascit* gregem *inter lilia*. Quartam hìc noctem, vides. Vide superiùs, 11, 16.

℣. 3. PULCHRA ES, AMICA MEA, SUAVIS ET DECORA SICUT JERUSALEM. Hebræus (m): *Pulcra es, amica mea sicut Tersa, decora sicut Jerusalem.* Celebris urbs erat Tersa, in Tribu Ephraim (n), ipsiusque Regionis Metropolis, antequam Samaria conderetur. Sedem ibi fixerant Jeroboam, primique Israëlis Reges (o). Sitûs jucunditas hoc illi nomen *Thirza*, vel *Thersa*, scilicet charissima, jucunda, comparaverat. Pulcherrima etiam inter Orientis Urbes erat Jerosolyma. Quamobrem jure Salomon Sponsam cum duabus pulcherrimis imperii Urbibus comparat. Nobilissima verò, & splendidissima comparatio est. Ampliores urbes provinciarum filiæ dicuntur, & minorum urbium matres. Septuaginta, cæterique Greci Interpretes (p), vocem *Thirza* interpretati, reddiderunt: *Pulcra es, proxima mea, sicut beneplacitum*, veluti res omnium carissima. Christi Ecclesia pulcra est ut Jerusalem, non quæ in terrâ est, sed quæ in Cœlo

(c) *Ambros. in Psal.* CXVIII, *Gregor. Nyssen. Carpath. hic, &c.* (d) *Galat.* 11, 9; *Ephes.* 11, 20.
(e) *Matt.* XVI, 18. (f) חכו ממתקים וכלו מחמדים (g) Φάρυγξ αὐτοῦ γλυκασμοὶ, καὶ ὅλος ἐπιθυμία. (h) *Psal.* XLIV, 3. (i) לרעות בגנים 70. Ποιμαίνειν ἐν κήποις. (k) *Cant.* V, 6.
(l) *Ambros. in Psal.* CXVIII, *octon.* 22, *n.* 32. (m) יפה את רעיתי כתרצה נאוה כירושלם
(n) *Josue*, 21, 24. (o) 3 *Reg.* XIV, 17; XV, 33. (p) Καλὴ εἶ ἡ πλησίον μου ὡς εὐδοκία. *Aqu.* Καλὴ κατ' εὐδοκίαν. *Sym.* Εὐδοκητή.

℣. 4. Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad.
℣. 5. Dentes tui sicut grex ovium, quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.
℣. 6. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis.
℣. 7. Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus:
℣. 8. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicaverunt, reginæ, & concubinæ, & laudaverunt eam.

COMMENTARIUS.

lo (q), omnium, qui veri Ecclesiæ filii sunt, Patriâ. Quamvis hæc vita exilium sit, nosque in hoc orbe peregrini simus; omnes tamen, qui Ecclesiæ Catholicæ communionem, ac doctrinam colunt, & sedulò laborant, ut membra sint nobilissimi hujus corporis, cujus Caput est Christus, cœlestem Jerosolymam spe jam occupavere; inter Dei familiares & cives Cœli numerantur (r).

TERRIBILIS, UT CASTRORUM ACIES ORDINATA. Illecebræ tuæ, tuaque venustas validiores integro exercitu sunt. Quis tibi resistat? Neque hîc terrorem significat Sponsus, quem præsens mortis, alteriusque mali periculum parit, sed quem amoris vis, & vulnerum, quibus ille animum afficere per illecebras potest. Si caduca corporum venustas adeò mentes hominum afficere potest, ut Sapiens vim illius significaturus, eam cum exercitu in prælium instructo comparet; quàm ingens erit Divini amoris potestas in animo, quem æterna venustas cæpit, & Christi amor accendit? *Quis nos separabit*, inquiebat S. Paulus (s), *a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Sed in his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Quàm ingens erat charitatis vis in Martyribus, quos neque Diabolus, neque supplicia, neque exilium, neque carceres, neque vincula a Deo sejungere potuerunt? Quantum denique robur Ecclesiæ est adversùs tenebrarum Principem, hæreses, errorem, scelus?

℣. 4. AVERTE OCULOS TUOS A ME, QUIA IPSI ME AVOLARE FECERUNT. Ut præcipitis fugæ a Sponsæ foribus causam afferat Sponsus, opportunè fingit, sese gravi terrore correptum, promptâ adeò fugâ se surripuisse. Ut acies in prælium instructa, ita formidabilis es; tantoque fulgore oculi tui micant, ut vel constantissimos terreant. Quid igitur mirum est, si fugerim? Si me tibi præsentem esse vis, aut oculos demitte, aut averte; illorum enim vim & aciem ferre nequeo. Ingeniosa est & adulatoria loquendi formula, Sponsæ venustatem, majestatemque mirâ arte describens. Phrasis Septuaginta & Vulgatæ, ad verbum serentium (t), *Quia ipsi me avolare fecerunt*, ingentem oculorum vim, & fugæ celeritatem mirificè exprimit (u). Hebræus (x): *Averte oculos tuos a me, quia ipsi exturbaverunt*, arcuerunt *me*, in fugam impulerunt, vel, ex aliis, *superaverunt me, prævaluerunt mihi*. Nonnulli ex Patribus (y) hæc verba de iis explicant, qui Religionis Mysteria scrutari curiosiùs audent; quibus imperat Christus, ut oculos avertant, ne ipsum secedere cogant. Aptiùs tamen eo sensu usurpantur, quo Deus Moysem monebat: Me ne exores, neque manûs meæ furorem coërceas; sine ingratam ac seditiosam gentem a me destrui (z). Hoc autem dicebat Deus, quò ferventiores ad preces Moyses excitaretur. Cùm item Dominus Jeremiæ imperaret, ne ulla secum verba de Judæis faceret, nolle enim se, ut quis supplex pro illis accederet; eadem planè res erat, ac si diceret: Si orare pergis, resistere oranti non potero. Grata est hæc vis Deo, inquit Tertullianus in Apologetico.

CAPILLI TUI, &c. Vide superiùs, IV, 1.

℣. 5. DENTES TUI SICUT GREX OVIUM. Easdem laudes hoc & sequenti versiculo repetit Sponsus, quas de Sponsâ prædicaverat superiùs, IV, 2, 3.

℣. 7. SEXAGINTA SUNT REGINÆ, ET OCTOGINTA CONCUBINÆ; ET ADOLESCENTULARUM NON EST NUMERUS. UNA EST COLUMBA MEA, PERFECTA MEA. Te inter cæteras uxores non misceo: reliquis præfero. Mille uxores Salomoni fuisse, docet Scriptura; Reginas septingentas, trecentas concubinas (a). Minor erat uxorum numerus, cùm hoc Carmen exararet. Carissima uxorum, quam inter cæteras distinguebat Salomon, fortasse filia Pharaonis erat. *Reginæ* sunt Regum finitimorum filiæ, quas duxerat, & Regio cultu donaverat. *Concubinæ*, secundi scilicet ordinis uxores, minoris conditionis erant, easque minori celebritate duxerat. *Adolescentulæ*, puellæ erant vel Regio thalamo destinatæ, fermè uti cum Assuero gestum est, post Vasthi repudium (b); vel Regi ac Reginis servientes, vel musicâ, vel unguentorum arte, vel cytharâ, uti mos apud Reges Orientalium ferebat (c).

Hunc ordinem Salomonis Patres (d), Mysticarumque rerum Scriptores habent ceu symbolum variorum graduum, quibus Ecclesia distinguitur, perfectionis potiùs, majorisque aut minoris ad Divinum animarum Sponsum propinquitatis causâ, quàm dignitatis aut munerum. Sponsa carissima, & sexaginta Reginæ ii sunt, qui supremum perfectionis gradum obtinuere. Imperfectiores sunt concubinæ, quæ metu potiùs quàm amore ducuntur, minùs amatæ, cùm ipsæ minùs ament. Denique adolescentulæ, tertius fœminarum ordo, ii sunt, qui inertiam pigritiamque sectantur, tepidi

(q) *Theodoret. hic.* (r) *Ephes.* II, 19. (s) *Rom.* VIII, 35, 36, *& sequ.* (t) Ὅτι αὐτοὶ ἀνεπτέρωσάν με. (u) Vide *Prov.* VII, 10; *Osee*, IX, 11; *Isai.* XXX, 20, ubi similes fermè locutiones inveniuntur. (x) הסבי עיניך מנגדי שהם הרהיבני (y) *Theodoret. Greg. Beda, Anselm. Rupert. Carpath. Just. alii.* (z) *Exod.* XXXII, 10. (a) 3 *Reg.* XI, 1, 2, 3. (b) *Esther*, II, 2. (c) Vide *Eccle.* II, 8; 2 *Reg.* XIX, 35. *Athenæus, lib.* 13; *Curt. lib.* 16, *alii.* (d) *Theodoret. Origen. tres Patres anonymi, Just, alii.*

SPONSÆ COMITES.

℣. 9. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

SPONSUS.

℣. 10 Descendi in hortum nucum, ut viderem poma convallium, & inspicerem, si floruisset vinea, & germinassent mala punica.

℣. 11. Nescivi: anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab.

SPONSÆ COMITES.

℣. 12. Revertere, revertere, Sulamitis: revertere, revertere, ut intueamur te.

COMMENTARIUS.

pidi lentique Christiani, Sponsum e longinquo languideque sectantes, qui Crucem post Christum, uti Simon Cyrenæus, gerunt, ægrè invitique. Minimus est priorum numerus; ingens alterorum; tertii numero carent. Alii de variis Ecclesiarum Communionibus interpretantur. Catholica Ecclesia una est Columba, atque uoicè cara: Schismatici concubinis, Hæretiei adolescentulis significantur. Hæc explicatio iis solummodò placere potest, qui sexaginta concubinas & adolescentulas ad Salomonem non pertinuisse putant (e), unamque tantummodo esse Salomonis Sponsam, quæ columba illius est & carissima. Meliùs igitur de motuo inter Ecclesias ordine explicatur. Prima & princeps omnium Ecclesia Romana est, eui Sponsæ earissimæ nomen debetur. Sexaginta Reginæ sunt Metropoleôn Ecclesiæ: octoginta concubinæ, Ecclesiæ Episcopales: innumeræ demum adolescentulæ, cæteræ sunt Ecclesiæ bis majoribus subditæ.

℣. 9. QUÆ EST ISTA, QUÆ PROGREDITUR QUASI AURORA CONSURGENS, PULCRA UT LUNA, ELECTA UT SOL? Invento Sponso, actâque eum illo morà in horto, demum post quartam noctem mane Sponsa egreditur; eamque incedentem mirantur adolescentulæ, oris venustatem majestatemque contemplatæ: *Qua est ista qua progreditur quasi aurora? &c.* Si nostri sermonis ingenium spectes, hæ phrases, quibus Regina Soli, Lunæ, Auroræ, atque exercitui in prælium instructo similis dicitur, insipidæ, ac præter modum exaggeratæ videntur. At placent Orientalibus ampliores bujusmodi imagines ac descriptiones; quas interdum Græci Latinique Poëtæ imitati sunt. Theocritus (f) in Helenæ Epithalamio, Helenam cum aurorâ comparat; & Catullus (g) Roscium.

Mystico & spirituali sensu innumera suppetunt & pulcherrima, quæ cum variis bisce Sponsæ comparationibus componantur. Christiana Ecclesia sub ipsum sui exordium auroræ similis fuit, Judaicæ Religionis umbras, noctemque superstitionis dissipanti. Prioribus sæculis, inter persecutionum tenebras sese veluti lunam exhibuit. At Imperatoribus ad Christiana sacra conversis, sol nitidissimus per maximè serenos dies visa est. Si quæ interdum hæreses erroresque, ceu oubes, oriuntur, has illa caloris fulgorisque sui viribus fugat. Quidam ex Patribus (h) de iis, quæ sub mundi exitum eventura sunt, interpretantur. Ecclesia ab Antichristo lacessita, & prope oppressa, sensim surget, atque instar auroræ apparebit. Eadem denique ceu luna fulgebit, ac deinde ut sol micabit, atque ut exercitus in prælium iostructus, formidabilis efficietur.

℣. 10. DESCENDI IN HORTUM NUCUM, UT VIDEREM POMA CONVALLIUM, &c. Narrat Sponsus, quo pacto ipse in hortum venerit. Amicæ fores præcipiti fugâ reliqui, atque in hortum nucum vêni, iospecturus, utrùm vinca floruerit, &c. Qua ratione id actum sit, ignoro: illud scio, eâ celeritate me illuc devenisse, quasi Aminadabi quadrigis raperer. Id sequenti versiculo describitur. Hebræus (i): *In hortum nucis descendi, ad videndum virentia*, seu *culmos vallis*.

℣. 11. NESCIVI: ANIMA MEA CONTURBAVIT ME PROPTER QUADRIGAS AMINADAB. Vel, ex Hebræo (k): *Nescivi: anima mea fecit me* ita celerem ut *quadrigas Aminadab*. Invasit me timor, mihique alas dedit. Proverbii loco usurpabantur quadrigæ Aminadabi, ut pernicissimæ quadrigæ significarentur. Aquilæ, Symmacho, & quintæ Editioni (l) *Aminadab* nomen genericum est. *Anima mea dubium me fecit, propter quadrigas Ductoris populi*. Hic verò dux populi Theodoreto videtur Diabolus, Mundi Princeps.

℣. 12. REVERTERE, REVERTERE, SULAMITIS: REVERTERE, REVERTERE, UT INTUEAMUR TE. Veteres manuscripti codices (m), ac vetustæ Editiones pleræque (n), ipsaque Ecclesia in Officio legunt *Sunamitis*, pro *Sulamitis*. Postrema tamen lectio probanda est, teste Hebræo (o), *Sulamitin* ferente, quæ vox efficta ereditur de nomine Salomonis; quasi dicas: Revertere, Salomonis Sponsa. Ipsius fortasse Sponsi verba sunt, qui cùm id quod Sponsæ dixerat, ℣. 4, *Averte oculos tuos a me, quia ipsi me avolare fecerunt*, præposterè a Sponsâ intelligi videret, illam sequutus orat, ut revertatur, ipsam contemplaturus. Magis tamen mihi placet, Sponsæ Comitum voces esse, quæ

(e) *Vide Delrio hic, & Sanct.* (f) *Theodoret. Idyll.* XVII
Α'ὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον
Πότνια νὺξ ἅτε, λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος.

(g) *Catul. de Roscio:*
Astiteram exorientem auroram forte salutans,
Cum subitò a lævâ Roscius exoritur.
Pace mihi liceat, cœlestes, dicere vestrâ,
Mortalis visus pulchrior esse Deâ.

(h) *Theod. Greg. Beda, Cassiod.* (i) אל גנת אגוז ירדתי לראות באבי הנחל 70: Ε'ἰς κῆπον καρύας κατέβην ἰδεῖν ἐν γενήμασι τοῦ χειμάῤῥου. (k) לא ידעתי נפשי שמתני מרכבות עמינדב (l) *Sym. apud Theodoret.* Η' ψυχή μου ἠπόρησέ με ἀπὸ ἁρμάτων λαοῦ ἡγουμένου. 70: Ο'υκ ἔγνω ἡ ψυχή μου· ἔθετό με ἅρματα Α'μιναδάβ. (m) *Vide in nov. Edit. Hieron. not. in hunc loc.* (n) *Edit. Sixti V, & Compl. & alia plures, etiam ex Græcis.* (o) שובי שובי השולמית

cùm Sponsam unâ cum Sponso abeuntem cernerent, orant ut pedem sistat, suique videndi potestatem cupidis faciat. Eò autem faciliùs in hanc sententiam trahor, quòd sequentis Capitis initio Sponsus respondeat: *Quid videbis in Sulamite?* Revocari his verbis creditur (p) Synagoga, cujus figura est Sulamitis. Hanc intuens Ecclesia Christiana a Sponso discedentem, ac mox repudio ejiciendam, vocat, hortaturque ut pacem flagitet, Deique amicitiam quærat, Christianam Ecclesiam sequuta.

CAPUT VII.

SPONSUS.

℣. 1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! Juncturæ femorum tuorum, sicut monilia quæ fabricata sunt manu artificis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum, aciem in castris collectam? Si Vulgatæ sensum sequeris, Sponsæ Comites respondere Salomoni his vocibus videntur, aut ipse Salomon sibi. Dixerat hic, *Revertere, revertere, Sulamitis, ut intueamur te;* nunc sibi respondet: Cur Sponsam revocas, Salomon? *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum*, sive copias in prælium instructas? Qua constantiâ illius aspectum ac præsentiam feres? Ex Hebræo tamen & Septuaginta (a), Sponsus adolescentulas alloquitur Sponsæ comites, orantes ne statim Sponsa recedat, seque oris sui præsentiâ privet; ac dicit: *Quid videbitis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Sponsæ aspectu terrebimini. Hebræus ad literam: *Quid videbitis in Sulamite*, quæ est *sicut chorus castrorum*, vel, sicut chorea coacta in *Mahanaim*? Transjordanica urbs est Mahanaim, ubi Jacob duplicem Angelorum exercitum sibi obvium vidit, quorum unus cum Jacobo luctatus est (b). Fortasse choreæ Mahanaim in proverbium abierant. Superiùs, VI, v, Sponsa dicitur *terribilis ut castrorum acies in prælium instructa*. At Hebræi voces magnopere discrepant (c).

Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis! Sulamitidis venustatem a summo capite ad imos usque pedes Sponsus commendaverat (d): hìc verò a pedibus incipiens, singularum partium venustatem laudat. Initium igitur encomii ducit a calceamentis, atque ab incessûs majestate. Cultûs sui partem fœminæ olim in calceis ponebant. Locupletissimæ ancillas habebant, quæ calceos heræ in thecis gererent; quas proinde Plautus *Sandaligerulas* appellat (e). Hunc morem spectare videbatur S. Joannes Baptista, cùm sese indignum gerendis Christi calceis vocitaret (f). Celebris est Rhódopes calceus, cujus causâ Ægypti Regnum illa adepta est. Benedictus Balduinus (g), calceorum sutor, cùm studiis operam navare, & ea quæ ad calceos spectant expendere decrevisset, septem & viginti varia calceorum genera apud Veteres invênit (g). Mirum igitur minimè est, si Sponsus Reginam, *filiam Principis*, scilicet Pharaonis, a calceorum splendore commendat. Quintæ noctis initium, Dicere videbatur Sponsa (h), Sponsi calceos aureos fuisse, cùm illius crura marmoreis columnis super bases aureas positis compararet. Calceis non uti Ægyptios & Palæstinos, cùm domi sunt, nemo ignorat.

Sponsa magnificis calceis induta, Christi Ecclesiæ figura est, cujus Apostoli, Missionum Ministri, Evangelii Præcones apud Scripturam exhibentur ceu peregrini pacem nunciantes (i): *Quàm speciosi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona!* Quàm ingens horum munus est! quàm gloriosum! Neque solùm Dei viam terunt, præceptis obtemperant, rectè incedunt (k), *Gressus rectos facite pedibus vestris*; verùm etiam cæteria præcedunt, eosque tum exemplo tum verbis ducunt, *succincti lumbos in veritate* (l), iter ingredientium more, & *calceati pedes in præparationem evangelii pacis*, Christi Crucem probro minimè ducentes, nullo adversariorum Principum metu.

Juncturæ femorum tuorum sicut monilia. Suffragines tuæ, ubi crus cum femore jungitur, genua tua torquibus pretiosis, ac probè elaboratis similia sunt. Putant alii (m), sermonem hìc haberi de Sponsæ vestibus super femora fluentibus, vel de fibulâ, qua vestis circa femur astringebatur, ex Phœniciarum mulierum consuetudine.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo....
Aurea purpuream subnectit fibula vestem (n).

Sive de armillis, quibus Sponsæ femora & crura ornabantur. Ejus regionis fœminas iis uti consuevisse, nemo dubitabit (o). Ut igitur hujusmodi armillarum præstantiam commendet, ait Sponsus, similes esse monilibus, quæ peritissimus Artifex confecit. Vulgò monile pretiosius manuum crurumque armillis erat.

Qui res mysticas tractant, de hujus loci significatione minimè conveniunt. Illud maximè omnium nobis probatur, femorum juncturis mutuum Christianarum virtutum nexum significari (p). Qui charitate ornatur, virtutum omnium radicem ac fontem habet; quicquid autem virtutis est absque charitate, Christianæ virtutis loco haberi nequit, aut saluti utile existimari. Perinde esset ac qui cruribus instructus, musculorum usu, liberoque crurum motu careret. Ut quis incedat, opus est, ut crura & femora reliquo corpori jungantur, ac vitalium spirituum iter aut lenius fiat, aut stupore intermittatur. Charitatis defectus genus quoddam stuporis est. ℣. 2. Umbi-

(p) *Greg. Cassiodor. Apon. Anselm. Carpath.*

(a) מה החזו בשולמית כמחלת המחנים 70: *Τί ὄψεσθε ἐν τῇ Σουλαμίτιδι, ἡ ἐρχομένη ὡς χοροὶ παρεμβολῶν.* (b) *Genes.* XXXII, 1, 2, *& seqq.* (c) *Cant.* VI, 9. איכה כנדגלות (d) *Cant.* VI, 4, 5, *& seqq.* (e) *Plaut. Trinum. &c.* (f) *Matt.* III, 11: *Cujus non sum dignus calceamenta portare.* (g) *Tract. de calceo antiquo: Calcei albi, argentei, aurati, aurei, cærulei, corticei, æreì, fenestrati, ferrei, gemmati, juncei, lanei, lintei, lunati, lutei, nigri, papyracei, plumbei, purpurei, seu rubri, repandi, rostrati, serici, spartei, straminei, virides, unciati.* (h) *Cant.* V, 15. (i) *Isai.* LII; *Rom.* X, 15. (k) *Hebr.* XII, 13. (l) *Ephes.* VI, 16. (m) *Vide Sanct. hìc.* (n) *Æneid.* IV, *v.* 137. (o) Vide *Isai.* III, 56. (p) Vide Theodoretum hìc.

℣. 2. Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis.

℣. 3. Duo ubera tua, ſicut duo hinnuli gemelli capreæ.

℣. 4. Collum tuum ſicut turris eburnea. Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in portâ filiæ multitudinis. Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit contra Damaſcum.

COMMENTARIUS.

℣. 2. Umbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. *Tornatilis* in hoc Libro rem affabrè factam, eximium opus ſignificat. Eâdem fermè phraſi nos vulgari ſermone utimur; & eximiam hominis formam torno ductam appellamus. Sponſæ umbilicum Sponſus comparat cum cratere vini pleno, ad verbum (q), *plenus miſto*; nunquam enim merum bauriri ſolebat, uti ſæpiùs animadvertimus; & officii genus erat cavere, ne convivarum pocula unquam vacua relinquerentur (r). Umbilici profunditas per tenuiſſimam leviſſimamque fœminarum tunicam conſpiciebatur; & adhuc vetera ſuperſunt ſimulacra, in quibus adhuc apertè perſpicitur. In ferventioris cœli regionibos veſtes tenuiſſimæ ſunt; eaſque nimiùm tenues ac pellucidas, quibus meretrices utebantur, ſæpe deſcribunt Satyrarum Scriptores & damnant. In modeſtiam peccaſſe Sponſam, non arbitror; at proprio regionis ſuæ cultu ornabatur. Addit Sponſus, craterem eſſe nunquam non plenum liquoribus bibendo paratis; olim enim umbilicus unguentis & oleo liniebatur; utraque quippe bonæ valetudini prodeſſe credebantur, atque ex eâ parte in interiores inferioris ventris partes faciliùs communicari (s).

Exprobrat Ezechiel (t) Synagogæ, ipſam e Chananæâ ſtirpe ortam eſſe, patre Amorrhæo, matre Hethæâ; cæſumque illi non eſſe umbilicum, qua die edita eſt in lucem; ipſam aquâ lotam non fuiſſe, nec ſale fricatam, neque linteis obvolutam. Hæc obſcuram Gentis Judaicæ originem, turpemque vitam ſignificabant. At Chriſti Eccleſia ſub Sponſæ, Reginæ, filiæ Principis, inter innumeras electæ, miràque venuſtate præditæ symbolo exhibetur. Umbilicus, quo potiſſimùm ortus indicari videtur, & peccatum quod ex primo parente referimus, non modò cæſus eſt, ſed eximio liquore plenus, ut Baptiſmatis Sacramentum innuat, quo ad filiorum Dei dignitatem evehimur, abſterſis iis, quæ nos Adami filios, & filios iræ ac perditionis efficiebant.

Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis. Dixerat Sponſa ſuperiùs, v, 14, Sponſi ventrem ſimilem eſſe operi eburneo, ſapphiris ornato cinctoque. Simili fermè encomio hìc Sponſus ipſam proſequitur, ac Sponſæ ventrem cum acervo tritici, liliis operto cinctoque comparat. Tritico fœcunditas, liliis puritas ſignificatur. Caſta fœcundaque Sponſa eſt Eccleſia, in ventre gerens (u) *frumentum Electorum*, Sacramenta, Chriſti dogmata, omneſque Chriſtianos, qui purum electumque frumentum ſunt, Cœleſtibus horreis deſtinatum. Ipſæ etiam piorum animæ triticum puriſſimum continent, myſteriorum ſcilicet Fidei ac Religionis cognitionem (x), qualem Deus manifeſtam hominibus facere non recuſavit. Lilia, quibus triticum vallatur, ſunt proba Chriſtianorum vita; vel, ſi mavis, Evangelicæ Doctrinæ puritas. Denique hic locus nulli meliùs quam B. Virgini convenit, quæ Divinum illud triticum caſtiſſimo ventre concepit, quo tritico nutriendi omnes eramos, quodque in terram lapſurum, & ſepulcro condendum erat, antequam germen emitteret, vitæque reſtitueretur. Vallatur hoc triticum liliis, quòd inviolabilis Mariæ Virginitas tum ante, tum poſt partum minimè perierit (y).

℣. 3. Duo ubera tua, &c. Vide ſuperiùs, iv, 5.

℣. 4. Collum tuum sicut turris eburnea, candore & proceritate. Sponſus dixerat ſuperiùs, iv, 4, Sponſæ collum ſimilem eſſe turri Davidicæ, quam clypei tum præſidio, tum ornamento cingunt. His comparationibus mirificè demonſtratur vis Eccleſiæ adversùs errores, hæreſim, impietatem, cæteraſque inferorum Poteſtates; dogmatum illius, ſententiarum, diſciplinæ puritas inviolabilis oſtenditur. Doctores præſertim, & Verbi Præcones, vocis doctrinæque Eccleſiæ organa & viæ, Sponſæ collo, ſignificantur (z).

Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Heſebon vetus & celebris urbs erat trans Jordanem (a), ad ſeptemtrionem & ad radices montium Phasga, ſive Abarim, in Tribu Ruben. Hebræi fontes oculorum appellatione ſignificant; atque hinc oritur hujus comparationis laus, qua oculi Sponſæ duobus fontibus in portâ Heſebonis ſitis ſimiles dicuntur. Hebræus ad verbum (b): *Bini oculi tui ut piſcinæ in Heſebon, apud portam Bath Rabbim*. Poſtremo hoc nomine ſignificari credimus portam urbis, quæ ad *Rabbah*, ſive *Rabbath Ammon*, aliter *Philadelphiam*, ducit, Ammonitarum Metropolim, Heſeboni ſeptemtrionalem, & proximam. Si Hebræas voces uſurpare velis, ut grammaticè ſonant, reddi poſſunt: *Ad portam filiæ multitudinis*, ſcilicet ad eam Heſebonis portam, ubi conventus aguntur. Piſcina Heſebonis nota eſt in libris Macchabæorum; ejuſque latitudo duo ſtadia, ſive paſſus CCL complecti dicitur (c).

Oculi Sponſæ myſtico ſenſu ſunt Præſules, Epiſcopi, Paſtores, qui loco excubiarum ſunt, ut mala, quæ Eccleſiæ imminent, prævideant, & hoſtes, qui arma illi inferunt, proſpiciant. Cœleſtes hi veritates nunciant, minitantur, arguunt, corripiunt, conſolantur: pacem hominibus bonæ voluntatis prædicant; bellum Diabolo, impiis & hæreticis indicunt.

Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Comparatio naſi venuſtæ puellæ cum turri in vertice montis conſtructâ, audacior æquo eſt: at ſeveras adeò in figuris leges negligunt Orientales. Legimus apud Itineraria, in Libano, Damaſcum verſùs, vetuſtæ arcis ſeu turris, olim uti videtur editiſſimæ, veſtigia

(q) שררך אגן הסהר אל יחסר המזג (r) *Pſal.* xxii, 7. *Homer. Iliad.* iv: Ἀχαιοὶ Δαιτρὸν πίνωσιν, σὸν δὲ πλεῖον δέπας αἰεὶ Ἕστηχ', ὥσπερ ἐμοί, πιέειν ὅτε θυμὸς ἀνώγοι.
(s) *Grot. Boſſuet. hic. Vide Prov.* iii, 8. (t) *Ezech.* xvi, 3, 4. *Vide Theodoret. hic.*
(u) *Zach.* ix, 17. (x) *Theodoret. tres Patres anonymi, Honor.* (y) *Vide Ambroſ. de inſtit. virgin. c.* 14. *Honor. Guillel. alios.* (z) *Gregor. Caſſiod. Beda, Anſelm. &c.* (a) *Num.* xxi, 25, *& ſeq. Joſue,* ix, 10; xiii, 17, *&c.* (b) עיניך ברכות בחשבון על שער בת רבים (c) 2 *Macc.* xii, 16.

℣. 5. Caput tuum ut Carmelus: & comæ capitis tui, ficut purpura regis vincta canalibus.

℣. 6. Quàm pulchra es, & quàm decora chariffima, in deliciis!

℣. 7. Statura tua affimilata eft palmæ, & ubera tua botris.

℣. 8. Dixi: Afcendam in palmam, & apprehendam fructus ejus: & erunt ubera tua ficut botri vineæ: & odor oris tui ficut malorum.

℣. 9. Guttur tuum ficut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque, & dentibus illius ad ruminandum.

COMMENTARIUS.

ftigia fupereffe. Narrat Benjamin, hujus turris lapides, cujus reliquias ipse vidit, viginti palmis in longum, duodecim in latum porrigi. Gabriel Sionita, ex quo hujus arcis dimenfiones habemus, cubitos centum in longum, quinquaginta in latum complecti fcribit (d). Ejusdem meminit Maundrellus, qui tamen illam longè profpexit. Arces aliquot in Libani jugo a Salomone conditas effe, Scriptura teftatur (e). Hic Cantici locus Sacris Præconibus & Ecclefiæ Miniftris aptatur (f), quorum munus eft, ceu nafi, olfacere, bonosque a malis odoribus fecernere, virtutem a vitio difcriminare, fententiam ferre de variis lepræ generibus, de eo quod juftum eft, & quod injuftum, de fanguine & fanguine; denique in rerum facrarum adminiftratione follicitè cavere, ne fancta canibus, & margaritæ porcis projiciantur.

℣. 5. CAPUT TUUM UT CARMELUS. Tænias, cincinnos, & cætera Sponfæ ornamenta cum Carmelo comparat, monte fertili, vitibus, arboribus fructiferis, nemoribusque nobiliffimo. Hæc ornamentorum pompa fpectantium oculos fallebat, ut Sponfa procerior auguftiorque videretur (g).

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput . . . .

Aptior ex Hebræo fententia elici poterit, fi Carmel feu Carmil pro purpurà ufurpes, ut in Paralipomenis legitur (h). Accipe totum verficulum, ex hac interpretatione (i): *Caput tuum fuper te ut purpura; & capilli capitis tui, ficut purpura Regis vincta*, feu appenfa *vectibus*. Sponfæ caput & crines purpuræ, feu violaceo colori faturo fimiles dicere, minimè dedecet (k); eo enim colore crines olim inficiebantur; atque ater color illis inducebatur, cùm alterum natura dediffet.

An fi cæruleo quædam fua tempora fuco
Tinxerit, idcirco cærula forma bona eft? (l)

Agathyrfi (m), & Indi (n) capillos hyacintho tingebant, atro fcilicet, inquit Euftathius. Hyacinthinam appellat Ulyffis comam Homerus (o); & Evandri cæfariem, violaceo colore infignem, commendat Pindarus (p). Crines Mariæ, uxoris Honorii, magis violà nigros prædicat Claudianus (q): *Non crines æquant violæ*.

Olim purpureis tæniis crines vinciebantur, luxu tamen non ubique communi (r). Andromachen, Hectoris uxorem, defcribit Homerus, crines gerentem tæniis micantibus intertextam (s). Syrorum & Arabum puellæ adhuc noftrâ ætate capillos vittis fericis vinciunt, ex quibus aureæ vel argenteæ catenulæ pendent (t). Scribit igitur Salomon, Sponfæ capillos fimiles effe purpuræ a vectibus pendenti, tum purpurearum tæniarum causà, quibus colligebantur, tum ob proprium ipsorum colorem, qui ad tæniarum colorem accedebat. Sponfæ capillos nigros fuiffe, jam vidimus (u); at non eà nigredine quæ atra & funerea eft, fed quæ aliquo violæ colore temperatur, uti ea eft, quam narrat Apulejus (x): *Capillus corvinâ nigredine, cæruleos columbarum colli flofculos imitatur*.

℣. 7. STATURA TUA ASSIMILATA EST PALMÆ, ET UBERA TUA BOTRIS. Adeò recta, procera & augufta es, ut palma; & mammæ tuæ fimiles botris funt. Meliores vino Sponfæ mammas jam dixerat. Ex literæ fenfu nihil hic fatis dignum animadverfione eft. At ex myftico, palma patientiam, robur, victoriam fignificat. Chriftiana Ecclefia fuperatis Martyrum virtute & patientià hoftibus, fedulæ ac piæ matris more ubera parvis natis porrigit: ubera intellige doctrinam Evangelii, confolationum lac, &c.

℣. 8. DIXI: ASCENDAM IN PALMAM. Crucem afcendit Chriftus (y), & luculentiffima benevolentiæ & amoris fui argumenta Ecclefiæ fuæ præbuit, cùm omnem fanguinis fui fontem illius causà exhauferit, vitamque profuderit, ut fuum cum illà fœdus, fuique conjugii conditiones firmaret: ingens ibi opus perficit, & spiritualium natorum, innumerorumque pofterorum, qui ab altero ad alterum orbis finem porriguntur, matrem effecit. Sponfæ ubera botris fimilia fiunt; quæ enim inania erant, optimo lacte vinoque fuaviffimo implentur. Synagoga hactenus fterilis, Ethnicorum gens proftituta, liberis carens; atque ex duplici Ecclefià unica fit: Quæ in umbris erat, quæque in fcelere vixerat, unà congregantur, & filios benedictionis creant.

℣. 9. GUTTUR TUUM SICUT VINUM OPTIMUM: quæ e gutture tuo egrediuntur, optimo vino fimilia funt. Hebræus ad verbum (z): *Palatum tuum ficut vinum eximium, vadens rectè*, vinum rectum, (*vin droit*), *quod loqui facit labra dormientium*, vinum præftantiffimum jucundè influens, facundiam mutis, alacritatem ftupidis afferens (a).

Fæ-

(d) *Gabr. Sionitas, Arab. c. 6.* (e) *3 Reg. 12, 29.* (f) *Greg. Caffiodor. Beda, Anfelm. Philo Carpath.* (g) *Juvenal. Sat. 6, v. 500.* (h) *2 Par. 11, 7. Vide Boch. de animal. facr. p. 2, lib. 5, c. 9.*
(i) ראשך עליך בכרמל ודלת ראשך כארגמן מלך אסור ברהטים
(k) *Cant. IV, 1.* (l) *Propert. lib. 2, Eleg. 18.* (m) *Plin. lib. IV, cap. 12.* (n) *Dionyf. Perieget.* .... Ε'υαδομένας ὑακίνθῳ ψιολάτας φορέησιν ἐπὶ κρατεσφιν ἐθείρας. *Euftat.* Ὑακίνθῳ ἄνθει ὁμοίας, ἤτοι μελαίνας. (o) *Homer. Odyff.* Ξ, & Ψ. (p) *Pindar. Olymp. Od. 6.* (q) *Claudian. de nuptiis Honor. & Mariæ.* (r) *Cafaubon. in Athen. lib. XV, c. 8.*
(s) *Homer. Iliad.* X, *v. 468*: Τῆλε δ' ἀπὸ κρατὸς χέε δέσματα σιγαλόεντα,
Ἄμπυκα κεκρύφαλόν τ' ἠδὲ πλεκτὴν ἀναδέσμην,
Κρήδεμνόν θ' .....
(t) *Gabriel Sionit. Mor. Orient. c. 11.* (u) *Cant. IV, 2.* (x) *Apulejus, Metamorph. lib. 2.*
(y) *Gregor. Caffiodor. Juft. Honor. Anfelm. Rupert. alii paffim.*
(z) וחכך כיין הטוב הלך לדודי למישרים דובב שפתי ישנים (a) *Horat. lib. 1, ep. 5.*

SPONSA.

℣. 10. Ego dilecto meo, & ad me conversio ejus.

℣. 11. Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum: commoremur in villis.

℣. 12. Mane surgamus ad vineas: videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica: ibi dabo tibi ubera mea.

℣. 13. Mandragoræ dederunt odorem. In portis nostris omnia poma: nova, & vetera, dilecte mi, servavi tibi.

COMMENTARIUS.

Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Vinum musices & choreæ author esse dicitur (b):
Ille liquor docuit voces inflectere cantu;
Movit & ad certos nescia membra modos.

Quid sit vinum rectitudinis, superiùs explicavimus (c). Septuaginta (d): *Guttur tuum sicut vinum bonum, vadens ad fraternum meum* (ita Sponsum toto Carmine appellat) *in rectitudinem, sufficiens labris meis & dentibus*. Crassum spissumque vinum, qualia plerumque sunt apud Orientales, quodammodò manditur; atque olim, cùm vina tamdiù in amphoris servabantur, adeò simul coalescebant, ut nostris dulciariis e saccaro conditis similia viderentur. Hæc porrò & palato apta erant & dentibus: *Dignum dilecto meo ad potandum, labiisque & dentibus illius ad ruminandum*. Aquila eodem modo legit ac Septuaginta & Vulgata; meliorque hæc sententia videtur, quàm quæ hodie in Hebræo legitur.

Vinum, quod Sponsa Dilecto libat, vinum rectum, succi plenum, generosum, est Charitas, qua erga Deum ardet, movetürque, ut omnia illius causâ aggrediatur, neglectis difficultatibus, labore, discrimine. Idem ille calix est, quem Propheta ex Dei manu accepit (e). Recens illud est vinum, quo Christus vetustis vasis condi vetat (f). Denique Doctrina est Evangelica, & Cœlestium veritatum prædicatio. Hoc vini genus longis lentisque haustibus gustandum est ac mandendum, ut omnis illius vis ac præstantia sentiatur. Nobilissimi hujus liquoris usu minimè timenda est ebrietas. Cùm Sancti Spiritûs illapsum excepissent Apostoli, novique hujus vini virtus totam illorum animam perfudisset, statim velut homines œstro rapti, novis inauditisque sermonibus uti cœperunt (g); ac planissimè impletum est, quod hîc legitur: *Vinum loqui faciens labra dormientium* (h).

℣. 10. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus. Mutuam charitatem, subjectionem, sollicitudinem fovemus. Omnes animi sui motus ad me convertit Sponsus; ego ad illum meos. Alia elici potest ex Hebræo sententia (i): *Ego dilecto meo, & super me authoritas ejus*: illius sub imperio sum, illi obtempero. Hebræâ voce hujus loci utitur Genesis, ut minoris fratris subjectionem majori (k), uxorisque marito (l) indicet. Ita subjicitur Jesu Christo Ecclesia. Ipso illius Spiritu animatur, illius imperia legem agendi sibi præstituit, ex illius institutione sententiam fert, unica illius dogmata tradit, ipso denique illius sermone utitur: omnis Ecclesiæ authoritas, gloria, laudes, ex ipso sunt. Unus Jesus Ecclesiæ Sponsus est, Rex, gaudium, corona, spes, felicitas.

℣. 11. Veni, dilecte mi, egrediamur in agrum. Hic desinit quinta nuptiarum nox. Non semel jam animadvertimus, mane singulorum dierum Sponsum e Sponsæ thalamo egredi consuevisse, atque in agrum secedere, Sponsâ dormiente, ac pronubas orare, ne Sponsam excitarent (m). Hic verò Sponsa unà cum Sponso diluculò egreditur, atque in agrum villasque, sive in rusticam domum migrat: *Commoremur in villis*. Hebræus reddi potest (n): *Egrediamur in agrum, pernoctemus in cypris*, inter arbusculas *cypros*, de quibus superiùs, I, 13. Piorum animæ Jesum in solitaria loca discedentem libenter sequuntur. Ibi eas Sponsus suavissimis gratiæ suæ muneribus donat: *Ibi dabo tibi ubera mea*, ℣. 12; ibi luculentiùs liberiùsque sese illis exhibet. *Mihi oppidum carcer est, solitudo paradisus*, ajebat S. Hieronymus. Inter hasce solitudines tam ingens Monachorum copia supremos sanctitatis fines attigit, spretis omnino mundi curis, illecebris, voluptatibus; cùm satis amplum illis præmium esset ea suavitas, qua Divinus animarum Sponsus ipsorum mentes perfundebat.

℣. 13. Mandragoræ dederunt odorem. De mandragoris fusè in Genesi egimus (o). Non leviter dubitamus, utrùm Hebræa vox *Dudaim* (p) mandragoram significet; ea enim vernus fructus non est; neque omnino credibile videtur, Sponsam, quo tempore inspectura venit, utrùm vitis floruerit, & mala punica germen ediderint, mandragoras quærere. Aliquot conjecturas alibi dedimus, quibus vel citrea vel aurea mala esse ostenderemus.

In portis nostris omnia poma: Nova et vetera, dilecte mi, servavi tibi. Vel: Ingens pomorum copia nobis est: abundè invenies, quæ tibi servavi. Rusticam puellam hîc exhibere videtur Salomon, quæ Sponsum in rus suum invitans, quælibet pomorum genera, quæ condita in domo paternâ sunt, illi pollicetur. *Nova & vetera* ingentem copiam significant. Ita pollicetur Judæis Moyses fore, ut si datam Deo fidem servent, ipse veteres novosque fructus illis largiatur, atque eâ quidem copiâ, ut cùm novi fructus colligantur, veteres projiciendi sint, ut locum faciant novis (q). Cœlorum Regnum Christus cum patre familiâs comparat, cujus horrea vetustis novisque messibus referta sunt (r), qui scilicet copiâ omnium abundat. Hebræus (s): *Et pro foribus nostris omnia dulcia sunt, nova & vetera. Dilecte mi, condidi tibi*. Veterum novorumque pomorum nomine (t) intelliguntur veteris & novi Fœderis volumina. Christi Ecclesia veteris Legis figu-

(b) *Tibull.* (c) *Cant.* I, 3; *Prov.* XXIII, 31. (d) Καὶ λάρυγξ σου ὡς οἶνος ἀγαθὸς, πορευόμενος τῷ ἀδελφιδῷ μου εἰς εὐθύτητα, ἱκανούμενος ἐν χείλεσί μου καὶ ὀδοῦσι. Aquila itidem. Legunt שפתים ושנים pro ישנים
(e) *Psal.* XXII, 5; CXV, 13. (f) *Luc.* V, 37. (g) *Act.* II, 13. (h) *Vide, si lubet, Theodoret. Just. Orgelit. Cassiod. Bed. Rupert. &c.* (i) אני לדודי ועלי תשוקתו (k) *Genes.* IV, 7. (l) *Genes.* III, 16.
(m) *Cant.* II, 7, 17; III, 5; IV, 6. (n) נלינה בכפרים (o) *Genes.* XXX, 14, 15. (p) הדודאים נתנו ריח
(q) *Levit.* XXVI, 10: *Comedetis vetustissima veterum, & vetera novis supervenientibus projicietis.*
(r) *Matt.* XIII, 52. (s) פתחינו כל מגדים חדשים גם ישנים דודי צפנתי לך
(t) *Theodoret. Anselm. Aponius, alii plerique.*

figuras, & novæ mysteria amicis aperit: Christum in Prophetis seu sub velamine latentem, tum reducto velamine apertum in Evangelio ostendit. Denique eruditus Ecclesiæ Doctor similis patrisfamiliâs est, nova & vetera ex horreis proferenti (u).

CAPUT VIII.

SPONSA.

℣. 1. QUis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut inveniam te foris, & deosculer te, & jam me nemo despiciat?

℣. 2. Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ: ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condîto, & mustum malorum granatorum meorum.

℣. 3. Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUIS MIHI DET TE FRATREM MEUM, SUGENTEM UBERA MATRIS MEÆ, ut tibi pro libito blandiar, metu insultûs aut irrisionum libera? Pudica modestaque uxor cautè Sponso blanditur, aut Sponsum sibi blandiri patitur. Cupit Sponsa, ut Dilectus suus puer sit, frater suus, suæque matris filius; eo enim tempore, quo polygamia in usu erat, sæpe in eâdem familiâ fratres ac sorores erant e variis matribus orti. Satis tuta non fuisset Sponsæ pudicitia, si fratri ex alterâ matre procreato blandiretur. Optat igitur, ut Sponsus e propriâ sui genitrice satus sit, nequid detrimenti patiatur pudor suus, neve obnoxia irrisionibus sit, dum fratrem liberè amplectitur. Jam alibi animadvertimus, *fratris* ac *sororis* nomina amicitiam amoremque significare, quibus profani pro impudico amore abutebantur. Hic verò nihil nisi castum sonant. Fortè etiam Sponsa tacitè innuit filiorum desiderium, quo ipsa tenetur, ut sterilitatis probro careat (a): *Ut jam me nemo despiciat*. Vide nostram Dissertationem de Connubiis Hebræorum.

Synagogæ desideria, vota Patriarcharum, naturæ humanæ gemitus exaudiit Deus. Hominum frater effectus est Jesus (b); virginis mammas, cæterorum more, suxit: illum jam amplecti licet, illi blandiri, ipsum sequi, atque omnia amoris indicia ab eo postulare, nullo contemptûs metu; nisi fortasse carnalium hominum insultus metuantur, quorum ex irrisionibus nostrûm gloriam gaudiumque oriri par est.

℣. 2. APPREHENDAM TE, ET DUCAM IN DOMUM MATRIS MEÆ. Si frater meus adhuc tener esses, te in matris meæ meumque conclave palam inducerem. plenâ tunc meridie, non noctu & clam adventares. Vide superiùs, III, 4; & II, 17.

IBI ME DOCEBIS: ET DABO TIBI POCULUM EX VINO CONDITO, unguentis misto. Suaves ibi sermones miscebimus: tu me docebis, quid factu opus sit, ut domus nostra optimè instituatur, ac res familiaris probè curetur: quid ipse velis, quidve a me servari jubeas in familiæ administratione, cujus ego princeps post te esse incipio. Recole id quod diximus, supremo hoc colloquio (c) Salomonem sub rusticæ puellæ imagine Sponsam exhibere, quæ Sponsum in domum matris vocans, munera e pomis & vino condîto pollicetur. Xenophon in Oeconomico maritum inducit, novæ nuptæ præcepta dantem de familiæ curâ & institutione. Ita Veterum mores ferebant.

Vinum conditum hujus loci puto idem esse ac *vinum myrrhatum* (d), *vinum turis* (e), & nectar Veterum. Profectò *nectar* vox omnino Hebræa est (f), atque ad literam sonat rem suffitam, odore perfusam. Si Scriptoribus fides est, vinum misto favo, & floribus odoratis conficiebatur (g). Ingens erat apud Veteres vini condîti usus & pretium. Illius autem parandi ars apud Plinium, cæterosque Rusticæ rei Scriptores legitur. Aqua salsa, vel muria adhibebatur, quæ ad tertiam partem decocta, vino miscebatur ita, ut octogesima totius vini pars esset; tum additis suaveolentibus herbis (h), omnia simul denuo coquebantur, donec ad certam mensuram minuerentur. Hoc vini genus in toto Oriente, Græciâ & Italiâ commune erat. Celeberrimum nectar Babylonium habebatur (i).

Vinum e malis punicis magno in pretio eâ ætate habebatur. Rara est hujus vini mentio apud Græcos ac Latinos, cùm rarior apud istos hæc arbor esset. Mali punici decoctionem & succum in usus medicinæ adhiberi, testatur Plinius, libro XXIII, capite sexto. Utrùm Sponsa de vino ex malis punicis, ceu liquore servari solito, agat, an de eo ceu munere aut cupediis extempore parandis, ubi ille advenisset, incertum est.

Hæc vina, atque hi liquores, quos Sponsa Dilecto pollicetur, Christianorum charitatem, Martyrum constantiam, perseverantiam Monachorum, virginum pudicitiam, omnes denique virtutes, quas Christus vel verbo docuit vel exemplo (k), significant. Suavissimus is cibus est omnium, quos offerre Sponso queat Ecclesia; idemque in solitudine præsertim, atque in mortalium curarum fugâ invenitur. Ibi nos docet Christus, sua nobis mysteria detegit, ac beneficia impertitur; ac denique ibi quodammodo nobiscum vescitur. *Si quis diligit me*, inquit (l), *sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*.

℣. 3. LÆVA EJUS SUB CAPITE MEO, ET DEXTERA ILLIUS AMPLEXABITUR ME. Sponsæ verba, quam Sponsus amplectitur. Vide superiùs, II, 6. Sexta nuptiarum nox, a ℣. 13 superioris Capitis, usque ad 4 præsentis. ℣. 4. Ao-

(u) *Matt.* XIII, 52. (a) *Deut.* VII, 14; *Isai.* IV, 1.
(b) *Theodoret. Greg. Cassiod. Ambros. de instit. virg. c.* 1; *Athanas. in synops.* & *alii*.
(c) *Cant.* VII, 12, 13. (d) *Marc.* XV, 23. (e) *Osee*, XIV, 8. יין הלבנון
(f) נקשר *Niktar*, *Suffiri*, *fumigari*, *odore suavi perfundi*. (g) *Athen. lib.* II, *c.* II, *p.* 38: Διὸ καὶ τὸ καλούμενον νέκταρ κατασκευάζειν τινὰς περὶ τὴν Λυδίας Ὄλυμπον, οἶνον καὶ κηρία συγκιρνάντας εἰς ταὐτὸ, καὶ τὰ τῶν ἀνθῶν εὐώδη. (h) *Columel. lib.* XII, *c.* 19. & 25, & *seq. Pallad. Octob. n.* 14; *Cato de R. R. c.* 113. (i) *Athen. lib.* I, *c.* 25: Χαιρέας ἐν Βαβυλῶνι οἶνόν φησι γίνεσθαι τὸν καλούμενον νέκταρ. (k) *Cassiod. Beda*, *Alcuin. Angelom. Honor.* &c. (l) *Joan.* XIV, 23.

SPONSUS.

℣. 4. Adjuro vos, filiæ Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.

SPONSÆ COMITES.

℣. 5. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum?

SPONSUS.

Sub arbore malo suscitavi te: ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.

℣. 6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.

COMMENTARIUS.

℣. 4. ADJURO VOS, FILIÆ JERUSALEM, &c. Surgens e lecto Sponsus, ac secessurus, ut aliàs fecerat (*m*), Sponsam dormientem relinquit. Orat igitur nuptiarum comites, ne Sponsam excitent: at illa statim expergiscitur, ac Sponsum egredientem sequitur, illique comes jungitur. Vide ℣. 5.

℣. 5. QUÆ EST ISTA, QUÆ ASCENDIT DE DESERTO, DELICIIS AFFLUENS, INNIXA SUPER DILECTUM SUUM? E matris conclavi egreditur Sponsa, Dilecto innixa. Illam Jerosolymitanæ puellæ ex agro sive ex deserto venientem prospiciunt, sextam enim hanc noctem in agro actam esse, jam posuimus; & incedentis venustatem majestatemque mirantur. Confer hunc locum cum Capite III, 6, & VI, 9. Septuaginta (*n*): *Quæ est ista ascendens dealbata, confirmata super fraternum suum*, sive, super dilectum suum?

SUB ARBORE MALO SUSCITAVI TE, &c. Brevis hæc sermocinatio, quæ hoc binisque sequentibus versiculis continetur, inter solos Sponsum ac Sponsam habita est. Cùm ambo in agro, procul ab arbitris, deambularent, nescio quid narrat amatæ Sponsus, ipsam scilicet olim a se excitatam, cùm dormientem sub arbore invenisset. Addit verò, eâdem sub arbore ipsam a matre editam esse in lucem: id enim propriè sonat Hebræus (*o*). Hæc verba Judæi ad Sponsum convertunt, quasi Sponsa viro narret, quid ipsi eâ sub arbore contigerit. Omnes tamen vulgò Patres Veteresque ita usurpant, ut Sponsi verba sint. Simplices inornatæque hujusmodi descriptiones pastoribus mirè conveniunt. Neque arduum factu est, ut rustica mulier partûs doloribus ex improviso occupata, sub arbore pepererit (*p*). Non minima voluptatis pars est, levia hæc tractare, primorumque temporum meminisse, quibus alter alterum vidit amavitque, unde frequenter connubia oriuntur (*q*):

Sepibus in nostris parvam te roscida mala
(Dux ego vester eram) vidi cum matre legentem...
Ut vidi, ut perii! ut me malus abstulit error!

Non desunt ex Patribus, qui mystico sensu hunc locum de primâ hominum matre, in terrestri paradiso anguis artibus & pomo deceptâ, interpretentur. Eam ibi hominum Reparator dejectam, lethalique sopore correptam inveniens, excitavit, illique incolumitatem pollicitus est; ac promisit fore, ut stirps ex ipsâ oritura, Messias nempe mortalium Redemptor, anguis caput contereret. Alii de Christi Cruce explicant, cujus figura fuerit malus (*r*). Jacebat sub Cruce hominum natura dormiens, dejectaque, motu & agendi potestate carens: ipsamque Servator excitavit, incolumitati & vitæ tum sanguinis effusione, tum Resurrectione restituit.

℣. 6. PONE ME UT SIGNACULUM SUPER COR TUUM. Pergunt Sponsi verba. Acerras odorarias super pectus pendentes (*s*), armillasque latiores in brachiis gerere Prisci solebant: utrasque verò figuris & imaginibus ornabant, iis præsertim, quæ jucundissimæ unicuique forent. Postulat igitur Sponsus, ut sui imaginem, seu nominis sui compendium iis in ornamentis Sponsa describat. Neque filiam Pharaonis dedecebat (si hæc Sponsa erat in Cantico celebrata) Sponsi imaginem in pectore brachioque gestare, cùm hæc ab avitâ superstitione discessisse non videatur, ac proinde Legis præcepto, imaginum ac figurarum usu interdicentis, non teneretur. Ut ut res habuerit sese, certè Sponsi nomen, aut illius compendium inscribere poterat. Discimus ex Itinerariis, Orientalium fœminas brachia & pectus stigmate inurere, eoque aut flores aut imagines pro libito pingere. Optat igitur Sponsus, ut sui nomen in pectore & brachio Sponsa describat, ne unquam illius oblivio obrepat.

Fidelis cujuslibet animæ officium est, Dei ac Sponsi sui sigillum animo & brachiis insculptum gerere; animo dum amat, brachiis dum agit. Vita omnis nostra nobilissimi hujus exemplaris imago sit; ejusque vitæ, gestorum ac voluntatis imitatio toti simus: Christus ipse quodammodò in nobis vivere videatur (*t*): *Signaculum Christus in fronte est; signaculum in corde. in fronte, ut semper confiteamur; in corde, ut semper diligamus; signaculum in brachio, ut semper operemur. Luceat imago ejus in confessione nostra: luceat in dilectione: luceat in operibus & factis, ut, si fieri potest, tota ejus species exprimatur in nobis.*

QUIA FORTIS EST, UT MORS, DILECTIO: DURA SICUT INFERNUS ÆMULATIO. Uti nihil morti resistit, duræque moriendi necessitati unaquæque succumbunt; ita omnia amori cedunt, nihilque oppo-

(m) Vide *Cant.* II, 7; III, 5. (n) Τίς αὕτη ἡ ἀναβαίνουσα λελευκανθισμένη, ἐπιστηριζομένη ἐπὶ τὸν ἀδελφιδὸν αὐτῆς; *Origenes legit*: Ἐπιστηθιζομένη. *Editio Complut.* Τίς αὕτη ἡ ἀναβαίνουσα ἀπὸ ἐρήμου ἐπιστηριζομένη, *&c. Hebr.* מי זאת עירה מן המדבר מתרפקת על דודה
(o) ההת התפוח עוררתיך שמה חבלתך אמך שמה חבלה ילדתך 70: Ἐκεῖ ὠδίνησέ σε ἡ μήτηρ σου, ἐκεῖ ὠδίνησέ σε ἡ τεκοῦσά σε. (p) *Martial. de Caesone.*

..... Dum prandia portat aranti,
Hirsutâ peperit rubicunda sub ilice conjux.

(q) *Virgil. Eclog.* VIII. (r) *Ita Patres & Interpp. plerique.* (s) *Vide Osee*, II, 2. *Clem. Alex. lib.* 2, *c.* 11 *Pædagog. Isai.* III, 20. (t) *Ambros. de Isaac*, *c.* 8.

℣. 7. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

SPONSÆ NECESSARII.

℣. 8. Soror nostra parva, & ubera non habet: quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est?

SPONSUS.

℣. 9. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.

COMMENTARIUS.

opponitur zelotypiæ, quæ ex amore oritur. Invictus, ac sævissimus est amor; idemque imperiosus est tyrannus & violentus. Qui semel nomen in castris amoris dedit, servus in posterum futurus est:

Nullus liber erit, si quis amare velit (u).

Innumera ubique occurrunt exempla, quibus amoris profani sævities & vis demonstratur. At minor ne Divini amoris vis est, aut minùs invicta? Hominum Reparator, paternæ gloriæ studiosissimus, & creaturarum amantissimus, sævissima supplicia subiit, necemque probrosissimam, ut paternam injuriam aboleret, æternisque infortuniis creaturam liberaret. Apostoli, quos Jesus Christus charitatis suæ flammis totos corripuerat, mala gravissima, ipsamque necem, nedum nihil veriti, verum etiam hilari constantique animo subiere. Christianæ Religionis Martyres neci & suppliciis libentissimè occurrerunt, vitamque ipsam profuderunt, ut amoris sui argumentum Divino Reparatori exhiberent.

Lampades ejus, lampades ignis. Hebræus (x): *Flamma ejus*, vel ignitabula ejus, ut *ignitabula ardentia; flamma, flamma Divina*, vehemens, ardens, &c. Ignis est amor, at ignis devorans, rapidusque, quem nullus unquam amnis extinguet: ℣. 7. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*. Communis ignis aquâ extinguitur: at amoris ignis nullâ vi coërcetur. Cujus amor alienis injuriis, blanditiis, mortalium bonorum spei, suppliciorum timori cedit, huic vera charitas deest. In malis gravibusque periculis probatur amor. *Qui non est tentatus, quid scit?* (y) Neque infirmos facit tentatio, sed ipsi quid simus, ostendit.

℣. 7. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Ingens adeò bonum est amor, atque adeò pretiosum, ut nulla penitus res illius pretium æquet. Qui bona omnia profuderit, ut amore potiatur, jacturam nihili faciet, si votorum compos fuerit. Hæc tamen vera solummodò sunt de charitate, quâ Deus quæritur, æternâque beatitudine. Quòd si de amore, qui in res creatas fertur, interpreteris, ita explicato: Hominum amatores interdum mortalem speciem adeò depereunt, ut bonorum omnium jacturam flocci faciant, dum amatâ re fruantur; totiusque rei familiaris dispendio votorum finem emunt. Vetera Vulgatæ Manuscripta (z), & Septuaginta (a), legunt hìc: *Si dederit homo substantiam domûs suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eum*; insanus putabitur, qui res pro merito non æstimat. Id profectò piis illis Christianis contigit, qui cùm summo perfectionis amore teneantur, omnia hujus vitæ bona contemnunt; illos enim Mundus insanos, suique ipsorum hostes putat. Quorsum bonis, quæ Deus largitur, te exuis? Quorsum vitæ voluptates fugis? Quorsum bona, quæ non vides, & incerta sunt, opum certissimarum, quas sentis, amissione sectaris? Ita secum impii argumentantur. Nihil verum, solidum, certumque nihil existimant, præter ea, quæ ipsi sentiunt, & brevi amissuri sunt, quorum inconstantiam, vanitatem, levitatemque quolibet temporis momento ipsi experiuntur.

℣. 8. Soror nostra parva, et ubera non habet. Hoc verborum circuitu significatur ætas puellæ, nondum apta conjugio. Eodem fermè usus est Ezechiel, xvi, 7: *Ubera tua intumuerunt ... Et ecce tempus tuum, tempus amantium, &c.* Sponsæ necessarii de conjugio cogitantes, deliberant quid facto opus sit, cùm illa nuptum tradenda postulabitur (b): *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?* Postrema hæc phrasis significat, nuptias alicujus postulare, teste Genesi (c): *Egresso Hemor ut loqueretur ad Jacob*, scilicet ut Dinam filio conjugem posceret. *Alloqui* absolutè usurpatum, cùm de fœminâ & viro agitur, designat familiaritatem, quæ viro erga uxorem conceditur. Ita Daniel Senes Susannæ accusatores bis verbis arguit (d): *Sic faciebatis filiabus Israël, & illæ timentes loquebantur vobis: sed non filia Juda sustinuit iniquitatem vestram. Nunc ergo dic mihi, sub quâ arbore comprehenderis eos loquentes sibi.*

℣. 9. Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Utraque hæc periphrasis illud ipsum sonat, puellam scilicet nuptum esse tradendam. Nubilis puella, fœmina viro carens, similis muro est, turribus & propugnaculis viduato; ostio, cui deest sera; urbi mœnibus destitutæ. Sponsus igitur sorori nostræ quærendus est, sed locuples, opulentus, nobilis, quæ laudes turribus seu propugnaculis argenteis designantur; seu vir potentiâ & dignitate sublimis, ut cum ostio cedrino conferri queat. Alter: Si murus est soror, animo scilicet gravi & sublimi, dives ac potens maritus illi jungendus est; id enim perinde erit, ac propugnacula & turres muro addere. Si verò levis & inconstans est, uti ostium solet, quod semper torquetur, tabulis cedrinis firmanda est, maritus scilicet illi quærendus ingenio prorsus contrario, maturitate, consilio, gravitate spectatus.

Ecclesia Christiana sub ipsum sui exordium par-

(u) *Propert. lib. 2 Eleg.* (x) רשפיה רשפי אש שלהבת יה *Sept.* Λαμπάδες αὐτῆς λαμπάδες πυρός. *Sym.* Αἱ ὁρμαὶ αὐτῆς, ὁρμαὶ πύριναι, *Impetus ejus, impetus ignei*. vi *Edit.* Σπινθῆρες αὐτῆς, σπινθῆρες πυρὸς, *Scintilla ejus scintilla ignis*. (y) *Eccli.* xxxiv, 9.
(z) *Vide Not. in hunc loc. tom. 1 nov. edit. S. Hieron.* (a) 70: Ἐὰν δῷ ἀνὴρ πάντα τὸν βίον αὐτοῦ ἐν τῇ ἀγάπῃ, ἐξουδενώσει ἐξουδενώσουσιν αὐτόν. *Sym.* Ἐξευτελιζόμενος ἐξευτελισθήσεται, *vilipensus vilipendetur*. (b) *Vide Ambros. in Psal.* cxviii, *octon.* 22: *Hoc solet signum omnibus virginibus esse nuptiarum*. (c) *Genes.* xxxiv, 6. (d) *Dan.* xiii, 57, 58.

SPONSA.

℣. 10. Ego murus: & ubera mea ficut turris, ex quo facta fum coram eo quafi pacem reperiens.

℣. 11. Vinea fuit pacifico in eâ, quæ habet populos: tradidit eam cuftodibus: vir affert pro fructu ejus mille argenteos.

℣. 12. Vinea mea coram me eft. Mille tui pacifici, & ducenti his, qui cuftodiunt fructus ejus.

℣. 13. Quæ habitas in hortis, amici aufcultant: fac me audire vocem tuam.

COMMENTARIUS.

parvulæ virgini fimilis erat (e); neque quifquam Regis Regum Sponfam effe putaffet, cùm adeò infirmam parvamque, atque inter tam multas hoftium potentiffimorum injurias agitatam intueretur. Murus erat, fed propugnaculis carens; oftium, at infimum, & malè protectum. Unus inftar omnium Chriftus illi fuit, quippe qui ipfam Prædicatoribus, Martyribus, Doctoribus, ceu turribus ac munitionibus, inftruxit. Horum ope illa omnes Inferorum conatus fuperavit; fuperftitionem atque errorem evertit; intactam fui puritatem munditiamque defendit; fuum & Sponfi Imperium ad extremos usque terrarum terminos prorogavit.

℣. 10. EGO MURUS: ET UBERA MEA SICUT TURRIS, EX QUO FACTA SUM CORAM EO, QUASI PACEM REPERIENS in ipfo. Vel ex Hebræo (f): *Ego murus, & ubera mea* facta funt *ficut turres: tunc facta fum in oculis ejus ficut inveniens pacem*, feu velut qui gratiam illius init. Hactenus murus fui turribus & præfidio egens; at vix Dilecto meo Sponfa decreta fum, effecta fum nubilis, mammæ meæ turrium inftar creverunt; Sponfique amorem & gratiam mihi comparavi. Apud Hebræos fuaviffima & elegantiffima eft hæc phrafis, *Factus fum ficut inveniens pacem*, pro, *Inveni gratiam* (g).

℣. 11. VINEA FUIT PACIFICO IN EA, QUÆ HABET POPULOS: TRADIDIT EAM CUSTODIBUS, VIR AFFERT PRO FRUCTU EJUS MILLE ARGENTEOS. Poëtica fictio eft, qua Sponfus fub agricolæ imagine fundum fuum cum fundo Regis Salomonis comparat, negatque fefe daturum vineam fuam, Sponfam fcilicet, pro omnibus quas Salomon poffidet. Ita verò reddi poteft Hebræus (h) ℣℣. 11, 12: *Vinea fuit Salomoni in Baal-hamon: dedit vineam cuftodibus: unusquisque adducit pro fructu fuo mille argenteos*. ℣. 12: *Vinea mea mihi coram me eft*, mei juris, mei dominii eft. *Mille* argenteos *tibi*, *o Salomon*, ferva, *& ducenti* argentei relinquantur *cuftodibus* vinearum tuarum ut *merces* laborum. Neque tua tibi, neque cæteris fua bona vineasque, meâ contentus, invideo. Vinea mea, mea hæreditas, Sponfa mea eft, quam omnibus omnium hominum divitiis non vendo.

Ita etiam explicari poteft: *Vinea eft Salomoni in Baal-hamon, quam conductoribus dedit: horum finguli afferunt mille argenteos pro fructu vineæ*. ℣. 12: *Vinea mea curam ego fufcipio: ego tolam: mille ficlos* quotannis *tibi*, *Salomon*, referam, *& ducentos* etiam *conductoribus*, qui curam illius habebunt ipsamque colent, dabo in *fructum* laborum. Fingit Sponfa, Salomoni Sponfo fuo vineam effe, quam locare velit; poftulatque ut fibi certâ pecuniæ fummâ eam locet. Emptio vineæ fingitur inter locupletem civem & agricolam, qui vineam certo pretio conducit. Hoc narrationum genus fuaviffimum in hujusmodi poematiis eft. Prior tamen explicatio multo fimplicior atque aptior videtur. Commune optimarum vinearum pretium mille ficli erant, tefte Isaia, VII, 23. Porrò mille ficli argentei libras noftrates fexcentas & viginti circiter reddunt. *Baal-hamon* eadem effe creditur (i) ac *Engaddi* ad Mare Mortuum. Putant alii, eamdem effe ac *Hamon* (k) in Tribu Nephthali, Phœniciam versùs. Nephthali autem vineis clarebat. Fortè etiam erat *Baal-meon* trans Jordanem, in regione vineis nobili, inter Jazer & Abel, aliaque loca vino laudata apud Prophetas.

Salomonis vinea Synagogam fignificat; vinea Sponfi, Chriftiana Ecclefia eft (l). Vineæ fuæ præftantiam & fertilitatem Salomon jactet, ut lubet; longam Patriarcharum Prophetarumque ab illâ editorum feriem ducat; factas Synagogæ promiffiones conceffasque illi dignitates commendet; illius vetuftatem, amplitudinem, venuftatem celebret: nemo his laudibus repugnabit. Contentus vineâ fuâ fit; at illud objicere liceat, Chrifti vineam, quamtumvis in exordio parvam, Salomonicâ meliorem effe, & ab iis, qui utriusque præftantiam cognovere, Chriftianam Mofaicæ & Salomonicæ anteferri. Vinea eft Synagoga, ex Ægypto in Chanaanitidem translata (m). Nulla illi laus ab origine eft: illam Deus in fertili folo pofuit (n), nihilque prætermifit, ut probè culta fœcunda efficeretur (o). At nihilo minùs verum eft, ipsam eamdem vineam degeneraffe, ac pro fuavibus uvis amaras labrufcas protuliffe; ipfiusque vinitores pro fructu, quem domino debebant, lapidibus petiiffe miffos a domino infpectores, ut & vineam luftrarentur, & fructus colligerent; usque adeo fævientes, ut hæredem morte afficerent. Quid fimile objici vineæ Chrifti poteft? Quandonam datæ Sponfo fidei ipfa defuit? Aut quando paffa eft, ut error, fcelus, fuperftitio intra fua ipfius vifcera fedem haberent? Æqualem femper fructum illam tuliffe, nemo dixerit: at fi tota illius amplitudo infpiciatur, neque feduli vinitores, neque fructus Sponfo digni unquam defuere.

℣. 13. QUÆ HABITAS IN HORTIS, AMICI AUSCULTANT: FAC ME AUDIRE VOCEM TUAM. O cariffima, o hortorum cuftos, quæ moram in agro & in hortis trahis, attentas porrigunt aures amici, ut te audiant: novum igitur aliquod carmen modulare. At renuit Sponfa coram aliis canere; quamobrem amicum monet, ut in montes aromatum fecedat. Ibi fortaffe modulatura erat. At magis placet ita explicare, ut, cùm hæc noctu, & in

(e) Thom. Caffiodor. Beda, alii.
(f) אני חומה ושדי כמגדלות אז הייתי בעיניו כמוצאת שלום (g) Vide Genef. xxvi, 22; xix, 24; xxxvii, 9; 1 Reg. xiv, 15; xxx, 16, &c. (h) כרם היה לשלמה בבעל המון נתן הכרם לנטרים איש יבא בפריו אלף כסף. 12. כרמי שלי לפני האלף לך שלמה ומאתים לנטרים את פריו (i) Mercer. Tir. Sanct. alii. (k) 1 Par. vi, 76. (l) Ita Patres Ambr. Greg. Caffiod. Apon. Juft. Beda, Anfelm. &c. Quamquam non omnes eodem modo. (m) Pfal. LXXIX, 9, &c. (n) Isai. v, 1, & feq. (o) Matt. xxi, 33, & fequ.

SPONSA.

℣. 14. Fuge, dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque cervorum super montes aromatum.

COMMENTARIUS.

in agro gesta fuerint, altero die exoriente, Sponsus postulet, ut a Sponsâ dimittatur. Expecto quid jubeas: fac vocem tuam audiam, & statim secedam: jam enim tempus est, & amici, Sponsi amici, adolescentea nuptiarum comites, nos audiunt & intuentur. Tum Sponsa inquit (℣. 14): *Fuge, dilecte mi, & assimilare caprea, hinnuloque cervorum, super montes aromatum*. Iidem fortasse hi montes sunt, qui superiùs, II, 17, nominantur *montes Bether*, & capite IV, 6, *montes thuris*. Ibi Sponsus interdiu morari consuevit, vespere ad Sponsam revertens. Ita septima & suprema nuptiarum nox elapsa est.

Jesus Christus, antequam e mundo abeat, Sponsam suam Ecclesiam hortatur, ut sese votis precibusque sollicitet, ac pollicetur fore, ut quolibet tempore ipsam exaudiat, ut nunquam destituat, & ad extremum usque sæculorum exitum cum ipsâ sit; seque commissurum, ut portæ inferi nunquam ipsam superent. His promissionibus freta Ecclesia, stabilique spe opis a Sponso promissæ confirmata, illi dicere non veretur ut abeat, & glorioso triumpho in Cœlum feratur (p). *Fuge, dilecte mi, super montes aromatum*. Nusquam abest, cùm ubique sit; atque omnium instar Sponsæ ejusque filiis est, inquit S. Ambrosius (q). *Si vulnus curare desideras, medicus est; si febribus æstuas, fons est; si gravaris iniquitate, justitia est; si auxilio indiges, virtus est; si mortem times, vita est; si Cœlum desideras, via est; si tenebras fugis, lux est; si cibum quæris, alimentum est.*

IN

(p) *Vide Bedam, Cassiod. Just. Aponium, Bern. serm. 9 in Psal. Qui habitat, &c.*

(q) *Ambros. de virgin. c. 16, n. 99, nov. edit.*

Finis Cantici Canticorum.

IN LIBRUM SAPIENTIÆ PROLEGOMENON.

SCriptos a Salomone, vel ipsi attributos Libros, vetus & constans Ecclesiæ consuetudo *Libros Sapientiales* denominat. Patribus non rarò sub generico titulo *Sapientiæ Salomonis* laudantur (*a*). Ecclesiæ autem stilo *Libri Sapientiæ* nomine non modò Salomonis scripta designantur, sed Liber etiam Ecclesiastici, & alter, de quo nobis in præsentiâ sermo est, excellentiæ quodam privilegio *Liber Sapientiæ*, vel, ut legunt Græci, Σοφια Σαλωμῶν, sive Σαλωμῶντος, *Sapientia Salomonis*, appellatus. Alter tamen a Salomone ejus Author habendus est, cùm nemo ferè scriptum ab eodem Rege asserat; quamquam ab omnibus veluti summa axiomatum & sententiarum ipsius suspicitur. Obtinet etiam apud Priscos (*b*) nomen *Panaretos*, idest, virtutum thesaurus, sive institutionum collectio. Nec aliter planè nomen *Sapientiæ* hic usurpari debet, quàm pro Religione, pietate, timore Dei & justitiâ, diversâ planè significatione quam quæ eidem voci apud Profanos tribuitur, cùm apud illos vix unquam Religionem sonet ac solidæ virtutis exercitium, sed potiùs sterilem quamdam notitiam veritatum universalium, & moralis disciplinæ, ac virtutis planè naturalis, illustrando intellectui aptam, voluntati verò ad virtutem inclinandæ ineptam.

Unus Authori est scopus, ut Reges, Optimates, & Judices terræ quà verbis, quà opportunis documentis, quà adhortationibus ad studium Sapientiæ impellat (*c*). Salomonis nomen, quo majorem apud illos obtineat authoritatem, usurpat (*d*). Præceptorem agit, præter arrogantiam. Salomonem in exemplum adducens, qua ille viâ ad culmen gloriæ, honoris, famæ, divitiarum, sapientiæ & eloquentiæ pervenerit, fusiùs demonstrat (*e*). Quæ illa? Sapientia una est, inquit, cui ille omnia sua debet; quam viam si quis alius tenere voluerit, ipse parem assequetur felicitatem. At enim difficilis est, & ardua (*f*). Falleris, inquit; solis enim ad Deum precibus emitur sapientia; quin & illa quærentium studium prævenit, atque obvia venientibus sincero animo occurrit.

Adjicit simul animum Author removendis obviis quibuslibet in hac viâ obstaculis; quæ tamen omnia ipsi sibi opponunt mortales, nulla ponuntur a Deo (*g*). Frustra homines accusant naturam, ejusque imbecillitatem & corruptionem. Morti & peccato nullus patuit a Deo in mundum aditus, sed utrique fraude Dæmonis & maliriâ hominum præstructa est via. Hominem creavit Deus innocentem (*h*), & immortalem; ille verò suo crimine e dignitate excidit. At minimè idcirco omnis illi præclusus ad sapientiam aditus est; Divinâ enim ope confirmatus, ad illam potest adniti, ejurato priùs crimine, libidine & dolo. Gaudet Deus sincero famulatu, & recto corde; abhorret autem sapientia ab animâ corruptâ & fallaci.

Verso deinde stilo adversùs incredulos, animæ immortalitatem asserit; eos pariter castigans, qui beatitudinem in eo constituunt, ut voluptatibus penitùs sese dedant. Hos in caput suum mortem provocare asserit, dum partes Dæmonis sectantur, qui pravitate suâ & invidiâ hominem in summum malorum pertrahere nititur (*i*). Exhibet virum justum invidiâ, obtrectationibus, injustis damnationibus, & morte ipsâ violentâ oppressum; quæ sanè omnia mirè congruunt cum Historiâ Passionis Jesu Christi (*k*). Impios ad judicium Dei, & extrema alterius vitæ supplicia provocat; quibus additur desperatio & rabies, visâ Justorum beatitudine, cujus ipsi futuri sunt testes (*l*). Sanctorum felicitatem deinde prosequitur, quos exhibet in statu perpetuæ pacis, gaudii, & gloriæ, æternâ beatitudine fruentes. Eos Reges, eos Judices in Cœlo repræsentat gloriosum imperium obtinentes, & eò gloriosiùs, quò magis in terrâ temnebantur [*m*]. Laudes prosequitur virginitatis, quam incontinentiæ & adulterio (*n*) opponit: adulterorum autem, inquit, posteros mala omnia & brevior vita manet (*o*).

Magnificis verbis Sapientiam effert, vel ea illi tribuens, quæ soli Divinitati, ex qua ipsa emanat, propriè deberi scimus. Hanc enim appellat Spiritum Dei, Spiritum Sanctum, Creatorem, qui omnia simul & amplitudine suâ replet, & intuitu lustrat, qui nihil non potest, essentiâ singularis, effectibus multiplex (*p*). Odor est, inquit, Sapientia seu vapor e virtute Dei fluens, splendoris ipsius effluvium, candor lucis æternæ, nitidissimum Divinæ Majestatis speculum, imago Bonitatis illius, quæ una in se, multa simul, & omnia potest; & ipsa invariata renovat omnia. Nemo Sapientiâ vacuus a Deo amatur [*p*]. Per Sapientiam Deus hominem creavit; eademque jugiter Dei solio assistit. Quare Deum rogat Author, ut Sapientiam e summo Cœlo ad se demittat, cujus ductu utatur & disciplinâ [*r*].

(a) *Tertull. lib. 1 de Præscript. c. 7; Cypr. lib. 3 testimon. c. 15; Ambr. de Parad. c. 7; Hilar. in Psal. CXXVII; Clem. Alex. Strom. lib. 6; Orig. lib. 1 de Princip. Alii.*

(b) *Athan. in synopsi; Epiph. de Pond. & Mens.*

(c) *Sap.* I, 1; & VI, 1, 2, 3, 10, 21, 22.

(d) *Sap.* VII, 2, 3; & IX, 7, 8.

(e) *Sap.* VII, 1, &c.

(f) *Sap.* I, 2; & VI, 14; & VII, 7, 8.

(g) *Sap.* I, 3, 4, 12, &c. & II, 24.

(h) *Sap.* I, 14, 15; & II, 23.

(i) *Sap.* II, 1, &c.

(k) *Sap.* II, 13, &c.

(l) *Sap.* V, 2, &c. & VI, ,6 7.

(m) *Sap.* III, 1, &c. & IV, 7, 8; & V, 16, 17.

(n) *Sap.* III, 13, 14; & IV, 1, &c.

(o) *Sap.* III, 16, 17; & IV, 3, &c.

(p) *Sap.* I, 6, 7; & VII, 22.

(q) *Sap.* VI, 25, &c.

(r) *Sap.* IX, 2, &c.

Quæ ex Sapientiâ comparantur hominibus commoda, experientiæ fuæ exemplo profequitur (*s*). Adam in profundum malorum dejectus, Sapientiæ ope furrexit [*t*]. Noë per Sapientiam placuit Deo, in medio generationis corruptæ ipfe incorruptus [*u*]. Abraham & Loth ambo Sapientiæ vires experti funt; ille in communi Mundi impietate juftus, hic in incendio Sodomitico illæfus. Recitat hiftoriam Jacobi, & Jofephi, & Moyfis, ac Hebræorum in Ægypto & in deferto; percurrit nobiliffima prodigia, quæ Deus ipforum causâ patravit; quippe quæ totidem Sapientiæ decora videantur. Sedulam inftituit comparationem inter diffitas illas Providentiæ vias, per quas Deus Ægyptios & Hebræos deduxit: his enim fe benevolum patrem, illis juftum judicem exhibuit. Idolatriæ ab ipsâ origine hiftoriam texens, quæ inde mala, quæ abfurda, quæ perniciofa fequuta funt, omnia exponit (*x*), ejus fimul exitium & everfionem prædicens (*y*). Tum profequitur Idololatrarum cæcitatem quavis cæcitate majorem, eò lugendam magis, quò nullam objicere poffunt excufationem, quin in Creaturis noverint Creatorem (*z*). Tandem nullus eft in Scripturâ Liber, in quo auguftiora de Deo grandioribus verbis prædicentur (*a*).

Occurrunt tamen quædam, ex quibus fufpicio aliqua in authoritatem ejus Libri creatur. Quæ ibi de origine Idololatriæ fcripta funt (*b*), hæc fingulari Differtatione in examen revocabimus. Operofior eft difquifitio illius, quod apud Authorem legimus, VIII, 19, 20, 21: *Sortitus fum animam bonam; & cùm effem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* Hunc locum in Commentario expendentes, demonftravimus, fermonem hic effe de dotibus animæ a naturâ inditis, non verò de dotibus fupra naturam & moralibus, animæ fimul & corporis.

Alibi verò tradit, X, 14, Jofephum fceptrum fimul & diadema Ægyptium tenuiffe; quod præter fidem Librorum Mofaicorum videtur. De Ifraëliris in Ægypto fub Pharaone, quafi de viris probis, & nullius criminis reis agit (*c*); cùm ex teftimonio Ezechielis (*d*), aliorumque Prophetarum eos in ipfum idololatriæ crimen prolapfos confter. Probat Hebræorum furtum, quo Ægyptiorum res furripuerunt (*e*); id enim tamquam debitum laboribus ipforum præmium & injuriarum folatium aliquod habendum cenfet. Plura narrationibus a Moyfe defcriptis addit. Perfuafum habuiffe videtur, Abrahamum Turris Babelicæ conftructioni coæraneum vixiffe; eumque eâ fefe fapientiâ & prudentiâ geffiffe, ut inter pronos in Idololatriam populos penè folus fteterit (*f*). Chananæos accufat Magicæ fuperftitionis (*g*); eofdemque arguit quòd carnes crudas vorent (*h*), mufcas & vefpas colant (*i*); quorum criminum nunquam in Scripturâ accufantur. Colebant quidem Philiftæi Beelfebub, Deum mufcarum; fed gens illa originem e Chananitide non referebat.

Afferit, ignem illum, quo miftis imbre & grandine, Cœlum pluit in Ægyptum (*k*), pepercifle infectis ad Ægyptiorum perniciem miffis, quafi fcilicet mufcæ, ranæ & cætera hujus generis fterilent adbuc (*l*), nec Moyfis imperio jam periiffent [*m*]. Mannam defcribit veluti efcam in Cælo paratam ad cibum Angelorum, in qua fapores omnes, quofcumque optarent, Hebræi experirentur (*n*); cùm tamen e Moyfe (*o*) confter, mannæ faporem ad panem oleo fubactum acceffiffe, ejufque faftidium tenuiffe tandem Hebræos, & ita tenuiffe, ut ne afpicere quidem fuftinerent (*p*). Plura apud illum de fpectris, quæ Ægyptiis obverfabantur toto eo triduo, quo terræ faciem univerfam tenebræ occuparunt, nullâ nifi fulminum luce per cymmeriam illam noctem interniteate [*q*]. In hiftoriâ transfretationis Erythræi multa addit, quæ fabulam fubolere videntur, uti quæ de herbis & arbufculis imum maris fundum veftientibus tradit (*r*). Coturnices in caftra Hebræorum demiffas (*s*), divino miraculo productas non fecus ac ranas & mufcas in plagâ Ægyptiacâ, cenfuiffe videtur (*t*).

Verùm hifce omnibus fimul refpondendum eft, I, Naturalis juris poftulare æquitatem, ut cùm de Authore vitâ functo, qui fuam agere caufam non poteft, agendum eft, ejus verba benignâ quantum fieri poteft interpretatione molliantur, neque rigido unquam fenfu ufurpentur, nifi vim apertè veritati inferant. Nihil autem ex iis, quæ Libro opponuntur, ita pravum fenfum refert, ut æquiorem, & veritati confonum non patiatur (*u*). Aufterior igitur explicatio illi adhibenda non eft. II, Quod ad additiones fpectat, folemne eft Sacris Hiftoricis, neque alienum omnino a Profanis, ut omiffa ab uno alterius fedulitate fuppleantur.

Dicet fortaffe quifpiam, hæc quidem vera effe, cùm de Authoribus agitur coætaneis, res fui temporis vel paulò vetuftiores referentibus. Nobis autem, inquiunt, res eft cum Authore longè ab ætate Moyfis remoto. Refpondeo, rerum geftarum memoriam duplici ad pofteros viâ tranfmitti, fcriptione, & traditione. Itaque fiqua in fcriptis rerum monumentis defiderabantur, hæc ad Authorem per traditionem deferri potuerunt. Tandem fi Dei infpiratione fcriptum eft Opus, quod nos certum conftituimus, & mox argumentis probabimus, nihil eft cur invidia in Authorem creetur, nifi fortè aperta aliqua in ejus Lucubrationibus repugnantia cum hiftoriâ facrâ, & veri-

tate

(s) *Sap.* VII, 11, 12.
(t) *Sap.* X, 1, 2.
(u) *Sap.* X, 4.
(x) *Sap.* XIII, 11, 12. & XIV, 14, 15; & XV, 7.
(y) *Sap.* XIV, 22, 23, &c.
(z) *Sap.* XIII, 1, &c.
(a) *Sap.* XI, 22, 23; & XII, 1, 2, 15. . . . 19.
(b) *Sap.* XIV, 15.
(c) *Sap.* X, 15.
(d) *Ezech.* XX, 8. & II, 2, 3; & XVI, 1, 2; & XXIII, 3.
(e) *Sap.* X, 17.
(f) *Sap.* X, 5.
(g) *Sap.* XII, 4.
(h) *Ibid.* ℣. 5.
(i) *Ibid.* 23, 24.
(k) *Exod.* IX, 24.
(l) *Sap.* XVI, 18, 19, 20.
(m) *Exod.* VIII, 13, 14, 31.
(n) *Sap.* XVI, 20, &c.
(o) *Num.* XI, 8.
(p) *Num.* XXI, 5.
(q) *Sap.* XVII, 3, 4, 6, 15.
(r) *Sap.* XIX, 7, 8.
(s) *Num.* XI, 31, &c.
(t) *Sap.* XIX, 11, 12.
(u) *Vide Comment. in hunc locum.*

tate ac Religione deprehendantur: qua de re ne hilum quidem in Libro Sapientiæ est.

Quæ de Regno Josephi in Ægypto leguntur, hæc non de imperio absoluto, sed ad nutum administrato intelligenda sunt; qua etiam phrasi usos novimus fratres ejusdem Josephi ad patrem loquutos [x]: *Joseph filius tuus vivit; & ipse dominatur in omni terrâ Ægypti.* Hebræi, jugo tyrannico Pharaonis oppressi, justi erant & sine crimine, non apud Deum judicem, cujus flagello in pœnam admissæ idololatriæ cædebantur, sed apud Pharaonem cæterosque Ægyptios, quos nullo crimine provocatos, adversarios experiebantur. Hebræorum furtum, quo Ægyptiorum supellectilem sustulerunt, S. Scriptura nunquam damnat, quin & Interpretes solidis rationibus defendunt. Chananæos illorum criminum reos meritò Author condemnat; quin & multò loquitur indulgentiùs, quàm cæteri eâ de re S. Scripturæ Libri. Additamenta ad historias a Moyse relatas superiùs defendimus: reliqua in Commentario exegimus.

Viri quidam eruditi objectionem hanc adversùs Authorem hujus Operis nobis proposuerunt. Si alter est Libri Author a Salomone, cur igitur se tamquam Salomonis personam gerens obtrudit? Num Spiritus Sanctus Sacros Authores movet, ut personam alterius mentiantur? Hisce reponimus, Scriptorem hunc, quicumque tandem is fuerit, nihil egisse dolosum & mendax. Prosopopœiam scribit, genus quoddam parabolæ imitatus, quam conciliandæ dictis authoritatis gratiâ, amplissimi alicujus viri personam sumit. Ita mulier illa Thecuitis (y) Davidem alloquens, viduatam se filio simulavit. Propheta Israëlis vulneratum se dixit [z], quòd captivum abire permisisset. Nathan commissum a Davide cum Bethsabee crimen arguens, parabolam advenæ cujusdam ementitur (a); ac tandem familiarissimum est Prophetis, ut Deum, Moysem, Abrahamum loquentes inducant.

Consilium fuit Authori scribenti, ut veræ sapientiæ originem & scopum Paganos doceret. Deperierunt Græci Philosophiam; sed in eâ, qua tenebantur, veri illius Authoris ignoratione, suâ illam industriâ se comparaturos spondebant. Quare Author Sapientiæ donum esse Dei demonstrandum aggreditur. Quid autem Sapientia apud Profanos? Aliis sterilis rerum contemplatio, aliis ad arbitrium præscripta moralis scientiæ disciplina, ipsas aliquando hominum vires superans, quæ erat Stoicorum sapientia: aliis virtus omnino naturalis, vitam ad honesti ac rationis normam dirigens. Authori aliter visum est; nam & Sapientiam proponit supra naturam, & Deum illius finem, ejusque propositum sanctitatem constituit. Idololatriæ dedecora ab ipsâ origine, miserrimas appendices, ejusque comites scelera & confusionem revelans, ipsam destruere nititur. Si homines, & Philosophi potissimùm, ignorationem Dei causentur, illos eo nomine criminis reos dicit, quippe quibus nec Dei ignorationem ullam objicere, neque Creatoris cultum ad Creaturam transferre licet. Tandem contrariam statuit sententiam opinioni Epicuræorum, & Saducæorum, animæ immortalitatem, ac post obitum, judicium, & pœnas ac præmia esse negantium. Ita stilum acuit in præcipuos Philosophorum errores, certum ad philosophiam iter simul demonstrans. Dogmata de peccato originis, de lapsu & pœnitentiâ primi Parentis, de pœnis præmiisque alterius vitæ disertiùs hìc, quàm apud cæteros Veteris Testamenti Libros, traduntur. Præclarum sanè monumentum ad adstruendam vetustatem & veritatem eorum dogmatum apud Judæos.

Sex priora capita, veluti præfatio toti Operi præfixa, novem priora Proverbiorum capita compendio continent; quibus etiam atque etiam urgentur Reges, ut se totos studio Sapientiæ impendant. Septimo & octavo capitibus Salomon [hoc enim nomen Author sumit] exemplo sui ipsius proposito, quam tenuerit viam ad Sapientiam, exponit. Latè proinde persequitur florentissimi Regni sui felicitatem, scientiæ suæ gloriam, quæ omnia ad fidem sunt tertii Regum. Oratio, qua religiosus Princeps ad Deum usus est, dum Regnum iniit (b), paraphrastico stilo recitatur capite IX. Tandem a decimo capite eadem oratio continuâ serie usque ad Libri exitum perseverat; in qua, variis propositis exemplis, vis & utilitas Sapientiæ etiam atque etiam adstruitur; stultorum ac impiorum futura supplicia recensentur, propositis simul Justorum & Sapientum virorum præmiis. Finis Operis deesse videtur, sive quòd ab Authore ad calcem deductum non sit, sive quòd absolutum ab ipso, mutilum ad posteros pervenerit. Neque enim incepta, & ad calcem usque Libri deducta oratio suo termino clauditur, cùm claudendam esse consilium Authoris exigeret.

Prætereunda hìc a nobis est de Authore Libri, & tempore scripti Operis disquisitio, qua de re in peculiari Dissertatione commodiùs agetur. Autographi loco Græcus est, qualis ad nostram usque ætatem perseverat; neque enim scriptum unquam Opus Hebraicè videtur, quidquid Authores nonnulli contendant (c). Nullæ enim, vel saltem raræ in eo Libro Hebraicæ phrases, nullæ ad ingenium linguæ Hebraicæ constructæ periodi. E Profanis etiam quandoque phrases derivantur, uti illæ de Gigantibus in

(x) Genes. XLV, 26.

(y) 2 Reg. XIV, 4, &c.

(z) 3 Reg. XX, 35.

(a) 2 Reg. XII, 1.

(b) 3 Reg. III, 6, 7, 8, 9.

(c) Isid. lib. 1 Offic. c. 2; Lorin. Præf. in Sap. Vide Sixt. Sen. lib. 8 Bibliot. Bellarm. lib. 1, de Verbo Dei, cap. 13.

in aqnis Diluvii demersis [d]; de fluvio Lethes, vel oblivionis (e); de Regno Adis, vel Plutonis (f); de ambrosiâ (g), &c. Non rarò Platonem habuisse præ oculis Author videtur, vel saltem gnaviter se in ejus lectione exercuisse. Stilus rotundus est & tumens epithetis, obscurus tamen quandoque, & nunquam non poeticus. Judæos Opus non latuit, cùm ab eorum Authoribus interdum laudetur; sed e Græcis ad illos derivatum est. Rabbi Moyses filius Nachman (h) laudat *ex magnâ Sapientiâ Salomonis* verba illa capitis VII: *Invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ, &c.* quæ ille verba Syriacè, seu vernaculâ Hebræorum linguâ Jesu Christi ætate, recitat.

Scripturæ testimonia crebrò occurrunt; semper tamen ex Septuaginta. Ita e. g. capite v, 10, 11, 12, 13, vita hominis umbræ comparatur, navi fluctus scindenti, avi aërem fulcanti, sagittæ ad scopum jactæ; quæ omnia desumpta sunt e Proverbiis XXX, 19, quo loco Sapiens ex Septuaginta enumerat quatuor, quæ ipse cogitatione minimè assequitur: *Viam Aquilæ in cœlo, viam anguis super terram, navis in mari, & adolescentis in juventute suâ*: Hebræus autem legit: *Viam viri in adolescentulâ*. Illud [i], *Circumveniamus justum, ne e manibus nostris dilabatur, quoniam inutilis est nobis*, ex Isaia (k) juxta Septuaginta derivatum est: *Alligemus justum, quoniam inutilis est nobis*; cùm Hebræus habeat: *Dicite justo, quoniam bene*. Quæ de plagis Ægypti, nempe de muscis, & scyniphibus ibidem referuntur, e Septuaginta petita sunt. Quæ de Idolis, Capitibus XIII & XIV, omnia totidem ferè verbis recurrunt in Isaia, Jeremia, Barucho, & Psalmis [l].

Latina Vulgata Versio alium habet a S. Hieronymo Authorem; manet etenim ex vetere Vulgatâ, quæ florebat in Ecclesiâ ante S. Doctorem, ab ignoto Authore primis Ecclesiæ sæculis ex Græco adornata. Latinam linguam minùs ille callebat; quare voces adsciscit parum elegantes [m]: *honestatem* ponit pro divitiis; *honestum* pro locuplete; *respectum*, sive *visitationem* pro punitione; *supervacuum* pro adversario, & nocuo; *supervacuitatem* pro gloriæ fuco & jactantiâ. Archetypum religiosè sequitur Interpres, ut verba ipsa reddat, neglectis omnibus orationis ornamentis, ac periodi constructione, uti linguæ Latinæ ingenium postularet. S. Hieronymus in Præfatione ad Libros Salomonis, profitetur, recensuisse quidem se ad veterem Versionem Septuaginta Proverbia, Ecclesiasten, & Cantica; abstinuisse verò a Sapientiâ, & Ecclesiastico. Variantes paucæ sunt in Exemplaribus Græcis, abundant tamen in Latinis, cùm plures oriantur ex Editionibus Complutensi, Antuerpiensi, & Sixtinâ anni MDXC. In Bibliis Clementis VIII, & in Vulgatâ correctæ sunt (n).

Hujus Libri authoritas non æquè semper uno consensu in Ecclesiis recepta est; cùm enim omnes æquè Christiani convenerint iis Libris excipiendis, qui Hebraicè scripti, & in Hebræorum Canonem relati, Synagogâ tradente, ad Ecclesiam, transmissi fuerunt; in cæteris verò Græcè scriptis, uti Sapientiâ, & Ecclesiastico, non una fuerit omnium Ecclesiarum sententia; suspendendum judicium eâ de re censuit Ecclesia, donec post longas meditationes & discussiones veritas in apertum prodiit. Anceps hæc & diuturna Ecclesiæ deliberatio satis probat, non fortuito illam casu nec sine examine sententiam denique protulisse. Librorum primis Ecclesiæ sæculis paucitas, Ecclesiarum inter se distantia, cogendorum Conciliorum difficultas in causâ fuerunt, cur singulæ Ecclesiæ suam retinerent traditionem de hisce Libris probandis rejiciendisque, donec tempore & examine explorata veritas uno omnes consensu & regulâ conciliavit.

Quæ contra hujus Libri authoritatem proferuntur, sunt, I, vix credi posse, Philonem Judæum, cui Opus tribuitur a nonnullis (o), Divinâ inspiratione scribendo usum fuisse; vir enim fuit Judæorum Sacris ad obitum usque addictissimus, a Jesu Christo & Evangelio alienus. II, Ancipites hærent veteres PP. (p), utrùm Librum recipiant; quem proinde ad Authores dubios, & a pluribus Ecclesiis non probatos rejiciunt [q]. Quin & recentiores quidam Interpretes, uti Lyranus hic, & Cajetanus in Esther ad finem, e numero Canonicorum expuagendum censent. III, Deest in canone Judæorum, quos latuisse ante Christum videtur. IV, Ipse suam Liber notam reprobationis exhibet; plura enim offert ex Evangelio, & Scriptis Apostolicis expressa; pugnantia etiam nonnulla cum veteribus Divinisque Scripturis; additiones tandem consultò, uti quidem videtur, appositas. Sed hisce satis respondimus & in Commentario & in hoc Prolegomeno: quæ verò de Philone, ac de locis ex Evangelio, & Libris Apostolicis in Sapientiâ expressis, in Dissertatione de Authore hujus Libri fusè tractabimus. Accusationes falsitatis in hunc Authorem supra diluimus. Modò agendum de Judæis, ac Veteribus quibusdam, apud quos hujus Operis authoritas nutat.

Judæorum authoritas nunquam magni in Ecclesiâ habita est; præsertim recentiorum, quorum livor & prava in Religionem Christianam ac fidem studia exploratissima sunt. Apostoli, quibus sanè major debetur fides, plura ex eo Libro in rem suam deri-

(d) *Sap.* XIV, 6.
(e) *Sap.* XVII, 13.
(f) *Sap.* I, 14: Οὐδὲ ᾅδου βασίλειον ἐπὶ γῆς.
(g) *Sap.* XIX, 20.
(h) *Vide Cornel. a Lapid. Præf. in Sap. pag.* 4.
(i) *Sap.* II, 12: Ἐνεδρεύσωμεν δὲ τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι.
(k) *Isa.* III, 10: Δήσωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστιν.
(l) *Isa.* XLIV, 9; *Jerem.* XI; *Baruc*, VI; *Psal.* CXIII, *vel* CXIV.
(m) *Sap.* XVI, 9; & XIX, 16.
(n) Præcipuas in Comment. in extremâ orâ Codicis adnotavimus.
(o) *Hieron. in Prolog. in lib. Salom. Lyran. Dion. hic; Galatinus lib.* 1 *de Arcan. cap.* 4; *Vives in August. de Civit. lib.* 17, *cap.* 20.
(p) *Athan. in Synopsi; Epiph. lib. de pond. & mensur. Hieron. Prolog. Galeato, & in Zach.* VIII, & XI, & *ep.* CXV.
(q) *Jo. Damasc. lib.* 4 *de Fide Cath. cap.* 28; *Melito, epist. ad Onesim. Orig. in Ps.* LI; *Euseb. lib.* 4 *Hist. Eccles. cap.* 28; & *Laodicena Synod. Athan. Epist. Festal. Gregor. Nazian. Cyril. Jerosolym. &c.*

derivarunt (r); e quibus potiùs deductum esse quidquid in Sapientiâ legitur, nonnisi gratis, & repetito, ut ajunt, principio asseritur. Ex Apostolis autem ad Fideles Liber ille devênit, acceptusque ab Ecclesiâ veluti Divinum depositum, servatus semper, & tamquam Scriptura Divina habitus est. Testimonio quorumdam Veterum, de authoritate ejus ambigentium, turbam opponimus Scriptorum omnis ætatis, unanimi consensu hunc Librum inter Libros Canonicos cooptantium [s]. Tandem, ut aliquorum scrupulos evellamus, qui ex Antiquitatis dubitatione sibi etiam in eâ reducunt ambigendum, afferimus in medium Concilium Carthaginense III, anni CCCXCVII, Sardicense anni CCCXLVII, Constantinopolitanum Trullense, anni DCXCII, Toletanum XI, anni DCXXV, Florentinum anni MCDXXXVIII, & Tridentinum sessione IV, apud quæ in canone Divinarum Scripturarum suus est Libro Sapientiæ locus. Inter Veteres PP. nemo fermè hunc illaudatum prætetit; quorum alii genuinum Salomonis, alii Prophetæ alicujus, omnes tamen Sacri Authoris opus censuerunt. Potest hic revocari argumentum a præscriptione deductum; neque enim fas est adversarios accusantes contra receptam tot sæculorum consuetudinem admittere. Ostendant illi contra nostrum jus monumenta, siqua habent; falsi arguant, damnent tot Concilia, tot Authores Ecclesiasticos sapientissimos æquè ac doctissimos, qui nostram sententiam tuentur. Adversùs illos priùs quàm adversùs nos causa agenda est.

Prophetica etiam oracula in hoc Libro expressa, & a Patribus agnita, authoritatis ipsius monumentum sunt apertissimum. Eorum loco haberi possunt ea, quæ de futuro Idololatriæ excidio [t], & de Judicio Dei in impios [u] ibidem leguntur. Quod tamen maximè Doctores, ac Veteres etiam Patres detinuit, oraculum est de supplicio Justi (x), ita luculentum, ut ipsam penè Dominicam Passionem oculis subjicere videatur; quod sanè adeò apertum futuri oraculum Grotio visum est, ut adjectum ab aliquo Christiano post obitum Servatoris crediderit. Nihil tamen est, cur hujus Scriptoris suspicio aliquid apud Lectores valeat, cùm totius Libri orationi Oraculum illud summè cohæreat. Sanè aliter Patribus creditum est (y), testimonium illud, vel oraculum in Jesu Christo impletum adversùs Judæos atque Ethnicos objicientibus.

Neque a Rabbinis hic Liber planè rejicitur. Ex eo testimonium in Præfatione ad Pentateuchum a Moyse filio Nachman laudatum esse, superiùs diximus; & Joannes Picus Mirandulanus [z] narrat, apud Judæos legi consuevisse Librum *Sapientiæ* Hebraicum, Opus, ut illi quidem censent, e medullâ Legis Mosaicæ a Salomone deductum: sed illud satis a nostro differt. S. Isidorus (*), Sixtus Senensis (§), Christophorus a Castro, Consalvus Cervantes, Joannes Lorinus in suis Præfationibus ad hunc Librum contendunt, scriptum priùs Hebraicè Librum, deinde a Septuaginta Græcæ linguæ traditum fuisse. Sed horum opinio longiùs, quàm par est, excurrit. Hebræi hunc Librum legunt e Græcâ in Hebraicam linguam translatum; & bonâ fide agnoscendum est, nunquam in Canone Hebraico recensitum fuisse.

DISSERTATIO

DE AUTHORE LIBRI SAPIENTIÆ.

Si tota hujus rei controversia inter Catholicos Authores, de authoritate Libri nihil ambigentes, verteretur, non esset planè, cur operosiorem eâ de re Dissertationem institueremus, quàm quæ a nobis antea, de authoritate plurium Sacrorum Librorum ab Ecclesiâ æquè ac ab Heterodoxis probatorum, quamvis Scriptorem habeant dubium, & incognitum. Ut enim scriptum esse Spiritu Sancto Authore Librum aliquem utraque pars fatetur, non est cur negotium fieri debeat de certo organo & instrumento, quo Deus usus est. Verùm eam agitamus quæstionem, in qua plures de Scriptore Operis potissimùm disputare idcirco aggrediuntur, ut ejus authoritatem oppugnent; & nomen Authoris minuere conantur, ut apocryphi notam Libro inurant. Horum audaciæ ut occurramus, hac Dissertatione suscipimus demonstrandum, Librum Sapientiæ, quamquam ignoto Authore scriptum, suam tamen obtinere

(r) Confer Matth. XIII, 43: *Justi fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum*; cum Sap. III, 7: *Fulgebunt Justi, & tamquam scintilla in arundineto discurrent*. Et Matth. XXVII, 43: *Confidit in Deo, liberet nunc, si vult, eum; dixit enim: Quia Filius Dei sum*; cum Sap. II, 18: *Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum*. Et Rom. I, 20: *Invisibilia enim ipsius per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, &c.* Sap. XIII, 1: *Vani autem sunt homines, in quibus non subest scientia Dei, &c.* Rom. XI, 34: *Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? &c.* Sap. IX, 13: *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? &c.* Ephes. VI, 13, 16, 17: *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, &c.* Sap. V, 18, 19: *Accipiet armaturam Zelus illius . . . induet pro thorace justitiam, & pro galeâ judicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem*. Hebr. I, 3: *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, &c.* Sap. VII, 26: *Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine maculâ Dei Majestatis, & imago bonitatis illius*.

(s) *Vide Lorinum Præfat. in hunc Librum, Corn. a Lap. P. Alexan. in V. T. Lib. 2.* (t) *Sap.* XIV, 13. (u) *Sap.* V, 1, 2, 18; & VI, 6, 7. (x) *Sap.* II, 13, 14, &c. (y) *Tertull. contra Marcion. Libr.* 3; *Clem. Alex. Strom. lib.* 5; *Lact. lib.* 4, *cap.* 16; *Cypr. de Sion, & Sina*; *Ambros. lib.* 2 *Offic. c.* 6, & 7; *Author Oper. imperf. in Matth. hom.* 43; *Cyril. in Isai.* LIX; *Aug. de Civit. Dei, lib.* 17, *cap.* 20; & *lib.* 12 *contra Faust. c.* 44.

(z) *Præfat. in Heptapla apud Cornel. hic.*

(*) *Offic. lib.* 1, *c.* 12.

(§) *Biblioth. lib.* 8, *hær.* 9.

tinere inter cæteros Sacræ Scripturæ authoritatem.

Pluribus Catholicis Scriptoribus non alium hujus Libri Authorem quærendum esse visum est, quàm Salomonem, a quo, inquiunt, Hebraicè scriptus, a Septuaginta unà cum cæteris ejus Authoris, Græcè redditus est [a]. Sub ejus nomine frequenter a Priscis PP. laudatur (b); neque alium fermè præseferr titulum apud Græcos. Non aliam sanè personam, quàm Salomonis, sustinet ubique Author, ut apertiùs se prodar in hoc Opere Salomon, quàm in cæteris Libris (c). Constat etiam inter omnes, indignum non esse Opus viro sapientissimo, atque eruditionis gloriâ insigni; neque a Salomonicis abludere ejus axiomata, & sententias. Si Græcum tantummodò Libri Exemplar manet, non statim colligendum est, inquiunt hujus sententiæ patroni, nunquam Hebraicè scriptum fuisse. Quot enim supersunt hodie Libri in alium sermonem translati, quorum archetypus periit? Quot insuper Libri, certo Authori sine controversiâ deputati, obscuriores exhibent genuini Scriptores notas, quàm quæ hunc Librum Salomonis esse demonstrant? Hæc probabiliora sunt hujus sententiæ argumenta.

Quibus reponimus, fieri minimè potuisse, ut genuinus Salomonis Liber, & ex Hebræo a Septuaginta in Græcum translatus adeò Judæos latuerit, ut nullum habeat in eorum canone locum. Quis autem se vidisse Exemplar illius Hebraicum unquam dixit? Ne verbum quidem eâ de re apud Interpretem. Latuit in eâ linguâ Josephum, Philonem, S. Hieronymum (d). Facilè igitur nunquam Hebraicè scriptum fuisse credimus; cùm præsertim phrases, stilus, & cætera omnia nihil Hebraicum, Græcum verò plurimùm sapiant. Testimonia Scripturæ e Septuaginta laudantur, ac recitantur loci quidam decerpti e Libris diu post Salomonem scriptis. Nonnisi autem temerè accusantur Judæi, quòd Textum Hebræum suppresserint odio Christianorum, hujus Libri authoritatem ipsis objicientium, ut illos arguerent illatæ Jesu Christo necis, qua oracula in eo Libro tradita implebantur. Res enim ardua est, ac vix cuilibet persuadenda, sententia scilicet sexcenties eversa, & difficiliùs defendenda, quàm ea quam hac responsione firmare conantur. Fac voluisse Judæos, an potuissent? fac potuisse, quid profecissent, reliftâ Græcâ ejusdem Operis Versione unà cum aliis pluribus Scriptis, quibus nihilominùs luculenter Religionis nostræ veritas adstruitur?

Patrum authoritas unici est quidem momenti ad veritatem fidei, & authoritatem alicujus Libri asserendam; at in eâ re opus est, ut unus sit, & constans illorum assensus; cùm verò de aliquâ criticâ veritate res est, maximè si in varias sententias abeant, non est cur de eorum authoritate fieri præjudicium debeat. In hac quæstione, neque una est Veterum neque satis constans sententia: aliqui enim abjudicant a Salomone opus (e); alii ambigunt; nemo satis constanter rem asserit. Laudant illi pro recepto in Ecclesiam more *Librum Sapientiæ Salomonis*; quo generico nomine non modò Proverbia, & Ecclesiastem, sed & hunc Librum, & Ecclesiasticum intelligunt [f]. Titulus Græcorum Exemplarium nullo validiori est argumento, quàm ipsum Salomonis nomen ab ipso sibi Scriptore in Opere vindicatum. Solemne erat Antiquis, Libris suis nomen illius inscribere, cujus personam in eo Libro loquentem inducebant: ita Platonis Dialogi præseferunt nomina Socratis, Timæi, Protagoræ; & Ciceronis Liber de claris Oratoribus nomen Bruti; alter ipsius Liber nomen Hortensii; ac tandem Xenophon Librum suum, quo optimum Principem instituit, Cyrum, (cujus potissimæ sunt in Libro partes) inscripsit. An proinde hisce Authoribus deputandus est Liber, non Platoni, Ciceroni, & Xenophonti, qui Lucubrationibus suis externa nomina indiderunt? Testatur apertissimè S. Hieronymus, nomen Salomonis adscititium esse Libro, & mutuatum (g).

Quæ in Libro apparet cum sententiis & stilo Salomonis similitudo, nedum ipsum Sapientiæ Scriptorem non fuisse, sed alterius omnino ingenii fœtum esse hunc Librum probat. Neque enim Princeps disertissimus e suis libris sententias excerpsisset, nec alibi scripta repetere voluisset; nunquam etiam potuisset locos ex Isaia, & Jeremia laudare, utpote hisce Prophetis vetustior (h). Manet tamen apud nos eadem Operis æstimatio eademque authoritas; faremur, illum suo titulo, nempe Sapientiâ Salomonis, non esse indignum; quin & parenti fœtum tribuimus longè illustriori & sapientiori, scilicet Spiritui Sancto, Authorem Operis afflanti, quemadmodum & Salomoni scribenti præsto fuit. Prætereundas hic censeo, id quod alibi animadversum est, phrases profanas, quibus Opus aspergitur, ut de Rege Ade, vel Plutone, de ambrosiâ, &c. quæ porrò fabellæ Salomone recentiores videntur; quemadmodum & eamdem recentiorem ætatem sapiunt ea, quæ de roseis corollis leguntur capite II, 8 [i].

S. Augustini ea fuit sententia, ut Author scripti Operis idem haberetur ac Ecle-

(a) *Sixtus Senen. Bibl. l.* 8, *heres.* 9; *Christoph. a Castro hic*; *Consal. Cervantes, Præf. in lib. Salom. Roger. lib. de lib. canon. c.* 24; *Salmer. t.* 1, *Proleg.* 8.

(b) *Tertul. de Præscript. c.* 7; *Cypr. de testim. lib.* 3, *c.* 15, 52, 58; *Ambr. de Parad. c.* 7; *Hilar. in Psalm.* CXXVII; *Clem. Alex. Strom. lib.* 6; *Origen. de Princip. l.* 1; *Athan. in Synop. Basil. lib.* 5 *contra Eunom. cap. penultimo. Vide Cornel. a Lapid. & Lorin. hic.*

(c) *Sap.* VII, 1, *&c. &* IX, 7, *&c.*

(d) *Epist. ad Paul, seu Prologo Galeato*: *Apud Hebræos nusquam extat; & ipse stilus Græcam eloquentiam redolet.*

(e) *Hieronym. in Prologo Galeato.*

(f) *Aug. de Civit. lib.* 17, *cap.* 20: *Alii duo, quorum unus Sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo, non autem esse ipsius, non dubitant doctiores.*

(g) *In Prologo Galeato*: *Alius ψευδεπίγραφος, hoc est, falsò inscriptus, qui Sapientia Salomonis inscribitur.*

(h) *Confer Sap.* III, 14, *cum Isa.* LVI, 4; *& Sap.* IX, 13, *cum* XL, 13; *& Sap.* XIII, 11; *&* XIV, 8, *cum Jerem.* XI, 3, 4, 5, *& Baruc,* VI, 3, *&c.*

(i) Vide *Tertull. de coron. Militis, cap.* 9, qui phrases esse recentiores censet Isaiâ, & captivitate Babylonicâ;

clesiastici, nempe Jesus filius Sirach [k]: brevi tamen errorem sensit; cujus palinodiam canens [l], fatetur multò probabiliùs alium a Jesu filio Sirach Authorem fuisse Libro Sapientiæ; nil tamen eâ de re ulteriùs addit. Alibi tamen (*) apertè negat, Salomonis esse. Sed extra controversiam ponit idem Augustinus, huic Libro, & Ecclesiastico, Authorem fuisse Divino Spiritu afflatum [m]: *Quoniam in authoritatem recipi meruerunt, inter Prophetas numerandi sunt.* Alibi verò scribit, veteres Ecclesiasticos Authores, temporibus Apostolicis proximos, authoritate hujus Libri usos fuisse, veluti divinitùs scripti Operis; quare, inquit, probandus omnino est Liber, & e Canone Scriptorum Sacrorum minimè expungendus (n).

S. Hieronymus in Prologo Galeato tradit: *Nonnulli Scriptorum Veterum hunc esse Philonis Judæi affirmant.* De hac sententiâ varium fuit variorum judicium; aliqui enim uti perniciosam, qua Divini Operis authoritas evertitur, rejecerunt [o]; quippe quæ Authorem Libri facit Judæum hominem, nullo Dei Spiritu scribendo afflatum; alii verò eam prorsus amplexi sunt (p): at major illorum pars hunc Philonem, de quo S. Hieronymus, vetustiorem fuisse suspicantur altero Judæo Philone, scriptis Lucubrationibus notissimo (q). Plures enim hujus nominis viros distinguunt; primum Ptolemæo Philadelpho coævum, & e numero, uti quidam ferunt, Septuaginta Interpretum; alterum, quem Biblium Josephus & Eusebius appellant; tertium, qui sub Philonis Judæi nomine celebratur: quartum denique, Authorem Libri de Animâ, de quo in Libro *Juchasim*, qui sub secundo Templo florebat.

Primi Philonis cùm nulla apud Veteres sit mentio, nihil est cur ejus ætas ad Philadelphi & Septuaginta Interpretum tempora statuatur; facilè enim nec eo, nec alio quovis tempore inter homines fuit. Alter Philo Biblio oriundus, religione erat Ethnicus, ac vertendæ e Phœnicio in Græcum Historiæ Phœnicum operam impendit [r]. Apud Josephum eodem in censu habetur (s) ac Demetrius, & Eupolemus; ambo verò cùm a Sacris Hebræis alieni essent, neque satis nosse eorum Libros, neque populi historiam callere potuerunt. Porrò talis Vir scribendo Operi sacro & prophetico ineptus omnino fuit. Superest ergo Philo Judæus Alexandrinus, primo Ecclesiæ sæculo in vivis agens, qui pro Judæis Alexandrinis ad Imperatorem Caligulam legatione functus est anno Æræ XL. Plura in primo ætatis flore scripsit: at deinde rebus Gentis suæ gerendis occupatus, operam non sanè inutilem illis impendit. Eusebio & S. Hieronymo authoribus (t), cùm ille secundâ legatione ad Claudium Imperatorem fungeretur, amicitiam cum S. Petro iniit. Quin, si fides sit Photio, Christianis mysteriis initiatus est; quamquam postea ob aliqua dissidia Religionem deseruit. De hoc viro tamquam sui temporis amplissimo agit Josephus [u]; ejusque Scripta perspicuitate & nitore stili maximè laudantur. Allegorias in interpretatione Scripturarum sectatur; quam deinde regulam Veteres PP. Ecclesiæ imitatos fuisse, cùm Libros Sacros allegoricâ ratione exponerent, Photius animadvertit [x]. Sed quæ de Religione Christianâ Philonis, uti & de consuetudine ipsius cum S. Petro feruntur, fabellæ loco ab Eruditis nostræ ætatis habentur.

Quò plenior totius controversiæ cognitio habeatur, utrùm scilicet Philo iste Librum Sapientiæ scripserit, quatuor hæc potissimùm spectanda sunt. I, An in præceptis, axiomatis, & sententiis conveniant. II, An idem sit utriusque stilus. III, An in toto Libro aliquid contrarium naturæ Philonis, ejusque ætati appareat. IV demum animadvertendum est, cujus sint authoritatis Scriptores, qui huic Authori Opus deputant. Nunc de singulis singillatim.

Author Libri Sapientiæ Deum exhibet rerum omnium Authorem, & conservatorem, justitiâ & sapientiâ præstantem, qui omnia æquè providentiâ suâ curat; Deum qui nihil præter hominum felicitatem quærit, qui justos omnes & vacuos crimine creavit; qui invitus penè ob eorum pravitatem, atque exuberantem jam nequitiam ad ultionem impellitur; cui vera debetur Sapientia; qui nedum bona universa in se continet, sed & in alios vix rogatus effundere gaudet. Consonat prorsus Philo; sed cùm Judæum Authorem hæc eadem sentire Religionis suæ instituto par sit, nihil est cur in conferendis ejus locis operam inutilem ponamus.

Hominum anima, juxta Sapientiæ effatum, immortalitate prædita est, quæ corruptibili corpori conjuncta, ejus pondere fatiscens, ad terram frequenter trahitur (y). Æternæ illa quidem felicitatis capax est; sed criminum causâ interdum supplicia in se & mala sine carentia provocat. Si Creatoris ignorationem prætendat, nulla sanè causatio est; cùm ex agnitis Creaturis nullo negotio ad Creatoris cognitionem perveniatur [z]. Paria legas apud Philonem de homine, corpore tamquam indumento seu veste aliquâ amicto (a); verùm, ait, Sapientis anima virtutibus tamquam clamyde palu-

(k) *De doct. Christ. l. 2, c. 8: Illi duo Libri, primus qui Sapientia, alius qui Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur; nam Jesus filius Sirach eos scripsisse constantissimè perhibetur.*

(l) *Retract. lib. 2, cap. 14.*

(*) *De Civit. lib. 17, cap. 20.*

(m) *De Doctr. Christ. l. 2, c. 6.*

(n) *Id. de præd. c. 13: Quem sibi anteposuerunt etiam temporibus proximis Apostolorum egregii Tractatores, qui eum testem adhibent, nihil adhibere nisi Divinum testimonium crediderunt.*

(o) *Jacobus Faber Vien. ep. apud Lorinum, præf. cap. 2.*

(p) *Ita Lyrhic; Galat. de arcan. Cath. Fidei, lib. 1, c. 4; Vives, in lib. 17, c. 20, August. de Civit. & alii quidam.*

(q) *Ita Dried. de Eccles. dogm. lib. 1, c. 4; Michaël Medina, de rectâ in Deum fide, lib. 6, c. 12; Genebr. ad ann. 3860; Pamel. in notis ad S. Cyprian. de Mortal. n. 43; Canis. de locis, lib. 2, c. 11; & alii passim.*

(r) *Euseb. Præpar. lib. 1, c. 6.*

(s) *Lib. 1 contra Appion.* Οὐ γὰρ τινῶν αὐτοῖς μετὰ πάσης ἀκριβείας τοῖς ἡμετέροις γράμμασι παρακολουθεῖν.

(t) *Euseb. Hist. lib. 2, c. 17; Hieron. de Script. Eccles. cap. 11.* (u) *Lib. 8, cap. 10.* (x) *Cod. 105.* (y) *Sap. ix, 15.* (z) *Sap. xiii, 1, &c.* (a) *Philo de Profugis*: Ἡ δὲ ἐπὶ μέρους ψυχὴ τὸ σῶμα. Ἡ δὲ τοῦ σοφοῦ διάνοια, τὰς ἀρετάς. *Vide & de confus. linguar. pag. 259, E, F.*

paludatur. Alibi verò scribit venisse nos in Mundum tamquam peregrinos, & Sapientem ita in corpore, & in terris agere, quasi in alienam regionem venerit; Cœlum enim uti veram patriam suam habet (b).

Alibi (c) duo animarum genera distinguit, quemadmodum & geniorum, nempe Angelos bonos & malos. Scatet, ex Authoris sententiâ, aër totus hisce Spiritibus, sive Geniis utriusque naturæ; quorum alii in corpora descendunt, alii verò plurimùm a corpore abhorrent. Porrò ex iis, qui in corpora illabuntur, eamque veluti sedem sibi constituunt, alii sublimi quadam philosophiâ exculti, semper corporis resolutionem meditantur, ut scilicet vitam sibi promereantur incorruptam & æternam; alii verò pondere carnis oppressi, studium negligunt Sapientiæ, totosque se casu duci sinentes, in corpora & res sensibus obnoxias seu vanas, in jactantiam & divitias rapiuntur. Hæc Authoris sententia cum Authore Sapientiæ (d) convenire videtur, ubi Salomonis personam agens, ait Sapiens: *Sortitus sum animam bonam; & cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*. Constituisse hic sibi Author videtur animarum præexistentiam, quarum aliæ bonæ, aliæ malæ sint, non naturâ & necessitate, sed arbitrio & voluntate. Porrò idem sensisse Philo in locis laudatis certò nobis persuademus.

Laudes in Sapientiam apud Authorem Libri collatæ, ipsissimæ in Philone recurrunt. Hanc enim Philo dono a Deo concessam animabus ab ipso ortu in bonum inclinatis, atque contemplationi vacantibus asserit (e). Addit, prodiisse illam ante omnia sæcula (f): quippe quæ cùm Mundus crearetur, ministerium suum exhibuerit (g); quare Deus universi pater est, inquit, materque Sapientia. Sapientes uni regnum, & jus in populos merentur (h); solique verè divites censendi sunt (i). Nihil nisi divinum, ait, in Sapientiâ, nihil acquisitu facilius; semper enim optantibus præsto est, neque ullo unquam tempore palæstram claudit (k); sed auditores quoscumque & quolibet tempore libens amplectitur, atque institutionibus juvat. Sapientia suavitate suâ, & puræ doctrinæ liquore omnes inebriat; omnes ad potandam scientiam invitat; omnes, ut bona interminabilia comparent, etiam atque etiam hortatur. Reges monet Philo, ut cæteris præstare potissimùm Sapientiâ nitantur (l), in eâque unicè gloriam suam & felicitatem constituant. Juvat Principem non humana tantùm, sed & divina callere, ut in medio populi tamquam lex animata observetur (m). Hæc totidem ferè verbis in Principe optimo apud Sapientem descripto recurrunt.

Author Sapientiæ de Verbo Dei sic agit, quasi de re ab eo, a quo prodit, & a quo mittitur, distinctâ. Virtute pollet summâ & supernaturali. Hoc Verbo nutritos asserit Israëlitas in deserto (n); hoc amuleto vulnera serpentum curata sunt (o); ejus gladio primogeniti Ægyptiorum extincti (p); ejus tandem ministerio omnia e nihilo prodierunt (q). Hisce simillima fert Philo, ut idcirco plures censuerint, habuisse illum luculentam Verbi Divini cognitionem, quo de verbo S. Joannes initio Evangelii agit. Nec defuerunt qui crederent, ipsum Evangelistam doctrinam suam & phrases ex eodem Philone hausisse. Itaque tradit, Verbum Divinum, humanis obtutibus minimè obnoxium, omnia condidisse, veramque esse Dei imaginem (r). Addit alibi, Verbum longè mundum universum excedere, ac vetustate & amplitudine creaturas omnes superare (s). Per ipsum divisa sunt & separata elementa (t), & variæ materiæ Universi portiones in suos ordines, certaque loca distributæ. Subdit, Verbum e Deo genitore prodiisse; idemque & Orbem universum produxisse, & in universa Mundi regna imperium exercere (u). De Isaaco agens scribit, illum nunquam a debitâ in Deum fide recessisse, sed Verbo Divino mediatori adhæsisse; quod scilicet Verbum ad nos se demittens, nos etiam edocet id quod optimum est, & quid in singulis rerum articulis facto opus sit: Deus enim, inquit, non dedignatus sensui se ingerere, suum Verbum auxiliare mittit virtutem amantibus (x).

Alterius vitæ supplicia & præmia, & justorum merces & gloria conceptis verbis traduntur in Sapientiâ, v, 2; nec minùs disertè apud Philonem (y). Tradit enim Philo, elementa, aërem, ignem, aquam simul in ultionem impiorum conspirare. His rebus, quas Deus in usum hominum destinaverat, utitur ad debitam pro vitio ingrati animi, & pravitate illorum ultionem (z). De Caino agens ait, homines arbitrantes corporis mortem ultimum esse malorum, nihil cogitare de eo, quod subeundum illis superest coram terribili supremi Judicis tribunali; cùm mors ceu velitatio quædam futuræ cladis habenda sit. Quænam verò clades illa, & supplicium? jugis mors,

per

(b) *Ita de Agricult. pag.* 153: Μετὰ παῤῥησίας λεκτέον ὅτι παροικεῖν, ἢ κατοικεῖν ἦλθομεν. Τῷ γὰρ ὄντι πᾶσα μὲν ψυχὴ σοφῦ, πατρίδα μὲν ὀρανὸν, γῆν δὲ ξένην ἔλαχε, ἢ νομίζει τὸν μὲν σοφίας οἶκον ἴδιον, τὸν δὲ σώματος ὀθνεῖον. *Vide lib. de somniis pag.* 459.

(c) *De Gigant. pag.* 222, & 223, *Edit. Petri de la Roüere, anno* 1513, *Geneva. Vide & De Confus. ling. pag.* 270, *C. D.*

(d) *Sap.* VIII, 19, 20.

(e) *Philo de Profugis*: Τῷ γὰρ ὄντι τὴν αἰθέριον σοφίαν ὁ Θεὸς ἴσαις εὐφυίαις, ἢ φιλοθεάμοσι ἄνωθεν ἐπιψεκάζων διανοίαις.

(f) *Philo de Temulentiâ, pag.* 200, *D.*

(g) *Idem, Quòd deterior potiori insidiari soleat, pag.* 128: Πατέρα μὲν τὸν γεννήσαντα κόσμον, μητέρα δὲ τὴν σοφίαν, δι' ἧς ἀπετελέσθη τὸ πᾶν, &c. *Vide de Cherit.*

(h) *Idem de Agricult. pag.* 150.

(i) *De plantatione Noë, p.* 174.

(k) *Quòd omnis probus liber.*

(l) *De Temulentiâ, pag.* 200.

(m) *Idem de Vitâ Mosis, lib.* 2: Ὡς ἰσῶς εἶναι τὸν μὲν βασιλέα νόμον ἔμψυχον. Τὸν δὲ νόμον βασιλέα δίκαιον. (n) *Sap.* XVI, 26. (o) *Sap.* XVI, 12. (p) *Sap.* XVIII, 15. (q) *Sap.* IX, 1. (r) *Philo de Mundi Opific. pag.* 5: Τὸν δὲ ἀόρατον ἢ νοητὸν Θεῖον λόγον, ἢ Θεῦ λόγον, εἰκόνα λέγει Θεῦ. *Et alibi passim.* (s) *Idem lib.* 2 *Legis Allegor. p.* 72. Ὁ λόγος δὲ τῦ Θεῦ ὑπεράνω παντός ἐςι τῦ κόσμυ, ἢ πρεσβύτατος, ἢ γενικώτατος τῶν ὅσα γέγονε. (t) *Idem, Quis rer. divin. hæres*: Ὁ Θεὸς ἀκονησάμενος τὸν τομέα τῶν συμπάντων αὐτῦ λόγον, διαιρεῖ τὸν ἄμορφον, ἢ ἄποιον τῶν ὅλων οὐσίαν, &c. (u) *De opif. Mun. pag.* 3. (x) *De somn. pag.* 448: Ἀλλὰ τῷ μέσῳ λόγῳ θείῳ ἐκ ἀρίςα ὑφηγεμένῳ, ἢ ὅσα πρόσφορα τοῖς καιροῖς ὑφηγήσαντι. Οὐ γὰρ ἀπαξιῶν ὁ Θεὸς εἰς αἴσθησιν ἔρχεσθαι τὺς ἑαυτῦ λόγυς ἐπικυρίας ἕνεκα τῶν φιλαρέτων ἀποςέλλει. (y) *De profugis, pag.* 269; *de Confus. ling. pag.* 204. (z) *De Vitâ Mosis, lib.* 1, *p.* 478.

per singulas æternæ vitæ periodos continuata (a): mors semper permanens, & mors, ut ita dicam, immortalis. Duo enim sunt mortis genera: corporea, quæ in medio est, atque in bonam, sive deteriorem partem trahenda: altera, qua quis vivens semper moritur, summum planè malorum reputanda.

Docet alibi, impios vel productâ ad extremam senectutem vitâ nunquam non mortuos esse; Justos vicissim vel præsenti defunctos vitâ, vivere semper vitâ perpetuâ, & minimè desiturâ. Ejus rei exemplum exhibet in Nadab & Abiu filiis Aaronis, qui in primo ætatis flore decedentes, immortalitate, & incorruptâ coram Domino vitâ fruuntur (b). Addit alibi, diuturnam vitam non annorum numero, sed actis in justitiâ, & probitate diebus constitui (c); quæ sanè phrases omnes cum Sapientiâ [d] conveniunt, ubi hæc leguntur: Non crines cani, sed vita ab omni crimine immunis, & animi candor senem virum efficiunt; sibi carum hominem in primâ ætatis juventâ e mundo revocavit Deus, ne quid corruptionis referret: denique qui vitam agit perfectam, ille omnia senilis vitæ bona possidet.

Quæ legimus de idololatriâ apud Sapientiam toto Capite XIII & idolorum cultoribus, adeo similia sunt iis, quæ a Philone initio Libri de Monarchiâ disputantur, ut eadem in mente agitasse uterque Scriptor, sive alter ex altero hausisse videri possint. Uterque enim hominum stultitiam pingit, quippe qui Dei nomen astris concesserint, cùm possent mente supra res creatas erectâ ad ipsum Creatorem, & Moderatorem ascendere. Locus est etiam apud Philonem [e] simillimus Sapientiæ XV, 15, ubi Numinum imbecillitas penè oculis subjicitur, quæ oculis, auribus, manibus, & pedibus instructa, vitæ tamen functionibus peragendis prorsus inepta sunt. Infiniti essemus, si locos singulos in utroque similes congerere conaremur: sed satis attulimus, ut de utrinsque consensu judicium feratur.

Modò de historiis in Libro Sapientiæ recurrentibus, quæ Moysis fidei repugnantes videntur, nonnulla animadvertenda sunt. Philo de Josepho agens, tradit, illum a Rege Ægypti constitutum *Proregem, sive, ut meliùs dicam, Regem (f)*. Et plagas Ægypti describens tradit (g), in regione supra Memphim nunquam Cœlum pluere, nec hyeme unquam horrere. Quare, ait, nova aëri facies inducta ipsaque natura mutata est, cùm jussu Moysis omnia fragoribus, fulminibus, imbre, & grandine inhorruerunt: & quod maximo fuit prodigio, neque imbres ingruentes ignem fulgurum extinguebant, neque fulminum ignes grandinem liquabant [g]. Paria Sapientiæ Author observat (h).

Notat Philo (i), toto triduo tenebrarum Ægypti ignem accendi ob turbinum densitatem non potuisse; quod item legas in Sapientiâ, XVII, 5. De Mannâ simillima utrimque; illam enim non hominum industriâ, sed cœlitùs demissam escam describit Philo [k]; qui addit [l], mannâ significari Divinam Sapientiam, & Dei Verbum seu præceptum e Cœlo missum: quæ sanè congruunt cum verbis Moysis, docentis, non solo pane vivere hominem, sed etiam verbo Dei. Vestes Summi Sacerdotis figuratâ & allegoricâ interpretatione explicans, totum in illis Universum exprimi unà cum Authore Sapientiæ observat [m]. Vestes enim omnes simul mundum, singulæ verò varias ipsius partes indicant. *Poderes*, sive tunica hyacinthina, colore suo aërem exhibet; malogranata limbum ipsius ornantia, aquam; flores, terram; tintinnabula, harmoniam ex œconomiâ partium Mundi, & bene dispositis rebus expressam. Desunt quidem hæc in Hebræo præter poma granata, & tintinnabula; sed Philo fidem Septuaginta sequntus est (n). Hæc explicatio sunt eorum, quæ Sapiens brevioribus verbis, capite XVIII, 24, scripta reliquit: *In veste poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum.*

Animadversione plurimâ dignum est, Philonem verba ipsa Sapientiæ nunquam recitare; id quod sanè servasset, si e Sapiente sententias referre, vel eum uti alienum Authorem sequi voluisset. Eædem sunt apud utrumque sententiæ, ordo, cogitandi ac disceptandi ratio, quamvis diversa sint verba; quemadmodum solent Authores, qui easdem res suas variis in lucubrationibus exprimunt. Hæc itaque spectasse eos credimus, qui de Philone, atque Authore Sapientiæ unum eumdemque Scriptorem fecerunt.

Profectò stili inter utrumque Authorem discrepantia validissimo est argumento, ut al-

(a) *De Præm. & pœn. p.* 713: ζῆν ἀποθνήσκοντα ἀεὶ, καὶ τρόπον τινὰ θάνατον ὑπομένειν, καὶ ἀτελεύτητον.

(b) *De profug. pag.* 358: Καὶ ζῶντες ἔνιοι τεθνήκασι, καὶ τεθνηκότες ζῶσι. Τοὺς μέν γε φαύλους ἄχρι γήρως ὑστάτου παρατείνοντας, νεκροὺς ἔλεγεν εἶναι.... τοὺς δὲ ἀστείους, καὶ τῆς πρὸς σῶμα κοινωνίας διαζευχθῶσι ζῆν εἰς ἀεὶ ἀθανάτου μοίρας ἐπιλαχόντας, &c. *Vide & Quis Divin. Rer. hæres.*

(c) *De Abraham:* Οὐ γὰρ ἀληθείᾳ πρεσβύτερος, οὐκ ἐν μήκει χρόνου, ἀλλ' ἐν ἐπαινετῷ βίῳ θεωρεῖται. *Et lib. Quis rer. Divin. hæres, pag.* 522.

(d) *Sap.* IV, 7, 8, 9.

(e) *De Decalogo, pag.* 754, 755, *A. Edit. Paris.*

(f) *De Joseph. pag.* 424: Εἶτ' αὐτὸν καθίστησι τῆς βασιλείας διάδοχον, μᾶλλον δὲ, εἰ χρὴ τ' ἀληθὲς εἰπεῖν, βασιλέα.

(g) *Philo de Vitâ Mosis, lib.* 1, *pag.* 481: Ἐξαίφνης οὕτως ἐστείρισεν ὁ ἀὴρ, ὥσθ' ὅσα ἐν τοῖς δυσχειμέροις ἀθρόα κατασκῆψαι, φορὰς ὑετῶν.. Συνεχεῖς κεραυνοὶ, οἱ τερατωδεστάτην ὄψιν παρείχοντο. Θέοντες γὰρ διὰ τῆς χαλάζης, μαχομένης οὐσίας, οὔτε ἔτηκον αὐτὴν, οὔτε ἐσβέννυντο, &c.

(h) *Sap.* XVI, 18; XIX, 20.

(i) *De Vitâ Mosis, lib.* 1, *pag.* 482: Καὶ γὰρ τοῦ χρησμώδους πυρὸς τὸ φέγγος, τὸ μὲν ὑπὸ τῆς κατεχούσης ζάλης ἐσβέννυτο, τὸ δὲ τῷ βάθει τοῦ σκότους ἀμαυρούμενον ἐνηφανίζετο.

(k) *De congress. quær. Erudit. gratiâ:* Οὐκ ἐκ γῆς, ὡς ἔθος, ἀναδοθεῖσαν, ἀπ' οὐρανοῦ δὲ τεράστιον ἔργον ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῶν χρησομένων παρασχομένων.

(l) *De profug. pag.* 367.

(m) *De vitâ Mosis, lib.* 3, *pag.* 519: Ὅλη μὲν δὲ γέγονεν ἀπεικόνισμα, καὶ μίμημα τοῦ λόγου. Τὰ δὲ μέρη, τῶν καθ' ἕκαστον μερῶν. Ἀρκτέον δὲ ἀπὸ τοῦ ποδήρους. Οὗτος ὁ χιτὼν σύμπας ἐστὶν ὑακίνθινος, ἀέρος ἐκμαγεῖον... Ἐξ αὐτοῦ δὲ κατὰ τὰ σφυρὰ ῥοΐσκοι, καὶ ἄνθινα, καὶ κώδωνες εἰσί. Τὰ μὲν ἄνθινα σύμβολον γῆς. Οἱ δὲ ῥοΐσκοι ὕδατος... Οἱ δὲ κώδωνες τῆς ἁρμονίας, καὶ συμφωνίας τούτων.

(n) *Exod.* XXVIII: Ὡσεὶ ἐξανθούσης ῥόας ῥοΐσκους... χρυσοῦς καὶ κώδωνας ἀναμέσον τούτων περὶ κύκλῳ, παρὰ ῥοΐσκον χρυσοῦν κώδωνα, καὶ ἄνθινον ἐπὶ τοῦ λώματος, &c.

ut alter ab altero distinguatur; id tamen priscos illos Authores non animadvertisse necesse est, quamquam de stili diversitate, non minùs ac Scriptores nostrates, ferre judicium nossent. Ipsâ enim orationis structurâ licèt reclamante, observarunt per intervalla in eodem Libro magnificas illas, atque epithetis turgentes Philonis periodos, vividas & patheticas descriptiones. Si Libri orationem graviorem magisque sententiosam, quàm cæterorum a se scriptorum voluminum, effecit, hoc sane de industriâ a Philone affectatum crediderunt; quippe qui sub Salomonis nomine latens, ad hujus ingenium orationem suam composuit. Hæc facilè tota fuit causa, cur stilus discreparet inter utramque Lucubrationem; scilicet ipsum Libri argumentum, & consilium Authoris. Dissitum planèque varium sequitur dicendi genus, qui Orationem, qui præcepta, qui epistolam, qui carmen scribit, quamvis tamen unus sit idemque omnium Scriptor.

Quamquam autem Liber certi temporis, & loci indicia rara subjiciat, aliqua tamen in illo subodorari eâ de re licet. Vivebat Author in regione prosanâ, & facilè in Ægypto; quandoque enim superstitionem Ægyptiorum insectatur, carpens bruta, aquam, ignem, angues, & perniciosas vilesque belluas in aris Ægyptiis consecratas (o). Vivebat quo tempore Judæi summo habebant horrori Ethnicorum religionem (p). Idolorum originem accersit e consecratâ a patre superstite, & filii necem dolente, ejusdem filii memoriâ (q). Congruunt hæc cum summâ, qua Ægyptii erga defunctos tenebantur, observantiâ, & cum iis, quæ de Iside & Osiride, summis ejusdem gentis Numinibus, feruntur; quorum alter in populo regnaverat, illa Regi Ægypti nupta, conjugis sui memoriam cultu superstitioso consecraverat. Occurrit etiam apud Sapientiam nescio quæ oppressio & persecutio, qua populus a Principibus Ethinicis affligebatur (r). Conveniunt hæc omnia cum ætate Philonis, qua in Judæos Ægypti & Judææ Imperatores, Præsides, omnisque vulgus conspirabant.

(o) *Sap.* xi, 16; & xvi, 1, 9. *Confer Philon. de Decalogo, pag.* 582, & 583.

(p) *Sap.* xiii, 1, 18, &c. & xiv, xv, 1, &c.

(q) *Sap.* xiv, 15, &c.

(r) *Sap.* xv, 14: *Omnes enim insipientes, & infelices supra modum animæ superbi, sunt inimici populi tui, & imperantes illi.*

Si post Jesu Christi obitum scribebat, nosse passionis ipsius historiam, eamque describere in eâ persecutione Justi ejusque supplicio potuit (s). Facilè etiam cùm Christianæ Religionis exordia, & prodigia Evangelii prædicationem consequentia intueretur, augurari sibi poterat imminentem Idolorum & Idololatriæ eversionem (t). Tandem cùm sub Imperatoribus sævissimis & Idololatris viveret, maluit sub Salomonis personâ institutiones suas occultare; suumque consilium magis magisque celaturus, stilum etiam affectavit, ut antiquitatis similitudinem & authoritatem spiraret. Tutum etiam vix fuisse arbitror, tunc temporis in mediâ urbe Alexandriâ Librum Græcè ad Principes scriptum evulgare, in quo Idola & Idololatria liberioribus verbis ab Authore reprehendebantur. Faciliùs Salomon hæc loquens, tutiùsque audiebatur.

(s) *Sap.* ii, 10, &c.

(t) *Sap.* xiv, 23.

Cùm S. Hieronymus narrat, Veteres nonnullos Scriptores authorem Operis Philonem Judæum habuisse, minimè dubito, quin Philonem Alexandrinum designet. Ecquis enim alter eo nomine tunc temporis innotuerat? Cùm autem laudati ab illo eâ de re Authores omnium primi disertè tradant, quis Author ejus Operis in Ecclesiâ putaretur, eorum sanè authoritas maximi putanda est; ex eo potissimùm, quòd post ea tempora nemo alium ejusdem Scriptorem unquam prodidit. Ea est harum rerum indoles, ut quò magis ad originem suam accedunt, eò majorem veritatis fidem obtineant. Porrò eorum Scriptorum ætate recentissima erat ejus rei traditio, ac facilè ex ipsis Apostolorum sæculis in Ecclesiam derivata. Philonis virtutem satis prædicant magnifica illa de ipso Veterum elogia. Non defuisse qui crederent, illum sacris Christianorum addictum fuisse, adductis supra Eusebii & S. Hieronymi, idem asserentium, testimoniis probavimus. Calluisse illum omnes Majorum leges & instituta, Eusebius est author (u); qui eloquentiam illius laudat, sententias, Scripturarum eruditionem, & Libros Sacros interpretandi rationem (x). Si in Catalogo Librorum Philonis apud S. Hieronymum & Eusebium aliosque Liber Sapientiæ desideratur, hujus rei in causâ esse potuit, quòd cùm eâ ætate ambigeretur, utrùm inter Scripturas Divinas referendus esset, abs re prorsus videri poterat, si inter Opera Authoris Judæi appareret.

Hæc ferè sunt, quæ Philoni Opus vindicant; sed non tanta profectò, quæ Librum eidem Scriptori adjudicent. Obstat, & semper obstabit Judaicæ Religionis professio, quam sanè usque ad vitæ exitum servavit, quamquam eâ ætate vivebat, quam pluribus annis Christi obitus præcesserat. Si Evangelii veritatem novit, non illi sanè tantum detulit, quantum debuerat. Non est igitur, cur per eum virum locutum credamus Spiritum Sanctum, ut Ecclesiam doceret; ejusque operâ paratum Librum inter sacros haberi voluisse. Hujus sanè rationis pondus non sentiunt, qui Sapientiam a Libris Saeris abjudicant; sed hæc etiam habemus in promptu, quibus hic Liber a Philone abjudicatur: I, Stili discrepantiam; II, Silentium Veterum, ac potissimùm Eusebii, & S. Hieronymi, Photii, Suidæ, aliorumque, inter Opera Philonis nullum huic Scripto locum esse permittentium; III, Locos ex eo Libro in Evangelio, & Epistolis Apostolicis laudatos, quæ sanè volumina seu Philonis Operibus vetustiora sunt, seu modico

(u) *Præpar. lib.* 7, *cap.* 12: Τὰ οἰκεῖα πατρίθεν ἀκριβοῦντα.

(x) *Idem Hist. Eccle. lib.* 2, *c.* 18: Πολύς γε μὴν τῷ λόγῳ, καὶ πλατὺς ταῖς διανοίαις. Ὑψηλὸς δὲ καὶ μετέωρος ἐν ταῖς εἰς τὰς θείας γραφὰς θεωρίαις γεγενημένος, ποικίλην, καὶ πολύτροπον τῶν ἱερῶν λόγων πεποίηται τὴν ὑφήγησιν.

dico planè tempore post ejus Libros scripta. Vide hos locos in Prolegomeno superiori expressos. Favet igitur illi solummodò inconstans planè traditio, & consensus aliquis sententiarum; at non ita Philoni peculiarium, ut eas ipsas in Jobo, Proverbiis, Platone, Ecclesiastico, & Macchabæis non liceat observare (y). Apud singulos illos conceptis verbis pœnæ & præmia alterius vitæ leguntur; Sapientia Deo coæva, Verbum Dei potentissimum, Sapientissimum, quod creat omnia, omnia servat, docet, punit, præmio donat. Communia hæc sunt axiomata apud Judæos ejus ætatis, quæ fortè ipse Philo e mox recitatis Scriptoribus discere potuit.

Apud Origenem nihil satis certi proditur, quemadmodum & apud cæteros post ipsum Patres, de Authore ejusdem Operis. Nihil tandem ultra fateri cogimur ex hucusque deductis, quàm quòd Philo satis cum Authore Sapientiæ congruat tum ordine, tum sententiis ferè omnibus; vixisse quin etiam Authorem Sapientiæ in Ægypto ætate non multùm remotâ, & post adornatam a Septuaginta Versionem. Si quis autem studium adhibeat colligendis iis locis, in quibus alter ab altero discrepat, plures facilè congeret. Sapientiæ Author decem mensibus puerum in utero matris claudi docet [z]; Philo septem; additque fieri, ut si qua mater hoc tempus transgrediatur, nempe si octavo mense enitatur, dilati nimiùm partûs incommoda proles sentiat, vel plerumque vitam non proroget (a). Discrepant etiam in sententiâ de hominum creatione, ejusque cum Deo similitudine; in eâ est enim Author Sapientiæ opinione, ut homo productus dicatur ad Dei similitudinem immortalis, & innocens (b): hominis corpus e terrâ eductum in terram reducendum (c); at animam a Deo egressam ad Deum reverti post mortem. Philoni verò ita constitutum est, ut totam Dei cum homine similitudinem ad animam ab uno Deo ab exordio creatam, insitamque ab illo in bonum indolem referat (d). Addit tamen, accitos a Deo in societatem construendi hominis Angelos malos, iisque authoribus accepto referendam esse contrariam in malum propensionem. Quæ planè sententia perniciosam illam de duobus principiis bono pravoque, a Manichæis assertam deinde hæresim, infert.

Grotio in hujus Libri Præfatione Opus esse Judæi hominis creditur, Hebraicè scriptum post Esdræ ætatem, & ante Simonem Summum Sacerdotem; quare Libro Ecclesiastici, quem ordine præcedit, vetustius arbitratur. Versionis Græcæ Authorem fuisse credit Christianum aliquem ejusdem linguæ peritum, qui libero nec ineleganti dicendi genere vertit, & Christiana quædam commodis locis addidit. Huc referenda quæ de Judicio supremo, Justorum præmio, impiorumque suppliciis in eo Libro disertiùs, quam in aliis Hebræorum scriptis exprimuntur.

In hac Grotii sententiâ nihil omnino est, quod vel aliquâ probari queat conjecturâ. Opus enim Hebraicè scriptum fuisse, nonnisi divinando asserit; cùm Veteres omnes tum Judæos tum Christianos eâ linguâ scriptum latuerit. Quòd si unquam fuisset, an passi fuissent Judæi ut periret? Nullum Hebraismi vel sermonis exotici vestigium in Versione Græcâ apparet. Christiana autem dogmata, quæ in Versionem irrepsisse Grotius censuit, recurrunt etiam in Libris Macchabæorum & Philone, eorumque pars etiam apud Platonem legitur. Nam Macchabæi [e], Ecclesiasticus (f), & Philo in locis supra laudatis, testimonia exhibent disertissima de vitâ Justorum æternâ, & æternis impiorum suppliciis. An igitur idcirco recensita a Christianis scripta illa suspicabimur? Vivida illa Justi injuriis & calumniis afflicti, ac tandem violentâ morte oppressi descriptio nonne etiam a Platone (g) exhibetur, ex quo in Ciceronem [h] & Senecam [i] derivata est? Scitum est etiam, quantopere veteres Græci, ipsique Judæi Scriptores doctrinæ hujus Philosophi studerent; nec abs re prorsus suspicamur, Operis hujusce Scriptorem consecrandam duxisse hanc de Viro Justo narrationem, latiùsque explicandam in Opere hoc Divino suscepisse, vindicatâ quodammodo in libertatem veritate, quæ apud Paganos captiva esse videbatur. Ita S. Paulus sententias interdum & verba ipsa profanorum consecravit [k].

Cornelius a Lapide in Præfatione ad Sapientiam putat, hunc Librum Græcè scriptum, Judæum habuisse Authorem post regressum e captivitate Babylonicâ, circa tempora Ptolemæi Philadelphi; neque abs re esse arbitratur, si e numero Septuaginta Interpretum aliquem fuisse credat, vel saltem alium aliquem doctum Judæum, qui pro Rege Ægypti sese ad scribendum contulerit; est enim Opus, uti supra animadvertimus, ad institutionem Principis destinatum. Narrat Aristæas, Philadelphum proposuisse singulis Interpretibus quæstionem de optimâ Reipublicæ administratione. Opinionis verò, quæ olim increbuit, de Philone ejus Libri Authore, in causâ fuisse existimat ambiguitatem ex nomine Salomonis. Salomon enim alio nomine *Jedidiah* [l] appellabatur, quæ posterior vox Dei amicum sonat, & Græci ipsam ita explicant, *Philos* sive *Philon*; Rabbini verò cùm Philonem appellant, nomen *Jedidiah* usurpant. Quare lecto nomine *Sapientiæ Jedidiah*, interpretati sunt *Sapientiam Philonis*.

His conjecturis nihil deest præter rationes, & petita e re argumenta. Quare in re ambi-

(y) Confer *Sap.* VII, 25, cum *Eccli.* I, 5; & *Eccli.* I, 9, 10, cum *Sap.* I, 5, *&c.* VII, 22, 23; XII, 1, *&c.*

(z) *Sap.* VII, 2.

(a) *Philo de opif. Mundi pag.* 28. *Edit. Parif. & lib.* I *allegor. Leg. p.* 42: Τίς γὰρ οὐκ οἶδεν ὅτι τῶν βρεφῶν τὰ μὲν ἑπταμηνιαῖα γόνιμα, τὰ δὲ πλείω χρόνον προσλαβόντα, ὡς ὀκτὼ μῆνας ἐνδιαιτηθῆναι γαστρὶ κατὰ τὸ πλεῖστον ἄγονα.

(b) *Sap.* II, 23, 24.

(c) *Sap.* XV, 8.

(d) *Philo de Opif. Mundi pag.* 16; *& de confusione Lingu. pag.* 346: Λέγων, ποιήσωμεν ἄνθρωπον, ἵνα αἱ μὲν τοῦ νοῦ κατορθώσεις ἐπ' αὐτὸν ἀναφέρωνται μόνον, ἐπ' ἄλλους δὲ αἱ ἁμαρτίαι... τοῖς μετ' αὐτὸν ἐπέτρεψε τὴν τούτου τοῦ μέρους κατασκευήν .... ἡ δὲ τῶν κακῶν μοῖρα ἀγγέλοις ἐπιτέτραπται πάλιν.

(e) I *Macch.* VI, VII.

(f) *Eccli.* XVIII, *&* XXIV, 31, 32; XXXI, 10, *&c.*

(g) *Plato, de Rep. lib.* 2.

(h) *Cicero, de Rep. lib.* 3.

(i) *Apud Lact. Lib.* 6, *c.* 17, *ex Senec. libb. Mor. Philos.*

(k) *Tit.* I, 12.

(l) 2 *Reg.* XII, 25.

re ambiguâ a dubio non recedamus, libentesque profiteamur, ignotum esse Sapientiæ Authorem, quamvis Divinum Opus sit & canonicum, cùm nihil in eo desideretur, quod Divini Operis numeros impleat. Divinis est enim institutionibus refertissimum, apertissima de Jesu Christo ejusque Passione Oracula, ac tandem veritates exhibet justis ac sanctis recreandis, terrore verò impiis afficiendis utiles. Accedit Ecclesiæ authoritas, qua in Catalogum Divinorum Librorum cooptatur. Vixisse Authorem post Septuaginta, e quibus etiam tunc testimonia laudat, cùm ab Hebræo recedunt, nullus dubito. Scribebat eo tempore, quo Eruditi allegoriis delectabantur. Tandem excercuisse se gnaviter demonstrat in scriptis Philosophorum, Græcorumque Poetarum; quæ omnia indicia recentiorem produnt Authorem. Hunc ego ætate posteriorem credo Scriptore Ecclesiastici, quem sub Rege Ægypti Ptolemæo Epiphane, & Syriæ Antiocho Epiphane constitui; quare sub Macchabæis fortasse florebat.

DISSERTATIO

DE ORIGINE IDOLOLATRIÆ.

DUOS vel tres Idololatriæ fontes indicat Author Sapientiæ. Primus est mœsti parentis ob amissum acerbo funere filium mistus amore dolor (*a*): quærendo enim solatio simulacrum filii erexit, cui unà cum universâ familiâ divinos honores impendit: ex familiâ superstitio in Urbem derivata, & e Numine unius familiæ, totius Reipublicæ Deus effectus est. Secundus, sculpti alicujus Operis elegantia, quam sanè dignam Divinitatis sedem stulti homines arbitrati sunt (*b*). Tertius, quod in idem fermè recidit (*c*), cùm nempe figulus simulacrum scitè adeò efformavit, ut pro Numine consecrandum censuerit. Calvinus invidiam in Librum Sapientiæ creaturus, ut illum e Canone expungeret, asseruit, Libri Authorem miserrimè deceptum esse, cùm Idololatriæ originem tradit; quare decepti Authoris fœtum alienum esse a Deo, omnis veritatis Authore, contendit (*d*).

(a) *Sap.* XIV, 15.

(b) *Sap.* XIII, 13, 14.

(c) *Sap.* XV, 7, 7.

(d) *Instit. lib.* I, *cap.* II, § 8.

Sacri Authoris, simulque Ecclesiæ universæ dignitatem, divinam Libro authoritatem asserentis, vindicaturi, nostram hanc Dissertationem instituimus de Idololatriæ origine, in qua ne lato quidem ungue a veritate recessisse Authorem dicimus, certamusque noluisse illum omnes Idololatriæ causas recensere, neque primam originem ejus rei indicare, sed exempla quædam exhibere crassioris illius superstitionis, quæ Divinos honores fato jam functis mortalibus, atque sculptis marmore simulacris impendit. Stultum hoc Idololatriæ genus recentius est altero, quo spiritus, astra, & elementa colebantur. De his ergo in præsentiâ.

Epicuræi, & qui Religionem naturalem sibi effinxerunt, statuunt, hominem casu creatum, non secùs ac reliquas Orbis partes, fortuito casu & per gradus ad usum sermonis, ad leges vitæ civilis, ad cultum Deorum & Religionem pervenisse. Ita ex illis unus sensit Statius [*e*]:

Primus in orbe Deos fecit timor.

(e) *Thebaid. lib.* 3.

Et Horatius.

Jura inventa metu injusti fateare necesse est,

Homines somniorum ludibriis turbati, ait Lucretius, Deos sibi ad arbitrium confinxere (*f*). Cùm autem in somniis spectra quædam sibi obversantia animadvertissent, quæ corporis proceritate communem hominum staturam superarent, & elegantiâ cæteris antecellerent, vera esse quæ videbant rati, neque quidquam simile in rerum naturâ videntes, Deos constituendos esse decreverunt. Hinc simulacra, Templa, & per universum Orbem Altaria. Alios fefellit certus astrorum motus, fulgor, nitor, & amplitudo; quorum rerum causam cùm assequi cogitatione non possent, in eam venerunt sententiam, a potentissimâ quadam re hæc omnia dirigi; vel saltem astra totidem esse Numina, quæ homines in suâ potestate contineant.

(f) *De Rerum naturâ, lib.* 5.

Sed quantum illi in origine religionis errabant! Nulla sanè cupiditas, nullus timor, aut error, casusve Numinis notitiam, & potentissimæ rei cognitionem hominibus indidit. Hanc enim altâ mente insculptam gerentes, prima Religionis semina ex ortu ipso referimus. Hæc verò ratione sota, gratiâ excluduntur. Ut homines Deum esse sibi persuadeant, ipsi se consulant, & creaturas aspiciant, ac tandem rationem docentem audiant. Præcipua igitur Idololatriæ origo censenda est ea, quæ ex oppressis naturalis rationis igniculis oritur, atque a rerum divinarum ignoratione, frigidoque illo torpore, qui homines excolendis veritatis seminibus a naturâ in eorum mente jactis, segniores facit.

Porphyrius vir doctus, cùm iniquissimo esset in Christianos animo, simulque intelli-

telligeret, quantum e re Christianorum esset impium illud, absurdum, erantumque Idololatriæ commentum, cujus ipse totam imbecillitatem sentiebat, aliam a vulgari diversam Religionem excogitavit. Usus est in eam rem authoritate Theophrasti [g], qui primorum hominum Religionem describens, alteram planè describit ab eâ, quam deinde superstitio invexit. Olim, ex Theophrasto, nulla erant simulacra venerationi proposita, nulla operabantur cruenta sacra mortales, omnia aberant Templa, Aræ, & Sacerdotes. Recentiora sunt, addit, nomina, genealogiæ, ac variorum Numinum inter se distinctiones. Unum, primumque rerum omnium principium debitâ puràque subjectione & cultu agnoscebatur; offerebantur herbæ, lac, fructus; puræ & insontes manus erigebantur ad Cœlum; absque apparatu liquores libabantur; quisque verò sui erat sacrificii Sacerdos. Hanc religionem Porphyrius probavit, in qua veram putamque ac genuinam Ethnicorum Religionem volebat agnosci. Hæc Religio erat Sapientum & Philosophorum; quare, addit Porphyrius, quam vos impetitis, Christiani, Religio vulgi est, atque imperitorum.

(g) *Vide Porph. de Abstin. anim. & apud Eusеb. Præp. Evang. l. 1, & 4, & alibi sæpius.*

Utitur non rarò Eusebius testimonio Theophrasti, & Porphyrii, ut Numinum superstitionem redarguat simul, & vitia in eorum superstitione regnantia, planè opposita primorum hominum religioni demonstret. Sed alia erat Porphyrii mens: minimè enim ille hoc agebat, ut homines ad usum primævæ Religionis Veterum Patriarcharum revocaret, uti Adami, Abelis, Sethi, Henochi, Noëmi, quos ille ne norat quidem; sed illud conabatur, ut conflatam de multiplicitate Deorum & cruentorum sacrificiorum invidiam ab Ethnicorum Religione removeret, ipsamque Religionem vitiis purgatam, & a vulgari sejunctam magis magisque commendaret. Sed nos planè non fallet; semper enim adversùs ipsum asseremus, ullam talem Religionem, qualem ille depingit, nuspiam apparuisse; cujus exempla si qua occurrunt, hæc petita sunt omnia e verâ Religione, & veteribus Patriarchis, quibus nihil erat cum Ethnicis commune. Colebant illi non Cœlum & astra, sive confusam primi principii notionem, sed Dominum, Deum Omnipotentem, Cœli terræque conditorem. Cultus ille longè aberat a superstitione, nec hominum arbitrio, sed ex Dei Lege & præscripto inductus. Frustra Porphyrius aliique laborarunt, ut ab objectis criminibus superstitionem suam purgarent. Fontes habuit Idololatria errorem & licentiam; hanc auxit stultitia & scelus; desinit in impietatem & absolutam Religionis ignorationem.

Novam de Ethnicæ superstitionis origine sententiam Philosophorum alii invexerunt (b); malè enim congestam tot portentosarum fabularum struem non sustinentes, horrentes insuper objecta Numinum crimina, indignumque Diis cultum, simulque molestè ferentes incertam eorum genealogiam, commodum sibi duxerunt, si alios habere se dicerent Deos, quàm qui vulgò dicebantur; neque enim cultum impendere se profitebantur hominibus, sed astris & elementis; quem Jovem appellabant, ipsum esse dicebant Cœlum; Neptunum, aquam; Apollinem, Solem; Dianam, Lunam; Junonem, aerem; Vulcanum, ignem, & sic de singulis. Sed Astrorum cultus, non minùs quam Simulacrorum sive hominum, rationi videtur repugnare; imò potiùs detestabilior, præstat enim Creaturam ratione utentem colere, quàm inanimatam. Sol hominum servituti destinatus est, quare nec potiorem homine meretur honorem. Operam ergo perdebant ii, qui fabulas & Theologiam Profanorum operosâ disquisitione explicare conati sunt; qua in re, ait Cicero, ita se habere videntur, quasi se fabellis futilibus & stultis serias explicationes aptare laborent [i]. Ethnicorum Religio temerè congesta est; neque enim Sapientes & prudentiâ præstantes viri totam composuere. Primus ejus Author nihil excogitatum sibi proposuerat. Vulgus indoctum & superstitiosum idola primum invexit; Sacerdotes, lucri cupiditate, absurdam gentis opinionem fovebant; accedebant Principes politicâ ratione ducti; Sapientes addebantur, metu invidiæ, quæ sibi a populo imminebat: quamquam, ut veriùs dicam, nunquam illi seriò & datâ operâ idololatriam amplexi sunt, cujus tamen cæremonias, turbam sequuti, exequebantur, thure Deos colentes exteriùs, quos intus in mente deridebant.

(h) *Vide S. Aug. toto libro VII de Civ. Dei.*

(i) *De Nat. Deor. lib. 3: Magnam molestiam suscepit primus Zeno, deinde Chrysippus, commentitiarum fabularum reddere rationem.* Vide, si placet, Chæremonem apud Porphyrium, laudatum ab Eusebio, *Præp. lib. 3, c. 3, pag. 92, 93; Item pag. 100, 101, 108, 111.*

Erant inter eos, qui rudem illum cultum vulgo relinquentes, ad spiritualia mentem erigebant; quare cùm coram simulacro Jovis genua flecterent, mentem tollebant ad Deum, quem Cœli Creatorem agnoscebant; eâque arte, & se a reliquo vulgi subducere, & cultum suum e communi fœce sese vindicare arbitrabantur (k).

Felices illi, qui non simulacra, sed ipsos,
Quique Deum coram corpora vera vident.
Quod quoniam nobis invidit inutile fatum,
Quos dedit ars, votis effigiemque colo.
Sic homines novêre Deos, quos arduus Æther
Occulit, & colitur pro Jove, forma Jovis.

(k) *Ovid. lib. 3 de Ponto, Epist. 8.*

Quod tantumdem esset, ac si Jupiter, ubicumque ille inveniretur, plus aliquid me-

rere-

retetur honoris, quàm ipsius simulacrum, vel fas esset, erecto ad simulacrorum archetypum animo, cultum homini scelesto impioque impendere. Hoc enim docent de Jove cæterisque Numinibus historia & ipsa Ethnicorum Theologia.

(l) *Cler. Index Philolog. ad hist. Philosoph. Orient. in voce Angelus & Astra.*

Clericus (*l*) vetustissimum idololatriæ genus illud habendum esse contendit, quod Angelis summum defert honorem. Horum sanè cultus vetustissimus est sine controversiâ; cœpit autem primùm ex debitâ illis observantiâ, quam sibi beneficiis erga nos impensis opeque præstitâ conciliaverant. Sensim hæc observantia degeneravit in cultum veluti secundarium minoremque illo, qui Deo debebatur: tandem in cultum nulli secundum & absolutum. Eodem cum Angelis cultu donatæ sunt animæ corporibus solutæ, præcipuè Principum. Venit deinde in mentem, utrùm animæ istæ, vel Genii a corpore separati Astris quibusdam conjungerentur, quorum essent veluti animæ; eaque deinde opinio obtinuit. Vetustissima est apud Orientales Angelorum notitia, quibus nihil frequentius in eorum Theologiâ, nec rarius in S. Scripturâ. Ex Oriente in Græciam invexerunt Pythagoras & Plato, qui in eâ fuerunt opinione, ex aëre sive e Cœlo animas in corpora demitti, atque ad suas sedes statim reverti post corporum resolutionem. Astra verò animâ prædita esse, habebant persuasissimum; & in ipsâ Scripturâ popularia quædam dicta deprehendimus, quæ huic opinioni favere videntur. Hinc astra colendi occasio data est. Ex astris translatus est in Reges cultus; qua enim observantiâ erga viventes subditi tenebantur, hanc neque post eorum decessum deposuerunt. Ita sensim adoleverunt cultus Beli Regis Babyloniæ, Osiridis Regis Ægypti, Jovis Regis Cretæ.

(m) *De Idolol. lib. 1, c. 1.*

Vetustissimum, primumque Idololatriæ fontem constituit Vossius (*m*), receptam de duplici principio, bono & malo opinionem. Cùm enim bonum æquè & malum regnare in mundo homines animadvertissent, nec uni eidemque Numini ambo illa deberi arbitrarentur; vix enim fieri posse rebantur, ut e bono Deo, tamquam fonte, malus esset rivulus; duo æqualis potentiæ, æterna pariter, sed naturæ planè opposita, Numina invexerunt, quorum alterum malo, alterum bono præesset; mutuò insuper inter se certarent, alterum altero destruere adnitente. Ex utriusque simultate, imò & bello, factum est, inquiunt, ut tamdiu mundi creatio differretur; neque enim priùs mundus prodiit, quàm a bono Numine malum superaretur; sed victus licèt malus ille Genius, creatum opus omni, quo potuit, malo aspersit. Hoc vetustissimus, ex Vossio, tum Ethnicæ superstitionis fons, cùm prima absurdæ illius Religionis origo.

Inductæ huic Religioni altera accessit, cultus nempe spirituum, ac præcipuè Dæmonum, ac tandem Heroum. Conjecturas hasce suas nullo exemplo fulcit Vossius; neque enim certum aliquid in re vetustissimâ suppetit, sed conjecturas conjecturis tantùm confirmat.

(n) *Athan. orat. contr. Gent. n. 8, 9, 10; Eus. præp. lib. 1, cap. 6; Aug. de Civ. Dei, lib. 7, c. 33, & 35.*

Rem totam Patres (*n*), qua parte moralem Philosophiam respicit, considerantes, scitè animadverterunt, invectam esse ex peccato & scelere hominum Idololatriam. Superbia, effrænis in voluptates licentia, & impatiens voluntas imperii, totidem idololatriæ fontes habendæ sunt. Quamdiu enim homines igniculos rationis, atque amoris & timoris Dei prima semina foverunt, & persistere in obsequio, & cavere a tanto crimine, ne debitum Creatori cultum in Creatas res transferrent, visi sunt. Sed vix datis arbitrio habenis, ut se quocumque ferret voluntas, rapi paterentur, statim pro cujusque libidine Numina invecta sunt, quæ fovere voluptatem, non cohibere timore & authoritate possent. Religionem sibi commentitiam finxere, & iniquas leges præstituerunt. Cùm enim partim insculptam animo Numinis notitiam removere non possent, partim verò amore licentiæ raperentur, quam habebant veri Numinis notionem, debitumque illi cultum ad res sensibus obnoxias caducasque transtulerunt. Confusam interim & vagam summi boni, supremæ bonitatis, recti ordinis, ejusque sapientiæ cognitionem animo foventes, quæ omnia dotes sunt peculiares Divinitatis, Dei nomine prodigâ liberalitate res illas donarunt, in quibus primas aliquas lineas ejus excellentiæ deprehendere sibi visi sunt.

Major Scriptorum pars censet, Astra omnium prima honores sibi Divinos, utpote quibus Divinum aliquid inesse videretur, sibi a stultis hominibus vindicasse: certus enim nec interruptus motus, nitor constans, beneficia in usus hominum collata longè plurima, ipsa animalium & plantarum conservatio crassiores illas mentes rapuerunt. Hæc sanè Numina erant clementissima, commoda, utilia, quæ nihil exigebant, vetabant nihil, voluntati indulgebant, nullumque voluptatibus frænum adhibebant. Opportuna sanè Numina mortalibus licentiæ amantibus, & voluptatum cupiditate raptis. Astrorum cultum ponè sequutus est cultus elementorum, ignis, aquæ, aëris, terræ, ventorum, cujus inducendi eædem causæ fuerunt. Plus nimio eorum dotibus rapiebantur mortales, & beneficia ab illis repensa majori obsequio prosequi voluerunt. Accessit eorum naturæ ac primi rerum omnium principii ignoratio. Hæc omnia

omnia impulerunt homines, ut in eumdem Numinum censum elementa cum Astris cooptarent. Commodissima erat Religio, & e re cupiditatis erat, ut Deos sibi proponeret ad arbitrium ac mutos.

Neque is licentiæ terminus: translatum Dei nomen ad res inanimatas, uti amnes, sylvas, fontes, datum est animalibus, quà utilibus, quà perniciosis, illis in gratiam accepti beneficii, his ne nocerent. Utrùm hominum cultus vetustior eo sit, quo bruta & elementa colebantur, in medio relinquimus. Illud certum statuimus & inconcussum, hosce omnes cultus superstitiosos remotissimam sibi vindicare antiquitatem, violatisque semel eâ parte rationis limitibus, nullam servasse homines regulam & modum. Quidquid succurrebat, huic statim offerebantur thura: ligna, lapides, metalla, bruta, membra ipsa corporis humani (o), & turpissima etiam vitia consecrata sunt. Ita Venus turpes voluptates sacro nomine velavit; ultio & ambitio in Marte culta est; crapulam Bacchus in Aras extulit.

Cultus hominibus impensus plures habuit causas, e. g. amorem uxoris in virum. Ita Venus Adonidem, celeberrimum totius Orientis Numen; Isis Osiridem, in toto Ægypto inclytum, consecravit. Timor etiam superstitum Regum, sive amor in mortuos, homines vel gratos pellexit, vel assentatores impulit, ut bonos malosque Principes in Aras extollerent. Metus divinos honores impiis, amor bonis conciliavit. Aliam ejus rei originem indicavit Sapientia, XIV, 15, nempe amorem patris superstitis erga filium immaturo fato præreptum. Afflicti enim animi solatium quæsiturus, exprimendam sibi filii imaginem curavit, qua coram stratus, quod Dei erat, in mortalem hominem contulit. Ita planè Dinophantes Ægyptius inter Deos haberi voluit filium suum (p), & Cicero idem præstitit erga Tulliolam filiam suam, quam omnium primus veluti Numen invocavit [q].

Sed quo primùm tempore superstitio incepit, quibus deinde gradibus creavit? Censuerunt Rabbini (r), idololatriam ante diluvium obtinuisse, unumque fuisse ex criminibus, quibus Deus provocatus aquas diluvii immisit. Convenit cum hac Judæorum opinione illud, quod narrant Sacræ paginæ & Profani de priscis illis Gigantibus, viris audacibus, superbis, impudentibus & procacibus. Exponunt in eum sensum locum Geneseos [s], quem ex Hebræo ita reddunt: *Tunc cæptum est profanari nomen Domini*. At hæc interpretatio nonnisi fermè in Scholis Rabbinicis proponitur; aliter enim Patres & Interpretes Christiani sententiam exposuerunt. Græci legunt (t): *Hic speravit invocari nomen Domini*; Aquila [u]: *Tunc cæptum est invocari Nomen Domini*, seu *vocari de nomine Domini*. Gloriosâ servorum Dei appellatione boni ab impiis distinguebantur. Filii Seth & Enos communi *Filiorum Dei* nomine, posteri Cain *Filii hominum* vocabantur. Hæc posterior sententia priori præstat. Nec tamen inde colligas, jam tum communem non fuisse idololatriam; at neque hoc ipsum probat hic locus, si rectè explicetur.

Patribus nonnullis [x] primus idololatriæ author post diluvium creditur Sarug, avus Thare, & a Noemo septimus, sed hujus opinionis nullum habemus documentum. Disertè quidem narrat Scriptura (y), Thare patrem Abrahami, & ipsum Nachorem Ethnicorum sacris addictos fuisse; paria etiam de Abrahamo dicere videtur: atque hinc facilè suspiceris, vetustissimam esse mali hujus originem, quippe quod jam tum longè latèque obtineret. Idem ante nos animadvertisse Josephus videtur [z], tradens, Abrahamum omnium primum unius Dei singularitatem docuisse, cujus unius manu conditus Orbis stetit. Avitam hanc superstitionem servavit familia Nachotis, quæ trans Euphratem mansit, quemadmodum ex sublatis furto a Rachele Idolis seu Teraphim Labani patris sui intelligimus (a). Facilè etiam concedit major Patrum & Interpretum pars, Abrahamum ejusque patrem vetustissimam patriæ superstitionem sequutos fuisse. Fateor quidem, aliis de Abrahamo aliam stetisse sententiam (b), avitam ab illo sedem desertam docentibus, ut furens in se pietatis suæ causâ civium suorum odium vitaret: sed ea non afferunt suæ opinionis documenta, quæ invitos cogant.

Nemrodum robustum illum venatorem, ut verbis Scripturæ (c) utar, primum Idololatriæ authorem communior sententia facit. Hic omnium mortalium primus, ait Josephus (d), homines in Deum concitavit, ad condendam Turrim Babelicam temerario ausu hortatus. Fertur & ignis cultum, qui longâ ætate mansit, in Chaldæam invexisse (e); adduntque, in eumdem ignem injectum Abrahamum, divino prodigio illæsum recessisse (f). Harum tamen ferè omnium traditionum incerta est fides, quippe quæ ex Rabbinorum traditione derivantur. Quamquam verò non inviti credimus, Nemrodum inter præcipuos turris Babelicæ hortatores fuisse, nullo tamen argumento docemur, invectæ in Chaldæam idololatriæ authorem habendum esse, licèt esse potuerit; neque enim hic de eo quod fieri potuit, sed de eo, quod factum est, agimus.

Alii Idola repetunt ex Cham filio Noe [g]; alii ex Chanaan ejus filio [h]. Fe-

 runt,

(o) *Athan. Orat. contr. Gentes*, n. 9: Ἄλλοι δὲ τὰ μέρη τῶν σωμάτων, κεφαλὴν, καὶ ὦμον, καὶ χεῖρα, καὶ πόδα καθ' ἑαυτὰ διελόντες ἕκαστον εἰς Θεοὺς ἀνέθηκαν, καὶ ἐξεθείασαν.

(p) *Dinophant. Lacedam. apud Fulg. de Diis gentium*, init.

(q) *Tull. apud Lact. lib. 1, cap. 15, de fals. sap.*

(r) *Vide Hieron. Tradit. Hebr. in Genes. & Paraphrasten utrumque in Genes.* IV, 29; *& Maimon. de Idolol.* c. 1, § 2.

(s) *Gen.* IV, 26: אז הוחל לקרא בשם יהוה

(t) 70: Οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα Κυρίου τοῦ Θεοῦ.

(u) *Aqu.* Τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι κυρίου.

(x) *Epiph. de hæres. lib.* 1; *Suidas in Sarug.*

(y) *Josue*, XXIV, 2, 14.

(z) *Antiq. lib.* 1, c. 9: Τὴν περὶ τοῦ Θεοῦ δόξαν, ἣν ἅπασι συνέβαινεν εἶναι, καὶ νικῆσαι, καὶ μεταβαλεῖν ἔγνω.

(a) *Gen.* XXXI, 19.

(b) *Achior apud Judith*, V, 6, 7, 8; *Hebræi plerique, & Joseph. loco cit.*

(c) *Genes.* X.

(d) *Antiq. lib.* 1, c. 5: Ἐξῆρε δὲ αὐτοὺς πρὸς τε ὕβριν τοῦ Θεοῦ, καὶ καταφρόνησιν Νεβρώδης. *Vide Aug. lib. 16 de Civit.* c. 4.

(e) *Hugo Victorin. in Gen.* X.

(f) *Rabb. in Bereschit Rab, & Hieronymus*, QQ. *Hebr. in Gen.*

(g) *Cassian. collat.* 8, c. 21.

(h) *Lact. de falsâ Relig. lib.* 2.

runt, Cham ipsissimum esse Zoroastrum, totâ antiquitate celebratissimum ; æquè tamen iis, qui de illo agunt, ignotum. Cham authorem dicunt magiæ, & perniciosarum artium, quæ ad illam referuntur ; adduntque, Chanaan superstitionem & cultum Numinum per Phœniciam, & in Chananæos posteros suos provexisse, ex quibus longè latèque per Orbem propagata est. Sanchoniaton (*i*) historiam exhibet propè absolutam Theologiæ Phœnicum ; cujus ex authoritate cognoscitur idololatria, ferè ipsi mundo coæva, apud Phœnices incepisse. At cùm ii, qui Cham, & Chanaan authores idololatriæ faciunt, nulla rei afferant documenta, certam a nobis fidem non extorquent: Sanchoniatonem autem scimus, confictum credi a Porphyrio Scriptorem, quem nunquam rerum natura vidit.

Nec meliorem sanè merentur fidem ii qui asserunt, Ninum Assyriæ Regem mortalium omnium primum homines consecrasse [*k*]. Ninus, inquiunt illi, Templum patri suo Belo condidit; ipsumque inviolabilis asyli jure donatum voluit. Sed Ninus Judicum Israëlis ætate florebat, ex Chronologiâ Usserii (*l*) ; quare non potuit primus idololatriæ author haberi, quippe quæ vetustiorem haberet originem non in Ægypto solùm, sed & trans Euphratem, quemadmodum ex Teraphim e paternâ domo a Rachele sublatis (*m*), & ab Jacobo, unà cum cæteris simulacris, quæ familiares sui e regione transeuphratæâ detulerant, in Chanaanitide humi defossis (*n*), intelligimus. Tandem superiùs innuimus, Idolorum cultum in Mesopotamiâ apud Thare, ejusque filios obtinuisse. Maneat igitur certum, diu ante Belum & Ninum idololatriam floruisse. Fatemur quidem, in obscuro adhuc esse, utrum homines antea divinis honoribus colerentur ; fieri enim potuit, ut ante Belum astra solùm, & elementa familiaria essent ejus regionis Numina. Sed in re dubiâ nihil certi asserere audemus.

Ad Ægyptum nos conferamus oportet, ut certius aliquid eâ de re investigemus. Josephi ætate detestabilem illum morem non adhuc familiarem in Ægypto fuisse, Grotius (*o*) censuit. Jam tunc tamen propensissimam fuisse eam gentem scimus in magiam, divinationem, auguria, interpretationem somniorum; cujus rei argumentum est ea, quam Pharao intendit, cura, ut somnii sui ænigmata panderentur (*p*). Eadem jam obtinebant Sacerdotum Ægyptiorum privilegia (*q*), quæ diu pòst manusse apud Herodotum legimus (*r*), ac primùm concessa ab Osiride Diodorus Siculus, Libro 11, est author. Ægyptii etiam & Hebræi jam tunc parum adeò conveniebant, ut ne cibum quidem unà capere vellent: cujus rei nulla fuisse alia causa videtur, quam quòd Ægyptii bruta quædam animalia colerent, a Judæis mactationi & sacrificiis destinata. Insuper certum habemus, Hebræos contractâ in Ægypto superstitionis lue, ad Idola proruisse, quod vitio illis a Prophetis vertitur (*s*); idque ex vitulo aureo in itinere per desertum ab iis adorato, paulò post egressum ab Ægypto [*t*], & ex Idolis, quæ illi secum in eodem itinere in ædiculis detulere (*u*), colligitur. Idem produnt Leges Mosaicæ, quæ regnantem jam Idololatriam innuunt, longâque ætate jam obtinentem in Ægypto, Chanaanitide, regione Madian, & Moab; Idololatriam, inquam, non astrorum modò, & elementorum, sed brutorum etiam & hominum.

Vitari jubet Moyses [*x*] cultum simulacri cujuslibet ex iis quæ sive in cœlo, sive in terrâ, sive in aquis videntur. Eâ Lege interciditur communiter cultus astrorum, animalium, & piscium. Vitulus aureus Apin Numen Ægyptium exhibebat [*y*]; ædicula Moloc, de qua Amos, v, 25, 26, facilè sacrum Solis simulacrum claudebat. Cavet insuper Moyses, ne hircis, quemadmodum olim gestum est, sacrificia offerantur (*z*). *Mortuus* ille, cujus lugere funus populus prohibetur (*a*), Osiridem referebat; Beelphegor, cujus mysteriis Hebræi, Madianitidum illecebris, initiati sunt (*b*), Adonidem. Moloc, cruentum illud Numen, cui humanis victimis ipsâ Moysis ætate litabatur, familiare erat ejus ætatis Idolum (*c*), Chananæi (*d*) muscas & alia insecta consecraverant. Ægyptii ejus ætatis ab Authore Sapientiæ describuntur [*e*] omni criminum cœno obvoluti, habentes Numina e brutis consecrata, nedum mitibus, verùm etiam perniciosissimis & exitialibus. Major regnabat in Chanaanitide superstitio, in qua Aras subverti omnes, sacros lucos succidi, Idola & sepulcra superstitiosa destrui Moyses jussit [*f*]. Meminit idem (*g*) septorum, intra quæ ignis æternus Soli sacer conservabatur.

Hæc certissima est Idololatriæ ætas, quæ tradi queat : quamquam non ea est, quæ originem & exordium erroris, imò neque progressum doceat. Absolutam enim jam & provectam exhibet superstitionem, cùm jam astra, homines, & bruta divinis honoribus gauderent; magia, divinatio, & impietas ad summum malorum devenissent; & turpissima quælibet vitia, superstitiosi cultûs propagines, ulteriùs crescere aut magis debacchari non possent [*h*]. Nihil æquè certum ac vetustum apud profanos Authores occurrit.

Theophrastus apud Porphyrium [*i*] tradit, ab infinitâ propemodùm ætate Ægyptios, mortalium sapientissimos, Deorum cœlestium cultum & sacrificia in suis focis oblata adoptasse; non sacrificia thuris, & aromatum quæ recentiora sunt, sed viventium

(i) *Apud Euseb. Præpar. lib.* 1.

(k) *Ambrosiast. in cap.* 1 *Ep. ad Rom. Cyrill. contr. Jul. lib.* 3; *Hieronym. in Osee* II; *Euseb. Chronic.*

(l) Regnum Beli refert hic ad A. M. 2682, & Nini ad 2737.

(m) *Gen.* XXXI, 19.

(n) *Gen.* XXXV, 4.

(o) *In Genes.*

(p) *Gen.* XLI, 8.

(q) *Gen.* XLVII, 21, 22.

(r) *Lib.* 2, *c.* 37.

(s) *Ezech.* XVI, 3, 4, 5; *Amos*, V, 25, 26.

(t) *Exod.* XXXII, 4, 5.

(u) *Amos* V, 25, 26; *Act.* VII, 42.

(x) *Exod.* XX, 4.

(y) *Exod.* XXXII, 4, 5.

(z) *Levit.* XVII, 7.

(a) *Levit.* XIX, 28.

(b) *Num.* XXV, 2, 3.

(c) *Levit.* XVIII, 21; & XX, 2, &c.

(d) *Sap.* XII, 8, 23, 24, 27.

(e) *Sap.* XIII, 2, 3; XV, 18, 19; XVI, 1, 2.

(f) *Deut.* VII, 5; XII, 3.

(g) *Levit.* XXVI, 30.

(h) *Sap.* XIV, 12.

(i) *Apud Euse. Præp. lib.* 1, *c.* 9, *p.* 28, 29.

rentium herbarum, quas puris manibus lectas, atque ad cœlum elatas offerebant, veluti naturæ primitias; terra enim, antequam animalia pareret, plantas produxit. Plantas igitur integras cum foliis & radicibus evulsas igni imponebant, iis Sacrificiis opem Numinum sibi conciliaturi. Nec minor erat illis cura æternos ignes sive in Templis, vel in septis ad eam rem consecraris servandi. Abhorrebant autem adeò, ait ille, ab hac thuris, & cruentorum sacrificiorum, quæ hodie obtinet, profusione, ut maledictis onerarent eos, qui a vetere hac consuetudine recedere auderent, cujus hodie ne memoria quidem superest. Sed & Porphyrium, & Theophrastum provocamus, ut vel unum exemplum proferant cultûs eorum, quos appellant, cœlestium Deorum, apud veteres Ægyptios, & Religionis istius commentitiæ, quam illi sibi in mente suâ confinxerunt. Non hic quæritur, ut illustria rerum commenta præclaræque fabulæ excogitentur: rerum gestarum veritatem quærimus, & monumenta. Certiora profert Scriptura & remotissimæ ætatis, quibus vetustiora, si quid habent Porphyrius & Theophrastus, nullo satis firmo monumento afferuntur.

Diodorus Siculus, Libro 1, author est, Osiridem Regem Ægypti insigne Templum condidisse Jovi & Junoni parentibus suis; binas in eo ædiculas patri consecrasse, quarum alteram de nomine Jovis cœlestis, alteram Jovis Ammonis appellatam voluerit. Osiris diu ante Moysem vivebat, ejusque ætate aliorum etiam Deorum in Ægypto cultus obtinebat. Jupiter Ammon, plurium Eruditorum sententiâ, ipsissimus est Cham, pater Mezraim, & Regni Ægyptiaci primus author. Phoronæus sive Merops, omnium mortalium primus Templa in Ægypto erexisse, ab Arnobio (k) creditur: is coætaneus erat Abrahamo, cùm Apin, qui Meropi successit, ad ætatem Isaaci Eusebius conferat. Apud Lucianum [l] legimus, Cyniram Veneris Templum longe vetustissimum in monte Libani consecrasse; sed hujus viri ætas, ex calculis doctissimorum Chronologorum, cum bello Trojano componitur: quare nullum remotissimæ antiquitatis privilegium ex ætate ejus Templi Veneri conceditur. Narrat idem Author, non defuisse, qui primum Templi Deæ Syriæ authorem Deucalionem crediderint, quem virum alii cum Noë miscent. Sed hæc opinio nullo monumento fulcitur.

Rudis illa Idololatria, mortales & simulacra Divinis honoribus colens, non recens in Græciâ inventum est, at non tantæ vetustatis, ut cum superstitione Chaldæorum, Phœnicum & Ægyptiorum comparetur. Tradidisse se Græcis duodecim maximorum Numinum doctrinam simul & superstitionem, gloriabantur Ægyptii (m). Se etiam primos Authores dicunt Templorum, Altarium & simulacrorum. Assentiuntur & Græci, plura se accepisse ex Ægyptiis professi; sed quo tempore, incertum. Belli Trojani ætate, Græcorum religio jam tota florebat; non enim duodecim majores Dii desiderabantur, non Sacerdotes, non sacra, non Augures; & hæc e remotissimâ ætate invecta erant. Hesiodus, Homero coætaneus, Theogoniam reliquit partim veram, partim commentitiam, quæ a remotissimis fontibus Ethnicorum Deos deducit. Sed facilè acceptas ab exteris Genealogias nasce & traditiones Græci adoptarunt; quemadmodum ex Ægypto deduxisse illos nomina Deorum, Herodotus ultrò fatetur (n); tradit enim, rituum partem ad Cadmum & ad Phœnices in Bœotiam ab illo deductos, esse referendam; quemadmodum Bacchi solemnia [o], a Melampo instituta, & a Cadmo, ut putat Herodotus adoptata. Deorum verò genealogiam, adeò in Græciâ celebrem, recentius Græcorum inventum esse censuit, nonnisi post adscitos Deos ab Ægypto [p]. Quin & ipsorum Ægyptiorum confessione, commentitia illa Numina totidem erant veteres Ægypti Reges, quorum illi ætatem & genealogiam designabant. Repetebant illos quidem ex remotissimâ origine; sed vetustatis licèt privilegio donati, mortales erant, in censum Numinum adlecti; quorum alter alterum genuerat. Hoc fanè apertissimum est argumentum vanæ & commentitiæ eorum gentium religionis & Theologiæ.

Sunt qui maluerint Idololatriæ originem e Phrygibus repetere [q]; alii accersunt e Melisso Cretensium Rege. Græci tradunt (r), Cecropem Regem suum omnium primum simulacrum consecrasse, cui, nomine Jovis donato, hostiis litavit. Alii dedicata primùm simulacra Dædalo authori tribuunt [s]: at hic sculpturâ eximius, veteres quidem statuas exquisito artificio correxit, non primus invexit. Ante illum, uno æquabili lapidis ductu exprimebantur simulacra, qualia etiam nostrâ ætate spectamus in quibusdam Ægyptiis monumentis, quæ junctos simul pedes & brachia lateribus referunt. Rudem sculpturam Dædalus ita correxit, ut expressa scalpro simulacra propius ad naturam accederent (t). Congruunt hæc cum iis, quæ tradit Sapientia, XIII, 11, de artificio & solertiâ sculptorum, quorum simulacra elegantissimo opere expressa magnopere Idololatriam auxerunt; cùm enim eleganti domicilio delectari Deos, rudes populi opinarentur, in eâ maximè sententiâ confirmati sunt ex Oraculis, quæ ab iis simulacris reddi credebant.

Prætereundam censemus originem Idololatriæ apud Romanos, Scythas, Germanos,

(k) *Cont. Gent. lib.* 6.

(l) *De Deâ Syriâ*.

(m) *Herod. lib.* 2, *cap.* 4. Δυώδεκά τε θεῶν ἐπωνυμίας ἔλεγον πρώτους αἰγυπτίους νομίσαι, καὶ Ἕλληνας παρὰ σφέων ἀναλαβεῖν· βωμούς τε, καὶ ἀγάλματα, καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους.

(n) *Herodot. lib.* 2, *c.* 50: Σχεδὸν δὲ καὶ πάντα τὰ οὐνόματα τῶν θεῶν ἐξ αἰγύπτου ἐλήλυθε ἐς τὴν Ἑλλάδα. Διότι μὲν γὰρ ἐκ τῶν βαρβάρων ἥκει, πυνθανόμενος οὕτω εὑρίσκω ἐόν. Δοκέω δ' ὦν μάλιστα ἀπ' αἰγύπτου ἀπῖχθαι.

(o) *Idem, lib.* 2, *cap.* 4.

(p) *Idem l.* 2, *cap.* 145.

(q) Lege, si lubet, *Corn. a Lapid. in Sap.* 11.

(r) *Cyrill. contr. Jul. l.* 1.

(s) *Jul. Hygin. lib.* 1 *fabul. cap.* 274.

(t) Vide *Marsham. Can. Ægypt. Sæcul.* 11.

nos, Gallos & Africanos; præterquamquòd enim illorum res de veteri religione minùs sunt exploratæ, persuasissimum etiam habemus, Orientales citiùs, præsertim Chaldæam, Phœniciam, & Ægyptum, quàm Occidentales Populos, erroris contagionem sensisse. Quare, ut Authoris Sapientiæ sententiam de origine Idololatriæ invidiâ liberemus, non aliò quàm apud Orientales Populos divertendum est nobis. Legendus est hac de re Eusebius (u). Persuasum habet ille, Idololatriam in Ægypto cœpisse, ac deinde contagione Phœnicibus esse communicatam, unde postea irrepsit in Græciam, ex qua tandem Barbaræ gentes infectæ sunt. Cùm Ægyptii Astrorum jubar, fulgorem, certumque motum admirarentur, primùm suspicati sunt, aliquid ne Soli & Lunæ Divinum inesset; Soli autem nomen Osiridis, Lunæ verò Isidis tribuerunt.

(u) *Præparat. lib. 1, cap. 6, & 9.*

Sed negotium facit operosissimum ætas utriusque Numinis, quorum alter Rex Ægypti fuit, altera Regina, nemine diffitente. Porro Osiris ipse in inscriptione columnæ, Nysæ Arabiæ Urbe, ita de se profitetur: *Mihi pater Chronos, Deorum omnium ultimus. Sum verò Osiris Rex, qui universum peragravi orbem usque ad desertos Indorum fines. . . . Sum autem Saturni filius grandissimus, germen ex pulcro & generoso ortum, cui ex die genus fuit. Neque ullus est in Orbe, ad quem non accesserim, locus.* Et in alterâ columnâ, ibi positâ: *Ego Isis sum, Ægypti Regina, a Mercurio* (sive Thaauto) *erudita. Quæ ego ligavi, nullus solvere poterit. Ego sum Saturni, Deorum omnium ultimi, filia grandissima: ego sum Osiridis Regis uxor & soror. Ego sum Hori Regis mater.* Habemus hic apertissimum ordinis & genealogiæ horum Numinum monumentum. Constat autem, horum ætate vetustiorem esse Astrorum cultum in Ægypto. Tunc enim primò collata sunt Astris hominum nomina, cùm cultus, olim Astris impensus, ad homines translatus est. Ubi verò succurrit, ut bruta simul consecrarentur, illud insanissimè tradiderunt, Deos, sæviente Tiranum bello in Cœlestes, tutum sibi effugium in belluarum corporibus quæsivisse; quamobrem Divini honores belluis collati sunt. Constat planè, Metempsychosim in Ægypto plurimùm obtinuisse; eamque magnam fuisse causam credimus, cur belluæ in censum Deorum inferrentur.

Phœnices, Eusebii judicio, primò Solem & Lunam coluerunt. Quin & vetustissima fuisse Græcorum Numina Solem, Lunam, Astra, Cœlum & Terram, Plato putavit (x). Ignota erant olim nomina Saturni, Jovis, cæterorumque Deorum, recentiori deinde ætate celebrarissima: iisque Numinibus Aras & Templa dedicare, aut simulacra fingere negligebant, quorum ars, uti architectura, & pictura, ignorabatur.

(x) *In Cratylo, apud Euseb.*

Non abs re prorsùs de eodem argumento philosophatur Lactantius (y): Priores illi homines, inquit, *qui agrestem vitam sine ullo rectore vivebant, non est dubium, quin illis temporibus regem ipsum totamque gentem summis laudibus ac novis honoribus jactare cœperint, ut etiam Deos appellarent, sive ob miraculum virtutis (hoc verè putabant rudes adhuc & simplices) sive (ut fieri solet) in adulationem præsentis potentiæ; sive ob beneficia, quibus erant ad humanitatem compositi. Deinde ipsi Reges, quum cari fuissent iis, quorum vitam composuerant, magnum sui desiderium mortui reliquerunt. Itaque homines eorum simulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium; progressique longiùs per amorem meriti, memoriam defunctorum colere cœperunt, ut & gratiam referre benemeritis viderentur, & successores eorum allicerent ad bene imperandi cupiditatem. Sic paulatim religiones esse cœpere, dum illi primi, qui eos noverant, eo ritu suos liberos ac nepotes, deinde omnes posteros imbuerunt.*

(y) *De falsâ Relig. lib. 1, cap. 15.*

Et hi tamen summi Reges ob celebritatem nominis in provinciis omnibus colebantur. Privatim verò singuli populi gentis aut urbis suæ conditores, seu viri fortitudine insignes erant, seu fœminæ castitate mirabiles, summâ veneratione coluerunt, ut Ægyptii Isidem, Mauri Jubam, Macedones Cabyrum, Pœni Uranum sive Cœlum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum, Athenæ Minervam, Samos Junonem, Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi.

Præterea pietas eorum qui successerant, plurimum contulit ad errorem; qui [ut divinâ stirpe nati viderentur] divinos honores parentibus detulerunt. Anne potest aliquis dubitare, quomodo religiones Deorum sint institutæ, quum apud Maronem legat Æneæ verba sociis imperantis (z):

(z) *Æneid. VII, 133.*

Nunc pateras libate Jovi, votisque vocate
Anchisem genitorem?

Cui non tantùm immortalitatem, verùm etiam ventorum tribuit potestatem [a]:

(a) *Æneid. V, 59, 60.*

Poscamus ventos, atque hæc mea sacra quotannis
Urbe velit positâ Templis sibi ferre dicatis.

Idem scilicet de Jove Liber, & Pan & Mercurius & Apollo fecerunt, ac postea de his ipsis successores eorum.

M. Tullius in eo libro, quo se ipsum de morte filiæ consolatus est, ita scribit: *Cum verò & mares, & fœminas complures ex hominibus in Deorum numero esse videamus, & eorum in Urbibus atque agris augustissima delubra veneremur; assentiamus eorum sapientiæ, quorum ingeniis & inventis omnem vitam legibus & institutis excultam consti-*

constitutamque habemus. Quòd si ullum unquam animal consecrandum fuit, illud profectò fuit. Si Cadmi progenies, aut Amphitryonis, aut Tyndari in Cœlum tollenda fuit, huic quidem honos certè decendus: quod quidem faciam: teque omnium optimam, doctissimamque, approbantibus Diis immortalibus ipsis, in eorum cœtu locatam ad opinionem omnium mortalium consecrabo.

Ex hac Ciceronis ratiocinatione facilè intelligimus, nihil nisi certum assertumque statuisse Authorem Sapientiæ, cùm inter primas idololatriæ origines locum habuisse voluit patris erga filium insaniam potiùs quàm amorem; ex quo universa invidia in hunc Scriptorem creata evanescit. Non ille negat, alias etiam fuisse idololatriæ causas, cùm unam potissimam disertè assignet, describens cultum a Chananæis & Ægyptiis in Astra, elementa, & belluas impensum [b]. Neque id sibi proposuit, ut de omnibus singillarim idololatriæ causis dissereret; id enim ab argumento Operis alienum fuisset; quippe cùm propositum solummodò haberet, ut idololatriæ absurda legentibus ostenderet, satis erat hæc innuisse. Idololatriæ, quacumque demum ex parte illa respiciatur, nullus est excusationi locus: æquè enim semper humanæ menti probrosum erit, quòd debitum Creatori honorem in res creatas transtulerit, neglectis iis creaturarum clamoribus: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos*; neglectis etiam ipsius animi vocibus, disertè satis monentibus, summam rerum omnium perfectionem Deum esse. Probro etiam nunquam illi non dabitur, quòd in mediâ luce cæcutiens, Deum solum, æternum, immutabilem, infinitum, increatum, immortalem non viderit, neque intellexerit, Dei nomini atque honoribus imparem semper futurum esse sive hominem quemlibet, sive belluam, sive quampiam ex rebus a Deo constitutis.

(b) *Sap.* XIII, 1, 2, 3. *Aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, & Lunam Rectores Orbis Terrarum Deos putarunt.*

DISSERTATIO
DE NATURA ANIMÆ,
Et ejus post mortem statu, ex sententiâ Veterum Hebræorum.

ARTICULUS I.

Inter corpus, animam & Spiritum discretio.

Anima nomen in Veterum scriptis ambiguum est maximè; interdum enim sonat rem aliquam simplicem, spiritualem, incorruptam, immortalem, quæ cogitandi facultatem intra nos exercet. Interdum verò illis est res quædam, subtili, tenuique, aereâ, lucidâ materiâ constans, qua veluti corpore induitur *Spiritus*, qui cogitandi & ratiocinandi in nobis fons est & origo. Anima, posteriori hoc sensu accepta, ex Veterum plurimorum sententiâ, voluptatum illecebris trahitur, odoribus, instrumentorum musicorum suavitate mulcetur, circa sepulcra errans spectandam se præbet, victimarum cruore pascitur, ac randem ex alio in alium generatione propagatur. Hæc non modò apud Philosophos Paganosque Poëtas, sed & apud veteres Ecclesiæ Patres legas, uti & in Libris apocryphis sub ipsa Ecclesiæ crepundia probaris. Tria ab illis in homine distinguebantur: *corpus*, crassum nempe illud, materiâ compactum, obnoxium corruptioni; *anima*, aërea, tenuis, ad luminis naturam doremque accedens; & *spiritus* vel *mens*, spiritalis illa naturæ vis, in animâ veluti in vaginâ condita.

Resoluto corporis cum animâ per mortem nexu, illa vel supra Lunam cum spiritu evolat, vel si actæ vitæ scelera id poscant, ad inferna suppliciorum loca deturbatur. Proborum igitur animæ, cùm supernas tenuerint sedes, mors altera manet; fracto enim animæ claustro, *spiritus* cum Sole jungitur; *anima* verò Elysiis in sedibus sub Lunâ manens, absolutâ felicitate ibi fruitur, semper tamen affinem illam retinens cum cognato corpore formam, ad pristina terræ studia propensionem, ad arma scilicet, equos, jura, &c.

Leguntur hæc præsertim apud Homerum, summum illum Theologiæ Græcorum Coryphæum; agens enim ille (a) de Patrocli animâ, quæ spectandam se Achilli præbuit, similem omnino formam, ac ipsum olim Patroclum, illam præ se tulisse testatur. Alibi verò [b] Ulysses apud Inferos vidisse se dicit *Herculis Idolum*, Animam scilicet; *ipse verò*, addit, *apud immortales Deos oblectatur in conviviis*, spiritus videlicet. Et Dido (c) de animâ suâ post obitum prædicit:

Et nunc magna mei sub terras ibit imago.

(a) *Iliad.* XXIII, Ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Πατροκλῆος δειλοῖο, Πάντ' αὐτῷ μέγεθός τε καὶ ὄμματα κάλ' εἰκυῖα, Καὶ φωνήν· καὶ τοῖα περὶ χροῒ εἵματα ἕστο.

(b) *Odyss.* Λ, v. 600: Τὸν δὲ μέτ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην, Εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι Τέρπεται ἐν θαλίῃς, &c.

(c) *Æneid.* IV.

Quam-

Quamquam hæc satis per se abhorrent ab iis quæ fides & Scriptura tradunt; in ipsis tamen Scripturarum verbis nescio quid non dissimile lucet. Anima a Spiritu seu mente quodammodo distingui videtur, cùm anima ipsa, in Scripturis nuncupata (d) *Nephesch* sive *Neschmath*, vel etiam *Ruah*, homini æquè ac brutis tribuatur. Deus aquis præcepit, ut producerent *reptile animæ viventis & volatile super terram*. Et paulò infrà sufficisse dicitur Deus hominibus, & cunctis animantibus terræ, & omnibus, *in quibus est* (e) *anima vivens*, herbas ad vescendum. Solemni se fœdere obstringit Deus cum hominibus, & *omni animâ vivente* (f), nempe cum animantibus omnibus: & missis diluvii aquis, perdidit Deus *cuncta, in quibus spiraculum vitæ est* (g). Et: *Ego interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est* (Hebraicè *Ruah*). Ac tandem: *Provideat Dominus Deus spirituum omnis carnis* (h). Vide & Ecclesiasten, III, 19, 20, 21.

Sed Spiritus (*Ruah*) sine addito, vel mens (*Binah*), vel ambo simul, *spiritus intelligentiæ* (i), uni tantum homini tribuuntur. Porrò hæ loquendi formulæ in eam fortè persuasionem veteres Hebræos induxerunt, animam illam, quæ hominibus ac brutis communis est, quam in sanguine residere tradit Scriptura (k), *Anima carnis in sanguine est; & anima omnis carnis in sanguine est*, materiâ quadam constare, & alterius naturæ esse a mente, quam nunquam brutis Scriptura tribuit. Luculenter sanè animam sensitivam & rationalem distinguens Philo (l), ait, vitalem animam ipsam esse, qua vivimus: rationalem verò, per quam rationis participes sumus: illam nobis esse cum brutis communem; hanc peculiarem. Deus, ait, rationalem illam animam non habet quidem, sed illi dominatur, qui omnis rationis principium est & origo. Deterior illa anima, brutis communis, essentiam habet sanguinem: at illa quæ ex rationali fonte manat, spiritus est, non aër motus, sed character quidam & effigies divinæ potentiæ. Ita quod in animo est præstantissimum, vocatur mens & ratio. Hæc Philo.

Docet alibi, animam ex materiâ constare; propositâ enim sibi quæstione, cur anima videri oculis nequeat (m), respondet, non esse inde colligendum, animam nequaquam existere; esse enim per universas mundi partes diffusas animas, in aëre, in igne, in terrâ; astra etiam suis animabus cieri; Angelos verò, animas, & Dæmones nomine tantùm differre (n). Quòd si alibi tradit, Angelos esse incorporeos (o), illud solummodo vult, illos corporis materialis claustro, ut hominum animas, non teneri. Legit autem, quemadmodum Septuaginta: *Videntes Angeli Dei filias hominum, quòd essent pulcræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant*. Hæc verò licèt allegoricè explicet de corporis cum animâ conjunctione, certum tamen ponit, animas sive Angelos, per aëra circumfusos, naturali quadam in corpora propensione ita ferri, ut in unum tandem cum illis coalescant; quæ sanè propenio non nisi in substantiâ materiali residet. Cùm tamen nihil satis expressum de corporeâ animarum naturâ habeat Philo, judicium de ejus sententiâ non fero.

At certè Josephus (p), & Author Veteris Libri Henoch (q) censuerunt, Angelos, ac proinde animas, quas ejusdem naturæ esse constituunt, a corpore secretos non esse. Non semel animam a Spiritu distinguit Author Libri Henoch: *Spiritus animarum hominum suspirant; &* paulò infra (r) *Spiritus animarum hominum mortem jam functorum, ad portas usque Cæli suspiria eorum pertigerunt*: & capite IX: *Gigantes, a spiritûs & carnis copulâ procreati, erunt Spiritus nequam* (Dæmones), *Spiritu e corpore carnis suæ deflectente*. Agnoscas postremis hisce verbis sententiam, in Rabbinorum quorumdam scriptis (s), & in S. Chrysostomo pariter legendam (t), animas scilicet impiorum interdum in Dæmones mutari; quæ sanè cum iis congruunt, quæ tradit Josephus (u), & post ipsum S. Justinus Martyr (x), Dæmonum infestationes in hominum corpora, ab ipsis quandoque effici impiorum animabus e corpore separatis.

Tribuunt etiam Rabbini animabus, post relictum corporis contubernium, subtile aliud corpus, quod *Vas animæ* appellant. Habent enim persuasum, impiorum animas, post obitum, vestis cujusdam genere circumfundi, quia indutæ tormenta, patiantur; justorum verò animas splendido quodam paludamento & fulgenti corpore vestiri, quo pariter felicitatem & fulgorem beatitudinis omnem capere assuescunt (y). Vestigia quædam hujus opinionis deprehendimus in Apostolis (z). S. Thomas nunquam se fidem addicturum Apostolis, qui spectasse corpus Jesu Christi sese affirmabant, professus est, nisi suis ipse manibus locum clavorum & vulnerum in illius pedibus, manibus, ac latere exploraret; quasi scilicet ambigens, utrùm imago corporis Jesu Christi, vel ejus anima, qua spiritus tamquam veste induebatur, socios decepisset.

Animam a spiritu distinguere visus est Daniel (a), cùm ad laudes Domini vocet spiri-

(d) *Gen.* I, 20. נפש חיה
(e) *Gen.* I, 30.
(f) *Gen.* IX, 10.
(g) *Gen.* VII, 22. כל אשר נשמת רוח חיים *Vide & Deut.* XX, 16; *Josue*, X, 40, &c.
(h) *Num.* XXVII, 16, & XVI, 22.
(i) *Job*, XX, 3; & XXVIII, 8.
(k) *Levit.* XVII, 11, 14.
(l) *Lib. Quòd deter. potior. insid. pag.* 170; Τῷ μὲν ἡ ζωτικὴ, καθ' ἣν ζῶμεν. Τῷ δὲ ἡ λογικὴ, καθ' ἣν λογικοὶ γεγόναμεν. Τῆς μὲν οὖν ζωτικῆς μετέχει καὶ τὰ ἄλογα. Τῆς δὲ λογικῆς οὐ μετέχει μὲν, ἄρχει δὲ ὁ Θεὸς, ἢ τοῦ πρεσβυτάτου λόγου πηγή. Ἡ μὲν οὖν κοινὴ πρὸς τὰ ἄλογα δυνάμεις, οὐσίαν ἔλαχεν αἷμα, ἡ δὲ ἐκ τῆς λογικῆς ἀπορρυεῖσα πηγῆς, τὸ πνεῦμα, οὐκ ἀέρα κινούμενον, ἀλλὰ τύπον τινὰ καὶ χαρακτῆρα θείας δυνάμεως . . . . Τὸ τῆς ψυχῆς ἄριστον εἶδος, ὁ νοῦς, καὶ λόγος κέκληται.
(m) *De Gigant. pag.* 285.
(n) *Ibid. pag.* 286.
(o) *Idem de confus. ling. pag.* 345, &c.
(p) *Antiquit. lib.* 1, *cap.* 4: Πολλοὶ γὰρ ἄγγελοι Θεοῦ γυναιξὶ συμμιγέντες ὑβριστὰς ἐγέννησαν παῖδας.
(q) *Cap.* 4: Ἐπορεύθησαν πρὸς τὰς θυγατέρας, καὶ συνεκοιμήθησαν μετ' αὐτῶν, καὶ ἐν ταῖς θηλείαις ἐμιάνθησαν.
(r) *Ibid. cap.* 4: Ἰδοὺ τὰ πνεύματα τῶν ψυχῶν τῶν ἀποθανόντων ἀνθρώπων ἐντυγχάνουσι, &c.
(s) *Vide Bartolocc. t.* 2, *pag.* 35.
(t) *Homil.* 29 *in Matth. pag.* 283.
(u) *De Bello, lib.* 7, *cap.* 25.
(x) *Apolog.* 2, *pag.* 65.
(y) *Vide Rab. Abdiam Sphurn. in Or. Haschem, pag.* 92.
(z) *Jo.* XX, 25, 26, 27.
(a) *Dan.* III, 86.

spiritus item & animas: *Benedicite Spiritus & animæ justorum Domino*; neque enim ille spirituum nomine Angelos, & Beatos designare potest, quos antea ad eadem studia invitaverat; neque *Virtutes Cælorum & Spiritus Dei*, nempe ventos validos (*b*), de quibus jam egerat. Author Libri de Assumptione Moysis (*c*) narrat, Josue in ipso monte, ubi Moyses diem clauserat, versanti obvios factos geminos Moyses, quorum alter inter medios Angelos superas Cœli sedes petebat, alter in terrâ commorans conditus est: prior Moyses erat ipsius anima; alter crassum ejus corpus. Saducæi, qui Spiritum quemlibet atque Angelos esse negabant (*d*), admittebant relpsâ tamen rationalem quamdam animam, illius tantùm immortalitati iniquiores. Residere illi quidem in homine fatebantur cogitans aliquid; hoc ipsum tamen immortale esse pariter & Spiritum, negabant.

ARTICULUS II.

Animæ immortalitas.

IMmortalitatis animæ dogma constanti sanè religione tenuerunt non Hebræi modò, sed Chaldæi pariter, Indi, & Ægyptii, antequam Græci quidquam de illo nossent. Primos ejus Authores Ægyptios asserit Herodotus [*e*]; addens, quosdam se nosse apud Græcos, qui illius inventionem alii quidem seriùs, recenriùs alii, sibi vindicarent; nolle se tamen eorum vel nomina indicare, ut illorum famæ utcumque consulat. Quibus verbis tacitè fortasse innuuntur Thales Milesius (*f*), & Pherecides (*g*), quos Græci primos hujus dogmatis Authores arbitrantur: constat tamen, receptam ab aliis doctrinam illos Græcis tradidisse.

Pausanias (*h*) ejus originem refert ad Caldæos, & Indorum Magos, ex quibus didicisse ait Græcos, & Platonem potissimùm. Sed vera ejus origo nonnisi apud Hebræos quærenda est, in Moyse scilicet cæterisque Scripturæ Libris, in Patriarchis ac in eorum familiâ, a Deo electâ, ubi nedum traditio constans & certa dogmatis de immortalitate animæ occurrit, sed & hujus argumenta, ac veluti fundamenta rei, cui tota veluti Religionis moles incumbit. Moyses vetustissimus omnium, cujus scripta supersint, narrat, Deum, post creatum hominis corpus, inspirasse *in faciem ejus spiraculum vitæ* [*i*]. Cùm verò de cæteris animalibus agit, nihil habet simile.

Spiraculum hoc vitæ aliud sanè habendum est atque aliquid sensibus obnoxium, & materiale; constat enim, Deum merum esse spiritum, nec Hebræos unquam sive animâ Deum ipsum constare, sive corpore præditum, ut cæteri homines sunt, credidisse. Est ergo spirituale aliquid, & mens ipsa, sive anima rationalis, tunc homini infusa. Hunc eumdem spiritum retrahit ab homine, cùm e viventium numero aliquem subducit (*k*); hic pariter intelligendi facultate nos instruit (*l*); hic virâ donat [*m*]: lampas est seu *lucerna Domini*, *spiraculum hominis*, ex Proverbiis, xx, 27. Inde verò Platonici (*n*), & Veterum alii collegisse censendi sunt, animam hominis effluvium esse quoddam & Dei ipsius portionem, ex ejus ore spiraculum, *Divinæ particulam auræ* [*o*]. *Humanus animus, decerptus ex mente divinâ*, ait Cicero (*p*), *cum alio nullo, nisi cum ipso Deo comparari potest*. *Ratio nihil est aliud*, ait Seneca [*q*], *quam in corpus humanum pars divini Spiritûs mersa*.

Cum Deus creandi Adami consilium agitaret, *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram* [*r*]. Porrò nulla est corporis cum Deo similitudo, sed in animâ tantùm & ratione. Cùm pariter Deus ipse immittere diluvii aquas statueret (*s*), *Non permanebit*, ait, *Spiritus meus in homine, quia caro est*. Quis autem Spiritus iste, morte hominis a Deo reductus (*t*), nisi Spiritus ille divinus, qui juxta illud Psalmi [*u*], *Spiritus est vadens & non rediens?* De hoc pariter Spiritu dicitur (*x*): *Revertatur pulvis in terram suam unde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*.

Fatemur nos quidem, eas interdum loquendi phrases occurrere in Scripturâ, quæ belluarum & hominum naturam æquare videntur; quasi scilicet utraque eodem spiritu, & Divini oris spiraculo animetur. Communia hæc vocabula, *Anima*, *Spiritus*, *Spiraculum*, datas utrique huic creaturarum generi communes animas designant; hominum & brutorum interitus iisdem non raro vocibus exprimitur: *Aufers Deus spiritum ex omni carne* (*y*); cibum & vitam omnibus æquè animalibus suppeditat; si faciem avertat, omnia turbantur: *Auferes spiritum eorum, & deficient*. Deus diluvii aquis interfecit omnem carnem, *in qua Spiritus vitæ est* [*z*]; terræ & aquis imperat, ut producant *animam viventem*, seu animalia vitâ & animâ donata [*a*]; & post diluvium fœdus init *cum omni animâ vivente* [*b*]; ac tandem anima est in sanguine (*c*). Quibus loquendi phrasibus innui videtur, ambiguas esse maximè voces illas,

(b) *Confer Dan.* III, 58, 61, 65, 86.

(c) *Apud Clem. Alexand. lib.* 6 *Strom. Evod. ad August. Epist.* 259, *inter Augustin.*

(d) *Act.* XXIII, 8.

(e) *Herodot. lib.* 2, *cap.* 123: Πρῶτοι δὲ ϗ τόνδε τὸν λόγον αἰγύπτιοι εἰσὶν εἰπόντες, ὡς ἀνθρώπυ ψυχὴ ἀθάνατός ἐστι.

(f) *Cherilus apud Laërt. lib.* 1, *pag.* 16.

(g) *Tull. Tuscul. quæst. lib.* 1, *c.* 16.

(h) *Messen. c.* 4: Ἐγὼ δὲ Χαλδαίους ϗ Ἰνδῶν τοὺς μάγους πρώτους οἶδα εἰπόντας, ὡς ἀθάνατός ἐστιν ἀνθρώπου ψυχή. καὶ σφισιν ϗ Ἑλλήνων ἄλλοι τε ἐπείσθησαν, ϗ οὐχ ἥκιστα Πλάτων ὁ Ἀρίστωνος.

(i) *Genes.* II, 7. ויפח באפיו נשמת חיים

(k) *Job.* XXXIV, 14. רוחו ונשמתו אליו יאסף

(l) *Job*, XXXII, 8. נשמת שדי תבינם

(m) *Job*, XXXIII, 4. נשמת שדי תחיני

(n) *Plato in Phædro, pag.* 78, 80, 81, 95. *& in Timæo, pag.* 99.

(o) *Horat. lib.* 2, *satyr.* 2.

(p) *Tuscul. QQ. lib.* 5, *num.* 38.

(q) *Epist.* LXVII.

(r) *Genes.* I, 26.

(s) *Genes.* VI, 3. לא ידון רוחי באדם *aliàs* לא ילון

(t) *Psal.* CIII, 29.

(u) *Psal.* LXXVII, 39. רוח הולך ולא ישוב

(x) *Eccle.* XII, 7. והרוח תשוב אל האלהים

(y) *Psal.* CIII, 29. תסף רוחם יגועון (z) *Genes.* VI, 17; VII, 15. אשר בו רוח חיים (a) *Genes.* I, 20. (b) *Genes.* IX, 10. (c) *Levit.* XVII, 11, 14. כי נפש כל בשר דמו

las, *Anima*, *Spiritus*, *Dei spiraculum*: nec satis aptè illas immortalitatem animæ probate, quippe quæ mortales brutorum animas æquè designant.

Nihil tamen est quod facessat nobis negotii hæc vocum affinitas, quemadmodum nihil facit, dum familiari sermone solemus interdum iisdem vocibus significare rationalis animæ actiones, quibus & brutorum motus ac sensitivæ animæ functiones. Quis enim rectè colligat ex hac vocum cognatione cognatas pariter esse utriusque generis animas? Cùm res poscit, satis accuratè definimus, quid nobis, quid brutis conveniat. Eadem pariter cautio est in Scripturâ. Si populares quandoque voces usurpans, homines a brutis distinguere non satis videtur, cùm tamen res ipsa poscit, quid homines inter & bruta distet, satis luculenter exponit. Asserit peculiaria quædam de homine, quæ nunquam de belluis affirmat; & siquando paria de utrisque loquitur, sermo tunc est tantùm de vitâ corporis, de animâ sentiente, quam brutis æquè ac hominibus vindicant omnes. Quare in brutis anima, spiritus, spiraculum a Deo datum reductumque ad arbitrium, nihil est aliud, quàm vita corporis, in sanguine potissimùm residens. In homine verò vocibus illis interdum designatur anima sentiens æquè & rationalis; non tarò etiam rationalis tantùm; id quod ex ipso sermone satis cognoscitur.

Legimus e. g. Abrahamum senio confectum obiisse, & *congregatum esse ad populum suum* [d]. Ad quem, rogo, populum? an ad Thare, Nachor & Heber? Nunquam profectò. Hi in Chaldæâ & Mesopotamiâ sepulturæ mandati, corpore ab illo discreti manserunt; cùm in speluncâ, pretio ab ipso comparatâ, in Chanaanitide Abrahami cadaver jacuerit. Anima ergo Abrahami ad patrum suorum animas abiit, unà cum illis resurrectionem in loco destinato operiens.

Jacob, accepto de nece filii sui Josephi nuncio, ejulans clamabat: *Descendam ad filium meum in infernum* (e), in sepulcrum scilicet. Nunquam sanè duo simul cadavera, suum nempe & filii, jungi posse norat mœstissimus pater, ratus non alium datum esse carissimo filio tumulum, quàm carnivoræ belluæ ventrem; sed alterius vitæ cum illo consuetudinem sperabat.

Cùm Deus ad Moysem locutus imperavit, *Pergat Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israël* (f); & cùm ad Moysem (g), *Conscendens* (montem Nebo) *jungêris populis tuis*; hæc sanè ad verbum explicari nequeunt; constat enim, montem *Hor*, ubi Aaron, & *Nebo*, ubi Moyses diem clauserunt, montes esse, illum Arabiæ Petreæ, hunc Moabitidis, dissitos planè a Mesopotamiâ, Chaldæâ & Chanaanitide, ubi avita patrum Hebræorum sepulcra quærenda erant. His ergo phrasibus apertissimè docemur, alterius vitæ, in qua simul omnes convenirent, spem fuisse Patriarchis; qua pariter fretus David, dolorem suum in obitu filii, ex Bethsabee orti, solabatur (h): *Ego vadam ad eum, ille non revertetur ad me*.

Deus e rubo ardenti Moysem affatus, dixit (i): *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob*. Non est ille profectò Deus mortuorum, ut Jesus Christus observat (k): vivebaot ergo, sed alterâ planè vitâ, Patriarchæ. Core, Dathan, & Abiron hiscente terrâ absorpti, *Descenderunt vivi in infernum* (l); quibus verbis tacitè docemur, superstites adhuc raptos esse in loca suppliciorum, uti olim Henoc, & Elias in amœnissimum locum, superstites pariter, translati sunt. Satis autem his omnibus innuitur, receptam fuisse apud Hebræos tum de alterâ vitâ, cùm de animarum immortalitate persuasionem. Confer locos similes sæpè in Scripturâ (m).

Jacob ad obitum decumbens, morbi tædium solabatur spe salutis & redemptionis (n): *Salutare tuum expectabo, Domine*: aliam planè salutem in æternitate sperabat. Cur Balaam tantis votis optabat, *Moriatur anima mea morte justorum* (Israëlitarum nempe), *& fiant novissima mea horum similia* (o)? cur insuper post diuturnum tempus visurum se ait Liberatorem Israëlis, quem veluti longe venientem prospicit [p]? cur, inquam, hæc omnia, nisi tamdiu in alterâ vitâ superstitem se futurum expectat, quamdiu spei illius tempora impleantur? Quid tandem factum est de iis promissionibus, quibus se Deus obstrinxit Abrahamo: *Ego ero merces tua magna nimis* [q]? quid muneris contulit Deus sanctissimo viro, ejus posteris Isaaco, Jacobo, Judæ, cæterisque Justis, dum viverent, quod illorum virtuti Divinæque liberalitati par esset? Sperandum ergo supererat animæ Abrahami præmium aliud, sanè post obitum in alterâ vitâ.

Aliud argumentum, propositum evincens, ex eo ducitur, quòd Hebræi mortuos ad vitam revocandos crederent; quòd per visum mortalibus interdum apparerent; quòd de futuris eventibus mortui consulerentur. Mortuos ad vitam revocatos ab Elia (r) & ab Elisæo (s), cujus etiam postremi Prophetæ cadaver defuncto alterius corpori vitæ fuit & saluti (t), legas in sacrâ Scripturâ. Anna mater Samuelis, Dei esse virtutis dicit *deducere ad Inferos & reducere* [u]. De reditu e captivitate Babylonicâ & Hebraicâ liberatione, sub resurrectionis nomine & figurâ, non tarò aguot Prophetæ (x). Porrò dogma de resurrectione ubique apud Judæos, exceptis Saducæis, ab ipsa Maccha-

(d) Genes. xxv, 8.

(e) Genes. xxxvii, 12.

(f) Num. xx, 24.

(g) Deut. xxxii, 50.

(h) 2 Reg. xii, 23.

(i) Exod. iii, 6.

(k) Matt. xxii, 32.

(l) Num. xvi, 30, 33.

(m) Prov. i, 12: *Deglutiamus eum, sicut infernus, viventem*. Et Psal. liv, 16: *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes*. Et Psal. ix, 18: *Convertantur peccatores in infernum*.

(n) Gen. xlix, 18.

(o) Num. xxiii, 10.

(p) Num. xxiv, 17.

(q) Genes. xv, 1.

(r) 3 Reg. xvii, 20, 23.

(s) 4 Reg. iv, 34, 35, &c.

(t) 4 Reg. xiii, 20, 21.

(u) 1 Reg. ii, 6.

(x) Ezechiel. xxxvii, 1; Osee, xiii, 14.

chabæorum ætate, constat inter omnes. Jesu Christi resurrectio Judæorum quamplurimis probabatur; ac tandem Lazarus sub ipsis, ferè dicam, omnium Israëlitarum oculis rediit ad vitam; uti alios ante illum nonnullos Jesus pariter excitaverat. Frustra autem expectabatur resurrectio mortuorum, si unus erat animæ & corporis interitus.

Mortui per visum spectati non rarò in Veteri Testamento leguntur; quorum luculentissimum est exemplum Samuel a Pythonissâ revocatus (y). Jeremias pariter Judæ Macchabæo spectandum se per visum obtulit (z). Gradientem super undas maris noctе intempestâ Jesum spectantes Apostoli, phantasma esse censuerunt (a); ac randem Jesus ipse post resurrectionem sese offerens Apostolis, *Videte*, ait, *& palpate, quia spiritus carnem & ossa non habet* [b]. Persuasum habent Rabbini, nunquam destinatas sibi sedes obtinere animas posse, sive in Paradiso sive apud Inferos, nisi priùs sepulturæ corpus mandetur; quin & ad conditum sub terrâ corpus invisendum ventitare illas frequentes, quid de illo fiat, cognituras [c]: putant autem, duodecim primorum a morte mensium spatio factum esse, ut Pythonissa animam Samuelis, quæ rediit ad corpus, revocaret; frustra enim eâ temporis periodo elapsâ, Samuele jam in Paradisum recepto, venefica laborasset.

De Necromantiâ cavet Moyses (d), ne interrogentur illi, qui mortuos consulunt; quod capitale esse, tam interrogantibus, quàm ariolis, decernit. His omnibus in locis usus est voce *Ob* seu *Oboth*, quæ pariter recurrit apud Reges (e), ut significet Pythonissam, quam Saul consuluit, quæque illius precibus Samuelis animam revocavit. Cautum est pariter in Deuteronomio (f), ne quærant *a mortuis veritatem*.

Luculenta sunt hæc, ut Hebræorum persuasionem de animarum vitâ post obitum & immortalitate demonstrent. Qui autem e Synagogâ animæ immortalitatem negabant, veluti Saducæi, & qui pariter solvi, & in nihilum abire illas censebant, uti Maimonides, & Kimchi (g), hæreseos notâ inurebantur, utpote qui contra receptum gentis dogma pugnarent. Fit inde, ut ex his immortalitatis animæ adversariis argumentum ducatur ad confirmandam communem Judæorum pro eâdem ipsâ immortalitate sententiam; qua etiam in re valet impiorum hominum illud apud Ecclesiastem, III, 18, 19, 20: *Unus interitus est hominis & jumentorum: sicut moritur homo, sic & illa moriuntur; similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius; cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum. De terrâ facta sunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum; & si spiritus jumentorum descendat deorsum?* Quorum cavillationes ita Sapiens everrit (h): *Et revertatur pulvis in terram suam, unde erat; & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*. Claudit deinde sermonem (i): *Deum time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo. Et cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit*.

(y) 1 *Reg.* XXVIII, 13, *&c.*
(z) 2 *Macc.* XV, 14.
(a) *Matth.* XIV, 26.
(b) *Luc.* XXIV, 37.
(c) *Bereschit Rabb. cap.* 22; *Talmud, tract. Sanhedrin, cap.* 4.
(d) *Levit.* XIX, 31. אל תפנו אל האבות *Levit.* XX, 6, *&* 27.
(e) 1 *Reg.* XXVIII, 3, *&c.*
(f) *Deut.* XVIII, 11. ודרש אל המתים *Vide & Isa.* VIII, 19.
(g) *Maimon. & alii quidam, ut D. Kimch. in Psal.* 1, 5; *&* CIV, 29.
(h) *Eccle.* XII, 7.
(i) *Ibid.* ℣. 13.

ARTICULUS III.

Animarum fatum post obitum.

Angelum mortis præsidem, qui sive invitam, sive ultro volentem animam e corpore reducit, veteres Hebræi agnoscebant. Qui præcoci & violentâ morte interibant, perinde habebantur, ceu victimæ divinæ ultioni, Angelo mortis & exterminii destinatæ, pœnas daturæ sive criminum suorum, sive parentum, sive Regum. Ita criminum suorum causâ percussi sunt a Deo *Her* & *Onan* filii Judæ [k]; primores natu Ægyptiorum gladium senserunt Angeli exterminatoris (l); Israëlitas seditionis reos, & copias Sennacheribi [m] perdidit Angelus mortis; Septuaginta in Jobo, XXXIII, 23, legunt: *Si fuerint mille Angeli mortiferi, unus eorum non vulneraret eum*; & in Jobo, XXXVI, 14: *Moriatur in tempestate anima eorum, & vita eorum vulnerata ab Angelis*. Et Salomon [n]: *Semper jurgia quærit malus; Angelus autem crudelis mittetur contra eum*.

In Vitâ Moysis editâ a Gaulmino legimus, Samaëlem Principem Dæmonum expectasse tempus morti Moysis destinatum, quò scilicet virum percutiens, secum auferret animam; Deum verò id officii Gabrieli commisisse. Hoc munus, cùm id agere non auderent, a se deprecari sunt Gabriel, Michaël, ac Zinghiel; sed malus Angelos Samaël recusatum ab omnibus suscepit. Accedentem bis repulit Moyses, ac tandem micantis gloriæ suæ fulgore oculorum illius lucem extinxit. Tunc Legislator Deum precatus est, ne Angeli mortis potestati permitteretur; ad quem voti compotem factum ipse Deus, adhibitis unà secum Michaële, Gabriele, & Zinghiele, accedens, animam impacto ori illius osculo attraxit, juxta illud: *Moyses servus Domini mortuus est super os Domini* [o]. Sed recta hujus sententiæ expositio est, Moysem ex Divinorum verborum fide obiisse.

Doctrina est Rabbinorum (p), Angelum mortis ægroti vel animam agentis capiti fulgente gladio armatum adsistere. Ejus aspectu territus miser, os diducit; ita-

(k) *Genes.* XXXVIII, 7, 10.
(l) *Exod.* XII, 23, 29.
(m) *Isaia*, XXXVII, 36; *&* 4 *Reg.* XIX, 35.
(n) *Prov.* XVII, 11.
(o) *Deut.* XXXI, 5: *Mortuus est Moyses jubente Domino. Hebr. Super os Domini.*
(p) *Talmud. Vide Buxtorf. Synag. Jud. c.* 35, *pag.* 507.

timque Angelus tres venenatas guttas gladii cuspide intra apertas fauces demittit, quarum primâ statim æger extinguitur, alterâ atro mortis colore inficitur, tertiâ tandem solvitur in cineres. Statim post peremptum hominem, Angelus in obvio quolibet vase aquâ pleno venenatum gladium eluit, unde noxia qualitas aquæ communicatur. Quamobrem Judæi omnem aquam, quæ domi est, effundunt, nequis venenato latice inficiatur.

Putant pariter, animam post mortem ad viduatum corpus ventitare frequenter; & ne errare in tenebris cogatur, septem dierum spatio accensam assiduè lampadem in conclavi detinent (q). Elato autem ad tumulum cadavere, Angelus mortis monumento assidens, revocat iterum animam in corpus momento mansuram, tamdiù scilicet, dum corpus stare semel possit. Stans corpus Angelus catenâ partim candente, partim algente ter percutit: primo ictu ossa comminuuntur; secundo dissipantur; tertio randem ictu rotum corpus in cinerem solvitur. Succedentes tunc boni Angeli dispersa colligunt ossa, & corpus iterum monumento restituunt (r). Sed nihil tale occurrit, sive in Scripturâ, sive in priscis Judæis. Id tantummodò apud Origenem & Theophylactum, de resurrectione Lazari agentes, legimus (s), Judæos atque Ethnicos persuasum habuisse, animas post obitum, aliquo temporis spatio, illato in sepulcrum corpori assistere; quam credulitatem, falsam omnino, ut destrueret, altâ voce clamasse Jesum: *Lazare, veni foras.*

(q) *Bartolocc. tom. 2, p. 147; Buxtorf. loc. cit.*

(r) *Buxtorf. Synag. cap. 35.*

(s) *Joan. XI, 43.*

ARTICULUS IV.

Judicium Dei in animas.

Legimus (t), animam Lazari mendici translatam ab Angelis in sinum Abrahami; certumque tenent Rabbini, S. Michaelis manu justorum animas ad Deum duci (u). Narrat Josephus (x), receptum fuisse apud Pharisæos, impiorum animas judicium sub terrâ subire, damnatique ad inferni supplicia. Agnoscunt Judæi duplex judicium, privatum post mortem, & universale post resurrectionem. Prima dies Tizri, quæ caput est anni, judicio Divino in homines occupatur; quamquam nunc rationes potiùs ducit, sive in examen revocat Deus animas inferni suppliciis jam cruciatas, veriùs quàm judicat.

Talmudistæ (y), ex doctrinâ Sameæ, docent, tres hominum classes coram judicio, destinatâ ad eam rem die, sistendas, justos, impios, & medios quosdam homines inter justos & impios. Priores illi æternâ statim vitâ donantur; impii inferorum suppliciis addicuntur, medii, sive Judæi sint, sive Ethnici, ad Inferna unà cum corpore descendent, ubi ascendentes & descendentes duodecim mensium spatio, ascendentes nempe ad corpora, & iterum inferna loca repetentes, plorabunt. Elapsâ hac temporis periodo, corpora absumentur; comburentur animæ, easque ventorum impetus sub pedes justorum disperdet. At Hæritici & Epicuræi, qui Legem negant & resurrectionem mortuorum; Tyranni, sub quibus terra olim tremuit; & illi omnes, qui exemplo Jeroboami filii Nabat populos ducunt ad scelus, per sæcula in infernis punientur. Agnoscebant ergo Judæi, quantum ex his colligimus, genus quoddam Purgatorii, qua de re infra fusius. Modò Scripturæ & Veteris Instrumenti testimoniis statuendus est duplex locus, quem Paradisum vocant, & Infernum.

(t) *Luc. XVI, 22.*

(u) *Vide Targ. in Cantic. IV, 12; & Rebith Chocmah, c. 3.*

(x) *Antiquit. lib. 18, cap. 2, pag. 617, Et de bello, lib. 2, cap. 12.*

(y) *Talmud. in Gemar. tract. Rosch Haschana, cap. 1, fol. 16.*

ARTICULUS V.

Paradisi felicitas.

Nihil satis luculentum apud Moysem de vitâ æternâ, & futuri statûs felicitate, justorum præmio destinatâ: innuit tamen hæc omnia non obscurè, nec rarò. Deus ad Moysem ait (z): *Non videbit me homo, & vivet*: quasi scilicet post obitum solummodò Dei aspectu homo sit fruiturus. Deus (a) pollicetur: *Custodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis.* Et (b): *Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum* (si nempe Dei legibus parueris), *& e contrario mortem & malum* (si deteriora exempla sequaris). Profectò nec ea, quæ in corpore est, vita satis æquum est meritis justorum, morigeros se divinis jussionibus exhibentium, præmium; neque satis respondet pœna mortis sceleri eorum, qui Legem Dei prævertere ausi sunt. Experientiâ pariter docemur, eos, qui justissimi habentur in hac vitâ, non idcircò & felicissimos esse, & diuturniùs agere in terris; at impiis interdum omnia velificari, optimam nempe corporis habitudinem, vitam diuturniorem. Manent ergo in alterâ vitâ æterna præmia & supplicia.

Abigail Davidem affata ait (c): *Erit anima Domini mei custodita, quasi in fasciculo viventium, apud Dominum Deum tuum. Porrò inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu, & fasciculo fundæ.* Quid *fasciculus viventium*, nisi justorum in alterâ vitâ felicitas? quid *animæ rotatio*, nisi impiorum in Inferno supplicia?

(z) *Exod. XXXIII, 20.*

(a) *Levit. XVIII, 5.*

(b) *Deut. XXX, 15, 19.*

(c) *1 Reg. XXV, 29.*

Fre-

Frequentissimè in Psalmis, & Prophetis sub figuris indicatur decreta viris probis felicitas in alterâ vitâ, veluti cùm justorum Animæ potandæ dicuntur torrente voluptatis. Huc pertinet fons vitæ, quo inebriantur; instructissimum illud convivium, cui assident; terra viventium, quam incolent; Regnum Cœlorum, ad quod vocantur; corona gloriæ, qua rediminntur; nitor & fulgor majestatis, quo vestientur [*d*]. Martyres sub Arâ Dei exhibet S. Joannes (*e*): animas Moysis & Sanctorum sub throno Dei collocant Rabbini [*f*]; in sinu Abrahami constituit Jesus Christus (*g*). Samuel Sauli per visum sese offerens, illum arguit (*h*): *Quare inquietasti me?* Jesus Christus ad Latronem probum (*i*): *Hodie mecum eris in Paradiso.* Ipse pariter Jesus comparat Regnum Cœlorum convivio (*k*), ubi nec fatuæ Virgines, nec impii, nec veste nuptiali carentes admittuntur: sed rejecti, in tenebras exteriores projiciuntur, ubi est fletus, desperatio, conscientiæ angores, & stridor dentium. Agit alibi de vitæ hujus felicitate, tamquam de Regno, in quo primas sedes amici & fidissimi quique ministri occupant (*l*). His omnibus satis docemur, eamdem fuisse Hebræorum olim, quæ & nostri temporis, persuasionem, de futuræ vitæ felicitate, quam magnificis verborum figuris exprimebant.

Quamquam justorum locus in alterâ vitâ destinatus alius planè est, & dissitus maximè ab impiorum carcere, *Inter nos & vos chaos magnum firmatum est* (*m*); cruciat tamen, & maximè cruciat impios sub ipsorum velut oculis exposita justorum felicitas & gloria (*n*): *Hi sunt*, ita illi inter se gemunt, *quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est..... Talia dixerunt in Inferno hi, qui peccaverunt.* Impius ille dives Lazari mendici felicitatem oculatus testis spectavit (*o*); rogavitque Abrahamum, ut in terras mitteret Lazarum, fratres suos moniturum, ne quid committerent, cujus causâ æternis suppliciis damnarentur. Author quarti Esdræ (*p*) narrat, justorum animas clamare ad Dominum *in promptuariis suis* in hæc verba: *Usquequo spero sic? & quando veniet fructus areæ mercedis nostræ? Et respondit ad ea Jeremiel Archangelus, & dixit: Quando impletus fuerit numerus seminum in vobis.* Quæ sanè plurimum congruunt cum Apocalypsi, VI, 10, ubi Martyrum animæ sub Altari positæ clamant ad Dominum: *Usquequo non vindicas sanguinem nostrum?* quibus responsum est, expectarent adhuc tantisper, donec fratrum & conservorum numerus impleretur, qui omnes vitam pro Domino erant daturi.

(d) *Dan.* XII, 3, *Sap.* III, 7.
(e) *Apocal.* VI, 6.
(f) *Vide Vindec. de vitâ functorum statu, sect.* 7.
(g) *Luc.* XVI, 22.
(h) 1 *Reg.* XXVIII, 15.
(i) *Luc.* XXIII, 43.
(k) *Matth.* VIII, 11; *Luc.* XIII, 28.
(l) *Matt.* XX, 21.
(m) *Luc.* XVI, 26.
(n) *Sap.* V, 3.
(o) *Luc.* XVI, 23, *&c.*
(p) 4 *Esdr.* IV, 36, *&c.*

ARTICULUS VI.

Inferorum supplicia.

INferni locus designatur in Scripturâ nominibus tenebrarum (*q*), perditionis, corruptionis, terræ oblivionis, silentii (*r*), profunditatis, procellæ, abyssi, putei (*s*), umbræ mortis [*t*], loci horroris & confusionis. Moyses Israëlitas adversus Dominum perduelles arguens, ait (*u*): *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad Inferni novissima; devorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.* Habes hic ignem subterraneum Inferni, locum perditionis in imo terræ fundo, sub ipsis montium fundamentis, sub aquarum abysso. Hebræi enim terram & montes aquis imponunt; aquis autem inferiorem collocant Infernum. In imo hoc carcere torti Gigantes gemunt [*x*]: *Gigantes gemunt sub aquis.* In hunc locum impii veluti morricina in loca immunda projiciuntur (*y*). Idem pariter locus horroris, incognitus, invius hominum obtutibus, oculis Dei nudus est & apertus (*z*).

Hæc de pœnis Inferni Isaias, LXVI, 24: *Cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me: Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, & erunt usque ad satietatem visionis universæ carni.* Jesus Christus [*a*] Inferno accommodat hunc Prophetæ locum. Mulieris prostitutæ vias deducere ad Inferos, ait (*b*) Salomon, ad *sedes* nempe *Raphaim*, veterum scilicet Gigantum, qui scelestum vitæ institutum ante diluvium tenentes, nominis sui terrore universum orbem concusserunt. *Vir, qui erraverit a viâ doctrinæ, in cœtu Gigantum commorabitur* (*c*). Ibi positos Gigantes nulla manet egrediendi spes. Psalmista [*d*]: *Aut medici suscitabunt* (Hebr. *Aut Rephaim*, seu Gigantes, *resurgent*) *& confitebuntur?* Isaias, XXVI, 14: *Morientes non vivent, Gigantes non resurgent; propterea visitasti, & contrivisti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum.* Et de Israëlitis agens, futurum nunciat, ut a Deo in vitam, lucis rore demisso, revocentur; at in eorum adversarios deturbabit Deus *terram Gigantum*, (Hebr. Rephaim), sub terrâ nempe Gigantes claudens, in tenebricoso carcere [*e*]. Vide etiam Ezechielem, XXXI, 15: *Operui eum in abysso*; & Jeremias [*f*]: *Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis. Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. Inundaverunt aquæ super caput meum: dixi: Perii. Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu novissimo.*

(q) *Psal.* LXXXVII, 13, 14; & 1 *Reg.* II, 9.
(r) *Psal.* XCIV, 17. & CXV, 17, *in Hebræo.*
(s) *Psal.* LXVIII, 16.
(t) *Psal.* LXXXVII, 7, 8; *Job*; X, 22.
(u) *Deut.* XXXII, 22.
(x) *Job*, XXV, 5.
(y) *Psal.* XLIX, 15; & CXLI, 7.
(z) *Job*, XXVI, 6, *Prov.* XV, 11.
(a) *Matt.* IX, 44.
(b) *Prov.* II, 18; & IX, 18.
(c) *Prov.* XXI, 16.
(d) *Psal.* LXXXVIII, 11.
(e) *Isai.* XXVI, 19. כי טל אורות טלך וארץ רפאים תפיל

(g) Psal. lxxxix, 16.
(h) De Rep. lib. 10.

Congruunt postrema hæc Prophetæ verba cum Psalmistâ (g), Deum rogante, ne unquam permittat, ut in abyssum deturbetur, nec Inferni fauces super se claudantur. Nec male huc pariter refertur somnium Eri, de quo Plato (h). Vir erat Armenus, qui in prælio pro mortuo relictus, integer & incorruptus biduo pòst in ædes suas relatus est; & cùm evolutis duodecim diebus pyræ imponendus esset, ad vitam reversus, quæcumque in alterâ vitâ spectaverat, in frequenti auditorum coronâ narrare aggressus est. Referebat autem, se unà cum confertâ mortuorum turbâ, coram Judicibus stetisse: Judicibus autem imperantibus, Justos Cœli alta tenuisse, ad dexteram sedentes; impios verò rejectos ad sinistram, quos operimentum quoddam adusque terræ profundissima demissum regebat. Addebat, se, cùm suo ordine judicandus accessisset, audivisse a Judicibus, oportere ut nunciandis iis, quæ viderat, regrederetur in terram.

His oneratus jussionibus, sedulò exinde omnia spectavit, quò certiores de illis faceret viventes: animadvertisse autem, animas, quæ in Cœlum ascenderant, quæque sub terram rejectæ fuerant, per idem veluti iter unde iverant, regredi deinde singulas; fulgentes quidem & puras animas, quæ e Cœli plagis venirent; sordescentes verò, quæ ex Inferis ascenderent. Ubi autem venerant, statim se conferebant in amplissimum pratum, quasi a labore fessæ, solarium capturæ; ibi verò eæ, quæ in terris consuetudine aliquâ fuerant conjunctæ, amplexu & propriorum eventuum narratione prioris amicitiæ vinculum magis magisque jungebant.

Carebant eo privilegio animæ scelestissimorum virorum, tyrannorum, & hominum humano generi perniciosissimorum; cùm enim illæ ad ostium, aditum tentaturæ, accederent, terrâ renitente, ingentique mugitu reboante, repellebantur. Aderant non longè viri quidam terribiles, ignem vibrantes ex oculis, qui regredi eò, unde exierant, invitas reluctantesque cogebant. Hæc Armenus ille, ea narrans quæ tum ipse tum gens sua de statu animarum post obitum credebant.

In hanc ferè sententiam docent Rabbini, defunctorum animas ire & redire ad Inferos, cùm illis pateant duodecim priorum mensium spatio ab obitu tenebricosi illius carceris fores; at scelestissimorum animæ ita in suppliciis tenentur, ut ne momento quidem vacent pœnâ. Liber Henoch narrat, S. Michaëlem a Deo jussum, Semiaz aliosque perduelles Angelos comprehendisse, onerasse catenis, ad imum terræ fundum rapuisse, ubi LXX generationum spatio torquebuntur; quibus evolutis, sistentur ad judicium, ac deturbabuntur præcipites in chaos ignis æterni nigro in loco detenti, catenis onusti, æternis cruciatibus addicti. Tandem gemina fermè animadvertas in Apocalypsi, xx, 3, ubi Angelus e Cœlo descendit clavem tenens abyssi, Dæmonem arripit, veterem illum anguem alligat, in abyssum deturbat, ostium super ipsum claudit, munitque sigillo, ut egressu penitus interdicat.

Sed Veteris Testamenti documenta, ex occasione illius somnii intermissa, iterum repetamus. Isaias, XIV, 9, de Rege Babylonis ait: *Infernus subter conturbatus est in occursu adventûs tui, suscitabit tibi Gigantes. Omnes Principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes Principes nationum. Universi respondebunt & dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis effectus es. Detracta est ad Inferos superbia tua, concidit cadaver tuum; subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidisti de Cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes. Ad Infernum detraheris in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient: Numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit Regna?* Spectare licet in hoc Prophetæ loco Reges & Principes in Inferno dignitatis suæ insignia retinentes, & veluti solatium aliquod capientes e societate cæterorum, quibuscum morum aliqua erat illis similitudo.

Ezechiel, XXXI, 15, Regem Ægypti alloquens, veluti consolaturus, revocat in mentem, Assyrium olim tamquam cedrum Libani procerum, insignem, virore spectatum, quòd tumidæ mentis fastu superbierit, potentissimo nationum a Deo fuisse traditum, ab eoque cæsum & in frusta comminutum esse; implicitis eodem infortunio cæteris arboribus circum satis, quas Deus omnes ad imum terræ dejecit *in medio filiorum hominum*, qui in tumulum descenderunt. *In die quando Assur descendit ad inferos* [ait Dominus] *induxi luctum, operui eum abysso*, (ne egrediatur) *& prohibui flumina ejus, & coercui aquas multas. Contristatus est super eum Libanus, & omnia ligna agri concussa sunt. A sonitu ruinæ ejus commovi gentes, cùm deducerem eum ad Infernum* (ad sepulcrum). *Et consolata sunt in terrâ infimâ omnia ligna voluptatis egregia* (Hebr. ligna Eden, arbores hortorum amœnissimorum) *atque præclara in Libano, universa, quæ irrigabantur aquis; nam & ipsi cum eo descendent in Infernum ad interfectos gladio, & brachium uniuscujusque sedebit sub umbraculo ejus in medio nationum. Cui assimilatus es, o inclyte atque sublimis inter ligna voluptatis* (ligna Eden)? *Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam; in medio incircumcisorum dormies, cum eis, qui interfecti sunt gladio; ipse est Pharao, & omnis multitudo ejus.*

Comparat hic Propheta Assyrium cum cedro Libani, & cæteros ante ipsum Re-

ges

ges in Inferis detentos, arboribus horti Eden, nempe terrestris Paradisi. Pergit (*i*) de Rege Ægypti, qui unà cum suis ad imum terræ descendit: *Descende, & dormi cum incircumcisis. In medio interfectorum gladio cadent. Gladius datus est, attraxerunt eam, & omnes populos ejus. Ibi Assur, & omnis multitudo ejus, in circuitu illius sepulcra ejus: omnes interfecti, & qui ceciderunt gladio. Quorum data sunt sepulcra in novissimis laci: & facta est multitudo ejus per gyrum sepulcri ejus: universi interfecti cadentesque gladio, qui dederant quondam formidinem in terrâ viventium. Ibi Ælam, Mosoch, & Thubal... Et non dormient cum fortibus, cadentibusque & incircumcisis, qui descenderunt ad Infernum cum armis suis; & posuerunt gladios suos sub capitibus suis. Ibi Idumæa, & Reges ejus, & omnes Duces ejus. Ibi Principes Aquilonis omnes, & universi venatores, qui deducti sunt cum interfectis, qui dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio. Vidit eos Pharao, & consolatus est super universâ multitudine suâ, quæ interfecta est gladio.*

Animadvertere juvat, nullam hic fieri de Israëlitis mentionem, expressis tantùm Incircumcisis, Tyrannis, & sævissimis quibusque Principibus, hominum exitio datis. Sedulò etiam distinguunt Rabbini inter Israëlitas cæterosque populos, Israëlitici generis neminem a futuri sæculi felicitate excludendum putantes. Vide Ezechielem XXVI, 19, 20, ubi de Tyro, tamquam de homine agens, quem deducendum in abyssum minitatur, diluvii aquis oppressum; ac tandem in Infernum rapiendum, in imo terræ fundo *ad populum sempiternum*.

Nec ab his abludunt ea, quæ legimus apud Josephum [*k*]. Esseni, ait ille, immortalitatem animarum defendunt, docentes, illas vix corporis laqueo solutas, ovantes ad Cœlum, veluti longâ servitute liberatas, sese conferre. Justorum animæ trans Oceanum transferuntur, in locum quietis & deliciarum plenissimum, ubi nihil incommodi est, anni vices nullæ. Impiorum verò animæ extorres aguntur in loca injuriis aëris exposita, ubi æterna illas manent tormenta. Qua in re eadem fermè sedit Essenis ac Poëtis nostratibus, eùm scilicet Tartari & Plutonis Regna describunt, sententia. Idem Josephus de Pharisæis testatur, habere illos persuasum, animas immortales post decessum deliciis in alterâ vitâ frui, facilemque habere in alia corpora regressum. Hoc de probis; improbas verò animas censent æternis pœnis addiei.

Ab aliorum Judæorum dogmate, quoad pœnas impiorum ac justorum præmia, non recedens Philo [*l*], æquè tamen dissidet ab Ethnicorum et Essenorum sententiâ, quod ad Infernum spectat. Quæ enim feruntur de Tantalis, Sisyphis, Ixionibus, cæterisque ejus naturæ apud Poëtas, inter fabellas numerat, certum statuens, Infernum aliud esse nihil præter impuram & vitiis fœdissimam vitam. Hæc ille quidem allegoricè. Cæterùm asserendum nobis de Philone credimus, nihil satis luculenter tradere illum sive de loco, ubi impiorum animæ torquentur, sive de genere suppliciorum. Quin & hæc omnia tormenta in eo solummodò ponere videtur, quòd animæ ex uno in alterum corpus migrent, ubi plura illis mala, & omnium bonorum inopia toleranda plerumque sunt.

Constat inter omnes, apertissima legi in N. T. de Paradiso & Inferno, gloriâ Justorum, & impiorum suppliciis, beatitudine, æternoque igne, utramque paginam implentia, testimonia. Postremâ illâ Judicii die hanc proferet Jesus Christus adversùs impios sententiam (*m*): *Discedite maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.* Justos verò hisce consolabitur: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum a constitutione mundi.* S. Joannes in Apocalypsi (*n*) Infernum designat nomine *abyssi, perditionis*, & *mortis secundæ*. S. Judas hæc scribit, ℣. 6, de Angelis, qui non servaverunt suum Principatum: *In judicium magni diei vinculis æternis sub caligine* (Deus) *reservavit. Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ Civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnas sustinentes. Similiter & hi, qui carnem quidem maculant.* Frustra in re certâ testimonia congeruntur.

ARTICULUS VII.

Metempsychosis.

UT de Metempsychosi agamus, & argumenti connexio petit, & sententiæ Pharisæorum & Rabbinorum complurium exposcunt. Docebant Pharisæi, Justorum animabus post factum a priori corpore divortium, facilem dari in alia quælibet corpora ingressum (*o*). Tradit etiam Philo (*p*), animas ex aëre in corpora illabentes, post solutum corporis vinculum, aërem repetere; ex iis verò aliquas invisam semper habere materiam, nihilque magis metuere, quàm ut iterum ad corpora redigantur; alias autem, contrario planè ingenio, insitâ naturæ propensione, corpora iterum reposcere. Qui

(*i*) *Ezech.* XXXII, 18, 19, *&c.*

Ita tamen hæc Rabbinorum deliria cum Scripturæ phrasibus vulgaribus convenire credimus, ut nihil habeant magis, quàm expressam e Scripturis doctrinam, repugnans.

(*k*) *De Bello, lib.* 2, *cap.* 12, *pag.* 787, 788; *& Antiquit. lib.* 18, *cap.* 2, *pag.* 617: Ἀθάνατόν τε ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς οἷς ἀρετῆς, ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ γέγονε. Καὶ ταῖς μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προτίθεσθαι, ταῖς δὲ ῥᾳστώνην τοῦ ἀναβιοῦν. Hic locus de Pharisæis est, non de Essenis.

(*l*) *De congressu quærendæ eruditionis causâ.*

(*m*) *Matth.* XXV, 41.

(*n*) *Apocal.* 11, 11; & XX, 6, 14; & XXI, 8.

(*o*) *Joseph. Antiquit. lib.* 18, *c.* 2, *pag.* 617; *Et de bello lib.* 2, *c.* 12, *pag.* 788: Ψυχὴν δὲ πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην, τὴν δὲ τῶν φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι.

(*p*) *Philo de somniis, pag.* 586; *& de Gigant. pag.* 289.

Qui ex Judæis favent metempsychosi, sive, ut appellant, animarum revolutioni, laudant in eam rem illud Jobi, XXXIII, 29: *Hæc omnia operatur Deus, tribus vicibus per singulos* [homines]; quod illi explicant de triplici revolutione, seu triplici regressu animarum ad corpora. Alii verò exponunt de triplici animâ, quam hominum singulis assignant. Verus tamen, & genuinus loci sensus est, Deum semel, bis & tertiò, idest, frequenter hominem discrimine liberare.

Pro metempsychosi etiam afferunt locum Isaiæ, XXII, 14, ex Paraphraste Chaldæo: *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini*, Chaldæus habet: *Usque ad secundam mortem*; nempe, ut Judæi explicant, ad secundi usque corporis, ejusdem animæ contubernii, interitum; quo secundo in corpore anima prioris vitæ scelera eluet. Reverà tamen sermo ibi est de morte æternâ, quam nomine secundæ mortis S. Joannes semel, iterum, & tertiò in Apocalypsi designat (*q*). Afferunt tandem authoritatem Libri Zohar [*r*], vetustissimi, & magni inter illos momenti, non obscurè metempsychosi faventis.

Nihil tamen habent Judæi vetustius Josepho, & Philone, quorum testimonia recitavimus. Constat etiam ex Evangelio, eam sententiam Jesu Christi ætate plurimum apud Judæos valuisse; quærens enim Christus ab Apostolis, quis ipse & qualis a Judæis putaretur, respondentes audivit (*s*): *Alii Joannem Baptistam; alii autem Eliam; alii verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis*. Et Herodes Tetrarcha (*t*), auditâ prodigiorum Jesu Christi famâ, vereri cœpit, ne Joannes Baptista, quem ipse occiderat, in vitam rediisset. Obtinebat maximè dogma illud in Oriente, & apud Ægyptios potissimùm, qui constanti semper fide huic se adhæsisse gloriabantur (*u*). Obtinebat pariter & apud Philosophos, sive Platonicos, sive Pythagoricos, nec ab aliis facilè, quam ab Ethnicis, acceperunt Judæi.

Nihil enim satis huic favens occurrit in Scripturâ; omnes quippe loci, ubi sermo est de transmigratione spiritûs ex uno in alterum hominem, explicandi sunt de Spiritu Sancto, ab uno in alterum derivato, e. g. a Moyse in Josue, a Josue in Othnielem, ab Elia in Elisæum; cùm scilicet Deus eodem Spiritu suo successorem implet, quo præcessorem instruxerat. Afferunt etiam in hanc rem sanctionem illam Legis, quæ Israëlitis præcipit, ut viduam fratris sine liberis obeuntis superstes frater ducat, ut defuncto proles creetur. Sed quid hæc ad metempsychosim? Nec sanè magis congruit quod afferunt ex Genesi, III, 19: *Pulvis es, & in pulverem reverteris*; quasi scilicet apertissima hæc sint pro regressu animæ ad secundam vitam, resoluto per mortem priore terreno corpore. Reipsa tamen hic locus exprimit moriendi necessitatem, homini post crimen impositam.

Cabalistæ, potissimi dogmatis hujus assertores apud Hebræos, levissima plura & minuta ad eam rem afferunt, quorum numerus sedulitatem nostram vincit; & futiliora sunt, quam ut juvet in rem præsentem singula expendere: cùm præsertim ea tantùm afferre studeamus, quæ apud veteres Hebræos sancta erant in hoc argumento, ut locis quibusdam Scripturæ lux affundatur. En igitur potissimum dogmatis de transmigratione fundamentum [*x*]: Ne ulla supersit animabus excusatio, quasi scilicet in male affecta corpora demissæ, omnia servare Dei præcepta vix ac ne vix quidem valuerint, quippe quarum aliis contigerit corpus atro humore nimis tetrum, aliis biliosum, aliis ad iracundiam pronum, aliis ad voluptatem factum, Ut igitur omnes hasce cautationes Deus optimus auferat, per alia & alia corpora animas traducit, ut si fortè ad supplicia damnentur, nullam objicere possint excusationem. Ita commodum est unicuique eum perfectionis gradum, quem in priori corpore attingere non potuit, assequi in secundo, atque ita demum ad alterius vitæ felicitatem sibi destinatam pervenire.

Ter autem hanc animarum transmigrationem repeti censent, freti eo Jobi loco, quem superiùs recitavimus, & altero planè explicari sensu demonstravimus. Ad rationes cæteras supra deductas quod attinet, nihil sanè illæ minus, quam metempsychoseos necessitatem evincunt. Nullam nos justam prætendere possumus causationem, si ab officio defuerimus, neque imperatum nobis perfectionis penitùs absolverimus. Nihil exigit Deus, quod fieri nequeat; nec nisi pro meritis supplicia decernit.

Mirari subit, quomodo Judæi in eam persuasionem venire potuerint, animam Joannis Baptistæ in Jesum Christum migrasse, cùm Joannes Jesu Christo coætaneus fuerit, Baptismo illum tinxerit, suoque testimonio commendaverit. Sed certum tenent Rabbini, tres animas posse in homine esse, ac fieri, ut unam habenti animam altera deinde superveniat (*y*), sive ante actæ vitæ scelera expiatura, sive novum perfectionis gradum adeptura, sive officium suum majori curâ impletura. Tunc secunda illa anima veluti spiritualis Pater habetur illius, quem animat; quo sensu censent Rabbini, Sanctis viris filios esse posse in alterâ vitâ. Commodum itaque fuit animæ Joannis Baptistæ post obitum in corpus Jesu transmigrare; atque nimis credulis ea per-

(q) *Apoc.* II, 11; & XX, 6, 14; & XXI, 8.

(r) *Lib. Zohar Paras, Hase Sara*.

(s) *Matth.* XVI, 14.

(t) *Matth.* VI, 14, 15, 16.

(u) *Herodot, lib.* 2, *c.* 123.

(x) *Menass. Ben-Israel, de Resurrect. mortuor. lib.* 2, *c.* 18.

(y) *Vide R. Isaac. Lorens. de revol. anim. c.* 5.

persuasio induci potuit, Joannem Baptistam iterum ad vitam rediisse, & miraculis coruscasse.

Neque in homines tantùm migrare animas putabant; pronum illis censebant in bruta & in res etiam inanimatas transitum: asserit enim Rabbinus quidam, novisse se virum quemdam maledicum, cujus anima in aridum torrentem missa fuit, seque illic eam versantem agnovisse. Hanc ille fabellam, quamquam supra fidem, credulis Discipulis persuasit. Docebat insuper, virorum animas ad mulierum corpora interdum migrare; quamquam tunc steriles animæ illæ manent, nec perficiuntur: quamobrem, inquiunt, Deus nonnisi raro postremam hanc revolutionem permittit. Sunt tandem quæ convertuntur in leones, in angues, in asinos, singulæ juxta pravum, quo instruuntur, ingenium (z).

Hanc animarum revolutionem ad allegoriam detorquere visus est Philo (a), ita commentus: Qui rationis disciplinâ non imbuitur, ille in bruti naturam mutatur, quamquam nihil illi de pristinâ hominis figurâ decedit. Constat tamen, Veteres æquè & Recentiores metempsychosim reipsâ docuisse; quam pariter in locis supra laudatis Philo non obscurè præfert: quamquam ipse solius meminit revolutionis animarum in corpora humana, quæ omnium est communissima. Utramque verò tenebant Veteres, nec ad tempora, nec ad certam revolutionum periodum definiebant (b).

Omnia mutantur, nihil interit. Errat, & illinc
Huc venit; hinc illuc, & quoslibet occupat artus
Spiritus, æque feris humana in corpora transit,
Inque feras noster: nec tempore deperit ullo.

(z) Vide Jechiel Male, apud Gaulmin. not. ad vitam Mosis, pag. 327.

(a) De Legib. special.

(b) Ovid. Metamorph. lib. xv.

ARTICULUS VIII.

Purgatorium.

MOdò quid Judæi de Purgatorio sentirent, investigandum est. Profectò novisse illos aliquid de Purgatorio, quod toto anno ab obitu hominis perseveraret, ex iis, quæ supra deduximus, satis arbitror constare. Eâ temporis periodo integrum est animabus ex Inferis ad terram ascendere, corpus suum, loca, & homines, quibuscum peculiarem habuerant consuetudinem, invisuris. Toto hoc temporis spatio pro animarum requie preces offerebant Judæi, solarium aliquod illis, quietem, & criminum expiationem se allaturos sperantes.

Quid veteres Judæi hac de re crederent, luculenter satis exprimitur in Macchabæorum secundo, XII, 40, 43. Cùm milites quidam Hebræi in certamine occisi, dum legebantur spolia, inventi fuissent celata ferre sub vestibus idolothyta quædam, e manubiis Templi Jamniæ, quod crimen erat contra Legis sanctionem apertissimum (c), *Omnibus manifestum factum est, ob hanc causam eos corruisse . . . Atque ita ad preces conversi, rogaverunt, ut id quod factum erat, delictum oblivioni traderet . . . . At Judas, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium.* Habebant ergo persuasum, illos in locum quendam missos esse, ubi solatium aliquod e precibus & sacrificiis sentirent; non in loco detineri, unde egressus omnis præcluderetur.

(c) Deut. VII, 25, 26: Nec inferes quidquam ex Idolo in domum tuam.

Putant Judæi, locum, ubi *prævaricatores Israël*, nempe qui libertatem a pœnis sperare possunt, torquentur, ipsissimum esse Infernum, locum destinatum suppliciis æternis impiorum, atheorum & scelestissimorum, quos nulla manet spes reditûs, & libertatis; discrimen tamen esse inter hos & priores illos rentur. Primò, minoribus suppliciis prævaricatores hosce torqueri; secundò, breviori tempore; constituta enim in prævaricatores Israëlis pœna ad certam diem erat; quin & ii levabantur plurimùm precibus & oblationibus viventium; contra verò impiis æterna omnia.

Fabellas etiam in Libris suis narrant, quibus dogma de Purgatorio longè latèque apud illos vulgatum haberi demonstratur (d). R. Elisæus, filius Abiæ, superstes adhuc semel in Paradisum introductus, ingratum aliquid spectavit; quare minùs lætus pedem inde retulit. Docuit ille, duo esse rerum principia, bonum nempe & malum, in hæresim degenerans: nomen pariter mutavit in *Elisæum Acher*, id est, *Elisæum alterum*. Hunc hortabatur discipulus suus R. Meir, uti tandem meliora saperet; cui demum in exitu vitæ obtemperavit. Cùm autem de viri illius salute post obitum plures dubii versarentur, fidem suam obligavit Meir, post obitum emissurum se e Præceptoris tumulo fumum, Purgatorii, cui ille addictus esset, indicium; quem pariter fumum statim imperio suo cessaturum edixit Johanan Rabbinus, in signum educti hominis e Purgatorio; & utroque fidem suam liberante, salus Elisæi certa omnibus esse visa est.

Narrant pariter (e), R. Akibam, cùm per cœmeterium transiret, in hominem diu antea

(d) Vide Cod. Chagigeab, & Israël, cap. 22, pag. 15, col. 2; Bartoloc. tom. 2. pag. 151.

(e) R. Tanchum Paras, Toledoth Noab.

antea defunctum incidisse, qui ingentem lignorum sarcinam humeris deferens, præcipiti cursu rapiebatur. Interrogatus a Rabbino, quis esset? utrùm auxilii indigeret? respondit, se quidem damnatum esse ad lignatoris, & carbonarii exercitium; dum viveret, vectigalium exactorem egisse, non sine pauperum extorsione, atque ingenrium aliorum criminum maleficio. Raptim hæc dicebat, togans, ne diutiùs retineretur, moram omnem suppliciis suis sævitiam addere ajens: si quid autem vellet sibi gratum præstare, curaret, ut uxorem suam, quam fœtam reliquerat, conveniret, & si natum ex eâ filium intelligeret, fœminam rogaret, ut filium ipsum offerre pro patre preces doceret in hanc formulam: *Benedicite Domino, & sit benedictus*. Filium Akiba nactus, circumcisione initiavit, docuitque Deum rogare; duxit ad Synagogam; & vix puer preces in ea verba concepit, *Benedicite Domino, & sit benedictus in secula seculorum*, pater Purgatorii flammis liberatus, per visum sese offerens Akibæ, de præstito sibi pietatis officio grates Rabbino egit.

Sabbati dies gratiarum est & indulgentiæ animabus Purgatorii, si Judæos audias; omnia enim supplicia eâ die cessant. Cui dogmati fidem addere eùm quispiam recusaret, Rabbinus ad sensum demonstravit, nullum eâ die fumum e tumulo Patris efferri ostendens. Indulgentiæ est pariter dies solemni Expiationi sacra; cùm enim precibus multas horas impendant Judæi, plurima exerceant pœnitentiæ opera, iis plurimum pariter solarii afferri miseris illis opinantur. Rationes etiam eâ die singularum animarum supputat Deus, & singularum statum expendit. Persuasum est autem Judæis, animas in loco expiationis nonnisi XII mensium spatio perseverare; XII, inquam, mensium, non anni unius, quòd scilicet annus XIII interdum mensibus, ut in intercalaribus usu venit, constet.

Est autem Purgatorium, inquiunt illi, *in Gehennâ superiori*, quam etiam appellant sinum Abrahæ, thesaurum viventium, hortum Eden. Infernus est in *Gehennâ inferiori*; in duos enim gradus distinguunt Infernum [f]. Censent pariter, Israëlitas omnes partem habere in futuro sæculo (g), nempe in beatitudine, quò statim post obitum, vel saltem post expiata in Purgatorio crimina, recipiuntur. Parvum solummodo sceleratissimorum numerum a beatitudine excludunt. Hanc falsam illorum persuasionem damnatam credunt Interpretes nonnulli ab Jesu Christo iis verbis (h): *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, nec in futuro*; & in altero loco [i], ubi futurum testatur Jesus, ut nihil illis prosit, quòd filii sint Abrahæ, quo a meritis alterius vitæ pœnis eximantur.

ARTICULUS IX.

Sententia Ethnicorum cum Hebræis concordia.

Antequam suprema manus huic Dissertationi imponatur, animadvertere operæ pretium est, quanta sit sententiarum affinitas inter veteres Hebræos, & Priscos ex Ethnicis Poëtas atque Philosophos. Immortalitatis animarum dogma commune erat non apud Chaldæos tantùm, Ægyptios, Hebræos, Indos, atque Orientales cæteros, sed apud Latinos pariter & Barbaros, ut tamquam communis generis humani persuasio jure meritoque possit haberi: *Cùm de animarum æternitate disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium Inferos, aut colentium. Utar hac persuasione publicâ*, ait Seneca (k). Censebant illi, animam portionem quamdam esse & fluxum sive favillam divinæ substantiæ (l); putabant, virorum mortem ab Apolline induci, mulierum a Dianâ (m). Quæ sanè congruunt cum persuasione Hebræorum de Angelo mortis. Docuerunt, certa manere in alterâ vitâ sive præmia, sive supplicia. Quæ Essenis de Paradiso & Inferno stetit sententia, congruit cum opinione Ægyptiorum [n]; quam adoptarunt Homerus [o] & Græci.

Gigantes aquarum pondere oppressi, audacissimi moliminis pœnas luentes [p], iisdem fermè coloribus apud Profanos (q) ac apud sacros Scriptores pinguntur.

Hic genus antiquum terræ Titania pubes,
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.

Judicium Minois & Radamanti [r] apud Inferos, ipsum est Dei in mortuos judicium. Metempsychoseos sententia, longe latèque in Oriente, & Græciâ pervagata, communis erat pariter, & ejusdem fermè naturæ apud Pharisæos, ætate Josephi. Mercurius, animas deducens post obitum ad Inferos, effictus est imitatione dogmatis Judaici de Angelo Michaële, ad judicium Dei animas sistente. Purgatorium Judaicum occurrit etiam in scriptis non Barbarorum modò, sed Græcorum & Latinorum, sive in opinione metempsychoseos, qua animæ ex alio in aliud corpus expiandæ traducuntur, sive in variis suppliciis, quibus ajunt animas probari, ut demum ad Insulas fortunatas & Elysios campos perveniant.

(f) Vide Vindec. de vitâ functor. statu, sect. 8.
(g) Judæi in Talmud. frequenter.
(h) Matth. XII, 32.
(i) Matth. III, 9.
(k) Epist. 11, cap. 2.
(l) Ita Plato in Phædone; Philo de mundi opif. Cic. de somn. Scipion. Virgil. Ovid. Horat.
(m) Homer. Iliad. & Odyss. plus semel.
(n) Diodor. Sicul. lib. 1, pag. 58, seu 82, 83, 84, 87.
(o) Homer. Odyss. lib. 10, & 24.
(p) Job, XXVI, 5.
(q) Virgil. Æneid. VI, Hesiod. Theogon. Ἔνθα Θεοὶ Τιτῆνες ὑπὸ ζόφῳ ἠερόεντι Δῃμαῖα ναιετάουσι ἐπ' ἀπειρονοῖο θεμέθλοις.
(r) Vide Tertull. Apolog. c. 47. Lact. Instit. lib. 2, c. 20. Vide Homer. Platon. Virg.

COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN LIBRUM SAPIENTIÆ.

CAPUT PRIMUM.

Justitiam ama: Deum optimum & sapientissimum crede. Omnia videt ac novit Deus; idemque iniquitatem & seditionem puniet. Mors & peccatum a Deo non fiunt.

℣. 1. Diligite justitiam, qui judicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum:

℣. 2. Quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui fidem habent in illum.

℣. 3. Perversæ enim cogitationes separant a Deo: probata autem virtus corripit insipientes.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DILIGITE JUSTITIAM, QUI JUDICATIS TERRAM. Principes, Monarchas, Judices (a) Scriptor alloquitur; propria enim Regum Procerumque virtus est Sapientia. Ut illos suis institutionibus morigeros faciat, tria postulat, I, ut Justitiam ament; II, ut ea quæ de Deo sentiunt, ex veritatis legibus moderentur; III, ut Deum integrâ animi sinceritate bonâque fide quærant. Hæc si absint, inutile prorsus studium erit, illos ad Sapientiæ amorem hortari: nunquam enim Deus Sapientiam largietur homini, qui peccato inficitur, qui iniqua de Deo sentit, qui dolos & fraudes amat. Hæc sunt, quæ primo Capite continentur; eademque in sequentibus, usque ad sextum, fusiùs explicantur. Quamobrem priora quinque Capita totius Libri Præfatio habenda sunt.

SENTITE DE DOMINO IN BONITATE. De Divinâ bonitate confidite, ac spem habete, fore ut vobis Sapientiam adipisci conantibus faveat. Vel: Illius voces animo sincero, miti, æquo excipite. Vel denique: Quæ justa & vera sunt, de Deo sentite (b). Quod æquum est, de Deo cogitate: justum esse, bonum, clementem, omnipotentem, omnia videntem, omnia moderantem, credite. Aptissima omnium hæc explicatio videtur. Hæc phrasis (c), *Sentite de Domino in bonitate*, Hebraica est, pro, *Bene sentite de Deo*. Qui animum, totiusque vitæ institutum moderari cupit, priùs mentem & cognitionem dirigat, necesse est.

IN SIMPLICITATE CORDIS QUÆRITE ILLUM, sincero animo, sine dolo & fraude. Ne vobis falsò blandiamini futurum, ut aut illum fallere aut vosmetipsos illius cognitioni subducere, aut illius amicitiam simulatis officiis studioque minimè sincero comparare possitis. Mendacium ac dolum summoperè Deus odit; nihilque illum magis offendit, quàm cùm simulatâ solicitudine quæritur; id enim perinde est, ac si erroris capacem putes, atque infinitæ illius Sapientiæ illudas.

℣. 2. INVENITUR AB HIS QUI NON TENTANT ILLUM. Neminem fugit Deus, nunquam non paratus sese illis obvium dare, a quibus ita quæritur, uti oportet, *in simplicitate cordis*. At qui Deum tentant, deque ipsius potentiâ aut sapientiâ dubitant, ac duplici simulatoque animo, & dubiâ incertâque voluntate ipsum quærunt, quasi periculum facturi, utrùm Deus is sit, qui communi hominum opinione prædicatur, & jungi cum Dei servitute amor iniquitatis queat; hi nunquam profectò Deum invenient. Non rarò convenere Christum Judæi; at cùm ipsum tentaturi convenirent (d), ipse illos fugit.

APPARET AUTEM EIS, QUI FIDEM HABENT IN ILLUM. Qui ea de ipso sentiunt, quæ opus est, illique penitus fidem habent. Græcus ad verbum (e): *Apparet autem eis, qui non diffidunt ipsi*. Hoc idem superiùs dixerat: *Invenitur ab his, qui non tentant illum*. Arguunt Hebræos Prophetæ, quòd in solitudine Deum frequenter tentaverint; scilicet fiduciæ illius promissionibus debitæ defuerint, sese divinæ Providentiæ penitus non crediderint, prodigia frequentissimè postulaverint, quibus ipsorum pervicacitas superaretur. Nihil certè Deo ingratius accedere poterat; eodem enim tempore illius Sapientia, & misericordia impugnabantur. Fieri ne unquam potest, ut misericordiâ aut viribus destituatur, cùm ii, qui fidem illi habent, opem postulant?

℣. 3. PERVERSÆ COGITATIONES SEPARANT A DEO:

(a) Vide & infra, VI, ℣. 10: *Ad vos ergo, Reges, sunt hi sermones mei*. (b) *Ita Clar. Jansen. Vatab. Cornel. Grot. alii*. (c) Φρονήσατε περὶ τῦ Κυρίυ ἐν ἀγαθότητι. (d) *Matt.* XII, 38; XVII, 23; XXII, 57, & 24; & *Joan.* VIII, 5. (e) Ἐμφανίζεται δὲ τοῖς μὴ ἀπιστῦσιν αὐτῷ.

℣. 4. Quoniam in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.

℣. 5. Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe a cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur a ſuperveniente iniquitate.

℣. 6. Benignus eſt enim ſpiritus ſapientiæ, & non liberabit maledicum a labiis ſuis: quoniam renum illius teſtis eſt Deus, & cordis illius ſcrutator eſt verus, & linguæ ejus auditor.

℣. 7. Quoniam ſpiritus Domini replevit orbem terrarum: & hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis.

℣. 8. Propter hoc qui loquitur iniqua, non poteſt latêre, nec præteriet illum corripiens judicium.

COMMENTARIUS.

Deo: probata autem virtus corripit insipientes, ſcilicet, cùm homines periculum potentiæ illius facere audent, ipſa illos inſaniæ arguit. Qui iniqua de Deo ſentiunt *(f)*, ſpe penitus deſtituuntur, fore ut ipſi ad Deum accedant, aut ad ipſos veniat Deus; ac plerumque ii, qui Deum tentant, deque illius Sapientiâ aut bonitate dubitant, animi ſui & voluntatis erroribus trahendi deſtituuntur; probroque oneratos docet illos Deus, omnem ipſorum Sapientiam inſaniam eſſe; omne robur, imbecillitatem. Denique, vult Deus in veritate & æquitate quæri. Eadem hîc ſententia eſt, quæ ſuperiùs. Aliter: Impii a Deo æternùm arcentur, dum inſana & impia de Deo ſentiunt. Dei poteſtas & amplitudo, quæ tam multis argumentis oſtenditur, *probata virtus*, eos inſaniæ arguit, qui providentiam eſſe negant *(g)*. Interpretum plures *(h) virtutem* hoc loco pro morali virtute uſurpant. *Probata virtus corripit inſipientes.* Perfectæ probitæque virtutis eſt peccantes arguere. Sola probi hominis præſentia, aſſidua eſt impiorum accuſatio. Aptiſſima eſt hæc interpretatio; at diſſidet a Græco *(i)*, ubi *virtus* pro *vi* uſurpatur.

℣. 4. In malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Græcus ad verbum *(k)*: *In malignam animam* (malis artibus deditam) *non ingredietur Sapientia, neque habitabit in corpore obnoxio*, vendito *peccato*, utì creditor debitori. Ut Sapientiâ potiaris, ſervanda tibi ſunt integerrima & anima & corpus. Corpus ex ſe Sapientiæ ſedes eſſe nequit; cùm verò corpus & anima arctiſſimo nexu jungantur, hinc fit, ut quod alterum agit & patitur, ab alterâ ſentiatur, & impurum corpus animam vitiet, utì impura mens corpus inquinat. Meritò igitur Sapiens utriusque puritatem poſtulat in iis, qui Sapientiam quærunt.

℣. 5. Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum, et auferet se a cogitationibus, quæ sunt sine intellectu. Hebræi ſpiritum nuncupant quidlibet in animâ habitudine eſt, ut ſpiritum manſuetudinis *(l)*, ſpiritum ſapientiæ, ſpiritum intellectûs *(m)*, ſpiritum timoris Domini, ſpiritum conſilii & fortitudinis *(n)*. Hoc loco *spiritus diſciplinæ* eſt Sancti Spiritûs lumen, intus animum illuſtrans, & Sapientiam docens. Idem Spiritus Sanctus ſimulationem, hypocriſim, mentem minimè ſimplicem odit; neque ſui ſedem in homine Deum non ſincerè quærente, ac Sapientiam perfectè non amante, collocabit *(o)*. *Fictum* hoc loco non eſt homo ſimulans, ſed ipſa ſimulatio, utì docet Græcus *(p)*. Tradit Origenes *(q)*, quamdam eſſe virtutem, quemdam ſpiritum, qui variis ſcientiarum generibus præeſt, atque artes docet, veluti poëticen, muſicen, &c. Addit Sapiens, *Spiritum Dei ſe auferre a cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu*, inſanis cogitationibus hominum, Providentiam Deumque eſſe negantium. Eamdem ſemper ſententiam explicat Author, fieri ſcilicet non poſſe, ut qui verâ Dei cognitione ſinceroque amore Sapientiæ caret, quicquam progreſſûs ex illius ſtudio ferat.

Corripietur a superveniente iniquitate. Quamvis cujuslibet hominis animam Sapientiæ ſpiritus occupaverit, ſi is iniquitatem ſectetur, ipſum Spiritus derelinquet. Sapientia & ſcelus in eodem animo unà eſſe non poſſunt. Vix Salomon animi ſui libidinem ſectari cœpit, fugiente ab eo Sapientiâ, in tenebras planè denſiſſimas lapſus eſt. Reddi etiam poteſt: Fruſtra ſeſe cælare conatur impius: ſua illum iniquitas prodit. Quamvis aliquo tempore homines inani Sapientiæ ſimulatione decipiat, quis ipſe reverâ ſit, quamprimùm ſcelera oſtendent.

℣. 6. Benignus est enim spiritus sapientiæ, et non liberabit maledicum *(r)* a labiis suis; quoniam renum illius testis est Deus. Ne putes, fallacibus verbis, aut inani rerum ſpecie decipi Deum poſſe; aut te ipſum illius ſpiritu occupari, ut te Sapientiâ compleat, dum æquas ſermonibus & cogitationibus tuis leges non dixeris. Maledicos ſeverè puniet, neque malis cogitationibus parcet: illos audit, has videt; neque ſe exorari patitur, cùm iniquitatem punire decrevit.

℣. 7. Quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum: et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, cùmque ipſe omnia contineat, novit omnia quæ dicuntur. Docet Author, Spiritum Sapientiæ authorem, ſecretum hominum Doctorem, nihil latêre. Ubique terrarum ille eſt: omnia continet, omnia complectitur: ubique eſt, nullo aut ſpatio circumſcriptus aut loco. *Quò ibo a ſpiritu tuo*, ajebat Propheta, *& quò a facie tuâ fugiam?* Superiùs dixerat, ſpiritum renes & corda ſcru-

(f) Σκολιοὶ λογισμοὶ, *Curva, diſtorta cogitationes.* (g) *Bonav. Vat. Janſen. Gand. Clar. Grot. Cornel.*
(h) *Hugo, Holkot. Lyran. Dionyſ.* (i) Δοκιμαζομένη τε δύναμις ἐλέγχει τοὺς ἄφρονας.
(k) Εἰς κακότεχνον ψυχὴν οὐκ εἰσελεύσεται σοφία, οὐδὲ κατοικήσει ἐν σώματι κατάχρεῳ ἁμαρτίας.
(l) 1 *Cor.* iv, 21. (m) *Eccli.* xv, 5. (n) *Iſai.* 11, 2. (o) Confer *Eccli.* 1, 36, 37, 40.
(p) Πνεῦμα παιδείας φεύξεται δόλον. (q) *Origen. de Princip. lib.* 3, *c.* 3. *Vide & Clem. Alex. lib. de Prophetiâ.* (r) *Edit. Complut. & Sixti* v, *& alii plures legunt, Maledictum. Græc.* Βλάσφημον, *Maledicum.*

℣. 9. In cogitationibus enim impii interrogatio erit: sermonum autem illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius.

℣. 10. Quoniam auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum non abscondetur.

℣. 11. Custodite ergo vos a murmuratione, quæ nihil prodest, & a detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit: os autem, quod mentitur, occîdit animam.

℣. 12. Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum.

℣. 13. Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione virorum.

℣. 14. Creavit enim, ut essent omnia: & sanabiles fecit nationes orbis terrarum: & non est in illis medicamentum exterminii, nec inferorum regnum in terrâ.

COMMENTARIUS.

da scrutari: hîc addit, nullum esse verbum, vel occultissimum, quod ipsum fugiat. Cur verò? Quia ubique est. *In spiritu omnia continentur*, inquit Athenagoras (s). *Omnis creatura*, subdit Theophilus Antiochenus, *continetur a Spiritu Dei; & spiritus ipse continens unà cum creaturis continetur a manu Dei.* Virgilius (t):

Principio cælum ac terras, camposque liquentes
Spiritus intùs alit; totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Grammaticum hic mendum in Latino est; nam *Hoc quod continet omnia*, refertur ad *Spiritus Domini* (u). Vertendum erat, *His qui continet omnia*, utì reddidit S. Augustinus (x). Minimè animadvertens Interpres, Græcum *Pneuma* neutrius generis esse, & *Spiritus* masculini, pronomen relativum neutro genere expressit, quamvis nomen masculinum sit.

℣. 9. In cogitationibus impii interrogatio erit. Deus impiorum consilia severissimè scrutabitur. Sibi igitur ne blandiantur impii fore ut aut obliviscatur Deus, aut impunes relinquat. *Interrogatio* (y) hoc loco usurpatur pro quæstione, quam Judex cum reo habet, vel pro supplicio, quo reus afficitur. Huic explicationi favet Caput II, ℣. 19, 20.

℣. 10. Auris zeli audit omnia, at tumultus murmurationum non abscondetur. Dei aures omnia intelligunt, neque illum latebunt seditiosi tumultus. Meritò iratus malis impiorum sermonibus Deus, non silebit; quin illos coërcebit, puniet. Seditiosos impiorum, qui providentiæ adversantur, tumultus & sermones audit.

℣. 11. Os quod mentitur, occidit animam. Mendacium nunquam non peccatum est; at non semper mortem illicò parit. Mendacium hîc propriè est calumnia (z), detractio (a). Spectantur hîc ea quæ superiùs dicta sunt: *A detractione parcite linguæ.* Mendacia quæ cæteris nocent, majoris peccati labem inferunt quàm reliqua.

℣. 12. Nolite zelare mortem in errore vitæ vestræ. Necem ne quærite inter tot vitæ vestræ errores. Vestri saltem vos misereat: neque vosmet in necem vestro scelere præcipites date. Mala extrema in caput vestrum criminibus ne provocatote. Altera elici potest ex Textu sententia: Mortem ne accusetis inter vitæ vestræ errores; ne mortem damnetis, neve queriminor duram moriendi necessitatem. Si morti obnoxii estis, vos ipsi malum hoc provocastis. Mortis author Deus non est; cùm enim ille hominem condidit, immortalem esse volebat; sed homo in scelus ruens, Deum impulit, ut sese morte damnaret. *Zelare* plerumque est invidiâ, odio, irâ efferri in aliquem, vindictam in aliquem exercere, alicui irasci (b). Quæ sequuntur, magis huic explicationi favent.

℣. 13. Quoniam Deus mortem non fecit. Vestram erga studium Sapientiæ incuriam ne ita excusetis, quòd unusquisque naturâ suâ in malum se trahi sentiat. Vel, Deo ne detrahite, quasi homines naturæ ipsius conditione miseros necessariò effecerit. Nihil ex Deo nisi bonum nobis est. Moriendi necessitatem vosmetipsi induxistis. Primus omnium Parens mali hujus author fuit (c). Hominum Conditor felices immortalesque esse volebat, qui vestro scelere non estis. Malum, cujus author ipse non est, Deus in vobis punit: *Mors itaque peregrinum & adventitium malum est: non ordo naturæ, sed pœnæ sententia* (d).

℣. 14. Creavit enim ut essent omnia; at sanabiles fecit nationes orbis terrarum. Condens orbem Deus, non illud volebat, ut creatæ a se res interirent; neque illas in naturâ produxit, ut deinde ipsas in exitio & calamitate desereret; sed incolumes perfectasque in ipsâ origine

(s) *Athenagoras.* Διὰ τοῦ πνεύματος πάντα συνέχεται. *Theophil. Antioch.* Ἡ πᾶσα κτίσις περιέχεται ὑπὸ πνεύματος Θεοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ περιέχον σὺν τῇ κτίσει περιέχεται ὑπὸ τῆς χειρὸς Θεοῦ. *Apud Grot. hic.* (t) *Æneid.* VI. (u) Πνεῦμα κυρίου πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην, καὶ τὸ συνέχον τὰ πάντα, γνῶσιν ἔχει φωνῆς. (x) *Aug. in speculo, c.* 2; *& in symbolo ad Cathecum. c.* 4.
(y) Ἐν διαλογισμοῖς ἀσεβοῦς ἐξέτασις ἔσται. (z) Στόμα καταψευδόμενον ἀναιρεῖ ψυχήν.
(a) *Aug. lib. de mendacio, c.* 16: *Quæri potest, de quo mendacio. Videtur enim de illo propriè dicere, quo cuidam detrahitur. Ait enim: Abstinete vos a murmuratione, & a detractione linguæ parcite.* (b) *Vide Hebr.* קנא *Genes.* XXXVII, 11; *Num.* XXV, 11, 12; *Psal.* XXXVI, 1; LXXII, 3; LXXVIII, 5, *& passim.* (c) *Rom.* V, 12: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum introivit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*
(d) *Faust. Rheg. de gratiâ Dei. Vide & Concil. Arausic.* II, *Can.* 2; *Trident. sess.* V; *Aug. de Prædestin. SS. c.* 4, 5; *& Chrys. de Providentiâ, lib.* 1.

℣. 15. Justitia enim perpetua est, & immortalis.

℣. 16. Impii autem manibus & verbis accersierunt illam : & æstimantes illam amicam, defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam : quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.

COMMENTARIUS.

creavit. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona* (e). Hac perfectione atque integritate si careant, aut siqua ex ipsis pereunt, vel infelicia sunt, id non ex Conditoris voluntate, sed ex ipsorum crimine est. *Sanabiles fecit nationes*, ex vi Græci sermonis (f), est, creatum quidlibet bonum esse & salubre, nihilque naturâ suâ malum aut perniciosum. Ferarum sævities & venenum homini nonnisi post peccatum nocuere (g). Spirituali sensu, quælibet orbis gens in Christo, in gratiâ, in pœnitentiâ, aptum quiboslibet malis remedium nanciscuntur (h). Vitæ ingressus, atque ad Deum aditus nemini præcluduntur. Quisquis æger est, e paratis sibi a Deo remediis, dum uti velit, incolumitatem referet.

Non est in illis medicamentum exterminii; nihil in illis contagiosum est, aut lethale. Græcus ad verbum (i) : *Non est in ipsis pharmacum*, venenum, *mortis*. Ab ipsâ sui origine lethale venenum intra se ipsas non habebant, quo mori cogerentur (k). Post primi parentis peccatum certâ morte damnari cœpimus, atque intra ipsas singulorum venas serpit virus, quo post aliquot annorum periodum necamur. Id virus est primum originis crimen, quo filii mortis & infirmi efficimur; ejusque criminis causâ, mortis sententia in genus omne humanum pronunciata est.

Nec inferorum Regnum in terra. Nullum morti erat in terras imperium, nullaque erat Diaboli authoritas, antequam homo peccaret. Græcus (l) : *Neque Regis inferni palatium in terrâ*. Tyrannidem Pluto in homines non exercebat.

℣. 15. Justitia enim perpetua est et immortalis. Quolibet tempore fuit justitia, eaque nonquam peritura est. Neque justitiam aliquo pòst tempore in Mundum venisse, uti peccatum ac mortem, dicere potes. Nunquam non in mundo fuit, ac nunquam penitus ejicietur. Nunquam deerunt justi homines ac fideles, quorum numerum nisi augeas tui accessione, vitio tribuendum tibi ipsi est. Bonum naturæ alienum, aut humanis viribus inaccessum non est justitia. Græcus solùm legit (m) : *Justitia immortalis est*. Plures tamen Latinæ Editiones (n) ferunt : *Perpetua est & immortalis : injustitia autem, mortis acquisitio*. Putat Grotius, justitiam hìc dici immortalem, quòd *causam det immortalitati*. Prior tamen explicatio aptior mihi videtur, & magis congruere cum iis quæ sequuntur.

℣. 16. Impii autem manibus et verbis accersierunt illam. Quamvis primi hominis culpâ mors mundum invaserit, nosque moriendi necessitatem subierimus (o), nihilo tamen minùs verum est, impios *mortem secundam* (p), mortem animæ, æternamque damnationem in caput suum provocare. Deus misericordiæ suæ beneficio remedia adversùs primi criminis vulnus paravit : at hominum nequitia inutilem effecit misericordiam, atque omnia Dei consilia fefellit; quippe qui mortem malis operibus impiisque sermonibus sibi induxerint.

CAPUT II.

Impiorum animæ immortalitatem negantium, bonorumque mortalium usum summi boni loco habentium, inepta ratiocinatio. Hi justos odere. Mortis author Diabolus.

℣. 1. Dixerunt enim cogitantes apud se non rectè : Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ, & non est refrigerium in fine hominis, & non est, qui agnitus sit reversus ab inferis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Dixerunt : Exiguum et cum tædio est tempus vitæ nostræ. Superioris Capitis appendix, qua docemur, quo itinere impii mortem in mundum duxerint; impietate scilicet, impiisque sermocinationibus. Eas verò sententias illis tribuit, quæ dignæ sunt Epicuræis, cæterisque animæ immortalitatem ac providentiam negantibus. Totum, inquiunt, vitæ hujus spatium labor est & sollicitudo. Brevissimum est vivendi tempus, assiduisque laboribus agitatum. Minimè cogitantes occupat mors; postquam quælibet reditûs spes perit, & quicquid bonum aut malum est, penitus cessat, unâque cum vitâ interit. Præsentibus igitur bonis utamur, vitæque adeò fugacis voluptates hauriamus : vivamus, dum suprema dies vitæ cursum absolvat. Ita disserunt impii, & qui religionem ignorant. Hæc verò, quamvis impia, Sapiens auditori proponit, ut cautum adversùs pessima hæc exempla & argumenta efficiat. Monet verò, nihil magis veræ Sapientiæ virtutique contrarium esse, quàm pessimum adeò vivendi institutum.

Hanc docendi rationem Sapientiæ Author a Salomonis Proverbiis & Ecclesiaste didicit. Is enim in Ecclesiaste, II & XII, hominum impiorum & religionis inimicorum rationes exponit, quibus illi

(e) *Genes.* I, 31. (f) Καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου. (g) Vide nos in Genesim, & S. August. *de Genesi ad litt. contra Manich. lib.* I, *c.* 53; *& Retract. lib.* 3. (h) *Bonav. Lyr. Hugo, Dionys.* (i) Οὐκ ἔστιν ἐν αὐταῖς φάρμακον ὀλέθρου. (k) *Vatab. Grot. Cornel. Baduel.* (l) Οὐδὲ ᾅδου βασίλειον ἐπὶ γῆς. (m) Δικαιοσύνη γὰρ ἀθάνατός ἐστι. (n) *Ita Edit. Complut. & Sixti V, & aliæ nonnullæ.* (o) Vide nos in Caput sequens. (p) *Apoc.* II, 11; XX, 6, 14; XXI, 8.

℣. 2. Quia ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tamquam non
fuerimus: quoniam fumus flatus est in naribus nostris, & sermo
scintilla ad commovendum cor nostrum:
℣. 3. Qua extinctâ, cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tamquam mollis aër, & transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, & sicut nebula dissolvetur, quæ fugata est a radiis solis, & a calore illius aggravata:
℣. 4. Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum.
℣. 5. Umbræ enim transitus est tempus nostrum, & non est reversio finis nostri: quoniam consignata est, & nemo revertitur.

COMMENTARIUS.

illi sese ad licentiam ac voluptates hortantur: at simul bujusmodi rationum levitatem, inutilesque illorum conatus, ut beatitudinem assequantur, ostendit; docetque, inter ipsas voluptates verè miseros esse; bonaque solida & vera, præter Dei amorem ac timorem, nullibi esse. In Proverbiis (a) Voluptatem Sapientiamque describit; illam sub impudicæ prostitutæque mulieris imagine, hanc verò matri similem, prudentiæ atque amoris plenæ, quæ filios lenibus validisque argumentis ad summi boni acquisitionem, ac libidinis & licentiæ horrorem exhortatur. Ita hujus Libri Scriptor ea omnia Discipulo ostendit, quibus ad Sapientiæ studium trahi potest, & quibus abduci; ubique tamen argumenta, quibus sese impii a Sapientiâ avertunt, destruit, & ea profert, quibus ad illius studium impelli debemus. Sex priora hujus Libri Capita veluti paraphrasis novem priorum e Proverbiis Capitum babenda sunt.

Non est refrigerium in fine hominis. Ubi mortem oppetierimus, nulla supererit voluptas, felicitas, spes. Omnia nobiscum pereunt. Ita disserunt insani. Græcus (b): *Non est medicina in fine hominis*, seu *morte*. Mors irreparabilis est; neque illam aut vitare, dum vivit, aut ex eâ regredi, cùm obierit, quispiam potest. Nemo ex alterâ vitâ rediit, ut ea quæ illic geruntur, narret: *Non est, qui agnitus sit reversus ab inferis*. Frustra igitur de re adeò incertâ ignotâque laboramus. Impiorum argumentatio. Si qui narrantur in vitam divinitùs revocati, hæc illis anilia deliria reputantur.

℣. 2. Ex nihilo nati sumus: et post hoc erimus tamquam non fuerimus. Censebant Epicuræi (c), homines, non secùs ac cæteras res creatas, casu eductos in vitam esse; aliamque creationis illorum causam afferri non posse. Hoc vult ea locutio, *Ex nihilo*. Græcus ad verbum: (d) *Temerè*, nullo consilio, *nati sumus*. Nihil homine superius hujus rei curam gerit. Primi hominis creationem significant; nemo enim ita insanus est, ut sese temerè & casu creatum putet, fortuito atomorum & particularum sensilium insensiliumque concursu.

Quoniam fumus flatus est in naribus nostris (e). Anima, qua vivimus, flatus est, vapor, ventus, qui morte dissipatur. Docet Genesis, II, 7, Deum inspirasse in faciem hominis spiritum vitæ, seu halitum, animam. Eâdem fermè locutione utitur Isaias, II, 22: *Quiescite ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est*. Ajebat Varro (f), animam esse *aërem conceptum ore, defervefactum in pulmone, tepefactum in corde, diffusum in corpus*. Fatendum omnino est, certissimum vitæ indicium esse halitum; at eùm animam hominis aliud nihil esse vis, præter halitum, quòd vivere cessas ubi respirare desieris, justæ ratiocinationis fines legesque prætergrederis. Sentiens anima in homine est, belluis communis; & anima rationalis, ac proinde immortalis, quæ propria unius hominis est.

Sermo scintilla (g) ad commovendum cor nostrum. Vox in sermones expressa, scintilla rationis est, in corde residentis (h). Sanguis in arteriis & in corde fervescens inflammatusque, sola anima est qua vivimus. Verbum, sermo, ratio scintilla sunt eo ex igne prosiliens. Ex Epicuræorum principiis disserit Sapiens (i):

Est igitur calor, ac ventus vitalis in ipso
Corpore, qui nobis moribundos deserit artus.

Ut ignis extinctus neque flammam neque scintillam edit; ita ignis in hominum cordibus & arteriis ardens ubi extinguitur, sermo & ratio fulgere desinunt: Empedocles (k): *Sanguis homini circa cor fluens est intellectus*.

℣. 3. Qua extincta, cinis erit corpus nostrum (l): et spiritus diffundetur tamquam mollis aer. Epicuræorum sententiam de hominis vitâ & morte explicare pergit. Vita nihil est præter sanguinis & spirituum motum & calorem. Ubi ignis hic, animans corpora, dissipatus fuerit, moles hæc iners & motu carens jacebit, statimque in pulverem solvetur; uti lignum, quo ignis alitur, extinguitur, atque in cinerem dissipatur, ubi ignis extingui incipiat. Igneam esse animæ naturam, communis docebat apud Veteres sententia, testibus Cicerone (m), Lactantio (n), S. Gregorio Nysseno (o), aliisque quamplurimis.

℣. 5. Umbræ enim transitus est tempus nostrum. Nemo meliùs de humanæ vitæ imbecilli-

(a) *Prov.* I, II, 12; *&* VII. (b) Οὐκ ἔστιν ἴασις ἐν τελευτῇ ἀνθρώπου. (c) *Lucret. lib.* I, 5.
(d) Αὐτοσχεδίως ἐγεννήθημεν, καὶ μετὰ τοῦτο ἐσόμεθα ὡς οὐχ ὑπάρξαντες. (e) Editio Complut. & Lucæ Brugensis legunt: *Quoniam fumus afflatus est in naribus nostris*. Bikelius eodem modo explicat. Spiritus quem ducimus, flatus est, nostris naribus inspiratus. (f) *Apud Grot. hic*.
(g) *Quidam libri*: Ὀλίγος σπινθήρ, *Parva scintilla*. *Ita Bud. in Pandect. & Petr. Nannius hic. Alii: Et sermo scintilla. Sed plerique, & meliùs*. Ὁ λόγος σπινθήρ. (h) *Lucret. lib.* 3, *v.* 40:
Consilium, quod nos animum mentemque vocamus,
Idque situm mediâ regione in pectoris hæret.
(i) *Idem, ibidem*. (k) Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα. (l) *Alii legunt: Quia extinctus cinis erit corpus nostrum. Complut. alii: Quia extincta cinis, &c. Vide Franc. Luc. Annot.* 201, *& Bud. in Pand.* (m) *Cicero Tuscul. qu. lib.* 2. (n) *Lactant. lib.* 2, *c.* 13, *Institut.*
(o) *Nyssen. lib. de animâ, c.* 2.

℣. 6. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & utamur creaturâ tamquam in juventute celeriter.

℣. 7. Vino pretioſo, & unguentis nos impleamus: & non prætereat nos flos temporis.

℣. 8. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra.

℣. 9. Nemo noſtrûm exſors ſit luxuriæ noſtræ: ubique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.

℣. 10. Opprimamus pauperem juſtum, & non parcamus viduæ, nec veterani revereamur canos multi temporis.

℣. 11. Sit autem fortitudo noſtra, lex juſtitiæ: quod enim infirmum eſt, inutile invenitur.

COMMENTARIUS.

cillitate & brevitate disputavit, quàm Ethnicorum Philoſophi. Iidem ipſi Epicuræi vitæ caducitatem optimè noverant. Cùm verò illorum disputationis principia minimè veritate inniterentur, ea, quæ ex iis colligebantur, errantium Philoſophorum ludibria ſatis demonſtrabant. Brevis ac fragilis eſt hominis vita; qua elapsâ, eſſe deſinimus: voluptatibus igitur indulgendum eſt. Ita illi colligebant; cujus collectionis prior pars vera eſt; quis enim breviſſimam eſſe hominis vitam ignorat? Nihil tamen erat, quod animam unà cum corpore mori atque extingui ſuaderet. Hoc igitur illud eſt, quod illorum ſententiæ maximè repugnat.

Non est reversio finis nostri: quoniam consignata est, et nemo revertitur. In ſepulcro condimur, clauſoque illius oſtio ſigillum additur, omnisque egreſsûs via negatur. Ita Nabuchodonoſor fores ædium Beli (p), & Judæi ſepulcrum Chriſti obſignavere (q). Canens Pſalmiſta de Captivitate Babylonicâ, ceu de morte, ajebat: Miſer ego in foveâ jaceo, in puteo, in ſepulcro: at ne patiare, o Deus, ut ſepulcri os ita claudatur, ut egredi minimè liceat (r): *Neque urgeat ſuper me puteus os ſuum.* Mortui in ſubterraneis ſpecubus condebantur, quò deſcendere, veluti in puteum, opus erat; quorum os, illato cadavere, aggeratâ arenâ claudebatur. Huc ſpectare videtur Pſalmiſta. Alterum tamen morem innuit Sapiens, cadavera ſcilicet in ſpecubus claudendi, clauſis diligentiſſimè foribus, additoque ſigillo, utì veteres ſolebant.

℣. 6. Utamur creatura, tamquam in juventute, celeriter, dum juventus floret, vel ita utì juvenes ſolent. Vivamus ſenes utì viximus juvenes. Cecidit juventus, ac ſenectus mox caſura eſt: utamur igitur tempore ac vitâ, dum licet. Græci quidam Codices legunt (s): *Utamur rebus, ut in juventute, ſtudioſè.* Romana Editio: *Utamur creaturâ, ut in juventute, celeriter.* Quælibet creata res ita labitur, utì lapſa eſt juventus. Frui voluptatibus ne moremur, dum ipſa res & tempus exhibent. Unicuique ex bis interpretationibus ſua laus eſt.

℣. 7. Non prætereat nos flos temporis, ver ſcilicet (t), tempus profectò totius anni amœniſſimum. Eodem nomine appellari poteſt juventus, totius ætatis flos, & ver vitæ. Denique iis, qui ſenſuum voluptates ſectantur, eâdem appellatione ſignificari poteſt incolumis vita, jucunda & mollis, quam in terris agunt. Græcus ad verbum (u): *Neque prætereat nos flos aëris.* Aër pro vitâ ſæpè uſurpatur. Dum vivimus, dum ſpiritum ducimus, voluptatibus fruamur. Si levem in Græco mutationem admittas, legere potes (x): *Flos veris.* Jucundiſſimi temporis florem perire ne ſinamus. Decerpamus *ſuorum bona & jucundæ vitæ florem*, ut Pindari verbis utar (y): ℣. 8: *Coronemus nos roſis, antequam marceſcant.* Mortalium voluptatum fragilitatem brevitatemque impii agnoſcunt: hinc verò colligunt, ſedulò utendum iis eſſe: quanto meliùs diceres, eſſe ſpernendas? Docet Religio, abjiciendas eſſe atque vitandas, cùm perniciosæ ſint: jubet ratio, animum ab iis eſſe abducendum, cùm fragiles ſint ac breviſſimæ.

Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Hæc verba in Græcis Codicibus deſunt:

℣. 9. Nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ. Græcus (z): *Nemo noſtrûm expers ſit petulantiæ noſtræ*, intemperantiæ diſſolutæ. Ita ſeſe mutuò hortantur, qui nullum libidinis modum novere.

℣. 11. Sit fortitudo nostra, lex justitiæ (a). Impiorum ſententias Sapiens nudas exponit, quò majori horrore illas auditor proſequatur. Profectò ægrè invenias homines adeò profligatos, ut hoc loquendi genere utantur. Nihil tamen illis addit Sapiens, dum veras illorum animi ſententias aperit. Juſtum hominem, viduam, ſenem, orphanum opprimamus; & una ſit nobis lex, noſtra vis & voluntas. Hominum inventa ſunt leges, ut credulos terreant & coërceant. Hæc igitur ſpernenda ſunt: quidquid agere poſſumus, licet; nihilque naturâ ſuâ injuſtum eſt.

Quod enim infirmum est, inutile invenitur. Vel: Quod infirmum eſt, reſiſtere non valet. Patiatur neceſſe eſt, vel invitum, quicquid fortiori placet. Væ infirmis & victis! Impiam profectò ſententiam, dignamque propaginem principiorum, quibus impii & Epicuræi oriuntur. Si quando non nocent, virium defectus eſt, non peſſimæ voluntatis. Græcus verti poteſt (b): *Quod imbecillum eſt, inutile redarguitur.* Infirmos audaciſſimè opprimamus; illis enim parcere, inutilis pietas

(p) *Dan.* XIV, 10. (q) *Matt.* XXVII, 66. (r) *Pſalm.* LXVIII, 16.
(s) Χρησώμεθα τῇ κτίσει ὡς ἐν νεότητι σπουδαίως. *Ita Complut.* Χρησώμεθα τῇ κτίσει ὡς νεότητι σπουδαίως. (t) *Grot.* (u) Καὶ μὴ παροδευσάτω ἡμᾶς ἄνθος ἀέρος. (x) Ἄνθος ἔαρος. *Baduel.*
(y) *Pindar. Pyth. Ode* 4: Δρεπὼν ... ἱερὸν ευζωᾶς ἄωτον. (z) Μηδεὶς ἡμῶν ἄμοιρος ἔστω τῆς ἡμετέρας ἀγερωχίας. (a) *Edit. Complut. & Sixti V: Lex injuſtitiæ.*
(b) Τὸ γὰρ ἀσθενὲς ἄχρηστον ἐλέγχεται.

℣. 12. Circumveniamus ergo justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.
℣. 13. Promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat.
℣. 14. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum.
℣. 15. Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ ejus.
℣. 16. Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis, & præfert novissima justorum, & gloriatur patrem se habere Deum.
℣. 17. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus, quæ ventura sunt illi, & sciemus quæ erunt novissima illius.

COMMENTARIUS.

pietas est. Quid illi contra nocebunt?

℣. 12. CIRCUMVENIAMUS JUSTUM (c), QUONIAM INUTILIS EST NOBIS. Spectatur is locus Isaiæ (d), ex versione Septuaginta: *Consiliati sunt consilium pessimum adversùs semeptipsos, dicentes: Alligemus justum, quoniam inutilis est*, vel invisus est *nobis*. Quid nobis vel metuendum vel sperandum ex illo est? Quæ usque ad finem Capitis sequuntur, sententiæ impiorum adversùs quoslibet justos expositio sunt: at vivis adeò coloribus Judæorum sævitiam adversùs Dominum Jesum exhibent, ut hinc Grotius (e) collegerit, hunc locum esse a Christianis adsutum. At Patribus visum semper est vaticinium, quo Christi cruciatus prædicebantur. Græcus (f): *Insidiemur justo, quoniam incommodus est nobis*. Ipsam justi præsentiam pati nequeunt Impii; illius enim vita perpetua est scelerum & vitæ ipsorum accusatio: *Gravis est nobis etiam ad videndum*, ut ipsi fatentur inferiùs, ℣. 15. *Molesta sarcina est vir bonus*, ajebat vetus quidam (g); *nam sicut insipientia bene fertur & leviter; sic prudentia graviter incumbens, premit vehementer suopte pondere, nec facilè potest excuti*. Contraria hæc sibi invicem sunt, & simul esse nequeunt.

℣. 13. PROMITTIT SE SCIENTIAM DEI HABERE, ET FILIUM DEI SE NOMINAT. Prophetæ impios assiduis reprehensionibus agitabant, seque scientiâ Dei, ejusque spiritu & cognitione plenos esse profitebantur. Dei servos, legatos, filios se nuncupabant. Cùm nihil antiquius haberent, quàm Dei gloriam, & ea quæ ad Deum spectabant, sese impiorum nequitiæ, invidiæ, & furori objiciebant, ut ex iis plures furoris illorum victimæ inter supplicia ceciderint. Jesus Christus, verus Dei Filius, novæ instar lucis in Judæâ fulgens, sese Dei scientiâ instrui, salutem populo nunciare, summumque bonum populo suo se comparare velle testatur; docetque conceptis verbis, se illum ipsum esse, quem tamdiù præstolabantur, Messiam, Dei Filium. At hæc ipsa, quibus doceri debuerant, causa furoris illorum fuere, quippe quorum gratiâ illum & odisse, & ad necem impellere decreverint.

℣. 14. FACTUS EST NOBIS IN TRADUCTIONEM COGITATIONUM NOSTRARUM. Censor nostrarum cogitationum est, vel derisor. Nostra ridet molimina, nosque insanos ac dementes vocat. Græcus ad verbum (h): *Factus est nobis ad redarguendas cogitationes nostras*, consilia nostra. Quicquid ipse loquitur, quicquid agit, assidua nostrûm accusatio est. Ita nos habet, uti homines quisquiliis occupatos. (℣. 16) *Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo*.

℣. 15. IMMUTATÆ SUNT VIÆ EJUS: aliud planè a nobis vivendi institutum servat. Græcus (i) diversam insolitamque vivendi rationem significare potest. Apud impios criminis loco Justis est, quòd ipsos non imitantur. Vitium putant, alienum vitæ institutum. At melius profectò est, dissimilem impiis esse, quàm imitari: tunc enim vitii loco habenda est diversa a cæteris vita, cùm hæc a recti & veritatis regulâ discedit.

℣. 16. TAMQUAM NUGACES ÆSTIMATI SUMUS AB ILLO. Hominum negotia, quibus illi veluti rebus gravissimis occupantur, nugarum loco habet Sapiens, ac puerilium ludibriorum. Gloriæ, nominis, divitiarum, voluptatum sollicitudinem nihili facit. Rei, quam ipse sibi proposuit, excellentia & amplitudo, cæterarum contemptum in animo illius parit. Græcus (k): *Pro nummo, cui scoria mista est, ab eo habiti sumus*. Uti mercator nummum adulterinum, ita ille nos rejicit.

, PRÆFERT NOVISSIMA JUSTORUM, ea quæ justi in morte præstolantur, ET GLORIATUR PATREM SE HABERE DEUM. Spectat Sapiens ea, quæ Balaam dixit, cùm castra Israëlis intueretur (l): *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia*. Miseros nos putat dum vivimus, miserrimos dum morimur: mortem verò justorum felicitatis loco habet invidiâ dignissimæ, cùm æterna esse alterius vitæ bona & mala, pro uniuscujusque meritis, in hac vitâ cumulatis, distribuenda, arbitretur.

℣. 17. TENTEMUS QUÆ VENTURA SUNT ILLI. Periclitemur, utrùm firma adeò spes illius sit, uti censet. Vel: Utrùm in rebus eâ futurus sit constantiâ & virtute, quam verbis præfert. Qui hujus temporis vitam pro somnio habet, & ea sperat, quæ in æternitate sunt, nihil illi ex hominibus metuendum est. Latinus addit: *Et sciemus quæ erunt novissima illius*; at omittunt Græcus,

La-

(c) *Barnab. in Epist. p.* 19: Δήσωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι, *Ligemus justum. Clem. Alex. lib.* 5 *Strom.* Ἄρωμεν. *Item Tertull. lib.* 3 *contra Marcion. Auferamus justum, quoniam inutilis est nobis.* (d) *Isai.* III, 10: *Vulg. Dicite justo, quoniam bene.* 70: *Ligate justum, &c.* Legebant אמרו pro אסרו (e) *Grot. Præfat. in lib. Sapientiæ.*
(f) Ἐνεδρεύσωμεν δὲ τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι. (g) *Antisthen. apud Philon. lib. quòd omnis probus liber:* Δυσβάστακτον ἔοικεν εἶναι τὸν ἀστεῖον. Ὡς γὰρ ἡ ἀφροσύνη κοῦφον, καὶ φερόμενον, ἡ φρόνησις ἐρηρεισμένον, καὶ ἀκλινὲς, καὶ βάρος ἔχον ἀσάλευτον. (h) Ἐγένετο ἡμῖν εἰς ἔλεγχον ἐννοιῶν ἡμῶν.
(i) Ἐξηλλαγμέναι αἱ τρίβοι αὐτοῦ. (k) Ὡς κίβδηλον ἐλογίσθημεν αὐτῷ. (l) *Num.* XXIII, 10.

℣. 18. Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum.

℣. 19. Contumeliâ, & tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius.

℣. 20. Morte turpissimâ condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius.

℣. 21. Hæc cogitaverunt, & erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum.

℣. 22. Et nescierunt sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum.

℣. 23. Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum.

℣. 24. Invidiâ autem diaboli mors introivit in orbem terrarum:

COMMENTARIUS.

Lactantius, S. Cyprianus, *Testim. lib. 2, cap. 14.*

℣. 18. SI ENIM EST VERUS FILIUS DEI (m), SUSCIPIET ILLUM, tuebitur. Iisdem verbis usi sunt Judæi adversùs Christum e cruce pendentem (n): *Salva temetipsum, si filius Dei es, descende de cruce. Confidit in Deo: liberet nunc eum, si vult eum: dixit enim, Quia filius Dei sum.* Capite XVIII, 13, scribit Sapiens, Ægyptios ex præstitâ divinitus Judæis ope agnovisse, Judaicam gentem filium Dei esse. Eodem nomine Judæos appellat Moyses: *Primogenitus meus Israël.* Exod. IV, 22.

℣. 19. CONTUMELIA ET TORMENTO INTERROGEMUS EUM. Quibuslibet rebus periculum patientiæ illius faciamus, cruciatibus & probris, uti reus quæstione torquetur. *Interrogare* apud Sapientiam & Ecclesiasticum frequenter pro punire, cruciare, &c. usurpatur (o). Sapiens nonnisi cruciatus, labores, injurias auditori proponit: his enim reverà pii homines maximè obnoxii inter cæteros sunt. Hoc ipsimet Profani cognoverant, quorum Sapientissimi plerumque & infelicissimi fuerunt. Socrates, Aristides, Cato, Seneca injurias, irrisiones, exilia, mortem pertulere. Bonus vir, inquit Plato (p), flagris cædetur, torquebitur, vincietur, oculis cremabitur. Moriens, mala omnia patiens, infami supplicio afficietur. Hanc boni viri descriptionem Tullius ex Platone mutuatus, tertio de Republicâ libro inseruerat: *Bonus ille vir vexetur, rapiatur; manus ei denique auferantur, effodiantur oculi; damnetur, vinciatur, uratur.* Eamdem sententiam imitatus est Seneca (q): *Hic est ille homo honestus, ... qui, sive toto corpore tormenta patienda sunt, sive flamma ore recipienda est, sive extendendæ per patibulum manus, non quærit quid patiatur, sed quàm bene.* Quis hic non videat Jesum Christum, injuriis affectum, civium odiis agitatum, e cruce suspensum?

UT SCIAMUS REVERENTIAM EJUS, quàm mitis ille sit. Ita sonat hujus loci Græcus (r). Qua sit animi moderatione, modestiâ, patientiâ, experiamur: utrùm nobiles hujusmodi moralis Philosophiæ institutiones re exsequatur. Illius patientiam gravissimis periculis objiciamus, turpi morte damnemus: (20) *Morte turpissimâ condemnemus eum.*

℣. 20. ERIT ENIM EI RESPECTUS EX SERMONIBUS ILLIUS. Ad verbum (s): *Visitabitur ex sermonibus illius. Visitari* sæpè usurpatur in bonam partem pro allatâ divinitus ope (t); at interdum etiam contrario sensu pro *puniri*. Explorabitur, punietur, damnabitur, sumptâ ex illius sermonibus damnandi occasione (u). Id porrò in Jesu Christi causâ gestum est, cùm illum Judæi accusaverint, gloriatum esse, sese Templum Dei destructurum, ac triduo restauraturum (x); quippe qui ea, quæ Christus de Corpore suo prædixerat, de Domini Templo intellexerint.

℣. 22. NESCIERUNT SACRAMENTA DEI. Perversis impiorum ratiociniis & erroribus expositis, *hæc cogitaverunt & erraverunt*, illos evertere incipit Sapiens, eorumque ineptiam ostendere. Mater omnium errorum illis est ignorantia; quippe qui Dei vias, consilia, mysteria ignorent. Latet illos alterius vitæ, crucis, & præmii, quod justos manet, mysterium. Gravissima hæc nondum norant profani. Ipsimet Judæi satis luculenter non agnoscebant, crucis præsertim mysterium probrorumque, quæ Christus tulit: vix enim post ipsius Christi Mortem ac Resurrectionem hujusmodi Mysterium planè revelatum est; ipsisque Apostolis hactenus ignotum fuerat.

℣. 23. DEUS CREAVIT HOMINEM INEXTERMINABILEM, immortalem. Eâ conditione creavit, qua immortalis esse posset, si vellet. Græcus fert (y): *Creavit hominem in incorruptibilitate*, innocentiâ, æquitate; ad sui imaginem & similitudinem, ac proinde mortis expertem, libertate, ratione, spiritu præditum. Anima igitur unâ cum corpore non moritur, neque mera materia est homo, ut impii censuerunt, qui hominem fortuito atomorum concursu conflatum esse docent; vanaque nomina esse bonum malumque, justitiam & iniquitatem, quæ vel metus vel cupiditas excogitavere.

℣. 24. INVIDIA AUTEM DIABOLI MORS INTROIVIT IN ORBEM TERRARUM. Gloriæ hominis invidens Diabolus, ipsum in scelus traxit, & innocentiâ spoliavit, amissis unâ cæteris ornamentis, quibus gloriabatur, ac præsertim immortalitate. Vide Caput I, ℣. 14, 15, 16. Theologorum plures (z) putant, Diabolum potissimùm ægrè tulisse

eam

(m) *Græc.* Εἰ γὰρ ἐστιν ὁ δίκαιος υἱὸς Θεοῦ, *Si enim est justus, Filius Dei.* (n) *Matt.* XXVII, 40, 42.
(o) Vide *Sap.* I, 9; VI, 4; XI, 11; *Eccl.* XVI, 22; & XXIII, 11. (p) *Plato lib. 2 de Rep.* Μαστιγώσεται, στρεβλώσεται, δεθήσεται, ἐκκαυθήσεται τὼ ὀφθαλμώ. Τελευτῶν, πάντα κακὰ παθὼν, ἀνασχινδυλευθήσεται. (q) *Apud Lactant. lib.* VI *Instit. cap.* 17, *ex Senec. libris moral. Philosophiæ.*
(r) Ἵνα γνῶμεν τὴν ἐπιείκειαν αὐτοῦ. (s) Ἔσται γὰρ αὐτοῦ ἡ ἐπισκοπὴ ἐκ λόγων αὐτοῦ.
(t) *Cap. seq.* ℣. 6, 9; & IV, 15, &c. (u) *Ita Syr. Jans. Vat. Vide & Osor. & Lorin.*
(x) *Matt.* XXVI, 61. (y) Ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπ' ἀφθαρσίᾳ. (z) *Ita Bern. serm. 27 in Cantica; Rupert. lib. 8 in Joan. in hæc verba: Ille homicida erat ab initio; Catharin. Vigues, Naclant. Ruard. alii apud Cornel. a Lapide hic.*

℣. 25. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.

COMMENTARIUS.

eam dignitatem, qua hominis natura ornanda erat, juncto hypostaticè Verbo. Hanc porrò dignitatem sibi potiùs quàm homini deberi putabat Lucifer: atque hinc oritur illud, quod Scriptura narrat, illum ausum esse similem Altissimo fieri (a); hoc enim solummodò supererat, cujus causâ tantam sperare posset æqualitatem.

℣. 25. IMITANTUR ILLUM, QUI SUNT EX PARTE ILLIUS. Impii & religionis hostes Justis fallendis, atque ab innocentiâ detrahendis, Diaboli more, laborant. Laqueos illis parant, & extrema secum in mala ipsos rapere conantur. Hanc verò invidiam impii a Diabolo didicerunt, inquiunt Patres (b). Monitos autem singulos voluit Christus, cùm dixit (c): *Vos ex patre diabolo estis; & desideria patris vestri vultis facere, Ille homicida erat ab initio.*

Alterum planè sensum fert Græcus (d): *Tentant verò ipsum qui partis illius sunt.* Qui Dæmonis partium sunt, mortem, quam ille in orbem induxit, experiuntur (e). Aliter: Qui mortis partes sequuntur, illam in se ipsis sentiunt, & victimæ illius fiunt. Vel, qui in censu mortis sunt, impii, qui sese æternis cruciatibus dignos effecere, quos cruciatus S. Joannes *mortem secundam* nuncupat (f), mortem in caput suum provocant (g), ac malè gestis trahunt; veluti qui feram excitant, seseque illi prædam offerunt. Vide *Sap.* I, 12, 16. Prior explicatio communior est, & melior videtur.

CAPUT III.

Justorum felicitas post mortem. Impiorum supplicia in alterâ vitâ. Horum uxores & filii maledictis obnoxii. Justi hominis posteritas bonis cumulabitur.

℣. 1. JUstorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.

℣. 2. Visi sunt oculis insipientium mori: & æstimata est afflictio exitus illorum:

℣. 3. Et quod a nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace.

COMMENTARIUS.

℣. 1. JUSTORUM ANIMÆ IN MANU DEI SUNT, ET NON TANGET ILLOS TORMENTUM MORTIS; vel, mortis supplicio, sive supplicio lethali obnoxii non erunt. Hæc cum superiori Capite jungenda sunt. Postremo Capitis II versiculo dixerat, mortem Diaboli invidiâ in mundum irrupisse; & qui hostem humani generis sequuntur, eos quantociùs sensuros mortem ipsam, quam nequissimus ipsorum dux in ipsos provocavit. Hìc verò Justorum felicitatem his opponit. Hominum justorum vita in Dei potestate est: ipsam ille sedulò tuetur, neque patitur, ut ullo cruciatu affligatur (a). Explicari hic locus potest de corporis morte, & vitæ hujus malis. Certum porrò est, verissimè hoc sensu dici, Sanctorum animam pretiosam Deo esse, sedulòque Deum illorum incolumitati studere; nullumque ex illorum vertice capillum fluere, quin ipse assentiatur (b). Aptiùs tamen de animâ a corpore sejunctâ, æternorum suppliciorum, quæ impiis parata sunt, metu liberâ, intelligitur. *In manu Dei esse* est Dei patrocinio frui (c). Græcus non habet τὸ *mortis*, post *tormentum*, ac solummodò fert: *Et non tanget illos tormentum.* Addunt aliqui, *malitia.* Id verò mirificè Christi Martyribus convenit.

℣. 2. VISI SUNT OCULIS INSIPIENTIUM MORI, ET ÆSTIMATA EST AFFLICTIO EXITUS ILLORUM. Impii, qui sententiam de rebus ex solâ ipsarum specie ferunt, easque animo prorsus crasso explorant, bonorum mortem summæ calamitatis loco habuerunt; quippe qui ipsam animam in nihilum solvi morte arbitrarentur. Neque in eo decepti sunt, quòd illos mori putaverint, *Visi sunt oculis insipientium mori*, sed quòd unà cum corpore omnia interire censuerint. Profectò *si in hac vitâ tantùm in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus* (d). Quid enim est piorum vita, nisi perpetuum adversùs vitia, corruptæque naturæ libidines prælium, ætas assiduis & Diaboli & impiorum injuriis agitata? Post hæc, si anima cum corpore unà moritur, atque in nihilum solvitur, bonorum conditio miserrima omnium est. Ita de hac re ineptissimè sentiunt impii, & ii qui religionem odere.

Veteres quidam Codices locum non leviter discrepantem hìc habent. Post hæc verba enim, *Et æstimata est afflictio exitus illorum*, ferunt (e): *Et ab itinere justo abierunt in exterminium, & quod a nobis est, iter exterminii.* At Græcus solùm legit (f) tertii versiculi loco cum Vulgatâ: *Et quod a nobis est iter, exterminium.* Cùm illi ex hominum numero discederent, id extremi exitii loco habuerunt; vel ex Græco: *Eorum a nobis discessum, contritionem*, dissipationem, veluti aliquid quod comminuitur, atque in pulverem dissipatur. Hoc reverâ sentiebant Epicuræi, animam scilicet, ubi a corpore discederet, instar fumi & vaporis solvi.

℣. 3. ILLI AUTEM SUNT IN PACE. Integrâ pace, felicitate, ac tranquillitate in æternâ vitâ fruuntur. Plerumque Scriptura piorum conditionem,

(a) *Isai.* XIV, 14. (b) *Vide Tertull. lib. de bono patient. cap.* 5; *Cyprian. de Zelo & Livore*; *Aug. lib.* 4 *de Baptismo, contra Donat. c.* 8. (c) *Joan.* VIII, 44. (d) Πειράζουσι δὲ αὐτὸν, οἱ τῆς ἐκείνου μερίδος ὄντες. (e) *Osor. Jans. Vatab. Menoch.* (f) *Apocal.* II, 21. (g) *Grot. hic.* (a) *Psal.* CXV, 15. (b) *Luc.* XII, 7; XXI, 18. (c) *Deut.* XXXIII, 3; & *Isai.* LI, 16. (d) I *Cor.* XV, 19. (e) *Ita Edit. Complut. & Sixti* V, & *Lucifer Calarit. Apolog. pro S. Athan. & alii codices passim ante correction. Clem.* VIII. (f) Καὶ ἡ ἀφ' ἡμῶν πορεία σύντριμμα.

℣. 4. Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est.

℣. 5. In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentavit eos: & invênit illos dignos se.

℣. 6. Tamquam aurum in fornace probavit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum.

℣. 7. Fulgebunt justi, & tamquam scintillæ in arundineto discurrent.

℣. 8. Judicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum.

℣. 9. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi, quoniam donum, & pax est electis ejus.

℣. 10. Impii autem secundùm quæ cogitaverunt, correptionem habebunt: qui neglexerunt justum, & a Domino recesserunt.

℣. 11. Sapientiam enim, & disciplinam qui abjicit, infelix est: & vacua est spes illorum, & labores sine fructu, & inutilia opera eorum.

℣. 12. Mulieres eorum insensatæ sunt, & nequissimi filii eorum.

COMMENTARIUS.

nem, ubi mortem oppetierint, pacis nomine designat. *Scribe*, inquit ad Joannem Angelus (g): *Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis.* Pollicetur Abrahamo Deus (h), ipsum ad Patres suos in pace reversurum. Idem & Josiæ promittit (i). Apud Ecclesiasticum, XLIV, 14, Patriarchæ in pace sepulti sunt, ipsorum verò nomen vivit, & in omnem sæculorum seriem perseverat.

℣. 4. SPES ILLORUM IMMORTALITATE PLENA EST. Promissis sibi bonis, & hactenus speratis, expleti sunt.

℣. 5. IN PAUCIS VEXATI, IN MULTIS BENE DISPONENTUR; ingens erit illorum merces. Quantumvis gravibus malis & injuriis Justi agitentur dum vivunt, hæc tamen nihil plane sunt, si cum decreto illis alterius vitæ præmio comparentur. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*, inquit Apostolus (k). Et (l): *Quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Aptas satis phrases invenire non posse videtur S. Paulus, quibus Electorum felicitatem significet. Hæ voces, *Bene disponentur*, designant bona, *quæ illis destinantur*. Ita Christus (m): *Dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater regnum.* Græcus (n): *Paucis castigati, magnis beneficiis afficiuntur.*

℣. 6. TAMQUAM AURUM IN FORNACE PROBAVIT ILLOS. Familiaris Scripturæ phrasis (o), qua significantur discrimina, quibus Deus Justorum virtutem perficit. Ignis metalla purgat: justorum virtus malis purgatur, perficitur, illustratur.

IN TEMPORE ERIT RESPECTUS ILLORUM. Vel ex Græco (p): *In tempore visitationis illorum resplendescent*, eo tempore, quo illos visitabit Deus, & præmio afficiet. *Respectus* seu *visitatio* apud Sapientiam plerumque (q) in bonam partem usurpatur, pro tempore mercedis, resurrectionis, vel mortis Justorum.

℣. 7. FULGEBUNT JUSTI, ET TAMQUAM SCINTILLÆ IN ARUNDINETO DISCURRENT, vel (r) *in stipulâ*, paleâ, velut ignis rapidus & micans. Similem huic locutionem lege in Zacharia, XII, 6: *In die illâ ponam duces Juda sicut caminum ignis in lignis, & sicut faciem ignis in fœno.* Verbum *fulgebunt* apud Græcum jungitur cum superiore versiculo: (℣. 9) *In tempore visitationis illorum fulgebunt justi: (℣. 7) & tamquam scintillæ in stipulâ discurrent.*

℣. 8. JUDICABUNT NATIONES, ET DOMINABUNTUR POPULIS; ET REGNABIT DOMINUS ILLORUM IN PERPETUUM. Hoc Sanctorum Regnum & imperium alterius vitæ est. Hæc Discipulis & Apostolis promissa confirmat Christus (s); ac pollicetur fore, ut ipse illos duodecim Tribuum Israëlis Judices statuat, absolutoque in gentes imperio donet (t): *Dabo illi potestatem super gentes, & reget eas in virgâ ferreâ.* Christi Regnum Cœlum terramque omnem amplectitur (u): *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in terrâ.* Totus tamen Regni illius fulgor, totaque amplitudo tum denique micabit, cùm supremum ille Judicium exercebit (x), sentientibus impiis, ac videntibus, vel invitis.

℣. 9. QUI CONFIDUNT IN ILLO, INTELLIGENT VERITATEM; ET FIDELES IN DILECTIONE ACQUIESCENT ILLI, QUONIAM DONUM ET PAX EST ELECTIS DEI. Græcus ita sonat (y): Qui fiduciam in Deo collocavere, promissionum ipsius veritatem experientur; quippe constanti amore illum colent, promissorum fidem expectabunt. Ad verbum: *Expectabunt, quoniam gratia & misericordia in sanctis ejus, & visitatio in electis ejus.* Misericordiâ Electos visitabit, ac felicitate & gloriâ cumulabit sanctos, ubi mors accesserit.

℣. 10. SECUNDUM QUÆ COGITAVERUNT, CORREPTIONEM HABEBUNT. Impios, qui Providentiam esse negaverunt, peccare in Deum non desiere, creatis rebus abusi sunt, & sanctos injuriis oppressere, criminum suorum pœna sequetur, Deo illis pessimorum consiliorum & molitiminum mercedem reddente.

℣. 12. MULIERES EORUM INSENSATÆ, ET NEQUIS-

(g) *Apoc.* XIV, 13. (h) *Genes.* XV, 15. (i) 4 *Reg.* XXII, 3; & 2 *Par.* XXXIV, 28. (k) *Rom.* VIII, 18. (l) 2 *Cor.* IV, 17. (m) *Luc.* XXII, 29. (n) Ὀλίγα παιδευθέντες, μεγάλα εὐεργετηθήσονται. (o) *Vide Zach.* XIII, 9; *Malach.* III, 3; *Eccli.* XXVII, 6, &c. (p) Καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἀναλάμψουσι, &c. (q) *Vide Sap.* II, 20; IV, 15; XIX, 14. (r) Ὡς σπινθῆρες ἐν καλάμῃ. (s) *Matt.* XIX, 28. (t) *Apoc.* II, 26, 27. (u) *Matt.* XXVIII, 18. (x) *Apoc.* XIX, 6: *Regnavit Dominus Deus noster omnipotens.* (y) Οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτῷ, συνήσουσιν ἀλήθειαν, καὶ οἱ πιστοὶ ἐν ἀγάπῃ προσμενοῦσιν αὐτῷ. Ὅτι χάρις καὶ ἔλεος ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ, καὶ ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ.

℣. 13. Maledicta creatura eorum, quoniam felix est sterilis: & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum.

℣. 14. Et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversùs Deum nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima.

℣. 15. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat, radix sapientiæ.

℣. 16. Filii autem adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur.

℣. 17. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit novissima senectus illorum.

℣. 18. Et si celeriùs defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem.

℣. 19. Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.

COMMENTARIUS.

QUISSIMI FILII EORUM. Ut impios adhuc superstites puniat Deus, permittit, ut mulieres habeant insanas, ac libidinosas, liberos verò nequissimos; quippe cùm ii Patrum, & illæ virorum vitia imitentur, ex domesticis exemplis scelus discunt. Mulieris insensatæ nomine, impudicam, & adulteram intelligi, totius orationis series jubet. Insipiens apud Scripturam plerumque pro impio usurpatur (z); & apud Salomonem (a) mulier stulta est mulier impudica, & libidini dedita. Omnia impiorum probra, & scelus hominum fœminarumque, qui Deum obliti, censentesque illum minimè nosse ea, quæ inter homines fiunt, cogitationum suarum errores sectantur, probrosisque ipsi naturæ sceleribus sese inquinaverunt, deferente illos in libidinis suæ potestatem Deo, Apostolus ostendit (b): *Et sicut non probaverunt Deum habere in notitiâ, tradidit illos Deus in reprobum sensum, &c.*

℣. 13. MALEDICTA CREATURA EORUM, posteritas. Filios scelere procreatos, & in impietate enutritos, maledictis onerat Deus. E scelestis adeò parentibus nihil nisi scelus discere possunt filii, & Dei maledicta in caput suum provocare.

FELIX EST STERILIS, QUÆ NESCIVIT THORUM IN DELICTO, HABEBIT FRUCTUM IN RESPECTIONE ANIMARUM SANCTARUM, mortis scilicet, ac judicii die, cùm Deus impios visitabit. Qui innoxium vitæ institutum servaverint, fructu & mercede non carebunt. Bona ipsorum vita, & res benè gestæ, illis loco filiorum erunt; qui verò libidinem sectati fuerint, bonis operibus vacui, probro cumulabuntur, ac severissimè punientur. Probri loco apud Hebræos habebatur si quis cælibem sterilemque vitam ageret, & eæ quæ liberis & viro non carerent, felicissimæ æstimabantur. Monet tamen hoc loco Sapiens, multo turpiores esse libidinem, moresque impudicos, quàm castam & labis expertem sterilitatem. Ne amplâ filiorum coronâ glorientur impii, neque horum uxores fœcunditate. Impiorum filii diris addicti sunt, & uxores turpi scelestâque fœcunditate commendantur. Sunt (c) qui hunc locum explicent de fœminâ, cui sterilis vir contigit, quæ liberis carere mavult, quàm thalamum polluere, quæsitis adulterio filiis.

℣. 14. DABITUR ILLI FIDEI DONUM ELECTUM, ET SORS IN TEMPLO DEI. Eunucho sterilitatem ne impius exprobret, quæ melior est scelestâ fœcunditate. Eunuchus qui innoxiam, Deoque morigeram vitam gerit, fidei suæ mercedem referet; vel, promissis a Deo beneficiis fruetur, neque a cœli Templo excludetur, ubi conspicuo in loco statuendus est. Satis constat, Eunuchos ex legis sanctione, Sacerdotio, Magistratibus, ac dignitatibus in Templo Hierosolymitano exercendis, ipsisque Israëlis cœtibus exclusos fuisse (d). Spectare videtur Sapiens locum Isaiæ, LVI, 3, 4: *Non dicat Eunuchus, Ecce ego lignum aridum: quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui custodierint Sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum: dabo eis in domo meâ, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.*

℣. 16. FILII ADULTERORUM IN CONSUMMATIONE ERUNT, male peribunt. In exitium ruent, neque adolescent. Græcus: (e) *Filii adulterorum sacris non initiabuntur*, intra Domini Templum non excipientur. Apud ipsos Ethnicos profani, impii, nothi sacris arcebantur; Ecclesiasticis verò legibus, a sacris Ordinibus removentur. Filios ex adulterio natos comparat cum Eunuchis, de quibus ℣. 14, & quos in Templum Domini excipiendos esse asseruit. At ex familiari hujus Scriptoris phrasi, Græca vox, quæ vulgò redditur, *Sacris non initiabuntur*, significat, imperfectum esse, seu finem & perfectionem non assequi. Vide Caput IV, 5. Omnium certè sæculorum experientia testatur, verissima esse, quæ hìc Sapiens tradit de malis, quibus obruuntur ii, qui libidinem sectantur, præsertim adulterium, scelerum omnium, quæ in homines patrari queant, odiosissimum. Plerumque ii, qui ex illicito hujusmodi concubitu oriuntur, infelicissimi sunt, & miserrimo fine vitam claudunt.

℣. 18. SI CELERIUS DEFUNCTI FUERINT, NON HABEBUNT SPEM, NEC IN DIE AGNITIONIS (f) ALLOCUTIONEM; scilicet eâ die, quâ omnia patebunt, solatium a nemine invenient. Impiorum hujusmodi parentum liberis nulla superest in alterâ vitâ spes, primâ ne juventâ, an extremâ in senectute obeant; supremâque die judicii, exami-

(z) *Psal.* XIII, 1; XLVIII, 11; LII, 1, LXXIII, 18; XCI, 7, *& passim*. (a) *Prov.* IX, 13. *Vide &* II, 16; VII, 10; *& Job*, II, 10. (b) *Rom.* I, 26, 27, 28. (c) *Vide Thom. Hugon. a Castro*.
(d) *Levit.* XXII, 17, 18, *&c. Deut.* XXIII, 1. (e) Τέκνα δὲ μοιχῶν ἀτέλεστα ἔσται.
(f) *Fulgent. Epist.* 2, *c.* 3: *In die magnitudinis*. Judicii diem intelligit.

nis, *agnitionis*, quâ die rationem cum illis Deus instituet, spe & solatio penitus carebunt. Quæ hic de filiis adulterio procreatis dicuntur, de iis solummodo intelligenda sunt, qui paterna scelera imitantur, eorumque exemplo in crimen ruunt; neque enim parentum peccata divino judicio filiis adscribuntur; ac fieri potest, ut quis ex adulterio natus in Electorum censu sit, & alter ex optimis parentibus procreatus, inter reprobos rejiciatur *(g)*.

CAPUT IV.

Comparatio inter justi & impii hominis posteros, natosque ex legitimo connubio & ex adulterio filios. Justorum mors, vel maturâ ætate, vel immaturâ, nunquam non felix.

℣. 1. O Quàm pulcra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius: quoniam & apud Deum nota est, & apud homines.

℣. 2. Cùm præsens est, imitantur illam: & desiderant eam, cùm se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.

℣. 3. Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, & spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.

COMMENTARIUS.

℣. 1. O QUAM PULCRA EST CASTA GENERATIO CUM CLARITATE *(a)*! cum fulgore virtutis. Instituta capite superiori comparatio inter justum & impium, & utriusque posteros, hic producitur. Docuit superiùs Sapiens, natis ex adulterio filiis miserrimam plerumque vitam contingere, eosque præcoci morte e numero viventium eripi; & si quandoque senescere illos patitur Deus, inhonestâ morte, absque melioris vitæ spe, mori: *Nationis iniquæ diræ sunt consummationes*. Docet hic, prolem casto pioque conjugio editam, pulcram semper esse & gloriosam, *O quàm pulcra est generatio cum claritate!* Græcus *(b)*: *Melior est sterilitas liberorum cum virtute*, quàm ingens posteritas cum scelere. Conclusio est eorum quæ superiori capite tradidit.

IMMORTALIS EST ENIM MEMORIA ILLIUS. Æterna est virtutis, seu castæ posteritatis memoria. Utrumque idem est; pii enim probique parentis proles solius ipsorum virtutis causâ æstimatur; suaque justo virtus filiorum loco est, si is liberis careat; ejusque nomen ab oblivione vindicat. Hujus nomen apud Deum in Libro vitæ descriptum est, & memoria apud homines commendatur; *Apud Deum nota est, & apud homines*.

℣. 2. CUM PRÆSENS EST, IMITANTUR ILLAM, ET DESIDERANT EAM, CUM SE EDUXERIT. Ea est virtutis præstantia; ubique colitur, amatur, quæritur. Facere nequeunt homines, quantumvis iniqui ac vitiis pleni, quin magni faciant virtutem, cùm præsertim veram solidamque esse arbitrantur. Siquis interdum impius illi adversatur, eamque deridet, tunc cæcâ aliquâ libidine rapitur, aut falsæ alicujus opinionis impetu decipitur. Cæterùm animo clam dolet, quòd virtute careat, ac vel invitus irascitur, ubi opprimi justum videt. Oniæ Pontificis necem luxit Antiochus Epiphanes *(c)*. Iidem illi, quibus boni viri præsentia molesta est, & assidua scelerum suorum accusatio, ipsius mortui desiderium sentiunt *(d)*.

Virtutem incolumem odimus;
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Nemo Socratis mortem amariùs flevit, quàm Athenienses, qui Socratem damnavere.

IN PERPETUUM CORONATA TRIUMPHAT, INCOINQUINATORUM CERTAMINUM PRÆMIUM VINCENS, postquam certaminum pro castitate gestorum præmium tulit. Probi hominis virtus, superatis periculis ac tentationibus, & libidinis igne, in Cœlo triumphat. Amianti naturam spectare videtur Sapiens, qui igne purgari dicitur, non consumi *(e)*. Græcus ad verbum *(f)*: *Triumphat, qua incorruptorum præmiorum certamen vicit*, vel *præmia incorruptionis*.

℣. 3. SPURIA VITULAMINA, spuriæ propagines, NON DABUNT RADICES ALTAS. Universalis hæc spuriarum propaginum appellatio degeneres plantas significat, inimico in solo satas, sub adverso Cœlo, aut calido nimis, aut algido, sive arido, humidove. Hic verò designat filios ex incestis conjugiis creatos. Repetit hoc loco Sapiens id quod sæpiùs tradidit, infelicem fore hujusmodi filiorum vitam, neque diuturnam; eosque sine honore & posteris morituros. In hanc vocem *vitulamina (g)*, S. Augustinus animadvertit *(h)*, populum huic voci adeò assuevisse, ut illam dediscere non posset; eamque versionem, barbaram licèt ac pessimam, vulgatam adeò fuisse, ut nullus fermè Codex eam non ferens occurreret. In nonnullis tamen legebatur, *Adulterinæ plantationes*, voce magis Latinâ & aptiore *(i)*. *Vitulamina* vox efficta est e voce Græcâ *moscheumata*, quæ ex alterâ *moschos*, vitulus,

(g) *Vide August. de nuptiis & concupisc. c. 17; & lib. 3 contra Julian. c. 22: Homo sive de conjugio, sive de adulterio nascatur, in quantum homo est, bonum est; quia in quantum homo est, opus Dei est; & tamen quia cum illo & ex illo malo generatur, necessarium illi est, ut ab ejus mali nexu regeneratione solvatur.* (a) *Bern. ep. 42 ad Henricum Senon. Petr. Blesens. ep. 35: Cum charitate.* (b) Κρείσσων ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς. (c) *2 Maccab. IV, 37.* (d) *Horat. lib. 3, ode 24.* (e) *Plin. lib. xxxvi, 19.* (f) Πομπεύει, τὸν τῶν ἀμιάντων ἄθλων ἀγῶνα νικήσασα.

(g) Ἐκ νόθων μοσχευμάτων οὐ δώσει ῥίζαν εἰς βάθος. *Ex spuriis stolonibus non dabit radicem in profunditatem.* (h) *Aug. lib. de Doctr. Christianâ, c. 12. Vide & Optat. lib. 4 contra Parmen.* (i) *Sic legunt Bonavent. Lyran. Hugo, Holkot. Dionys. Vide & Vat. & Clar. &c.*

℣. 4. Et si in ramis in tempore germinaverint, infirmiter posita, a vento commovebuntur, & a nimietate ventorum eradicabuntur.

℣. 5. Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.

℣. 6. Ex iniquis enim somnis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiæ adversùs parentes in interrogatione suâ.

℣. 7. Justus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit:

℣. 8. Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis,

℣. 9. Et ætas senectutis vita immaculata.

℣. 10. Placens Deo factus est dilectus, & vivens inter peccatores translatus est.

℣. 11. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.

COMMENTARIUS.

tulos, ducitur; atque ita *vitulamina* ex *vitulus* Latinè confictum est. At illud obstat, quòd Græcè *moscheumata* optimè dicuntur propagines, taleæ; *vitulamina*, Latinum non est.

℣. 4. ET SI IN RAMIS IN TEMPORE GERMINAVERINT, A VENTO COMMOVEBUNTUR. Quemadmodum arbores humi satæ, quamquam paucis aut nullis radicibus hæreant, surculum tamen aliquem pariunt: ita impii aliquandiù fortasse florentem crescentemque posteritatem cernent; at hæc brevì, utì arbor male radicibus hærens, evelletur.

℣. 5. RAMI INCONSUMMATI frangentur antequam adolescant, fermè utì foliis & surculis ab arbore radicibus carente editis usu venit. Nutriens arboris succus calore commotus, addito humore, gemmam aliquam parturit, quæ tamen neque ventum, neque æstatis ariditatem æstumque pati potest.

FRUCTUS EORUM INUTILES ET ACERBI. Quamvis ventum, procellas, æstatis fervorem pati, aut fructum ferre aliquem possent, fructus profectò male nutritus insipidus esset ac ingratus, veluti qui ab arbore male satâ, & in solo aspero falsoque nutritâ feruntur.

℣. 6. EX INIQUIS SOMNIS (k), e thoro incesto. Editiones quædam (l) ferunt: *Ex iniquis omnes filii qui nascuntur*. Denique, ait Sapiens, impii proles, quacumque ex parte inspiciatur, dedecus patris est; si enim aliquandiù vivat, deque illâ quis quærat, *In interrogatione suâ* (m), testis paternæ libidinis futura est.

℣. 7. JUSTUS SI MORTE PRÆOCCUPATUS FUERIT, IN REFRIGERIO ERIT. Ipsa docet experientia, pios homines præcoci morte rapi, antequam maturam ætatem assequantur; idque ait plerumque Divinæ misericordiæ beneficio fieri, illos ex hujus vitæ malis aut periculis subducentis. At quovis mortis genere aut tempore obeant, pii hominis mors calamitatis loco haberi nequit, cùm illum Deus in quietis locum reducat: *In refrigerio erit*. Græcus (n): *In quiete erit*. Ita & Capite III, 3: *In pace*. His phrasibus Hebræi utebantur, ut piorum hominum sanctè decedentium statum significarent. Pace fruebantur, ab hujus vitæ negotiis turbisque semoti, Liberatoris adventum tranquillo animo præstolantes. Neque putes, his vocibus, *Justus si morte præoccupatus fuerit*, significari, mortem probis viris minimè expectatam contingere, ipsa enim illorum pietas probitasque illos docet, assiduis curis sibi cavere, paratosque esse, ut quolibet tempore Dei tribunal adeant. Nunquam morte occupatur Justus, cùm e vitâ discedere nunquam paratus non sit. Græcus propriè sonat (o): *Justus etiamsi prematurâ morte obeat*; vel, *si præveniat mori*.

℣. 8. SENECTUS ENIM VENERABILIS EST, NON DIUTURNA, NEQUE ANNORUM NUMERO COMPUTATA. ℣. 9. CANI AUTEM SUNT SENSUS HOMINIS, ET ÆTAS SENECTUTIS VITA IMMACULATA. Hæ laudes senibus obsequium pariunt, imò & iis, qui non adeò longam ætatem his virtutibus ornant. Hoc omnium sæculorum Philosophi agnovere (p). *Vita non quamdiù, sed quàm bene acta, refert*, ait Seneca (q). Rogatus Simonides, quâ ætate esset, *Senex*, inquit, *non sum*, *quamvis multos annos vixerim*. Hæc locutio, *Cani sunt sensus hominis*, ad verbum sonat (r): *Prudentia senectutem facit*. Ubi prudentia est, ibi senectutis & canitiei honos.

℣. 10. VIVENS INTER PECCATORES TRANSLATUS EST. Illum Geneseos locum spectat (s): *Enoch non apparuit, quia tulit eum Deus*. Cùm justus ex impiorum societate subducitur, id Dei beneficium est; ne mens bene instituta, nequitiæ illorum contagio malisque exemplis corrumpatur, ejusque animum fallant dolus & fraus, quibus orbis universus occupatur: (℣. 11) *Ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius*. Veterum effatum erat (t): *Quem amant Dii, juvenis moritur*. Menander apud S. Paulum (u): *Corrumpunt mores bonos colloquia prava*. Isaias (x): Rapuit justum Deus, ob hominum nequitiam, vel malorum causâ, quibus Deus impios afficit. Justum cum impio iisdem malis obvolvere non vult, quibus orbem universum affligere decrevit. Cur verò justum e numero viventium subducit? Cur potiùs immobilem in suâ integritate non tuetur, quam-

(k) Ἐκ γὰρ ἀνόμων ὕπνων τέκνα γεννώμενα. *Vide infra, cap. VII, 2.* (l) *Edit. Sixti V, & Complut.*
(m) Ἐν ἐξετασμῷ αὐτῶν. *Confer sup. III, 16:* Ἐν ἡμέρᾳ διαγνώσεως. (n) Ἐν ἀναπαύσει ἔσται.
(o) Δίκαιος δὲ ἐὰν φθάσῃ τελευτῆσαι. (p) *Menander:* Οὐκ αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν, Ἀλλ' ὁ τρόπος ἐνίων ἐστὶ τῇ φύσει γέρων.
(q) *Senec. de brevit. vitæ.* (r) Πολιὰ δέ ἐστι φρόνησις ἀνθρώποις. (s) *Genes. V, 24:* Μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός. *Vide & Hebr. XI, 5; Eccli. XLIV, 16.* (t) Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσ', ἀποθνήσκει νέος.
(u) *I Cor. XV, 33:* Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί. (x) *Isai. LVII, 1: A facie malitiæ collectus est justus.*

℣. 12. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ transvertit sensum sine malitiâ.

℣. 13. Consummatus in brevi explevit tempora multa:

℣. 14. Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum: Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in præcordiis talia:

℣. 15. Quoniam gratia Dei, & misericordia est in Sanctos ejus, & respectus in electos illius.

℣. 16. Condemnat autem justus mortuus vivos impios, & juventus celeriùs consummata, longam vitam injusti.

℣. 17. Videbunt enim finem sapientis, & non intelligent, quid cogitaverit de illo Deus, & quare munierit illum Dominus.

℣. 18. Videbunt, & contemnent eum: illos autem Dominus irridebit.

℣. 19. Et erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumeliâ inter mortuos in perpetuum: quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, & commovebit illos a fundamentis, & usque ad supremum desolabuntur: & erunt gementes, & memoria illorum peribit.

℣. 20. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.

COMMENTARIUS.

quamvis Diabolus quâlibet arte illum statu movere laboret? Cur alterum pium virum felici exitu e periculis elabi vult, alterum in periculo perseverare, & cadere patitur (y)? In his rebus, inquit S. Augustinus, sublimissima Dei judicia, & æquitas colenda sunt: *Justissima omnino, sed inscrutabilia sunt judicia ejus.*

℣. 12. FASCINATIO ENIM NUGACITATIS OBSCURAT BONA. Meritò veneficium, sive fascinationem nominat Sapiens eam vim, quâ vanitas, voluptates, mala exempla, inanesque sermones hominem trahunt. Ut enim fascinatio merus est vulgi error, superstitione innixus, falsò reputantis hominum oculos a veneficis turbari, ne ea videant, quæ vera sunt & præsentia, sive falsas obcurasque res ab illis coram exhiberi; ita homines mundi amatores falluntur, dum verum solidumque bonum in voluptatibus & ambitione quærunt, neque verum discrimen, verasque fraudes animadvertunt, quarum causâ iis bonis quæ vera sunt, eâque gloriâ quæ constans & æterna, spoliantur.

℣. 15. RESPECTUS IN ELECTOS ILLIUS. Vel: Sanctos suos misericordiâ visitat. Hæc vox *respectus* seu *visitatio* jam superiùs (z) occurrit pro præcoce morte, qua Deus virum probum ex hac vitâ rapit.

℣. 16. CONDEMNAT JUSTUS MORTUUS VIVOS IMPIOS, vitâ elapsâ, & exemplis; quemadmodum Ninivitæ Judæos supremâ Judicii die damnaturi sunt, cùm ipsi Jona prædicante pœnitentiam egerint, Judæi verò aures Christo præbere noluerint (a).

JUVENTUS CELERIUS CONSUMMATA. Justus in ipso ætatis flore raptus, impium damnat, qui tam diuturno annorum spatio adolescentis virtutem assequi nesciverit.

℣. 17. QUARE MUNIERIT ILLUM DOMINUS adversùs mundi fraudes, ipsiusque voluptatum & errorum veneficia. Græcus Complutensis aliter legit (b): *Videbunt enim finem Sapientis, & non intelligent, quid decreverit de ipso, & quorsum tuto conservaverit ipsum Dominus.* At Romana Editio similis omnino Vulgatæ est, & meliorem Complutensi sententiam fert.

℣. 19. DISRUMPET ILLOS INFLATOS SINE VOCE. Græcus (c): *Disrumpet illos sine voce præcipites*, scilicet, illos Deus comminuet & præcipites dabit, ipsique silere cogentur. Hîc profectò suprema impiorum calamitas describitur; tribus enim vocibus tria supplicia significat.

℣. 20. TRADUCENT ILLOS EX ADVERSO INIQUITATES IPSORUM; in Judicium trahent & accusabunt. Ita S. Paulus de Ethnicis: (d) *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientiâ ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Græcus legit (e): *Contraque redarguent eos peccata contra legem commissa.* Accusator rei dexteram tenebat (f).

CA-

(y) *Aug. lib. 5 de Prædest. SS. cap. 14: Sed quare aliis concedatur, ut ex hujus vitæ periculis, dum justi sunt, auferantur, alii verò justi, donec a justitiâ cadant, in eisdem periculis vitâ productiore teneantur: Quis cognovit sensum Domini?* (z) Καὶ ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ. Vide *sup.* II, 20; III, 13. (a) *Matt.* XII, 41. (b) Ὄψονται γὰρ τελευτὴν σοφοῦ, καὶ οὐ νοήσουσι τί ἐβουλεύσατο περὶ αὐτοῦ, καὶ εἰς τί ἠσφαλίσατο αὐτὸν ὁ κύριος. (c) Ὅτι ῥήξει αὐτοὺς ἀφώνους πρηνεῖς. (d) *Rom.* II, 15. (e) Καὶ ἐλέγξει αὐτοὺς ἐξεναντίας τὰ ἀνομήματα αὐτῶν. (f) *Psal.* CVIII, 6.

CAPUT V.

Impii post mortem errorem suum fatentur, justorumque virtutem commendant. Pœna, qua illos afficit Deus.

℣. 1. Tunc stabunt justi in magnâ constantiâ adversùs eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum.

℣. 2. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis,

℣. 3. Dicentes intra se, pœnitentiam agentes & præ angustiâ spiritûs gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii.

℣. 4. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.

℣. 5. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sors illorum est.

℣. 6. Ergo erravimus a viâ veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & Sol intelligentiæ non est ortus nobis.

℣. 7. Lassati sumus in viâ iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles: viam autem Domini ignoravimus.

℣. 8. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis?

℣. 9. Transierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuncius percurrens,

COMMENTARIUS.

℣. 1. TUNC STABUNT JUSTI IN MAGNA CONSTANTIA (a) ADVERSUS EOS &c. In alterâ vitâ accusabunt Impios Justi, & in judicium ad supremum Judicem trahent. Describit hoc loco Sapiens quid futurum sit, qua die mortuorum Judicium exercebitur, ac si coram adfuturi sint justi & impii, alterutrorum æternæ felicitatis testes aut calamitatis. Prosopopœja est, quæ veritate nititur; nullus enim dubio locus est, quin impii justorum beatitudinem, & justi impiorum calamitatem visuri sint. Vide parabolam de impio divite, & Lazaro (b).

QUI ABSTULERUNT LABORES EORUM, uti solent immites heri, qui mercedem Operis negant, frustra reluctante luculentissimâ Dei sanctione (c): *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque mane.* Vel: Qui rapuerunt pauperi ea quæ ille sibi labore comparaverat. Græcus (d): *Qui ejus labores spreverunt*: justorum solicitudinem, qua æterna bona adipisci conantur, impii derident.

℣. 2. MIRABUNTUR IN SUBITATIONE INSPERATÆ SALUTIS. Improvisâ adeò rerum conversione in rabiem agentur. Græcus (e): *Stupescent inopinatâ salute.* Cùm justos eâ salute frui cernent, qua minimè putabant, obstupescent.

℣. 3. DICENTES INTRA SE, POENITENTIAM AGENTES. Sunt qui vertant (f): *Dicent inter se*, alter alteri. Quæ sequuntur, huic versioni favent. Inanes tunc erunt illorum pœnitentia & dolor, quæ solummodo hîc viventibus prosunt. Apud Inferos non utilis pœnitentia est, sed desperatio & furor.

IN DERISUM, ET IN SIMILITUDINEM IMPROPERII. Græcus (g): Hi quos habuimus *ludibrio*, & *in dicterium*, ceu proverbium opprobrii & injuriarum. Nostris dicteriis nostræque scurrilitati materiam justi exhibuere.

℣. 5. INTER FILIOS DEI, ET INTER SANCTOS. Virum probum deriserant, qui sese in numero Filiorum Dei recensebat (h): in alterâ jam vitâ hujus rei veritatem vident. Filii Dei & sancti hoc loco iidem sunt; Justisque veteris & novi Testamenti hominibus nobilissima hæc laus Christi meritis comparata est.

℣. 6. JUSTITIÆ LUMEN NON LUXIT NOBIS, ET SOL INTELLIGENTIÆ NON EST ORTUS NOBIS. Græci quidam codices (i) legunt: *Lumen justitiæ & sol justitiæ.* Alii (k): *Lumen justitiæ non luxit nobis, & sol non est ortus nobis.* Atrâ nocte opprimitur impius, & opera illius *infructuosa tenebrarum* sunt (l).

℣. 7. AMBULAVIMUS VIAS DIFFICILES. Græcus (m): *Deserta inaccessa*, invia. Sceleris iter durius est itinere virtutis, ipsis fatentibus impiis.

℣. 9. TAMQUAM UMBRA, ET TAMQUAM NUNCIUS PERCURRENS. Tota hominis vita, umbra est, idemque ipse homo ventus est & umbra solùm, inquit Sophocles (n). Humanæ vitæ pernicitas comparatione nuntii nullibi morantis optimè significatur. Plus aliquid habet Græcus (o): *Ut nuncium percurrens*, instar famæ (p):

Fama malum quo non aliud velocius ullum:
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

℣. 10. Et

(a) Gr. Ἐν παῤῥησίᾳ πολλῇ, *In multâ libertate.* (b) *Luc.* XVI, 20, 23. (c) *Levit.* XIX, 13.
(d) Τῶν ἀθετούντων τοὺς πόνους αὐτῶν. (e) Ἐκστήσονται ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας.
(f) Ἐροῦσιν ἐν ἑαυτοῖς. *Cyprian. & Lucifer Calarit. Inter se.* (g) Εἰς γέλωτα, καὶ εἰς παραβολὴν ὀνειδισμοῦ. (h) *Sap.* II, 16. (i) Τὸ τῆς δικαιοσύνης φῶς οὐκ ἔλαμψεν ἡμῖν, καὶ ὁ ἥλιος δικαιοσύνης, *&c.*
(k) *Ita Edit. Rom.* (l) *Ephes.* V, 11. (m) Διωδεύσαμεν ἐρήμους ἀβάτους. (n) Ἄνθρωπός ἐστι πνεῦμα, καὶ σκιὰ μόνον. (o) Ὡς ἀγγελίας παρατρέχουσα. (p) *Virgil.* IV *Æneid.*

℣. 10. Et tamquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam: cujus,
cùm præterierit, non est vestigium invenire, neque semitam
carinæ illius in fluctibus:
℣. 11. Aut tamquam avis, quæ transvolat in aëre, cujus nullum in-
venitur argumentum itineris, sed tantùm sonitus alarum ver-
berans levem ventum, & scindens per vim itineris aërem:
commotis alis transvolavit, & post hoc nullum signum inveni-
tur itineris illius:
℣. 12. Aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum, divisus
aër continuò in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius:
℣. 13. Sic & nos nati continuò desivimus esse: & virtutis quidem
nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostrâ
consumpti sumus.
℣. 14. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.
℣. 15. Quoniam spes impii tamquam lanugo est, quæ a vento tol-
litur: & tamquam spuma gracilis, quæ a procellâ dispergitur;
& tamquam fumus, qui a vento diffusus est: & tamquam me-
moria hospitis unius diei prætereuntis.
℣. 16. Justi autem in perpetuum vivent, & apud Dominum est
merces eorum, & cogitatio illorum apud Altissimum.
℣. 17. Ideò accipient regnum decoris, & diadema speciei de ma-
nu Domini: quoniam dexterâ suâ teget eos, & brachio sancto
suo defendet illos.

COMMENTARIUS.

℣. 10. Et tamquam navis... (℣. 11.) Aut avis... (℣. 12.) Aut tamquam sagitta.... (℣. 13.) Sic et nos nati, continuo desivimus esse. Tria hæc similia desumpta sunt ex Proverbiis, xxx, 18, 19. Salomonis sententiam exornat Sapiens. Ita verò Salomon; *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitùs ignoro. Viam aquilæ in cælo, Viam colubri super terram, Viam navis in medio mari, & Viam viri in adolescentiâ.* Hujus loci sensus alius planè est in Hebræo: at Sapientiæ Author ita usurpasse videtur, veluti pernicitatem indicet, qua vitæ nostræ dies nobis minimè sentientibus fugiunt. Profectò si omnium, qui in terrâ vixerunt, hominum vestigia legas, quid illos post se reliquisse animadverles? Inter paucissimorum numerum, quorum nomen ad posteros transiit, quàm multi sunt, quorum memoria commendatur? Quanti verò facienda est hujusmodi fama, quæ vel ex solo hominum errore, vel ex ipsorum calamitate nascitur?

℣. 14. Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt. Hæc verba in Græco non habentur; eaque addidit Interpres, ut sententiam clauderet. *In Inferno*, vel statum impiorum post mortem significat, infernum qui propriè dicitur, unde impii, veluti malus Dives, Justos in sinu Abrahæ quietos intuentur; vel locum, ubi supremum Judicium exercebitur, quo loco tum boni tum mali coram supremo Judice colligentur (q).

℣. 15. Tamquam lanugo, et tamquam spuma. Græcus (r): *Tamquam pulvis a vento ablatus, & tamquam pruina quæ a procellâ impellitur.* Psalmista impios cum pulvere vel ventorum rapto comparat (s).

℣. 16. Cogitatio illorum apud Altissimum. Curam illorum gerit: illos in mente animoque habet. Domestici quodammodo & filii Dei sunt (t), sollicitudinis, curæ, anxietatis expertes.

℣. 17. Regnum decoris, et diadema speciei. Utraque Scripturarum pagina, novi præsertim Fœderis (u), Justos in Cœlo exhibet ceu Reges Proceresque gloriâ & viribus spectabiles; idcirco fortasse, quòd apud homines nihil augustius atque optatius sit, quàm suprema & absoluta authoritas. At Sanctorum Regnum, eorumque diademata planè alia sunt, quàm quibus Reges in terrâ utuntur. Illi enim gloriam omnem, beatitudinem, gaudium in eo ponunt, ut supremo omnium Domino pareant, coronas coram illo summittant (x), supremumque illius imperium, infinitam justitiam & Sapientiam fateantur. Regni illius participes sunt, unaque cum ipso illorum voluntas est. Quanta verò hujus Regni gloria est atque felicitas? Hoc illud est, quod neque oculus vidit, neque auris audivit, neque hominis mens unquam intellexit. Aliqua tantummodo hujus conjectura duci potest ex Dei amplitudine, magnificentiâ, misericordiâ, qui hæc promisit & paravit. *Omnem creaturam suam excedit, omnem factùram præterit, universa præcellit. Si quæras magnitudinem, major est; si pulcritudinem, pulcrior; si dulcedinem, dulcior; si splendorem, fulgidior; si justitiam, justior; si fortitudinem, fortior; si pietatem, clementior*, inquit S. Augustinus (y).

℣. 18. Ac-

(q) *Castr. Dionys. Cornel.* (r) Ὡς φερόμενος χνοῦς ὑπὸ ἀνέμου, καὶ ὡς πάχνη ὑπὸ λαίλαπος διωχθεῖσα.
(s) *Psal.* i, 4. (t) *Ephes.* ii, 19; *Rom.* viii, 14, 15.
(u) *Apoc.* vii, 10, 11; & iv, 10.
(x) *Apoc.* vii, 10, 11; & iv, 10.
(y) *Aug. serm.* 5 *de verbis Apostoli.*

℣. 18. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad ultionem inimicorum.

℣. 19. Induet pro thorace justitiam, & accipiet pro galeâ judicium certum.

℣. 20. Sumet scutum inexpugnabile æquitatem:

℣. 21. Acuet autem duram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

℣. 22. Ibunt directè emissiones fulgurum, & tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient.

℣. 23. Et a petrosâ irâ plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, & flumina concurrent duriter.

℣. 24. Contra illos stabit spiritus virtutis, & tamquam turbo venti dividet illos: & ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas evertet sedes potentium.

COMMENTARIUS.

℣. 18. ACCIPIET ARMATURAM ZELUS ILLIUS. Jam describit Sapiens arma, quibus induetur Justus, ut ultionem in hostes exerceat. Sanctus & æquus illius furor, & ira justissima illum quolibet armorum genere instruent. Ita sonat ad verbum Græcus (z): *Accipiet totam armaturam, zelum suum*, vel iram suam. Ita Isaias (a) Deum exhibet omni armorum genere indutum, atque ulcisci paratum. Ita etiam Paulus Christianum hominem docens (b), quibus armis adversùs Dæmonem protegi debeat, omnia illi arma præcipit, quæ ad victoriam necessaria sunt. Figuratæ translatæque locutiones.

℣. 19. JUDICIUM CERTUM, æquum, sincerum, Ita sonat Græcus (c). Nullius ratione habitâ, sententiam feret.

℣. 20. SCUTUM INEXPUGNABILE ÆQUITATEM. Græcus (d): *Accipiet scutum insuperabile sanctitatem*.

℣. 21. PUGNABIT CUM ILLO ORBIS TERRARUM. Creatæ res omnes cum illo conjurabunt, atque ad ipsum veluti auxiliares copiæ accedent (e). Poëticæ locutiones, quibus significatur gravissima Dei ultio in impios exercenda. Gravis autem ita erit, ut hi nullum ex creatis rebus solatium habituri sint, conspirante in ipsorum exitium universo. *Qui in cunctis deliquimus, in cunctis ferimur*, inquit S. Gregorius (f). Elementa omnia in impios sævient; creatæ res omnes illum coram Deo accusabunt, incredulitatis, impietatis, iniquitatisque damnabunt.

℣. 22. EMISSIONES FULGURUM, ET TAMQUAM A BENE CURVATO ARCU NUBIUM. Fulmina & fulgura frequenter apud Scripturam (g) tela Dei nuncupantur. Illos fulminibus e nubium ventre jactis obruet. Fingebant Ethnici, Apollinem ex alto nubium jaculari (h).

...... *Arcum intendebat Apollo*
Desuper.

℣. 23. ET A PETROSA IRA PLENÆ MITTENTUR GRANDINES. Eas Veterum machinas spectat, balistas appellatas, quibus in urbium obsidione lapides jaculabantur. Dei furor balistæ similis, grandinem, lapidibus duritie & magnitudine æqualem, pro lapidibus mittet. Vide nos alibi (i) de lapidum imbre.

EXCANDESCET CONTRA EOS AQUA MARIS. Procellæ descriptio. Tellus, mare, amnes, Cœlum, nubes, aër, omnia in impios pugnabunt. Græcus ad verbum (k): *Indignabitur contra eos aqua maris*.

℣. 24. CONTRA ILLOS STABIT SPIRITUS VIRTUTIS (l), seu ventus a Dei viribus missus. His descriptionibus infinita Dei virtus in res creatas ostenditur.

CAPUT VI.

Paranesis ad Principes Judicesque, ut sapientiam ament, superbiam oderint. Deus magnorum aquè ac minimorum pater. Qui majori dignitate fulgent, eò graviùs punientur. Sapientia laus. Obvia est sese amantibus. Sapientum copia, salus mundi est.

℣. 1. MElior est sapientia quàm vires: & vir prudens quàm fortis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. MELIOR EST SAPIENTIA QUAM VIRES. Primus hic versiculus in Græco non legitur; derivatusque videtur e Proverbiis, XVI, 32: *Melior est patiens viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium*. Vel ex Ecclesiaste, IX, 16: *Dicebam, sapientiam meliorem esse fortitudine*,

(z) Λήψεται πανοπλίαν τὸν ζῆλον αὐτοῦ. (a) *Isai.* LIX, 17. (b) *Ephes.* VI, 16, 17.
(c) Κρίσιν ἀνυπόκριτον. (d) Λήψεται ἀσπίδα ἀκαταμάχητον ὁσιότητα.
(e) Συνεκπολεμήσει αὐτῷ ὁ κόσμος ἐπὶ τοὺς παράφρονας. (f) *Greg. Mag. homil.* 35 *in Evang.*
(g) *Deut.* XXXII, 23; 2 *Reg.* XXII, 15; *Psal.* VII, 14; *Psal.* XVII, 15; LXXVI, 18, &c.
(h) *Virgilius*. (i) *Josue*, 2, 11: *Misit super eos lapides magnos de cœlo*.
(k) Ἀγανακτήσει κατ' αὐτῶν ὕδωρ θαλάσσης. (l) Πνεῦμα δυνάμεως.

℣. 2. Audite ergo, reges, & intelligite, discite, judices finium terræ.

℣. 3. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum:

℣. 4. Quoniam data est a Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur.

℣. 5. Quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis leges justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis.

℣. 6. Horrendè, & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.

℣. 7. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.

℣. 8. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam: quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.

℣. 9. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.

COMMENTARIUS.

dine, &c. Extra locum omnino est, cùm neque cum superioribus neque cum sequentibus jungatur.

℣. 2. AUDITE ERGO, REGES, Illud sibi hoc loco proponit Sapiens, ut quodlibet hominum genus præceptis instituat, præsertim Reges, uti animadvertimus superiùs, I, 1, Loquentem inducit Salomonem, Regum Sapientissimum, quò major authoritas docenti sit.

℣. 3. QUONIAM DATA EST A DOMINO POTESTAS VOBIS. Hac potestate ne gloriemini, quæ vestra non est, sed unius Dei beneficium (a); eâ ne abutiminor, ejus rationem reddituri. Superbiam ne sectaminor; æquè enim magnorum ac minimorum pater est Deus. Collato jam beneficio dignos vosmetipsos Sapientiæ studio efficitote. Hæc vera est Regum laus & gloria. *Videte quid faciatis*, monebat Judices populi Josaphat (b). *Non enim hominis exercetis judicium, sed Domini; & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum; & cum diligentiâ cuncta facite; non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.*

℣. 6. CITO APPAREBIT VOBIS; QUONIAM JUDICIUM DURISSIMUM HIS QUI PRÆSUNT. Cùm fertis sententiam, Dei ne unquam obliviscIminor, neque vobis blandiaminor fore, ut iniquitatem vestram aut obliviscatur, aut dissimulet. Neque judicium differet, seseque quantociùs prodet; væ autem iis qui potestate abusi fuerint! quò enim sublimiori dignitate fulserint, eò severiori examine exagitabuntur. Quibus plura dedit, plura ex iis exiget Deus (c). Quâ severitate puniit Moysem, promissæ regionis ingressu prohibitum, ejusmodi peccati causâ, quod levissimum esse plerumque censetur? (d) Qua Saulem, levissimâ in re non obedientem (e); Davidem levis curiositatis, & superbiæ causâ, ubi Populi censum instituit (f); Ezechiam, quòd thesauros superbè ostentarit (g); Prophetam, quò ad Jeroboamum missus fuerat, quòd divinis Imperiis non religiosissimè obtemperarit (h)? Suam ipsius gloriam, suorumque perfectionem studiosissimè amat ac defendit Deus. Vide ℣℣. 7, 9, quibus eamdem sententiam repetit Sapiens. Nunquam satis hoc ipsum Principibus Magnatibusque prædicatur, dum inter assidua discrimina sunt, ut aut Dei, aut sui ipsorum obliviscantur.

℣. 7. EXIGUO CONCEDITUR MISERICORDIA, infirmo, simplici. Cùm unicum ipsis talentum creditum fuerit, unius rationem reddent. Cognitione caruerunt; at discendi commoditas defuit. Aspera illorum conditio, & assidua penè mala, quibus opprimuntur, aliquam peccatis excusationem suppeditant. Minus quandoque in ipsis malitiæ est, & rudius ingenium. At iis, qui opibus & dignitate instruuntur, si cognitione doctrinâque careant, hoc ipsum illis crimini adscribitur. Cur enim munera, quibus impares sunt, gerere audent? aut cur iis muneribus sese dignos efficere non conantur, ubi vel natalium splendor, vel suprema regnantis, & magistratus distribuentis voluntas ipsos iis gerendis addixerit (i)?

℣. 8. NON ENIM SUBTRAHET PERSONAM CUJUSQUAM DEUS. Nullius nobilitati, amplitudini, dignitati parcet, & animo omnibus æquo sententiam feret. Sub illius Imperio, ejusque legibus judiciisque obnoxii æquè sunt & qui magnâ, & qui tenui conditione censentur. Unumquemque sequetur ea sententia, qua propria uniuscujusque munera, collataque a Deo beneficia postulabunt. Illum neque favor, neque metus, neque cupiditas, aut importuna misericordia, precesve aut munera movebunt, quin æquissimam unicuique sententiam ferat. Græcus (k): *Non enim reverebitur personam is qui omnium dominus est.* Principis præsentiam non veretur, ipsumque hominis conspectus non deterrebit.

PUSILLUM ET MAGNUM IPSE FECIT; ET ÆQUALITER EST ILLI CURA DE OMNIBUS. Communis est Principis & subditi pater Deus. Ex unâ omnes argillâ creati sunt homines. Conditionis inæqualitas, quam homines invexerunt, nulla apud Deum est: si quem supra cæteros is eligit, eamdem in hunc, quàm in hominum humillimum, auctoritatem servat. Omnes æquè homines ipsius Dei providentia complectitur; ita tamen uti cujusque res,

(a) *Rom.* XIII, 1, 2. (b) 2 *Par.* XIX, 6. (c) *Luc.* XII, 48. (d) *Vide Theodoret, qu.* 43 *in Deuter.* (e) 1 *Reg.* XV, 10, *& seq.* (f) 2 *Reg.* XXIV. (g) 4 *Reg.* XXI, 16, 17. (h) 3 *Reg.* XIII, 15, 16. (i) *Vide Gregor. Mag. lib.* 6, *ep.* 6; *& lib.* 7, *ep.* 110, *& Hieronym. in epist. ad Tit, c.* 1; *& Bernard, ep.* 42 *ad Henric. Senon, Episcop.* (k) Οὐ γὰρ ὑποστελεῖται πρόσωπον ὁ πάντων δεσπότης.

℣. 10. Ad vos ergo, reges, sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis.
℣. 11. Qui enim custodierint justa justè, justificabuntur: & qui didicerint ista, invenient quid respondeant.
℣. 12. Concupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam.
℣. 13. Clara est, & quæ nunquam marcescit, sapientia, & facilè videtur ab his, qui diligunt eam, & invenitur ab his, qui quærunt illam.
℣. 14. Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.
℣. 15. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit: assidentem enim illam foribus suis inveniet.
℣. 16. Cogitare ergo de illâ, sensus est consummatus: & qui vigilaverit propter illam, citò securus erit.

COMMENTARIUS.

res, munera, merita poscunt, suaque ipsius de unoquunque consilia jubent. Principes, & imperia majori studio curat providentia; quippe ex quibus innumerorum pax & tranquillitas, felicitas aut calamitas pendent. Electos amicosque magis sedulo amore & misericordiâ prosequitur, quàm eos, quos in suâ ipsorum potestate relictos, libidini suæ servire patitur. *Æqualiter* (l) hoc loco usurpatur pro *communiter*, *similiter*; cùm non propriè dicta & religiosa æqualitas, sed cum proportione designetur.

Abutebantur hoc loco Pelagiani, docebantque, gratiam actualem minimè necessariam homini esse, uniusque liberæ voluntatis viribus fieri posse, ut Sanctus sit, qui Sanctus esse voluerit (m). At validis illos argumentis repulere S. Augustinus, S. Prosper, S. Hilarius (n), docentes, Deum velle omnes homines salvos fieri, at neminem sine Jesu Christi gratiâ fieri salvum posse. Denique non hìc agere videtur Author de supernaturali gratiâ, & sanctificante; neque de naturali, sed de Divinæ Justitiæ, Divinorumque erga singulos judiciorum æqualitate, sive magni illi sint, sive parvi, divites aut pauperes. Omnes ex æquo judicat, habitâ nullius ratione.

℣. 10. AD VOS IGITUR, REGES. Græcus fert (o): *Ad vos igitur, o Tyranni*. Invidiosum olim non erat Tyrannorum nomen, idemque apud Græcos significabat ac Reges.

℣. 11. QUI ENIM CUSTODIERINT JUSTA JUSTE, JUSTIFICABUNTUR. Latini quidam codices ferunt (p): *Qui enim custodierint justitiam, justè judicabuntur*. Græcus (q): *Qui enim custodierint sanctè sancta, sancti habebuntur*. Non satis est sancta custodire; sanctè custodienda sunt. His verbis ii præcipuè spectantur, qui Ecclesiæ magistratus gerunt. Gentis suæ Judices, plerumque Sacerdotes, alloquitur Sapiens. At in universum, quilibet magistratus, in rebus etiam politicis, sanctè & integrè gerendus est. Quò sublimior est dignitas aliqua, sanctior, amplior, eò majorem integritatem, sanctitatem, vigilantiam poscit.

INVENIENT QUID RESPONDEANT. Ubi coram supremo Judice adsuerint, causam adversùs hostes constanter dicent, ipsosque probro afficient. Judicis æquissimi judicium minimè veretur Justus. Ad illum audacter provocat Job (r), ipsumque David frequenter integritatis suæ testem appellat (s).

℣. 13. FACILE VIDETUR AB HIS QUI DILIGUNT EAM. Ut homines ad Sapientiæ amorem impellat Sapiens, ipsius præstantiam, utilitatem, & acquirendæ facilitatem ostendit. Illustris est, fulgens, dignitatis plena: *Clara, & quæ nunquam marcescit*. Facilis inventu est. Vix illam optas, atque unico vix gradu illam versùs moveris, statim illa sese tibi obviam ultro exhibet; te prævenit, teque ipsa quærit: *Præoccupat qui se concupiscunt*. Confer quæ Moyses (t) de lege Dei tradit, nullius hominis, quem Deus gratiâ suâ juvet, viribus majore, nulliusque conatibus inaccessâ, & nemini ipsam nosse laboranti ignotâ; & ea, quæ S. Paulus (u) de fide scribit, quæ nostrâ in potestate est, quippe qui Jesu Christi gratiâ opem ferente, audire possumus, credere, & Jesum Christum prædicare.

℣. 15. QUI DE LUCE VIGILAVERIT AD ILLAM, NON LABORABIT: ASSIDENTEM ENIM ILLAM FORIBUS SUIS INVENIET. Accede modò ad illius ædes, obviam in foribus habebis, te excipere & introducere paratam. Expressus est hic locus ex Proverbiis (x), ubi Sapientia describitur homines in domum suam vocans, ipsaque compita & fora lustrans, ut unumquemque appellet. Felicem prædicat eum qui sese audierit, suisque foribus vigil adfuerit; sese enim inventâ, inventurum vitam, salutemque a Domino accepturum. Vide inferiùs ℣℣. 16, 17, 18.

℣. 16. COGITARE DE ILLA, SENSUS EST CONSUMMATUS. Magna sapientia est, de quærendâ potiendâque Sapientiâ cogitare; quique omnes animi curas, omnemque ambitionem, omnia desideria, & studia in illius meditatione occupat, deque instituendâ ad illius leges vitâ meditatur, hic absolutè prudens dicendus est; eâque in re Sapientiæ perfectio consistit. Non ita certè Mundi hujus Sapientes reputant, quorum omnis sollicitudo in eo sita est, ut moliminum suorum, plerumque scelestorum iniquorumque, finem iniquis artibus, fraude, vi, dolo assequantur, dum insidias fratribus parant, ipsosque evertere laborant.

(l) Ὁμοίως προνοεῖται περὶ πάντων.
(m) *Vide Cornel. a Lapide hic, & Lorin.*
(n) *Vide Aug. Epist. olim* 106, & 107, *nunc* 187, & 217; *& Hilar. & Prosper. ad August.*
(o) Πρὸς ὑμᾶς οὖν, ὦ τύραννοι. (p) *Edit. Sixti* V, *& Complut.*
(q) Οἱ γὰρ φυλάξαντες ὁσίως τὰ ὅσια, ὁσιωθήσονται. (r) *Job*, XIII, 18, 19; XXXI, 35.
(s) *Psal.* VII, 9; XXV, 1; XXXIV, 24, *& passim.*
(t) *Deut.* XXX, 11, 12. (u) *Rom.* X, 6, 7, 8.
(x) *Prov.* I, 20, 21; *&* VIII, 34; *&* IX, 1, 2, 3, *& seq.*

℣. 17. Quoniam dignos ſeipsâ circuit quærens, & in viis oſtendit ſe illis hilariter, & in omni providentiâ occurrit illis.

℣. 18. Initium enim illius, veriſſima eſt diſciplinæ concupiſcentia.

℣. 19. Cura ergo diſciplinæ, dilectio eſt: & dilectio, cuſtodia legum illius eſt: cuſtoditio autem legum, conſummatio incorruptionis eſt;

℣. 20. Incorruptio autem facit eſſe proximum Deo.

℣. 21. Concupiſcentia itaq; ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum.

℣. 22. Si ergo delectamini ſedibus, & ſceptris, o reges populi, diligite ſapientiam, ut in perpetuum regnetis.

℣. 23. Diligite lumen ſapientiæ omnes, qui præeſtis populis.

℣. 24. Quid eſt autem ſapientia, & quemadmodum facta ſit, referam, & non abſcondam a vobis ſacramenta Dei, ſed ab initio nativitatis inveſtigabo, & ponam in lucem ſcientiam illius, & non præteribo veritatem:

℣. 25. Neque cum invidiâ tabeſcente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps ſapientiæ.

℣. 26. Multitudo autem ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum: & rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt.

COMMENTARIUS.

℣. 17. In omni providentia occurrit illis. Illos ſtudioſiſſimè quærit, atque omnia ſtudia in eo ponit, ut ipſos ſibi comparet, & amicorum diſcipulorumque numerum augeat. Faciles illis parat vias, conſuetâque ſibi prudentiâ & benignitate mitius illis reddit iter, quo ipſi ad ſeſe perveniant. Græcus (y) verti aliter poteſt: *In omni cogitatione*, quam de ſeſe habent, *occurrit illis*. Vix illi ipſam quærere & amare cupiunt, ſtatim illos prævenit, ipſiſque obviam fit. Vide *Prov.* 18, 1, 2, 3.

℣. 18. Initium illius, veriſſima eſt disciplinæ concupiſcentia, inſtitutionis, morum emendationis. Hinc ducendum Initium eſt; Studendum eſt Sapientiæ, cognoſcenda eſt, tenenda illius diſciplina, audiendæ docili animo illius inſtitutiones, leneſque ipſius objurgationes excipiendæ. Si docilitate, ſubjectione, attentione, patientiâ cares, fruſtra te Sapientiâ potiturum ſperas. Sunt (z) qui Græcum vertant (a): *Initium illius veriſſimum, diſciplinæ deſiderium*. Aptior videtur hæc explicatio. Sequens verſiculus hanc ſententiam explicat: *Cura diſciplinæ (b)*, verus diſciplinæ ſeu Sapientiæ ſtudium, *dilectio eſt: dilectio cuſtodit leges ipſius; & cuſtodia legum, immortalitatem parit*. Perfecta gradatio eſt. Sapientiam amare, illâ potiri, ipſius inſtitutiones ſequi, ad beatam immortalitatem pervenire: initium, media, finis ſummæ beatitudinis, quæ homini tum in hac tum in alterâ vitâ debetur.

℣. 19. Conſummatio incorruptionis. Græcus (c): *Confirmatio incorruptionis*, abſolutæ animi puritatis. Puritatis perfectio, quam in hac vitâ cupimus, via eſt, qua ad immortalitatem pervenimus. (℣. 20) *Incorruptio facit eſſe proximum Deo*. Animi & ſenſuum integritate ad Deum accedimus, illique ſimiles efficimur, quoad ejus rei fieri a creaturis in hac vitâ poteſt. Ubi Sapientiam ames, ejuſque inſtituta ſequaris, Deum amas, ejuſque Legibus obtemperas. Hæc denique omnia ſunt hominis officia, totaque moralis diſciplinæ perfectio.

℣. 21. Deducit ad regnum perpetuum. Græcus non habet hanc vocem, *perpetuum*. Ita verò hic locus explicari poteſt, quaſi Author reges & proceres alloquens, ipſos moneat, veram acquirendi regni rationem (d), & regia officia optimè explendi eſſe ſtudium Sapientiæ. Ita explicari jubet ℣. qui ſequitur: *Si ergo delectamini ſedibus & ſceptris, diligite Sapientiam*, &c. At ſententia Vulgatæ optimè cum ſuperioribus convenit, ubi poſtquam docuit, Sapientiæ amorem cauſam eſſe incorruptionis, factâ gradatione addit, hac ipsâ incorruptione, ſeu puritate hominem ad Deum accedere, ac demum ad regnum æternum pervenire. Vide ſuperiùs, v. 17.

℣. 22. Diligite Sapientiam, ut in æternum regnetis, ut diuturno, & felici regno fruamini; vel ut æterno in cœlis regno potiamini. Græcus (e): *Honorate Sapientiam, ut in æternum regnetis*.

℣. 24. Non abſcondam vobis ſacramenta Dei. Cœleſtem planè Sapientiæ originem oſtendere incipit Sapiens. Ethnicorum Philoſophos, Philoſophiæ ſuæ, tamquam rei ab hominibus inventæ, atque a Socrate vel Pythagora traditæ, hiſtoriam venditantes, ex obliquo oppugnat; ipſamque Philoſophiam ex ipſius Dei ſinu accerſit, ejuſque exercitium qualibet ætate apud Judæos, eorumque Patriarchas floruiſſe demonſtrat. Ingens ſcilicet hoc commodum ſacris e Libris, Hebræorumque hiſtoriâ hauritur. Nimirum rerum omnium inventorumque origo certiſſima ibi legitur, multoque vetuſtiſſima quàm apud ea monumenta, quibus Græci gloriabantur.

℣. 25. Neque cum invidia tabeſcente iter habebo: neque invidum imitabor. Quæ de Sapientiæ origine novero, omnia ſine invidiâ & labore

(y) Ἐν πάσῃ ἐπινοίᾳ ἀπαντᾷ αὐτοῖς.

(z) *Cantacuzen. Janſen. Oſor.* (a) Ἀρχὴ γὰρ αὐτῆς ἡ ἀληθεστάτη, παιδείας ἐπιθυμία.

(b) Ad verbum: Prudentia inſtitutionis. Vel, ſi mavis, ſapientia, quæ ſtudio acquiritur, φροντὶς παιδείας. (c) Βεβαίωσις ἀφθαρσίας. (d) *A Caſtro. Vide Cornel. a Lapide.*

(e) Τιμήσατε σοφίαν, ἵνα εἰς τὸν αἰῶνα βασιλεύσητε.

℣. 27. Ergo accipite disciplinam per sermones meos, & proderit vobis.

COMMENTARIUS.

bore tradam. Vide inferiùs, VII, 13: *Quam sine fictione didici, & sine invidiâ communico.* Ingens adeò bonum ubique liberaliter effundi debet. Quò major Sapientum numerus erit, eò felicior Terra futura est: (℣. 26) *Multitudo autem Sapientium, sanitas est Orbis Terrarum. Omnis Sapiens stulti redemptio est mercesque, ne minimo quidem tempore duraturi, nisi ille misericordiâ suâ Providentiâque impulsus, incolumitati ejus prospiceret*, inquit Philo (f).

CAPUT VII.

Par est omnium nativitas. Sapientiam postulavit, & accepit Sapiens. Illorum felicitas, qui ad ipsam accessere. Sapientiæ laus.

℣. 1. SUM quidem & ego mortalis homo, similis omnibus, & ex genere terreni illius, qui prior factus est, & in ventre matris figuratus sum caro.

℣. 2. Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, & delectamento somni conveniente.

COMMENTARIUS.

℣. 1. SUM QUIDAM ET EGO MORTALIS HOMO, SIMILIS OMNIBUS. Hactenus libri Præfatio fuit. Incipit hic Sapiens Principes, Proceresque instituere; docetque statim, quid ipse naturâ sit, & qua arte sapientiam acquisierit; ut sui ipsius exemplo, illi sapientiam quærere & amare discant. Naturæ vestræ infirmitatem, aut dignitatis sublimitatem, aut difficultatem operis ne causemini. Vestrûm similis ego Regios natales habui: Sapientiam a Deo poposci, eamque omnibus prætuli: illam denique adeptus sum. Quid vetat quin me imitemini? Salomonem tamquam Libri Scriptorem loquentem inducit.

ES GENERE TERRENI ILLIUS (a). Filius Adami sum, primi omnium Parentis, cujus nomen ducitur ex *Adama*, Terra. Ad verbum (b): *Et terrigenæ prognatus protoplasto*. Nomen *terrigena* Author e Græcis mutuatus est, qua voce illi significant primos homines, quorum vetustas adeò remota est, ut origo penitus ignoretur.

IN VENTRE MATRIS FIGURATUS SUM CARO. De hominis structurâ, cùm fingi in ventre matris incipit, aliter ac nos Veteres sentiebant. Putabant illi, hominis corpus in ventre matris formari, ipsius imaginationis vi, secretâque virtute, qua viri semen, & sanguis matris instruitur, quæ corpori infantis materiam, & alimentum suppeditat. Primis mensibus, antequam infantis forma perficiatur, non dicitur infans, sed foetus. Homo denique nominatur, cùm tota corporis moles ondique formata fuerit, vitâque & motu instructa (c). In hanc rem animadverte, Septuaginta in Exodo (d) hominem abortûs causati reum mulctæ damnare, modò infans nondum formatus fuerit; morte verò, si fuerit formatus. Recentiorum tamen Philosophorum doctrina, qui omnia penitùs animalia eâdem fermè simili ratione nasci tradunt, ex ovo scilicet, quod in ventre matris est, probabilissima creditur. Quis jubet sacros Authores ex Physicorum principiis loqui? Communes illi ætatis suæ opiniones sequuntur.

℣. 2. DECEM MENSIUM TEMPORE COAGULATUS. Confer Jobum, X, 10: *Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?* Et Jeremiam, I, 5; Psalmum CXVIII, 73. De numero decem mensium, quibus puerum in ventre matris esse tradit Scriptura, hoc idem Græci Latinique sentiebant. De anno, quem Romulus instituit, decem scilicet mensium, agens Ovidius ait (e):

Quod satis est utero matris dum prodeat infans,
Hoc anno statuit (Romulus) *temporis esse satis.*

Virgilius (f):

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Servum inducit Plautus ita loquentem (g):

Nam me illa (mater) *in alvo menses gestavit decem;*
At ego illam (famem) *in alvo gesto plus annos decem.*

S. Augustinus (h), S. Ambrosius (i), S. Petrus Damiani (k) hoc idem spatium puerorum nativitati tribuunt. Postremus hic multos Ecclesiæ Doctores huic sententiæ subscripsisse testatur. Decem etiam menses, at solummodò inchoatos, definit Tertullianus (l): *Legitima nativitas fermè decimi mensis ingressus est.* Canit Theocritus (m), Herculem hominum omnium fortissimum decimo mense editum esse. Menandro (n) decem menses sunt consuetum pariendi tempus. Herodotus narrat (o), Aristonem Lacedæmonum Regem renuisse Demaratum pro filio habere, quòd antequam impleretur decimus a nuptiis mensis, in lucem prodierit. Stratonicus (p) sese mirari testabatur, quî fieri

(f) *Philo de sacrific. Abelis, & Caini*: Πᾶς σοφὸς λύτρον ἐστὶ τοῦ φαύλου, μηδ' ἂν πρὸς ὀλίγον χρόνον ἐξαρκέσαντος, εἰ μὴ ἐλέῳ καὶ προμηθείᾳ χρώμενος ἐκεῖνος προνοεῖ τῆς διαμονῆς αὐτοῦ, καθάπερ ἰατρὸς τοῦ νοσοῦντος, &c. (a) *Complut. & Sixti V edit. Ex genere terreno illius.* (b) Καὶ γηγενοῦς ἀπόγονος πρωτοπλάστου. (c) *Galen. lib. I de semine, cap. 9.* (d) *Exod. XXI, 23*: Ἐὰν πατάξωσι γυναῖκα ἐν γαστρὶ ἔχουσαν, καὶ ἐξέλθῃ τὸ παιδίον αὐτῆς μὴ ἐξεικονισμένον, ἐπιζήμιον ζημιωθήσεται. .... Ἐὰν δὲ ἐξεικονισμένον ᾖ, δώσει ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς. (e) *Ovid. Fast. lib. I.* (f) *Virgil. Eclog. 4.*
(g) *Plaut. in Sticho. Idem in Cistellariâ: Decumo post mense exacto hic peperit filiam.*
(h) *Aug. lib. 3 de Trinit. c. 5; & ep. 3 ad Volus.* (i) *Ambros. serm. XV in Psal. III.*
(k) *Petr. Dam. Epist. lib. 2, ep. 21.* (l) *Tertull. lib. de animâ, c. 37.* (m) *Idyll. 24.*
(n) *Menander*: Γυνὴ κυεῖ δεκάμηνος. (o) *Herodot. lib. 6, c. 63.* (p) *Apud. Athen. lib. VIII, c. 10.*

℣. 3. Et ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans.
℣. 4. In involumentis nutritus sum, & curis magnis.
℣. 5. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium.
℣. 6. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, & similis exitus.
℣. 7. Propter hoc optavi, & datus est mihi sensus: & invocavi, & vênit in me spiritus sapientiæ;

COMMENTARIUS.

fieri potuerit, ut Satyri Sophistæ mater ipsum decem mensibus in utero gestaverit, quem nulla urbs decem diebus ferre potuerit. Servius denique (q) ceu commune principium ponit: *Mares decimo nascuntur mense, fœmina nono*. Fatetur Hippocrates (r), perfectiores esse illos, qui decimo mense nascuntur, quamvis interdum septimus quibusdam sufficiat. Docet Aristoteles (s), decretum esse cuilibet animali nascendi tempus, at nihil certum esse homini; quosdam enim septimo, alios octavo, nonnullos nono, plerosque decimo mense nasci. Latinus Poëtà vetus (t):

Insolet ne mulier decimo mense parere?
Pol nono etiam, septimo atque octavo.

Censet Franciscus Valesius (u), commune omnibus ac naturale nascendi tempus novem mensium esse; quique decimum ad mensem prorogant, eos de lunaribus mensibus esse intelligendos. quorum mensium deni novem solares plenos efficiunt. Macchabæorum mater (x) novem mensium tempus ceu maximè commune tradit. Aliis tamen in locis Scriptura integrum annum a conceptione ad partum usque definire videtur. Angelus Isaaci ortum nonnisi anno vertente futurum pollicetur (y). Ita & Elisæus mulieri, quæ sibi hospitium præbebat (z). Eadem est Homeri sententia. Minimè spurium censuit Lucius Papyrius filium decimo tertio post patris obitum mense in lucem editum. Aliquot tredecim mensium partus recenset Plinius (a). Nonnullos recitat Avicenna (b) quatuor & decem mensibus productos. Nemo inficiatur, nullum esse certum definitumque hominis nativitati tempus a septimo mense ad duodecimum usque, vel tertium decimum. Tradit Philo (c), filios qui septimo mense nascuntur, plerumque incolumes esse; at eos qui octavo mense pariuntur, imbecilles esse, malàque corporis habitudine. Porrò hoc sedulò animadvertendum est.

Ex semine hominis, et delectamento somni convenienti. Honestus loquendi modus, ut hominis generationem pudicè significet. Somnum hoc sensu usurpatum vidimus supra (d). Sunt (e) qui de tranquillo puerorum somno interpretentur.

℣. 3. Accepi communem aerem. Clausus in utero matris puer halitum non ducit: at statim in lucem editus, vivere sine halitu nequit. Nonnulli tamen Veterum (f) putavere, pueros spiritum ducere, antequam pariantur. At ex veteribus Aristoteles (g), & recentiorum plerique negant; quibus favet hoc loco Sapiens.

In similiter factam decidi terram. Græcus (h) verti potest: *In terram iisdem incommodis obnoxiam decidi*. Veteres Romani pueros mox natos nudâ in humo exponebant, Opem invocantes, ut infantem tolleret, eique opem ferret (i).

Primam vocem similem omnibus emisi plorans. Singulorum dierum experientiâ docemur, unicam esse infantibus vocem, vagitus. His prima vitæ indicia ostendunt. Prima verò clamorum caussa peccatum est ex origine relatum; altera, dolor quo afficiuntur, rerumque circa se omnium mutatio. Animadvertunt Interpretes (k), pueros primis vagitibus sonum literæ *A*, puellas sonum literæ *E*, veluti *Adamum* & *Evam* appellent, edere. Levem sanè animadversionem! Asserit Aristoteles (l), infantes primis quadraginta statim ab ortu diebus oculorum usu carere, quamvis apertos habeant, nec lacrymas fundere, sed siccis oculis vagire. Deus vagituum præses apud Romanos erat (m). Fuere olim (n), qui nascente homine flerent, veluti illius fatum dolentes, qui longam laborum malorumque seriem iniret; moriente verò gauderent, veluti hujus vitæ calamitatibus liberatum gratularentur. Prodigii malique ominis loco (o) habitum est, quòd Zoroaster contrario cæteris infantibus more, non flere, sed ridere statim editus cœperit. Testis est Cardanus (p), pueros nonnisi longo post partum tempore ridere, vitæque initium plerumque somno occupari.

℣. 5. Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium. Salomon Rex Reges alloquitur. Ne natalium splendore superbiamus; eadem enim prorsus nascendi ratio nobis fuit, atque hominum vilissimis.

℣. 6. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, et similis exitus. Qualibet conditione homines, Reges privatique, pauperes aut opulenti, eâdem omnino ratione nascimur morimurque. Prima & ultima vitæ singulorum momenta vilissimorum mancipiorum momentis similia sunt. Theatrum est orbis terrarum, ubi suam unusquisque personam agit. Antequam in scenam prodeamus, nullum inter nos discrimen, nullumque iterum, ubi a scenâ discessimus. Augustus morti proximus amicos percunctatus est, *Ecquid iis videretur mimum vitæ commodè transegisse* (q).

℣. 7. Quapropter optavi, et datus est mihi sensus. Græcus verti potest (r): *Propter hoc oravi, & intellectus datus est mihi*. Ne putetis, me sapientiâ instructum esse minimè naturali, meam-

(q) *Servius in Eclog. 4.* (r) *Hippocrates lib. de septimestri partu, & lib. de naturâ fœtûs.*
(s) *Arist. lib. 7 hist. animal. c. 4.* (t) *Cæcilius in Plotio.* (u) *Franc. Valef. sacra Philof. c. 83.*
(x) 2 *Macc.* VII, 27. (y) *Genes.* XVIII, 10, 14. (z) 4 *Reg.* IV, 16. (a) *Plin. lib. 7, c. 5.*
(b) *Avicenna, lib. de animâ.* (c) *Philo, de opificio mundi, p. 28; & lib. 1, p. 42, Edit. Parif.*
(d) *Sap.* IV, 6. Ἐξ ἀνόμων ὕπνων. Hic, ἡδονῆς ὕπνῳ συνελθούσης. (e) *Lyran. Holkot. Clar.*
(f) *Galen. lib. an animal sit id quod in utero est, c. 3, ex Hippocrate.* (g) *Aristot. lib. de spiritu, c. 3.*
(h) Ἐπὶ τὴν ὁμοιοπαθῆ κατέπεσον γῆν. (i) *Aug. lib. 4 de civitate. Vide & Festum, Varron. de vitâ Populi Rom. Macrob. Somn. Scipion. lib. 1, & Cornel. a Lapide hic.*
(k) *Lyr. Holkot. Lor. Pineda, Cornel. alii.* (l) *Aristot. histor. animal. lib. 7, c. 10; & lib. 7 politic. c. 17.*
(m) *Aug. lib. 4 de Civitate. Gell. lib. 16, c. 17.* (n) *Vide Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 2, c. 25.*
(o) *Solin. Mirabil. lib. 1.* (p) *Cardan. lib. de rerum varietate.* (q) *Sueton. in Aug.*
(r) Διὰ τοῦτο ηὐξάμην, καὶ φρόνησις ἐδόθη μοι.

℣. 8. Et propoſui illam regnis & ſedibus: & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius.

℣. 9. Nec comparavi illi lapidem pretioſum: quoniam omne aurum in comparatione illius, arena eſt exigua, & tamquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius.

℣. 10. Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam; quoniam inextinguibile eſt lumen illius.

℣. 11. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illâ, & innumerabilis honeſtas per manus illius:

℣. 12. Et lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia: & ignorabam, quoniam horum omnium mater eſt.

℣. 13. Quam ſine fictione didici, & ſine invidiâ communico, & honeſtatem illius non abſcondo.

℣. 14. Infinitus enim theſaurus eſt hominibus: quo qui uſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei, propter diſciplinæ dona commendati.

COMMENTARIUS.

meamque naturam alterius generis eſſe quàm veſtram. Si Sapientiâ & intellectu ornatus ſum, hæc ego poſtulavi, optavi, quæſivi. Eadem omnibus patet via. Hæc particula *quapropter*, ad ſuperiora refertur. Intellexeram, me natalium meorum causâ cæteros homines nullâ re antecellere. Quapropter cùm in eâ me conſtitutum dignitate ſentirem, quæ ſapientiam cæteris longè ſuperiorem poſtularet, hanc a Deo flagitans, impetravi. Spectatur hìc locus Librorum Regum (s), ubi Salomon ſe Regem videns, Deum rogavit, ut mentem ſibi docilem & intelligentem, Sapientiamque juri dicundo, regendoque populo neceſſariam largiretur; & Deus poſtulatis annuens, dixit: *Quia poſtulaſti verbum hoc, & non petiſti tibi dies multas, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, ſed poſtulaſti tibi Sapientiam ad diſcernendum judicium: ecce feci tibi ſecundùm ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit. Sed & hæc, quæ non poſtulaſti, dedi tibi, divitias ſcilicet & gloriam, &c.*

℣. 8. PRÆPOSUI ILLAM REGNIS ET SEDIBUS. Hanc pluris facio, quàm Regnum; eamque malui ab exercituum Deo poſtulare, quàm victorias, & immenſum imperium. Ita verò loquentem inducit Sapientiam Salomon (t): *Accipite diſciplinam meam, & non pecuniam; doctrinam magis, quàm aurum eligite. Melior eſt enim Sapientia cunctis pretioſiſſimis: & omne deſiderabile ei non poteſt comparari ... Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt ... Mecum ſunt divitiæ & gloria, opes ſuperbæ & juſtitia.*

℣. 10. SUPER SALUTEM ET SPECIEM DILEXI ILLAM. Duo maxima vitæ bona, venuſtas bonaque valetudo, leviſſima mihi viſa ſunt, Sapientiæ comparatione. Intelligi hæc verba poſſunt de alienâ venuſtate. Cujuslibet corporis ſpeciei Sapientiam prætuli. Aptiùs tamen de propriâ ipſius venuſtate explicantur, Malui Sapiens eſſe, quàm venuſtus, optimâ corporis ſpecie, comitate, oris elegantiâ, valetudine, robore inſtructus, &c.

PROPOSUI PRO LUCE HABERE ILLAM, pro duce, pro rerum gerendarum auctore, ipſa mihi oculorum & conſilii loco fuit. Græcus reddi poteſt (u): elegi eam habere magis quàm lucem (x). Sapientiæ potiùs quàm diei lumine frui volui; diurna enim lux labitur, vicibusque obnoxia eſt: at Sapientiæ fulgor æternus eſt, & nunquam extinguitur: *Inextinguibile eſt lumen illius.*

℣. 11. OMNIA BONA ... ET INNUMERABILIS HONESTAS PER MANUS ILLIUS. *Honeſtas* hoc loco, totoque hoc libro (y) pro opibus, & comite opum honore uſurpatur. Græcus fert *divitias* (z). Apud Latinos mediæ ætatis Scriptores (a) *honeſtus* interdum pro *dives* ponitur. Docet S. Paulus (b): *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni ſunt,* ſcilicet duplici præmio.

℣. 12. IGNORABAM, QUONIAM BONORUM OMNIUM MATER EST. Cùm Sapientiam a Deo poſtularem, minimè putabam, me bona hæc omnia unà acquiſiturum. Hoc ego non ſpectabam. Ne meas preces rei ullius causâ fuſas eſſe arbitremini, Sapientiam unius ipſius gratiâ optavi & petii; ſatis enim pretio digna eſt, etiamſi divitiis careat.

℣. 13. SINE FICTIONE DIDICI, ET SINE INVIDIA COMMUNICO. Similem fermè locutionem. Vide Capite VI, 10. Sapientiam quæſivi, illique operam dedi, nullâ cupiditate permotus, animo planè ſincero; ac nemini tam ingentis boni acquiſitionem invideo. Omnibus qui diſcere ex me velint, libenter communico. Nihil certè pulcrius nobiliſſimis hiſce ſententiis, veluti a Salomone prolatis. Nobilem Salomonis animum imitentur Sapientes & eruditi, Odit Deus illos, qui creditum ſibi talentum ſub terrâ condunt (c). Clamabat Jeſus (d): *Siquis ſitit, veniat ad me & bibat*, cœleſtem ſcilicet doctrinam, quam ipſe tradebat. *Melior eſt qui celat inſipientiam ſuam, quàm homo, qui abſcondit Sapientiam ſuam*, inquit Eccleſiaſticus, XX, 33.

℣. 14. QUO QUI USI SUNT, PARTICIPES FACTI SUNT AMICITIÆ DEI, PROPTER DISCIPLINÆ DONA COMMENDATI. Dixerat Sapiens ſuperiùs, VI, 20: *Incorruptio facit eſſe proximum Deo*; & S. Paulus (e): *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt* cum illo.

Homi-

(s) 3 *Reg.* III, 9, 10, 11. (t) *Prov.* VIII, 10, 11, 15, 16. (u) Προειλόμην αὐτὴν ἀντὶ φωτὸς ἔχειν, ὅτι ἀκοίμητον τὸ ἐκ ταύτης φέγγος. (x) *Badvel.* (y) *Infra cap.* VIII, 18; X, 10; *Eccli.* XI, 14, & 23. (z) Ἀναρίθμητος πλοῦτος ἐν χερσὶν αὐτῆς. (a) *Ulpian. l.* 52, *D. de furtis*: *Cùm Titio honeſte pecuniam credere vellem, ſubjeciſti mihi alium Titium egenum.* (b) 1 *Timot.* V, 17. (c) *Matt.* XXV, 25. (d) *Joan.* VII, 37. (e) 1 *Cor.* VI, 16, 17.

℣. 15. Mihi autem dedit Deus dicere ex sententiâ, & præsumere digna horum, quæ mihi dantur: quoniam ipse sapientiæ dux est, & sapientium emendator:

℣. 16. In manu enim illius & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientia, & disciplina.

℣. 17. Ipse enim dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram: ut sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum,

℣. 18. Initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum,

℣. 19. Anni cursus & stellarum dispositiones,

℣. 20. Naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum.

℣. 21. Et quæcumque sunt absconsa, & improvisa, didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.

COMMENTARIUS.

Hominem illustrem & gloriosum nihil faciliùs efficit quàm Sapientia. Ea tutissimum est & brevissimum veræ gloriæ iter. Qui verè Sapiens est, honores plaususque spernit & fugit: ipsi tamen illum & viventem & mortuum, vel invitum sequuntur. Nisi dedecus Sapientiæ suæ intulisset probrosissimo lapsu Salomon, quanta fuisset apud omnes posteros ipsius gloria, cùm adhuc tanta sit, quamvis atra adeò nubes ipsius nomen obscuret?

℣. 15. MIHI DEDIT DEUS DICERE EX SENTENTIA, quæ sentio. Animum meum æquitate instruxit & sinceritate. Vel (f): Largitus est mihi Deus commoditatem & facultatem orationis, quâ concepta animi & cogitata facilè, luculenter & sapienter exprimam. Sive (g): Ut sententiosè & sapienter disseram. Nemo unquam orationis sapientià Salomonem æquavit. Ab extremis Terræ finibus homines confluebant, ut ipsum loquentem audirent (h).

ET PRÆSUMERE DIGNA HORUM QUÆ MIHI DANTUR (i). Vera Sapientia modestiam, & maturitatem docet; falsa, arrogantiam & temeritatem. Numquam fert sententiam Sapiens, nisi rem maturo consilio exploraverit; nihilque aggreditur nisi prudenter & cautè. At ubi decrevit, decreta constanter & intrepidè tuetur. Suas ipsius vires periclitatur; ac deinde digna viribus suis, animique magnitudine facinora aggreditur. Felicem rei exitum securus expectat, quòd securus sit viæ, quâ rem gerendam suscepit. Hoc igitur vult Salomon his verbis: *Et præsumere digna horum* (Sapientiæ) *quæ mihi dantur*. Quàm nobile fuerit Salomonis ingenium, & quàm sublimia is animo agitaret, satis docent ædificia, quæ molitus est, navigationes, quas imperavit, domesticus ordo, quem in Templo Regiisque ædibus instituit, rerum omnium copia & pax, quam populo comparavit.

℣. 17. UT SCIAM DISPOSITIONEM ORBIS TERRARUM, ordinem, regimen, institutionem, creationem; quo nexu universæ partes jungantur, quibus unaquæque respondeat, aut a quibus invicem pendeat, quâ ratione formentur nubes, imbres, tonitru, & reliqua quæ in naturâ conspiciuntur. Uno verbo, eximium hîc Philosophum sese prædicat Salomon. Illud sibi proposuisse videtur hujus libri Author, ut veram sapientiam Philosophiæ Ethnicorum præstare ostenderet. Salomonis sapientiam, & immensam rerum naturalium eruditionem nobilissimâ oratione commendat Scriptura (k). Ipsemet Sapiens ita loquentem inducit in Proverbiis Sapientiam (l): *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram. Quando præparabat Cælos, aderam, quando certâ lege & gyro vallabat abyssos … cum eo eram, cuncta componens, &c.*

VIRTUTES ELEMENTORUM, vires, qualitates, temperamentum; quid sit quod ea in mundi hujus mole & animalium corporibus jungit & servat; quid sit quo separantur & dissipantur. Porrò hoc præcipuum est Medicorum studium.

℣. 18. INITIUM ET CONSUMMATIONEM ET MEDIETATEM TEMPORUM. Origenes (m) hunc locum de priscis ætatibus, primisque temporibus, futuris & præsentibus interpretatur. S. Ambrosius (n) legit *rerum* pro *temporum*: *Quod principium rerum, quis finis, quæ sunt media*; scilicet quæ olim gesta sunt, quæ fiunt nostrâ ætate, & quæ in posterum fient. Grotius pro initio *Autumnum*, pro fine *æstatem*; pro medio *ver* & *hyemem* explicat. Satis constat, Hebræos anni exordium ab autumno ducere. Quæ sequuntur, Grotio favent, cùm dicat Sapiens, se novisse Solis recessum & accessum, solstitia, æquinoctia, &c. Hinc fit, ut temporum initium & finem nosceret.

VICISSITUDINUM PERMUTATIONES, ET COMMUTATIONES TEMPORUM. Satis luculenter ostendit Græcus (o), de temporum vicibus hîc agi, quæ sole vel recedente, vel accedente, fiunt, Solstitiis, æquinoctiis, variisque Cœli partibus, quas Sol quolibet mense percurrit. Editio Sixti V, & Complutensis: *Morum mutationes & divisiones temporum.*

℣. 20. NATURAS ANIMALIUM ET IRAS BESTIARUM, affectus bestiarum. Optimè explicatur Græcus (p) de bestiarum instinctu, & propensione. Salomon dicitur in Libris Regum (q) scripsisse de animalium, avium, reptilium, pisciumque naturâ. Scripsit etiam *differentias virgultorum, & virtutes radicum.*

℣. 21. OMNIUM ARTIFEX DOCUIT ME SAPIENTIA. Recitavimus in ℣. 17 locum Proverbiorum, ubi Sapientia rerum omnium creationi præfuisse dici-

(f) Εἰπεῖν κατὰ γνώμην. (g) *Vatab.* (h) 3 *Reg.* x, 1, 2, 3, 24. (i) *Græc.* Ἐνθυμηθῆναι ἀξίως τῶν διδομένων, *Cogitare dignè datis.* (k) 3 *Reg.* IV, 29, 30; & IX, 1, 2, 3, 24. (l) *Prov.* VIII, 22, & *seqq.* *Vide & Eccli.* XXIV. (m) *Origen. homil.* 21 *in Luc.* (n) *Ambros. lib.* 2 *de Abrah. c.* 7.
(o) Τρόπων ἀλλαγὰς, καὶ μεταβολὰς καιρῶν. (p) Φύσεις ζώων, καὶ θυμοὺς θηρίων.
(q) 3 *Reg.* IV, 33.

℣. 22. Est enim in illâ spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens,

℣. 23. Humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus: intelligibilis, mundus, subtilis.

℣. 24. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: attingit autem ubique propter suam munditiam.

℣. 25. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideò nihil inquinatum in eam incurrit.

℣. 26. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine maculâ Dei majestatis, & imago bonitatis illius.

℣. 27. Et cùm sit una, omnia potest: & in se permanens omnia innovat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & prophetas constituit.

COMMENTARIUS.

dicitur; quamobrem quid in illâ gestum sit, ipsa optimè omnium noverat, neque melior Salomoni magistra esse potuit. Sapientia, quâ Deus animum Salomonis imbuit, surculus, & radius fuit æternæ illius Sapientiæ, quam sub increati Verbi, & Filii Dei nomine veneramur. Divinæ hujus Sapientiæ ministerio Deus orbem condidit (r). Quæ homini communicatur, ab illâ ex naturâ differt: at altera aliquid e proprietatibus suis, ceu causa effectui, illi communicat. Quæ in hoc Libro de Sapientiâ leguntur, nunc de Sapientiâ increatâ, nunc de creatâ, & homini concessâ intelligenda sunt.

℣. 22. SPIRITUS INTELLIGENTIÆ SANCTUS, UNICUS, MULTIPLEX. Spiritum Sanctum intellige, vivificantem, cujuslibet luminis bonorumque omnium fontem, tertiam sanctissimæ Trinitatis Personam, quæ eadem est substantiâ & naturâ cum increatâ Sapientiâ, de qua mox egimus (s). Cùm verò id quod de increatâ dictum est, de creatâ sapientiâ dici ex parte queat; ita ea quæ de Spiritu Divino hîc dicuntur, ex alterâ parte spectata, hominis spiritui, cœlesti lumine illustrato, aptantur. Cùm enim in iis quæ ad naturam spectant, ea quæ propria causarum sunt, effectui tribuantur; ita in iis quæ ad spiritualia pertinent, intellectui hominis sancti & illustrati tribuitur id, quod uni Sancto Spiritui, sanctificanti atque illustranti, convenit. Spiritus Sanctus naturâ *sanctus* est, *unicus* essentiâ, *multiplex* effectibus, *subtilis*, & *acutus*; qui ubique est, omnia videt, omnia novit. (Vide supra, 1, 7.) *Disertus*, linguas mutorum solvens, animosque vel pervicacissimos insuperabili divinâque virtute quamlibet in partem trahens. Græcus, ευκίνητον, *mobilis*, tenuis, nunquam non agens, nunquam otiosus. *Mobilis*; Græcè, τρανὸν, *perspicuus*, lucidus, evidens. Idem fortasse epitheton est, quod Author Vulgatæ reddidit *disertum*. Addit, Spiritum *certum* esse, securum, falsitate doloque carentem. Græcus, σαφὴς, *manifestus*.

QUEM NIHIL VETAT, BENEFACIENS. Plures legunt (t): *Quem nihil vetat benefacere.*

℣. 23. HUMANUS, BENIGNUS. Græcus fert solùm φιλάνθρωπον, *humanus*.

QUI CAPIAT OMNES SPIRITUS. Non corporeas modò, verùm etiam spirituales res Dei Spiritus intuetur ac pervadit. Spiritus omnes in illius potestate sunt. Ipse tenuitate, penetrandi vi, profunditate, superat quicquid tenuissimum & acutissimum in reliquis spiritibus est.

INTELLIGIBILIS, MUNDUS, SUBTILIS. Romana Græci editio, ita legit hunc locum, cum superioribus junctum: *Omnes spiritus acutissimos, purissimos, subtilissimos pervadens.* Congeruntur hæc epitheta, ut Divini Spiritûs supra creatas mentes præstantia significetur.

℣. 24. OMNIBUS ENIM MOBILIBUS MOBILIOR EST SAPIENTIA. Satis colligi ex hoc loco potest, omnia, quæ de Spiritu Sancto superius dicta sunt, de Sapientiâ pariter esse intelligenda; & duplici hoc nomine unicam rem significari. Si supra materiam & res sensibus obnoxias efferri, si spiritualem prorsus philosophiam assequi cupis, Sapientiam ama; quicquid enim sublimissimum est, tenuissimum, acutissimum, ab eâ superatur.

℣. 25. VAPOR EST VIRTUTIS DEI, ET EMANATIO QUÆDAM EST CLARITATIS OMNIPOTENTIS DEI SINCERA. Hæc verba si ex mero sono interpreteris, ad æternam Sapientiam ac Dei Filium referenda sunt; imò Apostolus re ipsâ refert (x): *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ, &c.* Explicari etiam possunt de sapientiâ, quam Sanctis & Prophetis largitur Deus. Vide ℣. 26. Similis odori est, e Divinâ virtute spiranti, *vapor virtutis Dei*; & radio ex inexhausto lucis & fulgoris fonte mananti. Censuit item Plato (y), Sapientiam vaporem esse, seu cœlestem ignem hominibus communicatum. Nonnulli ex Patribus (z) hunc locum de Mariâ Virgine interpretantur. Vide Interpretes in ℣. 26, qui mera est hujus repetitio vel explicatio.

℣. 27. CUM SIT UNA, OMNIA POTEST. Ope- nul-

(r) *Vide Aug. lib. 4 de Trinit. c. 20; & lib. 7, c. 2; Ambros. de Incarnat. Concil. Sardic. Epistol. ad omnes Episcopos.* (s) *Vide Lorin. & Cornel. a Lapide hîc, & Patres ab iis citatos.* (t) *Complut. Sixti V.* (u) Καὶ διὰ πάντων χωρῶν πνευμάτων, νοερῶν, καθαρῶν, λεπτοτάτων. *Ita Bonav. Vatab. Raban. Cantacuzen. Clar. Jansen.* (x) *Hebr. 1, 3. Vide, si placet, Origen. lib. 1 de Principiis, c. 2; Euseb. lib. 4 Demonst. c. 3: Aug. seu alius Author, lib. 1 Incarnat. Verbi, c. 13.* (y) *Plato in Protagora. Vide & Philon. de somniis.* (z) *Ildefons. serm. 1 de Assumptione; Bernard. serm. in illud: Signum magnum; Anselm. lib. de excellent. Virg. c. 3. Vide, si lubet, Cornel. a Lapide hîc, ad ℣. 26.*

℣. 28. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum sapientiâ inhabitat.

℣. 29. Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior.

℣. 30. Illi enim succedit nox: sapientiam autem non vincit malitia.

COMMENTARIUS.

nullius eget. Cæteræ quælibet scientiæ huic debent, si quid utilitatis habent; at Sapientia nihil ex cæteris artibus mutuatur. Una omnia potest, una omnibus sufficit; naturâ una, effectis infinita.

ET PER NATIONES IN ANIMAS SANCTAS SE TRANSFERT, Prophetiæ & Sapientiæ donum ad Hebræos præcertim pertinebat. Cùm vera Religio ante Christi ortum tota intra hujus gentis fines clauderetur, solos fermè apud Hebræos veræ Sapientiæ depositum servabatur, Neque tamen Dei beneficia uni Judææ ita destinabantur, ut ad alias interdum gentes non producerentur (α). Notissimi sunt Balaam & Job, qui extra Abrahami fœdus nati, Deum nôrant, ejusque lumine illustrabantur. Gravia dogmata quædam Græcorum Philosophi cognoverunt, & tradiderunt. Fatetur Apostolus illos Deum agnovisse (β), pluraque vestigia ejusdem Sapientiæ, quæ Sacros Libros implet, in Philosophorum scriptis Veteres Patres animadverterunt (γ), Verum igitur est, Sapientiam *per nationes in animas sanctas se transferre*, non secus ac inter Judæos; atque ex iis *amicos Dei & Prophetas constituere*.

Aliis placet, hæc verba (δ) *per nationes*, de variis ætatibus & sæculorum serie interpretari. Nullo non tempore Spiritus Sanctus sese communicavit: quâlibet ætate Sapientia homines alloquuta est. Ab ipso rerum exordio ad nostra usque tempora, vera Religio continuam Sanctorum, Prophetarum, electarumque Animarum seriem habet, ex quibus invictum veritatis illius testimonium conficitur, Aptior mihi videtur hæc interpretatio.

℣. 30. SAPIENTIAM NON VINCIT MALITIA. Nihil tam nitidum in rebus humanis est, cui tenebræ suæ non noceant, Omnia mutationi & vicissitudini obnoxia sunt: sola Sapientia minimè mutatur. Illam non nequitia, non impietas, non insania vitiare queunt, evertere, obscurare. Hoc tamen de Sapientiâ Divinâ, ut in se est, non de Sapientiâ, quâ Deus homines ornat, intellige. Hujus nitorem corrumpunt, imò totam auferunt peccatum, animi corruptio, incuria. Celeberrimum hujus rei exemplum Salomon est, in eas tenebras lapsos & in ea scelera, quæ fidem ægrè inveniant. Grotius *malitiam* hoc loco explicat res adversas, & hujus vitæ calamitates.

CAPUT VIII.

Quid ante Sapientiæ acquisitionem postuletur. Amanda est, quærenda, atque a Deo enixè flagitanda. Sapientiæ laus. Felicitas hominum, qui Sapientiâ potiuntur.

℣. 1. Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.

℣. 2. Hanc amavi, & exquisivi a juventute meâ, & quæsivi sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ATTINGIT A FINE USQUE AD FINEM FORTITER; ET DISPONIT OMNIA SUAVITER, Sunt ex Interpretibus quidam (a), qui Caput VIII a postremo superioris Capitis versiculo exordiuntur. Alii (b) a secundo hujus Capitis versiculo, Utromque, ut libet, dum duplicis hujus versiculi sententia non sejungatur: *Sapientiam non vincit malitia: attingit verò a fine usque ad finem fortiter, &c.* Invicta immensaque est Sapientia. Omnes illa ætates, omnia loca, & omnes quodammodò gentes complectitur. Illam neque tempus neque spatium circumscribunt, Nihil illam superare potest aut vincere. *Non mobili discursione*, inquit S. Bernardus (c), *vel locali diffusione, vel subjecta creatura tantùm officiali administratione; sed substantiali quadam, & ubique præsenti fortitudine, qua utique universa potentissimè movet, ordinat, & administrat*, Subdit S. Augustinus (d): *Sine labore regens, & sine onere continens mundum.* Verti Græcus potest (e): *Pertingit ab extremo ad extremum fortiter*, robustè, constanter, *ac moderatur*, disponit *omnia utiliter*. Similis sedulæ matri familiâs, quæ omnibus consulit, omnia in sui commodum trahit, Vel, ex Grotio: *Adversis non mutatur; ideò constanter ab initio ad finem usque se sustinet, omniaque sua utiliter ordinat.*

℣. 2. HANC AMAVI, ET EXQUISIVI A JUVENTUTE MEA, ET QUÆSIVI SPONSAM MIHI EAM, &c. Sapientiam adipisci cupientibus, ipsum se Salomon in exemplum proponit, Ut bono tam insigni fruaris, primùm opus est, ut illud seriò ames, eâque sollicitudine quæras, qua tibi nuptam quæreres.

(α) *Act*, x, 35. *In omni gente qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi*,
(β) *Rom*. 1, 21, 22, (γ) *Clem. Alex. & alii plures*. (δ) Καὶ κατὰ γενεὰς εἰς ψυχὰς ὁσίας μεταβαίνουσα.
(a) *Hugo, Pagn.* (b) *Cantacuzen, Vatab.* (c) *Bern. lib. de gratiâ, & libero arbitrio.*
(d) *Aug. Epist. ad Dardan. qu.* 1. (e) Διατείνει δὲ ἀπὸ πέρατος εἰς πέρας εὐρώστως, καὶ διοικεῖ τὰ πάντα χρηστῶς. *Budæus Pandect. & Vat. Spirat a fine, &c.* Διατείνει. Similis est aeri tenuissimo. ab unâ ad alteram Orbis partem spiranti,

℣. 3. Generositatem illius glorificat, contubernium habens Dei: sed omnium Dominus dilexit illam.

℣. 4. Doctrix enim est disciplinæ Dei, & electrix operum illius.

℣. 5. Et si divitiæ appetuntur in vitâ, quid sapientiâ locupletius, quæ operatur omnia?

℣. 6. Si autem sensus operatur: quis horum, quæ sunt, magis quàm illa est artifex?

℣. 7. Et si justitiam quis diligit: labores hujus magnas habent virtutes: sobrietatem enim, & prudentiam docet, & justitiam, & veritatem, quibus utilius nihil est in vitâ hominibus.

℣. 8. Et si multitudinem scientiæ desiderat quis, scit præterita, & de futuris æstimat: scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum: signa, & monstra scit, antequam fiant, & eventus temporum, & sæculorum.

COMMENTARIUS.

reres. Si corporis oculis conspicua virtus foret, ajebat Plato, omnium hominum amorem & obsequium sibi conciliaret. Non in uno Proverbiorum loco Sapiens tradit, quanto Sapientiæ amore ipse teneretur. Hanc ille veluti nuptarum castissimam, fidelissimam, absolutissimam, atque amore dignissimam describit.

℣. 3. GENEROSITATEM ILLIUS GLORIFICAT, CONTUBERNIUM HABENS DEI. Consuetudo, quam Sapientia cum Deo habet, originis illius nobilitatem ostendit. Generis sui splendorem ubique præsefert, mensque Dei consuetudine, sese ex illius sinu prodiisse demonstrat. Aliter: Hominis sese possidentis gloriam auget, ipsumque illustrem ac nobilissimum efficit, quippe quem Divinitatis ipsius familiarem reddit.

℣. 4. DOCTRIX EST ENIM DISCIPLINÆ DEI, ET ELECTRIX OPERUM ILLIUS. Divinæ scientiæ arcana penitus novit, ipsiusque operum contemplatione occupatur. Græcus (f): *Initiata enim est arcanis Divinæ scientiæ, & sectatrix est operum Dei.* Hæc illa mente versat, hæc meditatur. Unius veræ Sapientiæ est, probè contemplari, & arcana operum Omnipotentis perscrutari. Id si humana scientia, & inanis Ethnicorum Philosophia conetur, tenebras meras, sterilisve admirationis argumenta in illis inveniant.

℣. 5. SI DIVITIÆ APPETUNTUR, QUID SAPIENTIA LOCUPLETIUS, QUÆ OPERATUR OMNIA? Expertus ipse est Salomon, Sapientiam viris sapientibus opes vel in hac vitâ comparare (g). Ipsa tamen plerumque divitiarum contemptum docet. Pauco contentum esse, & vera solummodò animi bona plurimi facere jubet. Sapientissimus Salomon id tantùm rogabat, ut Deus ea quæ tuendæ vitæ necessaria sunt, sibi largiretur; ita ut neque locuples neque pauper esset (h): *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi, sed tantùm tribue victui meo necessaria.*

℣. 6. SI AUTEM SENSUS OPERATUR, QUIS HORUM QUÆ SUNT, MAGIS QUAM ILLA EST ARTIFEX? Si prudentiæ & solertiæ ope ea quæ volumus ad felicem exitum perducimus, bonaque, honores & gloriam consequimur, quid hæc faciliùs nobis comparat, quàm Sapientia? Vel (i): Si prudentia & solertia res adeò eximias agunt, quis melior harum artifex erit, quàm Sapientia? Cæteræ artes uni rei serviunt, unamque rem docent: at universalis omnium rerum ars est Sapientia.

℣. 7. SI JUSTITIAM QUIS DILIGIT, LABORES HUJUS MAGNAS HABENT VIRTUTES, magnæ virtutes a Sapientiâ fiunt. Sapientiæ finis est, ut homines justos & virtute præditos efficiat. Siqua disciplina ultra hos fines vagatur, inanitas est & insania, non Sapientia.

℣. 8. SI MULTITUDINEM SCIENTIÆ DESIDERAT QUIS, Sapientia SCIT PRÆTERITA, ET DE FUTURIS ÆSTIMAT. Unusquisque naturæ suæ ductu scire cupit; at quæ utilia & solida sciri queunt, ab unâ Sapientiâ docentur. Studium, cui leges non dixerit Sapientia, inanis est curiositas, qua frustra tempus teritur.

VERSUTIAS SERMONUM, Dialecticen. Vel ex Græco (k): *Scit ambages sermonum*, Rhetoricen, inquit Grotius; vel problematum explicationem, ac difficiles quæstiones. Ita Salomon ex duabus fœminis, sese mutuò de filii cæde accusantibus, cognovit, quæ vera illius mater esset (l).

DISSOLUTIONES ARGUMENTORUM. Græcus ad verbum (m): *Solutiones ænigmatum*. Salomonis ætate, parabolæ & ænigmata in pretio erant, magnaque Sapientiæ pars habebantur. Remotissimis e regionibus ænigmata Salomoni proponebantur; & ipse vicissim peritissimis ejus artis solvenda mittebat. Inter eos, qui Salomonem obscuris quæstionibus lacessivere, celeberrimi sunt Tyriorum Rex (n), & Regina Saba (o).

SIGNA ET MONSTRA SCIT, ANTEQUAM FIANT. Solis & lunæ defectus, æstum & frigus, terræmotos, procellas, terræ ubertatem aut sterilitatem, aëris mutationes, morborum symptomata novit Sapiens, antequam eveniant. Quicquid naturalem hominis cognitionem superat, illius in potestate est. Harum rerum cognitio, quæ nostrâ ætate penè vulgaris est, olim paucissimorum erat; tantâque illarum ignorantiâ vulgus tenebatur, ut Solis defectibus veluti monstris terreretur. Anaxagoras, & ii qui phænomeni hujus causam primùm invenere, palam eâ de re agere non audebant, ne apud vulgus ceu Religionis & Deorum hostes ac venefici haberentur, teste Plutarcho in vitâ Niciæ. Illam verò clam, & ore tenus, nunquam scripto, Discipulos docebant. Animadverte, hæc a Sapiente *signa & monstra* communi nomino appellari.

EVENTUS TEMPORUM ET SÆCULORUM. Futura scru-

(f) Μύστις γάρ ἐστι τῆς τοῦ Θεοῦ ἐπιστήμης, καὶ αἱρετὶς τῶν ἔργων αὐτοῦ. (g) *Vide Prov.* VIII, 18; *& Sap.* VII, 8, 9; *&* 3 *Reg.* III, 1, 13, *&c.* X, 17. (h) *Prov.* XXX, 8. (i) Εἰ δὲ φρόνησις ἐργάζεται, τίς τῶν ὄντων αὐτῆς μᾶλλόν ἐστι τεχνίτης; (k) Ἐπίσταται στροφὰς λόγων. (l) 3 [illegible] III, 27. (m) Λύσεις αἰνιγμάτων. (n) *Joseph. Antiq. l.* VIII, *c.* 2. (o) 3 *Reg.* X, 1.

℣. 9. Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum: sciens, quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis, & tædii mei.

℣. 10. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, & honorem apud seniores juvenis:

℣. 11. Et acutus inveniar in judicio, & in conspectu potentium admirabilis ero; & facies principum mirabuntur me.

℣. 12. Tacentem me sustinebunt, & loquentem me respicient, & sermocinante me plura, manus ori suo imponent.

℣. 13. Præterea habebo per hanc immortalitatem: & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam.

℣. 14. Disponam populos: & nationes mihi erunt subditæ.

℣. 15. Timebunt me audientes reges horrendi: in multitudine videbor bonus, & in bello fortis.

℣. 16. Intrans in domum meam, conquiescam cum illâ: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam, & gaudium.

℣. 17. Hæc cogitans apud me, & commemorans in corde meo: quoniam immortalitas est in cognatione sapientiæ,

COMMENTARIUS.

scrutatur Sapiens, eventurasque Imperiorum mutationes prævidet, cùm Principum negotia, populorum naturam, bonam malamque cujuslibet Imperii legum & morum constitutionem calleat. Ex iis quæ gesta sunt, præcepta dat gerendorum. Omnia politicæ artis arcana novit, iisque uti, & negotia maximè ardua felicem ad exitum perducere potest.

℣. 9. ERIT ALLOCUTIO COGITATIONIS ET TÆDII. Ubi ego curis, tædio, molestisque cogitationibus angar, illa mihi solatium, vel *admonitio*, utì fert Græcus (p), futura est. Me illa alloquetur & consolabitur: illam ego consulam, illique mentis meæ arcana aperiam. Usurpabant Hebræi (q) *loqui ad cor*, pro *consolari*, Hebraicam hanc phrasim spectat hæc vox *allocutio*.

℣. 10. CLARITATEM AD TURBAS, ET HONOREM APUD SENIORES JUVENIS. Quamquam viridi juventà Regnum adeptus sit Salomon, ingens statim illi gloria & authoritas apud populum aliasque gentes fuit, mirificæ ac rarissimæ Sapientiæ famâ.

℣. 11. ACUTUS INVENIAR IN JUDICIO. Salomoni Regnum, & apud populos gloria & obsequium nullâ re magis assertum est, quàm celeberrimo duarum mulierum judicio (r): *Audivit omnis Israël judicium, quod judicasset Rex, & timuerunt Regem, videntes Sapientiam Dei esse in eo ad faciendum judicium.*

℣. 12. TACENTEM ME SUSTINEBUNT, expectabunt dum loquar, ET LOQUENTEM ME RESPICIENT, intenti ora tenebunt, orationis meæ admiratione. Meliùs nemo, majorive hominum favore & obsequio diffluxit, quàm Salomon. *Universa terra*, inquit Scriptura (s), *desiderabat vultum Salomonis, ut audiret Sapientiam ejus, quam dederat Deus in corde ejus.* Et alibi (t): *Veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, & ab universis Regibus terræ, qui audiebant sapientiam ejus.* Hæc eadem sapientiæ fama Reginam Saba in Judæam accersivit. Job de se ipso agens (u), cùm rerum prosperitate frueretur, eamdem fermè sententiam habet: *Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo: vocem suam cohibebant Duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi.* Messiæ adventum describens Isaias (x), ait: *Super ipsum continebunt Reges os suum, quia quibus non est narratum de eo, viderunt.*

℣. 13. HABEBO PER HANC, IMMORTALITATEM. Si æternam tui post obitum famam relinquere enixè cupis, brevissima & tutissima ad hanc via est Sapientia. Hoc inter innumeros Reges, gentiumque domitores consequutus est Salomon; multoque gloriosissimum reliquisset apud posteros nomen, si collatæ sibi Divinitus Sapientiæ fidem majori religione servasset. Recole, Salomonem toto hoc Libro Reges ac proceres alloqui, quos gloriæ amor acrioribus stimulis quàm cæteros homines pungit. Si veram gloriam & famam cupis, sapientiam ama.

℣. 14. DISPONAM POPULOS, moderabor. Sapientiæ ope Reges populum moderantur, & Legumlatores æquas illi leges dicunt (y): *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.*

℣. 15. TIMEBUNT ME REGES. Certissima continendi in obsequio finitimos Reges ars, sapientia & æquitas est, non vires, aut numerus copiarum. Si solæ vires & bellica virtus Regem ornant, is non diuturno imperio & authoritate fruetur.

IN MULTITUDINE VIDEBOR BONUS, ET IN BELLO FORTIS. Duplex virtus, Principi prorsus necessaria; clementia, pietas, lenitas in populi regimine; in bellicis rebus virtus & constantia. Præclaram Homeri sententiam Alexander magnus (z) nunquam non ore versabat (a): *Utrumque, Rex bonus, & fortis miles.* Hanc imitatus est Virgilius, Æneidos VI:

Parcere subjectis, & debellare superbos;

illis carum, his terribilem sese exhibere.

℣. 17. IMMORTALITAS EST IN COGNATIONE SAPIEN-

(p) Παραίνεσις φροντίδων, καὶ λύπης. (q) Genes. XXXIV, 3; Isai. XL, 1. (r) 3 Reg. III, 28. (s) 3 Reg. X, 24. (t) 3 Reg. IV, 34. (u) Job, XXIX, 9, 10. (x) Isai. LII, 15. (y) Prov. VIII, 15. (z) Plutarch. Moral. (a) Homer. Ἀμφότερον, βασιλεύς ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.

℣. 18. Et in amicitiâ illius delectatio bona, & in operibus manuum illius honeſtas ſine defectione, & in certamine loquelæ illius ſapientia, & præclaritas in communicatione ſermonum ipſius: circuibam quærens, ut mihi illam aſſumerem.

℣. 19. Puer autem eram ingenioſus, & ſortitus ſum animam bonam.

℣. 20. Et cùm eſſem magis bonus, vêni ad corpus coinquinatum.

℣. 21. Et ut ſcivi, quoniam aliter non poſſem eſſe incontinens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum: adii Dominum, & deprecatus ſum illum, & dixi ex totis præcordiis meis.

COMMENTARIUS.

SAPIENTIÆ. Eadem ſententia eſt, quæ ℣. 13. Editio Sixti V, & Complutenſis legunt; *Quoniam immortalis eſt in cogitatione ſapientiæ.*

℣. 18. HONESTAS SINE DEFECTIONE. Superiùs animadvertimus, Latino hujus Libri Interpreti *honeſtatem* pro opibus uſurpari. Græcus fert (b): *Divitiæ quæ nunquam deficiunt.*

℣. 19. PUER ERAM INGENIOSUS, liberalis (c), ET SORTITUS SUM ANIMAM BONAM. Datâ operâ utitur hoc verbo *ſortitus ſum*, mero Divinæ clementiæ beneficio accepi, *ad auferendam ſuſpicionem præcedentium meritorum*, inquit S. Auguſtinus (d). Illud vult hoc loco Salomon, animi ſui naturam ita a Deo fuiſſe conſtitutam, ut ſcientiis & Sapientiæ diſcendis apta eſſet (e): eâ enim in re, ut in cæteris, plurimum corporis temperamento debetur; infinitâque Sapientiâ Deus ipſas naturæ vires ita inſtruit, ut ea ipſa, quæ naturam ſuperant, aſſequantur. Diſcendi, cogitandi, diſſerendi facilitate, miti modeſtâque naturâ, & æquabili quodam temperamento inſtruit illos, quos iis muneribus deſtinat, quæ his virtutibus egeant. Has homo meliores facit ſtudio ac labore; Deus gratiâ perficit.

℣. 20. ET CUM ESSEM MAGIS BONUS, VENI AD CORPUS INCOINQUINATUM. Cùm bonam animam a Deo accepiſſem, optimo ingenio, acutiſſimam, acerrimâ intelligendi vi, ampliſſimâ mentis capacitate; denique paratiorem quàm cæteras excipiendis Sapientiæ inſtitutionibus, Divinoque lumini; huic additum eſt corpus minoribus vitiis obnoxium, minoribus ſtimulis ad ſcelera impulſum, quàm cæterorum corpora, quorum pleraque ex ipſo matris ventre malam in vitia propenſionem, libidinis & licentiæ amorem ferunt. Ponere videtur hoc loco Sapientiæ Scriptor, animas ante corporum formationem extitiſſe. Hanc ſententiam olim Origenes, & alii deinde propugnaverunt (f): at noſtrorum temporum Theologi penitus e ſcholis eliminavere. Attamen ſi seriò rem inſpicias, negabis, hanc opinionem ex his verbis elici; cùm varia ſolummodò diſtinguat momenta ſolâ mente intelligenda, quibus duæ hæ res, corpus & anima, creantur; & varias utriuſque proprietates ſecernat.

Ponit præterea Scriptor, non omnes æquè animas atque omnia corpora erga bonum, erga ſcientiam, virtutem ac Sapientiam parata eſſe; aliquas enim animas rudiores, hebetioreſque ac magis indociles eſſe putat; & quædam corpora magis in vitium prona, quibuſdam etiam peccatis magis obnoxia, quibus major eſt in virtutis exercitium, in ſtudium Sapientiæ, atque in vitam frugi, quàm aliis, difficultas. At nihil habet hæc opinio, quod a rectâ fide aberret, magnoque Theologorum numero non fulciatur (g); cui ſanctus ipſe Auguſtinus favet, cùm ſcribat (h): *Cujus occulto judicio, nec injuſto, alii fatui, alii tardiſſimi ingenii, & ad intelligendum quodammodò plumbei; alii obliviosi, alii acuti memoreſque naſcuntur; alii utroque munere præditi.*

Cave tamen, ex hoc principio colligas id quod Pelagianis placebat, in ſingulis hominum animabus naturalia eſſe quædam ſemina virtutum, quorum vi, ſine auxilio gratiæ divinæ excitantis ac prævenientis, poſſit haberi aliquod initium ſalutis vel fidei; aut id quod alii ex Hæreticis ajebant, alios peccato originis magis infici, alios minùs; ita ut peccati Adami pœna omnes æquè illius poſteros non complectatur: Fide enim magiſtrâ ſcimus, omnes abſque diſcrimine filios peccati & iræ naſci; omneſque homines in Adamo mori, uti omnes in Chriſto vitæ reſtituuntur; atque uti Baptiſmus peccatum originis eluit in iis, qui baptiſmo tinguntur, ita eos qui ipſo carent, peccati labe nunquam purgari, omnibuſque malis e peccato ortis obnoxios eſſe. Verſiculus hic ex Græco ita reddi poteſt (i): *Puer eram liberaliter natus, & ſortitus ſum animam bonam.* (℣. 20) *Seu potiùs, cùm eſſem bonus, vêni in corpus incorruptum.* Duobus hiſce verſiculis eadem ſententia clauditur; at ſecundo luculentiùs atque aptiùs.

℣. 21. QUONIAM ALITER NON POSSEM ESSE CONTINENS, NISI DEUS DET, Deum flagitavi. Græca vox, quæ hîc redditur *continens*, tres patitur explicationes (k): I, *Quòd non aliter potirer* Sapientiâ; II, *Quòd non aliter voti compos eſſe poſſem*; III, *Quòd continens & caſtus eſſe non poſſem.* Quamlibet ex his amplectaris, veriſſimum eſt, nihil nos abſque Dei auxilio poſſe. Primam poſcere videtur ſeries orationis. Cùm me meis viribus Sapientiam aſſequi non poſſe intelligerem, hanc a Deo poſtulavi (l). Patres nonnulli (m), pluresque ex Interpretibus æquiſſimo veriſſimoque ſenſu in-

(b) Πλοῦτος ἀνεκλιπής. (c) Hoc propriè ſignificat vox *ingenioſus* hoc loco, uti ex Græco colligitur. Παῖς ἤμην εὐφυής. (d) *Aug. de Geneſ. ad litt. lib. x, c. 18.* (e) *Vide Dionyſ. Pined. Janſen. Lorin. Cornel.* (f) *Origenes, & Hebræi non pauci apud Grot. hic, & ad Joan. IX, 2. Vide & Synrſ. in Epiſtolis.* (g) *Magiſt. Sentent. in 2, diſt. 32, & ibid. Bonavent. Albert. Richardus, Joan. Major, Capreolus, Ægidius, Cajet. Toſtat. alii apud Cornel. hic; Academia Pariſienſis, apud Henric. Gandav. quodlibet. 3, qu. 5: Si quis dixerit, omnes animas ab origine eſſe æquales, errat, quoniam aliàs anima Chriſti non eſſet perfectior quàm anima Judæ.* (h) *Aug. lib. 4 contra Julian. c. 3.* (i) 19; Παῖς ἤμην εὐφυής, ψυχῆς τε ἔλαχον ἀγαθῆς. 20: Μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὤν, ἦλθον εἰς σῶμα ἀμίαντον. *Vide Janſ. & Vatab.* (k) Ὅτι οὐκ ἄλλως ἔσομαι ἐγκρατής. (l) *Ita Vatab. Janſ. Cantacuzen. Oſor. Caſtrenſ. Cornel. alii.* (m) *Tertull. de Velandis virginib. c. 13; Aug. Confeſſ. lib. 6, c. 11; & ep. 89, qu. 2; Proſper, contra Collator. c. 36.* (o) *Gloſſa, Dionyſ. Holkot. Hugo, &c.*

ſu interpretantur; at qui non adeò literæ ſerviat, continentem caſtumque eſſe hominem non poſſe, niſi Jeſu Chriſti gratia adfuerit. Salomonis oratio ſequenti Capite continetur, eò ſolum modò ſpectans, ut a Deo Sapientiam poſcat.

CAPUT IX.

Salomonis ſapientiam flagitantis oratio ad Deum. Neceſſaria virtus eſt populi regimen adminiſtrantibus.

℣. 1. DEus patrum meorum, & Domine miſericordiæ, qui feciſti omnia verbo tuo,

℣. 2. Et ſapientiâ tuâ conſtituiſti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ a te facta eſt,

℣. 3. Ut diſponat orbem terrarum in æquitate, & juſtitiâ, & in directione cordis judicium judicet:

℣. 4. Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam, & noli me reprobare a pueris tuis:

℣. 5. Quoniam ſervus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ: homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii, & legum.

℣. 6. Nam & ſi quis erit conſummatus inter filios hominum, ſi ab illo abſuerit ſapientia tua, in nihilum computabitur.

℣. 7. Tu elegiſti me regem populo tuo, & judicem filiorum tuorum, & filiarum:

COMMENTARIUS.

℣. 1. DEUS PATRUM MEORUM. Ita exorditur orationem, cujus meminit in ſuperioris Capitis fine. Eadem autem eſt ac quæ legitur in tertio Regum, III, 6, &c, ſed fuſiùs exornata, Salomonis ſententias Author amplificat, pluraque addit, quæ propoſito ſuo ſerviunt, docendis ſcilicet Regibus, ad Sapientiæ, virtutis, juſtitiæ amorem alliciendis, ac denique ab injuriâ, iniquitate, ac libidine removendis. Totum deinceps Librum implet hæc oratio.

℣. 2. SAPIENTIA TUA CONSTITUISTI HOMINEM, UT DOMINARETUR CREATURÆ, QUÆ A TE FACTA EST. Univerſa per Sapientiam, per Verbum, per Filium condidit Deus. Id verò innumeris Scripturæ locis (a) traditur. Ad Conditoris imaginem effictus eſt homo, ut ipſius loco cæteris animalibus imperaret (b). Nunquam ſatis hæc diſcimus, cùm totius moralis inſtitutionis noſtrorumque officiorum radix & fundamentum ſint: quamobrem Sapiens in ipſo orationis exordio illorum meminit.

℣. 3. UT DISPONAT ORBEM TERRARUM IN ÆQUITATE, ἐν ὁσιότητι, *in ſanctitate*. Rerum profectò creatarum imperium dedit homini Deus, at minimè abſolutum; ipſum enim imperio ſuo ſubditum, legibusque æquitatis & Sapientiæ obnoxium eſſe voluit in eâ ipſâ, quam in ſui ſimiles, cæteraſque creatas res exerceret, authoritate; qua uti nonniſi ex ſupremi Regis legibus poteſt.

℣. 4. DA MIHI SEDIUM TUARUM ASSISTRICEM SAPIENTIAM, quæ coram te ſemper eſt, tuiſque conſiliis & operibus præeſt. Græcus (c): *Da mihi Sapientiam, quæ ſedibus tuis aſſidet*, quæ, ut ita dicam, judiciis tuis aſſeſſoris & conſiliarii loco eſt. Spectat id, quod in Judicum tribunalibus, vel Principum ſenatibus geritur; quorum præſides non ſoli ſententiam ferunt, ſed conſultores adhibent & aſſeſſores. Reges etiam nihil, niſi de aliorum conſilio, decernunt. Apud Deum, Sapientia iis, quæ decernuntur, adſiſtit, ſi fas eſt dicere. Sentiens Salomon, quàm grave munus, quantaque dignitas eſſet, Regem & Judicem Iſraëlis agere, ipſam Dei Sapientiam ſibi adſiſtentem & conſiliariam optant. Increatam æternamque Sapientiam ab humanâ & creatâ non ſemper diſtinguit Salomon tum in hoc Libro, tum in Proverbiis (d). Jovis ſolio præſentes, & a conſiliis poſitas *Themidem*, & *Diken*, ſcilicet æquitatem & juſtitiam, ajebant Profani.

NOLI ME REPROBARE A PUERIS TUIS. Ne me numero filiorum, vel ſervorum (e) tuorum excludas; eorum, quibus uteris in dicendo hominibus jure, iiſque regendis. Sive: Ne carere me velis iis beneficiis, quibus amicos, filioſque proſequeris. Vel denique: Ne me ex eorum numero ejicias, qui amicitiam tuam meruerunt, patrum ſcilicet meorum, Patriarcharum: horum ego veſtigia legam, ejuſdemque amicitiæ particeps ego ſim, quâ illos ornaſti.

℣. 5. MINOR AD INTELLECTUM JUDICII ET LEGUM, imbecillior quàm ut judicia & leges intelligam, Salomon in Libris Regum orans, ita Deum alloquitur (f): *Domine Deus, tu regnare feciſti ſervum tuum pro David patre meo: ego autem ſum puer parvulus, & ignorans egreſſum & introitum meum. Et ſervus in medio eſt populi, quem elegiſti, populi infiniti, qui numerari & ſupputari non poteſt præ multitudine.* Hìc fatetur, ſe multo minori intelligendi vi præditum eſſe, quàm neceſſe ſit, ut norit quæ ſibi leges ſervandæ ſint, & quæ judicia erga populum exercenda.

℣. 7. JUDICEM FILIORUM TUORUM ET FILIARUM. Judicis nomen idem valet ac Regis tum hoc, tum

(a) *Vide Geneſ.* I, 3, *& ſequ. Pſal.* XXXII, 9; *Joan.* I, 3; *Prov.* VIII, 30, 31. (b) *Geneſ.* I, 26, 28.
(c) *Δός μοι τὴν τῶν σῶν θρόνων πάρεδρον σοφίαν.* (d) Vide ſupra, VI, 13, *& ſequ. &* VII, 7, *& ſequ. Prov.* I, 20, *& ſequ.* II, 1, *& ſequ.* VIII, 1, . . . 12, 13, 27, 28, *& ſequ.*
(e) Μή με ἀποδοκιμάσῃς ἐκ παίδων σου. (f) 3 *Reg.* III, 7, 8,

℣. 8. Et dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo, & in civitate habitationis tuæ altare, similitudinem tabernaculi sancti tui, quod præparasti ab initio:

℣. 9. Et tecum sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & affuit tunc, cùm orbem terrarum faceres, & sciebat, quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.

℣. 10. Mitte illam de cœlis sanctis tuis, & a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te:

℣. 11. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in suâ potentiâ.

℣. 12. Et erunt accepta opera mea, & disponam populum tuum justè, & ero dignus sedium patris mei.

℣. 13. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei, aut quis poterit cogitare, quid velit Deus?

℣. 14. Cogitationes enim mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ.

℣. 15. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.

℣. 16. Et difficilè æstimamus, quæ in terrâ sunt: & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?

COMMENTARIUS.

tum in aliis Scripturæ locis. Primum Regis munus est jus populo dicere. Hoc illos monet, utendum sibi esse æquitate & justitiâ in ferendis sententiis. Authoritas, qua gaudent, judiciaria potestas est, prudens, æqua, cupiditatis & favoris expers. Neque temerè hic addit Sapiens, *filiorum tuorum & filiarum*; populus enim universus in Dei potestate est, communis omnium Patris. Quamobrem eâ debent erga populum Sapientiâ, prudentiâ, clementiâ, lenitate uti Reges, qua erga Dei ipsius filios & familiares decet.

℣. 8. DIXISTI ME ÆDIFICARE TEMPLUM ... ET ALTARE, SIMILITUDINEM TABERNACULI SANCTI TUI. Altera me urget ratio Sapientiam a te flagitandi, tua scilicet electio, qua decrevisti, ut ego Majestati tuæ Templum & Altare conderem ad exemplar Tabernaculi & Altaris, quod tibi Moyses in solitudine statuit. Templum certè Salomonicum veteri illi Tabernaculo magnâ ex parte simillimum fuit. Erant Atrium Sacerdotum, Altare holocaustrorum, pollubra purgandis victimis, pedibusque & manibus Sacerdotum lavandis; *Sanctuarium*, ubi Arca Domini; *Sanctum* cum Altari panum propositionis & thymiamatum. Augustius sanè, locupletius, solidius ac magnificentius Templum erat; partium tamen dispositio fermè eadem. Unicum video inter utrumque discrimen, atrium Sacerdotum ab atrio populi secretum. In itinere, totus castrorum locus populi atrium censebatur; castra Domini & Sacerdotum Tabernaculi atrium erant.

℣. 9. ET TECUM SAPIENTIA TUA, QUÆ NOVIT OPERA TUA, QUÆ AFFUIT TUNC CUM ORBEM TERRARUM FACERES. Postulat Salomon, ut sibi Templum ædificaturo eam Sapientiam sibi largiatur, quæ ipsi mundum creanti adfuit. Vide Proverbia, VIII, 22, 23 *&c.* Nosce hinc, quàm altè sentiret Salomon de Dei sui majestate, quantâque Sapientiâ sibi opus esse videret, ut opus adeò eximium felici exitu perficeret. (℣. 10) *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, ut mecum sit, & mecum laboret*, amplissimoque huic operi præsit.

℣. 10. DE COELIS SANCTIS TUIS, de Cœlo, sanctuario tuo. Hac loquendi formulâ sæpe utuntur Sacri Scriptores (g), ut Cœlum Sanctuarium ac sedem Divinitatis esse, cujus figura Templum fuit, ostendant.

℣. 11. DEDUCET ME SOBRIE, prudenter, moderatè. Eâ duce, modestè me geram, meorumque officiorum nunquam oblivíscar.

℣. 13. QUIS ENIM POTERIT SCIRE CONSILIUM DEI? Nisi mentem misso divinitùs lumine illustres, nisi Sapientiam prorsus divinam largiaris, quis consilia tua & decreta nosse queat? Sanctum igitur Spiritum tuum cœlitus in me demitte, ut officio meo fungar, tuæque voluntati obtemperem. Confer hunc locum cum Isaia, XL, 13, 14; & *Rom.* XI, 34; & 1 *Cor.* II, 16.

℣. 14. COGITATIONES MORTALIUM TIMIDÆ, ET INCERTÆ PROVIDENTIÆ NOSTRÆ. Trepida sunt nostra consilia, molimina, decreta; infirmior enim mens nostra est, quàm ut certa consilia meditetur; viresque nostræ imbecilliores, quàm ut decreta expleamus. Incerta sunt quæ prævidemus, fallaces sunt opiniones nostræ (h), obnoxia errori est ratio. Tua unius Sapientia, o Deus, fluctuantem animum firmare potest, nostrosque errores fugare.

℣. 15. CORPUS QUOD CORRUMPITUR, AGGRAVAT ANIMAM. Ajebant Pythagorici, corpus animæ vas aut sepulcrum esse (i), primumque illius morbum. Hos secutus est Plato (k); ac denique S. Paulus ait (l), corpus quoddam esse animæ tentorium aut domum: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, habemus domum non manufactam æternam in Cœlis.*

TER-

(g) *Psal.* X, 5; XIX, 7; LXVII, 6; *Psal.* XXI, 4; CI, 20; CIX, 3; CL, 1. (h) Λογισμοὶ γὰρ θνητῶν δειλοὶ, καὶ ἐπισφαλεῖς αἱ ἐπίνοιαι ἡμῶν. (i) *Vide Grot. hic.* (k) *Plato Axiocho.* (l) 2 *Cor.* V, 1, 4.

℣. 17. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, & miseris spiritum sanctum tuum de altissimis:

℣. 18. Et sic correctæ sint semitæ eorum, qui sunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines?

℣. 19. Nam per sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi, Domine, a principio.

COMMENTARIUS.

TERRENA HABITATIO DEPRIMIT SENSUM MULTA COGITANTEM. Corpus, lutea domus, animam, quæ spiritus ac mens est, opprimit, Virgilius, Æneidos VI:

. . . . Quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.

Horatius:

. . . . Quin corpus onustum
Hesternis vitiis, animam quoque prægravat unâ,
Atque affligit humo divinæ particulam auræ.

℣. 17. SENSUM TUUM QUIS SCIET, NISI TU DEDERIS SAPIENTIAM? Tua, o Deus, jussa a nobis perfici vis; a nobis, inquam, quibus populi tui regimen creditum est, quos consilia tua optimè omnium nosse jubes. Quibuslibet Regis verbis ea authoritas esse deberet, ut oraculorum loco haberentur (m); tantusque inter populum esse, quantus vel Angelus Dei foret (n), vel ipse Deus, cujus locum & personam gerit. Id verò quis assequatur, nisi tui Spiritûs tuæque Sapientiæ ope juvetur?

℣. 18. ET SIC CORRECTÆ SINT SEMITÆ EORUM (o), Qui vitæ integritatem, gratosque tibi mores servavere, hæc ipsa boni nonnisi Sapientiæ tuæ, ipsos docentis ac moderantis, ope assecuti sunt. Per Sapientiam incolumitati restituti sunt ii, qui mortem ab ipso exordio effugère: (℣. 19) *Per Sapientiam sanati sunt, quicumque placuerunt tibi a principio.* Veteres Patriarchæ, qui Diluvii ætatem vel præcessere, vel secuti sunt, communemque hominum corruptionem, & supplicia, quibus in homines animadvertisti, evitavere, id Sapientiæ tuæ tuoque Spiritui ipsos prævenienti, ducenti, atque illustranti debent.

CAPUT X.

Sapientia cultores suos malis innumeris liberatos, innumeris bonis cumulavit. Exempla Adami, Noëmi, Abrahami, Lothi, Jacobi, Josephi, Moysis, &c.

℣. 1. HÆc illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cùm solus esset creatus, custodivit.

℣. 2. Et eduxit illum a delicto suo, & dedit illi virtutem continendi omnia.

℣. 3. Ab hac ut recessit injustus in irâ suâ, per iram homicidii fraterni deperiit.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HÆC ILLUM QUI PRIMUS FORMATUS EST, ut pater viventium foret, CUM SOLUS ESSET CREATUS, CUSTODIVIT. Sapientia tua, o Deus, Adamum solum, inermem, inter tot feras, custodiit, cùm illum absoluto in omnes belluas imperio instruxeris, & ingenii lumine illustraveris. Necessarias vitæ res & alimenta suppeditasti, externisque periculis & morbis liberasti, ut homines sui similes, in nominis tui gloriam, procrearet. Sequitur hoc Capite Sapientis oratio; qua simul edocet eos, quorum causâ hunc Librum exaravit, iisque ostendit quanta fuerit quolibet tempore Sapientiæ utilitas.

℣. 2. EDUXIT ILLUM A DELICTO SUO. Adami lapsum Moyses in Genesi tradit; at illius pœnitentiam silet. Supplet hoc loco Sapiens id quod Moyses præteriit; docetque, Adamum, infusâ Divinitus Sapientiâ, facti pœnituisse. Communis est Patrum (a) ac Doctorum sententia, Adamum pœnitentiam egisse, primumque esse inter Prædestinatos. Hoc idem docuit constanter Ecclesia.

DEDIT ILLI VIRTUTEM CONTINENDI OMNIA, seu rebus creatis omnibus imperandi. Ante peccatum, omnia illi parebant; iisque liberè ac sponte servientibus, facile ac lene imperium erat; at postquam peccavit, vix aliquod concessi a Deo dominii vestigium illi superfuit. Omni Sapientiæ suæ, industriæ ac virium nisu illi utendum fuit, ut belluas domaret, mitigaretque, atque ad necessariam homini servitutem adigeret.

℣. 3. AB HAC UT RECESSIT INJUSTUS, PER IRAM HOMICIDII FRATERNI (b) DEPERIIT. Injustus hic est Cain, qui Sapientiam, pietatem, humanitatemque omnem abjecit, interfecto fratre. Cainum periisse, minimè tradit Scriptura; contrarium potiùs innuit, cùm scribat, ipsum a Deo signo quodam inustum esse, ne a quopiam obvio interficeretur. At quàm grave exitium est, & quàm miserabilis calamitas, tam atroci crimine obvolvi, neque illius pœnitere! Nemo certè docet, Cainum

(m) *Prov.* XVI, 10: *Divinatio in labiis Regis.* (n) 2. *Reg.* XIV, 17, 20; & XIX, 27. (o) *Edit. Complut. & Sixti V: Et si correcta sint semita eorum, &c.* (a) Vide nos in Genesim, V, 5; & *Aug. ep.* 99 *ad Evod. & alibi; Iren. lib.* 3, *c.* 34; *Epiphan. hæres.* 45; *Hilar. in Psal.* CXIX, & *Canon.* 8 *in Matth. Origen. in cap. V ad Rom.* & alii plures. Vide *Cornel. a Lapide* in hunc locum.

(b) *Edit. Complut. & Sixti V: Per iram homicidii fraternitas deperiit. Græc.* Ἀδελφοκτόνοις συναπώλετο θυμοῖς, furiis fraterni parricidii periit.

℣. 4. Propter quem, cùm aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, per contemptibile lignum justum gubernans.

℣. 5. Hæc & in consensu nequitiæ cùm se nationes contulissent, scivit justum, & conservavit sine querelâ Deo, & in filii misericordiâ fortem custodivit.

℣. 6. Hæc justum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in pentapolim:

℣. 7. Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.

COMMENTARIUS.

num pœnitentiâ resipuisse. Ipse ac tota ipsius posteritas quodlibet vitiorum atque injuriarum genus sectati sunt; quorum causâ totus Orbis diluvii aquis obrutus est, ut versiculo sequenti traditur.

℣. 4. Propter quem (c) cum aqua deleret terram: non quòd unus Cain omnia crimina, quæ diluvium provocavere, commiserit; sed quòd ipsius exemplum imitantibus posteris, ipsorumque criminibus ad summum culmen perductis, Divinus furor formidabili ultione in homines sævierit. Hac ipsâ occasione Sapientia mundum servavit; cùm enim Noë justus coram Deo haberetur, servatus est per arcam, quæ hic a Sapiente *contemptibile lignum* appellatur. Profectò quis crederet, fragilem adeò molem, cui tota hominum & bestiarum stirps credita fuerat, quâ sine omnia viventium, qui aërem ducunt, genera periissent, fluctibus undique, obviorumque corporum impulsionibus restituram; ac denique ingentem adeò machinam tam diù nataturam, quamvis immenso planè pondere gravaretur, nunquam fractam, aut dissipatam? Opus certè erat, ut insolitâ Sapientiâ vir operi præesset, ac Noë peritissimus foret omnium Architectus.

℣. 5. Hæc in consensu nequitiæ scivit (d) justum, vel quæ justum inter cæteros illustrem fecit, et conservavit sine querela Deo. Quis hic Justus fuerit, ægrè invenitur. Alii enim (e) Abrahamum esse putant, qui superstitionis expers in communi gentium corruptione mansit. Ajunt alii (f), *Semum* esse aut *Heberum*, quos Babelicæ turris reos non fuisse putant. Sunt (g) qui spectari censeant bellum Abrahami in quatuor fœderatos Reges, qui Lothum abstulerant. Tota orationis series intelligi de Abrahamo jubet; ac maximè probabile est, vocationem Abrahami, qui inter superstitiosas gentes, ipsamque patris profani familiam, expers ejus criminis fuit, ab Authore significari. Veterum quibusdam (h) placuit, Abrahamum statim ab initio superstitioni serviisse; conceptisque verbis tradit Philo (i), ipsum coluisse astra, uti communis Chaldæorum Religio ferebat. Hoc licèt admittas, summâ certè laude dignus est Abraham, quòd superstitionem quamprimùm reliquerit, secutusque Sapientiæ vocem fuerit. Nihil hoc loco satis luculentum fertur, quod Abrahamum superstitionis expertem semper fuisse demonstret; sed solummodò ab illâ abhorruisse, ubi Sapientiam agnoscere incepit.

In filii misericordia fortem custodivit (k). Sapientia & Religio Abrahami constantiam sustinuere hoc gravissimo in discrimine, ubi filius Deo jubente immolandus erat. *Adverte hic virtutes quatuor in uno facto*, inquit S. Ambrosius (l). *Fuit Sapientiæ Deo credere, nec filii gratiam anteferre authoris præcepto: fuit justitiæ, acceptum reddere: fuit fortitudinis, appetitum ratione cohibere... Accedit & quarta virtus, temperantia. Tenebat justus & pietatis modum, & executionis ordinem, &c.*

℣. 6. Hæc justum a pereuntibus impiis liberavit. Sapientia vel pietas (ambæ enim hæ voces indiscriminatim usurpantur), Lothum tutata est, ipsumque e mediâ Sodomâ liberum eduxit; authoribus scilicet Angelis a Deo missis, cùm cœlicus ignis in Sodomam cæterasque Pentapoleos urbes rueret. Loth justus dicitur (m); cui si decem solummodo similes fuissent, toti Sodomæ Deus pepercisset. Eodem elogio S. Petrus Lothum prosequitur (n); quamvis enim virtute longè inferior Abrahamo fuerit, satis tamen ingenti fuit, si cum regnantibus in eâ regione vitiis comparetur.

Descendente igne in Pentapolim, Sodomam, Gomorrham, Adamam, Seboim, Segor. Postrema hæc orante Loth servata est; ac deinceps superstes fuit. Præter quinque Urbes, quas diximus, plures simul periisse pagi, quinque his urbibus subditi, creduntur. Denique quidquid regionis erat, quod nunc Mare mortuum occupat, flammis absumptum est, deinde Jordane inundatum, cujus ex aquis mare mortuum concrevit.

℣. 7. Quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, et incerto tempore fructus habentes arbores, quarum fructus nunquam mitescunt. Nemo ignorat, mare mortuum, aliter Lacum Asphaltiten, seu mare bituminis, turbidas aquas habere, ex quibus identidem bitumen ebullit, quod olim collectum vendebatur (o): eo autem ita illius aquæ abundabant, ut nihil vivum iis mergi posset: id quod Vespasiano præsente docuit experientia (p). Quæ circa mare jacent, aut prorsus deserta sunt, aut nihil hominibus utile ferunt. Arborum fructus specie quidem pulcherrimi, intùs vitiati sunt, & cinere ama-

(c) *Edit. Complut. & Sixti V: Propter quod. Ita quidam Græci:* Δι' ἣ καταχλυζομένην γῆν. *Alii meliùs, & plures:* Δι' ὃν. (d) *Græc.* Ἔγνω τὸν δίκαιον. *Alii,* Εὗρε τὸν δίκαιον., *Invenit justum. Ita Edit. Rom.* (e) *Cornel. Grot. alii.* (f) *Vide Aug. lib. 26 de civit. c. 4.*
(g) *Genes. XIV. Vide Baduel. seu Vatab. hic.* (h) *Aug. lib. 16 de civit. c. 12; Ephrem, serm. 2 de Pœnitentiâ. Vide dicta ad Genes. XI, 20, & 31; & Judith, V, 7, & Isai. LIII, 27.*
(i) *Philo de Abraham, p. 282.* (k) *Edit. Compl. & Sixti V: In filiis* (vel illorum, vel suis) *misericordiam fortem custodivit.* (l) *Ambros. l. 1 de Offic. c. 25.* (m) *Genes. XVIII, 32.*
(n) *2 Petr. II, 7.* (o) *Brocard. l. 1, c. 5: Mare Mortuum semper est fumans, & tenebrosum quasi os inferni, sicut oculis meis aspexi.*
(p) *Joseph. lib. 4 de Bello, c. 5.*

℣. 8. Sapientiam enim prætereuntes, non tantùm in hoc lapsi sunt, ut ignorarent bona, sed & insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuissent.

℣. 9. Sapientia autem hos, qui se observant, a doloribus liberavit.

℣. 10. Hæc profugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei, & dedit illi scientiam Sanctorum: honestavit illum in laboribus, & complevit labores illius.

℣. 11. In fraude circumvenientium illum affuit illi, & honestum fecit illum.

℣. 12. Custodivit illum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum, & certamen forte dedit illi, ut vinceret, & sciret, quoniam omnium potentior est sapientia.

COMMENTARIUS.

amaroque fucco pleni *(p)*. Nihil hîc aut supra naturam aut ex prodigio est. Postquam cœlestis ignis eam regionem bitumine nitroque abundantem corripuit, cùm cœlestis flammæ vis consumpserit quidquid bonæ humûs erat, totaque circum regio sale & bitumine plena sit, relictâ identiden humo exustâ; ipsa rei natura fert, ut arbores acri & amaro succo nutritæ, fructus ejusdem naturæ & saporis pariant; & qui cum nihil boni habeant, mitescere, aut hominis alimento servire nequeant. Scribit Moyses *(r)*, vineas Sodomæ uvas fellis, & botros amarissimos producere, quorum sapor ferri nequit, & vinum veneno aspidum perniciosius est.

Græcus hnc loco fert *(s)*: *Cujus* terræ *adhuc testimonium* nequitiæ *fumigans extitit terra, plantaque fructus ferentes, qui ad maturitatem non perveniunt*; vel ex aliis *(t)*: *Inani specie fructum preferentes arbores*. Ita describit Solinus *(u)*: *Apud qua pomum quod gignitur, habeat licèt speciem maturitatis, mandi tamen non potest; nam fuliginem intrinsecus favillaceam ambitus tantum extimæ cutis cohibet, quæ vel levi pressa tactu fumum exhalat, & fatiscit in vagum pulverem.*

Incredibilis animæ memoria stans figmentum salis. Uxorem Lothi significat, in salis simulacrum conversam, vel *in columnam salis*, uti fert Græcus *(x)*. Ita loquitur Author, uti ætatis suæ traditiones ferebant; qua ætate monumentum uxoris Loth in salis simulacrum conversæ adhuc stabat. Vide nos in Genesim, xxix, 26.

℣. 8. Sapientiam enim prætereuntes... insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam, ut in his, quæ peccaverunt, nec latere potuissent. Lothi uxorem, ipsumque Lothum ejusque filias significare videtur; ex quibus uxor cùm postrema omnium fugeret, flammis correpta, & in salis columnam conversa est. Cùm Loth fidem Angelis, fugere in montes jubentibus, non haberet, impetravit, ut in Segor secedere sibi liceret; cùmque ductorum fidei satis credere non videretur, in montis antrum secessit, ubi & sese ebrietate & filias incestu corrupit; iis nimirum criminibus, quæ ex minimâ illius Sapientiâ orta sunt, atque in omnium notitiam devenere, ut æternum illi dedecus essent.

℣. 10. Hæc profugum iræ fratris justum deduxit per vias rectas. Jacobum innuit, qui Esau fratris iram vitaturus, solus, sine duce, in Mesopotamiam fûgit; quò, Sapientiâ duce, protegente Deo, incolumis pervênit.

Ostendit illi Regnum Dei; cùm scilicet mysticam scalam intuitus est, & Angelos ascendentes descendentesque. *Verè*, inquit hæc videns Jacob *(y)*, *Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Quàm terribilis est locus iste! non est hîc aliud nisi Domus Dei, & porta Cœli.*

Dedit illi scientiam Sanctorum. Loci illius Domino dedicandi consilium illi inspiravit; cui ille paruit, oleo lapidem inungens, quem capiti supposuerat; votoque pollicens, sese decimam bonorum omnium Deo daturum, locumque ipsum ceu sanctum, & Domum Dei habiturum *(z)*. *Scientia Sanctorum* usurpari hoc loco potest in universum pro divino lumine, quo Deus variis in locis Jacobi mentem illustravit; primùm in Bethel, tum in Mesopotamiâ *(a)*, denique cùm in patriam reverteretur *(b)*.

Honestavit illum in laboribus. Labani opes Jacob sapientiâ & solertiâ non parum auxit; neque minores sibi comparavit. Artem, qua greges suos multiplicavit, id efficiens ut agni eo colore imbuti nascerentur, quo ipse optabat, ipsum docuit Angelus *(c)*; ipsiusque Jacobi pietas merebatur, ut ipsum Deus hoc beneficio prosequeretur. Ita undecumque fructus Sapientiæ est. *Honestare* *(d)* hîc ponitur pro locupletare, ut *honestas* pro divitiis usurpatur superiùs, vii, 11, 13; viii, 18.

℣. 11. In fraude circumvenientium illum affuit illi; scilicet adversùs Labanum, qui, teste ipso Jacobo *(e)*, ipsum deceperat, ac decies pacta sancita mutaverat. Græcus *(f)*: *Adversùs avaritiam invalentium in eum, affuit illi*, vel adversùs avaritiam illorum, qui vim ipsi inferre tentaverant.

℣. 12. Custodivit eum ab inimicis. Divino certè prodigio Jacob effûgit injurias, quas Laban illi inferre decreverat, nisi Deus, ipsum in quiete alloquens *(g)*, deterruisset. Vim etiam fratris sui Esau vitavit, mutato divinitus fratris animo, adeò ut Esau obvio fratri luculentissima fraterni amoris indicia exhibuerit *(h)*.

Certamen forte dedit illi ut vinceret. Jacobi certamen cum Angelo innuit; cum eo enim lucta-

---

(q) *Solin. Polyhistor. c. 30; Tacit. histor. l. 5; Joseph. loco cit.* Ἔστι δὲ κἀν τοῖς καρποῖς σποδιὰν ἀναφυομένην, οἳ χροιὰν μὲν ἔχουσι τοῖς ἐδωδίμοις ὁμοίαν, δρεψαμένων δὲ χερσὶν εἰς καπνὸν διαλύονται, καὶ τέφραν. (r) *Deut.* xxxii, 32, 33. (s) Ἧς ἔτι μαρτύριον καπνιζομένη καθέστηκε χέρσος, καὶ ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτά. (t) *Ita Grotius.* (u) *Solin. Polyhist. loco citato.*
(x) Ἀπιστούσης ψυχῆς μνημεῖον ἑστηκυῖα στήλη ἁλός. (y) *Genes.* xxviii, 12, 17. (z) *Genes.* xxviii, 18, 21, 22. (a) *Genes.* xxxi, 11, 12. (b) *Genes.* xxxii, 24, 25. (c) *Genes.* xxxi, 11, 12.
(d) *Gr.* Εὐπόρησεν αὐτὸν ἐν μόχθοις. (e) *Genes.* xxxi, 7. (f) Ἐν πλεονεξίᾳ κατισχυόντων αὐτὸν παρέστη. (g) *Genes.* xxxi, 24. (h) *Genes.* xxxii, 4, 6; xxxiii, 4.

℣. 13. Hæc venditum justum non dereliquit, sed a peccatoribus liberavit eum: descenditque cum illo in foveam,

℣. 14. Et in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam adversùs eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, & dedit illi claritatem æternam.

℣. 15. Hæc populum justum, & semen sine querelâ, liberavit a nationibus, quæ illum deprimebant.

℣. 16. Intravit in animam servi Dei, & stetit contra reges horrendos in portentis, & signis.

℣. 17. Et reddidit justis mercedem laborum suorum, & deduxit illos in viâ mirabili: & fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem.

℣. 18. Transtulit illos per Mare rubrum, & transvexit illos per aquam nimiam.

℣. 19. Inimicos autem illorum demersit in mare, & ab altitudine inferorum eduxit illos.

℣. 20. Ideò justi tulerunt spolia impiorum,

COMMENTARIUS.

Inctatus, itaut claudus fieret, victor extitit, neque Angelum dimittere voluit, nisi postquam sibi ille benedixit (i). Hoc ille in certamine didicit, nullam vim resistere Sapientiæ; vel, ex Græco (k), *Religioni*, pietati: *Et sciret, quoniam omnium potentior est Sapientia*.

℣. 13. HÆC VENDITUM JUSTUM NON DERELIQUIT. Sapientia Josepho, fratrum invidiâ vendito, comes ubique fuit: ipsum protexit, adeò ut servitus & carcer proferendæ in lucem illius Sapientiæ servierint: tutata est adversùs heræ libidinem, quæ illius castitati insidiabatur; atque adversùs creduli nimis heri vim, qui catenis onustum in carcerem dedit: *A peccatoribus liberavit eum; descenditque cum illo in foveam*, in carcerem; at Josephus integram patronæ suæ fidem ubique servans, in quibuslibet vitæ conditionibus virtutem probatissimam, perfectamque prudentiam præ se tulit.

℣. 14. DONEC AFFERRET ILLI SCEPTRUM REGNI. Ægypti Regno potitum esse Josephum, minimè tradit Moyses; sed creditam illi a Pharaone regiæ domûs administrationem, absolutamque in Regnum universum authoritatem; ut unus Rex superior illo esset solio & dignitate (l): *Uno tantùm Regni solio te præcedam*. Hebræi omnes, inquit Grotius, magnas potestates Regni nomine, & eis fungentes Regum vocabulo sæpe appellant. Chananitidis mos ferebat, ut qui alicui urbi imperitarent, Regis nomine donarentur. Veteres quidam (m) Abrahamum, Moysem, Israëlem Reges nuncupavere.

POTENTIAM ADVERSUS EOS, QUI EUM DEPRIMEBANT, fratrum scilicet, a quibus venditus; Putipharis, cujus jussu in carcerem datus; heræ, a qua iniquissimè accusatus fuerat. Græcus fert (n): *Potestatem in eos qui tyrannicè dominabantur ei*; vel solùm, in dominantes ei, Putipharem scilicet, ejusque uxorem, quibus antea servierat.

℣. 15. HÆC POPULUM JUSTUM LIBERAVIT A NATIONIBUS. Judæos, qui nunquam Ægyptios læserant, quique sævissimâ servitute oppressi fuerant, Moysis sapientia, & Omnipotentis virtus liberavere.

℣. 16. INTRAVIT IN ANIMAM SERVI DEI, in animam Moysis, qui excellentiæ causâ *Servus Dei* (o) nuncupatur. Hac Sapientiâ instructus Reges coram adiit, innumerisque prodigiis claruit. *Reges* plurali numero ponit, quamvis coram uno Pharaone Moyses fuerit. At, uti diximus, Author Regis nomen Magnatibus tribuit.

℣. 17. REDDIDIT JUSTIS MERCEDEM LABORUM SUORUM; Judæis ex Ægypto mox egressuris imperans, ut vasa aurea & argentea mutuo ab Ægyptiis acciperent, quæ in pretium injustæ servitutis, quam Ægyptii ex Judæis exegerant, illi abstulerunt. Vide nos in Exodum, III, 22; XI, 2.

IN VIA MIRABILI, ET FUIT ILLIS IN VELAMENTO DIEI, ET IN LUCE STELLARUM NOCTE. Sapientiæ ac pietatis suæ consilio Deus columnam populo dedit ducem, qua per diem tegebantur, illustrabantur noctu; quippe quæ nubes esset per noctem fulgida, obscura verò & densa per diem (p). Hoc erat, quo Judæorum iter mirabile efficiebatur: *Deduxit eos in viâ mirabili*.

℣. 19. AB ALTITUDINE INFERORUM EDUXIT ILLOS. Meritò inferorum vel sepulcri nomine nuncupantur ea pericula, quæ Judæi subiere, primùm in Ægypto, deinde in litore Maris Rubri, ipsos persequentibus Pharaone & Ægyptiis; præsertim verò cùm Erythræi alveum siccis pedibus trajecerunt. Sanè Erythræi trajectio, quamvis periculo caruerit, terrore & monstro non caruit; mihique probabilissimum est, ex iis plures, qui Maris alveum ingressi sunt, ubi adversum litus tenuerunt, sese hominibus e sepulcro elapsis similes habuisse. Græcus (q): *Fecit ut ex profundo abyssi ebullirent illi*, uti fons e scaturigine. Hujus locutionis causâ hunc locum de trajectione Erythræi explicare necesse est.

℣. 20. DECANTAVERUNT, DOMINE, NOMEN SANCTUM TUUM, recitato carmine, *Cantemus Domino*

(i) *Genes.* xxxii, 25. (k) Ὅτι πάντων δυνατωτέρα ἐστὶν ἡ εὐσέβεια. (l) *Genes.* xli, 40. (m) *Justin. lib.* 36; *Nicolaus Damascen. apud Joseph. lib.* 1 *Antiqu. c.* 8. (n) Καὶ ἐξουσίαν τυραννούντων αὐτοῦ. (o) *Num.* xii, 7, 8; xxxiv, 5; *Josue*, 1, 2; 3 *Reg.* viii, 53; 4 *Reg.* xviii, 12; 2 *Par.* 1, 3; *Psal.* civ, 26, *& passim*. (p) *Vide Exod.* xiv, 20; *Psal.* lxxvii, 14. (q) Ἐκ βάθους ἀβύσσου ἀνέβρασεν αὐτούς.

℣. 21. Et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, & victricem manum tuam laudaverunt pariter: quoniam sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.

COMMENTARIUS.

mino glorioſè, ut felicis itineris gratias persolverent (r).

℣. 21. SAPIENTIA APERUIT OS MUTORUM, ET LINGUAS INFANTIUM FECIT DISERTAS. Trepidi mox Israëlitæ, cùm verba facere vix auderent, laboribus ac mœrore oppressi, ingenio rudes, & eloquentiâ carentes, voces tunc dare, tuasque, o Deus, laudes dicere inceperunt. Infantes ipsi gestientis animi indicia edere conabantur; ipsique muti, si fieri potuisset, linguam in laudes tuas solvissent (s).

CAPUT XI.

Sequitur narratio eorum, quæ a Sapientiâ Israëlitarum causâ post egressum ex Ægypto gesta sunt. Aqua, quam Moyses e rupe elicuit. Comparatio plagarum, quibus Deus Ægyptios afflixit, cum beneficiis, quibus Hebræos prosecutus est.

℣. 1. Direxit opera eorum in manibus prophetæ sancti.
℣. 2. Iter fecerunt per deserta, quæ non habitabantur: &
in locis desertis fixerunt casas.
℣. 3. Steterunt contra hostes, & de inimicis se vindicaverunt.
℣. 4. Sitierunt, & invocaverunt te, & data est illis aqua de petrâ altissimâ, & requies sitis de lapide duro.
℣. 5. Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum, a defectione
potûs sui, & in eis, cùm abundarent filii Israël, lætati sunt:
℣. 6. Per hæc, cùm illis deessent, bene cum illis actum est.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DIREXIT OPERA EORUM IN MANIBUS PROPHETÆ SANCTI, Moysis scilicet, de quo scriptum est (a): *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses; ore enim ad os loquor ei; & palam & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Et alibi (b): *Prophetam de gente tuâ & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Denique (c): *Non surrexit ultra Propheta in Israël, sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem.* Sanctissimum hunc virum Deus spiritu suo, Divino lumine & Sapientiâ instruxit, ut dux populo esset; gravissimoque hoc munere Moyses mirâ prudentiâ & felicitate functus est.

℣. 3. STETERUNT CONTRA HOSTES, ET DE INIMICIS SE VINDICAVERUNT; de Amalecitis, qui eam Israëlitarum partem, quæ exercitum vel lassitudine vel infirmitate sequi nequiverat, aggressi sunt (d); de Rege Arad, qui minimè lacessitus ipsos invasit (e); de Madianitis, quorum filiæ populum in libidinem & idololatriam pertraxere (f); de Og Rege Basan, & Sehon Rege Amorrhæorum, qui arma Israëlitis proficiscentibus intulerunt (g). Nemo Hebræis restitit, dum sub Moyse fuerunt, ejusque imperiis obsequuti sunt.

℣. 4. DATA EST ILLIS AQUA DE PETRA ALTISSIMA, & præruptâ; vel ex rupe, ubi lapidicinæ erant (h), ex amplâ vastâque rupe. Aquas e rupe bis elicuit Moyses; primùm ad Raphidim, paulò post egressum ex Ægypto (i); deinde ad Cades (k), sub itineris finem.

℣. 5. PER QUÆ ENIM POENAS PASSI SUNT INIMICI ILLORUM, A DEFECTIONE POTUS SUI, ET IN EIS, CUM ABUNDARENT FILII ISRAEL, LÆTATI SUNT. Defuit Ægyptiis in Ægypto aqua, eosque cruciavit sitis, cùm Moyses Nili aquas in cruorem verterit; gaudentibus interim Hebræis ubere aquarum copiâ, cùm illorum fontes corrupti non fuissent, eosque Moysis plaga non tetigisset. In solitudine (℣. 6.) infinitam erga populum clementiam exhibuit Deus, apertis silicis venis, cùm illi sitirent, uberrimâque aquarum copiâ illis suppeditatâ. Aliter profectò agit cum amicis atque cum inimicis Deus. Medias inter Nili aquas in sanguinem conversas, siti languebant Ægyptii, cùm ullo in loco, ipsisque met puteis subinde effossis potabiles aquas invenire non possent (l). At vix Hebræi in arenti desertâque regione voces ad Deum extulere, ubi aquâ indiguerunt, statim Deus aquarum torrentes illis dedit.

Græcus solùm legit (m); *Per quæ enim puniti sunt inimici eorum, per eadem ipsi indigentes beneficio affecti sunt*, Aquarum Nili in cruorem conversarum vitio puniti sunt Ægyptii; Hebræis datæ sunt in solitudine aquæ, e rupe eductæ. Illis justissimum fuit impietatis ac pervicaciæ suæ supplicium; his præmium fidei & obedientiæ.

℣. 7. NAM

(r) *Exod.* XV. (s) *Vide Dionys. & Castrens. hic.* (a) *Num.* XII, 6, 7. (b) *Deut.* XVIII, 15.
(c) *Deut.* XXXIV, 10. (d) *Exod.* XVII. (e) *Num.* XXI, 1. (f) *Num.* XXV, XXVI.
(g) *Deut.* III, 1, 2; XXIX. *Num.* XXI. (h) Ἐκ πέτρας ἀκροτόμου. (i) *Exod.* XVII, 2.
(k) *Num.* XX, 2. (l) *Exod.* VII, 20, 24. (m) ℣. 5. Δι' ὧν γὰρ ἐκολάσθησαν οἱ ἐχθροὶ αὐτῶν, ℣. 6. Διὰ τούτων αὐτοὶ ἀπορούντες εὐεργετήθησαν.

℣. 7. Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti injustis.

℣. 8. Qui cùm minuerentur in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperatè.

℣. 9. Ostendens per sitim, quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, & adversarios illorum necares.

℣. 10. Cùm enim tentati sunt, & quidem cum misericordiâ disciplinam accipientes, scierunt, quemadmodum cum irâ judicati impii tormenta paterentur.

℣. 11. Hos quidem tamquam pater monens probasti: illos autem tamquam durus rex interrogans condemnasti.

℣. 12. Absentes enim, & præsentes similiter torquebantur.

℣. 13. Duplex enim illos acceperat tædium, & gemitus cum memoriâ præteritorum.

℣. 14. Cùm enim audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus.

COMMENTARIUS.

℣. 7. Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis, humanum sanguinem dedisti. Æternus hic amnis, nunquam deficiens, Nilus est, celeberrimus Ægypti fluvius, cujus meritis pares reddi posse honores, præterquàm divinos, Ægyptii negabant. Sempiternum flumen appellat, torrentium comparatione, qui brevì deficiunt. Græcus ℣℣. 7 & 8 fert (n): *Nam pro fonte quidem perenni fluminis*, Ægyptii *tabido sanguine perturbati* sunt, *in pœnam mandati, quo pueros* Hebræorum *necari jusserunt. Dedisti eis aquam copiosam, præter spem.* Admissâ levi in Textum mutatione, commodius est legere (o): *Pro fonte perenni fluminis turbati tabido sanguine, in pœnam mandati, quo pueri omnes nece damnabantur, dedisti eis aquam uberrimam.*

℣. 8. Qui cum minuerentur in traductione infantium occisorum, dedisti illis abundantem aquam insperatè. Latinus Interpres addidit hæc verba, *cùm minuerentur*, quæ in Græco desunt. Hujus versiculi explicationem dedimus in ℣. superiorem. Duæ illæ voces, *cùm minuerentur*, ad Ægyptios (p) referendæ sunt, quorum numerus imminutus est illorum morte, quos sitis necavit; non ad Hebræos, quorum numerum minuere conabatur Pharao, pueris interfectis.

℣. 10. Cum enim tentati sunt, et quidem cum misericordia disciplinam accipientes. Siqua Hebræos mala in Ægypto oppressere, iis tentati sunt atque purgati. Neque diuturna tentatio fuit, neque unquam Divina illos misericordia penitus destituit. Puniit sanè illos Deus, at eâ severitate, quæ clementiâ miscebatur. At Ægyptios mera malorum illuvies, nullâ suavitate lenita, oppressit. Postquam decem plagis, quas clausit cædes primorum natu, in ipsos sæviit, Mari Rubro mersit, nemine ex tantis copiis superstite (q).

℣. 11. Tamquam durus Rex interrogans condemnasti, uti Rex severè puniens. Ad verbum (r): *Ut sævus Rex condemnans interrogasti*, vel *in quæstionem vocasti*. Interrogare, frequenter apud Sapientiæ Authorem (s), & Ecclesiasticum (t) hoc sensu usurpatur. Eadem hìc res sunt punire, torquere, interrogare.

℣. 12. Absentes enim et præsentes similiter torquebantur; absentibus æquè & præsentibus Hebræis, seu Moyse, torquebantur. Pharaonis Magi quædam præstigiis effecere, quæ Mosaicis prodigiis similia videbantur: ingens tamen inter utraque discrimen erat, quòd Moyses ea præstaret, quæ diu permanebant, totamque Ægyptum complectebantur, ne Magis quidem ipsis eâ peste liberis: at ea quæ Magorum veneficiis fiebant, brevissimo tempore, neque nisi Magis præsentibus, stabant, Hebræis prorsus innoxia. Vix jussit Moyses, cùm universa latè Ægyptus ranis aut muscis impleta est; absentesque non secùs ac præsentes iis pestibus vexabantur. Ipsa tamen orationis series postulat, ut in hunc sensum explicetur (u): Miserrimi semper erant Ægyptii, eosque Dei manus æquè opprimebat, præsentibus in Ægypto Hebræis, sive absentibus. Dum fuerunt in Ægypto Hebræi, variis decem plagis cecidit Ægyptios Deus; ubi abiere, hi furore efferri, atque invidiâ tabescere cœperunt, cùm gentis sibi invisæ ac despectissimæ felicitatem intuerentur.

℣. 13. Duplex enim illos acceperat tædium; primum, cùm præteritorum malorum, necisque hominum suorum ac bestiarum reminiscerentur; alterum, cùm Israëlitarum felicitatem inspicerent, postquam illi ex ipsorum manibus elapsi fuerant. Hinc pudor malorum, quibus despectissimæ gentis causâ obruebantur: inde invidia felicitatis, qua eadem gens tam multis argumentis Deo chara fruebatur. Vide ℣. 14.

℣. 14. Cum enim audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum. In Latino Textu ambiguus est locus, ita ex Græco explicandus (x): *Cùm enim intelligerent, ea quæ sibi supplicium fuerant, bona illis esse, Domini meminisse cœperunt.* Cùm audirent Ægyptii, uberes suppetere Israëlitis in solitudine aquas, quibus ipsi in patrio solo indigentes, olim siti cruciati fue-

(n) Ἀντὶ μὲν πηγῆς ἀεννάου ποταμοῦ, αἵματι λυθρώδει ταραχθέντες, εἰς ἔλεγχον νηπιοκτόνου διατάγματος, ἔδωκας αὐτοῖς δαψιλὲς ὕδωρ ἀνελπίστως. (o) Ποταμοῦ αἵματι λυθρώδει ταραχθέντος. *Sic legi vult Vatab.* (p) *Cantacuzen. Oser. Vatab. Jansen. Clarius*; *Cornel.* (q) *Psal.* CV, 11. (r) Ὡς ἀπότομος βασιλεὺς καταδικάζων ἐξήτασας. (s) *Sap.* II, 19: *Tormento interrogemus eum.* I, 9: *Impii interrogatio erit.* IV, 6; VI, 4, &c. (t) *Eccli.* XXIII, 11; XVI, 22. (u) *Ita Jans. Lorin. a Castro, Cornel.* (x) Ὅτε γὰρ ἤκουσαν διὰ τῶν ἰδίων κολάσεων εὐεργετουμένους αὐτούς, ᾔσθοντο τοῦ κυρίου.

℣. 15. Quem enim in expositione pravâ projectum deriserunt, in finem eventûs mirati sunt, non similiter justis sitientes.

℣. 16. Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, quòd quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias supervacuas, immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam:

℣. 17. Ut scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.

℣. 18. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materiâ invisâ, immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones,

℣. 19. Aut novi generis irâ plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scintillas emittentes.

COMMENTARIUS.

fuerant, cùm Moyses Nili aquas in cruorem converterit; cùmque simul conferrent ea quæ cum amicis, & ea quæ cum inimicis gessit, Dominum denique agnoscere coacti sunt, & ea quæ sibi contigerunt, a Dei potestate justitiâque gesta fuisse.

℣. 15. Quem enim in expositione prava projectum deriserunt, in finem eventus mirati sunt. Explicari hæc verba queunt de Moyse, in Nili alveo exposito, ob sævissimum Pharaonis edictum; vel de Hebræis, quos Ægyptii derelictæ inopisque gentis loco habuerunt. Græcus posteriori huic interpretationi magis favet (y): *Quem olim expositum abjectumque pro deplorato irridentes habuerant, ab extremo rerum eventu admirati sunt*; nimirum eam gentem, quæ natos exponere cogebatur, habebaturque ceu populus exitio destinatus, omnique spe destitutus.

Non similiter Justis sitientes (z), cùm viderent, quàm amplum discrimen esset inter sitim qua ipsi, & qua Justi cruciabantur; seu, quam ipsi in Ægypto tulerant, & quam Hebræi in solitudine ferebant. Illi Divinâ penitus ope destituti, sua inter mala relicti sunt, permittente Deo, ut repetitis puteis aquas nullibi invenirent (a): Hebræi in solitudine vix ad Deum voces extulere, statim uberes aquas illis largitus est Deus. Variantes quædam sunt in Latinis Codicibus, ex quibus colligendum videtur, varias etiam in Græco olim fuisse (b).

℣. 16. Pro cogitationibus insensatis iniquitatis illorum (c), quod quidam errantes colebant mutos serpentes, et bestias supervacuas. Ut Ægyptiorum insaniam impietatemque puniret Deus, in suæ illos libidinis potestate reliquit, permisitque, ut in superstitionem probrosissimam ruerent, quodlibet animalium genus colentes, angues etiam ferasque indomitas & venenatas. Asserit Ælianus (d), cultos olim fuisse ab Ægyptiis aspides; anguesque adeò perniciosos mites ac cicures in Ægyptiorum domibus fieri. Inter filios innoxii vivunt; eosque Ægyptii digitorum crepitu accersunt. Ubi cœnavere, cibum aspidi parant, eâdemque in mensâ similam melle & vino subactam exhibent. Tum ubi signum crepitu digitorum datum est, suis e forulis aspides prodeunt, atque ad mensam, quæ humillima est, accedunt; erectoque super mensam capite, paratas dapes comedunt, abeuntque. Sicubi Ægyptio noctu surgendum est, digitis crepat, ne quem aspidem calcet; auditoque crepitu, secedunt aspides, nullusque penitus obvius ambulanti est. De cæteris, quas colebant, belluis, res multo est notior, quàm ut in eâ immoremur.

Græcus fert solùm (e): *Colebant muta reptilia*, vel ratione carentia, *& viles bestias*, insecta, muscas, scarabæos, & quodlibet anguium genus. Vide Philonem (f), Tertullianum (g), Athenagoram (h), profanosque Scriptores, qui inanes Ægyptiorum superstitiones irrident.

Immisisti eis multitudinem mutorum animalium, ranas (i), muscas (k), locustas (l), sciniphes (m), seu pediculos.

℣. 17. Per quæ peccat quis, per hæc et torquetur. Consueta hæc est Divinæ Justitiæ lex, ut supplicii gravitatem gravitas criminis metiatur, pœnaque peccantis plerumque sit, illud ipsum, quod peccati aut instrumentum fuit aut materies. Minitatur Christus, eâ erga nos mensurâ sese usurum, quâ nos erga cæteros usi fuerimus (n). Et alibi (o): *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Jussisti, Domine, & ita est*, inquit S. Augustinus (p), *ut pœna sua sibi sit omnis inordinatus animus.*

℣. 18. Creavit orbem terrarum ex materia invisa, Græcè (q), *ex informi materiâ*. Hoc illud est, quod Moyses (r) nuncupavit *tohu*, & *bohu*, & Profani *Chaos*, molem informem, rudem indigestamque. Creatam initio materiam Deus in ordinem digessit, eoque statu, quem nunc habet, donavit. *Fide intelligimus*, inquit S. Paulus (s), *aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.*

℣. 19. Aut novi generis ira plenas bestias. Græcus ad literam (t): *Aut ira recens creata plenas feras ignotas*, seu veneni novi, medicis incogniti.

Aut fumi odorem proferentes. Græcus (u) fumum agitatum, atque cum impetu & fragore vibra-

(y) Ὃν γὰρ ἐν ἐκθέσει πάλαι ῥιφέντα ἀπεῖπον χλευάζοντες, ἐπὶ τέλει τῶν ἐκβάσεων ἐθαύμασαν.
(z) *Edit. Sixti* v, *Complut. Non similiter justis faciens.* (a) *Exod.* vii, 24. (b) Διψήσαντες, *Sitientes. Complut. & Sixti* v: *Faciens*, quasi legerint ποιήσαντες. (c) *Complut. & Sixti* v: *Iniquitates illorum.* (d) *Ælian. lib.* xvii *hist. animal. cap.* 5, *ex Phylarchi lib.* 12.
(e) Ἐθρήσκευον ἄλογα ἑρπετὰ, καὶ κνώδαλα εὐτελῆ. (f) *Philo de Decalogo; & in legatione ad Cajum*: Οἱ κύνας καὶ λύκους, καὶ λέοντας, καὶ κροκοδείλους, καὶ ἄλλα πλείονα θηρία, καὶ ἔνυδρα, καὶ χερσαῖα, καὶ πτηνὰ θεοπλαστοῦντες. *Et lib. de Decalogo*, p. 583. (g) *Tertull. Apolog. c.* 24; *& adversus Marcion. c.* 2. (h) *Athenag. Apolog. pro Christianis.* (i) *Exod.* viii, 2. (k) *Exod.* viii, 21.
(l) *Exod.* x, 4. (m) *Exod.* viii, 16. (n) *Luc.* vi, 38. (o) *Matt.* xxvi, 52. (p) *Aug. Confess. lib.* 1, *c.* 12. (q) Ἐξ ἀμόρφου ὕλης. (r) *Genes.* 1, 2. (s) *Hebr.* xi, 3.
(t) Νεοκτίστου θυμοῦ πλήρεις θῆρας. (u) Ἢ βρομοὺς λικμωμένους καπνοῦ.

℣. 20. Quarum non solùm læsura poterat illos exterminare, sed & aspectus per timorem occidere.

℣. 21. Sed & sine his uno spiritu poterant occidi, persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia in mensurâ, & numero, & pondere disposuisti.

℣. 22. Multum enim valere, tibi soli supererat semper: & virtuti brachii tui quis resistet?

℣. 23. Quoniam tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.

℣. 24. Sed misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.

℣. 25. Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.

℣. 26. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?

℣. 27. Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.

COMMENTARIUS.

vibratum, veluti qui e Vesuvio erumpit, aut quem Poëtæ a feris quibusdam ignivomis projici fabulantur (x):

Æripedes tauri Vulcanum naribus efflant.

Et quem Leviathan exhalat (y): *Sternutatio ejus splendor ignis, & oculi ejus ut palpebræ diluculi.* Quæ verba eamdem sententiam ferunt, ac quæ sequuntur: *Horrendas ab oculis scintillas emittentes.* Poëtica hæc sunt.

℣. 20. SED ET ASPECTUS PER TIMOREM OCCIDERE. Præter veneni & ferarum vim, solo spectrorum, monstrorumve aspectu necare poterat Ægyptios Deus; faciliùs etiam spiritu & minis: (℣. 21.) *Uno spiritu poterant occidi. Vidi eos* (impios), inquit Job (z), *flante Deo, periisse, & spiritu iræ ejus esse consumptos.*

℣. 25. OMNIA IN MENSURA ET NUMERO ET PONDERE DISPOSUISTI. Neque subitus est furor tuus, neque præceps, neque impetu aut præter modum fertur, nec levis aut inconstans est, uti hominum ira consuevit. Ulcisceris, at ex æquitatis legibus, cum modo, numero & pondere: unus enim ultionis tuæ tempus, causas & quantitatem nosti. Te non immoderatus animi æstus, non ira, non odium movent. Pœnas infers semper æquissimas, & criminum gravitati, & peccantium conditioni pares. Ita Jovem describunt Profani (a):

Jupiter ipse suas æquato examine lances
Sustinet, & fata imponit diversa duorum.

℣. 23. TAMQUAM MOMENTUM STATERÆ, SIC EST ANTE TE ORBIS TERRARUM. Græcus ad verbum (b): *Sicut inclinatio ex stateris*, scilicet, ut minimum quid, quod trutinæ lances movet, *universus mundus coram te.* Ex Isaia, XL, 12, 15, hæc comparatio desumpta est: *Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt.*

℣. 24. MISERERIS OMNIUM, QUIA OMNIA POTES, ET DISSIMULAS PECCATA PROPTER POENITENTIAM; scilicet vel ut illi pœnitentiam agant (c), vel ob pœnitentiam quam agunt. Ubi homines ad te pœnitentiâ redeunt, tu peccatorum oblivisceris. Tantisper ultionem differs, ut resipiscendi tempus illis relinquas. Poteras, o Deus, uno spiritu Ægyptios omnes perimere; idque illi criminibus merebantur: at parcere maluisti, ut virium, tuæque clementiæ amplitudinem in illis ostenderes. Connivet misericordia tua, & peccantes dum resipiscant præstolatur: at suus erit in alterâ vitâ infinitæ Justitiæ tuæ & potentiæ locus; totumque severitatis tuæ pondus sentient, qui clementiam contempserint.

℣. 25. NEC ENIM ODIENS ALIQUID CONDIDISTI. Creatas a se res, ut a se creatas, amat Deus: id tamen solummodò in illis amat quod ipse fecit. Peccatum, immoderatasque cupiditates, quibus opus suum deformatur, & constitutus a se ordo destruitur, non amat. Id quod libido & Diabolus in hominibus effecerunt, exhorret. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona (d).* Dei amor, & judicium, quo res creatas probat, bonas facit (e): hominum amor in eas jam bonas fertur.

℣. 26. QUOMODO QUOD A TE VOCATUM NON ESSET, CONSERVARETUR (f)? Quid te non jubente conservatur? vocare hoc loco est jubere, creare, ex nihilo producere. Eadem fermè sententia apud S. Paulum (g): Deus *qui vivificat mortuos, & vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* Mortuis æquè ac viventibus imperat. Canit Psalmista (h), Deum *vocare omnia* astra *de nomine.* Illis imperat, eaque coram venire jubet.

℣. 27. PARCIS OMNIBUS, QUONIAM TUA SUNT. Paratus semper es iis parcere, qui ad te pœnitentiâ revertuntur; patri similis, qui filios vel pervicacissimos amplecti non renuit, dum illos facti ex animo pœniteat. Idcirco igitur Ægyptios penitus non delevisti, quòd illos præstolareris ut resipiscerent; quòdque singuli hominum tui sint. Pater dominusque peccantium æquè ac justorum es; tibique quodammodo detrimento est, si qua impiorum anima suo ipsius crimine, suæque pervicaciæ causâ in exitium ruat. Vide caput XII, 20.

CA-

(x) *Metamorph.* 7. (y) *Job*, XLI, 9. (z) *Job*, IV, 8. (a) *Virgil. Æneid.* XII. (b) ὡς ῥοπὴ πλαστίγγων ὅλος ὁ κόσμος ἐναντίον σου. (c) *Ita Cantacuzen. Vat. Jansen. Osor. Cornel.* (d) *Genes.* I, 31. (e) *D. Thom.* 1 *parte*, *qu.* 20, *art.* 2. (f) Τὸ μὴ κληθὲν ὑπὸ σοῦ διετηρήθη. (g) *Rom.* IV, 17. (h) *Psal.* XLVI, 4.

CAPUT XII.

Mitissimus vel erga hostes Deus: illos, ut pœnitentiam agant, præstolatur, neque supplicio afficere festinat. Clementia, qua usus est in Chananæos, quamvis clementiâ indignissimos.

℣. 1. O Quam bonus, & suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!

℣. 2. Ideòque eos, qui exerrant, partibus corripis: & de quibus peccant, admones, & alloqueris ut relictâ malitiâ, credant in te, Domine.

℣. 3. Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti,

℣. 4. Quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina, & sacrificia injusta,

℣. 5. Et filiorum suorum necatores sine misericordiâ, & comestores viscerum hominum, & devoratores sanguinis a medio sacramento tuo.

COMMENTARIUS.

℣. 1. O QUAM BONUS ET SUAVIS EST, DOMINE, SPIRITUS TUUS IN OMNIBUS, erga omnes, vel in omnibus rebus. Capitis superioris appendix est; totus enim Liber unica oratio est. Commendatâ Dei clementiâ in Ægyptios, omnesque qui peccant, clamat: *O quàm suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus!* Superiùs animadvertimus (a), Dei Spiritum frequenter in hoc Libro pro Sapientiâ usurpari. Græcus exclamatione caret (b): *Nam spiritus tuus incorruptus est in omnibus.* Argumentum pro Spiritûs Sancti divinitate hinc ducit S. Athanasius (c). *Spiritum* hoc loco animam hominis significare, Grotius existimat. Ille spiritus, quem inseruisti hominibus, incorruptus est atque immortalis. Idcirco illum amas, veluti rerum a te creatarum nobilissimam, quam sedulò tueris. Præstolaris dum convertatur; cumque nonnisi invitus ex severitatis tuæ legibus punis.

℣. 2. IDEOQUE HOS QUI EXERRANT, PARTIBUS, paulatim, CORRIPIS. Pœnam inferre minimè festinat Deus; ut ii qui verentur ne hostis effugiat; neque uno impetu omnem in illos iram effundit, veluti qui animi æstu iràque rapiuntur. Denique præter modum non punit, ut ii solent, qui hostium exitium quærunt, Patris, Dei, Dominique more & authoritate punit Deus, puniti hominis salutem, correctionem ac vitam volens.

℣. 3. ILLOS ENIM ANTIQUOS INHABITATORES TERRÆ SANCTÆ TUÆ. Maximè omnium digni, quibus irascereris, Chananæi erant, Amorrhæi, veteresque Chananitidis incolæ. Quantâ verò usus in illos es misericordiâ?

℣. 4. PER MEDICAMINA ET SACRIFICIA INJUSTA. Non satis luculenter tradunt Historici, quod Magiæ genus in usu apud Chaldæos foret: illud tamen certò novimus, impia illorum sacrificia humanis plerumque victimis fieri consuevisse, præsertim verò suis ipsorum filiis, ut proximus versiculus docet: *Filiorum suorum necatores sine misericordiâ.* Græca vox (d) profana potiùs mysteria significat, quibus Ethnici initiabantur per magicas artes ac ritus profanissimos.

℣. 5. COMESTORES VISCERUM HOMINUM. Hoc Historici non tradunt. Phœnices, e priscis Chananæis ortos, Saturno & Baali humanis virorum puerorumque victimis litare consuevisse, nemo ignorat; cùm innumera supersint apud Scripturam & profanos ejusce rei argumenta: at victimarum hujusmodi viscera vorare solitos fuisse, nemo tradit.

ET DEVORATORES SANGUINIS A MEDIO SACRAMENTO TUO. Nulla hìc satis apta sententia sonat; qui enim fieri poterat, ut Chananæi, qui Deum minimè norant, sanguinem e mediis mysteriis vel Sacrificiis Deo oblatis vorarent? Sunt qui explicent; *Devoratores Sanguinis, adversùs Legem sanctam tuam.* At neque is est sensus, quem Græcus & Latinus præseferunt. Adde, quòd Chananæi ea, quæ Deus de cruore sanciverat, ignorabant; nisi Divinæ jussionis Noëmo post diluvium factæ (e) tradita per manus memoria ad ipsos usque pervenisse dicatur.

Non una est apud Græcum lectio. Romana editio (f): *Humanarum carnium epulum, & sanguinis de medio mysterii tui.* Complutensis (g): *Voratores viscerum humanarum carnium, & epulum sanguinis ex medio mysterii sacri tui.* Alii legunt (h): *Epulum sanguinis ex abominatione, & initiatos mysteriis cultûs tui*, vel mysteria cultûs tui celantes. Hæc obscurissima sunt. Sunt qui ferant (i): *Epulum sanguinis ex medio chorea Mænadum.* Satis constat, in Bacchi orgiis cruda exta, cruentasque carnes vorari consuevisse (k). Hæc fortasse vera est hujus loci explicatio. Vatablus legit (l): *Epulum sanguinis ex abominatione*, impuri, *Sacerdotesque fanaticos*, vel *Entheos*. Grotius (m): *Ex sce-*

(a) *Sap.* I, 5, 6, 7; VII, 7, 22. (b) Τὸ γὰρ ἄφθαρτόν σου πνεῦμά ἐστιν ἐν πᾶσι.
(c) *Athanas. ad Serapion.* (d) Διὰ φαρμακειῶν, καὶ τελετὰς ἀνοσίους. (e) *Genes.* IX, 4.
(f) Σπλαγχνοφάγων ἀνθρωπίνων σαρκῶν θοίναν, καὶ αἵματος ἐκ μέσου μυσταθείας σου.
(g) *Complut.* Σπλαγχνοφάγους ἀνθρωπίνων σαρκῶν, καὶ θοίναν αἵματος ἐκ μέσου μύστας θιάσου.
(h) Θοίναν αἵματος ἐκ μύσου, μύστας θιάσου. *Ita Aldin. Edit.* (i) *Plurimi Mss. apud Nobil.* Ἐκ μέσου μύστας θιάσου. (k) *Vide Clem. Alex. in Protreptico. Lucian.* Προσλαλιά; *Porphyr. de abst. l.* 3; *Arnob. contra Gentes, lib.* 5, *&c.* (l) *Vatab.* Θοίναν αἵματος ἐκ μύσου, μύστας θιασμοῦ.
(m) Θοίναν αἵματος, ἐκ μύσου μύστας θιασμοῦ.

℣. 6. Et authores parentes animarum inauxiliatarum, perdere voluisti per manus parentum nostrorum,

℣. 7. Ut dignam perciperet peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior est terra.

℣. 8. Sed & his tamquam hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitûs tui vespas, ut illos paulatim exterminarent.

℣. 9. Non quia impotens eras in bello subjicere impios justis, aut bestiis sævis, aut verbo duro simul exterminare:

℣. 10. Sed partibus judicans, dabas locum pœnitentiæ, non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.

COMMENTARIUS.

scelerato afflatu mystas. Ipsa orationis series legendum jubet: *E medio Terra sancta tua.* Accipe ℣℣. 5, 6. Chananæos oderas .... *Voratores viscerum humanorum, & comestores sanguinis in conviviis, in medio Terra Sancta tua, & filiorum suorum interfectores, perdere voluisti per manus parentum nostrorum (n).*

℣. 6. Et authores, interfectores, parentes animarum inauxiliatarum. Græcus verti potest (o): *Parentes qui manu suâ occidunt animas* filiorum, *auxilio destitutas.* Filios suos solemni ritu mactabant patres, ut fusiùs in dissertatione de Moloch docuimus. Alii vel exponebant, vel alienis vendebant.

℣. 7. Ut dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior est terra; ut hæc tellus, quæ tibi carissima omnium est, hæreditas filiorum Dei fieret. Terram hanc impuris reliquiis purgare voluisti, pulsis Chananæis, introductoque populo quem amas. Græcus (p): *Ut* hæc terra *acciperet dignam se coloniam filiorum Dei.* Coloniæ nomen totam Authoris mentem explicat.

℣. 8. Sed at his tamquam hominibus pepercisti. Non omnem in Chananæos severitatem exercuit Deus, quam merebantur; neque illicò eos perdere voluit. Unam hujus consilii causam prodit Author, infinitam illius misericordiam, quæ in Chananæos, ut eos e regione pelleret, vesparum atque crabronum exercitu usa est, cùm omnes illicò delere posset, armis furiisque Israëlitarum expositos. Alias tamen alibi causas tradit Scriptura; primam, ut valido Israëlitas auxilio adversùs Chananæos instrueret; muscis nempe illos exagitantibus, in iis etiam locis, quo Israëlitarum arma pervenire non possent (q). *Donec deleat omnes qui te fugerint, & latere potuerint.* Alteram, ut Chananæi paulatim pellerentur, neque regio statim inculta relinqueretur (r). Hanc etiam causam innuit Sapiens: *Ut illos paulatim exterminarent.* Mirifica planè res est, quam hîc legimus. At alia supersunt apud Historicos exempla gentium aut exercituum muscis fugatorum. Neminem latet, S. Jacobum Nisibitanum, missâ muscarum nube, Persarum exercitum in fugam convertisse (s). Posterioribus hisce sæculis, in quibusdam Urbium obsidionibus apum examina legimus, aut igne aut fumo irritata in obsessores. Hac arte usi sunt Albæ Græcæ cives adversùs Amuratis, Turcarum Imperatoris, copias (t); & oppidi Xiamaticensis, quod appellant *Ternli* in Mauritaniâ; incolæ, cùm a Lupo Barrigâ, copiarum Lusitaniæ Regis Imperatore, obsiderentur (u).

℣. 9. Aut verbo duro. Dei Verbum inducit ceu animâ instructum, divinisque jussionibus obtemperans. Ita (x) scribit, Israëlitas ab anguibus in solitudine vulneratos, non medicorum arte, vel herbarum vi, sed uno Dei verbo convaluisse: *Sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia.* Et de primoribus natu Ægyptiorum agens (y), ait, Dei verbum e Cœlo lapsum, in illos ruisse, ceu victorem. Centurio Christum orat (z), ne in domum suam veniat, sed ut verbo suo imperet, ipsumque mittat, quo uno fore ut puer sanus fiat.

℣. 10. Partibus judicans, dabas locum pœnitentiæ; non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, at naturalis malitia ipsorum. Græcus (a): *Judicans paulatim*, vel damnans, *dabas locum pœnitentiæ: non ignorans, pravam esse eorum generationem, & insitam in ipsis esse malitiam eorum*: malos esse origine, longâque ætate corruptos; ipsorum majores gentem fuisse maledicto, & anathemati devotam. Ita de Chananæis hîc agit, ut solet Scriptura: *Semen maledictum ab initio* (℣. 11.). Noë Chanaanum Chami filium maledicto devovit (b); omnesque miserrimi Patris posteri omnium hominum maximè detestabiles habiti sunt. Scelus veluti ex ipsâ illorum naturâ oriebatur: adeo profundas radices inter illos egerat. Libidinem neque leges neque exempla cohibebant: publica erat, publicamque ex usu authoritatem habebat (c). Nemo non peccati reus nascitur: & Chanaani stirps primo peccato, malæque in crimen propensioni, quam ex origine ducimus, habitudinem, & licentiam addebant, ut ii, qui apud Prophetam (d), *alienati sunt a vulvâ, erraverunt ab utero.*

Non poterat mutari cogitatio illorum. Obfirmatum in malo animum in illis videbas; noverasque illos corrigi aut fieri meliores nolle. Potuissent quidem ad meliorem frugem reverti, si vellent: at noverat Deus, illos concesso ad pœnitentiam tempore ac loco minimè usuros: *Partibus judicans, dabat eis locum pœnitentiæ.*

(n) *Vide, si placet, Edit. Complut. hîc, Hugon. a Castro, alios.*
(o) Αὐθέντας γονεῖς ψυχῶν ἀβοηθήτων. *Quid. legunt*, αὐθέντας φονεῖς.
(p) *Græc.* Ἵνα ἀξίαν ἀποικίαν δέξηται Θεοῦ παίδων, *&c.* (q) *Deut.* VII, 20. *Vide & Josue*, XXIV, 12.
(r) *Exod.* XXIII, 28, 29. (s) *Theodoret. Philoth. c.* 2. (t) *Bonfin. l.* 4 *decad.* 3.
(u) *Osor. lib.* 8 *de Rebus Emmanuel.* (x) *Sap.* XVI, 12. (y) *Sap.* XVIII, 15. (z) *Matt.* VIII, 8.
(a) Κρίνων δὲ κατὰ βραχὺ ἐδίδους τόπον μετανοίας, οὐκ ἀγνοῶν ὅτι πονηρὰ ἡ γένεσις αὐτῶν, καὶ ἔμφυτος ἡ κακία αὐτῶν. (b) *Genes.* IX, 25. (c) *Vide Aug. lib.* 2 *de nuptiis & concupis. c.* 8.
(d) *Psal.* LVII, 4.

℣. 11. Semen enim erat maledictum ab initio: nec timens aliquem,
veniam dabas peccatis illorum.
℣. 12. Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? aut quis stabit contra
judicium tuum? aut quis in conspectu tuo veniet vindex ini-
quorum hominum? aut quis tibi imputabit, si perierint natio-
nes, quas tu fecisti?
℣. 13. Non enim est alius Deus quàm tu, cui cura est de omni-
bus, ut ostendas, quoniam non injustè judicas judicium.
℣. 14. Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de
his, quos perdidisti.
℣. 15. Cùm ergo sis justus, justè omnia disponis: ipsum quoque, qui
non debet puniri, condemnare, exterum æstimas a tuâ virtute.
℣. 16. Virtus enim tua justitiæ initium est: & ob hoc quòd omnium
Dominus es, omnibus te parcere facis.
℣. 17. Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtu-
te consummatus, & horum, qui te nesciunt, audaciam traducis.

COMMENTARIUS.

℣. 11. NEC TIMENS ALIQUEM, VENIAM DABAS PECCATIS ILLORUM (e); vel illis parcebas, vel impunitatem dabas. Re quidem verâ minimè illis pepercit Deus; at supplicium differebat, quasi criminum illorum oblitus. Sive autem puniat, sive parcat, nullus unquam Deo est hominis metus aut favor, cupiditas aut odium. Chananæi omnes simul collecti supremum judicem, nedum terrere, verum etiam ne leviter quidem movere poterant. Omnes plerumque in ultionem feruntur vel irâ, vel ut impiorum audaciam coërceant, nocendique cæteris potestatem illis auferant. Nihil horum Deum movet. *Amas, o Deus, nec æstuas; zelas, & securus es; pœnitet te, & non doles; irasceris, & tranquillus es (f).*

℣. 12. QUIS ENIM DICET TIBI; QUID FECISTI? Si injustus foret Deus, absolutâ, infinitâque potentiâ cùm sit, quid agere non posset? Cui licet ipsum interrogare, cur aliquid egerit? aut cui de ipsius judiciis, vel jussionibus queri? Illud nobis solatio est, o Deus, quòd justitiam tuam, tuamque misericordiam potentiæ tuæ pares esse noverimus; tuoque sub imperio neminem, nisi volentem, perire, aut miserum esse. Quamquam autem dicere non potest lutum figulo; Quid me ita fecisti (g)? nos tamen certò scimus, res nostras nonnisi ex legibus absolutissimæ justitiæ a te decerni, teque supremo dominio, quod creatoris jure in nos obtines, nonnisi ex infinitæ misericordiæ modo erga nos uti.

℣. 14. NEQUE REX, NEQUE TYRANNUS IN CONSPECTU TUO INQUIRENT DE HIS QUOS PERDIDISTI. Cùm punis, aut præmio afficis, id ex tuâ voluntate est; & nemini ferre de tuis judiciis sententiam licet. Græcus (h); *Neque Rex aut Tyrannus* (hæc vox invidiosa non est hoc loco) *intueri contra te poterit de iis, quos tu punieris.*

℣. 15. IPSUM QUOQUE, QUI NON DEBET PUNIRI, CONDEMNARE, EXTERUM ÆSTIMAS A TUA VIRTUTE. *Hæc massa hominum si esset ita media, ut quemadmodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur, non frustra videretur iniquitas, ut ex eâ fierent vasa in contumeliam (i).* Veteres quidam (k) hunc locum aliter legunt; *Ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnas, & exterum æstimas a tuâ virtute.* Aliquod iniquitatis genus tribuere videtur Deo hic locus ita explicatus, cùm puniri dicat a Deo, ceu criminis reum, illum qui innoxius est: *Ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnas.* S. Gregorius Magnus (l) de Jesu Christo interpretatur, qui naturâ innocens, mortis sententiam subiit, quam Pater dixit in homines, quorum ipse fidejussor esse voluit. Alii (m) de peccato originis explicant, quo omnes inficimur, quamvis ipso actu paterni criminis participes non fuerimus. Sunt qui male utantur hoc loco, ut absolutum damnationis decretum afferant, adversùs reprobos pronunciatum, nullâ ratione habitâ, sive originalis peccati, sive massæ corruptæ, quâ continentur. At loci in priscis Exemplaribus vitiati, atque optimè in Vulgatâ ex Græco restituti (o), sensum operosiùs scrutari, superfluus & inanis est labor.

℣. 16. VIRTUS ENIM TUA JUSTITIÆ INITIUM EST; ET AB HOC, QUOD OMNIUM DOMINUS ES, OMNIBUS TE PARCERE FACIS. Hominum vires plerumque iniquitatis ipsorum principium & origo sunt, quippe qui authoritate abutantur: at in Deo justitia & æquitas a potentiâ minimè sejungitur; utraque enim hæc virtus ex essentiâ illius sunt: Quia justus est, & punit, & parcit: quia omnia ipsius sunt, erga omnes clemens est & misericors: neque prorogandi imperii cupiditate, neque injurias vindicandi libidine, neque præcipiti consilio irâve Deus impelli in iniquitatem potest. Quicquid est, ipsius est; omnia ille potest: omnia tempora, omnesque homines suâ sub potestate continet.

℣. 17. HORUM QUI TE NESCIUNT, AUDACIAM TRADUCIS. Justitia tua in hos irascitur; eorum superbiam deprimis, ostendisque, infinitas esse vires tuas, dum judicium eâ tranquillitate animi, eâque maturitate exerces, quæ unum eventuum temporumque Dominum decet: *Tu autem cum tranquillitate judicas.* ℣. 18.

℣. 18. Tu

(e) Οὐκ εὐλαβούμενός τινὰ ἐφ' οἷς ἡμάρτανον, ἄδειαν ἐδίδους.
(f) *Aug. Confess. lib. 1, c. 4.* (g) *Isai.* XLV, 9; LXIV, 8. (h) Οὔτε βασιλεὺς, ἢ τύραννος ἀντοφθαλμῆσαι δυνήσεταί σοι περὶ ὧν ἐκόλασας. (i) *Aug. ep. 106.* (k) *Ita Edit. Complut. Greg. Mag. Lyr. alii innumeri impressi & Mss.* (l) *Greg. Magn. lib. 3 Moral. c. 11.* (m) *Lyran.*
(n) *Durand. Greg. Marsil. alii apud Cornel. a Lapide, hic.* (o) Τὸν μὴ ὀφείλοντα κολασθῆναι, καταδικάσαι ἀλλότριον ἡγούμενος τῆς σῆς δυνάμεως.

℣. 18. Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate judicas, & cum magnâ reverentiâ disponis nos: subest enim tibi, cùm volueris, posse.

℣. 19. Docuisti autem populum tuum per talia opera, quoniam oportet justum esse, & humanum, & bonæ spei fecisti filios tuos: quoniam judicans das locum in peccatis pœnitentiæ.

℣. 20. Si enim inimicos servorum tuorum, & debitos morti, cum tantâ cruciasti attentione, dans tempus, & locum, per quæ possent mutari a malitiâ:

℣. 21. Cum quantâ diligentiâ judicasti filios tuos, quorum parentibus juramenta, & conventiones dedisti bonarum promissionum?

℣. 22. Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, ut bonitatem tuam cogitemus judicantes: & cùm de nobis judicatur, speremus misericordiam tuam.

℣. 23. Unde & illis, qui in vitâ suâ insensatè & injustè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dedisti summa tormenta.

℣. 24. Etenim in erroris viâ diutiùs erraverunt, deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt supervacua, infantium insensatorum more viventes.

℣. 25. Propter hoc tamquam pueris insensatis judicium in derisum dedisti.

℣. 26. Qui autem ludibriis, & increpationibus non sunt correcti, dignum Dei judicium experti sunt:

℣. 27. In quibus enim patientes indignabantur, per hæc quos putabant deos, in ipsis cùm exterminarentur videntes, illum, quem olim negabant se nosse, verum Deum agnoverunt: propter quod & finis condemnationis eorum vênit super illos.

COMMENTARIUS.

℣. 18. TU AUTEM, DOMINATOR VIRTUTIS..., CUM MAGNA REVERENTIA DISPONIS NOS, cum magnâ parcitate. Græcus (p): *Summâ cum misericordiâ nos gubernas*, minimè timens, ne infirmitas esse credatur ea indulgentia, quâ erga nos uteris, cùm tu omnipotens Dominator sis, *Dominator virtutis*; vel, Dominator Omnipotentiæ (q), ex quo Imperium omne, omnisque potestas in Cœlo & in terrâ oritur.

SUBEST ENIM TIBI, CUM VOLUERIS, POSSE. Impiorum audaciam coërcere, ipsosque punire non festinas, cùm optimè scias, neminem potestati tuæ subtrahi posse, tuâque semper in potestate esse, illos coram accersere, & ex rebus gestis punire. Minimè sibi nocet Deus, dum illos expectat, ut resipiscant; brevisque paucorum dierum impunitas impiis inutilis est. Justitiæ tarditatem supremus judex supplicii magnitudine æquabit.

℣. 19. BONÆ SPEI FECISTI FILIOS TUOS, scilicet, bonam spem das filiis tuis, quòd pœnitentiæ locum concedis. Si omnem justitiæ severitatem exereres, cùm judicium in hominem exerces, quis vel ex filiis tuis veniam sperare posset, vel sibi blandiri, sese justum coram te esse? Cùm verò clementiam, quâ erga hostes uteris, intuentur, quantus est bonæ spei locus? Sub bono Deo, nemini de veniâ desperandum est.

℣. 23. PER HÆC QUÆ COLUERUNT, DEDISTI SUMMA TORMENTA. Philistæi, ac fortasse etiam Chananæi, colebant muscas, *Beelzebub*, seu Deum

muscam (r), de quo frequenter Scriptura. Ut illos per ea quæ colebant, punires, muscarum exercitum in illos misisti, quibus cruciati pellerentur. Vide superiùs, ℣. 8.

℣. 24. DEOS ÆSTIMANTES HÆC, QUÆ IN ANIMANTIBUS SUNT SUPERVACUA, animalium vilissima. Muscam sub Beelzebub, piscem sub Dagonis nomine Chananæi adorabant. Cùm finitima esset Ægyptiis Palæstina, magnam illorum superstitionis partem ex iis didicit. Ingressus in Templum Ezechiel (s), malos Israëlitas in spiritu vidit, omnia reptilium & animalium genera in pariete picta venerantes. *Ecce omnis similitudo reptilium, animalium abominatio, & universa Idola domûs Israël depicta erant in pariete.* Græcus (t): *Pro diis habentes illa animantium, quæ ab inimicis contemptui habentur*, scilicet animalia vilissima, contemptu dignissima, atque homini maximè inimica.

℣. 25. JUDICIUM IN DERISUM DEDISTI. Cùm ridiculis puerilibusque erroribus implicarentur, translato ad vilissima reptilia cultu, qui uni Deo debebatur; ridiculis quodammodo suppliciis illos afflixisti, misso vesparum exercitu, quæ ipsos invaderent, & undique exagitarent.

℣. 26. QUI AUTEM LUDIBRIIS NON SUNT CORRECTI, DIGNUM DEI JUDICIUM EXPERTI SUNT. Chananæi, qui primâ hac muscarum plagâ moniti non resipuerunt, graviorem bello per Josue illato passi sunt.

℣. 27. IN QUIBUS ENIM PATIENTES INDIGNABAN-

(p) Καὶ μετὰ πολλῆς φειδοῦς διοικεῖς ἡμᾶς. (q) Σὺ δὲ δεσπόζων ἰσχύος. (r) Vide nostram Dissertationem de origine Philisthæorum, eorumque Numinibus, ad primum Regum. (s) *Ezech.* VIII, 10. (t) Τὰ καὶ ἐν ζώοις τῶν ἐχθρῶν ἄτιμα.

BANTUR (u), PER HÆC, QUOS PUTABANT DEOS, IN IPSIS CUM EXTERMINARENTUR, VERUM DEUM AGNOVERUNT. Cùm Chananæi infestas sibi vespas experirentur, quas divinis honoribus colebant, Hebræorum Deum unum verum Deum esse fateri coacti sunt. Neque tamen credas, illos ab impia Religione recessisse; sed contumaces licèt, coacti sunt fateri, Deum Israëlis cæteris Numinibus præstantiorem esse, suosque Deos merum esse nihil, Religionemque inanem esse superstitionem. Deum agnovere, sed non coluerunt. *Qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*, inquit S. Paulus (x), de Ethnicis generatim loquens. *Propter quod & finis condemnationis venit super illos*. Cùm in scelere contumaces perseverarent, atque agere pœnitentiam renuerent, latam in illos damnationis sententiam jussit expleri Deus; ipsique anathemate & excidio mulctati sunt.

CAPUT XIII.

Idolorum inanitas. Error eorum qui ea colunt. Profanorum Numinum infirmitas.

℣. 1. VAni autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex:

℣. 2. Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut solem, & lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VANI AUTEM SUNT OMNES HOMINES, IN QUIBUS NON SUBEST SCIENTIA DEI. Hoc argumentum est, toto hoc capite, tribusque sequentibus pertractandum. Profanorum Numinum inanitatem, eorumque cultorum errorem miseramque conditionem ostendit. Hæc argumento serviunt, quod sibi primum Scriptor proposuit, ut Sapientiam, Pietatem, Religionem commendet, ac Principes præsertim Magnatesque ad illarum amorem atque obsequium alliciat. Id autem assequitur, dum impietatis insaniam & fraudes demonstrat, & mala, quò veri Dei oblivio & ignorantia homines trahit. Si primum hoc cujuslibet veritatis, Religionis & Sapientiæ principium ignoretur, quilibet homo nihil est; scientiæ omnes, tenebræ; merusque error, Philosophia. Scientiam omnem, præterquàm Crucis, ab se abdicat S. Paulus (a): *Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum*. Cùm omnes Philosophorum sectas, hominumque scientias S. Justinus Martyr expertus esset, sacros denique Libros inveniens, cætera omnia dimisit, ut eos sequeretur. Didicit quippe, nullam esse sapientiam, aut scientiam, aut Philosophiam, ubi Dei notitia & cultus absit (b). Græcus legit (c): *Vani enim sunt omnes homines naturâ*, præsertim ii, *in quibus inest ignoratio Dei*.

ET DE HIS QUÆ VIDENTUR BONA (d), NON POTUERUNT INTELLIGERE EUM QUI EST. Cùm profani rerum creatarum pulcritudinem, præstantiam, ac bonitatem viderent, admirati sunt; at Creatoris cognitionem ex iis assequi non potuerunt; vel, si assequuti sunt, illum minimè coluerunt, neque debitum illi obsequium detulere. Sterilis scilicet illorum scientia fuit. *Qui cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt* (e).

℣. 2. SED AUT IGNEM, AUT SPIRITUM... DEOS PUTAVERUNT. Cùm rerum, quarum pulcritudinem intuebantur & commoda sentiebant, principium quærere deberent, res vilissimas & sensibus obnoxias quæsivere. Nimirum divinis honoribus elementa, astra, animalia, suaque ipsorum opera prosequuti sunt. Plures fuere, qui ignem venerarentur, quo majus Numen nullum Persis fuit, idemque religioso cultu apud Ægyptios sacer fuit. Vulcanum ignis Deum, & Vestam foci præsidem Græci & Latini adorabant.

SPIRITUM, ventum, Eurus, Boreas, Auster, Zephyrus Deorum loco plures apud populos habiti sunt. Æolus ventorum Deus putabatur. Circium colebant Galli, teste Senecâ (f), illique Augustus, cùm in Gallia esset, fanum vovit ac dedicavit. Ajebant Ægyptii (g), Jovem esse spiritum seu ventum, quo omnia pervaduntur (h).

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, &c.

AUT CITATUM AEREM, vel tenuissimum. Hoc fortasse est, quod mox *spiritum* appellavit. Apud Ethnicos (i) Jupiter dicebatur *Æther*, aër sublimissimus; Juno, *Aër*, scilicet infimus. Crimini datum est Socrati, quòd Cœlum ac nubes minimè coleret (k). Hujus superstitionis accusat Hebræos Juvenalis (l):

Nil præter nubes & Cœli numen adorant.

AUT GYRUM, circulum, STELLARUM (m), astrorum multitudinem. Sunt qui hunc circulum interpretentur Zodiacum, sunt qui Pleiades. Ethnicorum vetustissimi astra præsertim venerabantur; eaque antiquissima omnium est & communissima superstitio. Israëlitæ arguuntur apud Scripturam, quòd finitimorum imitatione militiam Cœli frequenter coluerint, stellas scilicet, quarum Rex Sol esset, Regina Luna. Planetas septem de totidem Numinum suorum majorum nomine appellabant.

AUT NIMIAM AQUAM, aquarum collectionem. Mare, Oceanus Numinis loco adorabatur, uti & Neptu-

(u) Codices plures ferunt: *In his enim quæ patiebantur, molestè ferebant*. Complut. *In quibus impatientes erant*. Sixti v: *In his enim quæ patiebantur, molestè ferebant, in quibus autem patientes erant*.
(x) *Rom.* 1, 21. (a) 1 *Cor.* 11, 2. (b) *Justin. dialog. cum Tryphone, initio*. (c) Μάταιοι μὲν γὰρ πάντες ἄνθρωποι φύσει, οἷς παρῆν Θεοῦ ἀγνωσία. (d) *Complut. Et de his quæ non videntur, &c.*
(e) *Rom.* 1, 21. (f) *Senec. lib. 5 natural. quæst. c.* 17. (g) *Euseb. præp. lib.* 3, *c.* 2. (h) *Virgil. Æneid.* VI.
(i) *Aug. lib. 4 de civit. c.* 11. (k) *Vide Aristophan. Nubibus*. (l) *Juvenal. Satyr.* 14, *v.* 97.
(m) Ἢ κύκλον ἄστρων.

℣. 3. Quorum si specie delectati, deos putaverunt: sciant, quantò his dominator eorum speciosior est: speciei enim generator hæc omnia constituit.

℣. 4. Aut si virtutem, & opera eorum mirati sunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis:

℣. 5. A magnitudine enim speciei, & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.

℣. 6. Sed tamen adhuc in his minor est querela. Et hi enim fortasse errant, Deum quærentes, & volentes invenire.

℣. 7. Etenim cùm in operibus illius conversentur, inquirunt: & persuasum habent, quoniam bona sunt, quæ videntur.

℣. 8. Iterum autem nec his debet ignosci.

℣. 9. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum: quomodo hujus Dominum non faciliùs invenerunt?

COMMENTARIUS.

Neptunus, Thetis, Triton, Nereus ac Nereides. Nilum Ægyptii inter Deos recensuerant. *Aquam Ægyptii*, ait Philo (n), *præcipuè colebant, principium esse omnium quæ facta sunt, existimantes*; quamobrem ab aquis Ægyptios puniendi exordium duxit Deus, illis in eruorem versis. Simoënta & Scamandrum, Trojæ fluvios, ceu Deos, nominat Homerus.

Aut solem et lunam, rectores orbis terrarum. Solis Lunæque cultus vetustissimus omnium est apud Profanos. Toto oriente variis sub nominibus colebantur. Baal, Astarte, Rex & Regina Cæli, Isis & Osiris eadem res erant, nempe Sol & Luna. Ea superstitio ad Græcos ac Romanos transiit, quibus Sol sub Titanis, Phœbi & Apollinis, Luna sub Dianæ, Lucinæ, &c. nominibus noscebantur. Prophetæ passim Israëlitas arguunt, quòd cultum hisce rebus impenderent.

℣. 3. Quorum si specie delectati, Deos putaverunt, ex ipsâ illorum specie colligant, quanto igitur pulerior ille sit, qui ea condidit. Si horum corporum fulgor vos movet, cur primum illorum Authorem non quæritis, Deum scilicet, pulcritudinis fontem & originem (o)?

. . . . *Tu cuncta superno*
Ducis ab exemplo; pulcrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens, similique in imagine formans.

Cælum & terra, inquit S. Augustinus (p), *& omnia quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles*. Et alibi (q): *Serò te amavi, pulcritudo tam antiqua & tam nova, serò te amavi. Et ecce intus eras, & ego foris, & ibi te quærebam, & in ista formosa quæ fecisti, deformis irruebam.*

℣. 5. A magnitudine speciei cognoscibiliter poterit creator horum videri. Eadem ferè sententia, quæ apud S. Paulum (r): Creator, quamvis oculis minimè obnoxius, per res sensibus subjectas agnoscitur: *Invisibilia enim Dei, a creaturâ mundi, per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*. Græci Codices hac in re minimè sibi constant. Alii (s): *Nam ex magnitudine, & pulcritudine, & creaturæ proportione creator horum conspicitur*. Alii (t): *Ex magnitudine pulcritudinis creaturarum*. *Quis est tam vecors*, inquit Tullius (u), *qui cùm suspexerit in Cælum, Deos esse non sentiat, & ea, quæ tantâ mente fiunt, ut vix quisquam arte ullâ ordinem rerum ac necessitatem persequi possit, casu fieri putet, aut cùm Deos intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum Imperium esse natum, & auctum, & retentum? Cæli enarrant gloriam Dei*, ait Psalmista (x); horum vox toto in Orbe sonat; ipsique gloriam Conditoris ubique prædicant; illiusque operum magnificentiam celebrat Firmamentum. Ignorantia, quam causantur impii, qualibet excusatione caret; quicquid oculis obnoxium est, Divinitatis est argumentum.

℣. 6. In his minor est querela. Quamvis gravissima sit illorum cæcitas, & error ratione penitus careat, major tamen illis excusationis locus est, quàm iis, qui sua ipsorum opera venerantur. Sol, Luna, Astra res profectò ingentes sunt, quæ obsequium postulant; sua est elementis utilitas: at ligno, lapidibus, metallis hominum manu elaboratis, effictis, ornatis, nostrâque ipsorum operâ collocatis quæ utilitas est aut quæ virtus?

℣. 9. Si enim tantum potuerunt scire, ut possent æstimare sæculum, mundi ordinem: quomodo hujus Dominum non faciliùs invenerunt? Hoc certè illud est, quod nemo satis mente assequi potest, omnemque excusationem homini aufert. Potuit homo suo ipsius ingenio, industriâ, labore naturæ arcana, ventorum causas, ordinem Cœlorum, astrorum motum agnoscere; unum rerum Creatorem non agnovit, reclamantibus licèt Creaturis (y): *Me fecit Deus*. Minori certè opus erat studio ac meditatione, ut disceremus, ea quæ cernimus, ex se ipsis facta esse, supremum proinde absolutumque esse Creatorem, quàm ut tot mira naturæ effecta & mysteria cognosceremus.

℣. 10. In-

(n) *Philo lib. 1 de vitâ Mosis*: Τὸ ὕδωρ Αἰγύπτιοι διαφερόντως ἐκτετιμήκασι, ἀρχὴν τῆς τῶν ὅλων γενέσεως τοῦτο εἶναι νομίζοντες. (o) *Boët. l. 3 de Consol. Philos. metro 9.*

(p) *Aug. Confess. lib. x, c. 6.*

(q) *Idem, Confess. l. x, c. 27.* (r) *Rom. 1, 20.*

(s) *Complut.* Ἐκ γὰρ μεγέθους, καὶ καλλονῆς, καὶ κτισμάτων ἀναλόγως ὁ γενεσιουργὸς αὐτῶν θεωρεῖται.

(t) *Rom.* Ἐκ γὰρ μεγέθους καλλονῆς κτισμάτων ἀναλόγως, &c.

(u) *Tull. de Haruspic. Responsis.*

(x) *Psalm. xviii, 2.* (y) Στοχάσασθαι τὸν αἰῶνα, *Conjecturâ capere sæculum*, sive album ictu figere. Hebræi quandoque mundum nuncupant עולם *Sæculum*, Αἰῶνα. *Psalm.* lxxi, 12; lxxxix, 8; *Isai.* ix, 6; *Jerem.* xviii, 15; *Matt.* xiii, 22; *Luc.* xx, 34; *Heb.* xi, 3, &c.

℣. 10. Infelices autem ſunt, & inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appellaverunt deos opera manuum hominum, aurum, & argentum, artis inventionem, & ſimilitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manûs antiquæ.

℣. 11. Aut ſi quis artifex faber de ſilvâ lignum rectum ſecuerit, & hujus doctè eradat omnem corticem, & arte ſuâ uſus, diligenter fabricet vas utile in converſationem vitæ,

℣. 12. Reliquiis autem ejus operis ad præparationem eſcæ abutatur:

℣. 13. Et reliquum horum, quod ad nullos uſus facit, lignum curvum, & vorticibus plenum, ſculpat diligenter per vacuitatem ſuam, & per ſcientiam ſuæ artis figuret illud, & aſſimilet illud imagini hominis,

℣. 14. Aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubricâ, & rubicundum faciens fuco colorem illius, & omnem maculam, quæ in illo eſt, perliniens:

COMMENTARIUS.

℣. 10. Inter mortuos spes illorum est; inanis ac mortua ſpes illorum eſt, quam nihil unquam ſequetur. Vel (z): *In mortuis ſpes illorum*, in ſimulacris vitâ, cognitione ſenſuque carentibus (a). *Nimis ſtultum eſt, credere Deos, quos fecerunt homines, plus valere apud eos quos fecit Deus, quàm valent ipſi homines, quos idem ipſe fecit Deus*, loquit S. Auguſtinus (b). Ita etiam explicari poteſt: *Inter mortuos ſpes illorum eſt*. Similes hominibus ſunt ſepulcro proximis, viribus, ope ac ſpe deſtitutis. Hæc ex Ethnicorum ſententiâ dico (c).

Qui appellaverunt Deos opera manuum hominum. Inter Ethnicos varii erant ſuperſtitionis gradus, & varia adoratorum genera. Quidam ingenio acriores Deorum ſimulacra ceu meras eorum, quos venerabantur, imagines, Jovis, Junonis, Martis, &c. exiſtimabant. Aliis etiam minimè probabile erat, Deos, qui vulgo credebantur, eos eſſe, quos populi error putabat; virum, fœminam, militem, Regem. His Jupiter Cœlum erat, Juno aër, Vulcanus ignis, mare Neptunus; vel ipſa erat Mundi anima in varias univerſi partes diffuſa. Denique innumeri erant, multitudo ſcilicet atque indoctum vulgus, qui ipſum Numinis ſimulacrum colentes, Numen in eo reſidere, oracula reddere, atque hominum obſequia excipere arbitrabantur (d). Hos inter cæteros Sapiens hoc loco arguit; quorum inſaniam vates quidam his verſibus deſcribit.

Ut pueri infantes credunt ſigna omnia abena
Vivere & eſſe homines: Sic iſti omnia ficta
Vera putant. Credunt ſignis cor eſſe in abenis.

Aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ. Non levis momenti in ſimulacris erat vetuſtas. Rudis informiſque lapis ipſâ vetuſtate obſequium exigebat. Putridum lignum, aut marmoris male formati fragmen, rudis interdum lapis, quale ſimulacrum Helogabali, ſive Arabum Numinis erat, diù gentium quarumdam obſequiis celebrata ſunt. Hoc porrò eſt abuti obſequio, quod vetuſtati debetur. Poſtquam verò magis exculta vivendi ratio florere cœpit, apud eas etiam gentes, quæ cultiſſimæ credebantur, non leve negotium Religioni erat, ubi ſimulacrum vel Praxiteles, vel Phidias, vel Myron ſculpſiſſent; frequentior enim populi turba eò conſultura conveniebat. Ipſamet munera, quæ elapſis retrò ſæculis dedicata in Templis fuerant, dignitatem quamdam ex ipſâ vetuſtate referebant, cujus cauſâ quodam obſequii genere digna cenſebantur (e).

... Veteris qui tollunt grandia Templi
Pocula adoranda rubiginis, & populorum
Dona, vel antiquo poſitas a Rege coronas.

℣. 11. Siquis artifex de sylva lignum rectum secuerit ... et fabricet vas utile (f) in conversatione vitæ. Irridet hîc Sapiens Idola, eorumque cultores, docens quâ ratione illa fabrefacta fuerint & dedicata. Præcipuas verò deſcriptionis ſuæ partes mutuatur ex Isaia, xliv, 9, Jeremia, x, Barucho, vi, qui de eodem argumento diſſeruerunt. Pro, *Lignum rectum*, Græcus legit εὔτηκτον φυτὸν, *Lignum quod facilè corrumpitur*. Legunt alii εὔτυκτον φυτὸν, *Lignum facilè factum*, bene nutritum, vel quod facilè elaboratur. Romana editio, εὐκίνητον φυτὸν, *Lignum facilè mobile*, quod manu elaboratur.

Ad præparationem escæ. Cæſis illius ligni ſegminibus ignem excitat, quo cœnam coquat.

℣. 13. Lignum curvum et vorticibus plenum (g) sculpat diligenter per vacuitatem suam, per otium (h). Poſtquam Artifex optimam nemoris arborem elegit, ut aliquid ex eâ vitæ utile efficiat, inutiles illius partes cædit, nodos ramoſque, ex quibus nihil boni confici poteſt; tum cogitans quid faciendum ſit, Deum eſſe decernit. Ita Horatius fabrum irridet (i):

Cùm faber incertus, ſcamnum faceretne Priapum,
Maluit eſſe Deum.

℣. 14. Perliniens rubrica, et rubicundum faciens fuco colorem illius. Plurimi faciebant minium Veteres, eoque ceu re pretioſiſſimâ parcè utebantur (k). Enumerat authores Verrius (l), quibus credere ſit neceſſe, Jovis ipſius ſimulacri faciem diebus feſtis minio illini ſolitam, triumphantumque

(z) Ἐν νεκροῖς αἱ ἐλπίδες αὐτῶν. (a) *Grot. Vatab.* (b) *Aug. lib. 8 de civit. c. 24.*
(c) 1 *Theſſal.* iv, 12: *Sicut cæteri qui ſpem non habent.* (d) *Vide Aug. de Civit. l. 7, c. 6; & l. 8, c. 23; ex Triſmegiſto; & alios Patres paſſim, contra Gentes, & idololatriam.*
(e) *Juvenal. Satyr. 13.* (f) *Complut. Lyr. Hugo, Dionyſ. Vas inutile.* (g) ξύλον σκολιὸν, καὶ ὄζοις συμπεφυκός, *Lignum curvum & ramis plenum. Edit. Sixt.* v: *Vorticibus plenum.*
(h) Ἐν ἐπιμελείᾳ ἀργίας αὐτοῦ, *In ſolicitudine otii ſui.* (i) *Horat. lib. 1 Serm. Sat. 8.*
(k) *Vitruv. l. 7, c. 5: Quis enim antiquorum non, uti medicamento, minio parcè videtur uſus eſſe? at nunc paſſim plerumque toti parietes induuntur.* (l) *Verrius, apud Plin. l. 33, c. 6.*

℣. 15. Et faciat ei dignam habitationem, & in pariete ponens illud, & confirmans ferro,

℣. 16. Ne fortè cadat: prospiciens illi, sciens, quoniam non potest adjuvare se: imago enim est, & opus est illi adjutorium.

℣. 17. Et de substantiâ suâ, & de filiis suis, & de nuptiis votum faciens inquirit. Non erubescit loqui cum illo, qui sine animâ est:

℣. 18. Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, & pro vitâ rogat mortuum, & in adjutorium inutilem invocat:

℣. 19. Et pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest, & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum eventu petit ab eo, qui in omnibus est inutilis.

COMMENTARIUS.

phantumque corpora; sic Camillum triumphasse. Hac religione deinceps addi consuevisse in unguenta cœnæ triumphalis, & a Censoribus in primia Jovem miniandum locasi. *Cujus rei quidem causam miror*, sequitur Plinius; *quamquàm & hodie id experi constat Æthiopum populis, totosque eo tingi proceres, huncque ibi Deorum simulacris colorem esse.*

℣. 15. FACIAT EI DIGNAM HABITATIONEM, ET IN PARIETE PONENS ILLUD, ET CONFIRMANS FERRO. Hanc Ethnicorum insaniam pluribus prosequuntur Jeremias, Isaias, Baruch (m); iisque certum est, Ethnicos omnes credidisse, Deos esse ipsamet simulacra. Profectò nisi id esse putarent, nihilo insaniores fuissent, quàm Judæi, qui Cherubinos Arcæ jungebant ferro, ipsamque Arcam vel humeris vel curru circumferebant. Denique nihilo minùs damnari Catholicorum ritus possent, dum crucem sacrasque imagines super bases, aut in ædiculis collocamus. At neque nos, neque Judæi docemus, Deum ipsum propriâ sui præsentiâ in Arcâ aut super Cherubim residere, aut Christum ipsum in imagine esse de cruce pendenti. Hoc itaque discriminis est inter cultum quem nos, & quem Ethnici simulacris deferebant.

℣. 17. ET DE NUPTIIS VOTUM FACIENS, INQUIRIT. Græcus (n): *Et pro possessionibus & nuptiis suis, & liberis orans.*

℣. 18. IN ADJUTORIUM INUTILEM INVOCAT, eum qui neque sibi, neque sese invocanti ferre opem potest. Græcus (o): *Pro auxilio supplicat inexpertissimo* ferendi opem; simulacrum ignarissimum, cæcum, sensu rerumque usu carens.

℣. 19. DE OMNIUM EVENTU PETIT AB EO, QUI IN OMNIBUS EST INUTILIS. Græcus fert (p): *Ab ignavissimo manibus*, cujus manus inutiles sunt, & motu carent, *vim postulat pro quæstu & opere, & manuum successu*. Si hunc locum attentè inspicias, vetus Interpres reddidisse videtur: *De manuum eventu petit ab eo, qui manibus est inutilis;* quæ verba deinde ita mutata fuerint: *De omnium eventu, & omnium inutilis.*

CAPUT XIV.

Sequitur descriptio insaniæ & cæcitatis, quâ tenentur Idolorum cultores.

℣. 1. Iterum alius navigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante se, fragilius lignum invocat.

℣. 2. Illud enim cupiditas acquirendi excogitavit, & artifex sapientiâ fabricavit suâ.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ALIUS NAVIGARE COGITANS ... FRAGILIUS LIGNUM INVOCAT. Ingens sanè temeritas est, maris periculis ultrò objici, cùm præsertim id necessitas non jubeat: at longè maxima vesania est, periculosi itineris auspicem invocare lignum ipsâ navi fragilius. Qui mare navigat, vel insanit, vel inops est, vel mori cupit, vetus quidam ajebat (a); seque mirari dicebat Anacharsis, celeberrimus Scytharum Philosophus, ubi homines hilari fronte iter aggredi cerneret, quo quatuor tantum digitos a morte abessent (b). Interroganti, utrùm plures essent vivi, quàm mortui, *Navigantes*, inquit, *utrâ in parte constituis (c)?* Primi illius hominis, qui navigare ausus est, temeritatem optimè arguit Horatius (d):

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem .... Primus.

Ethnici tamen hominis, iter suum fragili ligno, quod Deum appellat, credentis, insania & cæcitas multò graviores sunt.

℣. 2. ILLUD ENIM CUPIDITAS ACQUIRENDI EXCOGITAVIT, ET ARTIFEX SAPIENTIA FABRICAVIT SUA.

(m) *Isai.* XLVI, 7; *Jerem.* X, 4; *Baruc*, VI, 26. (n) Περὶ δὲ κτημάτων καὶ γάμων αὐτοῦ, καὶ τέκνων προσευχόμενος. (o) Περὶ δὲ ἐπικουρίας τὸν ἀπειρότατον ἱκετεύει. *Nannius*, ἀπορώτατον, *Egentissimum*. *Noster videtur legisse*, ἀχρειότατον, *vel*, ἀνωφελέστατον. (p) Περὶ δὲ ... χειρῶν ἐπιτυχίας, τὸν ἀδρανέστατον ταῖς χερσὶν, εὐδράνειαν αἰτεῖται. (a) *Alexis in Commorientib.* Ὅστις διαπλεῖ θάλασσαν, ἢ μελαγχολᾷ,
Ἢ πτωχός ἐστιν, ἢ θανατᾷ, τούτων τριῶν
Ἑνὸς ἀποτυχεῖν τελάχιστον οὐκ ἔνι.
(b) *Anacharsis apud Laërt. l.* 5. (c) *Idem ibidem.* Ἐρωτηθεὶς πότεροι πλείους εἰσὶν, οἱ ζῶντες, ἢ οἱ νεκροὶ, ἔφη. Τοὺς οὖν πλέοντας ποῦ τίθης; (d) *Horat. lib.* 1, *ode* 3.

℣. 3. Tua autem, Pater, providentia gubernat: quoniam dedisti & in mari viam, & inter fluctus semitam firmissimam,

℣. 4. Ostendens, quoniam potens es ex omnibus salvare, etiam si sine arte aliquis adeat mare.

℣. 5. Sed ut non essent vacua sapientiæ tuæ opera: propter hoc etiam & exiguo ligno credunt homines animas suas, & transeuntes mare per ratem liberati sunt:

℣. 6 Sed & ab initio cùm perirent superbi gigantes, spes orbis terrarum ad ratem confugiens, remisit sæculo semen nativitatis, quæ manu tuâ erat gubernata.

℣. 7. Benedictum est enim lignum, per quod fit justitia.

℣. 8. Per manus autem quod fit idolum, maledictum est & ipsum, & qui fecit illud: quia ille quidem operatus est: illud autem cùm esset fragile, deus cognominatus est.

℣. 9. Similiter autem odio sunt Deo impius & impietas ejus.

COMMENTARIUS.

SUA. Græcus paulò aliter legit (e): *Illud quidem lucrorum cupiditas excogitavit, artifex autem sapientia confecit.* Nihil illum juvat is Deus, quem Ethnicus invocat. Unus tu, o Deus, homini tribuis sapientiam ut inveniat, solertiam ut exsequatur. ℣. 3: *Tua autem providentia gubernat (f).* Tu navim in mari regis, atque inter discrimina tueris.

℣. 3. QUONIAM DEDISTI IN MARI VIAM. Censent aliqui (g), prodigiosum Erythræi transitum hoc loco a Sapiente spectari. Plerique tamen ampliore sensu interpretantur: Tua, o Deus, sapientia navigandi artem homines docuit; tu dux navigationum es. Antequam nauticæ acûs usus inveniretur, longæ navigationes ceu prodigia, gestaque naturæ viribus majora putabantur. Navigandi artem invenisse, plures apud Ethnicos ferebantur; aliis enim erant Jason & Argonautæ, in Colchos profecti, ut Vellus aureum raperent; aliis Neptunus (h), Atlas, Minerva, Danaus, Prometheus; aliis denique Cretenses aut Phœnices: ac verisimillimum est, hanc artem variis temporibus, variisque in locis novis semper incrementis perfectam fuisse, latiùsque communicatam, hinc verò factum esse, ut plures ejusdem authores atque inventores noscerentur. Certius tamen illius inventionis tempus apud Scripturam habemus in Arcâ Noë, cujus inventio uni Sapientiæ debetur; ipse enim Deus Arcæ specimen Noëmo tradidit; nullaque deinceps navis Arcæ æqualis aut magnitudine, aut arte constructa est. Experimentis non indiget Sapientia uti homines egent. Vix manum ad opus admovit, nihil eo perfectius excogitari potest.

℣. 4. POTENS ES EX OMNIBUS (i) SANARE ETIAM SI SINE ARTE (k) ALIQUIS ADEAT MARE. Quamquam navis gubernator artis suæ scientiâ careat, tua virtus una, tuaque Sapientia tueri a periculis potest. Insolita quidem res est, ut quis navim aliquam gubernare, artis ignarus, aggrediatur. Religiosissimi etiam homines, sapientissimi, quique omnium maximè de Numinis virtute confidunt, humanas tamen artes minimè negligunt; easque negligere minimè liceret, quin Deum tentare, atque in ipsum peccare dicerentur. At siquando omnia desint quæ maritimo itineri necessaria sunt, potest Deus nullo negotio illorum defectui occurrere, uti ex pluribus apud historicos narrationibus discimus.

℣. 5. SED UT NON ESSENT VACUA SAPIENTIÆ TUÆ OPERA .... EXIGUO LIGNO CREDUNT HOMINES ANIMAS SUAS. Dixerat Sapiens, ℣. 3, datam esse hominibus a Sapientiâ navigandi artem; hîc verò docet, minimè passam esse Providentiam, ut res hominum vitæ utilissima in oblivionem penitùs abiret: quamobrem homines cùm Dei patrocinium sibi adesse quodammodo certò sciant, mari sese committere, vitamque ligno fragili credere non verentur; & amicorum incolumitatem sedulò curans Deus, eorum consiliis cœptisque obsequi & favere non renuit. Ita res discriminis plena, quâ parte pulcherrima est, consideratur. Profectò si artem inspicias, quâ Veteres navigando utebantur, illorum audacia gravissimæ temeritatis loco habenda est, si illam a Dei ope sejunctam videas; vel mirificæ prorsus de Deo fiduciæ, si pleno Religionis animo navigatio inibatur; gravissima enim & innumera in diuturnis navigationibus pericula undique imminebant.

℣. 6. SED ET AB INITIO CUM PERIRENT SUPERBI GIGANTES, SPES ORBIS TERRARUM AD RATEM CONFUGIENS, &c. Hæc vox *ratis*, quæ in Græco (l) exhibetur, trabium simul junctarum congeriem significat, pro navigio. Ita Sapiens describit Arcam Noë, quâ in totius orbis naufragio octo homines, certusque numerus unius cujusque animalium generis servati sunt, ceu terræ totius spes & præsidium. *Nunc genus in nobis restat mortale duobus*, ajebant Deucalion & Pyrrha apud Ovidium.

℣. 7. BENEDICTUM LIGNUM PER QUOD FIT JUSTITIA. (8) PER MANUS AUTEM QUOD FIT IDOLUM, MALEDICTUM EST. Felix lignum, quo Noë justè usus est, ut genus humanum, quod totum unâ ipsius familia erat (m), tueretur: pereat lignum, quo impii simulacra conficiunt. Denique, si justus Ligno utatur vel in navis constructionem, vel in opus aliud vitæ utile, rectè illo utetur. Lignum in hominis usum est; eoque pessimè abutitur, qui Numen ex eo conficit. Jansenius ita explicat: Benedictum lignum furcæ, cui appenditur reus criminum causâ; *Benedictum lignum, per quod fit justi-*

(e) Ἐκεῖνο μὲν γὰρ ὄρεξις πορισμῶν ἐπενόησε, τεχνῖτις δὲ σοφία κατεσκεύασεν.
(f) *Plures Codd. legunt: Cuncta gubernat.* (g) *Vatab. a Castro.* (h) *Plin. lib. 3, c. 26.*
(i) Δύνασαι ἐκ παντὸς σώζειν, ἵνα κἂν ἄνευ τέχνης τις ἐπιβῇ.
(k) *Complut. & Six. V, & alii: Sine rate.* Mendum est. Vide Græcum supra.
(l) Ἡ ἐλπὶς τοῦ κόσμου ἐπὶ σχεδίας καταφυγοῦσα, *Ad ratem.* (m) *Cornel. a Lapide.*

℣. 10. Etenim quod factum est, cum illo, qui fecit, tormenta patietur.
℣. 11. Propter hoc & in idolis nationum non erit respectus, quoniam creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.
℣. 12. Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum: & adinventio illorum corruptio vitæ est:
℣. 13. Neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum.
℣. 14. Supervacuitas enim hominum hæc adinvênit in orbem terrarum: & ideò brevis illorum finis est inventus.

COMMENTARIUS.

justitia. Supplicia interdum justitia nuncupantur; & impiorum pœna Reipublicæ semper utilissima est. Alii de justo legitimoque commercio, per navigationem exercito, interpretantur. Prior tamen explicatio melior videtur.

Hunc locum Patres (n) de Christi Cruce explicant. Benedictum esto lignum, olim maledicto probroque obnoxium, nunc gloriosum ac felix, quo justitia terræque salus allata est. *Christus nos redemit de maledicto legis*, inquit Apostolus (o), *factus pro nobis maledictum; quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno*. S. Ambrosius pro justitiâ misericordiam explicat: Benedictum lignum, per quod facta est misericordia. Justitia frequenter in Scripturis misericordiam significat. Deus, inquit S. Pater, *justè ignovit hæredi, qui præjudicio laborabat authoris*, paterni criminis reo. *Est ergo justa misericordia*.

℣. 10. QUOD FACTUM EST, CUM ILLO, QUI FECIT, TORMENTA PATIETUR, eàdem pœnâ obvolvetur. Simulacrum, artifex, cultor igni tradentur: simulacrum tamen flammis consumetur; impius æterna inter flammas supplicia feret. Aliter: Res, quæ simulacro exhibetur, fictus scilicet Deus, & sacrilegus illius cultor æternis inferorum cruciatibus torquebuntur. Gentium Numina Reges erant, vel Heroës, aut homines scelestissimi, quibus divinos honores Diabolus comparabat. Porrò hi homines, qui colebantur in terris, procul dubio in inferis cremabantur; ipsorumque cultores eamdem sectantes viam, futurum erat, ut in eadem supplicia ruerent. Prior explicatio, quæ de materiali simulacro est, aptiùs cum iis quæ sequuntur congruere videtur.

℣. 11. IN IDOLIS NATIONUM NON ERIT RESPECTUS: QUONIAM CREATURÆ DEI IN ODIUM FACTÆ SUNT, abominationis argumentum evenere. Metalla, lignum, marmor, quæ simulacri materies sunt; hominis aut animalium, quæ hisce simulacris exhibentur, figuræ, Dei maledictum, & piorum horror sunt, cùm iis Ethinici abutantur. Dei creaturam in hos usus convertere, injuriosum illi est: simulacra conteret Deus ac dissipabit, quamquam nulla iis est in adoratorum crimine culpa; eàque ratione impios puniet, atque irrogatam sibi suæque creaturæ injuriam ulciscetur. Sequitur hoc ex iis, quæ superiùs dixerat, simulacrum & simulacri cultorem esse puniendos. Græcus particulâ negante caret (p): *In Idolis Nationum erit respectus*. Tum hoc, tum aliis hujus Libri locis *respectus* pro ultione usurpatur. Severè Deus simulacra puniet, quòd impii creatis a Deo rebus abusi sint, ut in Deum peccent: invitum quodammodò coëgerunt illi res sensu carentes, Numinum loco dedicatas, maledicto ferire, omnique furoris sui pondere obruere.

℣. 12. INITIUM ENIM FORNICATIONIS EST EXQUISITIO IDOLORUM; ET ADINVENTIO ILLORUM CORRUPTIO VITÆ EST. Impudicitiâ cœptum est, in probrosissimas libidines res desiit. Vel solùm: Numina quæri prostitutione cœperunt, inventaque sunt absolutâ vitæ corruptione. Græcus (q) fert potiùs, Idolorum cultum fontem esse prostitutionis, cæterorumque vitiorum. Ducto ab Idolis initio, in gravissima demum scelera ventum est. Profectò jam ante diluvium *cœpit profanari nomen Domini*; ita enim legunt quidam apud Hebræum in Genesi (r), pro, *Iste cœpit invocare nomen Domini*: hinc verò omnium hominum corruptio orta est (s), quæ adeò gravis fuit, ut omne hominum genus perdiderit Deus, præter Noëmum ejusque familiam, octo scilicet homines. Consecrato in falsis Numinibus scelere, nihil jam sibi non licere homines putavere. Quæ olim ab impiis Numinibus gesta sunt, nulla deinceps religio, & nullus pudor prohibuit (t). Pessimus hic fuit vitiorum fons, quæ Ægyptiorum, Phœnicum & Chaldæorum Religionem inundavere; quæ deinde vitia Hebræi frequentissimè sectati sunt, teste Scripturâ (u). Interpretum quidam (x) pro *fornicatione* hìc *idololatriam* explicant, quæ sub hac appellatione non raró significatur. Meliùs tamen proprio nomine usurpanda videtur.

℣. 13. NEQUE ENIM ERANT AB INITIO, NEQUE ERUNT IN PERPETUUM. Recens est Numinum Religio, si cum vero Dei cultu, qui vetustissimus est, ac semper fuit, semperque futurus est, comparetur. Falsorum Numinum, Jovis, Herculis, Neptuni, & aliorum ætas optimè noscitur. Idololatriæ initium Judæi plerumque sub Enos filio Seth constituunt (y). Narrat Josephus (z), homines constantem Deo fidem per septem ætates servasse; at deinde ruisse in impietatem ac scelus. Denique procul dubio credimus, Idolorum superstitionem toto orbe communem ante diluvium fuisse; quamquam minimè probamus argumenta, quibus Judæi hoc e Scripturâ probare conantur. Vide nostram Dissertationem de origine Idololatriæ. At remotissima licèt hæc vetustas minimè addit authoritatem rei, quæ justitiæ & rationi adeò adversatur. Superstitionis ruinam, quæ Evangelii prædicatione & Christi virtute facta est, Sapiens hoc loco vaticinatur. Vide sequentem ℣.

℣. 14. SUPERVACUITAS ENIM HOMINUM HÆC ADINVENIT

(n) *Ambros. in Psal.* CXVIII, *serm.* 8; *Aug. de civit. lib.* 13, *c.* 26; *Chrysost. orat. de festo Crucis*; *Clem. Alex. lib.* 6 *Strom. Cyrill. Jerosol. Catech.* 59, *&c. Ita & Bonav. & Dionys. & Holkot. & Hugo, hic.* (o) *Galat.* III, 13. (p) Ἐν εἰδώλοις ἐθνῶν ἐπισκοπὴ ἔσται.
(q) Ἀρχὴ γὰρ πορνείας ἐπίνοια εἰδώλων, εὕρεσις δὲ αὐτῶν φθορὰ ζωῆς.
(r) *Genes.* IV, 26. אז הוחל לקרא בשם יהוה *Ita Hebræi apud Hieronym. Qu. Hebr. in Genes. Chald. uterque, &c.* (s) *Genes.* VI, 2, *& seq.* (t) *Vide Aug. lib.* 2 *de civit. c.* 7.
(u) *Vide* 3 *Reg.* XIV, 24; XV, 12; XXII, 46; *&* 4 *Reg.* XXIII, 7; *& in Prophetis passim.*
(x) *Dionys. Hugo, Holkot. Vatab.* (y) Vide ℣. superiorem. (z) *Joseph. Antiq. lib.* 1, *c.* 4.

℣. 15. Acerbo enim luctu dolens pater, citò sibi rapti filii fecit imaginem: & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam deum colere cœpit, & constituit inter servos suos sacra & sacrificia.

℣. 16. Deinde interveniente tempore, convalescente iniquâ consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta.

℣. 17. Et hos, quos in palam homines honorare non poterant, propter hoc, quòd longè essent, e longinquo figurâ eorum allatâ, evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt: ut illum, qui aberat, tamquam præsentem colerent suâ sollicitudine.

℣. 18. Provexit autem ad horum culturam & hos, qui ignorabant, artificis eximia diligentia.

℣. 19. Ille enim volens placere illi, qui se assumpsit, elaboravit arte suâ, ut similitudinem in melius figuraret:

℣. 20. Multitudo autem hominum abducta per speciem operis, eum, qui ante tempus tamquam homo honoratus fuerat, nunc deum æstimaverunt.

℣. 21. Et hæc fuit vitæ humanæ deceptio: quoniam aut affectui, aut regibus deservientes homines, incommunicabile nomen lapidibus & lignis imposuerunt.

℣. 22. Et non suffecerat errasse eos circa Dei scientiam, sed & in magno viventes inscientiæ bello, tot & tam magna mala pacem appellant.

COMMENTARIUS.

NIT (a) IN ORBEM TERRARUM, Græcus reddi potest (b): *Vanâ enim gloriâ*, vel ambitione *hominum introierunt in mundum*. Hujus rei argumenta deinde proferet. Superbia, & nimius sui ipsius amor communes sunt omnium vitiorum fontes, quæ orbem universum & nunc tenent, & qualibet ætate tenuerunt. Superbi homines, debitis sibi honoribus minimè contenti, Divinos quæsivere.

℣. 15. ACERBO ENIM LUCTU DOLENS PATER, filii simulacrum effingens, ipse adoravit, atque a familiaribus coli jussit. En unum e fontibus superstitionis, cui plures fuerunt, utì nos peculiari Dissertatione demonstravimus. Narrat Apulejus (c), fœminam quamdam amissi viri simulacrum sub imagine Bacchi dedicasse, ut illum divinis honoribus colens, amissi desiderium levaret. Hanc eamdem, quam hìc Sapiens, originem Idolorum tradidit Diophantus Lacedæmonius (d). Alii a Nemrodo accersunt (e), qui unico filio, quem habebat, amisso, simulacrum illius effinxit, divinisque honoribus prosecutus est. Hæc tamen posterior narratio incertissima est.

℣. 16. TYRANNORUM IMPERIO COLEBANTUR FIGMENTA. Hujus rei exemplum in Nabuchodonosoris statuâ habemus (f), Romanisque Imperatoribus, quibus divinos honores Senatus decernebat.

℣. 18. PROVEXIT AD HORUM CULTURAM.... ARTIFICIS EXIMIA DILIGENTIA. Græcus (g): *Artificis ambitio*, vel cupiditas gloriæ labore acquirendæ, *qui volens fortasse principi placere* operis elegantiâ, omni solertiâ simulacrum simillimum exemplari fingere conatus est. Sculptura & pictura noxiæ interdum Reipublicæ esse queunt; easque Moyses sapientissimè ab Hebræorum Republicâ proscripserat, veritus, ne imaginum & simulacrorum elegantia populum rudem ignarumque in Idololatriam impelleret (h). Vide inferiùs, XV, 4.

℣. 21. AFFECTUI, AUT REGIBUS DESERVIENTES, INCOMMUNICABILE NOMEN (i) LAPIDIBUS IMPOSUERUNT. Dei nomen, *Jehovah*, *incommunicabilis* appellatione significant, quod commune esse creaturis nequit, utì alia quædam Dei nomina, velut *Elohim* & *Adonai*. Tanto autem obsequio incommunicabile hoc nomen Judæi prosequuntur, ut illud nunquam verbis efferant. Mœrentis igitur patris amor, & Principis authoritas geminæ sunt origines impiæ illius libertatis, qua Dei nomen creatis rebus attributum est.

℣. 22. SED ET IN MAGNO VIVENTES INSCIENTIÆ BELLO, TOT ET TAM MAGNA MALA PACEM APPELLANT (k). In tantis ignorantiæ turbis, quas ignorantia parit, vitam agentes, tam magna mala pa-

(a) *Edit. Sixti V: Hoc adinvênit in orbem, &c. Complut. Nec adinvênit, &c.* (b) Κενοδοξίᾳ γὰρ ἀνθρώπων εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον. Lego, κενοδοξίᾳ. (c) *Apulejus, lib. 8.* (d) *Apud Grot. hic, ex Fulgent. Mytholog.* (e) *Victor. Massil. & Guillel. Paris. l. de Legib. & Barrad. t. 4 in Evangel.* (f) *Dan, III, 1, 2, & sequ.* (g) Ἡ τοῦ τεχνίτου φιλοτιμία, ὁ μὲν γὰρ τάχα τῷ κρατοῦντι βουλόμενος ἀρέσαι. (h) *Philo l. de Gigantib.* Ζωγραφίαν, καὶ ἀνδριαντοποιΐαν ἐκ τῆς καθ᾽ αὑτὸν πολιτείας ἐξήλασεν, ὅτι τὴν τῆς ἀληθείας ψευδόμεναι φύσιν, ἀπάτας καὶ σοφίσματα δι᾽ ὀφθαλμῶν ψυχαῖς εὐπαραγώγοις τεχνιτεύουσι. (i) Ἀκοινώνητον ὄνομα. (k) Ἐν μεγάλῳ ζῶντες ἀγνοίας πολέμῳ, τὰ τοσαῦτα κακὰ εἰρήνην προσαγορεύουσι.

℣. 23. Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, aut insaniæ plenas vigilias habentes,

℣. 24. Neque vitam, neque nuptias mundas jam custodiunt, sed alius alium per invidiam occidit, aut adulterans contristat:

℣. 25. Et omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum & fictio, corruptio & infidelitas, turbatio & perjurium, tumultus bonorum,

℣. 26. Dei immemoratio, animarum inquinatio, nativitatis immutatio, nuptiarum inconstantia, inordinatio mœchiæ, & impudicitiæ.

℣. 27. Infandorum enim idolorum cultura, omnis mali causa est, & initium & finis.

℣. 28. Aut enim dum lætantur, insaniunt: aut certè vaticinantur falsa, aut vivunt injustè, aut pejerant citò.

℣. 29. Dum enim confidunt in idolis, quæ sine animâ sunt, male jurantes noceri se non sperant.

COMMENTARIUS.

la pacem nuncupant. Gravi hac ignorantiâ oppressi, quâ Dei nomen rebus creatis tribuitur, id quod malorum maximum est, ita insaniunt, ut miserrimam hanc conditionem felicitatem esse censeant. *Bellum* & *pax* hoc loco veluti duo opposita ponuntur; alterum pro quolibet malorum genere, alterum bonorum. *Bellum ignorantia* est ignorantia fatalis, gravissima, mala innumera pariens. Is est Idololatrarum status, qui iis rebus gaudent, quæ summa illorum calamitas sunt. Simili loquendi formâ utitur Tacitus: Romani *ubi* armis & igne *solitudinem fecerunt, pacem appellant*.

℣. 23. AUT FILIOS SUOS SACRIFICANTES. Is erat mos Phœnicum & Chananæorum (*l*). Ipsimet Judæi sævissimam hanc Religionem frequenter sectati sunt (*m*).

OBSCURA SACRIFICIA FACIENTES. Id fermè fiebat in Cereris, Cybeles, Proserpinæ, Priapi & Bacchi solemnibus, quæ noctu, aut in lucis densissimis obscurisque, vel in antris celebrabantur. *Quæ in occulto fiunt ab ipsis, turpe est & dicere*, inquit Apostolus (*n*).

INSANIÆ PLENAS VIGILIAS HABENTES (*o*). Innuere videtur vigilias, quæ iis qui mysteriis Eleusinis initiari vellent, imperabantur; vel flagitia, quæ per eas vigilias, in lucis, nemoribus, Templisve Deorum Dearumque libidinis præsidum, agebantur. Satis nota est narratio de Paulinâ & Anubi, sive de Decio Sacerdote, quam recitat Josephus (*p*). Nonnullis etiam in locis, veluti Babylone & apud Phœnices, corporis publicatio pars Religionis erat (*q*). Erant etiam loca, in quibus fœminæ in Templis prostabant. *Nam quo non prostat fœmina Templo?* (*r*)

℣. 24. NEQUE VITAM, NEQUE NUPTIAS MUNDAS CUSTODIUNT. In scelestissimâ Religione, nulla vitæ ætas est vitio libera. Conjugia adulteriis miscentur, adolescentes ac senes effræni libidine in scelus ruunt.

℣. 26. DEI IMMEMORATIO.... NATIVITATIS IMMUTATIO, turbatæ singulorum origines, cùm nemo certò sciat, quis verus sit natorum parens, in tantâ connubiorum mistione, & adulteriorum licentiâ. Græcus (*s*): *Gratiæ oblivio, nativitatis immutatio*. Grotius de turpissimâ sexûs & naturæ immutatione interpretatur; veluti de quibus S. Paulus ait (*t*): *Immutaverunt naturalem usum in eum qui est contra naturam*.

℣. 27. INFANDORUM IDOLORUM CULTURA, OMNIS MALI CAUSA EST. Nihil hìc merâ veritate majus est (*u*). Idolorum cultu patuit omnibus vitiis ac sceleribus via; quippe quo mentes, corpus, animusque corrupta fuerint. Ea superstitio Rempublicam, privatasque familias susdeque turbavit. Græcus (*x*): *Innominatorum idolorum cultus omnis principium mali est*. Profanorum Numinum nomina verbis efferre, Judæi religioni habebant; quamobrem illa vocabulis contemptum sonantibus significabant; utì sunt *Boseth*, confusio, pro *Baal*; *Idolum zelotypiæ* pro *Adonide*, &c. Sanciverat Moyses (*y*): *Per nomen externorum Deorum non jurabitis, neque audietur ex ore vestro*. Id servabat religiosissimè Psalmista (*z*): *Nec memor ero nominum eorum per labia mea*.

℣. 28. AUT ENIM, DUM LÆTANTUR, INSANIUNT, veluti in Bacchi orgiis, ubi omnia libidinem, furorem, insaniam sonabant; ubi fœminæ, caput anguibus cinctæ, furiarum instar, thyrsos quosdam cum impetu agitantes, mistis clamoribus, vivorumque animalium carnes dentibus lacerantes devorantesque vagabantur.

AUT CERTE VATICINANTUR FALSA. Oracula, quæ illi venditant, vel Dæmonis fraudes sunt, ipsos ambiguis sententiis decipientis, aut Sacerdotum mendacia, qui obscuris ambiguisque responsis ipsos fallunt.

AUT PEJERANT CITO, nullâ religione. Inter eos, qui Religionis suæ veritatem, suorumque Numinum potestatem minimi faciunt, certum jusjurandum nullum est. Sola jurantis honestas & naturalis æquitas totum sunt jurisjurandi momentum. Cùm nullus juranti metus sit Dei illius, quem testem invocat, suaque illum perjuria non intel-

(*l*) *Sap.* XII, 23. (m) *Psalm.* CV, 37; *Ezech.* XVI, 21; XXIII, 39; *Isai.* LVII, 5, *&c.*
(n) *Ephes.* V, 12. (o) Ἢ ἐμμανεῖς ἐξ ἄλλων θεσμῶν κώμους ἄγοντες, *Insanas ex alienis legibus comessationes agentes*. Κῶμος, *Comessatio maximè nocturna*. (p) *Antiq. lib.* 18, *c.* 4.
(q) *Herodot. lib.* 1, *c.* 199. (r) *Juvenal. Sat.* 9. (s) Χάριτος ἀμνηστία, γενέσεως ἐναλλαγή.
(t) *Rom.* I, 26. (u) *Vide Tertull. initio libri de Idololatriâ*. (x) Τῶν ἀνωνύμων εἰδώλων θρησκεία, παντὸς ἀρχὴ κακοῦ. (y) *Exod.* XXIII, 13. (z) *Psalm.* XV, 4.

℣. 30. Utraque ergo illis evenient dignè, quoniam male senserunt de Deo, attendentes idolis, & juraverunt injustè, in dolo contemnentes justitiam.

℣. 31. Non enim juratorum virtus, sed peccantium pœna perambulat semper injustorum prævaricationem.

COMMENTARIUS.

Intelligere sciat, nihil plane est illius jusjurandum, (℣. 29.) *Dum enim confidunt in idolis, quæ sunt sine animâ, male jurantes noceri se non sperant*, Neque id eò dico, quòd illos perjurii reos esse non censeam (α), si Jovem e, g. verum esse Deum jurans putet; aut, nisi Deum putet, scelestum atque impium, dum jurisjurandi religione, quæ sancta est, abutitur, ut cæteros bonæ fidei homines fallat, qui minimè violandam ab eo jurisjurandi fidem postulant.

℣. 30. UTRAQUE ILLIS EVENIENT DIGNA, superstitionis & perjurii pœnâ; vel spretæ Religionis malæque fidei causâ, dum eos, qui vulgo coluntur, Deos non esse credentes, sese illorum cultores esse simulant, eosque per fraudem testes dictorum invocant.

℣. 31 NON ENIM JURATORUM VIRTUS (β), SED PECCANTIUM POENA PERAMBULAT SEMPER INJUSTORUM PRÆVARICATIONEM. Si punire nequeunt simulacra perjuros, impunitatem sibi ex Numinum infirmitate pollicentes; omnipotens est in Cœlo Deus, qui iniquitatem, sacrilegium, dolum ulciscetur, ac severissimè puniet. *Non te audit lapis loquentem*, inquit S. Augustinus; *sed punit Deus fallentem*. Qui majori superstitione inter Ethnicos erant (γ), perjuria interdum a Diis puniri arbitrabantur; at docet hoc loco Sapiens, id non Diis deberi, siquando contingit, sed uni supremo omnium Deo.

CAPUT XV.

Deo grates agit Sapiens, quòd populum suum a communi omnium gentium superstitione servaverit. Idololatrarum error. Objurgatio eorum, qui simulacra vel picturâ vel sculpturâ fingunt. Impius ac turpis venenatarum perniciosarumque ferarum cultus.

℣. 1. TU autem, Deus noster, suavis, & verus es, patiens, & misericordiâ disponens omnia.

℣. 2. Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam: & si non peccaverimus, scimus, quoniam apud te sumus computati.

℣. 3. Nosse enim te, consummata justitia est: & scire justitiam & virtutem tuam, radix est immortalitatis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. TU AUTEM, DEUS NOSTER, ... IN MISERICORDIA DISPONENS OMNIA, (℣. 2) ETENIM SI PECCAVERIMUS, TUI SUMUS. Sub Capitis superioris finem docuit, Ethnicos, cùm nullam Religionis suæ veritati fidem habeant, suos etiam Deos minimè vereri; perjuria temerè exercere, cùm cæcorum mutorumque Numinum iram nihili faciant. At nos, inquit, qui tua gens sumus, ac tam multis argumentis novimus te esse, infinitâque potestate esse, certissimâ fide scimus fore ut severissimè ex peccatorum merito in nos animadvertas, siquando morigeri tibi esse desierimus. Sin verò fidem servaverimus, apud te in filiorum numero futuros, tuæque misericordiæ beneficiis cumulatum iri: *Et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati*. Posterior hic locus aliter ex Græco accipi potest (a): *Non peccabimus autem, scientes quòd tui censemur*. Faxit Deus, ut cùm electa gens Deo simus, nunquam in Numinum superstitionem ruamus. At siquando tui obliti fuerimus, pro certo habemus futurum, ut tuâ nos misericordiâ nunquam penitus destituas. Patris more filios punies, & parces.

℣. 3. NOSSE ENIM TE, CONSUMMATA JUSTITIA EST; non cognitione sterili, quæ in solâ contemplatione versatur, sed quæ agenda moderatur; nosse, inquam, eâ fide, cui charitas juncta est. Ea demum perfecta est justitia; atque hæc fides justum facit, authore S. Paulo (b). Hujus fidei causâ omnes Veteris Testamenti Patriarchæ ac Prophetæ cari Deo fuere, fructumque promissorum retulerunt (c). *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum* (d). Summa hæc atque inæstimabilis est hominis verè Christiani felicitas, ut Deum vivâ, efficaci, animatâque cognitione noverit. Per hanc, ferente opem gratiâ, morum atque exemplorum viribus resistit; ac siquando ruat, statim surgit. His adminiculis carent ii qui a fide absunt, atque e præcipitio in præcipitium feruntur.

℣. 4. NON

(α) *Vide Aug. ep. 154 ad Publicolam.* (β) *Complut. & Sixti v: Non enim jurantium est virtus. Græc.* Οὐ γὰρ ἡ τῶν ὀμνυμένων δύναμις. (γ) *Vide Juvenal. Satyr.* VIII. (a) Οὐχ ἁμαρτησόμεθα δὲ, εἰδότες ὅτι σοὶ λελογίσμεθα. (b) *Rom.* I, 17; III, 28; V, 1; *Galat,* II, 16; III, 8, *Jacobi*, II, 14, 18, 20, 26. (c) *Heb.* XI, 4, 5, 6, *& sequ.* (d) *Joan.* XVII, 3.

℣. 4. Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio, nec umbra picturæ, labor ſine fructu, effigies ſculpta per varios colores,

℣. 5. Cujus aſpectus inſenſato dat concupiſcentiam, & diligit mortuæ imaginis effigiem ſine animâ.

℣. 6. Malorum amatores digni ſunt, qui ſpem habeant in talibus, & qui faciunt illos, & qui diligunt, & qui colunt.

℣. 7. Sed & figulus mollem terram premens, laborioſè fingit ad uſus noſtros unumquodque vas, & de eodem luto fingit, quæ munda ſunt in uſum vaſa, & ſimiliter, quæ his ſunt contraria: horum autem vaſorum quis ſit uſus, judex eſt figulus.

℣. 8. Et cum labore vano deum fingit de eodem luto: ille, qui paulò ante de terrâ factus fuerat, & poſt puſillum reducit ſe unde acceptus eſt, repetitus animæ debitum, quam habebat.

COMMENTARIUS.

℣. 4. Non enim in errorem induxit nos hominum malæ artis excogitatio. Id ex nominis tui, o Deus, cognitione oritur, ut Idololatriæ erroribus minimè obvolvamur. Poſt captivitatem, quo tempore Scriptor Sapientiæ floruit, Judæi puros ſe a Gentium ſceleribus cuſtodivere. Cæterum non eâdem conſtantiâ hoc ipſum ante captivitatem Babylonicam dicere potuiſſet, cùm Numinum cultus Iſraëlem & Judam univerſos inundaret.

Nec umbra picturæ, labor sine fructu, effigies sculpta per varios colores. Græcus ad verbum (e): *Nec umbra picturarum, labor infructuoſus, ſpecies coloribus variegatis maculata*. Picturam Sapiens, qua parte minimi æſtimabilis eſt, contemplatur. Fallax quodammodo ars eſt, res ſolidas veraſque & corpora ſolis coloribus exhibens; quæque oculos jucundè decipiens, vivum ac mobile videndum præbet id, quod ſolam vitæ ſpeciem atque umbram habet. Hoc ſenſu, *labor ſine fructu* eſt, cùm illud unum ſibi proponat, ut ſenſus fallat, oculoſque delectet. Imago, quæ tabulam occupat, diſpoſitorum ſcitè colorum congeries eſt, quorum unuſquiſque a cæteris ſecretus nonniſi maculæ turpis atque injucundæ loco haberi deberet.

Picturam in tabulis Moyſes propriè non proſcribit (f); utrùm enim illius ætate in uſu fuerit, ignoratur. At Septuaginta (g) & Judæi Moyſis interdictum non modò ad res ſculptas & ſimulacra, verùm etiam ad picturas & aulæa, quibus aliquid in naturâ exiſtens exhibetur, prorogavere. Ita etiam hoc loco Sapiens uſurpavit. Teſtatur Plinius (h), nullos fuiſſe Belli Trojani ætate Pictores; eamque artem apud Sycionios ſive Corinthios inventam eſſe, umbrâ hominis in pariete lineis circumductâ. Primum hoc eſt picturæ genus, totum lineis conſtans. Tum additi ſunt colores, nullâ tamen varietate aut mixtione. Unus erat totius imaginis color. Ventum denique eſt ad eam pingendi peritiam, quæ hodie in uſu eſt, quà pictarum rerum varietas, umbrarumque & colorum mixtio rem affabrè ſub oculis ponunt. Hæc autem ætate Scriptoris Sapientiæ jam obtinuerat, uti ex ipſius verbis diſcimus: *Effigies ſculpta per varios colores*.

℣. 5. Cujus aspectus dat insensato concupiscentiam (i). Incredibilia penè hujus rei exempla apud Veteres ſunt (k); nimioque frequentiùs docet experientia, ubi tabulæ & ſimulacra nudarum imaginum, ſeu laſcivo corporis ſtatu poſitarum conſpiciuntur, quæ debiles incautaſque mentes, multoque faciliùs animos libidine corruptos in exitium trahunt.

℣. 6. Malorum amatores digni sunt (l), qui spem habeant in talibus. Digni ſunt idolorum cultores, quos Deus in animi ſui libidinum poteſtate, turpiſſimis cupiditatibus agendos, deſtituat, cùm malum ament, omnemque in talibus Diis fiduciam collocent. *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis*. Pſal. cxiii, 8; cxxxiv, 18.

℣. 7. Figulus de eodem luto fingit quæ munda sunt in usum vasa, et similiter quæ his sunt contraria. Hoc idem S. Paulus ita ſignificavit (m), *vas in honorem*, & *vas in contumeliam*. Illa menſæ uſibus deſtinata ſunt, potui ciboque inferendis, vel ornandis conclavibus, abacis, &c. Hæc in turpes uſus fiunt. Ex eodem igitur luto, quo crater, vel matella, fingitur Jupiter, &c.

℣. 8. Post pusillum reducit se, unde acceptus eſt (n). Figulus, qui Deum e luto fingit, ipſe effictus e luto eſt, in pulverem morte reverſurus. Animam, quam illi Deus commodavit, repetet: *Repetitus animæ debitum quam habebat*. Dii, inquit Tullius (o), *dederunt vitam, tamquam pecuniam, nullâ præſtitutâ die* reſtitutio-

(e) Οὔτε σκιὰ γραφῶν, πόνος ἄκαρπος, εἶδος σπιλωθὲν χρώμασι διηλλαγμένοις. (f) *Exod.* xx, 4: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem.* פסל וכל תמונה (g) 70: Οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα. (h) *Plin. lib.* xxxv, 3, 4. (i) Ὧν ὄψις ἄφροσιν εἰς ὄρεξιν ἔρχεται. *Rom.* Εἰς ὄνειδος ἔρχεται. (k) *Arnob. lib.* 6 *contra Gentes, ex Philoſtephano in Cypriacis: Pigmalionem Regem Cypri ſimulacrum Veneris adamaſſe ut fœminam, ſolitumque dementem, tamquam ſi uxoria res eſſet, ſublevato in lectulum numine copularier amplexibus, &c. Idem ibid. ex Poſſidippo, in l. ſuper Cnido: Adoleſcentem haud ignobilem memorat correptum amoribus Veneris, amatorias & ipſum miſcuiſſe laſcivias, &c. Plin. lib.* 36, *c.* 5. (l) *Complut. Sixti* v, *Lyr. Hugo, Dionyſ. Digni ſunt morte, qui ſpem habeant, &c.* (m) *Rom.* ix, 21. (n) *Græc.* Μετ' ὀλίγον πορεύεται ἐξ ἧς ἐλήφθη, τὸ τῆς ψυχῆς ἀπαιτηθεὶς χρέος. *Vide Eccle.* 12, 7: *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat; & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.*
(o) *Cicero, Tuſcul. lib.* 5.

℣. 9. Sed cura est illi, non quia laboraturus est, nec quoniam brevis illi vita est, sed concertatur aurificibus, & argentariis: sed & ærarios imitatur, & gloriam præfert, quoniam res supervacuas fingit.

℣. 10. Cinis est enim cor ejus: & terra supervacua spes illius, & luto vilior vita ejus:

℣. 11. Quoniam ignoravit, qui se finxit, & qui inspiravit illi animam, quæ operatur, & qui insufflavit ei spiritum vitalem:

℣. 12. Sed & æstimaverunt lusum esse vitam nostram, & conversationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere undecumque etiam ex malo acquirere.

℣. 13. Hic enim scit, se super omnes delinquere, qui ex terræ materiâ fragilia vasa, & sculptilia fingit.

℣. 14. Omnes enim insipientes, & infelices supra modum animæ superbi, sunt inimici populi tui, & imperantes illi:

COMMENTARIUS.

tionis, ut repetituri sint, cùm visum fuerit.

℣. 9. CURA EST ILLI, NON QUIA LABORATURUS EST, NEC QUONIAM BREVIS ILLI VITA EST. Solius gloriæ præmiique ex æmulis referendi causâ laborat. Hoc unum est artificis studium. Inanem sanè ac miseram laboris mercedem! Nihil agendo laborat. *Gloriam præfert, quoniam res supervacuas fingit.* Græcus ad verbum (p): *Atque gloriam putat, quod adulterina*, res inanes, levissimas, *fingit*. Græcum vocabulum propriè de adulterino numismate seu metallo usurpatur.

℣. 10. CINIS EST COR EJUS, ET TERRA SUPERVACUA SPES ILLIUS (q). Habes hìc genuinam descriptionem Ethnicorum, cæterorumque, qui unicum vitæ suæ finem habent superbiam, gloriam, famam. Cinis est cor eorum, & pulvis spes illorum. Ubi mors accesserit, inanes sese & mercede carentes sentient; solusque illis supererit pudor & desperatio. Cùm enim creatis in rebus supremam sui ipsorum beatitudinem esse constituerint, creatis simul a rebus atque a rerum Creatore destituentur.

℣. 11. INSUFFLAVIT EI SPIRITUM VITALEM. Vide *Genes.* II, 7; *Eccle.* II, 7. Idem Deus animalem vitam & spiritum largitur; animamque rationalem, actionum, sensuum, rerumque, quas Sapientes, ac peritissimi artifices invenere, principium, dedit: *Inspiravit illi animam, qua operatur.*

℣. 12. ÆSTIMAVERUNT LUSUM VITAM NOSTRAM, ET CONVERSATIONEM VITÆ COMPOSITAM AD LUCRUM; censuerunt, quærendas esse quâlibet viâ opes, uti docent Profani (r):

O Cives, Cives, quærenda pecunia primùm est.
Virtus post nummos.

Justè, si potes, divitias para; sin minùs, qualibet arte, legibus justitiæ, veritatis, humanitatisque conculcatis (s).

. . . . Ut facias rem
Si possis, rectè; si non, quocumque modo rem.

Græcus (t): *Æstimaverunt scenicum ludum esse vitam nostram, ætatemque hominis quæstuosam nundinationem.* Fides, justitia, Leges, Religio nugæ illis sunt, & puerorum terricula. Futuri sæculi memoriâ, conscientiæ stimulis, Divinisque Judiciis minimè moventur, quippe quæ esse non credant. Hominum inventa, inquiunt, sunt, ut populos in officio contineant. Sanctorum effatum est, vitam hominis scenam esse, ubi suam quisque personam agit: at aliud planè intelligebant illi, quàm quod impii. *Deus*, inquit Synesius (u), *nobis & fortunæ diversa vitæ genera, quasi personas quasdam in hac ingenti mundi fabulâ induit: eam unusquisque gerit, ut potest*: Dei consiliis obsequi nos decet. Quamlibet ille personam dederit, eâ contenti esse debemus, sive mendici sit, sive Regis. Potest autem unusquisque personam in suâ conditione rectè agere. *Vita præsens ludus est*, ait S. Chrysostomus (x), *imò quod pejus. Quid a pueris differimus ludentibus, & domos ædificantibus, aut splendidas erigentes domos? Pueri sumus, seria esse putamus, & testas & lutum coagmentantes, non minùs magna erigentibus septa soliciti sumus, verumtamen statim pereunt & collabuntur; & neque, si starent, usquam nobis utilia forent, sicut nec ista splendida domus*, quæ mortuos non sequentur.

℣. 13. HIC ENIM SCIT SE SUPER OMNES DELINQUERE. Alii fortasse erunt, qui in simulacris, quæ ipsi colunt, spiritum, ac Numen ibi commorans, delataque sibi obsequia excipiens, esse putent: at Artifex, qui simulacra finxit, atque optimè novit, sese ex eodem luto & Numen & matellam conflasse, quanto majoris peccati reus esse censendus est, qui suum ipsius opus veneratur?

℣. 14. INFELICES SUPRA MODUM ANIMÆ (y) SUPERBI, SUNT INIMICI POPULI TUI. Græcus (z): *Omnes verò insanissimi, & infelices supra animas infantium, inimici populi tui.* Putare videtur, animabus infantium molestiam ex ignorantiâ creasi. Profectò, si rationalem animam in corpore infantis contempleris, illam ponas necesse est in miserrimâ molestissimâque conditione positam, mentis lumine, cognitione, experientiâ carentem, quin suas ipsa molestias, dolores aut voluptates significare queat. His infeliciores atque insaniores erant Ethnici Judæorum hostes, Syri, Ægyptii, cæteræque gentes, quæ Judææ imperium tenuerunt

(p) Καὶ δόξαν ἡγεῖται ὅτι κίβδηλα πλάσσει. (q) *Ita Græc.* Σποδὸς ἡ καρδία αὐτοῦ, καὶ γῆς εὐτελεστέρα ἡ ἐλπὶς αὐτῶν. (r) *Horat. Ep. lib.* 1, *ep.* 1. (s) *Idem, ibidem.*
(t) Ἐλογίσαντο παίγνιον εἶναι τὴν ζωὴν ἡμῶν, καὶ τὸν βίον πανηγυρισμὸν ἐπικερδῆ.
(u) *Synes. lib.* 1 *de Providentiâ, apud Cornel. hic.* (x) *Chrysost. Homil.* 47 *ad populum.*
(y) *Complut. Anima sua superbi, &c.* (z) Πάντες δὲ ἀφρονέστατοι, καὶ τάλανες ὑπὲρ ψυχὰς νηπίων, οἱ ἐχθροὶ τοῦ λαοῦ σου.

℣. 15. Quoniam omnia idola nationum deos æstimaverunt, quibus neque oculorum usus est ad videndum, neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, neque digiti manuum ad tractandum, sed & pedes eorum pigri ad ambulandum.

℣. 16. Homo enim fecit illos: & qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit deum fingere.

℣. 17. Cùm enim sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior enim est ipse his, quos colit, quia ipse quidem vixit, cùm esset mortalis, illi autem nunquam.

℣. 18. Sed & animalia miserrima colunt: insensata enim comparata his, illis sunt deteriora.

℣. 19. Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona potest conspicere. Effugerunt autem Dei laudem, & benedictionem ejus.

COMMENTARIUS.

runt post reditum e Captivitate, quo tempore hujus Libri Scriptorem vixisse arbitramur. Pueri enim fortasse simulacra veros homines esse censebunt; at Ethnici Deos putant: *Quoniam omnia Idola nationum Deos æstimaverunt.*

℣. 15. Quibus neque oculorum usus est (a), &c. Confer Psalmum cxiii, vel cxiv, & cxxxiv, 26, ex quo hic locus desumptus esse videtur.

℣. 18. Animalia miserrima colunt. Græcus (b): *Animalia perniciosissima colunt*, ceu angues, lupos, leones, crocodilos, &c. Communis erat hæc Religio Ægyptiis, utì superiùs animadvertimus, xi, 16.

Insensata enim comparata his, illis sunt deteriora. Profectò, si utilitatis, pulcritudinis, vel industriæ ratio habeatur, quàm multa inveniuntur animalia utiliora, pulcriora, dociliora, majorique industriâ prædita, quàm angues, lupi, canes, hirci, leones, crocodili, quos Ægyptii venerabantur? Æquali saltem honore digni erant equus, elephas, vulpes, pavo. Græcus ad verbum (c): *Ignorantiâ enim comparata, aliis sunt deteriora.* Feræ, quas colunt, multo stupidiores sunt, quàm eæ quas ab aris prohibent.

℣. 19. Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona potest conspicere. Ipse horum animalium aspectus placere aspicientibus nequit. Eàdem fermè sententiâ Græcus (d): *Sed nec ut amet pulcra sunt, pro captu forma animantium.* Nonnisi odio haberi possunt, si illa tantummodò inspicias.

Effugerunt Dei benedictionem. Dei favorem quodammodò abnuerunt, primamque eam dignitatem, quâ tum distinguebantur, cùm e Creatoris manu prodirent (e). *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Eâ venustate, ac bonitate, quâ cæterorum amorem sibi conciliabant, spoliata sunt. Deus scelere Ethnicorum provocatus, maledicto hæc animalia feriit, utì olim Serpentem, quo usus est Dæmon, ut Evæ insidias pararet.

CAPUT XVI.

Dei Providentia erga amicos & inimicos. Ægyptios in scelere obfirmatos malis & suppliciis opprimit: cumulat beneficiis Hebræos, quibus coturnices, manna, & antidotum adversùs anguium ictus largitur.

℣. 1. PRopter hæc, & per his similia passi sunt dignè tormenta, & per multitudinem bestiarum exterminati sunt.

℣. 2. Pro quibus tormentis bene disposuisti populum tuum, quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui, novum saporem, escam parans eis ortygometram:

COMMENTARIUS.

℣. 1. PRopter hæc, et per his similia passi sunt digne tormenta, et per multitudinem bestiarum exterminati sunt. Vel ex Græco (a): *Per multitudinem bestiarum cruciati sunt.* Ægyptios innuit, qui cultûs pœnâ, quo animalia prosequebantur, innumerabili insectorum exercitu puniti sunt, qui ipsos sub Moyse afflixerunt. Vide superiùs, xii, 23; Exodum, viii, 2, 3, 16, 21; x, 4. Infestas primùm ranas, tum sciniphes, vel pediculos, deinde muscas, ac demùm locustas experti sunt.

℣. 2. Pro quibus tormentis bene disposuisti

(a) *Complut. & alii quid. Visus est.* (b) Τὰ ζῶα δὲ τὰ ἔχθιστα σέβονται. (c) Ἀνοίᾳ γὰρ συγκρινόμενα, τῶν ἄλλων ἐστὶ χείρονα. *Lege*, ἀνοίᾳ, *cum Vatab. Grot. &c. vel* ἀγνοίᾳ. Vide supra, xiv, 54, nominativum pro dativo. (d) Οὐδ' ὅσον ἐπιποθῆσαι, ὡς ἐν ζώων ὄψει, καλὰ τυγχάνει.
(e) *Genes.* i, 31. (f) *Genes.* iii, 14. (a) Διὰ πλήθους κνωδάλων ἐβασανίσθησαν.

℣. 3. Ut illi quidem concupiscentes escam propter ea, quæ illis ostensa, & missa sunt, etiam a necessariâ concupiscentiâ averterentur. Hi autem in brevi inopes facti, novam gustaverunt escam.

℣. 4. Oportebat enim illis sine excusatione quidem supervenire interitum exercentibus tyrannidem: his autem tantùm ostendere, quemadmodum inimici eorum exterminabantur.

℣. 5. Etenim cùm illis supervênit sæva bestiarum ira, morsibus perversorum colubrorum exterminabantur.

℣. 6. Sed non in perpetuum ira tua permansit; sed ad correptionem in brevi turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuæ.

℣. 7. Qui enim conversus est, non per hoc, quod videbat, sanabatur, sed per te omnium salvatorem.

℣. 8. In hoc autem ostendisti inimicis nostris, quia tu es, qui liberas ab omni malo.

℣. 9. Illos enim locustarum, & muscarum occiderunt morsus, & non est inventa sanitas animæ illorum: quia digni erant ab hujusmodi exterminari.

℣. 10. Filios autem tuos nec draconum venenatorum vicerunt dentes: misericordia enim tua adveniens sanabat illos.

℣. 11. In memoriâ enim sermonum tuorum examinabantur, & velociter salvabantur, ne in altam incidentes oblivionem, non possent tuo uti adjutorio.

COMMENTARIUS.

STI POPULUM TUUM, QUIBUS DEDISTI CONCUPISCENTIAM OBLECTAMENTI SUI; coturnices scilicet, quas in deserto bis dedit Deus *(b)*. Docet Moyses, Deum iræ suæ mysterio coturnices populo concessisse, præsertim secundò, in deserto Sin. Hoc tamen ipsum proposito Sapientis servit; semper enim inde colligas necesse est, aliâ ratione Deum erga suos atque erga alios agere. Eodem enim tempore, quo irritatur populi seditione, delicatissimos illi cibos largitur. Quanto beneficentior futurus, ubi morigeri fuerint?

℣. 3. UT ILLI QUIDEM CONCUPISCENTES ESCAM, ETIAM A NECESSARIA CONCUPISCENTIA AVERTERENTUR, ob fœditatem bestiarum, qua Deus in ipsos miserat *(c)*. Teste Moyse, ranæ totam latè Ægyptum impleverant, ut in ipsis Ægyptiorum ædibus, mensis cibisque invenirentur *(d)*.

HI AUTEM IN BREVI INOPES FACTI, Hebræi scilicet, suavissimo cibo saturati sunt. Hoc discriminis inter Dei populum, ejusque hostes Ægyptios est: hi enim inter patriæ domûs bona fame laborant; illi horridâ in solitudine bonis cumulati saturantur, Si brevi inopiâ cruciari Hebræos patitur Deus, statim ad ipsos redit, eorumque famem uberrimè explet.

℣. 5. CUM ILLIS SUPERVENIT SÆVA BESTIARUM IRA. Verum quidem est, Hebræos sævissimarum belluarum veneno cruciatos fuisse, anguium alatorum morsibus obnoxios *(e)*: at erecto æneo serpente, statim illos reddidit incolumes Deus. Animadvertit Moyses, ignitos hujusmodi angues in seditionis odium missos fuisse; at statim Dei furorem intepuisse; ac vix sæviente morbo, admovisse medicinam.

℣. 6. SIGNUM HABENTES SALUTIS, AD COMMEMORATIONEM MANDATI LEGIS TUÆ. Æneum anguem erigi jussisti, ut inspicientes ex anguium morsibus curarentur. Symbolum quoddam erat, Hebræos docens, quanto obsequio imperiis tuis obtemperandum esset. Nemo enim non intellexisset, æs illud in hastâ constitutum, nullâ virtute ex se instructum esse, quâ morsus anguium curarentur; sed fidei & obedientiæ præmium esse, restitutam incolumitatem, ac beneficium divinâ virtute collatum, fiduciæ causâ, quam Hebræi in Dei promissis collocaverant. Nam, subdit Sapiens, (℣. 7.) *Non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omnium Salvatorem.*

℣. 9. ILLOS ENIM LOCUSTARUM, ET MUSCARUM OCCIDERUNT MORSUS, quamvis hæ veneno careant, atque homini noxiæ naturâ suâ minimè sint; incolumi deinde populo tuo ex anguium morsibus servato. ℣. 10. Muscarum locustarumque morsus lethiferos Ægyptiis fuisse, minimè tradit Moyses; at nihil nisi quod maximè probandum sit, loquaris, si dixeris, tantam fuisse minimarum ejusmodi bestiarum copiam, ut occupatis eâ peste domibus agroque, plures ex Ægyptiis, non ob morsuum vim, sed ob molestiam ingentemque aculeorum multitudinem, perierint.

℣. 11. IN MEMORIA *(f)* SERMONUM TUORUM EXAMINABANTUR *(g)*, ET VELOCITER SALVABANTUR, ne le-

(b) *Exod.* XVI, 13; *Num.* XI, 31; *Psal.* LXXVII, 26. (c) *Ita Edit. Rom.* Διὰ τὴν εἰδέχθειαν τῶν ἀπεσταλμένων. *Complut.* Διὰ τὴν δειχθεῖσαν τῶν ἐπαπεσταλμένων, *ut Vulgata*. (d) *Exod.* VIII, 3. (e) *Num.* XXI, 6, 7. (f) *Hugo, Dionys. Holkot: Immemoria*, oblivio. (g) *Græc.* Εἰς ὑπόμνησιν τῶν λόγων σου ἐνεκεντρίζοντο, *Ad recordationem mandatorum tuorum*, ne legis tuæ obliviscerentur, *pungebantur*. Editio Complutensis, Sixtina, aliæque legunt: *Exterminabantur*.

℣. 12. Etenim neque herba, neque malagma ſanavit eos, ſed tuus, Domine, ſermo, qui ſanat omnia.

℣. 13. Tu es enim, Domine, qui vitæ & mortis habes poteſtatem, & deducis ad portas mortis, & reducis:

℣. 14. Homo autem occìdit quidem per malitiam, & cùm exierit ſpiritus, non revertetur, nec revocabit animam, quæ recepta eſt:

℣. 15. Sed tuam manum effugere impoſſibile eſt.

℣. 16. Negantes enim te noſſe impii, per fortitudinem brachii tui flagellati ſunt: novis aquis, & grandinibus, & pluviis perſecutionem paſſi, & per ignem conſumpti.

℣. 17. Quod enim mirabile erat, in aquâ, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat: vindex eſt enim orbis juſtorum.

℣. 18. Quodam enim tempore manſuetabatur ignis, ne comburerentur, quæ ad impios miſſa erant animalia: ſed ut ipſi videntes ſcirent, quoniam Dei judicio patiuntur perſecutionem.

COMMENTARIUS.

ne legis tuæ obliti opponerent tuo auxilio impedimentum. Opportunum vulneri remedium, quod inspecto æneo angue ſentiebant, illos legis tuæ tuarumque promiſſionum atque minarum reminiſci cogebat. Si ſubitâ morte erepti fuiſſent, mandatorum tuorum meminiſſe, aut clementiæ tuæ beneficio tuâque ope uti non potuiſſent. Duplex utilitas ex anguium morſu oriebatur: altera, quòd monerentur Iſraëlitæ Divinæ juſſionis; altera, quòd ad erectum Deo jubente ſignum confugere cogerentur.

℣. 12. NAQUE HIRBA, NEQUE MALAGMA SANAVIT EOS; SED TUUS, DOMINE, SERMO. *Malagma* apud Medicos fomentum eſt, quod integræ cuti imponitur, ad apoſtemata aliosve tumores præter naturam molliendos. Remedia, quibus Deus Hebræos ab anguibus ictos curavit, præter naturam erant; Omnipotens ſcilicet Dei Verbum, quod ſtatim incolumitatem reſtituit. Superiùs legimus (b), Dei Verbum ceu animâ inſtructum, a Deo miſſum, ut ipſius Dei nomine agat. Denique Dei Verbum, Sacræ Scripturæ, Dei ſervorum exempla, remedia ſunt præſentiſſima, & cuilibet morborum generi utiliſſima. *Omnis morbus animæ habet in Scripturâ medicamentum ſuum*, inquit S. Auguſtinus in Pſalmum XXXVI.

℣. 13. DEDUCIS AD PORTAS INFERI, ET REDUCIS. Hæc verba deſumpta ſunt ex Deuteronomio, XXXII, 39, & ex Cantico Annæ Samuelis matris (i). Iiſdem utitur Tobias (k), ut ſupremum ſignificet Imperium, quo Deus in hominum vitam necemque potitur. Portæ inferi ſunt portæ mortis vel ſepulcri. Plerumque Scriptura *infernum* pro ſepulcro uſurpat. Chriſtus inferni & mortis claves habere dicitur in Apocalypſi, I, 18. Profani etiam portarum inferni, & Regni Plutonis meminerunt (l).

℣. 14. HOMO OCCIDIT QUIDEM... ET CUM EXIERIT SPIRITUS, NON REVERTETUR, NEC REVOCABIT ANIMAM, QUÆ RECEPTA EST; ubi Deus, qui animam in corpore collocavit, ipſam inde reduxerit (m). Græcus paulo aliter fert (n): *Egreſſus autem ſpiritus non revertetur, neque* homo *diſſolvet animam, cùm Deus revocaverit illam.* Tunc liberi hominum poteſtate futuri ſumus, quorum vires nobis nocere non poterunt. Hominum quidem poteſtas ad corporum usque deſtructionem fertur; atque id ſolummodo efficere poteſt, ut anima corporis contubernium relinquere cogatur: at animæ ipſius ſubſtantia hominum injuriis inacceſſa eſt. Hinc Chriſtus (o): *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.*

℣. 16. NEGANTES ENIM NOSSE TE IMPII, PER FORTITUDINEM BRACHII TUI FLAGELLATI SUNT. Pharao, ſæviſſimus ille & arrogans populi tui hoſtis, qui Moyſi ſeſe tuo nomine alloquenti respondit (p): *Quis eſt Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam*; validiſſimas brachii tui vires agnoſcere coactus eſt, cùm tu illum dejeceris, ac veniam flagitare coëgeris. Ægyptios inſolitis imbribus, grandine, procellâ, igne afflixiſti, præter cætera mala, quæ diximus: *Novis aquis & grandinibus & pluviis perſecutionem paſſi*, & *per ignem conſummati*; vel aquis in ſanguinem verſis, *novis aquis*; vel pluviis eo tempore ac loco miſſis, quibus cadere non conſueverant. Græcus ad verbum: *Alienis pluviis*. Raros eſſe in Ægypto imbres, & præſertim quibusdam temporibus locisque penitus nullos (q), nemo ignorat. *Grandinis* meminit conceptis verbis Moyſes (r), utì & *procella* (s), ſeu vehementis pluviæ, cum impetu ruentis, cui tonitrua, fulmina, fulgura, & Cœlicus ignis miſcebantur. *Grando & ignis miſta pariter ferebantur, &c.* Hoc ſequenti ℣. perſequitur.

℣. 17. IN AQUA, QUÆ OMNIA EXTINGUIT, PLUS VALEBAT IGNIS. Apertiſſimo tui furoris indicio, ignis unà cum imbribus vehementiſſimis ruebat, nedum iis non extinctus, verùm etiam novis viribus auctus. Ignem alere & augere videbatur aqua, utì deinceps aqua, qua Elias Propheta inspergi aram, & holocauſti ſui ligna juſſit (t); & lutum, quod ſuper Altare poſt Captivitatem infuſum eſt (u). Neque hoc levius prodigium

(b) Superius, XII, 9. Vide & infra, ℣. 26, & XVIII, 15; & *Pſal.* CVI, 20. (i) 1 *Reg.* II, 6. (k) *Tob.* XIII, 2.
(l) *Virgil. Æneid.* VI, VII; *Homer. Iliad.* VIII; *Heſiod. Theogon.* (m) *Vide Eccle.* XII, 7.
(n) Ἐξελθὸν δὲ πνεῦμα οὐκ ἀναστρέψει, οὐδὲ ἀναλύει ψυχὴν παραλημφθεῖσαν. (o) *Matt.* X, 28.
(p) *Exod.* V, 2. (q) Vide *Philon. lib.* 1 *de Vit. Moyſ.* (r) *Exod.* IX, 18, 19. (s) *Exod.* IX, 23, 24.
(t) 3 *Reg.* XVIII, 39, 40. (u) 2 *Macc.* I, 20.

℣. 19. Et quodam tempore in aquâ supra virtutem ignis exardescebat undique, ut iniquæ terræ nationem exterminaret.

℣. 20. Pro quibus, angelorum escâ nutrivisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem.

℣. 21. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur.

COMMENTARIUS.

ginm fuit ignis, qui cùm adeò ardens esset, ut nihil penitus illum aqua coërceret, missis in Ægyptios bestiis, ranis, muscis, culicibus, minimè nocuit (x). ℣. 18: *Mansuetabatur ignis, ne comburerentur quæ ad impios missa erant animalia.* Putare hìc videtur Author, bestias, quæ præteritis plagis missæ fuerant, ruente grandine adhuc in Ægypto fuisse: id quod Moysi repugnare videtur, narranti, jam cessasse ranas, culices & muscas, cùm ruere grando cœpisset, ne unâ quidem ranâ extra Nilum superstite (y), nullâque muscâ in Ægypto relictâ (z). Culicum tamen plagam, in qua Pharaonis Magi digitum Dei esse, fateri coacti sunt (a), desiisse non scribit. Quamobrem de culicibus fortasse Sapiens agit, cæterisve animalibus mox enumeratis, quibus nocere non potuerunt Ægyptii fumo atque ignibus, quos passim accendebant, ut illa ejicerent (b).

℣. 19. Ut iniquæ terræ nationem exterminaret. Missus a te ignis quicquid plantarum aut arborum in Ægypto erat, vastavit. Sunt qui (c) *terræ nationem* universum hominum atque animalium genus interpretentur.

℣. 20. Pro quibus, Angelorum esca nutrivisti populum tuum, &c. Manna populo tuo largitus es, cœlestem quodammodo cibum, cùm e Cœlo unà cum rore caderet, jucundoque adeò sapore esset, ut ipsis Angelorum manibus paratum, ipsorumque annona putari posset. Hæc phrasis, *Angelorum esca*, ex Psalmo LXXVII, 25, est, ubi tropico & poëtico more usurpatur. Simili fermè tropo suavissimus quilibet liquor nectar & ambrosia dicitur (d); ac Deorum vinum, illud quod præstantissimum est; quasi diceres, Deos vel Angelos, si rerum corporearum more alerentur, suaviore cibo, quàm manna, seu vino præstantiore minimè usuros. Alii sunt Scripturæ loci huic similes. Ita canit Psalmista, aquam Moysis prodigio e rupe elicitam, mel eximium fuisse (e): *De petrâ melle saturavit eos.* Agens verò de Terrâ promissionis Moyses (f), ait, mellis & lactis rivos undique in eâ regione manare. Joël (g) futuram Judææ felicitatem post reditum e captivitate describens, vaticinatur fore ut montes fluant dulcedine, atque ex collibus fontes lactis ac mellia erumpant. Ista interprete non egent.

Omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem, Quamlibet omnium ciborum conviviorumque suavitatem unicum manna continebat. Exquisitissimum erat omnium saporum compendium. Hæc per hyperbolen ac tropum dicta esse censenda sunt, uti ea quæ ℣. superiori. De manna fusiùs egimus in Exodo, XVI.

℣. 21. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat (h). Veterum Patrum nonnulli (i) hoc loco *substantiæ* nomine Deum ipsum, aut Filium unius cum ipso substantiæ intelligunt, qui infinitæ misericordiæ beneficio suavissimam escam Israëlitis in singulos dies parabat. At Interpretes (k) de cœlesti hoc cibo cœlitus misso, qui novum semper Divinæ misericordiæ argumentum erat, proniore sensu explicant.

Et deserviens uniuscujusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur. Græcus ad verbum (l): *Largientis*, admoventis, *voluntati subministrans, ad quod quisque volebat, temperabatur.* Manna, Dei populo sese largientis voluntati obsequens, in eum saporem, qui unicuique placeret, sese temperabat. Censent nonnulli (m), manna non tantùm saporem, sed & substantiam mutasse ad cujusque libitum, exteriore formâ minimè mutatâ; non secùs ac in Eucharistiæ Sacramento panis & vinum in Christi Corpus & Sanguinem convertuntur, intactis accidentibus, quibus sensus hominum feriuntur; quamobrem qui avem, ovum, piscem cuperet, ea verè ac propriè, mutatâ mannæ substantiâ, comedisse. At prodigium minimè necessarium hæc sententia inducit.

Explicatio maximè omnium communis & probatissima fert, saporem solummodò mutasse pro comedentium desiderio; quin & S. Augustinus aliique (n) hoc prodigium iis solummodò profuisse censent, qui Deo morigeri erant, ipsique constanti religione obtemperabant. Si enim omnibus prorsus Israëlitis commune beneficium fuisset, ut quemlibet in Mannâ saporem haberent, fieri ne potuisset, ut in seditionem descenderent, seque tædio mannæ affici quererentur (o)? His manna nihil insolitum erat, cæteris omnia, omniumque loco, cibisque præstantissimis par habeba-

(x) *Vatab. Grot. &c.* Vide inferiùs, XIX, 20, ubi eadem, quæ hìc, res legitur.
(y) *Exod.* VIII, 11, 12: *Et tantùm in flumine remaneant.*
(z) *Exod.* VIII, 31: *Non superfuit ne una quidem.* (a) *Ibidem*, ℣. 18. (b) *Ita Jans. Dionys. Cornel. Lorin.* (c) *Grot. Vatab. Lorin. Græc.* Ἵνα ἀδίκου γῆς γεννήματα διαφθείρῃ. *Vide Exod.* IX, 25.
(d) Hoc nomine Author manna nuncupat infra, XIX, ℣. 20. (e) *Psal.* LXXVII, 25.
(f) *Exod.* III, 8; XIII, 5; XXXIII, 3; *Levit.* XX, 24, *& passim.* (g) *Joël.* III, 18.
(h) *Complut. & Sixti* V, *& alii plures legunt: Substantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat.* Græcus cum Vulgatâ congruit: Ἡ μὲν γὰρ ὑπόστασίς σου τὴν σὴν πρὸς τέκνα ἐμφάνιζε γλυκύτητα. (i) *Nazianz. orat.* 49; *Fulgent. contra Arian. ad* 4 *object. Victor. Uticens. Optatat, alii quidam. Vide Cornel. a Lapide.* (k) *Cantacuzen. Hugo, Jans. Vatab. Cornel. alii passim.* (l) Τῇ δὲ τοῦ προσφερομένου ἐπιθυμίᾳ ὑπηρετῶν, πρὸς ὅ τις ἐβούλετο μετεκιρνᾶτο.
(m) *Vide apud Cornel. a Lapide; de Saintes, de Eucharist. repetit.* 7, *c.* 3; *Villegagnon, contra Calvin. c.* 51; *Bozius de notis Eccles. c. ult. Gregor. de Valentiâ, lib.* 4, *disp.* 6, *qu.* 3, § 4.
(n) *Aug. Retract. lib.* 2, *c.* 9 *&* 20; *Greg. lib.* 6 *moral. c.* 9; *Hieron. in Psalm.* CXLVII; *Lyr. Dionys.*
(o) *Num.* XI, 4; *&* XXI, 5.

℣. 22. Nix autem & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant: ut scirent, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine, & pluviâ coruscans.

℣. 23. Hic autem iterum, ut nutrirentur justi, etiam suæ virtutis oblitus est.

℣. 24. Creatura enim tibi Factori deserviens, exardescit in tormentum adversùs injustos: & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.

℣. 25. Propter hoc & tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deserviebat, ad voluntatem eorum, qui a te desiderabant:

℣. 26. Ut scirent filii tui, quos dilexisti, Domine, quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat.

℣. 27. Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat:

℣. 28. Ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.

COMMENTARIUS.

bebatur. Satis hæc sunto, ut veritas dicto Sapientis constet, & prodigia nullâ necessitate jubente non multiplicentur.

℣. 22. NIX AUTEM ET GLACIES SUSTINEBANT VIM IGNIS, ET NON TABESCEBANT; UT SCIRENT, filii sui, eumdem ignem, qui mannæ Hebræorum parcebat, Ægyptiorum fructus & arbores cremare, interque pluvias & grandinem vivere: *Ignis ardens in grandine & (in) pluviâ coruscans* (p). Ipsum manna nuncupat *nivem & glaciem*, quòd reverâ simile pruinæ esset, vel rori concreto (q), vel minutis illis granulis, quæ per pruinas in summo herbarum cacumine videmus. Prætereà sole liquabatur, atque in aquam solvebatur (r), non secùs ac glacies & nix solent. Vel illud ipsum prodigium innuit, quod superiùs dixit, ℣℣. 17, 18, 19, ignem scilicet cœlitùs in Ægyptios missum, non modò inter imbres & grandinem extinctum non esse, sed vi majore arsisse. Quæ sequuntur, priori potiùs interpretationi favent. Vide & Caput XIX, 20: *Nec flammæ dissolvebant illam ambrosiam, quæ facilè solvitur sicut glacies.*

℣. 23. HIC AUTEM ITERUM, UT NUTRIRENTUR JUSTI, ETIAM SUÆ VIRTUTIS OBLITUS EST (s). Ignis nedum manna non liquabat, verùm etiam coquebat, ut aptus Hebræis cibus fieret. Ita de eo Moyses (t): *Circuibat populus, & colligens illud, & frangebat molâ, sive terebat in mortario, coquens in ollâ, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati.* Idem verò manna si in sole relinqueretur, liquabatur, ac penitus evanescebat, ut inferiùs dicitur, ℣. 27, & a Moyse animadvertitur (u). Prodigium hoc persequitur Sapiens hìc, & in sequentibus: *Creatura enim tibi Factori deserviens, exardescit in tormentum adversùs injustos.* Porrò hæc creatura ignis est, inter ipsas aquas majore vi fervens, cùm Ægyptii puniendi erant, & mitior, ubi Hebræis servire deberet.

℣. 25. IN OMNIA TRANSFIGURATA, OMNIUM NUTRICI GRATIÆ TUÆ DESERVIEBAT, in commodum eorum, qui a te opem flagitabant. De eâdem hìc creaturâ loquitur, de qua superiùs, scilicet igne. Hic ut Dei jussis obtemperaret, Divinisque erga populum consiliis serviret, in quamlibet quodammodò formam convertebatur. Ægyptios cremabat, parcebat Hebræis: in Ægypto inter aquas ardebat, in solitudine ipsum manna non liquabat. Pro his verbis (x), *Qui a te desiderabant*, Complutensis editio, & Sixtina legunt: *Qui a te desiderati sunt. Gratia nutrix omnium*, vel ex Græco (y), *donum omnia nutriens*, ipsa est Dei misericordia, suorum, cæterorumque hominum rebus consulens.

℣. 26. UT SCIRENT, QUONIAM NON NATIVITATIS FRUCTUS PASCUNT HOMINES, SED SERMO TUUS HOS, QUI IN TE CREDIDERINT, CONSERVAT. Non solus cibus hominem pascit ac tuetur, sed Divini verbi virtus; si enim Divinæ voluntatis vis absit, terræ fructus solâ sui ipsorum virtute homines minimè nutrit. Eamdem rem Moyses tradidit his verbis (z): *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei;* scilicet, nutriendi virtutem quibuslibet rebus pro libito largiri potest Deus. Eâdem Moysis sententiâ usus est in solitudine Christus (α), ut Dæmonem ejiceret, sese hortantem, ut lapides in panes converteret. Pro, *nativitatis fructus*, Græcus legit (β), *Nativitates fructuum*, varia fructuum genera.

℣. 28. OPORTET PRÆVENIRE SOLEM AD BENEDICTIONEM TUAM, ad laudes tuas dicendas. Uti solis ortum prævenire oportebat, qui manna colligere cuperet, ne manna liquaretur; ita qui Cœlestibus bonis ac beneficiis cumulari volunt (γ), illi diluculò surgendum est, ut oret ac Deo laudes persolvat.

(p) *Græc.* Πῦρ φλεγόμενον ἐν τῇ χαλάζῃ, καὶ ἐν τοῖς ὑετοῖς διαστράπτων.

(q) *Exod.* XVI, 14. *Vide Grot.* (r) *Exod.* XVI, 21. (s) *Edit. Compl. Hoc autem iterum ut nutrirentur justi, ignis etiam suæ virtutis oblitus est.* (t) *Num.* XI, 8. (u) *Exod.* XVI, 21.

(x) *Græc.* Πρὸς τὴν τῶν δεομένων θέλησιν, *Ad voluntatem petentium*; vel, *indigentium*.

(y) Τῇ παντοτρόφῳ σου δωρεᾷ. (z) *Deut.* VIII, 3.

(α) *Matt.* IV, 4. (β) Αἱ γενέσεις τῶν καρπῶν.

(γ) *Ita Bragens. Vatab. Jansen. Clar. alii.* *Græc.* Εὐχαριστίαν σου.

℣. 29. Ingrati enim spes tamquam hibernalis glacies tabeſcet, & diſperiet tamquam aqua ſupervacua.

COMMENTARIUS.

℣. 29. INGRATI ENIM SPES TAMQUAM HIBERNALIS GLACIES TABESCET. Deſides Iſraëlitæ, qui manna colligere uſque poſt ſolis ortum differebant, eo liquato, ſpe fruſtrabantur. Ita ingratus homo, diluculo ſurgere ad gratias Deo agendas renuens, ejuſque gratiam ſibi conciliare negligens, ſpem ſuam evaneſcere ſentiet, ut hyberna glacies ſole liqueſcit.

CAPUT XVII.

Ægypti tenebræ. Ægyptiorum formido. Spectra, quibus Ægyptii terrebantur; fruentibus interim jucundiſſimo lumine Hebræis.

℣. 1. MAgna ſunt enim judicia tua, Domine, & inenarrabilia verba tua: propter hoc indiſciplinatæ animæ erraverunt.

℣. 2. Dum enim perſuaſum habent iniqui, poſſe dominari nationi ſanctæ: vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, incluſi ſub tectis, fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt.

℣. 3. Et dum putant ſe latêre in obſcuris peccatis, tenebroſo oblivionis velamento diſperſi ſunt, paventes horrendè, & cum admiratione nimiâ perturbati.

℣. 4. Neque enim, quæ continebat illos ſpelunca, ſine timore cuſtodiebat: quoniam ſonitus deſcendens perturbabat illos, & perſonæ triſtes illis apparentes pavorem illis præſtabant.

COMMENTARIUS.

℣. 1. MAGNA SUNT ENIM JUDICIA TUA, DOMINE, ET INENARRABILIA VERBA TUA (a). Græcus: *Magna tua judicia, & memoratu difficilia*. Formidanda eſt ſeveritas, qua in impios tuæ voluntati contrarios animadvertis. Ingens hujus rei argumentum ſunt tenebræ, de quibus ſtatim.

PROPTER HOC INDISCIPLINATÆ ANIMÆ ERRAVERUNT, Ægyptii, quorum impiæ artes, inſanaque conſilia decepta ſunt. Cùm enim Hebræos in ſervitutem redigere iniquiſſimè conarentur (b), maribus interfectis (c), Divinum furorem provocavere, a quo malis plagiſque oppreſſi ſunt.

℣. 2. VINCULIS TENEBRARUM LONGÆ NOCTIS COMPEDITI, INCLUSI SUB TECTIS, FUGITIVI PERPETUÆ PROVIDENTIÆ JACUARUNT, ſcilicet providentiæ beneficiis carentes. Hæc verò beneficia ſunt diei jubar, calor, Cœli, rerumque, quæ circa nos ſunt, aſpectus. Qui hujuſmodi beneficiis carent, quæ cuilibet homini, bono, malove, communia ſunt (d), *fugitivi providentia* (e) nuncupantur, ceu ſervi fugaces atque indomiti, quos herus vinculis onerat, & cæco carcere claudit; *Vinculis longæ noctis compediti*. Is erat Ægyptiorum ſtatus per cæcum illud tenebrarum triduum, quo (f) *nemo vidit fratrem ſuum, nec movit ſe de loco in quo erat*.

℣. 3. DUM PUTANT SE LATERE IN OBSCURIS PECCATIS, &c. Antequam tenebræ totam Ægyptum exteriùs occuparent, Ægyptii tenebris interioribus, multoque magis pernicioſis, atque obſcuris quàm quæ terras deinde tenuerant, opprimebantur; criminum ſcilicet tenebris, profundâque nequitiâ, ſub quâ divinæ ultionis fugacem latère ſeſe poſſe ſperabant. At Deus, ut illos puniret, utì peſſimæ animi illorum habitudines poſcebant, triſtiſſimâ nocte illos obvolvit, quâ territi ſunt, *paventes horrendè, & cum admiratione nimiâ perturbati*. Græcus (g): *Inſanè territi, & ſpectris perturbati*.

℣. 4. NEQUE ENIM QUÆ CONTINEBAT ILLOS SPELUNCA CUSTODIEBAT. Dixerat ℣. 2, Deum in Ægyptios velut in ſervos fugitivos animadvertiſſe, obſcuroque in carcere clauſiſſe. Hìc ſcribit, carcerem hunc, *ſpeluncam* (h), antrum, ubi cæcis catenis vincti erant, egreſſum tentare non audentes, ſatis non fuiſſe, ut formidinem diſſiparet; leviſſimo enim murmure terrebantur, & *perſonæ triſtes illis apparentes, pavorem illis præſtabant*. Græcus (i): *Spectra triſtia mæſtis vultibus apparebant*. Addit Author hìc plura, quæ in Moyſe non leguntur. De bis ſpectris non ſatis conveniunt Interpretes; utrùm vera eſſent ſpectra, an turbatæ mentis imagines ac ludibria. S. Bonaventura, Holchot, & Dionyſius Carthuſianus in poſteriorem ſententiam deſcendunt. Toſtatus, Pererius (k) & Lorinus priori ſubſcribunt: addit verò Cornelius a Lapide, ea ſpectra, quæ vera fuiſſe credit, vel animas Hebræorum puerorum, ab Ægyptiis necatorum, fuiſſe vel Deorum ſuorum imagines, ſub variis imaginibus; Apidis nempe

(a) Duplex hæc vox, *verba tua*, in Græco non legitur. Μεγάλαι γάρ σου αἱ κρίσεις, καὶ δυσδιήγητοι.
(b) ℣. 2: *Dum enim perſuaſum habent iniqui poſſe dominari nationi ſanctæ. Vide Exod.* 1, 10.
(c) *Exod.* 1, 16. (d) *Matt.* v, 45. (e) Φυγάδες τῆς αἰωνίου προνοίας. (f) *Exod.* x, 22, 23.
(g) Θαμβούμενοι δεινῶς, καὶ ἰνδάλμασιν ἐκταρασσόμενοι. (h) Ὁ κατέχων αὐτοὺς μυχός. Moyſes, Exod. x, 23, & Philo in vitâ Moyſis, ajunt illos toto tenebrarum triduo e lecto non ſurrexiſſe. Οὐκ ἐξανέστη οὐδεὶς ἐκ τῆς κοίτης αὐτοῦ τρεῖς ἡμέρας. (i) Καὶ φάσματα ἀμειδῆ τοῖς κατηφέσι προσώποις ἐνεφανίζετο. (k) *In Exod.* x.

℣. 5. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.

℣. 6. Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus: & timore perculsi illius, quæ non videbatur, faciei, æstimabant deteriora esse, quæ videbantur:

℣. 7. Et magicæ artis appositi erant derisus, & sapientiæ gloriæ correptio cum contumeliâ.

℣. 8. Illi enim, qui promittebant timores, & perturbationes expellere se ab animâ languente, hi cum derisu pleni timore languebant.

℣. 9. Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat: transitu animalium, & serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant: & aërem, quem nullâ ratione quis effugere posset, negantes se videre.

℣. 10. Cùm sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis, semper enim præsumit sæva perturbata conscientia.

COMMENTARIUS.

nempe sub tauri formâ; Anubidis sub canis; Ammonis sub Arietis effigie sese exhibentium. Docent alii, Ægyptiorum animas fuisse, qui prioribus sub plagis perierant. Incertissims omnia; de quibus facere ac dubitsre præstat, quàm ea quæ ignorantur asserere.

℣. 5. At ionis quidem nulla vi poterat illis lumen præbera. Tenebræ, quas diximus, densæ adeò erant, atque humidæ, ut sccendi ignis, atque inter ipsas servari non posset. Quamobrem inviti ac reluctantes, triduo in tenebris morti simillimis esse coacti sunt. Idem scribit Philo (l). At si nulla Ægyptiis lux affulgebst, quâ ratione spectra intuebsntur? Ignium scilicet improvisorum ope, subinde micantium, de quibus statim.

℣. 6. Apparebat autam illis subitaneus ignis, timosr plenus, fulguris more fugiens, satis tamen ingens sc vslidus, ut ea, quæ circes ersnt, ostenderet, at infirmior breviorque, quàm ut distinctè per illum agnoscerentur. Hsrum sspectus subitus stque interruptus, terrorem potius, quàm solatium augebst; densissimis enim in tenebris quælibet tristia msgis, magisque formidanda finguntur, quàm sunt. Græcus ad verbum (m): *Apparebat autem illis solùm* inter tenebras *ignis spontaneus, timore plenus*, vel qui terrore complebat.

℣. 7. Et maoicæ artis appositi erant derisus; omnes Magorum srtes inutiles evenere. Ægyptiorum Msgi, qui vera Moysis prodigia præstigiis imitari ubique consti sunt, deceptos sese experti sunt, neque tenebrarum communium expertes esse, neque spectris Ægyptios terrentibus quidquam opponere potuerunt. Vsnæ imagines, quibus ignaros fallere solebant, ludibrio probroque fuerunt. Its sonat Græcus (n).

Et sapientiæ oloriæ correptio cum contumelia. Magorum Ægyptiorum sapientia, & artis peritia inutiles tum fuere. Sapientism nuncupant Hebræi qusmlibet srtem, quæ industriam & studium postulat. Græcus fert (o): *Et arrogantia de sapientiâ refutatio probrosissimu illis fuit*. Demonstrats tunc est Magorum imbecillitas & ignorantis; notumque omnibus fuit, srtem qua illi glorisbsntur, meros esse dolos, & præstigis; ipsi enim cosćti sunt domi manere, pedem efferre non sudentes, communi cæteris Ægyptiis formidine correpti. Hoc dicitur ℣. 8.

℣. 9. Nam at si nihil illos ax monstris perturbabat: transitu animalium, at ssrpentium sibilationa commoti, trembunoi peribant. En alteram esrum tenebrarum circumstantiam, quæ nullibi legitur. Præter spectra, quæ subinde inter subitas fugacesque flammas conspiciebantur, permisit Deus, ut animalis & angues, quos Ægyptii domi slebant, ipsis cædem minitsrentur. Porro id mirum non est in eâ regione, in qua ingens verssbatur venenatsrum sc perniciosarum bellusrum numerus, quss populus divinis honoribus prosequebatur, ac domi inter fsmiliares nutriebant (p). Hæ fame stimulatæ, diuturnoque tenebrarum tædio sffectæ, domi vagabsntur, inconditis vocibus aut sibilis, ut cujusque nsturs ferebat, quibus formido Ægyptiorum, quos terror uno in loco clauserat, sugebatur.

Aerem negantas se vidERA. Intolerabilis erst Ægyptiis vita inter eas tenebrss, terrores sc discrimins. *Videre aërem* est vitâ frui.

Frequinter anim præoccupant pessima reoarguente conscientia. Hæc verbs in Græco & Vulgstâ desunt; leguntur verò in Editione Complutensi, Sixtinâ, aliisque. Esdem fermè res est ac quæ sequenti ℣. leguntur: *Semper enim præsumit sævu, perturbata conscientia*.

℣. 10. Cum sit enim timioa nequitia, dat testimonium condemnationis. Malæ conscientiæ stimuli, follicitudines, formidines illsm sccusant, damnsnt, torquent. Hanc describit his verbis Job (q): *Sonitus terroris semper in auribus illius: & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit quòd reverti possit de tenebris ad lucem, circumspectans undique gladium*. Hoc omnium ætatum experientiâ confirmatur. Impio nihil ignavius aut desidiosius. Conscientiæ stimulus id in animo est, quod carcinoma vel ulcus in corpore (r): snimam assiduis morsibus torquet; novosque semper dolores in eâ pariens, nullam illi quietem

(l) *Philo, lib. 2 de vitâ Mos.* (m) Διεφαίνετο δὲ αὐτοῖς μόνον, αὐτομάτη πυρὰ φόβου πλήρης.
(n) Μαγικῆς δὲ κατέκειτο ἐμπαίγματα τέχνης. (o) Καὶ τῆς ἐπὶ φρονήσει ἀλαζονείας ἔλεγχος ἐφύβριστος. (p) *Herodot. lib. 2, c. 36:* Αἰγυπτίοισι δὲ μετὰ θηρίοισι ἡ δίαιτά ἐστι. *Ælian. lib. 17, c. 5.*
(q) *Job, 15, 21.* (r) *Plutarch. lib. de tranquillit. animi.*

℣. 11. Nihil enim est timor nisi proditio cogitationis auxiliorum.

℣. 12. Et dum ab intus minor est expectatio, majorem computat inscientiam ejus causæ, de qua tormentum præstat.

℣. 13. Illi autem, qui impotentem verè noctem, & ab infimis, & ab altissimis inferis supervenientem, eumdem somnum dormientes,

℣. 14. Aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione: subitaneus etenim illis & insperatus timor supervenerat.

℣. 15. Deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiebatur in carcere sine ferro reclusus.

℣. 16. Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri laborum operarius præoccupatus esset, ineffugibilem sustinebat necessitatem.

℣. 17. Unâ enim catenâ tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, aut vis aquæ decurrentis nimium,

℣. 18. Aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus invisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus Echo, deficientes faciebant illos præ timore.

℣. 19. Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus continebatur.

COMMENTARIUS.

tem noctu diuque permittit.

℣. 11. NIHIL EST ENIM TIMOR, NISI PRODITIO, seu destitutio, COGITATIONIS AUXILIORUM (s), quæ suppeditare potest ratio; scilicet, terror extremus nihil est nisi cujuslibet opis desperatio. Ubi quis nullam rebus suis spem aut a ratione, aut ab industriâ superesse videt, in extremum animi tædium, ac mœrorem labitur. Sapiens hoc loco de metu agit, cum extremus est. Pessimæ conscientiæ stimuli interdum desperationem pariunt.

℣. 12. ET DUM AB INTUS MINOR EST EXPECTATIO, MAJOREM PUTAT INSCIENTIAM (t) EJUS CAUSÆ, DE QUA TORMENTUM PRÆSTAT. Quo minus solatium intra ipsum hominem sperat, eo magis augetur timor, non satis cognoscens quid sibi cruciatum fuerat. Superiore versiculo malæ conscientiæ desperationem descripsit, nihil jam timentis, quòd omnia timeat, nullaque sibi spes supersit: hìc describit animum, qui minùs timet, cui aliqua spei pars restat. Durior est hujus animi conditio, quàm nihil sperantis; malorum enim imminentium ignorantia, & dubium, gravissimâ anxietate & solicitudine illum agitat. Mala sibi fingit multo majora quam sunt, pluraque expectat, quàm quæ passurus est. *Expectatio* hoc loco non spes boni alicujus est, sed metus mali, quo quis opprimendus est (u). Nisi extremus sit timor, fit gravior. *Hæc natura est magnis timoribus*, inquit Tacitus (x), *ut quod evenit deterius credant*. Ægyptii tenebris oppressi, inter mortis metum ac spem finis tenebrarum fluctuantes, omnia verebantur, quin satis nossent quid sibi timendum esset.

℣. 13. ILLI AUTEM QUI IMPOTENTEM VERE NOCTEM (y), ET AB INFIMIS, ET AB ALTISSIMIS INFERIS SUPERVENIENTEM, EUMDEM SOMNUM DORMIENTES, (℣. 14) spectris sibi apparentibus, suâque ipsorum desperatione, vel propriæ conscientiæ stimulis terrebantur. Ægyptiorum tenebras nuncupat *infernas tenebras* (z), quòd spississimæ essent, terroremque inferrent iis, quos obvolvebant. Infernus ita animo fingitur, veluti locus tenebris obsitus, ac desperationis, metûs, & doloris regnum. Binas consternationis Ægyptiorum causas recitat; spectrorum, quæ diximus, aspectum; & desperationem, animi dejectionem, terrorem, & conscientiæ stimulos.

℣. 15. SI QUISQUAM EX ILLIS DECIDISSET, CUSTODIEBATUR IN CARCERE SINE FERRO. Qui ex Ægyptiis sese hisce tenebris obvolutos sensere, veluti profundissimo in loco atque obscurissimo versabantur, ex quibus interdicebatur egressus, quamvis aliis nullis vinculis tenerentur, quàm ipsis tenebris, quibus undique cingebantur. Græcus (a): *Deinde sic quicumque ibi erat collapsus*: qui in eas tenebras lapsi sunt, vel iis obvoluti, omnes eo in loco, ubi tenebræ illos ceperant, moram trahere cogebantur. Quamobrem qui in agro erant, agricolæ, pastores, aliique, ex agro discedere non potuerunt. Hoc fertur ℣. 16.

℣. 17. SIVE SPIRITUS SIBILANS, AUT AVIUM SONUS SUAVIS, &c. Levissimo quolibet murmure terrebantur; omnia metum injiciebant, cæteris extra Ægyptum suavissimâ tranquillitate, fulgen-

(s) Οὐδὲν γάρ ἐστι φόβος, εἰ μὴ προδοσία τῶν ἀπὸ λογισμοῦ βοηθημάτων.
(t) *Complut. & Sixt. V: Majorem computat potentiam ejus causæ.* (u) Ἔνδοθεν δὲ οὖσα ἥττων ἡ προσδοκία, πλείονα λογίζεται τὴν ἄγνοιαν, *&c. Aristotel. lib. 3 Nicomach. c. 9:* Φόβος ἐστὶ προσδοκία τοῦ κακοῦ. *Vide Grot. hic, Nannium, Jans. Clar.* (x) *Tacit. Annal. lib. 15.*
(y) *Complut. Qui in potentem venere noctem.* (z) Ἐξ ἀδυνάτου ᾅδου μυχῶν, *Ex profundis imbecillis inferni*. Animæ, quæ in inferis detinentur, viribus ac defensione carent. Has nuncupat Homerus ἀμενηνὰ κάρηνα, *imbecillia capita*. Putat Grotius, legendum esse, ἐξ ἀδύτου ᾅδου, *ex profundo inferni*. Vertunt alii, ἐξ ἀδυνάτου ᾅδου, *ex inferno intolerabili*. Item eodem ℣. τὴν ἀδύνατον νύκτα, *noctem lethalem & intolerabilem*. (a) Εἶθ' οὕτως, ὃς δήποτ' ἂν ἦν ἐκεῖ καταπίπτων, ἐφρουρεῖτο εἰς τὴν ἀσίδηρον εἱρκτὴν κατακλεισθείς.

℣. 20. Solis autem illis superposita erat gravis nox, imago tenebrarum, quæ superventura illis erat. Ipsi ergo sibi erant graviores tenebris.

COMMENTARIUS.

gentissimoque sole fruentibus.

℣. 20. IMAGO TENEBRARUM, QUÆ SUPERVENTURA ILLIS ERAT (β). Æterna mala significat, quæ Ægyptios post obitum manebant, ceù de nocte obscurissimâ. Sub hac imagine infernus & æterna damnatio apud Evangelium (γ), & Apostolicos libros (δ), styloque Ecclesiæ exhibentur. Addit, Ægyptios sibi ipsis graviores evenisse, quàm tenebras. Conscientiæ stimuli, assiduus timor, desperatio majora erant mala, quàm teterrima tenebrarum obscuritas.

CAPUT XVIII.

Ægyptii tenebris obvoluti sibi gratulabantur, quòd Hebræi mala sibi ab ipsis allata minimè ulciscerentur. Israëlitæ in solitudine deducti, columnæ fulgentis ope. Primi Ægyptiorum liberi ab Angelo vastante interfecti. Hebræi in solitudine a morte servati, intercedente Aarone.

℣. 1. Sanctis autem tuis maxima erat lux, & horum quidem vocem audiebant, sed figuram non videbant. Et quia non ipsi eadem passi erant, magnificabant te:

℣. 2. Et qui ante læsi erant, quia non lædebantur, gratias agebant: & ut esset differentia, donum petebant.

℣. 3. Propter quod ignis ardentem columnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & solem sine læsurâ boni hospitii præstitisti.

COMMENTARIUS.

℣. 1. SANCTIS AUTEM TUIS MAXIMA ERAT LUX. Ægyptiis inter densissimas tenebras assiduosque terrores jacentibus, Sancti tui, tuaque gens nitidissimæ diei jubare fruebantur. Terra Gessen, Hebræorum sedes, malorum omnium, quibus afflicti sunt Ægyptii, expers fuit.

HORUM QUIDEM VOCEM AUDIEBANT; SEU FIGURAM NON VIDEBANT; grates agebant, quòd iisdem malis obnoxii non forent, atque alia esset sibi sors, quàm Ægyptiis inter tenebras versantibus. Satis perspicua est sententia. Nonnulli tamen Latini Codices (a) addunt, *inimici*; qua voce totus loci sensus vertitur. Ægyptii tenebris obsiti Hebræos quidem audiebant, at videre non poterant. Placet hæc interpretatio nonnullis (b); at prima multo est melior.

ET QUIA NON ET IPSI EADEM PASSI ERANT, MAGNIFICABANT TE; ℣. 2. ET QUI ANTE LÆSI ERANT, QUIA NON LÆDEBANTUR, GRATIAS AGEBANT; ET UT ESSET DIFFERENTIA, DONUM PETEBANT. Hoc a te flagitabant, ut pergeres aliâ uti erga se providentiâ atque in Ægyptios. Cùm Hebræi miseram Ægyptiorum conditionem contemplarentur, viderentque quàm lato discrimine populum ejusque hostes distingueret Deus, grati animi sensibus pleni, postulabant, pergeret utì cœperat. Ita sonat apud Vulgatam locus. At Græcus de Ægyptiis loquitur (c), qui Israëlitas, *quòd non & eadem paterentur, beatos prædicabant*, iisque *gratias agebant, quòd illatas sibi injurias non ulciscerentur, veniamque postulabant inimicitiarum*, quibus in ipsos sævierant (d). Hæc ex Ægyptiis, inter tenebras constitutis, audiebant Hebræi.

℣. 3. PROPTER QUOD, IGNIS ARDENTEM COLUMNAM DUCEM HABUERUNT IGNOTÆ VIÆ. Græcus (e): *Pro quibus*, pro tenebris, quibus opprimebantur Ægyptii, columnam dedisti populo noctu illi fulgentem, perque diurnos æstus umbrâ protegebat, cùm Israëlitæ iter in solitudine haberent. Sapiens comparat providentiam, quâ erga populum suum, & quâ erga hostes utitur Deus; idque ex primo scribendi consilio, quo sibi proposuerat Sapientiam, pietatemque a præstantiâ atque ab effectis, & felicitate, quâ Sapientiam quærentes fruuntur, commendare.

SOLEM SINE LÆSURA BONI HOSPITII PRÆSTITISTI. Cœlestis columna solis loco ipsos in itinere illustrantis erat. Græcus (f): *Solem innocuum præclaræ* & honorificæ *peregrinationi exhibuisti*. Hæc Israëlitarum profectio, præeunte Deo, triumphalis potiùs pompa, quàm laboriosum iter videbatur. Ita a Prophetis non uno in loco describitur (g).

℣. 4. PER

(β) Εἰκὼν τοῦ μέλλοντος αὐτοὺς διαδέχεσθαι σκότους. Vertendum erat: *Imago tenebrarum, quæ superventuræ erant illis*. (γ) *Matt.* VIII, 12; XXII, 13; XXV, 30.
(δ) 2 *Petr.* II, 17; *Judæ*, ℣. 13, &c.
(a) *Complut. & alii nonnulli*. (b) *Ita Cantacuzen. Bonav. Dionys.* (c) Ὅτι μὲν οὐ κἀκεῖνοι ἐπεπόνθεισαν ἐμακάριζον, ὅτι δὲ οὐ βλάπτουσι προηδικημένοι εὐχαρίστουν, καὶ τοῦ διενεχθῆναι χάριν ἐδέοντο.
(d) *Ita Vat. Grot. Castal.* (e) Ἀνθ᾽ ὧν πυριφλεγῆ στῦλον, &c. (f) Ἥλιον δὲ ἀβλαβῆ φιλοτίμου ξενιτείας παρέσχες.
(g) *Psal.* LXVII, 9; *Habac.* III, 3.

℣. 4. Digni quidem illi carere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos incipiebat incorruptum legis lumen sæculo dari.

℣. 5. Cùm cogitarent justorum occidere infantes: & uno exposito filio & liberato, in traductionem illorum, multitudinem filiorum abstulisti, & pariter illos perdidisti in aquâ validâ.

℣. 6. Illa enim nox ante cognita est a patribus nostris, ut verè scientes quibus juramentis crediderunt, animæquiores essent.

℣. 7. Suscepta est autem a populo tuo sanitas quidem justorum, injustorum autem exterminatio.

℣. 8. Sicut enim læsisti adversarios: sic & nos provocans magnificasti.

℣. 9. Absconsè enim sacrificabant justi pueri bonorum, & justitiæ legem in concordiâ disposuerunt: similiter & bona & mala recepturos justos, patrum jam decantantes laudes.

COMMENTARIUS.

℣. 4. Per quos incipiebat incorruptum Legis lumen sæculo dari. Græcus luculentiùs fert (h): Israëlitæ, *per quos debebat incorruptum Legis lumen sæculo dari*. Dum in Ægypto fuere, ipsimet Hebræi nondum Legem sciebant; quamobrem neque per ipsos communicata esse hominibus poterat. Scilicet Legem accepturi erant, ad Sinai, post egressum ex Ægypto; legumque suarum cognitionem Deus per illos omnibus latè hominibus largiturus erat. Hoc ceo præstantissimum Hebræorum decus meritò hîc persequitur Sapiens; cujus fulgor multo vividior erat cùm Libri Scriptor floreret, quâ nimirum ætate Lex Mosaica versa in Græcum jam fuerat, totique terrarum orbi communicata. Ante Babylonicam captivitatem alienæ gentes multò minus Judæos eorumque Leges noverant. Latioribus multò spatiis lumen hoc incorruptum Evangelicâ prædicatione diffusum est.

℣. 5. Uno exposito filio et liberato, in traductionem illorum (i), multitudinem filiorum abstulisti. Moysem a parentibus, cùm Pharaonis inquisitiones jam vitare non possent, exponi passus es: at inde gloriæ segetem collegisti, cùm Ægyptios severissimè punieris nece primorum natu, atque exercitûs in Erithræo mersi: *Pariter illos perdidisti in aquâ validâ*.

℣. 6. Illa enim nox ante cognita est a patribus nostris. Prædixerat Israëlitis Moyses, quid eâ ipsâ nocte, quâ ex Ægypto egrederentur, & quâ primores natu Ægyptiorum ab Angelo vastante cæsi sunt, eventurum esset. Vide Exodum, xi, xii. Addit Scriptor, Deum populo hanc rem prædixisse, ut constantiori fide, ac perfectiori de promissis suis fiduciâ illi essent, quippe quam absolutissimè expletam suis ipsi oculis cernerent. Promiserat Deus Israëlitarum Patribus fore ut ipsos visitaret, Ægypto educeret, & Chananitidis Dominos faceret. Nondum quicquam viderant, quo id eventurum esse docerentur. At ubi præstitutum tempus advênit, tandem aliquando validissimam Dei manum, atque inviolabilem illius veritatem agnoscere cœperunt.

℣. 7. Suscepta est autem a populo tuo sanitas quidem justorum, injustorum autem exterminatio. Eâdem ipsâ nocte, quâ Hebræorum felicitas ac libertas incœpit, gravissima omnium plaga in Ægyptios sævit. Illi in libertatem vindicati sunt, hi primoribus natu orbati.

℣. 8. Sic et nos provocans magnificasti: nos ad te revocans, ceu filium pater, quem a se priùs ejecerat, sive removerat, gloriâ cumulasti. Vel: Nos pupugisti, atque excitasti, ut te certatim amaremus, beneficiis cumulans. Græcus significare potiùs videtur (k): *Consolatus es nos*, revocasti, *& glorificasti*. Lætitiâ & gloriâ cumulatos reddisti.

℣. 9. Absconse enim sacrificabant. Hebræi clam in ædibus paschalem agnum mactabant, tincto foruium limine victimæ cruore (l); ne Angelus mortis prætergrediens, primorem natum e familiâ necaret, ut apud Ægyptios agebat.

Et justitiæ Legem in concordiam disposuerunt. Suam ac posterorum fidem obligavere, futurum ut paschalem agnum quotannis mactarent, libertatis memoriâ (m). Mystica cœna, quam in sancto animorum fœdere comedebant, pignus erat fœderis, quod cum Deo inibant, æternamque Deo fidem pollicebantur. Græcus legit (n): *Divinitatis legem in concordiâ*, seu perfecto animorum consensu, *constituerunt*; vel communi suffragio obtemperaverunt Legi, quam Deus sibi mox de agno paschali imperaverat; ac pollicebantur fore ut nunquam a rerum suarum communione recederent, atque inviolabili fide commune fœdus tuerentur. Hoc significant ea verba: *Similiter bona & mala percepturos justos*, *Patrum* (o) *decantantes laudes*. Græcus legit (p): Divinam hanc Legem inter se uno consensu constituerunt, *justos*, Hebræos, *participes inter se fore bonorum & periculorum*; unam fore omnium sortem, *Patrum laudes* per antecessum *canentes*.

Putat Scriptor, in agni paschalis convivio Hebræos, de veterum more, majorum suorum laudes cecinisse. Religiosa convivia plerumque carminibus miscebantur; ac solemni adeò in re nihil opportunius videbatur, quàm dicere carmina in priscos Patriarchas, Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Josephum, quæ vel constanti memoriâ apud familias servabantur, vel ex tempore exarata fue-

(h) Δι' ὧν ἔμελλε τὸ ἄφθαρτον νόμου φῶς τῷ αἰῶνι δίδοσθαι.

(i) Εἰς ἔλεγχον, τὸ αὐτῶν ἀφεῖλες πλῆθος τέκνων, *In argutionem, vel pœnam, vel condemnationem, Ægyptiorum scilicet*. (k) Τούτῳ, *vel potiùs*, οὕτως ἡμᾶς προσκαλεσάμενος ἐδόξασας.

(l) *Exod.* xii, 53. (m) *Exod.* xii, 13, 14. (n) Καὶ τὸν τῆς θειότητος νόμον, ἐν ὁμονοίᾳ διέθεντο.

(o) *Complut. Lyr. Sixti* v: *Patri omnium, &c.* (p) Τῶν αὐτῶν ὁμοίως καὶ ἀγαθῶν καὶ κινδύνων μεταλήψεσθαι τοὺς ἁγίους, πατέρων ἤδη προαναμέλποντες αἴνους.

℣. 10. Resonabat autem inconveniens inimicorum vox, & flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium.

℣. 11. Simili autem pœnâ servus cum domino afflictus est, & popularis homo regi similia passus.

℣. 12. Similiter ergo omnes uno nomine mortis mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum vivi sufficiebant: quoniam uno momento, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est.

℣. 13. De omnibus enim non credentes propter beneficia, tunc verò primùm cùm fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt populum Dei esse.

℣. 14. Cùm enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet,

℣. 15. Omnipotens sermo tuus, Domine, exiliens de cœlo a regalibus sedibus, durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit.

℣. 16. Gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, & stans replevit omnia morte, & usque ad cœlum attingebat stans in terra.

℣. 17. Tunc continuò visus somniorum malorum turbaverunt illos, & timores supervenerunt insperati.

COMMENTARIUS.

ta fuerunt, ut celeberrimum facinus caneretur. Subdit: *Patrum jam decantantes laudes*, veluti jam Ægyptiacâ servitute liberati. Majorum virtutem & justitiam celebrabant, quibus dederat Deus certa eorum, quæ tunc videbant, argumenta. Denique ita sese habebant, veluti promissâ regione jam potirentur. Quamobrem carmina erant laudis & gratiarum actionis.

℣. 10. Inconveniens inimicorum vox. Cùm apud Hebræos omnia lætis vocibus ac laudibus personarent, Ægyptii lugubres mœstosque clamores edebant ob primorum natu necem, quos eodem tempore eâdemque nocte Angelus vastator interfecerat.

℣. 11. Simili poena servus cum Domino afflictus est. *Factum est autem*, inquit Moyses (q), *in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in terrâ Ægypti, a primogenito Pharaonis, qui in solio ejus sedebat, usque ad primogenitum captivæ, quæ erat in carcere, & omnia primogenitum jumentorum.*

℣. 12. Uno nomine mortis, scilicet uno mortis genere. Eadem phrasis occurrit Capite xix, 17, & apud Virgilium, Æneidos vi.

Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

℣. 13. De omnibus enim non credentes propter beneficia. Jannes & Mambres, celebres venefici, qui Moysi restiterunt (r), Ægyptiis persuaserant, ea quæ Moyses gesserat, mera esse præstigia, cùm pleraque illius prodigia ipsi imitati fuissent. At supremâ hac plagâ didicit populus, verè Deum Hebræis favere: *Spoponderunt populum Dei esse.* Græcus (s): *Confessi sunt, Dei filium populum esse.* Ita Moyses Pharaoni Ægyptiorum Regi dixerat (t): *Filius meus primogenitus Israël.*

℣. 14. Cum quietum silentium contineret omnia.... (℣. 15.) Omnipotens sermo tuus exiliens e Coelo, omnes primores natu interfecit. Nobilissima ac magnificentissima est descriptio, quam Sapiens hoc loco persequitur. Dei Verbum inducit, ceu animâ instructum & vivens, ab Omnipotente delegatum, ex ipsius solio missum; miræ magnitudinis, nubes capite tangens, pedibus solum, lethali gladio armatum, atque omnia cæde complens. Quanta igitur Dei ipsius vis est & ira, si tantus est Verbi illius terror? Hoc verò ipse est Angelus vastator, de quo S. Paulus (u), idemque illud Verbum, quod superiùs (x) dicitur nutrire, sanare (y), omnia producere (z), vastare, perdere (a). Denique ipsemet Deus est, ut inquit Moyses (b), vel Angelus Dei virtute instructus, qui primores natu occidit. Ecclesia illas voces animadvertens, *Cùm nox in suo cursu medium iter haberet: Omnipotens sermo tuus exiliens e Cælo*, has de Christi nativitate, quæ in ipso noctis medio contigisse creditur, explicavit. At cæteri Scripturæ loci, quos recitavimus, id vetant, nisi tropico sensu accipiantur. Quis enim Christo nomen *Angeli vastantis* convenire dixerit? Subitas mulierum mortes Dianæ spiculis tribuunt Profani; virorum necem Apollinis ictibus.

℣. 16. Gladius acutus (c) insimulatum (irrevocabile) imperium tuum portans. Imperium non erat ullâ conditione adstrictum, vel minas aliquas ferens; sed absoluta jussio, statim implenda, sine morâ & tergiversatione: *Insimulatum imperium.*

Usque ad Coelum attingebat stans in terra. Poëtica vastantis Angeli descriptio. Miræ adeò proceritatis erat, ut Cœlum capite feriret. Ita discordiam Homerus (d); & Virgilius (e) famam describunt.

Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.

S. Joannes (f) Angelum se vidisse narrat, terram alte-

(q) *Exod.* xii, 29. (r) 2 *Timot.* iii, 8. (s) Ὡμολόγησαν Θεοῦ υἱὸν λαὸν εἶναι. (t) *Exod.* iv, 22. (u) 2 *Cor.* x, 10. (x) *Sap.* xvi, 26. (y) *Sap.* xvi, 12. (z) *Sap.* ix, 1. (a) *Sap.* xii, 9. (b) *Exod.* xii, 23: *Transibit Dominus percutiens Ægyptios .... 29: Et percussit Dominus omne primogenitum, &c.* (c) Melius: *Gladium acutum*. Græc. Ξίφος ὀξὺ, τὴν ἀνυπόκριτον ἐπιταγήν σου φέρων. (d) *Homer. Iliad.* 4: Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει. (e) *Virgil, Æneid.* iv. (f) *Apoc.* x, 5, 6.

℣. 18. Et alius alibi projectus semivivus, propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis.

℣. 19. Visiones enim, quæ illos turbaverunt, hæc præmonebant, ne inscii, quare mala patiebantur, perirent.

℣. 20. Tetigit autem tunc & justos tentatio mortis, & commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diù permansit ira tua.

℣. 21. Properans enim homo sine querelâ deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.

℣. 22. Vicit autem turbas, non in virtute corporis, nec armaturæ potentiâ, sed verbo illum, qui se vexabat, subjecit, juramenta parentum, & testamentum commemorans.

℣. 23. Cùm enim jam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, interstitit, & amputavit impetum, & divisit illam, quæ ad vivos ducebat, viam.

℣. 24. In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum: & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, & magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.

COMMENTARIUS.

altero pede, & altero mare tangentem, ac manum ad Cœlum usque tollentem, dum per viventem in sæcula jurabat.

℣. 18. ALIUS ALIBI PROJECTOS SEMIVIVUS, PROPTER QUAM MORIEBATUR, CAUSAM DEMONSTRABAT MORTIS. Ne locus credendi esset, malum hoc a causâ tantummodò naturali, aut malorum Angelorum nequitiâ, seu veneficiorum vi partum esse; optimè norant Ægyptii, sese manu Divinâ cædi: hoc apertè prædicabant morientes, & vivi somniis hoc ipsum prædicentibus moniti fuerant, ℣. 19. Moyses denique antea id eventurum nunciaverat. *Exod.* xi, 4, 5.

℣. 20. TETIGIT AUTEM TUNC (g) ET JUSTOS TENTATIO MORTIS. Id innuit Author, quod Israëlitis in solitudine contigit (h), post Core, Dathan, & Abironis seditionem. Abeunte in partes populo, ignem in illos misit Deus, qui extrema castrorum corripiens, statim quatuordecim hominum millia & septingentos cremavit. Confestim imperavit Moyses Aaroni, ut cum Thuribulo ad incendii locum accurreret, mediusque inter mortuos, ac vivos staret. Ea res flammas dissipavit, malumque omnibus castris imminens coërcuit. Sapiens, ut alibi solet, misericordiam, quâ erga suos Deus utitur, apponit severitati, quâ in Ægyptios animadvertit. Hi enim nullo clementiæ lenimine cæsi sunt; prolataque in primores nata sententia nullo veniæ loco expleta est. At erga Hebræos vix adfuit Aaron, Dei ira desedit.

℣. 21. HOMO SINE QUERELA, PROFERENS SERVITUTIS SUÆ SCUTUM ORATIONEM. Aaron Sacerdos tuus, integerrimus homo, qui conjurante in Moysem populo, constantem tibi fidem servavit, suoque munere religiosissimè fungebatur. Præterit hìc Scriptor animi imbecillitatem, quam aliquot ante annis Aaron ostenderat, cùm aureum vitulum a populo conflari passus est (i). Vetus peccatum erat, quod diu antea pœnitentiâ deleverat. Sacri illius ministerii arma sunt oratio & thus, quæ tunc obtulit Deo, ut Dei furorem sedaret (k): *Finem imposuit necessitati* (l).

℣. 22. VICIT AUTEM TURBAS NON IN VIRTUTE CORPORIS. Codices quidam Græci legunt (m): *Vicit autem vastatorem non virtute corporis*. Hanc lectionem pleriqne Interpretum sequuntur.

VERBO ILLUM QUI SE VEXABAT, SUBJECIT. Judith (n) *exterminatorem* nuncupat Angelum, qui seditiosos Israëlitas neci tradidit, Hic verò locus (o) ultorem, punitorem appellat. Hunc Aaron superavit orationis vi, qua Deum invocavit: *stans inter mortuos ac viventes*, inquit Moyses (p), *pro populo deprecatus est, & plaga cessavit*. Narravit ea, quæ Deus Patriarchis promiserat, & fœdus, quod cum illis juratus sanciverat: *Juramenta parentum, & testamentum commemorans*. Hoc non tradunt Moysis volumina.

℣. 23. DIVISIT ILLAM QUÆ AD VIVOS DUCEBAT, VIAM (q). Vetuit, ne ignis ad vivos excurreret, Medius stetit in itinere, quâ transiturus erat vastatur Angelus, & ne progrederetur coërcuit. Viam illi divisit, clausit.

℣. 24. IN VESTE PODERIS QUAM HABEBAT, TOTUS ERAT ORBIS TERRARUM. Pontificis pallium (r), quæ hìc poderes dicitur, scilicet talaris, linea erat, colore Hyacinthino. Fimbriam ornabant alterno ordine crepitacula & mala punica, ex purpurâ, Hyacintho, coccoque composita (s). Hyacinthinus color, sive cæruleus cœlum vel aërem significabat; linum tellurem; coccus ignem; purpura

(g) *Græc.* Ἥψατο δὲ ποτὲ καὶ δικαίων πεῖρα θανάτου, *Tetigit autem aliquando & justos periculum mortis*. Editio Romana nec τότε, nec ποτὲ habet. (h) *Num.* xvi, 47, 48. (i) *Exod.* xxxii, 10. (k) *Num.* xvi, 47, 48. (l) *Gr.* Πέρας ἐπέθηκε τῇ συμφορᾷ, *Finem imposuit calamitati*. Συμφορὰ hoc sensu frequenter in Scripturâ usurpatur. Vide supra *Sap.* xiv, 21; 2 *Macc.* vi, 15, xiv, 14, &c. (m) *Edit. Rom.* Ἐνίκησε δὲ τὸν ὄχλον, οὐκ ἰσχύϊ τοῦ σώματος. *Complut.* Ἐνίκησε δὲ τὸν ὀλοθρεύοντα, &c. (n) *Judith*, viii, 25. (o) Ἀλλὰ λόγῳ τὸν κολάζοντα ὑπέταξεν, (p) *Num.* xvi, 47. (q) Διέσχισε τὴν πρὸς τοὺς ζῶντας ὁδόν. (r) *Hebr.* מעיל *Mébil*.
(s) *Exod.* xxviii, 31, 32, 33.

℣. 25. His autem cessit, qui exterminabat, & hæc extimuit; erat enim sola tentatio iræ sufficiens.

COMMENTARIUS.

pura aquam. Hoc fusiùs explicavere Philo (t), Josephus (u), ac deinde S. Hieronymus (x). Interpretes nonnulli (y) tum facilitatis gratiâ, tum ut universi totius figuram in vestibus Pontificis aptiùs invenirent, *podere* non modò Pontificis pallium, verùm etiam interiorem tunicam, Ephod, & Rationale significare censuerunt. At nunquam hoc sensu *poderis* usurpatur; ac minimè necesse est, hujusmodi interpretationes sectari. Josephus ita explicat (z): Byssus terram designat; hyacinthus Cœlum: malis punicis fulgura, tintinnabulis tonitrua significantur.

PARENTUM MAGNALIA IN QUATUOR ORDINIBUS LAPIDUM. Græcus (α): *Parentum gloria*, &c. Duodecim Patriarcharum, Jacobi filiorum, nomina in duodecim gemmis, quibus constabat Pontificis Rationale, sculpta erant (β).

MAGNIFICENTIA TUA (γ) IN DIADEMATE CAPITIS ILLIUS, scilicet, Magnum nomen tuum, &c. Laminam auream in fronte gerebat Pontifex, ad occipitium tæniâ vinctam, inscriptamque his verbis (δ): *Sanctum Domino*. Hoc appellat Sapiens *Magnificentiam Domini*.

℣. 25. ERAT ENIM SOLA TENTATIO IRÆ SUFFICIENS. Hebræos perdere nolebat Deus, sed leve aliquod solummodò specimen exhibere, ex quo discerent, quàm gravis esset furor suus, cujus metu in officio continerentur. Non eadem fuit Ægyptiorum conditio, quorum natu primores occidit.

CAPUT XIX.

Hebræi Ægypto egressi. Ægyptii Erythræo mersi. Ægyptii tenebris obsiti sævitiæ causâ in Hebræos, qui advenarum nomine apud ipsos erant. Naturam mutant elementa, ut Dei populo faveant, & perdant inimicos.

℣. 1. Impiis autem usque in novissimum sine misericordia ira sua supervenit. Præsciebat enim & futura illorum:

℣. 2. Quoniam cùm ipsi permisissent, ut se educerent, & cum magna solicitudine præmisissent illos, consequebantur illos pœnitentia acti.

℣. 3. Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ: & quos rogantes projecerant, hos tamquam fugitivos persequebantur:

℣. 4. Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas: & horum, quæ acciderant, commemorationem amittebant, ut quæ deerant tormentis, repleret punitio:

COMMENTARIUS.

℣. 1. IMPIIS AUTEM USQUE IN NOVISSIMUM SINE MISERICORDIA IRA SUPERVENIT. Hæc jungenda sunt cum Capite superiori. Dixit mox, Divinam iram adversùs seditiosos Israëlitas arsisse, cujus vim Aaron quantociùs coërcuit. At, subdit, ubi Deus animadvertere in Ægyptios voluit, nulla penitus res illius manum cohibuit. *Usque in novissimum* Divinus furor exarsit. Variis decem plagis illos feriit; primores natu cecidit, justissimâque severitate usque intra Erythræum illos insectatus est, ubi mersi periere.

PRÆSCIEBAT ENIM ET FUTURA ILLORUM. Norat, quàm obfirmati in scelere futuri essent Pharao & Ægyptii. Impium illorum animum, veteresque in Israëlem inimicitias sciebat; ac paria flagitiis supplicia illis parabat.

℣. 2. CONSEQUEBANTUR ILLOS POENITENTIA ACTI (a). Res notissima est. Urgebant Hebræos Ægyptii, ut vel noctu e regione abirent, ne dato quidem cibos parandi spatio. At statim factum damnantes, illos persequi cœpere (b). Supremo scilicet ipsorum malo id permisit Deus.

℣. 4. DUCEBAT ILLOS.... DIGNA NECESSITAS. Fato quodam agebantur in odium Israëlitarum. Permisit Deus, ut eâ in re illorum animi obfirmarentur, ac cæci penitus fierent. *Dignam necessitatem* id fuisse, scribit Sapiens; justam scilicet ipsorum nequitiæ pœnam. Præterita crimina id meruerant, ut illi in pessimæ mentis potestate relinquerentur, Divinis illustrationibus spoliati, cùm cœlestem lucem clausis sponte oculis repulissent. Hoc enim extremum nequitiæ complementum supremo illorum supplicio; *Ut quæ deerant tormentis, repleret punitio*.

(t) *Philo lib. 3 de vitâ Mos.* (u) *Joseph Antiq. lib. 3, c. 8.* (x) *Hieron. ep. 128.*
(y) *Bonav. Hugo, Holkot. Dionys. Cornel.* (z) *Loco citato lib. 3 Antiq. c. 8.*
(α) Καὶ πατέρων δόξαι ἐπὶ τετραστίχου λίθων γλυφῆς. (β) *Exod.* XXVIII, 17, 18, ... 25.
(γ) Μεγαλωσύνη σου ἐπὶ διαδήματος κεφαλῆς αὐτοῦ. (δ) *Exod.* XXVIII, 36.
(a) *Complut. & Sixti V: Consequebantur illos pœnitentia acti.* (b) *Exod.* XII, 31, 33.

℣. 5. Et populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autem novam mortem invenirent.

℣. 6. Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, deserviens tuis præceptis, ut pueri tui custodirentur illæsi.

℣. 7. Nam nubes castra eorum obumbrabat, & ex aqua, quæ ante erat, terra arida apparuit, & in mari Rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio:

℣. 8. Per quem omnis natio transivit, quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia & monstra.

℣. 9. Tamquam enim equi depaverunt escam, & tamquam agni exultaverunt, magnificantes te, Domine, qui liberasti illos.

℣. 10. Memores enim erant adhuc eorum, quæ in incolatu illorum facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium, eduxit terra muscas, & pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum.

℣. 11. Novissimè autem viderunt novam creaturam avium, cum adducti concupiscentiâ, postulaverunt escas epulationis.

COMMENTARIUS.

℣. 5. NOVAM MORTAM, novum mortis genus, in Erythræo mersi.

℣. 6. OMNIS ENIM CREATURA AD SUUM GENUS AB INITIO REFIGURABATUR. Putares novam rerum creationem, adeo insolita & nova fieri ab elementis conspiciebantur. Ignis aut urendi vim oblitus fuerat, aut in aquis ardebat, solida fiebat aqua, pandebatur mare. Omnia prodigiis micabant, ubi vel puniendi essent hostes tui, aut amici protegendi. Eamdem alibi sententiam legimus, ubi narrat, universum omne adversus impios pugnare, divinamque ultionem exercere (c), & creaturas arma in impios capere (d): *Creatura tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos, & lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt.* Aliter: Creatæ res ad pristinum statum, quo sub creationis initia fuerunt, rediisse. Quodlibet formarum genus excipere parata esse videbatur materia; adeo te jubente mutabatur. Alia erant elementa, quàm quæ hactenus fuerant; novaque & insolita eorum virtus erat.

℣. 7. EX AQUA, QUÆ ANTE ERAT, TERRA ARIDA APPARUIT. Utì rerum initio tellus, ut ita dicam, ex aquarum sinu prodiit; ita in Erythræi transitu, tellus emergere visa est, & mare, utì olim, alias abyssos quærere. Sequitur sententia superiùs proposita. Rerum omnium forma & natura tuo imperio mutabatur. Quod mox aqua fuerat, terra esse cœpit, & maris alveus prato similis fuit: *Et campus germinans de profundo nimio.* Græcus (e): *Quæ priùs aqua fuerat, sicca emergens terra visa est, & herbosus e violento gurgite campus.* Interpretes nonnulli (f) ajunt, has loquendi formulas hyperbolas esse, & Poëticas locutiones, quibus ejus transitûs facilitas significatur. Putant alii (g), propriè veras esse, atque ex naturâ alvei ipsius Erythræi petitas, utpote qui herbis plantisque vestiatur, ut ager. Narrat profectò Plinius (h): *Rubrum mare, & totus orientis Oceanus refertus est sylvis.* Addit, procerissimas ibi esse arbores, quæ frondes & fructum ferunt. At ea res incommoda potiùs fuisset fugientibus Hebræis, quàm utilis.

Igitur opportuniùs dicendum est, Sapientiæ Anthorem hoc solùm velle, maris alveum adeò solidum atque arentem fuisse, ut Israëlitæ, non secus ac in agro, nullo labore graderentur. Eamdem rem spectabat (i) Psalmista, cùm diceret, Israëlitas in Erythræo, velut in nemore, aut in loco pascuis ubere, perambulasse: *Deduxit eos in Abyssis, sicut in deserto;* & Isaias, LXIII, 13: *Eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem,* &c.

℣. 9. TAMQUAM EQUI DEPAVERUNT ESCAM; vel, tam bene pasti sunt a Deo, quàm bene curari solent a Dominis equi nobiles (k). Dixit mox, alveum maris similem agro fuisse; hìc addit, Hebræos per illum transiisse, ceu equos in pinguibus pasculis nutritos. Græci quidam codices legunt (l): *Tamquam equi hinnierunt,* gaudio cumulati, ac laudum carmina concinentes.

℣. 10. PRO NATIONE ANIMALIUM, EDUXIT TERRA MUSCAS (m). Muscas tantummodo tellus Ægyptia pariebat; totaque illius ubertas fœtidissimis volucribus ferendis definiebatur. Nilus, olim piscibus adeò abundans, nonnisi ranas creabat: *Et pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum.*

℣. 11. NOVAM CREATURAM AVIUM. Hoc dicere velle videtur, solitudinem, in qua iter habebant Hebræi, novum avium genus peperisse, ut eos pasceret, utì Ægyptus muscis ebulliit, & Nilus ranis, ut Ægyptii punirentur; quasi coturnices, quæ in castra Israëlitarum ceciderunt, prodigiosa planè avium creatio fuerint. At tropica locutio est, hoc significans aves in eâ solitudine fuisse, ubi esse non solerent; atque eo quidem nume-

(c) *Sap.* v, 21. (d) *Sap.* xvi, 24. (e) Ἐκ δὲ προυφεστῶτος ὕδατος ξηρᾶς ἀνάδυσις γῆς ἐθεωρήθη . . . . καὶ χλοηφόρον πεδίον ἐκ κλύδωνος βιαίου. (f) *Bonavent. Jans. Lyr. Holkot.*
(g) *Lorin. a Castro, Cornel. hic, Pineda, lib. 4 de Reb. Salom. c. 53, n. 6.*
(h) *Plin. lib. 13, c. 25.* (i) *Psal.* CV, 9.
(k) *Ita Grot. Cornel. Arab. Complut. Edit. Rom.* Ὡς γὰρ ἵπποι ἐνεμήθησαν.
(l) Ὡς γὰρ ἵπποι ἐχρεμέτισαν, *Ita Vatab. & alii.* (m) Ἀντὶ μὲν γενέσεως ζώων, ἐξήγαγεν ἡ γῆ κνῖπας. Postrema hæc vox significat vermes, qui in ligno coluntur. Vox Hebræa כנים significat culices, vel pediculos. Vide *Exod.* VIII, 16.

℣. 12. In allocutione enim desiderii, ascendit illis de mari ortygometra: & vexationes peccatoribus supervenerunt, non sine illis, quæ antè facta erant, argumentis, per vim fulminum: justè enim patiebantur secundùm suas nequitias.

℣. 13. Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt: alii quidem ignotos non recipiebant advenas, alii autem bonos hospites in servitutem redigebant.

℣. 14. Et non solum hæc, sed & alius quidam respectus illorum erat; quoniam inviti recipiebant extraneos.

℣. 15. Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui eisdem usi erant justitiis, sævissimis afflixerunt doloribus.

℣. 16. Percussi sunt autem cæcitate: sicut illi in foribus justi, cum subitaneis cooperti essent tenebris, unusquisque transitum ostii sui quærebat.

℣. 17. In se enim elementa dum convertuntur, sicut in organo qualitatis sonus immutatur, & omnia suum sonum custodiunt: unde æstimari ex ipso visu certò potest.

COMMENTARIUS.

numero, ut diceres, ex humo ipsâ emersisse. Eamdem rem minori artificio narrans Moyses (n), ait, illatas esse in solitudinem a vento divinitus misso, & circa Israëlitarum castra projectas.

℣. 12. IN ALLOCUTIONE DESIDERII: ad verbum (o): *Ad consolationem eorum*. Dixit superiori versu, Hebræos postulasse escas, quibus epulum agerent: *Postulaverunt escas epulationis*; vel ex Græco (p): *Cibos deliciarum*; re enim verà tam suavi cibo minimè indigebant; quamobrem ob solum mannæ fastidium postulavere (q).

VEXATIONES PECCATORIBUS SUPERVENERUNT, NON SINE ILLIS, QUÆ ANTE FACTA ERANT, ARGUMENTIS PER VIM FULMINUM (r). Deus misericordiæ suæ beneficio diu antea Ægyptios imminentis mali monuerat per fulmina, ignemque cœlestem, quibus Sodoma cremata est. Utì enim impiæ urbes Deum sceleribus, præsertim verò sævitiâ in advenas provocare non cessabant, Ægyptii illas imitati, præcipuè immanitate, eadem supplicia expectare debebant. Multò etiam Sodomitis scelestiores quodammodo erant, cùm illi hospitium ignotis præbere, veluti Angelis tribus ad Lothum missis (s), recusarent; hi Hebræos, qui advenarum nomina in Ægyptum venerant, ipsisque legum, motum, & contubernii communione jungebantur, iniquissimâ tyrannide opprimebant. Vide ℣. 13.

℣. 14. SED ET ALIUS QUIDAM RESPECTUS ILLORUM ERAT, QUONIAM INVITI RECIPIEBANT EXTRANEOS; ut ii, qui inviti hospitium transeuntibus exhibere coguntur, vel qui solà importunitate victi, aliàve de causà ædes suas advenis pandunt. Liberè atque alacriter hospitalitas exercenda est. Græcus in impressis Codicibus fert (t): *Neque hoc solùm, sed aliqua erit illis pœna, ideo quòd peregrinos inimicè acceperunt*. At Grotius levi mutatione inductâ, luculentiorem aptioremque lectionem facit: *Si pœna debita fuit illis* (Sodomæ Civibus) *ideo quòd peregrinos inimicè acceperunt*; quanto majorem merentur Ægyptii, duritie tantâ in notos & receptos & in Civitatem adscitos? ℣. 15.

℣. 16. PERCUSSI SUNT CÆCITATE, SICUT ILLI IN FORIBUS JUSTI. Tenebras significat, quæ triduo Ægyptum occupavere, quarum meminit Caput XVII. Has comparat cum cæcitate, quâ Sodomitæ mulctati sunt ad fores ædium Lotbi. *Genes.* XIX, 11.

℣. 17. IN SE ENIM ELEMENTA DUM CONVERTUNTUR, SICUT IN ORGANO QUALITATIS SONUS IMMUTATUR. Veteres Philosophi (u) ordinem, quo mundus & elementa reguntùr cum eximio Musices concertu comparabant. Eàdem hìc sententiâ utitur Sapiens, eamque ad ea refert, quæ in Ægypto, & in solitudine Israëlitis, atque Ægyptiis contigerunt. Ut in Psalterio (x), seu lyrà veteri, quæ nostræ, quam dicimus, *Harpe* similis erat, sonus, vel concentus vario fidium motu mutatur; ita in Elementorum turbatione providentiæ sapientia, mirificusque concentus exhibebatur, quam varietas ipsa perfectiorem majoremque reddebat.

Occupare videtur objectionem, quæ horum prodigiorum veritati repugnat. Mundum, inquiunt Philosophi, mens sapientissima ac potentissima moderatur, quæ universi partes ita disposuit, ut concentum quemdam, nullà re turbandum, efficiant. Omnia immobilibus naturæ legibus reguntur. Quamobrem minimè omnium fieri potuit, ut hæc prodigia, quæ jactas, reverà contigerint, quippe quæ his legibus adversentur; & si sint, constitutum ab Authore naturæ ordinem turbare necesse sit. Hæc objici poterant Sapienti. Is verò respondet, creatarum rerum ordinem nihilo magis brevi hac elementorum turbatione moveri, quàm variis fidium lyræ tonis concentum. Suus unicuique tonus est; unàque omnes, si suaviter ac pe-

(n) *Num.* XI, 31, 32: *Ventus egrediens a Domino, arreptas trans mare coturnices detulit.*
(o) Ε'ις παραμυθίαν. (p) Η'τήσαντο ἐδέσματα τρυφῆς. (q) *Num.* XXI, 5.
(r) *Complut.* *Fluminum.* (s) *Genes.* XVIII, XIX, 2, 2, 3, 4.
(t) Καὶ οὐ μόνον, ἀλλ' ἥ τις ἐπισκοπὴ ἔσαι αὐτῶν, ἐπεὶ ἀπεχθῶς προσεδέχοντο τοὺς ἀλλοτρίους. Lege: Α'λλ' εἴ τις ἐπισκοπὴ ἔσαι αὐτοῖς, *&c.* (u) *Vide Plutarch. de Musicâ, & Macrob. in Somn. Scipionis, lib.* 2. (x) Ω'σπερ ἐν ψαλτηρίῳ φθόγγοι τοῦ ῥυθμοῦ τὸ ὄνομα διαλλάσσουσι, πάντοτε μένοντα ἤχῳ, vel potius, μένοντα ἦχον.

℣. 18. Agrestia enim in aquatica convertebantur : & quæcumque erant natantia, in terram transibant.

℣. 19. Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliviscebatur.

℣. 20. Flammæ e contrario, corruptibilium animalium non vexaverunt carnes coambulantium, nec dissolvebant illam, quæ facilè dissolvebatur sicut glacies, bonam escam. In omnibus enim magnificasti populum tuum, Domine, & honorasti, & non despexisti, in omni tempore, & in omni loco assistens eis.

COMMENTARIUS.

ac peritè tangantur, jucundissimè resonant.

℣. 18. AGRESTIA IN AQUATICA CONVERTEBANTUR. Hebræi homines, armenta, & greges, cùm per Erythræum transiere, in marina animalia quodammodo versi sunt. Contra verò ranæ, palustria & aquatica animalia, in terrestrium conditionem migravere, cùm Ægyptiorum ædes, coquinas, & lectos implerent.

℣. 19. IGNIS IN AQUA VALEBAT, cùm Deus grandinem, imbrem & fulmina simul mista in Ægyptios mitteret. *Exod.* IX, 24; *Sap.* XVI, 17.

℣. 20. FLAMMÆ CORRUPTIBILIUM ANIMALIUM NON VEXAVERUNT CARNES. Vide quæ superiùs, XVI, 18, animadvertimus in ea verba : *Mansuetabatur ignis, ne comburerentur, quæ ad impios missa sunt animalia.* Putat Author, culices, ranas, & muscas adhuc Ægyptum afflixisse, cùm grando & cœlicus ignis ruerent. Quâ tamen in re non levis est difficultas (y).

NEC DISSOLVEBANT ILLAM, QUÆ DISSOLVEBATUR SICUT GLACIES, BONAM ESCAM. Græcus ad verbum (z) : *Neque flamma liquefaciebat genus immortalis cibi*, seu genus ambrosiæ, *qui liquabilis erat, & glaciei similis* (α). *Ambrosiam* appellat, eo sensu, quo superiùs nuncupaverat *Angelorum escam* (β), & panem e Cœlo missum. Deorum cibum ambrosiam, potumque nectar esse, tradebant Profani (γ) :

Nectar & ambrosiam, latices, epulasque Deorum.

Manna igne coquebatur in Sartagine, placentarum more, quamquam in agro relicta sole liquabatur (δ).

IN OMNIBUS ENIM MAGNIFICASTI POPULUM TUUM. Hæc orationis conclusio optimè cum superioribus jungitur : profectò enim quolibet tempore Deus populum beneficiis cumulare, & quanti illum faceret ostendere, nunquam cessavit. Hanc sententiam fusissimè explicavit Author & exemplis, & comparatione Divinæ pietatis erga Hebræos, & in impios severitatis. At si totum atque universale Libri propositum inspicias, rogandus ab Authore videbatur Deus, ut Sapientiam, præcipuum orationis suæ finem, sibi largiretur ; vel ita claudendus Liber, ut diceret, Sapientiam fontem esse illius amicitiæ, quâ Deus populum prosecutus est ; vel denique narranda Dei responsio ad Salomonis orationem, quæ in Libris Regum recitatur (ε). His argumentis ducimur, ut cum Grotio partem hujus Libri periisse credamus.

IN

(y) *Vide Cornel. hic, & notas nostras in Sap.* XVI, 18.

(z) Οὐδὲ τηκτὸν κρυσταλλοειδὲς εὔτηκτον γένος ἀμβροσίας τροφῆς. (α) *Sap.* XVI, 22: *Nix autem & glacies sustinebant vim ignis.* (β) *Sap.* XVI, 20. (γ) *Ovid. de Ponto, lib.* 1, *Eleg.* 21.

(δ) *Num.* 11, 7, 8, 9. (ε) 3 *Reg.* IX, 2, 3, *& seq.*

Finis Libri Sapientiæ.

IN LIBRUM ECCLESIASTICI PROLEGOMENON.

ARTICULUS PRIMUS.

Titulus, & Consilium Operis.

Titulus *Ecclesiastici*, apud Latinos, vel illius usum in cœtibus religiosis in Ecclesiâ habitis (*a*) prodit, vel inditus Operi est, ut a Salomonis *Ecclesiaste*, idest, Concionatore, distingueretur; cùm tamen idem sit utriusque Operis scopus, ut traditis ad officia vitæ institutionibus & regulis, iter ad sapientiam muniat. Inscribitur apud Græcos (*b*): *Sapientia Jesu filii Sirach*; sive tantùm (*c*): *Sapientia Sirach*, vel *Panaretos Jesu filii Sirach* (*d*). *Panaretos* Græcè sonat omnium virturum collectionem, sive librum omnia vitæ officia docentem. Vidisse se hunc Librum Hebraicè, inscriptum *Parabolas*, testatur S. Hieronymus (*e*). Idem etiam interdum liber laudatur sub nomine *Sapientiæ Salomonis*.

Collegit in eo Libro Author plurima omnium vitæ officiorum & conditionum præcepta: nec intra moralem modò disciplinam se continet; sed civilem etiam, & politicam amplexus, omnibus in quacumque vitæ necessitate sese præsto exhibet. A consilio Operis Salomonici in eo differt, quòd de singulis rebus orationes instituat, ut totum opus in quædam capita, unâ simul serie colligata, distribui possit; cùm e contra Salomon stilo utatur breviori, nec unâ serie juncto. Olim singulis Ecclesiastici articulis singuli addebantur tituli, quorum magna pars superest in Græco Editionis Romanæ, & in Veteribus Manuscriptis.

Præfatio totum Opus præcedit, in qua post celebratas Sapientiæ laudes, ad præcepta stilus vertitur, pluraque ad præcipuos vitæ usus utilissima præscribuntur. Eadem sequitur ratio usque ad caput XXIV: hinc Sapientia hortatorium ad virtutem sermonem, propositis variis ad illam regulis & præceptis, instituit. Verso deinde stilo Author a capite XLII, 15, primùm Dei laudes prosequitur; deinde intexit illustrium virorum gentis suæ historiam post Adamum, Enochum, Noë, usque ad Simonem II, filium Oniæ II, nonnullis Jesu Sirachidâ annis vetustiorem. Clauditur Opus postremo capite, porrectâ ab Authore ad Deum oratione, qua gratias Deo agit, ob vitatum ejus ope discrimen, ex creatâ sibi coram Rege ab invidis adversariis calumniâ imminens. Tum omnes ad sapientiam invitat. Quare non abs re cum Viro eruditissimo credimus (*f*), Jesum Sirachidam uno eo Libro omnia Salomonis scripta imitari voluisse: traditis primò *Parabolis*, sive præceptis moralibus, uti Salomon gessit; deinde *Ecclesiaste*, sive concione, in qua Sapientiam verba facientem inducit; tandem *Cantico* in laudem Dei, & insignium gentis suæ virorum.

ARTICULUS II.

Author Operis.

NON defuerunt inter Veteres (*g*), qui sive ex argumenti similitudine, sive quòd Liber una cum Salomonicis eodem volumine jungeretur, eidem Regi tribuerint. Sed Salomone multò recentiorem esse illius Authorem, certò scimus; laudatur etiam in eo Libro Salomon ipse, & Reges posteriores; laudantur & Prophetæ, virique insignes, ante & post captivitatem Babylonicam clari, & Simon Summus Sacerdos, paulò Macchabæis vetustior. Tandem aliqua de se prodit Author, quæ Salomoni nullâ ratione conveniunt. Quare ut Salomoni tribuantur, similitudo tantùm quædam cum Operibus ipsius, & argumenti cognatio efficere potuit; quod in causâ fuit non rarò, ut adscititium Authoris alicujus nomen alieno Operi inscriberetur. *Duo Libri, quorum unus Sapientia, alter Ecclesiasticus inscribitur, de quadam similitudine Salomonis esse dicuntur*, ait S. Augustinus (*h*).

Grotius, Drusius, & inter Veteres S. Isidorus Hispalensis (*i*) negant, Jesum filium Sirach nomen esse Authoris hujus Operis, sed Interpretis, qui Græcè vertit, regnante in Ægypto Ptolemæo Evergete. Sed certior & recepta magis opinio Authorem agnoscit Operis Jesum filium Sirach, & interpretem alterum Jesum, Authoris

(a) *Isid. Hispal. Raban. lib. 5 de Univers. c. 3.*

(b) Σοφία Ἰησοῦ υἱοῦ Σιράχ. *Ita Complut. & PP. Græci passim.*

(c) *Edit. Rom.* Σοφία Σιράχ.

(d) *Ita Hieron. Præf. in Libb. Salom. & Græci passim.*

(e) *Ibid.*

(f) *Vales. Not. ad Hist. Ecclef. Eus. lib. 4, cap. 22.*

(g) *Innoc. I, Ep. ad Exuper. Concil. Carthag. III; Origen. hom. 8 in Num. & hom. I in Ezech. Basil. Regul. fusius disput. resp. 17; Chrysost. in Psal. CXXXIV; Hilar. in Psal. CXLV; Cypr. l. 3, Ep. 9; Optat. lib. 3 contra Donat. Leo Magn. Ser. 2 de Quadrag. & alii.*

(h) *De Doctr. Christ. lib. 2, cap. 8.*

(i) *De Offic. Eccl. lib. 2, cap. 12.*

ris ex fratre nepotem. En autem hujus sententiæ documenta. I, Interpres in præfatione disertè asserit, scriptum Hebraicè Opus ab avo suo Jesu (*k*). II, Author, capite L, 29, de se scribit (*l*): *Doctrinam Sapientiæ, & disciplinæ scripsi in Codice istò Jesus filius Sirach*, & in fronte capitis LI: *Oratio Jesu filii Sirach*; & in capitis hujus decursu ita de se loquitur, ut omnia cum reliquis Libri partibus congruant. Ita e. g. itinera sua ob studium sapientiæ suscepta prosequitur (*m*); uti & studia, & mala a se tolerata. III, denique in eam sententiam vulgò nostrâ ætate omnes iverunt; neque abludunt Patres, cùm accuratiùs rem disquirendam susceperunt. Videsis Eusebium in Chronico, S. Hieronymum (*n*), S. Augustinum (*o*), S. Athanasium (*p*), S. Epiphanium (*q*), aliosque plures.

S. Athanasio, S. Epiphanio, & S. Joanni Damasceno [*r*] ea sedit sententia, Jesu Sirachidæ filium fuisse, & nepotem eodem nomine, & cognomine. Malunt alii, seniorem Jesum, Libri Authorem, patrem habuisse Sirachum, & filium alterum Sirachum, ex eoque procreatum *Jesum filium Sirach*, qui Opus vertit. Ne verò nominum similitudo turbas pariat, nos, rejectis incertis, certa solummodò sequemur, Operis Authorem appellantes Jesum filium Sirach; Interpretem verò tantùm *Jesum*, cujus posterioris viri parentem, tamquam in Scripturâ ignotum, præteribimus. Interpretis nomen nullo satis certo monumento servatum est; quod enim in Præfationis capite scriptum legimus, desideratur in Græco Editionis Romanæ.

Ex Rabbinis & ipsis Christianis Authoribus quidam censent, *Ben-Sira* Judæum, duplicis proverbiorum alphabeti Scriptorem, eumdem planè esse virum cum Jesu filio Sirach, quemadmodum ex sententiarum utriusque, & nominum similitudine colligere sibi videntur; affinia enim sunt nomina *Ben Sira*, & *filius Sirach*. Porrò duplex hoc alphabetum, Hebraicum alterum, alterum Chaldæum, unà cum Versione suâ Latinâ Fagius edendum curavit Isnæ 1542. Similes utriusque sententias, Ben-Sira scilicet, ac Ecclesiastici, refert Cornelius a Lapide ante Commentarios suos in Ecclesiasticum; quarum ex affinitate, quamquam non levi, nihil tamen sibi in patrocinium hujus sententiæ collegisse, idem Cornelius sibi videtur. Si Judæis fides sit, Ben-Sira avum habuit Jeremiam, & filium Uzielem, ac nepotem Josephum; quæ si commentitia non sint, planè constat, Jesum filium Sirach, Authorem Ecclesiastici, multò recentiorem esse quam Ben-Sira; ille enim vivere debuit sive in ipsâ sive paulò post captivitatem Babylonicam; hic verò post Alexandri Magni, & Monarchiæ Ptolemæorum in Ægypto ætatem.

Mihi tamen persuasum est, duos hosce Scriptores in unum eumdemque virum esse jungendos, & Judæos, rerum Chronologicarum, & veterum genealogiarum imperitissimos, selectis e Libro Ecclesiastici sententiis nomen Ben-Sira inscripsisse, quod creato statim viro, alteri ab Authore Ecclesiastici, & vetustioris ætatis, tribuerunt. Porrò Librum Ecclesiastici Judæos non latuisse, ex S. Hieronymo (*s*), se vidisse narrante Hebræum Ecclesiastici Codicem, inscriptum *Parabolas*, intelligimus. Hebraica etiam testimonia sæpè laudant Rabbini [*t*], nec Gemarra silet, agens de lege Talmud, lectionem Librorum exterorum prohibente, *veluti*, inquit, *Ben-Sira*. Cur verò hujus Libri lectione Judæi interdicantur, causam affert Gemarra, sed implexam; quam R. Salomon exposituros, animadvertit, rejectum esse Ecclesiasticum e Canone Scripturarum, quòd Personas Divinas plures esse disertiùs tradat (*u*). Idipsum etiam nos observavimus (*x*). Malunt alii, Authorem in Talmude damnatum alium esse Ben-Sira, præcepta quædam magices continentem: sed hæc inania sunt commenta, & ludibria; vera enim excludendi Operis causa sunt testimonia a nobis in Judæos laudata pro adstruendo SS. Trinitatis dogmate. Testatur Cornelius a Lapide, visa a se Romæ scripta quædam, inscripta nomine *Ben-Sira*, quibus quæstiones & problemata proponuntur, sed futilia planè ac temeraria, quæ Authorem prodebant Ecclesiastico multò recentiorem.

Genebrardus in eâ est sententiâ (*y*), Jesum Sirachidam genus traxisse Sacerdotale ex Jesu filio Josedechi, qui sacris præfuit post regressum e captivitate. In Exemplaribus quibusdam Græcis apud Drusium (*z*), ejus genealogia ita ducitur, ut avus illi tribuatur Eleazar, pater Sirach Jerosolymita [*a*]. Sed hæc omnia simul, exceptis iis quæ de patriâ viri traduntur, fidei sunt nullius. Nunquam enim Author se Sacerdotali genere esse scribit, quod tamen dissimulandum ab illo minimè videbatur. Illud tantùm de se memoriæ prodit, studio se totum & itineribus tradidisse (*b*); multa subiisse discrimina (*c*); calumniis apud Regem delatum in tantum devenisse periculum, ut nisi amica Dei manus succurreret, sibi pereundum esset [*d*]. Prophetæ atque hominis Divinitus afflati more loquitur (*e*): tandem nepotis ipsius testimonio, vir erat profundæ Scripturarum peritiæ famâ insignis (*f*). Ipse etiam de se addit, omnium po-

(k) *Præfat. in Eccli.* Ὁ πάππος μου Ἰησοῦς, . . . προαχθη καὶ αὐτὸς συγγράψαι τι τῶν εἰς παιδείαν, καὶ σοφίαν ἀνηκόντων.

(l) *Eccli.* L, 29: *Edit. Rom.* Παιδείαν συνέσεως, καὶ ἐπιστήμης ἐχάραξα ἐν τῷ Βιβλίῳ τούτῳ Ἰησοῦς υἱὸς Σειράχ.

(m) *Eccli.* LI, 18, collatum cum XXXIV, 9, 10, 11, 12.

(n) *In Dan.* 9.

(o) *De Doctr. Christ. lib.* 2, *cap.* 8.

(p) *In Synopsi seu in eâ Præfat. quæ præfigitur Libro Eccli. in Edit. Complut. & aliis.*

(q) *Hæresi* VIII.

(r) *De Fide Orthod. lib.* 4, *c.* 18; *Procop. Præfat. in Gen. Antioch. hom.* 8; *Cassiod. Instit. lib.* 1, *c.* 13; *Pelusiot. l.* 4, *Ep.* 128.

(s) *Præfat. in Libb. Salom.*

(t) Vide *Cornel. a Lap. ad calcem Comment. in Eccli. Addit. de* Ben-Sira.

(u) *Cornel. Ibid.*

(x) *Eccli.* IV, 9, XXIV, 5; LI, 14.

(y) *Chronol. pag.* 16.

(z) *In cap.* L, 35: Ἰησοῦς υἱὸς Σειρὰχ Ἐλεαζὰρ Ἱεροσολυμίτης. *Vel* υἱὸς Σειρὰχ Ἐλεαζὰρ ὁ Ἱεροσολυμίτης.

(a) *Ita Basil. Ald. & Ms. Pal.*

(b) *Eccli.* LI, 18, collatum cum XXXIV, 10, 11, 12.

(c) *Eccli.* XXXIV, 13.

(d) *Eccls.* LI, 5, 6, 7, 8. (e) *Eccli.* XXXIX, 16, 17; XXIV, 46; L, 30. (f) *Eccls. Præfat. & cap.* LI, 22, 23.

postremum apud Hebræos ad morales sententias scribendas sese contulisse (g). Hæc de Authore certa traduntur. (g) Eccli. xxxiii, 16.

Stilum suum ad Proverbia Salomonis componere studet, cujus Libri sententias plurimas in suum convertit. Elogium Sapientiæ texens, stilum & artem Salomonis (h), & Authoris Sapientiæ (i) imitatur. De Patre & Filio tamquam distinctis personis agit apertiùs (k); nec nisi temerè asseruit Grotius, locos quosdam in Opere recensendo a Christianis adjectos in Librum irrepsisse. Alludit quandoque ex Hebræo ad Græcum, sive e Græco ad Hebræum, uti cùm de Sapientiâ dicit, abditam esse & occultam, quemadmodum ex nomine proditur, ubi præ oculis habuisse intelligimus nomen *Sophia* comparatum cum Hebræo *Zaphuiah*, abditum (l). Ita cùm *Men*, mensem, derivat ex *Mene*, sive *Meni*, Lunâ (m). Sedit Authori ea veterum quorumdam Philosophorum sententia, quæ Mundum æquilibrio sustineri, ac virium æqualitate censuit, ut adnitentibus aliis, resistentibus cæteris, omnia in suspenso starent (n).

(h) Prov. viii. (i) Sap. vii, 25, 22, & seqq. & cap. viii. (k) Eccli. li, 14. (l) Eccli. vi, 23. (m) Eccli. xliii, 8. (n) Eccli. xlii, 25; xxxiii, 16.

ARTICULUS III.

Tempus scripti Operis.

Tres sunt de tempore scripti Operis sententiæ: I, ea quæ Librum Salomoni deputans, ad ejus Regnum revocavit. Sed hæc vana sunt, uti supra satis ostendimus. II, Ejus ætas cum summo Sacerdotio Eleazari, sive Regno Ptolemæi Philadelphi Regis Ægyptii, componitur. III, Revocatur ad ætatem Oniæ III, filii Simonis II, & Antiochi Regis Syriæ. Est igitur utraque hæc sententia in examen revocanda.

Satis Author innuit se vixisse post Simonem Summum Sacerdotem, cujus, veluti hominis vitâ functi, laudes prosequitur (o). Jesus ejus nepos, & Libri ex Hebræo in Græcum Interpres, in Ægyptum vênit, atque ad scribendum se contulit sub Ptolemæo Evergete (p), qui fratri Ptolemæo Philadelpho successit. Definienda est igitur ætas Jesu filii Sirach inter Sacerdotium Simonis, & Regnum Evergetis, nempe intra A. M. 3711, quo anno obiit Simon I Justus, & 3783, qui emortualis est Ptolemæi Evergetis, ex calculis Usserii. Ita planè sentiunt plerique veteres, atque recentiores Chronologi (q), & Interpretes, qui unum censent eum virum e Septuaginta Interpretibus, ab Eleazaro Summo Sacerdote ad Ptolemæum Philadelphum missis. Occurrit sanè nomen Jesu in Catalogo LXX Interpretum apud Aristæam.

(o) Eccli. l, &c. (p) Eccli. Præfat. (q) Torniell. ad ann. 3798; Genebr. ad an. 3797; Cornel. à Lapide, Palac. Jansen. Emanuel Sa, &c.

Qui Jesum filium Sirach post ætatem Simonis II revocant, hi quidem iisdem utuntur principiis; at ex iis plane contraria colligunt. Cùm enim circa ea tempora duo innotuerint Simones summi Sacerdotes Judæorum, duo insuper Evergetæ Reges Ægypti; ex hisce duobus nominibus, Simonis & Evergetæ, opposita planè inferri queunt, ex quibus ea nomina prorsus ambigua efficiuntur. Ut igitur certam de Authoris ætate sententiam feramus, consulendus est ejus Liber, spectandaque rerum ab illo gestarum historia. Docet ille, suâ ætate gentem suam in summum excidium devenisse (r); ita enim orans Dominum alloquitur... *Miserere nostri, Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum: & immitte timorem tuum super gentes, quæ non exquisierunt te, ut cognoscant quia non est Deus, nisi tu, & enarrent magnalia tua. Alleva manus tuas super gentes alienas, ut videant potentiam tuam. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis ab eis, ut cognoscant te, sicut & nos cognovimus, quia non est Deus præter te, Domine. Innova signa, & immuta mirabilia. Glorifica manum & brachium dextrum; excita furorem, effunde iram. Tolle adversarium, & afflige inimicum. Festina tempus, & memento finis, ut enarrent mirabilia tua. In irâ flammæ devoretur, qui salvatur, & qui pessimant plebem tuam, inveniant perditionem. Contere caput Principum inimicorum, dicentium: Non est alius præter nos. Congrega omnes tribus Jacob, ut cognoscant quia non est Deus, nisi tu, & enarrent magnalia tua; & hæreditabis eos sicut ab initio. Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum; & Israël, quem coæquasti primogenito tuo. Miserere Civitati sanctificationis tuæ Jerusalem, civitati requies tuæ. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, & gloriâ tuâ populum tuum. Da testimonium his, qui ab initio creaturæ tuæ sunt, & suscita prædicationes, quas locuti sunt in nomine tuo Prophetæ priores. Da mercedem sustinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur, & exaudi orationem servorum tuorum.* Capite xxxv, 22, 23, 24: *Dominus non elongabit, sed judicabit justos, & faciet judicium; & fortissimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorsum eorum. Et gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem superborum, & sceptra iniquorum contribulet; donec judicet judicium plebis suæ, & oblectabit justos misericordiâ suâ.*

(r) Eccli. xxxvi.

Hæ populi oppressi & afflicti voces sunt. Sub Eleazaro autem, & regnante Ptolemæo Philadelpho, quietæ erant res Judæorum, non in Judæâ modò, verùm etiam in

in Syriâ, & Ægypto. Non est igitur cur ad eam ætatem revocemus Jesum filium Sirach, eo tempore scribentem, quo rebus Judæorum afflictis, ipse se oppressum Regum superborum jugo gemebat: nempe cùm extranearum gentium tyrannide premerentur, vexarentur, & calumniis affligerentur Judæi.

Sed satis functo Simone II, Judæorum res in Judæâ, Syriâ, Ægypto turbatæ sunt; quin & eo Pontifice, Ptolemæus Philopator Judæos Ægyptios conterendos pedibus elephantorum damnavit, quemadmodum in Libro tertio Macchabæorum fusè narratum legimus. Idem Rex aditum in Sanctuarium Templi tentavit, cùm sacris præesset Simon II; quam hominis audaciam deploravit facilè Sirachides, capite L, 4, &c. Cùm autem resistentem sibi Summum Sacerdotem nactus fuisset, ejus rei causâ Judæos Ægyptios omni furoris sui nisu insectatus est. Post hæc, jugum Syrorum afflicta Judæa subiit. A Simone II quatuor filii relicti sunt: Onias III, Jason, Menelaus, Lysimachus.

(s) 1 *Macchab.* III, 1, *&c.*

Onias III altâ pace sub Seleuco Rege Syriæ fruebatur (s); brevi tamen afflictio successit sub Antiocho Epiphane; nam a Sacerdotio remotus idem Onias, neci, eodem Rege authore, Antiochiæ traditus est. Jason Summum Sacerdotium, traditâ Regi Ægypti pecuniâ, invasit; invasit eâdem arte & Menelaus, pulso Jasone. Tandem Lysimachus sacrum Templi Ærarium diripiens, lapidibus confectus est. Viris illis perniciosis, excidio Reipublicæ natis, authoribus, fœdus cum externis populis junctum est, invecti Jerosolymam Græcorum ritus; ex quo factum, ut Judæi quamplurimi ab avitis ritibus & religione desciscerent, in ultimum ferè malorum gentem suam adducentes, quemadmodum fusè narrat secundus Macchabæorum, IV, 1, 2, 3, 7,.. 23.. 53.

Antiochus Epiphanes, omnium, qui Judæos afflixere post captivitatem, longè iniquissimus, Regnum Syriæ inivit anno 3828, altero & vicesimo post obitum Simonis II. Hoc facile tempus scripti a Sirachida Libri constituendum est, sub exordia persecutionis in Summum Sacerdotem Oniam, atque ante illius necem. Cùm enim præ oculis haberet Author Judæos a religione desciscentes, cùm afflictas gentis suæ res cerneret, ac ferè se furoris impiissimorum hominum victimam expertus esset; id esse futurorum malorum adhuc præludium censuit. Quare ultimam Patriæ excidium, & rerum sacrarum vastationem, quam imminentem prævidebat, præveniens, in Ægyptum secessit, ubi postremos vitæ suæ annos exarando huic Libro impendit. Inde, veluti e speculâ, gentis suæ mala prospiciebat, quarum misericordiâ ductus, orationem illam in calce Operis descriptam, & alteram in capitibus XXXV, & XXXVI, supra a nobis recitatam, scripsit.

Hanc, quam statuimus, sententiam doctissimi quique nostræ ætatis Chronologi & Interpretes sequuntur (t). Huic etiam addimus eos qui sentiunt, Sirachidam elogium intexuisse Simonis II, non Simonis I, sive Justi; quamquam in reliquis aliquid a nostro systemate alienum defendunt.

(t) *Grot. Bossuet, Serar. in Macchab. Usser. Chronol. Raban. Hugo, Lyran. Dionys. Ric. Et ex Antiquis, Euseb. & Hieron. in Chron. Beda de sex ætatibus Mundi.*

ARTICULUS IV.

De Versionibus Græcis & Latinis Ecclesiastici.

JEsus, Authoris hujus Libri nepos, in Præfatione Libro præmissâ satis apertè affirmit, se Ecclesiasticum ex Hebræo in Græcum sub Ptolemæo Evergete vertisse. In Ægyptum ille secessit anno XXXVIII Ptolemæi VII Evergetis, ejus nominis secundi. Hebraicum Exemplar, cujus ille versionem adornavit, scriptum facilè erat Syriaco sermone, Hebræis tum temporis vernaculo; quemadmodum & Syriacus erat Codex, S. Hieronymo visus. Fortè etiam S. Doctor non aliud vidit Opus, quàm alphabeta *Ben-Sira*, quæ adhuc Syriacè scripta apud Hebræos servantur. Integrum enim Opus Hebraicum prorsus interiit, & Græcus, qualem nos habemus, archetypus habetur, vel saltem tamquam unica Versio ex archetypo adornata.

Porrò is Græcus Interpres stilo utitur aspero & implicato, eamque scribendi rationem sequitur, quæ Græcæ linguæ elegantiam nihil sapit, ipsaque archetypi verba unicè sectatur. Hinc fit, ut salebræ interdum in lectione Operis occurrentes, Lectorem morentur, syntaxis etiam peccet non rarò, denique Hebraismis, & phrasibus barbaris ac irregularibus totus scateat.

Versionis Latinæ sive Author, sive tempus latent; sed vetustissimam esse constat, primis Ecclesiæ sæculis adornatam; cùm ex eâ in vetustis Patribus uniformia satis testimonia laudentur. Superest nostrâ ætate eadem, quæ olim obtinuit; non enim in eâ recensendâ laboravit S. Hieronymus. Additiones quamplurimæ deprehenduntur, sive quòd Interpres ad majorem Operis fidem plures ejusdem sententiæ versiones dare voluerit; sive quòd non satis mentem Authoris exposuisse priori versione metuens, alteram addiderit; sive glossemata quædam, & explicationes subjicere iisdem sententiis

tiis placuerit; sive tandem quòd hæc alienâ manu oræ codicis adscripta, demum incuriâ Amanuensium in Textum irrepserint. Illud planè constat, additiones hasce, quæ magno numero spectantur, nonnisi fermè repetitiones, sive expositiones esse sententiarum, sive quæ antea traditæ, sive quæ infra subjiciendæ sunt. Singulas in Commentario adnotare, molestum erat; quamobrem inter parenthesis notas clausimus, ut uno intuitu statim videas, quid in Vulgatâ abundet, quod non habet Græcus.

Porrò Versionis hujus Authorem eumdem esse credimus cum Interprete Libri Sapientiæ; utrobique enim quædam recurrunt voces huic Scriptori peculiares; uti *honestare* pro locupletare; *honestus* pro divite; *honestas* pro divitiis; *respectus* pro a Deo expetitâ ultione; *monstra* pro miraculis, *interrogatio* pro pœnâ. Eadem utrobique religio spectatur in vertendis singulis archetypi vocibus; & additiones quædam, ex ipso, uti quidem videtur, Versionis Authore derivatæ. Parem quoque uterque sectantur stili barbariem & ambiguitatem; quamquam Sapientiæ stilus Ecclesiastico felicior est, quòd Græcum habeat elegantius.

Hæ autem additiones, in Latinâ Versione frequentissimæ, a Græcâ usque adeò alienæ non sunt, quin aliquæ in eâ deprehendantur. Addit interdum Græcus quædam, quæ frustra in Latino quæras, & a nobis Lectori observanda suis locis exhibita sunt. Dissident etiam sæpissimè inter se Græca Exemplaria. Editio Romana Sixti V purissima est omnium; Complutensis ad Vulgatæ fidem accuratior. Variantia in Codicibus Græcis magno adeò numero spectantur, ut omnia animadvertere, arduum nobis visum sit; quamobrem præcipuis adnotatis, reliquas omisimus. Qui pleniùs eâ de re doceri cupit, adeat Notas Hœschelii, & Drusii, qui argumentum fusiùs prosequuntur. Nec prætereundum ducimus, in optimis Græcis Editionibus capitum ordinem inversum occurrere a versu 26 capitis XXX usque ad caput XXXVI; qua de re consule Grotium [u]. Olim varii in Græco tituli præfixi erant, varia argumenta ab Authore agitata distinguentes; e quibus plures adhuc spectantur in Editione Romanâ, præsertim post capita XVIII & XIX. Dolemus autem, non omnes superesse, quò accuratior servaretur ordo in capitibus disponendis, qui sanè capitum ordo contextui satis aptè non servit.

(u) Vide etiam *nostrum Comment. ad finem cap. XXX.*

Geminæ Præfationes toti Libro præponuntur; quarum altera in Latinis Exemplaribus Vulgatæ, & in Græco Editionis Romanæ legitur. Hæc canonicam obtinere authoritatem Scriptoribus nonnullis creditur (x), utpote quæ pars sit Operis canonici, quamquam alium habet ab Authore Libri Scriptorem, nempe Jesum Authoris nepotem, ejusdem Operis Interpretem. Alii tamen Divinam ab illo authoritatem abjudicant [y]; nec immeritò, cùm Authorem habeat non sacrum. Altera Præfatio in Græco Polyglottorum Antuerpiensium aliisque Græcis Editionibus, idem exemplar securis, legitur; deest tamen in Editione Romanâ, & in vetustissimis optimisque Codicibus. Scitum est, nemine penitùs refragante, derivatam esse e Synopsi, S. Athanasii nomine inscriptâ; quamobrem neque canonica est, neque majorem sibi vindicat authoritatem, quàm ipse Synopseos Author mereatur. Nos Gallicè versam dedimus cum notis. Ejus Author geminos Jesus filios Sirach agnoscit, Authorem nempe Operis, & Interpretem; quæ sanè sententia plures obtinuit patronos, præsertim apud Græcos; sed Interpretem avo suo cognominem fuisse, nullo satis firmo documento docemur; quin non satis de nomine Jesu constat, cujus tota fides ex Græcis monumentis, & traditione repetitur. Utraque hæc Præfatio deest in Versionibus Syriacis & Arabicis.

(x) *Vide Gretf. Defens. Bellar. c. 1, lib. 1, c. 14, pag. 168.*
(y) *Cornel. a Lapid. ad caput Prologi; Jansen. alii.*

ARTICULUS V.

De authoritate Ecclesiastici.

Desiderari Ecclesiasticum in Canone Hebræorum, constat inter omnes; & cùm ejus sententias non ratò laudent Hebræi, ejus tamen authoritatem longè habent a Divinâ. Veteres Ecclesiæ Patres, qui Librorum Sacrorum Catalogum posteritati tradiderunt (z), cùm intra fines tantum Judaïci canonis sese continuerint, eosque solummodo Libros exhibere soluerint, qui præter controversiam apud Judæos æquè & Christianos recipiebantur, Ecclesiasticum excluserunt. Apertius aliquid de eodem Libro asserit S. Hieronymus (a), legi nempe in Ecclesiâ *ad ædificationem plebis, non ad authoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam.* Hunc Librum, quemadmodum & alterum Sapientiæ, appellant Veteres *Libros dubios*, sive *Libros Ecclesiasticos*: *Non canonici, sed Ecclesiastici a Majoribus appellati sunt*, ait Rufinus in expositione Symboli.

Hodie tamen receptum Ecclesiæ Catholicæ dogma tenet, hunc Librum pari esse authoritate cum cæteris in Canonem Judæorum receptis. Nullo etiam negotio demonstratur testimoniis Patrum omnium sæculorum, & omnium Ecclesiarum traditione, hunc Librum semper canonicam obtinuisse apud Ecclesiasticos Scriptores authoritatem. Quin & Patres ipsi, quos tamquam ejus authoritati contrarios supra recita-

(z) *Melit. Ep. ad Onesim. Origen. Exposit. primi Psal. Athan. Ep. festal. Author Synopsis sub ejusdem nomine; Nazian. carm. ad Seleuc. Cyril. Jerosol. Epiph. de pond. & mens. Damasc. de Fide Orthod. lib. 4; Conc. Laodic. cap. ult. Hilar. Præf. in Pss. Rufin. Exposit. Symbol.*
(a) *Præfat. in Libb. Salom.*

vimus, testimonia ex eo deducunt, tamquam e Sacrâ Scripturâ. Hæc observare licet apud Origenem [b], S. Athanasium (c), S. Cyrillum Jerosolymitanum [d], S. Gregorium Nazianzenum (e), S. Hieronymum (f), cujus hæc sunt verba: *Divina Scriptura loquitur*: *Musica in luctu intempestiva narratio*. Idem est apud S. Epiphanium [g], S. Damascenum (b), S. Hilarium (i), aliosque.

Spectatur traditio Græcæ Ecclesiæ in testimoniis S. Clementis Alexandrini (k), Eusebii Cæsariensis (l), S. Isidori Pelusiotæ [m], S. Basilii Magni (n), S. Gregorii Nysseni [o], S. Cyrilli Alexandrini (p), S. Joannis Chrysostomi (q), S. Ephrem (r), S. Anastasii Antiocheni (s), ut cæteros jam laudatos omittam.

Ecclesiæ Latinæ, & Occidentalis testimonia frequentia sunt, & perspicua. De sententiâ Ecclesiæ Africanæ nihil est quod ambigamus, post expressam luculenter fidem suam in Concilio III Carthaginiensi, canone XLVII, ubi in Canone Scripturarum quinque Salomonis Libri recensentur, videlicet Proverbia, Ecclesiastes, Cantica, Sapientia, & Ecclesiasticus. Tertullianus (t), & S. Cyprianus [u] frequenter testimonia ex eo petunt; & quod maximè animadvertendum est, idem S. Cyprianus cæterique in Concilio coacti ob controversiam de Baptismo Hæreticorum, opinionis suæ patrocinium potissimum quærebant ex illo Ecclesiastici, XXXIV, 30: *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus?* Hoc planè testimonium, nisi ex Opere canonico petitum, facilè eludere potuissent sententiæ contrariæ patroni; quod tamen ab illis nunquam factum scimus. Quin & S. Augustinus (x), sedulò omnia S. Cypriani cæterorumque argumenta solvens, non minori curâ testimonium illud exponit.

Cùm maximè fervérent de gratiâ disputationes sub S. Augustino, sanctus hic Pater ex hoc, non secùs ac ex cæteris Sacræ Scripturæ Libris, testimonia pro libero arbitrio adstruendo promebat [y]. Paria observabat S. Prosper ejus discipulus in Galliâ, cùm illum adversus Cassianum acueret (z). Idem præstitit Cassianus ipse (*), S. Fulgentius (a), Optatus (b), S. Ambrosius (c), S. Paulinus [d], S. Leo Magnus (e), Julianus Pomerius (f), Salvianus (g), aliique plures, de authoritate hujus Libri minimè ambigentes.

Accedit consensus Ecclesiarum Galliæ, & Germaniæ in Concilio Francfordiensi collectarum (h), Hispaniarum in Concilio Toletano VIII, Orientalium in Concilio Ephesino (k), quæ omnes veluti canonicum Opus, ac pari cum reliquis Scripturis authoritate laudant. Tandem Concilium Tridentinum [l] in Canonem Scripturarum hunc Librum adlegit, omni ambiguitate submotâ, quæ animos quorumdam ob nonnulla Veterum testimonia detinebat.

(b) *In Ezech. hom. IX: Quid enim ait Scriptura? Quid superbit terra, & cinis, & in vitâ ejus projecit interanea ejus. Ex Eccli. X, 9. 10. Vide & contra Cels. lib. 6.*
(c) *De Virginib. ex Eccli. XIII, 1.*
(d) *Catech. VI, ex Eccli. III, 13, & 22.*
(e) *Orat. 1 cont. Julian. ex Eccli. III, 11.*
(f) *Epist. ad Julian.*
(g) *Ancorat. cap. 12, ex Eccli. III, 22. 23.*
(h) *Orat. 1 de Dormit. Deip. ex Eccli. X', 30.*
(i) *In Psal. CXL, ex Eccli. XXVIII, 28. 29.*
(k) *Strom. l. 1, cap. 8. & lib. 7.*
(l) *Præpar. lib. 8, cap. 8.*
(m) *Epist. VI, ex Eccli. XXV, 11.*
(n) *In Isai. VIII, & Regul. brevior. qu. CIV.*
(o) *Homil. 3 in Ecclesiasten.*
(p) *Orat. Ephesi habitâ, antequam a Comite deprehenderetur.*
(q) *Hom. XIII ad Pop. Item hom. XV, ad eumdem pop.*
(r) *Adversùs improb. mulier.*
(s) *In Hexaëm. lib. 9.*
(t) *De Exhort. castit. c. 12, ex Eccli. XV, 18.*
(u) *Ep. 65, & de Opere & Eleem.*
(x) *De Bapt. lib. VI, cap. 34.*
(y) *De grat. & lib. arbitr. lib. 2, cap. 11; ex Eccli. XV, 1. & alibi sæpius.*
(z) *Cont. Collat. n. 40, & alibi sæpius.*
(*) *Collat. XIII, c. 12; Collat. VI, c. 16; Collat. II, c. 13.*
(a) *De Remiss. peccat. lib. 1, cap. 12.*
(b) *Contra Parmenian. ex Eccli. III, 33; & XXIX, 15.*
(c) *De bono mortis, cap. 4; & de Fide, lib. 4, cap. 4.*
(d) *Paulin. seu alius, Epist. ad Celantiam.*
(e) *Serm. 91, ex Eccli. XVIII, 30.*
(f) *De Vitâ contempl. lib. 1, cap. 8.*
(g) *Ad Eccl. Cathol. lib. 3.*
(h) *Conc. Francford. ex Eccli. III, 22.*
(i) *Can. 9, ex Eccli. XXIX, 1.*
(k) *Act. VII, in Epist. Synod. ad Synod. Pamphyl.*
(l) *Sess. IV.*

DISSERTATIO

De Funeribus & Sepulturis Hebræorum.

QUæcumque politiores gentes nihil unquam habuerunt antiquius, quàm ut mortuorum sepulturas curarent. Hanc tantùm curam solæ mortalium gentes quædam barbaræ, uti Scythæ, Thraces & Hircani, unà cum humanitate ipsâ exuerunt. Cæterùm Hebræis adeò ea res cordi fuit, ut nullis per Orbem populis ipsisque Ægyptiis, omnium superstitiosissimis, cederent. Ad id officii utrosque illos populos cùm plura impellebant, cùm illud potissimùm, quòd de animæ immortalitate rectâ sentirent (a). *Animas*, ait Tacitus [b] de Judæis, *prælio aut suppliciis peremptorum æternas putant. Hinc generandi amor, & moriendi contemptus.* Condendo in tumulum corpori Saræ uxoris suæ Abraham duplicem speluncam, ut sibi etiam suisque locus maneret, soluto pretio émit [c]. Fratres suos Joseph obtestabatur, ut ex Ægypto secedentes, unà secum in Terram Promissionis cineres suos deferrent [d]. Amplissimorum virorum, & illustrium fœminarum sepulcra sedulò in S. Scripturâ notantur, in qua pariter ultimi supplicii loco impii honore sepulturæ privandi dicuntur (e). Mortuorum luctus & sepulturam curare, & dapes ad tumulos afferre, potissima erat piorum hominum occupatio (f).

Vix animam efflaverat quis, statim res omnes & supellex ejus cubiculi labem quamdam contrahebant, nonnisi post septem dies eluendam (g). Idem & cum iis fer-

(a) *Herod. de Ægyptiis, lib. 2, cap. 123.* (b) *Annal. cap. 5.* (c) *Genes. XXIII, 4.* (d) *Genes. L, 24.* (e) *Eccle. VI, 3; Jerem. VIII, 2; & XXII, 14. & 2 Mac. V, 10; & IX, 4.* (f) *Tob. I, 20, & II, 10; & VI, 18.* (g) *Num. XIX, 24. 15.*

servabatur, qui cadaver, vel sepulcrum, sive ossa defuncti contigissent. Hic autem erat expiationis ritus. Pars aliqua cineris vaccæ rufæ, die expiationis solemnis a Summo Sacerdote immolatæ, in vas aquâ plenum injiciebatur. Hac deinde aqua intinctâ hyssopo, a viro mundo aspergebantur cubiculum, utensilia, & quidquid maculam contraxisset. Statæ erant huic cæremoniæ dies tertia & septima, cujus postremæ diei expiatione peractâ, balneo omnia eluebantur, tum vir pollutus, tum ejus vestes; post hæc, pura omnia. Ex Rabbinorum doctrinâ, labes e mortuo tunc demum contrahebatur, cùm defunctus ex Judæis esset (*h*); Profani enim, inquiunt, dum vivunt, accedentes ad se omnes inquinant; post obitum, puri ipsi nihil maculæ contingentibus inferunt; cùm vicissim Israëlitæ viventes odorem puritatis exhalent, quo per nares sanctitas insinuatur; defunctorum verò cadavera, quòd Spiritûs Sancti, unà cum animâ avolantis, contubernio privata sint, nonnisi corruptionem spirent ac tabem. Sexcenta hujus ingenii venditant de eodem argumento Judæorum Doctores, quæ levia sunt maximè & inutilia; cùm post Templi eversionem hi ritus omnes apud Judæos obsoleverint (*i*).

De funerum apparatu rituque pauca Scriptura, plurima Rabbini [*k*]. Morti proximus Israëlita coram decem viris & Rabbino, ad id accitis, crimina sua confitetur; cujus confessionis formula rudibus & indoctis alphabetico ordine exarata est, singulis alphabeti literis singula & frequentiora crimina continentibus. Doctores per se vitæ suæ crimina non de scripto recitant, eâ planè disciplinâ, quæ apud nos servatur. Fidei quædam professio ab ægroto exigitur, rogaturque potissimùm, utrùm venturum Messiam expectet: tum æger Deum rogat, ut corporis & animæ sibi valetudinem restituat, quemadmodum olim Ezechiæ [*l*]; poscere autem se, siquidem hora suprema jam venerit, ut crimina, quæ toto vitæ spatio sive prudenti sive imprudenti obrepserunt, morte ipsâ eluantur. Orationem demum claudens, concedi sibi postulat locum in Paradiso, & in sæculo futuro sedem, quæ Justis servatur, & tutum ad vitam æternam iter demonstrari. Post absolutam hujus orationis formulam, amici Synagogam petentes, pro ipso, sed alio nomine, Deum rogant, eo, veluti indicio innuentes, in alterum virum, priori vitâ mutatâ, illum transisse.

Viris religionis sive literaturæ famâ insignibus supremum spiritum acturis assistere, in religionis partem ducunt, sperantes inde sibi sanctitatis plurimum proventurum, juxta illud (*m*): *Non videbit interitum, cùm viderit Sapientes morientes*. Nihil hic detortam explicationem moramur, contenti Judæorum ritus exponere. Sunt qui morientes osculentur, quasi ultimos halitus excepturi; quod e veteri more petitum esse, intelligimus ex Philone (*n*), Jacobum inducente, in argumentum luctûs, pro inopinato de Josephi obitu nuncio, id sibi in memoriam revocantem, neque se decedentis oculos clausisse, nec suprema dedisse oscula. Sunt qui in hunc sensum explicent illud [*o*]: *Mortuus est Moyses jubente Domino*, vel ex Hebræo, *juxta os Domini*, nempe *in osculo Domini*: ita, inquam, explicent, quasi Deus supremo hoc humanitatis officio dignari amicum, & osculo illius animam excipere voluerit. Joseph defuncto jam patri supremum osculum tulit (*p*). Nihil eo more apud Profanos familiarius, qui supremum morientium spiritum osculo legebant, supremosque excipiebant spiritus in signum amoris & charitatis (*q*).

Hærentemque animam non tristis in ora mariti
Transtulit.

Solemnis mortuos osculandi ritus olim ad Christianos, ne Sacerdotibus quidem exceptis, derivatus est (*r*); quod deinde Concilii Antissiodorensis canone XII vetitum est. Egredientem jam animam adstantes scissione vestium prosequuntur; quæ olim sinceri doloris significatio, hodie mera est cæremonia, cùm & pretiosioribus vestibus sedulò parcere curent, & imum vestium limbum ad latitudinem circiter palmæ scindant. Ex Rabbinorum verò doctrinâ scissionem illam in obitu alieni post XXX dies facere licet; in obitu consanguinei propinquioris nunquam licet. E veteri consuetudine acceptum tenent, omnem, quæ fortè in domo fuerit, aquam in viciniâ effundi debere, sive ut eam significationem doloris exhibeant, sive ut eo indicio mortis dato, vicinos ad lacrymas provocent. Rabbini tamen docent [*s*], infici eam aquam veneno, quòd Angeli interfectoris gladium eluerit; hinc, ne cui noceat, projici. De Angelo mortis sermo est in Græco Jobi, XX, 15, & XXXIII, 23, 24; & nos fusiùs agemus in Dissertatione de cæde exercitûs Sennacheribi.

His peractis, humus panno insternitur, depositique super illud cadaveris os sudario obducitur; neque enim defuncti faciem aspicere fas est. Causam addunt hujus ritus, ne scilicet egeni, quorum os fame & durioris vitæ malis extenuatum est, majori probro afficiantur. Deinde pollex manûs interiùs complicatur; quem situm cùm rigentes digiti ægrè patiantur, filis quibusdam e flocco Taled ejusdem defuncti continentur: sic autem coactus pollex figuram quamdam nominis *Saddai* reddit. Re-

liqui

(h) *Vide Jo. Nicolas de Sepulcr. Hebr. l.* 3, *c.* 3, Basnage Histoire des Juifs, liv. 7, ch. 25.

(i) *Vide* Leon Modena, Riti Giudaici, p. 1, c. 8.

(k) *Vide Buxtorf. Synag. Jud. cap.* 35; *&* Leon Modena, p. 5, c. 8; Basnage, Histoire des Juifs, tom. 5, l. 7, c. 24. *Et Gejer. de luctu Hebr.*

(l) 4 *Reg.* XXII, 3.

(m) *Psal.* XLVIII, 11.

(n) *Philo, de Joseph.* Ἐθεράπευσα, ἐνουθέτευσα πρότερον ἀποθνήσκοντα, τελευταίων δακρυμάτων ἐκοινώνησα, τοὺς ὀφθαλμοὺς συνέκλεισα, *&c.*

(o) *Deut.* XXXIV, 5.

(p) *Gen.* L, 1.

(q) *Statius.*

(r) *Dionys. Areop. Hierarch. Eccles. c.* 7.

(s) *Buxtorf. Synag. Jud. c.* 35.

liqui digiti, præter pollicem, manent extenri rigentesque, ut scilicet, inquiunt Rabbini, documento sint, homines, ubi fatis cedunt, omnia simul deserere; cùm vicissim infantes stricto pugno nascantur, ut eo naturæ magisterio discamus, ingredi illos terram, in possessionem divitiarum omnium a Deo immissos. Inceditur cereus, sive lucerna, & ad pedes, sive ad caput defuncti, quamdiu humi jacet, apponitur; neque enim eadem est omnibus Hebræis in eâ re consuetudo. Ratio hujus cæremoniæ portentosa. In Collatione habitâ coram Summo Pontifice, anno 1412, virio datum est Judæis, quòd incendendum cereum illum crediderint, ut viam monstret animæ, pristinum corporis domicilium quæritanti; faciliùs enim facis ductu rectâ ad illud ducitur (*t*), si tamen regredi parata sit. Reponebant tamen Judæi, id sibi per calumniam imputari, quippe qui sese id facere dicerent, ut fortilegorum absurdas opiniones riderent, putantium ob incensum coram defuncto cereum separatam a corpore animam vehementer torqueri.

Secundùm hæc, calidâ aquâ, in qua herbæ suaves sunt & aromata, corpus abluitur; quæ sanè consuetudo, apud Judæos vetustissima (*u*), Profanos ipsos non latuit. Fœminis plerumque munus illud demandatur, ad quas etiam spectat femoralibus defunctos, & subuculâ induere [*x*]. Sunt tamen qui viros viris lavandis, fœminas fœminis destinatas contendant (*y*): at priorem obtinuisse apud Judæos æquè ac Profanos consuetudinem, pluribus testimoniis doceri videmur. Socrates, antequam cicutam biberet, corpus lavit, ut ejus lavandi post obitum labore fœminas levaret [*z*]. Super subuculam vestis alia brevior carbasina additur, qua utebatur veste defunctus, dum viveret, die Expiationis solemnis: additur & *Taled*, quadratus nempe pannus, cum ansulis ad latera; ac tandem albus pileolus. Tum feretro imponitur; ipsumque feretrum linteo insternitur, & altero linteo corpus tegitur. Addunt nonnulli, comam defunctis abscindi solitam, antequam tumulo inferrentur [*a*].

De feretris eorumque ornamentis, non una est ratio. Si vir literatus obierit, Libris ornatur feretrum; si amplissimus vir, ferertum alicubi in acumen definit. Interdum atro panno totum funus tegitur. Tradunt, veteri olim consuetudine fervatum esse, ut defunctorum corpora pretiosissimis & ornatissimis vestibus induerentur, cujus pompæ dispendio cùm inopes non sufficerent, solum vertere cogebantur [*b*]. Sed, addunt, Gamaliel Doctor perniciosam consuetudinem abrogavit, constituens, ut corpus unico lineo velo tegeretur: qui deinde mos adeò obtinuit, ut nec cum Regibus alia servaretur consuetudo, simplici enim obvoluti linteo, tumulo inferebantur. Sed variæ sunt in eâ re Scriptorum sententiæ: quæ prior proposita est, majorem habet eorumdem Scriptorum partem [*c*]. Regum cadavera diademate redimita, & sceptrum tenentia, mandari sepulturæ, Schikardus animadvertit: reliquæ vestes, quòd nemini post eorum mortem illis uti fas esset, igne absumebantur. Sed operæ pretium est lectores monere, hæc omnia nonnisi Rabbinorum fide, in rebus vetustis suspectâ, tradi. Narrat Josephus, in eodem cum Davide tumulo ingentes auri thesauros conditos fuisse (*d*); qua in re Historici fides nutat. Funebrem pompam Herodis Magni (*e*) idem Historicus describens, ait: *Nihil quod ad magnificentiam faceret, omisit Archelaus, sed omnem ornatum regium protulit, ut cum pompâ efferretur mortuus. Lectus quidem erat totus ex auro gemmis distinctus, stragula verò murice vario refulgent, superque eâ corpus purpurâ coopertum: & capiti quidem impositum erat diadema, corona verò desuper aurea, & dextrâ sceptrum habebat.* Cadaver Regis Asæ lectulo impositum est aromatibus perfuso (*f*). Paria de lectis mortuorum legimus apud Veteres Romanos & Græcos: sed & plures ad augendam funebrem pompam lectos adhibitos fuisse, cùm viri aliqui insignes ad tumulum ducerentur, scimus. Apud Rabbinos, lecti nomen usurpatur de feretro, quo corpus sepulturæ infertur.

Servatum olim in funere clarissimorum Doctorum eumdem apparatum, quem in Regum, comminiscuntur Hebræorum Doctores [*g*], nempe igni traditos eorum lectos, omnes vestes & supellectiles, condita sericis integumentis obvoluta cadavera; nihil tandem fuisse magnificentiæ, quod cum illis omitteretur. Sed vana tradere illos, ex torius antiquitatis silentio suspicamur. Abarbanel (*h*) aliique nonnulli credunt, Samuelem pallio suo involutum sepulturæ mandatum fuisse, quòd eâ veste amictus consulenti per Pythonissam Saüli apparuerit. Sed alii nihil tale factum tuentur, quòd nefas fuisse hominem laneis obvolutum condere dicant. Utrumque inanissimum; nihil enim de hac historiâ memoriæ traditum est. Qua veste amicta Judæorum cadavera sepulturæ olim mandata fuerint, res est obscura; facilè tamen idem apud illos mos, ac apud Ægyptios & reliquos ferè omnes populos, obtinebat, ut lineo obvolverentur. Docent ex Rabbinis nonnulli (*i*), nefas esse hominem veste ex lino simul lanâque contextâ obvolutum condere sepulcro; id vetitum alii negant, cùm viventibus quidem ea vestium ratio interdiceretur (*k*), pro defunctis verò nihil cautum.

Non latuisse etiam Hebræos usum condiendorum cadaverum, exemplis quibus-dam

(*t*) *Salom. Ben Virga, Schebet Juda, cap.* 292. Hæc accusatio frequenter legitur apud Authores; & Turcæ, authore Pokokio, in eâ sunt sententiâ, animas septem dierum spatio circa tumulum errare. Vide *Pokok. Not. Miscel. p.* 250.

(*u*) *Act.* IX, 37.

(*x*) Leon Modena, Basnage, *in loc. cit.*

(*y*) *Baron. an.* 34, *ex Rab. Jacob, & Maimonid.*

(*z*) *Plat. in Phædr. p.* 115.

(*a*) *Mos. Ægypt. Halae Ebel, c.* 4, *& Gejer. de Luctu, c.* 5.

(*b*) *Vide Jo. Nicolai de Sepul. Hebr. l.* 4, *c.* 10.

(*c*) *Menoch. l.* 8 *de Repub. Hebr. c.* 3, 4, 5; *Schikard. in jure Reg. p.* 417.

(*d*) *Antiq. lib.* 16, *c.* 11.

(*e*) *De Bello lib.* 1, *c. ult. ad fin.* Πάντα τὸν βασιλικὸν κόσμον προὔνεγκε συμπομπεύσοντα τῷ νεκρῷ· κλίνη μὲν ὁλόχρυσος, ἣν διάλιθος, στρωμνὴ δὲ ἁλουργὶς ποικίλη, τὸ σῶμα δ᾽ ἐπ᾽ αὐτῆς πορφύρᾳ, καὶ διάδημα ἐπέκειτο τῇ κεφαλῇ, στέφανος δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ χρυσοῦς, τὸ δὲ σκῆπτρον παρὰ τὴν δεξιάν.

(*f*) 2 *Par.* XVI, 14.

(*g*) *Abod. zara, c.* 1. *fol.* 11.

(*h*) *Abarbanel ad* 1 *Reg.* 11, 19, *Schindler, Lexico, voce* מעיל

(*i*) *Vide* Basnage, Hist. des Juifs, l. 7, ch. 24. §. 9.

(*k*) *Deut.* XXII, 11.

dam docemur; quamvis nec vulgo recepta esset consuetudo, nec satis apud illos frequens. Josephus corpus Jacobi parentis sui, pro recepto in Ægypto, ubi decesserat, more, condiendum curavit [l]; idemque cum illo cæterisque Patriarchis ibi fato functis servatum facilè credimus. Fusiùs alibi disseruimus, quo olim artificio cadavera salirentur (m), ut incorrupta manerent [n]. Non desunt, qui Regum Juda cadavera ita curari consuevisse affetant; quod se intelligere credunt ex funere Asæ, cujus corpus aromatibus magnâ copiâ sparsum pyræ impositum fuit (o); cùm Joramo ejus Regis nepoti honorem illum populus denegaverit (p): *Non fecit ei populus secundùm morem combustionis exequias, sicut fecerat majoribus suis*. Ferunt, cadavera non priùs imponi pyræ consuevisse, quàm condirentur, & aromatibus delibuta essent. Scimus, aromatibus delibutum fuisse Jesu Christi cadaver, quod etiam idem Jesus Christus condiendum prædixerat, eâ scilicet occasione, qua Maria pedes illius unguento perfundebat [q]. In usum sepulturæ ejusdem Nicodemus sibi comparavit centum libras myrrhæ & aloes; & mulieres ad sepulcrum venientes censuerunt facilè, eo honore adhuc caruisse Jesu Christi cadaver, cùm fortè Sabbati pervigilio id non licuisset; quare aromata necessaria secum deferenda curarunt. Tandem S. Joannes, XIX, 40, innuit, vulgò apud Judæos eam consuetudinem obtinuisse; narrans enim historiam Josephi ab Arimathiâ, & Nicodemi, Christi corpus linteis quibusdam sive institis unà cum aromatibus obvolventium, subdit: *Sicut mos est Judæis sepelire*. Antonius Margarita narrat, cùm primùm ad cœmeterium corpus delatum est, in ædiculâ quadam deponi, ubi vexati ovi liquore unà cum vino admixto totum linitur; deinde lineis consuetis obduci. Caput solummodò ungi consuevisse, post abscissam defuncti comam, & antequam feretro imponatur, Buxtorfius est author. Porrò unctionem hanc ex veteri condiendorum corporum consuetudine mansisse tantùm apud quosdam Germaniæ Judæos, facilè crediderim.

(l) *Genes.* L, 2, *&c.*
(m) *In Comment. ad Gen.* L.
(n) *Schacchus Sacror. Eleochrism. Myrothecia*, *&c.*
(o) 2 *Par.* XVI, 14.
(p) 2 *Par.* XVI, 19.
(q) *Matth.* XXVI, 12.

Cæterùm condiendorum corporum apud Judæos ratio planè abludit ab eâ, quæ apud Ægyptios ab Herodoto [r] describitur. Totus condiendi corpus Jesu Christi apparatus erat oleum, & liquida quædam aromata, quibus perfusæ institæ corpus stringebant. Hæc porrò tanta non erant, ut corpus a corruptione & tabe servarent; sed continebant aliquandiu, nec totum statim solvi sinebant. Conditum non fuisse Lazari cadaver, facilè credimus, cùm quatriduanus fœteret [s]. Totum corpus, excepto capite, longis fasciolis, qualibus pro infantibus utimur, obvolvebatur; capiti verò ambiendo lineum quoddam veluti sudarium paratum erat. Legimus hæc omnia satis disertè in Evangelio, ubi de sepulturâ Servatoris (t), & Lazari resurrectione (u). His omnibus, fasciis nempe & sudario, additum dicunt linteum quoddam lineum, quod Evangelistæ *Sindonem* appellant [x], & nos *Sudarii* nomine significamus, cujus Sudarii expressæ similitudines in pluribus Ecclesiis servantur.

(r) *Lib.* 2, *cap.* 86, 87, 88.
(s) *Jo.* XI, 39.
(t) *Jo.* XIX, 40; & XX, 5.
(u) *Jo.* XI, 44.
(x) *Matth.* XXVII, 59; *Marc.* XV, 46; *Luc.* XXIII, 53.

Longè alia curandi corpora mortuorum obtinet apud Judæos nostri temporis consuetudo, quemadmodum facilè ex collatione eorum, quæ supra a nobis fusè deducta sunt, intelligimus. Contingit non rarò, ut fasciæ illæ pretiosæ & ornatæ, quibus Legis volumina obducuntur, cùm vetustate fuerint detritæ, in usus mortuorum adhibeantur (y). Sed hæc rara sunt, & fasciarum nostrâ ætate in defunctis nullus est usus, siquidem (quod maximè animadvertendum est) Judæi nostræ ætatis de vetustis consuetudinibus decesserunt, quo magis magisque ee variorum locorum usibus accommodarent.

(y) *Maimon. de Leg. cap.* 20.

Defunctorum corpora aliquo temporis spatio exposita relinquebantur, antequam sepulturæ inferrentur. Abraham funus Saræ curavit; locum sepulturæ a filiis Heth soluto pretio émit; hisque peractis, tum demum corpus conditum est [z]. Corpus Jacobi LXX dierum spatio circiter retentum est, antequam in Chanaanitidem ad tumulum avitum deferretur (a). Tabithæ cadaver, lotum priùs, in conclavi solarii superioris expositum detinebatur (b). Solebant interim coram exposito corpore lamentationes & ploratus ingeminari, quorum frequens est in S. Scripturâ mentio. Hæc tamen in funeribus solemni ritu celebratis; frequentissimè enim defunctorum corpora actutum sepulcro condebantur. Ananias, ante pedes S. Petri exanimis corruens [c], statim tumulo illatus est; quod etiam cum Saphirâ ejus conjuge servatum, quæ post tres a viri obitu horas simili fato interiit (d). Emortualem foveam, condendo summo mane cadaveri junioris Tobiæ, paraverant (e). Apud Persas adhuc cadavera statim sepulturæ mandantur, quòd statim tumescant, & corrumpantur [f]. Eodem ferè tempore, quo filia Jairi decesserat, cum musicis instrumentis cantores ad pompam sepulturæ acciti sunt. Qui sibi necem intulissent, ad horrorem criminis demonstrandum, sepulcro nonnisi post solis occasum inferebantur, teste Josepho (g). Idem servatum cum sontibus, Judicum sententiâ capitali supplicio damnatis (h). Propinquiores Defuncti consanguinei altiores emittebant voces & ejulatus, tundebant pectus, vellebant crines, scindebant vestes, corpus incidebant, & cineri insidentes caput pulve-

(z) *Gen.* XXIII, 3.
(a) *Gen.* L, 3.
(b) *Act.* IX, 37.
(c) *Act.* V, 6.
(d) *Act.* V, 10.
(e) *Tob.* VIII, 13, 14.
(f) Chardin, Voyage de Perse.
(g) *De Bello*, *lib.* 3, *cap.* 14.
(h) *Deut.* XXI, 23.

re

re inspergebant. Falso nuncio de obitu Josephi ad Jacobum delato, statim miserrimus pater ejulare, abscindere vestes, indui cilicio, & diuturniorem luctum trahere [i]. Ne quid simile in obitu consanguineorum præstet Summus Sacerdos, ne scilicet abscindat vestes, & luctum cujusquam agat, Mosaicâ Lege cautum est (k): cautum & de vulgaribus Sacerdotibus, ne comam vel barbam radant, neve incisiones faciant in funere propinquissimorum (l).

(i) Gen. XXXVII, 34.
(k) Levit. XXI, 10, 11.
(l) Levit. XXI, 5.

Cæteris nihil eâ de re vetitum est, nisi tantùm, ne quid audeant simile in superstitionibus Adonidis, qui de ridiculo appellatus est mortuus (m): *Super mortuo non incidetis carnem vestram*. In reliquis igitur funeribus nullam doloris significationem alienam a se arbitrabantur Judæi. Deventuros Judæos in ultimas angustias, oraculo prædicens Jeremias, XVI, 6, inter cætera minitatur futurum, ut nullo ætatis & sexûs discrimine passim perimantur, priventurque honore sepulturæ, a nemine funera illorum curentur; nullusque sit, qui corpus incîdat, qui crines evellat, dum funera illorum luget. Familiaria erant hæc omnia apud Tyrios (n), Moabitas, Ammonitas, nec rara Judæis: *Omne caput calvitium*, ait Jeremias ad Moab [o], *& omnis barba rasa erit, in cunctis manibus colligatio, & super omne dorsum cilicium*. Has incisiones sibi veritas ex verbis Legis, jam a nobis laudatis, Judæi nostrates arbitrantur. Idem lugendorum funerum apparatus apud Herodotum [p], ubi de Ægyptiis agit, describitur. Cum vir aliquis non e vulgo obierit, omnes e familiâ fœminæ caput & vultum pulvere fœdantes, Urbem ejulantes peragrant; velatam habent faciem, pectus nudatum, quod identidem tundunt; magno verò propinquorum satellitio stipatæ prodeunt. Interim viri ex alio Urbis latere discurrentes, pectus nudatum percutiunt, atque altè ejulantes, casum familiæ suæ miserabiliter lamentantur. Cessant, cùm primum mortuus in feretro deponitur.

(m) Levit. XIX, 28.
(n) Ezech. XXVII, 27, 28, 32.
(o) Jerem. XLVIII, 33.
(p) Lib. 2, cap. 85, 86.

Cùm igitur ad tumulum deferendi corpus hora advenerit, propinqui & amici omnes ad pompam funebrem accurrunt. Ita inferendo in tumulum Jacobo non familiares modò, sed domestici Pharaonis, Satrapæ, & Optimates Ægypti convenerunt (q). Lugendo funeri Abneri, jussu Davidis, exercitus omnis abscissis vestibus, sacco indutus, & altè ejulans, pompam funebrem sequebatur (r). Nec David ipse abfuit, defuncti laudes pro concione celebrans. Celebravit etiam laudes Saülis & Jonathæ, scripto in eam rem lugubri Cantico (s); laudavit studium civium Jabes Galaad, qui subducta e mediis hostibus corpora duorum Principum, regali tumulo prope Urbem suam decorarunt (t). Vidua Naim unà cum frequenti populo filii sui funus sequebatur [u]. Arcentur, ex doctrinâ Rabbinorum, a funebri pompâ defuncti adversarii; adduntque Talmudistæ [x], Jacobum in ipso mortis limine filiis suis imperasse, ne Ethnicos ad defunctum corpus suum accedere paterentur, ne hi Dominum arcerent. Hostes excludendos edicunt, ne in manes defuncti aliquid intentent. Curari jubent, ut in pedes cadaver efferatur.

(q) Gen. L, 7, ... 11.
(r) 2 Reg. III, 31.
(s) 2 Reg. I, 17, &c.
(t) 2 Reg. II, 4, 5.
(u) Luc. VII, 11. &c.
(x) Bereschit Rab. sect. 100.

Vix e domo educto cadavere, culcitræ omnes complicantur [y], stragulæque in volumen collectæ super stramineam culcitram relinquuntur: additur & incensa lampas ad lecti caput, quæ totâ hebdomadâ luctûs ardet. Tum lecti omnes domûs dejiciuntur (z). Hæc tamen alii præstanda edicunt, cùm primùm cadaver effertur, alii verò cùm scrobs aggestâ humo æquatur. Addit Buxtorfius, servari solitam quibusdam in locis hanc cæremoniam, ut post elatum ex domo cadaver, fictile vas projiciatur, quod in terram cadens frangitur; quasi scilicet eâ imagine mortem significent, nisi alia illis sit causa ex arbitrio.

(y) Leon Modena, p. 4, c. 9.
(z) Gejer. de Luctu Hebr. c. 28, ex Maimonide.

Funus deducere, viri probi argumentum est apud illos; quamobrem certatim omnes accurrere, simulque feretro pro suâ singuli vice humeros subjicere contendunt, honoris loco ducentes, si supremum illud officium mortuo exhibuerint. Ista se a Patriarchis cæterisque Viris sanctissimis Ecclesiæ Judaicæ accepisse gloriantur. Nec rara sunt ea veteribus Christianis exempla, & quædam hujus generis non rara inter Ethnicos. Præter amicos & propinquos, doloris sui argumenta ejulatu & gemitibus exhibentes, erant & Præficæ, mercede ad lugendum conductæ. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israël: Contemplamini, & vocate Lamentatrices, & veniant: & ad eas, quæ sapientes sunt, mittite, & properent: Festinent, & assumant super nos lamentum: deducant oculi nostri lacrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis. Quia vox lamentationis audita est de Sion* (a). Et Amos, V, 16: *In omnibus plateis planctus: & in cunctis, qui foris sunt, dicetur: Væ, væ. Et vocabunt agricolam ad luctum, & ad planctum eos, qui sciunt plangere*. Et Ezechiel, XXVIII, 29, casum Tyri exhibens, concursum facturos dicit gubernatores navium nautasque, ut potentissimæ Urbis fatum lugeant: *Et ejulabunt super te voce magnâ, & clamabunt amarè, & superjacient pulverem capitibus suis, & cinere conspergentur: & radent super te calvitium: accingentur ciliciis, & plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amarissimo. Et assument super te carmen lugubre, & plangent te. Quæ est ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris?* Josephus

(a) Jerem. IX, 17, 18.

sephus historicus (*b*) narrat, falsum de morte suâ nuncium Jerosolymam delatum graviter adeò cives accepisse, ut ad triginta dies luctum prorogaverint; nec defuisse viros, qui conductis tibiâ cantoribus, majori pompâ funera celebrarent.

In Evangelio Matthæi, xx, 23, legimus, deductam ad funera duodennis puellæ turbam canentium tibiâ; qua in re Ethnicorum consuetudinem imitatos Hebræos credimus, cùm nullum ejus rei maneat in Veteri Testamento vestigium. Hujus per totum Orientem recipiendæ consuetudinis Græci, Romanique authores fuerunt. Ovidius, Fastorum libro vi:

Cantabat mœstis tibia funeribus.

Et in Tristibus, Elegiâ 1.

Tibia funeribus convenit ista meis.

Majoris ætatis funera ad tubam proferebantur, minoris ad tibiam, ait Servius [*c*]. Apud Romanos cautum erat, ne major numerus quam decem tibiâ canentium in funeribus adhiberetur. Apud Hebræos nefas erat, pauciores quàm duos in funere uxoris adhibere; quibus addenda erat Præfica, nunquam ab eâ pompâ removenda (*d*). Ceterùm conditiones locorum, & personatum servabantur (*e*); eâ tamen lege, ut siqua Matrona virum genere inferiorem duceret, in ejus funeribus non viri, sed ejusdem fœminæ conditio spectanda esset. Solemne est enim apud Judæos, Sponsam quidem superstitem viri conditionem sequi, inferiorem vel in ipsâ morte non sequi (*f*).

Olim publicos luctus Hebræi in tectis domorum agebant. Isaias, xxii, 1: *Ascendisti & tu, o Jerusalem, omnis in tecta? Clamoris plena, Urbs frequens, Civitas exultans.* Et de Moab, capite xv, 3: *In triviis ejus accincti sunt sacco: super tecta ejus, & in plateis ejus omnis ululatus descendit in fletum.* Eâ occasione, utì & cùm in Urbe aut vico inclytus aliquis vir decederet, officinæ omnes claudebantur, quemadmodum in obitu Drusillæ servatum a Judæis Alexandrinis Philo Judæus [*g*] est author; & in magno Jerosolymæ infortunio annunciat Isaias, xxiv, 10, fores domorum omnes claudendas, ut nemini aditus pateat. Laudat S. Epiphanius [*h*] legem quamdam Mosaicam his verbis conceptam: *Si transierit mortuus, occludite januas ac fenestras, ne domus inquinetur.* Jeremias, ix, 17, in Cantico Jerosolymæ mala deplorans, hæc inter cætera habet: *Vocate Lamentatrices, & veniant . . . docete filias vestras lamentum, quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras disperdere parvulos de foris, juvenes de plateis;* quibus verbis spectasse Propheta videtur legem a S. Epiphanio laudatam.

Qui in pompam aliquam funebrem casu inciderint, inquit Josephus, debent se honoris gratiâ cæteris adjungere & lacrymas miscere [*i*]; quem morem spectasse videtur S. Paulus (*k*), proverbii loco illud usurpans: *Flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus.* Et Jesus Christus (*l*): *Cecinimus vobis, & non saltastis; lamentavimus, & non planxistis* (*m*). Ecclesiastes xii, 5: *Quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in plateâ plangentes.* Zacharias, xiii, 12, 13, luctum celebrem describens, ait: *Plangent terram familiæ, & familia seorsum . . . domus David seorsum, & mulieres eorum seorsum.* Lamentabantur & mulieres Jerosolymitanæ, Jesum Christum ad supplicium prosequentes (*n*). Instantem etiam mortem suam doluit filia Jephte, paterno voto immolanda [*o*]. Neque ab eâ lege exemptas fuisse pauperculas Hebræorum fœminas, tradit Maimonides; jubebantur enim illæ geminos habere lamentatores, unamque lamentatricem; pro ditioribus verò, divitiarum modus servandus erat.

Solent in quibusdam locis cereos, sive faces incensas funeri ducendo gestare (*p*); cujus tamen ritûs nullum apparet in Scripturâ vestigium; utì neque apud Judæos omnes obtinet, cùm plura sint loca, in quibus nullus est, nec esse fas est, si velint, cereorum apud Judæos usus. In Concilio Narbonensi anni 589, capite x, legimus, Judæos olim, cùm cadaver ad tumulum inferrent, neque musica instrumenta, neque musicas cantilenas adhibuisse; eoque nomine ibi reprehenduntur, quòd invectis ante aliquot annos Canticis, a veteri consuetudine recesserint. Cavet ea Synodus, ne id unquam in posterum audeant, decretâ in transgressores multâ sex unciarum argenti, loci Domino solvendâ. Porrò hunc morem cereos incendendi derivare potuerunt Judæi ex veteri, jam inde a concessâ Ecclesiæ pace, receptâ in Christianos consuetudine; cujus etiam apparent vestigia in mandando sepulturæ corpore S. Paulæ; qua occasione Sacerdotes lampades cereosque gestantes, piæ mulieri parentarunt. Idem spectamus in Ecclesiâ Græcâ, S. Chrysostomi ætate. Solebant autem plenâ jam die condi sepulcto corpora; & cùm maximè funera essent conspicua, Virorum scilicet sive dignitate, sive literaturâ insignium, per vias & loca Urbis frequentissima ducebantur. Describunt Doctores Judæi funebres Rabbinorum pompas, easque apparatu magnifico celebratas jactitant. Nec me fugit, Tobiam[*q*] noctu curasse defuncta mortuorum corpora; sed temporis Judæis infestissimi ratio habenda erat, cùm scilicet sepulturæ eo-

(*b*) *De Bello*, *lib.* 3, *cap.* 15.

(*c*) *In Æneid.* v.

(*d*) *Misna tit. Cethuboth, c.* 4. לא יפחות משני חלילים ומקוננת

(*e*) *Gemar. Babyl. ad tit. Cethuboth, cap.* 4, *fol.* 28.

(*f*) *Gemar. ibid.* עלה עמו ואינה יורדה עמו ואפילו לאחר מיתה

(*g*) *In Flacc. pag.* 953.

(*h*) *Hæresi* 9, *quæ est Samaritan.*

(*i*) *Contra Apion. lib.* 2, *p.* 1075. Πᾶσι δὲ τοῖς παριοῦσι θαπτομένου τινὸς, καὶ συνελθεῖν, καὶ συναποδύρασθαι ἐποίησε νόμιμον.

(*k*) *Rom.* xii, 15.

(*l*) *Matth.* xi, 17.

(*m*) *Vide & Luc.* vii, 32.

(*n*) *Luc.* xxiii, 27.

(*o*) *Judic.* xi, 37.

(*p*) Leon Modena, part. 4, cap. 8, num. [illegible]

(*q*) *Tob.* ii, [illegible]

rum corpora mandare criminis loco habebatur.

Varia erant in Palæstinâ sepulcrorum genera; vulgaria nempe in agris effossa, alia in rupibus montium excisa. Posterius hoc sepulcrorum genus antra erant in rupe effossa, in unam vel plures cellulas distincta, quarum singulæ singula erant monumenta; aliis verò unus erat loculus seu cellula, uni corpori capiendo sufficiens. Horum situs, forma, & ornamenta pro artificis peritiâ, & personarum dignitate, locorum situ, ac rupium dispositione variabant. Abraham soluto pretio duplicem cavernam êmit prope Hebronem, quæ in sepulcrum Saræ (r), Abrahami, Isaaci, & Jacobi cessit. Filiorum tamen Jacobi sepulcrum in Sichem fuisse, ex testimonio S. Stephani [s] intelligimus. Porrò hoc sepulcrum ab Abrahamo comparatum spelunca fuisse, creditur in rupe excisa, & in binas cameras divisa, quæ pluribus cellulis, totidem corporum monumentis, distinguebantur. Aaron fatis functus, in monte Hor, in Arabiâ, sepulturæ mandatus est, nec alibi facile quàm in speluncâ ejusdem montis (t). In aliam speluncam ad radices montis Phasga, Angelorum ministerio Moysis corpus illatum est (u). Spelunca etiam sive camera in rupe excisa in sepulcrum Elisæo contigit, quò projectum festinatò defuncti cujusdam corpus, viso Prophetæ ossibus contactis, vitales spiritus recuperavit (x). Sepulcra Regum Juda in rupe spectabantur, cujus generis cameræ hodie usque affabrè elaboratæ iter agentibus per ea loca monstrantur (y). Denique Jesu Christi sepulcrum in rupe erat, quod sibi Nicodemus, cæteris ad id usque exclusis, paraverat (z). Ejusdem operis fuisse credimus Lazari sepulcrum; lapide enim ab ostio remoto, Lazarus veluti reclusis foribus egressus est [a].

Erant interdum loca intra ipsas urbes sepulcris addicta, uti Regum Juda, quæ Jerosolymis (b) & in hortis regiis fuisse scimus (c). In monte Templi sive proxime locum sanctum sepulcra quædam sita fuisse, Ezechiel, XLIII, 7, 9, innuere videtur; futurum enim prædicit Deus, ut nequaquam ultra sacri montis religio cadaveribus Regum violetur. Interdum in hortis, juxta Urbem, sepulturæ corpora mandabantur. Vulgarium sepulcra sive cœmeteria extra Urbem rejecta erant, ibique varia variis assignata. Suus enim erat civibus locus, suusque ibi singulis familiis situs, alia item Judæis advenis, alia Ethnicis (d), qui seorsum habebant ab Hebræis origine sepulcra. Cura in primis habebatur, ne sepulcra in regiâ viâ essent, nequis fortè imprudens super illa transiens pollueretur. Sed nihil erat quod juxta viam poni vetaret, cùm præsertim signo aliquo ita distinguerentur, ut fallere neque imprudentem possent. Si omne abesset indicium, tum maximè cùm humi jacerent, extimâ superficie dealbabantur, uti ferunt, renovatâ singulis annis Februario mense picturâ (e). Hunc morem spectans Jesus Christus [f], exprobrat Pharisæis dealbati sepulcri hypocrisim; exteriùs quidem nitentis, intus tamen mortuorum ossibus & fanie pleni. Alibi etiam (g) eosdem Pharisæos latentibus cæcisque sepulcris comparat, quæ imprudentes, si forte illac transiverint, polluunt.

Pleraque tamen & celeberrima Palæstinæ sepulcra in cavernis constituebantur, totam artis elegantiam intus celantia; si quid tamen esse poterat elegantiæ in camera summo opere, nec modicis sumptibus in monte excisâ, defunctis mortuorum corporibus condendis, in qua cæca semper nox regnabat. Etenim ne magnifica sibi sepulcra Hebræi construerent, insitâ genti prudentiâ coercebantur. Fatemur quidem, nonnulla tamen fuisse eximiæ prorsùs structuræ & artificii; at ea, quorum descriptiones supersunt, recentiora sunt; sive illorum descriptiones ab otiosis ingeniis exercitationis gratiâ potiùs, quàm rei veritatis docendæ exhibentur. Celebratur monumentum Rachelis juxta Bethlehem, cui fanè mulieri erectam fuisse prope tumulum columnam sive monumentum, legimus (h). Hoc porrò sepulcrum Benjamini Tudelensis ætate, ipso teste [i], videbatur, e duodecim lapidibus constructum pro numero filiorum Israelis; constare autem monumentum illud eleganti quadam testudine, quatuor columnis fultâ. Celebrantur etiam sepulcra Samsonis [k], Azaelis (l), & alterum, quod sibi Absalom vivus posuerat, quamquam post obitum alibi sepulturæ mandatus est [m]. Monumentum illud appellatur in Sacris Libris *Manus Absalom*, sive quòd opus esset ejusdem Principis sive quòd in sepulcrum illius destinaretur. Sepulcra Macchabæorum in Modin, armis & navium imaginibus, quemadmodum solet cum viris belli laude insignibus, ornabantur (n); quod unicum est sepulcrum, cujus structura non lateat. Ædificium est Simonis, more Græcorum, in Syriâ tunc dominantium, constructum. Sepulcris in rupe excidendis plures regulas præscribunt Rabbini [o], quamquam neque de amplitudine cameræ, neque de situ, ac numero cellularum non satis inter illos convenit. Nec fanè certi aliquid definire possunt; vario enim locorum situi, & personarum censui respondere debebant.

Post gentis dispersionem, Judæorum omnium unicum fuit votum, ut in Palæstinâ defunctis corporibus suis sepulcrum contingeret. Dogmate enim certum constitutum est apud illos, Hebræis omnibus, qui in resurrectione partem aliquam capiunt, opus

(r) *Gen.* XXIII, 18, 19.
(s) *Act.* VII, 16.
(t) *Num.* XX, 28; *Deut.* X, 6.
(u) *Deut.* XXXIV, 6.
(x) 4 *Reg.* XIII, 21.
(y) Vide nos in 2 *Reg.* II, 10.
(z) *Joan.* XIX, 41.
(a) *Joan.* XI, 38.
(b) 3 *Reg.* II, 10; XI, 43; XIV, 31; XV, 8; XXIV, 22, *passim*.
(c) 4 *Reg.* XXI, 18, 26.
(d) *Matth.* XXVII, 7.
(e) Basnage, hist. des Juifs, l. 7, c. 15, n. 9; & *Jo. Nicol. de Sepulcris Hebr.* l. 4, c. 3.
(f) *Matth.* XXIII, 27.
(g) *Luc.* XI, 44.
(h) *Genes.* XXXV, 20.
(i) *Itiner.* p. 47.
(k) *Judic.* XVI, 31.
(l) 2 *Reg.* II, 32.
(m) 2 *Reg.* XVIII, 18.
(n) 1 *Macch.* XIII, 29, & *Antiqu. lib.* 13. c. 11.
(o) Vide *Nicolai, de Sepulc. Hebr. lib.* 3, c. 11.

opus esse, ut in terrâ sanctâ sepulturam obtineant (p). Qua inducti persuasione, non desunt etiam nostrâ ætate Judæi, qui optato sepulcro potiundi spe, in extremâ senectute alacres itineris illius incommoda suscipiunt. Arbitrantur verò illi futurum, ut si alibi vitam egerint, saltem post obitum per quosdam canales in ea loca devolvantur. Hæc in animum sibi induxisse integram gentem, vix nobis persuaderemus, nisi conceptissimis verbis a pluribus Scriptoribus uno consensu assererentur [q]. Appellant devolutionem illam, *mortuorum circumvolutionem*, sive *cavernarum circumvolutionem* [r]: adduntque, extremo diei articulo, qui ad vitam regrediatur, fore neminem a Judaicæ religionis professione alienum. Alia sexcenta hujus ingenii narrant, quæ præteriisse non pigebit.

Nulla erat constituta lex, certa sepulcris loca decernens; quare modò in Urbibus spectabantur, in hortis domorum, in agro, in montibus, prope viam, sub arboribus. Regum Juda sepulcra constituta erant Jerosolymæ (s); Regum Israëlis, Samariæ [t]. E Regibus Juda alii sepulturæ mandati sunt in hortis Regiis [u]: Samuel in ædibus suis (x), idest, ni mea me fallit conjectura, in domestico horto; Aaron (y), Eleazar (z), Josue (a), Jesus Christus [b] in montibus; Debora (c) nutrix Rebeccæ, & Saül (d) sub arboribus; Rachel juxta viam Bethlehem (e). Alienigenæ fatis functi Jerosolymæ, in valle Hinnon, uti ferunt, sive Cedron [f]. Eo loci constitutus erat ager figuli, emptus pretio triginta argenteorum, quos sibi in pretium venditi Jesu Christi solutos, Judas ad Sacerdotes retulit [g]. Ibidem etiam fuisse credunt cœmeterium plebejum Jerosolymæ. Non rarò juxta, non supra tumulum, columna sive lapis statuebatur.

Cùm Rex Josias lapidem quemdam sepulcralem inter sepulcra Sacerdotum Ethnicorum spectasset, cujus viri esset monumentum illud rogavit (h); sibique respondentes audivit, condi in eo virum Dei, qui missus a Deo ad Jeroboamum, venturum prædixit Josiam Regem Juda, qui Dei honorem vindicaturus, & super Altare Bethel ossa Pseudo-Prophetarum combusturus erat (i). Epitaphia addebantur in hanc plerumque formulam: *Lapis iste appositus est ad caput N. filii N. sepulti die N. anno N. qui requiescit in horto Eden cum omnibus Justis, qui ibi a principio fuerunt. Amen, amen, Sela.* Sive: *Ejus anima alligetur in horto Eden. Amen, amen, Sela.* Sive tandem: *Monumentum istud, sive statua erecta est juxta caput illustrissimæ, sanctissimæ, purissimæ Virginis Rebeccæ, filiæ Sancti Samuelis Levitæ, quæ obiit bonâ probitatis famâ, die septimâ mensis Thebet, anno 135. Ejus anima ligetur in horto Eden. Amen, amen, amen, Sela.* Sed hæc epitaphia, & formulæ recentissimæ sunt, nec satis inter se conveniunt. Nulla epitaphii vestigia extant apud Veteres; conceptissimi enim epitaphii loco sepulcrum ipsum esse existimabant. Quippe ex Majorum narratione habebatur, hunc lapidem, hanc columnam, cavernam certi hujus viri mausolæum esse. Benjamin Tudelensis, iter agens in Palæstinâ, hanc inscriptionem Abrahami sepulcro appositam legit: *Hic est sepulcrum Abrahami, beati Patris nostri.* Sed hæc recentiora sunt.

Cœmeteria appellantur a Judæis *domus viventium*, ut certum de fide resurrectionis documentum exhibeant (k). Cùm eò pompa funebris pervenerit, ad defunctos ibi sepulturæ mandatos conversi, tamquam superstites his verbis alloquuntur [l]: *Benedictus Dominus, qui vos creavit, pavit, nutrivit, ac tandem e mundo per suam justitiam eduxit. Ille vestrûm omnem numerum servat, ille constituto tempore vos ad vitam revocabit. Benedictus sit Deus, qui mortem inducit, & vitam restituit.* Religiosè tumulos observant [m], ut nec trajicere illos, nec supra inducere aquæductum, vel regiam aliquam viam, struem lignorum ponere, pascere oves, duo mortuorum corpora sepelire, alterum supra alterum, in eâdem scrobe, post diuturnam etiam temporis ætatem, sibi licere arbitrentur. Religionis pars fuit apud ipsos construere Synagogas, sive Proseuchas juxta sepulcra Sanctorum, & virorum insignium totius gentis. Ita constituta spectatur Synagoga prope monumenta Ezechielis, Zachariæ, Mardochæi, Estheris. Frequenter juxta sepulcra oraturi conveniunt, persuasum habentes, quemadmodum certum nos etiam tenemus, plurimam sitam esse in horum precibus vim, nec modici esse momenti sanctissimorum virorum orationes (n).

An unquam, saltem raro aliquo exemplo, contigerit, ut Judæorum corpora igni traderentur, non satis convenit inter Scriptores. Servatum id esse cum vetustis quibusdam Hebræorum Regibus, ut igni, priusquam sepulturæ, darentur, ex monimentis quibusdam innuitur. Cives Jabes Galaad rapta e mœnibus Bethsan Saülis & filiorum corpora combusserunt [o]. Incensæ pyræ corpus Asæ Regis Juda traditum est (p); quo honore privatum fuisse Joramum ejus Nepotem, conceptis verbis expressum legimus [q]. Diem clausurum in pace Sedeciam, atque Regio ejus cadaveri parentandum, non omissâ corporis combustione, juxta receptam in decessoribus consuetudinem, Jeremias XXXIV, 5, prædixit. Amos, VI, 10, ingenti lue

(p) Vide eumdem, *loc. cit.* c. 13, *pag.* 185; *Buxtorf. Synag.* c. 35; *Mullerus, Judaism. lib.* 2, *&c.*

(q) *R. Salomon in Gen.* XLVII, 29; *Abarbanel, & alii.*

(r) גלגול המתים

(s) 3 *Reg.* II, 10; XI, 43; XIV, 31; XV, 8; XXIV, 22.

(t) 3 *Reg.* XVI, 28, XX, 22, 37; 4 *Reg.* X, 35; XIII, 9, 13, *&c.*

(u) 4 *Reg.* XXI, 18, 26.

(x) 1 *Reg.* XXV, 1.

(y) *Num.* XXVIII, 36; *Deut.* X, 6.

(z) *Josue*, XXIV, 33.

(a) *Josue*, XXIV, 31.

(b) *Matth.* XXVII, 6; *Marc.* XV, 46.

(c) *Gen.* XXXV, 8.

(d) 1 *Reg.* XXXI, 13; 1 *Par.* 11, 12.

(e) *Gen.* XXXV, 19.

(f) 4 *Reg.* XXIII, 6; 2 *Par.* XXXIV, 4.

(g) *Matth.* XXVII, 7.

(h) 4 *Reg.* XXIII, 17.

(i) 3 *Reg.* XIII, 2.

(k) Leon Modena, p. 5, c. 8.

(l) *Buxtorf. Synag. cap.* 35.

(m) *Ligfoot. Cent. Chorogr. cap.* 100.

(n) Vide Basnage, hist. des Juifs, l. 7, c. 24, num. 24; *& Nicolai de Sepulc. Hebr. l.* 4, *c.* 6.

(o) 1 *Reg.* XXXI, 12.

(p) 2 *Par.* XVI, 14.

(q) 2 *Par.* XXI, 19.

vastandam urbem Jerosolymam denuncians, futurum prædixit, ut frequens decem viris familia, ne uno quidem reliquo, vastaretur: *Et tollet eum* [nempe postremum ex decem] *propinquus suus, & comburet eum, ut offerat ossa de domo; & dicet ei qui in penetralibus domûs est: Numquid adhuc est penes te? & respondebit: Finis est.* Nequicquam tamen hisce, aperrissimis licèt, exemplis repugnantibus, contendunt quamplures, morem cadavera comburendi, vel nunquam apud Hebræos obtinuisse, vel rarò (*r*). Exempla verò laudata non de corporum combustione interpretantur, sed de aromatibus, & facilè etiam ædium utensilibus & vestibus, quæ juxta cadavera cremabantur. Laudant in hanc sententiam Chaldæum, & Rabbinos. Sed apertior videtur Textûs fides, quàm ut omnis crematio corporum apud Hebræos ignota fuisse credatur; quamquam non ita combusta credimus, ut in cineres redigerentur: facilè consumptâ carne, nuda ossa unà cum cineribus in tumulum inferebantur.

Deducto ad cœmeterium funere, emissâque ad mortuos, quam supra recitavimus, prece, deponitur cadaver; statimque, si rerum gestarum gloriâ defunctus claruit, ejus laudes e cœtu aliquis funebri oratione prosequitur; communi omnium gentium more, eodemque vetustissimo, quemadmodum ex Scripturâ, Authoribus Ecclesiasticis & Profanis docemur. Apud Ægyptios, judicium ferebatur de Rege defuncto, antequam corpus sepulturæ mandaretur (*s*). Fas erat unicuique ejus memoriam sive laudibus celebrare, sive etiam pro bene vel male gestis vituperare. Quod cum Regibus, pro portione cum privatis servabatur. Vetus est etiam funebrium elogiorum mos in Ecclesiâ Christianâ. Extant adhuc elogia illustrium quorumdam defunctorum, inter quæ servata legimus in Scripturâ elogia Saulis, Jonathæ (*t*), Abneri (*u*), Josiæ (*x*), Judæ Macchabæi (*y*). His peractis, scrobem fetalem circumeunt Judæi, prolixam quandam orationem simul recitantes (*z*); quam *justitiam judicii* idcirco appellant, quòd de æquitate Divini judicii in mortuum pronunciati gratias agant. Incipit oratio ab iis verbis [*a*]: *Dei perfecta sunt opera.* Supponitur capiti defuncti angustus quidam saccus, humo plenus, feretrum clavis firmatur; tum si defunctus vir sit, decem viri feretrum decies circumeunt, precem quamdam pro defuncti animâ recitantes. Proximus cognatorum vestis suæ angulum scindit. Sed hæc ab omnibus æque Judæis non servantur. Demittitur deinde in tumulum cadaver, id observantes, ut os habeat ad Cœlum conversum; inclamantibus interim omnibus: *Vade in pace*, seu potiùs ex Talmudistis: *Vade in pacem.* Ea etiam superstitio a quibusdam servatur, ut defuncti faciem ad Orientem convertant; sed hæc impunè ab aliis omittuntur. Proximus inter cognatos humum primus super cadaver jacit, quo veluti dato signo, certatim deinde sequuntur omnes, humum palâ vel manu aggerentes, quousque scrobs solo æquetur. His peractis, retrorsum incedentes, e cœmeterio se recipiunt; id tamen servantes, ut antequam exeant, quisque ter carptas herbas retrò projiciat, addens: *Florevit sicut fœnum terræ* [*b*]; quod servari a se dicunt, ut eo documento spem resurrectionis demonstrent, simulque illud moneant (*c*): *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tamquam flos agri.* Cinere etiam caput aspergunt, ut nunquam excidat e memoriâ illud: *Pulvis sumus, & in pulverem revertemur* [*d*]. Sunt qui ultimum vale dicant defunctis in hæc verba: *Sequemur vos, ut naturæ ordo postulabit.* Antonius Margharita Germanus (*e*), e Judæo Christianus, narrat, post abscissas in cœmeterio vestes, omnes ingenti edito strepitu clamantesque se se e loco recipere, nequis fortè audiat clamores defuncti, cujus corpus terrâ pressum, muribus nasi extremitatem mordentibus, inquietatur. Habent enim persuasum, iis, qui eos clamores casu audierint, intra xxx dierum spatium fatalem horam imminere. Christianus Gerson narrat, e cœmeterio reduces septies in viâ sedere, ut, inquiunt, Dæmonibus funebrem pompam prosequutis se recipiendi, atque ad propria remeandi tempus permittatur (*f*).

Secundùm hæc, Synagogam petunt; nam ea, quæ de legali impuritate e funeribus contractâ in lege sancita sunt, hæc contrario usu abolita esse, supra jam animadvertimus. Antequam locum sanctum ingrediantur, manus lavantes pronunciant (*h*): *Præcipitabit mortem in sempiternum, & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ; quia Dominus loquutus est.* Vix igitur Synagogam subeunt, sedent novem, vel septem vicibus, locum mutant, saltem recitant in defuncti solatium precem illam, quam vocant *Sanctam*, mistis interdum sententiis aliquibus, concepto dolori levando aptis, veluti [*i*]: *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei Cœli commorabitur.* Tunc propinquiores cognati in ædes suas se recipientes, humi sedent (*k*); detractisque calceis, appositum sibi panem, vinum, & ova tosta comedunt, ex illo (*l*): *Date siceram mœrentibus, & vinum iis, qui amaro sunt animo.* Qui consuetam benedictionis formam super cibum pronunciat, apta simul solatii verba permiscet. In Oriente & alibi etiam non rarò solent domestici & amici toto hebdomadæ spatio prandium cœnamque largiorem ad pro-

pin-

(*r*) *Vide Gejer. de luctu Hebræor. c. 6, § 6; Nicolai, l. 2, c. 3, de Sepulcr. Hebr.* Basnage, Hist. des Juifs, l. 7, c. 35.

(*s*) *Diodor. lib. 1; Herod. lib. 2.*

(t) 2 Reg. I, 18.

(u) 2 Reg. II, 33, 34.

(x) 2 Par. XXV, 24, 25.

(y) 1 Macch. IX, 21.

(z) *Buxtorf. Synag. Jud. cap. 5.*

(a) *Deut.* XXXII, 4.

(b) *Psalm.* XVI, 16.

(c) *Isa.* XL, 6.

(d) *Gen.* III, 19.

(e) *Apud Gejer. de Luctu Hebr. c. 6, § 17.*

(f) *Christ. Gers. pag. 1, Talmud Jud. c. 36.*

(h) *Isa.* XXV, 8.

(i) *Psal.* XC.

(k) Leon Modena, p. 4, c. 9.

(l) *Prov.* XXXI, 6.

pinquos defuncti mittere; nec rarò ipsi non invitati accedunt, ut solatium aliquod mœstis afferant.

Cibi olim in luctu degustati impuri censebantur; sed hæc in desuetudinem jam abierunt: *Sacrificia eorum*, ait Oseas, IX, 4, *quasi panis lugentium: omnes qui comedent eum, contaminabuntur*. Et Israëlitæ in solemni precationum formulâ, cum primitias offerrent, profitebantur [*m*]: *Non comêdi ex eis in luctu meo, nec expendi quicquam in re funebri*. Deus Ezechieli imperans ne luctum celebret, *Nec amictu*, inquit (*n*), *ora velabis, nec cibum lugentium comedes*. Porrò convivia illa lugubria erant, mœstisque clamoribus intercepta: *Rugiunt sicut in cœnâ mortui* (*o*). Et Dominus ad Jeremiam [*p*]: *Ne ingrediaris domum convivii*, [aliàs domum luctûs] *neque vadas ad plangendum, neque consoleris eos, quia abstuli pacem meam a populo isto..... Et non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo; & non dabunt ei potum calicis ad consolandum super patre suo & matre*.

Receptam apud nos consuetudinem, invisendi propinquos defuncti, ut solatium aliquod mœstis afferatur, spectare licet in historiâ filiorum Jacobi, qui patri, necem filii sui Josephi, quem a bestiâ voratum credidit, lugenti, solatium allaturi venerunt (*q*); & in alterâ fratrum Ephraimi, qui patrem de nece filiorum, quos Gethæi peremerant, dolentem convenere (*r*). David, missis legatis, cum Ammonitarum Rege de obitu patris ipsius doluit [*s*]. Amici Jobi, audito amici casu, statim accurrerunt, doloris sui argumenta exhibituri (*t*). Propinqui & amici Lazari, auditâ ipsius morte, Bethaniam statim venerunt, viduatas fratre sorores Mariam & Martham solaturi [*u*].

Archelaus post celebratum totâ hebdomadâ funus Herodis, magnificentissimo epulo populum excepit; quem morem inter Judæos ejus ætatis, teste Josepho, receptum, ut largiori epulo defuncti propinqui reficerentur, pluribus tenuis census hominibus non ferendorum sumptuum causam fuisse, idem Josephus animadvertit (*x*).

Alius etiam apud Priscos mos obtinebat, ut dapes & vinum super mortuorum sepulcra constituerentur. Tobias, IV, 18, filium suum monet: *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam Justi constitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus*. Ecclesiasticus, XXX, 18: *Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulcro*. Ex capite VII, 37: *Gratia dati in conspectu omnis viventis, & mortuo non prohibeas gratiam*. Baruch, VI, 26: *Sicut mortuis munera eorum illis apponentur* [nempe idolis]; & infra, ℣. 31: *Rugiunt* (Sacerdotes Idolorum) *clamantes contra Deos suos, sicut in cœnâ mortui*. Scitum est, apud Ethnicos eumdem morem regnasse, & apud Christianos; quamquam apud istos æquè ac Judæos convivia pietatis erant, alendis pauperibus destinata (*y*). Sed in vitium pietate degenerante factum est, ut ea convivia apud Afros contrariâ lege S. Augustinus aboleret [*z*].

Toto luctûs tempore propinquiores defuncti, uti parentes, filii, uxores, fratres, sorores, domi se continentes, & humi sedentes cibum capiunt. Os velatum habent (*a*), totoque luctûs tempore neque operibus vacant, neque Legis lectioni, neque consuetis precibus, domesticisque curis; lectos habent incompositos, pedes nudos, caput coopertum; usus conjugii nullus: capillos gerunt intonsos, ungues non abscindunt, salutatio nulla, nullus balneorum usus, a novis albisque vestibus abstinent; nemo cum illis loquitur, nisi ab illis provocatus; scriptum est enim, Jobum amicos suos primùm compellasse [*b*]. Si caput quassarint, eo indicio solatium sibi afferre creduntur; si quieverint, solatium ab aliis quærere [*c*]. Qui illos solaturi conveniunt, humi, quemadmodum illi, sedent. Bis singulis diebus, mane & vespere, decem saltem homines eò venientes, consuetas preces emittunt, Psalmum XLVIII recitant; cùm neque exire domo, neque Synagogam petere, exceptâ die Sabbati, luctum agentibus liceat. Cùm igitur domo egressi Sabbato Synagogam veniunt, turbam habent amicorum comitantem; eâdemque die amicorum visitationibus pluribus quàm cæteris diebus frequentantur.

In vestibus nihil habent peculiare, sed consuetum regionis morem servant; familiarior tamen in luctibus Hebræorum pullus color (*d*). Post hebdomadam, ad Synagogam se conferentes, lampades accendi, preces & eleemosynas pro Defuncti solamine offerri jubent. Paria in exitu mensis & anni repetunt; quibus diebus si fortè defunctus Rabbini munus obierit, vel dignitate aliquâ functus fuerit, funebri elogio ejus laudes celebrantur. Solent filii singulis diebus mane & vespere undecim mensium spatio in Synagogâ orationem *Kadesch* animabus parentum suorum suffragium recitare; nec desunt qui singulis annis recurrentes emortuales alterutrius parentis dies esuriales habeant.

Quamquam septem diebus funera lugeri sueverunt, breviori quandoque luctu justa peragi potuisse videntur. *Fili*, inquit Ecclesiasticus, XXXVIII, 16, 17, *in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundùm judicium contege corpus*

(m) *Deut.* XXVI, 14.
(n) *Ezech.* XXIV, 17.
(o) *Baruch*, VI, 31.
(p) *Jerem.* XVI, 5, 7.
(q) *Genes.* XXXVII, 35.
(r) 1 *Par.* VII, 22.
(s) 2 *Reg.* X, 2.
(t) *Job*, II, 11.
(u) *Joan.* XI, 31.
(x) *De bello*, *lib.* 2, *cap.* 1: Πενθήσας ἡμέρας ἑπτὰ τὸν πατέρα καὶ τὴν ἐπιτάφιον ἑστίασιν πολυτελῆ τῷ πλήθει παρασχών. Ἔθος δὲ τοῦτο παρὰ Ἰουδαίοις πολλοῖς πενίας αἴτιον διὰ τὸ πλῆθος ἑστιᾷν οὐκ ἄνευ ἀνάγκης.
(y) *Chrysost.* in *Matth.* & *alibi*.
(z) *De Civ.* l. 8, *c.* 27, & *alibi*.
(a) *Ezech.* XXIV, 17: *Nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes*.
(b) *Job*, III, 1.
(c) *Maimonides*, *cap.* אבל *Gejer. de luctu Hebr.* c. 6.
(d) *Job*, XXX, 28; *Psal.* XXXIV, 14; XXXVII, 7; XLI, 10; *Jerem.* VIII, 21; *Malac.* III, 14; *Eccli.* XIX, 23.

pus illius, ut non despicias sepulturam illius..... Et fac luctum secundùm meritum ejus uno die, vel duobus propter detractionem; a tristitiâ enim festinat mors. Sed præscripsisse hic Author videtur regulas, quibus in funere cariſſimorum dolor temperetur, non morem innuiſſe adversùs veterem conſuetudinem. Alibi enim conceptis verbis exprimit: *Luctus mortui septem dies* [e]; totumque iſtud temporis ſpatium lacrymis dare, Author reprehendit; ſed ita indulgendum cenſet naturæ, ut una vel altera dies dolori concedatur, (minimè enim acerbum adhuc dolorem poteſt quis ſtatim continere) ac deinde in auxilium veniant mœrentis ratio ſimul & Religio.

(e) *Eccli.* xxii, 6.

Docent etiam Rabbini, probantque plures doloris gradus; tres priores dies lacrymis & animi ægritudini permittunt; ſeptem inde dies remiſſiores duci jubent; tandem triginta dierum ſpatio luctum agi leviorem volunt. Hujus luctûs varias periodos Scriptura etiam inſinuat. Amiſſum filium pluribus annis Jacob flevit, non antea dolori finem impoſiturus, quàm ipſe vitam clauderet (*f*). Ejus verò, nempe Jacobi, funus lxx dierum ſpatio in Ægypto plorarunt, prorogatusque eſt deinde ad hebdomadam luctus in areâ Athad in Chanaanitide (*g*). Luctus ob funus Moyſis & Aaronis intra xxx dies definitus eſt (*h*); quam periodum Sapientibus ſatis eſſe dixit Joſephus in lugendo cariſſimorum funere [*i*]. Interdum non definito dierum numero complures doloris dies in Scripturâ ſignificantur. Septem dies implevit funus Saulis [*k*], Judithæ (*l*), & Herodis Magni [*m*]. Quod ad Ethnicos ſpectat, Simonides unam diem dolori præſcribit (*n*). Ovidius de luctu Orphei in funere conjugis:

...... Septem tamen ille diebus
Squallidus in ripâ, Cereris ſine munere ſedit.
Cura dolorque animi, lacrymæque alimenta fuere.

(f) *Gen.* xxxvii, 36.
(g) *Gen.* l, 3, 11.
(h) *Num.* xx, 30; *Deuter.* xxxiv, 8.
(i) *Antiq. lib.* 4, *cap.* 8.
(k) 1 *Reg.* xxxi, 13.
(l) *Judith*, xvi, 29.
(m) *Antiq. lib.* xvii, *cap.* 10.
(n) Τὸ μὲν θανόντος οὐκ ἂν ἐνθυμοίμεθα Εἴτι φρονοῦμεν κλαίειν ἡμέρας μίας.

Solebant interdum propinqui Defuncti ad tumulum lugendi gratiâ venire. Maria ſoror Lazari domo egreſſa in occurſum Chriſti venientis, ad fratris ſepulcrum ploratum ire credebatur (*o*). Solent noſtrâ etiam ætate Syrorum fœminæ, ſatellitio aliquo comitum adhibito, ſepulcra propinquorum frequentare, næniis quibusdam ejulaturæ. Obtinet hodie uſque conſuetudo, publico ſolemnique luctu mortuos plangendi in Oriente ferè univerſo, quemadmodum & in Græciâ, Dalmatiâ, Bulgariâ, Croatiâ, Serviâ, Valachiâ, Illyrico; neque latet Turcas & Perſas.

(o) *Joan.* xi, 31. *Vide Gejer. de luct. Hebr. c.* 6.

Dogma de Paradiſo, Inferno, & Purgatorio ſanctum erat apud Judæos [*p*]. Illum vocant *hortum Eden*, ſedemque conſtituunt viris probis, beatitudine atque Dei viſione potientibus; alterum *gehennam*, quem locum ſuppliciorum impiis ſtatuunt. Sed qui æterno ſupplicio addicantur, rari ſunt, inquiunt Judæi; alii ad certum tempus damnantur; quibus proinde Infernus Purgatorii loco habetur; neque enim alterum hominem ab altero locus, ſed ſuppliciorum diuturnitas diſtinguit. Habent autem perſuaſum, Judæos omnes, modò hæreſi non vitiati ſint, totumque id habuerint ſanctum, quod tamquam majoris momenti a Rabbinis præſcriptum eſt, ad Purgatorium damnari poſſe, ad Infernum non poſſe. Alia eſt Talmudiſtarum ſententia [*q*], putantium, animas e corpore egreſſas nil latère eorum, quæ in toto terrarum orbe contingunt, quippe quæ integri anni ſpatio per orbem vagentur, antequam in Cœlum recipiantur. Interim illæ ſæpè, inquiunt, ad ſepulcrum ventitant, per regiones diſcurrunt, quicquid ubique contingit, intuentes. Denique cenſent, nunquam animas in Cœlum aſcendere, niſi corpore priùs in cinerem reſoluto, juxta illud Salomonis (*r*): *Et revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Addunt inſuper [*s*], poſt conditum ſepulcro Judæi cadaver, Angelum mortis continuò ſuper ſcrobem ſedere, ſtatimque animam in corpus regredi, jacenſque cadaver in pedes erigere. Tunc Angelus ferreâ catenâ, cujus media pars alger, media candens eſt, valido ictu corpus percutit, quo omnia membra diſſipat; tum ſecundo, quo oſſa disjungit; ac demum tertio, quo in cinerem redigit. His ritè perſolutis, omnes boni Angeli ſimul accurrentes, partes iterum omnes compingunt, reſtauratumque in tumulo reponunt. Hoc quidem omnibus commune eſt; ſed viri probi ingentium eleemoſynarum causâ hoc ſupplicium minimè ſubibunt. Apud Turcas non abſimilis fabella vulgata eſt [*t*], de duobus Spiritibus, atris & liventibus, qui in tumulo unà cum defuncti corpore conduntur. Ibi conſtituti, ſedere defunctum jubent, ejusque causâ expenſâ, ſi nullius criminis reum deprehenderint, quieſcere in pace permittunt; ſin minùs, ambas aures ingenti malleo percutiunt, cujus doloris magnitudine miſerè ejulare Defunctus cogitur.

(p) Leon Modena, p. 4, cap. 10.
(q) *Buxtorf. Synag. Jud. c.* 35.
(r) *Eccle.* xii, 7.
(s) *Elias in Thisbi. Vide Buxtorf. loc. cit.*
(t) *Pokok. Not. Miſcel. p.* 241.

DISSERTATIO

De re Medica Veterum Hebræorum.

POST pronunciatam æquo judicio Dei in hominem mortis sententiam, duræ necessitatis jugum subire mortales coacti sunt, ut singulis diebus manum cum morte, atque mortem inducentibus morbis conserere cogerentur. Hanc pugnam meritò appellamus naturalem illam medicinam, quæ omnibus retrò sæculis, atque inter omnes Mundi populos obtinuit. Ante Adami lapsum, præsentissimum vitæ servandæ remedium Deus in arbore vitæ paravit; insita enim pomo hujus arboris vis erat, ut primæ juventutis florem viresque servaret intactas; si tamen ad præscriptum Dei eo remedio uti homines voluissent. Sed præcipitato consilio, Divinis jussionibus posthabitis, cùm præscriptum a Creatore terminum usu vetiti pomi prævertissent, quod priùs habebant vitæ remedium, perniciosissimum virus sibi posterisque omnibus experti sunt.

Medicinæ origo, juxta Hebræos.

Inventæ medicinæ Authorem Deum ipsum, vel, si mavis, Adamum esse Judæi reputarunt. *Honora medicum propter necessitatem*, inquit Sirachides [a], *etenim illum creavit Altissimus; a Deo est enim omnis medela*. Nec nisi e Cœlo acceptum esse donum medicinæ, Ethnici arbitrabantur, primos illos Medicos in Deorum censum adlegentes. Afflictas mortalium res Adami crimine Deus miseratus, noluit subitæ mortis supplicio perfidiosum hominem perimere. Vitam misero servavit, dato pœnitentiæ spatio; viva etiam reliquit illa contemplationis lumina, quæ antea in ipsâ hominis creatione indiderat; iisque affulgentibus, Adam rationem invênit animalia cicurandi, agros colendi, medendique morbis, si qui fortè inciderent, aptissimam. Usu & experientiâ tot annorum acceptam rerum cognitionem excoluit, quibus utrisque adminiculis medicinæ exercitium non modicè juvatur.

Ex Adamo deinde in posteros hæreditario jure transmissam esse medicinam, quamquam Historiâ silente, minimè ambigimus. Moyses ipse, licèt primos rerum inventores ante Diluvium solertissimè designet (*b*), ut neque primos pascendarum ovium, musicorum instrumentorum, liquandi metalli Authores sileat; de Medicis ac pharmacis sanctum ubique silentium servat. In toto Geneseos libro prima de Medicis mentio in obitûs Jacobi historiâ occurrit [*c*]. Parentis defuncti cadaver aromatibus condiendum de more ejus regionis (*d*), arte servorum suorum *Medicorum*, Joseph curavit.

Obtinebat jam eâ ætate, uti & diu antea, medicina apud Ægyptios, eosque, quos Medicos Moyses appellat, aromatibus vel sale cadavera condientes, morbos etiam tractasse minimè dubitamus. Veterum plerique inventæ medicinæ honorem tribuerunt Hermeti, sive Mercurio Trismegisto (*e*), quem Virum Ægyptii appellant Thautum, eumdem fortasse atque Chanaanum filium Chami. Porro Cham pater est Ægyptiorum per Mezraim, & Chananæorum sive Phœnicum per Chanaanum. Ex quo sane vetustissima medicinæ origo asseritur. Thautus, sive Mercurius a consiliis erat Chrono, alio nomine Saturno sive Noë (*f*), quæ varia nomina unum eumdemque virum produnt. Hunc eumdem a secretis fuisse Osiridi, sive Isidi filiis Saturni natu majoribus, & Ægypti Regibus, Diodorus Siculus, libro 1 (*g*), est author. Malunt alii totam eam rem Osiridi & Isidi accepto referre. Ipsa de se Isis in lapide posito Nysæ in Arabiâ tradit, patrem habuisse Chronon, conjugem Osiridem, præceptorem Thautum, & filium Horum. Vide Diodorum, libro 1, de Iside in urbe Nysâ. Sanctus Clemens (*h*], & S. Cyrillus Alexandrini eamdem scientiam accersunt ab Api.

Sed Plutarchus, de Iside, Ægyptiorum testimonio fretus, ambos istos Viros, Apim & Osiridem, miscendos censet. Apis auditorem habuit Æsculapium, medicinæ gloriâ celebratissimum. Quod ad Isidem spectat, hanc medicinæ arcana pervasisse, eidemque plura medicamenta deberi, Diodorus Siculus, libro 1, & Manetho est author. Ejus rei merito, inquit Diodorus, Isidis nomen in Deorum censum relatum est, ejusque Numen ab ægris imploratum, nec frustra, uti quidem credidere. Ab Iside derivata est scientia in Horum, sive Apollinem ejus filium, quemadmodum ab Osiride didicerat Æsculapius. En veteres medicinæ fontes apud Ægyptios, ex priscis Scriptoribus.

Erat in honore ars apud Ægyptios, cujus mysteriis latè instructus creditur Moyses, omni Ægyptiorum scientiâ excultissimus (*m*). Id lepræ exemplo, atque ratione ejus curandæ, distinguendæque in libris Mosaicis traditâ (*n*), discimus; discimus & ex iis, quæ ille de consuetis mulierum incommodis sanxit (*o*). Non desunt etiam qui

(a) *Eccl.* XXXVIII, 1, 2.

(b) *Gen.* IV, 20, 21, 22.

(c) *Gen.* L, 2.

(d) *Vide hac de re Herodot. lib.* 2, *cap.* 86, 87, 88; *Diodor. Sicul. lib.* 1.

(e) *Vide* Le Clerc, histoir. de la Medicine, p. 1, pag. 20, 21; *Galen. Orat. suas. ad Artem*; *Clem. Alex. Strom. l.* 6; *Martian. Capella, de arte Gram. lib.* 3.

(f) *Sanchoniathon, apud Euseb. lib.* 1, *cap.* 10.

(g) *Vide inscriptionem a Diodoro relatam in hæc verba Mihi pater Chronos est, omnium Deorum ultimus. Ego sum Rex Osiris, qui arma per universam terram intuli . . . . Ego sum filius Chronou, natu major.*

(h) *Strom. lib.* 1, *pag.* 307.

(i) *Apud Euseb. Præp. lib.* 1.

(m) *Act.* VII, 22.

(n) *Levit.* XIII, XIV.

(o) *Levit.* XII, XV.

qui credant, Moysem Chymices arcanis fuisse initiatum, quemadmodum ex tedacto in pulverem aureo illo vitulo, ab Aarone [p] conflato, & ab eodem Moyse in potum Hebræis superstitiosis tradito, collegisse sibi videntur. Quæ de medicinâ Moysis, & omnigenâ Ægyptiorum scientiâ diximus, apertissimo S. Clementis Alexandrini testimonio confirmantur (q). Nec sanè in dubium revocari potest, Moysem calluisse non scientias modò, quæ ad religionem & politicen pertinent, sed eas pariter, quæ naturæ intima pervadunt. Ingenium habuisse Physicis scientiis excultum, satis demonstrant ea, quæ de puris impurisque animalibus tradit, & de corporis vitiis, Sacerdotes a ministerio arcentibus, ne quid de cæteris dicam superiùs memoratis. Quæ de correcto aquarum sapore per Moysem ad Maram, projecto in eas ligno, hæc insitæ cuidam ejusdem ligni naturali & medicæ virtuti accepto referre videtur Ecclesiasticus, XXXVIII, 4, 5. Non desunt, qui æneum anguem in solitudine erectum, arcanum fuisse putent medicinæ & chymices pharmacum, quo volitantium anguium ictus curarentur [r].

Certos quosdam fuisse Medicis Ægyptiis Codices Sacros, quibus servanda artis præcepta docebantur, Diodorus [s] est autbor: quæ sanè præcepta si quis tractandis morbis servasset, huic nullum discrimen imminebat, sive ægrotis valetudo, sive mors obtigisset; at ab illis recessisse, vel collatâ ægrotis sanitate, capitale habebatur. Humerus [t] innuere videtur, Ægyptios ferè omnes medicinam exercuisse, atque ita, ut nullibi peritiores Medici invenirentur. Frequentissimos sanè in eâ regione Medicos fuisse, ex Herodoto docemur (u). Cùm singulis corporis partibus singulisque morbis sui essent Medici peculiares; ita fui erant capiti, oculis, dentibus, ventri. Sed hæc longè aliena sunt a Moysis ætate; & in Strabone legimus [x], obtinuisse olim apud illos, ut ægros in foro exponerent, quò scilicet obviis quibusque commodum esset, si quid scirent remedii, proponere: quod etiam a Babyloniis [y], Gallis, & Lusitanis [z] servatum est. Repugnant ista quidem cum iis quæ mox diximus de medicinæ vetustate apud Ægyptios: quamobrem Casaubonus censuit, pro *Ægyptiis* legendos esse *Assyrios*; cùm præsertim neque apud Strabonem, neque apud Diodorum, sive Herodotum simile quid de Ægyptiis proditum sit, cùm peculiariùs de illis agerent.

Post Ægyptios, vetustissimos medicinæ assertores credimus Chaldæos & Phœnices, quibuscum erant Hebræorum commercia, quorum occasione fortasse medicinæ artem Hebræi didicerunt. Porrò Cadmum primum regionis Medicum venerantur Phœnices [a]; & eâdem causâ Bacchum colebant Assyrii, Lybies, & Indi. Coætaneus erat Moysi Cadmus; sed multò vetustior Bacchus, si Criticorum conjectura valeat, illum cum Nemrodo miscentium, at alii non desunt, qui Moysem ipsum eo nomine designatum credant. Hæc plane omnia satis produnt medicinæ vetustatem inter Orientales, antea apud illos florentis, quam in Græciâ prodiret celebratissimus ille Chiron, præceptor Herculis, Aristæi, Thesei, Telamonis, Teucri, Jasonis, Pelei, Achillis, & Palamedis. Horum Virorum ætas non later, cùm plures Trojæ obsidioni adfuerint. Superest nunc, ut eam quæstionem agitemus, utrùm Hebræi ex ipso gentis exordio medicos, aut aliquas medendi regulas, & quasnam illas, habuerint. Cujus rei rariora afferri posse a nobis documenta, quàm ut Lectorum vota omnia expleant, Scripturis silentibus, in ipso sermonis vestibulo ultrò fatemur.

In universâ Patriarcharum historiâ ne verbum quidem nilum occurrit de Medicis, & Medicinâ, quamvis frequens ibi de morbis, uti Isaaci, Abimelechi, Rachelis, mentio tecurrat. Dignum etiam animadversione arbitror, Josephum operâ Medicorum usum esse condiendo aromatibus cadaveri parentis; utrùm verò ægrotanti Medicos adesse voluerit, non legimus. In Lege duo tantùm ad Medicinam spectare videntur. Sancitum est in Exodo, XXI, 18, 19, enm qui alterum in rixâ ita læserit, ut is decumbere cogatur, ac deinde convalescens, vel scipione saltem innixus valeat prodire, non capitali quidem supplicio multandum esse, sed, inquit, *operas ejus & impensas in Medicos restituat*. Ita reddunt Vulgata, & Interpretum plerique (b); Hebræus tamen brevior est [c]: *Cessationis tempus restituet*; ad literam: *Tantùm cessationem ejus dabit, & medendo sanabit*; idest, impensas curationis suppeditabit, seu curationi ipsius operam dabit. Luculentissimum, quàm quod maxime, hoc esse de medicinâ testimonium videtur.

Alius de medicinâ locus est [d], ubi de leprâ agitur. Varia ibi morbi illius genera, signa & symptomata luculentissimè recensentur; non omittuntur notæ incipientis lepræ, inveteratæ, & desinentis. Sed hìc ego nullum remedium lego; quinneque ullum agnovisse Moyses videtur; cùm internoscendi tantùm morbi rationem Sacerdotibus præscribat, quo ille scilicet statu sit, utrùm eo laborantes puri habendi sint, an impuri, an ab hominum commercio segregandi, &c. Leptosos habebant Judæi veluti Dei ultoris flagello cæsos: *Nos putavimus eum veluti percussum a Deo*, ait

(p) Exod. XXXII, 20.

(q) *Strom. lib.* 1. Ἰατρικὴν ἅμα καὶ Μουσικὴν παρὰ τοῖς διαπρέπουσιν Αἰγυπτίων ἐδιδάσκετο.

(r) Num. XXI, 8, 9.

(s) *Bibliot. lib.* 1.

(t) *Odyss.* Δ: Ἰητρὸς δὲ ἕκαστος ἐπιστάμενος περὶ πάντων Ἀνθρώπων.

(u) *Lib.* 2, *c.* 8: Ἡ δὲ ἰητρικὴ κατὰ τάδε σφι δέδασται. μιῆς νούσου ἕκαστος ἰητρός ἐστι, καὶ οὐ πλεόνων. πάντα δὲ ἰητρῶν ἐστὶ πλέα.

(x) *Lib.* 3, *pag.* 155, *de Lusitanis*: Τοὺς δὲ ἀῤῥώστους, ὥσπερ οἱ Αἰγύπτιοι τὸ παλαιὸν, προτιθέασιν εἰς τὰς ὁδοὺς, τοῖς πεπειραμένοις τοῦ πάθους ὑποθήκης χάριν.

(y) *Strabo, lib.* 16, *pag.* 746; *Herod. lib.* 1, *c.* 197.

(z) *Strabo, lib.* 3.

(a) *Plutarc. Symp. lib.* 3, *qu.* 1.

(b) LXX: Πλὴν τῆς ἀργίας αὐτοῦ ἀποτίσει, καὶ τὰ ἰατρεῖα. *Ita Cald. Syr. Arab. alii plerique.*

(c) רק שבתו יתן ורפא ירפא

(d) *Levit.* XIII, XIV.

ait Isaias, LIII, 4. Quare cavisse Hebræos, ne illorum curationi, utpote quos morbo divinitus illato laborare arbitrarentur, manus admoverent, R. Manahem est author (e). Israelis Rex, auditâ causâ adventus Naamani Samariam, lectisque Regis Damasci ad se literis, postulantibus ut Naamanum leprâ purgaret, *scidit vestimenta sua, & ait: Numquid ego Deus sum, ut occidere possim & vivificare?* (f) Jesus Christus testabatur, sese leprosis incolumitatem restituere (g); quasi prodigium objiceret invidiâ majus, quo se Messiam esse demonstraret.

Quæ Moyses edicit, ut fœminæ per aliquot a partu dies (h), sive menstruo incommodo laborantes, arceantur, illa pariter argumento serviunt. Hæc enim omnis medicinæ, si hoc nomine appellanda est, solertia illud solummodo curabat, ut pestis seu contagionis ex eâ re provenientis virus arceretur. Nec abs re eodem medicamentorum nomine censeri possunt ea, quæ ipse Legislator de comâ leprosorum radendâ, de claudendis leprosis, eorumque post receptam valetudinem lustrationibus, & admittendorum in commune consortium expiationibus præscribit.

Quod superiùs adduximus exemplum viri ob acceptum grave vulnus laborantis, satis demonstrat, non defuisse tunc temporis, qui luxata membra componerent, vulnera lenibus remediis temperarent. Hujus rei peritia hodie Chirurgos, olim absolutissimos Medicos reddebat. Chiron, Machaon, Podalirius, Pæon, Æsculapius nihil magis quàm peritiores Chirurgi erant (i), cùm sola nossent vulnera tractare (k). Podalirius, & Machaon filii Æsculapii, Agamemnonis in expeditione Trojanâ socii, nunquam in pestilentiâ internisque morbis, ait Celsus, aliquid auxilii attulerunt, vulneribus tantùm mederi contenti. Quin & medicinæ regulas ignorabant adeò, ut Machaoni ex vulnere in humeris laboranti potionem permitterent e vino & comminuto caprino caseo confectam (l).

Apud Hebræos cùm de internis morbis sermo occurrit, uti de febribus, languoribus, peste, dolore capitis, aut viscerum, nullum unquam remedium legitur; sed ibi solummodò ubi de vulneribus, confractione, sive stupore agitur. Asa podagrâ laborans, Medicorum opem quæsivit; quod illi in Scripturâ vitio vertitur, quasi unâ hac re Deo minùs fidere visus sit (m). Joram, accepto inter bellandum vulnere, Jezraelem curationis gratiâ se recepit (n). Ezechias ulcere gravi afflictus, applicato caricarum cataplasmate, ab Isaia incolumitati restitutus est (o). *Tempus est occidendi*, ait Salomon (p), *& tempus sanandi*. Porro is omnia naturæ abdita habebat sibi reserata, cùm de plantis omnibus disseruerit (q); quare medicinæ secreta planè noverat. Mirari autem subit, cur Judæi præscripta ab eo pharmaca omnia, atque medendi rationem adeò neglexerint, ut is nullos habuerit in eâ gente Discipulos. In Prophetis enim, qui post illum floruerunt, nihil legimus, nisi quædam de vulneribus curatis oleo & fasciis, medicamentis ex resinâ constantibus, herbis tandem & plantis ad valetudinem & medicinam conferentibus. Sincerum animi gaudium, Salomone testante (r), carnis sanitati prodest; & bona lingua (s), quasi arbor vitæ, nempe arbor fructus ferens salubres. Stomachi nimio cibo gravati fastidium, vomitu levari idem Scriptor (t) jubet; idque ipsum imperat Ecclesiasticus (u) iis, qui in convivio nimiis epulis stomachum oneraverint. Quæ tandem ex Venere & voluptatibus proveniunt incommoda Sapiens recensens, morbum describit quo ossa simul & caro consumuntur (x).

Alliganda a Domino vulnera populi sui, ac tandem sananda Isaias, XXX, 26, prædicit. Et Jeremias, VIII, 22: *Super contritione filiæ populi mei contritus sum, & contristatus; stupor obtinuit me. Numquid resina non est in Galaad, aut Medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?* Et capite XIV, 19: *Expectavimus pacem, & non est bonum; & tempus curationis, & ecce turbatio. Numquid projiciens abjecisti Judam, aut Sion abominata est anima tua? Quare ergo percussisti nos ita, ut nulla sit sanitas?* Et capite XXX, 12, 15: *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua; plagâ inimici percussi te, castigatione crudeli. Obducam cicatricem tibi, & a vulneribus tuis sanabo te.* Et capite XLVI, 11: *Ascende in Galaad, & tolle resinam, filia Virgo Ægypti, frustra multiplica medicamina; sanitas non erit tibi*: Et LI, 8, 9: *Subitò cecidit Babylon, & contrita est. Ululate super eam, tollite resinam ad dolorem ejus, si fortè sanetur. Curavimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam, & eamus unusquisque in terram suam.*

In his omnibus unus tantùm est sermo de vulneribus, confractionibus, stupore: quænam verò illis medicamenta? Resina, & fasciæ. Oleum addit Isaias, I, 6: *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas; vulnus & livor & plaga tumens, non est circumligata, neque fota oleo.* Rationem curandi confractiones prosequitur Ezechiel, XXX, 21: *Fili hominis, brachium Pharaonis Regis Ægypti confregi, & ecce non est obvolutum, ut restitueretur ei sanitas, ut ligaretur pannis, & fasciaretur linteolis, ut recepto robore posset retinere gladium.* Et capite XLVII, 12, arboris cujus-

(e) *Ad Levit.* XIII.
(f) 4 *Reg.* V, 7.
(g) *Matth.* XI, 5.
(h) *Levit.* XV.
(i) *Vide* Le Clerc, *Histoire de la Medicine.*
(k) *Plin. lib.* 29, *cap.* 1.
(l) *Hom. Iliad.* XI.
(m) *Reg.* XV, 23; & 2 *Par.* XVI, 12.
(n) 4 *Reg.* VIII, 29; & IX, 15.
(o) 4 *Reg.* XX, 7; *Isa.* XXXVIII, 21.
(p) *Eccle.* III, 3.
(q) 3 *Reg.* IV, 33.
(r) *Proverb.* XIV, 30.
(s) *Proverb.* XV, 4.
(t) *Proverb.* XXIII, 8.
(u) *Eccli.* XXXI, 25.
(x) *Proverb.* V, 11.

dam meminit, cujus fructus gratissimo sapore est, & folia præsentissima sunt morborum medicamenta. Cete illud, Tobiæ adolescentulo mortem minitans, Raphaël apprehendens exenteravit, servatique jussit jecur, tamquam præsentissimum curandis morbis remedium. Nec frustra ille, cum & expellendo Dæmoni, & restituendis cæco Tobiæ oculis deinde valuerit (y). Nec ignoti erant Medici ætate Osee, in quam rem ille (z): *Et vidit Ephraim languorem suum, & Judam vinculum suum. Et abiit Ephraim ad Assur, & misit ad Regem ultorem, & ipse non poterit sanare vos, nec solvere poterit a vobis vinculum, &c.*

In morbis viscera tantùm depascentibus, etiam gravioribus arduisque, nullus erat medicinæ usus. In eâ enim, quâ tenebantur, causarum ejus morbi ignoratione, religiosissimi cæterorum opem a Deo, sive ab ejus Prophetis flagitabant. Non deerant tamen, qui ad superstitiones, ad Magos, ad Idola, ad Veneficos, & ad musicam confugerent. Ille, quo Jobus affligebatur, immissus erat a Dæmone morbus; sed Dæmon opprimendo viro nonnisi causas naturales armavit. Ad eas ille angustias redactus, nunquam sibi ex remediis opem quæsivit; nihil etiam tale tentavere Amici; sed omnium una erat sententia, impetrandam esse a Domino valetudinem. Moralem tantummodò ejus mali rationem quærebant, utrùm scilicet illud in ultionem criminum a Deo immitteretur, an periculi de virtute viri fortis faciendi, atque virtutis Dei exerendæ gratiâ. Insultantium sibi Amicorum sermonis pertæsus Jobus, dixit, experiri se illos *Medicos nihili* [z]. Lepra, morbi genus frequentissimum ac perniciosissimum apud Hebræos, peculiaribus carebat Medicis & remediis; ubi enim certa exhibita fuissent morbi indicia, statim miseri ab omnibus deserebantur, ne contagione morbus propagaretur (a).

Amnon Davidis filius, impio amore sororem Thamarem deperiens, tabe & mœrore infectus, ægritudinem contraxit [b]. Nulla tunc mentio pharmacorum, sive medicorum: David ad invisendum ægrotum veniens, nullam illi medicinam proposuit. Quæsivit solummodò Amnon, ut accitæ ad se sororis manu degustare sibi liceret sorbitiunculas, & cibum. Abias filius Jeroboami Regis Israëlis æger decumbebat [c]; statimque uxor Jeroboami ab eo missa ad Ahiam Prophetam accurrit, de adolescentuli valetudine consultura. Cum e solario superiori domûs in inferius conclave Ochozias Rex Israëlis præceps corruisset, aliquos ad consulendum Beelzebub Deum Accaronitarum misit [d]. Meliore consilio Hazaël Rex Damasci opem Prophetæ Domini imploravit [e]. Naaman Syrus Damasco in Regionem Israëliticam venit, morbi sui remedium ab Eliseo impetraturus [f]. Filius Sunamitidis fœminæ, quæ Eliseum hospitio acceperat, vehementi dolore capitis abreptus, in ipso matris sinu exanimis cecidit. Statim illa ad Prophetam venit, qui confestim in ædes illius se conferens, filium incolumem matri restituit [g]. Joram Rex Juda post toleratam integro biennio dysenteriam, vi morbi tandem oppressus est [h]. Ozias Rex Juda in pœnam usurpati muneris Sacerdotalis, quippe qui offerre Domino thymiama ausus fuisset, leprâ percussus est (i). In his omnibus non vulgarium virorum morbis, altum est de medicamentis & Medicis silentium. Inter Præfectos Aulæ Regum Juda, Davidis, Salomonis, cæterorumque post ipsos, nullus erat Medicorum locus. Sed num idcirco nulli erant in Regione Medici? Non hoc ego quidem autumaverim; sed rari, eorumque peritia in eo tota versabatur, quemadmodum supra animadversum est, ut membra componerent, vulnera curarent.

Aliud erat apud Hebræos Medicorum genus, venefici scilicet, qui suis artibus gloriabantur se se colubros sistere, frænumque, ne morderent, imponere, ac tandem nescio quæ carmina obmurmurantes, morsibus eorum mederi. Fusiùs hoc argumentum pertractavimus peculiari Dissertatione in Psalmos. Quod ad morsus venenatos attinet, nihil hactenus medicina excogitaverat: *Ego immittam vobis*, inquit Jeremias, VIII, 17, *serpentes regulos, quibus non est incantatio*. Et Job, XL, 25, de Crocodilo: *Concîdent illum Amici*, Hebr. Excantator? Et Ecclesiastes, X, 11: *Si mordeat serpens in silentio* (Hebr. cui non est incantatio), *nihilo eo minus habet, qui occulte detrahit*. Et Psalmo LVII, 5, ita Psalmista de hostibus suis: *Furor illis secundùm similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter*. Ac tandem Ecclesiasticus, XII, 13: *Quis miserebitur incantatori a serpente percusso?*

Quærebatur etiam in morbis magorum opera, quamquam non ita apertè ejus usus in S. Scripturâ exprimitur. Salomonem obtinuisse a Deo virtutem pellendi Dæmones, & mala, quæ illis authoribus in homines inferuntur, removendi, Josephus docet (k). *Et cum excantationes composuisset*, subdit Josephus, *quibus leniantur morbi, etiam formas adjurationum reliquit, quibus vincta dæmonia ejiciunt, ut nunquam revertantur. Atque hoc sanationis genus etiamnum apud nos plurimum valet. Vidi enim ex popularibus meis quemdam Eleazarum coram Vespasiano & filiis ejus, & Tribunis, reliquisque militibus ex Dæmonum potestate ab iis obsessos liberantem. Modus autem*

istius

(y) Tob. VI, 5.
(z) Osee, V, 13.
(z) Job. XIII, 4, Hebr.
(a) Levit. XIV.
(b) 2 Reg. XIII, 2, 4, 5, 6.
(c) 3 Reg. XIV, 1, 5.
(d) 4 Reg. I, 2.
(e) 4 Reg. VIII, 7.
(f) 4 Reg. V, 5, 6.
(g) 3 Reg. XVII, 17.
(h) 2 Par. XXI, 15, 18, 19.
(i) 2 Par. XXVI, 19.
(k) *Antiq. lib.* 8, *cap.* 3. Παρέσχε δ' αὐτῷ μαθεῖν ὁ Θεὸς, καὶ τὴν κατὰ τῶν δαιμόνων τέχνην εἰς ὠφέλειαν, καὶ θεραπείαν τοῖς ἀνθρώποις. ἐπῳδάς τε συνταξάμενος αἷς παρηγορεῖται τὰ νοσήματα, καὶ τρόπους ἐξορκώσεων κατέλιπεν, οἷς ἐνδούμενα τὰ δαιμόνια ὡς μηκέτ' ἐπανελθεῖν ἐκδιώκουσι.

ſtius curationis erat talis. Naſo Dæmoniaci admoto annulo, cujus palâ una ex radicibus incluſa erat, quas indicaverat Salomon, paulò poſt ex naribus odorantis extrahebat Dæmonem: tum homine ſtatim collapſo, Dæmonem adjurabat, ne in hunc poſtea reverteretur, Salomonis interim mentionem faciens, & incantationes ab eo compoſitas recitans. Porrò voleas Eleazarus illis, qui aderant, perſuadere, manifeſtumque facere, quòd hanc vim habuerit, non longè inde collocabat aut poculum aquâ plenum, aut pollubrum; dæmonique imperabat, ut homine egrediens illa evertat, atque faciat, ut ſpectatores intelligant, quòd hominem reliquiſſet. Hoc autem reverâ facto, palam erat Salomonis ſapientia & ſcientia. Hanc Joſephi ſententiam, tribuentis Salomoni vim aliquam in morbos magicam, ne probemus, teligione abſterremur. Habemus enim perſuaſum, virum illum, de quo Hiſtoricus, magicis artibus uſum eſſe, quas nomine & authoritate Salomonis, uti Magorum omnis ætatis mos eſt, honeſtabat. Solemne eſt enim Magis, viri alicujus inſignis nomen prætexere, quò indoctos ac rudes grandi illâ ſpecie fallant.

Hiſce ſuperſtitioſis medicamentis ſaniore conſilio alia ſubſtituta ſunt temedia non improbâ arte parata, dæmoniacis utilia. Cùm Saül tetro quodam atræ bilis morbo agitaretur adeò, ut a Dæmone vexatus videretur, nec abs re prorſus, cùm Dæmonem haberet obſidentem; utebatur nequam ille ſpiritus pravâ humorum corporis ejuſdem Regis œconomiâ, ut miſerum torqueret: quare rogatus David, muſica quædam inſtrumenta coram illo pulſans, tumultuantes compeſcebat humores, ſimulque miſerum recreabat [*]. Jeſus Chriſtus, ejusque Apoſtoli prodigio interdum ægritudinem hanc, tunc temporis familiarem, depulerunt (*l*). Solo enim Jeſu Chriſti nomine pronunciato, ejus authoritate abire Dæmones cogebantur; quod ſanè medicamentum præter omnes medicinæ regulas validum eſt, & in Diſſertationem de Medicinâ ob quamdam ſolummodò rei affinitatem deducendum. Sed operæ pretium fuit animadvertere, in eâ fuiſſe perſuaſione ejus ætatis Hebræos, ignotos omnes & inſanabiles morbos Dæmoni authori eſſe tribuendos. Legimus ſanè in Evangelio, epilepticos, ſurdos, mutos, lunaticos, maniâ laborantes, a malo aliquo ſpiritu vexatos fuiſſe; quo ſtatim a Jeſu Chriſto ſive ab Apoſtolis pulſo, incolumes erant. Legimus de muto Dæmone (*m*); de altero ægrè loquente (*n*); de homine ſpiritu infirmitatis afflicto (*o*). S. Paulus (*p*) inceſtum illum Corinthium Satanæ permittens, tradere ſe illum ait infeſtiſſimo adverſario *ad interitum carnis*. Et S. Marcus, III, 10, de morbis corporis agens, μάστιγας *plagas* a Deo miſſas appellat (*q*).

Fruſtra quis vulgi errorem & animi hallucinationes ſuſpicabitur: quaſi nec Saül, nec epileptici, lunatici, & muti Evangelici inſidentis ſpiritûs livore torquerentur. Facilè enim credimus, permiſiſſe Deum, ut eâ ætate Dæmones corpora illorum agitarent, qui Divinam in ſe ultionem criminibus provocaſſent, ſive quos Divinæ Juſtitiæ ſeveritas morbo aliquo affixerat, ut & illos in hac vitâ puniret, & cæteros juſto terrore quateret. Veteris enim Legis ingenium erat, ut rigidam ſemper auſteritatem exhiberet. Erant Hebræi jugo ſervitutis premendi, ac pœnis corporis, quas rudes illi homines unicè graves ſentiebant, cogendi. Porrò illi morbos habebant veluti Divinæ ultionis flagella, improbis ſpiritibus tamquam miniſtris utentis; eamque in populo opinionem ſovendam Dominus cenſens, Dæmones interdum immittebat, corpora hiſce morbis torquentes (*r*).

Ut ad magica remedia, unde digreſſi ſumùs, regrediamur, animadvertere juvat, Medicinam exercuiſſe interdum eos viros, qui ſimul magicen verè profitebantur. Zoroaſter inter primos medicinæ inventores, nomen habet inter Magos celeberrimum. Circe & Medea, ambæ medicinâ claræ, & pluribus medicis operationibus inſignes, magicen æquè exercebant. Apud Ægyptios (*s*), Dæmones, ſive Dii aëris XXXVI numero cenſebantur. Quorum ſinguli, diviſo in totidem partes hominum corpore, ſingulis partibus præerant. Dæmones illos peculiari nomine vernaculâ linguâ appellantes Ægyptii invocabant, ejus potiſſimùm opem flagitantes, cujus dominio pars corporis ægritudine affecta ſubjiciebatur.

Æſculapius, authore Pindaro (*t*), febres omnes, ulcera, vulnera, dolores pellebat, ſive dulces quaſdam incantationes adhibens, ſive mites potiones, remediiſque in externâ corporis ſuperficie applicatis, ſive tandem inciſionibus. Fluentem e vulnere Ulyſſis cruorem ope carminum coërcitum eſſe, narrat Homerus (*u*). Salubria morbis interdum putabantur verba quædam, ſive magica carmina; quemadmodum apud Catonem legimus ea, quæ ſuper luxatum membrum otioſi homines obmurmurabant (*x*). Quæ verba interdum in Amuletis quibuſdam ſcripta, ſuper affectas morbo partes ponebantur, ſive collo appenſa geſtari ſolebant. Hac arte parata medicamenta appellabant *Taliſmannos*, *Amuleta*, *Phylacteria*.

Minimè ambigimus, quin Hebræi in ſuperſtitionem proni, rerumque omnium ignariſſimi, hæc ſimul omnia remedia adoptarint. Vidimus ſuperiùs, non defuiſſe apud illos adversùs morſus anguium veneficos, neque pellendis Dæmonibus, annulo ſuper-

(*) I *Reg.* XVI, 14, 15.
(l) *Matth.* IX, 32, 33; & *Luc.* XI, 14.
(m) *Matth.* IX, 32, 33; & *Luc.* XI, 14.
(n) *Marci*, VII, 32: Κωφὸν μογιλάλον.
(o) *Luc.* XIII, 11.
(p) I *Cor.* V, 5.
(q) *Ita & v,* 29, 34; *Luc.* VII, 21.
(r) *S. Hieron. in Matth.* IX, 4: *Et datur nobis intelligentia, propter peccata pleraſque evenire corporum debilitates; & idcirco forſan dimittuntur priùs peccata, ut cauſis debilitatis ablatis, ſanitas reſtituatur.*
(s) *Origen. lib.* 8 *contr. Celſ.*
(t) *Pyth. Ode* 3. Τοὺς μὲν μαλακαῖς ἐπαοιδαῖς ἀμφέπων, τοὺς δὲ προσανέα πίνοντας.
(u) *Odyſſ.* T. *ſeu* XIX: Ὠτειλὴν δ' Ὀδυσῆος ἀμύμονος ἀντιθέοιο Δῆσαν ἐπισταμένως· ἐπαοιδῇ δ' αἷμα κελαινὸν Ἔσχεθον.
(x) *De re ruſticâ*, *art.* 160.

stitioso adhibito, Magos. Sunt qui anguem æneum Moysis pro Talismanno habuerint. Sed hæc omnia curandorum morborum remedia, Dæmonis invocatione valentia, Lex Domini damnat ac detestatur (y). Cùm rudes populi æneo Moysis angue abuti viderentur, illum aboleri jussit Ezechias (z); ejusdemque jussu igni traditos ferunt Libros a Salomone de arcanis naturæ scriptos; videbantur enim multi plus sibi opis sperare ex virtute herbarum, quàm in Deum fiduciâ. Quod accersebatur e musicâ remedium, ingenuum magis minùsque criminosum videtur; scitum est enim, quantum musica Davidis profuerit agitatæ Saülis bili compescendæ (b). Hanc sane profuisse morbis corporis e turbatione animi natis, plures Medici agnoscunt; quippe quæ omnia in suos ordines redigat. *Et nos*, inquit Galenus [c], *ob animi mores ægros quotannis non paucos persanavimus, solis animi motibus ad debitum modum revocatis. Est verò non spernendus hujus sententiæ testis, ipsum patrium nobis numen Æsculapius, qui multas scribi cantilenas, mimosque ridicularum rerum fieri, & melodias quasdam institui iis, quibus vehementiores animosæ partis motus, corporis temperamentum justo calidius efficerent.* Obstetrices Athenienses, Platone teste, facilem reddebant partum ope quorumdam aromatum, carmina quædam simul obmurmurantes [d]. Videsis nostram Dissertationem de Musicâ Veterum Hebræorum.

Recepta igitur erat apud Hebræos sententia, morbos plerumque Dei ultoris esse flagella, cujus essent ministri, & tortores illi, quos Dæmones vocamus; quemadmodum in superioribus demonstratum est. Adam, sub ipsum veluti peccati limen, statim pronunciatâ mortis pœnâ damnatus est (e). Abimelech vix raptâ Sarâ, quam sororem, non conjugem, Abrahami reputaverat, vindicem Dei manum in se expertus est (f). Ægyptii nolentes Divinis jussionibus morigeros se præbere, variis plagis percussi sunt. Her & Onan crimine detestabili committentes, ne filii e Thamare nascerentur, subitò correpti perierunt [g]. Maria soror Moysis, vix motâ seditione in fratrem, leprâ obductum corpus habuit (h). Eamdem lepræ ultionem exeruit Deus in Azariam Regem Juda, reum tentati muneris Sacerdotalis oblatione thymiamatis [i]. Philisthæorum anus probroso ulcere affectus est, quòd illi minùs religiosè Arcam observassent [k]; eamdemque curiosiùs inspicientibus Bethsamitis capitale fuit [l], nec mitiùs cum Ozâ actum est, manus erga illam protendente [m]. David quòd inani aliquâ curiositate populi censum indixisset, ingenti suorum clade peccatum expiare coactus est (n).

Amici Jobum tot oppressum malis & ærumnis invisentes, eo indicio reum alicujus gravissimi criminis arguebant. Rex Joram impietatis & idololatriæ reus, acerbissimo dysenteriæ morbo contabuit [o]. Quid Nabuchodonosor? nonne impietatis & criminum suorum pœnam morbo & metamorphosi luit? Quid David? nonne criminis sui cum Bethsabee merito, morbo simul & morte filii ex eo concubitu nati punitus est? Tandem familiares sunt hæ loquendi formulæ in Sacris Libris (q): *Dominus est qui mortificat, & vivificat, qui deducit ad inferos, & reducit*; Dominus est vitæ, & mortis, sanitatis, & morbi, utrisque pro arbitrio imperans. Judæis nunciat futurum, ut refractarios insanabilibus morbis puniat, morigeros valetudine simul & incolumitate donet.

Hæc æquè occurrunt in Novo & Veteri Testamento; & Jesus Christus communem hanc opinionem non semel confirmare visus est, eos, quos incolumes restituerat, etiam atque etiam monens, ne quid ultra criminis admitterent; veluti innuens, morbi causam omnem peccato deberi. Allatum ad se paralyticum ita affatur (r): *Fili, remittuntur tibi peccata tua*: & cùm graviùs hæc verba accipere, qui aderant, viderentur, adjecit: *Quid est faciliùs dicere, Remittuntur tibi peccata tua; an dicere, surge, & ambula?* Ac restitutâ incolumitate languenti, qui octo & triginta annos in Probaticâ jacuerat, ait [s]: *Noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Occasione autem viri cujusdam ab ortu cæci, Christum interrogant Apostoli (t): *Rabbi, quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Ac si haberent persuasum, latentis alicujus criminis vel filii vel parentum malam fuisse propaginem, hanc, qua juvenis tenebatur, cæcitatem. Sed errantes docet Christus, nullius criminis merito morbum hunc viro contigisse; Divinæ providentiæ consilio factum esse, ut ad exhibendum Divinæ virtutis documentum cæcus nasceretur. S. Paulus [*] morbos & mortem ipsam plurium Christianorum tribuit minimæ religioni, quam in Eucharistiæ communione exhibebant. Cùm Herodes Rex Judææ persecutioni indictæ in Apostolos alterum atque alterum crimen adjecisset, necato S. Jacobo fratre S. Joannis, dato in carcerem S. Petro, gravissimam in se Dei manum sensit (u); cùm enim verba ad populum Cæsareæ haberet, inter ipsas plaudentis populi voces, clamantis, Dei verba, non hominis, se audire, subitò percussus ab Angelo, perniciosò adeò morbo contabuit, ut vivantibus vermibus aliquanto pòst denique absumeretur; quippe qui, inquit Scriptor Sacer, *non dedisset honorem Deo*. Eamdem omnibus persuasionem stetisse in extremo Herodis Magni morbo, Josephus testatur (x), ut scilicet criminum suorum & crudelitatis merito a Deo puniretur.

Non

(y) *Levit.* xxvi, 6; *Deut.* xviii, 10, 11; *Levit.* xix, 31.
(z) 4 *Reg.* xviii, 4.
(b) 1 *Reg.* xvi, 23.
(c) Vide Galen. *de Sanit. tuendâ*, *lib.* 1, *c.* 8; *Et* Le Clerc, histoire de la Medicine, liv. 1, p. 72, 73.
(d) *Plat. Theaet. p.* 149. Καὶ μὴν ϰ̓ διδοῦσαί γε αἱ μαῖαι φαρμάκια, ϰ̓ ἐπᾴδουσαι, δύνανται ἐγείρειν τε τὰς ὠδῖνας, ϰ̓ μαλθακωτέρας ἂν βούλωνται ποιεῖν.
(e) *Genes.* iii, 9, 10.
(f) *Genes.* xx, 4, 5.
(g) *Genes.* xxxviii, 9, 10.
(h) *Num.* xii, 10.
(i) 2 *Par.* xxvi, 20.
(k) 1 *Reg.* v, 6.
(l) 1 *Reg.* vi, 19.
(m) 2 *Reg.* vi, 7.
(n) 2 *Reg.* xxiv.
(o) 2 *Par.* xxi, 18, 19.
(p) 2 *Reg.* xii, 14, 15.
(q) Vide Levit. xv, 26; xxvi, 16, 22, 28, *&c. Deut.* xxvii, 17, 35, 30; xxix, 22; *Job*, v, 18; *Isai.* xix, 22, xxx, 26; *& in Pss. passim*, v, 3, xl, 5; cvi, 30.
(r) *Matth.* ix, 2, 3.
(s) *Joan.* v, 11, 14.
(t) *Joan.* ix, 2, 3.
(*) 1 *Cor.* xi, 30.
(u) *Act.* xii, 23.
(x) *Antiqu. lib.* 17, *c.* 8. Πάντων δὲ πολλῶν ἀνεσκέψατο τὴν νόσον ... ὁ Θεὸς ... ὑπὲρ τῶν Βασιλέως.

Non repugnaverim quidem, horum exemplorum plura Divino prodigio non esse tribuenda, & Judæos ita reputantes esse damnandos; at aliqua saltem prodigia non esse, nego. Inter pluta miracula, plures etiam naturales morbos agnosco, & [ne prodigia non necessaria aceumulem] maluerim ego, Deum, cùm hominem morbo aliquo pereuisse legimus, id commisisse tantummodò, ut morbus a naturâ induceretur, inductusque in pœnam præcedentium criminum putaretur. Nihil de meo hoc judicio cæteris impositum volo; sed conjecturam meam prodo, quam cæterorum examini subjicio, ne parum religiosus erga Sacras Scripturas videar.

Ita Hebræi de causâ morborum persuasi, in eam quoque opinionem venerunt, ut morbos omnes tum insuitatos, cùm vulgares, pravis Angelis tribuerent. Erat, juxta illos, Angelus exterminator, Angelus ultor, Angelus mortis. Cædem primorum natu in Ægypto [y], Sennacheribi (z), luem in populo grassantem (a) Angelo ultori, seu exterminatori ferunt acceptam. Erant, & sunt etiam nostrâ ætate in eâ sententiâ, ut Angelum mortis homines gladio suo perimere (b), manantemque cruore gladium aquâ, quæ fortè in ædibus occurrit, eluere arbitrentur. Humor, qui ferali gladio adhæserit, virus esse præsentissimum rati, id summo studio eurant, ut totâ, quæ fortè domi occurrerit, aquâ statim ab obitu defuncti effusâ, discrimen omne evitent.

Credebant insuper, morborum, quos naturalibus pravisque affectionibus Medici tribuunt, sive Dæmonem, sive Lunam in causâ fuisse; quemadmodum de morbo Saulis, & de atræ bilis affectionibus statuunt. Fatemur quidem, plures fuisse hujus generis morbos Dæmoni tribuendos, ipso docente Evangelio; sed vix possumus in animum inducere, ut omnes ex hac causâ derivandos credamus. Rudis populus nostrâ etiam ætate Dæmoniacos putat plurimos, qui inter stultos, & maniâ laborantes meritò rejiciendi sunt. Plus illi helleboro, purgationibus, ac refrigerantibus pharmacis, quàm exorcismis solemnibusque Ecclesiæ precibus, nonnisi exigente necessitate, sive apertâ utilitate adhibendis, juvarentur.

Alia etiam vetustissima inter Judæos opinio fertur, cujus vestigia in ipsâ Patriatcharum historiâ apparent; iis videlicet, qui rem aliquam insuetam spectarint, mortem imminere. Agar, objecto sibi per visum Angelo, fetale mortis suæ omen se accepisse putabat; sed ab Angelo confirmata, cùm tandem animos resumpsisset, prodigii loco habuit, vidisse se Deum, nil incommodi expertam (c). Jacob grarias Deo agebat eo nomine, quòd vidisset *Deum facie ad faciem: & salva*, inquit, *facta est anima mea* (d). Deus ipse ita ad Moysem locutus, profitetur: *Non videbit me homo, & vivet* (e). Hebræi Moysem rogabant, ut ipse loquendi ad populum munus assumeret; si enim Deus ipse per se loqueretur, certam sibi mortem timebant (f). Manue, pater Samsonis, ejusque uxor, quòd Angelum vidissent, fetale sibi illud ominabantur: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum* (g).

Qui medicinam inter Hebræos, quemadmodum & de Græcis scitum est, profitebantur, viros fuisse non vulgares, verbis quibusdam Scripturæ insinuatum videtur. Ejus enim artis præcepta neque a Principe aliena esse arbitrabantur, cùm legamus [h]: *Apprebendet vir fratrem suum, domesticum patris sui: Vestimentum tibi est, Princeps esto noster; ruina autem hæc sub manu tuâ* [nempe membra nostra e lapsu afflicta medicamentis fove]. *Respondebit in die illâ dicens: Non sum medicus, & in domo meâ non est panis, neque vestimentum; nolite constituere me Principem populi*. Et Osee, v, 13, vitio Israëlitis vertit, quòd spem omnem in Assyriis collocassent: *Et vidit Ephraim languorem suum, & Juda vinculum suum; & abiit Ephraim ad Assur, & misit ad Regem ultorem; & ipse non poterit sanare vos, nec poterit solvere a vobis vinculum*. Et Zacharias, xi, 16: *Ego suscitabo Pastorem in terrâ, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit*. Jeremias, vi, 14: *A Prophetâ usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum; & curabunt contritionem filiæ populi mei cum ignominiâ, dicentes: Pax, pax* [nempe vulnus obducitur] *& non erat pax* [& recrudescebat].

Licèt autem olim, & nostrâ etiam ætate, peritissimi medicinæ professores Judæorum aliqui, præsertim in Oriente, habeantur; in Rabbinorum tamen Libris minùs æquè de Medicis leguntur, cùm Medicos inter illos numerent, quos exclusos pronunciant a Regno, imprecantes: *Medicorum optimus in Inferno demergatur; splendidè enim vivit, nec morbum timet; neque cor suum coram Domino conterit, pauperemque, opem illi denegans, interficit*. Si quis verò de peritiâ Medicorum Judæorum conjecturam capere e peritiâ Rabbinorum in rebus anatomicis voluerit, nihil planè de illis magnificum opinabitur. Receptum est enim inter eos, in spinâ dorsi os quoddam, nomine *luz*, insertum esse, quod veluti radicem & centrum omnium partium corporis esse putant: inde cor, jecur, cerebrum, verenda, & quid non? Quod autem maximè ejus ossis virtutem commendat, illud est, quòd integrum vel in medio igne nunquam non manet, ut germen sit resurrectionis, ex quo resolutum corpus, veluti e semine plan-

(y) *Exod.* xii, 29.
(z) 4 *Reg.* xix, 35.
(a) 3 *Reg.* xxiv, 16.
(b) Vide *Job*, xxxiii, 23; *Ps.* xxxiv, 5; *Proverb.* xvii, 2; *Dan.* xiii, 55, 59.
(c) *Gen.* xvi, 14, 15.
(d) *Gen.* xxxii, 30.
(e) *Exod.* xxxiii, 20.
(f) *Exod.* xx, 19.
(g) *Judic.* xiii, 22.
(h) *Isa.* iii, 6.

planta, iterum pullulet. Enumerant autem in corpore hominis CCXLVIII ossa, & CCCLXV venas sive ligamenta.

Utrùm veteres Hebræi recentioribus præstatent Medicinæ peritiâ, ambigimus; illud tantummodo asserendum est, putasse illos, uti Veteres ferme omnes, corporis humani fœtum in utero Matris coagulatione quadam, ceu lactis, concrescere (*i*): huic deinde Deum pellem, nervos & fibras inducere. Addebant, ossa, cùm salva sunt omnia, succo quodam madescere; arescere verò, ubi corpus vitiatur (*k*): & medullâ ossium affectâ, crudelibus morbis totum corpus torqueri (*l*); inflammationem ossibus adhærere (*m*); oleum, quo cutis fovetur, ad ossa penetrare (*n*). Uno verbo, valetudinem omnem morbumque ex ossium habitudine rectâ pravâque deducunt. Quin etiam umbilici incolumitatem plurimum ad valetudinem conferre, Salomon innuere videtur (*o*); illumque unctione fotum plurimùm prodesse extinguendis ardoribus viscera depascentibus [*p*]. Vitam constituebant in sanguine [*q*]. De venis & sanguinis emissione ne verbum quidem in Scripturâ.

Familiarissimum simulque celebratissimum Hebræorum remedium erat resina montium Galaad (*r*), quemadmodum supra etiam innuimus. Nec sanè Medici diffitentur, varia resinæ genera fractis ossibus, stupori membrorum & plagis mederi. Non deerant etiam apud illos herbæ & plantæ salubres, cujus generis nos medicinales, illi *arbores* seu *ligna vitæ* (*s*) appellabant; uti *arbor mortis* apud illos erat, quæ nobis est planta virulenta & perniciosa. Author Ecclesiastici [*t*] lignorum virtutes prosequutus scribit, pharmacopolam variarum rerum admistione pharmacum quoddam salutare componere, cujus odor per totam terræ faciem diffusus, undique pacem & lætitiam exhalat: continuò tamen sapienter monet, ut primò omnium ægrotus valetudinem a Deo deprecari studeat, illud etiam curet, ut pœnitentiâ eluat crimina, oblationes in Templo ex similâ, opimisque pecudibus statuat, veluti si e Mundo egressus, jam coram Deo adesset. Neque tamen ista prohibent, addit, quin a Medicis opem imploret; a Deo enim Medicus creatus est, suasque pro valetudine infirmi preces ad Deum interponet. Tandem maximum aliquod Divinæ ultionis documentum in impios exhiberi precatus, optat ut impius *in manus Medici incidat*.

(*i*) *Ps.* CXXXVIII, 15; *Job*, X, 10; *Sap.* VII, 2.
(*k*) *Job*, XX, 11; XXI, 24; XXXIII, 19; *Prov.* III, 8; XV, 30; XXVII, 26; *Eccli.* XXVI, 16.
(*l*) *Prov.* XII, 4; XIV, 30; *Habac.* III, 16.
(*m*) *Jerem. Thren.* I, 13.
(*n*) *Ps.* CVIII, 18.
(*o*) *Prov.* III, 8.
(*p*) *Cantic.* VII, 2.
(*q*) *Deut.* XII, 23.
(*r*) *Jerem.* VIII, 22; XLVI, 11; LI, 8.
(*s*) *Prov.* III, 18; XI, 30; & XIII, 12; XV, 4; *Ezech.* XLVII, 12.
(*t*) *Eccli.* XXXVIII, 7: Μυρεψὸς ἐν τούτοις ποιήσει μῖγμα, καὶ οὐ μὴ συντελέσῃ ἔργα αὐτοῦ, καὶ εἰρήνη παρ' αὐτοῦ ἐστιν ἐπὶ προσώπου τῆς γῆς.

DISSERTATIO

De re Cibariâ Hebræorum.

Veterum Hebræorum mores ritusque adeo a nostris abhorrent, ut sine ingenti in eam rem studio penitùs explorata hæc haberi non possint. Si quis autem perfunctoriè ea tantùm noscere contentus, cætera duxerit negligenda, ille planè nunquam arcanum Scripturæ, continuâ fermè allegoriâ eò spectantis, sensum assequetur. Inter ea verò, quæ ad Hebræorum mores spectant, res cibaria tantò est præ cæteris Eruditorum occupatione dignior, quantò frequentiùs in Scripturâ recurrit, majorique est indagine, tum ob verborum ambiguitatem, cùm ob consuetudinem & inconstantiam scrutanda. Variante enim fortunâ, ejus rei consuetudo apud Judæos variavit. Abraham e Chaldæâ oriundus, regionis morem & ipse tenuit, & ad filios transmisit. Ejus posteri cum Chananæis & Phœnicibus tum sedes cùm mores multos habuerunt communes. In Ægypto plura ex incolis adoptarunt. Dein Moyses, invecto ciborum delectu, aliisque in Lege sancitis, novam induxit disciplinam; non usque adeò tamen stabilem, quin plurimùm pro locorum varietate variarit. Translati enim in Babyloniam, Assyriam, Ægyptum, aliasque Orbis regiones Judæi, mores etiam ad loca conformare studuerunt; quamquam certis quibusdam & constantibus legibus inhærentes, semper a reliquis earum regionum incolis distinguerentur.

Illud igitur in hac Dissertatione consilium habuimus, ut varias, pro varietate temporis, Judæorum in re cibariâ consuetudines prosequamur; utrùm scilicet sedentes, an accumbentes cibum caperent; quem locum in mensâ haberent honestissimum; quas ante cibum servarent lustrationes; quas & quantas apponerent dapes; quæ comedendi horæ, vasa in eum usum, &c. Veteribus novas consuetudines adjiciemus, ux utrarumque comparatione differentia sive similitudo intelligatur.

Convivia veterum Hebræorum.

Veterum Hebræorum convivia, quorum est in Scripturâ mentio, neque gentis elegantiam, neque in re cibariâ delectum satis commendant. Abraham tres Angelos, quos sub hominum specie hospites exceperat, lauto convivio refectutus, subcinericium panem & opimum vitulum festinato opere parans, una cum lacte & butyro mensas instruxit (*a*). Porrò convivium illud quantò erat dapum numero pauperius, tantò fuit eatumdem dapum copiâ locupletius; nam tria satinæ sata, quæ amplius octo & vi-

(*a*) *Gen.* XVIII, 6, 7.

& viginti pintas singula implebant, integrumque vitulum tribus convivis (Abraham enim stans atque hospitibus ministrans cibos non sumpsisse videtur) apposuit. Joseph fratres suos in Ægypto convivas adhibens (*b*), quintuplo majori, quàm cæteros fratres, epulo Benjaminum donavit. Sauli asinas patris sui quærenti Samuel quartam vituli partem obtulit (*c*). Is honor hospitibus ejus ætatis habebatur. Apparent ejus moris vestigia apud Homerum, ubi pro viri dignitate victimæ ampliores minoresve in conviviis adhibentur. Eumæus convivam habens Ulyssem, quem hospitio acceperat, quamvis illum minimè nosset, pingue convivium instruxit; integrum apponens tergus ingentis quinquennalis porci e grege selecti (*d*). Nec in cibo tantùm servata est quantitas, verùm etiam in potu, ut convivæ dignitati responderet. Amplissimi enim viri plenum semper scyphum coram se habebant; cùm cæteris identidem solummodò misceretur (*e*).

(b) *Gen.* XLIII, 34.
(c) 1 *Reg.* IX, 24.
(d) *Homer. Odyss.* XIV.
(e) *Hom. Iliad.* IV. *Vide Cantic.* VII, 2.

Dapum portio convivis distributa.

Dapum partes convivis distribuere, Architriclini munus erat. Quin & obtinuisse olim creditur, ut singuli seorsum cœnantes, singulam singuli haberent mensam, cui epulæ imponerentur. Ejus rei apparent vestigia in convivio, quo Joseph fratres suos in Ægypto excepit (*f*); seorsum enim singuli fratres sedebant, uti & Ægyptii, & ipse Joseph seorsum, positas ante se mensas habebant. Superstitionis causâ Ægyptii renuebant mensam habere communem cum Josepho ejusque fratribus; non enim cibos capiebant Ægyptii cum Hebræis. Josephus verò ut solus pranderet fortasse in causâ habuit, quòd amplissimam illam dignitatem gereret. Singuli autem fratres ab Ægyptiis & a Josepho segregati, servato ætatis ordine sedebant, assignato unicuique loco ab ipso Josepho, quasi ipse singulorum ætatem, ingenti eorumdem admiratione, nosset. Cùm omnes sedissent, dapes omnes coram Josepho appositæ sunt, ab eoque in singulos convivas distributæ. Elcana Pater Samuelis epularum partem duabus uxoribus assignavit (*g*). Apud Homerum, singulis convivis sua est mensa, & convivii dominus carnes inter convivas dividit. Mensa Regum Persarum omnibus illis epulis instruebatur, quæ deinde inter Aulicos dividendæ erant (*h*): quod adhuc in quibusdam Orientis regionibus obtinet (*i*). Idem servatum esse in Aulâ Salomonis, ex ingenti farinæ copiâ, & carnium, quæ in singulos dies suppeditabatur, colligimus. David convivam habens Miphibosethum, regias dapes illi sufficiebat. Locus habet ad literam: *Super mensam Regis vescebatur* (*k*). Rogat David Salomonem, ut filios Berzellai eodem honore dignetur (*l*). Jezabel mensæ suæ dapibus pascebat CCCCL Prophetas Baal & CCCC Prophetas Deæ nemorum, sive *Aserah*; qui omnes, ait Scriptura, *comedunt de mensâ* (ad literam *in mensâ*) *Jezabel* (*m*).

(f) *Gen.* XLIII. 34.
(g) 1 *Reg.* I.
(h) *Athen. lib.* 4, *c.* 10.
(i) Chardin, Voyage de la Colchide.
(k) 2 *Reg.* IX, 7, 10, 11.
(l) 3 *Reg.* II, 7.
(m) 3 *Reg.* XVIII, 19.

Hebræorum delectus in dapibus.

Sed quænam dapes illæ? Omnium delicatissimæ fuisse hædi videntur, e quibus unum paravit Rebecca, ut Jacob, eo allato, paternam benedictionem surriperet (*n*). Paschale convivium agno, sive hædo, juxta Moysis præceptum, instruebatur [*o*]. Hædum attulit Samson munus novæ nuptæ, ut pacem cum illâ conciliaret (*p*). Manue coctum hædum Angelo, futuram prolem sibi nuncianti, apposuit (*q*). Queritur frater filii prodigi, nunquam unicum hædum sese a patre impetrasse, ut geniale cum amicis epulum institueret (*r*). Scitum est, tria tantùm animalium domesticorum genera in cibum permissa fuisse Hebræis, nempe quod ex vaccâ, ove, & caprâ nascitur: plura tam e feris, quàm ex domesticis vetita, facilè etiam ante latam a Deo Legem; quemadmodum intelligimus ex Divino ad Noëmum præcepto, ut in Arcâ XIV animalium purorum, bina verò impurorum paria servaret (*s*). Legimus (*t*), in mensam Salomonis impensas esse singulis diebus XXX mensuras similæ, & farinæ duplum. Porrò mensura reddebat CCXCVIII pintas cum dimidiâ pintæ parte, hemisextario, & ampliùs aliquanto. Præter hæc, sufficiebantur X saginati boves, XX boves e grege, C arietes, præter ea, quæ venatione capiebantur, cervos, damas, capreolos, aves. Cùm Arca Domini solemni apparatu deduceretur, singulis Israëlitis jussu Davidis distributa est assati bovis portio (*u*). A sanguine non abstinebant modò, verùm etiam cautè observabant, ne quid in carnibus cibo destinatis remaneret, qua de re infra. Adeps victimarum sacrificio servabatur (*x*); sed exceptis sacrificiis, ejus usus singulis permittebatur. Facilè credimus, delicatissimam & optimam victimæ portionem Deum sibi servasse, inter quas primum locum habere poterat adeps; quamobrem cùm alicujus convivii lautitia describenda esset, eo utebantur epitheto: *Convivium pinguium* (*y*). Queritur Deus per Prophetas, macilentis victimis sibi litari (*z*). *Qui diligit epulas*, ait Salomon (*a*), *in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur.* Hinc Deus arietis caudam in sacrificiis nunquam sibi non servavit, quippe quæ pinguissima esset; servavit & renes cum adipe illos operiente [*b*].

(n) *Gen.* XXVII, 9.
(o) *Exod.* XII, 5.
(p) *Judic.* V, 11.
(q) *Judic.* XIII, 5, 19.
(r) *Luc.* XV, 29.
(s) *Gen.* VII, 2.
(t) 3 *Reg.* IV, 22, 23.
(u) 2 *Reg.* VI, 19.
(x) *Levit.* III, 16. Vide *Comment. in hunc locum.*
(y) *Isai.* XXV, 6.
(z) *Malac.* I, 13, 14.
(a) *Prov.* XXI, 17.
(b) *Levit.* III, 10.

Panis Veterum Hebræorum.

Panis singulis plerumque diebus parabatur; erant autem placentulæ aridæ, tenues, & recentes; aliæ verò subactæ erant ex oleo, aliæ frixæ oleo, aliæ tantùm oleo illitæ. Panis azymus & subcineritius nec infrequens habebatur nec insuavis. Simila oleo frixa, sive tantùm aspersa, a nostro quidem ingenio aliena est maximè:

He-

Hebræo apprimè suavis; adeò mores mutantur, & de gustibus nulla præscribitur regula. Panis, quacumque tandem arte confectus, nunquam ab oblationibus Templi Domini excludebatur, ex quo facili conjecturâ intelligimus, quidquid exquisitissimum apud Hebræos erat, totum in pane comprehendi. Norant farinam secundariam, cicer, lentem, & cætera leguminum genera, quorum maximè usus erat ruri & in itineribus. Davidi, furorem Absalomi declinanti, Berzellai obviam occurrens, attulit farinam, far, frumentum igne tostum, frixum cicer, fabam, lentem, & alia legumina, adjectis melle, butyro, pinguibus vitulis, & ovibus [c]. Eâdem occasione Siba munus Regi obtulit cc panes, c fasces uvæ passæ, & totidem recentis uvæ canistros, cum utre vini [d]. Ita planè Abigail eumdem Regem, a Saüle fugientem, prosequuta est cc panibus, duobus vini utribus, quinque coctis arietibus, quinque mensuris farinæ ex hordeo, centum fasciculis uvæ passæ, & cc massis caricarum (e). Viri, quos Saül in itinere offendit, cùm ad invisendum Templum Domini pergerent, singuli tres hædos, totidem panes, & vini utrem habebant [f]. Uxor Jeroboami ementitis vestibus ad consulendum Ahiam Prophetam pro valetudine filii ægrotantis missa, munus de more regionis attulit x panes, placentam, uvas, & vas melle plenum [g]. En gentis priscorum morum delicias, & conviviorum apparatus.

Dapum condimenta.

Omnia eorum condimenta sal, mel, oleum, butyrum. Aromatum in cibis ne vestigium quidem in S. Scripturâ. In conviviis Sponsæ [h] nihil apparet præter fructus, mel, vinum, lac. Mellis usus fermè in condimentis continuus; nec rarior est hodie in Palæstinâ, ejus liquoris feracissimâ. Convivium Sapientiæ [i] victimis sive jugulatis pecudibus instruebatur, & vino. Tauros & oves in eum usum paratas legimus in Evangelio [k]. Vini usus olim, & nostrâ etiam ætate, in Oriente infrequens erat, quòd in torridâ regione vinum frequentiùs aut merum bibere, minus salubre haberetur. Quare nunquam nisi multâ aquâ dilutum gustabant, idque modicum, & in quibusdam solemnibus epulis, in fine convivii [l]. Mista vino aromata, sive ejus generis alia potum reddebant delicatissimum [m]. Vinum e palmis, vulgare apud Hebræos, nomine *Sekar* in S. Scripturâ designatur [n], ubi non raro vino ex vite junctum legitur. Celebrabantur vina Libani [o] & Chelbon [p]; nec minùs laudabantur vina Sorec [q].

Carnes coctæ ex aquâ vel assæ parabantur; quamquam & condimentis paratas aliquando amasse, ex historiâ Rebeccæ, carnes ad gustum Isaaci, sibi experimento cognitum, parantis, intelligimus. Manue pater Samsonis hædum ex aquâ coctum in ollâ afferens, sacrificium Domino obtulit [r]. Filii Summi Sacerdotis Heli, cum plurima in Tabernaculo Domini iniqua, tum illud flagitiosissimum commiserunt, ut famulorum operâ carnes ex ollis eorum, qui sacrificia offerebant, rapientes, non coctas se dapes, sed crudas accepturos dicerent; quippe quas vellent ad gustum suum parare (s). Agnus sive hædus Paschalis igne torrebatur.

Augebant conviviorum celebritatem musica, cantilenæ, unguenta. Meretrix illa Proverbiorum, VII, 17, lascivientem adolescentulum invitat ad lectum myrrhâ, aloë, cinnamomo delibutum; addit, se mactasse victimas salutares, ut pingui illum convivio recrearet. Mulier criminosa (t) pretioso unguento Jesu Christi pedes unxit, eosque deinde promissâ comâ abstersit. Idem præstitit cum Jesu Christo officium Maria soror Lazari (u). Amos, VI, 5, ebrios Ephraimitas eo nomine arguit, quod in conviviis suis musica instrumenta poscerent ad voluptatem, ne Davidi quidem canendi palmam concessuri. Adversarios suos inter potandum cantilenas in seipsum miscere, Psalmista (x) conqueritur.

Hora prandii.

Prandii hora consueta in meridie. Meridiano convivio Joseph fratres suos excepit (y). Nihil boni sperari jubet Salomon (z) de Regno, cui adolescens imperaverit, & cujus Principes exoriente mane comederint. Isaias, V, 11, *Væ*, ait, *qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam, & ad potandum*. Tandem S. Petrus (a) objectam ebrietatis calumniam diluit, quòd hora diei tertia, nempe ex nostris moribus nona matutina, nondum effluxisset. Idem Apostolus e solario domûs Simonis Coriarii horâ meridianâ ad prandium in cœnaculum inferius descendebat (b). Seniores sive Judices Babylonici, qui vitium inferre Susannæ tentarunt, subeunte meridie in ædes suas ad cibum capiendum se recipiebant (c). Cùm Angeli circa eamdem horam ad tentorium Abrahami divertissent, ille hospites ad prandium invitavit, asserens, illos ad se idcircò divertisse eo tempore, ut cibum apud se caperent (d). In Evangelio (e) disertè prandium & cœna distinguuntur; quo argumento intelligimus, bis cibum capere singulis diebus Veteres consuevisse. Meridiana mensa jentaculi potiùs loco, quam justi prandii erat, manente adhuc apud Turcas more (f), ut dapes carnium & orizæ pulmentum nonnisi post quintam horam vespertinam mensæ apponantur. Matutinum igitur convivium apud viros splendidissimos instruitur herbis, leguminibus, fructibus, bellariis: vulgares in eum usum parata habent olera, cucumeres, pepones.

Ex

(c) 2 Reg. XVII, 28.
(d) 2 Reg. XVI, 1.
(e) 1 Reg. XXV, 18.
(f) 1 Reg. X, 3.
(g) 3 Reg. XIV, 1, &c. Vide Græcum hujus loci.
(h) Cant. V, 1, 2.
(i) Prov. IX, 2, 5.
(k) Matth. XXII, 4.
(l) Vide quæ adnotavimus ad Esther, V, 6.
(m) Cant. VIII, 2. יין הרקח
(n) Levit. X, 9; Num. VI, 3; Deut. XIV, 26, &c.
(o) Osee, XIV, 8.
(p) Ezech. XXVII, 18.
(q) Gen. XLIX, 11; Isai. V, 2; Jerem. II, 21.
(r) Judic. XIII, 19, 20.
(s) 1 Reg. II, 15.
(t) Luc. VII, 37.
(u) Matth. XXVI, 7; Marc. XIV; Jo. XII.
(x) Psal. LXVIII, 13.
(y) Gen. XLIII, 25.
(z) Eccle. X, 6.
(a) Act. II, 15.
(b) Act. X, 9, 10.
(c) Dan. XIII, 7, 8.
(d) Gen. XVIII, 1, 2.
(e) Luc. XI, 37; XIV, 12. Vide Menoch. de Repub. Hebr. lib. 6, cap. 3.
(f) Tavernier, Relation de Serail, chap. 3.

Ex Rabbinorum doctrinâ [g], die Sabati & magnæ alicujus festivitatis, cibum capere ante meridiem nefas; cavendum insuper erat, ne corpus cibo ante curaretur, quam sacra in Templo absolverentur. Hunc morem spectasse credunt Apostolum Petrum Interpretes quidam, cùm ebrietatis accusatus dixit, nihil esse cur ejus criminis notam subiret, nondum subeunte horâ diei sextâ, neque ejus diei, quæ festa esset, officio Templi absoluto. Ad eumdem etiam morem collimasse volunt aliqui Pharisæorum querelas, Apostolos de vulsis die Sabbati spicis triticeis accusantium, quasi religionem diei festi, horam cibi prævertentes, violassent. Sed nullum apparet in Scripturâ vestigium, quod constitutam fuisse horam capiendi cibi diebus festis indicet.

(g) Vide *Hammond. ad Matth.* XII, 8.

Solebant, antequam mensæ accumberent, hospitum pedes lavari: nullus enim erat tibialium tunc temporis usus, sed nudis cruribus, pedibusque sandalio tantùm protectis incedebant. In solemnibus conviviis fœminæ seorsum a viris discumbebant; a nuptiis tamen & conviviis inter cognatos nunquam excludebantur. Mappularum usus in mensis Hebræorum, quemadmodum & Græcorum ac Romanorum, nullus. Spongias ad detergendas mensas legimus apud Homerum.

Locus honestissimus.

Locus inter plurimos convivas honestissimus in capite mensæ ad parietem, & in imo aulæ. Hunc Samuel assignavit Saüli, antequam in Regem Israëlis inungeret (*h*); eumdemque Ipse Saül regno potitus inter domesticos discumbens tenebat (*i*). Olim in mensâ sedere convivæ solebant, quod sub Salomone obtinuisse scimus (*k*). Apud Amos, VI, 4, 7, Tobiam, II, 4, & Ezechielem (*l*) sermo est de lectis convivalibus; sed rarus illorum usus, cùm apud Authores ejus ætatis, & recentiores servatam sedendi consuetudinem noverimus. Communissimus lectorum usus in Evangelio apparet. Jesu Christi in convivali lectulo recumbentis pedes Magdalena pretioso unguento perfudit (*m*). Accubuisse etiam Christum in cœnâ ante Passionem necesse est, cùm Joannes simul & infra accumbens, caput super ipsius pectus reclinarit (*n*). In lectis magnificè instratis accumbebant convivæ ab Assuero invitati; quemadmodum & lectuli aderant in convivio, eidem Assuero unà cum Amano ab Esthere præparato (*o*). Sed hæc Persarum exempla sunt, quamvis aptissima ut moris vetustatem apud Orientales demonstrent.

(h) *1 Reg.* IX, 22.
(i) *1 Reg.* XX, 25.
(k) *Prov.* XXIII, 1.
(l) *Ezech.* XXIII, 41. *Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te.*
(m) *Matth.* XXVI, 7.
(n) *Jo.* XIII, 25.
(o) *Esther*, I, 6; VII, 8.

De Rege convivii sermo est apud Ecclesiasticum, XXXII; constituto nempe ut convivii curam haberet, legesque præscriberet convivis. Sed hæc Græcorum moribus familiaria, ne unum quidem habent apud Judæos exemplum. Ita vero Scriptor, ad Ægyptiorum mores spectans: *Rectorem* (Græcus, *Rectorem convivii*) *te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis. Curam illorum habe, & sic conside, & omni curâ tuâ explicitâ recumbe, ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, & dignitatem consequaris corrogationis. Loquere major natu, decet enim te. Primum verbum diligenti scientiâ, & non impedias musicam. Ubi auditus non est, non effundas sermonem, & importunè noli extolli in sapientiâ tuâ. Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in convivio vini. Adolescens loquere in tuâ causâ vix: Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens. In medio magnatorum non præsumas; & ubi sunt senes, non multùm loquaris. Horâ surgendi non te trices; præcurre autem prior in domum tuam, & illic avocare, & illic lude. Et super his omnibus, benedicito Dominum, qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis.* Has convivis leges præscribit Sapiens, ubi convivia communi symbolâ instruuntur, more Græcorum.

Hæc sunt, quæ animadversione digna in Scripturâ & veteri Hebræorum historiâ videbantur: nunc delibanda sunt quædam ex Authoribus de recentium Hebræorum consuetudine. Culinæ utensilia omnia ne cujus unqnam usibus, nisi fortè Judæi, servierint, sedulò cavent; sunt etiam multò in vasis fictilibus religiosiores, quæ si calidum aliquid continuerint, statim telluri allisa confringunt, ne quid vetitum a Lege in iis fuerit. Si verò e metallo confecta nacti fuerint, sive lapidea, cùm non facilè noxiâ imbuantur qualitate, quemadmodum solent fictilia, hæc igne seu ferventi aquâ purgata permittuntur. Statim verò ac aliquod culinæ utensile emerunt, sive vitreum illud, sive fictile, sive ex metallo, mari sive flumine, vel multâ aquâ mergunt, quasi summam in illis munditiam affectantes. Sua habent vasa pro lacte cæterisque e lacte confectis, sua pro carnibus; vetitum enim sibi esse credunt, unà simul carne ac lacte vesci. Stata sunt etiam utensilia pro solemnitate Paschali, quæ ne contigisse quidem fermentatum panem debent (*p*). Religiosiora sunt hæc, imò magis superstitiosa, quàm ut a priscis Hebræis observata credamus.

(p) Leon Modena, par. 2, cap. 3.

Hora convivii. Manuum lotio.

Undecima matutina hora pro capiendo cibo in Talmude constituitur (*q*): si quis distulerit, de salute periclitaturus creditur; est enim, inquiunt, famis ostium patens, & corpus cibum flagitat. Si denegetur, corpus in se conversum se ipso nutritur, quemadmodum ursi per hyemem solent. En præclaram Judæorum Philosophiam. Antequam ad mensam sedeant, potissima illis cura est, ut manus lavent. Plura in eam

(q) *Tract. de Sabbatho. Vide Buxtorf. Synagog. Jud. cap.* 6.

tem levia prorsus & puerilia, præscribunt Rabbini, apertissima ingenii illorum documenta. Si quis manus lavare neglexerit, ille nihilo minoris criminis reus est, quàm qui cum meretrice peccat, ait Rabbi Jore [r]. Panem tangere lotis quidem, at non probè abstersis manibus, perinde est, ait Rabbinus alter, ac si impurum aliquid comederetur [s]. Qui lotis ritè manibus discumbit, nihil illi in mensâ timendum est, nihilque discriminis e cibo imminet. Cavendum tamen, ne cùm manus lavantur, annulus digito insertus habeatur; facilè enim sub illo impurum aliquid celari potest. Narrant, Rabbi Jesuam in carcere detentum, cùm arctam adeò aquam haberet, ut vix ad arcendam mortem sufficeret, maluisse tamen vitâ periclitari, quàm officio lavandi manus deesse. Illud dignum tanto Rabbino effatum est: Qui non lotis manibus vescitur, dignus est morte [t]. Eadem superstitiosa Judæorum lotio frequenter in Evangelio recurrit [u]. Ubi etiam illud observatum legimus, ut manuum extremitate prius abluta, aqua deinde ad cubitum deduceretur, majoris securitatis gratiâ. Priùs lavant famuli, deinde filii, tum mater, ac tandem pater. Absolutâ cœnâ, iterum lotio manuum & oris.

(r) *In Talmud, Tract. Sotah, cap. 1.*
(s) *Tract. Abbahu, ibid.*
(t) De Rabb. *Akiba in Talmud, Tract. Egubim, cap. 2. Vide Interpp. in Marc. VII, 3, 4.*

Ritus accedendi ad mensam.

Statim manibus ablutis mensæ assident; nequod enim spatium temporis inter hæc duo intercedat, sedulò cavent. In mensâ panis integer adjecto sale apponitur, qui panis a Patrefamiliâs, sive a Rabbino, si adsit, acceptus, medius finditur, ita tamen, ut partes non separentur. Tum posito iterum in mensâ eidem pani manus imponens, benedictionem pronunciat, his verbis: *Benedictus sis, Domine Deus noster, Rex mundi, qui producis panem e terrâ*. Hanc orationem claudentes convivæ, respondent, *Amen*; statimque Rabbinus frusto panis accepto, illud sale, sive jure carnium mergit, ac raptus comedit. Deinde panis in frusta divisus, inter Convivas distribuitur. Porrò tunc solummodò hi ritus servantur, cùm duo saltem vel tres convivæ sunt. Si unus fuerit, privatim benedictionem pronunciat. His ritè peractis, Rabbinus utrâque manu vas sive calicem vini capiens, ac dexterâ manu extollens, benedicit: *Benedictus sis, Domine Deus noster, Rex mundi, qui vineæ fructum creasti*. Eadem servatur benedictionis formula, cùm cervisia sive sicera apponitur; cùm verò sine cibo & extra convivium bibunt, singuli privatim precantur. Super aquam nulla benedictio. Denique recitatur totus Psalmus XXII: *Dominus regit me, nihil mibi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit*. Leviter inter se discrepant Leo Modena [x], & Buxtorfius [y]; ille enim a sedentibus recitari Psalmum testatur, & Patremfamilias e pane, cui benedixit, tantum singulis convivis distribuere, quanta est olivæ magnitudo, ex quo, inquit, capiendi cibi exordium ducitur. Testatur etiam, iteratis potionibus iterari benedictionem superiùs descriptam. Buxtorfius verò asserit, recitari a Judæis benedictionem aptam rebus, quibus utuntur; quam, ait, repetunt, cùm novæ dapes, sive novum vinum antea non gustatum apponuntur.

(u) *Matth. XV, 1, 2, 3; Marc. VII, 2, 3, 4.*
(x) Del Riti Giudaici, par. 2, cap. 10.
(y) *Synag. cap. 7.*

In conviviis modestia.

Plura a Rabbinis præscribuntur [z], ut modestiæ ac temperantiæ leges in convivio serventur. Jubent mensam veluti Altare Domini suspici; sal enim ceu sacrificiorum symbolum habendum est. Monent, ut veluti Deo præsentes convivæ cibos capiant, juxta illud [a]: *Et comedes in conspectu Domini Dei tui*. Paterfamilias longiorem moram in mensâ trahit, si quis mendicus cibo juvandus apparuerit. Ne cibi ad satietatem usque capiantur, curandum est; scriptum est enim [b]: *Non deerunt pauperes in terrâ habitationis tuæ*, idest, non deerunt qui ad satietatem usque non comedant. Summâ religione observari panem jubent Talmudistæ [c]. Quamobrem, inquiunt, neque super panem aliquid ponendum est, neque panis alicui rei subjiciendus, ut illa sublimior sit, neque projiciendus in aliquem, veluti canem, ut abigatur; his enim omnibus summa panis religio violatur. Pronunciant autem futurum, ut qui panem contempserit, ille aliquando in egestatem cadat. Quin & Angelum credunt huic muneri destinatum, ut in eos, qui panem projiciunt, sive in terram incauti cadere patiuntur, severè animadvertat (d). Cavet ille, ne quid in hasce regulas peccetur, miserrimâ corripiens egestate violatores. Docent, Eliam Prophetam conviviis omnibus adesse, & singulorum Angelos tunc temporis dicta omnia & facta convivarum adnotare. Si quid minùs honestum pravumque loquantur, statim accurrentes Angeli, mali dissidia inter illos & lites movent. Tantum erga Angelos obsequium convivas tenet, ut vel retrò, vel ad latera reliquias cibi nunquam projiciant.

(z) *Vide Buxtorf. loc. cit.*
(a) *Deut. XIV, 23; Ezech. XLI, 22.*
(b) *Deut. XV, 11.*
(c) *Tract. Beracoth.*
(d) *Talmud, Tract. Cholim, cap. 8.*

Quid absoluto convivio servetur.

In fine convivii frustulum aliquod panis superesse curant, ut illud planè impleant (e): *Ex quo cœperunt offerri primitiæ in Domo Domini, comedimus & saturati sumus, & remanserunt plurima*. Alius est sanè hujus loci sensus; sed omnium superstitionum suarum authoritas a Scripturis a Judæis repetenda est. Quamquam alii hujus frustuli, in mensâ relicti, rationem ducunt ex benedictione post prandium recitandâ, quæ frustra caderet, nisi aliquid remaneret in mensâ. Cultros claudunt, quòd scilicet mensa Altaris Domini similitudinem referat; porrò ne ferrum in Altari ponatur, cautum est. Recitant nonnulli Psalmum LXVI, *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis*.

(e) 2 Par. XXXI, 10.

Tum

Tum Paterfamilias vitreum callcem, aquâ priùs ablutum, affuso deinde mero plenum, in altum extollens, ait: *Amici, benedicamus illi, de cujus bonis nos comedimus*. Cæteri statim: *Benedictus, qui bonis suis nos complevit, & bonitate suâ pavit*. Prosequitur ille post hæc prolixam orationem, datoque singulis vini ejus calicis haustu, ipse reliquum bibit, totaque benedictio absolvitur (*f*).

(f) *Vide* Leon Modena, de' Riti Giudaici.

Paulò aliter Buxtorfius. Surgentes e mensâ, inquit, ante gratiarum actionem & benedictionem manus lavant: absolutâ lotione, Paterfamilias orationem recitat, Deo gratias agens, qui clementiâ suâ homines & creaturas simul omnes satiat; qui Patres suos ex Ægypto eductos in Chanaanitidem immisit, fœdus cum populo sancivit, fœderatisque Legem tulit, adjectâ promissione, in æternum ipso protegente incolumes futuros. Rogat deinde, ut Jerosolymæ ac Templi misericordiâ moveatur, ut prostratum Davidis solium ipsis superstitibus restituat; ut Eliam mittat ac Messiam, eductosque e diuturnâ captivitate soletur; ut ab egestate arceat, ne stipem poscere, seu mutuò aliquid a Christianis accipere, (quos sub nomine carnalis populi, & gentium maledicto devotarum designant) cogantur. His precibus alias addunt, postulantes, ut a Domino alantur, jugoque Christianorum subtrahantur; ut avitæ religionis sedem repetere liceat; ut largo benedictionum imbre mensam, ex qua cibum sumpserunt, cumulet; ut tandem divitiis bonisque populum suum compleat. Claudunt cæteri orationem solemni illo *Amen*, simulque adnectunt verba Psalmi XXXIII, 10, 11: *Timete Dominum omnes sancti ejus, quoniam non est inopia timentibus eum. Eguerunt* (Hebr. leunculi) *& esurierunt; inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono*.

Mensam carnibus simul & piscibus instruere, vetitum.

Olim Rabbini constituerant, ne in eâdem mensâ caro simul & pisces haberentur; id enim valetudini contrarium dictitabant, & inducendæ lepræ periculosum; sed hodie lex contrariâ consuetudine abrogata est. Primò, ut Legi quodammodo saltem obtemperare viderentur, quoties volebant carnibus simul & piscibus vesci, os priùs manusque lavabant; deinde atidi panis frustulo accepto, & calice vini epoto, tutus erat a carnibus ad pisces transitus; postremò omni posthabitâ religione hanc legem penitus neglexerunt.

Lac, butyrum, caseus.

Religiosius alteram legem observant, ne lacte, butyro, sive caseo unà cum carne vescantur. Nihil sanè eâ de re satis expressum in Lege, hæc tantummodo ferente (*g*): *Non coques hædum in lacte matris suæ*; idest, non occides paschalem victimam, nec coques cùm adhuc ab ubere matris pendet; vel saltem, non coques in lacte matris fuæ. Verùm Judæi literam absolutè sectati, omnem lactis cum carne usum vetitum sibi esse censuerunt: quamobrem nullum est apud illos carnis condimentum ex lacte, nunquam eâdem horâ carnem caseumque comedunt, jubentes non modicum temporis intervallum inter utrumque relinqui (*h*). Altera pro carnibus, altera pro lacte sive butyro est olla; alia etiam utrisque utensilia, ut neque communi cultro sive ruri, sive domi utantur. Si quando contingat, ut in vase aliquo in lactis usum destinato caro ponatur, non modò ab eâ abstinendum est, sed nullis deinde usibus vas illud permittitur, quin & si fictile sit, frangitur.

(g) *Exod.* XXIII, 19; XXXIV, 26.

(h) *Vide* Leon Modena, c. 6.

Caseum, cujus ipsi coagulum oculati testes non exploraverint, vetitum sibi ducunt, verentes ne cujus vetiti animalis lac habeat admistum, vel saltem pellis aliquid in coagulo lateat; quæ ab imprudentibus unà cum caseo gustata reos violatæ Legis faciat. Accedit alia timendi ratio, ne scilicet lebes idem, qui vetitis carnibus coquendis servierit, caseo conficiendo adhibeatur. Quem itaque caseum suis ipsi oculis exploraverint, hunc signo aliquo apposito distinguunt. Cavent, ne communi igne juxta posita lac & carnes coquantur; ne in communi mensâ utraque apponantur; vel si apposita fuerint, curant saltem distinctæ subsint utrique mappæ, neque propè posita invicem sint (*i*). Qui carnes gustaverit, illi unius vel etiam sex horarum spatio [quæ est minimè superstitiosorum religio] a lacte abstinendum; quamquam & in eodem convivio utrumque permittitur, modò fricatis dentibus & ore, præmansoque aridi panis frusto, odorem omnem & saporem carnium absterserint.

(i) *Buxtor. Synag. Jud. c.* 16.

Sanguinis usus interdictus.

Quæ in Lege conceptis verbis exprimitur sanctio, ut a sanguine abstineant Judæi, religiosè ab illis servatur; nullum enim terrestre animal in cibum adhibent, quin priùs jugulatum omni sanguinis admistione purgetur. De piscibus nihil curant, rati nihil de sanguine piscium in lege caveri, atque alterius esse a sanguine terrestrium naturæ. Jugulati autem animal nonnisi peritissimis licet, cùm plura servanda sint minutissima, puta aptum tantæ rei tempus, locus selectus, bene acutus culter, ut citò sanguis & non interruptus fluat. Excipiendus est autem sanguis sive cineribus, sive humi, exceptusque statim operiendus. Neque ritè jugulare, aut e venâ animalis sanguinem haurire, vulgaris peritiæ & eruditionis res est. Amplis voluminibus gravissima hæc scientia continetur, ubi minutissima quæque Doctores prosequuti sunt; iisque a studioso Judæo evolutis, cùm arcana ejus scientiæ pervaserit, accedente exercitationis peritiâ, is literas a Rabbino accipit, quibus publicum documentum de

de viri solertiâ redditur, idoneusque judicatur ab omnibus, ut jugulare animal & ritè exanimare, tum ab eo jugulatum tutò a Judæis in cibum adhiberi queat. Jubentur autem ii, quibus hæ literæ conceduntur, scriptas de cæremoniis ritibusque Lanionum leges evolvere semel singulis hebdomadis prioris anni; secundi verò singulis mensibus; ac tandem reliquo vitæ spatio quater in anno. Libri hujus titulus inscribitur: *Hilchoth schechiloth ub bedicoth*; idest, leges servandæ in jugulandis animalibus & inspiciendis, siquo vitio laborent, quo macula inducatur.

(k) *Gen.* xxxii.

Laniones, & animalia examinantes.

Lanionibus hisce varii pro varietate animalium sunt cultri, ampliores pro bobus, minores pro minoribus victimis. Acutissimos esse oportet, acie minimè læsâ; secùs haberentur impuri, neque carnes in cibum permitterentur. Primò pedes jugulandæ pecudis ligant; deinde humi stratæ uno ictu jugulum amputant, nempe œsophagum, asperam arteriam, & vasa illis juncta: suspensam post hæc in aere victimam sedulò inspiciunt, utrùm ulcus aliquod habeat, sive aliquam vesiculam sanguinis retineat. Si enim simile quid deprehendatur, tunc interdictæ Judæis carnes, cæteris venduntur. Idem in avibus servatur. Cautum est, ne eâdem simul die mactetur vacca ejusque vitulus; nec ovis vel capra & illarum hædi. Si quadrupes vel avis puta sponte moriatur, sive alio quopiam mortis genere, præterquàm Judæis præscripto, nefas est Judæis ex illis gustare. Si quo ulcere in pulmonibus, vel alibi, sive etiam interno aliquo vulnere vitientur, esto interdicta. Idem servandum est, siquod os fractum fuerit in membris, quæ Rabbini indicant, vel si animal in mortis discrimen venerit.

(l) *Buxtorf. Synag. cap. 27, ad finem: Judæi omnes quotquot a fide Judaicâ ad Christianam se converterunt, scribunt unanimiter, eos carnes istas priùs maculare, & ut liberi ipsorum super eas mingant curare, maledictionemque super eis dicentes, ut emptor Christianus carnes illas edens mortem edat, optare.*

Ut Legem sanguine interdicentem accuratiùs servent, præter ea quæ supra narravimus, cavent etiam, ut vellantur ampliores venæ, nervi, & adeps. Mergunt deinde victimam aquâ, & semel lotam iterum lymphâ puriore lavant. Tum siccanda exponitur in laminâ, post laminam in vase perforato, ut cruor omnis effluat. Demum unius sive duarum horarum spatio evoluto, in cibum permittitur.

Ab adipe & posteriori femoris parte abstinent.

A posteriore femoris, qua coxendicibus jungitur, parte abstinent, memores Jacobi, qui post luctam cum Angelo, contractum ejusdem Angeli tactu femur habuit [k]. Sed in Italiâ eam inierunt rationem, ut detracto femoris nervo, tutò deinde cæteris utantur. Hæc tamen peculiarem exigunt artem, non omnibus Judæis cognitam. Solent interdictam hanc partem femoris Christianis vendere, quam priùs maledictis onerare feruntur, quin & urinâ conspurcare, odio nominis Christiani (l). Adipem bovis, agni, capræ vetitum sibi [m] censent: *Omnis adeps Domini erit in cunctis habitaculis vestris, nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.* Hæc tamen nonnisi de victimis sacrificii præscripta facile judicamus. In sacrificiis enim sanguis & adeps victimarum uni Domino servabantur.

(m) *Levit.* iii, *ult.*

Ova.

Eo usque sanguinis horrorem provexerunt, ut vel ab ovo, in quo fortè tenuis aliqua sanguinis macula apparuerit, abstineant. Quare antequam ovum coquant, excludunt, & contentum liquorem in lance expandentes, vel ex uno in aliud ovi putamen transferentes, sedulò inspiciunt, utrùm aliquid sanguinis lateat; id quod per æstatem præsertim solet contingere. Si gallinam mactaverint, ovis fœtam, ova statim aqua, deinde sale mergunt, ut omni cruore purgentur.

Animalia pura & impura.

Cautum est Hebræis, ne in cibum adhibeant quadrupedem, non bifido ungue gradientem, neque ruminantem. Abstinent a sue, lepore, cuniculo, cæterisque in Levitico, xi, recitatis, quamquam nostrâ ætate ignotis. Carnivoras aves, pisces squamis alisque carentes, ac denique quodlibet reptilium genus rejiciunt. Fit inde, ut dapes omnes non coctas a Judæis recusent, caveantque culinæ utensilibus uti, quæ aliorum præterquam Judæorum usibus servierint, veriti ne quid illa ex vetitis cibis maculæ, seu vetiti succi contineant; quin & ab alienis etiam cultris se continent. Cùm ruri morantur, ipsi sibi dapes parant, emptis in eam rem vasis fictilibus novis, nullique usui antea addictis. Emunt animalia, pisces, & aves adhuc viventes; mactatis enim paratisque ab aliis uti renuunt.

Panis.

Solebant olim Hebræi ex farinæ aquâ subactæ massâ primitias Sacerdotibus & Levitis Domini offerre, ex præcepto Legis (n). Quantum autem offerendum esset, minimè traditur. At Doctores inter quadragesimam & sexagesimam partem deferendum esse, definierant. Hodie, ut aliqua legis memoria maneat, ex farinæ aquâ subactæ massâ modicam portionem crudam in ignem injiciunt. Sed hujus cæremoniæ nulla est obligatio, nisi farinæ aquâ subactæ massâ XL ovorum molem æquet. Præceptum istud ex iis tribus unum est, quæ ad fœminas spectant; conficiendi enim panis munus fœminarum plerumque est (o). Quamquam autem aliorum ministerium in re cibariâ respuere soleant, in itinere tamen confecto a Christianis pane vescuntur.

(n) *Num.* xv, 20.

(o) Leon Modena, par. 2, cap. 9.

Azyma.

Totâ Paschæ octavâ, exordio facto a meridie pervigilii, ab omni fermentati panis usu abstinent. Hujus præcepti a Moyse lati (p) religionem accuratiùs servaturi, domum universam sedulà, imò superstitiosâ perquisitione evertunt, ut ne mica quidem panis fermentati supersit. Exordium perquirendi ante duos vel tres dies capiunt, singu-

(p) *Exod.* xii, 15, 16.

singula scrutantes, moventes e loco armaria, arcas, sellas. His peractis, ahenum aquâ plenum in igne suspendunt, ut ferventi aquâ vasa omnia mundentur: ea deinde mergunt frigida (q). Lavant etiam merâ aquâ utensilia omnia, quæ ahenum non capit, uti mensas, sellas, &c. Quò autem mundiora sint omnia, forcipe apprehensam ferri ligulam, sive lapillum igne candentem super utensilia, dum aquâ abluuntur, suspendunt, quasi igne & aquâ omnia purgantes. Lavant ahena fervente intus aquâ, atque injectis candentibus carbonibus, &c. Ea est Hebræorum de fermento superstitio.

(q) *Vide Buxtorf. Synag. c.* 12.

Potus, vinum.

Ex Rabbinorum doctrinâ interdicuntur Hebræi vino, aliorum quàm Judæorum manibus expresso. Apud Orientales ea lex adhuc obtinet; apud Italos contrariâ consuetudine abolita est (r), cùm illud prætexant, Rabbinos, cùm eam legem constituerent, in mediis versatos esse Numinum cultoribus, quibuscum nulla consuetudo permittebatur. At nostrâ ætate populi, quibuscum vivunt Judæi, a Numinum cultu alieni sunt, ut ipsi Rabbini sancivere. Cæterùm vinum plurimi faciunt, cum scriptum sit [s]: *Vinum lætificat cor hominis*; & [t]: *Lætificat Deum & homines*. Quosdam de vino ritus observant. E. g. ineunte & exeunte festâ die, in conviviis nuptiarum & circumcisionis, conceptæ quædam benedictiones super vini calicem pronunciantur; tum calix hauritur. Quoties vinum bibunt, benedictionem recitant, antequam ori admoveant, iterantque postquam hausere.

(r) Leon Modena, par. 2, cap. 8.

(s) *Psal.* CIII, 15.

(t) *Judic.* IX, 13.

DISSERTATIO

De Systemate Mundi ex Veterum Hebræorum sententiâ.

RES profectò admiratione digna est, cur in Mundo positos, Mundi fermè omnia lateant. Postquam tot annos & sæcula disputationibus de Mundo trivimus, *Mundum tradidit disputationi eorum* (a), ægrè dispositionem & structuram terræ, quàm colimus, habemus exploratam, imò nonnisi terræ superficiem, minimam proinde Mundi partem. De reliquis in systemata abimus, merasque hypotheses, ac prorsus caremus spe fore ut temporis beneficio certiora tandem aliqua assequamur. Omnia quæ Veteres hac de re excogitavere, atque omnia illorum inventa, sæculis succedentibus eversa sunt rejectaque, postquam novas alii hypotheses invexere. Idem etiam timendum nobis est, ne novis invectis thesibus, nostræ aboleantur. Semper plena tenebrarum res erit, atque arduis difficultatum salebris invia. Videtur planè Deus elegantiâ & magnificentiâ operis sui adeò esse delectatus, ut sibi uni totius artificii, arcanarumque legum, quibus omnia moventur atque vertuntur, cognitionem servaverit. Aliqua solummodò vestigia tenuesque radios nobis permittit, quibus ad cognoscendam Artificis sapientiam ducimur; at sciendi desiderium, nostraque explorandi cupiditas minimè expletur. Universi ejusque partium studium una est ex laboriosis illis occupationibus, quibus Deus homines exerceri voluit [b]: *Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in eâ*. Quantum homines in eâ re laboraverint, tantum sibi laborandum esse sentient: *Multa abscondita sunt majora his; pauca enim vidimus operum ejus* [c].

(a) *Eccle.* III, 11.

(b) *Eccle.* I, 13.

(c) *Eccli.* XLIII, 36.

Nemo unquam a SS. Scriptoribus flagitavit sive solertiam philosophicam, sive accuratam illam loquendi rationem, quam humanarum scientiarum præceptores eorumque discipuli sectantur. Spiritus S. cum quolibet hominum genere verba faciens, omnibus, quà doctis, quà indoctis sese accommodat. Popularem quidem loquendi rationem docti percipiunt: at vulgus philosophicis & sublimioribus phrasibus impar est. Quamobrem ne quid quemlibet fugiat, totusque demum Universus Oraculis Divinis doceatur, sapientissimi fuit Numinis, indoctorum intellectui morem gerere, exhibitâque rerum maximarum specie, Sapientum simul meditationes occupare. Nostri igitur muneris est, plenas clementiæ & indulgentiæ leges ore in terram prono venerari.

Quæ hactenus disseruimus, non satis perspicientes nonnulli Commentariorum Scriptores, ad explorandum obscurissimorum verborum sensum se contulerunt. Quare locum aliquem nacti, quo Author sacer popularibus principiis usus est, cùm eorum sententias, quibuscum is agit, spectare deberent, omnes animi nervos intenderunt, ut verum esse ostenderent id quod ejus loci verbis exhibebatur; ejusdemque loci verba ita torquerent, ut cum iis, quæ docent Religio ac Philosophia, congruerent. Ita e. g. dum Scriptura prædita esse intellectu bruta dicere videtur, instrui corpore Deum, animâ vivere ea quæ sensu carent, statim accurrunt Interpretes, monentes, hæc popularia esse, atque ad inscitiam vulgi potiùs quàm ad veritatem accommo-

commodata. Optimè illi quidem; sed oportebat ulteriùs, ut quid populus eâ de re sentiret, exponerent, vera ne an falsa; post hæc, si res ferret, illius opinionem refutare. Nil tamen apud illos tale; singuli Authorem Sacrum ad propriam sententiam torquent; singuli de suâ opinione illis imponunt; loquentem inducunt Moysem & Salomonem, veluti conversos in Ptolemæum, Galilæum, Copernicum, sive Cartesium. In primo capite Geneseos singuli suum creati Mundi systema legisse sibi videntur. Prodiit non ita pridem Liber inscriptus: *Cartesius Mosaisans*; quo Mosaicum Mundi systema cum Cartesiano componitur.

Neque impræsentiarum legem imponere aliis audemus, quasi cæterorum sapientissimos doctissimosque nos esse gloriemur. Fatemur, nos etiam in vulgarem sæpè raptos esse sententiam: quæ cæteri e Scholâ sentiunt, sensisse nos olim, & cum iis quæ in animo habebamus, Sacros Authores composuisse. Verùm collatis inter se variis Scripturæ locis, ubi de partibus Universi, intelleximus tandem, veterum Hebræorum sententiam de Mundi systemate aliam planè esse a nostris, & non rarò Scripturæ sensum a nobis torqueri, ut illam cum nostris sententiis componamus. Quod agnoscendo errori nobis profuit maximè, vagantemque animum fixit, Patrum & veterum Philosophorum lectionem fuisse fatemur; quorum hi easdem cum Israelitis de structurâ mundi opiniones, sive traditione sive aliter acceptas, secuti sunt; illi verò pro eo, quo tenebantur, erga Scripturas sacras obsequio, vetitum sibi esse rati, ut earum sensum ad suos detorquerent, literæ authoritatem in primis prætulerunt, primamque illam sententiam amplexi sunt, quæ legentibus sese ultro offert; ex qua junctum constansque systema, veterum Hebræorum opinioni simillimum, statuerunt. Quare nos in præsentiâ, post adductos Scripturæ locos, ejus hypothesim ex similitudine cum hypothesi veterum Philosophorum & Patrum explicabimus. Id erit nostræ hujus Dissertationis argumentum & ordo.

ARTICULUS I.

Mundi Creatio.

(d) *Genes.* 1, 2, 3, &c.

TOtam creati Mundi historiam apertissimis verbis explicat Moyses [d]: *In principio creavit Deus Cœlum & terram. Terra autem erat inanis & vacua* (intra chaos) *& tenebræ erant super faciem abyssi; & Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: Fiat lux; & facta est lux. Et divisit lucem a tenebris, appellavitque lucem diem, & tenebras noctem.* Hoc primæ diei opus. Alterâ die, Deo jubente, stetit firmamentum, mediumque constitutum est inter aquas inferiores & superiores; idque Cœli nomen obtinuit. Tertiâ die, aquæ in locum unum secesserunt, aridam humum relinquentes. Quartâ, micant astra, diu noctuque terram illustrantia: *Fecit Deus duo luminaria magna; luminare majus, ut præesset diei*, nempe solem; *luminare minus, ut præesset nocti*, nempe lunam & stellas. Quintæ diei opus sunt pisces, avesque. Sextæ, homo & animalia terrestria.

Mirum non est, simplicem adeò historiæ narrationem variis dissitisque singulorum Philosophorum sententiis servire potuisse; ut omnes simul Philosophi suam in Moyse hypothesim legisse sibi viderentur. Exhibet Historicus sapientissimus Deum veluti potentissimum opificem, intentum materiæ, quam prius paravit, disponendæ, atque in certos ordines dirigendæ; quod in opus plurium dierum spatio insumpto, tandem veluti jam completo requievit. Docet, creasse Deum noctem diemque, antequam solem & cætera fulgida corpora fingeret: quod non ita facilè assequimur. Solem & lunam ceu duas maximas faces exhibet, illud tacitè innuens, astra omnia, & stellas magnitudine longè a lunâ superari; quod apertissimè totius Astronomiæ observationibus repugnat. Denique terram ponit veluti amplissimo constantem corpore, cujus servitiis cæteras Deus creaturas destinavit; cùm exploratissimum sit, terram nonnisi minimam esse totius universi portionem. Nihil præterea apud illum de Angelis, cæterisque Spiritibus, quamquam e Sacris Libris bonorum malorumque Spirituum veritas discitur. Sed non est nobis in præsentiâ quæstio de veritate sententiæ Hebræorum, eam tantùm accuratè descripsisse contenti.

Creati mundi historia per omnes latè populos propagata, vivida semper apud omnes fermè mansit; ac plerorumque systemata apud Veteres servantur. Systema Ægyptiorum apud Diodorum Siculum est (e); Phœnicum, apud Sanchoniatonem (f); Chaldæorum, apud varia eâ de re fragmenta, paucis ante annis impressa (g). Idem cum Hebræis eâ de re sensisse Idumæos, ex Jobo (h) intelligimus. Græci, vetustis narrationibus iniquiores quàm barbari, quemadmodum Oraculo exprobrante accusati sunt (i); æquiùs tamen eam traditionem servarunt, uti ex systemate plurium ejus gentis Philosophorum constat (k). Ex his fontibus hauserunt Latini systema illud, quod Ovi-

(e) *Diod. Sic. lib.* 1.
(f) *Apud Eusеb. Præpar. Evang. lib.* 1, *c.* 10.
(g) *Stanley, hist. Philosoph. part.* XIII.
(h) *Job,* XXXVIII, 4, 5, &c.
(i) *Porphyr. ex oraculo Delphico, apud Theodoret. serm.* 1, *cont. Gent.*
(k) *Vide Aristoph. & Euseb. Præpar. l.* 1, *cap.* 7, & 14; & *Tull. lib.* 2, *Academ. QQ.*

Ovidius in Metamorphosibus egregiè prosecutus est. Conveniunt ferè omnes, aliquod fuisse mundo exordium. Dissident verò in ejus Authore constituendo; alii enim ejus rei meritum referunt in summum ac potentissimum Numen; alii in animam mundi; alii in motum; sunt qui in aërem; sunt qui in amorem, quo fovente movetur chaos, & fœcundatur, ut tandem terram, & animalia pariat. Epicuræorum sententia docet, materiam æternam esse, & fortuito casu in mundum coivisse. Nihil tandem certum eâ de re; vagantibusque Philosophorum opinionibus figendis nunquam a Religione suppetiæ petitæ sunt.

Non eadem planè fuit apud Hebræos errandi licentia; id quod præstantiæ eorum systematis inter cætera, documentum est præclarissimum. Eadem apud illos & constans fuit de gravissimâ hac controversiâ, nempe de mundi creatione, sententia: ratum semper habuerunt, visibilia & invisibilia omnia in unum Deum authorem esse referenda; quod etiam potissimum Religionis suæ dogma habuerunt. Uno Dei omnipotentis verbo chaos & cætera deinde omnia e nihilo emersisse defendunt (*l*), totamque mundi molem unico *fiat* pronunciato constare, & nihilo majori negotio omnia eâdem Dei sapientiâ & potentiâ conservari, ne in nihilum redeant; ac tandem ejus voluntati & providentiæ omnia obtemperare. Hæc sententia Hebræorum cujuslibet ætatis ac loci fuit.

ARTICULUS II.

De terrâ, ejus formâ, & quiete.

Terram semper exhibet Scriptura velut immani constantem corpore molem, quam undique mare alluit, & pelago innatantem; non rarò etiam in medio vacui spatii & nihili suspensam inducit; utramque enim sententiam apud Hebræos obtinentem animadverto. Apud Jobum [*m*], & Isaiam (*n*) non obscuris verbis innui videtur, terram in medio aëris ignotâ quadam & potenti dexterâ teuente regi; quamvis Scriptores cæteri super aquas extensam sive constitutam asserant. Job (*m*): *Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum.* Isaias (*n*): *Qui mensus est pugillo aquas, & Cœlos palmo ponderavit; qui appendit tribus digitis molem terræ.* His omnibus phrasibus illud doceri credimus, quod maximè placuisse Veteribus infra demonstrabitur, terram nempe in medio suspensam libero in aëre fluctuare. Verùm quæ de fluctuatione terræ aquis innatantis afferuntur, & numero vincunt & perspicuitate. Psalmus XXXIII, 2: *Ipse super maria fundavit eum*, [Orbem terrarum] *& super flumina præparavit eum:* & Psalmus CXXXV, 6: *Firmavit terram super aquas.* Job, cujus de constitutâ in aëre terrâ testimonium supra recitavimus, capite XXXVIII, 4, 5, ait: *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, si habes intelligentias. Quis posuit mensuras ejus, vel quis tetendit super eam lineam? Super quo bases illius solidatæ sunt, aut quis demisit lapidem angularem?* Et Isaias, XL, 22: *Numquid intellexistis fundamenta terræ? Quis sedet super gyrum terræ, & habitatores ejus sunt quasi locustæ?* His sanè geminis locis terra exhibetur veluti ædificium stabile & inconcussum; utrobique verò nihil de aquis legimus. Salomon (*o*): *Quando appendebat fundamenta terræ*, (sive quando *fodebat*) *cum eo eram*. Jeremias, XXXI, 27: *Si potuerint investigari fundamenta terræ deorsum, si Cœli sursum; & ego abjiciam universum semen Israel.* Vehementem terræ motum, qui montes finderet, exprimere volentes sacri Scriptores, concussa dicunt fundamenta terræ, & hiscente solo fontium scaturigines patuisse (*p*). Apertissimè pro sententiâ terram super aquam constituente Jonas (*q*); ita enim ille de se, cùm in ventre piscis clausus detineretur: *Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me.* Queritur Propheta veluti captivum se detineri in imo carcere sub terrâ, ad ima depressum, ubi terræ & montium fundamenta & universam molem hanc Orbis super se positam videbat, præclusâ sibi libertatis spe. Censent Persæ, terram ceu cucumerem aquis innatare (*r*).

In ipso hujus abyssi orbisque centro, ex Hebræorum sententiâ, Infernus constituebatur, locus ubi damnati Gigantes gemunt: Job, XXV, 5: *Gigantes gemunt sub aquis; gemunt tyranni & superbi populorum dominatores, qui desolatam terram & oppressas nationes conculcaverunt.* Huc spectant Prophetæ (*s*), dum exhibent Reges Tyri, Babylonis & Ægypti in tenebris densissimis & carceribus squallentes. Eò damnantur impii & perditissimi quique, ubi se, nullâ exeundi spe, clausos in perpetuum lugebunt (*t*). Hunc tandem Profani appellant *nigrum Tartarum*, *regnum Plutonis* vel *Ades*. Congruit Poëtarum Græcorum & Latinorum Theologia cum iis, quæ ex Scripturâ alibi attulimus. Ex Patribus alii infernum sub terram deprimunt [*u*]; alii ad imum abyssi, alii extra terram [*x*], in iis, quas appellant tenebras exteriores; quæ ex illorum sententiâ, qui solem circa terram minimè torqueri credebant, eadem res erant ac antipo-

(*l*) *Psal.* XXXII, 6: *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

(*m*) *Job*, XXVI, 7. נטה צפון על תהו תלה ארץ על בלימה·

(*n*) *Isai.* XL, 12. וכל בשליש עפר הארץ Hunc locum ita reddunt nonnulli: *Metitur pulverem terræ in trientali.*

(*o*) *Proverb.* VIII, 29. בחקו מוסדי ארץ Apud Chaldæos חקק est fodere.

(*p*) *Psal.* XVII, 8; *Isai.* XXIV, 18, *Psal.* LXXXI, 2.

(*q*) *Jonas*, II, 7, לקצבי הרים ירדתי הארץ ברחיה בעדי לעילם

(*r*) Chardin, Science des Perses, tom. 2, chap. XI, pag. 153.

(*s*) *Isa.* XIV, 9; *Ezech.* XXVIII, 10; XXXI, 18; XXXII, 19.

(*t*) *Prover.* II, 18; IX, 18; XXI, 16; *Psalm.* LXXXVII, 11; LXX, 20; *Isai.* XXVI, 14.

(*u*) *Vide Aug. Retract. lib.* 2, *cap.* 24.

(*x*) *S. Chrysost. hom.* 31, *in Ep. ad Rom. Origenes, Tract.* 33 *in Matth.*

tipodes extra terram rejecti, in locum perpetuâ nocte cæcum amandati.

Ira constituta terra immobilis manet & inconcussa. *Generatio præterit, & generatio advenit, terra autem in æternum stat* (y). *Qui fundasti terram super stabilitatem suam, non inclinabitur in sæculum sæculi* [z]. *Fundasti terram & permanet* (a). Si verò constantem hanc stabilitatis suæ legem terra aliquando præteriisse videtur, ut in terræ motibus usu venit, Domino illam quatienti tribuendum est. Irato enim oculo Deus terram aspiciens, horrore illam ingenti concutit. Psalmus cxrrr, 7: *A facie Domini mota est terra, a facie Dei Jacob*. Psalmus crrr, 32: *Qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes & fumigant*. Et alibi (b). *Commoveatur a facie ejus omnis terra, ipse enim fundavit orbem immobilem*. Jeremias, x, 12: *Qui facit terram in fortitudine suâ*: & LI, 15: *Prudentiâ suâ extendit Cælos*. Et [c]: *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem*.

His apud se constituris, cavebant Hebræi ab accipiendâ sententiâ, quæ Antipodas, sphæricam terræ figuram, conversosque circa illam Solem & Lunam inducit. Erat igitur, ex iis, plana telluris superficies, prominentibus identidem monribus aspera. Quare in Hebræo cùm de terrâ sermo est, nunquam occurrit vox, quæ *orbem*, *globum*, quæ voces sunt Latinorum, referat. Nam Hebræa vox תבל *Thebel*, quæ reddi solet *orbis*, sonat potiùs mistionem quamdam, seu terrestrium Creaturarum cœrum; & in Hebræo legimus interdum, Terram ita super aquas extendi, uti metallum super incudem malleo percussum ducitur. Isaias [d]: *Firmans terram, & quæ germinant ex eâ*. Psalmista (e): *Qui firmavit terram* [Hebr. *qui extendit*] *supra aquas*. Porrò utrobique eadem vox Hebræa redditur in Vulgatâ *firmamentum*, quasi scilicet terræ facies id aquis inferioribus sit, quod firmamentum superioribus. Ut enim superiores aquas firmamentum velut agger coërcet; ita terræ moles aquis imposita prohiber, ne sese iterum effundentes, universum pristino chao demergant. Quæ hactenus adduximus, testimoniis infra recitandis probantur. Vide Job, xxxvrrr, 4.

De figurâ terræ nihil satis luculentum licet observare; interdum enim quadratam constiruisse videntur: *Congregabunt electos a quatuor ventis* [a quatnor angulis] (f). Salomon regnaturus super universum orbem ita describitur (g): *Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos orbis terrarum*. Constituunt enim mare Mediterraneum ad Occidentem, Caspium sive Pontum Euxinum ad Orientem: en duo maria. Euphratem ad septemtrionem statuunt; ita enim Scripturæ phrasi illius situs describitur [h]: ac tandem orbis extrema collocant in finibus Arabiæ Felicis ad Oceanum; quæ sanè orbis figura ad quadratum accedit. Sed apertiora in eam rem suppetunt testimonia. Scitum est ex veterum Geographorum sententiâ [i], terram habirabilem in longum multò, quàm in latum, magis prorogari, plus nempe ab Oriente in Occidentem, quàm a Septemtrione in meridiem. Constituebant scilicet illi solummodò terræ sibi cognitæ dimensionem.

ARTICULUS III.

De Mari.

TErra, quam undique mare cingit, amplissimæ insulæ speciem præbens, aqnis undique permeantibus, ac pelago innatans, ne errabunda vagetur, validâ Numinis dextrâ continetur. Suos habebat mare terminos, hinc, terram quam nos incolimus, inde aliam terram, cui extremæ Cœli oræ incumbunt. Hæc pluribus Scripturæ locis indicari videntur. Salomon (k): *Quando certâ lege & gyro vallabat abyssos*. Job (l): *Terminum circumdedit aquis*. Et [m]: *Usque huc venies, & non procedes ampliùs; hic confringes tumentes fluctus tuos*. Gemini his sunt plures alii Scripturæ loci [n], in quibus, quantùm capio, duo termini mare claudentes apparent; interior alter, terra habirabilis; alter verò exterior, terra latens, & nobis inaccessa, Justorum post obitum sedes, plena deliciis. Hæc diximus ex sententiâ Esseniorum, a Josepho (o) recitatâ, quæ systema a nobis propositum mirè confirmat. Hoc idem sensisse Veteres, ex Cosma Monacho Ægyptio (p) intelligimus. Nomina circuli, circini, valli, quibus Scriprura terminos maris designat, argumento sunt, Hebræos sphæricam terræ figuram vel saltem sphæræ proximam putavisse. Ita persuasi, cùm vastum aliquod Principis imperium per hyperbolen exaggerare vellent, ajebant (q): *Dominabitur a mari usque ad mare*, universæ scilicet terræ, ab altero ad alterum Oceani limitem; Oceani enim extrema terminus habebantur, ultra quem progredi nemini mortalium liceret. *Si sumpsero pennas auroræ, & volavero ad extrema maris; certè illuc manus tua deducet me* (r). Ut pluvias & nubes e mari ascendere demonstrent, hac ut untur phrasi [s]: *Educens nubes ab extremo terræ*, idest a mari, quod ultimus est terræ habitabilis terminus. Moyses [t] terræ statum in ipso exordio describens, ait, terram

fuis-

(y) *Eccle.* 1, 4.
(z) *Psal.* CIII, 5.
(a) *Psal.* CXVIII, 90.
(b) 1, *Par.* XVI, 30; *Psal.* XCII, 1.
(c) *Reg.* II, 8. ליהוה מצקי ארץ וישת עליהם הבל
(d) *Isa.* XLII, 5. רקע וצאצאיה ארץ
(e) *Psal.* CXXXV, 6. לרקע הארץ על המים
(f) *Matth.* XXIV. 31; *Apoc.* VII, 1; XX, 7.
(g) *Psal.* LXXI, 8.
(h) *Jerem.* I, 13; III, 12, 18; XLVII, 2; L, 3, & *passim*.
(i) *Strab. lib.* 20, *pag.* 79; *Dionysius Perieget.* Cicer. *Somn. Scipionis*.
(k) *Prov.* VIII, 27. בחוקו חוג על פני תהום
(l) *Job*, XXVI, 10. חק חוג על פני מים
(m) *Job*, XXXVIII, 8.
(n) *Psal.* XXXII, 7; *Prov.* VIII, 27; *Jerem.* V, 22, &c.
(o) *De Bello*, *lib.* 2, *cap.* 7, *pag.* 788.
(p) *Lib.* 4, *pag.* 186, &c.
(q) *Psal.* LXXI, 8. Vide *Amos*, VIII, 12; *Mich.* VII, 12; *Zach.* IX, 10.
(r) *Psal.* CXXXVIII, 9.
(s) *Job*, V, 10; *Psal.* CXXXIV, 7.
(t) *Genes.* I, 9, 10.

fuisse abysso obvolutam Psalmista (u): *Abyssus sicut vestimentum amictus ejus*. Volens Deum arentis elemenri faciem deregere, ruere jussit aquas, quibus ejus superficies obducebatur, in abyssi voraginem (x). Illis jussa complenribus, emersit subirò terra, velnt insulæ, quas ex imo maris super ipsius superficiem extolli attoniti nautæ interdum spectavere.

(u) *Psal.* CIII, 6.
(x) *Genes.* I, 9, 10.

Accersunt e mari Judæi fontes omnes, fluvios, & aquarum venas, quæ in amnes & torrentes fluunt. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant* (y). Id autem Sapientiæ Divinæ deberi, Salomon (z) testatur. Jacob supremùm bene precans Josepho filio, sperare jubet *benedictionem e Cœlo sursum*, nempe imbres & rorem [α], *& abyssi jacentis deorsum*, nempe aquarum ubertatem, cæco meatu e mari, cui terra innatat, deductarum. Paria Moyses precarus est in Tribum Josephi paulò ante obitum (β). Et cùm diluvium describit [γ], ita rem narrar: *Cataractæ Cœli apertæ sunt, & rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ*, idest, aquarum nimbo e Cœlo ruenti accesserunt aquæ ex inferiori pelago prosilientes, quæ in torrenris modum ruptis aggeribus erumpenres, terram omnem merserunt. Cessanribus imbribus [δ], Deus abyssi ostia conclusit, ne constitutos sibi aggeres prætergrederentur, imperans.

(y) *Eccle.* I, 7.
(z) *Prov.* III, 20.
(α) *Gen.* XLIX, 25. תהים רבצת תחת
(β) *Deut.* XXXIII, 13.
(γ *Genes.* VII, 11.
(δ *Gen.* VIII, 2.

Igitur cùm res ita habeanr sese, non est cur vehementer miremur, si nusquam appareant hodie quatuor illa flumina Paradisi terrestris (ε), ex eodem loco & eodem fonte, ut olim ante diluvium, manantia. In tantâ enim eluvione, rerumque turbatione fontibus obstructis, urì Moyses docer, mistisque terræ stratis, novas sibi vias aquæ apetuerunt; ex quo factum est, ut novos alveos, veteribns obstructis, ac fontibus mutatis, flumina sibi eligerent. Cùmque, absoluto diluvio, Dominus novas illas scaturigines clandens, tantum aquarum dilabi permisisset, quantum rigandæ tellури sufficerer, veteres fontes aliò planè translari a pristinis ostiis magno spatio recesserunt. Utrùm vera sit Mosaica hypothesis, hoc loco minimè disputamus, illud demonstrasse contenti, quò magis veritas narratæ ab illo historiæ de primævo quatuor fluminum situ constet, eorum amnium sonres post diluvium in eâdem adhuc regione spectari, pro magnâ illâ rerum turbatione non satis dissitos. Quamvis res esset nostrâ ætare explorata, fontes aliunde quàm ex ipso mari [quæ fuir Hebræorum sententia] deduci, negari tamen non potest, nisi pervicaciùs Moysi fidem denegemus, fontes in illâ mundi eversione rurbatos ruptosque fuisse: nec aliter sanè contingere in tantâ aquarum inundatione poruir; cùm enim subterranei aquarum alvei tantam aquarum vim continere non possent, redundarunt undique, novisque apertis meatibus veteres etiam plures, ut ferè usu venit in alluvionibus, obstruxerunt. Ita planè conciliari potest historia Moysis cum fide rerum, quas post diluvinm nostrâ etiam ætate spectamus.

(ε) *Gen.* II, 10, 11.

Regiones, quæ nonnisi maritimo itinere adeuntur, *Insularum gentium* nomine a Judæis designantur. Terram ita sibi mente fingebant veluti amplissimum continentis corpus, flumina & lacus, generico vocabulo *maria* appellata, complectens. Præter ista maria, aliud agnoscebant magnum mare, variis insulis, e continenti divulsis, sparsim scatens. Quod aurem de illis vulgarum est, nimirum insularum nomine omnes regiones maritimas eorùm sermone significari, id omnino vetum non est, si res ipsa probè expendatur. Quas enim nos cæteræque orbis gentes Insulas dicimus, has & illi appellabant; quamquam ob geographiæ imperitiam ac maritimorum itinerum desuetudinem factum est, ut non rarò imprudenter insulæ nomen quibusdam maritimis e continente regionibus, sed maritimo itinere adeundis, tribuerent; rati illos a continente disterminari, quæ cum illo jungebantur. Ita e. g. posteros Javan frequentasse insulas nationum [ζ], nempe Asiam minorem, Insulas Archipelagi, Peloponnesum scribunt: & Jeremias, II, 10, nomine *Insulæ Cethim* Macedoniam designat; & Ezechieli, XXVII, 7, *Insula Elisa* est Elea in Peloponneso. Danda est errantibus venia, cùm paria apud Veteres occurrant peccata, imò & majora in rebus Geographicis, quæ sanè minori veniâ digna sunt, cùm in majori sæculorum luce erraverint, quàm quæ Anthoribus sacris fulserit, atque inter politiores populos, quàm Hebræi, versarentur. Si quid autem erroris est eâ de re in Libris Sacris, id sanè vulgo tribuendum est, non Scriptoribus, qui Lectoris ingenio orationem accommodare debuerunt.

(ζ) *Gen.* 10, 5.

ARTICULUS IV.

Cæli & Astra.

TRes, Hebræorum sententiâ, alterum super alterum, Cœli constituuntur. Primum & cæterorum humillimum, aër est, quem locum *aves cæli* volitantes peragrant (*a*), occupant nubes terram irrigantes; ibidemque vapores, & ros eorum opinione formantur. Alterum Cœlum sublimius *Firmamentum* appellant, quod insertas continet stellas, quodque ex latis a summo rerum Arbitro legibus, Sol & luna perambulant. Locum suprà firmamentum occupant ea quæ superiores, de quibus infra. Tertium denique Cœlum, omnium sublimissimum, sedes est Summi Numinis [*b*], quò raptus Apostolus, ineffabilia & arcana verba percepit (*c*). Quod ad aërem spectar, nemini ignotum esse arbitror, illum Cœli nomine apud Hebræos designari. De firmamento Moyses (*d*) testatur, postquam conditum a Deo est nomen Cœli ab ipso habuisse; electumque ut Solis, Lunæ & astrorum sedes esset, ac denique dividendis aquis inferioribus a superioribus in medio collocatum. Diù olim disceptatum est apud veteres Christianos de naturâ & proprietatibus firmamenti, nec magis ætate nostrâ sive inter Judæos, sive inter Christianos Interpretes convenit. Sunt qui concreram solidamque glaciem esse credant, quæ ingentem aquarum vim cohibet, ne inferiùs cadant [*e*]: alii verò malunt, firmamentum ex igneâ quadam materiâ componi [*f*], alii ex aquâ (*g*); alii e vaporibus aëris [*h*], sive fumo; alii tandem e mistione quatuor elementorum, sive, ut alii malunt, ex quinto quodam elemento a cæteris quatuor diverso.

Ex constanti tamen Scripturarum phrasi discimus, veteres Hebræos in eâ fuisse sententiâ, ut crederent firmamentum solidissimo quodam corpore compactum esse, ut impositam sibi aquarum molem sustineret. Nec male quis ex eorum sententiâ veluti ingentem concameratum fornicem sibi illud animo fingeret. Ita planè sentire visus est Josephus (*i*), narrans, Deum obvolvisse Cœlum quâdam glaciei testudine. Vox Hebræa *Rakiach*, quam reddunt *firmamentum*, sonat potiùs metalli laminam malleo ductam. Job, XXXVII, 18, comparat Cœlos æneo speculo, mallei ope constructo. Isaias (*k*), uti ferunt Septuaginta, Syrus, & Arabs habet: *Extendit ut cameram Cælos*, atque hinc veteres Patres ferè omnes suam de firmamento sententiam hauserunt. Narrat Moyses [*l*], Deum, postquam consilium immittendi diluvii inivit, reclusis Cœli cataractis aquarum torrentem demisisse. Rogans Isaias, LXIV, 1, ut Deus e Cœlo descendat, votum suum ita exprimit: *Utinam dirumperes Cælos, & descenderes.* Jesu Christi e Baptismi lavacro ascendentis vertici Spiritus Sanctus, ruptis Cœlis descendens, coram omnium oculis insedit [*m*].

Fatemur quidem, Cœlos interdum expanso velo comparari: *Extendens Cælum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus* [*u*]. *Qui fecit terram in fortitudine suâ, & præparavit orbem in sapientiâ suâ, & prudentiâ suâ extendit Cælos* (*o*). *Et complicabuntur sicut liber Cæli, quia dies ultionis Domini* (*p*). Tandem quem locum supra ex Septuaginta laudavimus, *Extendit ut cameram Cælos*, Hebræus reddit [*q*]: *Extendit Cælos ut tenue*, idest, velut carbasum, seu tenuem aliquam pellem. At hujusmodi locis summæ Dei vires potiùs commendantur, qui Cœlos solidos vastosque ita facili negocio finxit, ac si tenue aliquod velum expandendum esset. Hæc tandem omnia mirè favent hypothesi, quæ firmamentum ceu concameratum fornicem, duplici terrâ ultra & citra Oceanum incumbentem, constituit.

Ita planè nos docere Scriptura videtur, quæ duo cameræ cœlestis latera infinito inter se spatio disterminari notavit (*r*): *Si ad cardines Cæli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus.* Educturum se Deus adversùs Babylonem hostes e summitate Cœli minitatur [*s*]; & Psalmista (*t*) diurnum solis cursum ita describit: *Exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo Cælo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus, nec est qui se abscondat a calore ejus.* Job, XXVI, 11: *Columnæ Cæli contremiscunt, & pavent a nutu ejus*: & David (*u*): *Fundamenta montium concussa sunt, & conquassata, quoniam iratus est.* Hæ planè omnes loquendi phrases exprimunt ædificium, cujus fundamentis concussis, totam deinde molem ad summum usque fasti-

(a) *Gen.* I, 26, 28; II, 19, & *passim.*
(b) 3 *Reg.* VIII, 23; *Deut.* X, 14.
(c) 2 *Cor.* XII, 4.
(d) *Genes.* I, 7, 8.
(e) *Joseph. Antiquit. lib.* 1, *c.* 1: Τὸν οὐρανὸν τοῖς ὅλοις ἐπετίθησι . . . κρύσταλλόντε περιπήξας αὐτῷ, καὶ νότιον αὐτὸν, καὶ ὑετώδη, &c. *Sever. Gabal. Orat.* 2; *Cyr. Jerosf. Cathec.* 6; *Novat. lib.* 2 *de Trinit. c.* 8; *Ambrof. lib.* 2, *c.* 4 *Hexaëm. Hieron. Ep.* 82 *ad Ocean. Thead. q.* 2 *in Gen. Mari.Vict. lib.* 1 *Carm. in Gen. Cosm. Ægypt. lib.* 10; *Beda Hexaëm. Raban. in Gen.* 1; *Honor. Augustodun. lib.* 2 *de Imag. Mundi*; *Procop. in Gen.*
(f) *Hildebert. Turonens. tract. Theolog. c.* 13; *Hugo Victorin. Hel. in Ps.* CXXII, & *alii.*
(g) *Vide Damascen. lib.* 2 *de Fide, c.* 6.
(h) *Basil. Hom.* 3 *in Hexaëm. Greg. Nyssen. in Hexaëm. Eus. Præp. lib.* XI, *c.* 16; *Aug. Oper. Imperf. in Gen. ad lit. Ruper. in Gen.*
(i) *Antiq. lib.* 1, *cap.* 1.
(k) *Isa.* XL, 22. Ὁ στήσας ὡς καμάραν τὸν οὐρανὸν, καὶ διατείνας ὡς σκηνὴν κατοικεῖν.
(l) *Genes.* VII, 11.
(m) *Matth.* III, 16; *Marc.* 1, 10.
(n) *Psal.* CIII, 3.
(o) *Jerem.* LI, 15.
(p) *Isa.* XXXIV, 4.
(q) *Isa.* XL, 22. הנוטה כדוק שמים
(r) *Deuteron.* XXX, 4; & 2 *Esdr.* 1, 9.
(s) *Isa.* XIII, 5.
(t) *Psal.* XVIII, 7.
(u) 2 *Reg.* XXII, 8. Hebræus legit: *Fundamenta Cælorum.*

fastigium concuti necesse est. Cœlum enim veluti tectum est ædificio, terra illius fundamentum & columnas sustinet: *Cœli Cœlorum*, ait Ecclesiasticus, XVI, 18, *Abyssus, & universa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur*. Porrò si illi eadem ac nos de Cœlo sensissent, tellurem scilicet veluti in circuli meditullio constitutam ita eo ambiri, ut nullâ ex parte contingatur, nunquam sanè in animum inducere potuissent, ut terram fundamentis niti crederent, eâque Dei furore concussâ, totam Cœli machinam quati. Neque ea sententia adeò fuit Hebræis peculiaris, quin plures haberet e Philosophis assertores.

His constitutis, tamquam ejus sententiæ necessariæ consecutiones colliguntur Cœlorum soliditas, immobilitas, ejusque ab omni admistione secreta puritas. Si mera glacies sunt immanis, solidissima, certè solidissimos esse necesse est; neque fieri sanè potest, quin immobiles sint & inconcussi, si terrâ ultra Oceanum constitutâ nituntur, fulciunturque columnis Dei ipsius manu firmatis. *Dominus stabilivit Cœlos prudentiâ* (x). Se adfuisse Deo, cùm Cœlos firmaret, & constitueret, & Sapientia gloriatur (y). Si quando in Scripturâ stabile aliquid solidumque designatur, permansurum dicitur cum Cœlo. Psalmista [z] de Regno Messiæ sub Salomonici imagine agens: *Et thronum ejus sicut dies Cœli*. Moyses Hebræos ita affatur (a): *Terram, quam juravit Dominus Patribus tuis, ut daret eis, quamdiu Cœlum imminet terræ*.

Aquæ superiores, Firmamento incumbentes, veteres recentioresque Interpretes mirè torserunt; alii ipsissimas esse nubes censuerunt, alii vapores (b). Sed veteres Hebræi rem, uti sonat, intelligentes, simplices & meras aquas, fluidas, & ejusdem planè cum cæteris naturæ, super Cœlum constituerunt. Id planè in ipsâ Scripturâ ultrò innui videtur; idque majori veterum PP. parti arrisit (c). Moyses [d] dilapsas inde aquas in terram diluvio inundante narravit; ait enim, ruptis Dei virtute Cœli cataractis aquarum torrentes in terram ruisse. Has aquas Deus in thesauris suis continet (e): *Ponens in thesauris abyssos*. Psalmista mala in se inundantia exaggerans, ait (f): *Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum tuarum omnia excelsa tua, & fluctus tui super me transierunt*. Osee, II, 21, habet, nubes per siccitatem hiscente ad Deum ore clamare, ut aquis demissis, ex ejus thesauris irrorentur. Nubes ipsæ (g) exhibentur tamquam canales, aquas ex abysso superiori in terram deducentes. Alibi verò describuntur nubes tamquam utres, demissam e firmamento aquam continentes (h). Deus immissurum se in terram sterilitatem minitans, ait, clausurum se Cœlum, ne pluat (i); commissurumque ut Cœlum aheneum & ferreum sit super eos (k). Nec aliunde quàm ex abysso superiori rorem ipsum deducebant (l). Denique uti Oceanum inferiores, ita Firmamentum superiores aquas suppeditare credebant.

Sol & Luna tamquam animâ & intellectu prædita a Judæis credebantur, rati, eorum voce Dei laudes, quà latè patet terrarum orbis, celebrari (m). Credebant insuper, ortûs & occasûs sui tempus astra illa habere perspectum (n); nec cæcâ planè ratione Divinis jussionibus obsequi, ut eo jubente stare, retrogredi, tenebras pleno die inducere, Domini furorem denegato lumine exprimere noverint (o). Gemina illa Astra tamquam Rex & Regina Cœlorum exhibentur (p), quæ diviso imperio diem moderantur, & alterum diei, alterum nocti præest; junctoque Regno Astris, quæ Hebræorum stilo *militiæ Cœli* dicuntur (q), imperant. Utraque hæc perpetuo motu occupata, terræ tamen circulum nunquam complent; nam uti supra animadvertimus, inferiorem terræ partem Cœli non ambiunt.

Quam autem viam Sol ab Occidente in Orientem designet, nullo satis aperto Scripturæ testimonio docemur: singularia prorsus eâ de re Veteres prodiderunt, infra a nobis afferenda. Ita Scriptura (r): *Cœli enarrant gloriam Dei..... Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.... In fines orbis terræ verba eorum. In sole posuit tabernaculum suum* (Dominus), *& ipse* (sol) *tamquam sponsus procedens de thalamo suo, exultavit ut gigas ad currendam viam, a summo Cœlo egressio ejus, & occursus ejus usque ad summum ejus*. Hæc mensura & terminus cursûs solaris. Sapiens (s) apertius aliquid pandit: *Oritur sol & occidit*, Hebræus ad verbum: *Surgit Sol, & pervenit Sol* ad terminum suum: (phrasis est apud Scripturam frequentissima) *& anhelus tendit ad locum suum. Discedit ad austrum, & redit ad aquilonem: circuit, circuit, pergens anhelus, & ad circuitus suos redit anhelus*. Describitur planè his verbis assiduus rapidusque Solis cursus ex oriente in Occidentem, e meridie in Se-

(x) *Prov.* III, 19.
(y) *Prov.* VIII, 27.
(z) *Psalm.* LXXXVIII, 30.
(a) *Deut.* XI, 21.
(b) *Vide August. de Gen. ad Lit. l. 2, cap. 5.*
(c) *Just. seu alius, QQ. ad Orthodox. q. 93; Eustach. Antioch. in Hexaëm. Basil. hom. 3 in Hexaëmer. Nyssen. in Hexaëm. Ambr. in Hexaëm. lib. 2, c. 3; Severin. Gabal. orat. 2 De Creat. Theod. q. 11 in Genes. Procop. Beda, Raban. in Genes. Vide & Aug. de Gen. ad lit. lib. 2, cap. 1.*
(d) *Genes.* VII, 11.
(e) *Psalm.* XXXII, 7.
(f) *Psal.* XLI, 8.
(g) *Prov.* VIII, 28.
(h) *Job*, XXXII, 12, XXXVIII, 37, *juxta Hebræum; Psalm.* XVII, 13; 4 *Reg.* XXII, 12.
(i) 3 *Reg.* VIII, 35.
(k) *Levit.* XXVI, 19.
(l) *Deuteron.* XXXIII, 28.
(m) *Ps.* XVIII, 5.
(n) *Ps.* CIII, 19.
(o) *Josue*, X, 12, 13; *Abac.* III, 11; 4 *Reg.* XX, 9, 10, 11; *Isa.* XXXVIII, 8; *Amos* VIII, 9; *Jerem.* XV, 9, *&c. Joel.* II, 10.
(p) *Gen.* I, 16; *Ps.* CXXXV, 8.
(q) 4 *Reg.* XVII, 4; XXI, 3, 5; XXIII, 4, 5; 2 *Par.* XXXIII, 3; *Is.* XXXIV, 4; *Jerem.* VIII, 2; XIX, 13; XVIII, 5.

(r) *Psal.* XVIII, 5, 6. בכל הארץ יצא קולם ובקצה הבל מליהם לשמש שם אהל בהם והוא כחתן יצא מחפתו ישיש כגבור לרוץ ארח

(s) *Eccle.* I, 4, 5. זרח השמש ובא השמש ואל מקומו שאף זרח הוא שם הלך אל דרום וסובב אל צפון סובב סובב הולך הרוח ואל סביבותיו שב הרוח

Multi reddunt vocem רוח ventum. Sed cùm verba & adjectiva, quibus jungitur, masculina sint, nos reddere maluimus, anhelum, veluti synonymum שאף

Septemtrionem. Prior ille motus satis omnibus patet, regressus verò ex occidente in meridiem, & ad Septemtrionem, non item.

Duo olim celebrabantur apud Veteres systemata. Erant qui crederent, Solem, ubi ad Occidentem pervenisset, in mare demergi, ut cursûs æstum atque radiorum diurnam erogationem, aquarum elemento refrigeraret, ejusque humiditate lucem repararet (*t*). Ita verò restitutis viribus, per latentes cæcasque vias in pristinum locum restitui. Aliorum systema ita fermè sese habebat. Cùm primùm sol ad occidentem pervenisset, porrectum in meridie montem offendebat, in conum, sive in pineæ nucis formam desinentem: circa quem totâ nocte percurrens, sub ipsum exorientis diei articulum in Orientem restituebatur; ut longiores breviores que noctes fierent, quo vicinius montis cacumini, aut remotius iter sol instituisset (*u*). Quid Hebræi sentirent, in medio relinquimus: at fortasse dicere voluit Salomon, Solem singulis noctibus alterno cursu meridionales septemtrionalesque terræ partes percurrere, ut illas noctu illustraret, quemadmodum nostra cœli pars per diem ab eo illustratur.

(t) *Hom. Iliad.* Θ, *v.* 485: Ἐν δ' ἔπεσ' ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος Ἠελίοιο, Ἕλκον νύκτα μέλαιναν.... *&c. Vide & Iliad. H. Et Strabon. lib.* 1 *Geogr.*

(u) *Cosmas Ægypt. lib.* 4 *Cosmog. pag.* 186. *&c.*

Solis & Lunæ defectus prodigii loco habuisse Judæi videntur, perinde esse rati sive astra cursum sisterent, sive retrogrado cursu ferrentur, ac paterentur eclypsim. Amos, VIII, 9: *Et erit in die illâ, dicit Dominus, occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis* [x]. Interpositis Dei manibus inter nos & astra fieri eclypsim, Job, XXXVI, 32, docere videtur: *In manibus abscondit lucem, & præcipit ei ut rursus adveniat.* Et capite IX, 7: *Qui præcepit Soli, & non oritur, & stellas claudit quasi sub signaculo.* Vulgi ingenio magis connivet Ezechiel, XXXII, 7, cùm eclypsim objectis nubibus causari ait; in obitu enim Pharaonis Regis Ægypti naturam universam funus celebraturam dicit: *Et operiam*, addit, *Cœlum, & nigrescere faciam stellas ejus: Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum.* Joël tribus in locis Solis & Lunæ fulgorem obductum, tamquam apertissimum Dei in homines irati argumentum exhibet (*y*).

(x) *Vide & Jerem.* XV. 9; *Isa.* XIII, 10.

(y) *Joel.* II, 10, 31; III, 15.

De tonitru plus aliquid quàm de naturæ phænomeno suspicabantur, rati esse datam nominibus Divini furoris significationem. Quare in Scripturis nomine *Vocis Domini* appellatur [z]. *Super hoc*, ait Job, XXXVII, 1, *expavit cor meum, & motum est de loco suo. Audite auditionem in terrore vocis ejus, & sonum de ore illius procedentem. Subter omnes Cœlos ipse considerat*, (Hebr. *extenditur*) *& lumen illius super terminos terræ. Post eum rugiet sonitus, tonabit voce magnitudinis suæ, & non investigabitur cùm audita fuerit vox ejus. Tonabit Deus in voce suâ mirabiliter, qui facit magna & inscrutabilia.* Ejusdem phænomeni naturam & effecta latè persequitur Psalmus XXVIII: *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas* (nempe tonuit super aquas in firmamento constitutas). *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentiâ. Vox Domini confringentis cedros, & confringet Dominus cedros Libani. Et comminuet eas tamquam vitulum Libani, & Sirion quemadmodum filium unicornium. Vox Domini concutientis desertum, & commovebit Dominus desertum Cades. Vox Domini revelabit condensa.*

(z) *Ps.* XVII, 14; XXVIII. 3 *&c. Exod.* IX, 23, XX, 18.

Fulgura non alio frequentiùs nomine designantur, quàm ignearum sagittarum & jaculorum Domini. *Ignis succensus est in furore meo*, ait Deus [*a*], *& ardebit usque ad inferni novissima. Sagittas meas complebo in eis.* David (*b*): *Intonuit de Cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam. Misit sagittas suas, & dissipavit eos; fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.* Et impios alloquens (*c*): *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit; arcum suum tetendit, & paravit illum. Et in eo paravit vasa mortis*, (arma ad occidendum directa) *sagittas suas ardentibus effecit.* Alibi (*d*): Domine, descende, *tange montes & fumigabunt. Fulgura coruscationem, & dissipabis eos; emitte sagittas tuas, & dissipabis eos.*

(a) Deut. XXXII, 23.

(b) 2 *Reg.* XXII, 15; *Ps.* XVII, 15.

(c) *Ps.* VI, 14.

(d) *Ps.* CXLIII, 6.

Quid pluviæ, ventus, nimbi, glacies, iris? quid, inquam, in sententiâ veterum Hebræorum, nisi a Deo immissa vel puniendis impiis flagella, vel Divini erga bonos auxilii significationes (*e*)? Ita de illis agunt Hebræi, quasi portentosum aliquid & divinum, non naturale & commune præseferrent. *In verbis Sancti stabunt* [stellæ] *ad judicium* (*f*), *& non deficient in vigiliis suis. Vide arcum, & benedic eum; qui fecit illum, valdè speciosus est in splendore suo. Imperio suo acceleravit nivem, & accelerat coruscationes emittere judicii sui. Propterea aperti sunt thesauri, & evolaverunt nebulæ sicut aves. In magnitudine suâ posuit nubes, & confracti sunt lapides grandinis. In conspectu ejus commovebuntur montes, & in voluntate ejus aspirabit notus.* Grandinem ergo ita animo concipiebant Hebræi, veluti si essent glaciei partes immani e monte avulsæ; quemadmodum e lapicidinis cædi lapides & in hostem torqueri consueverunt.

(e) *Vide Psalm.* CXXXIV, 7; CXLVII, 15 16, 17; *Jerem.* X, 13, LI, 16, *Eccli.* XLIII, 13, *&c.*

(f) *Eccli.* XLIII, 13, 14, *&c.* Vide *& Psal.* CXLVII, 15, 16, *&c.*

AR-

ARTICULUS V.

Consensus Veterum Philosophorum & Patrum cum Hebræorum Systemate.

QUod hactenus proposuimus Mundi systema, apud vetustissimas gentes primosque Græciæ Philosophos fermè idem obtinuit. Phœnices, si fides sit Sanchoniatoni, seu potiùs Porphyrio, qui Authorem illum procudit, omnium rerum principium agnoscunt chaos, seu confusam corporum congeriem [*g*]. Indi, authore Megasthene (*h*), omnia ex aquâ prodiisse rati, eamdem cum priscis Græcorum tenuisse sententiam creduntur, nempe aquam & chaos unam eamdemque rem esse; atque ita solent Homerus, Hesiodus, & Thales inter sese conciliari. Homerus, rerum, Deorum, hominumque omnium parentem constituit Oceanum (*i*). Hesiodus primum omnium rerum chaos emersisse cecinit (*k*). Thales materiam gignendis rebus suppeditasse aquam censuit (*l*). Plutarchus tamen ostendit [*m*], quod chaos Prisci appellabant, ipsam fuisse aquam; quam sententiam mirè fulcit Moyses (*n*), chaos abyssi nomine designans: *Et tenebræ erant super faciem abyssi.*

Thales (*o*), & Stoici, ait Seneca (*p*), *Terram totam subjecto indicant humore portari, & innatare... Hac undâ sustinetur orbis, velut aliquod grande navigium, & grave.* Manilius [*q*]:

Ipsa natat tellus pelagi lustrata coronâ,
Cingentis medium liquidis amplexibus orbem.

Zeno, quem Stoici ducem sequuntur [*r*], continentem in centro mundi terram immotam constituebat, aquâ in sphæram circumfusâ circà terram, ut ambo hæc elementa centrum haberent commune, ac terra Oceano innataret; utraque verò elementa veluti in sinu clausa aër contineret. Homerus, cujus sententiam Strabo [*s*] & laudat & amplectitur, ambiri terram Oceano scribit; & Seneca Tragicus (*t*):

Oceanus clausum dum fluctibus ambiet orbem.

Chardinius in suo Persidis Itinerario, receptam esse inter Persas opinionem narrat, terram aquis velut cucumerem innatare; ita ut dimidia terræ pars intra aquam contineatur. S. Petrus [*u*] docet, *Terram de aquâ, & per aquam consistere;* mergi scilicet & aquâ veluti penetrari, &c.

Plura in hoc argumentum Profanorum testimonia congerenda superessent; sed ista satis superque. Patrum sententiam de situ terræ par fuit eademque. Theodoretus in illud Psalmi cxxxv, 6, *Qui firmavit terram super aquas*, portari terram aquis defendit. S. Hilarius (*x*): *Terra super aquam pendulâ firmitate consistit.*

Animadvertimus, in systemate Hebræorum terram fundamentis quibusdam in ipso aquarum alveo constitutis inniti. Paria legas apud Philosophos. Xenophanes Colophonius (*y*), ut se ab omnibus difficultatibus de innatatione terræ super aquas expediret, hanc rationem iniit; nempe tellurem fundamentis inconcussis & profundissimis sustineri. Anaximenes, Anaxagoras, Democritus (*z*) inniti terram aëre ajunt; ad immensam enim altitudinem elatus aër immani huic moli ferendæ par est. Thales ejusque sectatores censuerunt, *terrarum orbem aquâ sustineri, & vehi more navigii, mobilitateque ejus fluctuare tunc, cùm dicitur tremere* [*a*].

Plato in Timæo, Aristoteles, Empedocles, Anaximander, cæterique superiùs a nobis recitati, quos Veterum plerique sequuntur, de immobilitate & inconstantiâ terræ eamdem tenent cum Hebræis sententiam. Quid potissimùm terram sustineat, immotamque contineat, disputandum non esse censent S. Basilius (*b*) & S. Ambrosius [*c*]. Si enim, inquiunt, dixeris aëre fulciri, statim reponetur, quînam fieri possit, ut aër tenue oppidò & subtile corpus immanem illam compactamque molem sustineat? Si quis fluitare responderit; paria opponent. Tandem si firmius aliquod fundamentum quæsiveris, quæret alter, quonam fundamento fundamentum illud innitatur, & sic deinceps. Superest igitur, ut curiositati modus imponatur, prematurque silen-

(g) *Euseb. Præp. lib. 1, cap. 10*: Τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν ὑποτίθεται ἀέρα ζοφώδη, καὶ πνευματώδη, ἢ χάος θολερὸν ἐρεβῶδες.

(h) *Apud Strabon. lib. 15.*

(i) *Iliad. 14.* Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν. *Et alibi*: Ὅς γένεσις πάντεσσι τέτυκται. *Et Orpheus*: Ὠκεανὸν καλέω πατέρ' ἄφθιτον αἰὲν ἐόντα, Ἀθανάτων τε θεῶν γένεσιν θνητῶν τ' ἀνθρώπων.

(k) *Hesiod. Theogon.* Πάντων μὲν πρώτιστα χάος γένετο.

(l) *Thales apud Plut. de placit. Phil. lib. 1, c. 3*: Θάλης ὁ μιλήσιος ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀπεφήνατο τὸ ὕδωρ.

(m) *Plutar. lib. Aquane an ignis sit utilior?* Τοῖς πλείστοις γὰρ ὀνομάζεσθαι δοκεῖ τὸ ὕδωρ τοῦτον τὸν τρόπον (*nempe* χάος) παρὰ τὴν χύσιν.

(n) *Genes. 1, 2.*

(o) *Thales, apud Aristot. de Mundo, lib. 2 de Cælo, capit. 13*: Γῆν πλωτὴν εἶναι μένουσαν ὥσπερ ξύλον, ἤ τι τοιοῦτον ἕτερον. *Vide & Metaphysic. lib. 1, c. 3.*

(p) *Natural. QQ. lib. 6, c. 6.*

(q) *Astronom. l. 4.*

(r) *Laërt. in Zenone, lib. 7*: Τὴν γῆν ἀκίνητον οὖσαν.... *Et post multa*: Μέσην τὴν γῆν κέντρου λόγον ἐπέχουσαν, μεθ' ἣν τὸ ὕδωρ σφαιροειδές, ἔχον τὸ αὐτὸ κέντρον τῇ γῇ· ὥστε τὴν γῆν ἐν ὕδατι εἶναι, μετὰ τὸ ὕδωρ δὲ, ἀέρα ἐσφαιρωμένον.

(s) *Lib. 1*: Πρῶτον μὲν τῷ ὠκεανῷ περίκλυστον ὥσπερ ἐστὶν, ἀπέφηνεν αὐτήν.

(t) *In Oedip. Act. 2.*

(u) *2 Petr. III, 5*: Καὶ γῆ ἐξ ὕδατος, καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα.

(x) *In Psalm. CXXXV, num. 11, 12.*

(y) *Apud Arist. de Cælo, lib. 2, cap. 13*: Ἄπειρον τὸ κάτω τῆς γῆς εἶναί φασιν ἐπ' ἄπειρον αὐτὴν ἐρρίζῶσθαι λέγοντες, ὥσπερ Ξενοφάνης ὁ κολοφώνιος.

(z) *Apud Aristot. loco cit.*

(a) *Senec. Nat. QQ. lib. 3, cap. 13.*

(b) *In Hexaëmer. hom. 1.*

(c) *In Hexaëmeron, lib. 1, cap. 6, num. 22.*

silentio quod assequi verbis non possumus [d]. Ex his planè colligimus, Patres illos ne ambigere quidem de terræ immobilitate, sed dubios versari, aëre ne an terrâ, an altero quopiam fundamento innitatur; plerique tamen aërem aquæ præferunt, omniumque sententia Antipodas prorsus rejicit.

Porrò de Antipodis sententia tamquam inutilis & religioni repugnans habebatur. Videsis Thaonem apud Plutarchum [e], Lactantium [f], S. Augustinum (g), Zachariam Papam (b), Procopium in Genesim. At licèt fateri cogamur, ait S. Augustinus, terram esse rotundam, propius tamen est vero, partem nostro hemisphærio contrariam obduci aquis, quàm hominibus & brutis coli. *Quid illi*, ait Lactantius, *qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas putant? num aliquid loquuntur? An est quispiam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sint superiora quàm capita? Aut ubi quæ apud nos jacent, inversa pendeant?*

Multò etiam ab eâ de Antipodis sententiâ alieniores sunt; ii qui terram planâ esse figurâ arbitrati, inferiorem ejus partem negant circumfuso Cœlo ambiri; Solemque & astra circa terram minimè torqueri. Est autem ea opinio apud Veteres [i] probatissima; quemadmodum etiam spectare licet in Cosmographiâ Cosmæ Monachi [k], & in figuris terræ ab eo descriptis, & a Montfauconio in Editione ejusdem Libri vulgatis. Rati igitur Cœlum terramque simul jungi, cameram quamdam ab his constitui arbitrabantur, cujus concameratus ingensque fornix Cœlum esset, terra & mare pavimentum. Habuit hæc opinio assertores viros omnes doctos usque ad decimum quintum sæculum; adeò ut Tostatus Episcopus Abulensis (l), paulò ante inventam Americam, opinionem de rotundâ telluris formâ rejiceret, veluti temerariam ac fidei perniciosam. Illud autem maximè animadvertendum est, Patribus, ut in hanc sententiam ferentur, in causâ fuisse Divinarum Scripturarum apertam, ut ipsis quidem videbatur, authoritatem.

Fontium, amnium, aquarumque omnium terram perluentium originem Oceano adscripserunt, cum Hebræis, veteres etiam Philosophi. Plato (m) docet, terram infinitis propemodum meatibus perviam esse, veluti spongiam, ut acceptam ex unâ parte aquam ex alterâ reddat. Esse autem plura sub tellure receptacula, variis continendis aquis destinata, quorum alia calidas habent, alia frigidas, putas luteasque. In centro terræ situs est *Tartarus*, omnium scilicet aquarum commune receptaculum, ex quo omnibus super terram fluminibus aquæ sufficiuntur. Cùm autem immensa illa aquarum vis basi careat & fundamento, perpetuâ idcirco agitatione commota assiduum illum fontium, & fluminum circulum efficit. Plinius (n) ita disserit: *Cùm terra arida & sicca constare per se & sine humore non posset, nec rursùs stare aqua sine sustinente terrâ, mutuo complexu junguntur; hac sinus pandente, illâ verò permeante totam intra, extra, infra, venis ut vinculis discurrentibus, atque etiam in summis jugis erumpente.* Eamdem rem tradit Virgilius (o):

Speluncisque lacus clausos lucosque sonantes,
Omnia sub magnâ labentia flumina terrâ
Spectabat diversa locis.

Servius in eumdem locum animadvertit, non fabellam aliquam poëticam effinxisse Vatem, sed opinionem recitasse vetustissimam, e Theologiâ Ægyptiorum, unde Thales suam illam sententiam hausit de Oceano rerum omnium principio. Homerus (p) ferè totidem verbis ac Salomon in Ecclesiaste, eamdem sententiam exprimit; ex Oceano enim omnia deduci ait flumina, maria, fontes & puteos.

Quod ad Systema Cœlorum attinet, eadem fermè, quæ in Scriptoribus Sacris, apud Veteres observavimus. Illos enim solidos, immotos, & concamerati fornicis instar terram tegere putavere. Ennius:

Quaque freto cava cæruleo cortina receptat.

Hæc autem adeò priscis illis erant probata, ut contrariæ sententiæ assertores contemptu & risu dignos censerent. *Ubi sunt, qui mobiles Cælos putant, sphæricos & circulares?* ait S. Chrysostomus [q]. Quod verò, inquit Lactantius [r], Veteres in eum errorem adduxit, ut crederent Solem, & astra circa terram torqueri, illud reputandum est, quòd cùm cernerent Solem, Lunam, & astra simul omnia singulis diebus oriri ex eodem fermè horizontis loco, & occidere, terram veluti orbem rotundam ani-

(d) *Vide Bas. loc. cit. Ambros. in Psalm.* CXVIII, *Ser.* 12; *August. lib.* 13 *De Civit. c.* 18; *& lib.* 16, *cap.* 9. *Vide Bed. de nat. rerum, c.* 95; *Bruno Signiac. lib.* 4 *Sent. cap.* 3.

(e) *De facie in orbe Lunæ, pag.* 942.

(f) *Instit. lib.* 3, *cap.* 24.

(g) *De Civit. lib.* 16, *cap.* 9.

(h) *Ad Bonifac. Episc. Mogunt. Epist.* 10, *ann.* 748.

(i) *Cleomenes* Κυκλικῆς θεωρίας, *lib.* 1; *Horat. lib.* 1 *carm. Ode* 21; *Lucan. lib.* 9 *Pharsal.*
Terrarum primam Libyen, nam proxima Cœlo est,
Ut probat ipse calor.
Sil. Ital. lib. 3: *Ad finem Cœli medio tenduntur ab orbe*
Squalentes campi.
Plin. lib. 2, *c.* 78: *Æthiopes vicini sideris calore torreantur.*

(k) *In nov. Collect. Græcor. PP. Vide Notas D. Bernardi de Montfaucon in eumdem lib.*

(l) *In Genes.* 1.

(m) *In Phadone, pag.* 111, 112: Ἕν τι γὰρ τοῦτο (Τάρταρον) τὸ χάσμα, εἰς ὃ συῤῥέουσί τε πάντες οἱ ποταμοὶ καὶ ἐκ τούτου πάλιν πάντες ἐκρέουσι. Ἡ δὲ αἰτία ἐστὶ τοῦ ἐκρεῖν ἐντεῦθεν, καὶ εἰσρεῖν πάντα τὰ ῥεύματα, ὅτι πυθμένα οὐκ ἔχει οὐδὲ βάσιν τὸ ὑγρὸν τοῦτο.

(n) *Lib.* 2, *cap.* 65.

(o) *Georgic. lib.* 4, *v.* 366.

(p) *Iliad.* XXI.
Οὐδὲ βαθυῤῥείταο μέγα σθένος ὠκεανοῖο,
Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα,
Καὶ πᾶσαι κρῆναι, καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.

(q) *Homil.* 14 *in Epist. ad Hebr. & homil.* 27 *in eamdem.*

(r) *Instit. lib.* 3, *cap.* 4.

animo finxerunt, quam astra quælibet diurno cursu, veluti circulo descripto, mediam exciperent; ignorantes quod iter teneant, ut ex Occidente in Orientem restituantur. Ita persuasi, in Antipodum sententiam venerunt, rari contrariam nobis terræ partem suis incolis frequentari. Quid verò, addit Lactantius, de hoc hominum genere loquar, nisi illud, quòd jactis falsæ opinionis fundamentis, errores deinde erroribus coagmentarint? *At ego*, addit, *multis argumentis probare possem, nullo modo fieri posse, ut Cœlum terrâ sit inferius.*

Pseudo-Athanasius (*s*) non obscuriùs locutus, Audiamus, inquit, quid doceat Propheta, ut Barbarorum ora obstruamus, temerè prorsus asserentium, Cœlum infra terram descendere. Propheta elatâ in illos voce clamat: *Dominus extendit Cœlum sicut pellem*, vel, sicut expansum velum. Porrò qui expansum velum dicit, hemicyclum exprimit, non sphæram integram. Quid Isaias? *Qui extendit velut cameram Cœlos, expandit eos sicut tabernaculum ad habitandum* (*t*). Cœlum planè non torquetur, sed immobile perseverat, juxta Prophetam: *Cœlum firmavit super stabilitatem suam.* Videsis Pseudo-Justinum in quæstionibus ad Orthodoxos (*u*), Severianum Gabalensem [*x*], S. Cæsarium (*y*), Procopium in Genesim, Diodorum Tharsensem (*z*), Theodorum Mopsuestenum apud Joannem Philoponum (*a*), aliosque permultos, qui concamerato fornice Cœlum terræ imponi putaverunt. Eusebius in Commentatio in Psalmos fatetur, eam fuisse plurimorum sententiam, mundum figurâ sphæricâ esse, ac terram veluti sinu intra Cœlos contineri. Sed in Commentario in Isaiam, XL, contrariam opinionem tuetur. S. Hieronymus (*b*) eos, qui Cœlum veluti concameratum fornicem habent, *stultiloqui* damnat; sed alibi (*c*) innuere videtur, Cœlum latiùs quàm terram non patere; quamquam sphæricum a nonnullis putari fatetur.

Ex iis, quæ hactenus deduximus, in aperto esse censeo, Hebræorum systema, quale superiùs exposuimus, satis congruere cum sistemate veterum Philosophorum; simplicissimam esse hypothesin, pronam, facilem, vulgi ingenio maximè accommodatam, qua indoctum vulgus satis docetur, quanta sit Numinis sapientia & virtus, ac sui ipsorum imbecillitas & subjectio. Utilissima ergo erat consilio, quod Spiritus Sanctus sibi constituerat, ut scilicet homines ad Deum per timorem, & amorem deduceret. Unicum enim hoc est propositum Scripturarum. *Finem loquendi omnes audiamus: Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo* (*d*). Porrò in his rebus error nullius est ad æternitatem obtinendam momenti. *Dicendum est*, ait S. Augustinus [*e*], *hoc de figurâ Cœli scisse Authores nostros, quod veritas habet; sed Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista docere homines, nulli saluti profutura.*

Neque dixeris, Sacrorum Authorum dictis in eâ re veritati & experientiæ repugnantibus, nihil esse cur deinde in cæteris major illis fides debeatur. Quæ enim ab illis dicuntur, non ita planè narrata sunt, tamquam vera asseruerint; sed his tantùm velut hypothesi constitutis, non propriam sententiam, sed vulgi opinionem exposuerunt. Ne uno quidem capite Scriptura docere homines eâ de re datâ operâ aggreditur, cùm ad nostrum ultimum finem ea nosse, vel ignorasse perinde habeatur. Quis eam legem indixit unquam Philosophis & Theologis, ut verba cum populo facientes, usitatis in Scholâ, & in Libris, quos de arcanis naturæ seu mysteriis Religionis scripsere, verbis utantur? Quæ verò Sapientibus, & Philosophis permissa sunt, hæc Sacris Scriptoribus denegamus, qui plurium utilitati scribentes, ingenio vulgarium & simplicium sese accommodant, ut illis prosint?

(s) *In Psalm.* CIII, 3.
(t) *Isa.* XL, 22.
(u) *Quæst.* 93, 94.
(x) *Orat.* 3, *de Creat.*
(y) *Dialog.* 1, *qu.* 97, 98.
(z) *Apud Phot. Cod.* 223.
(a) *De Mundi Opif. lib.* 3, *c.* 9, 10.
(b) *In Ephes.* V, 4, *pag.* 380, *nov. edit.*
(c) *In cap.* III, 18, *ejusdem Epist.*
(d) *Eccle.* XII, 13.
(e) *De Genesi ad lit. lib.* 2, *cap.* 9.

COMMENTARIUS LITERALIS IN IN LIBRUM ECCLESIASTICI.

PRÆFATIO
S. Athanasii (a) in hunc Librum.

HIC Jesus (b) filius quidem fuit Sirach, nepos autem alterius Jesu, ejusdem nominis, qui posterioribus temporibus vixit, post captivitatem & revocationem, & post prophetas omnes (c). Avus hujus Jesus, quemadmodum & ipse testatur (d), vir fuit industrius & prudentissimus; qui non solùm superiorum ante se sapientum apophthegmata collegit, sed & propria quadam de suo adjecit, multâ sapientiâ & prudentiâ referta. Cùm igitur hunc librum superior Jesus (e) e vivis discedens post se reliquisset, Sirach filius ejus acceptum, Jesu filio suo reliquit. Is postea scripta ista in unum eumque per omnia continuum ordinem digesta (f), sub suo, patris & avi nomine Sapientiam vocavit, ut ipso Sapientiæ nomine Auditorem alliceret, & ad curam libri hujus amanter suscipiendam, hoc ampliùs permoveret. Continet autem hic Liber sermones prudentiæ, ænigmata & parabolas, ad hæc & pias quasdam veterum historias, de viris Deo acceptis, & simul illorum preces & hymnum. Præterea de beneficiis, quibus populum suum Deus dignatus est, & de malis, quibus hostes ipsorum abundè punivit. Hic itaque Jesus cùm esset Salomonis sectator, haud minùs illo illustrandâ sapientiâ & pietatis disciplinâ strenuum se gessit, verè multiscius & existens & dictus.

IN ECCLESIASTICUM
JESU FILII SIRACH (a)
PROLOGUS.

MUltorum nobis & magnorum, per Legem & Prophetas, aliosque, qui secuti sunt illos, sapientia demonstrata est: in quibus oportet laudare Israël doctrinæ & sapientiæ causâ: quia non solùm ipsos loquentes necesse est esse peritos, sed etiam extraneos posse & discentes & scribentes doctissimos fieri. Avus meus Jesus, postquam se ampliùs dedit ad diligentiam lectionis

(a) *Tom. 2 nov. Edit. p. 175, ex Synopsi Athanas.* Fabricius, lib. 3, cap. 29, pag. 728, Biblioth. Græc. ait hanc Præfationem non magni S. Athanasii fœtum esse, sed alterius Athanasii, centum annis recentioris. (b) Hic Interpres est, non Author hujus Libri. Fallitur autem, cùm Interpreti nomen fuisse ait Jesu filio Sirach. (c) Græci Codices quidam addunt *ferè*, Μετὰ τοὺς Προφήτας σχεδὸν ἅπαντας. Novam Athanasii Editionem nos sequimur. (d) Vide Præfationem Jesu nepotis Authoris, infra. (e) *Græc.* Πρῶτος Ἰησοῦς, Jesus filius Sirach, author Ecclesiastici. (f) Incertissima res est, utrùm hujus Præfationis Author *Jesus filius Sirach* appelletur. Romana Græci Editio fert solùm Πρόλογος, *præfatio*, Authoris nomine non indicato. E solâ Græcorum traditione ita nuncupatum habemus. (a) Πολλῶν καὶ μεγάλων ἡμῖν διὰ τοῦ νόμου, καὶ τῶν Προφητῶν, καὶ τῶν ἄλλων τῶν κατ' αὐτοὺς ἠκολουθηκότων δεδομένων, ὑπὲρ ὧν (*Alii*, Ἐξ ὧν *Unde*) δέον ἐστὶν ἐπαινεῖν τὸν Ἰσραὴλ παιδείας καὶ σοφίας. Καὶ ὡς οὐ μόνον αὐτοὺς τοὺς ἀναγινώσκοντας δέον ἐστὶν ἐπιστήμονας γίνεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοὺς (*Edit. Rom.* καὶ ταῖς) ἐκτὸς δύνασθαι τοὺς φιλομαθοῦντας χρησίμους εἶναι, καὶ λέγοντας καὶ γράφοντας. Ὁ πάππος μου Ἰησοῦς.

Legis, & Prophetarum, & aliorum librorum, qui nobis a parentibus nostris traditi sunt: voluit & ipse scribere aliquid horum, quæ ad doctrinam & sapientiam pertinent: ut desiderantes discere, & illorum periti facti, magis magisque attendant animo, & confirmentur ad legitimam vitam. Hortor itaque venire vos cum benevolentiâ, & attentiori studio lectionem facere, & veniam habere in illis, in quibus videmur sequentes imaginem sapientiæ, deficere in verborum compositione. Nam deficiunt verba Hebraica, quando fuerint translata ad alteram linguam. Non autem solùm hæc, sed & ipsa Lex & Prophetæ, cæteraque aliorum librorum, non parvam habent differentiam, quando inter se dicuntur. Nam in octavo & trigesimo anno, temporibus Ptolemæi Evergetis Regis, postquam pervêni in Ægyptum, & cùm multum temporis ibi fuissem, invêni ibi Libros relictos, non parvæ neque contemnendæ doctrinæ. Itaque bonum & necessarium puravi, & ipse aliquam addere diligentiam, & laborem interpretandi Librum istum: & multâ vigiliâ attuli doctrinam in spatio temporis, ad illa, quæ ad finem ducunt, Librum istum dare, & illis qui volunt animum intendere, & discere quemadmodum oporteat instituere mores, qui secundùm Legem Domini proposuerunt vitam agere.

COMMENTARIUS.

MULTORUM NOBIS ET MAGNORUM PER LEGEM ET PROPHETAS, &c. Hujus præfationis initium obscurum est in Latino, luculentius in Græco. Ita verò reddi potest: *Cùm multa nobis & magna per legem & Prophetas, & eos qui ipsos secuti (b), dicta essent, ob quæ par est laudari Israëlem eruditionis & sapientiæ nomine, talia ut ex eis non modò lectores ipsi peritiam adipisci debeant, sed & possint disciplinæ studiosi externæ se præbere utiles, tum loquendo, tum scribendo; etiam Avus meus Jesus cùm ingenium studiumque contulisset ad legendam legem, Prophetas, aliosque gentis suæ libros, in hisque satis exercitationis ac facultatis requisivisset, aggressus est & ipse scribere aliquid eorum, quæ ad disciplinam & sapientiam pertinent.*

ET VENIAM HABERE. Hic sensus est Græcæ locutionis (c): Ut venia nobis detur in iis locis, in quibus aliquas Hebraicas locutiones satis aptè reddidisse non videbimur (d).

DEFICIUNT VERBA HEBRAICA. Ita propriè sonat Græcus. Quantumvis elegans & concinna sit versio, æquare nullo modo archetypum potest. Alterius sermonis voces vim vocabulorum prioris nunquam fermè assequuntur. Si solam alicujus Libri versionem legas, perinde erit ac si Belgicum aulæum ex oppositâ parte inspicias; ubi eædem imagines sunt, at non eadem venustas & elegantia. Aptissimè in hanc rem S. Hieronymus (e); *Alienis dentibus commoliti cibi vescentibus nauseam faciunt.* Patrius Authoris sermo discendus est, atque ipso e fonte purissimi latices hauriendi.

IPSA LEX ET PROPHETÆ. Horum Libri Ptolemæi Philadelphi ætate Græcè redditi fuerant, diù antequàm hic Interpres manum scribendo admoveret.

OCTAVO ET TRIGESIMO ANNO, TEMPORIBUS PTOLEMÆI EVERGETIS REGIS, POSTQUAM PERVENI IN ÆGYPTUM. Duos Ægyptiorum Reges *Evergetas* novimus, tertium scilicet ac septimum Ptolemæos. Hic septimus est, cognomine *Evergetes*, seu *Physcon*. Octavo ac trigesimo hujus Regis anno Jesus Sirachides Jerosolymâ in Ægyptum vênit; tribus enim & quinquaginta annis, partim cum fratre, ac partim solus, imperium tenuit Physcon (f). Libros magnopere amavisse, & coluisse eruditos, dicitur Evergetes.

INVENI IBI LIBROS RELICTOS. Græcus ad verbum (g): *Et ibidem commoratus*, vel ex aliis Codicibus, *Et ibidem parvo tempore commoratus, invêni non parva eruditionis exemplar.* Legunt alii: *Invêni non parvum eruditionis viaticum.* Denique alii: *Invêni non parvum eruditionis subsidium*, vel occasionem. Aliquandiù in Ægypto moratus, atque his Libris sedulò expensis, eruditioni aptissimos invêni, eosque Græcè reddere decrevi.

MULTA VIGILIA ATTULI DOCTRINAM IN SPATIO TEMPORIS, &c. Quæ sequuntur, in Græco ita sonant (h): *Maximè necessarium putavi ipse aliquam adhibere diligentiam, & laborem interpretan-*

(b) Post legem ac Prophetas, nullos novimus Libros apud Hebræos, præter Macchabaicos, & qui Sapientiales dicuntur, paulò infra ita designatos: *Et aliæ gentis suæ libros*: Καὶ τῶν ἄλλων πατρίων βιβλίων. (c) Συγγνώμην ἔχειν, ἐφ' οἷς ἂν δοκῶμεν τῶν κατὰ τὴν ἑρμηνείαν πεφιλοπονημένων. (Legit, πεφιλοσοφημένων.) (d) Οὐ γὰρ ἰσοδυναμεῖ αὐτὰ ἐν ἑαυτοῖς Ἑβραϊστὶ λεγόμενα. (e) *Hieronym. in Ezech. lib. 7, in Præfat.* (f) *Vide Usserii Annales. Vaillant. in Ptolem. 7, ad an. Lagid. 192.* (g) Καὶ συγχρονίσας, εὗρον οὐ μικρᾶς παιδείας ἀφόμοιον. *Alii libri.* Καὶ ἐπ' ὀλίγον χρόνον συγχρονίσας εὗρον . . . . . ἐφόδιον. *In Mss. apud Drus.* Εὗρον οὐ μικρὰν παιδείας ἀφορμήν. (h) Ἔθέμην αὐτὸς προσενέγκασθαί τινα σπουδὴν καὶ φιλοπονίαν τοῦ μεθερμηνεῦσαι τήνδε τὴν βίβλον· πολλὴν ἀγρυπνίαν, καὶ ἐπιστήμην προσενεγκάμενος ἐν τῷ διαστήματι τοῦ χρόνου, πρὸς τὸ ἐπὶ πέρας ἄγοντα τὸ βιβλίον ἐκδόσθαι, καὶ τοῖς ἐν τῇ παροικίᾳ βουλομένοις φιλομαθεῖν προκατασκευαζομένοις τὰ ἤθη ἐν νόμῳ βιοτεύειν.

tandi Librum istum. Multum enim vigiliam & sollertiam attuli in spatio temporis, quo in Ægypto fui, *ad hoc ut ad finem ducens istum Librum, ederem etiam iis, qui in peregrinatione*, scilicet Judæis, qui extra Judæam, ac præsertim in Ægypto sunt, Hebraicæ linguæ ignaris, *volunt discere, præparati moribus secundùm legem vivere*. Jam illis inter manus erant Sapientia & Proverbia Græcè reddita. At Interpres benè de illis sese meriturum censuit, si librum illis daret qui eamdem disciplinam spectat, atque innumera moralis institutionis præcepta continet.

CAPUT PRIMUM.

Sapientiæ laus. Divina illius origo, ejusque fructus. Dei timor. Perfectio & initium Sapientiæ. Felicitas eorum qui Sapientiâ potiuntur.

℣. 1. Omnis sapientia a Domino Deo est, [& cum illo fuit semper,] & est ante ævum.

℣. 2. Arenam maris, & pluviæ guttas, & dies sæculi quis dinumeravit? altitudinem cœli, & latitudinem terræ, & profundum abyssi quis dimensus est?

℣. 3. Sapientiam Dei præcedentem omnia quis investigavit?

℣. 4. Prior omnium creata est sapientia, & intellectus prudentiæ ab ævo.

℣. 5. Fons sapientiæ verbum Dei in excelsis, & ingressus illius mandata æterna.

℣. 6. Radix sapientiæ, cui revelata est, & astutias illius quis agnovit?

COMMENTARIUS.

℣. 1. OMNIS SAPIENTIA A DOMINO DEO EST, ET CUM ILLO FUIT SEMPER, ET EST ANTE ÆVUM. Hæc verba, *Et cum illo fuit semper*, in Græco desunt, ubi solùm legitur (a): *Omnis Sapientia a Domino est, & cum illo est in ævum*. Ipse unus est Sapientiæ Author & Dominus, eamque ipse pro libito elargitur. In Ecclesiastico, non secus ac in Proverbiis & Sapientiâ, *Sapientiæ* nomen nunc pro Sapientiâ æternâ, quæ ex Divinitatis essentiâ est, usurpatur; nunc pro secundâ Supremæ Trinitatis Personâ, quæ Sapientia est & Verbum a Patre genitum; nunc pro Sapientiâ, quam Deus infinitæ Misericordiæ muneræ hominibus impertitur (b). Confer cum hoc loco *Prov.* III, 29; VIII, 22, *& seq. Sap.* VII, 25; VIII, 3; IX, 3.

℣. 2. ARENAM MARIS QUIS DINUMERAVIT? (3) SAPIENTIAM DEI PRÆCEDENTEM OMNIA QUIS INVESTIGAVIT? Tacita est in his verbis comparatio. Quemadmodum numerari nequeunt maris arena, guttæ pluviarum, aut æternitatis diuturnitas, *Dies sæculi* (c), sive præteritarum futurarumque ætatum dies, omnisque temporum perennitas; ita fieri nequit, ut Sapientiæ vetustatem quis pervadat, aut ad id tempus perveniat, quo illa esse cœpit, cùm æterna sit, atque initio & fine careat. Hæ voces, *præcedentem omnia*, in Græco non leguntur, atque hoc loco abundant, cùm in sequenti versiculo ferantur. Hujus loci phrases imitantur Isaias XL, 12; XLVIII, 13; Job, XXXVIII, 4. Apollinis Oraculum, ut immensam cognitionis suæ amplitudinem demonstraret, arenæ numerum, & maris fines sese nosse gloriabatur (d).

℣. 4. PRIOR OMNIUM CREATA EST SAPIENTIA, ET INTELLECTUS PRUDENTIÆ AB ÆVO. Hic locus vel increatæ Sapientiæ, quæ ex Trinitatis essentiâ est, convenit; aut ipsi Personæ secundæ, quæ Sapientia est & Verbum æternum; utraque enim a totâ æternitate est, at revera nunquam creata, Deo æqualis, uniusque cum Deo substantiæ; ac demum nihilo minùs antiqua ipso Deo est. Si verbum *creare* pro gignere (e) usurpatum putes, ita explicare debes, ut Sapientia priusquàm res cæteræ creata esse dicatur. Certè Sapientia, quam Deus hominibus largitur, verissimè ante res cæteras creata est, cùm in Deo esset, priusquàm orbis produceretur. Spectat hìc Sapiens ea Salomonis verba (f): *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret: ab æterno ordinata sum*.

℣. 5. FONS SAPIENTIÆ VERBUM DEI IN EXCELSIS (g), ET INGRESSUS ILLIUS MANDATA ÆTERNA. Veræ sapientiæ fons est Dei Verbum, quod Sacris libris & revelatione continetur, eoque rectum iter docemur. Dum sanctissimum hoc Verbum sequimur, illique obtemperamus, ad perfectam illius cognitionem ac possessionem pervenimus. Vel: *Verbum Dei* eo sensu hìc usurpatur, quo apud Librum Sapientiæ, Philonem, & Chaldæos Paraphrastas, pro Deo ipso, ejusque Sapientiâ & potestate. Græcus ad verbum (h): *Fons Sapientiæ, Verbum Dei in excelsis; & via ejus* (Sapientiæ) *præcepta sempiterna*; ubi *Verbum Dei* usurpatum vides ceu synonimum *præceptis sempiternis*. Jungenda hæc sunt cum iis, quæ sequuntur: *Radix sapientiæ cui revelata est? & astutias illius quis agnovit?* Hoc vult, Sapientiæ fontem & radicem in Cœlo esse; nemini notum esse illius initium, eamque in Deo ipso, ejusque præceptorum observantiâ quærendam; ea enim est illius sedes.

(a) Πᾶσα σοφία παρὰ Κυρίου, καὶ μετ' αὐτοῦ ἐστιν εἰς τὸν αἰῶνα. (b) *Vide Cornel. a Lapid. & Grot. hic.* (c) Ἡμέρας αἰῶνος. (d) Οἶδα ἐγὼ ψάμμου τὸν ἀριθμὸν, καὶ μέτρα θαλάσσης. (e) *Athanas. Euseb. Bossuet. hic.* (f) *Prov.* VIII, 22. (g) Hic ℣. in Græcis Editionibus Aldinâ, Basileensi & Romanâ deest; at legitur in Complutensi, & Codice Camerarii. (h) Πηγὴ σοφίας, λόγος Θεοῦ ἐν ὑψίστοις, καὶ αἱ πορεῖαι αὐτῆς ἐντολαὶ αἰώνιοι. 6 Ῥίζα σοφίας τίνι ἀπεκαλύφθη; καὶ τὰ πανουργεύματα αὐτῆς τίς ἔγνω;

℣. 7. Disciplina sapientiæ cui revelata est, & manifestata? & multiplicationem ingressûs illius quis intellexit?

℣. 8. Unus est altissimus Creator omnipotens, & Rex potens, & metuendus nimis, sedens super thronum illius, & dominans Deus.

℣. 9. Ipse creavit illam in Spiritu sancto, & vidit, & dinumeravit, & mensus est.

℣. 10. Et effudit illam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundùm datum suum, & præbuit illam diligentibus se.

℣. 11. Timor Domini gloria, & gloriatio, & lætitia, & corona exultationis.

℣. 12. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiam, & gaudium, & longitudinem dierum.

℣. 13. Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.

COMMENTARIUS.

sedes. Vide infra ℣. 25; & Baruch, III, 15; & Job, XXXVIII, XXXIX, & præsertim Deuteronomium, VI, 6; *Facietis ea* (præcepta) *in terrâ quam possessuri estis, & observabitis, & implebitis opere. Hæc est enim vestra, sapientia & intellectus coram populis, ut audientes universi præcepta hæc*, leges mirabiles, *dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna.*

℣. 7. DISCIPLINA SAPIENTIÆ CUI REVELATA EST? Versus hic in Græco deest, & superioris explicatio est. *Multiplicationem ingressûs illius* ceu synonimam *astutiis (i)*, seu artibus *sapientiæ* ponit; earumque nomine intelligit arcanas, abditas ignotasque leges, quibus Providentia omnia moderatur, ut consiliis suis serviant. Astutia hoc loco, quemadmodum sæpe, in bonam partem usurpatur.

℣. 8. UNUS EST ALTISSIMUS . . . SEDENS SUPER THRONUM ILLIUS (k). Sapientiæ profunditatem, vetustatem, dignitatem ac præstantiam animo assequi nemo hominum potest. Id unius Dei est, qui & illâ perfectissimè potitur, & illam pro arbitrio dat quibus libet.

℣. 9. IPSE CREAVIT ILLAM IN SPIRITU SANCTO. Apud Ecclesiasticum & Sapientiam, Verbum, Pietas, Sapientia, Spiritus Sanctus indiscriminatim plerumque usurpantur (l). Author Sapientiæ Deus, ipsam in Spiritu Sancto, seu per Spiritum Sanctum creavit. Ipsa Divini oris halitus est, ipsiusque vultûs fulgor, & mentis illius Verbum. In Græco desunt hæc verba, *In Spiritu Sancto*, ferente solùm: *Dominus ipse creavit eam, & vidit, & dinumeravit eam.* Hanc Deus in æternitate produxit, omnem illius amplitudinem novit, ipsiosque annorum numerum scit, secretissimaque consilia & vias. Quicquid agit Sapientia cum pondere, numero, mensurâ & ordine, Deum non latet (m).

℣. 10. EFFUDIT ILLAM SUPER OMNIA OPERA SUA, ET SUPER OMNEM CARNEM. Quælibet res a Deo factæ, sapientiam illius præ se luculentissimè ferunt; mirificæque hujus virtutis vestigia in rerum creatione & conservatione, cæterisque Providentiæ legibus animadvertuntur. Vel: Dei Sapientia in quaslibet universi partes effusa est, & ad utrumque mundi finem porrigitur (n): *Attingit a fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Omnibus mobilibus mobilior est sapientia; attingit autem ubique propter suam munditiam (o).* Eadem est Spiritus ille, qui animam vitamque omnibus impertitur (p); & quo Deus, rerum initio, materiam omnem aspersit, ut illi motum vitamque conferret (q). Præsertim autem in hominibus cæterisque animalibus luculentiùs exhibetur, rerum scilicet a Deo creatarum, quæ sensibus obnoxiæ sunt, absolutissimis: *Super omnem carnem.* Suam cuique *dosin (r)*, portionem, mensuram dat, uti cuique opus est, ut consiliis Providentiæ serviat; *Secundùm datum suum.* Confer 1 *Cor.* XII, 11; *Ephes.* IV, 7.

PRÆBUIT ILLAM DILIGENTIBUS SE. Sapientia tota Dei amicis destinata est: hanc illis dat Deus, ut sese ament; & quòd amant, sapientiam auget. Illos misericordiâ prævenit, eorumque fidem, qua beneficiis suis & gratiâ bene utuntur, remuneratur. Quamobrem Platonicorum instar dicere possumus, sapientiam simul & matrem esse Divini erga nos amoris & filiam.

℣. 11. TIMOR DOMINI, GLORIA. Dei timor veræ solidæque gloriæ parens est, tum in hac vitâ cùm in alterâ. Animam piâ confidentiâ, veroque gaudio complet; tutaque ab obtrectatoribus & invidis est. Justus vir ac Sapiens in honore atque existimatione habentur, quòd satis virtutis habeant, qua dignissimi honore fiunt. Quamvis iniqui sint illis homines, eosque tanti non faciant, quanti merentur, nihilo tamen aut minùs digni sunt, aut minùs gloriosi. Tutissimum denique gloriæ iter sunt sapientia & pietas.

℣. 13. TIMENTI DOMINUM BENE ERIT IN EXTREMIS, ET IN DIE DEFUNCTIONIS SUÆ BENEDICETUR. Græci quidam Codices legunt (s): *Et in die finis inveniet gratiam.* Justus bonorum operum præmium in alterâ vitâ referet; gloriâ bonisque cumulabitur; ipsique impii illius felicitati invidebunt (t): *Moriatur anima mea morte justorum;* ipsumque meritis laudibus cumulare, beatumque prædicare cogentur (u). Celebris erit inter pios illius

(i) Πανηγυρίσματα αὐτῆς. (k) Καθήμενος ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ, *Sedens super thronum suum.*
(l) Vide præsertim *Sap.* I, 5, 6. VII, 22, 23; XI, 1, *& seq.*
(m) *Sap.* XI, 21. *Bossuet, hic.* (n) *Sap.* VIII, 1. (o) *Sap.* VII, 24. (p) *Sap.* VII, 21, 22.
(q) *Genes.* I, 2; *Sap.* I, 7. (r) Κατὰ τὴν δόσιν αὐτοῦ. *Vide Grot.* (s) Εὑρήσει χάριν. *Ita Ald. Basileens. Rom. Edit. in aliis:* Εὐλογηθήσεται. *Ita Complut. & Camerar. & Vulg.*
(t) *Num.* XXIII, 10. (u) *Sap.* V, 1, *& seq.*

℣. 14. [Dilectio Dei honorabilis sapientia.

℣. 15. Quibus autem apparuerit in visu, diligunt eam in visione, & in agnitione magnalium suorum.]

℣. 16. Initium sapientiæ, timor Domini, & cum fidelibus in vulvâ concreatus est, & cum electis fœminis graditur; & cum justis, & fidelibus agnoscitur.

℣. 17. [Timor Domini, scientiæ religiositas.

℣. 18. Religiositas custodiet, & justificabit cor; jucunditatem, atque gaudium dabit.

℣. 19. Timenti Dominum bene erit; & in diebus consummationis illius benedicetur.]

℣. 20. Plenitudo sapientiæ est timere Deum: & plenitudo a fructibus illius.

℣. 21. Omnem domum illius implebit a generationibus, & receptacula a thesauris illius.

℣. 22. Corona sapientiæ, timor Dñi, replens pacem, & salutis fructum.

COMMENTARIUS.

illius memoria, neque obtrectatorum furorem metuet (x). *In memoriâ æterna erit justus, ab auditione malâ non timebit.* Æquior & minùs invida posteritas plerumque meritas virtuti laudes reddit.

℣. 14. DILECTIO DEI, HONORABILIS SAPIENTIA. Hic versiculus, & qui sequitur, in Græco desunt. Dei amor similis Reginæ est venustissimæ, divinæque majestatis plenæ. Conspici, aut cognosci nequit, quin in pretio habeatur, ameturque. *Quibus apparuerit in visu, diligunt eam.* Si nobis conspicua foret Sapientia, ajebat Cicero, quàm multis nos illecebris traheret? Hujus venustatem novit Salomon, omnemque ipsius præstantiam illi Deus ostendit (y). Quamobrem quanti eam fecit coloitque? quàm multis in locis laudat? In libris, qui sub Sapientiæ nomine recensentur, eadem res sunt timor Dei, amor Dei, pietas, sapientia.

℣. 16. INITIUM SAPIENTIÆ TIMOR DOMINI, ET CUM FIDELIBUS IN VULVA CONCREATUS EST. Justi piique homines Deum a pueris verentur: Dei timorem, obsequium, amorem ab ipso matris sinu, primisque institutionibus ferunt. Ea scilicet est verorum Israëlitarum felicitas, qui & ortum & educationem in verâ Religione sortiti sunt. Hoc sensu ajebat Job (z), misericordiam ab infantiâ secum crevisse, unoque partu ex ejusdem matris ventre prodiisse. Agens verò de impiis Psalmista (a), canit, illos ab utero erravisse, ab ipso ortu sceleratos. Aliter de justis piisque hominibus est, qui e matris ventre sanctitatem ferentes, justitiæ iter, quod ab infantiâ ingressi sunt, nunquam reliquere. Idem dicito de iis, qui bonum ingenium, aptamque virtuti naturam sortiti sunt, quemadmodum Salomon de seipso testatur (b), se scilicet animâ bonâ a Deo donatum, corpus etiam habuisse pronis in malum propensionibus minimè vitiatum.

ET CUM ELECTIS FEMINIS (c) GRADITUR. Dei timor & pietas pulcherrimum sunt fœminarum ac virorum decus. Ea si absint, quælibet corporis, animi, fortunæque bona illorum pernicies fiunt. Græcus aliter fert (d): Timor Dei *cum hominibus fundamentum æternum extruxit; & progeniei eorum se credidit*, constantem moram eum eorum posteris aget. De piis hominibus loquitur. Dei timor in ipsorum filiorumque animis radices egit. Bona pietatis semina, a pueris excepta, difficilè amittuntur.

℣. 17. TIMOR DOMINI SCIENTIÆ RELIGIOSITAS. Doctus homo, pietate, & religione carens, multò perniciosior in hominum societate, in Republicâ, in Ecclesiâ est, quàm scelestissimi homines scientiâ carentes. Hi solos se plerumque perdunt: illi innumeros in exitium trahunt. Hic Versiculus, & qui sequuntur duo, in Græco non leguntur.

℣. 20. PLENITUDO SAPIENTIÆ TIMERE DEUM; ET PLENITUDO A FRUCTIBUS ILLIUS. Qui sapientiâ plenus, & quodammodo saturatus est, quique illam absolutè possidet, nunquam non pius est, Deumque veretur. Primum hoc est atque ultimum bonum, quod vera Sapientia in nobis parit: saturos facit timoris Dei, & quodammodo amoris ebrios. Ita sonat Græcus (e).

℣. 21. OMNEM DOMUM ILLIUS IMPLEBIT A GENERATIONIBUS, ET RECEPTACULA A THESAURIS ILLIUS. Timor Dei locupletes facit eos, qui ipso instruuntur: idem ipse pretiosissimus omnium thesaurus est (f): *Timor Domini ipse est thesaurus ejus.* Gloria & opes in domo justi sunt, inquit Psalmista (g). In Veteri Testamento hujus vitæ bona ingens Dei benedictio habebantur. Græcus legit (h): *Omnem domum ipsorum implebit rebus pretiosis optimis, suis; & omnes apothecas suis fructibus. Ambo enim sunt dona Dei in pacem*, vel felicitatem. Hæc omnia illorum felicitati servient. Rebus prosperis, omnique bonorum genere cumulabuntur.

℣. 22. CORONA SAPIENTIÆ, TIMOR DOMINI, REPLENS PACEM ET SALUTIS FRUCTUM. Hæc verba

(x) *Psalm.* CXI, 7. (y) 3 *Reg.* III, 5.
(z) *Job*, XXXI, 18. (a) *Psal.* LVII, 3. (b) *Sap.* VIII, 19, 20. (c) *Melius.*, feminis. *Græc.* Μετὰ τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἐμπιστευθήσεται. (d) Μετ' ἀνθρώπων θεμέλιον αἰῶνος ἐνόσσευσε, ϗ μετὰ τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἐμπιστευθήσεται. (e) Πλησμονὴ σοφίας φοβεῖσθαι τὸν Κύριον, ϗ μεθύσκει αὐτοὺς ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῆς. (f) *Isai.* XXXIII, 6. (g) *Psal.* CXI, 3.
(h) Πάντα τὸν οἶκον αὐτῶν ἐμπλήσει ἐπιθυμημάτων αὐτῆς, ϗ τὰ ἀποδοχεῖα ἀπὸ τῶν γεννημάτων αὐτῆς. Ἀμφότερα δέ ἐστι Θεοῦ δῶρα εἰς εἰρήνην.

℣. 23. Et vidit, & dinumeravit eam: utraque autem ſunt dona Dei.
℣. 24. Scientiam, & intellectum prudentiæ ſapientia compartietur: & gloriam tenentium ſe exaltat.
℣. 25. Radix ſapientiæ eſt timere Dominum: & rami illius longævi.
℣. 26. [In theſauris ſapientiæ intellectus, & ſcientiæ religioſitas: execratio autem peccatoribus ſapientia.]
℣. 27. Timor Domini expellit peccatum.
℣. 28. Nam, qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari: iracundia enim animoſitatis illius, ſubverſio illius eſt.
℣. 29. Usque in tempus ſuſtinebit patiens: & poſtea redditio jucunditatis.
℣. 30. Bonus ſenſus usque in tempus abſcondet verba illius, & labia multorum enarrabunt ſenſum illius.
℣. 31. In theſauris ſapientiæ ſignificatio diſciplinæ:
℣. 32. Execratio autem peccatori, cultura Dei.
℣. 33. Fili, concupiſcens ſapientiam, conſerva juſtitiam, & Deus præbebit illam tibi.
℣. 34. Sapientia enim, & diſciplina timor Domini: & quod beneplacitum eſt illi,
℣. 35. Fides, & manſuetudo: (& adimplebit theſauros illius.)

COMMENTARIUS.

ba pars ſunt ſuperioris ſententiæ. Dei timor, de quo diximus, ornatur a Sapientiâ & coronatur. Alter ab alterâ nunquam ſejungitur; utraque verò poſſeſſores ſuos bonis, pace & proſperitate cumulant. Græcus (i): *Corona Sapientiæ, timor Domini, producens*, ad verbum, germinans, *pacem & ſanitatem incolumitatis: dilatat autem gloriam*, ſeu famam, *diligentibus ipſum*.

℣. 23. ET VIDIT ET DINUMERAVIT EAM: UTRAQUE AUTEM SUNT DONA DEI. Diſſident hoc loco Græci Codices & Latini; alteri enim priorem ſolummodò verſiculi partem legunt, alteri poſteriorem. Prior legitur in ℣. 9; poſterior in ℣. 21.

℣. 24. SCIENTIAM ET INTELLECTUM PRUDENTIÆ SAPIENTIA COMPARTIETUR. Veræ ſcientiæ & prudentiæ fons ſapientia eſt; quæ ſi abſit, ſcientia ſuperbos & arrogantes facit, prudentia verſutos, ac malarum artium fabricatores. Græcus (k): *Scientiam & cognitionem intelligentiæ quaſi imbrem effudit*.

℣. 25. RAMI ILLIUS LONGÆVI. Græcus (l): *Rami illius, longævitas*. Sapientiæ præmium eſt vita diuturna. Vide *Sap.* IV, 8. *Baruch*, III, 14.

℣. 26. IN THESAURIS SAPIENTIÆ INTELLECTUS. Hic Verſiculus non legitur in Græco hic, ſed in ℣. 31. Eadem fermè ſententia eſt, quæ ℣. 24.

℣. 27. TIMOR DOMINI EXPELLIT PECCATUM. Sapientia vigilantiam & ſedulitatem hominem docens, peccatum prohibet, ne in animam irrumpat; & ſi irruperit, expellit, pœnitentiam ac dolorem inſpirans. Græcus addit (m): *Permanens verò, iram avertet*. Ubi altas in animâ radices egerit, Divini furoris ſeveritatem arcet. Vel: Removet peccatum & peccati pœnam. Alii reddunt totum hunc Verſum: *Timor Dei expellit peccata; & qui patiens eſt, iram avertit*. Si homini iracundo patientem ac lenem opponas, arma iræ illius auſers. Prior explicatio magis literæ ſervit: at verſiculus 28 poſteriori favere videtur: *Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari: iracundia enim animoſitatis illius, ſubverſio illius eſt*. Iracundum hominem opponit timenti Deum; & ℣. 27 patientem cum Deum timente conjungit.

℣. 29. USQUE IN TEMPUS SUSTINEBIT PATIENS: ET POSTEA REDDITIO JOCUNDITATIS. Dum in hac vitâ eſt, pius homo impiorum injuriis, invidiæ, calumniis obnoxius erit: at ubi mortem obierit, gaudio & gloriâ cumulabitur (n). Interdum etiam permittit Deus, ut juſti homines poſt diuturna mala, pace & tranquillitate in hac vitâ fruantur. Innumera ſunt hujus rei exempla apud Scripturam in Patriarchis.

℣. 30. BONUS SENSUS USQUE IN TEMPUS ABSCONDET VERBA ILLIUS. Græcus non habet has voces, *Bonus ſenſus*, planè otioſas. Jungendus eſt hic verſiculus cum ſuperiori. Qui patiens eſt, & ſilentium amat, loqui & gloriari non feſtinabit: ejus tamen laudes dicere plurimi certabunt.

℣. 31. IN THESAURIS SAPIENTIÆ, SIGNIFICATIO DISCIPLINÆ. Græcus (o): *In theſauris ſapientiæ parabola ſcientiæ*. Sublimes, ac ſententioſas, doctaſque orationes condit in theſauris ſuis Sapientia, quas temerè, ac ſine causâ non profert; ſed in tempus opportunum ſervat.

℣. 33. CONSERVA JUSTITIAM, ET DEUS PRÆBEBIT ILLAM (Sapientiam) TIBI. Græcus (p): *Serva mandata, & Dominus præbebit tibi eam*. Vera Sapientia eſt Deum colere & amare, ejuſque præceptis obſequi. Hanc Deus ſervis ſuis atque amicis largitur.

℣. 34. QUOD BENEPLACITUM EST ILLI, (35) FIDES ET MANSUETUDO, ET ADIMPLEBIT THESAUROS ILLIUS. Poſtrema hæc verba, *Et adimplebit theſauros*

(i) Στέφανος σοφίας φόβος Κυρίου, ἀναθάλλων εἰρήνην, καὶ ὑγίειαν ἰάσεως. Πλατύνει δὲ καύχησιν τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. (k) Ἐπιστήμην, καὶ γνῶσιν συνέσεως ἐξώμβρησε σοφία.
(l) Οἱ κλάδοι αὐτῆς μακροημέρευσις. (m) Φόβος Κυρίου ἀπωθεῖται ἁμαρτήματα. παραμένων δὲ ἀποστρέψει ὀργήν. *Quid.* Παραμένων δὲ αὐτῷ ἀποστρέψει ὀργήν.
(n) *Vide Sap.* III, 1, 2, 3; & V, 1, 2, 3. (o) Ἐν θησαυροῖς σοφίας παραβολαὶ ἐπιστήμης.
(p) Διατήρησον ἐντολὰς, καὶ Κύριος χορηγήσει σοὶ αὐτήν.

℣. 36. Ne sis incredibilis timori Domini: & ne accesseris ad illum duplici corde.

℣. 37. Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis tuis.

℣. 38. Attende in illis, ne fortè cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem,

℣. 39. Et revelet Deus absconsa tua, & in medio synagogæ elidat te:

℣. 40. Quoniam accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo, & fallaciâ.

COMMENTARIUS.

sauros illius, non habet Græcus, utpote repetita ex ℣. 21. Fides, sinceritas, in promissis veritas, atque erga cæteros mansuetudo, virtutes sunt Deo gratissimæ. Sanxit Christus, eos qui miti animo sunt, terram possessuros (q).

℣. 36. NE SIS INCREDIBILIS TIMORI DOMINI; ne resistas, &c. Græcus: *Ne sis incredulus timori Domini, si fortè egens fueris*. Si quando Deus te in egestatem devenire patiatur, ne quid a Dei timore discedas; neque idcircò animo cadas sive turberis, sed Dei timorem sectare. Inopia virtutem tuam periclitatur; non indicat, Deum tui curam non gerere. Illum patienter præstolare, deque ejus bonitate confide; graviùs enim quàm ferre potes, tentari te non patietur. Orabat Deum Sapiens (r), ut opes, extremamque inopiam a se averteret, ne vel inopiæ causâ in furtum & perjuria rueret, aut divitiis luxurians, Dei oblivisceretur, ipsumque contemneret.

℣. 37. NE FUERIS HYPOCRITA IN CONSPECTU HOMINUM, ET NON SCANDALIZERIS IN LABIIS TUIS, ne ruinæ causa cæteris fueris. Ne simulator sis, aut animo duplex; nihil enim magis odiosum inter homines est, quàm duplex animus, & simulatus, cæteros sub amicitiæ specie decipiens. Neque unquam temerè & sine causâ loquaris, ne inconsiderata oratio ruinæ causa tibi sit, aut invidiam apud cæteros pariat. Græcus (s): *Ne fictè verseris inter homines; & ne confidas labiis tuis*. Vel: *Ne conformeris ex verbis hominum; & ne innitaris labiis tuis*. Una sibi sit agendi lex Dei timor tuaque conscientia. Ne aures porrigito iis quæ homines dicunt; futurum enim est, ut te decipiant: neque putes fidem tibi habendam esse ex uno tui ipsius testimonio. Quidquid agis, ex veritatis & justitiæ legibus age. Aliter: *Ne simules in ore hominum, & labiis tuis attende*.

℣. 38. ATTENDE IN ILLIS, NE FORTE CADAS, ET ADDUCAS ANIMÆ TUÆ INHONORATIONEM. Græcus (t): *Non exaltes teipsum, ne cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem*. Superbiam plerumque sequitur probrum & dedecus. *Qui se exaltat, humiliabitur*, inquit Christus (u); & frequenter in altum efferri superbos patitur Deus, *ut lapsu graviore ruant* (x).

℣. 40. QUONIAM ACCESSISTI MALIGNE AD DOMINUM. Græcus (y): *Quoniam non accessisti ad timorem Domini in veritate*. Jungenda sunt hæc verba cum iis quæ præcedunt, & sequuntur. Ne in superbiam efferaris apud homines & Deum, ne Deus te probro efficiat; putasti enim falli a te Deum posse, uti homines decipis; illique non obsequutus es eâ subjectione, timore & amore, quo decet. Cùm igitur ad Dei servitutem accedere vis, constans esto in timore & justitiâ. Hoc docet sequenti Capite.

CAPUT II.

Exhortatio ad patientiam in malis rebusque arduis. Dei timor. Animus duplex. In Deum fiducia. Meticulosus homo, ac dejectus. Timentium Deum constantia & fiducia.

℣. 1. FIli, accedens ad servitutem Dei, [sta in justitiâ, & timore;] & præpara animam tuam ad tentationem.

COMMENTARIUS.

℣. 1. FILI, ACCEDENS AD SERVITUTEM DEI, STA IN JUSTITIA ET TIMORE: ET PRÆPARA ANIMAM TUAM AD TENTATIONEM. Amicorum, servorumque periculum facit Deus, constantissimâ omnium temporum lege. Ab electorum primo, usque ad novissimum, nemo tentatione malorumque periculo aut caruit, aut cariturus est. *Fili mi*, inquit Apostolus (a), *noli negligere disciplinam, neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit*. Christus ipse suæ ipsius gloriæ nonnisi post omnia tentationum genera potitus est (b). *Quia acceptus eras Deo*, inquit Angelus ad Tobiam (c), *necesse fuit ut tentatio probaret*

(q) *Matth.* v, 4. (r) *Prov.* xxx, 9. (s) Μὴ ὑποκριθῇς ἐν στόμασιν ἀνθρώπων, καὶ ἐν τοῖς χείλεσί σου μὴ πρόσεχε. *Quidam*: Καὶ ἐν τοῖς χείλεσί σου πρόσεχε. (t) Μὴ ἐξύψου σεαυτὸν, ἵνα μὴ πέσῃς, καὶ ἐπαγάγῃς τῇ ψυχῇ σου ἀτιμίαν. (u) *Matth.* xxiii, 12. (x) *Menander*.
Ὅταν ἴδῃς πρὸς ὕψος ἠρμένον τινὰ, . . .
Τότε ἐσχάτην νέμεσιν εὐθὺς προσδόκα.
Ἐπαίρεται γὰρ μεῖζον, ἵνα μεῖζον πέσῃ.
(y) Ὅτι οὐ προσῆλθες ἐν ἀληθείᾳ τῷ φόβῳ τοῦ Κυρίου. (a) *Hebr.* xii, 6.
(b) *Hebr.* iv, 15; *Luc.* xxiv, 46, &c. (c) *Tob.* xii, 13.

℣. 2. Deprime cor tuum, & sustine: (inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectûs:) & ne festines in tempore obductionis.

℣. 3. [Sustine sustentationes Dei:] conjungere Deo, & sustine: ut crescat in novissimo vita tua.

℣. 4. Omne, quod tibi applicitum fuerit, accipe: [& in dolore sustine,] & in humilitate tuâ patientiam habe:

℣. 5. Quoniam in igne probatur aurum, [& argentum:] homines verò receptibiles in camino humiliationis.

℣. 6. Crede Deo, & recuperabit te: & dirige viam tuam, & spera in illum. (Serva timorem illius, & in illo veterasce.

℣. 7. Metuentes Dominum, sustinete misericordiam ejus: & non deflectatis ab illo, ne cadatis.)

℣. 8. Qui timetis Dominum, credite illi: & non evacuabitur merces vestra.

COMMENTARIUS.

baret te. Græcus brevior Vulgatâ est (d): *Fili, si accesseris ad serviendum Domino, compara animam tuam ad tentationem*. Apud Scripturam, *praeparare* usurpatur pro confirmare. Firmum constantemque adversùs tentationes te effice; virtute & audaciâ instruere: vigilantiam, Dei timorem, patientiam compara. In toto deinceps Capite varias tradit institutiones primæ huic similes, quâ discipulum instruit. Magnopere interest, cùm aliquod vitæ genus aggrederis, scire quid oneris capias, quidve tibi agendum sit, ut res bene cedat. In pietatis itinere plura sunt superanda, tum quæ permittit Deus, tum quæ Diabolus objicit. Tentat Deus ut meliores efficiat, magisque vigiles, fortiores, humilioresque, atque ut virtutem augeat: viresque suppeditat & auxilia minimè inferiora certamine, cui nos objicit (e). Tentat Diabolus ut perdat, ut in exitium trahat, ut Dei timore ac fide spoliet.

℣. 2. Deprime cor tuum et sustine: Inclina aurem tuam, et suscipe verba intellectus; at ne festines in tempore obductionis. Græcus omittit has voces, *Inclina aurem tuam & suscipe verba intellectûs*, ac solùm fert (f): *Dirige cor tuum & sustine: & ne festines in tempore incursionis*, vel ubi Deus calamitate aliquâ te affici permiserit. Dirige cor tuum, illudque ad Dei legem moderare; sive, constans esto, atque ad resistendum paratus; neque patientiâ cadas, aut irascaris; neque ullum tibi verbum excidat temerè aut ex iracundiâ prolatum. Sedato animo præstolare tempus a Deo præstitutum, neque prævenire festines. *Qui crediderit, non festinet*, inquit Isaias (g); patienter expectet; neque enim deerit Deus, opem feret cùm opportunum fuerit.

℣. 3. Sustine sustentationes Dei; conjungere Deo ... ut crescat in novissimo vita tua. Sive: Ut imminente morte uberem bonorum copiam habeas, justamque patientiæ tuæ, tuorumque laborum mercedem accipias. Vel denique: Ut ubi senueris, omni bonorum genere affluas, suavem, tranquillam, ac felicem vitam agas. In Veteri lege frequens piorum merces erant vita diuturna, & vitæ commoda. Hæc verba, *sustine sustentationes Dei*, addita sunt ceu superiorum explicatio.

℣. 4. Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, et in dolore sustine. Postrema hæc verba non leguntur in Græco. Ne eadem res toties moneatur, iterum ac supremum moneo, ea, quæ in Textu inter parentheses clausimus, addita esse, & in Græco non legi. Hujusmodi verò additiones mera sunt glossemata, quæ aliis vocibus superiorem sententiam explicant. Græcus habet (h): *Omne quod tibi molestum contigerit, accipe libenter; & in commutatione humilitatis tuæ patiens esto*. Vel: Patienter præstolare, dum te Deus e misero rerum afflictarum statu educat. Malorum omnium pessimum, ac remedium inutilissimum est impatientia & desperatio. Fortunæ vices ita excipiendæ sunt, ut valetudinis: æquo animo ferenda est, ubi iniqua sit, ac melior expectanda. Majus aliquid vult Religio, jubetque mala sedato animo toleranda esse, spemque Divinæ opis habendam, quæ suavissimum est piorum hominum solatium.

℣. 5. In igne probatur aurum et argentum: homines vero receptibiles in camino humiliationis. Quod est metallo ignis, id sunt homini calamitates. Infimæ notæ metallum consumit ignis, non purgat. Impius inter hujus vitæ angustias perditur, non perficitur. Atque ut ignis quæ sit metalli natura ostendit, non ipsum metallum vitiat; ita calamitates quid quisque sit, docet; utrùm constans ac solida sit hominis virtus, an sola sit virtutis umbra & imago. Cùm de periculo virtutis agunt, Sacri (i) Profanique (k) Scriptores metalli igne probati comparationem usurpant.

℣. 6. Crede Deo, et recuperabit te. Vel, Spem in Deo collocato; promissorum illius veritatem præstolare; fiduciam habeto de illius ope; atque ipse te hisce malis eripiet, opem feret, liberabit, &c.

℣. 9. Qui

(d) Τέκνον, εἰ προσέρχῃ δουλεύειν τῷ Κυρίῳ, ἑτοίμασον τὴν ψυχήν σου εἰς πειρασμόν.

(e) 1 *Cor.* x, 13. (f) Εὔθυνον τὴν καρδίαν σου, καὶ μὴ σπεύσῃς ἐν καιρῷ ἐπαγωγῆς. Hæc vox ἐπαγωγὴ significat mala, quibus Deus homines castigat. Vide infra, ℣. 4, cap. xxiii, 59; xlvi, 4; xlviii, 2; & v, 10; x, 14; xxiii, 12; xl, 11, &c. *Grot. Drus. Cornel.* (g) *Isai.* xxviii, 16.

(h) Πᾶν ὃ ἐὰν ἐπαχθῇ σοι, δέξαι ἀσμένως, καὶ ἐν ἀλλάγμασι ταπεινώσεώς σου μακροθύμησον.

(i) *Prov.* xvii, 3; *Zachar.* xiii, 9; *Malach.* iii, 3; *Psal.* xvi, 3; lxv, 10, 11. (k) *Ovid.*

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est experienda fides.

Menander.

Χρυσὸς μὲν οἶδεν ἐξελέγχεσθαι πυρί.
Ἡ δ' ἐν φίλοις εὔνοια καιρῷ κρίνεται.

(l) Πίστευσον αὐτῷ, καὶ ἀντιλήψεταί σου.

℣. 9. Qui timetis Dominum, sperate in illum: & in oblectationem veniet vobis misericordia.

℣. 10. (Qui timetis Dominum, diligite illum: & illuminabuntur corda vestra.)

℣. 11. Respicite, filii, nationes hominum: & scitote, quia nullus speravit in Domino, & confusus est.

℣. 12. Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est? aut quis invocavit eum, & despexit illum?

℣. 13. Quoniam pius, & misericors est Deus, & remittet in die tribulationis peccata: [& protector est omnibus exquirentibus se in veritate.]

℣. 14. Væ duplici corde, [& labiis scelestis,] & manibus malefacientibus, & peccatori terram ingredienti duabus viis.

℣. 15. Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo: & ideò non protegentur ab eo.

℣. 16. Væ his, qui perdiderunt sustinentiam, [& qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas.]

℣. 17. Et quid facient, cùm inspicere cœperit Dominus?

℣. 18. Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius: & qui diligunt illum, conservabunt viam illius.

℣. 19. Qui timent Dominum, inquirent quæ beneplacita sunt ei: & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.

COMMENTARIUS.

℣. 9. QUI TIMETIS DOMINUM, SPERATE IN ILLUM, ET IN OBLECTATIONEM VENIET MISERICORDIA. Hoc loco Græcus idem est ac Latinus ℣. 7. In quibusdam Græcis Editionibus, veluti Romanà, hic versus hoc loco non legitur, sed pro septimo, ubi apud alias desideratur. Græcus (m): *Qui timetis Dominum, expectate misericordiam ejus, & ne declinate, ne labamini*; vel, ne e timore Domini excidatis; sive, ne illius misericordiæ beneficio privemini. Superior versiculus fert (n): *Qui timetis Dominum, sperate bona, & lætitiam sempiternam, & misericordiam*. ℣. 10 in Græco decst.

℣. 11. RESPICITE, FILII, NATIONES HOMINUM: ET SCITOTE, QUIA NULLUS SPERAVIT IN DOMINO, ET CONFUSUS EST. Ætates omnes, atque omnia Historicorum monumenta percurrite: nemo certè occurret, qui fiduciam in Domino collocans, illius ope ac patrocinio fraudatus sit. Patriarchas ac Prophetas animo evolvite: perspicua inter illos intuebimini solicitudinis exempla, qua Deus suos prosequutus est, ut illos malis eriperet.

℣. 13. REMITTET IN DIE TRIBULATIONIS PECCATA: ET PROTECTOR EST OMNIBUS EXQUIRENTIBUS SE IN VERITATE: Græcus (o): *Patiens, & multa misericordia Dominus, remittit peccata, & servat in die calamitatis*. Plenus misericordiæ Deus peccata, quæ quisque commisit, hujus vitæ malis expiat. Melior est apud Græcum sententia. Duo Divinæ misericordiæ beneficia exhibet, alterum, quo remittuntur peccata, alterum quo hujus vitæ malis liberamur.

℣. 14. VÆ DUPLICI CORDE, ET LABIIS SCELESTIS, ET MANIBUS .... ET PECCATORI TERRAM INGREDIENTI DUABUS VIIS. Brevior Græcus (p): *Væ cordibus timidis*, vel ex aliis Codicibus, *Væ cordibus duplicibus, manibusque remissis, & peccatori duabus viis gradienti*. Turbarum aliquid in hoc versiculo esse videtur, legendumque: *Væ duplici corde, & peccatori ingredienti duabus viis*. (15) *Væ manibus remissis, & cordi collapso, quod non credit Deo: & ideò non protegetur ab eo*. Duo hìc exhibet Sapiens hominum genera; I, Remissos, qui a patientiâ excidunt, neque spem in Deo habent; II, Duplices animo, æquitate & sinceritate carentes. Patientes sincerosque esse vult Deus eos, quos inter suos legit. *Usquequo claudicatis in duas partes?* arguebat Israëlitas Elias (q). *Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum. Disperdam eos*, ajebat Deus (r), *qui jurant in Domino, & jurant in Melchom*, Dei cultum cum Baalis religione jungentes. Totum sine socio cor hominis unus habere vult Deus, inquit S. Augustinus (s): ac *tanti emit, ut solus possideat*. Tu cum Diabolo dividis; quamobrem iniquissimâ divisione offensus, recedit Deus, totumque in Diaboli potestate relinquit.

℣. 17. ET QUID FACIENT, CUM INSPICERE COEPERIT DOMINUS? Græcus ad verbum (t): *Quid facietis, cùm visitaverit Dominus?* Qui patientiâ caretis, quid acturi estis, ubi iratus vos visitaverit Deus, ac parem vestris operibus sententiam feret? Quid illi contra relaturi estis, cùm fidem illius verbis habere, ejusque imperio subjici neglexeritis?

℣. 19. QUI TIMENT DOMINUM, INQUIRENT QUÆ

(m) Οἱ φοβούμενοι τὸν Κύριον, ἀναμείνατε τὸ ἔλεος αὐτοῦ, καὶ μὴ ἐκκλίνητε, ἵνα μὴ πέσητε.
(n) Οἱ φοβούμενοι τὸν Κύριον, ἐλπίσατε εἰς ἀγαθὰ, καὶ εἰς εὐφροσύνην αἰῶνος, καὶ ἔλεος.
(o) Μακρόθυμος καὶ πολυέλεος, καὶ ἀφίησιν ἁμαρτίας, καὶ σώζει ἐν καιρῷ θλίψεως.
(p) Οὐαὶ καρδίαις δειλαῖς, (*Alii* διπλαῖς,) καὶ χερσὶ παρειμέναις, καὶ ἁμαρτωλῷ ἐπιβαίνοντι ἐπὶ δύο τρίβους. (q) 3 *Reg.* XVIII, 21. (r) *Sophon.* I, 5. (s) *Tract.* IX *in Johan.*
(t) Καὶ τί ποιήσετε, ὅταν ἐπισκέπτηται Κύριος.

℣. 20. Qui timent Dominum, præparabunt corda sua: & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.

℣. 21. (Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, & patientiam habebunt usque ad inspectionem illius,

℣. 22. Dicentes: Si pœnitentiam non egerimus,) incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.

℣. 23. Secundùm enim magnitudinem ipsius, sic & misericordia illius cum ipso est.

COMMENTARIUS.

QUÆ BENEPLACITA SUNT EI. Vel, ex Græco (u): *Quærent benevolentiam ejus*. Ipsius amicitiam ab eo flagitabunt, & ea quæ ingrata illi sunt, vitabunt. *Et qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.* Altè defixam in animo gerent, callebunt, amabunt, planissimè noscent, eâ saturabuntur, eamque nullo labore observabunt.

℣. 20. QUI TIMENT DOMINUM, PRÆPARABUNT CORDA SUA; quidlibet Deo visum fuerit, ferre parati; sibi ipsis cavebunt, seque assiduâ sedulitate custodient. Vel denique: Virtute & constantiâ in rebus asperis sese munient. Præparare cor suum, frequenter usurpatur pro animos sumere, constantiam virtutemque ad mala quælibet futura excitare. Addit: *Et in conspectu illius sanctificabunt animas suas*. Sanctificare frequenter ponitur pro *preparare*: sese in prælium comparabunt. Græcus (x): *Humiliabunt animas suas*. Optimus adversùs Diabolum pugnæ apparatus, oratio, vigilantia, atque animi dejectio.

℣. 21. QUI TIMENT DOMINUM, &c. Ita clauditur hoc Caput in Græco: *Incidemus in manus Domini, & non in manus hominum. Quanta enim est majestas ejus, tanta est misericordia*. In mente habuisse videtur verba Davidis, cùm hic Prophetæ Gad, trium malorum optionem sibi exhibenti, respondit (y): *Melius est ut incidam in manus Domini (multa enim misericordia ejus sunt) quàm in manus hominum*. Profectò quamquam *horrendum est incidere in manus Dei viventis* (z), illud tamen solatii superest, illum æquitatis plenum esse ac misericordiæ; cùm homo plenus iniquitate sit, libidine & sævitiâ: vindictæ modum interdum excedit homo; Deus ipsa est naturâ æquitas. At hoc solummodò de hujus vitæ malis intellige, ac de severitate, qua Deus hîc iniquos punit. At æterno in sæculo, ubi locum cedet misericordia, omnis justitiæ severitas exercenda est. Hominum furor, ubi vitam nobis abstulerit, aut brevibus aliquot calamitatibus affecerit, ulteriùs sævire nequit; at Divinus æternis in alterâ vitâ & infinitis suppliciis animadvertet. Quamobrem Susanna in certissimo necis aut peccati discrimine constituta, *Melius est*, inquit (*), *mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini*.

CAPUT III.

Filiorum officia erga parentes. Lenitatis atque humilitatis laus. Curiositas ac temeritas coërcenda. Eleemosyna vis.

℣. 1. (Filii sapientiæ, ecclesia justorum: & natio illorum, obedientia, & dilectio.)

℣. 2. Judicium patris audite, filii, & sic facite, ut salvi sitis.

℣. 3. Deus enim honoravit patrem in filiis: & judicium matris exquirens, firmavit in filios.

COMMENTARIUS.

℣. 1. FILII SAPIENTIÆ, ECCLESIA JUSTORUM. Quos Sapientia instituit, ii Sanctorum Justorumque, piorum ac morigerorum hominum cœtum ac genus efficiunt; *Natio illorum obedientia & dilectio*. S. Augustinus legit (a): *Et nati illorum*. Hoc profectò significat ea vox, *natio illorum*. Deest hic versiculus in Græco. Elogio omnium præstantissimo Author Sapientiam donat, cùm Sanctos justosque, morigeros ac Deum timentes & amantes homines ab eâ effici, omnia scilicet perfectæ vitæ officia doceri ait.

℣. 2. JUDICIUM PATRIS AUDITE, FILII, monita patris. Intelligite, quod sit parentum vestrorum jus, vestraque erga illos officia. Græcus (b): *Me patrem audite, filii; & sic facite ut salvi sitis*. Primum enim maximumque officium est, ut me audiatis: docilitate autem & obedientiâ salutem consequemini, ac præsentis futuræque vitæ mala vitabitis. Parentes in terrâ constituit Deus, ceu conspicua numina, inquit Philo (c), ut illos filii quodammodo veluti Deum ipsum colant illisque obsequantur.

℣. 3. DEUS ENIM HONORAVIT PATREM IN FILIIS; ET JUDICIUM MATRIS EXQUIRENS, FIRMAVIT IN FILIOS (d). Deus enim patrem filiis venerabilem effecit, ac matris authoritatem in ipsos confirmavit. Filios parentibus ceu præmium & decus impertitus est Deus, eosque fermè absolutâ in illos authoritate instruxit; quamobrem vult, ut filii parentes colant, honore prosequantur, illis obtem-

(u) Ζητήσουσι εὐδοκίαν παρ' αὐτοῦ. (x) Ταπεινώσουσι τὰς ψυχὰς αὐτῶν. (y) 2 Reg. xxiv, 14. (z) Hebr. x, 31. (*) Dan. xiii, 23. (a) August. in Speculo. (b) Ἐμοῦ τοῦ πατρὸς ἀκούσατε, τέκνα. (c) Philo, Lib. de Decalogo. (d) Ὁ γὰρ Κύριος ἐδόξασε πατέρα ἐπὶ τέκνοις, καὶ κρίσιν μητρὸς ἐστερέωσεν ἐφ' υἱοῖς. Græcus non habet vocem, *exquirens*, ex qua omnis hujus loci obscuritas oritur.

℣. 4. Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis, [& continebit se
ab illis, & in oratione dierum exaudietur.]
℣. 5. Et sicut qui thesaurizat, ita & qui honorificat matrem suam.
℣. 6. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis: & in die
orationis suæ exaudietur.
℣. 7. Qui honorat patrem suum, vitâ vivet longiore: & qui obedit patri, refrigerabit matrem.
℣. 8. (Qui timet Dominum, honorat parentes,) & quasi dominis
serviet his, qui se genuerunt.
℣. 9. In opere, & sermone, (& omni patientiâ) honora patrem tuum,
℣. 10. Ut superveniat tibi benedictio ab eo, [& benedictio illius
in novissimo maneat.]

COMMENTARIUS.

obtemperent, ac præsidio sint, utì res poscit. Matrem etiam *judicio*, authoritate, imperandi, coërcendi, ac puniendi potestate Deus donat. Parentes filiis imago Dei in terrà sunt; ac penès illos suprema Dei in illos authoritas veluti deposito est. Quamobrem apud Veteres ea erat parentum authoritas in filios, ut vendere liceret, atque in servitutem dare, ut ipsi inopià & oppressione liberarentur; interdum etiam vitæ ac necis potestatem in filios exercerent (e). Tria hominum genera sunt, inquit Aristotelss (f), quibus nunquam satis reddere possumus, quæ debemus: Dii, parentes, & præceptores.

℣. 4. Qui diligit Deum, exorabit pro peccatis... et in orationa oierum eaaudiatur. Satis perspicua est hujus versiculi sententia. Græcus (g): ℣. 4. *Qui honorat patrem, exorabit pro peccatis; & sicut qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem suam.* Nimirum is locuples fit, ac virtutis bonorumque operum thesauros in æternitatem colligit (h). Quemadmodum qui patrem spernit, Dei furorem & maledicta provocat; ita qui patrem colit, illique opem fert, quam humanitas & divina lex imperant, Dei benedictionem ac misericordiam meretur. Honorare hoc loco significat non modò exterius obsequium, verùm etiam quicquid officii filius patri exhibere potest & debet (i).

℣. 6. Qui honorat patrem suum, jucundabitur in filiis, et in die orationis suæ exaudiertur. Florentem posteritatem largietur Deus homini, patrem iis officiis, quibus debet, colenti. Vel: Liberos illi dabit, qui & vitæ integritate & pietate suavem illi senectutem facient. Ut ipse jucundus patri fuit, ita illi ipsius liberi futuri sont. *Quæcumque*, ait Thales (k), *stipendia parentibus intuleris, eadem ipse a filiis expecta.*

℣. 7. Qui honorat patrem suum, vita vivit longiore: at qui obedit patri, refrigerasit matrem. Græcus (l): *Et qui obedit Domino, reficiet matrem suam*; solabitur, opem illi feret in senectute. Diuturnam vitam colentibus parentes Deus pollicetur (m). Natura tamen & pietas amorem curamque magis solicitam erga matres imperare videntur. Docet hîc Sapiens, eum qui audit Deum, matri servire. Tobias filium alloquens, *Honorem habebis*, inquit (n), *matri tuæ omnibus diebus vitæ ejus: memor enim esse debes, quæ & quanta pericula passa sit propter te in utero suo. Disce quid parentibus debeas*, loquit S. Ambrosius (o): *Partus periculum, longa fastidia, longa discrimina, cui misera in ipsis votorum fructibus majus periculum est; & cum ediderit quod optavit, partu absolvitur, non timore.* Et alibi (p): *Honora parentes. Est autem honor non solùm beneficentia, sed etiam largitatis. Pasce patrem tuum, pasce matrem tuam. Et si paveris matrem, adhuc non reddidisti dolores, non reddidisti cruciatus, quos pro te passa est, non obsequia, quibus te illa gestavit, non reddidisti alimenta quæ tribuit tenero pietatis affectu, immulgens labiis tuis ubera, non reddidisti famem, quam pro te illa toleravit, nequid quod sibi noxium esset ederet, nequid quod lacti noceret hauriret. Tibi illa jejunavit, tibi manducavit, tibi illa quem voluit cibum non accepit, tibi quem noluit cibum sumpsit, tibi vigilavit, tibi flevit, & tu illam egere pateris? O fili! quantum tibi sumis judicium, si non pascas parentem! Illi debes quod habes, cui debes quod es.*

℣. 8. Quasi dominis serviet his, qui se genuerunt. Major est parentibus in filios authoritas, procreationis causâ, quàm heris in servos, ob emptionem. Horum potestas ex violentiâ oritur, & necessitate: at parentum jus naturam habet authorem, causasque innumeras, quibus filii parentibus debitores sunt. Parentss, post Deum, vitæ, valetudinis, bonorum corporis & animæ, quibus filii fruuntur, authores sunt. Filii omnia ex parentibus habent. Servus domini pecunia est (q), ut ait Scriptura; at filii pars substantiæ & sanguinis parentum sunt. Servus domino debet servitutem & obsequia: filii præterea patri debent amorem, gratum animum, opemque quam possunt. Parentes, utì diximus, quoddam terrestrium deorum genus filiis sunt.

℣. 9. In opere et sermone... honora patrem tuum: (10) ut superveniat tibi benedictio illius. Græcus aliter fert (r): *In opere & sermone honora patrem tuum ac matrem, ut superveniat tibi benedictio ab hominibus.* Vel: *Ut homines pietatem tuam intuentes, tibi laudes, Deo gloriam tribuant.*

Et benedictio illius in novissimo maneat. Vel: Ut pater tuus tibi moriens benedicat. Vide

(e) *Vide Exod.* xxi, 7. *Jus Civile, lib.* 2, *c. de Parentib. qui filios distraxerunt.* (f) *Aristot. lib.* 9 *Ethicorum.* (g) Ὁ τιμῶν πατέρα ἐξιλάσκεται ἁμαρτίας. (℣. 5.) Καὶ ὡς ἀποθησαυρίζων ὁ δοξάζων τὴν μητέρα αὐτοῦ. (h) *Vide Matth.* vi, 20; xix, 21, *&c. Timot.* vi, 19.
(i) *Vide ad Exod.* xx, 12; *Prov.* iii, 9; *Matth.* xv, 4, 5, 6; 1 *Timot.* v, 3, *&* 17. *Hieronym. in Matth.* xv; *Ambros. in Luc.* xviii. (k) *Apud Laërt. lib.* 5: Οὓς ἂν ἐράνους εἰσενέγκῃς τοῖς γονεῦσι, τοὺς αὐτοὺς προσδέχου καὶ παρὰ τῶν τέκνων. (l) Καὶ ὁ εἰσακούων Κυρίου, ἀναπαύσει μητέρα αὐτοῦ.
(m) *Exod.* xx, 12. (n) *Tob.* iv, 3. (o) *Ambr. in Luc.* ii. (p) *Ambr. in Luc.* xviii. (q) *Exod.* xxi, 21.
(r) Ἐν ἔργῳ, καὶ λόγῳ τίμα τὸν πατέρα... ἵνα ἐπέλθῃ σοι εὐλογία παρ᾽ ἀνθρώπων.

℣. 11. Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.

℣. 12. Ne glorieris in contumeliâ patris tui: non enim est tibi gloria, ejus confusio.

℣. 13. Gloria enim hominis ex honore patris sui: & dedecus filii pater sine honore.

℣. 14. Fili, suscipe senectam patris tui, & non contristes eum in vitâ illius:

℣. 15. Et si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas eum in virtute tuâ: eleemosyna enim patris non erit in oblivione:

℣. 16. Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum,

℣. 17. Et in justitiâ ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui: & sicut in sereno glacies, solventur peccata tua.

COMMENTARIUS.

de seqnentem versiculum. Vel: Ut benedictionis illius fructibus omni vitæ tuæ curriculo perfruaris. Hic locus in Græco deest.

℣. 11. BENEDICTIO PATRIS FIRMAT DOMOS, MALEDICTIO AUTEM MATRIS ERADICAT FUNDAMENTA. Patris benedictio Divina beneficia in filios provocat; faverque Deus, atque auget eorum sobolem, qui officiis a Religione & pietate erga parentes imperatis minimè desunt. At qui sævitiâ & contumaciâ parentibus molestiam afferunt, eorumque maledicta in sese trabunt, gravissima illorum damna in se ipsis atque in posteris experiuntur. Impii & contumacis parentis filii plerumque pessimum patrem imitantur. Innumera profectò malurum exempla in filios, quibus parentes male imprecati sunt, apud historicos leguntur. Horum vetustissimum est Noë (s), qui male imprecatus est Chanaano, filio Chami, qui patri illuserat. Oedipus a filiis spretus, diris illos devovit, quæ filios in miserrimum exitium, historiâ notissimum (t), pertraxit. Amyntor Phœnicis, & Theseus Hippolyti pater, maledictis in filios pronunciatis celeberrimi sunt (u); & filii calamitatibus, quæ parentum maledicta secutæ sunt. Minimè ambigebant Veteres, quin Dei faciles hisce precibus aures præberent; certumque dogmate habebant, nihil perniciosius esse, aut magis fatale. Tremendum narrat S. Augustinus (x) matris exemplum, quæ cùm decem filios maledicto feriisset, illi perspicuum divini furoris indicium per aliquot annos circumtulere, cùm omnes terribili membrorum tremore assiduè quaterentur.

℣. 12. NE GLORIERIS IN CONTUMELIA PATRIS TUI. Ne Chamum imitere, qui nedum patris nuditatem non operuit, sed illudens, cæteros fratres eâ de re monuit (y). Ne majorem te patre tuo effeceris, si fortè ampliori ingenio, industriâ, seu rerum copiâ te Deus locupletaverit. Ne unquam originis tuæ te pudeat; id enim patri probrosum est. Græcus: *Ne glorieris in contumeliâ patris tui: non est enim tibi gloria patris confusio*. Si turpis est ac inhonesta patris tui conditio, ejus rei probrum in te cadit. Quamobrem quod illi fortasse gloriosum non erit, silentio tege; ac patris personam summo obsequio, ac veneratione prosequere. Cave ne illum spernas.

℣. 13. DEDECUS FILII, PATER SINE HONORE. Græcus (z): *Opprobrium liberis, mater in ignominiâ*. Siquos originis suæ pudet, hi injuriam honori suo faciunt, cùm eâ re satis demonstrent, probrosum ac turpe genus esse, unde originem trahunt. Alexander magnus cùm sese mortalium conditione superiorem esse putaret, Philippi filius haberi nolebat; patremque habere se Jovem Ammonem dicens, matris famam violabat. Cui datis hac de re literis, Olympias facetissimè ludit, illum Junonis inimicitias, terribilemque adversariam matri ceu pellici provocare.

℣. 14. SUSCIPE (solare) SENECTAM PATRIS TUI, ET NE CONTRISTES EUM IN VITA ILLIUS. Legunt alii (a): *In vitâ tuâ*. Eamdem rem docent Veterum Philosophi; solâque ratione opus est, ut scias quid senectuti parentum debeas, cùm ex feris ipsis discere queas. *Cujus pater aut mater*, inquit Plato (b), *vel horum parentes senio confecti quasi thesaurus quidam domi jacent, is putet nunquam aliud sibi tale simulacrum magisque efficax domi suæ affuturum, si rectè, ut decet, ab eo colitur*. Jubet Aristoteles (c), parentes a filiis ceu Deos coli, magisque illorum incolumitati operam dari, quàm suæ. *Sunt qui audaciùs exaggerantes nomen parentum*, ait Philo (d), *ajunt patrem matremque Deos conspicuos, illius ingeniti imitatores fingendis animantibus, hoc uno differre, quòd Deus sit mundi gubernator, hi verò filiorum tantummodo: nec fieri posse, ut pius sit erga illum invisibilem, qui erga hos conspicuos est impius*.

℣. 15. ET SI DEFECERIT SENSU, VENIAM DA. Senectutem plerumque innumera incommoda comitantur. Vetus Proverbium est: *Bis pueri senes*. At neque ob corporis aut mentis infirmitatem spernendi sunt. Est in parentibus aliquid, quod filiorum obsequia nunquam non flagitat, patris dignitas, quæ senectute nec minuitur, nec infirmatur.

NE SPERNAS EUM IN VIRTUTE TUA: ELEEMOSYNA ENIM PATRIS (obsequium patri exhibitum) NON ERIT IN OBLIVIONE. Si opibus, dignitate, honore, viribus, bonâ corporis valetudine patrem superas, ne illius infirmitatem, obscuram vitam, inopiam spernas. Pietatis in illum tuæ reminiscetur Deus, illatamque sibi censebit injuriam, qua vitæ tuæ authorem afficis.

℣. 16. NAM PRO PECCATO MATRIS RESTITUETUR TIBI BONUM. Græcus ad verbum (e): *Pro peccatis, ædificabitur tibi*. Domus tua firmabitur, ingentem tibi posteritatem Deus largietur. Hoc erit patientiæ tuæ præmium, ubi querulum matris ingenium

(s) *Genes.* 12, 25. (t) *Vide Platon. de Legib. dialog.* 11. (u) *Orpheus*: Δυναὶ γὰρ καὶ γαῖαν ἐριννύες υἱοῖ τοκῆων. (x) *August. lib.* XXII *de Civit. cap.* 8. (y) *Genes.* IX, 22.
(z) Ὄνειδος τέκνοις μήτηρ ἐν ἀδοξίᾳ. (a) Ἐν ζωῇ σου; *alii*, ἐν ζωῇ αὐτοῦ. (b) *Plato, de Legib. Dialog.* 11.
(c) *Aristot. lib.* 9 *Ethic. c.* 2. *Vide Cornel. a Lapide, hic.* (d) *Philo, de Decalogo*.
(e) Καὶ ἀντὶ ἁμαρτιῶν, ἀνοικοδομηθήσεταί σοι.

℣. 18. Quam malæ famæ eſt, qui derelinquit patrem! eſt maledictus a Deo, qui exaſperat matrem.

℣. 19. Fili, in manſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligêris.

℣. 20. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam:

℣. 21. Quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.

℣. 22. Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, [& in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus.]

℣. 23. Non eſt enim tibi neceſſarium, ea, quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis.

COMMENTARIUS.

genium toleraveris. Apud Scripturam (f), *ædificare domum alicui* eſt liberos illi dare.

℣. 18. QUAM MALÆ FAMÆ EST, QUI DERELINQUIT PATREM! EST MALEDICTUS A DEO, QUI EXASPERAT MATREM. Græcus (g): *Tamquam blaſphemus eſt qui deſerit patrem ſuum: & maledictus a Deo, qui exacerbat matrem ſuam.* Ipſi Deo injuriam inferre vidêris, ſi patrem matremque in rerum anguſtiâ deſeras. Par fermè eſt Menandri ſententia (h): *Qui patri convitiatur maledicâ oratione, in Deum ipſum præmeditatur convicia.*

℣. 19. FILI, IN MANSUETUDINE OPERA TUA PERFICE, ET SUPER HOMINUM GLORIAM DILIGERIS. Aliud planè a ſuperiore argumentum. Datis de parentum obſequio præceptis, varias hîc moralis inſtitutionis regulas tradit Sapiens de manſuetudine, modeſtiâ, &c. Nemo faciliùs amicos ſibi comparat, animoſque hominum ſibi devincit, quàm is qui lenis ac manſuetus eſt. *Beati mites,* inquit Chriſtus (i), *quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Græcus legit (k): *Fili, res tuas cum manſuetudine perage, & ab homine accepto diligêris*, optimos tibi amicos comparabis. *Primum placiditate mentis, & animi benignitate inſinuamus in affectum hominum*, ait S. Ambroſius (l): *popularis enim & grata eſt omnibus bonitas; nihilque eſt, quod tam facilè illabatur humanis ſenſibus.*

℣. 20. QUANTO MAGNUS ES, HUMILIA TE IN OMNIBUS, ET CORAM DEO INVENIES GRATIAM. Dignam Evangelio ſententiam! Moralium dogmatum plurima Philoſophi ex Ethnicis agnovere: at fermè ignota illis fuit animi modeſtia ſeu virtus humilitatis. Hæc nonniſi in verâ Religione diſcitur. Ex Philoſophiâ dignitatum, opum gloriæque neglectum haurire potuerunt: at unius Divini Spiritûs munus eſt vera humilitas, noſtrique contemptus. Veræ Sapientiæ ſolius eſt docere, quàm infirmi, quàm inopes coram Deo ſimus. Fieri autem non poteſt, ut Deo placeamus, ſi animi humilitas abſit. *Diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde*, clamabat Chriſtus (m). *Menſura humilitatis cuique ex menſurâ ipſius magnitudinis data eſt* (n). Quò enim ſublimiores ſumus, eò magis timenda ſuperbia eſt. *Niſi humilitas omnia quæcumque benefacimus præceſſerit, & comitetur, & conſequuta fuerit ... totum extorquet de manu ſuperbia*, inquit S. Auguſtinus (o). *Itaque ſicut rhetor ille nobiliſſimus* (Demoſthenes) *cùm interrogatus eſſet, quid ei primum videretur in eloquentia præceptis obſervari oportere, pronunciationem dicitur reſpondiſſe, cùm quæreretur, quid ſecundò, eamdem pronunciationem; quid tertiò, nihil aliud quàm pronunciationem dixiſſe: ſi interrogares, & quoties interrogares de præceptis Chriſtianæ Religionis, nihil me aliud reſpondere niſi humilitatem libêret.*

℣. 21. QUONIAM MAGNA POTENTIA DEI SOLIUS, ET AB HUMILIBUS HONORATUR. Quidlibet magnum cum Deo comparatum, viliſſimum ac minimum eſt. At quantumvis magnus, coli nonniſi ab humilibus poteſt. Hominum proceres in eo dignitatem ſuam ponunt, ut cæteros homines ſuis ſub pedibus videbant, Regibuſque ac Principibus imperent. Cùm nihil ipſi habeant de ſuo, quo ſupra cæterorum hominum conditionem efferantur, tum ſeſe magnos putant, cùm cæteros oppreſſere. At Deus naturâ maximus creſcere ex rebus humanis nequit; nihilque addit illius gloriæ cultorum numerus aut dignitas. Illud vult, ut ſinguli homines ſeſe ipſius imperio ſubjectos ſentiant, ſuiſque ipſorum bonis Omnipotentem minimè egere fateantur. Obſequium, cui ſincera hujuſmodi ac profunda humilitas deſit, placere Deo nequit.

℣. 22. ALTIORA TE NE QUÆSIERIS, ET FORTIORA TE NE SCRUTATUS FUERIS. Curioſitatem ac temeritatem damnat. Græcus (p): *Difficiliora te ne quæras temerè, & fortiora te ne exquiras cum ſtultitiâ.* Ne inanibus ſtudiis, tuâ cognitione majoribus, operam dederis. Providentiæ myſteria & arcana ne inveſtiges. Contentus eſto Dei Legem meditari, tuaque officia noſſe, ut ea exequaris. *Quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper.* Huc illud pertinet Philemonis (q): *Deum crede & venerare, at ne ſcruteris*, utrùm ſit; *majus enim nihil aliud ſcrutari potes*, quæ ſcilicet Dei natura ſit ac providentia. Addit Sapiens: *Non eſt enim tibi neceſſarium, ea quæ abſcondita ſunt,* vide-

(f) *Exod.* I, 21; *Geneſ.* XVI, 2; *Deut.* XXV, 9; *Ruth*, IV, 11; 1 *Reg.* II, 35. (g) Ὡς βλάσφημος ὁ ἐγκαταλείπων πατέρα αὐτοῦ, καὶ κεκατηραμένος ὑπὸ Κυρίου, ὁ παροργίζων μητέρα αὐτοῦ. (h) *Menander.*

Ὁ λοιδορῶν τὸν πατέρα δυσφήμῳ λόγῳ,
Τὴν εἰς τὸ θεῖον δὲ προμελετᾷ βλασφημίαν.

(i) *Matth.* V, 4. (k) Τὰ ἔργα σου ἐν πραΰτητι διέξαγε, καὶ ὑπ' ἀνθρώπου δεκτοῦ ἀγαπηθήσῃ.
(l) *Ambroſ. de Offic. lib.* 2, *cap.* 7. (m) *Matth.* XI, 29. (n) *Ambroſ. de Virginit. cap.* 31.
(o) *Aug. ad Dioſcor. Ep.* CXVIII, *in nov. Edit.* (p) Χαλεπώτερά σου μὴ ζήτει ἀναισθήτως, καὶ ἰσχυρότερά σου μὴ ἐξέταζε ἀφροσύνῃ. (q) *Apud Grot. hic.*

Θεὸν νόμιζε, καὶ σέβου. Ζήτει δὲ μή.
Πλεῖον γὰρ οὐδὲν ἄλλο τοῦ ζητεῖν ἔχεις.

℣. 24. In supervacuis rebus noli scrutari multipliciter, (& in pluribus operibus ejus non eris curiosus.)

℣. 25. Plurima enim super sensum hominum ostensa sunt tibi.

℣. 26. Multos quoque supplantavit suspicio illorum, & in vanitate detinuit sensus illorum.

℣. 27. Cor durum habebit male in novissimo: & qui amat periculum, in illo peribit.

℣. 28. [Cor ingrediens duas vias, non habebit successus: & pravus corde in illis scandalizabitur.]

℣. 29. Cor nequam gravabitur in doloribus, & peccator adjiciet ad peccandum.

COMMENTARIUS.

videre oculis tuis. Innumera sunt, quæ scire nequimus, ac scire minimè refert, & nihil nocet. Sapientis est, hæc tranquillo animo prudentique consilio ignorare.

℣. 24. IN SUPERVACUIS REBUS NOLI SCRUTARI MULTIPLICITER. Eadem sententia est, hìc repetita. Græcus (r): *In iis, quæ tibi superflua sunt,* sive ad te non pertinent, a negotiis tuis aliena, quorum rationem nemo ex te exiget, *noli curiosus esse.* Utilissima ac prorsus necessaria res est, curiositatem coërcere. Maxima vitæ pars inanissimis quæstionibus agitandis amittitur; ac frequenter ex hac vitâ migramus, quin supremum illum atque unicum Finem, cui studia omnia, vigiliæ & sedulitas debentur, quærere vel minimum cœperimus.

℣. 25. PLURIMA ENIM SUPER SENSUM HOMINUM OSTENSA SUNT TIBI. Contentus esse debet unusquisque iis rebus, quas tibi Deus aperuit. Plura & majora unico Scripturarum libello mysteria nos docuit, quàm Philosophi omnes quibuslibet eruditionis ac doctrinæ conatibus invenere. Quamobrem iis contenti, quæ nos scire voluit, ea scrutari desinamus, quæ uni sibi nota esse decrevit. Quæ nos latêre jussit Deus, æquo animo ignoremus.

℣. 26. MULTOS QUOQUE SUPPLANTAVIT SUSPICIO ILLORUM, ET IN VANITATE DETINUIT SENSUS ILLORUM. Græcus (s): *Multos decepit opinio ipsorum vana; & cogitatio prava eorum mentem corrupit. Pupillas si non habeas, carebis luce; cognitionis ergo expers, eam noli profiteri.* Cæcus de colore sententiam non ferat; qui literas nescit, cæteros docere non audeat.

℣. 27. COR DURUM HABEBIT MALE IN NOVISSIMO. Cor durum est illud, quod in scelere obfirmatur, atque agere pœnitentiam renuit, utì Pharaonis, Antiochi, Judæ, Achitophelis, cæterorumque in scelere contumacium, qui Dei auxilia spernentes, vel secretis Dei vocibus resistunt, vel servorum Dei monita aspernantur. Sub mortis articulum, gravissimus illos dolor invadet, quo in desperationem agentur, seràque nimis pœnitentià calamitatem atque irreparabile exitium deplorabunt. Cor durum fortasse etiam est cor humanum, quod nullo misericordiæ ac pietatis erga fratres sensu tangitur. Extremâ vitæ horâ dolore acerrimo at inutili cruciabitur, qui æternorum illius suppliciorum ac inferni initium futurus est. Prior explicatio communiùs placet. *Quid cor durum?* inquit S. Bernardus (t). *Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus; minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium in divina, præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futura non providens. Ipsum est, cui præteritorum, præter solas injurias, nihil omnino non præterit; præsentium nihil non perit; futurorum nulla, nisi fortè ad ulciscendum, prospectio seu præparatio est, & ut brevi cuncta horribilis mali mala complectar, ipsum est, quod nec Deum timet, nec hominem reveretur.*

ET QUI AMAT PERICULUM, IN ILLO PERIBIT. Qui temerè ac sine consilio discrimini sese objicit, in illo peribit. Damnare videtur Author eos qui fatum esse dicerent, ac temerè in pericula irruentes, ita dissererent: Inanem prorsus laborem esse, periculum fugere, si in eo pereundum sit: omnia vitæ nostræ momenta in numerato esse, & uniuscujusque mortem æternis atque immutabilibus decretis esse constitutam. Insanissimæ huic opinioni Sapiens hæc verba objicit: *Qui amat periculum, in illo peribit.* Sunt qui censeant (u), hunc locum ad superiorem versiculum esse referendum. Homo in scelere contumax supremâ die miserrimus erit; cùmque periculum amaverit, in eo peribit. Iniquitatem impietatemque veritati ac pietati prætulit: æternæ mortis periculo sponte sese objecit: Deus illum supremo vitæ spatio illum deseret, ejusque exitio illudet (x): *Ego quoque in interitu vestro ridebo.* Grotio & Vatablo cor durum est animus αὐθάδης, *pertinax;* atque hæc verba jungunt cum iis quæ sequuntur, in hanc sententiam: Animus in sententiâ pertinax, deque rebus ignotis audacter pronuncians, erroris periculo sese objicit, & certè falletur, extremamque in perniciem ruet.

℣. 28. COR INGREDIENS DUAS VIAS, NON HABEBIT SUCCESSUS. De homine duplici itinere gradiente, ac dolosum & animo duplicem significante, jam superiùs egit (y). Ubi aliquem malæ fidei hominem esse cæteri noverunt, statim illum fugiunt: & si quem initio fefellit, nemo deinceps illi fidem habet, omnesque sibi ab eo cavent. Nemo illi vera etiam loquenti credit; & quamvis sine dolo agens, timetur. Nemo illius consuetudinem admittit: callida & pessima animi sui consilia explere nunquam potest. Suum ipsius vitæ institutum lapsûs causa illi est: *Et pravus corde in illis scandalizabitur.* In scrobem, quam cæteris paravit, ipse cadet. Qui decipere cæteros voluit, ipse capietur. Nulla Religio vetat artificiis uti erga hominem æquitatis inimicum. Hic Versiculus in Græco deest.

℣. 29. COR NEQUAM GRAVABITUR IN DOLORIBUS; ET PECCATOR ADJICIET AD PECCANDUM. Nun-

(r) Ἐν τοῖς περισσοῖς τῶν λόγων σου μὴ περιεργάζου. (s) Πολλοὺς ἐπλάνησεν ἡ ὑπόληψις αὐτῶν ἡ ματαία, καὶ ὑπόνοια πονηρὰ ὠλίσθησε διανοίαν αὐτῶν. Κόρας μὴ ἔχων ἀπορήσεις φωτὸς, γνώσεως δὲ ἀμοιρῶν, μὴ ἐπαγγέλλου. (t) *Bernard. lib. 1 de Considerat. ad Eugen.* (u) *Palacius.* (x) *Prov.* I, 26. (y) *Eccli.* II, 14.

℣. 30. Sinagogæ superborum non erit sanitas: frutex enim peccati radicabitur in illis, & non intelligetur.

℣. 31. Cor sapientis intelligitur in sapientiâ, & auris bona audiet cum omni concupiscentiâ sapientiam.

℣. 32. (Sapiens cor, & intelligibile abstinebit se a peccatis, & in operibus justitiæ accessus habebit.)

℣. 33. Ignem ardentem extinguit aqua: & eleemosyna resistit peccatis.

℣. 34. Et Deus prospector est ejus, qui reddit gratiam: meminit ejus in posterum, & in tempore casûs sui inveniet firmamentum.

COMMENTARIUS.

Nunquam qoiescit impius, donec conscientiæ latratus oppresserit. Peccatum peccato addit, atque adeò dolorem dolori. Græcus legit (z): *Cor durum gravabitur laboribus*. Pertioax animus malis Deo permittente opprimetur. Illum feriet iratus Deus, veluti Pharaonem & Antiochum. Impius animi sui pertinaciâ thesaurum iræ sibi congregat in diem vindictæ, ut Apostoli verbis utar (a). Bermittet Deus, ut e scelere in scelus ruat; expletâque scelerum mensurâ, iræ Omnipotentis pondere denique opprimetur.

Primum bujus libri Scriptorem, Hebraicè scribentem, dolores pro peccatis usurpasse puto, utì frequenter solet Scriptura (b). Quamobrem ita intelligendus est: *Cor durum gravabitur peccatis, & peccator adjiciet peccata super peccata*. Duo hujus versiculi membra mutuò sese explicant. *Peccatum, quod pœnitentiâ non deletur, ipso pondere mox ad aliud trahit*, ioquit S. Gregorius (c); cùm terribili justitiæ soæ consilio permittat Deus, ut animus tenebris repleatur, novaque in scelera minimè sentiens ruat. *Velle meum*, flebat S. Augustinus (d), *tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat. Quippe ex voluntate perversâ facta est libido; & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.*

℣. 30. SYNAGOGÆ SUPERBORUM NON ERIT SANITAS; FRUTEX ENIM PECCATI RADICABITUR IN ILLIS, ET NON INTELLIGETUR. Superbi plerumque pertioaces sunt, atque agere pœnitentiam nolunt; cùm enim sibi ipsis se sufficere arbitrentur, peccata sua non agnoscunt, & voces monentium respuunt. Radices in illis agit vitium; vitiosasque consoetudines ipsi referunt, atque in suæ cæcitatis ac pertinaciæ potestate a Deo relinquuntur. Græcus legit (e): *Superbo non est medicina in adversis*. Insanabilia vulnera illius sunt, lethalesque plagæ, quibus a Deo cæditur. *Itinera ejus evellentur*: illum Deus ex hac vitâ evellet, delebit illum, inquam, & posteros: *planta enim iniquitatis radices in eo egit*, utì arbor io solo suo. Superbus hoc loco pro pertinaci usurpatur. Certè hoc oomine Scriptura frequenter homines maximè impios appellat; eos qui hilari aoimo, ac temerè in vitia ruunt (f): *Impius cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium.*

℣. 31. COR SAPIENTIS INTELLIGITUR IN SAPIENTIA. Ex oratioois sapientiâ sese prodet. Dum silet Sapiens, ejusque gesta examini ooo subjiciuntor, ioter reliquum hominum vulgus non secernitur; ejusque Sapientia alto illius pectore tegitur. At ubi loqui cœperit, statim animi illius æquitas, & ingenii acies sentitur; totusque illius doctrinæ fulgor micat. Græcus (g): *Cor Sapientis excogitabit sententiam: & auris auditoris* (auris attenta) *est desiderium sapientis*; sive hoc unum optat Sapieos, discipulum audientem, atque intelligentem. Id solummodò quærit Sapientia, ut sese cum aliis communicet: at homines flagitat attentos, solertes, intelligentes.

℣. 33. IGNEM ARDENTEM EXTINGUIT AQUA: ET ELEEMOSYNA RESISTIT PECCATIS. Ut aqua ignem extinguit, ita pietas in pauperes peccata. *Peccata tua eleemosynis redime*, inquit ad Nabuchodonosorem Daniel (h). *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, ait Christus (i). Ut aquæ baptismatis ignem inferni extinguunt; ita, teste S. Cypriano (k), eleemosyna, piaque opera peccati flammas (l). *Ego quodammodo eleemosyna animarum aliud est lavacrum*, utì docet S. Ambrosius (m): *nisi quòd indulgentior est eleemosyna, quàm lavacrum; lavacrum enim semel datur, eleemosynam autem quoties feceris, toties promereris veniam. Quando damus* eleemosynam, monet S. Hieronymus (n), *non demus quasi de nostro, sed de dono Christi. Non debemus dare quasi mendico, sed quasi fratri. Nos damus carnalia, ille dat spiritualia. Plus dat pauper quàm accipit. Nos damus panem, qui in ipsâ die consumitur: ille pro pane reddit nobis Regna Cœlorum.*

℣. 34. ET DEUS PROSPECTOR EST EJUS, QUI REDDIT GRATIAM. Deus qui præmium bonorum operum redditurus est, ea intuetur, eorumque reminiscitur. Vel: Deus consulit rebus illorum, qui bene cæteris faciunt: illorum reminiscitur, eosque in rebus asperis tuetur. Sequitur hoc ex iis, quæ mox docuit de eleemosinâ. Quæ pauperi das, non amittis: quicquid enim bene pauperi facis, sibi ipsi factum reputat Deus; ac merito illorum adscribit, qui sui oomine & gratiâ faciuot. Græcus (o): *Dominus qui refert gratiae, meminit in posterum: & munificus homo in tempore casûs*

(a) Καρδία σκληρὰ βαρυνθήσεται πόνοις. (a) *Rom.* II, 5. (b) *Psal.* XV, 4. ירבו עצבותם CXXXVIII, 24. אם דרך עצב כי *Item Psal.* VII, 17: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Et* X, 7, 24: *Sub linguâ ejus labor & dolor .... tu laborem & dolorem consideras.* (c) *Gregor. Magn. lib.* 25 *Moral. cap.* 52. (d) *Aug. lib.* 8 *Confess. c.* 5. (e) Ἐν ἐπαγωγῇ ὑπερηφάνου οὐκ ἔστιν ἴασις, ὀδυνοπορίας αὐτοῦ ἐκριζωθήσονται. Φυτὸν γὰρ πονηρίας ἐρρίζωκεν ἐν αὐτῷ. Author Vulgatæ legit: Ἐν συναγωγῇ ὑπερηφάνων, &c. (f) *Prov.* XVIII, 3. (g) Καρδία συνετοῦ διανοηθήσεται παραβολήν, καὶ οὖς ἀκροατοῦ ἐπιθυμία σοφοῦ. (h) *Dan.* IV, 24. (i) *Luc.* XI, 41. (k) *Cyprian. de Opere & Eleemosyn.* (l) *Ambros. seu Maxim. serm.* 5, *serm.* 2, & 42; & *August. homil.* 30, *inter* 50. *Vide in nov. Edit.* 315, *Append.* & *Gaudent. de Natali Domini, tract.* 13. (m) *Ambros. serm.* 2, *tom.* 2, *Edit. Rom. seu potiùs S. Maxim. Vide in Bibliot. PP.* (n) *Hieronym. in Psal.* CXXXIII. (o) Κύριος ὁ ἀνταποδιδοὺς χάριτας, μέμνηται εἰς τὰ μετὰ ταῦτα, καὶ ἐν καιρῷ πτώσεως αὐτοῦ εὑρήσει στήριγμα.

casûs sui adminiculum inveniet. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, inquit Christus (p). *Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet* (q). Ejus, qui eleemosynam largitur, debitor est Deus, ait S. Chrysostomus (r). Deo fœneraris, cùm eleemosynam tribuis. *Patrimonium Deo conditum, nec fiscus invadit, nec calumnia aliqua forensis evertit. In tuto haereditas ponitur, quæ Deo custode servatur*, scribit S. Cyprianus (s). At, uti scitè animadvertunt S. Augustinus (t), & S. Gregorius Papa (u), necesse est, ut pœnitentia & charitas eleemosynam comitentur; ac dum bene pauperi facis, peccatum vites. Neque enim Dei justitia, supremusque Judex pretio corrumpitur. Insanum est, impunitatem ac peccandi libertatem velle eleemosynis sibi comparare. *Parum est eleemosynas quantaslibet facere pro quocumque scelere, & in consuetudine scelerum permanere.*

CAPUT IV.

Exhortatio ad eleemosynam, liberalitatem, & obsequium erga majores, humilitatem, atque ad veritatis, justitiæ, mansuetudinis amorem.

℣. 1. FIli, eleemosynam pauperis ne defraudes, & oculos tuos ne transvertas a paupere.

℣. 2. Animam esurientem ne despexeris: & non exasperes pauperem in inopiâ suâ.

℣. 3. Cor inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti.

℣. 4. Rogationem contribulati ne abjicias: & non avertas faciem tuam ab egeno.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ELEEMOSYNAM PAUPERIS NE DEFRAUDES. Sequuntur hoc capite quæ superiori tradita sunt de eleemosynâ, Ne subtrahas eleemosynam pauperi; ne deneges quod illi debes. Debetur pauperi eleemosyna; & simile furto peccatum est, ea non largiri, quibus pauper eget, tibique superflua sunt. *Non minus est criminis habenti tollere, quàm cùm possis & abundas, indigentibus denegare*, inquit S. Ambrosius (a). *Tuarum rerum es*, clamat S. Chrysostomus (b), *o homo* Christiane, *dispensator, non minùs quàm qui Ecclesiæ bona dispensat. Superflua divitis, necessaria sunt pauperis: aliena retinet, qui ista tenet*, subdit S. Augustinus (c).

Græcus fert (d): *Fili, vitam pauperis ne subtrahas. Hoc enim est occidere hominem*, inquit S. Augustinus (e), *vitæ suæ ei subsidia denegare. Pasce fame morientem: si non pavisti, occidisti* (f). Inopem cibo, veste, tecto, cæterisque rebus vitæ necessariis ne prives; hæc enim omnia sub *vita*, seu victûs appellatione colliguntur.

ET OCULOS TUOS NE TRANSVERTAS A PAUPERE. Pauperem ne fastidio, aut contemptui, vel pudori habeas; tibi enim frater est, & non secus ac tu, sub Dei potestate vivit, eodem Christi Sanguine redemptus, ac Regni ejusdem hæres. *Noli avertere faciem tuam ab ullo paupere; ita enim fiet, ut nec a te avertatur facies Domini*, docebat filium Tobias (g). Græcus fert (h): *Et ne trahas oculos indigentis*, ne differendo fatiges. Ne patere, ut debitam sibi opem diù expectet. Illius verecundiam occupa: probro molestiâque toties postulandi expectandique illum leva. *Ne dicas amico tuo, Vade & revertere, & cras dabo tibi, cùm statim possis dare*, monet Sapiens (i). Bene alteri faciendi occasione utere, ne alter occupet, ac boni operis fructum auferat. Qui stipem porrigit, statim atque hilariter det: *Qui miseretur in hilaritate* (k). Vetus effatum est: *Qui citò dat, bis dat. Qui tardè dat, diù noluit* (l). Porrò *hilarem datorem diligit Deus* (m).

℣. 2. ANIMAM ESURIENTEM NE DESPEXERIS, ET NON EXASPERES PAUPEREM IN INOPIA SUA. Si das, libenter da: si negas, ne probrum & contemptum addas. Magnum satis malum inopia est, quin alterum adjungas. Pauperis animus jam irritari paratus, faciliùs injurias sentit, atque exasperatur. Levissimum contemptûs indicium molestiam pauperi parit, gravissimoque vulnere illius animum ferit. Græcus fert (n): *Animam indigentis ne contristes, nec protrahas virum in ejus inopiâ*: bene inopi facere ne differas. *Nihil æquè amarum est, quàm diù pendere* (o); *& æquiore quidem animo ferunt præcidi spem suam, quàm trahi. Tantum gratiæ demitur, quantum moræ adjicitur* (p).

℣. 3. COR INOPIS NE AFFLIXERIS. Græcus (q): *Cor exacerbatum ne perturbâris*. Pauperis animum, fastidio affici facilem, repulsâ, seu morâ ne cruciaveris. Cave, ne animi illius dolorem repulsâ provoces. Homo fame & dolore vexatus, facilè irascitur (r), atque omnia malam in partem trahit.

(p) *Matth.* v, 7. (q) 2 *Cor.* IX, 6. (r) *Chrysost. homil.* 53, *&* 68 *ad Popul.* (s) *Cyprian. de Opere & Eleemosyn.* (t) *August. lib.* XXI *de Civit. c. ult.* (u) *Gregor. Magn. Pastoral. parte* 3, *c.* 21.
(a) *Ambros. sermone* 81. (b) *Chrysost. ad popul. Antioch. Vide Cornel. a Lapide, hîc.*
(c) *Aug. in Psal.* CXLVII. (d) Τέκνον, τὴν ζωὴν τοῦ πτωχοῦ μὴ ἀποστερήσῃς.
(e) *August. in Psal.* CXVIII. (f) *Jus Canonic. dist.* 86, *Can. pasce: Et D. Thom.* 2. 2, *qu.* 32, *art.* 5, *quasi ex Ambros. in Officiis; sed apud eum nullibi reperitur. Paulus Jurisconf. apud Grot. hîc:* Necare videtur, qui alimonia denegat. (g) *Tob.* IV, 7. (h) Καὶ μὴ παρελκύσῃς ὀφθαλμοὺς ἐπιδεοῦς.
(i) *Prov.* III, 28. (k) *Rom.* XII, 8. (l) *Senec. de Benefic. lib.* 2, *c.* 1. (m) 2 *Cor.* IX, 7.
(n) Ψυχὴν πεινῶσαν μὴ λυπήσῃς, καὶ μὴ παρελκύσῃς ἄνδρα ἐν ἀπορίᾳ αὐτοῦ. (o) *Senec. lib.* 2 *de Benefic.*
(p) *Idem ibidem.* (q) Καρδίαν παρωργισμένην μὴ προσταράξῃς. (r) *Plaut. Fames & mora bilim in nasum conciant.*

℣. 5. Ab inope ne avertas oculos tuos (propter iram:) & non relinquas quærentibus tibi retro maledicere:

℣. 6. Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum, qui fecit illum.

℣. 7. Congregationi (pauperum) affabilem te facito, (& presbytero humilia animam tuam,) & magnato humilia caput tuum.

℣. 8. Declina pauperi (sine tristitiâ) aurem tuam, (& redde debitum tuum,) & responde illi pacifica in mansuetudine.

℣. 9. Libera eum, qui injuriam patitur, de manu superbi: & non acidè feras in animâ tuâ.

℣. 10. (In judicando esto) pupillis (misericors) ut pater, & pro viro matri illorum:

℣. 11. Et eris tu velut filius Altissimi (obediens,) & miserebitur tui magis quàm mater.

COMMENTARIUS.

hit. *Spes quæ differtur, affligit animam*, ait Sapiens (s): *lignum vitæ, desiderium veniens*: res optata, si statim obtineatur, similis arbori vitæ est.

℣. 5. AB INOPE NE AVERTAS OCULOS TUOS, PROPTER IRAM (t), ne irascatur; ne dolore percitus, male tibi, votis minimè irritis, precetur. Græcus (u): *Ab inope*, aliquid flagitante, *ne avertas oculum, & ne dederis locum homini maledicendi tibi*. Ter idem monitum repetit, ne quis oculos a paupere stipem flagitante avertat. Pauperum clamores & maledicta exaudit Deus: *Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio*. Viduæ & orphano ne noceas, inquit per Moysem Deus (x). Si eos læseris, *vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum*. *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis*, monet Sapiens (y), *& ipse clamabit, & non exaudietur*. Homerus inducit preces sub fœminarum imagine (y), quæ ab hominibus spretæ ac repulsæ, apud Jovem queruntur, orantque ut *Aten* mittat, quæ illatam sibi injuriam ulciscantur. Hanc Sapientis sententiam mirè explicat fabula.

℣. 6. EXAUDIAT AUTEM EUM IS QUI FECIT ILLUM. Pauperis contemptus Deum ipsum ferit. *Qui calumniatur egentem*, ait Salomon (a), *exprobrat factori ejus: honorat autem eum, qui miseretur pauperis*. Et Christus de Discipulis suis agens (b): *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Denique (c): *Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus*. Magnum & pusillum, divitem inopemque idem condidit Deus (d). Parem omnium conditionem facere ipse poterat: quamobrem si inæquales fecit, nosque gratuito prorsus beneficio e miserorum turbâ secrevit, quo jure cæterorum calamitatibus illudimus? *Quid habes quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (e)? Qui opes dedit, idem & auferre potest.

℣. 7. CONGREGATIONI PAUPERUM AFFABILEM TE FACITO. Pauperes hoc loco pro vulgo usurpantur, veluti frequenter solet Scriptura (f), ut locupletibus, magnatibus, ac populi principibus opponuntur. Græcus habet (g): *Amabilem te fac congregationi* multitudinis: *& magnati humilia caput tuum*. Novum hìc incipit differendi argumentum. Jubet discipulum, quem ipse instituit, popularem esse, affabilem, vulgo & principi ac magistratui obsequentem.

℣. 8. DECLINA PAUPERI SINE TRISTITIA AUREM TUAM. Si in magistratu es, pauperis querelas libenter audi; æquum illi jus redde; ejus causam sedulò expende.

℣. 9. LIBERA EUM, QUI INJURIAM PATITUR DE MANU SUPERBI; ET NON ACIDE FERAS IN ANIMA TUA. Libenti animo, non invitus, bene illi facito. Græcus (h): *Eum qui injuriam patitur, eripe manu illius qui injuriam facit, & noli formidare* hostium illius vires. *In ferendâ sententiâ*, cave, ne aut animi imbecillitate aut metu innoxium damnes, absolvas reum. Judicum, ac magistratuum imbecillitatem, qui pauperes ac destitutos tueri verentur, damnat hoc loco Sapiens.

℣. 10. IN JUDICANDO ESTO PUPILLIS UT PATER. In Græco nulla est judicii mentio, incertaque est oratio: *Sis pupillo ut pater, & quasi maritus matri eorum*. Illos tuere, ac protege. Vide *Job*, XXIX, 12; XXXI, 16; *Jacob*. I, *ult*.

℣. 11. ET ERIS TU VELUT FILIUS ALTISSIMI OBEDIENS. Græcus magis absolutè: *Et eris sicut filius Altissimi, & te magis diliget quàm mater tua*. Quæ sententia optimè jungitur cum superiori. Si orphano instar patris, & instar mariti viduæ fueris, ita præmium referes, ut Dei filius & alumnus. Beneficia, quæ in hos contuleris, quos tam sedulò tibi in lege commendavit (i), & peculiari patrocinio tuetur, tibi restituet. Quid est munificus homo, & in pauperes liberalis? inquiunt Patres (k). Deo similis inter homines, Dei imago & imitator, creatas res omnes beneficiis cumulantis. Ipsos etiam Ethnicos hæc veritas minimè latuit. *Quid est dare beneficium?* inquit Seneca (l). *Imitari Deum*. Plinius (m): *Deus est mortali*,

(s) *Prov.* XIII, 12. (t) *Propter iram*, in Græco non est. (u) Ἀπὸ δεομένου μὴ ἀποστρέψῃς ὀφθαλμὸν, καὶ μὴ δῷς τόπον ἀνθρώπῳ καταράσασθαί σε. (x) *Exod.* XXII, 22, 23. (y) *Prov.* XXI, 13. (z) *Homer. Iliad.* X.

Ὃς δέ κ' ἀνήνηται, καί τε στερεῶς ἀποείπῃ,
Λίσσονται δ' ἄρα ταί γε Δία Κρονίωνα κιοῦσαι,
Τῷ Ἄτην ἅμ' ἕπεσθαι, ἵνα βλαφθεὶς ἀποτίσῃ.

(a) *Prov.* XIV, 31. (b) *Matth.* XXV, 40. (c) *Prov.* XVII, 5. (d) *Prov.* XXII, 4: *Dives & pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus*. (e) 1 *Cor.* IV, 7. (f) *Levit.* XXIII, 22; *Psal.* IX, 10; X, 2, 9, 10, 14; XXI, 15; LXVIII, 33; LXXI, 2, 4, 12, *&c.* (g) Προσφιλῆ σεαυτὸν ποίει συναγωγῇ, καὶ μεγιστᾶνι ταπείνου τὴν κεφαλήν σου. (h) Ἐξελοῦ ἀδικούμενον ἐκ χειρὸς ἀδικοῦντος, καὶ μὴ ὀλιγοψυχήσῃς ἐν τῷ κρίνειν σε. (i) *Exod.* XXII, 22; *Levit.* XII, 14; *Deut.* XIV, 29; XVI, 14; XXIV, 20, 21; XXVI, 13, *&c.* (k) *Clem. lib.* 2 *Strom. Nazianz. Orat.* 16 *de Pauper. fovend. Nissen. lib. de Beatitudine*. (l) *In Proverb.* (m) *Lib.* 2, *cap.* 7.

℣. 12. Sapientia filiis suis vitam inspirat, & suscipit inquirentes se, (& præibit in viâ justitiæ.)

℣. 13. Et qui illam diligit, diligit vitam: & qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus.

℣. 14. Qui tenuerint illam, vitam hæreditabunt: & quò introibit, benedicet Deus.

℣. 15. Qui serviunt ei, obsequentes erunt sancto: & eos, qui diligunt illam, diligit Deus.

℣. 16. Qui audit illam, judicabit gentes: & qui intuetur illam, permanebit confidens.

℣. 17. Si crediderit ei, hæreditabit illam, & erunt in confirmatione creaturæ illius.

℣. 18. Quoniam in tentatione ambulat cum eo, & in primis eligit eum.

℣. 19. Timorem, & metum, & probationem inducet super illum: & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, & credat animæ illius.

COMMENTARIUS.

tali, juvare mortalem; & hac ad æternam gloriam est via.

℣. 12. SAPIENTIA FILIIS SUIS VITAM INSPIRAT, discipulis scilicet (n), auditoribus, morem gerentibus. Græcus ita fert (o): *Sapientia filios extollit suos, ac suscipit*, tuetur, *eos qui ipsam quærunt.* S. Clemens Alexandrinus legit (p): *Sapientia inflavit filios suos*, animi magnitudinem, generositatem, mentis sublimitatem illis dedit, uti Deus vitæ spiritum Adamo inspiravit. Sunt qui putent (q), Tertullianum hinc eam hausisse sententiam (r): *Sapientia jugulavit filios suos.* Multo tamen probabilius est, ipsam e Proverbiis, IX, 2, derivasse, ut ex ipsâ orationis illius serie demonstratur. Is profectò Salomonis Sapientiam citat; nemo tamen ignorat, apud Veteres (s) Salomonis Proverbia sub Sapientiæ appellatione frequenter laudari.

℣. 13. QUI VIGILAVERINT AD ILLAM, COMPLECTENTUR PLACOREM EJUS, illius tranquillitate & felicitate fruentur, qua ipsa auditores suos cumulat. Græcus (t): *Qui mane vigilaverint ad illam*, qui primo statim diluculo surgent, ut illam quærant, *implebuntur lætitiâ.* Diluculo surgere, indicium sedulitatis est ac solertiæ. Cùm Sapientia bonorum omnium maximum sit, fieri non potest, quin beatos efficiat sui possessores, justosque æstimatores.

℣. 14. VITAM HÆREDITABUNT. Græcus: *Hæreditabit gloriam.*

℣. 15. QUI SERVIUNT EI, OBSEQUENTES ERUNT SANCTO, Deo, qui Sanctus Sanctorum est, ac Deorum Deus. Vel, ex aliis (u): *Ministrabunt Sancto*, scilicet Templo. Spectare videtur locum Isaiæ, LXI, 6: *Vos Sacerdotes Domini vocabimini, Ministri Dei nostri.* Proprium Sacerdotum, Divinorumque Ministrorum decus est Sapientia. Apud Hebræos, Sacerdotium generi debebatur, non virtuti. Quamobrem Sacerdotium, seu sacrum Ministerium, de quo hìc Sapiens, illud non est, quod in Templo Jerosolymitano exercebatur, sed Sapientiæ Sacerdotium. Qui Sapientiam colunt, Sacerdotes quodammodo Dei Sancti fient, intra mysteriorum illius adytum excipientur, ipsiusque amicitiæ & gloriæ participes erunt. Vel: Iis honoribus ac privilegiis donabuntur, quibus Domini Sacerdotes.

℣. 16. QUI AUDIT ILLAM, JUDICABIT GENTES. Docuit mox, Sapientiæ discipulum Sacerdotio functurum: hìc tradit, gentium Judicem sive Principem fore; quod idem est atque illum dignum esse Sacerdotio & Imperio. Adeò in honore habebitur, uti Sacerdos & Princeps. Veræ constantiaque amplitudinis fons est Sapientia. Qui generis beneficio supremis hujusmodi honoribus fruuntur, si Sapientiâ careant, probro illi ac sibimetipsis sont. Quamobrem Salomon in ipso regni exordio Deum flagitabat, ut sibi Sapientiam impertiretur (x).

℣. 17. SI CREDIDERIT EI, HÆREDITABIT ILLAM; ET ERUNT IN CONFIRMATIONE CREATURÆ ILLIUS, scilicet, in possessione Sapientiæ manebunt posteri ipsius. Si Sapientiam quærit, & cum fiduciâ flagitat, a Deo impetrabit, Vel: Si constanter quærat, inveniet, eamque hæreditatis loco posteris relinquet. Græcus (y): *Si credideris*, si constans fueris ac perseveraveris, *hæreditabis illam, & in possessione* tuâ *erunt filii*, seu fructus *illius.* Pars tua futura est Sapientia, quæque ex eâ nascuntur bona, possidebis, modò eam uti opus est quæras.

℣. 18. QUONIAM IN TENTATIONE AMBULAT CUM EO, ET IN PRIMIS ELIGIT EUM. Comes illi Sapientia est, & in calamitate periculoque præsidium. Aliter: Antequam illi sese credat, periculum illius facit, præsertim initio, cùm ille quærere ipsam incipit. Neminem temerè, atque indiscriminatim in sui comitatum admittit. Laboribus probat, eorumque constantiam periclitatur. Græcus (z): *Quoniam obliquè ambulat cum eo in pri-*

(n) *Vide Sap.* II, 11; III, 1, *Matth.* XI, 19. (o) Ἡ σοφία υἱοὺς ἑαυτῆς ἀνύψωσε, καὶ ἐπιλαμβάνεται τῶν ζητούντων αὐτήν. *Vulg. legit*: Ἐψύχωσε. (p) *Clem. Alexand. lib. 7 Strom.* Ἡ σοφία, φησὶν ὁ Σαλομών, ἐνεφύσησε τὰ ἑαυτῆς τέκνα. (q) *Hoeschel. Vide Nobil. Edit. Rom. hic.* (r) *Tertul. Scorpiac. c.* 9. (s) *Drus. Cornel. hic, Pamel. in Scorpiac. Tertull.* (t) Οἱ ὀρθρίζοντες πρὸς αὐτὴν ἐμπλησθήσονται εὐφροσύνης. (u) *Castal. Drus. Cornel.* (x) 4 *Reg.* III, 5; *Sap.* IX, 4. (y) Ἐὰν ἐμπιστεύσῃς, κατακληρονομήσεις αὐτήν, (Vel: Ἐὰν ἐμπιστεύσῃ, κατακληρονομήσει) καὶ ἐν κατασχέσει ἔσονται αἱ γενεαὶ αὐτῆς, (vel αὐτῶν.) (z) Ὅτι διεστραμμένως πορεύεται μετ' αὐτοῦ ἐν πρώτοις.

℣. 20. (Et firmabit illum,) & iter adducet directum ad illum, & lætificabit illum,

℣. 21. Et denudabit absconsa sua illi, (& thesaurizabit super illum scientiam, & intellectum justitiæ.)

℣. 22. Si autem oberraverit, derelinquet eum, & tradet eum in manus inimici sui.

℣. 23. Fili, conserva tempus, & devita a malo.

℣. 24. Pro animâ tuâ ne confundaris (dicere verum.)

℣. 25. Est etiam confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam, & gratiam.

℣. 26. Ne accipias faciem adversùs faciem tuam, (nec adversùs animam tuam mendacium.)

COMMENTARIUS.

primis, initio. Arduum aliquid offert sub exordia; ipsos quodammodo destituere videtur, & causas nectere, ut illorum denique patientiam frangat. Vel: Ites ad Sapientiam ducens, salebrosum initio est, atque ambagibus plenum. Huic sententiæ favet proximè sequens versiculus: *Timorem & metum, & probationem inducet super illum: & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ suæ, donec tentet eum in cogitationibus suis, & credat animæ illius.* Hoc ipsum significabant Veteres, cùm binas proponi hominibus vias dicerent, alteram, quæ ad beatitudinem duceret, asperam difficilemque (a); alteram quæ ad exitium, amplam, facilem, ac stratam. Eâdem sub imagine Christus iter Cœli, æternique exitii proposuit (b).

℣. 20. ET FIRMABIT ILLUM, ET ITER ADDUCET DIRECTUM AD ILLUM, ET LÆTIFICABIT ILLUM. Sapientia per obliquas & inæquales vias initio alumnum ducit, eumque terret & cruciat. At deinde solatio replet & gaudio, rectoque ac facili itinere deducit (c). Græcus (d): *Deinde occurret illi recto itinere, & lætitiâ illum afficiet.* Postquam sese fugere obliquo itinere simulavit, rectâ ad illum unà revertetur.

℣. 22. TRADET EUM IN MANUS INIMICI SUI. Græcus (e): *Tradet illum in manus ruinæ ipsius*: suâ illum in infelicitate relinquet. Hæc stultorum sors est, Sapientiæ iter relinquentium, ut criminis viam sequantur. Sponte mala in extrema ruunt. Primam de duplici itinere, altero ad Sapientiam, altero ad mala extrema ducente, sententiam explicare pergit.

℣. 23. FILI, CONSERVA TEMPUS, ET DEVITA A MALO. En alterum dicendi argumentum. Stude ut omnia suo tempore facias; suum enim est loquendi tempus, suumque tacendi; ædificandi tempus, & destruendi (f). Gravissimum hoc est Sapientiæ officium. Interdum enim quæ optima naturâ sunt, pessima fiunt, quod suo tempore gesta non fuerint. *Devita a malo*, peccatum fuge. Vel (g): Cave tibi a malo homine; ejus consuetudinem fuge, insidias verere, exempla vitato.

℣. 24. PRO ANIMA TUA NE CONFUNDARIS DICERE VERUM. Ubi de vitâ agitur, verum dicere ne verearis. Ne importunum virtutis & constantiæ specimen exhibere velis. Quicquid opus est, age, dum te periculo subtrahas (h). Ne temerè in mortem ruas. Alii (i): Vera dicito, vel ipsius vitæ periculo. Si veritatem lædere, aut mentiri cogeris, necem potiùs atque omne suppliciorum genus subire ne recuses. Ita sancti homines ac Martyres gessere. Non sola fidei dogmata palàm prædicanda sunt, cùm res & occasio a Deo oblata id poscunt, eademque propugnanda, si quis illa evertere conetur; verùm etiam pugnandum est pro cæterorum innocentiâ, justitiâque, ubi quis falsò illos insimulet & iniquè aggrediatur. Constantissimè prædicanda est veritas, quamvis ea res periculo futura sit. Græcus (k): *Ne te pudeat animæ tuæ*, tui ipsius. Ne malam illorum verecundiam imitere, qui fame & inopiâ languere malunt, quàm opem flagitare. Hic sensus Græci est. Vide ℣. sequentem.

℣. 25. EST ETIAM CONFUSIO ADDUCENS PECCATUM, ET EST CONFUSIO ADDUCENS GLORIAM ET GRATIAM. Duplex est pudor, bonus malusque, qui reus peccati est & qui gloriam parit. Qui mortem ex fame eligit, ob mendicandi verecundiam, is reus necis suæ est. Is verò, quem pudet, aliquid quod verè turpe sit gerere, ceu mentiri, aut aliud quid verecundiæ contrarium patrare, is gloriam sibi comparat, æternaque præmia meretur, modò agendi consilium & causa ipsius actionis bonitati non noceat. Eadem sententia legitur in Proverbiis, XXXVI, 31, apud Græcum ex Romanâ Editione. Vide etiam inferiùs finem capitis XLI, & initium Capitis XLII. *Confusio adducens peccatum* ex Patrum (l) quorumdam sententiâ, ea est, quà animæ ulcera sacrâ confessione patefacere prohibemur: & *confusio adducens gloriam*, ea est, quâ coërcemur ne in vitia ruamus.

℣. 26. NE ACCIPIAS FACIEM ADVERSUS FACIEM TUAM. Ne cujusquam dignitatem verearc, cùm saluti tuæ nocet. Quæ sequuntur, *Nec adversùs animam tuam mendacium*, in Græco non habentur, ferente solummodò (m): *Ne accipias personam adversùs animam tuam, nec reverearis aliquem in exitium tuum.* Cùm de vitâ, de famâ, de rebus tuis agitur, causam tuam adversùs quemlibet aggressorem age, nullius habitâ ratione, ac neminem timens. Nihil tibi antiquius esse debet, quàm

(a) *Hesiod.* Μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν (Ἀρετὴν)
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηαι,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.

(b) *Matth.* VII, 13, 14. (c) *Confer Sap.* X, 10. (d) Καὶ ἐπανήξει κατ' εὐθεῖαν πρὸς αὐτὸν, καὶ εὐφρανεῖ αὐτόν. (e) Παραδώσει αὐτὸν εἰς χεῖρας πτώσεως αὐτοῦ. (f) *Eccle.* III, 1, 2, & *seq.* (g) Συντήρησον καιρὸν, καὶ φύλαξον ἀπὸ πονηροῦ. (h) *Grotius*, *hic*. (i) *Palacius*, *Cornel.* (k) Περὶ τῆς ψυχῆς σου μὴ αἰσχυνθῇς. (l) *Greg. Magn. lib. 4 Moral. c.* 17; & *in Ezech. lib.* 1, *homil.* 10; *Bernard. serm. ad Milites Templi*, *c.* 12. (m) Μὴ λάβοις πρόσωπον κατὰ τῆς ψυχῆς σου, καὶ μὴ ἐντραπῇς εἰς πτῶσίν σου.

℣. 27. Ne reverearis proximum tuum in casu suo:

℣. 28. Nec retineas verbum in tempore salutis. Non abscondas sapientiam tuam in decore suo.

℣. 29. In linguâ enim sapientia dignoscitur: (& sensus, & scientia,) & doctrina in verbo (sensati, & firmamentum in operibus justitiæ.)

℣. 30. Non contradicas verbo veritatis ullo modo, & de mendacio ineruditionis tuæ confundere.

℣. 31. Non confundaris confiteri peccata tua, & ne subjicias te omni homini pro peccato.

℣. 32. Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluvii.

℣. 33. (Pro justitiâ agonizare pro animâ tuâ,) & usque ad mortem certa pro justitiâ, & Deus expugnabit pro te (inimicos tuos.)

COMMENTARIUS.

incolumitas tua; cujus causâ pudor omnis, & reverentia excludenda est. Si te amicus hortetur, ut aliquid agas, quod tibi probro futurum est; si te in malam litem, falsumve testimonium pertrahere velit, resiste, ejusque amicitiam æquitati, veritati, tuæque dignitati posthabeto.

℣. 27. NE REVEREARIS PROXIMUM TUUM IN CASU SUO. Amici peccata ne excuses dissimulesve. *Amici vitia si feras, facis tua*, inquit Seneca. Hic versus in Græco deest. At satis congruit cum iis quæ dicta sunt versiculo superiori, in iis: *Nec reverearis aliquem in exitium tuum*; vel, cùm de malo tuo agitur, aut in aliquid trahendus es, quod tibi periculum creet.

℣. 28. NON ABSCONDAS SAPIENTIAM IN DECORE SUO (n); cùm scilicet absque arrogantiæ notâ Sapientiam tuam ostendere tibi licet. Aliud malæ verecundiæ genus hîc aggreditur, quæ hominis scientiam abscondit, cùm ostendenda est, vel utile & gloriosum esset ostendere. Quanta enim Sapientiæ ignotæ, ac thesauri absconditi utilitas est (o)? Vitanda est arrogantia, atque inanis rerum nostrarum ostentatio: at neque in extremam ex alterâ parte humilitatem ruendum est. Ecclesiæ utilitas, veritatis honor, sui ipsius salus, innocentiæ defensio, satis graves causæ sunt, ut Sapientiam tuam & factis & dictis prodas.

℣. 29. ET SENSUS ET SCIENTIA.... IN VERBO SENSATI, &c. Accipe totum ex Græco versiculum (p): *Nam ex sermone cognoscetur sapientia, & eruditio ex verbis linguæ.* Jungenda hæc sunt cum superioribus in hanc sententiam: Sapientiam tuam importunâ verecundiâ ne celes; sed cùm tempus postulaverit, illius fulgorem palàm exhibeto; potissimùm enim sermone ac verbis ostenditur. Nisi loquaris, ubi res poscit, quorsum sapiens es? Quæ hîc leguntur, *Et firmamentum in operibus justitiæ*, in Græco desunt.

℣. 30. NON CONTRADICAS VERBO VERITATIS, ET DE MENDACIO INERUDITIONIS TUÆ CONFUNDERE. Sapientis est verum fateri, ubi cognoveris, teque errasse testari, ubi errorem tuum videris. Contra verò turpe est, veritatis fulgori repugnare. Malam verecundiam iterum Sapiens damnat. Græcus (q): *Ne repugnes veritati ullâ in re; & erubesce ob peccatum ignorantiæ tuæ.* Alii Codices ferunt: *Ne contradicas veritati ullo modo; sed ob ignorantiam tuam erubesce*, quòd citiùs non cognoveris, quid agendum foret.

℣. 31. NE SUBJICIAS TE OMNI HOMINI PRO PECCATO. Vel: Nemini te submittas culpâ tuâ. Probrosa res servitus est; ingenuus quisque servitutem fugere, ceu malorum maximum, debet; at eam potissimùm, cujus causa ipse sibi homo est. Si subditus alteri es, te necessitas cogat. Vel: Necujus authoritate in scelus te rapi patiare. Græcus (r): *Ne subjicias te stulto homini.* Nequid humile aut indignum coram insano agas; quid enim causâ ipsius agas, minimè agnoscit, tuaque subjectio arrogantiorem facit. Nimirum cum hoc hominum genere sapiens quædam superbia servanda est, quæ hominem demitti vetat.

℣. 32. NOLI RESISTERE CONTRA FACIEM POTENTIS, NEC CONERIS CONTRA ICTUM FLUVII (s). Potenti resistere perinde est, ac adversùs profluentem niti. Siquid amni objicias, aggeres evertet, & majore vi & pernicitate inundabit. At neque semper potenti cedendum est: quædam enim sunt, in quibus omnino opus est repugnare, veluti cùm illi Religionem, veritatem, justitiam aggrediuntur. At in his etiam eâ solertiâ eoque artificio utendum est, ut arma furori ac libidini & violentiæ auferantur. Cæteris in rebus tempori serviendum est, ac dandus iræ locus, inquit S. Paulus (t). Hoc pro certo habeto, prudentiæ legem esse, animo violenter in aliquam partem rapto non nimis resistere. *Frustra niti, & nihil aliud laborando, quàm odium quærere, extremæ dementiæ est*, docet Sallustius. Ita Samuel populo Regem postulanti cessit, & David Saüli.

Græci Codices duos hosce versiculos aliter distribuunt: ℣. 31. *Ne verearis confiteri peccata tua, nec violenter reprimas cursum fluminis.* 32. *Ne subjicias te stulto homini, neque accipias personam potentis.* Duplex malæ verecundiæ genus damnat ℣. 31. Alterum, quo quis veretur confiteri peccata sua: alterum, quo cedere violentiæ renuit. Et duplex bonæ verecundiæ genus commendat ℣. 32: alterum quo prohibemur, ne insano subjiciamur, illique præposterâ indulgentiâ placere studeamus; alterum, quo immeritum locupletis & potentis obsequium interdicitur.

℣. 33. PRO JUSTITIA AGONIZARE PRO ANIMA TUA, ET USQUE AD MORTEM CERTA PRO JUSTITIA.

Gir-

(n) Καὶ μὴ κρύψῃς τὴν σοφίαν σου εἰς τὴν καλλονήν.

(o) *Eccli.* xx, 32. (p) Ἐν γὰρ λόγῳ γνωσθήσεται σοφία, καὶ παιδεία ἐν ῥήμασι γλώσσης.

(q) Μὴ ἀντίλεγε τῇ ἀληθείᾳ κατὰ μηδὲ ἕν, καὶ περὶ ψεύσματος τῆς ἀπαιδευσίας σου ἐντράπηθι. *Alii Codices*: Καὶ περὶ ἀπαιδευσίας σου ἐντράπηθι. (r) Μὴ ὑποστρώσῃς ἀνθρώπῳ μωρῷ σεαυτόν.

(s) *Complut. & alii quid.* Contra ictum fulminis. *Ita August.* In speculo, *in antiq. Edition. sed in nov. & in Mss.* Fluvii. (t) *Rom.* XII, 19: *Date locum iræ.*

℣. 34. Noli citatus esse in linguâ tuâ, & inutilis, & remissus in operibus tuis.

℣. 35. Noli esse sicut leo in domo tuâ, evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi.

℣. 36. Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta.

COMMENTARIUS.

Græcus breviorem sententiam fert (u): *Usque ad mortem decerta pro veritate; & Dominus Deus pro te pugnabit*. Hæc optimè congruunt cum iis quæ in Vulgatâ præcessere; *Noli resistere contra faciem potentis, nec coneris contra ictum fluminis*. Ne tamen hujus sententiæ monitum contrarium in partem accipiatur, statim subdit: *Usque ad mortem decerta pro veritate, &c.* Utrique huic monito sancti homines & Novi Veterisque Testamenti Martyres mirificè obtemperavere; quippe qui adversùs hujus sæculi locupletes modestiâ & sapientiâ utentes, pro justitiâ & veritate constantissimo intrepidoque animo certavere.

℣. 34. NOLI CITATUS ESSE IN LINGUA TUA, ET INUTILIS ET REMISSUS IN OPERIBUS TUIS. Gloriabundos homines, magna promittentes, nihilque agentes, quique cùm ignarissimi omnium rerum sint, de omnibus loquuntur, ne imitere: nihil enim inter homines odiosius est, aut arrogantius. Græcus (x): *Ne sis audax in linguâ tuâ, & ignavus in operibus tuis*. Vel, ut alii volunt: *Ne sis asper*, durus, ferox, *in sermonibus tuis, &c.*

℣. 35. NOLI ESSE SICUT LEO IN DOMO TUA, EVERTENS DOMESTICOS TUOS, ET OPPRIMENS SUBJECTOS TIBI. Major in Græco vis est (y): *Noli esse sicut leo in domo tuâ, ex libidine & furore percutiens servos tuos*. Vel ex aliis Codicibus a *Suspicax adversùs famulos tuos*. Vetat Sapiens, hominem, quem ipse instituit, familiaribus ferocem esse, violentum, imperiosum, aut formidandum, vel litigiosum, clamosum, minacemque, ac domesticos temerè punire. Id neque sapientis est, neque boni viri. Misericordiam erga singulos amoremque docet Religio; Sapientia moderationem, clementiam, gravitatem. De officio heri erga famulos vide Apostolum, *Coloss.* V, 1; *Ephes.* VI, 9.

℣. 36. NON SIT PORRECTA MANUS TUA AD ACCIPIENDUM, ET AD DANDUM COLLECTA. Munificus esto, ac pluris facito dare quàm accipere. *Beatius est magis dare, quàm accipere* (z). Sapiens libenter largitur, ægrè accipit: largitionibus enim sibi amicos facit; acceptis muneribus ipse debitor efficitur.

CAPUT V.

Divitiarum contemptus. Divinæ ultionis metus. Dei patientiâ ne abutare. A peccato recedere ne differas. Constans esto in bono, in verbis cautus. Ne maledicus sis.

℣. 1. NOli attendere ad possessiones [iniquas,] & ne dixeris: Est mihi sufficiens vita: [nihil enim proderit in tempore vindictæ, & obductionis.]

℣. 2. Ne sequaris in fortitudine tuâ concupiscentiam cordis tui:

COMMENTARIUS.

℣. 1. NOLI ATTENDERE AD POSSESSIONES INIQUAS, ET NE DIXERIS: EST MIHI SUFFICIENS VITA: NIHIL ENIM PRODERIT IN TEMPORE VINDICTÆ ET OBDUCTIONIS. Græcus solùm legit (a): *Ne innitaris divitiis tuis, & ne dixeris: Sunt mihi quæ ad vitam sufficiant*. Latinus Interpres adjecit *iniquas*, Christi exemplo (b), divitias appellantis *Mammonam iniquitatis*; vel quòd plerumque fructus iniquitatis sint, cùm plerumque nemo sine scelere facilè locuples fiat; vel quòd ad iniquitatem trahant, exhibitâ locupletibus superbiendi ac male agendi occasione; vel denique quòd inanes ac falsæ sint, & spiritualibus divitiis, æternisque bonis, quæ vera sunt ac solidissima, opponantur. Subjicit, illas inutiles fore supremâ die iræ, quæ relinquendæ sunt, nullamque impiorum rationem habiturus est supremus Judex, quantumvis illi gratiâ, viribus, dignitate, opibusque claruerint. Nudus in infernum feretur dives; nudus ante Christi Tribunal sistetur. *Ne timueris, cùm dives factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domûs ejus*, inquit Psalmista (c); *quoniam cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus*. In divitem Evangelicum, qui sese ita hortabatur (d), *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare*, statim damnationis sententia pronunciata est: *Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt?*

℣. 2. NE SEQUARIS IN FORTITUDINE TUA CONCUPISCENTIAM CORDIS TUI. Quò opulentior ea,

eò

(u) Ἕως θανάτου ἀγώνισαι περὶ τῆς ἀληθείας, καὶ Κύριος ὁ Θεὸς πολεμήσει ὑπὲρ σοῦ. (x) Μὴ γίνου θρασὺς ἐν τῇ γλώσσῃ σου, καὶ νωθρὸς, καὶ παρειμένος ἐν τοῖς ἔργοις σου. Author Vulgatæ legit, ταχὺς pro θρασύς. Alii, τραχὺς, asper, durus, ferox. (y) Μὴ ἴσθι ὡς λέων ἐν τῷ οἴκῳ σου, καὶ φαντασιοκοπῶν ἐν τοῖς οἰκέταις σου. Legunt alii, Φαντασιοσκοπῶν, Suspicax, mente imbecillis, animum spe inani pascens. Vide Grotium, & Hoeschelium. (z) *Act.* XX, 35. (a) Μὴ ἔπεχε ἐπὶ τοῖς χρήμασί σου, καὶ μὴ εἴπῃς, Αὐτάρκη μοί ἐστιν εἰς ζωήν. Vide ℣. 10, ex quo Vulgatæ Author hausit ea, quæ hoc loco addidit. (b) *Luc.* XVI, 9, 11. (c) *Psal.* XLVIII, 17. (d) *Luc.* XII, 19.

℣. 3. Et ne dixeris: [Quomodo potui?] aut quis me subjiciet propter facta mea? Deus enim vindicans vindicabit.

℣. 4. Ne dixeris: Peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.

℣. 5. De propitiato peccato noli esse sine metu, neque adjicias peccatum super peccatum.

℣. 6. Et ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur.

℣. 7. Misericordia enim, & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius.

COMMENTARIUS.

eò magis vereri de te debes, ne in libidinem tuam feraris, aut in scelus ruas. *Minimum licere debet, cui plurimum licet* (e). Græcus habet (f): *Ne sequere animam tuam & vires tuas, ut ambules in viis cordis tui*. Libidines tuas ne secteris, tuisque viribus ne abutare, ut liberiùs in crimen ruas, atque unicam agendi legem habeas perversi animi tui arbitrium. Ne impios illos imitere, gloriantes (g): Nostri sumus: quicquid libet, dicere licet: *Quis noster dominus est?* Neque Pharaonem, qui Moysi sese Dei nomine alloquenti respondit (h): *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israël? nescio Dominum, & Israël non dimittam.*

℣. 3. Et ne dixeris: Quomodo potui (i)! Aut quis me subjiciat propter facta mea? Ne fortunæ tuæ magnitudine, aut cœptorum felicitate ne superbias. Si res bene tibi cedere passus est Deus, illi gloriam earum rerum debes. Gloriabatur Sennacherib, sese Gentes omnes earumque Deos superasse. Quis e Diis populum suum meis viribus subduxit? inquiebat. Totius tamen exercitûs ipsius cæde quamprimùm illum docuit Deus, quantis ipse viribus ac potestate potiretur. Stulte, respondit Isaias (k), *Cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem, & levasti altitudinem oculorum tuorum? Ad Sanctum Israël. Habitationem tuam, & egressum tuum, & introitum tuum cognovi, & insaniam tuam contra me. Cùm fureres adversùm me, superbia tua ascendit in aures meas: ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te in viam per quam venisti* (l).

℣. 4. Ne dixeris, Peccavi, et quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor. Si hactenus clementiâ & lenitate usus est erga te Deus, ne idcirco illius justitiam aspernare. Nimirum expectat, dum scelerum tuorum mensuram expleas, ut simul omnia puniat. Lenta est Dei ultio, at nihilo tamen remissior. Tu interim odiosior efficeris, minùsque dignus excusatione. *Quos diu ut convertantur tolerat, non conversos durius damnat*, inquit S. Gregorius (m). Communis erat apud Veteres sententia: Laneos pedes habent Dii, ferreas manus; ut lentè supplicium, at nihilo mitius inferre illos significarent.

℣. 5. De propitiato peccato noli esse sine metu. Si supplicium distulit Deus, tuamque conversionem hactenus præstolatus est, ne idcirco securus vivas, aut novis illum criminibus provocare pergas. Fessa demum patientia justitiæ locum dabit; omnisque tunc pœnitentia & dolor inutiles fient (n). Aliter: Impetrata præteritorum criminum venia te ne securum efficiat. *Furor fit læsa sæpiùs patientia*. Quamvis omnia quæ opus erat tentaveris, ut criminum veniam impetres, an te impetrasse certò nosti? An ignoras Sapientis oraculum (o)? *Nescit homo, utrùm amore an odio dignus sit?* At esto, criminis veniam obtinueris; certè peccati pœna minimè remissa est.

Denique metuendum tibi est, ne Dei furor iteratis lapsibus provocatus, vetera peccata recolat; additoque cæteris irascendi causis clementiæ contemptu, atque auxiliis vel rejectis vel omnino conculcatis, novâ severitate nova peccata puniat, ob pessimam animi tui habitudinem, qua & patrata sunt, & graviora efficiuntur (p). Unam rem bis non judicat Deus: beneficiorum, quæ largitus est, illum non pœnitet, neque illa revocat (q). Quæ semel remisit peccata, iterum illorum reum hominem minimè appellat. At eos quàm maximè odit, qui ex ipsâ impetrandæ veniæ facilitate ac Dei misericordiâ, quam experti sunt, liberiùs peccandi audaciam sumunt. Vide ℣. 6 (r). Græcus ad verbum (s): *De veniâ ne sis securus nimis, ut addas peccata super peccata*. Aliquod securitatis genus & permittit Sapiens, & imperat Religio; Christianum enim de Dei gratiâ misericordiâque, constitutisque in Ecclesiâ salutis nostræ adminiculis non confidere, nefas. At nimiam fiduciam damnat, vetatque ne in audaciam degeneret.

℣. 7. Misericordia enim et ira ab illo cito proximant. Ubi Divinæ gratiæ ac misericordiæ thesauros homo neglexerit, statim Divinus furor excandescit; eoque graviùs, quo indigniùs homines peccavere. Nullus est Divinis beneficiis modus: nunquam non in Dei potestate sunt, quæ ipse pro arbitrio largiri, quoties & quàm ampla voluerit, potest. At nemini licet, ex iis quæ accepit, colligere quæ deinceps sit accepturus. Post iteratam sexcenties veniam, major denique causa est, cur novum scelus præter omnem misericordiæ spem puniat. Græcus fert (t): *Misericordia & prudentia festinant apud eum*. Vel, ex aliis Codicibus: *Misericordia & ira apud ipsum sunt;*

(e) *Senec. Troad.* (f) Μὴ ἐξακολούθει τῇ ψυχῇ σου, καὶ τῇ ἰσχύϊ σου, τοῦ πορεύεσθαι ἐν ὁδοῖς καρδίας σου. (g) *Psalm.* XI, 5. (h) *Exod.* V, 2. (i) Hoc in Græco deest; at legitur a S. Augustino in Speculo, & S. Cypriano, *lib.* 3 *Testim.* (k) *Isai.* XXXVI, 20. (l) *Ibidem*, 23, 24, 28, 29. (m) *Greg. Magn. homil.* XIII *in Evang.* (n) *Jansen. Gandav. Grot.* (o) *Eccle.* IX, 1. (p) *Vide Matth.* XVIII, 32, 33, 34. (q) *Rom.* XI, 29: *Sine pœnitentiâ enim sunt dona, & vocatio Dei.* (r) *Vide Bellarm. lib.* 3 *de Justific. cap.* 4; *& Cornel. a Lapide, hic.* (s) Περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου ἐν πλεονασμῷ, προσθεῖναι ἁμαρτίας ἐφ' ἁμαρτίαις. (t) Ἔλεος γὰρ καὶ ὀργὴ παρ' αὐτῷ ταχυνεῖ, καὶ ἐπὶ τοὺς ἁμαρτωλοὺς καταπαύσει ὁ θυμὸς αὐτοῦ. *Edit. Rom.* Ἔλεος γὰρ καὶ ὀργὴ παρ' αὐτῷ.

℣. 8. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.

℣. 9. Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.

℣. 10. Noli anxius esse in divitiis injustis: non enim proderunt tibi in die obductionis & vindictæ.

℣. 11. Non ventiles te in omnem ventum, & non eas in omnem viam: sic enim omnis peccator probatur in duplici linguâ.

℣. 12. Esto firmus in viâ Domini, & in veritate sensûs tui, [& scientiâ: & prosequatur te verbum pacis, & justitiæ.]

℣. 13. Esto mansuetus ad audiendum verbum, ut intelligas: & cum sapientiâ proferas responsum verum.

℣. 14. Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum, [ne capiaris in verbo indisciplinato, & confundaris.]

COMMENTARIUS.

sunt; & super peccatores requiescit indignatio illius.

℣. 8. Non tardes converti ad Dominum. Cùm mortis tempus genusque ignoremus, assiduè nobismetipsis cavere debemus, ac vigili sollicitudine de animæ nostræ statu cogitare. Interrogatus (*u*) Judæus quidam a Discipulis, *Quando resipiscendum esset*, respondit; *Die uno ante mortem*. Cùm autem illi dicerent, *se nescire quando morituri essent*, *Propterea*, inquit, *hodie resipiscendum est; nam fortasse cras moriemur*. *Misericordia est*, ait S. Augustinus (*x*), *quia nescit homo quando moriatur. Latet ultimus dies, ut observentur omnes dies*. Si quantociùs ad Deum redis, nihil subis discriminis, ac bonum agis, quod certum est: at si resipiscere cuncteris, rerum omnium periculo te objicis, Quis sanæ mentis homo certum incerti causâ relinquat, ubi de re tanti momenti agitur, æternâ scilicet aut beatitudine aut calamitate (*y*)? *Deus pœnitentiæ tuæ indulgentiam promisit; sed huic dilationi tuæ diem crastinum non promisit*, ait idem S. Augustinus (*z*).

℣. 10. Noli anxius esse in divitiis injustis; non enim tibi proderunt in die obductionis & vindictæ. Eadem sententia occurrit ℣. 1. Græcus legit (*a*): *Ne innitere divitiis injustis; nihil enim tibi proderunt in die calamitatis*, supremâ vitæ die. Vide *Prov.* x, 2; xi, 4; *Luc.* xii, 19.

℣. 11. Non ventiles te in omnem ventum. Ne inconstans ac levis fueris in iis quæ agis aut cogitas. Te ne omnibus credas, sed priùs experire. Ne cujuslibet ad te accedentis arbitrio trahi te patiaris. Ne statim descendas in sententiam eorum qui te alloquuntur, animum tuum occupaturi. Similis est hæc sententia Paulinæ (*b*): *Ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*. Græcus fert: *Ne ventiles quovis vento, neque gradiaris qualibet semitâ; ita solet agere homo pravus, est enim bilinguis*. Qui omnibus placere student, plerumque nemini placent. Eligendum sapienter quid sequaris, illique constanter adhærendum; neque imitari decet eos, qui dum omnibus se se favere simulant, nemini favent (*c*). Vide sequentem ℣.

℣. 12. Firmus in via Domini. Ne inconstans levisque sis sententiis institutisque; sed in recto itinere, in viâ quæ ad Deum ducit, in veritate, tuâque sententiâ firmus & constans esto. Ita jungi debent ℣℣. 11 & 12. Græcus solùm legit (*d*): *Firmus esto in sententiâ tuâ* cùm certa & explorata est; *& una sit ratio tua*. Sententiarum inconstantiam, atque orationis simulationem fuge, si homines tibi fidem habere, teque magni facere cupis.

℣. 13. Esto mansuetus ad audiendum verbum (*e*), ut intelligas; et cum sapientia proferas responsum verum. Attentè audi, neque loqui festines, nisi probè calleas quæ loquuturus es. Græcus (*f*): *Esto celer ad auscultandum quæ bona sunt, & sit in veritate tuâ; & in patientiâ loquere responsum rectum*. Brevior Romana Editio: *Esto velox ad audiendum, tardus ad respondendum*. Natura ipsa, ut quanta sit audiendi ac discendi utilitas, doceat, duplici aure hominem instruxit; unicâ verò linguâ, ut quàm parum loquendum sit, significet. Idem docuit S. Jacobus (*h*): *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*. Et S. Augustinus (*i*): *Tutiùs veritas auditur, quàm prædicatur; quoniam cùm auditur, humilitas custoditur; cùm autem prædicatur, vix cum surrepit cuivis homini quantulacumque jactantia, in qua utique inquinantur pedes*.

℣. 14. Si est tibi intellectus, responde proximo: sin autem, sit manus tua super os tuum. Quæ sequuntur in Vulgatâ, *Ne capiaris in*

(u) *Rob. Eleazar, apud Drus. hic*. (x) *August. homil.* 13, *inter* 50; *nunc serm.* 39, *in tom.* 5, *nov. Edit. n.* 1. (y) Vide Chrysostom. Homil. 22 in 2 Cor. (z) *August. in Psal.* cxiv. (a) Μὴ ἔπεχε ἐπὶ χρήμασιν ἀδίκοις, οὐδὲν γὰρ ὠφελήσει ἐν ἡμέρᾳ ἐπαγωγῆς. (b) *Ephes.* iv, 14. (c) *Theophrast. Character.* Ἀρέσκου. Καὶ παρακληθεὶς δὲ πρὸς δίαιταν, μὴ μόνον ᾧ πάρεστι βούλεται ἀρέσκειν, ἀλλὰ καὶ τῷ ἀντιδίκῳ, ἵνα κοινὸς εἶναι δοκῇ. (d) Ἴσθι ἐστηριγμένος ἐν συνέσει σου ἀσφαλεῖ, καὶ εἷς ἔστω ὁ λόγος σου. (e) *Complut.* Verbum Dei. *Ita & alii multi.* (f) Γίνου ταχὺς ἐν ἀκροάσει σου ἀγαθῇ, καὶ ἔστω ἐν ἀληθείᾳ ἡ ζωή σου, καὶ ἐν μακροθυμίᾳ φθέγγου ἀπόκρισιν ὀρθήν. *Edit. Rom. legit*: Γίνου ταχὺς ἐν ἀκροάσει σου, καὶ ἐν μακροθυμίᾳ φθέγγου ἀπόκρισιν. (g) *Plutarch.* Περὶ τοῦ ἀκούειν. Ἡ φύσις τὸ χρειῶδες τοῦ λόγου πρὸς ἀκοὴν δι' ἀναλογίας μετροῦσα, δύο μὲν ὦτα, μίαν δὲ γλῶσσαν ἡμῖν ἐξειργάσατο. Ὡς δέον διπλάσιονα εἰς παιδείαν ἀκούειν, ἡμιολίῳ δὲ πρὸς τὰ ἐρωτήματα προάγειν τὸν λόγον. (h) *Jacobi*, 1, 19. (i) *August. tract.* 57 *in Joban.*

℣. 15. Honor, & gloria in sermone sensati: lingua verò imprudentis, subversio est ipsius.

℣. 16. Non appelleris susurro, & linguâ tuâ ne capiaris, [& confundaris.]

℣. 17. Super furem enim est confusio, [& pœnitentia,] & denotatio pessima super bilinguem: [susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.]

℣. 18. Justifica pusillum, & magnum similiter.

COMMENTARIUS.

In verbo indisciplinato, & confundaris, in Græco desunt. *Aut dicito aliquid silentio melius*, ajebat Vetus quidam (k), *aut silentium serva*. Insanum est docere, priusquàm sapiens sis; aut præceptoris dignitatem affectare, cùm nondum discipulus fueris. Hæc phrasis, *Imponere digitum ori suo*, frequens apud Scripturam est (l) pro *silere*. Harpocratem, silentii Deum, pingebant Ægyptii, digito labra prementem (m):

At tua Sigalion Ægyptius oscula signet.

℣. 15. HONOR ET GLORIA IN SERMONE SENSATI. Vix loqui cœpit Sapiens, quis ipse sit, statim prodit; illumque omnes cum obsequio audiunt. Græcus (n): *Gloria & dedecus in sermone; & lingua hominis ruina est ipsius*. Nihil linguâ utilius est, nihilque perniciosius. Et honore & probro afficit, uti quis eâ bene vel male utitur. Id animadvertit in Proverbiis Sapiens (o): *Mors & vita in manu linguæ*. Res igitur maximi momenti est modum linguæ imponere; verissimumque illud est (p): *Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est Religio.*

℣. 16. NON APPELLERIS SUSURRO, ET LINGUA TUA NE CAPIARIS, ET CONFUNDARIS. Græcus brevior est (q): Quidlibet age, *ne voceris susurrator, nec linguâ insidieris*. Susurrator in humanæ vitæ consuetudine odiosissimus est. Similis angui est, sine strepitu mordenti (r). Vulnus sentis, priusquàm vocem audias. Calumniarum adversùs aliquem plena sunt hominum ora, incerto illarum authore, qui is est, quem Sapiens *susurronem* nuncupat. Homo clam in aure susurrans, quòd timeat ne agnoscatur, certo novit sese auditores habiturum, cùm plerumque homines detractionem facili aure excipiant, & ea quæ paucis nota esse putantur, unusquisque libenter disseat. Maledicum hominem mirificè descripsit his verbis Salomon (s): *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis; & susurrone subtracto, jurgia conquiescunt. Verba susurronis quasi simplicia, & ipsa perveniunt ad intima ventris.*

℣. 17. SUPER FUREM ENIM EST CONFUSIO, ET POENITENTIA, ET DENOTATIO PESSIMA SUPER BILINGUEM. Uti fur probro afficitur, ita fallax ac duplex linguâ gravissimam condemnationem in sese provocat. Perniciosior quodammodo est obtrectator fure ac veteratore; ex his enim alter pecuniæ tuæ insidias struit, alter infamiæ notâ inuritur ac vitatur: at hominem secretò obloquentem quis facilè agnoscit? Is bonorum omnium odium meretur, dignus qui probro & infamiâ obruatur. Deo ipsi odiosum esse hoc hominum genus, S. Paulus docet (t); eosque in eodem cum libidinosis, avaris, superbis, fide, honestate, pudore carentibus censu numerat. *Abominatio hominum detractor*, inquit Salomon (u). Græcus (x): *Furem enim sequitur gravis ignominia; at bilinguem damnatio mala.* Simulatorem cum fure comparat: fur enim si in ipso crimine deprehendatur, probro obruetur; & ubi veteratoris artes detectæ fuerint, nemo illum non odit ac damnat.

℣. 18. JUSTIFICA PUSILLUM ET MAGNUM SIMILITER. Si in Magistratu es, æquam tum diviti cùm pauperi sententiam ferto, nullius habitâ ratione (y). Aliter planè fert Græcus (z): *In magno & parvo ne ignores, ne unum quidem*. Nequid ignores, cura; & quidlibet seu magnum seu parvum nosse labora. Vel: Cave nequid pecces, seu levi in re, sive in gravi. Nequid imprudenter geras tum in magnis rebus, tum in minimis. Solerter adeò rebus tuis consulito, ut nunquam imprudens erres, neque dicere cogaris: Non putabam; id enim prudentem hominem dedecet.

CA-

(k) *Apud Grot.* Ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖσσον, ἢ σιγὴν ἔχε.

(l) *Job*, XXI, 5; XXIX, 9. (m) *Auson. Ep.* 12 *ad Paulin.* (n) Δόξα καὶ ἀτιμία ἐν λαλιᾷ. Καὶ γλῶσσα ἀνθρώπου πτῶσις αὐτῷ. (o) *Prov.* XVIII, 21. (p) *Jacobi*, I, 26. (q) Μὴ κληθῇς ψίθυρος, καὶ τῇ γλώσσῃ σου μὴ ἐνέδρευε. (r) *Eccle.* X, 11: *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* (s) *Prov.* XXVI, 20, 22. (t) *Rom.* I, 29, 30. (u) *Prov.* XXIV, 9.

(x) Ἐπὶ γὰρ τῷ κλέπτῃ ἐστὶν αἰσχύνη μοχθηρὰ, καὶ κατάγνωσις πονηρὰ ἐπὶ διγλώσσου.

(y) *Deut.* I, 17: *Nulla erit distantia personarum; ita parvum audietis, ut magnum; nec accipietis cujusquam personam.* (z) Ἐν μεγάλῳ καὶ ἐν μικρῷ μὴ ἀγνόει μηδὲ ἕν. Hellenistis ἀγνοεῖν est *errare, peccare, imprudenter agere*: אשם : שכל : שגג

CAPUT VI.

Amicitia : ejus utilitas & natura. Verus ac simulatus amicus. Sapientia studium, utilitas, difficultas.

℣. 1. NOli fieri pro amico inimicus proximo: improperium enim, & contumeliam malus hæreditabit, & omnis peccator invidus, & bilinguis.

℣. 2. Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam,

℣. 3. Et folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.

℣. 4. Anima enim nequam disperdet, qui se habet, & in gaudium inimicis dat illum, [& deducet in sortem impiorum.]

℣. 5. Verbum dulce multiplicat amicos, [& mitigat inimicos:] & lingua eucharis in bono homine abundat.

COMMENTARIUS.

℣. 1. NOLI FIERI PRO AMICO INIMICUS PROXIMO : ne ex amico inimicus fias. Inconstantiam animique levitatem in amicitiâ damnat. Amicus eligendus est optimus ; electus, constanter colendus. Eamdem rem fusiùs docet infra. Apud Græcum, capitis exordium ducitur a particulâ *Et*, ex qua colligi datur, præsens caput unicâ orationis serie jungi cum superiore. Certè Syrus sextum Caput ab ultimo Capitis superioris versiculo exorditur ; & apud Rabanum Maurum, a quinto hujus Capitis versu. Ita verò utraque hæc Capita jungi queunt. Monuit Capite V, ℣℣. 16 & 17, ut integritas servetur, & linguæ custodia habeatur; tum auditorem hortatus est, caveat ne susurratoris ac veteratoris notam mereatur; clausit verò ita tyronem alloquens : *In pusillo & magno ne criminis reum te facias* ; nunquam dignus sis, quem quisquam reprehendat. Pergit Capite VI (a) : *Et ne pro amico fias inimicus* ; *nomen enim malum*, mala existimatio, quam tibi comparabis (b), *dedecus & opprobrium hæreditabit; ita peccator bilinguis ignominiam habebit*. Libri quidam legunt (c) : *Nomen enim malum, ignominiam & dedecus hæreditate acquires* ; ita homini veteratori minimèque sincero usuvenit. Solam igitur in amicitiâ inconstantiam minimè reprehendit, sed malos mores, simulationem, obtrectationem, quibus ab amicorum necessitudine excludimur.

℣. 2. NON TE EXTOLLAS IN COGITATIONE ANIMÆ TUÆ, VELUT TAURUS : NE FORTE ELIDATUR VIRTUS TUA PER STULTITIAM. Aliud hic vitium damnat, in humanæ vitæ consuetudine, præsertim verò in amicitiâ, frequentissimum & perniciosissimum ; arrogantiam scilicet ac superbiam, qua quis nemini secundus esse vult, ac cæteris qualibet in re eminere, ceu taurus in armento. Potissima inter amicitiæ leges est, ut morem amico geras, teque illi æqualem prorsus efficias. Utì nos aliqua ab amicis flagitamus, ita & aliqua illis danda sunt ; & si nobis ignosci volumus, ignoscere & amicis debemus (d).

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Postulat, ignoscat verrucis illius. Æquum est,
Peccatis veniam poscentem, reddere rursus.

Accipe Græcum (e) : *Ne extollas te ipsum in consilio animæ tuæ, ne ut taurus diripiatur anima tua* ; vel, ne veluti a tauro humus & palea, ita anima tua rapiatur ac dissipetur. Ne tibi magnoperè placeant sententiæ tuæ tuaque consilia, ne denique dissiperis, concidaris evertarisque velut id quod tauro furenti objicitur. Res periculi plena est, sibi nimis plaudere, animique sui decreta nimiâ constantiâ sectari. Ita enim ii, quibuscum vitæ consuetudinem habes, irritantur, neque verentur tibi cœptisve tuis, vel apertâ vi, vel secretis artibus repugnare. Eum qui solus inter cæteros præstare, ac cæterorum sententias suâ unius sapientiâ superare vult, nemo æquo animo fert ; ejusque consilia evertere unusquisque conatur.

℣. 3. ET FOLIA TUA COMEDAT, ET FRUCTUS TUOS PERDAT. Si sententiam tuam pervicaciùs amas, illud ipsum exitii tui causa futurum est. Ipsa animi tui pertinacia tauri loco tibi erit, frondes gemmasque tuas depascentis, vorantisque fructus, atque ad radices usque consumentis. Noxii sunt novellis arboribus boves ; illas enim rodunt, folia fructusque vorantes ; easque interdum comminuunt evelluntque, cùm sæviunt. Græcus in secundâ personâ legit (f) : *Folia tua depasces, & fructus tuos disperdes*, &c. At Vulgatæ lectio luculentior est, magisque cum superioribus congruit.

℣. 4. ANIMA ENIM NEQUAM DISPERDET EUM QUI SE HABET. Mala mens, fallax animus, malorum origo sibi est ; sese enim destruit, ac perdit ; hostibusque gaudio & ludibrio est. Vix agnosci cœpit, statim ab omnibus destituitur : illum amici deserunt, illudunt hostes.

℣. 5. VERBUM DULCE MULTIPLICAT AMICOS. Græcus fert (g) : *Guttur suave multiplicat amicos suos ; & lingua diserta multas blanditias proferet* ; vel, *libenter omnes salutat*. Suavis homo, affabilis, disertus, comis, animos hominum sibi comparat, eosque sibi amicos facit. Explicatione non eget hic locus, cui diuturna & assidua servit experientia. Sapiens item scribit (h) : *Lingua placabilis*, li-

(a) Καὶ ἀντὶ φίλου μὴ γίνου ἐχθρός· ὄνομα γὰρ πονηρὸν αἰσχύνην, καὶ ὄνειδος κληρονομήσει. οὕτως ὁ ἁμαρτωλὸς, ὁ δίγλωσσος ἀτιμίαν ἕξει. (b) Græcus : Ὄνομα πονηρὸν. *Nomen malum*, hoc sensu in pluribus Scripturæ locis usurpatur. *Deut.* XXII, 14, 17, 19, *&c.* (c) Ὄνομα γὰρ πονηρὸν, αἰσχύνην, καὶ ὄνειδος κληρονομήσεις. *Ita quid. lib. apud Nobil.* (d) *Horat. Satyr. lib.* 1, *sat.* 3. (e) Μὴ ἐπάρῃς σεαυτὸν ἐν βουλῇ ψυχῆς σου, ἵνα μὴ διαρπαγῇ ὡς ταῦρος ἡ ψυχή σου. (f) Τὰ φύλλα σου καταφάγεσαι, καὶ τοὺς καρπούς σου ἀπολέσεις, *&c.* (g) Λάρυγξ γλυκὺς πληθυνεῖ φίλους αὐτοῦ, καὶ γλῶσσα εὔλαλος πληθυνεῖ εὐπροσήγορα. (h) *Prov.* XV, 4.

℣. 6. Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius ſit tibi unus de mille.

℣. 7. Si poſſides amicum, in tentatione poſſide eum, & ne facilè credas ei.

℣. 8. Eſt enim amicus ſecundùm tempus ſuum, & non permanebit in die tribulationis.

℣. 9. Et eſt amicus, qui convertitur ad inimicitiam: & eſt amicus, qui odium & rixam, & convicia denudabit.

℣. 10. Eſt autem amicus ſocius menſæ, & non permanebit in die neceſſitatis.

COMMENTARIUS.

lignum vitæ: quæ autem immoderata eſt, conteret ſpiritum. Iſocrates (i): *Sis moribus affabilis, ſermone verò aptus & concinnus. Eſt autem affabilitatis, appellare homines qui occurrerunt; commoditatis verò orationis, aptè & propriè cum illis ſermones habere*. Cicero (k): *Difficile dictu eſt, quantopere conciliet animos hominum comitas, affabilitasque ſermonis*.

℣. 6. Multi pacifici sint tibi; et consiliarius sit tibi unus de mille. Plures ſunt in amicitiâ gradus. Bene cum omnibus agas, oportet; atque ita omnes amicos habeto, vel ſaltem nullum inimicum (l): *Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes*. Aliud eſt amicorum genus, quibuſcum familiarior eſt conſuetudo; at ex his ipſis unus aliquis eſt, cui nihil ſecretum e rebus noſtris eſt, cui arcana omnia integrâ fide pandimus, utpote cujus prudentia, probitas & fides probata eſt. Inſani hominis eſt, omnia mentis arcana cum quolibet hominum genere communicare, quippe cùm non omnium ſit ſecreti fidem, ac res alicujus momenti alto pectore conditas ſervare. Commune omnium Sapientum effatum eſt, nequis plures habeat familiares aut participes conſiliorum (m); non quòd illud optimum non ſit, ſed quòd ægrè plures hujus generis inveniantur, quibus nihil deſit, quod in amico deſideratur. Apud Scythas, inquit Lucianus (n), nihilo minùs turpis eſt ingens amicorum numerus, quàm uxorum: quæ quidem ſententia iniquior eſt; at æquiſſima eſſe poteſt, ſi intra præſcriptos ab Eccleſiaſtico fines accipiatur. *Jucunde ſis affectus erga omnes*, docet Iſocrates (o): *ſed conſuetudinem habeas cum optimis: ita enim illis non odioſus, his verò amicus eris*.

℣. 7. Si possides amicum, in tentatione possida eum, et ne facile credas ei. Hoc e ſuperiore ſententiâ oritur. Ita quidem in Græco fertur (p); at in Hebræo fuiſſe creditur verbum *Kanah*, quod plerumque redditur *poſſidere*, at ſignificat etiam *acquirere*. Profectò ubi jam amicum elegeris, periculum illius faciendi tempus non eſt: ante probandus erat, quàm eligeres. *Amicos celeriter ne comparato*, ajebat Solon (q); *quos ubi comparaveris, ne reprobato*. Plutarchus item præcipit, probandum eſſe priuſquàm ames; at ubi amicum acceperis, tenendum eſſe (r). Amicorum fides arduis in rebus potiſſimùm agnoſcitur: atque hoc ipſum eſt indicium, quo experiri queas, tui ne ipſius, an menſæ fortunæque tuæ quis amicus ſit. Quemadmodum cùm vas aliquod emis, ajebat Antiſthenes (s), ex ſono probas, atque illud undique conſideras: ita cùm noſſe amicum cupis, perpende quid ille facturus ſit, ubi te mala circumvenerint: in iis enim quis ille ſit agnoſces.

℣. 8. Est enim amicus secundum tempus suum. Eſt qui amicus tibi eſſe vult, dum ſibi utile eſt: ubi eſſe deſierit, alium amicum quæret. Tales ſunt plerique, qui rebus tuis egent, teque obſequiis ac blandimentis opprimunt. Ubi aſſequuti fuerint quod optabant, ſtatim abeunt, teque toto ex animo ejiciunt. Si fortunâ utaris inimicâ, iiſque utilis eſſe nequeas, nulla tui cura illis eſt. Veræ amicitiæ fundamentum eſſe debet non inopia ſeu cupiditas, ſed virtus, ratio, charitas (t). *Eſt amicitia*, inquit Cicero (u), *nihil aliud, niſi omnium Divinarum humanarumque rerum cum benevolentiâ & charitate ſumma conſenſio*.

℣. 9. Est amicus, qui convertitur ad inimicitiam. Græcus (x): *Eſt amicus, qui mutatus in inimicitiam, rixam proferet opprobriorum in te*, ſcilicet: vitia tua, & quidquid in te peccati fuerit, aperiet, ut aliquam inconſtantiæ ſuæ cauſam afferat. Aliter: *Eſt amicus, qui amicitiam in odium, tuorumque vitiorum exprobrationem vertet*; te deſeret, teque probro & injuriis cumulabit. Amico inconſtanti nihil pernicioſius. *Amicitiæ immortales, inimicitiæ mortales eſſe debent*, inquit Livius (y). *Arctiſſima neceſſitudo*, ait Plinius (z), *ſi quando contingat dirimi, in ſummam vertitur ſimultatem, & ex arctiſſimis fœderibus, ſi ſemel rumpantur, maxima naſcuntur diſſidia*.

℣. 10. Est autem amicus socius mensæ. Hoc indigniſſimum ac viliſſimum eſt amicorum genus; ſeu potiùs, nulla eſt hujuſmodi hominum amicitia. Innumeros hujuſmodi amicos invenias; veros fermè nullos (a). Martialis.

Hunc quem cœna tibi, quem menſa paravit amicum,
Eſſe putas fidæ pectus amicitiæ? *Aprum*

(i) *Iſocrat. ad Demonic.* Τῷ μὲν τρόπῳ γίνου φιλοπροσήγορος, τῷ δὲ λόγῳ εὐπροσήγορος. Ἔστι δὲ φιλοπροσηγορίας μὲν, τὸ προσφωνεῖν τοὺς ἀπαντῶντας· εὐπροσηγορίας δὲ, τὸ τοῖς λόγοις αὐτοῖς οἰκείως ἐντυγχάνειν. (k) *De Officiis*. (l) *Rom.* XII, 18.
(m) *Heſiod. apud Ariſtot. lib. 9 Ethic. cap.* 10: Μηδὲ πολύξεινος, μηδ' ἄξεινος.
Addit Ariſtot. Καὶ ἐπὶ τῆς φιλίας ἁρμόσει μήτε ἄφιλον εἶναι, μήτ' αὖ πολύφιλον καθ' ὑπερβολήν.
(n) *Lucian. in Toxaride*. (o) *Iſocrat. ad Demonic.* Ἡδέως μὲν ἔχε πρὸς ἅπαντας, χρῶ δὲ τοῖς βελτίστοις. Οὕτω γὰρ τοῖς μὲν οὐκ ἀπεχθὴς ἔσῃ, τοῖς δὲ φίλος γενήσῃ.
(p) Εἰ κτήσαι φίλον, ἐν πειρασμῷ κτῆσαι αὐτὸν, καὶ μὴ ταχὺ ἐμπιστεύσῃς αὐτῷ.
(q) Φίλους μὴ ταχὺ κτῶ, οὓς δ' ἂν κτήσῃ, μὴ ἀποδοκίμαζε. *Apud Laërt. lib.* 1.
(r) *Plut.* Περὶ πολυφιλ. Δεῖ φιλίαν καὶ συνήθειαν οὐ ζητεῖν παραλαβόντας ἐν πολλῷ ἐριθεῖσαν.
(s) *Laërt. lib.* 2, *cap.* 8. (t) *Chryſoſtom. homil.* 61 *in Matth. Caſſian. Collat.* 16, *cap.* 3.
(u) *Cicero, de Amicitiâ. Et Auguſt. lib.* 3 *contra Academic.* (x) Ἔστι φίλος μετατιθέμενος εἰς ἔχθραν, καὶ μάχην ὀνειδισμοῦ σου ἀποκαλύψει. (y) *Liv. de bello Macedon. lib.* X.
(z) *Plin. lib.* XXXVII, *c.* 4. (a) *Theognis*.

Πολλοί τοι πὰρ κρητῆρι φίλοι γίγνονται ἑταῖροι,
Ἐν δὲ σπουδαίῳ πρήγματι παυρότεροι.

℣. 11. Amicus si permanserit fixus, erit tibi quasi coæqualis, & in domesticis tuis fiducialiter aget.

℣. 12. Si humiliaverit se contra te, & a facie tuâ absconderit se, unanimem habebis amicitiam bonam.

℣. 13. Ab inimicis tuis separare, & ab amicis tuis attende.

℣. 14. Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum.

℣. 15. Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius.

℣. 16. Amicus fidelis, medicamentum vitæ, [& immortalitatis:] & qui metuunt Dominum, invenient illum.

COMMENTARIUS.

Aprum amat, & mullos, & sumen, & ostrea, non te.
Tam bene si cœnem, noster amicus erit.

Si res male tibi cedant, jam nullus tibi amicus est. Veros ex animo amicos solummodo pluris facito. *Amicus certus in re incertâ cernitur.*

℣. 15. AMICUS SI PARMANSERIT FIXUS, ABIT TIBI QUASI COÆQUALIS, ET IN DOMESTICIS TUIS FIDUCIALITER AGAT. Probatæ fidei amicus est alter ego: parem nostræ authoritatem in res nostras nostrosque familiares huic damus: *omnia amicorum communia* (b) esse debent, præsertim si tales amici sint. Cùm quis certò novit, rerum suarum utilitatem ab amico quæri, easque nihilo minùs cordi esse illi, quàm ipsi suas, absolutam illarum potestatem facere non veretur, eaque illi permittere, quæ nemini esset permissurus. Alia planè est in Græco sententia, cum superioribus hoc modo jungenda (c): *Est amicus particeps mensarum, qui in die afflictionis tua non permanebit.* (11) *Et in bonis rebus tuis erit ut tu; atque in domesticos tuos libertate* imperandi *utetur*, veluti suos. Hi nedum inconstantes sunt atque infideles, verùm etiam impudentes. Authoritate abutuntur in illorum ædibus, quorum amicitiâ fruuntur.

℣. 12. SI HUMILIAVARIT SE CONTRA TE, ET A FACIE TUA ABSCONDERIT SE, UNANIMEM HABEBIS AMICITIAM BONAM. Si morem tibi gerit amicus, tibique obsequitur ac cedit, teque obsequii significationibus occupat, constans futura est amicitia. Profectò nihil magis amicitiæ nocet, eamque faciliùs evertit, quàm arrogantia aut superbia. Hac si careas inter amicos, diuturna tranquillitas te manet. *Amici non solùm colent inter se ac diligent*, inquit Cicero (d), *sed etiam verebuntur. Nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex eâ tollit verecundiam.*

Græcus aliter planè sonat (e). Ita verò jungitur cum superioribus: Mensæ ac fortunæ tuæ amicus authoritatem libertatemque domi tuæ usurpabit, veluti alter herus. ℣. 12. At, *si tu deprimeris* a fortunâ, *erit ille contra te, & faciem suam a te avertet*, vel fugiet conspectum tuum. Hæc simulatæ amicitiæ imago est. Obsequentur amici, dum vigebis, ac boni aliquid illi ex te expectabunt: at ubi fortunæ facies versa fuerit, nulla tui ratio aut cura illos mordebit; fortasse etiam te injuriis afficient.

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.

℣. 13. AB INIMICIS TUIS SEPARARE, ET AB AMICIS TUIS ATTENDE. Inimicos, quos nosti, fuge: at amicos, quales descripsi, solerter evita; fortunæ amicos, dum res vigent, dum probè illos pascis. Ne amicos habeto, quos in discrimine, atque in arduis vitæ tuæ rebus non probaveris. Antigonus Diis sacrificans, orabat (f), ut sese ab amicis simulatis tuerentur; ab inimicis enim, inquit, quos cognosco, ipsemet caveo. Bias, inter septem Græciæ Sapientes, ajebat (g), ita amandum esse, ut qui odio habiturus est. Id tamen erga simulatos dubiosque amicos, de quibus mox diximus, servandum est; vera enim amicitia confidentiam, absolutamque animi sinceritatem postulat.

℣. 14. AMICUS FIDELIS, PROTECTIO FORTIS. Inter vitæ labores ac mala nihil vero amico suavius aut fortius. Tutum est adversùs fortunæ inconstantiam præsidium. Si potens est amicus, te tuebitur; si prudens, consiliis juvabit; si minimè vulgari conditione est, saltem solatium afferet, teque dejectum reget. Verum amicum nactus est Jonatham David, qui sibi in supremo rerum discrimine constantissimè adsuit. Chusai, Davidis amicus, ipsum tutatus est, partesque Absalomi evertit, dissipato Achitophelis consilio. Deesse unicuique possunt opes, fortuna, dignitas, Principum gratia: verus amicus nunquam deest. At vera amicitia censenda non est ea, quæ Religione & virtute minimè nititur. Amandus est in Deo amicus, & in amico Deus (h). Illud in amico amandum est, quod ipsum verè amabilem facit, virtus, sapientia, pietas. Hæc porrò amicitia æterna est, quippe cujus finis & causa minimè mutantur.

℣. 16. AMICUS FIDELIS, MEDICAMENTUM VITÆ ET IMMORTALITATIS. Postrema hæc vox in Græco non legitur. Bonus ac sapiens amicus nedum breve amico solatium est, verùm etiam optimis institutionibus illum instruit, quibus ad virtutem atque immortalitatem ducitur. Illum exemplo excitat; animo dejectum regit; infirmum hortatur; errantem ad rectum iter revocat. Præstantissimum enim omnium beneficium hoc amico amicus affert, cùm æterna illi bona comparat, illumque ad Deum trahit. Qui amicum errare aut in libidinem ferri præcipitem patitur, verè amicus omnino esse non potest. *Amicitia, nisi inter bonos, esse non potest*, ajebat Cicero, quamvis Profanorum superstitione implicatus. At ut immortalia bona prætermittamus, ipsamque vocem immor-

(b) Κοινὰ τὰ φίλων. *Bion apud Laërt. lib.* 4; & *Pythagoras apud eund. lib.* 8; Εἶπέ τε πρῶτος, κοινὰ φίλων εἶναι, καὶ φιλίαν ἰσότητα. (c) Καὶ ἐν τοῖς ἀγαθοῖς σου ἔσται ὡς σύ, καὶ ἐπὶ τοὺς οἰκέτας σου παῤῥησιάσεται. (d) *Cicero, de Amicitiâ.*
(e) Ἐὰν ταπεινωθῇς, ἔσται κατὰ σοῦ, καὶ ἀπὸ προσώπου σου κρυβήσεται.
(f) *Maxim. Dialog. de amic.* (g) *Apud Laërt. lib.* 1: Φιλεῖν ὡς μισήσοντας. *Vide Not. Menag. ad illum locum.* (h) *Vide August. homil.* 38, *inter* 50, *nunc* 368; *Et homil. de Tempore, nunc* 336; & *Author. lib. de Amicitiâ, inter opera D. August. tom.* 6; *Est. Aëlredi Rievall. Abb. Cisterc.*

℣. 17. Qui timet Deum, æquè habebit amicitiam bonam: quoniam secundùm illum erit amicus illius.

℣. 18. Fili, a juventute tuâ excipe doctrinam, & usque ad canos invenies sapientiam.

℣. 19. Quasi is qui arat & seminat, accede ad eam, & sustine bonos fructus illius.

℣. 20. In opere enim ipsius exiguum laborabis, & citò edes de generationibus illius.

℣. 21. Quàm aspera est nimiùm sapientia indoctis hominibus! & non permanebit in illâ excors.

℣. 22. Quasi lapidis virtus probatio erit in illis, & non demorabuntur projicere illam.

COMMENTARIUS.

immortalitatis, quæ in Græco deest, relinquamus, nihil certè verius hac sententiâ est, amicum fidelem esse *vita medicamentum*, pharmacum vitam offerens. Quid enim sine amico vita hominis est, nisi mors miserrima, imò aliquid ipsâ morte longè miserrimum? Quæ porrò est vitæ suavitas, si amico careas, cui animum expandas tuum, tuaque omnia credas, qui sorte tuâ ceu communi fruatur, te in calamitatibus regat, mœstum soletur, nimiâque lætitiâ insanientem moderetur (i)? *Amicus magis necessarius est quàm ignis & aqua*, inquit Cicero.

QUI METUUNT DOMINUM, INVENIANT ILLUM. Præstantissimum Dei beneficium est bonus amicus, mercesque pietatis atque virtutis. Unusquisque in amicitiâ parem quærit: pius homo pium hominem libenter amplectitor. Fideli amico rectoque consilio te carere non patietur Providentia, si demisso animo sinceràque mente flagitaveris. Minimo omnium negotio boni in amicorum delectu decipiuntur; cùm enim ipsi fallere nesciant, ex naturâ suâ cæteros fingunt, ac faciliùs pulcrâ simulatorum specie capiuntur. Discant illi ex hac Sapientis sententiâ magis consideratè & cautè agere. Suæ ipsorum sapientiæ credere quàm minimum debent, atque a Deo flagitare, ut amicum suâ ipsius manu selectum sibi largiatur.

℣. 17. QUI TIMET DEUM, ÆQUE HABEBIT AMICITIAM BONAM: QUONIAM SECUNDUM ILLUM ERIT AMICUS ILLIUS. Hæc sententia e superiore nascitur. Alius subesse Græco sensus potest (k): *Qui timet Deum, is diriget amicitiam suam; quoniam qualis ipse est, tales erunt qui accedunt ad eum.* Amicos sibi similes eliget. Vel: Similes sibi faciet, dum inter amicos cooptabit: ad virtutem instituet, aut eliget jam institutos: *Amicitia similes invenit aut facit. Omnium societatum nulla præstantior est*, inquit Cicero (l), *nulla firmior, quàm cùm viri boni, moribus similes sunt familiaritate conjuncti. Illud enim honestum, quod sæpe diximus, etiamsi in alio cernimus, tamen nos movet, atque illi, in quo id inesse videtur, amicos facit; & quamquam omnis virtus nos ad se allicit, facitque ut eos diligamus, in quibus ipsa inesse videatur: tamen justitia & liberalitas id maximè efficit. Nihil autem est amabilius, nec copulatius, quàm morum similitudo bonorum: in quibus enim eadem studia sunt eademque voluntates, in his fit, ut æquè quisque altero delectetur ac seipso; efficiturque id, quod Pythagoras vult in amicitiâ, ut unus fiat ex pluribus.*

℣. 18. FILI, A JUVENTUTE TUA EXCIPE DOCTRINAM. Novum dicendi argumentum, exhortatio scilicet ad Sapientiæ studium. Bias, inter septem Græciæ Sapientes (m): *Viaticum a juventute ad senectam accipe Sapientiam.* Græcus hujus loci fert (n): *Elige disciplinam.* Vel ex aliis Codicibus: *Accipe disciplinam a juventute tuâ.* Quæ quis a juventute didicit, nunquam obliviscitur. Bona juventutis institutio totius vitæ modus est. Fervor juventutis, & cupiditatum tumultus interdum bonæ institutionis semina opprimit; at ætatis beneficio eadem iterum surgunt; minimoque labore culta, fructum ferunt.

℣. 19. QUASI IS QUI ARAT, ET QUI SEMINAT, ACCEDE AD EAM. Quemadmodum agricola uberis messis spe diu ac patienter laborat; ita nobis laborandum est, colendaque mens & animus; ac sedulò sapientiæ virtutisque præceptis operam dare debemus, labore minimè territi, cùm laboris fructum nos aliquando relaturos esse speremus. *Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ*, inquit S. Jacobus (o), *patienter ferens, donec accipiat temporaneum & serotinum. Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra.* Hæc agricolæ comparatio in Græco deest: at optimè cum iis quæ sequuntur congruit.

℣. 21. QUAM ASPERA EST NIMIUM SAPIENTIA INDOCTIS HOMINIBUS! Insano atque indocili innumera ubique in sapientiæ studio, & virtutis itinere ardua occurrunt. Nihil ille non pavet: nunc laboris difficultatem, nunc diuturnitatem commendat: *Excelsa stulto sapientia*, ait Salomon (p); nunc irridet, causamque ludendi facit: *Stultus irridet sapientiam patris sui* (q). Satis magna sapientia est, sapientiæ studium magni facere (r): *Principium sapientiæ, posside sapientiam.* Primus hujus itineris aditus arduus est: at quo ulteriùs progrederis, eò amplior & suavior via efficitur.

℣. 22. QUASI LAPIDIS VIRTUS PROBATIO ERIT IN ILLIS. Tollere tentabit; at ubi illius pondus senserit, projiciet. Apud Palæstinos, ingentes erant in urbibus lapides, quibus hominum vires exercebantur. Horum meminit Zacharias (s): *Ponam Jerusalem lapidem oneris cunctis populis. Omnes qui levabunt eum, concisione lacerabuntur.* Sunt qui

---

(i) *Ambros. lib. 3 Offic. Solatium hujus vitæ est, ut habeas cui pectus aperias tuum, ut colliges tibi virum fidelem, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur, ... Qui in lætis exultantem comprimat, in tristibus mœrentem erigat. Vide & Tull. de amicitiâ.* (k) Ὁ φοβούμενος Κύριον εὐθυνεῖ φιλίαν αὐτοῦ, ὅτι κατ' αὐτὸν, οὕτω καὶ ὁ πλησίον αὐτοῦ. (l) *Cicero lib. 1 Officior.* (m) *Bias, apud Laërt. lib. 1:* Ἐφόδιον ἀπὸ νεότητος εἰς γῆρας ἀναλάμβανε σοφίαν. (n) Ἐκ νεότητός σου ἐπίλεξαι, vel ἐπίδεξαι παιδείαν. (o) *Jacobi*, v, 7.
(p) *Prov.* xxiv, 7. (q) *Prov.* xv, 5. (r) *Prov.* iv, 7. (s) *Zach.* xii, 3.

℣. 23. Sapientia enim doctrinæ secundùm nomen est ejus, & non est multis manifesta, [quibus autem cognita est, permanet usque ad conspectum Dei.]

℣. 24. Audi, fili, & accipe consilium intellectûs, & ne abjicias consilium meum.

℣. 25. Injice pedem tuum in compedes illius, & in torques illius collum tuum:

℣. 26. Subjice humerum tuum, & porta illam, & ne acedieris vinculis ejus.

℣. 27 In omni animo tuo accede ad illam, & in omni virtute tuâ conserva vias ejus.

℣. 28. Investiga illam, & manifestabitur tibi, & continens factus ne derelinquas eam:

℣. 29. In novissimis enim invenies requiem in eâ, & convertetur tibi in oblectationem.

COMMENTARIUS.

qui (t) *lapidis probationis* nomine lapidem pretiosum, aut pulcherrimum significari censeant. Alii (u) lapidem Lydium, quo metalli bonitas probatur. At prior opinio probatissima est atque optima. Similis igitur bis lapidibus est Sapientia, quam plurimi tollere tentant, sed plerisque vires non sufficiunt. Post levem conatum terrentur; interdum etiam nullo facto periculo illam deserunt, solo ipsius aspectu consternati. Quàm multi sunt, qui vel ipsum sapientiæ, virtutis, pietatis, studii ac seriæ occupationis nomen exhorrent?

℣. 23. SAPIENTIA ENIM DOCTRINÆ SECUNDUM NOMEN EST EJUS: ita abscondita est, ut nomen ipsius sonat: quàm paucissimi eam norunt. Hos literarum lusus amare videtur hic Scriptor. Vide XLIII, 8: *Mensis, secundùm nomen ejus*. XLIV, 1: *Jesus magnus secundùm nomen suum*. Cùm Hebræus Codex, vel Syriacus, quo sermone scriptus est ab Authore Liber, nostrâ ætate perierit, divinare non possumus, quæ vox hoc verborum lusu spectetur. Fortasse collato Græco vocabulo cum Hebraico, hoc dicere voluit: *Sophia* jure hoc nomine appellatur, multis enim abscondita (*zepuiah*) est (x). Vel, Græcam vocem cum alterâ Græcâ comparans: *Sophia*, sapientia, a *Zophos*, caligo (y). Vox, qua plerumque Salomon, cæterique Sacri Scriptores utuntur, ut Sapientiam significent, est *Chochma*, quæ certè caliginem neque Hebraicè neque apud cæteros Orientales sonat. Quæ verò apud Interpretes feruntur hujus loci explicationes adeò leves sunt, ut illas recitare, operæ pretium esse non videatur (z). Libri Scriptor, Capite XLIII, 8, in Græcâ mensis appellatione, *men*, ludit ex *mene*, seu *meni*, luna (a). Quamobrem minimè mirum videri potest, si *Sophiam* ex Hebraicâ voce *Zepuiah*, vel ex *Zophos*, derivet. Cùm vocis alicujus etymon persequeris, satis est, si id proferas quod probabile est iis quos alloqueris, quamvis rem ipsam minimè assequaris. Rem ita se habere putas, non probas vel argumentis demonstras. De Sapientiæ profunditate, vide *Job*, XXVIII; & *Eccli*. I, 3.

QUIBUS AUTEM COGNITA EST, PERMANET USQUE AD CONSPECTUM DEI. Eos nunquam deserit, & usque ad Dei solium, ad æternitatem ducit. Hic locus in Græco deest.

℣. 25. INJICE PEDEM TUUM IN COMPEDES ILLIUS. Sapientiæ servus, atque captivus fieri ne vereare: pedes in illius compedes da; collum numellæ illius insere. Nimirum illius compedes tibi periscelides fient, & annuli quibus crura ornentur; numella in torquem e margaritis vertetur. Dum adeo nobili matronæ servis, servitus & ipse carcer decori sunt. ℣. 30: *Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, & torques illius in stolam gloriæ*. Vide *Prov*. I, 7; 8, 9.

℣. 26. NE ACEDIERIS VINCULIS EJUS: ne vincula illius fastidias: ne illius jugo fatigere. Græci quidam Codices legunt (b): *Ne odiosa habeas vincula ejus*; felicissimam servitutem ama, eâque glorieris. Superstitiosum Babyloniorum (c), Ægyptiorum (d), Germanorumque (e) morem spectare videtur, qui vinculis adstricti Deos adibant, veluti penitùs devotos servosque se illis esse significarent.

℣. 28. INVESTIGA ILLAM, ET MANIFESTABITUR TIBI. Sapientia ipsa sese cupientes ultrò quærit, iisque occurrit (f); ut accedant hortatur, vocarique a servis jubet. *Petite & dabitur vobis*, inquit Christus (g); *quærite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis*.

ET CONTINENS FACTUS, NE DERELINQUAS EAM. *Continens* (h) hoc loco non sonat castum, sive a voluptatibus alienum, sed *compotem*. Minimi negotii res esset, sapientiam invenisse, nisi amplecterêris. At malorum omnium pessimum est, postquàm eâ potitus fueris, relinquere.

℣. 29. IN NOVISSIMIS ENIM INVENIES REQUIEM IN EA. Sub exordium, servitus ardua, difficilisque tibi videbitur; at deinde suavissimam experieris. Virtutis veræque sapientiæ exercitium grave naturæ est; sibi enim ipsi, cupiditatibus suis, suisque deliciis repugnandum est. At ubi veram voluptatem, ab exercitio virtutis ortam, cum inanibus hujus vitæ nugis comparaveris, harum confestim tædere te incipiet. *In novissimis* (i) accipi etiam potest pro mortis horâ, vel tempore quod mortem consequitur. Absolutam in alterâ vitâ

(t) *Syr. Hugo*. (u) *Vatab. Drus. Castal.* (x) צפויה *Absconsa*, ex verbo צפה *abscondo, tego, operio*. (y) Σοφία, *Sapientia*. ζόφος, *caligo*. (z) Vide Cornelium a Lapide, qui omnium optimè in hunc Librum scripsit. (a) Vide *Isai*. LXV, 11. הערכים לגד שלחן והממלאים למני ממסך (b) Μὴ προσοχθίσῃς τοῖς δεσμοῖς αὐτῆς. *Alii*: Μὴ προσοχθίσῃς. (c) *Herodot. lib.* 1. *Baruch*, VI, 42. (d) Vide Tabulam Isidis. (e) *Tacit. de Moribus Germanorum*. (f) *Sap*. VI, 14; *Prov*. VIII, IX. (g) *Matth*. VII, 7. (h) Ἐγκρατὴς γενόμενος. *Vide Sap*. VIII, 21: *Et scivi quoniam aliter non possem esse continens. Græc*. Ἐγκρατής. (i) Ἐπ' ἐσχάτων εὑρήσεις τὴν ἀνάπαυσιν.

℣. 30. Et erunt tibi compedes ejus in protectionem fortitudinis, [& bases virtutis;] & torques illius in stolam gloriæ.

℣. 31. Decor enim vitæ est in illâ, & vincula illius alligatura salutaris.

℣. 32. Stolam gloriæ indues eam, & coronam gratulationis superpones tibi.

℣. 33. Fili, si attenderis mihi, disces: & si accommodaveris animum tuum, sapiens eris.

℣. 34. Si inclinaveris aurem tuam, excipies doctrinam: & si dilexeris audire, sapiens eris.

℣. 35. In multitudine presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, & proverbia laudis non effugiant a te.

℣. 36. Et si videris sensatum, evigila ad eum: & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.

℣. 37. Cogitatum tuum habe in præceptis Dei, & in mandatis illius maximè assiduus esto: & ipse dabit tibi cor, & concupiscentia sapientiæ dabitur tibi.

COMMENTARIUS.

vitâ quietem nancisceris. At prior explicatio optima est.

℣. 30. BASES VIRTUTIS. Hoc in Græco deest, locumque nonnihil turbat.

℣. 31. DECOR ENIM VITÆ EST IN ILLA; ET VINCULA ILLIUS ALLIGATURA SALUTARIS. Eadem pergit allegoria, quâ Sapientiæ discipulus, ceu servus vel captivus inter vincula exhibetur. At ne hac servitute, atque his vinculis ne terreare. Aurea enim vincula sunt, tibique gloriosa: manicæ, vittæ sunt, quibus animi tui ulcera vinciuntur, tibique incolumitas restituitur. Græcus (k): *Corona enim aurea*, seu, *aurea catena apud ipsam sunt; & fila hyacinthina vincula illius*, ex vestis orâ pendentia. Te illa vinculis stringere, teque ligare vult: at ne verearis; quippe cujus vincula vittæ gloriosæ sunt, & catenæ pretiosæ. Sapientiam ceu Reginam exhibet aureo diademate redimitam, eâque veste indutam, cujus oras hyacinthus ambit.

℣. 32. STOLAM GLORIÆ INDUES EAM, ET CORONAM GRATULATIONIS SUPERPONES TIBI. Sapientia nedum te honore ac voluptate cumulabit, verùm etiam decus tuum, tuaque gloriæ corona efficietur; nuptialis corona, & convivalis: *Coronam gratulationis*. Græcus (l): *Exultationis*.

℣. 33. SI ACCOMMODAVERIS ANIMUM TUUM, SAPIENS ERIS. Hoc quidem ejus naturæ non est, ut fieri nequeat: solâ enim solertiâ, docilitate, attentione opus est (m). Græcus (n): *Si animum applicaveris, astutus eris*. Postrema hæc vox hoc loco in bonam partem accipitur, uti sæpè solent Libri, qui de Sapientiæ nomine appellantur.

℣. 35. IN MULTITUDINE PRESBYTERORUM PRUDENTIUM STA. Non semper Sapientia ætatem sequitur: quamobrem Latinus Interpres addidit τὸ *prudentium*, quod in Græco deest. At plerumque in senibus faciliùs quàm in cæteris invenitur. Iis enim experientia, studium, ætatis maturitas authoritatem addit, quæ adolescentibus, quamvis sapientiâ & ingenio præditis, deest. *Senectus ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior*, inquit S. Hieronymus (o). *Omnes penè virtutes mutantur in senibus; & crescente solâ sapientiâ, decrescunt cætera*.

PROVERBIA LAUDIS NON EFFUGIANT A TE, scilicet eorum proverbia laude, & æstimatione digna. Hebraica dicendi formula est. Quanti facerent Veteres hanc docendi rationem per proverbia, in Proverbiorum præfatione diximus. Horum studium ceu sapiente dignum, Author proponit (p). Christus *sine parabolis non loquebatur illis* (q).

℣. 36. EVIGILA AD EUM (r), manè ipsum adi. Hæc dicendi formula, apud Scripturam usitatissima, sedulitatem significat, insolitamque diligentiam. *Occursus ipse sapientium juvat; & est aliquid, quod ex magno viro, vel tacente, proficias* (s).

CA-

(k) Κόσμος γὰρ χρύσεός ἐστιν ἐπ' αὐτῆς, καὶ οἱ δεσμοὶ αὐτῆς κλῶσμα ὑακίνθινον.
(l) Στέφανον ἀγαλλιάματος. (m) *Prov.* 1, 5: *Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit*. (n) Ἐὰν ἐπιδῷς τὴν ψυχήν σου, πανοῦργος ἔσῃ. (o) *Hieronym. Epist. ad Nepotian.* (p) *Eccli.* XXXIX, 1, 3. (q) *Matth.* XXIV, 34. (r) Ὄρθριζε πρὸς αὐτόν. (s) *Senec. Ep.* 94.

CAPUT VII.

Vita innocenter agenda. Dignitates non quærendæ. Amandus labor. Agricultura te ne pudeat. Sapiens uxor ſervanda. Bonus ſervus in pretio habendus. Colendi parentes. Sacerdotibus ea quæ debes, redde. Supremi finis reminiſcere.

℣. 1. NOli facere mala, & non te apprehendent.

℣. 2. Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te.

℣. 3. Fili, non ſemines mala in ſulcis injuſtitiæ, & non metes ea in ſeptuplum.

℣. 4. Noli quærere a domino ducatum, neque a rege cathedram honoris.

℣. 5. Non te juſtifices ante Deum, [quoniam agnitor cordis ipſe eſt:] & penès regem noli velle videri ſapiens.

℣. 6. Noli quærere fieri judex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tuâ.

COMMENTARIUS.

℣. 1. NOLI FACERE MALA, ET NON TE APPREHENDENT. Innoxiam vitam age, teque felicitas comitabitur: peccatum fuge, teque fugiet peccati pœna. Peccatum quodlibet ſuppliciis expiandum eſt vel in hac vitâ, vel in alterâ. Ita certiſſimus Divinæ Juſtitiæ ordo poſtulat (a).

℣. 2. DISCEDE AB INIQUO, ET DEFICIENT MALA ABS TE. Impiorum ſocietas, oratio, exemplum plerumque plus virium in hominum animis habent, quàm optima inſtitutio & diſciplina. Horum conſuetudo nunquam ſatis vitatur. Græcus verti poteſt (b): *Diſcede ab eo quod eſt malum, & recedet a te peccatum.* Neminem cogit peccatum; nemo enim niſi volens peccat. Vel, quaſi ſuperioris verſiculi repetitio ſit: *Recede ab injuſtitiâ, & recedet a te peccati pœna.* Peccatum frequenter pro ipſius pœnâ uſurpatur. Quæ ſequuntur, huic explicationi favent.

℣. 3. NON SEMINES MALA IN SULCIS INJUSTITIÆ; ſi enim ſcelus ſerueris, fructum ſeu pœnam colliges *ſeptuplum*, ſcilicet pluries auctam. Pœna peccatum ſequetur, illique cum acceſſione æquabitur. Hac ſimilitudine frequenter utitur Scriptura, cùm de peccato agit: Serere iniquitatem, pœnam metere (c); vel, concipere peccatum, & parere pœnam (d), ut utriusque hujus rei conjunctio demonſtretur: *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet: quoniam qui ſeminat in carne ſuâ, de carne ſuâ metet corruptionem (e).*

℣. 4. NOLI QUÆRERE A DOMINO DUCATUM, regimen cæterorum. Qui Magiſtratum & gravia munera poſtulant, hi vel periculum non vident, vel amant; digni proinde qui a poſtulatis arceantur. Si gloriam ſolummodo, utilitatem, libidinem in Magiſtratu quæras, peſſimè Rempublicam geres. Bonus vir tunc ſolummodò magiſtratum petit, cùm ab eo arcendi ſunt mali, ajebat Plato. Imperiorum exitium, & ambitioſorum ruina nunquam non fuit ambitio. Hujus causâ Romanum Imperium everſum eſt. Optimæ in Principem electionis indicium, optimæque adminiſtrationis præſagium eſt, ſi Magiſtratus ipſo invito eligatur, vel ſaltem eam dignitatem minimè quæſiverit. Hujusmodi enim in electionibus Dei voluntas luculentiùs agnoſcitur; & is qui ambitione caruit, Sapientiâ & virtute minimè carere cenſetur. *Nolite fieri plures magiſtri, fratres mei,* monet S. Jacobus (f), *ſcientes quoniam majus judicium ſumitis. In multis enim offendimus omnes.*

℣. 5. NON TE JUSTIFICES ANTE DEUM. Nemo apud Deum juſtus abſolutè eſt (g): *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.* Qui piiſſimi ſunt, qualibet die ſepties peccant (h). Homo ex iniquitate conſtat, & conceptus in ſcelere eſt. Quicquid boni habet, illud ex Deo eſt. Unica hominis pars eſt, mendacium & peccatum; cujus igitur rei causâ coram Deo glorietur?

ET PENES REGEM NOLI VIDERI SAPIENS. Minimè vetat Scriptor ſacer, ne ſapiens coram Rege ſis, aut videaris; monet ſolummodò ne ſapientiam coram Rege affectes, aut pompam ſapientiæ facias, vel ejus causâ eminere inter cæteros velis, commendatiſque reliquorum vitiis, illos evertere ſtudeas. Superiorem aut æqualem Principes & Principum aſſeſſores minimè patiuntur. Cæteris ita ſuperiores ingenio & ſapientiâ cenſeri volunt, uti munere, natalibus, dignitate præſtant. Quos nimio virtutis fulgore conſpicuos apud ſe vident, hos invidiâ ſecretoque odio proſequuntur. Nimirum illis nocet virtus ſua, virtutiſque admiratores; iidemque ſuſpecti Regibus ſunt. Saülis odium ipſa Davidis virtus, & populi erga Davidem amor provocavere. Alexander Macedo *vinci quidem hoſtes volebat; ſed Antipatrum viciſſe, indignabatur; ſuæ demptum gloriæ exiſtimans, quicquid ceſſiſſet alienæ (i).*

℣. 6. NOLI QUÆRERE FIERI JUDEX, NISI VALEAS

(a) *Sophocl.* Ἐπεὶ δεῖν' ἔδρασας, δεινὰ καὶ παθεῖν σε δεῖ·
Δίκης γὰρ ἐξέλαμψε νῦν ὅσιον φάος.

(b) Ἀπόστηθι ἀπὸ ἀδίκου, καὶ ἐκκλινεῖ ἀπὸ σοῦ ἁμαρτία.

(c) *Oſee, x, 12: Seminate vobis in juſtitiâ, & metite in ore miſericordiæ .... Araſtis impietatem, iniquitatem meſſuiſtis, &c. Job, IV, 8, qui operantur iniquitatem, ſeminant dolores, & metunt eos. Prov. XXII, 8: Qui ſeminat iniquitatem, metet mala.* (d) *Pſalm. VII, 15: Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Ita & Job, XV, 35.* (e) *Galat. VI, 7.* (f) *Jacob. III, 1.* (g) *Pſal. CXLII, 2.* (h) *Prov. XXIV, 16.* (i) *Q. Curt. lib. 6.*

℣. 7. Non pecces in multitudinem civitatis, nec te immittas in populum:

℣. 8. Neque alliges duplicia peccata: nec enim in uno eris immunis.

℣. 9. Noli esse pusillanimis in animo tuo.

℣. 10. Exorare, & facere eleemosynam ne despicias.

℣. 11. Ne dicas: In multitudine munerum meorum respiciet Deus, & offerente me Deo altissimo, munera mea suscipiet.

COMMENTARIUS.

LEAS VIRTUTE IRRUMPERE INIQUITATES. Integer atque incorruptus Judex obnoxius est impiorum conatibus, authoritati, violentiæ, munerum amicorumque illecebris, & exhortantium importunitati, ac denique litigantium odio. Æneus quodammodo murus esse debet, sceleri, minis, gratiæ, ipsique misericordiæ oppositus (k). Nihil illi antiquius esse debet, quàm justitia & veritas. Si te constanti adeò virtute instructum esse non sentis, procul a Judicis munere esto, neque inter Deos, ut Scripturæ verbis utar (l), sedere audeas. Non enim hominis officium gerit inter homines Judex, sed Dei (m). Prudens & constans esto Judex, inquit Plato (n), tum ne turbam judicando sequatur, tum ut ea quæ justa sunt constanter agat, ac pro sententiâ proferat. Hæ sanctiones cum Mosaicis Legibus mirè congruunt (o). *Quorumdam parum idonea est verecundia rebus civilibus, quæ firmam frontem desiderant (p).*

ET PONAS SCANDALUM IN ÆQUITATE TUA (q); ne animi tui integritatem in corruptionis discrimen adducas. Qui necessariâ virtute carens judicis munus amplectitur, spontè innumeris periculis occurrit, quibus muneris sui causâ implicatur. Quibus si cedat, quàm multorum criminum reus efficitur? Si ab iis, qui laudabili viâ, & frequenter inviti magistratum inierunt, severissimè ratio reddenda est Deo publicoque hominum judicio eorum quæ negligentiâ peccavere; quid de iis dicendum est, qui minimè divinitùs vocati magistratum quærunt & aucupantur? inquit S. Chrysostomus (r).

℣. 7. NON PECCES IN MULTITUDINEM CIVITATIS, NEC TE IMMITTAS IN POPULUM. Medium iter serva inter superbiam, populo odiosam, atque animi humilitatem eidem ipsi despectam. Multitudinem arrogantiâ ne provoces. Timenda certè est plebis seditio; at neque ita plebi cedendum est, ut illam formidare videaris: Audacior fit, ubi cesseris; teque sibi blandientem spernet. Nihil aut magis difficile est aut magis rarum, quàm severitatem simul ac lenitatem servare, quantâ opus est, ne aut authoritate, aut populi amicitiâ cadas. *Nec illi, quod est rarissimum, aut facilitas authoritatem, aut severitas amorem diminuit*, inquit de Agricolâ Tacitus. Roboam Salomonis filius arroganti responsione multitudinis furias provocavit; ac deinde nihilo minore insaniâ Aduramum, tributorum Præfectum, ad eas compescendas misit; at sæviens multitudo hunc lapidibus obruit, illum præcipiti fugâ elabi coëgit (s).

Ita etiam hic locus explicari potest, veluti moneat Judices, quos superiùs dixit: Ne nimiâ severitate multitudinem provocatote, aut temerè ne torrenti resistite: at nihilo attentiùs cavete, ne turbam judicando sequamini, malâque & perniciosâ indulgentiâ justitiæ partes deseratis. Utrumque fugite, nimiam animi infirmitatem, nimiamque severitatem. Favet huic explicationi versiculus qui sequitur.

℣. 8. NEQUE ALLIGES DUPLICIA PECCATA, peccatum ne bis alliges: NEC ENIM IN UNO ERIS IMMUNIS. Ne criminum invicem nexorum catenam conficias: ne malam peccati consuetudinem contrahas. Satis ingens malum est unicum crimen. Aliter: Ne munera viribus tuis majora amplectare, novisque criminibus obnoxium te efficias: ne aliorum peccata in te trahas; satis enim multa peccandi pericula in uniuscujusque conditione sunt: cur nova & aliena quæris? Solent frequenter Scriptores sacri peccatorum se invicem sequentium nexum cum catenâ comparare, quæ ex pluribus annulis constat. *Funibus peccatorum suorum constringitur* impius, inquit Salomon (t). *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum (u).*

℣. 9. NOLI ESSE PUSILLANIMIS IN ANIMO TUO. (℣. 10) EXORARE ET FACERE ELEEMOSYNAM NE DESPICIAS. Uterque hic versiculus jungi potest cum superiori. Si peccasti, ne peccatum peccato addas: ne aut animo cadas, aut desperes: Deum exora, veniam precare, & peccata eleemosynis redime. Versiculos 9, 10, 11, aliter distribuit Græcus. (℣. 9) *Ne dicas, Deus inspiciet multitudinem donorum meorum; & cùm obtulero Deo altissimo*, ipse *suscipiet*. (℣ 10) *Ne pusillo animo sis* (℣. 11) *in precatione tuâ, nec eleemosynam facere negligas*. Duo hìc vitia damnat Sapiens, in quæ plerumque labimur, cùm aut oramus, aut alia pietatis opera exercemus; alterum scilicet, arrogantiam; alterum, desperationem. Ne credas, munerum tuorum multitudinem a Deo magni fieri, quippe qui solam animi ac voluntatis habitudinem quærat. Ne orare pigeat, aut orans animo cadas. Si postulata facere differt Deus, denique patientiæ tuæ præmium largietur, teque bonis cumulabit. Aliter: Ne verearis multum a Deo flagitare; locupletissimus enim est: neque levia postules; quippe quod injuriosum supremæ illius majestati est. Dei magnificentiam decet, ut res pretio infinitas petas. Non opes postulat Salomon, sed Sapientiam. Ea porrò digna

Prin-

(k) *Deut.* XVI, 20; *Exod.* XXIII, 3: *Pauperis non misereberis in judicio. Levit.* XIX, 15, *&c.*

(l) *Psal.* LXXXI, 1. *Vide Plat. lib. 6 de Republicâ.*

(m) 2 *Par.* XIX, 6: *Non enim hominum exercetis judicium, sed Dei.* (n) *Plato, lib. 2 de Repub.*

(o) *Exod.* XXIII, 2: *Non sequêris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a malo devies.*

(p) *Senec. lib. 4 de Tranquill.*

(q) *Edit. Complut. In Agilitate tuâ.*

(r) *Homil.* XXXIV *in Hebr. cap.* 13. Ἐι γὰρ οἱ ἀνάγκῃ ἑλκόμενοι οὐδεμίαν ἔχουσι καταφυγὴν, καὶ ἀπολογίαν, κακῶς τὸ πρᾶγμα οἰκονομοῦντες, καὶ ἀμελοῦντες. Πόσῳ μᾶλλον οἱ σπουδὴν ταύτην τιθέμενοι, καὶ ἐπιῤῥίπτοντες ἑαυτούς. (s) 3 *Reg.* XII, 21, 18. (t) *Prov.* V, 22. (u) *Isai.* V, 18.

℣. 12. Non irrideas hominem in amaritudine animæ: est enim qui humiliat, & exaltat, circumspector Deus.

℣. 13. Noli arare mendacium adversùs fratrem tuum: neque in amicum similiter facias.

℣. 14. Noli velle mentiri omne mendacium: assiduitas enim illius non est bona.

℣. 15. Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum: & non iteres verbum in oratione tuâ.

COMMENTARIUS.

Principe est postulatio, ac munus Deo dignum.

℣. 12. NON IRRIDEAS HOMINEM IN AMARITUDINE ANIMÆ. Infelici ne illudas; & qui stat, videat ne cadat (x). *Qui despicit pauperem, exprobrat factori ejus* (y). *O homo, quid habes quod non accepisti* (z)? Quamvis quispiam miser suâ ipsius culpâ sit, parcendum ipsius verecundiæ est, minimèque exprobranda calamitas: satis gravem insaniæ suæ pœnam fert; neque omnium est sapientem esse, ac sui ipsius minimè oblivisci. At iis, qui nullâ ipsorum culpâ miseri sunt, inopes ac malis oppressi, illudere inhumanum est. *Fortuna communis est*, inquit Isocrates (a), *& futurum non aspectabile*, incertum ignotumque. Sive, ut Christiano more loquamur, bona hominum & mala in Dei potestate sunt, eaque ipse pro arbitrio aufert aut dat, arcanaque illius consilia nemo hominum assequi potest.

℣. 13. NOLI ARARE MENDACIUM ADVERSUS FRATREM (b): ne mendacia in fratrem atque amicum invenire studeas. Fuisse creditur in Hebræo verbum *Charasch*, *arare*, machinari, &c. Nunquam non vetita sunt & odiosa mendacium & calumnia; præsertim verò adversùs fratrem aut amicum. Cavere ab inimico possumus: at qui fratri & amico fidem non habere liceat (c)? Non satis aptè colligitur id quod placet Grotio, putasse Hebræos licere sibi alienos fallere. Divina Lex mendacio interdicens, nullo fine seu conditione clauditur (d).

℣. 14. ASSIDUITAS ILLIUS NON EST BONA; vel perniciosissima est ac pessima. Orationis exornatio est, apud Rhetores *Diminutio*, qua minus effertur quàm quod volumus. Græcus (e): *Assiduitas enim illius non in bonum* tendit. Vel: Consuetudo te in malum trahet: in perjurium rues, ubi mendacio assueveris (f). Fuere inter Philosophos veteres, atque Ecclesiæ Patres (g), qui simplex mendacium quibusdam in rebus nefarium non esse crediderint, ut malum gravius vitetur, uti toxicis utimur, ut ex iis theriaca & pharmaca componamus. At S. Augustinus in Libris *De mendacio*, & *adversus mendacium* optimè demonstravit, nulli unquam homini licere mendacio uti. Id apertissimè docet Ecclesiasticus hoc loco: *Noli velle mentiri omne mendacium, assiduitas enim illius non est bona*. Christus, qui Legem correxit, explicavit, perfecit, quolibet mendacii genere Discipulos interdicit (h). *Sit sermo vester, Est, est: non, non: quod autem his abundantius est, a malo est*. Mendacium hominum pars in stagno ignis & sulphuris ardentis est (i).

℣. 15. NOLI VERBOSUS ESSE IN MULTITUDINE PRESBYTERORUM. Modestia & silentium discipulos & adolescentes ubique decent; præsertim verò inter senes. Vel, si de Judice aut Senatore interpreteris: Pauca loquere, at gravia, inter Judices: eloquentiam aut sapientiam ne ostentato. In hoc cœtuum genere, ubi de vitâ bonisque hominum agitur, Judex expers esse debet illius ambitionis, quæ acre ingenium aut sapientiam hominis jactare cupit. Quidquid speciosum aut vividum in eloquentiâ est, hunc locum dedecet. Græca vox (k), quæ hîc redditur, *Verbosus esse*, propriè sonat, garrire, nugari, fabulari. At apud Septuaginta, interdum est exerceri, meditari; & in bonam partem usurpatur: at hîc sumi nonnisi in malam potest.

ET NON ITERES VERBUM IN ORATIONE TUA. Huc spectare visus est Christus iis verbis (l): *Orantes, nolite multum loqui, sicut Ethnici: putant enim, quòd in multiloquio suo exaudiantur. Nolite ergo assimilari eis; scit enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Sic ergo vos orabitis: Pater noster qui es in Cœlis, &c.* Minimè vetat Christus, ne frequenter oremus, cùm semper orandum esse ipse docuerit (m): *Oportet semper orare*. Et S. Paulus (n): *Sine intermissione orate* (o). Neque vetat, quin gratiam, illustrationes, fervorem, obsequentem ipsius voluntati mentem, ejusque opem postulemus, cùm nullo non tempore ad boni prosequutionem & mali odium his egeamus. Illud prohibet, ne eamdem rem iterato postulemus ob fiduciæ defectum & imbecillitatem; quasi Deus nonnisi iteratas preces audiat; eæque bis repetitæ meliores fiant aut validiores. Ita attentè orandum est, ut opus non sit iterum orare. Sunt ex Patribus (p), qui de iterato in crimen lapsu interpretentur: Seriam adeò peccatorum pœnitentiam age, ut ea iterum aut pluries sacrâ exomologesi coram Deo fateri cogaris: *Ne iteres verbum in oratione tuâ; quo dicto nequaquam nos probibet sæpe veniam petere, sed culpas iterare*, inquit S. Gregorius Magnus.

(x) 1 *Cor.* x, 12.
(y) *Prov.* xvii, 5. (z) 1 *Cor.* iv, 7. (a) *Isocrat. ad Damon.* Μηδενὶ συμφορὰν ὀνειδίσῃς. κοινὴ γὰρ ἡ τύχη, καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον. (b) Μὴ ἀροτρία ψεῦδος ἐπ' ἀδελφῷ σε, μηδὲ φίλῳ ὅμοιον ποίει. Grotius legit: Ἀμητὸν ποίει, *Ne messem facias*. אל חרש, ut Job, ע ראיתי חרשי און *Prov.* iii, 29, אל החרש על רעך רע *Osee*, x, 13, חרשתם רשע
(c) *Alcmaeon, apud Clemen. Alexand. l. 6 Strom.* Ἐχθρὸν ἄνδρα ῥᾷον φυλάξασθαι, ἢ φίλον.
(d) *Levit.* xix, 11; *Exod.* xx, 15; *Deut.* v, 18. Confer eum *Exod.* xxii, 21; xxiii, 9; *Deut.* xxiv, 17; xxvii, 17; *Jerem.* vii, 6. (e) Ὁ γὰρ ἐνδελεχισμὸς αὐτοῦ οὐκ εἰς ἀγαθόν.
(f) *Tull. pro Roscio Comœdo*: *Qui mentiri solet, pejerare consuevit*. (g) *Plato de Repub. Origen. Clement Alexand. Cassian. & alii nonnulli. Vide Cornel. a Lapid. in Exod.* i, 19; *& in hunc loc.*
(h) *Matt.* v, 37. (i) *Apocalyp.* xxi, 8. (k) Μὴ ἀδολέσχει ἐν πλήθει πρεσβυτέρων.
(l) *Matth.* vi, 7. (m) *Luc.* xviii, 1. (n) 1 *Thessal.* v, 17. (o) *Vide Hugon. Dionys. Sa, & Cornel. a Lapid. hic.* (p) *Chrysostom. in illud Psal.* lxxxiv, *Non in æternum irascaris; Et in Psal.* cxlii, *initio*; *Greg. Magn. part.* 3 *Pastoral. admonit.* 31.

℣. 16. Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo.

℣. 17. Non te reputes in multitudine indisciplinatorum.

℣. 18. Memento iræ, quoniam non tardabit.

℣. 19. Humilia valdè spiritum tuum: quoniam vindicta [carnis] impii, ignis, & vermis.

COMMENTARIUS.

At hujusmodi interpretationes moralem potiùs sensum, quàm literam sequuntur. S. Clemens Alexandrinus (q) faciliùs explicat, veluti pars sit præcepti imperantis, nequis multùm verbosus sit inter senes, neve eamdem rem pluries coram Judicibus iteret. Vel supplex accedas vel litiges, pauca dicenda sunt, sed maturo consilio: vel ipse judex sedeas aut a consiliis, seriò ponderanda sunt quæ pronuncias, inanibusque sermonibus rebusque iteratis animus effundendus non est.

℣. 16. NON ODERIS LABORIOSA OPERA, ET RUSTICATIONEM CREATAM AB ALTISSIMO, tunc cùm homini criminis reo dixit (r): *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es: quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ruris opera & vetustissima omnium sunt, & Creatoris voluntati, qui hominem laboribus & agrorum culturæ addixit, maximè serviunt. Ambitio & luxus minimè opportunus probrosam homini esse decrevit artem, quæ veteris Testamenti Patres, Regnorumque & Rerum publicarum Conditores occupavit. Quid enim veteres fuere Romani, præterquàm boni agricolæ bonique rei familiaris administratores? Judæos inter & Græcos, Persas, Romanos, cæterasque orbis gentes probro minimè ducebatur Regibus, Consulibus atque Imperatoribus manum agriculturæ admovere. *Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agriculturâ melius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.*

℣. 17. NON TE REPUTES IN MULTITUDINE INDISCIPLINATORUM. (℣. 18) MEMENTO IRÆ, QUONIAM NON TARDABIT. (℣. 19) HUMILIA VALDE SPIRITUM TUUM, &c. Trium horum versiculorum ordo alius in Græco est (s): *Cave talibus adscribaris, qui vitam agunt flagitiosam. Animum tuum vehementer summitte: memento iram non tardaturam.* Ita vive, ut inter impios non misceaaris. Superbiam atque ambitionem potissimùm fuge; assiduoque Divinorum judiciorum metu concutere.

℣. 19. QUONIAM VINDICTA CARNIS IMPII, IGNIS ET VERMIS. Græcus non habet *carnis* (t). Hunc locum spectasse videtur Christus, cùm diceret (u): *Bonum est tibi debilem introire in vitam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Sunt qui putent, utroque hoc loco innui ea quæ in valle Hinnon, prope Jerosolymam contingebant: quæ vallis locus erat, in quem totius urbis sordes, bestiarumque cadavera vermibus scatentia congerebantur; ea verò igne cremabantur nunquam extincto, ne pestis aërem corrumperet, ac luem in urbe pareret. At nullus jam locus dubio est, quin hujus loci & Evangelii verbis significetur Infernus, ubi impii æternis infinitisque suppliciis addicti, cremantur flammis, & a vermibus devorantur.

Quæres hîc, quod flammarum aut vermium genus hujusmodi sit; utrùm veræ flammæ sint, verique vermes, vivi, ac sentientes, an aliquid quod loco ipsorum sit; ut ignis nomine acerrimi cruciatus intelligendi sint, & vermium appellatio conscientiæ morsus, ac damnatorum desperationem significet. Diffident de utràque quæstione Patres & Interpretes. Non uno in loco Origenes (x) docet, Infernum ignem, ac vermes damnatorum voratores, veros non esse. Consentit S. Ambrosius (y): *Nec corporalium strider aliquis dentium, nec ignis aliquis perpetuus flammarum corporalium, neque vermis est corporalis. Ignis est, quem generat mœstitia delictorum; vermis est, eo quòd animæ peccata mentem rei sensumque compungunt, & quadam exedunt viscera conscientiæ.* S. Hieronymus (z): *Ignis qui non extinguitur, a plerisque conscientia accipitur delictorum.* S. Joannes Damascenus (a): *Tradentur peccatores in ignem æternum, non materialem, qualis est apud nos, sed qualem novit Deus.* Profectò ægrè intelligimus, quod ignis genus sit, qui materiâ caret. S. Gregorius Nicænus (b) magis etiam figuram huic igni favet. Porrò hæc sententia & olim fuit, & adhuc communis est apud Græcos. In Concilio Florentino Græci censuerunt, in Purgatorio non esse ignem verum; qui certè idem est ac ignis Inferni.

S. Augustinus in utramque sententiam trahi solet; libro enim xxi de Civitate Dei, capite x, de impio divite & Lazaro agens, ait, *talem fuisse illam flammam, quales oculi, quos levavit ... Sic ergo incorporalis & illa flamma qua exarsit, & illa guttula quam poposcit, qualia etiam sunt visa dormientium, sive in ecstasi cernentium res incorporales &c.*

At idem eodem in loco (c) aliisque luculenter asserit, Infernum ignem esse corporeum sensibusque obnoxium; animasque a corpore secretas, ipsosque Dæmones, quamvis materiâ careant, eo igne cruciari, non secùs ac animæ corpori junctæ cruciantur iis malis, quæ corpori contingunt. *Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam Spiritus incorporeos posse pœnâ corporalis ignis affligi; si spiritus hominum, etiam ipsi profectò incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? Adhærebunt ergo Spiritus Dæmonum, imò spiritus Dæmones, licèt incorporei, corporeis ignibus cruciandi; non ut ignes ipsi, quibus adhærebunt, eorum juncturâ inspirentur & animalia fiant, sed ut dixi, miris & ineffabilibus modis adhærendo, accipientes ex ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam.* Idem cum proportione de animabus a corpore secretis, communem hominum resurrectionem præstolantibus, dici-

(q) *Clemens Alex. lib. 2 Pædag. c. 7:* Σοφία ἄνωθεν δὲ ἡμῶν τὴν φλυαρίαν ἐκκόπτουσα, ἔνθεν ἄρχουσα, μετριάζειν νομοθετοῦσα ὧδέ πως. Μὴ δευτερώσῃς λόγον ἐν προσευχῇ σου. (r) *Genes.* III, 18. (s) 17. Μὴ προσλογίζου σεαυτὸν ἐν πλήθει ἁμαρτωλῶν. 18. Ταπείνωσον σφόδρα τὴν ψυχήν σου. 19. μνήσθητι ὅτι ὀργὴ οὐ χρονιεῖ, &c. (t) Ὅτι ἐκδίκησις ἀσεβοῦς πῦρ, καὶ σκώληξ. (u) *Marc.* IX, 44, 45.
(x) *Origen. Homil.* 13 *in Exod. & lib.* 2, *c.* 11, *de Principiis.* (y) *Ambros. lib.* 7 *in Luc. cap.* 14.
(z) *Hieronym. in Isai.* LXVI. (a) *Damascen. lib.* 4 *de Fide, cap. ult.* (b) *Gregor. Nicænus de Animâ & Resurrect.* (c) *August. lib.* XXI *de Civit. cap.* 10; *& de Fide & operibus, cap.* 15.

℣. 20. Noli prævaricari in amicum pecuniam differentem, neque fratrem chariſſimum auro ſpreveris.

℣. 21. Noli diſcedere a muliere ſenſatâ, & bonâ, (quam ſortitus es in timore Domini:) gratia enim (verecundiæ illius) ſuper aurum.

℣. 22. Non lædas ſervum in veritate operantem, neque mercenarium dantem animam ſuam.

COMMENTARIUS.

dicitu. Ubi enim poſt Reſurrectionem illæ corporibus junctæ fuerint, ignis ſupplicium ſentient ob ipſam ignis acrimoniam, quæ ipſorum ſenſus feriet; idque ſolummodò diſcriminis futurum eſt, quòd ignis inferni vis & acrimonia longè majores futuræ ſint, quàm hujus ignis, quo nos utimur; atque ipſe animus acriore ſentiendi poteſtate inſtruetur, multoque magis capax futurus eſt diuturni, acerrimi aſſiduique doloris, quàm in corpore morti obnoxio, quod diu reſiſtere malis nequit.

S. Gregorius Magnus (d) corporeum eſſe inferni ignem nihilo minus apertè tradit: *Gehenna ignis, cùm ſit corporeus, & in ſe miſſos reprobos corporaliter exurat, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur, ſed creatus ſemel, durat inextinguibilis*, &c. Alibi (e) eamdem ſententiam ſcribit, ac diſputat, qui fieri poſſit, ut corporeus ignis ſpiritum materiæ expertem cruciet. Infernum ignem ita deſcribit S. Cyprianus (f): *Cruciantibus flammis per horrendam ſpiſſa caliginis noctem, ſæva ſemper incendia camini fumantis.* S. Chryſoſtomus (g) flammeos amnes & igneos fluctus in inferis eſſe narrat, quibus damnati quamvis obvoluti & cruciati, minimè conſumuntur. S. Hieronymus, cujus verba ſuperiùs recitavimus, narrantis, infernum ignem pleriſque figuratum videri, alibi (h) veram animi ſui ſententiam profert, eum ſcilicet ignem verum eſſe & ardere, at nullâ luce micare, utì noſter micat. Patribus pleſique Scholaſticorum accedunt, quibus eadem doctrina communis eſt: quamobrem illud colligendum videtur, hanc in Latinâ Eccleſiâ opinionem nunquam non viguiſſe; apud Græcos verò, contrariam: at Latinorum ſententia melioribus argumentis fulcitur.

De verme qui non moritur, idem fermè opinionum diſſidium animadvertitur. Origenis, S. Ambroſii (i) aliorumque apud S. Hieronymum (k) ſententiam nuper vidimus, quam amplexus S. Thomas (l), Scholaſticis defendendam pleriſque reliquit. Cæteri tamen Patres (m), ac nonnulli e recentioribus contrarium cenſent. Non ea eſt hujus vermis natura, quæ cæterorum: is minimè moritur aut corrumpitur: inter flammas vivit: rodit, quin nutriatur aut ſatietur: eâdem fermè naturâ eſt ac ignis infernus, qui lignis aliove pabulo non alitur. Cruciatibus paſcitur, quibus impios torquet, quin unquam ſatur malorum ſit, aut necem inferat. *Non ceſſat rodere conſcientiam, eâque paſtus, eſcâ utique inconſumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, & mortem vivacem*, inquit S. Bernardus (n).

℣. 20. NOLI PRÆVARICARI IN AMICUM PECUNIAM DIFFERENTEM. Turpem cupiditatem damnat, vetatque ne ſacrum amicitiæ fœdus cum amico frangas pecuniæ causâ, quam debet, ac reddere ceſſat. Profectò ſi verè amas, pluris amicitiam facere debes quàm opes; optimus enim amicus quibuslibet hominum opibus longè anteferendus eſt. *Qui invenit amicum fidelem, invenit theſaurum*, inquit ſuperiori capite Sapiens, ℣. 14. Græcus (o): *Ne permutes amicum cum pecuniâ ullo modo, nec fratrem germanum cum auro Ophir.* Te amico ne ſpolies, rei cujuslibet mortalis causâ. Omnes hominum gazas ſi unâ colligas, tanti non ſunt, quanti verus amicus: illius conſuetudinem ne amittito, quamquam oblatis quibuslibet Ophireticæ regionis divitiis. Ophir regionem fuiſſe, ubi aurum quærebatur, alibi (p) vidimus. Eò claſſes mittebat Salomon. Græcus legit *Sophir*; atque ita a Veterum pleriſque efferebatur. Vox, quam nos hìc vertimus *pecuniam*, ad verbum ſonat *rem differentem*, vel, ut alii legunt, *indifferentem*. At procul dubio tum hìc tum alibi pecuniam ſignificat.

℣. 21. NOLI DISCEDERE A MULIERE SENSATA ET BONA. Ne illam repudies; eximium enim eſt Dei miſerentis munus (q), pluris a te faciendum, quàm opes quælibet. Repudium inter Hebræos toleratum eſt, at nunquam commendatum probatumque a totius gentis ſapientiſſimis, niſi effrænis uxoris impudentia id imperaret (r).

℣. 22. NON LÆDAS SERVUM IN VERITATE OPERANTEM, NEQUE MERCENARIUM DANTEM ANIMAM SUAM, qui ſeſe totum periculo tui causâ objicit, vitamque, corpus, valetudinem prodigit, ut tibi ſerviat. Nihil profectò miſerabilius ſervorum conditione, & plerorumque hominum, qui vitam labore tolerare coguntur; quibuslibet aëris ac tempeſtatum incommodis obnoxii, terrâ marique, inter frigora, æſtum, imbres, laborioſis artibus occupati, quibus valetudo corporis obruitur, puta fabri ferrarii, qui diu noctuque ignem verſant; vel qui inter aſſidua lapsûs pericula ſunt, veluti cæmentarii; aliique planè innumeri, qui humillimis, laborioſis ac parum utilibus operis vitam tolerant. Iis ſaltem, qui horum operâ utuntur, bu-

(d) *Gregor. Magn. lib. 15 Moral. cap. 29, pag. 482, nov. Edit.* (e) *Lib. 4 Dialogor. cap. 29.*
(f) *Cyprian. de Laude Martyrii.* (g) *Chryſoſt. homil. 44 & 55 in Matth. & homil. 23 in Epiſt. ad Rom. & homil. 4 in Epiſt. ad Epheſ.*
(h) *Hieronym. in cap. 2 Matth. Duplicem eſſe gehennam nimii ignis, & frigoris, in Job pleniſſimè legimus. Author Comment. in Job, ſub nomine Hieronym. in cap. xx: Ignis gehenna non materiis quibusdam & pabulis vivit, ut ardeat, ſed per ſeipſum ut creatus eſt, vigens, &c.*
(i) *Ambroſ. in Luc. cap. xiv, lib. 7.* (k) *Hieronym. in cap.* LXVI *Iſai.* (l) *S. Thom. in 4, diſtinct. 50, qu. 2, art. 3, ad 1, & 2, & alii multi. Vide Cornel. a Lapide hìc, & in Iſai.* LXVI.
(m) *Auguſt. lib.* XXI *de Civit. c. 9, & 10. Proſper, lib. 3 de Vitâ Contemplat. Anſelm. Elucidat. Hugo Victorin. &c. Ex Græcis Chryſoſt. Cyrill. Alex. Theophylact. &c.*
(n) *Bernard. lib. 5 de Conſiderat.* (o) Μὴ ἀλλάξῃς φίλον διαφόρου, (*vel* ἀδιαφόρου) καὶ μηδὲ ἐν, μηδὲ ἀδελφὸν γνήσιον ἐν χρυσίῳ Σουφείρ. Ἀδιάφορον, vel διάφορον, pro pecuniâ legitur *infra*, XXVII, 1; XLII, 7; & 2 *Macc.* I, 35; III, 6; IV, 28. (p) Ad Geneſim, in Diſſertatione de regione Ophir. (q) *Eccli.* XXVI, 3: *Pars bona mulier bona: in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.* (r) Vide nos in Diſſertatione de divortio, ad Librum Numerorum.

℣. 23. Servus sensatus sit tibi dilectus quasi anima tua: non defraudes illum libertate, [neque inopem derelinquas illum.]

℣. 24. Pecora tibi sunt? attende illis: & si sunt utilia, perseverent apud te.

℣. 25. Filii tibi sunt? erudi illos, & curva illos a pueritiâ illorum.

℣. 26. Filiæ tibi sunt? serva corpus illarum, & non ostendas hilarem faciem tuam ad illas.

℣. 27. Trade filiam, & grande opus feceris: & homini sensato da illam.

℣. 28. Mulier si est tibi secundùm animam tuam, non projicias illam: & odibili non credas te. In toto corde tuo

COMMENTARIUS.

humanitas imperat, ut aliquâ illorum misericordiâ moveantur, ne illos durè agant, neque illorum conditionem multo miseriorem efficiant superbiâ & sævitiâ. *Vos, domini, eadem facite illis* (servis), *remittentes minas, scientes quòd illorum & vester dominus est in Cœlis, & personarum acceptio non est apud Deum* (s).

℣. 23. SERVUS SENSATUS SIT TIBI DILECTUS QUASI ANIMA TUA (t): NON DEFRAUDES ILLUM LIBERTATE. De servo Judæo loquitur, qui alteri ejusdem gentis homini servit; cui reddi anno Sabbatico libertatem lex jubet (u). Legitimo igitur tempore libertatem ne illi deneges; illumque ita ames, ut filium pater, imò veluti te ipsum amas, quippe qui & libertatem & corporis valetudinem & vitam & laborem tui causâ impendit. Leniter illum habeto, non uti servum, sed amicum & fratrem. Hæc præcepta ad heros Hebræos potissimùm pertinent, quibus servi Hebræi essent; servos enim alienâ gente satos aut bello ceperant, aut emerant. At neque inter Ethnicos sapientissimi desnere, qui servis leni imperio dominari jusserint. *Servi sunt? imò homines*, inquit Seneca (x). *Servi sunt? imò contubernales. Servi sunt? imò humiles amici. Servi sunt? imò conservi, si cogitaveris tantumdem in utrosque licere fortunæ. Ejusdem arrogantiæ proverbium jactatur, totidem esse hostes, quot servos. Non habemus illos hostes, sed facimus.*

NEQUE INOPEM DERELINQUAS ILLUM. Hæc in Græco non habentur, sed ex Legis sanctione sunt (y), imperantis, ut siquem servum herus vel anno Jubilæi vel Sabbatico manumittat, minimè nudum aut vacuis manibus remittat, cibosque illi suppeditet e gregibus suis, areâ, torculari, carnes, panem, vinum, oleum.

℣. 24. PECORA TIBI SUNT? ATTENDE ILLIS. Pecus si bonum fuerit, illud ne distraxeris. Nimirum ea præcipua lex est rei familiaris bene gerendæ, ut curam pecoris habeas, alasque, ac frequenter visites, & probè custodias, si bonum fuerit. Hoc idem docuerat Salomon (z): *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Et (a): *Novit justus jumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia.* Bonus homo ipsorum vel brutorum miseretur, eaque labore non opprimit.

℣. 25. FILII TIBI SUNT? ERUDI ILLOS, ET CURVA ILLOS A PUERITIA IPSORUM. Certissimum enim Sapientis effatum est (b): *Qui parcit virgæ, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit.* Parentes, qui plus æquo filiis conni-vent, perniciosissimi illis sunt. Teneræ nimirum hæ arbores in ipso adolescentiæ flore in eas plerumque partes inclinantur, quæ illis exitium pariunt. Opus est sapiens ac prudens sit parentis amor, atque illud potiùs quærat, quod verè bonum filio est, eumque perfectum facit, quàm quod illius voluptati & libidini servit.

℣. 26. FILIÆ TIBI SUNT? SERVA CORPUS ILLARUM, ET NON OSTENDAS HILAREM FACIEM TUAM AD ILLAS. Memento Dinæ, cui curiositas sua & spectacula notissimam injuriam peperere (c). Quicquid filiarum mentem ac mores corrumpere potest, exemplum, orationem, rem, ab illis removeto (d).

Nil dictu fœdum visuque hæc limina tangat
Intra quæ puer est ....
Maxima debetur puero reverentia. Si quid
Turpe paras, tu ne pueri contempseris annos.

Quòd si hæc de pueris servanda sunt, quanto cautiùs cum puellis agendum est, quarum pudicitia tenerior est, & severior modestia? M. Cato in censurâ Manilium Senatu movit, quòd uxorem ipse suam osculatus esset, filiâ inspectante (e).

℣. 27. TRADE FILIAM, ET GRANDE OPUS FECERIS: ET HOMINI SENSATO DA ILLAM. Solebant Judæi, & adhuc solent, filias a primâ ætate nuptum dare. Profectò opportunissimum est, filiarum animos & vitæ genus a primâ adolescentiâ certam in partem inclinare. At eximium providi erga filiam patris officium est, illam sapienti viro jungere. Nemo ex Judæis expers conjugii erat; quamobrem hoc loco Author ex gentis suæ moribus loquitur. At apud Christianos, S. Paulus virginitatem suadet, eamque præfert conjugio (f). Suprema parentum cura ea esse debet, ut liberos eorum conjugio jungant, qui ipsis conveniunt, sapientiàque & probitate non carent. *Malo*, aiebat Themistocles, *virum qui pecuniâ egeat, quàm pecuniam quæ viro.* Qui generum sortitur probum, filium sortitur: at qui malum, & pecuniam & filiam amittit (g).

℣. 28. MULIER SI EST TIBI SECUNDUM ANIMAM TUAM, NON PROJICIAS ILLAM: ET ODIBILI NON CREDAS TE. Permiserat Moyses, vel toleraverat repudium, uti diximus. Quam quis non amabat, illam repudio dimittere licebat, dum sufficiens repudii causa esset. Monet hic Ecclesiasticus, dimittendam non esse quam amas; at quam non amas, minimè esse ducendam, ne aut repudii, quod nunquam non odiosum est, discrimini te objicias, aut odiosam totius vitæ sociam habere cogaris, quod multo deterius est.

℣. 29. Ge-

(s) *Ephes.* VI, 9. (t) *Græc.* Οἰκέτην συνετὸν ἀγαπάτω σου ἡ ψυχὴ, *Servum prudentem amet anima tua.*
(u) *Exod.* XXI, 2; *Deut.* XV, 12. (x) *Epist.* 47. (y) *Deut.* XVI, 12, 13, 14. (z) *Prov.* XXVII, 23.
(a) *Prov.* XII, 10. (b) *Prov.* XIII, 24. (c) *Genes.* XXXIV. (d) *Juvenal. Satyr.* XIV.
(e) *Plutarch. in Catone.* (f) 1 *Cor.* VII, 8, 9, *& seq.* (g) *Democritus apud Stobaeum, serm.* 68.

℣. 29. **Honora** patrem tuum, & gemitûs matris tuæ ne obliviscaris.
℣. 30. Memento, quoniam nisi per illos natus non fuisses: & re-
tribue illis, quomodo & illi tibi.
℣. 31. In totâ animâ tuâ time Dominum, & sacerdotes illius san-
ctifica.
℣. 32. In omni virtute tuâ dilige eum, qui te fecit: & ministros
ejus ne derelinquas.
℣. 33. Honora Deum ex totâ animâ tuâ: & honorifica sacerdotes,
(& propurga te cum brachiis.)
℣. 34. Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum, &
purgationis: [& de negligentiâ tuâ purga te cum paucis.]
℣. 35. Datum brachiorum tuorum, & sacrificium sanctificationis
offeres Domino, & initia sanctorum.

COMMENTARIUS.

℣. 29. GEMITUS MATRIS TUÆ NE OBLIVISCARIS. Græcus (h): *Dolorum in partu matris tuæ*: quid illa passa sit, cùm te in ventre gereret, teque pareret. Vide Tobiam, *IV*, 4.

℣. 30. MEMENTO, QUONIAM NISI PER ILLOS NATUS NON FUISSES: ET RETRIBUE ILLIS, QUOMODO ET ILLI TIBI. Græcus (i): *Memento quòd per eos natus es: & quid rependes illis, sicut ipsi tibi?* Vel: *Quomodo reddes illis ea quæ ipsi tibi fecerunt?* Fieri nunquam potest, ut parentibus restituamus, quæ illi nostri causâ fecere: nullis unquam officiis atque obsequiis id æquabimus, quod Diis ac parentibus debemus (k).

℣. 31. SACERDOTES ILLIUS SANCTIFICA, venerare: ceu homines sacros, ac Dei servituti addictos cole. Græcus (l): *Sacerdotes illius admirare*. Eo illos obsequio prosequere, quod sublimissimam illorum dignitatem decet.

℣. 32. MINISTROS EJUS NE DERELINQUAS. Judæos frequenter monet Deus, ut opem præstent Sacerdotibus ac Levitis (m), quibus nulla hæreditas in divisione regionis contigit. Imperat S. Paulus (n), ut Sacerdotes, qui Ecclesiæ & operâ & verbis serviunt, duplici honore, scilicet mercede, donentur.

℣. 33. HONORIFICA SACERDOTES, ET PROPURGA TE CUM BRACHIIS; te ipsum expiato, oblatia Sacerdoti victimarum armis, qui Lege Sacerdotibus decernuntur. Moyses in Aaronis ejosque filiorum consecratione, dextrum arietis armum, a victimâ separatum, manibus initiatorum imposuit; ac sanxit Deus, eam deinceps futuram Aaronis ejusque filiorum partem e pacificis hostiis, quæ in posterum pro filiis Israël offerendæ erant (o). Eandem legem alibi repetit (p): *Armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias Sacerdotis*. Id in Lege servatum ubique animadvertitur (q). Hebraicam vocem *schok*, quæ humerum significat, Septuaginta plerumque vertunt *brachion*. Hujus loci Græcus non habet hæc verba: *Propurgâ te cum brachiis*. At inferiùs, ℣. 35, fert (r): *Et donum brachiorum, & sacrificium sanctificationis, & primitias sanctorum*. Quo ex loco desumpta sunt quæ hìc adduntur. Mirè torquentur in his verbis Interpretes. Sunt qui legendum putent (s): *Propugnato cum brachiis*: omni brachiorum nisu certato, ut Domini Sacerdotes tuearis. Alii explicant (t): Te ipsum purga, tuaque peccata expiato oblationibus manuum tuarum labore comparatis. Placet aliis, hæc verba ad opera pœnitentiæ referri: Te purgato brachiorum tuorum operibus, duro scilicet pœnitentiæ exercitio. At prior interpretatio unica est quæ optima.

℣. 34. DA ILLIS PARTEM, SICUT MANDATUM EST TIBI, PRIMITIARUM ET PURGATIONIS. Primitiæ pacificorum Moysi sunt (u) ea membra victimæ, quæ Sacerdoti dabantur, nempe armus dexter & pectus. Præterea pretium primorum natu ex hominibus & bestiis, Sacerdotibus Levitisque tradebatur, & ex fructibus messibusque primitiæ. Hostia expiationis vel pro peccato tota Sacerdotis erat (x), præter sanguinem, utrosque renes, caudam, & adipem quo viscera vestiuntur; eaque omnia igne altaris cremabantur.

ET DE NEGLIGENTIA TUA PURGA TE CUM PAUCIS; scilicet, vel inter paucos, vel paucis victimis parvoque apparatu. Si pauper es, parvo hostiarum numero contentus esto (y), neque opes tuas ingenti sacrificiorum pompâ ostentes. Vel, ut aliis placet: *Purga te cum paucis* sacrificii testibus. Cùm expiationis tuæ victimam offers, tuaque peccata confiteris, manu capiti hostiæ impositâ, uti lex imperat, solus cum Sacerdote esto. Vel: Purga te cum paucis: piissimos ac sapientissimos imitare, neque turbam sequere. Sedulò te ipsum purgato. Græcus brevior est (z). Jungendi autem sunt versiculi 34 & 35: *Da Sacerdoti partem, ut jussus es, primitias, &* oblationes *pro peccato*; (35) *& donum armorum* victimæ; *& sacrificium sanctificationis, & primitias sanctorum*. Vulgata in hunc sensum explicari potest: Legitimam Sacerdoti partem dato, primitias, hostiam expiationis; & pro peccato, crimina tua expiato paucis iis victimis, quæ Lege imperantur. (35) Offer Domino armum dexterum victimarum tuarum, & sacrificium sanctificationis (fortè, holocaustum,

(h) Μητρὸς ὠδῖνας μὴ ἐπιλάθῃ. (i) Μνήσθητι ὅτι δι' αὐτῶν ἐγεννήθης. Καὶ τί ἀνταποδώσεις αὐτοῖς, καθὼς αὐτοὶ σοί; (k) *Aristot. Nicomach.* 9: Τιμὴ τ' ἰσόῤῥοπος οὐκ ὤν, γένοιτο. Ἀλλ' ἴσως ἱκανὸν, καθάπερ καὶ πρὸς Θεοὺς, καὶ πρὸς γονεῖς, τὸ ἐνδεχόμενον. (l) Καὶ τοὺς ἱερεῖς αὐτοῦ θαύμαζε.
(m) *Deut.* XII, 19; XVI, 11, 14; XXVI, 11, 12, *&c.* (n) 1 *Timot.* V, 17. (o) *Exod.* XXIX, 22, 27.
(p) *Levit.* VII, 32. *Vide & Num.* XVIII, 18. (q) *Exod.* XXIX, 22. שוק הימין 70: Τὸν βραχίονα τὸν δεξιόν. *Levit.* VII, 32. שוק הימין 70: Καὶ τὸν βραχίονα τὸν δεξιὸν δώσετε. *Ita passim.*
(r) ℣. 35: Καὶ δόσιν βραχιόνων, καὶ θυσίαν ἁγιασμοῦ, καὶ ἀπαρχὴν ἁγίων.
(s) *Jansen. Ita legunt quinque Codd. Mss.* (t) *Ita Raban. Palac. Lyran. Bossuet.*
(u) *Exod.* XXIX, 22, 27; *Levit.* VII, 32; *Num.* XVIII, 18. (x) *Levit.* VII, 3, 4, 5, 6, 7.
(y) *Raban. Jans. Sa.* (z) Δὸς τὴν μερίδα αὐτοῖς, καθὼς ἐντέταλταί σοι, ἀπαρχὴν καὶ περὶ πλημμελείας. 35. Καὶ δόσιν βραχιόνων, καὶ θυσίαν ἁγιασμοῦ, καὶ ἀπαρχὴν ἁγίων.

℣. 36. Et pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio, & benedictio tua.

℣. 37. Gratia dati in conspectu omnis viventis: & mortuo non prohibeas gratiam.

℣. 38. Non desis plorantibus in consolatione: & cum lugentibus ambula.

℣. 39. Non te pigeat visitare infirmum: ex his enim in dilectione firmaberis.

℣. 40. In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.

COMMENTARIUS.

locaustum, vel sacrificia quæ voto promisisti) & primitias quas Templo debes, *Initia Sanctorum*, quodlibet primitiarum genus aut decimarum, quæ Sacerdotibus debebantur. Quantum verò hoc ipsum est, si enim iis conferatur, quæ Deo debes, ubi omnem justitiæ severitatem exercere in te velit?

℣. 36. ET PAUPERI PORRIGE MANUM TUAM, UT PERFICIATUR PROPITIATIO ET BENEDICTIO TUA. Ne quid sacrificiis tuis desit, eleemosynam & opera misericordiæ his junge. Id frequentissimè imperat Lex (a), ut pauperes ac Levitæ ad ea convivia vocentur, quæ post pacifica sacrificia agebantur, & ea quæ in Templo post primitias oblationesque agitari solebant.

℣. 37. GRATIA DATI (b) IN CONSPECTU OMNIS VIVENTIS; ET MORTUO NON PROHIBEAS GRATIAM. Munificus ac liberalis erga omnes esto, ipsique mortui homines liberalitate tuâ gaudeant: suprema illis officia redde, eorumque tumulis infer cibos, quibus inopes & peregrini utantur: id enim veterum mores ferebant, vel apud Judæos, ut ex Tobia discimus (c). Idem diu inter Christianos viguit, teste S. Augustino (d), qui de S. Monicâ matre suâ hæc scribit: *Cùm Mediolani ad memorias Sanctorum, sicut in Africâ solebat, pultes & panem & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur, ubi hoc Episcopum* (S. Ambrosium) *vetuisse cognovit, tam piè & obedienter amplexa est, ut ipse miraretur.* Ipse Augustinus hunc morem in Africâ vetustissimum delevit (e).

℣. 38. NON DESIS PLORANTIBUS IN CONSOLATIONE, ET CUM LUGENTIBUS AMBULA. Humanitatis & charitatis est, lenibus verbis eos consolari, qui animo cruciantur, atque alienæ calamitatis participem lugendo fieri. Hic verò locus de iis præsertim explicandus esse videtur, qui necem propinquorum lugent. Sanctio quædam consuetudinis ferebat, ut illos cæteri adirent, unà sederent, miscerent lacrymas, cibosque porrigerent: siquos funus lugentes in viâ aliove in loco quis obvios haberet, illis addi, ac funebrem comitatum augere debebat. Vide nostram Dissertationem de funeribus Hebræorum.

℣. 39. NON TE PIGEAT VISITARE INFIRMUM: AB HIS ENIM IN DILECTIONE FIRMABERIS. Græcus (f): *Ne te pigeat visitare infirmum, ob hoc enim diligêris.* His charitatis & humanitatis officiis hominum animi vinciuntur; iisque Dei erga nos amorem & beneficia promeremur.

℣. 40. IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS MEMORARE NOVISSIMA TUA, ET IN ÆTERNUM NON PECCABIS. Hominum novissima sunt Mors, Judicium, Infernus, & Paradisus. Horum meditatione si exerceamur, nunquam peccabimus. Si quidquid agimus, ita agamus, veluti suprema sit vitæ nostræ actio; nosque metipsos ceu divino judicio proximos intueamur, qui fieri poterit, ut illum peccando provocemus, ejusve justitiam, veritatem, legem violemus? Dum æternitatem longè prospicimus, parum eâ movemur: at ubi proximam inspicimus, ipsumque Judicem coram intuemur, quis non formidet? Assiduam mortis meditationem esse debere hominis vitam, ipsi Ethnicorum Philosophi docuere. *Quotidie morimur*, inquit S. Hieronymus (g), *quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus: hoc ipsum quod dicto, quod scribo, quod relego, quod emendo, de vitâ meâ tollitur. Sive comedo*, alibi scribit, *sive bibo, sive studeo, sive quid aliud ago, semper illa tuba insonat auribus meis: Surgite mortui, venite ad judicium. Facilè contemnit omnia, qui semper cogitat se moriturum.*

CAPUT VIII.

Præcepta locupletibus, indoctis, garrulis. Eum qui resipiscit, ne spernito. Inimicorum nece ne gaudeas. Aurem senibus porrigito. Ne te vadem alteri dato. Ne jurgium feras cum homine litigioso & iracundo. Arcana tua ne cuilibet prodas.

℣. 1. NOn litiges cum homine potente, ne fortè incidas in manus illius.

COMMENTARIUS.

NE LITIGES CUM HOMINE POTENTE, NE FORTE INCIDAS IN MANUS ILLIUS; vel, ne sub vires illius cadas. Christianæ Legis modestia jubet quamlibet litem & jurgium vitari. Sapiens, Judæos

(a) *Deut.* XIV, 26, 29; & XII, 12; & XVI, 11; XXVI, 12. (b) *Complut. & alii plures*: Gratia datus.
(c) *Tob.* IV, 18: *Panem tuum, & vinum tuum super sepulturam justi constitue. Vide & Eccli.* XXX, 18.
(d) *August. Confess. lib.* 6, *cap.* 2. (e) *August. Epistol.* 29 *nov. Edit. & alibi.*
(f) Μὴ ὄκνει ἐπισκέπτεσθαι ἄῤῥωστον, ἐκ γὰρ τῶν τοιούτων ἀγαπηθήσῃ. (g) *Hieronym. ad Heliodor.*

℣. 2. Non contendas cum viro locuplete, ne fortè contra te constituat litem tibi.

℣. 3. Multos enim perdidit aurum & argentum, & usque ad cor regum extendit, & convertit.

℣. 4. Non litiges cum homine linguato, & non strues in ignem illius ligna.

℣. 5. Non communices homini indocto, ne malè de progenie tuâ loquatur.

℣. 6. Ne despicias hominem avertentem se a peccato, neque improperes ei: memento, quoniam omnes in correptione sumus.

℣. 7. Ne spernas hominem in suâ senectute: etenim ex nobis senescunt.

℣. 8. Noli de mortuo inimico tuo gaudere: sciens quoniam omnes morimur, [& in gaudium nolumus venire.]

COMMENTARIUS.

dæos alloquens, illud solummodò monet, ut lites cum locupletibus fugiant. Causam addit, rei familiaris curam: Ne illi te opibus opprimant, & æquam lancem muneribus, authoritate, minis in suam partem impellant. Id sequenti versiculo significatur. Insanum est cum potentiore jurgari, ajebat vetus Poëta (a); semper enim minor vincitur, & præter probrum, injuriarum periculum subit.

℣. 2. NE FORTE CONTRA TE CONSTITUAT LITEM TIBI. Græcus (b): *Ne litiges*, ne contendas, *cum homine divite, ne fortè attrahat ad se pondus*, & lancem, quam Judex tenet, ad sese inclinet.

℣. 3. MULTOS ENIM PERDIDIT AURUM ET ARGENTUM, ET USQUE AD COR REGUM EXTENDIT ET CONVERTIT. Locupletes auro & argento æquam Justitiæ lancem facilè impellunt. Quem enim Judicem aut muneribus incorruptum, aut terrore minisve inconcussum invenias (c):

Munera, crede mihi, placant hominesque Deosque.

Major est auri vis, quàm fulminis: omnia quippe loca pervadit, & ad ipsos usque Reges impavidum penetrat (d).

Aurum per medios ire satellites,
Et perrumpere amat saxa, potentius
Ictu fulmineo.

℣. 4. NON LITIGES CUM HOMINE LINGUATO: ET NON STRUES IN IGNEM ILLIUS LIGNA. Dicax homo similis igni ardenti est; quem si aggrediaris, perinde est ac si ligna in ignem inferas; novum enim jurgandi argumentum illi suggeris. Pythagoras ænigmatice suo more: *Ne fodito ignem gladio*. Author dystichorum, quæ Catoni tribuuntur:

Contra verbosos noli contendere verbis.

Salomon (e): *Cùm defecerint ligna, extinguetur ignis; & susurrone subtracto jurgia conquiescunt*. Sapiens infra, ℣. 13: *Non incendas carbones peccatorum, ne incendaris flammâ ignis illorum*. Nihil sapientius, quàm hujusmodi hominum lites amantium, atque omnia livore suo inficientium, consuetudinem vitare.

℣. 5. NON COMMUNICES HOMINI INDOCTO, NE MALE DE PROGENIE TUA LOQUATUR. Græcus ad verbum (f): *Ne inhonorentur majores tui*. Probrosum non modò tibi est, sed majoribus tuis, indoctorum amicitiâ uti; facilè enim crederis malè institutus, & neglectæ pueritiæ tuæ majores accusantur. Quisque similem sibi amat, inquiunt: quis liberaliter educatus hujusmodi hominum amicitiam patitur? Græcus: *Ne jocare cum homine rudi*.

℣. 6. NE DESPICIAS HOMINEM AVERTENTEM SE A PECCATO; MEMENTO, QUONIAM OMNES IN CORREPTIONE SUMUS. Si peccatores esse desiimus, jam fuimus: nemo expers peccati est: optimus inter nos ille est, qui minora peccata habet. Græcus (g): *Ne exprobres homini avertenti se a peccato: memento quòd omnes sumus in damnatione*; eorumdem criminum rei, iisdemque suppliciis obnoxii, si Deus severitate uti erga nos velit. Si nosmetipsos sedulò expendamus, facilè veniam cæteris dabimus.

Det ille veniam facilè, cui veniâ est opus.

℣. 7. NE SPERNAS HOMINEM IN SENECTUTE SUA: ETENIM EX NOBIS SENESCUNT. Nempè, ii qui senes sunt, similes nobis fuere. Nos item senescemus; neque leve Dei beneficium futurum est, si senuerimus. Quæ incommoda illos cruciant, iis & nos affici possumus. Malum non est, neque probrum senectus; at incommodis carere non potest. Pœna tamen est, si quis minimè senuerit. Nemo senectutem non cupit; nemo non veretur, ne in medio ad senectutem itinere, a morte intercipiatur: nemo nihilominus est, qui ubi senuerit, de senectute non queratur; adeo ingratus est hominum animus & inconstans (h).

℣. 8. NOLI DE MORTUO INIMICO TUO GAUDERE. Æquè mortalis es tu atque inimicus; quamobrem

(a) *Vetus Poëta.*

Ἄφρων δὲ κ' ἐθέλῃ πρὸς κρείσσονα ἀντιφερίζειν.
Νίκης τε στέρεται, πρὸς δ' αἴσχεσι ἄλγεα πάσχει.

Et Pindar. Nem. Od. 10.

Χαλεπὰ δ' ἔρις ἀνθρώποισιν ὁμιλεῖν κρεσσόνων.

(b) Μὴ ἔριζε μετ' ἀνθρώπου πλουσίου, μήποτε ἀντιστήσῃ σου τὴν ὁλκήν. (c) *Ovidius*.
(d) *Horat. Ode 16, lib. 3.* (e) *Prov. XXVI, 20.* (f) Μὴ προσπαιζε ἀπαιδεύτῳ, ἵνα μὴ ἀτιμάζωνται οἱ πρόγονοί σου. (g) Μὴ ὀνείδιζε ἄνθρωπον ἐπιστρέφοντα ἀπὸ ἁμαρτίας, μνήσθητι ὅτι πάντες ἐσμὲν ἐν ἐπιτιμίοις, *Omnes in correptione sumus*. Codices multi legunt, *In corruptione*, sed male.
(h) *Crates, apud Grot. hic:*

Ὠνείδιζες μοι γῆρας ὡς κακὸν μέγα,
Οὗ μὴ τυχόντι θάνατός ἐσθ' ἡ ζημία,
Οὗ πάντες ἐπιθυμοῦμεν, ἂν δ' ἔλθῃ ποτὲ,
Ἀνιώμεθ'. Οὕτως ἐσμὲν ἀχάριστοι φύσει.

℣. 9. Ne despicias narrationem (presbyterorum) sapientium, & in proverbiis eorum conversare.

℣. 10. Ab ipsis enim disces sapientiam, [& doctrinam intellectûs,] & servire magnatis sine querelâ.

℣. 11. Non te prætereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a patribus suis:

℣. 12. Quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.

℣. 13. Non incendas carbones peccatorum [arguens eos, &] ne incendaris flammâ ignis (peccatorum) illorum.

℣. 14. Ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo.

℣. 15. Noli fœnerari homini fortiori te: quòd si fœneraveris, quasi perditum habe.

COMMENTARIUS.

obrem præripi ante illum a morte potes. Utrùm ne alterum morte tuâ gaudere, tuoque infortunio illudere cuperes? Talem igitur te cæteris exhibe, quales erga te cæteros cupis. Humanitatis est vel inimicorum misereri, dum nocere non possunt. Odium nunquam non nefarium est: at si quando nascatur, mortale esse decet. Ipsismet Ethnicis compertum fuit, inimicorum morte gaudendum non esse *(i)*, ac potiùs suprema illis officia esse exhibenda *(k)*. Simile huic est illud Salomonis *(l)*: *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruinâ ejus ne exultet cor tuum: ne fortè videat Dominus, & displiceat ei.*

℣. 9. Ne despicias narrationem Presbyterorum sapientium, et in proverbiis eorum conversare. Hanc sententiam non uno in loco hi Sapientiæ Libri ferunt *(m)*. Major est senibus experientia, maturitas, consilium, authoritas, quàm adolescentibus, quamquam doctissimis.

℣. 10. Ab ipsis disces servire magnatis sine querela.

Principibus placuisse viris non ultima laus est. Nemo aptiora vivendi præcepta tradere adolescenti potest, quàm Aulicus senex. Diuturna hominum, ac præcipuè Principum experientia hunc eâ prudentiâ instruit, quam frustra in Libris & Scholis quæras. Quicquid acriter meditatus fueris, prorsus inane est: usu opus est, atque experientiâ, ut Principi placeas. Principum aula nova prorsus & incognita regio est iis, qui eam solummodo longè prospiciunt.

℣. 13. Non incendas carbones peccatorum, arguens eos, ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. Medicinam vulneri admovendam esse, dum cruor manat, negant medici: purgandum est vulnus, probè inspiciendum & cognoscendum. Sapientiæ Leges vetant, ne homini resistas, dum animus fervet, neque peccantem arguas, dum furit libido. Missus ad Davidem Nathan, ut illum adulterii arguat *(n)*, statim parabolam proponit, ipsumque Davidem sensim eò adigit, ut se ipsum damnet, dum alium hominem a se damnari putat. At ubi Regis animum paratum sensit, suum illi scelus aperuit, ac Dei nomine illum alloquutus est. Necessarium omninò est, peccantem arguere: at quædam interdum rerum conjunctiones id fieri vetant: nimirum ubi videris, reprehensionem inutilem fore, vel homini, quem reprehenderis, noxiam. Græcus solùm legit *(o)*: *Ne accendas carbones peccatoris, ne incendaris igne flamma ipsius.* Latinus Interpres hujus moniti sensum de solâ impii reprehensione usurpat. S. Hieronymus *(p)* opportunè animadvertit, Ezechiam ejusque ministros conviciis Rabsacis nihil respondisse, ne ille graviùs provocaretur, & majore insaniâ debacchatus, in nova convicia rueret.

℣. 14. Ne contra faciem stes contumeliosi, ne sedeat quasi insidiator ori tuo. Nunquam lis habenda est cum homine in iracundiam prono, violento, litium amatore; is enim nedum aures tibi non porriget, tuisque monitis non proficiet, verùm etiam te observabit, tibique insidias struet. Quamvis cautissimè Christus Pharisæos arguerit, ipsis tamen odiosus effectus est; ipsique omnia illius gesta & verba scrutantes sedulò studebant, *ut caperent Jesum in sermone (q)*; malamque in partem traherent ea quæ ab illo agebantur. Sapientis monita ita usurpari queunt, veluti in Republicâ populari necessaria sint, ubi populus acto cœtu decernit, & fas unicuique est sententiam dicere & tueri. Sapientis est coram non repugnare iis, qui cæteros trahere in suam sententiam volunt, probrisque & contumeliis eos qui repugnent, afficere non verentur. Cautissimè cum iis agendum est, quamquam veritatis & Reipublicæ causâ minimè neglectâ. Satius multò est, obnoxium illorum inimicitiis esse, eorumque contumelias pati, quàm ruinam Reipublicæ, aut innocentiæ oppressionem, nisi ipsorum violentiæ vel authoritati repugnes, si id tui muneris sit. Vide Caput IX, 25: *Terribilis est in civitate suâ homo linguosus.*

℣. 15. Noli fœnerari homini fortiori te; quod si fœneraveris, quasi perditum habe. Non modò pecuniâ periclitaris, verùm etiam amicitiâ; fortasse enim is tibi inimicus fiet. Viri prin-

(i) *Homer.*

Οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν ἐπ᾽ ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.

(k) *Euripid.*

Τοῖς γὰρ τεθνῶσι χρὴ τὸν οὐ τεθνηκότα,
Τιμὰς διδόντα χθόνιον εὐσεβεῖν Θεόν.

(l) *Prov.* XXIV, 17. *Vide & Job*, XXXI, 29. (m) *Prov.* XX, 29; *Eccli.* VI, 35; VII, 15; IX, 24; XXV, 8, *&c.*
(n) 2 *Reg.* XII. (o) Μὴ ἔκκαιε ἄνθρακας ἁμαρτωλοῦ, μὴ ἐμπυρισθῇς ἐν πυρὶ φλογὸς αὐτοῦ.
(p) *Hieronym. in Isai.* XXXVI, *lib.* XI *Comment.* (q) *Matth.* XXII, 15.

℣. 16. Non spondeas super virtutem tuam: quòd si spoponderis, quasi restituens cogita.

℣. 17. Non judices contra judicem: quoniam secundùm quod justum est judicat.

℣. 18. Cum audace non eas in viâ, ne fortè gravet mala sua in te: ipse enim secundùm voluntatem suam vadit; & simul cum stultitiâ illius peries.

℣. 19. Cum iracundo non facias rixam, & cum audace non eas in desertum: quoniam quasi nihil est ante illum sanguis; & ubi non est adjutorium, elidet te.

℣. 20. Cum fatuis consilium non habeas: non enim poterunt diligere, nisi quæ eis placent.

℣. 21. Coram extraneo ne facias consilium: nescis enim, quid pariet.

℣. 22. Non omni homini cor tuum manifestes: ne fortè inferat tibi gratiam falsam, (& convicietur tibi.)

COMMENTARIUS.

principes injuriæ loco habent, siquis debitum ab iis repetat. Quòd si trahere illos in jus velis, inanea reddent conatus tuos, quippe qui creditorem authoritate opprimant. Siquid amittere velis, id illis mutuum dato: vel, dono illis potiùs da quàm mutuo. Hæc sententia ad rem familiarem solummodò pertinet.

℣. 16. NON SPONDEAS SUPER VIRTUTEM TUAM. Quòd si spoponderis, illud cogita tibi esse solvendum. Viribus omnibus adnitere, ut is pro quo spoponderis solvat; is enim si neglexerit, tibi vis inferetur. Te ita habeto, velut ipse debitor sis; & sedulò studeas sponsione te liberare. Hoc ipsum frequenter monet Salomon (r); idque veteres Philosophi (s) ceu maximi negotii monitum in re familiari habuerunt. Minimè vetat hic Sapiens, ne alterius vadem te exhibeas, sed ne plus spondeas, quàm vires ferunt: opes tuas primùm consulito, quasi ære alieno te ipsum tuo nomine obliges; id te cautiorem faciet.

℣. 17. NON JUDICES CONTRA JUDICEM: QUONIAM SECUNDUM QUOD JUSTUM EST JUDICAT. Nonquam non putandum est, Judicem quæ æqua sunt pronunciare. Utrique litigantium parti obesse sua cupiditas potest, ne æquam de pronunciato judicio sententiam ferant. Nemo se justè damnari fatetur: ac semper queritur qui causâ cadit. Vetus quidam ajebat, se inter amicos ferre sententiam nolle; si enim, inquit, alterum damno, & amicum amitto, & inimicum facio: at inter inimicos sententiam ferens, nihil amitto, & amicum acquiro. Græcus fert (t): *Ne litiges contra judicem; nam secundùm opinionem*, vel *desiderium*, sive *dignitatem ipsius judicabunt eum*. Cave ne judicem damnes; solent enim collegæ favere collegis, & velut mutua dare judicia, eorumque sententiam confirmare.

℣. 18. CUM AUDACE NON EAS IN VIA, NE FORTE GRAVET MALA SUA IN TE: ne flagitia sua in te regerat; vel, ne malorum, quæ ille in se provocaverit, partem ferre cogaris. Nullum scelus ab homine temerario insanoque alienum est, nihilque nisi perniciem tibi parere illius societas

potest. Is siquâ lite implicetur, te litis participem esse opus erit: si cadat, tu unâ peris: si repugnat, te minimè favente, is grave tibi negotium creabit. Græcus (u): *Cum audace* & temerario *ne iter facias, ne ingravescat super te*, ne in te cadat: *ipse enim secundùm voluntatem suam faciet, & cum stultitiâ illius interibis*. Malo, quod sua illi stultitia pariet, tu obvolvêris. Gravis certè res est in itinere hujus naturæ socius. Gravis unicuique est: omnia ex arbitrio facere vult, cæterisque ex libidine imperare: quòd si quid illi contingat, cæteros eadem ferre necesse est.

℣. 19. CUM IRACUNDO NON FACIAS RIXAM. Ne unquam jurgere aut rixam feras cum homine iracundo, violento, audaci: nullius enim momenti res hujusmodi hominibus esse videtur hominis mors. Si te sine arbitro inveniat, necabit. Prohibet Salomon (x), nequis hujusmodi hominum amicitiam quærat, ne illorum ingenium imitari discat, aut obnoxius illorum injuriis sit: *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne fortè discas semitas ejus, & sumas scandalum animæ tuæ*.

℣. 20. CUM FATUIS CONSILIUM NON HABEAS: NON ENIM POTERUNT DILIGERE NISI QUÆ EIS PLACENT. Consilia naturæ & ingenio similia futura sunt, nimirum insana & stulta. Græcus legit (y): *Ne consulas insanum; neque enim credita celare poterit*. Gravissimum est in consiliis secretum. *Res magna sustineri ab eo non possunt, cui tacere grave est* (z).

℣. 21. CORAM EXTRANEO NE FACIAS CONSILIUM: NESCIS ENIM QUID PARIET. Alienum minimè nosti, neque expertus es, & ignoras utrùm secreti fidem servaturus sit. Consilium ab homine probatæ fidei capiendum est. Nihil cuiquam credendum est, nisi probatissimo. *Fide, sed cui, vide*. Monet Sapiens (a): *Causam tuam tracta cum amico tuo; & secretum extraneo non reveles: ne fortè insultet tibi, cùm audierit, & exprobrare non cesset*. Ubi secretum aperueris, libertatem amisisti.

℣. 22. NON OMNI HOMINI COR TUUM MANIFESTES: NE FORTE INFERAT TIBI GRATIAM FALSAM,

O o ne

(r) *Prov.* vi, 5; xi, 15; xvii, 18; xx, 16; xxii, 26; xxvii, 13. (s) *Thales, & Chilon apud Laërt. lib.* 1 Ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα. (t) Μὴ δίκαζε κατὰ κριτοῦ, κατὰ γὰρ τὴν δόξαν αὐτοῦ κρινοῦσι αὐτόν. (u) Μετὰ τολμηροῦ μὴ πορεύου ἐν ὁδῷ, ἵνα μὴ βαρύνηται κατὰ σοῦ. Αὐτὸς γὰρ κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιήσει, καὶ τῇ ἀφροσύνῃ αὐτοῦ συναπολῇ. (x) *Prov.* xxii, 24. (y) Μετὰ μωροῦ μὴ συμβουλεύου, οὐ γὰρ δυνήσεται λόγον στέξαι. *Vulg. legit*, στέρξαι, *Amare*. (z) *Quint. Curt. lib.* 4. (a) *Prov.* xxv, 9.

ne amicitiam ſimulet, ET CONVITIETUR TIBI, & male de te deinceps loquatur. Eadem ſententia eſt ac Salomonica mox recitata. Græcus (β): *Omni homini ne aperias cor tuum, ne falſam tibi gratiam referat*. Cave ne ſecretum hujuſmodi homini credas, qui malam ſortaſſe gratiam & injurias relaturus ſit. Hæc verba, *Convitietur tibi*, in Græco deſunt. Quanti ſteterit Samſoni, ſecretum roboris ſui Dalilæ aperuiſſe, nemo ignorat. Pompejus dum officio legationis fungeretur, a Gentio Rege interceptus, cùm ſenatûs conſilia prodere juberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit, eâque patientiâ Regi ſimul & deſperationem tormentis quidquam ex ſe cognoſcendi excuſſit, & expetendæ populi Romani amicitiæ cupiditatem ingeneravit (γ). *Ut vas experiamur*, ait Plutarchus (δ), *non vinum infundimus, ſed aquam: ſi enim depereat, parum refert. Sic frivolum quiddam committendum amicis, quo ſilentii fidem experiamur, ut ſi effutiant, nihil ſit periculi.*

CAPUT IX.

Zelotypia damnatur. Mulieris impudicæ conſuetudinem fuge. Veteres amicos cole. Impiorum gloriam aut felicitatem ne exoptes. Principes viros ne nimium adito. Memento mortis. Princeps orationis ſapientiâ præſtare inter cæteros debet.

℣. 1. NOn zeles mulierem ſinûs tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam.

℣. 2. Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ, ne ingrediatur in virtutem tuam, & confundaris.

℣. 3. Ne reſpicias mulierem multivolam: ne fortè incidas in laqueos illius.

COMMENTARIUS.

℣. 1. NON ZELES MULIEREM SINUS TUI, (a) NE OSTENDAT SUPER TE MALITIAM DOCTRINÆ NEQUAM: ne zelotypus eſto mulieris, quæ tibi juncta thoro eſt, ne malitiam, quam tu ipſam docuiſti, in te exerceat. *Mulier ſinûs* apud Hebræos eſt uxor. Quædam ſunt, in quibus nimia circomſpectio nocet. *Quidam fallere docuerunt, dum timent falli, & illius peccati ſuſpicando occaſionem præbuerunt*, inquit Seneca. Dum vereris, malos interdum facis eos, qui fraudem minimè moliebantur. Injuſtus mariti timor & ſuſpicio cauſa frequenter fuere, ut uxor talis eſſet, qualis eſſe putabatur. Quædam hominum ingenia ſunt, quæ nonniſi confidentiâ & ſecuritate vincuntur. Honeſta mulier contumeliæ loco ducit, ubi perfidiæ capax eſſe cenſeatur; impudica, pejor fiet, ſi illam obſerves ac ſeverè cuſtodias.

Nitimur in vetitum ſemper, petimuſque negata. Maximum conjugalis fidei præſidium, & ars tutiſſima continendi in officio uxores, ea eſt, ut ipſe ſeveriſſimus & religioſiſſimus fidei cuſtos ſis. Si uxor ſeſe ſpretam aut injuriâ affectam putet, in extrema flagitia ruere non veretur. *Exemplo continentiæ docenda eſt uxor, ut ſe caſtè gerat*, inquit Lactantius (b). Si uxorem caſtam eſſe vis, illam ne malo exemplo male doceas (c).

℣. 2. NON DES MULIERI POTESTATEM ANIMÆ TUÆ, ne illa nimiam in te authoritatem uſurpet. Græcus breviori ſententiâ (d): *Ne des mulieri animam tuam, ne ea aſcendat ſuper animam tuam.* Imperioſum eſt mulieris ingenium. Si nimiam in te poteſtatem illi permittas, abutetur (e), & quantociùs eò adigêris, ut permiſſam illi authoritatem auferre nequeas. De civibus ſuis ita querebatur Cato: *Omnes homines uxoribus dominantur: nos omnibus hominibus, nobis uxores.* Samſonis & Salomonis exemplo, qui in mulierum amores impotenter effuſi, denique ſub illarum imperio eſſe coacti ſunt, diſcant aliquando viri, nimium illis non credere, juſtamque in illas authoritatem, & æquum imperium penès ſeſe retinere, quo abſolutâ Conditoris ſanctione ab initio donati ſunt: *Sub viri poteſtate eris* (f).

℣. 3. NE RESPICIAS MULIEREM MULTIVOLAM, NE FORTE INCIDAS IN LAQUEOS ILLIUS. Græcus (g): *Ne occurras mulieri meretrici, ne fortè incidas in laqueos ejus.* Non ſatis eſt, impudicæ mulieris conſuetudinem fugere: vitanda eſt ipſa illius præſentia, cavendumque ab iis locis eſt, ubi illæ eſſe ſolent & ambulare. Meretricem his verbis deſcribit Salomon (h): *Mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos inſidians: apprehenſum oſculatur juvenem, & procaci vultu blanditur.... Irretivit eum multis ſermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens, & ignorans, quod ad vincula ſtultus trahatur, donec tranſfigat ſagitta jecur ejus: velut ſi avis feſtinet ad laqueum, & neſcit, quod de periculo animæ illius agitur.*

℣. 4. CUM

(β) Παντὶ ἀνθρώπῳ μὴ ἔκφαινε τὴν καρδίαν σου, καὶ μὴ ἀναφερέτω σοι χάριν φαύλην.
(γ) *Valer. Max. lib. 3, cap. 3.* (δ) *Plutarch. Moral.*
(a) Μὴ ζήλου γυναῖκα τοῦ κόλπου σου. *Deut.* XIII, 6: *Uxor quæ eſt in ſinu tuo.* XXVIII, 54: *Invidebit uxori quæ cubat in ſinu ſuo. Vide & Mich.* VII, 5. (b) *Lact. lib. 6 de Verâ Religione.* (c) *Tibull.*
Ipſe miſer docui quo poſſet ludere pacto
Cuſtodes: eheu! nunc premor arte meâ.
(d) Μὴ δῷς γυναικὶ τὴν ψυχήν σου, ἐπιβῆναι αὐτὴν ἐπὶ τὴν ψυχήν σου. (e) Cato apud Livium, libro 34, maritos alloquens: *Date frænos impotenti naturæ, & indomito animali; deſperate ipſas modum licentiæ facturas, niſi vos facietis.* (f) *Geneſ.* III, 16. (g) Μὴ ὑπάντα γυναικὶ ἑταιριζομένῃ, μή ποτε ἐμπέσῃς εἰς τὰς παγίδας αὐτῆς. (h) *Prov.* VII, 10.... 22.

℣. 4. Cum saltatrice ne assiduus sis, [nec audias illam,] ne fortè pereas in efficaciâ illius.

℣. 5. Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius.

℣. 6. Ne des fornicariis animam tuam in ullo, ne perdas te, & hæreditatem tuam.

℣. 7. Noli circumspicere in vicis civitatis, nec oberraveris in plateis illius.

℣. 8. Averte faciem tuam a muliere comptâ, & ne circumspicias speciem alienam.

℣. 9. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.

℣. 10. [Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in viâ conculcabitur.

℣. 11. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit.]

℣. 12. Cum alienâ muliere ne sedeas omnino, (nec accumbas cum eâ super cubitum.)

COMMENTARIUS.

℣. 4. CUM SALTATRICE NE ASSIDUUS SIS. Græcus (i): *Cùm cantatrice* vel psalteriâ *ne assiduus sis, ne fortè capiaris artificiis ejus*, vel *conatibus ejus*, sive *malo illius ingenio*. Castis mentibus laquei sunt choreæ, carmina, lyræ, spectacula. Qui veterum moribus studuere, quique choreas Orientalium spectarunt, testantur multo magis impudicas esse, quàm quæ apud nos in usu sunt. Funestas Herodiadis choreas quod præmium sequutum sit (k), nemo ignorat. Nullam cum hujusmodi fœminis consuetudinem habeto.

℣. 5. VIRGINEM NE CONSPICIAS, NE SCANDALIZERIS IN DECORE ILLIUS. Fœdus cum oculis tuis inito, ut Job (l), ne quam virginem aspiciant; *qui enim viderit mulierem ad concupiscendum eam*, inquit Christus (m), *jam mœchatus est eam in corde suo*. Non satis est castum esse corpore; servanda est animo castitas, oculis, linguâ, auribus. Oculi plerumque fores sunt, per quas impudicus amor in animam ingreditur. *Uritque videndo fœmina* (n). Græcus (o): *Virginem ne contempleris, ne lapsûs causam invenias in pretioso ejus cultu*. Non dicit, Ne videas; frequenter enim etiam nolentes videmus, sed, Ne contemplare, ne curiosè inspicias, quam optare non potes (p). Sunt qui reddant: *Ne scandalum invenias in supplicio illius* (q): ne eodem supplicio, quo illa, obvolvaris, vel pœnâ, quam illa in te trahet. Alii (r): *Ne capiaris in concupiscentiis ejus*. Grotius (s): *Ne te cerussa ipsius capiat*.

℣. 7. NOLI CIRCUMSPICERE IN VICIS CIVITATIS. Hæc oculorum curiositas, animusque dissipatus levis ingenii indicium est, mentisque vagæ & inordinatæ. Ipsa oris species satis demonstrat, quid homo intus in animo sit. *Oculi tui recta videant*, inquit Salomon (t), *& palpebræ tuæ præcedant gressus tuos*. Alibi (u): *Homo apostata, vir inutilis*, insanus, *graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede*, & (x): *Oculi stultorum in finibus terræ*. Monemur hoc loco, ut ea, quæ periculum pariunt, ne inspiciamus, laqueosque undique paratos caveamus. Græcus fert: *Noli circumspicere in vicis Civitatis, nec in desertis ejus erres*. Multitudinem, & secreta loca, ubi meretrices sunt, fuge.

℣. 8. AVERTE FACIEM TUAM A MULIERE COMPTA, ET NE CIRCUMSPICIAS SPECIEM ALIENAM. Græcus (y): *Averte oculum a muliere formosâ, & ne contempleris pulcritudinem alienam*, uxorem nempè alienam, præter tuam. Superfluos mulierum ornatus tum Veterum Philosophi, tum Ecclesiæ Patres maximopere damnaverunt; censueruntque, nimiam ornamentorum ambitionem non modò levitatis indicium esse, verùm etiam dubiæ pudicitiæ argumentum. *Nullarum ferè pretiosior cultus est, quàm quarum pudor vilis est*, inquit Sanctus Cyprianus (z).

℣. 9. PROPTER SPECIAM MULIERIS MULTI PERIERUNT: ET EX HOC CONCUPISCENTIA QUASI IGNIS EXARDESCIT. Impudicus amor, ignis instar, corporeæ venustatis præsentiâ flammas concipit; longeque diuturniores in alterâ vitâ ignes impiis parat (a). Job (b): *Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans genimina*.

℣. 10. OMNIS MULIER, QUÆ EST FORNICARIA, QUASI STERCUS IN VIA CONCULCABITUR. Hic versus, & qui sequitur, in Græco non leguntur.

℣. 12. CUM ALIENA MULIERE NE SEDEAS OMNI-

(i) Μετὰ ψαλλούσης μὴ ἐνδελέχιζε, μήποτε ἁλῷς ἐν τοῖς ἐπιχειρήμασι; vel, ἐπιτηδεύμασιν αὐτῆς. *Vulgat. legit*, μετὰ ἀλλούσης, *Cum saltatrice*. (k) *Matth.* xiv, 6, *& sequ.* (l) *Job*, xxxii, 1. (m) *Matth.* v, 28. (n) *Virgil. Æneid.* 3. (o) Παρθένον μὴ καταμάνθανε. Μήποτε σκανδαλισθῇς ἐν τοῖς ἐπιτιμίοις αὐτῆς. (p) *Isidor. Pelus. apud Hæschel.* Οὐκ εἶπεν, μὴ ἴδῃς, συμβαίνει γὰρ ἀπὸ ταὐτομάτου γίνεσθαι τοῦτο, ἀλλὰ, Μὴ καταμάνθανε. Τὴν ἐκ μελέτης κατανόησιν, τὴν περίεργον ὄψιν, τὴν μετ' ἐπιθυμίας θεωρίαν ἀναιρῶν. (q) Ἐπιτίμιον, *pœna peccati*; *Sup.* viii, 6. (r) *Vide Drus. hic. In uno Exemplari Camerarii legitur*: Ἐν ἐπιθυμίοις αὐτῆς. (s) Ἐν τοῖς ψιμυθίοις αὐτῆς. (t) *Prov.* iv, 25. (u) *Prov.* vi, 13. (x) *Prov.* xvii, 24. (y) Ἀπόστρεψον ὀφθαλμὸν ἀπὸ γυναικὸς εὐμόρφου, καὶ μὴ καταμάνθανε κάλλος ἀλλότριον. (z) *Cyprian. lib. de Habitu virgin.* (a) *Clem. Alexand.* Εἰς πῦρ ἄγουσα ἀκατάπαυστον διὰ τὴν ἁμαρτίαν, ἡ ἐκ πυρὸς ὁρμωμένη φιλία, ἣν ἔρωτα κεκλήκασι. (b) *Job*, xxxi, 12.

℣. 13. Et non alterceris cum illâ in vino, ne fortè declinet cor tuum in illam, & ſanguine tuo labaris in perditionem.

℣. 14. Ne derelinquas amicum antiquum: novus enim non erit ſimilis illi.

℣. 15. Vinum novum, amicus novus: veteraſcet, & cum ſuavitate bibes illud.

℣. 16. Non zeles gloriam, & opes peccatoris: non enim ſcis, quæ futura ſit illius ſubverſio.

℣. 17. Non placeat tibi injuria injuſtorum, ſciens quoniam uſque ad inferos non placebit impius.

℣. 18. Longè abeſto ab homine poteſtatem habente occidendi, & non ſuſpicaberis timorem mortis.

COMMENTARIUS.

OMNINO, NEC ACCOMBAS CUM EA SUPER CUBITUM. Altera hujus verſiculi pars in multis Græcis Codicibus deeſt (e). Spectat Sapiens modum accumbendi in menſâ, convivis ſuper lectos diſcumbentibus, cubito innixis. Vetat igitur, ne ad menſam cum alienâ muliere ſedeas. Plerumque vir primum in menſâ locum tenebat, tum uxor, at eo ordine, ut uxoris caput propè mariti ſinum eſſet. A conviviis, ubi alieni convivæ eſſent, plerumque mulieres aberant; ac turpiſſimum Sapienti gravique homini erat, ad menſam ſedere prope alterius uxorem.

℣. 13. ET NON ALTERCERIS CUM EA IN VINO, NE FORTE DECLINET COR TUUM IN ILLAM. Jurgia & lites, cum iracundiâ junctæ, profectò opportunæ non ſunt, ut amorem alterius, cum quo jurgaris, inſpirent. At in comeſſationibus conviviiſque pugnari bibendo poteſt; & ſi cum muliere certes, facilè ſuperaberis, primùm vino, tum amore. Græcus aliter ſonat (d): *Et ne convivium agites cum eâ in vino, ne quando inclinet cor tuum ad eam, atque ſpiritu tuo labaris in perditionem.* Vel ex aliis Codicibus: Ne inclinet animus tuus ad eam, & ſanguine tuo prolaberis in perditionem. Ita S. Clemens Alexandrinus (e) & Vulgata legebant: Ne vitâ crimen luas, ſi in adulterium feraris, quod apud Hebræos morte puniebatur (f). Græcum verbum, quod nos reddidimus, convivium agitare, propriè ſignificat amica illa convivia, ad quæ unuſquiſque partem ſuam, carnes ſcilicet aut piſces, conferebat, quam Græci *ſymbolam* nominant; vel partem ſumptûs unuſquiſque ſubibat. Vide infra, XVIII, 33.

℣. 14. NE DERELINQUAS AMICUM ANTIQUUM: NOVUS ENIM NON ERIT SIMILIS ILLI. Alterum dicendi argumentum. Hanc ſententiam Cicero his verbis exponit (g): *Exiſtit autem hoc loco quædam quæſtio ſubdifficilis, numquando amici novi digni amicitiâ veteribus ſint anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponere ſolemus. Indigna homine dubitatio. Non enim amicitiarum debent eſſe, ſicut aliarum rerum, ſatietates: veterrima quæque (ut ea vina, quæ vetuſtatem ferunt) debent eſſe ſuaviſſima. Verumque illud eſt, quod vulgò dici ſolet, multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, ut munus amicitiæ expletum ſit. Amicus diu quæritur*, inquit S. Hieronymus (h), *vix invenitur, difficilè ſervatur.*

℣. 15. VINUM NOVUM, AMICUS NOVUS: VETERASCET, ET CUM SUAVITATE BIBES ILLUD. Vetus amicus ſimile vino veteri & eximio eſt; novus, muſto recenti. Non monet Sapiens, ſervandum eſſe veterem amicum, novumque negligendum; ſed illud præcipit, ut veterem amicum ita ſedulò ſerves, uti bonum, quo jam certò potiris; novumque ſerves & colas, non ob primas illius illecebras, ac novitatis voluptatem, ſed quòd ſimilis veteri futurus ſit, ubi ſenuerit. Ita dum novum amicum laudat, veterem commendat. In convivio, inquit Chriſtus (i), *nemo bibens vetus, ſtatim vult novum; dicit enim: Vetus melius eſt.* Recens vinum ſtatim melleo ſapore eſt, deinde auſterius, & amarius; denique cùm maturum eſt, tùm denique eſt perfectum & bibendo opportunum (k). Idem de amicitiâ dicito.

℣. 16. NON ZELES GLORIAM ET OPES PECCATORIS: metue potiùs exitium & mala, quæ ipſum manent. Hoc idem frequenter in Pſalmis (l) & Proverbiis (m) præcipitur. Cave ne illos imiteris, aut ipſorum felicitati invideas. Si ſapis, & fide non cares, miſeros potius, quàm invidiâ dignos exiſtimabis.

℣. 17. NON PLACEAT TIBI INJURIA INJUSTORUM. De rei aut facinoris æquitate aut nequitiâ ne ex bono malove exitu ſententiam feras. Si opprimat innocentem impius, maliſque artibus ſeſe cæteris formidabilem efficiat, cave ne illum aut laudes, aut probes. Odit impietatem Deus, & *uſque ad Infernos non placebit impius* Deo. Impietatis & iniquitatis ſuæ pœnam in ſepulcrum inferet; ipſumque Deus poſt mortem ſeveriſſimè puniet. Græcus (n): *Ne probes ea, quæ improbi probant: memento, quòd uſque ad inferos juſti non habebuntur.* Te inſanis, impium probantibus atque laudantibus, ne addas: ſua merces illis aliquando reddetur, eorumque gloria cum illis in ſepulcrum non inferetur. Vel: Si te laudent aut probent impii, tibi ne blandiaris; potiùs time, ne hic impiorum favor ſceleris tui alicujus argumentum ſit: time, ne aliquando damnetur id, quod nunc probari videtur. Quantumvis nequiſſimi ſint homines, aliquando tamen æquam de ſcelere & virtute ſententiam ferunt. Eſto, falſis ſimulatiſque laudibus id quod malum eſt, commendetur: at denique ad primum juſtitiæ & veritatis amorem homines revertuntur. Aliter: Honori & gratiæ, quâ fruuntur impii, ne invideas: *uſque ad inferos non juſtificabuntur.* Miſerrimi hominum ſunt, nullo honore digni; nunquam non impii erunt, nunquam reſipiſcent, ad ſupremum uſque ſpiritum nequiſſimi.

℣. 18. LONGE ABESTO AB HOMINE POTESTATEM HABEN-

(e) *Legitur in Complut. & Ald.* Καὶ μὴ κατακλιθῇς ἐπ' ἀγκῶνα μετ' αὐτῆς. *In aliis non legitur.*
(d) Καὶ μὴ συμβολοκοπήσῃς μετ' αὐτῆς ἐν οἴνῳ, μήποτε ἐκκλίνῃ ἡ ψυχή σου ἐπ' αὐτήν, καὶ τῷ πνεύματί σου, (*aliàs* τῷ αἵματί σου) ὀλισθῇς εἰς ἀπώλειαν. (e) *Pædag. lib.* 2, *cap.* 7.
(f) *Levit.* XX, 10. (g) *Tull. de Amicitiâ.* (h) *Hieronym. in cap.* VII *Mich.* (i) *Luc.* V, 39.
(k) *Vide Plutarch. Sympoſiac. lib.* 3. (l) *Pſal.* XXXVI, 1, 7, 8. (m) *Prov.* III, 31; XXIII, 17; XXIV, 1, 19.
(n) Μὴ εὐδοκήσῃς ἐν εὐδοκίαις ἀσεβῶν. Μνήσθητι ὅτι ἕως ᾅδου οὐ μὴ δικαιωθῶσι.

℣. 19. Et si accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne forte auferat vitam tuam.

℣. 20. [Communionem mortis scito :] quoniam in medio laqueorum ingredieris, & super dolentium arma ambulabis.

℣. 21. Secundùm virtutem tuam cave te a proximo tuo, & cum sapientibus & prudentibus tracta.

℣. 22. Viri justi sint tibi convivæ, & in timore Dei sit tibi gloriatio.

℣. 23. Et in sensu sit tibi cogitatus Dei, & omnis enarratio tua in præceptis Altissimi.

℣. 24. In manu artificum opera laudabuntur, & Princeps populi in sapientiâ sermonis sui : in sensu verò seniorum verbum.

℣. 25. Terribilis est in civitate suâ homo linguosus : & temerarius in verbo suo odibilis erit.

COMMENTARIUS.

HABENTE OCCIDENDI : ET NON SUSPICABERIS TIMOREM MORTIS. Monet, ne Principum aulas frequens adeas, ubi non rara sunt infortunia, discrimen maximum, invidia maximè omnium perniciosa : quamobrem quid sperandum apud Principes est, quod cum tranquillæ privatæque vitæ suavitate comparetur? Vetus quidam docebat, ita ad Principem accedendum esse, ceu ad ignem, nimirum dum calefias, non uraris.

℣. 20. COMMUNIONEM MORTIS SCITO : QUONIAM IN MEDIO LAQUEORUM INGREDIERIS. Prima hujus sententiæ pars in Græco non legitur, ferente solummodo (o) : *Scito quoniam in medio laqueorum transis, ac super pinnacula urbis inambulas*, labendi ac pereundi pericolo semper obnoxius. Aulicorum vitam, qui apud Principes potestate abutentes versantur, iis comparat, qui iter habent in viâ laqueis obsitâ, vel iis, qui super mœnium pinnas ambulant.

℣. 21. SECUNDUM VIRTUTEM TUAM CAVE TE A PROXIMO TUO. Illud hoc loco non monet Sapiens, ut ita de omnibus metuas, ut inquieti quidam solent inter eos, qui unà vivunt ; qui neminem sibi amicum putant, cæterosque ceu feras belluas habent ; sed ut periculum illius facias, quem amicum esse vis ; eorumque levitatem damnat, qui primum quemlibet obvium amplectuntur, nihilque discriminis inter amicum & ignotum faciunt. Græcus fert (p) : *Quam poteris diligentissimè explora proximum* ; experire, periculum facito, uti solet is, qui scopum jaculo ferire vult, qui sagittam non jaculatur, nisi scopo optimè inspecto. Ita antequam secretum alicui prodas, cui credas cave.

℣. 22. VIRI JUSTI SINT TIBI CONVIVÆ. Huic versiculo altera sedes est penès Græcum, scilicet post ℣. 23.

℣. 23. ET IN SENSU SIT TIBI COGITATUS DEI, ET OMNIS ENARRATIO TUA IN PRÆCEPTIS ALTISSIMI. Apud Græcum legitur loco ℣. 22 (q), sede aptiùs conveniente ; *Cum prudentibus sit collocutio tua, omnisque commemoratio tua in Lege Altissimi.* Amicos & a consiliis habeto viros prudentissimos ; atque omne animi tui studium Divinâ Lege occupetur.

℣. 24. IN MANU ARTIFICUM OPERA LAUDABUNTUR, ET PRINCEPS POPULI IN SAPIENTIA SERMONIS SUI ; IN SENSU VERO, SENIORUM VERBUM. Unaquæque hominum conditio, ætas, ars suas habet laudes ac proprietates, quibus distinguitur, & unusquisque præstare studet. Scalpro Sculptor, Pictor pennicillo naturam optimè imitari conantur. Principis laus est, sermonum sapientia, prudentia in responsis, in Legibus & sanctionibus æquitas. Philosophus orationis sensu commendatur. Probrosissima Principi est oratio temerè pronunciata. Cùm omnia, quæ ex ore Principis cadunt, sedulò colligantur, oracula sint necesse est. *Divinatio in labiis Regis*, inquit Salomon (r).

℣. 25. TERRIBILIS IN CIVITATE HOMO LINGUOSUS. Maledicus, obtrectator totius urbis terror atque odium est. Id omnium ætatum experientiâ confirmatur : nemo enim hujusmodi homines non fugit, ceu rabidas canes. Aliud odiosorum hominum genus sunt Satyrarum Scriptores, nemini parcentes, dum aliorum causâ rideant.

Fœnum habet in cornu : longè fuge. Dummodò risum
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico (s).

Nunquam non perniciosi sunt satyrarum amatores, ii qui causam ridendi ubique aucupantur. Ii nimirum quibus placent, & risum excutiunt, ipsos verentur & oderunt.

Qui captat risus hominum famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit : hic niger est : hunc tu, Romane, caveto (t).

CA-

(o) Ἐπίγνωθι ὅτι ἐν μέσῳ παγίδων διαβαίνεις, καὶ ἐπὶ ἐπάλξεων πόλεως περιπατεῖς. *Latin. legit :* Καὶ ἐπὶ ἀλγούντων πολέμια περιπατεῖς, *Super dolentium arma ambulabis*. Medius veluti inter militum manum eris, qui cùm animum gerant dolore & irâ percitum, minùs parati sunt cuilibet obvio parcere. (p) Κατὰ τὴν ἰσχύν σου στόχασαι τοὺς πλησίον. (q) Μετὰ συνετῶν ἔστω ὁ διαλογισμός σου, καὶ πᾶσα διήγησίς σου ἐν νόμῳ ὑψίστου. (r) *Prov. XVI, 10.* (s) *Horat. Satyr. 4, lib. 1.* (t) *Horat. ibidem.*

CAPUT X.

Optimi Principis laus. Talis populus, qualis Rex: Superbiæ, iniquitatis, avaritiæ damna.

℣. 1. JUdex sapiens judicabit populum suum: & principatus sensati stabilis erit.

℣. 2. Secundùm judicem populi, sic & ministri ejus: & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in eâ.

℣. 3. Rex insipiens perdet populum suum: & civitates inhabitabuntur per sensum potentium.

℣. 4. In manu Dei potestas terræ: & utilem rectorem suscitabit in tempus super illam.

℣. 5. In manu Dei prosperitas hominis: & super faciem scribæ imponet honorem suum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. JUDEX SAPIENS JUDICABIT POPULUM SUUM: ET PRINCIPATUS SENSATI STABILIS ERIT. Iratus interdum in gentem aliquam Deus permittit, ut malus Princeps malusque Judex illam moderetur ac regat: neuter tamen felicem rerum exitum habebit, si justitiâ & sapientiâ careant. Tribunal scilicet ac Regis solium quamprimùm ruent, nisi his fundamentis innitantur. *Judex* tum hoc tum aliis Scripturæ locis Principem significat; ac diuturnum & felix fore Principis imperium dicere vult Sapiens, cùm ait: *Judex sapiens judicabit populum suum*. Græcus (a): *Rector sapiens erudit populum suum: & magistratus prudentis extensus erit*. Principis vel Judicis sapientis vita, optima est populi institutio. Sapientis imperium prorogat Deus, diuturnumque & amplissimum facit. *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur* (b).

℣. 2. SECUNDUM JUDICEM POPULI, SIC ET MINISTRI EJUS. Hîc etiam *Judex* pro Rege usurpatur.

Regis ad exemplum totus componitur orbis (c).
Vita Principis censura est, eaque perpetua, inquit Plinius. *Obsequium in Principem, æmulandi amor, validior quàm pœna ex legibus & metus*, subdit Tacitus (d). *Hæc est conditio Principum*, ait Quintilianus (e), *ut quicquid faciant, præcipere videantur. Ut enim*, colligit Cicero (f), *cupiditatibus Principum & vitiis infici solet tota Civitas, sic emendari & corrigi continentiâ. Nec enim tantum mali est peccare Principes, quamquam est hoc magnum per seipsum malum; quantum illud, quòd permulti imitatores Principum existunt*.

℣. 3. REX INSIPIENS PERDET POPULUM SUUM; at sapiens firmabit civitatem, populoque & opibus florentem cernet. *In multitudine populi dignitas Regis*, ait Salomon (g); *& in paucitate plebis ignominia Principis*. Suave, modestum, sapiens justumque imperium nemo non cupit, durumque & iniquum non fugit. *Væ tibi, terra, cujus Rex puer est, & cujus Principes mane comedunt* (h). Firmissimum cujuslibet Imperii fundamentum est Principis ac Ministrorum æquitas & optima administratio. Armorum terror inutilis est, nisi adsit sapientia. *Rex justus erigit terram; vir avarus destruit eam* (i). Æquus Princeps præsidium Regno est; iniquus, exitium.

℣. 4. IN MANU DEI POTESTAS TERRÆ. Unus ipse Reges largitur, quales aut misericordia suadet aut ira. Saülem Israëli dedit ex irâ (k): *Dabo tibi Regem in furore meo*; ex misericordiâ Davidem, hominem sibi charum (l): *Quæsivit Deus sibi virum secundùm cor suum. Per me*, inquit Deus (m), *Reges regnant, & legum conditores justa decernunt*. Ipse est, *qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi* (n); qui *suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus, & solium gloriæ teneat* (o). Denique, *Sapientia & fortitudo* in potestate *ejus sunt: & ipse mutat tempora & ætates: transfert regna atque constituit* (p).

℣. 5. ET SUPER FACIEM SCRIBÆ IMPONAT HONOREM SUUM. Jubar, quo Moysis facies micabat (q), spectare his verbis videtur. Suus est unicuique Regi ac Magistratui splendor, pro dignitatis amplitudine, ex ipsâ dignitate ortus, quo venerabiles plebi efficiuntur. Ea verò majestas pars illius est, quæ ipse Deus micat, a quo electi sunt, ut suæ in homines potestatis depositum sanctissimè custodiant. Idcirco Regem veneramur ac timemus, quòd Numinis ipsius imago inter homines sit, justitiæ ac vindictæ gladium gerens (r). *Scriba*, qua sub appellatione hoc loco homo sapiens intelligitur, propriè est librarius, & peculiaris inter Hebræos dignitatis nomen. Vide quæ diximus in Dissertatione de Aulæ Præfectis apud Reges Juda, & in Commentario ad Judices, v, 54.

Sunt qui hunc locum ita explicent: Sapientiam, qua Scribæ & Judices egent, ut suo munere optimè fungantur, illis largitur Deus. Vel, junctâ utrâque parte sententiæ (s): *Successus hominis est in manu Domini; & vultui Scribæ imponet gloriam suam*. Apud Scripturam, cùm dicitur Deus hominis alicujus faciem lumine suo, vel oris sui lumine illustrare, significat, illum beneficiis & gloriâ cumulavisse (t): *Signatum est super nos lumen vultûs tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo*. Et (u): *Faciem tuam illumina super servum tuum*. Et (x): *Illuminet vultum suum super*

(a) Κριτὴς σοφὸς παιδεύει τὸν λαὸν αὐτοῦ, ϗ ἡγεμονία συνετοῦ τεταγμένη ἔσται. *Latin. legit* Ἐστηριγμένη.
(b) *Prov.* XXIX, 14. (c) *Claudianus*. (d) *Tacit. Annal. lib.* 3. (e) *Quintilian. Declam.* 8.
(f) *Cicero, lib.* 3 *de Legib.* (g) *Prov.* XIV, 27. (h) *Eccle.* X, 16. (i) *Prov.* XXIX, 4.
(k) *Osee*, XIII, 10. (l) 1 *Reg.* XIII, 14. (m) *Prov.* VIII, 15. (n) *Job*, XXXIV, 30.
(o) 1 *Reg.* II, 8. (p) *Daniel.* II, 21. (q) *Exod.* XXXIV, 33. (r) *Rom.* XIII, 1, 2, 3, 4.
(s) Ἐν χειρὶ Κυρίου εὐοδία ἀνδρὸς, ϗ προσώπῳ γραμματέως ἐπιθήσει δόξαν αὐτοῦ. (t) *Psal.* IV, 7.
(u) *Psal.* CXVIII, 135. (x) *Psal.* LXVI, 2.

℣. 6. Omnis injuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ.

℣. 7. Odibilis coram Deo est, & hominibus superbia: & execrabilis omnis iniquitas gentium.

℣. 8. Regnum a gente in gentem transferetur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos.

COMMENTARIUS.

super nos, & misereatur nostri. Et Psalmo xxvi, 1: *Sit splendor Domini Dei nostri super nos*. Cùm hoc loco scribit Ecclesiasticus, Deum oris sui fulgore faciem Scribæ illustrare, hoc vult, uno ex Deo expectandam esse a Sapiente prudentiam, intelligendi vim, favorem, honorem.

℣. 6. OMNIS INJURIÆ PROXIMI NE MEMINERIS. Ignosce, nec vindictam quære. Habes hìc injuriarum remissionem æquè luculenter atque in Evangelio imperatam. Græcus (y): *Ne simultatem exerce cum proximo ob quamvis injuriam; & nihil agito factis insolentibus*, contumeliosis. Inimicos aut factis aut dictis ne injuriâ afficito. Idem fermè imperaverat in Lege Moyses (z): *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Injuriarum remedium est oblivio*, inquit S. Augustinus (a); qui & animadvertit, Cæsarem a Cicerone laudari, *quòd nihil oblivisci soleret, nisi injurias* (b). *Dicebat hoc tam magnus laudator, aut tam magnus adulator. Sed si laudator, talem Cæsarem noverat; si autem adulator, talem esse debere ostendebat Principem Civitatis, qualem illum fallaciter prædicabat*. Profectò *nihil gloriosius Principe impunè læso*, ajebat Seneca (c).

℣. 7. ODIBILIS CORAM DEO EST ET HOMINIBUS SUPERBIA: AT EXECRABILIS OMNIS INIQUITAS GENTIUM. Odit superbiam Deus, quòd sibi aliquid tribuit, Divinisque sanctionibus repugnat: illam odere homines, quòd societatem hominum turbat, dum inter cæteros imperare, omnesque imperio suo subditos esse vult. Deus, inquit S. Ambrosius (d), *tamquam suæ contumeliæ propulsator, quoddam velut suscipit adversùs superbiam speciale bellum*. Superbus in re carissimâ injuriam Deo facit, dum scilicet absolutum imperium, quo ipse in creatas res omnes potitur, turbat, & constitutum inter homines ab ipsius sapientiâ ordinem evertere conatur.

Græcus non levem difficultatem habet (e): *Odiosa coram Domino & hominibus superbia, & ex utrisque iniqua committuntur*. Vel, ut alii Codices ferunt: *Et ex utroque existit peccatum injustitia*. Quo referatur ea vox *utroque*, non satis videmus. Sunt qui putent, hoc velle Scriptorem, superbiam tum Deo tum hominibus horrori esse; & utrisque, Deo scilicet & hominibus, contrariam esse iniquitatem & injustitiam. Ajunt alii, τὸ *utroque* referri ad violentiam, seu vindictam, de qua ℣. 6, & ad superbiam, ℣. 7; utraque enim injustitia est & iniquitas, Deo maximè odiosa.

At utraque hæc explicatio minùs apta mihi videtur. Quamobrem ita explicare malo. ℣. 6: Ne simultatem exerceas cum proximo tuo, & nihil agito, quod illi injuriam inferat. ℣. 7: Odiosa est Deo & hominibus superbia: at iniquitas & injustitia multo magis odiosæ sunt utrâque (f), scilicet violentiâ & superbiâ. Vetat ultionem Deus: at multo magis injustitiam & iniquitatem. Injuriam repellit vindicta: superbia inter æquales dominari vult; id verò Creatoris voluntati contrarium est, & hominibus odiosum: at multo iniquius est, injuriam fratri datâ operâ inferre, illumque injustâ vi opprimere. Grotius ita legendum putat (g): *Superbia Deo & hominibus odiosa, & in utrosque* (Deum & homines) *peccat injustitia*.

℣. 8. REGNUM A GENTE IN GENTEM TRANSFERETUR PROPTER INJUSTITIAS, &c. A primo temporum exordio, quorum meminit Historia, quàm multa imperia ceciderunt, quàm multaque ex illorum ruinis orta sunt? Assyriorum Imperio Medi & Babylonii successere; his Persæ; Persis Græci; Græcis Romani; atque ex Romani Imperii ruinis hæc Regna orta sunt, quæ Europam in partes secant.

Præter infinitam Dei potestatem, qui Regum Regnorumque arbiter est, & Imperia ob Principum vel populorum scelera evertit, alia est naturalis hujusmodi excidiorum causa; principum scilicet virorum privatorumque flagitia, ambitio, vis, injustitia. Ubi enim concordia, amicitia, & mutuus Principis ac subditorum amor cessant, ac Reipublicæ membra mutuâ seditione divisa, privatis solummodo commodis student, neglectis publicis & communibus, statim ruit Respublica, finitimusque hostis civium discordiâ in ipsorum perniciem utitur. Plebs vi oppressa legitimæ authoritatis jugum excutit; finitimi injuriis irritati ulcisci conantur; ambitiosi & superbi seditionem fovent, novasque res molientibus favent. Verissimum igitur est illud (h):

. . . . . Ubi non est pudor,
Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides,
Instabile regnum est.

Nolite, ajebat Cato (i), *existimare, majores nostros armis Rempublicam ex parvâ magnam fecisse. Si ita esset, multo pulcherrimam eam nos haberemus: quippe sociorum atque civium, præterea armorum & equorum major copia nobis quàm illis est. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecerunt, quæ nobis nulla sunt: Domi industria, foris justum imperium, animus in consulendo liber, neque libidini neque delicto obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publicè egestatem, privatim opulentiam: laudamus divitias, sequimur inertiam: inter bonos & malos discrimen nullum; omnia virtutis præmia ambitio possidet*. Hæc vitia videbat Cato in Romanâ Republicâ, ex quibus proximum illius excidium fore colligebat. Atque hæc profectò fuere, quæ illam in ea mala, quæ statim secuta sunt, impulerunt. Quò graviora sunt in Republicâ hæc flagitia, eò propiùs excidium imminet. Græcus hoc loco fert (k): *Regnum a gente in*

(y) Ἐν παντὶ ἀδικήματι μὴ μηνιάσῃς τῷ πλησίον, καὶ μὴ πράσσε μηδὲν ἐν ἔργοις ὕβρεως. (z) *Levit*. xix, 18. (a) *August. Ep. ad Maced. olim* 54, *nunc* 153. (b) *Idem Ep. ad Marcell*. 138 *nov. Edit. n*. 9. *Ex Orat. Cicer. pro Ligario*. (c) *Seneca de Clementiâ, lib*. 1, *cap*. 20. (d) *Ambros. in Psal*. cxviii. (e) Μισητὴ ἔναντι Κυρίου καὶ ἀνθρώπων ὑπερηφανία, καὶ ἐξ ἀμφοτέρων πλημμελήσει ἄδικα. Aliter: Καὶ ἐξ ἀμφοτέρων πλημμελεῖ ἀδικίας. *Ita Edit. Complut*. (f) Ἐξ ἀμφοτέρων; Quasi in Hebræo fuerit, משניהם, *præ utrâque*. (g) Καὶ εἰς ἀμφοτέρους πλημμελεῖ ἀδικία. (h) *Senec. Thyeste*. (i) *Cato apud D. August. lib*. 5 *de Civit. c*. 13. (k) Βασιλεία ἀπὸ ἔθνους εἰς ἔθνος μετάγεται διὰ ἀδικίας, καὶ ὕβρεις, καὶ χρήματα δόλια.

℣. 9. Avaro autem nihil est sceleſtius. Quid ſuperbit terra, & cinis?
℣. 10. (Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam:) hic enim & animam ſuam venalem habet: quoniam in vitâ ſuâ projecit intima ſua.
℣. 11. (Omnis potentatûs brevis vita. Languor prolixior gravat medicum.)
℣. 12. Brevem languorem præcîdit medicus: ſic & rex hodie eſt, & cras morietur.
℣. 13. Cùm enim morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.
℣. 14. Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare a Deo:

COMMENTARIUS.

te in gentem transfertur propter injurias & contumelias, opesque fraude paratas.

℣. 9. AVARO AUTEM NIHIL EST SCELESTIUS. QUID SUPERBIT TERRA ET CINIS (l)? Nulla eſt duplicis hujus membri connexio. In Græco major eſt (m): *Quid ſuperbit terra & cinis? Avaro ſiquidem nihil eſt iniquius.* Hominem, qui merus cinis & pulvis eſt, mirum in modum inſanire neceſſe eſt, dum opes quærere, atque in ſuperbiam efferri juſtitiæ & veritatis detrimento cupit. Ubi quis opes quacumque ratione ſibi parere ſtatuit, in quodlibet ſceleris, iniquitatis, injuriæ, fraudis, mendacii genus ruere non veretur (n).

℣. 10. HIC ENIM ET ANIMAM SUAM VENALEM HABET: QUONIAM IN VITA SUA PROJECIT INTIMA SUA. Ea ſententiæ pars, quæ in Vulgatâ legitur, *Nihil eſt iniquius quàm amare pecuniam*, addita eſt, ut reſtituatur ſenſus, qui loco motis his verbis, *Quid ſuperbis terra & cinis*, turbatus eſt. Docet Sapiens, avarum animam venalem habere, vitamque, libertatem, quietem diſcrimini objicere, ut opes comparet (o). *In vitâ ſuâ projicit intima ſua*, ſcilicet, ſuis ſe viſceribus privat; viſcera quodammodo lacerat, dum ſibi ſævus & immitis eſt: ea quæ vitæ neceſſaria ſunt, ſibi aufert; omnem erga ſuos humanitatem pietatemque abjicit; omnia patitur & agit lucri causâ; unus denique illi Deus eſt, ſummumque bonum pecunia. *Avaritia, quæ eſt ſimulacrorum ſervitus* (p). Se ipſe avaritiæ vendidit ac mancipio dedit (q).

Imperat aut ſervit collecta pecunia cuique.

Alia eſt in Græco ſententia (r): *Hic enim etiam animam ſuam venalem facit; quoniam in vitâ projeci inteſtina ejus.* Alii: *Quoniam in vitâ projecerunt inteſtina eorum.* Vulgata: *Quoniam in vitâ ſuâ projecit intima ſua.* Poſtrema hæc ſententia omnium optima eſt. Grotius: *Quoniam etiam in vitâ interiora ejus projiciuntur.* Cùm pecuniam ab avaro petis, perinde eſt ac ſi viſcera illi evellas.

℣. 11. OMNIS POTENTATUS BREVIS VITA. LANGUOR PROLIXIOR GRAVAT MEDICUM. BREVEM LANGUOREM PRÆCIDIT MEDICUS: SIC ET REX HODIE EST, ET CRAS MORIATUR. Nihil eſt in his ſententiis obſcurum. Brevis adeò eſt hominis vita, tantisque viciſſitudinibus obnoxia, ut imperium quodlibet, cujus fundamentum hæc vita eſt, nonniſi breviſſimum atque anguſtiſſimum eſſe queat. Breviorem ſententiam fert Græcus (s): *Longum morbum præcidit medicus: & Rex* qui *hodie* eſt, *cras morietur.* Ut medicus, quem diuturni morbi, quo æger affligitur, tædet, acerrima medicamenta quærit, quibus ſanetur morbus; ferroque & igne utitur, ut inveteratum ulcus curet: ita Deus ſuperbi principis arrogantiâ provocatus, vitæ filum cædit, ipſumque & Regno & vitâ ſpoliat. Romana Editio ſeptuaginta Interpretum legit (t): *Longus morbus medico ludibrio eſt*. illum parvi facit, nulloque negotio, quamvis tenaciſſimum, pellit. Ita Deus imperia evertit, quæ æterna fore videbantur; regesque opulentiſſimos penitus delet (u).

℣. 13. CUM ENIM MORIETUR HOMO, HÆREDITABIT SERPENTES, ET BESTIAS, ET VERMES. Cadavera hominum vel humi relicta luporum, vulturum & anguium cibus ſunt; aut ſub terrâ condita vermes paſcunt. Veteres credidere (x), anguem ex medullâ hominis ſpinæ gigni; eaque fortaſſe hujus opinionis cauſa fuit, quòd angues frequenter in ſepulcris inveniantur. At nihil ineptius eſt eâ ſententiâ, quæ anguem ex productâ hominis ſpinâ oriri docet. Si quando per hyemem angues in ſepulcris reperiuntur, illud in causâ eſt, quod mollior humus faciliùs penetretur, ipſique angues locum cubili aptum in ſepulcris nanciſcantur. Porrò angues toto corpore ſub terrâ rupibusque per hyemem condi, ſatis conſtat. Iſaias Regem Babylonis alloquens, ait (y): *Detracta eſt ad Infernos*, ad ſepulcrum, *ſuperbia tua, concidit cadaver tuum: ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.*

℣. 14. INITIUM SUPERBIÆ HOMINIS, APOSTATARE

(l) *Complut. Lyr. & alii. Quid ſuperbis, terra & cinis?* (m) Τί ὑπερηφανεύεται γῆ, καὶ σποδός; φιλαργύρου μὲν γὰρ οὐδὲν ἀνομώτερον. (n) *Euripid.*

Ὅςις γὰρ ἐπὶ τὸ πλεῖον ἔχειν πέφυκ' ἀνὴρ,
Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον, οὐδὲ βούλεται.

(o) *Horat. Epiſt.* 1, *lib.* 1.

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

(p) *Coloſſ.* III, 5. (q) *Horat.* (r) Οὗτος γὰρ καὶ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν ἔκπρατον ποιεῖ, ὅτι ἐν ζωῇ ἔῤῥιψα τὰ ἐνδόσθια αὐτοῦ. *Complut.* Ὅτι ἐν ζωῇ αὐτοῦ ἔῤῥιψαν τὰ ἐνδόσθια αὐτοῦ. *Vulg. legit:* Ἔῤῥιψε τὰ ἐνδόσθια αὐτοῦ. (s) Μακρὸν ἀῤῥώστημα κόπτει ἰατρός. Καὶ βασιλεὺς σήμερον, καὶ αὔριον τελευτήσει. (t) Μακρὸν ἀῤῥώστημα σκώπτει ἰατρός. (u) *Senec. Thyeſte.*

Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

(x) *Plin. lib.* X, *c.* 66: *Anguem ex medullâ hominis ſpinæ gigni, accepimus a multis. Origen. lib.* 4 *contra Celſum.* Ἐξ ἀνθρώπου νεκροῦ μεταπλασσόμενος ὄφις, ὥς φασι πολλοί, γίγνεται ἀπὸ τοῦ νωτιαίου μυελοῦ. (y) *Iſai.* XIV, 11.

℣. 15. Quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus, quoniam initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis, & subvertet eum in finem.

℣. 16. Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum, & destruxit eos usque in finem.

℣. 17. Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.

℣. 18. Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantavit humiles ex ipsis gentibus.

℣. 19. Terras gentium evertit Dominus, & perdidit eas usque ad fundamentum.

℣. 20. Arefecit ex ipsis, & disperdidit eos, & cessare fecit memoriam eorum a terrâ.

℣. 21. (Memoriam superborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu.)

℣. 22. Non est creata hominibus superbia, neque iracundia nationi mulierum.

COMMENTARIUS.

TARE A DEO. Primus discedendi a Deo gradus est soperbia. Eadem flagitiorum omnium principium & origo est. Qui superbos in fratres est, desciscere a Deo incepit. Græcus ita reddi potest (z): *Fastigium superbiæ est deficere a Deo*, & ab eo, *qui fecit illum, animum avertere*. Quæ sequuntur, ℣. 15, *Initium omnis peccati est superbia*, eodem sensu usurpari queunt; scelerum omnium pessimum superbia est. Sunt qoi (a) hanc sententiam de solo Luciferi lapsu explicent; sunt qui de Adamo. Utriusque initium superbia fuit, & imperii amor. Alii superbiam hoc loco genericè interpretantur, pro Dei contemptu, qui comes unicuique peccato est. *Nullum peccatum fieri potest, potuit, aut poterit sine superbiâ: siquidem nihil aliud est omne peccatum, nisi contemptus Dei*, inquit S. Prosper (b). Cujuslibet peccati causa est inordinatus sui ipsius amor: is verò surculus superbiæ est. Singolis hisce sententiis sui suffragatores sunt, nihilque nisi verissimum & maximè catbolicum continent.

℣. 16. PROPTERAA EXHONORAVIT DOMINUS CONVENTUS MALORUM. Superbiæ illorum & arrogantiæ causâ illos Deus durissimis suppliciis affecit; eosque ceu publica suæ severitatis exempla proposuit. Ita Gigantes ante diluvium puniit, Sodomæ & Gomorrhæ cives, Babelicæ turris conditores, Pharaonem in Ægypto, Chananæos armis Josue cæsos, Babylone Nabuchodonosorem, quem bestiis similem reddidit; hujusque nepotem Balthasarum, ipsâ eâdem nocte, qua is sacra Domini vasa violabat. Græcus ad verbum (c): *Miranda immisit Dominus mala*.

℣. 17. SEDES DUCUM SUPERBORUM DESTRUXIT, Salmanasari, Sennacheribi, Nabuchodonosoris, Balthasari, Regum Amorrhæorum, Chananæorum, Philisthinorum, cæterorumque superborum Principum, quorum & nomen & gesta vetustis novisque Historiarum Scriptoribus recitantur. *Deposuit potentes de sede*, cecinit in Cantico Deipara (d), *& exaltavit humiles*. Hominem obscurum inopemque e pulvere erigit, ipsumque in superbo gloriæ solio collocat, inquit Anna Samuelis mater (e). *Nihil rarius tyranno sene*, ajebat vetus quidam (f). Malorum Principum mors plerumque miserrima & cruenta est (g):

Ad Cereris generum sine cæde & sanguine pauci
Descendunt Reges & siccâ morte tyranni.

℣. 18. RADICES GENTIUM SUPERBARUM ARESECIT DEUS, ET PLANTAVIT HUMILES EX IPSIS GENTIBUS. Chananæos innuere videtur, a Deo deletos, ex quibus ii solummodo servati sunt, qui Divino imperio obtemperantes, populo servierunt. In Græco paulò aliter sonat, quàm in Vulgatâ (h): *Radices gentium superbarum evulsit Dominus, & plantavit pro illis in gloriâ humiles*. Commodior multo hæc sententia est, quàm prior. Optimè omnia de Hebræis explicantur, in promissæ regionis possessionem immissis, postquam Deus Chananæos exterminavit. Israëlis comparatio cum arbore seu vineâ, ex Ægypto in Chanaanitidem translatâ, apud Scripturam passim occurrit (i).

℣. 19. TERRAS GENTIUM EVERTIT, Sodomam scilicet ac Gomorrham. Propheticas etiam minas de Ninives, Babylonis, Tyri, ipsiusque Jerosolymæ excidio, criminum causâ futuro, legimus.

℣. 22. NON EST CREATA HOMINIBUS SUPERBIA: NEQUE IRACUNDIA NATIONI MULIERUM. Naturam ne accusemus, aut de Conditore queramur. Si mali sumus aut superbi, id vitium naturæ non est, sed ipsi facimus; quo convalescere nisi gratiâ opem ferente non possumus. Hominis superbia, & mulieris ira fructus peccati sunt, quarum author minimè est Deus. Dæmonis nequitiâ, hominisque negligentiâ & peccato hæc mala mundum invasere (k). Græcus (l): *Non est creata homi-*

(z) Αʹρχὴ ὑπερηφανίας ἀνθρώπου ἀφισαμένου ἀπὸ Κυρίου, καὶ ἀπὸ τοῦ ποιήσαντος αὐτὸν ἀπέστη ἡ καρδία αὐτοῦ.
(a) *Vide August. lib. 12 de Civit. c. 6; Fulg. lib. 1 ad Monim. c. 7; Author. Epist. ad Demetriad. &c.*
(b) *Prosper, de Vitâ Contemplat. lib. 3, c. 3, & 4. Vide Cornel. a Lapid. hic.* (c) Παρεδόξασε Κύριος τὰς ἐπαγωγὰς, *&c. Vulg. legit*; Συναγωγὰς, *Conventus*. (d) *Luc. 1, 52.* (e) *1 Reg. II, 8.* (f) *Thales apud Laërt. l. 1:* Εʹρωτηθεὶς τί δύσκολον εἴη τεθεαμένος, γέροντα, ἔφη, τύραννον. (g) *Juvenal. Satyr. 10.*
(h) Ρʹίζας ἐθνῶν ὑπερηφάνων ἐξέτιλε Κύριος, καὶ ἐφύτευσεν ἀντ' αὐτῶν ἐν δόξῃ ταπεινούς. (i) *Psal.* XLIII, 3; LXXIX, 9, 10; *Isai.* V, 1; *Jerem.* II, 21; *Ezech.* XVII, 8. (k) *Vide Sap. II, 24: Invidiâ Diaboli mors intravit in orbem terrarum. Et 1, 13: Mortem Deus non fecit, nec lætatur in perditione vivorum. Vide Gloss. Jans. Drusf. Hugon. hic.* (l) Οὐκ ἔκτισται ἀνθρώποις ὑπερηφανία, οὐδὲ ὀργὴ θυμοῦ γεννήμασι γυναικῶν.

℣. 23. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini.

℣. 24. In medio fratrum rector illorum in honore: & qui timent Dominum, erunt in oculis illius.

℣. 25. Gloria divitum, honoratorum, & pauperum, timor Dei est.

℣. 26. Noli despicere hominem justum pauperem, & noli magnificare virum peccatorem (divitem.)

℣. 27. Magnus est judex, & potens est in honore: & non est major illo, qui timet Deum.

℣. 28. Servo sensato liberi servient: & vir prudens, (& disciplinatus) non murmurabit correptus, [& inscius non honorabitur.]

℣. 29. Noli extollere te in faciendo opere tuo: & noli cunctari in tempore angustiæ.

℣. 30. Melior est, qui operatur, & abundat in omnibus, quàm qui gloriatur, & eget pane.

COMMENTARIUS.

minibus superbia, neque ira furoris generationibus mulierum. Leonum, pavonum equorumque est superbia; ira, tigridum, pardorum, canum, &c. Homo perfectus conditus a Deo est. Si superbus, ferox, sævus sit, id est a naturâ ipsius alienum. Ita inter cætera animalia excellit homo, ut hominis vitia bestiarum ingenium sint: quod homini vitium, id bestiæ virtus est. *Tanta excellentia est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris (m).* Cæteris animalibus arma dedit natura; hominem nudum atque inermem procreavit.

℣. 23. Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum. Addita esse videntur in Græco glossemata, quæ nihilo luculentiorem Vulgatæ sententiam faciunt (n): *Semen tutum qui timent Dominum, & honoratum plantarium qui amant eum. Semen infame ii qui non attendunt Legi, & semen erroris, qui transgrediuntur mandata. Semen honoratum quodnam est? Semen hominis, ii qui timent Dominum. Semen infame quodnam est? Semen hominis, ii qui transgrediuntur mandata.* Vera hominum gloria est Divinarum Legum obsequium. Hoc opponit Sapiens superbiæ & arrogantiæ impiorum.

℣. 24. In medio fratrum rector illorum in honore. Ut in familiâ fratrum maximus & sapientissimus a cæteris ceu superior & dominus colitur: ita Deus, hominum dominus & pater, majoribus amicitiæ & amoris argumentis illum inter filios prosequitur, a quo ipse maximè omnium colitur, & constantissimâ fide amatur. Hunc Deus veluti maximum natu & carissimum inter filios habet.

℣. 25. Gloria divitum, honoratorum, et pauperum, timor Dei est. Una hæc esse debet omnium conditionum gloria & decus. Græcus legit (o): *Ante adeptionem Regni præcedit timor Domini: ante ejectionem verò a Principatu, durities & superbia. Gloria divitis, honorati, & pauperis, timor Domini est.* Eos qui sese timent, præmio efficit Deus; pœnâ verò superbos suarumque Legum violatores. Quicumque es, Deum time, si veram dignitatem ac felicitatem consequi, ac tueri cupis.

℣. 28. Servo sensato liberi servient. Homo aut liber aut servus non genere aut conditione est, sed animo. Cui magna mens est, animus ingenuus, nobilis natura, quamvis humillimâ conditione natus, is liber est, & dignus imperio. Qualibet is in conditione, cæterorum obsequium ac venerationem consequetur: illum colet herus, illique authoritatem in cæteros familiares dabit. Josephus apud Putipharem & Pharaonem; Daniel apud Nabuchodonosorem, quamvis servi, liberis & principibus imperabant. Diogenes cùm venum iret, quid nosset interrogatus, dixit: *Hominibus liberis imperare (p).* Salomon (q): *Servus sapiens dominabitur filiis stultis, & inter fratres hæreditatem dividet.* Filiorum institutionem illi credet herus, absolutâque in illos authoritate ipsum instruet.

Vir prudens non murmurabit correptus; *qui enim*, ajebat Salomon (r), *abjicit disciplinam, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.*

℣. 29. Noli extollere te in faciendo opere tuo; et noli cunctari in tempore angustiæ. Artis tuæ peritiâ ne gloriere; neque inter similes tui professores arrogans esto. Si te calamitas & inopia oppresserint, te ne pudeat laborare, tuarumque manuum opere vitam tolerare. Græcus (s): *Ne inanem gloriam feceris in opere tuo, neque studeas falsæ gloriæ in tempore angustiæ.* Duo hìc vitia damnat Sapiens; alterum, artis suæ peritiâ gloriari, quæ turpis arrogantia est; alterum, probro sibi ducere laborem, cùm res angustæ sunt, quod ridiculum superbiæ argumentum est. Aliter: *Ne cunctare nectar, quo minùs agas opus tuum; neque te pudeat tibi labores quærere tempore difficili.* Hæc interpretatio optime omnium esse videtur. Addit Sapiens, ℣. 30: *Melior est qui operatur, & abundat in omnibus, quàm qui gloriatur & eget pane.* Simile huic est illud

(m) *August. lib. 2 de peccato originali. c. 4.*

(n) Σπέρμα ἀσφαλείας οἱ φοβούμενοι Κύριον, καὶ ἔντιμον φύτευμα οἱ ἀγαπῶντες αὐτόν. Σπέρμα ἀτιμίας οἱ μὴ προσέχοντες τῷ νόμῳ, καὶ σπέρμα πλανήσεως, οἱ παραβαίνοντες ἐντολάς. σπέρμα ἔντιμον ποῖον; σπέρμα ἀνθρώπου, οἱ φοβούμενοι Κύριον. Σπέρμα ἄτιμον ποῖον; σπέρμα ἀνθρώπου, οἱ παραβαίνοντες ἐντολάς. (o) Πρὸ λήψεως ἀρχῆς φόβος Κυρίου. Ἐκβολὴ δὲ ἀρχῆς, σκληρυσμὸς, καὶ ὑπερηφανία. Πλούσιος, καὶ ἔνδοξος, καὶ πτωχὸς, τὸ καύχημα αὐτῶν φόβος Κυρίου. (p) *Apud Laert. lib. 6.* (q) *Prov. xvii, 2.* (r) *Prov. xv, 32. Vide & Prov. xxix, 1, 15.* (s) Μὴ σοφίζου ποιῆσαι τὸ ἔργον σου, καὶ μὴ δοξάζου ἐν καιρῷ στενοχωρίας σου.

℣. 31. Fili, in mansuetudine serva animam tuam, & da illi honorem secundùm meritum suum.

℣. 32. Peccantem in animam suam quis justificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam suam?

℣. 33. Pauper gloriatur per disciplinam, & timorem suum: & est homo qui honorificatur propter substantiam suam.

℣. 34. Qui autem gloriatur in paupertate, quantò magis in substantiâ? (& qui gloriatur in substantiâ, paupertatem vereatur.)

COMMENTARIUS.

illud Salomonis (t): *Melior est pauper & sufficiens sibi, quàm gloriosus & indigens pane.* Insanam Stoicorum superbiam ridere videtur Scriptor, qui Sapientem suum quantumvis inopem ac miserum, proximâ Dijs conditione esse gloriabantur (u):

Ad summum sapiens uno minor est Jove: dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

℣. 31. Fili, in mansuetudine serva animam tuam, et da illi honorem secundum meritum suum. Jungenda sunt hæc verba cum superioribus. Si in rebus angustis es, ne animo cadas: patiens esto & mansuetus; neque patere, ut animi tui virtus deficiat: turpe nihil aut indignum age; æqualis semper tibi esto. Animo tranquillo, humili & mansueto labora. Similis est hæc sententia alteri ex Evangelio (x): *In patientiâ vestrâ possidebitis animas vestras.*

Græcus (y): *Fili, in mansuetudine honora animam tuam, & honorem ei tribuas pro dignitate ipsius.* *Honorare* alibi usurpatum vidimus pro alere, & *anima* frequenter pro ipso homine ponitur. Quamobrem hæc sententia cum superiore versiculo juncta, ita explicari potest: Fili, teipsum, utì decet, atque ut indiges, ale; neque tibi deneges ea quæ vitæ tuæ necessaria sunt, utì res tuæ, opes & conditio postulant. Superiori versiculo eos arguit, qui insanæ arrogantiæ causâ laborem probro sibi ducunt, dum fame tabescunt; hic eos damnat, qui turpi avaritiâ res vitæ necessarias sibi ipsis denegant, neque uti opibus suis audent. Aliter, de iis qui aliquâ dignitate fulgent: Fili, ne in superbiam efferare, atque in dignitate constitutos, intra justos modestiæ finea te contine. At simul cave, ne quid agas tuâ dignitate indignum, quæque tibi debentur, sedulo tueare. Ponè sequens versiculus, qui pars hujus est, duplici huic interpretationi æquè favere videtur. At prior meliùs congruit cum iis quæ superiùs dicta sunt, & cum ℣. 33.

℣. 32. Peccantem in animam suam, quis justificabit? Et quis honorificabit exhonorantem animam suam? Si turpem avaritiam sectaria, eaque tibi aufers, quibus maximè indiges, quis te idcirco laudabit, aut quis ea tibi porriget? Qui sibi crudelis est, opem ab altero minimè expectet (z).

Miraris, cùm tu argento post omnia ponas,
Si nemo præstet, quem non merearis, amorem.

Aliter: Qui rebus suis nocet, neque dignitatem suam tuetur, qui turpi indignoque vivendi genere sese cæteris despectum facit, ille ne sperat fore, ut colatur a cæteris, atque in honore habeatur? Prima explicatio magis placet ob ea, quæ sequuntur.

℣. 33. Pauper gloriatur per disciplinam et timorem suum; et est homo qui honorificatur propter substantiam suam. Græcus (*): *Pauper honoratur propter scientiam suam, & dives ob divitias suas in honore est.* Non ex unis opibus ac dignitatibus hominum gloria & decus oriuntur, verùm etiam ex sapientiâ, scientiâ, virtute: si enim, addit ℣. 34, pauper sapiens ac virtute præditus, adeò gloriosus est, quanto gloriosior foret, si opes & dignitas accederent? Quamobrem multo superior est eo qui solas opes habet; pauperis enim gloria ex ipso nascitur; at illud quod diviti obsequium parit, ab eo est alienum.

Jungi possunt in hanc sententiam versiculi 30, 31, 32, 33, 34: *Melior est qui operatur & abundat rerum copiâ, quàm qui superbè se gerit, & laborat panis penuriâ.* (31) *Fili, per mansuetudinem honora animam tuam*, vera illi bona, sapientiam, scientiam, virtutem concilia, *honoremque da animæ tuæ pro dignitate ipsius*, innocentiam & justitiam illius servans; maxima enim animæ injuria est peccatum. (32) *Quis enim justum dicet eum qui peccat in animam suam*, dum illam colere negligit? *Aut quis honoret eum, qui dedecorat vitam suam* crimine? (33) *Pauper propter scientiam gloriam adipiscitur; & dives ob divitias suas in honore est.* (34) *Si verò pauper honoratus est, quanto honoratior esset si dives fores*, opibusque scientiam, sapientiam, virtutem adderet? Græcus non habet ea quæ sequuntur: *Et qui gloriatur in substantiâ, paupertatem vereatur.* Confer *Eccle.* vis, 12.

(t) *Prov.* xii, 9. (u) *Horat. lib.* 1, *Epist.* 1. (x) *Luc.* xxi, 19. (y) Τέκνον, ἐν πραΰτητι δόξασον τὴν ψυχήν σου, καὶ δὸς αὐτῇ τιμὴν κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτῆς. (z) *Horat. lib.* 2, *Satyr.* 2.
(*) Πτωχὸς δοξάζεται δι᾽ ἐπιστήμην αὐτοῦ, καὶ πλούσιος δοξάζεται διὰ τὸν πλοῦτον αὐτοῦ.

CAPUT XI.

De hominum virtute ex oris specie, fortunis aut dignitate ne judicium feras. Neminem damnaveris inauditum. Solicitudinem inanesque curas vitæ, Dei unius est, hominem divitem facere. Deo fidem serva. Neminem ante obitum laudato. Ne unicuique statim credas.

℣. 1. SApientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum consedere illum faciet.
℣. 2. Non laudes virum in specie suâ, neque spernas hominem in visu suo.
℣. 3. Brevis in volatilibus est apis, & initium dulcoris habet fructus illius.
℣. 4. In vestitu ne glorieris unquam, nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera Altissimi solius, (& gloriosa,) & absconsa, (& invisa) opera illius.
℣. 5. Multi tyranni sederunt in throno, & insuspicabilis portavit diadema.
℣. 6 Multi potentes oppressi sunt validè, & gloriosi traditi sunt in manus alterorum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. SAPIENTIA HUMILIATI EXALTABIT CAPUT ILLIUS, ET IN MEDIO MAGNATORUM CONSEDERE ILLUM FACIET. Hic versiculus optimè cum superioribus jungitur. Sunt qui generis causâ, & nominis famâ dignitates consequantur; & sunt qui virtute & gestis. Horum profectò major gloria est, quàm illorum; inter innumeras enim difficultates iter sibi faciant necesse est, quas generis nobilitas cæteris aufert. Alteri nobiles oriuntur, alteri fiunt.

℣. 2. NE LAUDES VIRUM IN SPECIE SUA, elegantiæ causâ, sæpe enim elegans homo, fatuus & insanus est; & deformis, sapientissimus. *Valentissimus quisque corpore longissimè abest a sapientiâ*, inquit Cicero. Hominis venustas tota ex animo accipienda est, teste S. Ambrosio (a); animo enim solo Dei imaginem & similitudinem refert. Nil fragilius quàm corporis venustas, nihilque magis dubium, cùm ferenda est de hominis virtute sententia (b).

Forma bonum fragile est; quantumque accedit ad annos,
Fit minor, & spatio carpitur illa suo.

℣. 3. BREVIS IN VOLATILIBUS EST APIS, ET INITIUM (fastigium) DULCORIS HABET FRUCTUS ILLIUS. Ut apis, quamvis omnium minima, liquorem omnium suavissimum parit; ita homo, cui forma non elegans est, frequenter virtute & ingenio formosum & elegantem superat. Majori olim in pretio mel habebatur, quàm apud nos, quibus commune est saccarum. Veteres (c):

Esse apibus partem divinæ mentis & haustus
Æthereos dixere.

℣. 4. IN VESTITU NE GLORIERIS UNQUAM... QUONIAM MIRABILIA OPERA ALTISSIMI SOLIUS, ET ABSCONSA OPERA ILLIUS. Ne vestium pompa aut splendor, seu dignitatis tuæ fulgor animum tibi corrumpant, tuique ipsius oblivionem inducant: formidanda enim sunt Dei judicia & consilia. Homines interdum extollit Deus, ut gravius ruant (d).

. . . . . Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat Deus.

Herodes Agrippa, cùm Regiis vestibus, quibus ornabatur, superbiret, vocibusque populi, clamantis, *Dei voces & non hominis*, statim morbo ignoto ac lethali affectus est. Nabuchodonosor, felici victoriarum exitu, & Babylonis magnificentiâ inflatus, apud semetipsum dicebat (f): *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriâ decoris mei? Cùmque sermo adhuc esset in ore regis, vox de Cælo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonosor Rex: Regnum transibit a te, & ab hominibus ejicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud.*

℣. 5. MULTI TYRANNI SEDERUNT IN THRONO; ET INSUSPICABILIS (is, quem nemo putaret) PORTAVIT DIADEMA. *Tyrannus* non semper odiosum nomen est, & hoc loco synonimum est cum *eo qui diadema fert*. Non rara sunt apud Historicos exempla hominum, qui ex humillimâ conditione ad regiam pervenere. Saül agricola, David pastor. Abdolonimus hortorum custos, ad Sidonis regnum, minimè cogitans, evectus est (g). Servium Tullium ex ancillâ natum, Romani regem creavere (h). Romanos Imperatores legimus, olim fabros, suum pastores, captivos. Græcus fert (i): *Multi tyranni sederunt super pavimentum, & is de quo nulla talis erat expectatio, tulit diadema.* Non rari leguntur Reges e solio dejecti, privatam vitam egisse, veluti Dionysius Junior, qui pueros Corinthi docere coactus est.

℣. 6. MULTI POTENTES OPPRESSI SUNT VALIDE;

(a) *Ambros. de Instit. virginum*, *cap.* 3. (b) *Ovid. lib.* 2 *de Arte*. (c) *Virgil.* 4 *Georgic.* (d) *Horat.* (e) *Act.* XII, 23. (f) *Dan.* IV, 27. (g) *Quint. Curt. lib.* 4. (h) *Plin. lib.* 35, *cap.* 58.
(i) Πολλοὶ τύραννοι ἐκάθισαν ἐπ' ἐδάφους, ὁ δὲ ἀνυπονόητος ἐφόρεσε διάδημα. Vetus Interpres Latinus verterat fortasse, *Sederunt in solo*, unde ortum est, *solio*; & denique, *throno*.

℣. 7. Priusquam interroges, ne vituperes quemquam: & cùm interrogaveris, corripe justè.

℣. 8. Priusquam audias, ne respondeas verbum: & in medio sermonum ne adjicias loqui.

℣. 9. De eâ re, quæ te non molestat, ne certeris: & in judicio peccantium ne consistas.

℣. 10. Fili, ne in multis sint actus tui: & si dives fueris, non eris immunis a delicto. Si enim secutus fueris, non apprehendes: & non effugies, si præcucurreris.

℣. 11. Est homo laborans, & festinans, & dolens (impius,) & tantò magis non abundabit.

COMMENTARIUS.

DE: ET GLORIOSI TRADITI SUNT IN MANUS ALTERORUM. Hic versiculus e superiore pendet. Paria infortunia apud omnes Historicos passim occurrunt; Principes scilicet solio dejecti, pulsi, superati, bello capti, victorum ludibrium. Samson in Philisthæorum potestate, Sedecias inter Babyloniorum manus, Bajazetbus Tamerlani captivus; Perseus & Jugurtha a Romanis capti, atque in triumphum ducti inter captivos.

℣. 7. PRIUSQUAM INTERROGES, NE VITUPERES QUEMQUAM; AT CUM INTERROGAVERIS, CORRIPE JUSTE. Ne sententiam feras, nisi maturo judicio, cognitâque causâ; at præsertim ne quemquam arguas, nisi re probè perspectâ. David Miphibosethum præcipiti judicio damnavit (k). Constantinus toto vitæ suæ curriculo acerrimo animi dolore cruciatus est, quòd Crispum filium damnasset, facilea nimium aures accusantibus præbens. Theodosius Magnus sententiam in cives Thessalonicæ tulit, diuturnis deinde lacrymis defletam. Hujusmodi judicia plerumque sequitur pœnitentia; & quamvis judicando non erraveris, illud tamen peccasti, quòd præceps judicium pronunciaveris, teque errandi periculo objeceris (l):

Qui statuit aliquid, parte inauditâ alterâ,
Æquum licèt statuerit, haud æquus fuit.

℣. 8. PRIUSQUAM AUDIAS, NE RESPONDEAS VERBUM: ET IN MEDIO SERMONUM NE ADJICIAS LOQUI. Levitatis & arrogantiæ indicium est, loquentem intercipere; facilè enim respondebis quæ non opus est, & imprudens habeberis. *Qui prius respondet quàm audiat, stultum se esse demonstrat & confusione dignum*, ait Sapiens (m). Et (n): *Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis speranda est, quàm illius correctio.*

℣. 9. DE EA RE, QUÆ TE NON MOLESTAT, NE CERTERIS (o). De eâ re, quæ ad te minimè pertinet, ne disputato (p). Qui temerè lites serit, molestiam sibi & cæteris nullâ necessitate creat. Res odiosior est lis, quàm ut inconsultò leviterque illam sectere.

℣. 10. NE IN MULTIS SINT ACTUS TUI: ET SI DIVES FUERIS, NON ERIS IMMUNIS A DELICTO. Ne ingentem facinorum numerum amplectere; ægrè enim his artibus locuples fies, sceleris expers. *Qui festinat ditari, non erit innocens* (q). Græcus legit (r): *Ne circa multa sint actiones tuæ: nam si fueris refertus* multis negotiis, *non eris innocens.* Alibi scribit (s): *Sapientia Scribæ in tempore vacuitatis; & qui minoratur actu, sapientiam percipiet*: scilicet, sapienti accedere scientiam in quiete; & qui negotii minus habet, sapientiam sibi comparaturum. Necesse est, modum studiis, negotiis atque inceptis ponere, si felicem exitum cupis. Brevis est hominis vita, animus angustior, viresque minores, quàm ut plura geramus. Animum uni rei advertere non potes, quin ab alterâ avertas; utque nihil facias, plura aggredi opus est. Sancti Thomæ Aquinatis effatum erat, unius Libri lectione contentum esse debere, qui doctus fieri cupit.

SI ENIM SECUTUS FUERIS, NON APPREHENDES: ET NON EFFUGIES, SI PRÆCUCURRERIS. Qui plura amplectitur quàm potest, nihil tenet: qui plurima aggreditur, omnia male gerit. Ingentia facinora innumeris vitiis obnoxia sunt. Ubi grave aliquod facinus aggressus fueris, relinquere pro arbitrio non potes; sæpe enim homini necessaria fiunt, qui illis assuevit; sæpe etiam illius opera cæteris necessaria est, qui eo carere non possunt. Si optimè officio fungi vult, opprimitur: si sese negotiis subducere nititur, illum cæteri persequuntur, & invitum cogunt. Felix qui sibi modum imponere novit, & paucis contentus, quietum vitæ institutum, ab invidiâ gravibusque negotiis remotum, elegit.

Sunt qui hunc locum aliter explicent (t): Si opes nimiâ cupiditate presequeris, nunquam voti compos fies. Felicem quietamque vitam quæris: hanc tibi hujus vitæ bona non dabunt. Vel: Si nimio studio divitias quæris, fugient; si negligis, ipsæ te ultro quærent. Si laboribus tuis favere, teque bonis cumulare voluerit Deus, tuâ solicitudine opus non erit; ipsæ enim divitiæ tibi obviam ultro venient. Hæ tamen explicationes minùs aptæ videntur, quàm eæ, quas primo loco produximus.

℣. 11. EST HOMO LABORANS ET FESTINANS, ET DOLENS IMPIUS; ET TANTO MAGIS NON ABUNDABIT. Vox *impius* in Græco deest. Frustra laborat homo, nisi faveat labori Deus (u). Hujus vitæ bona pro arbitrio distribuit Omnipotens; nihilque illorum habebis, nisi ex peculiari ipsius ope & beneficio. Assiduâ id experientiâ docemur. Est qui diu noctuque laborans, nullas sibi opes comparat; & est, qui suavissimam & quietam vitam agens, bonis omnibus cumulatur. *Benedictio Domini divites facit*, inquit Salomon (x), *nec sociabitur eis afflictio.* ℣. 12. EST

(k) 2 *Reg.* XVI, 4. (l) *Senec. in Medeâ.* (m) *Prov.* XVIII, 13. (n) *Prov.* XXIX, 20. (o) Ne certeris; *id est*, ne certes, *ne disputes. Vide infra*, XXXVIII, 29; & *Sap.* XV, 9, *ubi* certari, *legitur, pro* certare. (p) Περὶ πράγματος οὗ οὐκ ἔστι σοι χρεία, μὴ ἔριζε. (q) *Prov.* XXVIII, 20. (r) Μὴ περὶ πολλὰ ἔστωσαν αἱ πράξεις σου. Ἐὰν γὰρ πληθύνῃς, οὐκ ἀθῳωθήσῃ. (s) *Eccli.* XXXVIII, 25. (t) *Vide Lyran. Palat. Cornel.*
(u) *Euripid.* Οὔ τινά φημι θεῶν ἄτερ ὄλβιον,
Οὐ βαρύποτμον ἄνδρα γίγνεσθαι,
Οὐδὲ τὸν αὐτὸν ἀεὶ βεβάναι δόμον
Εὐτυχίᾳ, &c.
(x) *Prov.* X, 22.

℣. 12. Est homo marcidus, egens recuperatione, plus deficiens virtute, & abundans paupertate:

℣. 13. Et oculus Dei respexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipsius, & exaltavit caput ejus: & mirati sunt in illo multi, & honoraverunt Deum.

℣. 14. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas a Deo sunt.

℣. 15. Sapientia, & disciplina, & scientia legis apud Deum. Dilectio, & viæ bonorum apud ipsum.

℣. 16. Error, & tenebræ peccatoribus concreata sunt: qui autem exultant in malis, consenescunt in malo.

℣. 17. Datio Dei permanet justis, & profectus illius successus habebit in æternum.

COMMENTARIUS.

℣. 12. EST HOMO MARCIDUS, EGENS RECUPERATIONE, aliorum ope.... 13. ET OCULUS DEI RESPEXIT ILLUM IN BONO, eumque fortunis & honoribus cumulavit, &c. Hoc ex iis oritur, quæ mox dixit, hominem scilicet frustra laborare, ut opes comparet, nisi Dei favor adsit; Deoque favente, omnia rectè sperari. Homo nibili, ignavus, iners, ineptus, locuples fit, si curam illius gerat Deus. Hoc dicere voluit Psalmista, cùm caneret (y): *Nisi Dominus ædificaverit Domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam. Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquàm sederitis, qui manducatis panem doloris. Cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini, filii; merces, fructus ventris.*

℣. 14. BONA ET MALA, VITA ET MORS, PAUPERTAS ET HONESTAS (z) A DEO SUNT. Deum ubique agentem Religio & ratio ipsa demonstrant. *Ad omnia tibi occurrit Deus*, inquit Tertullianus (a): *idem percutiens, & sanans, mortificans, & humilians, sed & sublimans; condens mala, sed & pacem faciens.* Si scelus inter homines est, si mors regnat, si homines inopiâ oppressi conspiciuntur, hæc ex primo Conditoris consilio minimè oriuntur. Suis ipse flagitiis homo vim Deo intulit, ut sese & morte & cæteris hujus vitæ malis puniret: at his etiam malis uti potest ad sanctitatis adminiculum impius, atque ad scelerum expiationem, si velit; ac demum æternam beatitudinem iis adipisci. Tam ingens est Conditoris clementia, ut, tametsi læsus, punire nesciat, nisi ut hominem servet, eumque sanctiorem & beatiorem efficiat.

℣. 15. SAPIENTIA, ET DISCIPLINA, ET SCIENTIA LEGIS APUD DEUM. DILECTIO, ET VIÆ BONORUM (b), scilicet charitas & bene faciendi consuetudo, APUD IPSUM. Postquàm docuit, vitæ hujus bona a Deo dari, jam ostendit, bona animi & mentis ab ipso eodem tribui. Beneficia scilicet illius sunt ea, quæ in scientiis Divinæque Legis studio discimus. Ingenii acies, virtus, charitas, optimæque consuetudines ex ipso sunt.

℣. 16. ERROR ET TENEBRÆ PECCATORIBUS CONCREATA SUNT. Quamquam omnes in tenebris & scelere nascimur, ac nemo hominum est, qui Dei misericordiâ non egeat; illud tamen certum est, impios videri, majora quàm cæteri mala ex Adami peccato referre, pejoremque naturam esse sortitos; sive quòd plus vitii in corporis sui temperamento & humoribus invenerint; sive quòd malas habitudines, quas ex corruptâ totius generis massâ retulerunt, validiores effecerint, atque auxerint. Certè si illorum gesta inspicias, illud verum esse dixeris, quod de ipsis canit Psalmista (c), illos scilicet ex ipso matris sinu impios esse, ipsoque ortûs sui momento peccavisse; ac veluti ex naturâ doli artifices esse, sævos, maleficos, sceleratos. Dixerat Sapiens, ℣℣. 11, 12, 13, 14, bona & mala omnia, quibus vita hominum afficitur, a Deo dari · hìc, ℣℣. 15, 16, docet, bona & mala, quæ ad animum solummodo pertinent, ab eâdem Omnipotentis manu proficisci (d). At diversâ prorsus ratione bona & mala ex Deo fluunt; bona scilicet directè, propriè, absolutè, atque ex primâ Dei voluntate; mala verò obliquè & impropriè; ipse enim impius malorum, quæ patitur, sibi causa est. Hunc Deus malis affligit, quòd pœnam meruerit. Quod enim ex Deo est, hoc solummodo vult Deus, certam unicuique salutem esse, & singulos homines beneficiis cumulari. Si error & tenebræ inter homines regnant; si peccatum & mors mundum invasere, culpa solius hominis est, qui hæc mala ultro provocans, sese illis sponte permisit.

QUI AUTEM EXULTANT IN MALIS, CONSENESCUNT IN MALO. Qui peccatum amant, pervicaciùs in dies illud sequuntur; & quò seniores, eò deteriores fiunt. Hæc sententia oritur ex eâ, quam mox pronunciavit; errorem scilicet, peccatum, tenebras, nequitiam unâ cum impiis orta esse; iisque adeo pertinaciter hærere, quasi ex ipsâ illorum naturâ sint: hìc addit, hos scelere gloriari; ac nedum non resipiscere, verùm etiam in malo senescere, atque in dies confirmari. Græcus ex Romanâ Editione neque hunc neque superiorem versiculum legit; iidemque a nonnullis Codicibus Latinis & Interpretibus (e) rejiciuntur, fortasse difficultatis causâ, quæ in utroque hoc versiculo occurrit; in cæteris enim Editionibus Græcis (f) & apud Syrum leguntur.

℣. 17. DATIO DEI PERMANET IN JUSTIS, ET PROFECTUS ILLIUS SUCCESSUS HABET IN ÆTERNUM. Dei donum constanter in justis perseverat; ipsaque Dei beneficia in æternam beatitudinem desinunt. Vel, ex Græco (g): *Donum Domini permanet piis; ac benevolentia ejus prosperè procedit in salutem.* Hoc idem dixerat S. Paulus (h): *Dona & vocatio sunt ἀμεταμέλητα, sine pœnitentiâ;* scili-

(y) *Psalm.* CXXVI, 1, 2. (z) *Honestas. Græc.* Πλοῦτος, *divitiæ. Honestas*, & *honestus*, usurpantur pro divitiis & divite. Vide *Eccli.* XI, 23; XIII, 2, & 3; VII, 11; X, 10.
(a) *Tertull. lib. 2 contra Marcion. c. 4.* (b) Ἀγάπησις καὶ ὁδοὶ καλῶν ἔργων, *Via bonorum.* דרך sæpè consuetudinem significat. (c) *Psal.* LVII, 4; & XIII, 1, 2, 3, &c. (d) *Vide Cornel. a Lapide.*
(e) *Raban. Lyr. Dionys. alii apud Franc. Luc. in Not.* (f) *Complut. & Aldina.*
(g) Δόσις Κυρίου παραμένει εὐσεβέσι, καὶ ἡ εὐδοκία αὐτοῦ εὐοδώσει εἰς τὸν αἰῶνα. (h) *Rom.* XI, 29.

ỳ. 18. Est, qui locupletatur parcè agendo, & hæc est pars mercedis illius,

ỳ. 19. In eo, quod dicit: Invêni requiem mihi, & nunc manducabo de bonis meis solus:

ỳ. 20. Et nescit, quòd tempus præteriet, & mors appropinquet, & relinquat omnia aliis, & morietur.

ỳ. 21. Sta in testamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veterasce.

ỳ. 22. Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo, & mane in loco tuo.

ỳ. 23. Facile est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem.

ỳ. 24. Benedictio Dei in mercedem justi festinat, & in horâ veloci processus illius fructificat.

COMMENTARIUS.

scilicet, Deus nunquam revocat ea quæ semel largitus est, concessaque beneficia nunquam aufert. Denique neminem deserit Deus, nisi priùs ipse ab eo deseratur (*i*). Duo hæc superiùs posuit Sapiens, bona omnia ex Deo manare; atque omnia hujus vitæ mala totidem esse supplicia, quibus hominum scelus punitur. Denique colligit, beneficia omnia, quibus prosequitur pios, in felicem exitum semper desinere; at eadem, quæ impiis quandoque largitur, exitii ac damnationis causam iis esse. Id porrò tum in rebus moralibus, tum in naturalibus verissimè dicitur. Dei beneficia si ab animo rectè instituto excipiantur, stabiles fructus ferunt, atque in dies augentur; pius enim homo novas quotidie virtutes acquirit, magnisque itineribus ad perfectionem proficiscitur: at impius Divinis plerumque beneficiis abutitur. Sanè interdum ad Deum convertitur, ejusque beneficia promeretur: at sæpe ad vomitum redit, ac sese dignum facit, ut cæcitate suâ oppressus a Deo destituatur.

ỳ. 18. Est qui locupletatur parce agendo, et hæc est pars mercedis illius, in eo quod dicit: Inveni requiem mihi, neque cogitat, mortem magnis itineribus accedere. Hoc ferunt ỳỳ. 18, 19, 20. Simile est illud, quod habet parabola de Divite, qui sese ita hortabatur (*k*): *Habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt a te: quæ autem parasti, cujus erunt?* Docuit Sapiens, ỳ. 19, beneficia, quæ Justis in justitiâ perseverantibus largitur Deus, minimè caduca esse, felicemque in exitum desinere. Hîc demonstrat, bona quæ impiis scelere gloriantibus dat, quantociùs illis ablatum iri; ac tum maximè, cùm se quietos, laborumque fructibus sese constantissimè fruituros putant, Deum suas illis delicias auferre, æternaque in mala præcipites dare.

ỳ. 20. Et nescit quod tempus præteriet, et relinquet omnia aliis, et morietur. Avari hominis insaniam persequitur Salomon (*l*): *Avarus unus est, & secundum* (hæredem) *non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur oculi ejus divitiis; nec recogitat, dicens: Cui laboro, & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas est, & afflictio pessima.* Profani avarum hominem sub Tantali imagine exhibuerunt, qui labria tenus intra aquas mersus, sitim extinguere nequit (*m*).

Tantalus a labris fugientia flumina captat.

ỳ. 21. Sta in testamento tuo. Fœdus, quod cum Deo iniisti, constanter serva. Israëlitæ omnes in Majoribus cum Domino fœdus pepigerant. Primùm in Abrahamo, generis totius principe (*n*); secundò in deserto ad Sinai, in Patribus (*o*); tùm sub Josue, postquam promissam regionem ingressi sunt (*p*); ac denique reduces e captivitate, sub Nehemiâ (*q*), ubi antiquum fœdus solemni ritu renovatum est. Unusquisque, dum circumcisione initiabatur, fœderis signum capiebat, ac polliceri dicebatur, Dominicam Legem se servaturum. Ita fœdus toti genti commune, unicuique Israëlitæ peculiare fiebat; uti per baptismum, fœdus, quod Christus cum hominum naturâ iniit, proprium unicuique nostrûm fit; eoque fœdere participes omnium bonorum, quæ illud comitantur, efficimur, earumque rerum rei sumus, quæ ab eo postulantur. *In illo colloquere*; nocturno, diurnoque studio illud versa. Vide Prov. vi, 22.

ỳ. 22. Ne manseris in operibus peccatorum. Confide autem in Deo. Græcus (*r*): *Ne mireris opera hominis scelerati; crede Domino, ac permane in labore tuo.* Si res benè cedere impio vides, ipsumque opibus ac dignitate in hac vitâ cumulari, ne mireris, ne invideas, ejusque felicitatem ne cupias · hæc brevis erit, suusque locus Divinæ ultioni dabitur. Crede Deo, labori tuo incumbe, illumque exora, ut tuis laboribus faveat; quod si permittat Deus, ut magnas opes minimè compares, providentiæ illius consilia venerare, tibique utilius crede, eâ in conditione, quâ es, vivere, quàm eâ relictâ, majoribus æterni exitii periculis objici; facile enim Deo est, te locupletem facere, ubi placuerit. ỳ. 3: *Facile est enim in oculis Dei subitò honestare pauperem.*

ỳ. 24. Benedictio Dei in mercedem justi festinat: et in hora veloci processus illius fructificat. Ubi Deo placuerit, fidei tuæ mercedem vel in hac vitâ dare, ea fortunæ bona largiendo, quæ piis Legis suæ cultoribus pollicetur, statim iis cumulaberis; suaque beneficia Deus in te profusissimè effundet. In veteri Fœdere, fortunæ bona Divini favoris indicia censebantur: sub novâ Lege, nihil magis ambiguum; his enim plerumque abundant ii, qui cæteros impietate superant. Inopia & labores Dei amicorum viaticum sunt: *Beati pauperes.*

ỳ. 25. Ne

(i) *Concil. Triden. Sess.* 7, *c.* 11. (k) *Luc.* xii, 19, 20. (l) *Eccle.* iv, 8, *&* v. (m) *Horat. lib.* 1, *Ser.* 1. (n) *Genes.* xv, 18. (o) *Exod.* xix, 6, 7, 8; xx, xxi. (p) *Josue*, viii, 30, 31. (q) 2 *Esdr.* ix, 38; x, 1, 2, *& seq.* (r) Μὴ θαύμαζε ἐν ἔργοις ἁμαρτωλοῦ, πίστευε δὲ Κυρίῳ, καὶ ἔμμενε τῷ πόνῳ σου.

℣. 25. Ne dicas: quid est mihi opus, & quæ erunt mihi ex hoc bona?
℣. 26. Ne dicas: Sufficiens mihi sum: & quid ex hoc pessimabor?
℣. 27. In die bonorum ne immemor sis malorum: & in die malorum ne immemor sis bonorum:
℣. 28. Quoniam facile est coram Deo in die obitûs retribuere unicuique secundùm vias suas.
℣. 29. Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ: & in fine hominis denudatio operum illius.

COMMENTARIUS.

℣. 25. NE DICAS; QUID EST MIHI OPUS: ET QUÆ ERUNT MIHI EX HOC BONA? Græcus (s): *Ne dicas: Quis est mihi usus complacentiæ? & quæ ab hoc tempore erunt mihi bona!* Postquam diu multumque laboravi, ut fidem meam, Divinarumque Legum custodiam Deo exploratam facerem, an ditior effectus sum? quæ mihi inde utilitas? Quid mihi profuit, illi obtemperasse? aut quid ea ipsius munificentiâ expectandum mihi est? Ita Jobum arguebat uxor sua (t): *Adhuc tu permanes in simplicitate tuâ? benedic Deo, & morere.* Sola jam superest mors, tuæ erga Deum fidei merces. Et uxor Tobiæ (u): *Manifestè vana facta est spes tua, & eleemosynæ tuæ modò apparuerunt.* Cave ne hæc tibi excidant, neve hæc in Deum evomas. Benefactis tuis mercedem dabit, cùm illi videbitur: quibus si præmium in hac vitâ desit, certius & æternum in alterâ te manet, nullâ vicissitudine periturum.

℣. 26. NE DICAS: SUFFICIENS MIHI SUM: ET QUID EX HOC TEMPORE PESSIMABOR? En alterum impietatis extremum. Superiori versiculo pauperem justum exhibet, spe cadentem, nihilque sperantem: hic superbum divitem, nihil metuentem. Majora votis habeo: nullâ re egeo. Quid mihi molestum eveniet? Major fortunâ sum: quid in posterum metuam? Deum nihili facio, ejusque indignationem non timeo. Nemo fortasse ita cæcus est, ut secum ipse tam impios sermones misceat. Quàm multi verò sunt, qui ita vivunt, quasi Divinæ potestati minimè obnoxii sint, ipsique terrena quædam Numina haberi velint? Quàm multi fuere, qui Deum esse prorsus negaverint, Divinosque honores sibi ipsis decreverint? Ea scilicet in præcipitia trahunt bonorum copia & fortunæ favor. Cæcum hominem faciunt, suæque infirmitatis oblitum, obstinatum, superbum. Lege apud Scripturam superbas Sennacheribi orationes (x), Regum Babyloniorum (y), Ægyptiorum (z), Tyriorumque arrogantiam (a), ipsorumque Babyloniorum impietatem (b), cùm fortuna faveret, omniumque rerum copiâ abundarent.

℣. 27. IN DIE MALORUM NE IMMEMOR SIS BONORUM. In rebus prosperis adversas time; in adversis, prosperas expecta (c).

Nemo confidat nimiùm secundis,
Nemo desperet meliora lapsis.
Res Deus nostras celeri citatas
Turbine versat.

Quaslibet ad vicissitudines paratus est Sapiens. Siquid adversi contingat, improvisum non est, cùm illud jam diù expectaverit: si secunda sors illum ex humili obscuroque rerum statu eduxerit, minimè superbit, cùm satis conscius sit, ea quæ in mundo sunt, nihil penitus esse meramque inconstantiam (d). At insanus in rebus adversis intemperantiùs dolet, atque animo cadit: in prosperis, superbus est ac temerarius.

℣. 28. QUONIAM FACILE EST CORAM DEO IN DIE OBITUS RETRIBUERE. En spei argumentum, quod Ethnicorum Philosophos latebat, quippe qui omnia intra hujus vitæ fines clauderent. Quamobrem ut objectioni responderent, quæ ex quotidianâ experientiâ, bonos malis infeliciores exhibente, ducebatur, inane felicitatis spectrum sibi fingebant, quæ in solâ Sapientis virtute, rerumque mortalium contemptu consistebat, cùm ille eam in se ipso felicitatem inveniret, quam inter fortunæ bona, quibus vel invitus carebat, nancisci non poterat. Hic tamen bonorum contemptus inanissima erat in illis jactantia; cùm opes & fortunæ bona ipsorum Philosophiæ minimè nocerent. Quorsum enim hæc seriò relinquerent atque contemnerent, cùm nulla ipsis post hanc vitam bona spes superesset? At in verâ religione, Sapiens minoris facit hujus vitæ dignitates, commoda, illecebras, quàm bona & mala, quæ vitæ huic successura esse novit. Tota hominum gloria quàm citissimè labitur: opes & inopia, mala & infortunia non diù perseverant, neque magnoperè formidanda sunt, si cum iis bonis malisve, quæ in æternitate nos manent, comparentur. Hunc locum torquet Grotius, & *in die obitûs* explicat *in ultimâ senectâ.* Melior conditio nunquam desperanda est. Opibus cumulare te potest Deus vel extremâ senectute fatiscentem, scilicet vel tunc cùm eas minimè optabis.

℣. 29. MALITIA HORÆ OBLIVIONEM FACIT LUXURIÆ MAGNÆ. Humanarum voluptatum inanitatem nihil luculentiùs ostendit, quàm ipsarum brevitas, ac levissima suavitas, qua animum afficiunt. Ubi enim brevissimo quopiam malo affligamur, statim omnium totius vitæ voluptatum obliviscimur. Si acus pungat, si dente, vel capite laboremus, præteritarum voluptatum memoria nullâ ex parte dolorem levat. *Malitia horæ* usurpari etiam potest pro extremo vitæ momento, quod omnium mundi bonorum ac voluptatum memoriam ita delet, ut nemo tunc illa vel minimum curet. Morienti omnia somnium sunt, quæ in vitâ præterierunt; voluptatumque memoria durissimam solummodo animi agitationem, doloremque acerrimum relinquit. Quæ sequuntur, huic explicationi favent. *In fine hominis denudatio operum illius.* In morte velum reducitur, ac luculentissimè cernitur, quid bonum sit, quidve malum. Justo merces bonorum operum est, impio scelerum pœna. Ante mortem omnia incerta sunt.

Vide

(s) Μὴ εἴπῃς, τίς ἐστί μοι χρεία ἀρεσκείας, καὶ τίνα ἀπὸ τοῦ νῦν ἔσται μοι τὰ ἀγαθά;
(t) *Job*, II, 9, 10. (u) *Tobi.* II, 22. (x) 4 *Reg.* XVIII, 34, 35. (y) *Isai.* XIV, 13, 14.
(z) *Exod.* V, 2; *&* *Ezech.* XXIX, 3. (a) *Ezech.* XXVIII, 2. (b) *Psal.* XIII, *&* LVII.
(c) *Senec.* *Thyest.* (d) *Horat.* *lib.* 2, *Ode* 10.
Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem, benè præparatum
Pectus.

℣. 30. Ante mortem ne laudes hominem quemquam, quoniam in filiis suis agnoscitur vir.

℣. 31. Non omnem hominem inducas in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi.

℣. 32. (Sicut enim eructant præcordia fœtentium,) & sicut perdix inducitur in caveam, (& ut caprea in laqueum:) sic & cor superborum: & sicut prospector videns casum proximi sui.

COMMENTARIUS.

Vide sequentem versiculum.

℣. 30. ANTE MORTEM NE LAUDES HOMINEM QUEMQUAM: QUONIAM IN FILIIS SUIS AGNOSCITUR VIR. Dum hominis familiam paterna exempla sequi, virtutemque imitari non videas, certum de illius felicitate judicium ferre non potes (e). Quam enim laudem meretur pater, qui filios male institutos infelicesque relinquit? An dubitare potes, utrùm Salomonis gloriæ mala Roboami administratio oocuerit; Heli Pontifici liberorum flagitia; Ezechiæ Manasses? Quàm verè dicitur: Felices, quibus filii sapientes ac pii sunt! Neque solummodo parentum est, liberos optimâ naturâ instrui: plerumque enim liberi parentum institutiones, & monita præceptorum negligunt. At quamquam parentum culpa non est, fieri tamen non potest, quin gravissimus sit illorum dolor. Quòd si post obitum sentit pater eorum damna, quos vivens summopere amaverat, quàm gravis erit illius animi cruciatus, si suam ipsius memoriam ac familiam pessimâ filiorum vitâ obscuratam viderit?

• Hujus sententiæ veritatem Ethnicorum Philosophi optimè intellexerunt: neminem scilicet beatum existimandum esse ante mortem, cùm a fine dignitas totius rei pendeat; vitamque sanctissimè & gloriosissimè actam suprema illius hora vitiare, ac reddere infamem queat. Solon a Crœso Lydiorum Rege (f) interrogatus, utrùm hominem ipso feliciorem viderit, Telum nominavit Atheniensem, privatum hominem, sed qui relictis liberis ac nepotibus bene institutis, feliciter obiisset diem. Indignatus Rex: Nullo igitur loco me ponis? Ego, inquit Solon, facilè confiteor te Regem opibus & imperio florentem: beatum non appellarim priùs, quàm feliciter hanc vitam absolveris. Aliquot post annis, Crœsus a Cyro captus, atque ad pyram ductus ut vivus cremaretur, cùm jam in pyrâ esset, ter clamavit: Solon, Solon, Solon. Cujus rei causam cùm Cyrus didicisset, eâ re commotus, rerumque humanarum vicissitudinem intuens, Crœsum in libertatem restituit, dignitatibus cumulavit, atque inter amicos habuit. Hoc ipsum optime scripsit Ovidius (g):

. . . . Ultima semper
Expectanda dies homini; dicique beatus
Ante obitum nemo, supremaque funera debet.

Ecclesiastici Author, cæterique Philosophi hanc veritatem de iis tantommodo, quæ ad præsentem vitam pertinent, usurpavere; negaruntque dici aliquem beatum posse, ob amicam fortunæ seriem, antequam is moriatur; quamvis enim ingentem divitum filiorum copiam post se relinquat, aliquid deesse illius felicitati dicetur, si filii minimè virtutem amplectantur. At in Christianâ Religione his majora spectanda sunt. Veræ piorum hominum felicitatis initium est mors. Quippe ante mortem nova semper peccandi pericula hominem circumsistunt: at post mortem, absolutâ felicitate, æternâque vitâ fruitur. Nautam nemo commmendat, nisi reductâ in portum navi; Imperator trophæum nisi certâ victoriâ erigit: miles arma non deserit, nisi absoluto bello ac missione impetratâ (h): *Mors igitur stipendiorum plenitudo, summæ mercedis, gratia missionis est.*

℣. 31. NON OMNEM HOMINAM INOOCAS IN DOMUM TUAM: MULTÆ ENIM SUNT INSIDIÆ OOLOSI. Novum dicendi argumentum. Docet hic Sapiens, quibuscum habenda sit consuetudo, quive in societate fugiendi. Primum jubet, ne cuilibet hominum generi credas, neque domum unicuique obvio aperias. Græcus legit (i): *Ne excipias omnem hominem in domum tuam; multa enim sunt insidia fraudulenti*, vel ut alii volunt, *calumniatoris*. Plurimi sunt, qui idcirco veniunt, ut familiæ arcana scrutentur, iis deinde abusuri. Ajebat Pythagoras, hirundinem non esse domi excipiendam. Scilicet excludendos domo loquaces, obloquutores, inquietos, qui quaslibet intra domos admitti volunt, ut familiarum arcana scrutentur. Tutius est, hujusmodi homines non excipere, quâm exceptos domo pellere.

Turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hospes.

℣. 32. SICUT PERDIX INOUCITUR IN CAVRAM, ET UT CAPREA IN LAQUEUM; SIC ET COR SUPERBORUM: ET SICUT PROSPECTOR VIUENS CASUM PROXIMI SUI. Græcus aliter habet (k): *Perdix venatica in caveâ, cor superbi: observat casum, ut speculator*. Ad perdicis venatum respicit Ecclesiasticus, quo auceps perdicem venaticam in caveâ gerit, quæ cæteras in laqueos vel insidias ab aucupe paratas vocat; ita superbus ac fraudulentus eos decipit, quos capere decrevit. Perdicem imitatur, quæ sui similes in laqueos vocat, atque in insi-

(e) *Ambros. de Bono Mortis, c. 8: Unusquisque in novissimis suis cognoscitur, & in filiis suis æstimatur, si bene filios suos instituit, & disciplinis competentibus erudivit. Siquidem ad negligentiam patris refertur dissolutio filiorum.* (f) *Herodot. lib. 1; Laërt. in Solone, lib. 2; Plut. in Solone.*

(g) *Ovid. lib. 3 Metamorph. Sophocles.*

Λόγος μὲν ἔστ' ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανείς.
Ὡς οὐκ ἂν αἰῶν' ἐκμάθοις βροτῶν πρὶν ἄν.
Θάνοι τις, οὔτ' εἰ χρηστὸς, οὔτ' εἴ τῳ κακός.

(h) *Ambros. de Bono mortis, c. 8. Vide & Bern. serm. 5 in Festo omnium Sanctorum.*

(i) Μὴ πάντ' ἄνθρωπον εἴσαγε εἰς τὸν οἶκόν σου, πολλὰ γὰρ τὰ ἔνεδρα τοῦ δολίου. *Alii*, τοῦ διαβόλου. *Ita Complut.* (k) Πέρδιξ θηρευθεὶς, vel θηρευτὴς ἐν καρτάλλῳ, οὕτως καρδία ὑπερηφάνου, καὶ ὡς κατάσκοπος ἐπιβλέπει πτῶσιν. *Complut.* Ὡς κατάσκοπος ἐπιβὰς ἐπὶ πτῶσιν. Vide Aristotelem, *lib. 9 Hist. Animal. cap. 8: Et Plin. lib. x, cap. 33.* Apud primum legitur Πέρδιξ θηρευθὴς. Et apud secundum dicitur. *Avis Index.* S. Augustinus, serm. 46, *de Pastorib. in Ezech. 34, p. 240: Perdix, ut aucupes norunt, contendendi studio capitur.* Vide & *contra Faust. lib. XIII, c. 12: Perdix nimis contentiosum animal, notum est quantâ aviditate ipsius contentionis currat in laqueum.*

℣. 33 Bona enim in mala convertens insidiatur, & in electis imponet maculam.

℣. 34. A scintillâ unâ augetur ignis, (& ab uno doloso augetur sanguis :) homo verò peccator sanguini insidiatur.

℣. 35. Attende tibi a pestifero, fabricat enim mala : ne fortè inducat super te subsannationem in perpetuum.

℣. 36. Admitte ad te alienigenam, & subvertet te in turbine, & abalienabit te a tuis propriis.

COMMENTARIUS.

insidias trahit. Fraudulentos amicos innuit Sapiens, qui amicorum domos penetrant, ac familiaritatem simulant, ut hospitum arcana scrutentur, iisque denum adversùs ipsos utantur. Græcus non habet *capream*.

℣. 33. Bona enim in mala convertens insidiatur. Quidquid in amicorum ædibus videt, malam in partem convertit; & ea quæ maximè vitio carent, mala esse prædicat. Hoc maledicorum ingenium est, atque obtrectatorum.

℣. 34. A scintilla una augetur ignis, at ab uno doloso augetur sanguis. Obtrectator similis igni est, omnia vastanti; gravissima enim incendia injectâ unicâ scintillâ parit; æternasque inimicitias excitat, dicto aliquo aut male relato, aut pessimam in partem explicato. Illud solummodò quærere videtur, ut satis curiositati suæ faciat : at reverà nihil minus vult, quàm cædem. Hujus oratio ense perniciosior est : lingua mortifero veneno inficitur, quo & cæteros, quos alloquitur, imbuit. S. Jacobus (l) eamdem sententiam his verbis fert : *Ecce quantus ignis quàm magnam sylvam incendit ! & lingua ignis est, universitas iniquitatis.* Sallustius (m) : *Parva scintilla contempta magnum excitavit incendium.*

℣. 35. Attende tibi a pestifero, flagitioso, ne forte inducat super te subsannationem in perpetuum. Græcus (n) : *Ab homine malefico.* Homines perniciosos innuit, qui omnia cæterorum gesta scrutantur, & domestica illorum secreta perquirunt, ut de iis apud cæteros obloquantur, ipsosque probro onerent.

℣. 36. Admitte ad te alienigenam, et subvertet te. Massinissa Numidarum Rex cùm Jugurtham domi excepisset, hic turbas inter familiares excivit, totamque illius domum evertit (o). Herodes Ascalonita, cùm Mariamnes connubio in Asmonæorum familiam adscriptus esset, illius exitium fuit. Paris in Menelai domum ingressus, Helenam rapuit, gravissimumque inter Græcos ac Trojanos bellum excitavit.

CAPUT XII.

Cùm bene alicui facis, vide cui facias. Simulati amici. Ab inimico, etiam pace conciliatâ, cave.

℣. 1. Si bene feceris, scito cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa.

℣. 2. Benefac justo, & invenies retributionem magnam : & si non ab ipso, certè a Domino.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Si bene feceris, scito cui feceris, et erit gratia in bonis tuis multa. Si beneficium perdere non vis, vide cui benefacias. Hæc sententia hoc sensu usurpata humanæ prudentiæ dogma est, oriturque ex iis, quæ superiori capite dicta sunt, ignotum scilicet hominem domi non esse admittendum; sæpe enim contingit, ut malum hominem imprudens in domum tuam introducas, qui turbas in familiâ serit, totamque domum probro afficit. Monet hìc, ut probè eligas, quibus bene facere vis, ut illi tibi gratiam beneficii habeant, tibique ipsi gratulari queas, te tibi eos beneficiis devinxisse, qui digni erant.

Ut morali sensu explicetur, animadvertendum est, quotidianas solitasque eleemosynas non adeò subtili examine de accipientium conditione & inopiâ esse distribuendas. Hac in re Christi verbis obtemperandum est, præcipientis (a) : *Omni petenti te tribue*; imitandusque est Cœlestis Pater (b), *qui solem suum oriri facit super bonos & malos*; ne dum nimio studio eligis, hospitalitatis atque eleemosynæ meritum amittas (c) : *Ne, dum hospes eligitur, hospitalitas diminuatur.* At in rebus gravioribus, veluti dum agitur de Magistratu eligendo, vel insolitâ eleemosynâ distribuendâ, vel ubi plures eamdem rem petunt, prudentis est dignissimum, vel maximè egentem eligere, cæterisque præponere, qui aut minùs digni sunt, aut angustis adeò rebus non laborant. Vulgo dicitur (d) :

Benefacta male locata, malefacta arbitror.

℣. 2. Benefac justo, et invenies retributionem : et si non ab ipso, certe a Domino. Beneficia quæ justis & piis conferuntur, præmium sequitur, memoria scilicet, quam illi servant, bona quæ imprecantur, & Deus abundè largitur. Uti enim Christus inquit (e) : *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Et : *Qui recipit vos, me recipit ; & qui recipit me, recipit eum qui me misit.*

℣. 3. Non

(l) *Jacob.* III, 5, 6. (m) *Sallust. in Catilinâ.* (o) Ἀπὸ κακούργου. (o) *Vatab. Cornel.*

(a) *Luc.* VI, 30. (b) *Matth.* V, 45. (c) *Ambros. in Lucam.* (d) *Ennius.*

(e) *Matth.* XXV, 40; & X, 40.

℣. 3. Non est enim ei bene, qui assiduus est in malis, & eleemosynas non danti: (quoniam & Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus.)

℣. 4. Da misericordi, & ne suscipias peccatorem: (& impiis, & peccatoribus reddet vindictam, custodiens eos in diem vindictæ.

℣. 5. Da bono, & non receperis peccatorem.)

℣. 6. Benefac humili, & non dederis impio: prohibe panes illi dari, ne in ipsis potentior te sit:

℣. 7. Nam duplicia mala invenies in omnibus bonis, quæcumque feceris illi: quoniam & Altissimus odio habet peccatores, & impiis reddet vindictam.

℣. 8. Non agnoscetur in bonis amicus, & non abscondetur in malis inimicus.

℣. 9. In bonis viri, inimici illius in tristitiâ: & in malitiâ illius, amicus agnitus est.

COMMENTARIUS.

℣. 3. NON EST ENIM EI BENE, QUI ASSIDUUS EST IN MALIS, ET ELEEMOSYNAS NON DANTI. Qui male vivit, sævusque in pauperea est, nihil aut a Deo aut ab hominibus illum manet. Hæc sententia versiculo 2 opponitur. Male in Deum agens, neque hominibus benefaciens, Divinam certè opem, aut hominum gratiam atque amicitiam minimè sibi vendicat. Vulgatæ Author hæc addit, quæ in Græco desunt: *Quoniam & Altissimus odio habet peccatores, & misertus est pœnitentibus.*

℣. 4. DA MISERICORDI (f), ET NE SUSCIPIAS PECCATOREM; peccatori opem ne feras. Eamdem sententiam repetit Vulgata sequenti ℣. at in Græco deest, uti & ea quæ in hoc versiculo sequuntur. Accipe ex Græco (g): *Largire bono, & ne adjuves peccatorem.* ℣. 6: *Benefac humili, atque impio nihil dederis.* Hæc monita Evangelicis planè contraria esse videntur, præcipientibus ut bene omnibus facias, vel impiis & inimicis. Putat S. Augustinus (h), tropicè esse intelligenda. Homini pio largire, & ne alieni criminis particeps fias, aliorum peccatis consentiens, vel ope vel patrocinio. Optimè etiam intelligi possunt de merito beneficio, non de eleemosynâ. In gratuitis rebus præferri possunt pii, atque impii negligi, cùm præsertim censes, illos benaficiis abusuros, ut in flagitiis perseverent. Cùm bene hujusmodi hominibus facis, perinde est, ac si ensem furioso tradas. Denique cùm de impiis agitur, ii solummodò intelligendi sunt, quorum flagitia neminem lateot: quorum vita inter libidines agitur, moresque omnino corrupti sunt. Cum impius ac pius eleemosynam æquò postulant, nullus dubio locus est, quin pius impio sit præferendus. Cæteris benefaciendum est, etiam impiis & ingratis. *Si Deos imitaris, da etiam ingratis; nam & sceleratis sol oritur, & piratis maria patent (i).*

℣. 6. PROHIBE PANES ILLI DARI, NE IN IPSIS POTENTIOR TE SIT. Non modò imperat, ne impium ope tu ipse juves, verùm etiam ut prohibeas, ne alter juvet, si velit: cæteros doceas, quodnam hominum genus illud sit, atque ita prorsus illos impedias, ne adversus pios conspirent. Satis ex toto versiculo discitur, non de quolibet paupere hîc agi, sed de homine ambitioso, omnia movente, ut famam ac dignitates quærat, quibus & cæteris præstet, & iis ipsis, a quibus beneficia accepit, dominetur. Nihil profectò perniciosius hujusmodi hominibus est, qui sub ovis exuviis lupi naturam celant.

℣. 7. NAM DUPLICIA MALA INVENIES IN OMNIBUS BONIS, QUÆCUMQUE FECERIS ILLI. Si cujus hominis impietatem, mala consilia, ambitionem, nequitiam agnoscens, illum beneficiis atque honoribus prosequi non desinis, tu primus omnium ejus rei pœnam feres. Animi sui perversitatem statim in te experietur: tu prima illius ambitionis victima futurus es, tibique malum duplo majus pro beneficio reddet. Angois est, quem cùm sinu fôveris, tibi exitialem senties.

℣. 8. NON AGNOSCETUR IN BONIS AMICUS, ET NON ABSCONDETUR IN MALIS INIMICUS. Cùm res prosperæ sunt, verus a falso amico ægrè secernitur. Eadem uterque officia specie tenus tibi præstabit, æquè te assiduè colet, tibique morem geret. At in adversis, simulatus amicus personam sibi detrahet, teque prorsus derelicto, malis tuis illudet (k):

Amicus certus in re incertâ cernitur.

Græcus fert (l): *Non proferetur in rebus prosperis amicus: neque in adversis occultabitur inimicus.* Ille amicitiæ constantiam, ubi opus non est, non temerè ostentat: hic ubi adversæ fortunæ procellam videt, inimicitiam profiteri non cessat.

℣. 9. IN BONIS VIRI, INIMICI ILLIUS IN TRISTITIA: ET IN MALITIA ILLIUS (m), in adversis illius rebus, AMICUS AGNITUS EST. Cùm res benè cedunt, inimicus livore consumitur, amicus gaudio gestit. Contra verò si res adversæ sint, gaudet inimicus, & amicus dolet. Amicos aut inimicos non facit fortuna, sed quales sint, docet. Hæc monita in Scripturis æquè atque in Philosophis leguntur; nemo enim fermè est, qui illorum veritatem expertus ipse non sit. Salomon (n): *Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustiis comprobatur.* Amicus in rebus prosperis ad te vocatus venit; at in adversis, etiam non vocatus, inquit Demetrius Phaleræus (o).

(f) *Complut.* Da misericordiam. (g) 4. Δὸς τῷ εὐσεβεῖ, καὶ μὴ ἀντιλάβῃ ἁμαρτωλῷ. 6. Εὐποίησον ταπεινῷ, καὶ μὴ δῷς ἀσεβεῖ, &c. (h) *August. de Doctrinâ Christian. lib. 3, c. 16. Ita & D. Thom. 2. 2, quæst. 32, art. 9, ad 1.* (i) *Senec. lib. 4, c. 25, de Benefic.* (k) *Ennius.*
(l) Οὐκ ἐκβληθήσεται ἐν ἀγαθοῖς ὁ φίλος, &c. (m) Ἐν τοῖς κακοῖς αὐτοῦ.
(n) *Prov. XVII, 17.* (o) *Demetr. Phaler. apud Laërt. lib. 5.*

℣. 10. Non credas inimico tuo in æternum: ficut enim æramentum, æruginat nequitia illius.

℣. 11. Et fi humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, & cuftodi te ab illo.

℣. 12. Non ftatuas illum penès te, nec fedeat ad dexteram tuam, ne fortè converfus in locum tuum, inquirat cathedram tuam: & in noviffimo agnofcas verba mea, & in fermonibus meis ftimuleris.

℣. 13 Quis miferebitur incantatori a ferpente percuffo, & omnibus, qui appropiant beftiis? & fic, qui comitatur cum viro iniquo, & obvolutus eft in peccatis ejus.

COMMENTARIUS.

℣. 10. Non credas inimico tuo in æternum: Sicut enim æramentum, æruginat nequitia illius, femper augetur. Græcus (p): *Sicut enim æs ærugine obducitur, ita illius nequitia* femper redit. Quantumvis æs radas aut fcalpas, nunquam efficies, ut ærugo non redeat; ita reconciliate inimico pravi ingenii, iterum nocebit ubi poterit. Aliter: Simulatione velut ærugine obducitur, inquit Vatablus: at ubi illum fricaveris, ftatim agnofces. Invidiam atque inimicitiam cum ære frequenter Veteres comparant (q). Rariffima rea eft inimicus fincerè conftanterque reconciliatus. Læfus ægrè injuriæ oblivifcitur; & is qui injuriam intulit, non facilè credit, alterum injuriæ memoriam abjeciffe: fidem illi non habet, & fi poffit, illius vindictam occupat (r).

. . . . *Male farta*
Gratia nequaquam coit, & refcinditur.

Joab Azaëlis fratris necem Abnero nunqoam fincerè condonavit. Abfalom non folùm Amnoni fratri, Thamaris fororis fuæ ftupratori, femper iratus fuit, verùm etiam Davidi patri fuo, a quo ipfe Regiâ & Urbe pulsus fuerat. Chriftianæ Leges minimè vetant, quin homini, cujus peffimum ingenium nofti, non credas: illud folummodò imperant, ut inimicum ames, aut ex inimico amicum facias. At aliud eft proximum amare, aliud omnia mentis arcana unicuique aperire. Inter ipfos amicos nonnulli funt, quos ea celamus, atque inter hos optimè fecernimus, quis arcanorum particeps effe debeat. Prudentia & charitas virtutes funt fibi minimè contrariæ.

℣. 11. Et si humiliatus vadat curvus, adjice animum tuum, et custodi te ab illo: Quamvis humi ftratus ac repens ad te accedat, ne illi crede, ac pro certo habeto, illum, quò humilior eft, eò majorem in te iram ac fimultatem animo fovere. Tandem aliquando fepultam iram proferet, ac præfentem dejectionem, qua ex te pacem quærit, ulcifcetur. Non Chriftianæ folummodò, verùm etiam civilis prudentiæ eft, inimicum amicitiæ fignificationibus occupare, neque turpem nimis veniæ poftulationem arroganter exigere. Parcendum eft illius verecundiæ, neque feverius jure fuo utendum. Eadem fermè eft Salomonis atque Ecclefiaftici fententia (s): *Quando fubmiferit inimicus vocem fuam, ne credideris ei, quoniam feptem nequitiæ funt in corde illius*; fcilicet malæ cujuslibet generis artes, quibus te capere conabitur. Græcus addit (t): *Et eris in eo, ut qui extersit speculum, ac cognosces, illud perpetuò rubiginofum effe.* Æneum fpeculum fignificat, qualia apud Veteres in ufu erant; (u) quibus fi hærere cœpiffet ærugo, femper redibat, atque adeo conftanter interdum, ut nunquam extergeretur, præterquam quòd lævem fpeculi fuperficiem læderet, ipfumque fpeculum inutile prorfus efficeret. Similis huic eft inimici malè reconciliati fimultas. Jungendus eft hic verficulus cum 10. *Non credas inimico tuo in æternum: ficut enim æramentum, æruginat nequitia illius.*

℣. 12. Non statuas illum penes te, nec sedeat ad dexteram tuam, ne forte conversus in locum tuum, inquirat cathedram tuam. Hæc omnia cautè fervanda funt cum iis, quorum mala ingenia novimus, aut quoa non probè cognofcimus. Prudentiæ lex eft, ut neque nos periculo, neque cæteros tentationi exponamus. Græcus etiam fert (x): *Ne colloces eum apud te, ne te fubverso, ftet in loco tuo.* Illum ne ad tui dexteram federe jubeas, ne is locum tuum occupare conetur.

℣. 13. Quis miserebitur incantatori a serpente percusso, et omnibus qui appropiant bestiis (y)? Græca vox *Theria* vel generatim pro beftiis, vel pro elephantis, vel pro viperis, cæterisque venenatis beftiis ufurpatur. Hinc fit *Theriace*, pharmacum adversùs venenatatum belluarum morfus, ita appellatum, quòd præcipua hujus pharmaci materies fit viperarum caro. Gloriabantur Veteres, anguium feritatem fefe carminibus cicurare, eorumque morfus curare. At interdum ipfi capiebantur, & carminum vis minimè prohibebat, qui angues morderent, & morfu necarent (z).

Interdum peris incautus, fi callida furdus
Adjuratoris contempfit carmina ferpens.

Marfi, Italiæ populi, & Pfylli Africæ, angues fecuri tractabant, atque e cubilibus eductoa, carminibus difrumpi cogebant (a). Putabant Veteres,

(p) Ὡς γὰρ ὁ χαλκὸς ἰοῦται, οὕτως ἡ πονηρία αὐτοῦ. (q) *Horat. lib. 1, ser. 4.*

Hic nigræ fuccus loliginis; hæc eft ærugo mera.

Martial. lib. 2.

. . . . *Nimiâque ærugine captus.*
Allatras omnem, quod tibi cumque datum eft.

Ita Stobæus ex Periandro. Laërt. ex Antifthene. Alii,

(r) *Horat. Ep. lib. 1, Ep. 3.* (s) *Prov. xxvi, 25.* (t) Καὶ ἔσῃ αὐτῷ ὡς ἐκμεμαχὼς ἔσοπτρον, καὶ γνώσῃ ὅτι εἰς τέλος κατίωσεν. (u) *Vide Exod. xxxviii, 8. Plin. & alios.* (x) Μὴ στήσῃς αὐτὸν παρὰ σεαυτῷ, μήποτε καταστρέψας σε, στῇ ἐπὶ τὸν τόπον σου, *&c.* (y) Καὶ πάντας τοὺς προσάγοντας θηρίοις.

(z) *Altem. lib. 2 de peccato originali,* (a) *Lucil. fatyr. lib. 20, apud Non. Marcel. lib. 3.*

Jam difrumpetur medius, tam ut Marfus colubras
Difrumpit cantu, venas cùm extenderit omnes.

℣. 14. Unâ horâ tecum permanebit: si autem declinaveris, non supportabit.
℣. 15. In labiis suis indulcat inimicus: & in corde suo insidiatur, ut subvertat te in foveam.
℣. 16. In oculis suis lacrymatur inimicus: & si invenerit tempus, non satiabitur sanguine:
℣. 17. Et si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem.
℣. 18. (In oculis suis lacrymatur inimicus,) & quasi adjuvans suffodiet plantas tuas.
℣. 19. Caput suum movebit, & plaudet manu, & multa susurrans commutabit vultum suum.

COMMENTARIUS.

res, propria & certa esse in hanc rem carmina; neque molesta hisce populis ea credulitas erat. Cæterùm ea vis nibil erat aliud, qoàm ingens horum hominum audacia, & quædam fortasse aromata, quibus anguium morsus aut arcebant, aut curabaot. Quidam adhuc in Italiâ sunt, ac præsertim in Apuliâ, Theriaces venditores, qui angues securi tractant, postquam manus unguento quodam ad eam rem composito linierunt. Gloriantur bi, sese eodem genere satos esse, quo S. Paulos, quem lo Insulâ Melitâ momordit vipera, quio ipse quicquam incommodi experiretur (b). At e priscis Marsis, qoibus finitimi sunt, satos esse potiùs credimus. Apud Nicandrum (c), unguentum qooddam describitur, quod anguium morsus impediebat.

Ut ad Ecclesiasticum redeamus, docet, utì nemo est qui incantatoris misereatur, quem anguis momorderit, quippe cui unus qoisque illud objiciat, cur aogues tractet; ita neminem illius homiois miseret, qui inimico male reconciliato, falso amico, homini ignoto, vel alteri cuilibet credit, cujus malum ingenium nondum exploravit. *Simia semper simia*. Nunquam mutatur oatura. Quantumvis anguem cicurare coneris, bestia semper periculosa est (d).

Naturam expellas furcâ, tamen usque recurret,
Et mala perrumpet furtim fastidia victrix.

℣. 14. Una hora tecum permanebit; si autem declinaveris, non supportabit. Siquam in partem pendeas non perseverabit. Dum res tuæ florebunt, te, tuasqoe fortuoas sequetur: At ubi hæ inclinari cœperiot, terga vertet. Vipera est quam alis: dum bene illi facis, non nocet: at si vel mioimum desis, mordet. Græcus legit (e): *Hora spatio tecum permanebit in statione justâ*, qnod tempus justæ stationis est: *& si declinaveris, non perseverabit tecum*. Romana editio non habet *in statione justâ*; quæ verba frustra addita esse videntur.

℣. 15. In labiis suis indulcat inimicus, suavitatem labiis præfert, aoimum veoeno plenum gerit; atque illud solummodò studet, ut te in laqueos trahat. Simulatum amicum describere pergit, qui blanditiis, ac suavi oratione rapere in iosidias amicum nititur. Mel in labiis habet, in animo virus: ne illius orationi, ne lacrymis credas. ℣. 16. *In oculis suis lacrymatur inimicus*, &c. ut te tutiùs fallat. *Nulla sunt majores periculosioresque insidiæ, quàm quæ sub nomine amicitiæ, & officii simulatione occultantur*, inquit Cicero. Samsonis uxor ipsum lacrymis decepit, atque ænigmatis, quod ipse adolesceotibus nuptiarum comitibus proposuerat, explicationem extorsit (f). Eâdem arte Dalila prodigiosi roboris arcanum ex ipso didicit (g). Ismaël Nathaniæ filius oratione & lacrymis Judæorum manum, qui ad Godoliam veniebant, fefellit, atque in insidias ductos, necavit (h). Narrant (i) Bassianum, quoties Getæ fratris, quem ipse necaverat, imagines cerneret, aut nomeo audiret, flere consuevisse.

℣. 17. Si incurrerint tibi mala, invenies eum illic priorem. Non statim se prodit is qui perfidlam meditatur: te adibit, ut calamitatis tuæ testis sit, teque utì te geras observet, tuâque dejectione, ac dolore fruatur: te ita alloquetur, quasi solatium afferat, tuaque mala ipse experiatur: lacrymas suas tuis miscebit: at omnia hæc mera simulatio sunt; idque compertum erit experientiâ. ℣. 19. *Caput suum movebit*, tibi iosultans, *& plaudet manu, & multa susurrans* tibi perniciosa, *commutabit vultum suum*. Hojus lacrymæ similes lacrymis crocodili sunt, qui, ut ajunt, hominem videos quem mox voraturus est, gemit.

CAPUT XIII.

Superborum, Principum, ac divitum periculosa societas. Regis Aulam ne nimiùm frequentes, aut nimium fugias. Deum ama. Similem tui quære. Pauperis & divitis comparatio.

℣. 1. QUI tetigerit picem, inquinabitur ab eâ, & qui communicaverit superbo, inducet superbiam.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUI TETIGERIT PICEM, INQUINABITUR AB EA; ET QUI COMMUNICAVERIT SUPERBO, INDUET SUPERBIAM. Caput hoc ipso orationis argumento cum superiore jungitur. Si-

---

(b) *Act.* xxviii, 2, 3. (c) *Nicander, Theriac.* (d) *Horat. Ep. lib.* 1, *Ep.* 10. (e) [illegible] (f) *Judic.* xiv, 26. (g) *Judic.* xvi, 6. (h) *Jerem.* xli, 6. (i) *Ælian. Spartian.*

℣. 2. Pondus super se tollet, qui honestiori se communicat. Et ditiori te ne socius fueris.

℣. 3. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim se colliserint, confringetur.

℣. 4. Dives injustè egit, & fremet: pauper autem læsus tacebit.

℣. 5. Si largitus fueris, assumet te: & si non habueris, derelinquet te.

℣. 6. Si habes, convivet tecum, & evacuabit te: & ipse non dolebit super te.

℣. 7. Si necessarius illi fueris, supplantabit te, & subridens spem dabit, narrans tibi bona, & dicet: Quid opus est tibi?

COMMENTARIUS.

Siquidem illo simulatum amicum descripsit; hoc cantos facit adversùs varia hominum genera, quorum societas & amicitia discrimini esse possunt. Hinc verò initium orationis ducit, ut discipulum a superborum consuetudine arceat. Uti manum inquinas, si picem tractes; ita superbi hominis oratio, consuetudo, sententiæ facilè cum iis communicantur, qui amicitiâ juncti cum illo sunt. Unusquisque id naturaliter amat, quod sublime est & excellens; eaque cupidè amplectitur, quæ hanc in nobis opinionem nutriunt, & imitatur ea, quæ malæ huic libidini serviunt. Via adbibenda nobis metipsis est, ne in ea feramur, quorum exempla cernimus, quamvis ea perniciosa esse noverimus: quid si exemplo accedant amicitia & natura? *Sumuntur a conversantibus mores, & ut quædam in contactos corporis vitia transiliunt; ita animus mala sua proximis tradit* (a). Vulgo ajunt, lippos oculos vitium suum in aspicientes transmittere (b). Ovidius:

Dum spectant oculi læsos, læduntur & ipsi,
Multaque corporibus transitione nocent.

In malorum exemplorum copiâ, quibus undique obsidemur, cautè vivendum est, inquit S. Cyprianus (c). Discrimen gravissimum est, ubi ingens malorum numerus sceleri authoritatem addit: *Ubi non jam vitiis excusatio, sed authoritas datur.*

℣. 2. Pondus super se tollet, qui honestiori, locupletiori, se communicat. Vel, ex Græco (d): *Quamdiu vivis, ne attolle onus, quod te superet; sis etiam noli convivere validiori aut ditiori.* Cùm amicum eligis, similem tui eligito; neque magna sit inter te & amicum inæqualitas. In amicitiâ, ut in connubio, nimium fortunæ, ætatis, conditionis discrimen nunquam non periculosum est. Principum amicitia & consuetudo minoris conditionis homines facilè alliciunt: at quàm graves sint, sæpè docet incautos experientia. Horatius:

Dulcis inexpertis cultura potentis amici:
Expertus metuet.

℣. 3. Quid communicabit cacabus ad ollam? Cur societatem ineat olla cum lebete? Hic impinget, illa frangetur. Ita, cùm dives & pauper, princeps & privatus societatem ineunt, pauper & privatus de omnibus, de libertate, quiete, interdum etiam vitâ periclitantur. Amicitiæ & societatis suavitatem nunquam sentiunt, totumque illarum pondus ferunt. Est apud Æsopum de ollâ & lebete apologus. Satis docet Regum historia, quanti steterit Achaz Regi Juda Teglatphalassarum Assyriorum Regem in armorum societatem appellavisse. Phacee quidem Israëlitarum, & Rasin Syrotum Regis vires fregit; at hosti multò validiori se obnoxium fecit.

℣. 4. Dives injustè egit et fremet: pauper autem læsus tacebit. Græcus (e): *Dives injuriam fecit, & insuper fremit* minis: *pauper passus est injuriam, & insuper minis terretur.* Vel, ex aliis Codicibus: *Et insuper supplicat.* Passim occurrunt hujus rei exempla, quibus hujus sententiæ veritas confirmatur. Fuere, qui dolorem ex liberis a tyranno necatis non modò coram illo dissimulaverint, verùm etiam gratias egerint atque commendaverint, ut illius furorem sedarent (f). Pugnum tibi ducam, dicebat divea quidam pauperi, & dicam scribam, quòd caput durum habeas (g).

. . . . . Libertas pauperis hæc est:
Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.

℣. 5. Si largitus fueris, assumet te: et si non habueris, derelinquet te. Græcus: *Quamdiu ipsi usui erit, operâ tuâ utetur: sin minùs, affliget te.* Arbitrantur locupletes, omnia sibi deberi, ac pauperes tamdiu curandos esse, quamdiu sibi utiles sunt: idque frequenter experiuntur ii, qui potentium fortunam sectantur; plerique enim cùm fortunas ipsamque vitam in eâ societate consumpserint, solam deinde referunt pœnitentiam, quòd vanas spes, fortunasque malè conceptas sectando, annos amiserint.

℣. 7. Si necessarius illi fueris, supplantabit te, blanditiis atque inanibus promissis te fallet. Græcus (é): *Opus habuit te, ac seducet te.* Postquam operâ tuâ usus fuerit, te fallet, fallacique oratione rogabit, quid opus tibi sit, nihilque præstabit. Vel: Dum rerum copiâ abundas, omnia tibi officia opemque pollicetur: at ubi opportunus illi esse desieris, nihilo majorem tui rationem habet, quàm si nunquam illi notus fueris. Homini multa pollicenti, inanemque spem rebua vendenti, fidem ne habeto: *Spem pretio non emo*, inquit Terentius.

℣. 6. Con-

(a) *Senec. lib. 3 de Irâ, cap. 8.* (b) *Vide Aristot. Problem. sect. 7, q. 4.*
(c) *Cyprian. lib. de Spectacul.* (d) Βάρος ὑπὲρ σε μὴ ἄρῃς ἐν ζωῇ σου, καὶ ἰσχυροτέρῳ σου, καὶ πλουσιωτέρῳ σου μὴ κοινώνει. (e) *Complut.* Πλούσιος ἠδίκησε, (*meliùs* ἠδίκησε,) καὶ αὐτὸς προσδεηθήσεται· Πτωχὸς ἠδίκηται, καὶ αὐτὸς προσαπειληθήσεται. *Rom.* Πλούσιος ἠδίκησε, καὶ αὐτὸς προσενεβριμήσατο. Πτωχὸς ἠδίκηται, καὶ αὐτὸς προσδεηθήσεται. (f) *Vide Senec. lib. 2 de Irâ, c. 33; & lib. 3, c. 14.* (g) *Juvenal. satyr. III, v. 300. Vide Grot. hîc.*
(h) Ἐὰν χρησιμεύσῃς, ἐργᾶται ἐν σοί· Καὶ ἐὰν ὑστερήσῃς, καταθλίψει σε. *Vulg. legit:* Καταλείψει σε. *optimè.*
(i) Χρείαν ἔσχηκέ σου, καὶ ἀποπλανήσει σε.

℣. 8. Et confundet te in cibis suis, donec te exinaniat bis & ter: & in novissimo deridebit te: & postea videns derelinquet te, & caput suum movebit ad te.

℣. 9. (Humiliare Deo, & expecta manus ejus.)

℣. 10. Attende, ne seductus in stultitiam humilieris.

℣. 11. (Noli esse humilis in sapientiâ tuâ, ne humiliatus in stultitiam seducaris.)

℣. 12. Advocatus a potentiore discede: ex hoc enim magis te advocabit.

℣. 13. Ne improbus sis, ne impingaris: & ne longè sis ab eo, ne eas in oblivionem.

℣. 14. Ne retineas ex æquo loqui cum illo: nec credas multis verbis illius: ex multâ enim loquelâ tentabit te, & subridens interrogabit te (de absconditis tuis.)

℣. 15. Immitis animus illius conservabit verba tua: & non parcet de malitiâ & de vinculis.

COMMENTARIUS.

℣. 8. CONFUNDET TE IN CIBIS SUIS (*k*). Opiparè te excipiet aliquoties, ut tu præ pudore cogaris idem facere; quos in sumptus fortunas tuas omnes exhauries. Bis aut ter idem faciet: at ubi te exhaustum viderit, ridebit. Spectare videtur eam Proverbiorum sententiam (*l*): *Quando sederis ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.* Septuaginta non habent cultrum, sed: *Porrige manum tuam* ad lancem, *videns quoniam oportet te similia parare.* Aliter: Te ad convivium lautissimum bis aut ter vocabit, eàque arte te coget id facere, quod sibi lubebit: cùm verò illud ex te impetraverit, te deridebit.

℣. 10. ATTENDE, NE SEDUCTUS IN STULTITIAM HUMILIERIS. Cave ne te stultè deprimas, teque decipi sinas. Vel, ex Græco (*m*): *Vide ne decipiaris mente, ac ne deprimaris amentiâ cordis tui.* Jungendus est hic versiculus cum octavo; nonus enim in Græco deest. Cave ne divitis opulentia, ejusque conviviorum splendor te fallant, aut hallucinentur: illa ne quære, neque ambitiosè illos imitare; ne postquàm fortunas tuas exhauseris, vulgi fabula fias, simulatorumque amicorum ludibrium.

℣. 11. NOLI ESSE HUMILIS IN SAPIENTIA TUA, NE HUMILIATUS IN STULTITIAM SEDUCARIS. Hunc versiculum non habet Græcus, quippe qui mera est superioris paraphrasis. Ne importunè te deprimas, neque minimùm de viribus tuis desperes. Forti animo esto, & ubi res postulaverit, veritatis & justitiæ causam intrepidè tuere. Cave ne vel metu vel animi infirmitate, vel importunâ humilitate illam deseras. Vera humilitatis virtus hominem in periculis rebusque adversis constantem facit; timidum cautumque in tranquillis & prosperis. S. Paulus, cui nemo par humilitate fuit, qui se Apostoli nomine indignum censuit, eòque constantior fiebat, ubi de Divini honoris causâ agetur. Ipsi Apostolorum Principi repugnavit, Galathas arguit, Corinthios, incestum hominem inter se ferentes, terruit; testatusque est, nihil penitos esse, non vitam, non mortem, non res præsentes aut futuras, non denique mala qualibet, quibus a Christi amore sejungeretur.

℣. 12. ADVOCATUS A POTENTIORE, DISCEDE; EX HOC ENIM MAGIS TE ADVOCABIT. Si carus optatusque Principibus ac Regi esse vis, cùm accersiris, causas necte, ne adeas. Prudentiæ lex est, ut rarò te conspicuum exhibeas, quæcumque demum sit virtus tua. Quoddam est simulacrorum genus, quæ longè prospicienda sunt (*n*). Hoc idem plerisque hominibus usu venit; & perpauci sunt, quibus adeo solida virtus est, ut diuturnum assiduumque examen ferat. Si sapiens es, inquit Salomon (*o*), *subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando satiatus oderit te.*

℣. 13. NE IMPROBUS SIS, importunus, NE IMPINGARIS, ne cui displiceas; AT NE LONGE SIS AB EO, NE EAS IN OBLIVIONEM. Græcus (*p*): *Noli te ingerere, ne repellaris sine discrimine*, uti multitudo ac vulgus pellitur. Alexandri Macedonis effatum erat: *Ad Principes, pariter ut ad ignem, neque accedendum nimis, neque nimis inde abscedendum, siquis nec uri velit, nec frigere.* Notum Principi esse, id utile homini est; at importunum & assiduum esse, periculosum.

℣. 14. NE RETINEAS EX ÆQUO LOQUI CUM ILLO, NEC CREDAS MULTIS VERBIS ILLIUS. Græcus verti potest (*q*): *Noli id curare, ut cum eo familiariter loquaris, neque longis illius sermonibus credas.* Longa Principum colloquia evita. Si morem illis gerere volueris, veritati nocebis; quòd si illam lædere nolueris, Principem fortasse offendes, teque illi odiosum ac despectum efficies. Si arcana tua illi aperias, his adversùs te utetur, teque contemnet, nullam omnino tibi fidem habens, quippe quem adeò levem putaturus sit, ut secreta a se tibi credita excidant, uti tua ipsi prodis.

℣. 15. IMMITIS ANIMUS ILLIUS CONSERVABIT VERBA TUA: ET NON PARCET DE MALITIA ET VINCULIS, teque & suppliciis & carcere cruciabit. Si quid in verbis tuis inveniat Princeps, quod vel metûs vel indignationis causam illi præbeat, si statim tacet; at deinde suam in te indignationem explicare non desinet: te torquebit, carcere afficiet,

(k) Καὶ αἰσχυνεῖ σε τοῖς βρώμασιν αὐτοῦ. (l) *Prov.* xxiii, 1. (m) Πρόσεχε μὴ ἀποπλανηθῇς τῇ διανοίᾳ. Καὶ μὴ ταπεινωθῇς ἐν ἀφροσύνῃ καρδίας σου. (n) *Lacides Cyrenæus*, *apud Laërt.* l. 4. (o) *Prov.* xxv, 17. (p) Μὴ ἔμπιπτε ἵνα μὴ ἀπωσθῇς καὶ μὴ μακρὰν ἀφίστασο ἵνα μὴ ἐπιλησθῇς. (q) Μὴ ἔπεχε ἰσηγορεῖσθαι μετ' αὐτοῦ, καὶ μὴ πίστευε τοῖς πλείοσι λόγοις αὐτοῦ. Grotius docet, verbum ἐπέχω usurpari pro προσέχω. Infra, xvi, 2; *Luc.* xiv, 7. & 1 *Timot.* iv, 16.

℣. 16. Cave tibi, & attende diligenter auditui tuo: quoniam cum ſubverſione tuâ ambulas.

℣. 17. Audiens verò illa quaſi in ſomnis vide, & vigilabis.

℣. 18. Omni vitâ tuâ dilige Deum, & invoca illum in ſalute tuâ.

℣. 19. Omne animal diligit ſimile ſibi: ſic & omnis homo proximum ſibi.

℣. 20. Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur.

℣. 21. Si communicabit lupus agno aliquando, ſic peccator juſto.

℣. 22. Quæ communicatio ſancto homini ad canem? aut quæ pars diviti ad pauperem?

℣. 23. Venatio leonis, onager in eremo: ſic & paſcua divitum ſunt pauperes.

COMMENTARIUS.

ciet, totaque calamitatis tuæ cauſa futura eſt inſania tua. Quis te aut coram te exhibere, aut loqui juſſit? Græcus (r): *Immitis* ſibimetipſi eſt, *qui non cuſtodit* linguam, ſervatque *ſermones ſuos; non parcet* Princeps: *te male tractabit, & in vinculis habebit.* Profectò ſuimetipſius inimicus eſt, qui Principis iram odiumque amentiâ ſuâ in ſe provocat.

℣. 16. ATTENDE DILIGENTER AUDITUI TUO: QUONIAM CUM SUBVERSIONE TUA AMBULAS, præcipitio proximus. Si nimis cautus es, perfidiæ in Principem ac ſimultatis argueris; ſi liber loquendo atque audax, periculo illius offenſionis atque inimicitiæ te objicis, uti Calliſthenes ſub Alexandro. Apud Principes ita vivendum eſt, uti qui aures habet, nihilque audit, & qui cùm oculis inſtructus ſit, videt nihil. Id ſequenti verſiculo fertur: *Audiens illa quaſi in ſomnis vide, & vigilabis.* Omnia attentis auribus excipe, nullumque attentionis indicium dederis: omnia obſervato, nihilque te videre ſimulato. Nimirum hoc eſt ſupremum politicæ prudentiæ faſtigium. Ita intelligi poteſt ℣. 17 (s): *Audiens hæc, in ſomno tuo vigila.* Vigilet mens, dum dormiunt oculi: ſi fieri poteſt, dormiens vigila.

℣. 18. OMNI VITA TUA DILIGE DEUM, ET INVOCA ILLUM IN SALUTE TUA. His verbis tota oratio clauditur. Tot inter pericula & inſidias, Deum unum ſectare, illique fidelis eſto, qui te incolumem inter diſcrimina præſtabit: *Diligentibus* enim *Deum omnia cooperantur in bonum* (t).

℣. 19. OMNE ANIMAL DILIGIT SIMILE SIBI; SIC ET OMNIS HOMO PROXIMUM SIBI. Ad propoſitum redit, nimirum, unicuique ſimilem ſui quærendum eſſe, amicoſque inter æqualis conditionis homines eſſe eligendos. Ut ſimilitudo, mores, conditionis & fortunæ æqualitas, ſtudiorum, ingeniorum conſiliorumque conjunctio amicos facit; ita contrarium inimicos. *Nec ob aliam cauſam ullam boni improbis, improbi bonis amici eſſe non poſſunt, niſi quod tanta eſt inter eos, quanta maxima eſſe poteſt, morum ſtudiorumque diſtantia* (u).

℣. 21. SI COMMUNICABIT LUPUS AGNO ALIQUANDO, SIC PECCATOR JUSTO. Lupi & agni amicitia in exemplum rei nullà ratione ſociandæ venit (x).

Lupis & agnis quanta ſortito obtigit,
Tecum mihi diſcordia eſt.

Iſaias (y), ut miram rerum converſionem, quæ Chriſto inter homines nato futura erat, ſignificaret, ait, lupum cum agno iiſdem in paſcuis eademque intra ſepta habitaturum; pardum & hœdum, leonem & vitulum ovemque pacificè ſimul cubaturos: homines ſcilicet ingenio, genere, religione quàm longiſſimè diſſitos, in Chriſtianâ Eccleſiâ coalituros. Agni & lupi apologum nemo ignorat; ac verior in dies fit inter eos, qui extra conditionis ſuæ fines amicos ſe validiores quærunt.

℣. 22. QUÆ COMMUNICATIO SANCTO HOMINI AD CANEM? Canis apud Hebræos animal impurum erat (z). Ii qui corporis puritati magnoperè ſtudebant, Legemque religioſè ſervabant, ſedulò cavebant, ne canem tangerent. Canis pro impuro etiam & impudico, cynico, contentioſo homine uſurpatur (a). Quî fieri poteſt, ut bonus homo cum hoc hominum genere amicitiam jungat? Nihil profectò opportunius eſt moribus corrumpendis (b). Græcus aliter fert (c): *Quæ pax Hyænæ & Cani? aut quæ pax diviti cum paupere?* Hyæna, rapax beſtia, noctu ad ſtabula adit, & vomentes imitatur. Canes qui audierint, accedunt, veluti ad hominem, quos illa correptos vorat. Ajunt etiam, tantam eſſe naturæ pugnam inter Hyænam & Canem, ut conſpectâ Hyænæ umbrâ *Canes obmuteſcant* (d). Hyæna lupo ſimilis formâ & magnitudine eſt, at humilior: villi lupo ſimiles, at longiores, ac rigentes: corpus nigris maculis amplioribus diſtinctum: caput ſpinæ dorſi abſque vertebris junctum; quamobrem totum corpus vertere cogitur, cùm aliquid ex latere intuetur: maxilla os continuum eſt, dentibus carens (e).

℣. 23. VENATIO LEONIS ONAGER IN EREMO; SIC ET PASCUA DIVITUM SUNT PAUPERES. Vetus jamdiù conſuetudo eſt, minores piſces a majoribus vorari, infirmaque & inermia animalia fortium atque armatorum prædam eſſe. Satis magnus eſt onager, at armis caret: totaque illius virtus eſt pedum pernicitas. Hunc aſſiduis inimicitiis proſequitur leo. Locupletes atque impii

id in

(r) Ἀνελεήμων ὁ μὴ συντηρῶν λόγους, καὶ ὁ μὴ φείσεται περὶ κακώσεώς σου, καὶ δεσμῶν,
(s) Ἀκούων ταῦτα, ἐν ὕπνῳ σου γρηγόρησον. (t) *Rom.* VIII, 28. (u) *Cicero de Amicitiâ.*
(x) *Horatius.* (y) *Isai.* XI, 6. (z) *Levit.* XI, 26; *Deut.* XXIII, 18.
(a) *Apoc.* XXII, 15: *Foris canes, & venefici, & impudici.* (b) *Theognis.*
Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιχθῇς ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.
(c) Τίς εἰρήνη ὑαίνῃ πρὸς κύνα; καὶ τίς εἰρήνη πλουσίῳ πρὸς πένητα; (d) *Plin. lib.* 8, *c.* 30; *Ælian. lib.* 7, *c.* 22. (e) *Vide Busbequium, Iter Amaſian. p.* 76, 77.

℣. 24. Et sicut abominatio est superbo humilitas, sic & execratio divitis pauper.

℣. 25. Dives commotus confirmatus ab amicis suis: humilis autem cùm ceciderit, expelletur & a notis.

℣. 26. Diviti decepto multi recuperatores: locutus est superba, & justificaverunt illum.

℣. 27. Humilis deceptus est, insuper & arguitur: locutus est sensatè, & non est datus ei locus.

℣. 28. Dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius usque ad nubes perducent.

℣. 29. Pauper locutus est, & dicunt: Quis est hic? & si offenderit, subvertent illum.

℣. 30 Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientiâ: & nequissima paupertas in ore impii.

℣. 31. Cor hominis immutat faciem illius, sive in bona, sive in mala.

COMMENTARIUS.

in Republicâ sunt, quod leo in nemore *(f)*.

℣. 24. SICUT ABOMINATIO EST SUPERBO INIQUITAS, SIC ET EXECRATIO DIVITIS PAUPER. Necesse est ut humilis, pauper, ac pius, superbo, diviti, atque impio horrori sint; illorum enim virtus assidua est horum exprobratio; & consueta inimicitiarum atque odii origo est, conditionis, sententiarum, doctrinarumque discrimen. Eos a quibus nos minimè amari scimus, & quos læsimus, plerumque odio habemus. Neque injuriâ existimat locuples, se ab inope neque amari, neque in pretio haberi; novitque, suas ipsius opes invisas illi esse, ac plerumque pauperum dispendio acquisitas.

℣. 25. DIVES COMMOTUS CONFIRMATUR AB AMICIS SUIS: HUMILIS AUTEM CUM CECIDERIT, EXPELLETUR ET A NOTIS. Si nutat locuples, illum regunt amici; at si pauper labitur, ipsi amici ruentem impellunt, velutì hominem, in præcipitio constitutum. *Præcipitantes impellere, certè est inhumanum*, inquit Cicero *(g)*. Sunt quibus non satis est pauperem negligere, atque inter rerum angustias, & conditionis obscuritatem relinquere, nisi etiam persequantur & affligant; & si ruinæ proximum videant, durè impellant, & labentem præcipitent. Psalmista hujusmodi hominum conditionem parieti pendenti, & ruinæ proximo comparat, qui impulsus statim ruit *(h)*: *Quousque irruitis in hominem, tamquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ?*

℣. 26. DIVITI DECEPTO MULTI RECUPERATORES; LOCUTUS EST SUPERBA, ET JUSTIFICAVERUNT ILLUM. Græcus *(i)*: *Dives si decipiatur, multos habet adjutores*, multi illum erigunt, vel sustinent: *locutus est secreta*, quæ dici non oportebat, *& justificaverunt eum*, commendaverunt. Ea est locupletum conditio, ut nunquam veritas illis planè aperiatur; quæque agunt vituperatione potiùs digna, quàm laude, commendentur. Ita illorum superbia atque arrogantia nutritur. Augentur vulnera, non curantur *(k)*: *Crescit culpa favoribus nutrita: curari vulnus negligitur, quod dignum præmio laudis videtur.*

℣. 28. DIVES LOCUTUS EST, ET OMNES TACUERUNT. Insana hominum persuasio est, divitem non nisi acri ingenio præditum esse posse, atque ex opibus omnes corporis animique virtutes proficisci *(l)*. Quibuslibet virtutibus fulgeas, si opes tibi desunt, nihil ea *(m)*.

Est animus tibi, sunt mores & lingua fidesque:
Plebs eris.

Si dives fueris, statim clarus es, fortis, justus, sapiens *(n)*:

.... Omnis enim res
Divitiis paret: quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam, & Rex,
Et quicquid volet.

℣. 30. BONA EST SUBSTANTIA, CUI NON EST PECCATUM IN CONSCIENTIA. ET NEQUISSIMA PAUPERTAS IN ORE IMPII, qui obloqui nunquam cessat. Ne putes, divitias a sapiente omnino damnari, omnesque inopes communiter probari, quamquam nemo ignorat, divites esse quosdam pios, & pauperes non deesse sceleratos; docet hic, opes bene partas, quibus bene uteris, malas non esse, & inopiam necessariam, cui additur impatiens animus, laude dignam non esse, utilemque saluti. Omnia munda mundis: at iis, qui animo corrupto sunt, perniciosa. *Divitiæ, ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis (o). Aurum & argentum, & cætera hujusmodi, quantum ad animi bonum spectat, nec bona sunt, nec mala: usus tamen horum bonus, abusio mala, sollicitudo pejor, quæstus turpior (p).* Avarus semper inops est, ac tristis: Justus piusque, suâ sorte contentus, verè locuples semper est.

℣. 31. COR HOMINIS IMMUTAT FACIEM ILLIUS.

(f) *Senec. lib. 1 de Clementiâ. Quid istud est occidere, sævire, delectari sono catenarum, & civium capita decidere, quocumque ventum est, multum sanguinis fundere, aspectu suo terrere, ac fugare? Quæ alia vita esset, si leones ursique regnarent?* (g) *Cicero, pro Rabirio Posthumo.* (h) *Psal. LXI, 4.*
(i) Πλούσιος σφαλέντος πολλοὶ ἀντιλήπτορες. Ἐλάλησεν ἀπόῤῥητα, καὶ ἐδικαίωσαν αὐτόν.
(k) *Gregor. Magn. lib. 4, Moral. c. 20.* (l) *Pindar. Pyth. Ode 8.*

..... Εἰ γάρ τις ἐσλὰ πέπαται,
Μὴ σὺν μακρῷ πόνῳ πολλοῖς σοφὸς
Δοκεῖ πεδαφρόνων.

(m) *Horat. Epist. lib. 1, Ep. 1.* (n) *Idem, satyr. 3, lib. 2. Vide Theognid.*

Πᾶς τις πλούσιον ἄνδρα τίει, ἀτίει δὲ πενιχρόν.
Πᾶσιν δ' ἀνθρώποις αὐτὸς ἔνεστι νόος.

(o) *Ambros. in Luc. lib. VI.* (p) *Bern. lib. 4 de Consider.*

℣. 32. Vestigium cordis boni, & faciem bonam difficilè invenies, & cum labore.

COMMENTARIUS.

Animi sententiæ plerumque ipsam oris speciem afficiunt; ac fieri nequit, ut quæ in animo sunt, prodente animum oris specie, prorsus lateant. Si tristis es, frustra hilaritatem simulas, cùm statim veritas prodeat (q):

Heu quàm difficile est imitari gaudia falsa!

Imago animi vultus est; indices, oculi (r).

℣. 32. VESTIGIUM CORDIS BONI, ET FACIEM BONAM DIFFICILE INVENIES. Hæc sententia superiori contraria esse videtur. At optimus ex eâ sensus elici potest, dum dicas, raros esse, quorum vultus & oris species cum animo consentit, quique prorsus sinceri sunt, & simulationis expertes. Græcus (s): *Vultus hilaris indicium est animi in rebus lætis versantis: at inventio sententiarum laboriosa est cogitatio.* Sapiens, sententiis parabolisque scribendis occupatus, nunquam hilari vultu est, ut ille, qui in rebus lætis ac tranquillis versatur. Acre studium & meditatio animum opprimunt, ejusque alacritatem hebetant, ipsumque os triste & austerum faciunt.

CAPUT XIV.

Patiens homo, quem nullius sceleris arguit conscientia, beatus. Avari & invidi descriptio. Bene omnibus facito: mortem vere: quare sapientiam.

℣. 1. BEatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, & non est stimulatus in tristitiâ delicti.

℣. 2. Felix, qui non habuit animi sui tristitiam, & non excidit a spe suâ.

℣. 3. Viro cupido, & tenaci sine ratione est substantia, & homini livido ad quid aurum?

℣. 4. Qui acervat ex animo suo injustè, aliis congregat, & in bonis illius alius luxuriabitur.

℣. 5. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? & non jucundabitur in bonis suis.

℣. 6. Qui sibi invidet, nihil est illo nequius: & hæc redditio est malitiæ illius.

COMMENTARIUS.

℣. 1. BEATUS VIR QUI NON EST LAPSUS VERBO EX ORE SUO, ET NON EST STIMULATUS IN TRISTITIA DELICTI (a). *Siquis in verbo non offendit, hic perfectus est vir* (b). Is, quem nullius criminis damnat conscientia, profectò felicissimus mortalium est. *Beatus vir, qui non est lapsus verbo*, &c.

℣. 2. FELIX QUI NON HABUIT ANIMI SUI TRISTITIAM, qui tristitiæ non cessit, ET NON EXCIDIT A SPE SUA. Qui in paupertate rebusque asperis in immodicam tristitiam aut desperationem lapsus non est, sed certam in Deo spem semper habuit, seque in adversis fortunæ casibus patientiâ muniit. Græcus (c): *Beatus qui non despondit animum in malis, & non dejectus est de spe suâ in Deum.* Alii reddunt: *Beatus quem non damnavit animus ipsius, &c.*

℣. 3. VIRO CUPIDO ET TENACI SINE RATIONE EST SUBSTANTIA: ET HOMINI LIVIDO AD QUID AURUM? *Lividus* hoc loco ceu vox synonima *avaro* usurpatur (d). Quem auri libido agit, hic auro non fruitur, & fruentibus invidet. Neque ipse utitur, neque utendum aliis dat. Pecuniæ servus est, pretium illius usumque nesciens (e).

Nescis quo valeat nummus, quem præbeat usum?

Optimus divitiarum usus est, illis uti cum modo, largè pauperibus dare, atque in æternos thesauros colligere, ubi neque æruginis neque furis discrimen timent (f). Denique, comparandi sunt amici ex opibus iniquitatis (g), inquit Christus.

℣. 4. QUI ACERVAT EX ANIMO SUO (opibus minimè utens) INJUSTE, ALIIS CONGREGAT. *Injustè* in Græco deest. Damnat hîc Sapiens illud hominum genus, qui commodis maximè innocuis ac necessariis carere malunt, ut divitias augeant; qui rebus omnibus abstinent, ut pecuniam servent (h). Hi aliis congregant, scilicet hæredibus, qui nullam ejus rei gratiam habituri sunt, ac profusè perdent ea, quæ avarus pater tam anxiâ sollicitudine comparavit. Avari hominis cæcitatem sæpè damnat Ecclesiasticus (i); atque hoc hominum genus satyrarum argumentum semper fuit. At morbus est, quo qui laborant, non facilè curantur.

℣. 5. QUI SIBI NEQUAM EST, CUI ALII BONUS ERIT? Avarus ita sibimetipsi sævus, ut rebus vitæ

(q) *Tibull.* (r) *Cicero lib. 3 de Oratore.* (s) Ἴχνος καρδίας ἐν ἀγαθοῖς, πρόσωπον θάλλον. Καὶ εὕρεσις παραβολῶν, διαλογισμὸς μετὰ κόπου. (a) *Non est stimulatus in tristitiâ delicti.* Οὐ κατενύγη ἐν λύπῃ ἁμαρτιῶν. *Complut.* Ἐν πλήθει ἁμαρτιῶν, *In multitudine peccatorum.* (b) *Jacobi* III, 2. (c) Μακάριος, οὗ οὐ κατέγνω ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, καὶ ὃς οὐκ ἔπεσεν ἀπὸ τῆς ἐλπίδος αὐτοῦ, τῆς ἐπὶ Κύριον. *Melius*, μακάριος οὗ οὐ κατέγνω. *Grot.* (d) *Vide infra*, ℣. 6, & 8; & XVIII, 18; XXXVIII, 12. *Grot. Bossuet.* (e) *Horat. lib. 1, Ep. 1.* (f) *Matth.* VI, 19, 20; *Luc.* XII, 33. (g) *Luc.* XVI, 9. (h) *Græc.* Ὁ συνάγων ἀπὸ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ. (i) *Eccle.* II, 18: IV, 7, 8; VI, 2.

℣. 7. Et si bene fecerit, ignoranter & non volens facit: & in novissimo manifestat malitiam suam.

℣. 8. Nequam est oculus lividi: & avertens faciem suam, & despiciens animam suam.

℣. 9. Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non satiabitur, donec consumat arefaciens animam suam.

℣. 10. Oculus malus (ad mala:) & non satiabitur pane: sed indigens, & in tristitiâ erit super mensam suam.

℣. 11. Fili, si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer.

℣. 12. Memor esto, quoniam mors non tardat, & testamentum inferorum quia demonstratum est tibi: (testamentum enim hujus mundi, Morte morietur.)

℣. 13. Ante mortem benefac amico tuo, & secundùm vires tuas exporrigens da pauperi.

COMMENTARIUS.

tæ necessariis abstineat, cui pius erit? Vetus proverbium est:

Avarus nisi cùm moritur, nil rectè facit.

℣. 7. SI *BENE* FECERIT, IGNORANTER ET NON VOLENS FACIT: *ET* IN NOVISSIMO MANIFESTAT MALITIAM SUAM. Siquem opibus, quas ipse collegit, uti videat, dolore rumpetur. Ipse divitiis uti non vult, & cæteros uti non patitur. Significare potest Græcus (k), avarum nonnisi invitum bene agere, ac post mortem solummodò; atque ad supremum usque spiritum necessariis rebus abstinere. Id optimè innuit sequens versiculus.

℣. 8. NEQUAM EST OCULUS LIVIDI: *ET* AVERTENS FACIEM SUAM, *ET* DESPICIENS ANIMAM SUAM. Vel: Avarus opes suas anxiè tuetur, turpiterque conservat. *Nequam oculus* apud Scripturas & profanos est oculus invidi. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* inquit Christus (l). Cur cæteris invides beneficia, quæ illis facio? *Bonus oculus*, apud Salomonem est homo munificus (m); *& panis nequam oculi* (n) est panis hominis avari. Dicit Sapiens, malum esse avari hominis oculum, ipsumque ab alienis calamitatibus faciem avertere, atque *animam suam despicere*, scilicet vitam; sævumque sibimetipsi esse, ipsoque in morbo necessariis remediis abstinere. Græcus (o): *Invidus oculo malus est, avertens faciem, & despiciens animas.* Avarus de suis ipsius opibus timet; easque cæteris ægerrimè tradit: a paupere, qui fame languet ac tabescit, oculos avertit.

℣. 9. INSATIABILIS OCULUS CUPIDI IN PARTE INIQUITATIS: NON SATIABITUR, DONEC CONSUMAT AREFACIENS ANIMAM SUAM. Auri cupiditate consumitur: nihil satis illi est; interque divitias omnibus eget. *Tam deest avaro quod habet, quàm quod non habet.* Græcus (p): *Avari oculus non impletur parte: & injustitia mali arefacit animam illius.* Insatiabilis convivæ instar, nihil illi satis est; neque illum satiat par cæteris portio, quam convivii dominus convivis distribuit: vorat oculis ea quæ cæteris dantur: animus livore consumitur. Ad Veterum morem respicit, qui cibos æquis partibus inter convivas distribuebant. Hoc optimè demonstrat versiculus qui statim sequitur.

℣. 10. OCULUS MALUS AD MALA: *ET* NON SATIABITUR PANE; *SED* INDIGENS, ET IN TRISTITIA ERIT SUPER MENSAM SUAM. Græcus luculentior est (q): *Oculus malignus*, avarus, *invidet sibi de pane, & in suâ ipsius mensâ egenus erit.*

. . . . Congestis undique saccis
Indormis inhians, & tamquam parcere sacris
Cogeris (r).

℣. 11. FILI, SI HABES, BENEFAC TECUM, *ET* DEO DIGNAS OBLATIONES OFFER. Ita claudit ea, quæ hactenus disputavit. Ne prodigus neque avarus sis: si opes tibi dedit Deus, illis utere cum gratiarum actione, atque ex sapientiæ legibus, neque primitiarum oblationumque, quas Deo debes, obliviscere. Græcus (s): *Fili, juxta id quod habes, benefac tibi ipsi: atque oblationes Domino debitas dignè deferas.* Jubet, unumquemque pro facultatibus quas habet, propriâque conditione, honestè vivere, publicisque religionis officiis satisfacere, uti vires ac fortunæ ferunt.

℣. 12. MEMOR ESTO QUONIAM MORS NON TARDAT, ET TESTAMENTUM INFERORUM QUIA DEMONSTRATUM EST TIBI. TESTAMENTUM ENIM HUJUS MUNDI: MORTE MORIETUR (t): scilicet: Memento, mortem non tardare, animoque versa eam sententiam, adversùs te pronunciatam, nimirum te sepulcro inferendum esse; ita enim fert sententia: Quilibet homo morietur. *Testamentum inferorum* est pactum vel sententia, quâ omnes homines morte damnantur. *Inferi* pro *sepulcro* hîc usurpantur. Græcus fert particulam negantem (u): *Memento quoniam mors non tardat, & testamentum inferorum non est demonstratum tibi.* Hoc solummodo fert Græcus: cætera in Latino addita sunt. Illud innuere videtur, quod Ethnicis placebat, *Aden*, seu Plutonem Inferorum Regem, quoddam cum hominibus fœdus iniisse, ut ipse unicuique vitam certo temporis spatio daret; quo elapso, suum in Regnum singuli reverterentur. Ignotus est dies migrationi constitutus; quidve decretum eo in fœdere de nobis sit, ignoramus.

Certo veniunt ordine Parcæ.
Nulli jusso cessare licet:
Nulli scriptum proferre diem (x).

℣. 13. ANTE MORTEM BENEFAC AMICO TUO, ET SECUNDUM VIRES TUAS EXPORRIGENS DA PAUPERI.

(k) Καὶ ἐὰν ἀγαθοποιῇ, οὐχ ἑκὼν ποιεῖ, καὶ ἐπ᾽ ἐσχάτων ἐκφαίνει τὴν κακίαν αὐτοῦ. (l) *Matth.* XX, 15. (m) *Prov.* XXII, 9. טוב עין היא יברך (n) *Prov.* XXIII, 6. לחם רע עין *Vide & Prov.* XXVIII, 22. (o) Πονηρὸς ὁ βασκαίνων ὀφθαλμῷ, ἀποστρέφων πρόσωπον, καὶ ὑπερορῶν ψυχάς. (p) Πλεονέκτου ὀφθαλμὸς οὐκ ἐμπίπλαται μερίδος, καὶ ἀδικία πονηροῦ ἀναξηραίνει ψυχὴν αὐτοῦ. (q) Ὀφθαλμὸς πονηρὸς, φθονερὸς ἐπ᾽ ἄρτῳ, καὶ ἐλλιπὴς ἐπὶ τῆς τραπέζης αὐτοῦ. (r) *Horat. satyr.* 1, *l.* 1. (s) Τέκνον, καθὼς ἐὰν ἔχῃς, εὖ ποίει σεαυτῷ, καὶ προσφορὰς Κυρίῳ ἀξίως πρόσαγε. (t) Postrema hæc verba in Græco non sunt hîc, sed ℣. 18: Ἡ γὰρ διαθήκη, ἡ ἀπ᾽ αἰῶνος, θανάτῳ ἀποθανῇ. (u) Μνήσθητι ὅτι θάνατος οὐ χρονιεῖ, καὶ διαθήκη ᾅδου οὐχ ὑπεδείχθη σοι. (x) *Senec. Hercul. fur.*

℣. 14. Non defrauderis a die bono, & particula boni doni non te prætereat.

℣. 15. Nonne aliis relinques dolores, & labores tuos in divisione sortis?

℣. 16. Da, & accipe, & justifica animam tuam.

℣. 17. (Ante obitum tuum operare justitiam:) quoniam non est apud inferos invenire cibum.

℣. 18. Omnis caro sicut fœnum veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi.

℣. 19. Alia generantur, & alia dejiciuntur: sic generatio carnis & sanguinis, alia finitur, & alia nascitur.

COMMENTARIUS.

13. Unâ hac re homo simillimus Deo fit, omnibus benefaciendo (y). Imperat Sapiens, ut pauperes eleemosynis, proximos officiis ante mortem prosequi festinemus; elapsâ enim vitâ, nullus superest bene agendi locus. Ita festinandum est, veluti quælibet dies ultima totius vitæ sit (z). Non habet hic Græcus, ut eleemosyna pauperibus detur, sed illud solummodò, ut amicos officiis prosequamur (a). *Antequam moriaris, amico benefac, & secundum vires tuas, exporrige manum, & da illi.* Quicquid potes officii illi præstato.

℣. 14. Non defraudesis a die bono, et particula boni doni non te prætereat. Hilaritate, innoxiisque voluptatibus per festos dies, *dies bonos*, a Lege concessis ne abstineto. *Dies boni* Hebræis sunt dies festi. Et victimarum partem, quæ tibi debetur, ut eâ convivium familiæ & amicis instruas, accipe. In sacrificiis pacificis, tota victimæ caro victimam exhibentis erat, præter adipem & cruorem, qui Domino offerebantur; & armum, ac pectus, quæ Sacerdotibus cedebant (b). Morali sensu, hic locus explicatur de bene agendi opportunitate nunquam negligendâ.

℣. 15. Nonne aliis relinques dolores et labores tuos? Avaros ne imitari vis, qui sibi ipsis panem cibosque metiuntur, omnique vitæ suavitate abstinent, ut hæredes ingratos prodigosque locupletiores relinquant?

℣. 16. Da, et accipe, et justifica animam tuam (c). Societatis jura cum amicis serva: Da & accipe, atque ut honestum hominem decet, re gere. Suavem & innoxiam vitam age, jucundâ amicorum proximorumque consuetudine, procul ab ambitione, superbiâ, luxu, iniquitate, avaritiâ. Concessis a Deo bonis utere, ex legum institutis, nimii illorum amoris, qui a Deo damnatur, expers. Aliter. *Da* pauperi, & *accipe* criminum veniam. Quoddam mercimonii genus est eleemosyna, Deum inter & hominem: cùm enim homo pauperi dat, Deo dare censetur, æternamque illi mercedem restituit Deus. En sacrum, piumque fœnoris genus.

℣. 17. Ante obitum tuum operare justitiam: quoniam non est apud inferos invenire cibum. Si hunc versiculum obvio statim sensu explices, difficilis est. Quæ enim justè agendi causa ea est, nimirum fore, ut cibos in sepulcro non inveniamus? Prior versiculi pars in Græco deest; & secunda ita eum versiculo superiore jungi potest: *Da & accipe, & oblectare*; vel, *sanctifica animam tuam*, ℣. 17, (d) *quoniam in sepulcro*, vel apud inferos, *non est quærere cibum*. Opibus suaviter, jucundè, piè cum amicis utere: alterâ enim in vitâ uti non poteris. Judaicum ingenium sapit hæc sententia: at cùm Sapiens avaros alloquatur, atque in avaris Ethnicos fortasse docere velit, ita loqui cum illis potest, uti ipsorum ingenium postulat, atque avaritiæ turpitudinem & insaniam, nullâ alterius vitæ malorum ratione habitâ, illis demonstrare. Profectò etsi naturam ipsam consulamus, illud honesto homini jucundissimum esse debet, ut suavem cum amicis vitam agat; post mortem enim societatis amicorumque conviviorum, quæ dulcissima totius vitæ condimenta sunt, suavitas sentiri non potest. Is tamen sedulò addit, innoxiam puramque vitam, atque adeò quicquid justitiæ, pudicitiæ, temperantiæ, modestiæ contrarium est, proscribit; atque hæ bene agendi causæ profanis, atque Judæis carnalibus exhiberi possunt, iis minimè exclusis, quæ ex religione petuntur. Vide quæ diximus in Ecclesiasten, de similibus dicendi formulis.

℣. 18. Omnia caro sicut foenum veterascet. Humanæ vitæ brevitatis meditatione discipulum hortatur, ut bene fortunis utatur. Hoc sedulò stude, ut benè vivas, non ut ingentem opum copiam tibi compares, cùm vita brevis adsò & fragilis sit. Eadem erat Ethnicis, atque interdum maximè sceleratis causa, ut voluptatibus avidiùs fruerentur. At simul hortatur Sapiens (e), ut sapientiam, justitiam, temperantiam, alterius vitæ contemplatione, sequamur; atque hinc fit, ut Sapiens longè superior sit nedum profanis, qui hujusmodi meditationibus utebantur, ut libidini præter modum servirent; verùm etiam philosophis, qui naturales solummodò causas afferebant, votaque omnia intra præsentis vitæ fines claudebant. Græcus fert (f): *Omnis caro ut vestis veterascit* (*Pactum enim, quod a sæculo* factum est, fert: *Morte morietur.*) Omnis caro *ut folium germinans in arbore densâ*. Hæc verba, *Pactum enim, quod a sæculo factum est, fert: Morte morietur*, hoc loco apud Vulgatam non leguntur, sed ℣. 22, ubi meliorem sententiam ferunt. Eâdem comparatione frondium ex arbore cadentium, iterum-

(y) *Synes. Ep.* 31: Τὸ γὰρ εὖ ποιεῖν ἓν τοῦτο μόνον ἔχουσι κοινὸν ἔργον ἄνθρωποι, καὶ Θεός.
(z) Βίου τὸ κέρδος, ἐκβιῶν καθ' ἡμέραν. *Nazianz.* (a) Πρίν σε τελευτῆσαι, εὖ ποίει φίλῳ, καὶ κατὰ τὴν ἰσχύν σου ἔκτεινον, καὶ δὸς αὐτῷ. (b) *Levit.* VII, 29, 30.
(c) Καὶ ἁγίασον τὴν ψυχήν σου, *Sanctifica animam tuam*. Legunt alii: Δικαίωσον, *Justifica*. Alii, ἀγάπησον, Ama animam tuam. Alii, ἀπάτησον, Seducito animam tuam, oblectare, tristitiam tuam concesso bonorum usu mitiga. (d) Ὅτι οὐκ ἔστιν ἐν ᾅδου ζητῆσαι τροφήν. *Edit. Rom.* Ζητῆσαι τρυφήν, *Quærere delicias*. *Ita Aldin. & alii*. (e) Vida ℣℣. 16, 21, 22, *& seq.* XV, 1, 2, *& seq.* (f) Πᾶσα σὰρξ ὡς ἱμάτιον παλαιοῦται· ἡ γὰρ διαθήκη, ἡ ἀπ' αἰῶνος, θανάτῳ ἀποθανῇ. Ὡς φύλλον θάλλον ἐπὶ δένδρου δασέος,

℣. 20. Omne opus corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur, ibit cum illo.

℣. 21. (Et omne opus electum justificabitur: & qui operatur illud, honorabitur in illo.)

℣. 22. Beatus vir, qui in sapientiâ morabitur, (& qui in justitiâ suâ meditabitur,) & in sensu cogitabit circumspectionem Dei.

℣. 23. Qui excogitat vias illius in corde suo, & in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi investigator, & in viis illius consistens:

℣. 24. Qui respicit per fenestras illius, & in januis illius audiens:

℣. 25. Qui requiescit juxta domum illius, & in parietibus illius figens palum, statuet casulam suam ad manus illius, & requiescent in casulâ illius bona per ævum.

℣. 26. Statuet filios suos sub tegmine illius: & sub ramis ejus morabitur.

℣. 27. Protegetur sub tegmine illius a fervore: & in gloriâ ejus requiescet.

COMMENTARIUS.

umque quotannis nascentium, utitur Homerus (g), ut hominum successionem significet quorum alteri nascuntur ut alteris quotidie morientibus succedant. Non uno in loco animadvertere licuit, hujus libri Scriptorem, qui post celeberrimos Græciæ authores floruit, nonnullas ex ipsis sententias hausisse.

℣. 20. OMNE OPUS CORRUPTIBILE IN FINE DEFICIET; ET QUI OPERATUR ILLUD, IBIT CUM ILLO. Nihil in hac vitâ permanens est: omnia hominum opera nihilo minus illo caduca sunt; mortalem enim naturam ab artifice referunt. Id quod efficitur, efficiente melius esse nequit. Mortalis homo rem immortalem parere non potest, nisi eâ ipsius parte, quâ ipse immortalis est. Hinc S. Paulus docet (h), eos qui in carne seminant, messuros esse corruptionem; eos verò qui seminant in spiritu, fructum spiritûs, atque æternæ vitæ messem relaturos.

℣. 21. ET OMNE OPUS ELECTUM JUSTIFICABITUR: ET QUI OPERATUR ILLUD, HONORABITUR IN ILLO. Versiculi superioris pars & explicatio est. Justitiæ, ac virtutis opera alterius planè naturæ sunt ac ea quæ mox recitavit, aliquando destruenda, non secùs ac illi, qui ea gesserunt. Illa æterna sunt, hæc mortalia. Hunc versiculum non habet Græcus.

℣. 22. BEATUS VIR QUI IN SAPIENTIA MORABITUR, &c. Postquam divitiarum inanitatem, avarorum insaniam, ac fragilitatem vitæ ostendit, demùm claudit, beatum esse hominem, qui sapientiam sectatur, ac providentiæ oculum, omnia videntem, nunquam obliviscitur. Duo sunt quæ necessariò ad beatitudinem requiruntur: Sapientiæ amor, & vigilantia, Divinæque voluntatis obsequium: sibi vigilare, opera virtutis agere, & Conditoris nunquam oblivisci. Græcus (i): *Beatus vir, qui in sapientiâ meditabitur bona, & qui in prudentiâ suâ disseret sancta*. Vel, ex aliis codicibus (k): *Beatus vir qui sapienter meditabitur, & prudenter disseret*.

℣. 23. QUI EXCOGITAT VIAS ILLIUS, ET IN ABSCONDITIS SUIS INTELLIGENS, VADENS POST ILLAM QUASI INVESTIGATOR, &c. Hæc vera est hominis beatitudo dum vivit. Græcus (l): Beatus vir *qui considerat vias suas in corde suo, & arcana ejus* (sapientiæ) *rimatur. Vade post illam quasi investigator*, pede pedem terens, atque omnia legens vestigia; *& in omnibus viis illius insidias ponens*. Ita vigil esto, ut venator in nemore, atque ut speculator, qui alicujus vestigia observat. Hac solertiâ quærenda est sapientia.

℣. 24. QUI RESPICIT PER FENESTRAS ILLIUS, ET IN JANUIS ILLIUS AUDIENS. Ita illam quære, uti cupidus amator per fenestræ cancellos aspiciens (m), atque ad amatæ fores assiduus. Eâdem comparatione usus est Salomon, sapientiam ita disserentem inducens (n): *Beatus homo qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei*.

℣. 25. QUI REQUIESCIT JUXTA DOMUM ILLIUS, ET IN PARIETIBUS ILLIUS FIGENS PALUM, STATUET CASULAM SUAM AD MANUS ILLIUS. Beatus cui satis non est sapientiam aliquando secutum esse, illamque aliud agendo aspexisse, quique sedem prope illam collocat. Infinita is bona inveniet; parvaque secus sapientiæ palatium casa Regiarum ædium splendori atque opulentiæ anteferenda est.

℣. 27. IN GLORIA EJUS REQUIESCET. Gloria, quâ fulget sapientia, ad ipsum usque tolletur; atque is sub illius majestatis fulgore quiescet. Spectare videtur hîc Author columnam e nube, quæ Israëlitas in solitudine ducebat (o). Te sapientia sub umbrâ proteget a solis æstu: suâ te gloriâ suoque lumine, quod ad te usque tolletur, illustrabit. Prodigiosæ Columnæ jubar frequenter sub Dei gloriæ appellatione significatur. CA-

(g) *Iliad.* VI.
Οἵη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν
Φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη
Τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη.
Ὣς ἀνδρῶν γενεή, ἡ μὲν φύει, ἡ δ' ἀπολήγει.

(h) *Galat.* VI, 8. (i) *Complut.* Μακάριος ἀνήρ, ὃς ἐν σοφίᾳ μελετήσει καλά, καὶ ὃς ἐν συνέσει αὐτοῦ διαλεχθήσεται ἅγια. (k) *Edit. Rom.* Μακάριος ἀνὴρ ὃς ἐν σοφίᾳ τελευτήσει, καὶ ὃς ἐν συνέσει αὐτοῦ διαλεχθήσεται. *Quidam Codd. addunt* ἅγια, *post* συνέσει. (l) Ὁ διανοούμενος τὰς ὁδοὺς αὐτῆς ἐν καρδίᾳ αὐτοῦ, καὶ ἐν τοῖς ἀποκρύφοις αὐτῆς ἐννοηθήσεται, ἔξελθε ὀπίσω αὐτῆς ὡς ἰχνευτής, καὶ ἐν ταῖς εἰσόδοις αὐτῆς ἐνέδρευε. (m) *Cant.* II, 9. (n) *Prov.* VIII, 34. (o) *Exod.* XXIV, 17; *Levit.* IX, 6, 23. *Vide Grot. hic.*

CAPUT XV.

Felicitas timentium Deum: his Sapientia sese communicabit: Deus peccati author non est. Deus homini libertatem, bonique ac mali optionem dedit.

℣. 1. QUI timet Deum, faciet bona: & qui continens est justitiæ, apprehendet illam.

℣. 2. Et obviabit illi quasi mater honorificata, & quasi mulier a virginitate suscipiet illum.

℣. 3. Cibabit illum pane (vitæ, &) intellectûs, & aquâ sapientiæ (salutaris) potabit illum: & firmabitur in illo, & non flectetur:

℣. 4. Et continebit illum, & non confundetur: & exaltabit illum apud proximos suos.

℣. 5. Et in medio Ecclesiæ aperiet os ejus, (& adimplebit illum spiritu sapientiæ, & intellectûs, & stolâ gloriæ vestiet illum.)

℣. 6. Jucunditatem, & exultationem thesaurizabit super illum, & nomine æterno hæreditabit illum.

℣. 7. Homines stulti non apprehendent illam, [& homines sensati obviabunt illi,] homines stulti non videbunt eam: longè enim abest a superbiâ & dolo.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUI TIMET DEUM, FACIET BONA: ET QUI CONTINENS EST JUSTITIÆ, APPREHENDET ILLAM, sapientiam. Græcus jungi debet cum superioribus (a): *Qui timet Dominum, faciet hæc*, quæ superiori capite dicta sunt, nimirum, sapientiam quæret, sedemque apud illam collocabit: *Et qui compos est cognitionis Legis, inveniet eam*. Non frustra quæret Sapientiam, obviam habebit. Magna sapientiæ pars est, Dei legem nosse: hoc solummodo agitur, ut cognitio in opus transeat; perfectâque sapientiâ potieris. Justus in solâ meditatione non sistit: manum operi admovet, ac justè agit; illud enim ipsi optimè compertum est (b): *Non in sermone est Regnum Dei, sed in virtute.*

℣. 2. OBVIABIT ILLI QUASI MATER HONORIFICATA (vel, ut venerabilis matrona): ET QUASI MULIER A VIRGINITATE (nupta virgo maritum) SUSCIPIET ILLUM. Illum sapientia ceu mater amantissima excipiet, atque uti nova nupta, quæ primos animi amores marito consecrat; aliter ac meretrix solet, quæ neminem verè amat; & vidua seu repudiata, quæ alterum maritum ducit. *Mulier a virginitate*, sive, ut Græcus fert (c), *uxor virginitatis*, ea est, quæ virgo adhuc & adolescentula ducitur. Eadem aliis in locis apud Hebræum est *mulier adolescentiæ* (d), scilicet, quæ in primo adolescentiæ flore ducitur, ac maximè omnium amatur.

℣. 3. CIBABIT ILLUM PANE VITÆ ET INTELLECTUS. Sapientiæ domum ingressus, omnia animi bona abundè inveniet: *Panem vitæ & intellectûs*. Apud Græcum non est τὸ *vitæ*. Illius animum ac mentem pulcherrimarum atque editissimarum rerum cognitione nutriet: *Sapientiæ aquam* illi propinabit, vivam nimirum aquam, quæ in æternam usque vitam exilit (e); dogmata gravissima & solidissima, quibus & vitæ bene agendæ, & acquirendæ salutis rationem docetur. Hujus hominis sedes in Sapientiæ domo est, non paucorum dierum spatio, sed æternum mansura; neque unquam ab eâ avelletur. *Firmabitur in illo, & non flectetur*, &c. Græcus (f): *Firmabitur super eam, & non inclinabitur: & illam continebit, & non confundetur*: spes illum sua non fallet: illam semper possidebit.

℣. 4. EXALTABIT ILLUM APUD PROXIMOS SUOS. Vel ex Græco (g): *Efferet eum supra æquales suos*. Illum gloriâ atque honore inter cæteros competitores instruet. Hos sapiens moderabitur; ipsumque gloria ubique prosequetur.

℣. 5. ET IN MEDIO ECCLESIÆ APERIET OS EJUS. Quæ sequuntur, in Græco desunt: *Et adimplebit illum spiritu Sapientiæ & intellectûs, & stolâ gloriæ vestiet illum*. Quæ verba desumpta esse videntur ex tertio hujus Capitis versiculo, & ex ℣. 31 Capitis VI. *Ecclesia* significat cœtus vel Religionis vel populi, ob civilia negotia. In utrisque, sapientem cum obsequio & admiratione omnes audiunt.

℣. 6. JUCUNDITATEM ET EXULTATIONEM THESAURIZABIT SUPER ILLUM, ET NOMINE ÆTERNO HÆREDITABIT ILLUM; æterni nominis ac famæ hæredem efficiet. *In memoriâ æternâ erit justus*, inquit Psalmista (h), *ab auditione malâ non timebit*. *Habebo per hanc*, subdit Sapiens (i), *immortalitatem, & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam*. Græcus fert (k): *Lætitiam & gaudii coronam adipiscetur; & nomen perpetuum hæreditario jure habebit.*

℣. 7. HOMINES STULTI NON APPREHENDENT ILLAM: ET HOMINES SENSATI OBVIABUNT ILLI. Se

se

(a) Ὁ φοβούμενος τὸν Κύριον ποιήσει ταῦτα, καὶ ὁ ἐγκρατὴς γνώσεως νόμου, εὑρήσει αὐτήν.
(b) 1 Cor. IV, 20. (c) Ὡς γυνὴ παρθενίας. (d) Prov. II, 17; V, 18. אשת נעוריך Malach. II, 14, 15; Joël. I, 8; Ezech. XVI, 60. (e) Joban. IV, 14. (f) Στηριχθήσεται ἐπ' αὐτὴν, καὶ οὐ μὴ κλιθῇ. Καὶ ἐπ' αὐτῆς ἐφέξει, καὶ οὐ μὴ καταισχυνθῇ. (g) Ὑψώσει αὐτὸν παρὰ τοὺς πλησίον αὐτοῦ.
(h) Psal. CXI, 7. (i) Sap. VIII, 13. (k) Εὐφροσύνην καὶ στέφανον ἀγαλλιάματος εὑρήσει, καὶ ὄνομα αἰῶνος κληρονομήσει. Complut. addit, αὐτόν,

℣. 8. Viri mendaces non erunt illius memores: [& viri veraces invenientur in illâ, & successum habebunt usque ad inspectionem Dei.]

℣. 9. Non est speciosa laus in ore peccatoris.

℣. 10. (Quoniam a Deo profecta est sapientia:) sapientiæ enim Dei astabit laus, & in ore fideli abundabit, & Dominator dabit eam illi.

℣. 11. Non dixeris: Per Deum abest: quæ enim odit, ne feceris.

℣. 12. Non dicas: Ille me implanavit: non enim necessarii sunt ei homines impii.

℣. 13. Omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum.

℣. 14. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui.

COMMENTARIUS.

se impiis atque insanis minimè impartitur Sapientia; vel justos ac sapientes facit. Græcus pauld aliter fert; ita enim legit ℣℣. 7 & 8 (l): *Et non comprehendent eam homines insipientes, nec viri peccatores videbunt eam. Procul abest a fastu; & viri mendaces non recordabuntur illius.* Monet frequenter Sapiens, sapientiam in animo injusto, superbo, simulato, mendaci locum habere non posse; quippe quæ in moribus innocentiam, in sententiis humilitatem, atque in mentis proposito sinceritatem postulat. *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum* (m).

℣. 9. Non est speciosa laus in ora peccatoris. Dedecet impium scelesto ore Divinas laudes celebrare. Huic optimè convenit Divina illa apud Psalmistam objurgatio (n): *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? tu verò* qui *odisti disciplinam, & projecisti sermones meos retrorsum.* Animadvertit S. Chrysostomus (o), quicquid animalium, ac rerum creatarum est, ipsosque angues & dracones, ad Divinarum laudum communionem a Davide vocari; nunquam verò peccatorem. Aliam sententiam fert Græcus (p): *In ore scelerati malè sonat sententia*, parabola, sententiosa oratio; (℣. 10) *quoniam a Domino missa non est ei; cum Sapientiâ enim dici solet sententia, & Dominus prosperabit eam.* Non omnium est gravem orationem instituere, ac sententias sapientiæ plenas pronunciare: ea propria est sapientum laus. Similes huic sunt duo proverbiorum loci (q): *Indecens est in ore stultorum parabola.* Et (r): *Non decent stultum verba composita.*

℣. 10. Quoniam a Deo profacta est sapientia. Multo brevior in Græco est hic versiculus, jungendusque est cum superiori, apud quem hujus explicationem vide.

℣. 11. Non dixeris: Per Deum abest (si Sapientiâ careo, ejus rei causa Deus est): Quæ enim odit, ne faceris. Humanæ infirmitatis, ignorantiæ, insipientiæ causa esse nequit Deus; cum enim vitia sint, meræque privationes, quæ nihil continent, quod re atque actu sit, eas facere Deus non potuit. Nos ille instruxit animo, cui scientia, sapientia, æquitas conveniunt: quamobrem si iis caremus, a Deo flagitandæ sunt; servandæ colendæque, si illis potimur; ac laborandum nobis est ut eas acquiramus, quantum hominis labor atque industria juvare illum in ipsarum acquisitione conantem potest. Dei enim misericordia & gratia hominis laborem & conatus minimè excludit. Est naturalis quædam scientia & Sapientia, quam nostro ipsorum studio possumus adipisci: ut verò utilis æternitati sit, Divino est opus auxilio, assiduis precibus flagitando, quippe quo si careamus, nulli penitus rei bene gerendæ pares sumus. Græcus legit (s): *Ne dixeris, Per Dominum fit quod recessi* ab officio meo. *Quæ enim ipse odit, cur facis?* Scelerum errorumque tuorum culpam aut Deo aut Providentiæ ne tribuas. Hujus sententiæ occasione, disputationem de libero arbitrio institui.

℣. 12. Non dicas: Ille me implanavit, in errorem induxit: non enim necassarii sunt ei homines impii. Atrocissimum facinus est, si dicas, te inductum esse a Deo in errorem ac scelus. Quorsum enim te ille seduxerit, atque in errorem induxerit? Quid illi opus est impio? Quæ illi utilitas, quæ gloria, quod bonum ex hominum scelere & iniquitate est, quæ maximè omnium odit, ipsique maximè contraria sunt? *Nemo, cùm tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur*, inquit S. Jacobus (u); *Deus enim intentator malorum est*; neminem enim tentat Deus, ut male agat. Is hominum exitio minimè gaudet (x), neque mortem impii vult, sed ut convertatur & vivat (y).

℣. 13. Omne execramentum erroris odit Dominus. Quî fieri potest, ut Deus hominem in scelus atque impietatem trahat, cùm ea tantopere oderit? Utrùm ne creaturæ odio, an ut sibi ipsi molestiam pariat?

℣. 14. Deus ab initio constituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui. Plures sunt e Theologis, qui hunc locum de beatissimo naturæ statu, in quo conditus est Adam, interpretentur. Præsens semper illi aderat gratia, eò ferri parata, quò ipsius voluntas moveret: perfecta illi erat in bonum malumque libertas: neque in malum rapiebatur concupiscentiæ pondere, neque gratiæ prævenientis illecebris ac sua-

(l) Οὐ μὴ καταλήψονται αὐτὴν ἄνθρωποι ἀσύνετοι, καὶ ἄνδρες ἁμαρτωλοὶ οὐ μὴ ἴδωσιν αὐτήν. Μακράν ἐστιν ἀπὸ ὑπερηφανίας, καὶ ἄνδρες ψεῦσται οὐ μὴ μνησθήσονται αὐτῆς. (m) *Sap.* I, 4. Vide & *Prov.* VIII, 13: *Johan.* XIV, 17; *Jacobi*, IV, 6; *Isai.* LXVI, 2. (n) *Psal.* XLIX, 16. (o) *Chrysost. Orat. habitâ, cùm Presbyter esset ordinatus.* (p) Οὐχ ὡραῖος αἶνος ἐν στόματι ἁμαρτωλοῦ. Ὅτι οὐ παρὰ Κυρίου ἀπεστάλη αὐτῷ. Ἐν γὰρ σοφίᾳ ῥηθήσεται αἶνος, καὶ ὁ Κύριος εὐοδώσει αὐτόν. (q) *Prov.* XXVI, 7. (r) *Prov.* XVII, 7. (s) Μὴ εἴπῃς, ὅτι διὰ Κύριον ἀπέστην, ἃ γὰρ ἐμίσησεν οὐ ποιήσεις. (t) *Græc.* Μὴ εἴπῃς, αὐτός με ἐπλάνησε. *Complut.* Ἔπλασεν, *ipse me fecit*, qualis sum, malum, vitiis plenum, sceleratum. *Planus*, olim dicebatur homo fallax, deceptor. *A. Gell. lib.* 16, *cap.* 7. (u) *Jacobi*, I, 13. (x) *Sap.* I, 13. (y) *Ezech.* XXXIII, 11. Vide *Aug. De gratiâ & lib. arbit. cap.* 2; Et *Eccli.* XV, 22; XVI, 5,

℣. 15. (Adjecit mandara, & præcepta sua.)

℣. 16. Si volueris mandata servare, (conservabunt te,) & in perpetuum fidem placitam facere.

℣. 17. Apposuit tibi aquam, & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam.

℣. 18. Ante hominem vita & mors, (bonum & malum:) quod placuerit ei, dabitur illi.

COMMENTARIUS.

suavitate ad bonum alliciebatur: in consilii sui potestate absolutissimè constituto, ut ait hoc loco Sapiens, minimè opus erat, quemadmodum nobis est, assiduis precibus a Deo flagitare opem & gratiam, quæ bene agentes præveniat, comitetur, & ad finem usque prosequatur. *Tale quippe adjutorium erat, quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet; non quo fieret ut vellet. Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam: sed hac potentior est in secundo Adam* (z).

At si totam Sapientis orationem probè inspicias (a), de præsenti hominum statu, qualis post Adami peccatum est, loqui videtur; absolutâ scilicet bene aut male agendi potestate, ac libertate resistendi gratiæ sive concupiscentiæ motibus, atque obsequendi. Denique hoc solummodo velle videtur, ut omnem excusationis locum impiis auferat, conantibus in Deum ipsum flagitiorum scelerumque suorum causam rejicere, cùm dicant, suam ipsorum naturam ita a Deo conditam esse in malum inclinatam, ut resistere nequeant, ac peccati fontem & initium intra semetipsos experiri, cujus causa ipsi non sunt, &c. His objicit Sapiens, fieri non posse, ut author sit mali Deus, cùm illud oderit, vetet, puniat: ipsi minimè deberi malum naturæ pondus, quod in homine est; ipsumque vinci posse, cùm Deus hominem liberum condiderit, ac in sui consilii potestate reliquerit, qui vel in bonum liberè ferri possit gratiæ ope, vel vitio voluntatis in malum.

℣. 15. ADJECIT MANDATA ET PRÆCEPTA SUA. Si nos Deus minimè liberos condidit, adeo ut in bonum malumve liberè ac sponte non feramur, cur præcepta dedit, ut hæc faciamus, his abstineamus? cur inter se ac nos mutuum fœdus sancivit? Hic versiculus in Græco deest.

℣. 16. SI VOLUERIS MANDATA SERVARE, CONSERVABUNT TE. Opem ferente Deo, præceptis obtemperare, aut repugnare pro arbitrio potes. Si obtemperas, ea te incolumem a supremâ omnium calamitate servabunt: si repugnas, iræ atque ultioni Omnipotentis obnoxium te facis. Jungendus est Græcus cum ℣. 14 in hanc sententiam (b): *Deus hominem ab initio condidit, eumque in consilii sui potestate reliquit, (16) ut, si velit, mandata servet, & fidem, faciendo quæ ipse vult.* Versiculum 15, qui duos hosce versiculos sejungit, in Græco non esse, jam animadvertimus.

℣. 17. APPOSUI TIBI AQUAM ET IGNEM: AD QUOD VOLUERIS, PORRIGE MANUM TUAM. Aqua bonum, ignis malum significat. Illa suavis & commoda est; hic perniciosus, & omnia destruens. Hominem igitur Deus inter aquam ignemque constituit; utrumque eligere liberè potest; summum bonum vel summum malum; Legis obsequium aut contemptum. Rationis lumine instruitur, omnibus communi, quo prima moralis disciplinæ principia docetur. Scriptæ Leges ipsi sunt, quæ quid Deus scriptis sanctionibus ab eo postulet, illum monent: quamobrem uno ex homine pendet aut legem servare, Dei gratiâ opem ferente, aut violare; manumque vel ad ignem, vel ad aquam porrigere (c). Hæc verissima omnium est, & vulgo probatissima hujus loci interpretatio; quæ optimè cum superioribus, & cum iis quæ sequuntur, convenit. Similis huic est Deuteronomii locus (d): *Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & e contrario mortem & malum: ut diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus.* Quæ verba collectio sunt eorum quæ superiùs dicta fuerant: *Mandatum hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, ut possis dicere: Quis nostrûm valet ad Cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, ut audiamus, atque opere compleamus? Neque trans mare positum: ut causeris, & dicas: Quis e nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos usque deferre: ut possimus audire & facere, quod præceptum est? sed juxta te est sermo valdè, in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & mortem*, &c. scilicet omnia malorum genera, si datam fœderi meo fidem violes; bona omnia, si fidem serves. Tuum est, inter duo hæc extrema eligere; fidem & vitam; perfidiam & mortem. Simile quid habet Jeremias (e); Jerosolymitanos enim cives, copiis Nabuchodonosoris obsessos, alloquens, ait: *Hæc dicit Dominus: Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis. Qui habitaverit in urbe hac, morietur gladio & fame & peste: qui autem transfugerit ad Chaldæos, vivet.*

Sunt qui *aquâ & igne* liberum rerum humanarum usum significari putent. Hominem Deus in mundo constituit, ceu Regem absolutâ potestate instructum, aquæ & ignis dominum, utriusque scilicet principii rerum omnium vitæ maximè necessarii, a quibus cætera oriuntur. Ipsemet Ecclesiasticus (f) aquam ignemque cæteris rebus hominum incolumitati necessariis præfert: *Initium necessariæ rei, aqua & ignis*, &c. Qui proscripti erant, aquâ & igni interdicebantur; eademque novæ nuptæ in nuptiis tangenda tradebantur (g).

An quòd in his vitæ causa est, hæc perdidit exul?
His nova fit conjux, hæc duo magna putant.

Apud Veteres, ignis & aqua, ceu prima hominum formationis atque conservationis principia (h), & civilis, ac socialis vitæ bonorum symbolum habebantur. Suum est huic explicationi pretium.

℣. 18. ANTE HOMINEM VITA ET MORS, BONUM ET MALUM; QUOD PLACUERIT EI, DABITUR ILLI. Felix esse aut miser potest, si bene vel male agat. Si virtutem, ac justitiam sectatur, æternam felicitatem acquiret; si scelus ac libidinem, Dei indignationem subibit, seque malis omnibus, quæ Deus perfidis minitatur, obnoxium sentiet.

℣. 19. Quo-

(z) *August. lib. de corrept. & gratiâ, c. 11, n. 35.* (a) Vide ℣℣. 12, 13, & 21. (b) Ἐὰν θέλῃς, συντηρήσεις τὰς ἐντολὰς, καὶ πίστιν ποιῆσαι εὐδοκίας. Meliùs: Ἐὰν θέλῃς συντηρῆσαι. (c) *Vide Raban. Lyr. Jans. Paluc. Cornel. a Lapide, alios passim.* (d) *Deut.* xxx, 15. (e) *Jerem.* xxi, 8. (f) *Eccli.* xxxix, 31. (g) *Ovid. Fast. lib.* 4. (h) *Varro, lib. 4 de Linguâ Latinâ: Causa nascendi duplex; aqua, & ignis.*

℣. 19. Quoniam multa sapientia Dei, & fortis in potentiâ, videns omnes sine intermissione.

℣. 20. Oculi Domini ad timentes eum: & ipse agnoscit omnem operam hominis.

℣. 21. Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi.

℣. 22. (Non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium & inutilium.)

COMMENTARIUS.

℣. 19. QUONIAM MULTA SAPIENTIA DEI, ET FORTIS IN POTENTIA. Infinitâ Deus sapientiâ hominem his omnibus instruxit, quæ necessaria sunt, ut felix efficiatur, si velit; cùmque infinita sit ipsius potentia, hominem æterno supplicio miserum reddere potest, si is Divinæ voluntati repugnet, divinisque beneficiis abutatur. Nullus igitur excusationis locus homini est, cùm ipse inter aquam & ignem, vitamque & mortem constitutus, utrumque pro arbitrio eligere possit.

℣. 20. OCULI DOMINI AD TIMENTES EUM; ET IPSE AGNOSCIT OMNEM OPERAM HOMINIS. Supremus hic judex, quicquid agimus, severè expendit, atque omnia mentis nostræ secreta rimatur. Si peccare non veremur, nostram ille perfidiam punire non cessabit: at si morem illi integrâ fide gesserimus, nos ille beneficiis cumulabit, atque amicâ sollicitudine tuebitur. Ne igitur putes parem esse bonorum malorumque sortem, eodemque loco a Deo habesi vitium, atque virtutem; vel potiùs utrumque a Deo negligi. In peccantes ira ipsius sævit; & eos qui fidem servant, beneficiis cumulat.

℣. 21. NEMINI MANDAVIT IMPIE AGERE, ET NEMINI DEDIT SPATIUM PECCANDI. Quamobrem nemo sibi impunitatem polliceatur. Peccare omnes communiter homines vetuit, ac neminem in eâ rerum necessitate constituit, ut peccare cogatur. Libero unusquisque arbitrio instruitur, quo bene, vel male uti potest. Qui peccaverit, ex peccati gravitate punietur. Nemo causari potest aut peccandi necessitatem, aut libertatis defectum, aut impunitatem sibi uni ab Omnipotente concessam. Siquando narrat Scriptura, Deum e. g. Semei imperasse, ut male Davidi imprecaretur (i), ac Tyrannos misisse, quorum sævitiâ Israëlitæ opprimerentur, hæc illud significant, Deum permisisse, ut Semei, Davidi maledicens, malam animi sui libidinem sectaretur: *Voluntatem proprio vitio malam in hoc peccatum suo justo & occulto judicio inclinavit (k)*. Idem dicito de Assyriorum & Babyloniorum simultate in Hebræos. Deus populum puniturus, permisit, ut nihil populi hostibus resisteret, quin furori suo satisfacerent. Arcanis verò, licèt justissimis, Sapientiæ suæ consiliis, Assyriorum animos convertere, illorumve victorias coërcere noluit; at neque coëgit impulitque ut sceleste agerent, ac liberos omnino reliquit.

℣. 22. NON ENIM CONCUPISCIT MULTITUDINEM FILIORUM INFIDELIUM ET INUTILIUM. Idem dixerat superiùs, ℣. 12. *Ne dicas: Ille me in errorem induxit: Non enim necessarii sunt ei homines impii*. Tales filios talesque creaturas non curat. Quis igitur Deum impulerit, ut malos scelestosque procrearet? Hic ℣. in Græco deest; ac fortasse ad primum sequentis Capitis versiculum, *Ne jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur*, latinus Interpres respexit, cùm hæc addidit. Scelestam, inutilemque sobolem non amat Deus. Hinc colligit author, tales filios jucundos esse parentibus non debere.

CAPUT XVI.

Nulla felicitas est ingens filiorum numerus, qui Deum non verentur. Supplicium, quo Deus gigantes ante diluvium afflixit. Sodomæ Cives, & seditiosos in deserto Israëlitas puniit. Providentia Dei in bonos. Divinorum operum sapientia.

℣. 1. NE jucunderis in filiis impiis, si multiplicentur: nec oblecteris super ipsos, si non est timor Dei in illis.

℣. 2. Non credas vitæ illorum, & ne respexeris in labores eorum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. NE JUCUNDERIS IN FILIIS IMPIIS. Novum dicendi argumentum. Sapiens parentes docet, quanti momenti sit optima liberorum institutio. Te neque ingens liberorum numerus, neque robur, neque juventus delectent. Optabilior est unus, & is sapiens, quàm plures & impii: utilius est liberis prorsùs carere, quàm habere sceleratos. Græcus (a): *Ne concupiscens liberorum multitudinem inutilem, & ne læteris in filiis impiis. Si multiplicati fuerint, ne gaudeas, nisi timor Domini cum illis sit.*

℣. 2. NON CREDAS VITÆ ILLORUM, ET NE RESPEXERIS IN LABORES EORUM. Ne speres fore, ut hi nomen tuum in futuras ætates provehant, aut laboribus suis genus tuum illustre aut gloriosum efficiant. Hominum vita in Dei potestate sita est, ac felix laboris illorum exitus ab ipsius favore pendet. Græcus (b): *Ne credas vita illorum, neque*

(i) 2 *Reg.* XVI, 10. (k) *August. de Grat. & lib. arb. cap.* 20. (a) Μὴ ἐπιθύμει τέκνων πλῆθος ἄχρηστον, μηδὲ εὐφραίνου ἐπὶ υἱοῖς ἀσεβέσιν μετ' αὐτῶν. (b) Μὴ ἐμπιστεύσῃς τῇ ζωῇ αὐτῶν, καὶ μὴ ἔπεχε ἐπὶ τὸ πλῆθος αὐτῶν.

℣. 3. Melius eſt enim unus timens Deum, quàm mille filii impii.

℣. 4. Et utile eſt mori ſine filiis, quàm relinquere filios impios.

℣. 5. Ab uno ſenſato inhabitabitur patria: tribus impiorum deſeretur.

℣. 6. Multa talia vidit oculus meus: & fortiora horum audivit auris mea.

℣. 7. In ſynagogâ peccantium exardebit ignis, & in gente incredibili exardeſcet ira.

℣. 8. Non exoraverunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes, qui deſtructi ſunt confidentes ſuæ virtuti:

℣. 9. Et non pepercit peregrinationi Lot, & execratus eſt eos præ ſuperbiâ verbi illorum.

℣. 10. Non miſertus eſt illis, gentem totam perdens, & extollentem ſe in peccatis ſuis.

℣. 11. Et ſicut ſexcenta millia peditum, qui congregati ſunt in duritiâ cordis ſuis: & ſi unus fuiſſet cervicatus, mirum ſi fuiſſet immunis.

COMMENTARIUS.

que horum turba janitere. Achabo, quamvis ſeptuaginta liberorum coronâ cincto, nullus Regni hæres fuit; cùm Jehu & patrem & natos necaverit (c). Par filiorum numerus Gedeoni erat, quos Abimelech, Gedeonis filius ex concubinâ, omnes, præter Joatbanum, natu minimum, interfecit (d). Abraham e contra unius filii pater, quàm ingenti poſterorum numero auctus eſt? Romana Editio (e): *Ne fretus ſis loco ipſorum*, dignitate, qua inter homines fortaſſe fulgent.

℣. 3. Melius est enim unus timens Deum, quam mille filii impii. Græcus (f): *Melior eſt unus, quàm mille*. Vulgatæ Author addidit, ex Sapientis mente: *Melior eſt unus timens Deum, quàm mille impii*. Hujus rei cauſam affert ℣. 5, *& ſeq.*

℣. 5. Ab uno sensato inhabitabitur patria: tribus impiorum deseretur. Sapiens homo & cordatus urbes & imperia condet; inſanus evertet. Romulus & Theſeus, quamvis liberis carerent, alter Romam, alter Athenas condidere: Priamus, eum ingenti ſobole, ob filiorum libidinem, Trojæ, patriæ, Imperii, familiæ exitium vidit. Pro his verbis, *Tribus impiorum deſeretur*, Codices plures ferunt (g): *Et a tribus impiis deſeretur*. Sixtina: *A tribu impiorum deſeretur*. Alii: *A tribubus impiorum deſeretur, &c.*

℣. 7. In synagoga peccantium exardebit ignis. Bellum, tumultus, ſeditio in impiorum familiis ſævient; ac Deo permittente, foris ab hoſtibus, domi ſeditione penitus deſtruentur. Ignis bellum ſignificat, & cætera mala, quæ a divinâ indignatione naſcuntur (h). *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad inferni noviſſima.*

℣. 8. Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes, ſcelerum veniam non impetravere. Illos Deus ſuperbiæ, arrogantiæ, inaniſque virium ſuarum fiduciæ causâ delevit. Gigantes ſignificat, Diluvio priores, qui quamquam numero & viribus formidabiles, communibus aquis merſi ſunt. Græcus (i): *Non placatus fuit Deus antiquis omnibus gigantibus, qui deſciverunt*. Codices quidam addunt: *Qui deſciverunt in fortitudine inſipientia ſua.*

℣. 9. Non pepercit peregrinationi Lot, urbi, in quâ Lot peregrinus morabatur. Sodomitas ob ipſorum ſuperbiam horrori habuit: *Præ ſuperbiâ verbi illorum*. Vulgatæ Author addidit *verbi*, quæ vox in Græco deeſt (k), fortaſſe ut ſceleratæ urbis civium impudentiam innueret, qui turpiſſimam libidinem palam profiteri non verebantur. Hoc ſatis innuitur ℣. 10: *Gentem extollentem ſe in peccatis ſuis*, flagitiis gloriantem. Ezechiel (l) Sodomitarum ſcelera deſcribens, ſuperbiam atque arrogantiam non prætereit: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium.*

℣. 11. Sicut sexcenta millia peditum, qui congregati sunt (conſpiravere) in duritia cordis sui. Iſraëlitas ſignificat, qui ex Ægypto, Moyſe duce, profecti, Deum in ſolitudine irritaverunt, iteratiſque ſeditionibus eò impulerunt, ut ipſos in diuturno quadraginta annorum itinere penitus conficeret. Narrat Moyſes, Iſraëlitas armis aptos, ſexcenties millenos fuiſſe, præter fœminas, ſenes ac pueros, cùm ex Ægypto egrederentur (m). Græcus in quibuſdam codicibus addit (n): *Flagellans, miſerans, percutiens, ſanans Dominus, miſeratione ac correptione conſervavit*. Miſtâ cum ſeveritate clementiâ & lenitate, prohibuit, ne in mala extrema ruentes, penitus delerentur. Quòd ſi in ingentem ſexcenties millenorum exercitum adeò ſeverus fuit, quanto fuiſſet in unum ſeverior, qui ipſum pertinaciâ irritaviſſet? Quamobrem ſi te liberis auxit Deus, illud in primis cura, ut eos optimè inſtituas,

(c) *Vide* 4 *Reg.* x, 1, *& ſeq.* (d) *Judic.* ix, 5. (e) Μὴ ἔπεχε ἐπὶ τὸν τόπον αὐτῶν.

(f) Κρεῖσσον γὰρ εἷς, ἢ χίλιοι. *Complut.* Εἷς δίκαιος, ἢ χίλιοι. *Alii*. Εἷς, ἢ χίλιοι ἁμαρτωλοί. *Chryſoſt. homil.* 22 *&* 39 *in Geneſ. & homil.* 26 *in Act.* xii; *& homil.* 24 *&* 27 *in Hebr.* xi: Κρείσσων εἷς ὁ ποιῶν τὸ θέλημα Κυρίου, ἢ μύριοι παράνομοι. (g) *Complut. & alii plerique Vulgata libri, ante Clem.* viii. *Græc.* Φυλὴ δὲ ἀσεβῶν ἐρημωθήσεται ἐν τάχει, *Tribus impiorum ad eremum redigetur in brevi*. (h) *Deut.* xxxii, 23. *Vide & Eccli.* xxi, 10.

(i) Οὐκ ἐξιλάσατο περὶ τῶν ἀρχαίων πάντων γιγάντων οἱ ἀπέστησαν. *Complut. & alii quidam addunt*. Ἐν τῇ ἰσχύϊ τῆς ἀφροσύνης αὐτῶν. (k) Διὰ τὴν ὑπερηφανίαν αὐτῶν. (l) *Ezech.* xvi, 49. (m) *Exod.* xii, 37. (n) *Complut. & alii*. Μαστιγῶν, ἐλεῶν, τύπτων, ἰώμενος Κύριος ἐν διατρίβῃ, ἢ παιδείᾳ διεφύλαξε.

℣. 12. Misericordia enim & ira est cum illo. Potens exoratio, & effundens iram.

℣. 13. Secundùm misericordiam suam, sic correptio illius hominem secundùm opera sua judicat.

℣. 14. Non effugiet in rapinâ peccator, & non retardabit sufferentia misericordiam facientis.

℣. 15. Omnis misericordia faciet locum unicuique secundùm meritum operum suorum, (& secundùm intellectum peregrinationis ipsius.)

℣. 16. Non dicas: A Deo abscondar, & ex summo quis mei memorabitur?

℣. 17. In populo magno non agnoscar: quæ est enim anima mea in tam immensâ creaturâ?

COMMENTARIUS.

tuas, virtutisque ac sapientiæ amatores efficias. Quamquam tot liberi tibi sint, quot olim erant sub Moyse Israëlitæ, ne uni quidem parcet Deus, si veterum seditiosorum flagitia imitentur.

℣. 12. MISERICORDIA ENIM ET IRA EST CUM ILLO. Par illi potestas parcendi atque puniendi est. Græcus (o): *Misericordia & ira penès eum sunt:* ipsius est utramque exercere. *Potens placationum est, & effundens iram.* Omnipotens Deus est, misericordiam in quem libuerit exercens, ac severissimè puniens, cùm provocatur.

℣. 14. NON EFFUGIET IN RAPINA PECCATOR, ET NON RETARDABIT SUFFERENTIA MISERICORDIAM FACIENTIS. Rapinæ impiorum impunes non erunt; & patientia illius, qui pauperi opem fert, non diu mercede carebit. Pergit Dei justitiam demonstrare. Pœna impium sequetur, & merces justum; unumquemque ex factorum merito (p). Græcus (q): *Non effugit* pœnam *in rapinâ impius; nec tardabit expectatio impii*, pœna scilicet quæ impium manet.

℣. 15. OMNIS MISERICORDIA FACIET LOCUM UNICUIQUE SECUNDUM MERITUM OPERUM IPSORUM. Græcus planè aliter legit, præsertim in Complutensi Editione, quæ addit nonnulla. Ita igitur fert (r): *Omni eleemosynæ da locum; unusquisque enim secundùm opera sua inveniet. Dominus obduravit Pharaonem, ne eum cognosceret, utque nota fierent facinora ipsius ei qua est sub Cœlo*, scilicet terræ. *Omni creaturæ misericordia ipsius manifesta est, & lucem suam & tenebras sejunxit adamante*, nempe muro adamantino. Hæc in editione Romanâ, Aldinâ, Basileensi non leguntur, sed solummodo (s): *Omni misericordiæ faciet locum: unusquisque secundùm opera sua inveniet. Dare locum* huic Scriptori est *magni facere*. Ita (t): *Humilis locutus est sensatè, & non datus est ei locus.* Et (u): *Ne innitere loco filiorum*, dignitati, quâ illi fulgent. Et (x): *Medico da locum*, medicum magni facito. Quamobrem hoc loco illud significat, Deum habiturum rationem eorum quæ benè gesserimus, nihilque sine præmio futurum.

His verbis, *Lucem suam & tenebras sejunxit adamante*, hoc dicere videtur, Dei consilia & decreta ita superiora esse hominum cognitione, ut nos ea pervasuros sperare minimè debeamus. Intra inaccessam lucem habitat Deus, inquit S. Paulus (y); vel infinitum discrimen est, ingens chaos (z) inter Cœlum & inferos, inter Abrahami Sinum, & locum ubi malus dives torquetur. Hæc Vulgatæ verba, *secundùm intellectum peregrinationis ipsius*, addita sunt, cùm in Græco non legantur.

℣. 16. NON DICAS: A DEO ABSCONDAR. Ne dicito inutilem laborem esse, virtutem sequi; nihilque discriminis afferre peccatum; Deum res nostras minimè curare, nec magni facere, malene an bene agamus. Cave, inquam, hæc cogites. Deus enim non esset, nisi bene gesta probaret, damnaretque peccata. Sapiens hoc loco eos præsertim arguit, qui providentiam esse negabant,

℣. 17. IN POPULO MAGNO NON AGNOSCAR. Qui fieri potest, ut singulorum hominum cogitationes, motus, verba omnia Deus expendat? Esto, ingentium imperiorum, fortunæ Principum, atque ordinis temporum curam gerat: at minimarum etiam rerum rationem habere, id verò indignissimum ipsius majestate est. Leviora Regni negotia Reges negligunt, eorumque curam minoribus ministris relinquunt. Ita disserunt Epicuræi, & ii qui Religione carent, quibus non satis explorata est Dei cognitio. Ea Dei natura est, ut omnia luculentissimè videat, omnia noverit, omnia se ipso compleat, ut ipsi profani fatentur (a): *Deus totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus anima, totus animi, totus sui.* Cùm homines cæci sint atque inconstantes, Divinitatem in partes divisere, additis unicuique parti nominibus, uti quisque indigebat; quasi Deus ex partibus constaret, quamquam nihil illo simplicius aut majus esse potest: *Fragilis & laboriosa mortalitas in partes ista digessit, infirmitatis suæ memor; ut portionibus quisque coleret, quo maximè indigeret.* At illud procul dubio est, Deum rerum humanarum curam agere, & male gesta nunquam impunè futura, quamquam Deus, ut universi hujus ordini consulat, serò punit. *Deos agere curam rerum humanarum credi, ex usu vitæ est, pœnasque maleficiis aliquando seras, occupato Deo in tantâ mole, nunquam autem irritas esse.*

(o) Ἔλεος καὶ ὀργὴ παρ' αὐτῷ, δυνάστης ἐξιλασμῶν, καὶ ἐκχέων ὀργήν. Complut. Διὸ ταχὺς δυνάστης, &c. Citò potens propitiationum, & fundens iram. (p) Rom. II, 6.
(q) Οὐκ ἐκφεύξεται ἐν ἁρπάγματι ἁμαρτωλὸς, καὶ οὐ μὴ καθυστερήσῃ ὑπομονὴ ἀσεβοῦς.
(r) Πάσῃ ἐλεημοσύνῃ ποίησον τόπον, ἕκαστος γὰρ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει. Κύριος ἐσκλήρυνε Φαραὼ, μὴ εἰδέναι αὐτὸν, ὅπως ἂν γνωσθῇ ἐνεργήματα αὐτοῦ τῇ ὑπ' οὐρανόν. Πάσῃ τῇ κτίσει τὸ ἔλεος αὐτοῦ φανερὸν, καὶ τὸ φῶς αὐτοῦ, καὶ τὸ σκότος ἐμέρισε τῷ ἀδάμαντι. (s) Rom. Edit. Πάσῃ ἐλεημοσύνῃ ποιήσει τόπον, ἕκαστος κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ εὑρήσει. (t) Eccli. XIII, 25. (u) Eccli. XVI, 3.
(x) Eccli. XXXVIII, 12: Ἰατρῷ δὸς τόπον. (y) 1 Timot. VI, 16: Φῶς ἀπρόσιτον. (z) Luc. XVI, 26.
(a) Plin. lib. 2, cap. 7.

℣. 18. Ecce cœlum, & cœli cœlorum, abyssus, & universa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur.

℣. 19. Montes simul, & colles, & fundamenta terræ, cùm conspexerit illa Deus, tremore concutientur.

℣. 20. Et in omnibus his insensatum est cor: (& omne cor intelligitur ab illo:)

℣. 21. Et vias illius quis intelliget, & procellam, quam nec oculus videbit hominis?

℣. 22. Nam plurima illius opera sunt in absconsis: sed opera justitiæ ejus quis enuntiabit? aut quis sustinebit? Longè enim est testamentum a quibusdam, & interrogatio omnium in consummatione est.

℣. 23. Qui minoratur corde, cogitat inania: & vir imprudens & errans, cogitat stulta.

COMMENTARIUS.

An vereris, aut indignum esse Deo negotium, aut grave nimis, omnium quæ inter creatas res geruntur cura? Quantula verò res est gentium omnium collectio, si cum Deo conferantur? Quàm magna res terra est? *Ecce, gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputata sunt: ecce, insula quasi pulvis exiguus. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputata sunt ei* (b). *Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores ejus sunt quasi locustæ: qui extendit quasi nihilum cœlos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum* (c). Rerum ac negotiorum copia illum neque turbat, neque minùs attentum facit; nihilque ab ipso creatum ipsius sollicitudine indignum censetur. Infinitus operum humanorum numerus neque illius quieti, neque dignitati nocet. Deus non est, qui hæc minima curare aut nequeat, aut nolit.

℣. 18. Ecce coelum, et coeli coelorum ... in conspectu illius commovebuntur. Aër, alio nomine Cœlum, Cœlorumque soblimissimum, quod ceu Omnipotentis sedem animo fingimus, Deo prodeunte movebuntur. Græcus (d): *In visitatione ejus commovebuntur*, cum Deus mundum judicaturus advenerit, ac pro singulorum merito præmia pœnasve daturus. Græcus ex Complutensi Editione addit: *Totus mundus qui fit, & qui factus est in voluntate illius.* Quicquid fuit, quicquid est, & singulos in dies fit, in Dei potestate situm est, ipsoque jubente efficitur.

℣. 19. Cum conspexerit ista Deus, tremore concutientur. Hoc idem canit Psalmista (e): *Respicit terram, & facit eam tremere: tangit montes, & fumigant.* Has locutiones imitati sunt Profani (f).

Regum timendorum in proprios greges
Reges in ipsos imperium est Jovis ....
Cuncta supercilio moventis.

Seneca (g):

Pater ac rector fulmine pollens,
Cujus nutu simul extremi tremuere poli.

℣. 20. Et in his omnibus insensatum est cor hominis. Vel: His omnibus minimè moveri aut flecti hominis animum videt Deus. Id solummodò student, ut si possint, infinitam illius cognitionem ejusque oculos fugiant. Dei præsentiâ, minis, judiciis minimè terreutur, neque moventur promissis, munificentiâ, decore. Totam hominis mentem occupant creatæ res, voluptas, ambitio. Vide ℣℣. 20 & 21 ex Græco (h): *Et pro dignitate de illis cogitare mens hominis nescit.* (21) *Atque vias ejus quis animo comprehendet?* (22) *Pleraque autem opera ejus sunt* penitus *abscondita.* Hæc planè a Vulgatâ dissident, utì collatis utriusque locis statim vides. Quis hominum satis dignè infinitam Dei cognitionem, mirifica illius opera, formidandum robur quo totus orbis quatitur, procellas quibus terra afficitur, denique gestorum illius magnitudinem ac magnificentiam assequatur?

℣. 22. Longe enim est testamentum a quibusdam, et interrogatio omnium in consummatione est. Dei decreta longè a quibusdam absunt; omniumque rerum examen supremo judicii die habebitur. *Testamentum* (i) hoc loco non ita usurpatur utì vox sonat; non enim eamdem sententiam faceret: sed pro Divinâ lege accipiendum est. Ea longè a quibusdam mentibus remota est. Eam perpauci servant (k). At denique decreta dies adveniet, quâ singulorum gesta expendentur, & Deus unicuique ea reddet, quæ merebitur. Aliter: *Testamentum* est sententia, quam Deus in homines pronunciaturus est (l). Rari sunt qui de illâ cogitant, quamquam in supremo judicio eâ damnandi sunt. Denique, de Divinæ providentiæ ratione, quâ impios persequitur Deus (m). Deus, ut ita dicam, quamdiù potest, gravem in impios sententiam pronunciare cessat, dum illi resipiscant. Hunc agendi ordinem mentis atque cognitionis nostræ acies minimè assequitur; ac supremâ demum morte ista claudentur; quæque singulorum futura sit suprema sors, luculentissimè intelligetur.

℣. 23. Qui minoratur corde, cogitat inania: et vir imprudens et errans, cogitat stulta. Græcus (n): *Qui est exiguo corde* (o), qui sapientiâ caret, atque intelligendi vi; Hebræi enim Sapientiam in corde residere ajunt, utì nos audaciam. *Qui exiguo est corde, cogitat talia: & vir insipiens, ac deceptus, cogitat stulta.* Stultus secum ita differit, velut is, cujus argumen-

ta

(b) *Isai.* XL, 15. (c) *Isai.* XL, 22. (d) Ἐν τῇ ἐπισκοπῇ αὐτοῦ σαλευθήσονται. *Complut. addit*: Ἅπας ὁ κόσμος γεγονὼς, καὶ γινόμενος ἐν θελήματι αὐτοῦ. (e) *Psal.* CIII, 32. (f) *Horat. lib.* 3, *Ode* 1.
(g) *Senec. in Agamemn.* (h) Καὶ ἀξίως οὐ διανοηθήσεται ἐπ' αὐτοῖς καρδία. Καὶ τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ τίς ἐνθυμηθήσεται; καταιγὶς ἣν οὐκ ὄψεται ἄνθρωπος, τὰ δὲ πλείονα τῶν ἔργων αὐτοῦ ἐν ἀποκρύφοις.
(i) Μακρὰν γὰρ ἡ διαθήκη τισὶ, καὶ ἐξέτασις ἁπάντων ἐν τελευτῇ. (k) *Palac. Dionys. Sa.*
(l) *Cornel. a Lapide.* (m) *Grot. hic, & Vatab.* (n) Ἐλαττούμενος καρδίᾳ διανοεῖται ταῦτα, καὶ ἀνὴρ ἄφρων, καὶ πλανώμενος, διανοεῖται μωρά. (o) Vide *Prov.* VII, 7; X, 4; XII, 11; XV, 21; XVII, 18; *Osee*, IV, 11; & VII, 11, *&c.*

℣. 24. Audi me, fili, & disce disciplinam sensûs, & in verbis meis
attende in corde tuo.
℣. 25. Et dicam in æquitate disciplinam, & scrutabor enarrare sa-
pientiam: (& in verbis meis attende in corde tuo, & dico in
æquitate spiritûs virtutes, quas posuit Deus in opera sua ab ini-
tio, & in veritate enuntio scientiam ejus.)
℣. 26. In judicio Dei opera ejus ab initio, & ab institutione ipso-
rum distinxit partes illorum, & initia eorum in gentibus suis.
℣. 27. Ornavit in æternum opera illorum, nec esurierunt, nec la-
boraverunt, & non destiterunt ab operibus suis.
℣. 28. Unusquisque proximum sibi non angustiabit usque in æternum.
℣. 29. Non sis incredibilis verbo illius.

COMMENTARIUS.

ta proposuit Sapiens, ac refellit præsenti capite & superiore: nimirum sperat fore, ut impunè impio sibi esse liceat; vel putat, Deum sceleris sui oblivisci, suaque flagitia non videre.

℣. 24. DISCE DISCIPLINAM SENSUS: Disce mentem optimè instituere, prudentiam adipisci, atque ad sapientis viri gloriam decusque pervenire. Græcus (p): *Disce scientiam*; morum scientiam significat, quæ vera est bonorum, ac sapientum scientia.

℣. 25. ET DICAM IN ÆQUITATE DISCIPLINAM. Accipe totum ex Græco versiculum (q): *Patefaciam in pondere disciplinam, & accuratè annuntiabo scientiam ejus.* Addit Vulgata: *In verbis meis attende in corde tuo, & dico in æquitate spiritûs virtutes, quas posuit Deus in opera sua ab initio, & in veritate enuntio scientiam ejus.*

℣. 26. IN JUDICIO DEI OPERA EJUS AB INITIO. Hæc sententia elici ex Græco hujus loci potest (r): *Et in judicio Domini opera ejus* facta sunt *ab initio; & ex quo ea fecit, distinxit partes eorum.* Discipulum instituere volens Ecclesiasticus, orationem exorditur de mundi creatione, ac plerosque Philosophorum errores de gravissimâ hac veritate evertit. Ajebant Epicuræi, mundum ex fortuito atomorum concursu coaluisse. Contra docet Sapiens, Mundi creationem neque casûs, neque alterius principii, mente atque animâ carentis, opus esse; Creatorem omnia cum judicio, sapientiâ, pondere, modoque condidisse (s). Partes, quæ mundum constituunt, casu dispositas non esse, sed a sapientissimo, ac potentissimo Artifice collocatas, & quo videmus ordine distributas. Hæc prima est institutio. Ea verba, *Et initia eorum in gentibus suis*, ad sequentem versiculum referuntur.

ET INITIA EORUM IN GENTIBUS SUIS (℣.27.) ORNAVIT IN ÆTERNUM OPERA ILLORUM, NEC ESURIERUNT, NEC LABORAVERUNT, ET NON DESTITERUNT AB OPERIBUS SUIS. Quo tempore creatas res condidit, illas ornavit, earumque motui leges dedit, quo illæ agi pergunt, quin unquam cessent, aut rei ullius egeant, aut fatigentur. Græcus (t): *Ornavit in æternum opera sua, & in manu ipsius initia illius in generationes generationum.* Sua Deus opera statim ab initiô, qualia modò sunt, protulit, eademque unus ipse in omnem sæculorum seriem servat. Damnantur hac sententiâ Epicuræi, qui mundum ex alterâ parte perfectiorem fieri, ex alterâ senescere ajebant, cùm atomi hîc coëuntes novas res producerent, illic mutuo nexu dissoluto antiquas destruerent.

Romana Editio magis Vulgatæ favet: *Dominus ornavit in sæculum opera sua, & principia ipsorum in generationes eorum.* Opera sua condidit, vel æternum vel diutissimè permansura; fœcundaque illis principia indidit, quorum vi per omnem ætatum seriem iterum se ipsa producerent. Quæ Deus condidit, ab ipso mundi exordio ad nos usque perseverant, & usque ad sæculorum exitum perseveratura sunt, atque hæc generatione, aliis illa rationibus, Conditori exploratis, perennantur. *Initia eorum* (u) a quibusdam accipiuntur astra, quæ *initia operum Dei* sunt, præcipua & nobilissima Dei opera; vel, *imperium operum Dei*, cùm cæteris inferioribus rebus dominentur, eaque, uti Veteres sentiebant, influxibus moderentur. Ea Deus condidit, ut æterna sint, cæterisque rebus lunâ inferioribus præsint. Eadem nullo unquam labore fatigata, nulloque alimento reparata constantissimâ lege suos cursus absolvunt: *Non esurierunt, & non laboraverunt, & non destiterunt ab operibus suis*; atque ita moventur, ut invicem minimè impediantur, neque alterum alteri obstaculo sint. ℣. 28: *Unusquisque proximum sibi non angustiabit usque in æternum.* Denique, *initia* operum Dei intelligi possunt astra, qua parte sunt cœli militia, & Dei exercitus. Horum quodammodo Rex & Regina sunt sol & luna, quibus parent cætera. Ingens exercitus sunt, nunquam otiosus, qui nec indigens quiete nec alimento, constanti omnium ætatum curriculo munere suo fungitur moveturque, quin ullas unquam turbas ullumve laborem experiatur. Aliis (x) *initia* sunt gentium exordia. Illas Deus ab initio in varias Orbis partes, unamquamque in suas regiones, sub Authoris & Conditoris sui nomine, distribuit: ubi pleræque florere non desierunt, neque unquam desinent. Huic tamen explicationi tota orationis series favere non videtur.

℣. 29. NON SIS INCREDIBILIS VERBO ILLIUS. Igitur ne inanes Philosophorum sententias consectare, quibus neque rerum Author notus est, neque modus, quo illæ conditæ sunt. Græcus (y) aliter sonat. (28) Nulla ex rebus creatis, vel nullum e cœlestibus corporibus *afflixit proximum suum.*

(29) Et

(p) Μάθε ἐπιστήμην. (q) Ἐκφανῶ ἐν σταθμῷ παιδείαν, καὶ ἐν ἀκριβείᾳ ἀπαγγελῶ ἐπιστήμην αὐτοῦ.
(r) Καὶ ἐν κρίσει Κυρίου τὰ ἔργα αὐτοῦ ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ἀπὸ ποιήσεως αὐτῶν διέστειλε μερίδας αὐτῶν.
(s) *Sap.* xi, 28. *Omnia in mensurâ, & numero, & pondere disposuisti.* (t) *Complut.* Ἐκόσμησεν εἰς αἰῶνα τὰ ἔργα αὐτοῦ, καὶ ἐν χειρὶ αὐτοῦ αἱ ἀρχαὶ αὐτοῦ εἰς γενεὰς γενεῶν. *Rom. Edit.* Ἐκόσμησεν εἰς αἰῶνα τὰ ἔργα αὐτοῦ, καὶ τὰς ἀρχὰς αὐτῶν εἰς γενεὰς αὐτῶν. (u) *Janf. Gandav. Lyran. Grotius.*
(x) *Raban. Hugo, Dionys. Carth.*
(y) 28. Ἕκαστος τὸν πλησίον αὐτοῦ οὐκ ἐξέθλιψε. Καὶ ἕως αἰῶνος οὐκ ἀπειθήσουσι τὸν λόγον αὐτοῦ.

℣. 30. Post hæc Deus in terram respexit, & implevit illam bonis suis.

℣. 31. Anima omnis vitalis denuntiavit ante faciem ipsius, & in ipsam iterum reversio illorum.

COMMENTARIUS.

(29) *Et usque in æternum non inobedientes erunt verbo ipsius*: constitutum sibi ordinem minimè turbabunt, indicatumque sibi a Deo iter sequi non desinent.

℣. 30. POST HÆC, DEUS IN TERRAM DESPEXIT, ET IMPLEVIT ILLAM BONIS SUIS. Ornatis Cœlis, constitutoque astrorum ordine ac motu, terram ornare aggressus est. Profectò, Moyse authore (z), tertiâ demum die Deus terrenis rebus suo ordine statuendis manum admovit; conditis antea Cœlis, Firmamento, sole, lunâ, stellisque.

℣. 31. ANIMA OMNIS VITALIS DENUNTIAVIT ANTE FACIEM IPSIUS, ET IN IPSAM ITERUM REVERSIO ILLORUM. Terram implevit Deus omni animalium genere, quæ videmus, quæque in terram, ex qua condita sunt, iterum solventur. Latina versio implexa est, ob eam vocem *denuntiavit*, quæ vox e librarii mendo orta esse videtur in Græco, ferente (*): Deus *omnium animalium viventium genere terra superficiem replevit, & in eam est reversio eorum*. In terram solventur, ex qua concreta sunt. Vide Psalmum CIII, 29.

CAPUT XVII.

Viri & mulieris creatio, authoritas, & decora, quibus utrumque Deus super cæteras creatas res instruxit. Fœdus cum illis initum, datâ illis lege. Judicium a Deo in impios exercendum. Hortatur, ut impii ad meliorem frugem convertantur.

℣. 1. DEus creavit de terrâ hominem, (& secundùm imaginem suam fecit illum.)

℣. 2. Et iterum convertit illum in ipsam, & secundùm se vestivit illum virtute.

℣. 3. Numerum dierum, & tempus dedit illi, & dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DEUS CREAVIT DE TERRA HOMINEM, ET SECUNDUM IMAGINEM SUAM FECIT ILLUM. Hæc verba pars Capitis superioris sunt. Recitatis Atheorum, atque impiorum argumentis, aggreditur Sapiens discipulo tradere ea quæ de Divinitate sentienda sunt. Jam Capite XVI, 26, 27, narrare cœperat, quâ ratione Deus Cœlos atque astra condiderit, eademque servet ac moderetur. Tum ℣℣. 30, 31, terræ atque animalium creationem explicavit. Hìc denique de hominis formatione sermonem instituit, deque ejus lapsu, ac fœdere, quod Deus, datâ illi Lege, cum ipso iniit; tum clementiam prosequitur, quâ Deus pœnitentem excipit; atque justitiam, quâ unicuique præmium pœnamve pro male vel bene gestis distribuit. Hæc sunt, quæ in totâ hac Sapientis oratione disputantur.

Ethnicorum Philosophos, eorumque sententias de Mundi Creatione, hominumque naturâ & finibus, ex obliquo arguit. Græcus tribus hisce primis versiculis ita fert (a): *Dominus creavit de terrâ hominem, & iterum convertit illum in ipsam. Dies numeri* (dies paucos) *& tempus* constitutum vivendi *dedit illis, & dedit illis potestatem eorum quæ sunt super terram. Induit eos virtute secundùm se ipsos* (virtute hominis naturæ conveniente), *& secundùm imaginem suam fecit eos*. Cùm Deus hominem e terræ limo condidisset, illum peccati reum morte damnavit, ut in pulverem, ex quo conflatus erat, reverteretur. Decretos illi vivendi dies brevibus terminis clausit, mortalemque esse jussit, qui conditus fuerat immortalis. Ingenti illum robore, absolutoque in terram universam imperio instruxerat: eo illum penitus non exuit; ac tantum authoritatis illi reliquit, quanta præsenti illius statui conveniebat: eoque robore illum instrui voluit, quod satis illi esset, ut sese a belluarum injuriis tueretur, & ea quæ vitæ necessaria sunt, sibi compararet. Homo denique ad Dei imaginem conditus est, ipsiusque Dei loco in terrâ constitutus; ac primævæ hujus similitudinis vestigia adhuc servat, tametsi primo illam scelere vitiavit. Dei imago in hominis animâ conspicitur, quippe quæ Divinæ mentis, Sapientiæ, immortalitatis, atque æternitatis radios præ se ferat.

℣. 3. NUMERUM DIERUM. Græcus (b): *Dies numeri*, scilicet paucos, ut alibi fert Scriptura, *homines numeri* (c), paucos homines, annos numeri (d), paucos annos. Isaias (e): *Numerus erunt, & puer numerabit eos*: ita brevi numero erunt, ut nullo negotio recenseantur.

℣. 4. Po-

(z) *Genes.* I, 1, 2, 8. (*) Ψυχὴν παντὸς ζώου ἐκάλυψε τὸ πρόσωπον αὐτῆς, καὶ εἰς αὐτὴν ἡ ἀποστροφὴ αὐτῶν. *Vulgat. legit*: ἐκήρυξε πρὸ προσώπου αὐτῆς, *Denuntiavit ante faciem ipsius. Meliùs legas cum Grot.* Ψυχὴ παντὸς ζώου ἐκάλυψε, *&c. Anima omnis animalis operuit faciem terræ.*

(a) Κύριος ἔκτισεν ἐκ γῆς ἄνθρωπον, καὶ πάλιν ἀπέστρεψεν αὐτὸν εἰς αὐτήν. (2.) Ἡμέρας ἀριθμοῦ καὶ καιρὸν ἔδωκεν αὐτοῖς, ἐξουσίαν τῶν ἐπ' αὐτῆς. (3.) Καθ' ἑαυτοὺς ἐνέδυσεν αὐτοὺς ἰσχὺν, καὶ κατ' εἰκόνα αὐτοῦ ἐποίησεν αὐτούς. (b) Ἡμέρας ἀριθμοῦ. (c) *Genes.* XXXIV, 30. מתי מספר *Deut.* IV, 27; XXIII, 6. (d) *Job*, XVI, 22.

(e) *Isai.* X, 19.

℣. 4. Posuit timorem illius super omnem carnem, & dominatus est bestiarum, & volatilium.

℣. 5. (Creavit ex ipso adjutorium simile sibi:) consilium, & linguam, & oculos, & aures, & cor dedit illis excogitandi, & disciplinâ intellectûs replevit illos.

℣. 6. Creavit illis scientiam spiritûs, sensu implevit cor illorum, & mala & bona ostendit illis.

℣. 7. Posuit oculum suum super corda illorum, & ostendere illis magnalia operum suorum,

℣. 8. Ut nomen sanctificationis collaudent, (& gloriari in mirabilibus illius,) ut magnalia enarrent operum ejus.

℣. 9. Addidit illis disciplinam, & legem vitæ hæreditavit illos.

COMMENTARIUS.

℣. 4. POSUIT TIMOREM ILLIUS SUPER OMNEM CARNEM. Coodito Adamo dixit Deus (f): *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, & universis animantibus.* Agens de mundi creatione Ovidius (g):

Sanctius his animal, mentisque capacius unum
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera posset.
Natus homo est.

Deus absolutâ in animalium vitam, mortem ac libertatem authoritate, atque industriâ, quâ ferocissimas ac validissimas bestias domaret, suæque servituti subjiceret, hominem instruxit; ipsisque bestiis formidinem quamdam indidit, ut hominem conspectu atque ad se se accedente timerent. Diminuta est post peccatum authoritas, at non prorsus ablata; tantaque illi relicta est, quantâ opus erat, ut homo Dei consiliis serviret, vitamque suam ipse tueretur.

℣. 5. CREAVIT EX IPSO ADJUTORIUM SIMILE SIBI. E dormientis Adami latere carnem abstulit Deus, e qua Evam condidit (h). Hoc in Græco deest, ubi hæc leguntur, quæ non habet Vulgata (i): *Sexto loco mentem largitus est eis*, seu cogitandi vim; *& septimo sermonem*, seu loquendi potestatem, *in interpretatione operum ipsius*. Præter quinque illa beneficia, quibus hominem in creatione Deus affecit, vitam scilicet (k); authoritatem in ea quæ in terrâ sunt (l); robur naturæ conveniens (m); suæ imaginis similitudinem (n); in bestias imperium (o); sextum addidit, mentem; & septimum, loquelam. Putat Grotius, hunc locum glossema esse, qood ex orâ in contextum irrepserit, atque aliquis Stoicorum librorum amator addiderit, Stoici enim præter quinque notissimos hominis sensus, visum, auditum, gustum, olfactum, tactumque, tres addebant; *gignendi vim*, *vocem*, seu loquelam, *imperium* seu regendi facultatem; e quibus primum omisit Scriptor, duos retinuit, loquendi vim, seu *logon*, ac rationem cæteros seque ipsum moderandi, *Hegemonicon*. Exquisitior, quàm par est, interpretatio videtur. Aliqui (p) locum horum verborum mutant, eaque post versiculum proximum collocant, ubi aptior sententia efficitur. ℣. 6: *Judicium, linguam, oculos, aures, & cor dedit eis ad cogitandum.* ℣. 5. *Sexto loco mentem quoque donavit impertiens, & septimo sermonem*, vel rationem. At non magna hujusmodi additionum, levissimæ authoritatis, ratio habenda est.

℣. 6. CREAVIT ILLIS SCIENTIAM SPIRITUS, SENSU IMPLEVIT COR ILLORUM, ET MALA ET BONA OSTENDIT EIS. Ea quibus hominem Deus inter cætera animalia distinxit, variis phrasibus significat Sapiens: intelligendi vim, animum, consilium, judicium, scientiam, rationem, mali bonique discrimen, bene aut male merendi potestatem, ut vel Deo carus invisusve sit, illique aut pareat aut repugnet.

℣. 7. POSUIT OCULUM SUUM SUPER CORDA ILLORUM, OSTENDERE ILLIS MAGNALIA OPERUM SUORUM. Divino lumine atque intellectu hominis animum complevit, ut is Deum laudet, ejusque opera meditans colat. Aliter: *Posuit oculum suum super corda ipsorum*: omnia humanæ mentis arcana & consilia rimatur. Hoc nimirum est hominis bestiarumque discrimen, quòd hæ mente careant, earumque gesta negligat Deus; quibus legem ipse non dedit; quorum gesta motusque vel Deo placere vel displicere non possunt. Prior explicatio cæteris melior videtur. Populi sui mentem optimis institutis illustrare, illique operum suorum dignitatem ostendere sedulò studuit.

℣. 8. UT NOMEN SANCTIFICATIONIS COLLAUDENT, UT MAGNALIA ENARRENT OPERUM EJUS. Græcus paulò aliter fert (q): *Dedit, ut in perpetuum gloriari possent miraculis ejus, ut prudenter opera ejus commemorarent, & Electi nomen ejus sanctum laudarent.* Deus, ut laudis suæ materiam Israëlitis daret, innumera coram ipsis prodigia tum in Ægypto, tum in solitudine patravit.

℣. 9. ADDIDIT IPSIS DISCIPLINAM, ET LEGEM VITÆ HÆREDITAVIT ILLOS. His beneficiis, quorum pleraque universo hominum generi communia sunt, populi onius gratiâ Deus Legem addidit, quam illis scripsit, ac rectè vivendi instituta, quibus illos inter cæteras orbis gentes distinxit. *Lex vitæ* est lex vitam servantibus afferens; præcepta sunt, quibus servatis, diuturnum vitæ spatium promittitur. *Moyses enim scripsit, quoniam justitiam quæ ex Lege est, qui fecerit homo, vivet in eâ* (r). Græcus (s) in fine addit hæc quæ sequuntur: *Ut se mortales nunc esse intelligant.* Quæ verba derivata sunt ex Psalmo IX, 21: *Constitue, Do-*

(f) *Genes.* I, 28. (g) *Ovid. Metamorph. lib.* I.
(h) *Genes.* II, 21, 22. (i) Ἔνατον δὲ νοῦν αὐτοῖς ἐδωρήσατο, μερίζατο καὶ τὸν ἕβδομον, λόγον ἑρμηνέα τῶν ἐνεργημάτων αὐτοῦ. (k) ℣. 2: Ἡμέρας ἀριθμοῦ, καὶ καιρὸν ἔδωκεν αὐτοῖς.
(l) ℣. 2: Ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν πάντων τῶν ἐπ' αὐτῆς. (m) ℣. 3: Καθ' ἑαυτοὺς ἐνέδυσεν αὐτοὺς ἰσχύν. (n) ℣. 3: Κατ' εἰκόνα αὐτοῦ ἐποίησεν αὐτούς. (o) ℣. 4: Κατακυριεύειν θηρίων, &c.
(p) *Tigurina versio.* (q) Ἔδωκε δι' αἰῶνος καυχᾶσθαι ἐπὶ τοῖς θαυμασίοις αὐτοῦ, ἵνα διηγῶνται τὰ ἔργα αὐτοῦ συνετοί, καὶ ὄνομα ἁγιασμοῦ αὐτοῦ αἰνέσουσιν ἐκλεκτοί, &c. (r) *Rom.* X, 5. *Vide & Levit.* XVIII, 5; *Ezech.* XX, 25. (s) Εἰς τὸ νοῆσαι, ὅτι θνητοί ὄντες, ὑπάρχουσι νῦν.

℣. 10. Testamentum æternum constituit cum illis, & justitiam & judicia sua ostendit illis.

℣. 11. Et magnalia honoris ejus vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum, & dixit illis: Attendite ab omni iniquo.

℣. 12. Et mandavit illis unicuique de proximo suo.

℣. 13. Viæ illorum coram ipso sunt semper, non sunt absconsæ ab oculis ipsius.

℣. 14. In unamquamque gentem præposuit rectorem.

℣. 15. Et pars Dei Israël facta est manifesta.

℣. 16. Et omnia opera illorum velut sol in conspectu Dei: & oculi ejus sine intermissione inspicientes in viis eorum.

℣. 17. Non sunt absconsa testamenta per iniquitatem illorum, & omnes iniquitates eorum in conspectu Dei.

COMMENTARIUS.

Domine, legislatorem super eos, ut sciant gentes quoniam homines sunt.

℣. 10. TESTAMENTUM ÆTERNUM CONSTITUIT CUM ILLIS ad Sinai, cùm legem illis daret. Hoc verò Fœdus non abrogatum est Evangelio, sed majori sanctitate absolutum (t): *Non veni legem solvere, sed adimplere.*

℣. 11. MAGNALIA HONORIS EJUS VIDIT OCULUS ILLORUM. Cùm sese Deus manifestum in Sinai exhibuit, legemque Israëli dedit, splendidum gloriæ suæ spectaculum fecit. Totus circa mons Dei majestate cingebatur: ignis micabant & fulgura, tonitrua audiebantur, ac fumus undique exhalatos omnia obvolvebat (u). *Honor vocis* (x) huic Authori est vox gloriæ ac majestatis plena, formidabilis ac manifesta. Tonitru apud Hebræos vulgò vox Dei appellatur. Psalmus XXVIII, 4: *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentiâ.*

℣. 12. ET MANDAVIT ILLIS UNICUIQUE DE PROXIMO SUO. Deus obsequiis, adoratione, sacrificiis, cultuque Religioso minimè contentus, Israëlitis imperavit, ut proximum amarent, pacificè cum illis viverent, furto, vi, injuriis in æquales abstinerent. Denique Lex non unius Dei obsequiis servit, sed hominum utilitati ac societati.

℣. 13. VIÆ ILLORUM CORAM IPSO SUNT SEMPER. Nunquam destituit Israëlitas Deus ex eo tempore, quo fœdus cum illis iniit. Omnia illorum gesta, totamque vitam inspexit: peccantes puniit, cùm a pietatis itinere erraverunt: bonis cumulavit, ubi fidem servavere. In solitudine proficiscentes ipse, illorum medios, interdiù per columnam ex nube, ac noctu per columnam fulgentem duxit. Græcus addit (y): *Via illorum ab juventute in mala feruntur: neque potuit corda ipsorum ex lapideis carnea facere.* Vel ex Complutensi editione: *omnis homo ab juventute in mala fertur, & non potuerunt corda sua pro lapidibus facere carnea.* Postremam hanc locutionem imitatur Ezechiel (z): *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri; & auferam cor lapideum in carne vestrâ, & dabo vobis cor carneum.*

℣. 14. IN UNAMQUAMQUE GENTEM PRÆPOSUIT RECTOREM. (15) ET PARS DEI ISRAEL FACTA EST: Ad locum Deuteronomii respicit (a): *Quando dividebat Altissimus gentes; quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israël: Pars autem Domini populus ejus; Jacob funiculus hæreditatis ejus.* Cæteris Gentibus humanos Principes Regesque dedit Deus, earumque hæreditatem ac sedem certis limitibus definivit: at Israelitas gentis suæ loco sibi servavit, selectamque a se regionem Israëli dedit. Ipse illorum Rex dominusque esse voluit, suamque illos hæreditatem, earumque populum elegit. Veteres plures (b), novique quidam Interpretes (c) putavere, tum hìc tum in recitato Deuteronomii loco significari, singulos Angelos singulis gentibus esse custodes; at Israëlis custodem defensoremque Deum esse. Septuaginta in recitato Deuteronomii loco ita vertunt, ut hujus opinionis authores sint (d): *Cùm distribuit filios Adam, constituit termines Gentium juxta numerum Angelorum Dei.* Fusior Vulgatâ hoc loco est Græcus (e): *In divisione enim gentium universa terra, unicuique genti dedit præsidem: at Israël portio Dei est; quem, cùm esset primogenitus, educavit disciplinâ, & partiens lumen dilectionis suæ, nunquam illum destituit.* At Romana editio similis Vulgatæ est.

℣. 16. OMNIA OPERA ILLORUM VELUT SOL IN CONSPECTU DEI: ET OCULI EJUS SINE INTERMISSIONE INSPICIENTES IN VIIS EORUM. Duplici sensu accipi hic versiculus potest. Israëlem amico semper oculo Deus prosequutus est, atque in omnibus illius inceptis præsidio fuit. Aliter: Ita Israëlem custodiit, ut nunquam animum mentemque ab eo avertat, atque omnia illius gesta perpendat. Cæteras gentes non magni fecit, easque animi sui libidinem sequi passus est (f): *Dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* At Israëlem peculiari sollicitudine tutatus est, ejusque sanctitatem enixè coluit, suoque ex itinere errantem puniit; statimque ac extra fines vagari cœpit, ad officium revocavit.

℣. 17. NON SUNT ABSCONSA TESTAMENTA PER INIQUITATEM ILLORUM. Fœdus, quod cum illis iniit Deus, illorum scelere deletum non est; neque

(t) *Matt.* v, 17. (u) *Exod.* xx, 18, 19: *Cunctus populus videbat voces, & lampadas, & sonitum buccinæ, montemque fumantem.* (x) Καὶ δόξαν φωνῆς αὐτοῦ ἤκουσε τὸ οὖς αὐτῶν.
(y) Αἱ ὁδοὶ ἐκ νεότητος ἐπὶ τὰ πονηρὰ, καὶ οὐκ ἴσχυσε τὰς καρδίας αὐτῶν, ἀντὶ λιθίνων ποιῆσαι σαρκίνας. *Complut.* Πᾶς δὲ ἄνθρωπος ἐκ νεότητος ἐπὶ τὰ πονηρὰ, καὶ οὐκ ἴσχυσαν τὰς καρδίας αὐτῶν ἀντὶ λιθίνων ποιῆσαι σαρκίνας. (z) *Ezech.* xxxvi, 26. (a) *Deut.* xxxii, 8, 9. (b) *Origen. lib.* x *de Princip. Euseb. Demonst. lib.* 4, *c.* 7. *August. in Psal.* LXXXVIII, & CXXXIV, & *alii passim.*
(c) *Raban. Glossa hic, & alii plures in Deut.* xxxii, 8, 9. (d) Ἔστησεν ὅρια ἐθνῶν κατὰ ἀριθμὸν Ἀγγέλων Θεοῦ. (e) *Complut.* Ἐν γὰρ μερισμῷ τῶν ἐθνῶν τῆς γῆς πάσης, ἑκάστῳ ἔθνει καθέστηκεν ἡγούμενον, καὶ προσελάβετο τὸν Ἰσραὴλ ἑαυτῷ μερίδα. Ὃν πρωτόγονον ὄντα τιθηνῶν παιδείαν, καὶ μερίζων φῶς ἀγαπήσεως οὐκ ἀνίησιν αὐτόν. (f) *Act.* xiv, 15.

℣. 18. Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso: & gratiam hominis quasi pupillam conservabit.

℣. 19. Et postea resurget, & retribuet illis retributionem, unicuique in caput ipsorum, (& convertet in interiores partes terræ.)

℣. 20. Pœnitentibus autem dedit viam justitiæ, & confirmavit deficientes sustinere, & destinavit illis sortem veritatis.

℣. 21. Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua:

℣. 22. Precare ante faciem Domini, & minue offendicula.

℣. 23. Revertere ad Dominum, & avertere ab injustitiâ tuâ, & nimis odito execrationem.

℣. 24. (Et cognosce justitias, & judicia Dei, & sta in sorte propositionis, & orationis altissimi Dei.

℣. 25. In partes vade sæculi sancti,) cum vivis, & dantibus confessionem Deo.

COMMENTARIUS.

que illos æterno odio a se amovit, neque penitus destituit, quamvis juratas leges frequentissimè violaverint. Quamobrem quoties illos peccati pœnituit, intra misericordiæ sinum lubens excepit. Vide Psalmum LXXVII, 34: *Cùm occideret eos, quærebant eum, & revertebantur: ipse autem est misericors*, &c. Nonnibil addit Græcus, atque aliter planè fert (g): *Injustè facta illorum non sunt abscondita, atque omnia illorum peccata coram Domino sunt. Dominus verò cùm misericors sit, & videat figmentum suum, neque deseruit eos, neque reliquit* impunes, *parcens eis*. Hæc eadem sunt, quæ in Vulgatâ, & in Romanâ Græci Editiona leguntur, sed fusiùs explicata.

℣. 18. ELEEMOSYNA VIRI QUASI SIGNACULUM CUM IPSO (h): ET GRATIAM HOMINIS QUASI PUPILLAM CONSERVABIT. *Eleemosyna* hoc loco ea omnia complectitur, quæ homo bene proximo facit; pietatem, misericordiam. Hanc Deus excipit, ejusque minimè obliviscitur: in thesauris suis sigillo obsignatam ac sedulò custoditam tenet, ut illius fructum ac mercedem opportuno tempore tum ipsi homini qui bene fecit, tum ipsius filiis restituat. Ne igitur putes, stipem quam pauperi das, aut beneficium quo proximum prosequeris, rei amissæ loco habenda tibi esse; ea enim Deus excepit, suisque in horreis ceu depositum condidit. Pretiosæ res olim sub sigillo condi solebant (i), uti nunc sub clavi clauduntur.

Alii ita explicant: Eleemosyna, sive humanitatis officium, quod fratri reddis, ceu annulus in Dei manu est: eaque ita sedulò tuetur, uti annulum aut pupillam. Plerumque sigillum in annulo gerebatur; ac frequenter Hebræis annulus sigilli nomine appellabatur. *Si fuerit Jechonias annulus in dexterâ meâ, inde evellam eum*, inquit Dominus (k). Et ad Zorobabelem (l): *Ponam te quasi signaculum, quia te elegi*. Sponsa ad Dilectum (m): *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*. Sigillum igitur ceu res pretiosissima ponitur, cujus cura quàm diligentissimè habetur. Omnium optima videtur hæc explicatio. Neque enim aptè dicitur, *Eleemosyna quasi signaculum est cum ipso* Deo, si intelligi velis, ipsam in Dei thesauris condi; ineptaque omnino videtur locutio.

℣. 19. POSTEA RESURGET, ET RETRIBUET ILLIS RETRIBUTIONEM. Ante hæc verba, Græcus habet: *Filiis ejus ac filiabus pœnitentiam impertiens*. Spatium relinquit ut resipiscant, ac pœnitentiam agant. Illos statim ac peccavere, non opprimit: sed cùm aliquandiù expectaverit, nisi a peccato recedant, surgit, eosque ex merito punit. At si hæc verba, quæ neque in Vulgatâ, neque in Romanâ & Aldinâ Editione leguntur, prætereas, contraria prorsus sententia ex hoc loco eruitur (n). Eleemosynæ bonorumque operum memoriam ita sedulò servat Deus, uti annulum ac pupillam. At denique surget, nosque bonis cumulabit, uti herus morigerum servum, vel Imperator militem, quem virtutis causâ dignitatibus ac præmiis prosequitur. Id verò vel in morte, vel in supremo judicio fiet.

CONVERTET IN INTERIORES PARTES TERRÆ. Præcipites in infernum, vel intra terræ sinum dabit, veluti cùm Core, Dathanum, & Abironem sub pedibus hiscens tellus absorbuit. Hic locus in Græco deest; neque cum superioribus componi potest, nisi propositam priore loco explicationem sequaris.

℣. 20. POENITENTIBUS AUTEM DEDIT VIAM JUSTITIÆ, ET CONFIRMAVIT DEFICIENTES SUSTINERE, ET DESTINAVIT ILLIS SORTEM VERITATIS. Iis, qui pœnitentiam agunt, locum redeundi in tramitem justitiæ facit; eosque, quorum patientia tentatur, confirmat, iisque veritatem hæreditatis loco decernit. Vel, veritate usurpatâ pro constantiâ: Constantiam in bono minimè deficientem illis largitur. Græcus & brevior & luculentior est (o): *Verùm pœnitentibus reditum dedit, atque hortatus est* (consolatus est) *derelinquentes patientiam*, vel eos, qui proximi desperationi sunt. Nullus est impio excusationis locus, cùm illum moneat Deus, doceat, castiget, minis terreat, expectet ad pœnitentiam, & quicquid bene gesserit, remuneretur. Errantes revocat: spe cadentes consolatur, ac desperationi proximos confirmat. Denique claudit orationem Sapiens, ℣. 21: *Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua*.

℣. 24. COGNOSCE JUSTITIAS, ET JUDICIA DEI, &c. Hic versiculus, & qui sequuntur tres, multo breviores in Græco sunt (p): *Altissimo quis lau-*

(g) Οὐκ ἐκρύβησαν αἱ ἀδικίαι αὐτῶν ἀπ' αὐτοῦ, καὶ πᾶσαι αἱ ἁμαρτίαι αὐτῶν ἔναντι Κυρίου. Κύριος δὲ χρηστὸς ὤν, καὶ εἰδὼς τὸ πλάσμα αὐτοῦ, οὔτε ἀνῆκεν αὐτούς, οὔτε ἐγκατέλιπε φειδόμενος αὐτῶν. (h) *Edit. Latin. Sixti V, & Complut. & alii multi*: Quasi sacculus cum ipso. (i) *Vide Deut.* XXXII, 34; *Cant.* VIII, 6; *Jerem.* XXII, 24; *Dan.* VI, 17; XIV, 10; *Job*, 14, 7. (k) *Jerem.* XXII, 24. (l) *Agg.* II, 24. (m) *Cant.* VIII, 6. (n) *Vide Palac. Jans. Lyr.* (o) Πλὴν μετανοοῦσιν ἔδωκεν ἐπάνοδον, καὶ παρεκάλεσεν ἐκλείποντας ὑπομονήν. (p) Ὑψίστῳ τίς αἰνέσει ἐν ᾅδου; ἀντὶ ζώντων, καὶ διδόντων ἀνθομολόγησιν. Ἀπὸ νεκροῦ, ὡς μηδὲ ὄντος, ἀπόλλυται ἐξομολόγησις. ζῶν, καὶ ὑγιὴς τῇ καρδίᾳ, αἰνέσει τὸν Κύριον.

℣. 26. (Non demoreris in errore impiorum: ante mortem confitere.) A mortuo, quasi nihil, perit confessio.

℣. 27. Confiteberis vivens, vivus, & sanus confiteberis, (& laudabis Deum, & gloriaberis in miserationibus illius.)

℣. 28. Quàm magna misericordia Domini, & propitiatio illius, convertentibus ad se!

℣. 29. Nec enim omnia possunt esse in hominibus, quoniam non est immortalis filius hominis, (& in vanitate malitiæ placuerunt.)

℣. 30. Quid lucidius sole? & hic deficiet. Aut quid nequius, quàm quod excogitavit caro, & sanguis? (& hoc arguetur.)

℣. 31. Virtutem altitudinis cœli ipse conspicit: & omnes homines terra, & cinis.

COMMENTARIUS.

laudem dicet in inferno, pro viventibus & Deum laudantibus? A mortuo, veluti ab eo qui non est, perit laus (laudandi facultas). *Vivens, & sanus corde laudabit Dominum*. Ne alteram vitam expectes piè acturus, ac Deum laudaturus: dum vivis, lauda. Neque enim impiorum aut mortuorum est Dei laudes exequi, sed viventium ac piorum. Hæc sententia e Psalmis eruta est, ubi passim legitur (q), atque ex aliis Scripturæ locis.

℣. 27. VIVUS ET SANUS CONFITEBERIS. Græcus (r): *Vivus & sanus corde*, & mente & corpore. Animam vitamque in corde residere censebant Hebræi.

℣. 29. NEC ENIM OMNIA POSSUNT ESSE IN HOMINIBUS, QUONIAM NON EST IMMORTALIS FILIUS HOMINIS. Hæc jungenda sunt cum versiculo superiori. Quàm ingens est erga eos qui seriò convertuntur, Dei misericordia! Aut quàm necesse est, ut Deus hominum infirmitati conniveat! Neque enim aut peccati aut mortis expertes sumus: innumera nos mala undique obsident, atque intra mortale corpus vivimus, cujus pondere ad terram, atque ad res sensibus obnoxias trahimur. Neque sperare licet, omnes in nobis esse virtutes, quibus egemus, neque ad eam probitatis perfectionem, quæ proponitur, perventuros. Unusquisque plura peccamus, & misericordiâ maximopere indigemus.

℣. 30. QUID LUCIDIUS SOLE? ET HIC DEFICIET. AUT QUID NEQUIUS, QUAM QUOD EXCOGITAVIT CARO ET SANGUIS? Si Sol, quamquam nitidissimus, suas interdum eclypses patitur, quid ex homine sperandum est, qui ex carne & sanguine constatur, omnesque animi sui curas ad terram convertit? Quis illum minimè lapsurum, ac sublimissimam perfectionem assequuturum speret? Occultum hîc argumentum occupat Sapiens: ita enim objici posset: Sublimiora dogmata tradis, ac perfectiora, quàm ferre queat homo; sublimibus enim adeò rebus par homo non est. Fateor, inquit Sapiens, neminem perfectum esse præter Deum: at saltem hominis est, humilitatem sequi, vigilare, divinæque misericordiæ subjectum vivere. Id fusè demonstrat sequenti Capite. Aliquod in Græco dissidium est: quidam enim codices ferunt (s): *Quid lucidius sole? Et hic deficit. Et homo excogitabit carnem & sanguinem?* Alii legunt: *Quid nitidius sole? Et hic deficit. Et malum cogitabit caro & sanguis!*

CAPUT XVIII.

Unus Deus justus est. Dei opera & prodigia majora sunt, quàm illa sive animo, sive oratione assequamur. Hominis infirmitas & corruptio. Misericordia, quâ Deus homines moderatur. Beneficia lenibus verbis atque officiis junge. Mala prospiciendo occupa. Pius homo nunquam non timet, ac diffidit.

℣. 1. QUi vivit in æternum, creavit omnia simul. Deus solus justificabitur, & manet invictus rex in æternum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUI VIVIT IN ÆTERNUM, CREAVIT OMNIA SIMUL (a). Junge hæc cum superiori Capite. Docuit superiùs Author, Dei misericordiam expectare, dum homo convertitur; compertum enim omnipotenti est, hominem infirmum esse, atque in malum trahi. Hinc fit, ut non omnem severitatem Deus in hominem exerceat. Eandem rem versare pergit Ecclesiasticus; ac primò infinitam Dei magnitudinem, potentiam, justitiam commendat; tum de hominis infirmitate vitioque sermonem instituit: hinc verò colligit, horum causâ Deum misericordiâ & dissimulatione

(q) *Psal.* LXXXVII, 11; CXIII, 17. *Vide & Isai.* XXXVIII, 18; *Baruch*, II, 17. (r) Ζῶν καὶ ὑγιὴς τῇ καρδίᾳ.
(s) *Complut.* Τί φωτεινότερον ἡλίου; καὶ τοῦτο ἐκλείπει, καὶ ἀνὴρ ὃς ἐνθυμηθήσεται σάρκα καὶ αἷμα. *Alii libri*: Τί φωτεινότερον ἡλίου; καὶ τοῦτο ἐκλείπει. καὶ πονηρὸν ἐνθυμηθήσεται σὰρξ καὶ αἷμα;
(a) *Abest a quibusdam Græcis. Hubsbel.*

℣. 2. Quis ſufficit enarrare opera illius?
℣. 3. Quis enim inveſtigabit magnalia ejus?
℣. 4. Virtutem autem magnitudinis ejus quis enunciabit? aut quis adjiciet enarrare miſericordiam ejus?
℣. 5. Non eſt minuere, neque adjicere, nec eſt invenire magnalia Dei.
℣. 6. Cùm conſummaverit homo, tunc incipiet: & cùm quieverit, aporiabitur.

COMMENTARIUS.

ne erga hominem uti. ℣. 15, ad aliud argumentum tranſit. Hujus verò capitis initium cum Capitis XVII fine ita jungitur. Sol quamquam nitidiſſimus ampliſſimusque, ſuas nihilominus eclypſes patitur: Quid igitur homo, qui merus pulvis, ac cinis eſt, totusque caro & ſanguis, infirmitas & vitium? At ſupremus omnium rerum conditor unus omnia creavit: unus eſt hominis, ſolis, omniumque rerum creatarum pater & Dominus: unus juſtus, incorruptus, æternus, omnipotens: Noſtram ille infirmitatem ac paupertatem novit.

Creavit omnia ſimul, a quibusdam ita explicatur (b): *Creavit omnia eodem tempore*; quamobrem ſucceſſionis ordo, quem narrat Moyſes, ordo ſolius rationis eſt, minùs indicans quid revera geſtum ſit, quàm modum quo nos intelligimus, conſtitutum eſſe hunc quem deinde tenuerunt creatæ res ordinem. Ajunt alii (c), hac voce *ſimul* non excludi hoc loco ſucceſſionem creationis, at illud ſolummodò innui, res omnes, nullâ exceptâ, e Dei manu prodiiſſe, ipſumque unum eſſe rerum omnium conditorem. Denique ſunt (d), quibus placet, hoc velle Sapientem, creatam eſſe a Deo eodem tempore materiam, ex quâ omnia corpora componuntur: ipſum ſcilicet chaos, quod omnium rerum, ſex dierum curriculo conditarum, ceu baſis fuit, ac materies. E tribus hiſce interpretationibus ſecunda optima eſt. Græca vox potiùs ſignificat (e), creatas res omnes Dei unius opus eſſe, quàm uno eodemque tempore conditas; & in Pſalmis (f), ubi dicitur Deus *condidiſſe omnia corda ſimul*, id ſignificat, prorsùs omnia ab uno ipſo eſſe creata: *Sine ipſo factum eſt nihil*.

DEUS SOLUS JUSTIFICABITUR, ET MANET INVICTUS REX IN ÆTERNUM. Unus ipſe expers vitiorum eſt, unus naturâ juſtus, atque unus peccare non poteſt: nihil damnari poteſt eorum, quæ ipſe facit; at hominum quilibet mendax eſt, iniquus, vitiis, innumerisque malis, atque infirmitatibus obnoxius. Græcus addit nonnulla (g): *Dominus ſolus juſtus eſt, neque eſt alius præter ipſum: Qui gubernat mundum* (ceu navim gubernator) *palmo manûs ſuæ, & omnia obediunt voluntati ejus. Ipſe enim Rex eſt omnium in potentiâ ſuâ, ſecernens in eis ſancta a profanis.*

℣. 2. QUIS SUFFICIT ENARRARE OPERA ILLIUS, magnitudinem, viresque infinitas? Græcus (h): *Cuinam facultatem fecit narrandi opera ſua?* Cui hominum dedit Deus, ut operum ſuorum magnitudinem ac præſtantiam cognoſceret, & dignè prædicaret?

℣. 4. QUIS ADJICIET ENARRARE MISERICORDIAM? Quamquam Dei magnitudinem, ac prodigia prædicare queas, quis illius miſericordiam prædicabit? *Quis adjiciet enarrare*? Major enim omnibus Dei operibus eſt miſericordia (i): *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.*

℣. 5. NON EST MINUERE, NEQUE ADJICERE, NEC EST INVENIRE MAGNALIA DEI. Nihil illi addis, dum laudas; nihil aufers, dum ſiles. Major laudibus tuis eſt, neque timet ne ſeſe vituperes, aut geſtorum ſuorum amplitudinem minuas. Ipſa per ſe opera validiùs clamant, quàm tu illorum clamores æquare queas. Dei magnitudinem natura univerſa commendat.

℣. 6. CUM CONSUMMAVERIT HOMO, TUNC INCIPIET: ET CUM QUIEVERIT, APORIABITUR. Ubi omnia dixerit, tam parum dixerit, quaſi demum incipiet loqui; cùmque deſierit, obſtupeſcet. Cùm omnes nervos intenderis, ut Dei amplitudinem aſſequaris, omnesque conatus in Dei laudibus exhauſeris, nihil adhuc te dixiſſe, aut cognoviſſe invenies, quod proximum vero ſit. Cùmque te abſolviſſe credideris, nihilque dicendum te reliquiſſe, tunc demum ſenties, ac miraberis, multo plura ſupereſſe, quàm dixeris. Nunquam minùs noſcitur Deus, quàm ubi diu laboraveris ut noſcas. Quo attentiùs meditaris, eo ſublimiorem invenis: profundiſſimus eſt & inacceſſus. Codices Latini plures (k), & Interpretes legunt: *Cùm conſummaverit homo, tunc incipiet; & cùm quieverit, operabitur.* Fruſtra conaberis Dei opera ſcrutari, ejusque magnitudinem aſſequi: ubi quàm maximè conatus fueris, nihil te egiſſe ſenties; tibique utilius futurum eſt, illum cum ſilentio adorare, ac fateri, te illius majeſtati intelligendæ parem non eſſe. Vel: Sive illum laudes, ſive ſileas, nihil illius gloriæ addis: æquè proderit ſilentium humilisque admiratio, ac ſtudium & labor. Rogatus ab Hierone Rege Simonides, quid eſſet Deus, duos dies popoſcit, tum quatuor, tum moltò plures, ut de reſponſione cogitaret. Miratus Rex, cur id faceret, quia, inquit Simonides, quo attentiùs cogito, eo difficilior atque obſcurior quæſtio eſt.

(b) *Auguſt. in Geneſ. ad liter. lib. 4, c. 33, 34; & lib. 5, c. 24; & lib. XI de civit. c. 7; Author de Mirabil. Script. lib. 1, c. 1; Cajet. Melch. Canus.*
(c) *Ita Concil. Lateran. c. Firmiter. Janſ. Vatab. Grot. alii paſſim.* (d) *Vide Gregor. lib. 32 Moral. c. 9, & 10; D. Th. primâ parte, q. 74, art. 2, ad 2; Rab. Hugo, Dionyſ. Lyr. alii.*
(e) Ἔκτισε τὰ πάντα κοινῇ, *Creavit omnia communiter.*
(f) *Pſal.* XXXII, 15. היוצר יחד לבם
(g) Κύριος μόνος δικαιωθήσεται, καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλος πλὴν αὐτοῦ. Οἰακίζων (*Complut.* διακίζων) τὸν κόσμον ἐν σπιθαμῇ χειρὸς αὐτοῦ, καὶ πάντα ὑπακούει τῷ θελήματι αὐτοῦ. Αὐτὸς γὰρ Βασιλεὺς πάντων ἐν κράτει αὐτοῦ, διαστέλλων ἐν αὐτοῖς ἅγια ἀπὸ βεβήλων. (h) Τίνι ἐξεποίησε, vel οὐδενὶ ἐξεποίησε ἐξαγγεῖλαι τὰ ἔργα αὐτοῦ. (i) *Pſal.* CXLIV, 9. (k) *Sixti V, Complut. Raban. Lyr. Janſ. alii plures tum impreſſi, quàm Manuſcripti Græc.* Ὅταν συντελέσῃ ἄνθρωπος, τότε ἄρχεται, καὶ ὅταν παύσηται, τότε ἀπορηθήσεται ποῦθεν ἦκει. *Complut. non legit*, ποῦθεν ἦκει.

℣. 7. Quid eſt homo, & quæ eſt gratia illius? & quid eſt bonum, aut quid nequam illius?

℣. 8. Numerus dierum hominum, ut multum, centum anni: quaſi gutta aquæ maris deputati ſunt: & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in die ævi.

℣. 9. Propter hoc patiens eſt Deus in illis, & effundit ſuper eos miſericordiam ſuam.

℣. 10. Vidit præſumptionem cordis eorum, quoniam mala eſt: & cognovit ſubverſionem illorum, quoniam nequam eſt.

℣. 11. Ideò adimplevit propitiationem ſuam in illis, (& oſtendit eis viam æquitatis.)

℣. 12. Miſeratio hominis circa proximum ſuum: miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem.

℣. 13. Qui miſericordiam habet, docet & erudit quaſi paſtor gregem ſuum.

℣. 14. Miſeretur excipientis doctrinam miſerationis, & qui feſtinat in judiciis ejus.

COMMENTARIUS.

℣. 7. QUID EST HOMO ET QUÆ GRATIA ILLIUS? Græcus (l): *Quid eſt homo, quidve uſus ejus?* Quid vel ſervire, vel nocere Deo poteſt homo? Si impius eſt, quid Deo noxium gerere poteſt? Si pius, quid illi utile? Hominum fortunis non eget Deus (m): quòd ſi pios nos eſſe jubet, noſtri, non ſui causâ imperat. *Quid prodeſt Deo, ſi juſtus fueris*, ait Job (n), *aut quid ei confers, ſi immaculata fuerit vita tua? Quid tibi ſum*, ait S. Auguſtinus (o), *ut amari te jubeas a me? Et niſi faciam iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias.*

℣. 8. NUMERUS DIERUM HOMINUM, UT MULTUM, CENTUM ANNI: QUASI GUTTA AQUÆ MARIS DEPUTATI SUNT, ET SICUT CALCULUS ARENÆ, SIC EXIGUI ANNI IN DIE ÆVI. Authur Pſalmi LXXXIX (p), quem Levitam eſſe putamus, e Moyſis poſteris, qui per Babylonicam captivitatem ſcripſit, conſuetum humanæ vitæ ſpatium ſeptuaginta annos, vel ſummum octoginta eſſe ait. Eccleſiaſticus teſtatur, interdum centum annos æquare. At quantum illud eſt, ſi cum æternitate conferatur? Græcus (q): *Numerus dierum hominis, ut multum, anni centum: at incertum ac nemini exploratum eſt mortis tempus*, neque decerni poteſt. *Ut gutta aquæ in mari, & ut calculus arenæ; ita mille anni, in diebus æternitatis. Mille anni*, inquit Pſalmiſta (r), *in conſpectu tuo tamquam dies heſterna quæ præteriit. Unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus* (s). Quid de humanæ vitæ diuturnitate a ſuæ ætatis Philoſophis traderetur, narrans Macrobius, ait (t): *Ut ſepties deni computentur anni, hoc a Phyſicis creditur meta vivendi, & hoc vitæ humanæ perfectum ſpatium terminatur.* At Senecæ centum vel circiter anni humanæ vitæ ſpatium creduntur (u): *Perveniſſe te ad ultimum ætatis humanæ videmus. Centeſimus tibi vel ſupra premitur annus.*

℣. 9. PROPTER HOC PATIENS EST DEUS. His verbis omnia colligit, quæ hucusque diſputavit. Quanta ſit hominis infirmitas, atque in malum propenſio, novit Deus. Ipſe vitæ humanæ brevitatem videt, ac mala, quibus obſidetur: atque hinc fit, ut mitiùs erga homines ſe gerat. Noſtra infirmitas divinam erga nos miſericordiam, non neglectum movet.

℣. 10. VIDIT PRÆSUMPTIONEM CORDIS EORUM. Quid hoc & ſequenti Verſiculo ferat Græcus, accipe (x): *Vidit, & cognovit exitum eorum fore malum.* (11) *Idcirco placabilitatem ſuam* erga illos *auxit*. Miſertus hominum Deus, quorum exitum infelicem videt, miſericordiâ & clementiâ erga illos utitur, ut ſupremum infortunium vitent, illudque pœnitentiâ prævertant.

℣. 12. MISERATIO HOMINIS CIRCA PROXIMUM SUUM: MISERICORDIA AUTEM DEI SUPER OMNEM CARNEM. Humanitas, qua homo proximos proſequitur, pronaque benefaciendi ſimilibus ſui voluntas, multis partibus ab eâ differt, quam Deus erga homines exercet. Infinitam Divinæ charitatis & clementiæ amplitudinem atque extenſionem commendat Sapiens. Omnes generatim creatas res, homines, bruta, bonos malosque, & eos a quibus laudatur aut læditur Deus, illa complectitur. Eâ frui maximè omnium videntur qui peccant, cùm illius maximè indigeant. Cùm homo alterius miſeretur, cupiditate rapitur; nullâ tamen Deus. Aliquam ſaltem ab homine gratiam ſperat homo; & ſi in verâ religione ſit, ſaltem ex Deo præmium expectat. At nihil horum Deum movet, cùm homo Deo utilis eſſe, aut directè Dei magnitudinem, infinitamque felicitatem augere nequeat. Denique ſi miſerorum infortuniis movemur, illud in causâ eſt, quòd cùm eos nihilo minùs, quàm nos, homines eſſe noverimus, eadem nobis mala contingere poſſe cognoſcimus. At Deus omnibus fortunæ caſibus viciſſitudinibusque infinito intervallo ſuperior eſt.

℣. 13. QUI MISERICORDIAM HABET, DOCET, ET ERUDIT QUASI PASTOR GREGEM SUUM. (14) MISERE-

(l) Τί ἄνθρωπος, καὶ τί ἡ χρῆσις αὐτοῦ; *Vulg. legit*: Καὶ τίς ἡ χρηστότης αὐτοῦ; (m) *Pſal.* XV, 2.
(n) *Job*, XXII, 3. (o) *Auguſt. lib.* 1 *Confeſſ. c.* 5. (p) *Pſal.* LXXXIX, 10: *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni. Si autem in potentatibus octoginta anni; & amplius eorum labor & dolor.*
(q) Ἀριθμὸς ἡμερῶν ἀνθρώπου πολλὰ ἔτη ἑκατόν. Ἀλόγιστος δὲ ἑκάστου ἡ κοίμησις. Ὡς σταγὼν ὕδατος ἀπὸ θαλάσσης, καὶ ὡς ψῆφος ἄμμου, οὕτως χίλια ἔτη ἐν ἡμέραις αἰῶνος. (r) *Pſal.* LXXXIX, 4.
(s) 2 *Petri* III, 8. (t) *Macrob. Somn. Scipion.* (u) *Senec. de Brevit. vitæ*, c. 3.
(x) Εἶδε καὶ ἐπέγνω τὴν καταστροφὴν αὐτῶν ὅτι πονηρά. (11.) Διὰ τοῦτο ἐπλήθυνε τὸν ἐξιλασμὸν αὐτοῦ.

℣. 15. Fili, in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali.

℣. 16. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius quàm datum.

℣. 17. Nonne ecce verbum super datum bonum? sed utraque cum homine justificato.

℣. 18. Stultus acriter improperabit: & datus indisciplinati tabescere facit oculos.

℣. 19. (Ante judicium para justitiam tibi,) & antequam loquaris, disce.

℣. 20. Ante languorem adhibe medicinam: & ante judicium interroga teipsum, & in conspectu Dei invenies propitiationem.

℣. 21. Ante languorem humilia te, & in tempore infirmitatis ostende conversationem tuam.

COMMENTARIUS.

MISERETUR EXCIPIANTIS DOCTRINAM MISERATIONIS, &c. Græcus ita cum superioribus jungendus est: 12 *Misericordiâ Dei in omnem carnem.* 13 *Redarguit, & erudit & docet & convertit* (seu revocat) *ut pastor gregem suum.* 14 *Misericordiâ prosequitur eos, qui castigationem excipiunt, & festinant ad judicia* (præcepta) *ejus* exequenda. His verbis clauditur oratio, quam a ℣. 22 Capitis XIV instituit.

℣. 15. FILI, IN BONIS NON DES QUERELAM: beneficiis ne adde reprehensionem. Nova jam dogmata aggreditur, quibus docemur, qua ratione amicorum benevolentia comparanda sit, atque alia ad morum disciplinam pertinentia. Rem in humanæ vitæ consuetudine gravissimam hìc prosequitur Sapiens, nimirum ut nedum bene cæteris faciamus, verùm etiam ut beneficiis humanitatem comitatemque jungamus; ea enim jucundior ipso beneficio est. Libenter da, hilari vultu, opportunè, additâ orationis lenitate, atque oris jucunditate (y):

. . . . . *Super omnia vultus*
Accessere boni, nec iners pauperque voluntas.

Ne dederis potiùs, quàm ore injucundo, tristi, atque illiberali. Hoc *panem lapidosum* Veteres vocabant. Ita dandom est, ut is qui accipit, magis quàm beneficio, dantis humanitate gaudeat (z): *Tunc est summa virtus tribuentis, ubi ille qui discessit, dicit sibi: Magnum hodie lucrum feci. Malo quòd illum talem inveni, quàm si multiplicatum hoc ad me aliâ viâ pervenisset.* Vide infra, ℣. 18.

℣. 17. NONNE ECCE VERBUM SUPER DATUM BONUM? SED UTRAQUE CUM HOMINE JUSTIFICATO. Orationis lenitas nonne melior ipso beneficio est? At utraque in homine justo reperiuntur. Liberalis homo utraque jungit, beneficium, & oris comitatem? Græcus (a): *Nonne potior est* suavis *oratio, quàm donum bonum? Et utraque homini gratiosa sunt.* At optimi Codices cum Vulgatâ consentiunt: *Utrumque in homine gratioso sunt*; quod idem est atque id quod habet Vulgata: *Cum homine justificato.*

℣. 19. ANTE JUDICIUM, PARA JUSTITIAM TIBI; ET ANTEQUAM LOQUARIS, DISCE. Prima hujus versiculi pars in Græco deest. Nova hic habes instituta, cum superioribus minimè conjuncta. Monet hìc Sapiens, ut prudentiam sectteris, & linguæ custodiam adhibeas; ac loquendi festinationem facilitatemque damnat.

℣. 20. ANTE LANGUOREM ADHIBE MEDICINAM, sive antidotum, diætam scilicet, exercitationem, purgationes. Hæc monita, quæ corporis incolumitati serviunt, in rebus moralibus necessaria fiunt, ubi de morbis animi agitur, qui faciliùs præcaventur quàm corporis: hujus enim incommoda plerumque ignota sunt, eaque nunquam volumus, atque ex iis rebus oriuntur, quas occupare non possumus: at animi morbos & volumus, & cognoscimus, & occupare possumus, dum vel aliqua vitemus, vel monitis quibusdam obtemperemus, vel peritum animi medicum sequamur, vel denique malis animi propensionibus resistamus, ac prohibeamus, ne mala peccandi habitudo nascatur & crescat.

Principiis obsta: serò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.

ANTE JUDICIUM INTERROGA TE IPSUM, ET IN CONSPECTU DEI INVENIES PROPITIATIONEM. Antequam supremum diem obeas, animum tuum tuamque conscientiam seriò expende, ut ubi terribilis judicii dies advenerit, Judex tuus tibi faveat. Græcus (b): *Ante judicium para te ut rectè agas, & in horâ visitationis*, in die iræ atque animadversionis, *invenies propitiationem*, Judicis benevolentiam. Ne tunc bene vivere incipias, cùm tempus non fuerit. Dum sanus es, bene age.

℣. 21. ANTE LANGUOREM HUMILIA TE, ET IN TEMPORE INFIRMITATIS OSTENDE CONVERSATIONEM TUAM. Antequam in morbum incidas, pœnitentiam age; probumque vitæ tuæ institutum ostende, antequam langueas. Peccatorum veniam postulare ne tamdiu expectes, dum suprema instet hora: neque tunc denique melius vitæ institutum sequi incipias, cùm morbo oppressus fueris. Hoc age, dum tempus locusque est. Græcus (c): *Priusquàm ægrotes, humiliare continentiâ: & ubi peccaveris, conversionem ostende.* Si morbum corporis, quem adventare sentis ac times, diætâ & abstinentiâ prævenis, cur idem in animi morbis non præstas? Cur pœnitentiam sinceramque vitæ mutationem non amplecteris? Si superbiâ laboras, humilitatem sequere: si incontinentiâ, te ipsum jeju-

(y) *Ovid. Metamorph. lib.* VIII.
(z) *Senec. lib. 2 de Benefic. cap.* 3.
(a) Οὐκ ἰδοὺ λόγος ὑπὲρ δόμα ἀγαθόν; ϗ ἀμφότερα παρὰ ἀνθρώπῳ κεχαριτωμένα. *Edit. Rom. & alii quidam*, κεχαριτωμένῳ. *Ita legit Vulg.*
(b) Πρὸ κρίσεως ἑτοίμαζε σεαυτὸν καλλιεργεῖν, ϗ ἐν ὥρᾳ ἐπισκοπῆς εὑρήσεις ἐξιλασμόν.
(c) Πρὶν ἀῤῥωστῆσαί σε ταπεινώθητι ἐγκρατείᾳ, ϗ ἐν καιρῷ ἁμαρτημάτων δεῖξον ἐπιστροφήν.

℣. 22. Non impediaris orare semper, & ne verearis usque ad mortem justificari :(quoniam merces Dei manet in æternum.)

℣. 23. Ante orationem præpara animam tuam : & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.

℣. 24. Memento iræ in die consummationis : & tempus retributionis in conversatione faciei.

℣. 25. Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatum paupertatis in die divitiarum.

℣. 26. A mane usque ad vesperam immutabitur tempus : & hæc omnia citata in oculis Dei.

℣. 27. Homo sapiens in omnibus metuet, & in diebus delictorum attendet ab inertiâ.

COMMENTARIUS.

jejunio, cinere & cilicio affige.

℣. 22. NON IMPEDIARIS ORARE SEMPER, ET NE VEREARIS USQUE AD MORTEM JUSTIFICARI. Mira prorsus monita, quæ ex Evangelio descripta videntur, in quo monet Christus (d) : *Oportet semper orare, & non deficere.* Græcus fert (e) : *Ne probiberi te patere, quominus votum reddas tempori; & ne differ usque ad mortem justus fieri*, scilicet votum reddere. Spectat hìc Sapiens ea Moysis verba (f) : *Cùm votum voverit Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus : & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Et Salomon (g) : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere : displicet enim ei infidelis & stulta promissio.*

℣. 23. ANTE ORATIONEM PRÆPARA ANIMAM TUAM ; ET NOLI ESSE QUASI HOMO QUI TENTAT DEUM. Paranda est ante orationem mens, amotis omnibus iis rebus quæ sensum afficiunt, alienis vel curis & cogitationibus, animo per pœnitentiam & criminum dolorem expiato, infinitæque Dei præsentiæ ac magnitudinis imagine occupato. Si accedas animo inofficioso, nulloque obsequio, alia cogitans agensque, levesque atque inanes curas mente versans, Deum tentas; quasi Deus faciles tibi oranti aures exhibere ex officio debeat, cùm tu te ipsum non audias; atque id, quod negligenter adeò poscimus, ultro concedere teneatur. Mentem ab homine parari vult Deus, simulque se orari jubet, ut ipse voluntatem paret (h), ac labia orantis aperiat. Duo hæc invicem non pugnant : *Facere quod possis, & petere quod non possis* (i).

Alia ex Græco duci potest explicatio (k) : *Antequam voveas, para te ipsum, neque fias ut homo tentans Deum.* Ne facilè vota nuncupato : priùs animum para, teque ipsum consule, utrùm promissis stare satis certò decreveris. Verere, ne injuriæ loco promissiones tuas habeat Deus, si quæ implere non vis, promiseris. Rerum tuarum non eget Deus, neque irrideri vult. Huic explicationi pondus addit connexio hujus versiculi cum ℣. 22.

℣. 24. MEMENTO IRÆ IN DIE CONSUMMATIONIS; formidandæ illius diei, qua Deus unicuique reddet, quæ meruerit. Gravissimam hanc & seriam supremæ diei meditationem frequenter commendat Sapiens; si enim, ut idem superiùs dixit (l), novissimarum hominis rerum nunquam oblivisceremur, fieri minimè posset ut peccaremus. Græcus (m) : *Memento iræ in diebus exitûs, & temporis vindictæ, cùm averterit vultum* Deus a te. Cura, ut Dei iram præveniás ante mortem supremumque judicium, quo vultum ab impiis avertet, dicetque : *Discedite, maledicti, in ignem æternum.*

℣. 25. MEMENTO PAUPERTATIS IN DIE ABUNDANTIÆ, ET NECESSITATUM PAUPERTATIS IN DIE DIVITIARUM. Memento ut thesaurum in Cœlo congreges, eleemosynas largiens, dum abundas; tristemque illam paupertatem, qua tunc opprimêris, præveni. Aliter : Elapsæ paupertatis tuæ memor esto, vel futuram time, dum inter fortunæ opes & blanditias versaris : hæc enim meditans, intra humilitatis ac modestiæ fines contineberis. Similem huic sententiam superiùs tradidit (n) : *In die bonorum ne immemor sis malorum : & in die malorum ne immemor sis bonorum.* In prosperis rebus ne in superbiam efferaris, neque in adversis animo cadas. Hominum res fortunis atque infortuniis miscentur : Deus hominum felicitatem calamitatibus temperat, & calamitates solatiis levat. Superbus nimiùm atque arrogans fieret homo, si secundis solummodo rebus uteretur : nimiùm spe caderet, si tantummodo labores totius vitæ curriculo subiret (o). Sapiens neque nimiùm secundis rebus fidit, neque desperat adversis (p).

Tranquillis rebus, quæ sunt adversa caveto.
Rursus in adversis melius sperare memento.

℣. 26. A MANE USQUE AD VESPERAM IMMUTABITUR TEMPUS, ita momento fortuna vertitur : rota est, quæ semper torquetur : hic modò sublimissimus, statim infimus fit (q) : *Rotam volubili orbe versamus. Infima summis, summa infimis mutare gaudemus.* Recole animo Amanum, Mardochæum, Josephum, Jobum. Qui mane rex erat, vespere privatus fuit. Qui sole oriente illustris inter cæteros videbatur, eo cadente ad supplicium rapitur (r).

Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.

℣. 27. HOMO SAPIENS IN OMNIBUS METUET, ET IN DIEBUS DELICTORUM ATTENDET AB INERTIA. Prima hujus versiculi pars in Complutensi editione deest, at in fine versiculi hæc adduntur (s) : *Et insipiens non considerabit tempus.* Tempora distinguere, atque in adversis constantiam, & in prospe-

(d) *Luc.* XVIII. 1. *Vide & 1 Thessalon.* V, 17. (e) Μὴ ἐμποδισθῇς τοῦ ἀποδοῦναι εὐχὴν εὐκαίρως, καὶ μὴ μείνῃς ἕως θανάτου δικαιωθῆναι. *Edit. Rom.* Μὴ ἐμποδισθῇς, &c. (f) *Deut.* XXIII, 21, 22. (g) *Eccle.* V, 3. (h) *Prov.* VIII, 35, *juxta* LXX : *Preparatur voluntas a Domino.* (i) *Concil. Trident.* (k) Πρὶν εὔξασθαι ἑτοίμασον σεαυτὸν, καὶ μὴ γίνου ὡς ἄνθρωπος πειράζων τὸν Κύριον. (l) *Eccli.* VII, 40. (m) Μνήσθητι θυμοῦ ἐν ἡμέραις τελευτῆς, καὶ καιρὸν ἐκδικήσεως ἐν ἀποστροφῇ προσώπου. (n) *Eccli.* XI, 27. (o) *Chrysost. homil.* 8 *in Matth. & Bern. serm. in Ramis palmarum.* (p) *Distich. Catonis.* (q) *Boët. lib.* 2 *de Consol. Philosoph.* (r) *Senec. Thyeste.* (s) Καὶ ἄφρων οὐ συντηρήσει καιρόν.

℣. 28. Omnis aſtutus agnoſcit ſapientiam, & invenienti eam dabit confeſſionem.

℣. 29. Senſati in verbis & ipſi ſapienter egerunt: & intellexerunt veritatem, & juſtitiam, & impleverunt proverbia & judicia.

℣. 30. Poſt concupiſcentias tuas non eas, & a voluntate tuâ avertere.

℣. 31. Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis.

℣. 32. Non oblecteris in turbis, nec in modicis: aſſidua enim eſt commiſſio illorum.

℣. 33. Ne fueris mediocris in contentione ex fœnore, & eſt tibi nihil in ſacculo: eris enim invidus vitæ tuæ.

COMMENTARIUS.

proſperia rebus modum ſervare neſciet. At Sapiens cautè ſemper & cum formidine vivit. *Beatus homo qui ſemper eſt pavidus*, inquit Salomon (t). Dum vivimus, mala ſemper timenda ſunt: quamobrem monuit ſuperiùs Sapiens (u), neminem priùs dici poſſe beatum, quàm moriatur.

℣. 28. OMNIS ASTUTUS (ſolers) AGNOSCIT SAPIENTIAM, ET INVENIENTI EAM DABIT CONFESSIONEM, honore proſequetur. Non modica laus eſt, nec leve prudentiæ ac ſapientiæ indicium, Sapientes periioſque ſecernere. Ea tamen graviſſima eſt, & maxima omnium ſcientia: nimirum hominum animos virtutemque æquâ lance pendere; maturum conſtantemque a levi dignoſcere; polerum a bono & utili ſecernere; pectoris arcana ſcrutari, ac noſcere quid ex ipsâ animorum naturâ ſit, quid ex genere & inſtitutione; neque rerum ſpecie, frequenter fallaci ſemperque incertâ, decipi; tum, ubi veram virtutem agnoveris, conſpicuam cæteris facere, ſincerisque ac liberalibus præmiis & laudibus proſequi. Hoc porrò illud eſt, quod plurimi faciendum eſt, ac maximopere optandum in iis, qui cùm ingentes magiſtratus gerant, præmium virtuti reddere, dignoſque conſpicuos facere poſſunt; Principis enim peccata nunquam non illius crimini tribuuntur, quem ille ſelectiſſimum inter amicos habet. Cur enim, inquiunt, meliorem non elegit?

℣. 29. SENSATI IN VERBIS ET IPSI SAPIENTER EGERUNT. Sapientia oratione & geſtis noſcitur: & qui Sapiens verbis eſt, facilè etiam eſt geſtis. Accipe totum ex Græco verſiculum (x): *Qui prudentes ſermone ſunt, cæteros docent* (y), *& depluerunt ſententias accommodatas*, vel apophtegmata ſapientiæ plena. *Melior* eſt *libertas*, fiducia, *in Domino ſolo, quàm ſi cor mortuum mortuo adhæreat*, quàm res mortales ſectari, homines præſertim, qui ſæculi iter frequentant, de quibus Chriſtus (z): *Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos*.

℣. 30. POST CONCUPISCENTIAS TUAS NON EAS. Si malarum libidinum vim ſentis, reſiſte; ℣. 31. Si enim *præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis*. Cave, ne gaudii cauſa hoſtibus tuis ſis, dum libidinem cupidineſque ſectaris. Si ambitioni, curioſitati, voluptati ſervis, contemptus vives, omneſque animi & corporis tui virtutes nedum tibi patriæque inutiles ſient, verùm etiam pernicioſiſſima erunt exitii tui initia. Qui cupiditatum æſtu ſe trahi patitur, facilè in mala quælibet ruit, ac nihili eſt, cùm geſtorum illius regula & dux ratio eſſe deſierit. Id verò quod cauſæ loco affert Sapiens, *Faciet te in gaudium inimicis tuis*, non leve eſt, homini præſertim ambitioſo: nihil enim magis fugimus odimuſque, quàm ludibrio inimicis eſſe (α):

Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Achivi.

℣. 32. NE OBLECTERIS IN TURBIS, NEC IN MODICIS: ASSIDUA ENIM EST COMMISSIO ILLORUM. Ne turbam ama; frequenter enim in turbâ peccatur. Vel: Ne multitudine infimâque plebe (*nec in modicis*) delectare; omnia enim ibi ſunt turbis, diſſidiis, peccatis plena: *Aſſidua enim eſt commiſſio illorum*. Græcus (β): *Ne oblecteris multis deliciis; & ne alligeris symbolo earum*. Vel: Magna convivia ne ama, neque hoc deliciarum genus ſectare. E ſequenti verſiculo colligitur, Sapientem hoc loco de conviviorum deliciis agere, ac præſertim eorum, ad quæ unuſquiſque partem ſuam, quæ *symbola* vel *symbolum* dicebatur, confert.

℣. 33. NE FUERIS MEDIOCRIS IN CONTENTIONE EX FOENORE. Ne res tuas perdas, pecuniam fœnori accipiens, ut parem cæteris symbolam ad hujuſmodi convivia conferas. Solebant Veteres, ac præſertim Græci (γ), convivia inſtruere animi cauſâ, quorum ſumptus in ſingulos æquè diſtribuebatur. Monet Sapiens, ne is, cui pauper eſt cenſus, hujuſmodi conviviis miſceatur: id enim perinde eſt, ac ſponte atque ultro famem extremamque inopiam quærere immodicis ſumptibus, quos nemo ſubire te cogit.

CA-

(t) *Prov.* xxviii, 14. (u) *Eccli.* xi, 30.

(x) Συνετοὶ ἐν λόγοις, καὶ αὐτοὶ ἐσοφίσαντο, καὶ ἀνώμβρησαν παροιμίας ἀκριβεῖς. Κρείσσων παῤῥησία ἐν δεσπότῃ μόνῳ, ἤπερ νεκρᾷ καρδίᾳ νεκρῷ ἀντέχεσθαι. *Edit. Rom. poſt* Παροιμίας ἀκριβεῖς, *legit*: ΕΓΚΡΑΤΕΙΑ ΨΥΧΗΣ, *& omittit*, Κρείσσων παῤῥησία, *&c.* Legendum ait Grotius: Κρείσσων παῤῥησία ἐν δεσπότῃ μόνῳ, ἤπερ νεκρᾷ καρδίᾳ νεκρῷ ἀντέχεσθαι. (y) Græcum σοφίζομαι frequenter hoc ſenſu uſurpatur *Eccli.* xxxvii, 23; xxxviii, 26; xlvii, 55; *Pſal.* xviii, 8; civ, 22; cxviii, 98, *&c.* (z) *Matth.* viii, 22. (α) *Virgil.* (β) Μὴ εὐφραίνου ἐπὶ πολλῇ τρυφῇ σου. Καὶ μὴ προσδεθῇς συμβολῇ, (vel συμβουλῇ) αὐτῆς. (γ) *Vide Terent. in Andria: Symbolum dedit, cœnavit.* Et in Eunucho: *Heri aliquot adoleſcentuli coïvimus..... ut de ſymbolis eſſemus, &c. Vide Sup.* ix, 23.

CAPUT XIX.

Vinum ac mulieres fuge. Proximum ſapienter ſuaviterque argue. Hominis, qui ſecreta non ſervat, deſcriptio. Falsa & vera ſapientia.

℣. 1. OPerarius ebrioſus non locupletabitur: & qui ſpernit modica, paulatim decidet.

℣. 2. Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, (& arguent ſenſatos.)

℣. 3. Et qui ſe jungit fornicariis, erit nequam: putredo, & vermes hæreditabunt illum, & extolletur in exemplum majus, (& tolletur de numero anima ejus.)

℣. 4. Qui credit citò, levis corde eſt, & minorabitur: & qui delinquit in animam ſuam, inſuper habebitur.

℣. 5. Qui gaudet iniquitate, denotabitur, & qui odit correptionem, minuetur vitâ: & qui odit loquacitatem, extinguit malitiam.

COMMENTARIUS.

℣. 1. OPERARIUS EBRIOSUS NON LOCUPLETABITUR: ET QUI SPERNIT MODICA, PAULATIM DECIDET. Monuit in fine ſuperioris Capitis Sapiens, vitandos eſſe cœtus, ubi convivia oblectationesque exercentur, cùm præſertim tenuis ſit cenſus; docet hîc, opificem, qui hujusmodi cœtus amat, nunquam opes comparaturum; & qui modica diſpendia minimi facit, eum brevi ad inopiam deventurum: *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*. Monitum hoc, quod in rebus familiaribus ac politicis magni momenti eſt, multo maximi eſſe debet in iis, quæ ad mores pertinent: nihil enim in his negligendum eſt: nova ſemper virtutum incrementa quærenda ſunt: niſi progrederis, jam recedis: niſi augetur pietas, minuitur. Minima peccata fugienda ſunt, ne in majora labaris. Qui levia negligit, graviorum diſcrimini obnoxius eſt. Unicâ guttâ vas non impletur: at pluribus mergitur. Unico vulnere mors non infertur: at pluribus valetudo vitiatur, ac plerumque vita ipſa pellitur (a). S. Hieronymus (b): *Mens Chriſto dedita & in majoribus & in minoribus intenta eſt, ſciens, etiam pro otioſo verbo reddendam eſſe rationem*. Interdum levia peccata majori ſollicitudine vitanda ſunt quàm gravia: hæc enim ſuâ ipſorum gravitate ſatis per ſe horrorem ſui pariunt; at in illis ea timenda ſunt, quæ ex ipſis naſci queunt (c).

℣. 2. VINUM ET MULIERES APOSTATARE FACIUNT SAPIENTES, ET ARGUENT SENSATOS. Hæc altera verſiculi pars in Græco deeſt. *Apoſtatare* (d) hoc loco propriè eſt a Deo recedere, deſciſcere, ſe ab illo abdicare, in ſcelus ruere. Immodicus vini uſus, & fœminarum conſuetudo, duo ſunt pernicioſiſſima hominis diſcrimina. Rari ſunt, qui his ſcopulis non frangantur: ubi acceſſeris, præſens eſt naufragii periculum. Miſerrima ſimul & celeberrima ſunt hujus rei exempla Samſon, Salomon, aliique, quorum numerus fidem ſuperat. *Fornicatio, vinum & ebrietas auferunt cor*, mentem, intellectum, ſapientiam evertunt (e).

℣. 3. ET QUI SE JUNGIT FORNICARIIS, ERIT NEQUAM: PUTREDO ET VERMES HÆREDITABUNT ILLUM, ET EXTOLLETUR IN EXEMPLUM MAJUS. Græcus (f): *Qui ſe agglutinat ſcortis, audax erit*, temerarius, facinoroſus: *putredo & vermes hæreditabunt eum. Anima audax tolletur de numero viventium, & tabeſcet in exemplum majus*. Libidinoſum hominem deſcribit, audacem, temerarium, qui nullum facinus a ſe alienum putat. Libido, qua mergitur, moleſtiſſimis illum morbis obruet: carnem vorabunt peſtes: putredo, & cætera mala, quæ libidinem comitantur, totum corpus obſidebunt; quamobrem miſerrimâ nece oppreſſus, cæterorum exemplum fiet. Deſcribere hîc videtur Sapiens peſtiferam probroſamque eam tabem, quæ juſtum libidinis ſupplicium noſtrâ ætate eſt (g). Vide Proverbia, v, 11, & noſtram Diſſertationem de morbo Jobi, ubi ejus morbi, quo Deus viros ac fœminas impudicas punit, vetuſtatem oſtendimus.

℣. 4. QUI CREDIT CITO, LEVIS EST CORDE: ET QUI DELINQUIT IN ANIMAM SUAM, INSUPER HABEBITUR, deſpicietur. Credendi facilitas animi infirmitatem levitatemque docet (h); ac minimi ſemper habentur ii, qui ſibi ipſis inimici ſunt, neque quid ſibi utile ſit, agnoſcunt. Ita certò de his ſentiunt ſapientiſſimi. Græcus (i): *Qui facilè ſe committit alteri, is levis eſt corde: & qui peccat, is in vitam ſuam delinquit*. Eos ſignificat, qui temerè in libidines ruunt: ii enim ſatis docent, quàm leves animo ſint, bonamque valetudinem intemperantiâ obruunt: ſuo ipſorum corpori nocent (k): *Qui fornicatur, in corpus ſuum peccat*.

℣. 5. QUI GAUDET INIQUITATE, DENOTABITUR, probro afficietur: ET QUI ODIT LOQUACITATEM, EXTINGUIT MALITIAM. Qui libidines, de quibus mox, amat, inter probos dedecore afficietur. Sapiens, qui modum loquendo ſervat, immunis malorum erit, ac ferociores animos conciliare, pacemque illuc,

(a) *Gregor, Mag. 3 parte Paſtoral. admonit.* 34.
(b) *Hieronym. ad Heliodor.*
(c) *Chryſoſt. homil.* 88 *in Matth.*
(d) Οἶνος καὶ γυναῖκες ἀποστήσουσι συνετούς. (e) *Osee*, IV, 11.
(f) Καὶ ὁ κολλώμενος πόρναις, τολμηρὸς ἔσται. Σῆτες καὶ σκώληκες κληρονομήσουσι αὐτόν, καὶ ψυχὴ τολμηρὰ ἐξαρθήσεται, καὶ ξηρανθήσεται ἐν παραδειγματισμῷ μείζονι. (g) *Grot. Cornel. a Lapide.*
(h) *Epicharm.* Νῆφε, καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν. Ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. (i) Ὁ ταχὺ ἐμπιστεύων, κοῦφος καρδίᾳ. Καὶ ὁ ἁμαρτάνων εἰς ψυχὴν αὐτοῦ πλημμελήσει. (k) 1 *Cor.* VI, 18.

℣. 6. (Qui peccat in animam suam, pœnitebit: & qui jucundatur in malitiâ, denotabitur.)

℣. 7. Ne iteres verbum nequam, & durum, & non minoraberis.

℣. 8. Amico, & inimico noli narrare sensum tuum: & si est tibi delictum, noli denudare.

℣. 9. Audiet enim te, & custodiet te, (& quasi defendens peccatum) odiet te, & sic aderit tibi semper.

℣. 10. Audisti verbum adversùs proximum tuum? commoriatur in te: fidens, quoniam non te disrumpet.

COMMENTARIUS.

illuc, unde exulabat, reducere poterit. Græcus (l): *Qui delectantur malâ corporis habitudine*, seu libidine, *damnabitur: at qui voluptatibus resistit, is vitam suam coronat. Qui linguæ suæ dominus erit, is cum homine quamvis intractabili convivere poterit: & qui loquacitatem odit, minus habebit mali.* Reddi etiam potest: Qui voracitatem & libidinem amat, valetudinis exitio punietur: at qui corporis voluptates spernit, perfectâ valetudine utetur. Quæ sequuntur, alterius argumenti sunt. Qui linguâ suâ pro arbitrio uti scit, is convivere cum ferocissimis hominibus poterit.

℣. 6. QUI PECCAT IN ANIMAM SUAM, &c. Hunc versiculum non habet Græcus, quippe qui superioris repetitio est, sive explicatio.

℣. 7. NE ITERES VERBUM NEQUAM ET DURUM, ET NON MINORABERIS, nihil mali feres. Hæc locutio, *iterare*, vel *duplicare verbum*, usurpatur pro, audita referre (m): *Non duplices sermonem auditûs de revelatione sermonis absconditi.* Atque hoc sensu hìc optimè usurpari potest. Alibi solummodo significat dicta iterare (n): *Non iteres verbum in oratione tuâ.* Ne importunus sis iteratis precibus assiduisque repetitionibus; nihil enim eæ tibi proderunt. Postrema hæc explicatio huc aptari potest. Ne obstinatè nimis cum litigiosis hominibus jurgare, nequid mali tibi contingat. Molesta semper hæc jurgia sunt, ac plerumque in lites aut injurias desinunt. Similis est apud Latinos locutio. *Iterare verbum* apud Ecclesiasticum est respondere, litigare. Terentius: *Tria non commutabitis hodie verba inter vos;* minimè litigabitis, statimque pacem facietis.

℣. 8. AMICO ET INIMICO NOLI NARRARE SENSUM TUUM: ET SI EST TIBI DELICTUM, NOLI DENUDARE. Non prohibet Sapiens, quin secreta cum amico communices; secum enim ipse pugnaret (o). At quædam sunt, quæ cùm solummodò ad animæ res pertineant, uni Deo ejusque Ministro dici debent. Arcana, quæ credi amico possunt, ex horum genere minimè sunt; neque quisquam dicam scribere amico poterit, quòd secreta peccata secum non communicaverit. Hoc vult Sapiens. At de inimicis non magnoperè opus erat admonere. Cùm verò ait, arcana sua & peccata neque amicis aperienda esse neque inimicis, hoc significat, quædam esse, quæ omnes penitus latère oportet. Hujusmodi sunt ea quæ ad nos solummodò spectant, vel ad amicos, quorum in secreta nulla nobis authoritas est. *Cùm omnia nobis essent nostra communia*, inquit S. Ambrosius (p), *individuus spiritus, individuus affectus; solum tamen commune non erat secretum amicorum. Non quo conferendi periculum vereremur, sed ut tenendi servaremus fidem.* Cùm res deliberationem posceret, *erat semper commune consilium, non semper commune secretum.*

Græcus (q): *Nec apud amicum nec apud inimicum vitam alterius commemorato: & si tibi nullum est peccatum, ne reveles.* Alterius probrum aperire, ac de illo obloqui vel apud amicos vel inimicos, nunquam licet. Nobis verò ea peccata quæ non gessimus, vitio dare nunquam debemos. Non ita humilem esse oportet, ut te reum dicas cùm innocens es, vel ea vitia tibi adscribas, quibus cares. Sunt qui peccatis gloriantur, que nunquam patravere: at ea insania est, ab homine sapiente aliena. Author Vulgatæ particulam negantem in secundâ versiculi parte non habet; ejusque legendi ratio melior videtur, quàm ea quæ nunc in Græco fertur: *Et si est tibi delictum, noli denudare.* Peccata ex earum rerum genere non sunt, quæ credi amicis debent: idque solummodo scelestorum est, & eorum, qui scelere gloriari, & scelerum sociis peccata narrare solent (r).

Quis nunc diligitur, nisi conscius, & cui fervens
Æstuat occultis animus, semperque tacendis?

℣. 9. AUDIET ENIM TE, ET CUSTODIET TE, ET QUASI DEFENDENS PECCATUM, ODIET TE. Vel: Audiet te, tibique diffidet; ac peccati defensionem aggressus, te odio prosequetur. Vel: Tua ipsius, vel alterius peccata amico ne an inimico narres, odii discrimen subis, ac perniciosi hominis notæ proximus es. Is, cui tua peccata narras, minimè dubitabit, quin occasione enatâ tu id sibi facias, quod alteri feceris. Si animo rectè instituto sit, sceleris tui horrorem sentiet; si nihilo melior te fuerit, fidei tuæ non credet. Quòd si aliorum peccata obloquendo prædicas, ipsi illi, quibus narratio tua jucunda est, clam te odio prosequentur, ceu malum hominem, ex quo sibi eadem maledicta imminent. Publica pestis, maledicus; bonorum malorumque terror. Uni Deo ejusque Ministris peccata tua confitere: ex his enim unis solatium invenitur & medicina.

℣. 10. AUDISTI VERBUM ADVERSUS PROXIMUM TUUM? COMMORIATUR IN TE: FIDENS QUONIAM NON TE DISRUMPET. Virus non est: secretum conde securus: non disrumpêris: neque recens est fumosumque vinum, dolia rumpens. Elegans locutio, optimè describens illud hominum genus, qui ea quæ intellexerunt, ita gerunt, quasi utero gravi sint; quæque aliis incommoda percepere, ita vomere festinant, ceu virus imprudenter haustum.

(l) Ὁ εὐφραινόμενος ἐπὶ κακοεξίᾳ, καταγνωσθήσεται. Ὁ δὲ ἀντοφθαλμῶν ἡδοναῖς, στεφανοῖ τὴν ζωὴν αὐτοῦ. Ὁ ἐγκρατευόμενος γλώσσῃ, ἀμάχως συμβιώσεται. Καὶ ὁ μισῶν λαλιὰν, ἐλαττοῦται κακίᾳ. Alii Codices ferunt: Ὁ εὐφραινόμενος καρδίᾳ, κακοεξίᾳ καταγνωσθήσεται. (m) *Eccli.* xlii, 5.
(n) *Eccli.* vii, 15. (o) *Eccli.* iii, 14, 15; vii, 20; ix, 14; xxii, 26, 27; xxvii, 17, 24.
(p) *Ambros. Orat. in obitu Satyri fratris.* (q) Ἐν φίλῳ καὶ ἐχθρῷ μὴ διηγοῦ βίον ἀλλότριον, καὶ εἰ μή ἐστί σοι ἁμαρτία, ἀποκάλυπτε. (r) *Juvenal. satyr.* 3, *v.* 49.

℣. 11. A facie verbi parturit fatuus, tamquam gemitus partûs infantis.
℣. 12. Sagitta infixa femori carnis, sic verbum in corde stulti.
℣. 13. Corripe amicum, (ne fortè non intellexerit,) & dicat : Non feci : aut si fecerit, ne iterum addat facere.
℣. 14. Corripe proximum, ne fortè non dixerit : & si dixerit, ne fortè iteret.
℣. 15. Corripe amicum : sæpe enim fit commissio.
℣. 16. Et non omni verbo credas : est, qui labitur linguâ, sed non ex animo.
℣. 17. Quis est enim, qui non deliquerit in linguâ suâ ? Corripe proximum, antequam commineris.
℣. 18. Et da locum timori Altissimi : quia omnis sapientia timor Dei, & in illâ timere Deum, & in omni sapientiâ dispositio legis.

COMMENTARIUS.

℣. 11. A FACIE VERBI PARTURIT FATUUS, TAMQUAM GEMITUS PARTUS INFANTIS. Nulla est illi quies, dum non ediderit. Loquendi ac tacendi tempus novit Sapiens, fructumque tempori edit. At insanus festinat, ac nonnisi abortus, informesque ac inutiles fructus parit.

℣. 12. SAGITTA INFIXA FEMORI CARNIS, SIC VERBUM IN CORDE STULTI. Ut is, qui telum vulneri infixum gerit, quamocissimè ferrum educere nititur ; ita insano nulla est quies, dum audita non publicaverit. Maledicorum plerique Terentiano servulo similes sunt, qui de se ipso ajebat : *Plenus rimarum sum, hac & illac perfluo.*

℣. 13. CORRIPE AMICUM, NE FORTE NON INTELLEXERIT. Quædam hic aggreditur de officio proximum castigandi. Græcus hic legit (s) : *Argue amicum, ne fortè id non fecerit* (cujus peccati insimulatur) ; *vel si fortè fecerit, ne ampliùs faciat.* Plerorumque amicitia scinditur, quòd huic præcepto minimè obtemperent. Præbentur aures maledicis, ac mala de amicis creduntur. Mera interdum suspicio est, quæ diu nutrita crescit atque firmatur ; nullo negotio peritura, si vel unico verbo amicorum animus explicetur. Hujusmodi certè adhibitâ explicatione, pessimæ suspiciones sæpe evertuntur, ac rursos amicitia restituitur.

℣. 15. CORRIPE AMICUM : SÆPE ENIM FIT COMMISSIO, frequenter enim falsa narrantur. Hoc propriè significat hæc vox, *commissio*, utì constat ex Græco (t) : *Argue amicum, sæpè enim intervenit calumnia vana.* Amicum mone, quid male de illo narratum sit ; frequenter enim mendacia & calumniæ affinguntur. Cætera videt oculus, se ipsum non videt. Aliorum peccata videmus, nostra ignoramus. Utile est argui ab amico, & moneri quid peccaverimus, ut, si vera sint peccata, emendemus ; si falsa, diluamus. *Monere & moneri proprium est veræ amicitiæ*, inquit Cicero (u). *Amicus siquid in amico vitii cognoverit, debet corripere occultè : si non audierit, corripere palam*, ait S. Ambrosius (x). Nemo fratris peccata ferat, subdit S. Bernardus (y), nemo dissimulet, aut dicat : Numquid custos fratris mei sum ? *Est enim consentire, silere cùm arguere possis. Et scimus quia similis pœna scientes manet, & consentientis.* Ut verò arguendi fratris officio optimè fungaris, opus est, ut justitiam ames, perfectâque charitate instruaris.

℣. 16. EST QUI LABITUR LINGUA SUA, SED NON EX ANIMO. Incautum fortasse aliquid amico excidit, ut interdum sapientissimis ac religiosissimis usu venit. An idcirco id ægrè ferre debes, & crimini amico dare ? Amicum ejus rei mone, & sacrum amicitiæ vinculum ne frangas ; quis enim linguâ non peccat ? ℣. 17.

℣. 17. CORRIPE PROXIMUM, ANTEQUAM COMMINERIS, asperâ oratione utaris. Nosce priùs, utrùm id verum sit, quod illi vitio datur, & an aliquid sit, quod peccati naturam minuat, ac denique, utrùm ille peccatum pœnitentiâ correxerit, ipsumque facti pigeat ; neque illum illiberalibus verbis provocaveris. Si curare amicum vis, priùs leniter mone : si obediat, & emendetur, ne ulteriùs sævias : at si peccatum defendere conetur, majori severitate utere, & qualibet ratione efficito, ut se reum sentiat. Simile huic est illud quod Christus de fratris castigatione tradidit (z) : *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum : si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit : sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* S. Paulus (a) : *Et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.*

℣. 18. DA LOCUM TIMORI ALTISSIMI : QUIA OMNIS SAPIENTIA TIMOR DEI. Vera sapientia in Dei timore consistit. Hæc monita passim in Scripturâ leguntur ; nec unquam satis monemur, veram sapientiam, virtutem, constantemque amicitiam absque Dei timore, pietate, religione esse non posse. Longissimè ab his tradendis aberant Philosophi : at omnis illorum sapientia mera fuit inanitas atque error, si cum eâ, quam vera tradit Religio, conferantur. *Dare locum*, ut monuimus, huic Scriptori est, magni facere. Vide superiùs, XVI, 15. Ita *dare locum timori Altissimi* est, Dei timorem plurimi æstimare, quærere, amare, ceu rem omnium pretiosissimam dignissimamque.

Græcus in Complutensi editione, non verò in Romanâ, addit (b) : *Da locum legi Altissimi, ostendens te placidum*, scilicet, pacificum cum cæteris

(s) Ἔλεγξον τὸν φίλον, μήποτε οὐκ ἐποίησε, καὶ εἰ ἐποίησε, μήποτε προσθῇ. (t) Ἔλεγξον φίλον, πολλάκις γὰρ γίνεται διαβολὴ μαλυία. (u) *Cicero, de Amicitiâ.* (x) *Ambros. lib. 3 de Offic. cap. 16.* (y) *Bern. serm. in Nativ. S. Joannis.* (z) *Matth.* XVIII, 15, 16, 17. (a) *Galat.* VI, 1.
(b) *Complut.* Δὸς τόπον νόμῳ ὑψίστου γινόμενος ἀμήνις. Φόβος Κυρίου ἀρχὴ προσλήψεως, σοφία δὲ παρ' αὐτοῦ ἀγάπησιν περιποιεῖ, γνῶσις ἐντολῶν Κυρίου παιδεία ζωῆς. Οἱ δὲ ποιοῦντες τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ἀθανασίας δένδρον καρποῦνται.

℣. 19. Et non eſt ſapientia nequitiæ diſciplina: & non eſt cogitatus peccatorum prudentia.

℣. 20. Eſt nequitia, & in ipsâ execratio: & eſt inſipiens, qui minuitur ſapientiâ.

℣. 21. Melior eſt homo, qui minuitur ſapientiâ, & deficiens ſenſu in timore, quàm qui abundat ſenſu, & transgreditur legem Altiſſimi.

℣. 22. Eſt ſolertia certa, & ipsa iniqua.

℣. 23. Et eſt, qui emittit verbum certum enarrans veritatem. Eſt, qui nequiter humiliat ſe, & interiora ejus plena ſunt dolo.

COMMENTARIUS.

teris vitam, atque ab jurgio & litibus alienam agens. *Timor Dei initium primæ perceptionis, & ſapientia, quæ ex ipſo eſt, amicitiam acquirit.* Amabilis ſapientia eſt, animos devinciens. *Cognitio mandatorum Dei eſt inſtitutio vitæ. Qui faciunt ea, quæ illi placent, immortalitatis fructus referent.* (Reſpicere videtur ad arborem vitæ atque ad pomum ſcientiæ boni & mali, de quibus Moyſes (c): *Poſuit lignum vitæ in medio Paradiſi, lignum quoque ſcientiæ boni & mali.* Talis eſt Divinæ Legis ſcientia, ejusque mandatorum executio) Pergit Author: *Omnis ſapientia eſt timor qui ex Deo eſt, & in omni ſapientiâ poſita eſt præſtatio legis, ac cognitio omnipotentiæ ejus. Servus ſi dicat domino, Sicut placet tibi, non faciam, & deinde faciat, irritat nutrientem ſe*, herum, qui non modò ſibi ſervire ſervum vult, verùm etiam ſibi modeſtè reſpondere, ſtatimque imperata facere.

Poſtremis hiſce verbis contraria videtur Sapiens tradere iis quæ a Chriſto docentur, qui Judæos alloquens, hac parabolâ uſus eſt (d): *Homo quidam habebat duos filios; & accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie, operare in vineâ meâ. Ille autem reſpondens ait:* Nolo. *Poſtea autem pœnitentiâ motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit ſimiliter; at ille reſpondens ait: Eo, domine: & non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jeſus: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in Regnum Dei.* Hi altero filio ſignificantur, qui ſtatim renuens, deinde obtemperat: altero Judæi, qui paratum ſe exhibens, nihil deinde præſtitit. Ita propoſito ſervi exemplo, qui ſtatim repugnat, ac deinde obtemperat, illud colligendum ab Authore videbatur, hunc ſervum, quicquid initio reſponderit, hero morem gerere. At fortaſſe de primis animi motibus agit, quos temeraria reſponſio in heri animo excitat, non de voluptate, quam ex obedientiâ ſervi refert. Hæc in Romanâ editione penitùs omittuntur (e): *Da locum legi Altiſſimi. Omnis ſapientia, timor Domini, & in omni ſapientiâ eſt præſtatio legis.*

℣. 19. NON EST SAPIENTIA NEQUITIÆ DISCIPLINA: ET NON EST COGITATUS PECCATORUM PRUDENTIA. Solertiâ ingenioque in malum uti, abuti eſt. Impiorum ſolertia, induſtria, prudentia, acris intelligendi & cognoſcendi vis, Sapientiæ nomine indigniſſima eſt. *Non debet ratio, bono conſilio a Deo data, in fraudem malitiamque converti*, ait Cicero.

℣. 20. EST NEQUITIA, ET IN IPSA EXECRATIO: ET EST INSIPIENS, QUI MINUITUR SAPIENTIA. Non ſemper in pretio habendæ ſunt ſolertia & ſapientia, neque ſemper contemnendæ ſtupiditas & ſapientiæ inopia. Majus eſt falſæ ſapientiæ periculum, quàm utilitas; eaque Deo & hominibus odioſa eſt. Acri ingenio vir, at animo malus, longè pernicioſior eſt, quàm malus, at ingenii acrimoniâ induſtriâque carens. Et cui minus ſapientiæ & ingenii eſt, ſi morum honeſtate ac probitate fulgeat, nihilo minori in pretio habendus eſt. Ut enim Sapiens ſequenti verſiculo tradit, *Melior eſt homo qui minuitur ſapientiâ, & deficiens ſenſu, in timore Dei, quàm qui abundat ſenſu, & transgreditur legem Altiſſimi.*

℣. 22. EST SOLEUTIA CERTA, ET IPSA INIQUA. Græcus (f): *Eſt aſtutia exquiſita*, accurata, diligens, *at injuſta*. Iniquitas, quæ hanc juſtitiam comitatur, omnem illius laudem ac dignitatem aufert. Veram ſapientiam a falsâ optimè ſecernit S. Jacobus (g): *Quæ de ſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiâ & fructibus bonis, non judicans, ſine ſimulatione*; cùm humana ſapientia ſit *animalis, diabolica*, authore Diabolo mendacii patre. Jubet S. Paulus (h) *Sapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.*

℣. 23. EST QUI AMITTIT VERNUM CARTUM, ENARRANS VANITATEM. Sunt qui ſapienti oratione utuntur, & qui nonniſi vera dicunt. Ne putes, veritatem impiis ac fallacibus nunquam excidere; ſunt enim quidam eâ in re religioſiſſimi, at nihilominus periti fraudum artifices. Vera interdum loquuntur, ut tutiùs fallant, neque penitùs infames ſint. Græcus legit (i): *Eſt qui evertit* juſtitiam, *ut judicium proferat: Et eſt, qui juſta in judicio ſectatur ſapiente judicio.* Sunt qui, dum jus reddunt, omnia evertunt: & ſunt, qui ſine æquitatis diſpendio, omnibus judicii ſapientiâ ſatisfaciunt. Primi ſunt, qui jus ſeveriſſimè reddunt, vel qui Legibus utuntur, ut innocentem opprimant. Alteri ſunt, qui legum ſeveritatem lenitate, ac ſapientiâ temperant. Commune dogma eſt: *Summum jus, ſumma injuria.*

EST QUI NEQUITER HUMILIAT SE, ET INTERIORA EJUS PLENA SUNT DOLO. Eorum ſimulationem damnat, qui ſimulatis officiis atque obſequiis alios decipere conantur. Dejectionis cauſa ipſis ſuperbia eſt, ut ex humili ipſorum conditione, cujus ipſos piget, faciliùs erigantur, & eorum dominis jacent, ut ipſi ad ſuperborum dominorum conditionem perveniant. *Quantos, quos ſupplices admiſiſtis*, inquit ad Eugenium III S. Bernardus (k), *poſtmodum ſuſtinuiſtis graves, intolerantes, contumaces, rebelles? Glorioſa res humilitas, quâ ipſa quoque ſuperbia palliare ſe appetit*, ne

(c) *Geneſ.* II, 9. (d) *Matth.* XXI, 29, *& ſeq.* (e) Δὸς τόπον νόμῳ ὑψίστου. Πᾶσα σοφία φόβος Κυρίου, καὶ ἐν πάσῃ σοφίᾳ ποίησις νόμου. (f) Ἔστι πανουργία ἀκριβὴς καὶ αὕτη ἄδικος. (g) *Jacobi*, III, 15. (h) *Rom.* XVI, 19. (i) Καὶ ἔστι διαστρέφων χάριν τοῦ ἐμφᾶναι κρίμα. Καὶ ἔστι δικαιῶν κρίσιν σοφός. (k) *Bernard. lib.* 4 *de Conſiderat.*

℣. 24. (Et est, qui se nimiùm submittit a multâ humilitate:) & est, qui inclinat faciem suam, & fingit se non videre, quod ignoratum est.

℣. 25. Et si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet.

℣. 26. Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.

℣. 27. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.

℣. 28. Est correptio mendax in irâ contumeliosi: (& est judicium, quod non probatur esse bonum:) & est tacens, & ipse est prudens.

COMMENTARIUS.

ne vilescat (l). Græcus legit (m): *Est qui malum agit, incurvatus, & pullatus*, ad literam, *curvatus nigredine, & intra ipsum plenus est dolo*. Grotius legit: *Est qui pullatus incedit, cujus interiora plena sunt dolo.*

℣. 24. Est qui se nimium submittit a multa humilitate: et est qui inclinat faciem suam, et fingit se non videre quod ignoratum est. Prima versiculi pars additio est, & superioris versiculi repetitio: altera ita in Græco legitur (n): *Alius demittit vultum, surdum simulans; at si agnitus fuerit, prævertet ut tibi noceat.* Si animadverterit, fidem sibi non haberi, atque illud agi, ut ipsius nequitia manifesta efficiatur, te prævertere, & quæ molitur explere festinabit. At melior est Romanæ editionis sententia (o): *Demisso vultu incedit, & surdum se simulat: ubi minimè cognitus fuerit, antevertet te.*

℣. 25. Et si ab imbecillitate virium vetetur peccare, si invenerit tempus malefaciendi, malefaciet. Hypocrita semper malus animo est: idcirco malefactis abstinet, quòd malefacere nequeat. Faceret, si impune liceret: metu coërcetur. Hoc tantummodò a sceleratissimis differt, quòd magis timet cavetque, & opportunitate caret.

℣. 26. Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Oris lineamenta, vultûs oculorumque modus, vestis, risus, incessus non semper certa sunt animi argumenta. Sunt quibus est hebes ac stupida oris imago, animus acris ac sapiens; contra, sunt qui animo dementiam, ore sapientiam ferunt. At hîc Sapiens de iis agit, quæ plerumque contingunt. *Vultus est quidam cogitationis arbiter, & tacitus cordis interpres. Facies index plerumque est conscientiæ, & tacitus sermo mentis*, inquit S. Ambrosius (p).

℣. 28. Est correptio mendax in ira contumeliosi (quæ ex irâ nascitur): et est judicium, quod non probatur esse bonum. et est tacens, et ipse est prudens. Junge hæc cum superioribus. Plerumque exterior oris habitus index animi est, & mentis speculum: at hæc regula exceptione non caret. Interdum quis ex oris habitu temerè damnatur. Hic silet, atque hebes videtur, cùm prudentiæ causâ sileat. Quamobrem certa & absoluta sententia ex oris specie ferenda non est. Græcus fert (q): *Est quædam castigatio non tempestiva; & est qui silet, idemque prudens est.* Suum esse debet castigandi ac silendi tempus. Importuna castigatio plerumque malas habet appendices; atque interdum prudentiæ est, tacere. His verbis claudit ea quæ huc usque disputavit de castigandi fratris officio, monitisque, quibus amici coërcendi sunt. Priores duo sequentis capitis versiculi ex eodem argumento sunt.

CAPUT XX.

Moralia dogmata de fraternâ castigatione, silentio, loquendi modo, dignitatibus, muneribus ultro utroque datis, promissis, mendacio, absconditâque sapientiâ.

℣. 1. QUàm bonum est arguere, quàm irasci, & confitentem in oratione non prohibere?

℣. 2. Concupiscentia spadonis devirginabit juvenculam:

COMMENTARIUS.

℣. 1. Quam bonum est arguere, quam irasci, et confitentem in oratione non prohibere? Vel; Quanto melius est amicum arguere, atque excusationis locum illi dare, quàm iram alere, in odium exituram? Græcus (a): *Quanto melius est redarguere, quàm indignari occultè? Et qui confitetur* peccatum, *non afficietur incommodo* inimicitiæ. Adeò utile est, amicos mentem explicare; ita enim inimicitias ac simultates prævertunt, quæ minimè vitari possunt, ubi alitur animo ira, nullà admonitione explicata.

℣. 2. Concupiscentia spadonis devirginabit

(l) *Idem de Gradib. humilit. cap.* 18. (m) Ἔστι πονηρευόμενος συγκεκυφὼς μελανίᾳ, καὶ τὰ ἐντὸς αὐτοῦ πλήρης δόλου. *Grot. legit*: Συγκεκυφὼς μελανίᾳ. (n) Συγκύφων πρόσωπον, καὶ ἐθελοκωφῶν. Οὗ ἐὰν ἐπιγνωσθῇ, προφθάσει σε κακοποιῆσαι. (o) Συγκύφων πρόσωπον, καὶ ἑτεροκωφῶν, ὅπου οὐκ ἐπιγνωσθῇ προφθάσει σε. (p) *Ambros. lib. de Elia, c.* 10. (q) Ἔστιν ἔλεγχος ὃς οὐκ ἔστιν ὡραῖος, καὶ ἔστι σιωπῶν, καὶ αὐτὸς φρόνιμος. (a) Ὡς καλόν ἐστιν ἐλέγξαι, ἢ θυμοῦσθαι κρυπτῶς; καὶ ὁ ἀνθομολογούμενος κωλυθήσεται ἀπὸ ἐλαττώματος.

℣. 3. Sic qui facit per vim judicium iniquum.

℣. 4. Quàm bonum est, correptum manifestare pœnitentiam! sic enim effugies voluntarium peccatum.

℣. 5. Est tacens, qui invenitur sapiens: & est odibilis, qui procax est ad loquendum.

℣. 6. Est tacens non habens sensum loquelæ: & est tacens sciens tempus aptum.

℣. 7. Homo sapiens tacebit usque ad tempus: lascivus autem & imprudens non servabunt tempus.

℣. 8. Qui multis utitur verbis, lædet animam suam: & qui potestatem sibi sumit injustè, odietur.

℣. 9. Est processio in malis viro indisciplinato, & est inventio in detrimentum.

COMMENTARIUS.

BIT JUVENCULAM: SIC QUI FACIT PER VIM JUDICIUM INIQUUM. Qui iniquo judicio justitiam violat, similis spadoni est, virginem stuprare conanti. Justitia ceu eximiæ formæ puella fingitur (b): & judices justitiam violantes similes habentur spadoni, qui puellæ vim inferre velit; quantum enim ex ipsis est, id corrumpunt, quod naturâ suâ corrumpi nequit. At quantumvis impii judices conentur, justitia nunquam perit: quamquam ipsi scelerum quæ agunt, & quæ non agunt, rei ex æquo sunt; parati enim animo sunt sanctissima quælibet jura profanare, atque integerrimam justitiam corrumpere. Græcus legit (c): *Qualis est cupiditas spadonis ad puellam devirginandam; talis est ejus, qui per vim judicia exercet.* Ut spadonibus virginum custodia creditur, ita judicibus justitia. Reliquæ comparationis partes facilè conferuntur. Spadones feminarum amore maximè trahi, certum est; & celeberrima illorum libidinis exempla traduntur (d). Meminit S. Augustinus (e) spadonis cujusdam Calligoni, morte affecti, quòd cum meretrice peccaverit; idemque animadvertit, nihilo mitiorem esse in ipsis, quàm in cæteris, libidinem, extremaque in scelera ruere, nisi castitatis virtute coërceantur.

℣. 4. QUAM BONUM EST, CORREPTUM MANIFESTARE POENITENTIAM. Si pœnitentiam confessione, mœrore ac vitæ mutatione testaris, ubi peccatorum argueris, illud argumento est, voluntatem atque animi intentionem non magnam sceleris partem habere. Hoc solummodo postulare debet is qui castigat.

℣. 5. EST TACENS, QUI INVENITUR SAPIENS: ET EST ODIBILIS QUI PROCAX EST AD LOQUENDUM. Hæc simillima iis sunt, quæ Capite XIX, 28, tradidit. Homo garrulus molestissimus inter homines est; & plerumque is qui silentium amat, sapiens reputatur. Plerique sibi loquendo nocent, qui tacendo sapientes haberentur. Melius interdum est responsione silentium (f).

℣. 6. EST TACENS NON HABENS SENSUM LOQUELÆ: ET EST TACENS SCIENS TEMPUS APTUM. Qui mentis hebetudine ac stupiditate silet, nulla ipsi est silentii laus: at multò melior est quàm is qui prudentiâ carens, multùm loquitur. Sapientiæ genus est, scire, se sapientiâ carere; atque ubi nihil boni dicendum succurrit, silere. Omninò nunquam loquendum est, inquit S. Chrysostomus (g), nisi cùm aliquid silentio melius dicendum est. Absoluta sapientia est, silendi atque opportunè loquendi modum scire. Longè difficillimum est bene loqui, quàm silere. At plerique neutrum faciunt.

℣. 7. LASCIVUS AUTEM ET IMPRUDENS NON SERVABUNT TEMPUS. Græcus (h): *Jactator*, loquax, gloriabundus, *& insanus non servabunt tempus.* Temerè, inconsideratè, importunè, absque modo & lege loquentur. Magna sapientia est, linguam moderari; constanterque asserit S. Jacobus (i), eum qui loquendo non peccat, perfectum esse. Pauci tacere sciunt; at pauciores loqui.

℣. 8. QUI MULTIS UTITUR VERBIS, LÆDET ANIMAM SUAM. Ad locum Proverbiorum respicit (k): *In multiloquio non deerit peccatum: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est.* Loquacissimi facilè cæteros lædunt injuriis ac maledictis. Animo semper in diversa dissipato sunt; idque & pietati obest, & proximè ad peccatum parat: ex inutilibus enim otiosisque ad mendacia, maledicta, jurgia facilè aditus patet. Denique loquaces humanæ consuetudinis supplicium sunt, quippe qui quasi suo jure sermones ferant, loquentes intercipiant, ac soli differendi officium occupent; atque illud sibi arrogant, ut semper loquantur, gravesque omnibus fiant. Hujusmodi vitium damnat his verbis Cicero (l): *Nec verò tamquam in possessionem suam venerit, excludat alios; sed cùm reliquis in rebus, tum in sermone communi, vicissitudinem non iniquam putet.*

℣. 9. EST PROCESSIO IN MALIS VIRO INDISCIPLI-

(b) *Plato lib.* XII, *de Legib. Aul. Gell. lib.* 14, *c.* 4. Justitiæ imaginem Astræam appellabant, pingebantque tenentem alterâ manu libram, alterâ gladium.

(c) Ἐπιθυμία εὐνούχου ἀποπαρθενῶσαι νεάνιδα, οὕτως ὁ ποιῶν ἐν βίᾳ κρίματα. (d) *Cyrill. apud Suidam, voce* σπάδων, *&* εὐνοῦχος. Εἰώθασι γὰρ οἱ μέσοι οἱ σπάδωνες, καὶ τὰ μόρια τῆς αἰσχρουργίας ἔχοντες ἀσελγαίνειν ἀμέτρως, καὶ ἀκολασταίνειν ἀναιδῶς, καὶ ἀορίστως. Ἀλλά γε καὶ οἱ τελέως ἀποκόψαι, καὶ ἐκτετμημένοι ταῦτα. *Vide & Basil. de Verâ virginitate. Et Arnob. lib.* 5 *contra Gentes.*

(e) *August. lib.* 6 *contra Julian. Pelag. c.* 14. *Ita ut non desit concupiscentia, quam spadonum quoque castitas frenet; minùs quidem laboriosa, quia ubi materiam de qua operetur non invenit, minùs adversùs eam libido consurgit: Est tamen: pudicèque comprimitur, ne concumbendi, quamvis irritus, ipse conatus in eam turpitudinem veniat, propter quam Calligonum eunuchum gladio novimus ultore punitum, meretricis confessione convictum.* (f) *Menander.*

Πολλοῖς ἀπόκρισις ἡ σιωπὴ τυγχάνει.

(g) *Chrysost. in Psal.* CXL. (h) Ὁ δὲ λαπιστὴς καὶ ἄφρων ὑπερβήσεται καιρόν. (i) *Jacobi*, III, 2.

(k) *Proverb.* X, 19. (l) *Cicero lib.* 1 *de Offic.*

℣. 10. Est datum, quod non est utile; & est datum, cujus retributio duplex.

℣. 11. Est propter gloriam minoratio: & est, qui ab humilitate levabit caput.

℣. 12. Est, qui multa redimat modico pretio, & restituens ea in septuplum.

℣. 13. Sapiens in verbis seipsum amabilem facit: gratiæ autem fatuorum effundentur:

℣. 14. Datus insipientis non erit utilis tibi: oculi enim illius septemplices sunt.

℣. 15. Exigua dabit, & multa improperabit: & apertio oris illius inflammatio est.

COMMENTARIUS.

DISCIPLINATO: ET EST INVENTIO IN DETRIMENTUM. Impii in malis vitæ artibus felices sunt: at omnia illorum inventa in ipsorum perniciem cadent. Quamobrem ne caducæ illorum felicitati, ingentibusque fortunis invideas; omnia enim pulveris more dissipabuntur; atque ipsi ceu fœnum peribunt (m). Græcus fert (n): *Valdè placent mala viro peccatori; & sunt quæ cùm inveniantur, exitio sunt.* Quædam videas, quæ fortunarum loco habentur, at demum perniciem acquirenti afferunt. Romana editio (o): *Quædam sunt mala homini utilia; & sunt bona quæ illi nocent.*

℣. 10. EST DATUM QUOD NON EST UTILE: ET EST DATUM, CUJUS RETRIBUTIO DUPLEX. Plura hic tradit Sapiens, quibus amicorum gratiam ineamus. Monet primùm, quædam esse officia & beneficia, quorum nullus est usus; & quædam utilissima. Hoc verò discrimen ex accipientis conditione interdum oritur. Certa est dandi regula; magnaque ars est, officia cum comitate conjungere, ac benefacta bene locare. Beneficium illiberaliter collatum, frequenter injuria est; atque officium ingrato homini exhibitum, exhibenti perit. Hæc ad civilem potiùs quàm ad moralem institutionem pertinent.

℣. 11. EST PROPTER GLORIAM MINORATIO. Quoddam dignitatum genus est, quod quorumdam animos opprimit; & sunt humilia quædam munera, quæ hominem gloriosum faciunt. Galba omnium consensu capax imperii fuit, si non imperasset (p). Fortunæ sublimitas quædam in nobis vitia detegit, quæ priùs latebant. Est cujus ingenium par mediocri muneri sit, impar majori. Unusquisque suam ipsius conditionem, suasque vires metiri debet: at rari sunt qui de se æqua sentiant. Nos ipsi plerumque propriæ virtutis æstimatione primi fallimur, multoque majorem vero fingimus. Adrianus VI Papa summæ dignitatis, quâ potiebatur, fastigium maximæ calamitatis loco ducebat, cùm sublimius esse suâ virtute arbitraretur. Quamobrem hoc illi epitaphium inscriptum est: ADRIANUS SEXTUS HIC SITUS EST, QUI NIHIL SIBI INFELICIUS IN VITA QUAM QUOD IMPERARET, DUXIT.

EST QUI AB HUMILITATE LEVABIT CAPUT. Nulla non ætas homines peperit, quorum virtus, raraque acris ingenii vis nobilissimas inter dignitates fulsit, quò ex infimâ conditione sua illos fscinora extulerunt. Alii summo genere orti, ac virtute clari, humilia munera optimâ administratione illustravere. Quosdam denique viros eximios calamitas sua, fuga, exilium nobiliores fecit, verâque gloriâ instructiores, quàm ex tranquillo vitæ genere domi, interque majorum imagines retulissent. Hic, qui pacificis rebus inter suos pacificus piusque Princeps obiisset, inversis Providentiæ consilio vicibus, Imperii columen, ac totius Europæ prodigium fuit.

℣. 12. EST QUI MULTA REDIMAT MODICO PRETIO, ET RESTITUENS EA IN SEPTUPLUM. Avarus rarò mercimoniis locuples fit, cùm ea semper amet, quæ minimi pretii sunt, adeoque deterrima. Lucrum iis venditis sperat; re tamen verâ jacturam facit, cùm frequentiùs emere illi opus sit: at si bonas merces justo pretio emas, lucro carere nunquam potes. Nunquam utile est ea emere, quæ nullo pretio digna sunt. Græcus (q): *Est qui emit multa pauci, & rependit ea septuplum.* Hoc idem est atque id quod mox diximus. Malam mercem, quantumvis minimi emas, pluris emisti quàm valet.

℣. 13. SAPIENS IN VERBIS SEIPSUM AMABILEM FACIT: GRATIÆ AUTEM FATUORUM EFFUNDENTUR. Sapiens officia & beneficia cum eâ verborum atque oris comitate conjunget, ut sese unicuique amabilem faciat. At insanus ineptâ oris specie, qua beneficium comitatur, nedum cæteros non devincit, verùm etiam & sese ludibrio objicit, & beneficii gratiam amittit. His verbis confirmantur ea, quæ docentur ℣. 10.

℣. 14. DATUS INSIPIENTIS NON ERIT UTILIS TIBI; OCULI ENIM EJUS SEPTEMPLICES SUNT. Aliqua semper cupiditas impium movet, si tibi benefaciat: septuplo majora sibi ex te pollicetur. Græcus (r): *Munus insipientis, cùm acceperis, tibi non proderit: similiter invidi* (seu avari), *qui invitus dat. Oculi enim illius* eò spectant, *ut pro uno accipiat multa.* Carissima profectò munera insanorum atque avarorum sunt. Avarus nonnisi invitus dat, ac sperans fore, ut ipse majora accipiat. Insanus jurgia beneficiis jungit. Vide ℣. 15. Similis piscatori est avarus, qui parvam escam hamo suspendit, ut magnum piscem trahat.

Munera magna quidem mittit, sed mittit in hamo.
Et piscatorem piscis amare potest?

℣. 15. EXIGUA DABIT, ET MULTA IMPROPERABIT: ET APERTIO ORIS ILLIUS, INFLAMMATIO EST. Hæc ad insanum, de quo ℣. superiore, pertinent. Is enim munera & officia, quæ cæteris præstat, insano orationis genere, indignâque præstan-

(m) *Psal.* XXXVIII, 5, 7, 8. (n) Ἔστιν εὐδοκία ἐν κακοῖς ἀνδρὶ ἁμαρτωλῷ, καὶ ἔστιν εὕρημα εἰς ἐλάττωσιν. (o) *Edit. Rom.* Ἔστιν εὐοδία ἐν κακοῖς ἀνδρί, καὶ ἔστιν εὕρημα εἰς ἐλάττωσιν. (p) *Tacit. Histor. lib.* 1. (q) Ἔστιν ἀγοράζων πολλὰ ὀλίγου, καὶ ἀποτιννύων αὐτὰ ἑπταπλάσιον. (r) Δόσις ἄφρονος οὐ λυσιτελήσει σοι λαβόντι, ὁμοίως δὲ καὶ βασκάνου δι' ἀνάγκην αὐτοῦ. Οἱ γὰρ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ἀνθ' ἑνὸς εἰς τὸ λαβεῖν πολλοί.

℣. 16. Hodie fœneratur quis, & cras expetit: odibilis eſt homo hujuſmodi.

℣. 17. Fatuo non erit amicus, & non erit gratia bonis illius.

℣. 18. Qui enim edunt panem illius, falsæ linguæ ſunt. Quoties, & quanti irridebunt eum?

℣. 19. Neque enim, quod habendum erat, directo ſenſu diſtribuit: ſimiliter & quod non habendum.

℣. 20. Lapsus falsæ linguæ, quaſi qui in pavimento cadens: ſic caſus malorum feſtinanter veniet.

℣. 21. Homo acharis quaſi fabula vana, in ore indiſciplinatorum aſſidua erit.

℣. 22. Ex ore fatui reprobabitur parabola: non enim dicit illam in tempore ſuo.

COMMENTARIUS.

ſtandi ratione corrumpit. Ignem flammasque vomere videtur. Contrarius eſt ſapienti modus. *Nunquam, ne querens quidem, dicam*, ait Seneca (r):

. . . . . . Ejectum litore, egentem
Excepi, & regni demens in parte locavi.

Non eſt illa admonitio, non: convitium eſt: hoc eſt in odium beneficium perducere. Græcus (s): *Pauca dabit, & multa exprobrabit, & aperiet os ſuum ut præco.* Tam altè clamabit ut præco, & ubique invidioſè narrabit ea, quæ tui causâ ſe feciſſe credet. *Multi ſunt nimii commemorando quæ meruere.* Quicquid alteri benefeceris, ſtatim obliviſcere; nunquam verò quæ acceperis.

℣. 16. HODIE FOENERATUR, ET CRAS EXPETIT: ODIBILIS EST HOMO HUJUSMODI. Aliud hìc vitium habes, præſtandis officiis fugiendum: nimiam ſcilicet ſollicitudinem repetendi quæ commodaveris; ita enim injuriam quodammodo illi facis, quem officio proſequutus es, perceptamque ex præſtito beneficio voluptatem atque opem auſers. Id perinde eſt, ac ſi oſtendas, te illius fidei aut ſolertiæ minùs credere.

℣. 17. FATUO NON ERIT AMICUS, ET NON ERIT GRATIA BONIS ILLIUS, iis quæ benè agit. 18. QUI ENIM EDUNT PANEM ILLIUS, FALSÆ LINGUÆ SUNT. QUOTIES ET QUANTI IRRIDEBUNT EUM? Malè amicos eligit inſanus, ſeque illis credit, a quibus ludibrio habetur, quique ipſorum menſâ utentes, nullam ejus rei gratiam habent. Cùm inviti atque ægrè beneficium ferat, cæteri aliquid ex eo extorquere gaudent, ut deinde ridendi argumentum ex eo capiant. Qua parte infirmior ſit, rimantur, atque ex eâ inſidias ſtruunt. Græcus habet (t): *Stultus dicet: Non eſt amicus mihi, non eſt gratia bonis meis: qui de pane meo edunt, peſſimi linguâ ſunt. Quoties & quàm multi de hujuſmodi homine ridebunt?* En graphicam inſulſi hominis deſcriptionem: quicquid alteri dat, exprobrat: nunquam contentus amicis eſt: nemo benefactorum gratiam habet, ſi ipſum audias; & ii, quos convivio excipit, nunquam ſatis dapes aut laudant, aut æſtimant.

℣. 19. NEQUE ENIM QUOD HABENDUM ERAT, DIRECTO SENSU DISTRIBUIT, SIMILITER ET QUOD NON HABENDUM. Inſulſus homo ſua neque largiri ſcit neque ſervare. Quæ ſervanda ſunt, ea largitur; & quæ danda, conſervat. Iis verò largitur, qui beneficiis indigniſſimi ſunt; & eos, quibus abundè largiri debet, excludit. Græcus (u): *Neque enim quod habet, cum recto ſenſu* (cum arte bene utendi) *accepit: ac perinde illi eſſet, ſi nihil haberet.* Tam male utitur, ut ex æquo eſſet, ſi penitus careret. Avaro & inſulſo nihilo utiliores ſunt opes quàm inopia; neuter enim novit quid ſit eſſe locupletem. Tam illis deeſt quod habent, quàm quod non habent.

℣. 20. LAPSUS FALSÆ LINGUÆ, QUASI QUI IN PAVIMENTO CADENS. Qui linguâ utitur ut cæteros fallat, ita cadit, ut is qui in pavimento ruit; ſubito ſcilicet lapſu atque improviſo. Novum orationis argumentum, quo Sapiens docet quæ mala ſeu pericula ex linguâ incautâ, illiberali, malignâ, maledicâ oriantur. Docet hìc ex Græco (y): *Lapſus in pavimento potiùs optandus eſt, quàm lapſus ex linguâ*, qui frequentiores ſunt, magisque periculoſi ac ſubiti, *ita ſubitò ruina malorum adveniet*: æquè ſubita & periculoſa. Aliter: Minùs pernicioſus eſt lapſus in pavimento, quàm loquendo errare; unicum enim verbum ipſi loquenti perdendo ſufficit.

℣. 21. HOMO ACHARIS, QUASI FABULA VANA IN ORE INDISCIPLINATORUM ASSIDUA ERIT. Homo *acharis* eſt homo ingratus, illiberalis, inſulſus, cæteris gravis, injucundus, importunus. Hujuſmodi homines ubique moleſti ſunt, perinde atque inſulſæ argutiæ, quibus indoctum ignavumque vulgus gaudet.

℣. 22. EX ORE FATUI REPROBABITUR PARABOLA: NON ENIM DICET ILLAM IN TEMPORE SUO. Hæc ſententia e ſuperiore naſcitur. Quidlibet elegantiſſimum in ore inſulſi ineptiſſimum fit, cùm importunè proferatur. Simile huic eſt quod alibi dixit (z), nobiliſſimas nempe ſententias in impii ore ſordeſcere. Ad illud Salomonis reſpicit (a): *Quomodo pulcras fruſtra habet claudus tibias, nunquam enim non claudicabit; ſic indecens eſt in ore ſtultorum parabola.* Ac deinde (b): *Quomodo ſi ſpina naſcatur in manu temulenti: ſic parabola in ore ſtultorum*; quippe quibus non gloriam, ſed damnum & contemptum parit.

℣. 23. EST

(s) *Senec. de Beneficiis, ad finem, apud Grot. hic.* (t) Ὀλίγα δώσει, καὶ πολλὰ ὀνειδίσει, καὶ ἀνοίξει τὸ στόμα αὐτοῦ ὡς κῆρυξ. (u) Μωρὸς ἐρεῖ. Οὐχ ὑπάρχει μοι φίλος, οὐκ ἔστι χάρις τοῖς ἀγαθοῖς μου, Οἱ ἐσθίοντες τὸν ἄρτον μου, φαῦλοι τῇ γλώσσῃ. Ποσάκις καὶ ὅσοι καταγελάσονται αὐτοῦ.

(x) Οὔτε γὰρ τὸ ἔχειν ἐν ὀρθῇ αἰσθήσει εἴληφε. καὶ τὸ μὴ ἔχειν ὁμοίως ἀδιάφορον αὐτῷ.

(y) Ὀλίσθημα ἀπὸ ἐδάφους μᾶλλον ἢ ἀπὸ γλώσσης. Οὕτως πτῶσις κακῶν κατὰ σπουδὴν ἥξει.

(z) *Eccli. xv, 9: Non eſt ſpecioſa laus* (αἶνος, ſententia) *in ore peccatoris.*

(a) *Prov. xxvi, 7.*

(b) *Prov. xxvi, 9.*

℣. 23. Est, qui vetatur peccare præ inopiâ, & in requie suâ stimulabitur.

℣. 24. Est, qui perdet animam suam præ confusione, & ab imprudenti personâ perdet eam: (personæ autem acceptione perdet se.)

℣. 25. Est, qui præ confusione promittit amico, & lucratus est eum inimicum gratis.

℣. 26. Opprobrium nequam in homine mendacium, & in ore indisciplinatorum assiduè erit.

℣. 27. Potior fur quàm assiduitas viri mendacis: perditionem autem ambo hæreditabunt.

℣. 28. Mores hominum mendacium sine honore: & confusio illorum cum ipsis sine intermissione.

℣. 29. Sapiens in verbis producet seipsum, & homo prudens placebit magnatis.

℣. 30. Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum: (& qui operatur justitiam, ipse exaltabitur:) qui verò placet magnatis, effugiet iniquitatem.

COMMENTARIUS.

℣. 23. Est qui vetatur peccare præ inopia, et in requie sua stimulabitur malefaciendi libidine. Quosdam videas, quos sapientiam modumque servare ipsa necessitas cogit, male facturos, si licuisset. Eos verò continentiâ gloriari iniquum est, quippe quam necessitate coluerint (c). Aliter fert Græcus (d): *Est qui peccare impediatur inopiâ: & in requie suâ non stimulabitur*. Si male agendi opportunitas defuit, illud saltem boni ex hac inopiâ oritur, quòd malefacti conscientia non mordeat. Si nullum ejus rei meritum est, saltem malefacti dolor abest, quamquam voluntas culpâ non caret, si male faciendi opportunitatem desideravit.

℣. 24. Est qui perdet animam suam præ confusione, at ab imprudenti persona perdet eam. Sunt qui mali pudoris causâ sese in exitium, aut in exitii periculum immittant, dum vel ea, quæ sibi necessaria sunt, postulare, vel quæ iniquè postulantur, negare non audent. Cùm opus est, postulandum est; ac negandum, ubi iniqua postulantur. Græcus fert (e): *Est qui animam suam perdat malæ verecundiæ causâ, & ob imprudens os perdit eam*. *Os imprudens* hoc loco est mala verecundia. Qui repulsam ab altero pati non potest, vel cui animus deest denegandi ea quæ postulantur, huic certè os & frons imprudens est: sapientiâ, constantiâ, prudentiâ caret. Græcus ex Complutensi editione fert: *Est qui animam suam perdat ob verecundiam; persona autem acceptione perdet eam*; dum scilicet alteri dat, alteri negat; atque alterum repellit, alterum repellere veretur. Utramque lectionem conjungit Vulgata.

℣. 25. Est qui præ confusione promittit amico, et lucratus est eum inimicum gratis. Si amico promittis quæ dare aut non potes aut non vis, gratis tibi inimicum facis. Hoc etiam ex malâ verecundiâ oritur, quòd repulsam amico dare vereris, ne illum tibi inimicum facias, quamvis assentiri iis quæ postulat, neque debeas neque possis. Quædam est negandi ars, quæ honesto homini gravis esse non debet; at semper inimicitiæ causa illi est, si fidem tuam ipsi obligaveris. Amicos credere debes æquitate ac sapientiâ præditos, & repulsæ causas probaturos.

℣. 26. Opprobrium nequam in homine mendacium, et in ore indisciplinatorum assidue erit. Indignum est homine liberali mendacium. Docet Aristoteles (f), mendacium servis, ac vilissimis hominibus tantummodò convenire. Mala merx est, quam omnes spernunt. Nemo decipi vult; atque injuriæ loco ducit, siquem sibi imponere putet.

℣. 27. Potior fur, quam assiduitas viri mendacis; perditionem autem ambo hæreditabunt. Fur insidias rebus struit; mendax veritati, famæ, dignitati. Illum necessitas furari suadet (g); hunc animi perversitas mentiri jubet. Fur ablata restituere potest; minimè verò mendax. Neque tamen hæc eò dicuntur, ut furis peccatum levius esse demonstretur; nunquam enim non grave est; atque exitium nihilo seciùs furem, quàm mendacem sequetur. At mendax perniciosior Reipublicæ est, atque in hominum societate odiosior.

℣. 28. Mores hominum mendacium, sine honore. Græcus legit (h): *Mos hominis mendacis, ignominia*. Qui mendacio assuescit, probro ac dedecore sese obtuit. Nemo amicos hujusmodi homines patitur; ac vera etiam dicentibus fides non habetur. Hos quisque fugit, ac spernit.

℣. 30. Qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum. Ut is, qui agrum suum colit,

(c) *Terent. in Adelphis.*

. . . . Hæc si neque ego, neque tu fecimus,
Non sivit egesta facere nos. Tu nunc tibi
Id laude ducis quod tum fecisti inopiâ.
Injurium est: nam si esset unde fieret,
Faceremus.

(d) Ἔστι κωλυόμενος ἁμαρτεῖν ἀπὸ ἐνδείας, καὶ τῇ ἀναπαύσει αὐτοῦ οὐ κατανυγήσεται.
(e) Ἔστιν ἀπολλύων τὴν ψυχὴν αὐτοῦ διὰ αἰσχύνην, καὶ ἀπὸ ἄφρονος προσώπου ἀπολεῖ αὐτήν. *Complut.* Καὶ ἀπὸ λήψεως προσώπου ἀπολεῖ αὐτήν. (f) *Aristotel. in Ethicis.* (g) *Prov.* VI, 32.
(h) Ἦθος ἀνθρώπου ψευδοῦς, ἀτιμία.

℣. 31. Xenia, & dona excæcant oculos judicum, & quasi mutus in ore avertit correptionem eorum.

℣. 32. Sapientia absconsa, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?

℣. 33. Melior est, qui celat insipientiam suam, quàm homo, qui abscondit sapientiam suam.

COMMENTARIUS.

colit, ingentem frugum copiam comparabit, neque famem metuet; ita *qui placet magnatibus*, etiam si aliquid peccaverit, *pœnam effugiet* (i). Principum favor similis acervo gratiæ est, qui hominem a quibuslibet injuriis tutum reddit. Post hæc verba, in Græco ex Romanâ editione hic titulus legitur: *Sermones Parabolarum*; quibus verbis innuitur, novum hîc incipere argumentum.

℣. 31. XENIA, ET DONA EXCÆCANT OCULOS JUDICUM, ET QUASI MUTUS IN ORE (ut frænum ori insertum) AVERTIT CORREPTIONEM EORUM. Munera Judices quodammodò cæcos, surdos, mutosque faciunt. *Non accipies munera*, inquit Moyses (k), *quæ etiam excæcant prudentes, & subvertunt verba justorum*. Pro iis verbis, *Quasi mutus in ore avertit correptionem*, Græcus habet (l): *Quasi camus in ore avertit objurgationem*. Judex similis equo fit, cui frænum inditum est, sive camu, asperi fræni genus, quo veteres totum equi os coërcebant, ne hinniret, aut morderet. Judices apud Ægyptios manibus carentes pingebantur, ipsaque Justitiæ virius oculis vittâ clausis exhibebatur (m); ut indicarent, nefas esse Judici munera accipere, ipsumque nullâ cujusquam ratione habitâ ferre debere sententiam.

℣. 32. SAPIENTIA ABSCONSA, ET THESAURUS INVISUS (latens), QUÆ UTILITAS IN UTRISQUE? Hoc significat Sapiens, condenda non esse talenta, quæ unusquisque a Deo accepit, iisque bene utendum, quæ ipse dedit, ut cæterorum utilitati serviamus. S. Gregorius Magnus (n) eos, qui importunâ humilitate proximis prodesse renuunt, eum iis comparat, qui in fame horrea claudunt, ac triticum, quo abundant, putrescere & corrumpi sinunt; vel cum perito medico, qui morienti, sive in extremo discrimine constituto opem ferre recusat. Hos Christus similes esse ait servo, qui acceptam a Domino pecuniam, ut ex eâ lucrum faciat, in sacco clausam, vel humi conditam tenet, ut sine lucro ipsi domino redeunti restituat (o).

℣. 33. MELIOR EST QUI CELAT INSIPIENTIAM SUAM, QUAM HOMO, QUI ABSCONDIT SAPIENTIAM SUAM. Illum superbia movet ne indoctus videatur: alterum, ut ea condat, quæ proximorum causâ sibi concessa sunt, falsa humilitas ducit. Insano, qui silere, suamque insaniam celare scit, aliquod prudentiæ vestigium superest. At qui sapientiam dissimulat, ubi eâ opus est, eamque Reipublicæ utilem esse vetat, sibi cæterisque injuriam facit. Cùm beneficio non utitur, quod illi dedit Deus, ut fructum ex eo ferat, injurius Deo est, & hominibus, cùm charitati deficit. Græcus ex editione Complutensi addit (p): *Melior est invicta patientia*, vel constantia, *in inquisitione Domini, quàm sine Domino auriga vitæ suæ*, quàm is, qui suo ipsius ductu liber vitam agit. Multo utilissimum est homini, Deo obtemperare, ejusque præceptis constanter obsequi, quàm suæ ipsius vitæ institutum pro arbitrio ducere, propriasque animi sui leges sequi. Hæc verba in Editione Romanâ, Basileensi, Aldinâ non leguntur.

CAPUT XXI.

Peccatum fuge. Commissa expiato. Pauperis oratio ad Deum pervenit. Domus impii, aliorum dispendio ædificata. Via impiorum ad inferos ducunt. Vera falsaque sapientia. Hominis imprudentis indicia. Ne ad fores, aut fenestras, auscultandi causâ, aurem porrigas. Is qui audita aliis narrat.

℣. 1. Filli peccasti? non adjicias iterum: sed & de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.

℣. 2. Quasi a facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te.

℣. 3. Dentes leonis, dentes ejus, interficientes animas hominum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. FILI PECCASTI? NON ADJICIAS ITERUM, sed veniam peccatorum postula. Peccant interdum etiam sapientissimi, at minimè perseverant: cadunt, ac surgunt. At impius e scelere in scelus ruit. Sapiens seriò pœnitentiam agit, commissa peccata confitens & futura vitans: at impius iteratis lapsibus in sceleris consuetudine confirmatur.

℣. 2. QUASI A FACIE COLUBRI FUGE PECCATA: ET SI ACCESSERIS AD ILLA, SUSCIPIENT TE. Optimi codices legunt (a): *Mordebit te*. Ultrò ad nos minimè accedit peccatum, ac nonnisi volentes aggreditur. Anguis est semper mordere paratus, at formidolosus, atque in apertum prodire metuens; eosque solummodò mordet, qui ultrò incautè accedunt.

℣. 3. DENTES LEONIS, DENTES EJUS. Ex angue astutiam & virus, ex leone robur & fero-

ciam

(i) *Græc.* Ὁ ἐργαζόμενος τὴν γῆν, ἀνυψώσει θημωνίαν αὐτοῦ, καὶ ὁ ἀρέσκων μεγιστᾶσιν ἐξιλάσεται ἀδικίαν. (k) *Exod.* XXIII, 8. (l) Ὡς φιμὸς ἐν στόματι ἀποτρέπει ἐλεγχοὺς. (m) *Plutarch. de Iside.* (n) *Pastoral. Cura, tertiâ parte, admon.* 26. (o) *Matth.* XXV, 55. (p) Κρείσσων ὑπομονὴ ἀπαραίτητος ἐν ζητήσει Κυρίου, ἢ ἀδέσποτος τροχηλάτης τῆς ἰδίας ζωῆς. (a) Ἐὰν γὰρ προσέλθῃς αὐτῇ, δήξεταί σε, *Compl.* Δέξεταί σε.

℣. 4. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas: plagæ illius non est sanitas.

℣. 5. Objurgatio, & injuriæ annullabunt substantiam: (& domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbiâ:) sic substantia superbi eradicabitur.

℣. 6. Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures ejus perveniet, & judicium festinatò adveniet illi.

℣. 7. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris: & qui timet Deum, convertetur ad cor suum.

℣. 8. Notus a longè potens linguâ audaci: & sensatus scit labi ab ipso.

℣. 9. Qui ædificat domum suam impendiis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme.

℣. 10. Stuppa collecta synagoga peccantium, & consummatio illorum flamma ignis.

COMMENTARIUS.

ciam habet. Quamvis tamen leo, in vinculis est; eosque solummodò capit, qui temerè sese intra ipsius ungues injiciunt. Circumiens fremit, inquit S. Petrus *(b)*: at nonnisi sopitos & periculorum securos aggreditur.

℣. 4. QUASI RHOMPHÆA BIS ACUTA. Peccatum & Deo & hominibus injuriam infert; supremam enim Omnipotentis Majestatem offendit, hominisque animam morte afficit. Lethifera sunt peccati vulnera, ac solus ea curare potest Deus.

℣. 5. OBJURGATIO ET INJURIÆ ANNULLABUNT SUBSTANTIAM. Injuriæ quæ cæteris irrogantur, inimicos pariunt; inimici verò locupletissimis etiam familiis exitio sunt. Superbus aliquandiù debiles opprimit: at demum cùm nimiùm creverint ii, quos ipse læsit, his conspirantibus, tota illius superbiæ moles ruit. Ita Roboamus maximam regni sui partem ob temerariam responsionem amisit; Tarquinii Româ pulsi ob superbiam. Violenta Imperia nunquam diuturna sunt.

℣. 6. DEPRECATIO PAUPERIS EX ORE USQUE AD AURES EJUS *(c)* PERVENIET. Plerique explicant: *Usque ad aures Dei*. Pauperum clamores nunquam non facili aure Deus excipit, teste Scripturâ *(d)*. Prope ipsos ubique est in asperis rebus Omnipotens, & audire & injurias ulcisci paratus. Alia ex Græco elicitur sententia *(e)*: *Oratio pauperis ex ore* pauperis egreditur, & *usque ad aures ipsius* superbi pervenit *(f)*, de quo superbo superior versiculus egit. *Et judicium ipsius*, superbi, supplicium, quo illum afficiet Deus, *quantociùs veniet*. Impius pauperis clamores immotus audit. Pauperis querelæ superbi aurem feriunt; animum nihil movent. At Deus, suorum columen, impii superbiam deprimere non tardabit.

℣. 7. QUI ODIT CORREPTIONEM, VESTIGIUM EST PECCATORIS. Disciplinam recusat, certumque in exitium ruit. Si enim monentibus non obtemperat, quam ille disciplinam amplectetur? Si medicum fastidit, ac medicinam renuit, qua ratione curabitur? Denique si speculum vitiorum indicem comminuit, qui fieri potest, ut ea cognoscat & corrigat *(g)*?

℣. 8. NOTUS A LONGE POTENS LINGUA AUDACI: ET SENSATUS SCIT LABI AB IPSO. Qui linguâ perniciosâ ac temerariâ est, statim noscitur; ejusque nominis infamia celerrimè ad omnes labitur: at sapiens multo attentiùs illius insidias ac vires vitare studet, quàm hac arte parem nominis infamiam sibi comparare. Græcus *(h)*: *Qui oratione pollet, longe cognoscitur: ut vir mente præditus intelligit ubi ille labitur*. Qui facundiâ excellit, celebre sibi nomen facit. At sapiens multo minùs obnoxius errori est; magis enim cavet; ac vitia eloquentis videns, ea vitat. Eloquentiæ torrens plura frequenter falsa secum trahit: at is qui judicio & rerum cognitione valet, majori circumspectione utitur, ac remotior ab errore est.

℣. 9. QUI ÆDIFICAT DOMUM SUAM IMPENDIIS ALIENIS, QUASI QUI COLLIGIT LAPIDES SUOS IN HYEME, ut per hyemem ædificet. Hyems minimè opportunum tempus ædificandi est. Quamobrem qui lapides hyeme colligit, murosque struit, facilè omnia statim eversa cernet; cùm enim ventus, imber, procellæ solidum & constans nihil invenerint, constructa dejicient. Ita qui alienis sumptibus domum struit, facilè iniquitate suâ non diù fruetur; illum enim creditores e domo suis ipsorum pecuniis constructâ ejicient. Græcus aliter sonat *(i)*. *Qui ædificat domum pecuniis alienis, par illi est, qui ad sepulcrum suum lapides congerit*; scilicet, ut sepulcro suo serviant, vel ut iis sepulcrum suum oneret, quemadmodum olim scelestissimorum sepulcra onerabantur, ceu Achani *(k)* & Absalomi *(l)*, quorum sepulcra totus Israël lapidibus congestis cumulavit, ut æternum dedecus essent, & publicum horroris indicium, quo illorum scelera habebantur. Ita qui domum alienis opibus ædificat, suum sibi dedecus struit; sibique monumentum erigit, sibi probro futurum, quamdiu existet. Joakimum Judæ Regem arguit Jeremias, quòd sibi domum vi & injuriis strueret. *Væ qui ædificat domum suam in injustitiâ, & cœnacula sua non in judicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem ejus non reddet ei (m)*.

℣. 10. STUPPA COLLECTA, SYNAGOGA PECCANTIUM: ET CONSUMMATIO ILLORUM FLAMMA IGNIS. Omnis impiorum numerus merum nihil Deo est. Glo-

(b) 1 *Petri*, v, 8. (c) *Quidam Codd. Usque ad aures Dei*. (d) *Psal.* x, 5, 17; xxxiii, 16; ix, 13, 19; xxi, 25, *& passim*. (e) Δέησις πτωχοῦ ἐκ στόματος, ἕως ὠτίων αὐτοῦ, καὶ τὸ κρίμα αὐτοῦ κατὰ σπουδὴν ἔρχεται. (f) *Grot. Nec improbat Vatab.* (g) *Vide Clem. Alexand. Pædag. lib.* 1, *c.* 8, *&* 9. (h) Γνωστὸς μακρόθεν ὁ δυνατὸς ἐν γλώσσῃ, ὁ δὲ νοήμων οἶδεν ἐν τῷ ὀλισθαίνειν αὐτόν. (i) Ὁ οἰκοδομῶν τὴν οἰκίαν αὐτοῦ ἐν χρήμασιν ἀλλοτρίοις, ὡς ὁ συνάγων ἑαυτῷ λίθους εἰς χῶμα ταφῆς αὐτοῦ. *Vulg. & alii*: Εἰς χειμῶνα. (k) *Josue*, vii, 26. (l) 2 *Reg.* xviii, 17. (m) *Jerem.* xxii, 13.

℣. 11. Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.

℣. 12. Qui custodit justitiam, continebit sensum ejus.

℣. 13. Consummatio timoris Dei, sapientia, & sensus.

℣. 14. Non erudietur, qui non est sapiens in bono.

℣. 15. Est autem sapientia, quæ abundat in malo: & non est sensus, ubi est amaritudo.

℣. 16. Scientia sapientis tamquam inundatio abundabit, & consilium illius, sicut fons vitæ permanet.

℣. 17. Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit.

COMMENTARIUS.

Gloria quâ fulgent, bona quibus potiuntur, terror quo debiles quatiunt, vita, fortunæ, felicitas, stuppæ congeries sunt, quam divinæ ultionis flamma momento vorabit. Hæc eadem Christus (n) manipulo ex lolio comparat, quod igni destinatur; & Malachias (o) fasciculo ex paleis statim conflagranti. Heu! cur verissimis hujusmodi imaginibus locupletum ac Principum animi non occupantur?

℣. 11. VIA PECCANTIUM, COMPLANATA LAPIDIBUS; ET IN FINE ILLORUM INFERI. Ad locum Proverbiorum respicit (p): *Est via quæ videtur homini justa*, recta; *novissima autem ejus deducunt ad mortem*. Eadem veritas a Christo traditur (q): *Lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam!* Pythagorici, quorum symbolica docendi ratio moralia disciplinæ dogmata sub imaginum velis condebat, duo hæc itinera significabant Y psilo, quæ idcirco litera Pythagoræ dicebatur (r); cujus alterum cornu virtutis viam indicat, initio angustam, deinde patentem latamque; alterum, vitii callem, latum initio amplumque, at qui deinde in exitium desinit.

℣. 12. QUI CUSTODIT JUSTITIAM, CONTINEBIT SENSUM EJUS, compos fiet sensuum illius. Quædam sunt, quæ studium solummodo requirunt, quippe quæ in solâ meditatione consistunt; eaque vel præceptores consulendo discimus, vel privatim audita versando, ut altiùs animo hæreant, magisque mentem impleant. At justitiam, cæterasque virtutes, quæ in effectione versantur, non meditatio docet, sed exercitatio. *Non enim hanc lectio docet, sed unctio*, inquit S. Bernardus (s), *non litera sed spiritus, non eruditio sed exercitatio in mandatis Domini*. Ita fermè divina hæc ars discitur, uti pictura, cæteræque artes, quæ exercitatione & consuetudine discuntur. Quamquam omnia ejus artis præcepta optimè noveris, acre judicium tibi sit de tabulæ præstantiâ: si exercitatione careas, pessimè pinges: at pictor, minus præceptorum habens, plus verò exercitationis, optimè picturam absolvet.

℣. 13. CONSUMMATIO TIMORIS DEI, SAPIENTIA ET SENSUS. Duo hæc se invicem regunt & junguntur: sapientia & pietas: nulla pietas sine sapientiâ, nullaque sapientia sine pietate. Una pietas cæteras animi laudes æstimabiles facit. Græcus fert (t): *Perfectio timoris Domini, acquisitio*, vel augmentum *sapientiæ*. Quæ sequuntur ℣. 14, ex his pendent.

℣. 14. NON ERUDIETUR QUI NON EST SAPIENS IN BONO, qui pietate, vel timore Dei caret. Vel eâ solummodò scientiâ potietur, quæ hominem superbum facit, quæ sterilis est, ac frequenter perniciosa. Qui verò Dei timorem cum scientiâ conjungit, is thesaurum in æternitatem comparat. Alia ducitur ex Græco sententia (u): *Non erudietur, qui non est astutus*. Qui acri ingenio caret, nunquam doctus fiet. Nihil agitur invitâ Minervâ.

℣. 15. EST AUTEM SAPIENTIA QUÆ ABUNDAT IN MALO; ET NON EST SENSUS UBI EST AMARITUDO animi. Veræ sapientiæ doctrinæque loco habenda non est ea, quæ cæterorum pernicie solummodo demonstratur; cujus omnis industria eò desinit, ut cæteros perdat, affligat, opprimat, evertat. Ea porrò diabolica sapientia est. Vera sapientia virtutem, justitiam, charitatem sectatur, atque odium & simultatea prorsus ignorat. Græcus jungi debet cum ℣. superiori in hanc sententiam: Qui acri ingenio caret, nunquam doctus fiet (u): *Est verò astutia multiplicans amaritudinem*. Bona calliditas & naturalis industria, si ad virtutem convertatur, ad sapientiam scientiamque perducit. Si verò in malum convertitur, in amaritudinem & peccatum desinit. Vide *Deut.* XXIX, 18, *Act.* VIII, 23; *Hebr.* XII, 15; ubi amaritudo pro neqnitiâ usurpatur.

℣. 16. SCIENTIA SAPIENTIS TAMQUAM INUNDATIO ABUNDABIT ... 17. COR FATUI, QUASI VAS CONFRACTUM, aquam non continens. Scientia & sapientia non raro sub aquæ, fontis, inundationis nomine exhibentur. *Fons vitæ eruditio possidentis*, inquit Salomon (y). Et (z): *Aqua profunda verba ex ore viri* sapientis, *& torrens redundans, fons sapientiæ*. Dogmata sua Christus fonti comparat, cujus aquæ in æternam usque vitam saliunt (a); asseritque futurum, ut qui in ipsum

(n) *Matth.* XIII, 30. (o) *Malach.* IV, 1. (p) *Prov.* XIV, 12. (q) *Matth.* VII, 23.
(r) *Epigram. in Y, inter opera Virgilii.*

Litera Pythagoræ, discrimine secta bicorni,
Humanæ vitæ speciem preferre videtur.
Nam via virtutis dextrum capit ardua callem,
Difficilemque aditum primùm spectantibus offert:
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Molle ostentat iter via lata; sed ultima meta
Præcipitat captos, volvitque per ardua saxa.

(s) *Bern. Epist. olim* CVIII, *num.* 2. (t) Συντέλεια δὲ τοῦ φόβου Κυρίου σοφίας πρόσληψις.
(u) Οὐ παιδευθήσεται, ὃς οὐκ ἔστι πανοῦργος. (x) Ἔστι γὰρ πανουργία πληθύνουσα πικρίαν.
(y) *Prov.* XVI, 22. (z) *Prov.* XVIII, 4. (a) *Johan.* IV, 24.

℣. 18. Verbum ſapiens quodcumque audierit ſcius, laudabit, & ad ſe adjiciet: audivit luxurioſus, & diſplicebit illi, & projiciet illud poſt dorſum ſuum.

℣. 19. Narratio fatui quaſi ſarcina in viâ: nam in labiis ſenſati invenietur gratia.

℣. 20. Os prudentis quæritur in eccleſiâ, & verba illius cogitabunt in cordibus ſuis.

℣. 21. Tamquam domus exterminata, ſic fatuo ſapientia: & ſcientia inſenſati inenarrabilia verba.

℣. 22. Compedes in pedibus, ſtulto doctrina: & quaſi vincula manuum ſuper manum dexteram.

℣. 23. Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam: vir autem ſapiens vix tacitè ridebit.

℣. 24 Ornamentum aureum prudenti doctrina, & quaſi brachiale in brachio dextro.

℣. 25. Pes fatui facilis in domum (proximi:) & homo peritus confundetur a perſonâ potentis.

COMMENTARIUS.

ipſum crediderit, fluvios aquæ vivæ pariat *(b)*. Fons vitæ, ſeu fons vivus, apud Hebræos, eſt fons qui nunquam areſcit. Fatuum hominem Sapiens ſimilem dicit vaſi confracto, undique affluenti; ſecretorum enim ac judicii capax non eſt, atque omnia effundit. Magna ſapientiæ pars eſt, modicis verbis uti, at ſapienter prolatis: id verò fatui hominis non eſt.

℣. 18. VERBUM SAPIENS QUODCUMQUE AUDIERIT SCIUS, LAUDABIT, ET AD SE ADJICIET: AUDIVIT LUXURIOSUS, ET DISPLICEBIT ILLI. Qui libidinem ſectatur, veritatem odit, abjicit, ſpernit. Codices nonnulli legunt *(c)*: *Audivit eum inſipiens, & diſplicebit illi.*

℣. 19. NARRATIO FATUI, QUASI SARCINA IN VIA. Vulgo dicitur, bonum itineris ſocium, jucundum eſſe vehiculum; moleſtum verò, gravem ſarcinam.

℣. 20. OS PRUDENTIS QUÆRITUR IN ECCLESIA, in cœtibus. Attentis auribus auditur, quæritur, atque omnia illius verba ſedulò ſervantur. *Verba illius cogitabunt in cordibus ſuis.* Auris quæ me audiverat, inquit Job *(d)*, beatum prædicabat me; & oculus qui viderat, teſtis meæ æquitatis erat. Ut me audirent, expectabant homines, meamque ſententiam in ſilentio præſtolabantur. Poſtquam ego dixiſſem, nemo quicquam addere audebat, meusque ſermo, roris inſtar, in ipſos ſtillabat. Meque velut pluviam expectabant, & os aperiebant ſuum velut ad pluviam ſerotinam humus.

℣. 21. TAMQUAM DOMUS EXTERMINATA, SIC FATUO SAPIENTIA. Imprudens homo, cui levis ſcientia eſt minimumque ſtudium, ruderum congeries eſt: quicquid fingit, cogitat, facit, ordine caret, conſtantiâ & modo: everſa omnia & perturbata *(e)*.

Quod petiit, ſpernit: repetit quod nuper omiſit:
Æſtuat, & vita diſconvenit ordine toto.

SCIENTIA INSENSATI, INENARRABILIA VERBA. Plenus turbarum eſt, ubi nihil intelligitur. Græcus *(f)*: *Sermones imperveſtigabiles*; vel ex Grotio, *verba impræmeditata*. Temerè loquitur, quicquid in buccam venit: ex alterâ in alteram rem nullo ordine nullâque ratione tranſilit.

℣. 22. COMPEDES IN PEDIBUS, STULTO DOCTRINA: ET QUASI VINCULA MANUUM SUPER MANUM DEXTERAM. Diſciplinam atque inſtitutionem odit fatuus, uti manicæ compedesque timentur. Moleſtum illi onus eſt ſcientia, ſuæque libidinis frænum. Hunc verſiculum jungito cum ℣. 24: *Ornamentum aureum prudenti doctrina, & quaſi brachiale in brachio dextro.* Sapienti ſapientia, ſcientia, optima vitæ inſtitutio illuſtre ornamentum ſunt: his ornatur, & glorioſus efficitur.

℣. 23. FATUUS IN RISU EXALTAT VOCEM SUAM: VIR AUTEM SAPIENS VIX TACITE RIDEBIT. Immodicum clarumque riſum nunquam non damnavere ſapientes, atque ut inſaniæ indicium habuere. Leniter interdum ridet Sapiens, nunquam verò præter modum. *Sicut ſonitus ſpinarum ardentium,* inquit Salomon *(g)*, *ſic riſus ſtulti.* Riſum clarè ſonantem improbat Plato *(h)*; is enim hominem nimis movet ac turbat. S. Clemens Alexandrinus *(i)* lenem riſum, & quamdam oris ſuavitatem probat, minimè verò cachinnos. Monet Epictetus, ne multum leviterque ac temerè atque usque ad cachinnos rideamus. Denique nihil dignius irriſione, quàm homo ridere facilis. *Nihil fœdius riſu, irriſione digniſſimo* ait S. Auguſtinus *(k)*. Proprium hominis eſt ridere, idque humanum eſt, ſed infimum hominis, inquit idem *(l)*.

℣. 25. PES FATUI FACILIS IN DOMUM PROXIMI: ET HOMO PERITUS CONFUNDETUR A PERSONA POTENTIS, rarò potentem inviſet. Alterum levis animi indicium eſt, alienis ſeſe negotiis ingerere, alienasque domos concurſare, familiarum ſecreta ſerutari: nihil enim audaciùs atque odioſius eſt. Græcus *(m)*: *Pes fatui feſtinus eſt ad domum: homo verò expertus multa, abſtinebit ſe ab eâ.*

(b) *Johan.* VII, 38. (c) *Edit. Complut. & Ald.* Ἤκουσεν αὐτὸν ἀσύνετος, καὶ ἀπήρεσεν αὐτῷ. *Sed Rom. & alii:* Ἤκουσεν ὁ σπαταλῶν, καὶ ἀπήρεσεν αὐτῷ. (d) *Job*, XXIX, 11, 21, 23, 24. (e) *Horat. Epiſt.* 1, *lib.* 1. (f) Καὶ γνῶσις ἀσυνέτου ἀδιεξέταστοι λόγοι. (g) *Eccle.* VII, 7. (h) *Plato*, *lib.* 3 *de Republ. pag.* 388. Οὐδὲ φιλογέλωτας γε δεῖ εἶναι. Σχεδὸν γὰρ ὅταν τις ἐφιῇ ἰσχυρῷ γέλωτι, ἰσχυρὰν καὶ μεταβολὴν ζητεῖ τὸ τοιοῦτον. (i) *Clem. Alexand. lib.* 2 *Pædag. c.* 5. (k) *Auguſt. contra Academic. lib.* 1, *diſp.* 2. (l) *Idem*, *de lib. Arbitr. lib.* 1, *c.* 8. (m) Πὸς μωροῦ ταχὺς εἰς οἰκίαν, ἄνθρωπος δὲ πολύπειρος αἰσχυνθήσεται ἀπὸ προσώπου, *Alii legunt:* Ἀπ' αὐτῆς. *Ita Complut.*

℣. 26. Stultus a fenestrâ respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit.

℣. 27. Stultitia hominis auscultare per ostium: & prudens gravabitur contumeliâ.

℣. 28. Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium, staterâ ponderabuntur.

℣. 29. In ore fatuorum cor illorum: & in corde sapientium os illorum.

℣. 30. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam.

℣. 31. Susurro coinquinabit animam suam, & in omnibus odietur: (& qui cum eo manserit, odiosus erit: tacitus, & sensatus honorabitur.)

COMMENTARIUS.

rà. Sapiens in alienum larem sese non ingerit, nisi aut necessitas, aut officii ratio postulaverit: at insanus temerè illuc se immittit, etiam cum repulsæ aut fastidii odiique discrimine.

℣. 26. STULTUS A FENESTRA RESPICIET IN DOMUM: VIR AUTEM ERUDITUS FORIS STABIT. Palæstini vitreis fenestris non utebantur, sed cancellatis, quæ inspicientem non prohibebant. Insanus, dum expectat, ut fores pandantur, introspectat, quid intus agatur: at sapiens sedato animo expectat, dum aliquis introducat. Græcus (n): *Insipiens a januâ prospiciet in domum: vir autem probè institutus foris stabit*. Ille imprudentem, illiberalem, impatientem animum significat; hic tranquillum ac modestum.

℣. 27. STULTITIA HOMINIS, AUSCULTARE PER OSTIUM: ET PRUDENS GRAVABITUR hac CONTUMELIA. Aliud hominis illiberaliter instituti indicium est, ad alterius fores curiosè aures porrigere. Sapiens magnoperè ab hoc flagitio cavebit. Græcus (o): *Stultitia* vel stultitiæ indicium, *ad ostium auscultare: & vir prudens* talem *infamiam graviter feret*. Sedulò cavebit, ne hujusmodi flagitium committat; vel, non poterit quin graviter ferat, si quis ad domûs suæ fores auscultet. Melior prima explicatio. Hujus flagitii infamiam Sapiens ferre non poterit.

℣. 28. LABIA IMPRUDENTIUM STULTA NARRABUNT. Græcus (p): *Labia alienorum his gravabuntur: verba autem prudentium staterâ ponderabuntur*. Complutensis editio: *Labia loquacium disserunt de iis quæ ad se non pertinent; verba autem prudentum librillâ ponderabuntur*. Aliud insaniæ genus est, alienis negotiis misceri, de iis agere, ac temerè sententiam ferre.

℣. 29. IN ORE FATUORUM COR ILLORUM: ET IN CORDE SAPIENTIUM OS ILLORUM. Multum diuque cogitat sapiens, parum loquitur; prudenterque & loquitur & meditatur; quicquid dicendum est, antequam illud efferat, ad libellam exigit: insulsus loquitur, priusquam dicenda meditetur: parum meditatur, loquitur multum. Omnis illius sermo judicio & meditatione caret (q). Aliter: Stultus quicquid in animo habet, statim effundit: at sapiens ea solummodo profert, quæ necesse est, & quæ arcanâ mente diu versavit. Hoc idem docuit Salomon (r): *Cor sapientis erudit os ejus*: nonnisi meditata loquitur.

℣. 30. DUM MALEDICIT IMPIUS DIABOLUM, MALEDICIT IPSE ANIMAM SUAM. Sceleris sui causam impius diabolo tribuit, malumque suasorem, insidiatorem, hostem queritur. At se ipse accuset. Neminem cogit peccare diabolus: hortatur, latrat, circuit: at nonnisi accedentes volentesque mordet ac lædit (s). Qui peccant, dæmonis servi fiunt (t): *Vos ex patre diabolo estis*. Injuriâ igitur domino, quem ipsi elegere, maledicunt. *Diabolus* hoc loco quibusdam est adversarius. Qui inimico maledicit, sibi ipsi maledicit (u). Blasphemias summopere oderant Hebræi. Scribit Didymus, Michaëlem Dæmoni non maledixisse, cùm dæmon bonus naturâ sit. Hoc autem loco Ecclesiasticus dicit, maledicentem dæmoni, sibi ipsi maledicere, idcirco fortasse, quòd suâ ipsius naturâ dæmon nihilo deterior sit quàm impii anima. Quorsum hic inimicos sibi comparat? Cur pacificam hìc vitam non agit? Quòd si quis injuriâ ipsum lædat, cur non potiùs æquo animo patitur, quàm inimico succenset?

℣. 31. SUSURRO COINQUINABIT ANIMAM SUAM, ET IN OMNIBUS ODIETUR. Græcus (x): *Ubicumque commorabitur, odio erit*. Nullus ubique terrarum locus est, ubi delator odio non sit. Græcus e Romanâ editione; *Odio erit omni viciniæ*.

CA-

(n) Ἄφρων ἀπὸ θύρας παρακύπτει εἰς οἰκίαν, ἀνὴρ δὲ πεπαιδευμένος ἔξω στήσεται.

(o) Ἀπαιδευσία ἀνθρώπου ἀκροᾶσθαι παρὰ θύραν, ὁ δὲ φρόνιμος βαρυνθήσεται ἀτιμίᾳ.

(p) Χείλη ἀλλοτρίων ἐν τούτοις βαρυνθήσεται, λόγοι δὲ φρονίμων ἐν ζυγῷ σταθήσονται. *Alii*: Ἐν τούτοις διηγήσονται. *Complut.* Χείλη πολυλάλων τὰ οὐκ αὐτῶν διηγήσονται.

(q) *Hilar. in Psal.* CXXI: *In ore stultorum cor eorum esse dicitur, quia nihil ex rationis consilio tractantes, & cordis meditatione pendentes, temerario tantùm motu lingua inconsultè res fortuitas & inconditas eloquuntur. Non quod cogitaverant loquentur, sed quod locuti fuerint cogitabunt*.

(r) *Prov.* XVI, 23. (s) *August. in Psal.* LXIX, *& alibi sæpiùs*. (t) *Johan.* VIII, 44.

(u) Confer. 2 *Petr.* II, 10, 11; *Judæ*, ℣. 9; *& Didym. in Judæ* 9, *in tom.* 4 *Biblioth.* PP.

(x) Καὶ ὃ ἐὰν παροικήσῃ μισηθήσεται. *Edit. Rom.* Καὶ ἐν παροικήσει μισηθήσεται.

CAPUT XXII.

Piger. Filius malè institutus. Labor amissus docere insanum. Malos, fatuos, & cum amicis jurgia vitato. Integram amico fidem in quibuslibet vitæ conditionibus serva.

℣. 1. IN lapide luteo lapidatus est piger, & omnes loquentur super aspernationem illius.

℣. 2. De stercore boum lapidatus est piger: & omnis, qui tetigerit eum, excutiet manus.

℣. 3. Confusio patris est de filio indisciplinato: filia autem in deminoratione fiet.

℣. 4. Filia prudens hæreditas viro suo: nam quæ confundit, in contumeliam fit genitoris.

℣. 5. Patrem, & virum confundit audax, (& ab impiis non minorabitur:) ab utrisque autem inhonorabitur.

℣. 6. Musica in luctu, importuna narratio: flagella, & doctrina in omni tempore sapientia.

COMMENTARIUS.

℣. 1. IN LAPIDE LUTEO LAPIDATUS EST PIGER: ET OMNES LOQUENTUR SUPER ASPERNATIONEM ILLIUS. Lapis in pigrum jacitur, totusque ipse cœno obruitur, ut odio contemptuque dignissimus. Piger hoc loco est homo nihili, qui neque amicorum neque sui ipsius causâ quicquam aggreditur, aut cuiquam rei operam dat, qui alacritate, robore, intellectu, sapientiâ caret. Græcus significat potiùs (a): *Lapidi corrupto comparatus est piger: omnes sibilant ad ejus infamiam.* Similis lapidi est, quem cœno mersum nemo contingere audet. Probrum, quo obruitur, ludibrio est; omnesque illius calamitatem exsilibant ac rident (b). *Sibilare* illudentis est.

℣. 2. DE STERCORE BOUM LAPIDATUS EST PIGER: ET OMNIS QUI TETIGERIT EUM, EXCUTIET MANUS. Nemo ad illum nisi invitus accedet. Qui tetigerit, polluetur. Græcus (c): *Stercori boum de sterquiliniis comparatus est piger: omnis qui tollit illud, excutiet manum.* Qui illum agnoverit, statim repudiabit: si quis semel illo usus fuerit, sedulò cavebit, ne deinceps utatur. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his qui miserunt eum*, ait Salomon (d).

℣. 3. CONFUSIO PATRIS EST DE FILIO INDISCIPLINATO; FILIA AUTEM parum pudica IN DEMINORATIONE FIET, minimi habebitur, seu, exitio erit familiæ (e). Hoc frequenter animadvertit Sapiens, quemadmodum e liberis optimè institutis patris gloria & felicitas oritur, ita male educatos scelestosque parentibus infamiam ac mœrorem parere. Filiæ quæ ornamenta & sumptus amant, plerumque impudicæ sunt, totique familiæ dedecus atque exitium afferunt. Augustus filiis infelicissimus, frequenter vociferabatur (f): *O utinam quàm debui & sine uxore esse, & sine liberis periisse!*

℣. 4. FILIA PRUDENS HÆREDITAS VIRO SUO. Maritum optimâ rei familiaris administratione bonis cumulabit. Salomon, mulierem fortem describens (g), familiaribus negotiis occupatam laudat. Omnes in eâ curas maritus ponit: ipsa manum labori admovet, servisque & ancillis pensum ipsa distribuit; vigiliarum suarum fructus ipsa vendit; totaque illius familia opibus floret. Illam maritus & liberi his laudibus prosequuntur: *Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.* Græcus hoc loco fert (h): *Filia prudens hæreditatem afferet viro suo.* Apud Hebræos, hæreditas filias non sequebatur, ubi essent fratres. Docet hic Sapiens, prudentem filiam locupletes esse viro matrimonium, si pudicitiam & sapientiam afferat. Facilè opes comparabit, ac mariti bona sapientissimè administrabit. Complutensis Editio: Optimi *viri hæres erit*; vel *viri sui hæres erit*.

℣. 5. PATREM ET VIRUM CONFUNDIT AUDAX, impudica, immodesta: AB UTRISQUE AUTEM INHONORABITUR, spernetur. Audax atque imprudens uxor ea est, quæ minimam famæ ac nominis rationem habet, quæque impudicè agit ac loquitur: hæc & patris & viri dedecus atque odium erit.

℣. 6. MUSICA IN LUCTU, IMPORTUNA NARRATIO. Nihil molestius aut minùs opportunum est, quàm musica iis qui in mœrore sunt: ita nihil gravius quàm importunus homo, insulsus, molestus. Quicquid agitur, tempori agendum est; & pulcherrima quælibet, si malè & importunè fiant, pessima & injucunda redduntur. Optima sententia malè locata, inscitia est; & moralis institutionis apophtegma in ludicro sermone insipidum. *Acetum in nitro, qui cantat carmina cordi pessimo*, mœrore oppresso, inquit Salomon (i).

FLAGELLA ET DOCTRINA IN OMNI TEMPORE SAPIENTIA. Quolibet tempore sapientia pœnâ utitur aut admonitione. Quidlibet molestissimum, & maximè voluntati contrarium, jucundum fit, si eo opportunè utaris. Inamabiles naturâ suâ res sunt institutio, studium, correptiones, objurgationesque: at jucundas facit sapiens, dum suavissimè illis utitur. Optimè omnia fiunt, si cum modo agantur. Hæc sententia opponi potest superiori. Mu-

(a) Λίθῳ ἠρδαλωμένῳ συνεβλήθη ὀκνηρὸς, καὶ πᾶς ἐκσυριεῖ ἐπὶ τῇ ἀτιμίᾳ αὐτοῦ. (b) *Jerem. Thren.* II, 15; *Ezech.* XXVII, 36, *& passim.* (c) Βολβίτῳ κοπρίων συνεβλήθη ὀκνηρὸς, πᾶς ὁ ἀναιρούμενος αὐτὸν, ἐκτινάξει χεῖρα. (d) *Prov.* X, 26. (e) Ἐπ' ἐλαττώσει γίνεται. (f) *Sueton. in August.* Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμμεναι, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι. (g) *Prov.* XXXI, 29. (h) Θυγάτηρ φρονίμη κληρονομήσει τὸν ἄνδρα αὐτῆς. *Complut.* Κληρονομήσει ἄνδρος αὐτῆς. (i) *Prov.* XXV, 20.

℣. 7. Qui docet fatuum, quasi qui conglutinat testam.
℣. 8. (Qui narrat verbum non audienti,) quasi qui excitat dormientem de gravi somno.
℣. 9. Cum dormiente loquitur, qui enarrat stulto sapientiam: & in fine narrationis dicit: Quis est hic?
℣. 10. Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus: & supra fatuum plora, deficit enim sensu.
℣. 11. Modicum plora supra mortuum, quoniam requievit.
℣. 12. Nequissimi enim (nequissima) vita super mortem fatui.
℣. 13. Luctus mortui septem dies: fatui autem & impii, omnes dies vitæ illorum.
℣. 14. Cum stulto ne multùm loquaris, & cum insensato ne abieris.
℣. 15. Serva te ab illo, ut non molestiam habeas, & non coinquinaberis peccato illius.

COMMENTARIUS.

Musica in luctu importuna fit ac molesta: at objurgationes opportuno tempore adbibitæ, opera sapientiæ sunt (k); ac nunquam non fructum ferunt. Unus sapiens opportunè castigat (l). Alii ita explicant (m): Musica est importuna in luctu oratio; at castigatio atque institutio nunquam non utiles pueris sunt, ut sapientiam doceantur. Nunquam cessandum est a puerorum institutione. Prima explicatio melior.

℣. 7. QUI DOCET FATUUM, QUASI QUI CONGLUTINAT TESTAM. Oleum operamque perdis, cùm fatuum doces. Non eos hìc significat Sapiens, qui neque ingenii acie, neque acri intelligendi vi carent, quamquam libidinem ac ignorantiam sectantur. Aliqua semper spes est, ubi hominem ingenio præditum instituis; non enim semper æquè fervet libido; ac scelestissimi ad bonam frugem interdum reducuntur. At ubi quis mente hebes, animo malus est, frustra laboras: asino lyram pulsas, in nive scribis, utì ajebant veteres.

℣. 8. QUI NARRAT VERBUM NON AUDIENTI, QUASI QUI EXCITAT DORMIENTEM DE GRAVI SOMNO. Ita te molestum facis, utì qui altè dormientem excitat: illum afficis molestiâ, & nullam ejus rei gratiam refers. Ita qui audire non vult, si malæ conscientiæ somnum & quietem turbas, irascitur; sopitos enim jam diù in illo stimulos excitas. Græcus hæc verba cum superiore versiculo jungit, & omittit ea: *Qui narrat verbum non audienti*; atque ita fert (n): *Testam conglutinat, qui docet fatuum, & excitat dormientem ex gravi somno.*

℣. 9. DICIT: QUIS EST HIC? Græcus (o): *In fine narrationis dicet: Quid est?* Cùm diù dicendo laboraveris, interrogabit: Quid hìc agitur? *Ubi auditus non est, non effundas sermonem*, idem alibi monet (p). Salomon (q): *In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui.* Areopagitæ (r) cùm S. Paulum de mortuorum resurrectione differentem audissent, *quidam quidem irridebant, quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum.* Cùm idem Paulus coram Festo disputasset, hic inquit (s): *Insanis, Paule: multa te litera ad insaniam convertunt.*

℣. 13. LUCTUS MORTUI SEPTEM DIES: FATUI AUTEM ET IMPII, OMNES DIES VITÆ ILLORUM. Fatuum primò comparavit cum homine qui alto sopore opprimitur; deinde cum mortuo; ejusque conditionem pejorem esse docet quàm hominis, qui esse desiit. Denique ait, mortui luctum septem tantummodò diebus produci; at fatuum toto vitæ curriculo esse lugendum; nulla enim spes reditûs est, æternumque exitium. Eos insanos significat, quorum animi acies omnino periit, aut impios qui disciplinam respuunt. Illis nulla spes recuperandæ mentis est: hi inveteratum scelus relinquere nolunt. At ii, quos vel naturæ vel cupiditatis æstus in malum traxit, ita lugendi sunt, ut emendatio non desperetur. Filii Augustini errores S. Monica plures annos flevit: at illud semper fixum animo gerebat, quod Episcopus quidam dixerat (t): *Fieri non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat.* Samuel totius vitæ spatio jugibus lacrymis exitium Saülis ploravit (u), quem a Deo reprobatum, neque aut pœnitentiam aut conversionem admissurum sperabat.

Septem dies, quibus producendum esse luctum Sapiens docet, non ita intelligendi sunt, veluti constans lex fuerit, septem solummodo diebus, neque pluribus, esse lugendum. Jacobi funus ad dies septuaginta prorogatum est (x); Aaronis (y) ac Moysis (z), tricenis. Breviora interdum erant: communia, septem dierum. Major etiam minorque luctus habebatur: at hæc fusiùs alibi disputabimus.

℣. 14. CUM INSENSATO NE ABIERIS. Ita claudit, quæ hactenus tradidit. Hujusmodi hominum consuetudinem & occursum fuge; ipsi nocere tibi possunt, tu illis prodesse non potes. Eos significat, quos cum mortuis sepulcro conditis comparavit. *Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis illis efficietur*, inquit Salomon (a). Græcus hìc legit (b): *Ad vecordem ne accesseris; temerè enim atque inconsideratè contemnet te.* Simile est Salomonicæ sententiæ (c): *In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui.*

℣. 15. NON COINQUINABERIS PECCATO ILLIUS. Græcus (d): *Et non pollueris excussione ejus*, vestium sordibus, quas in te excutiet; vel ex Grotio:

(k) Μουσικὴ ἐν πένθει, ἄκαιρος διήγησις. Μάστιγες δὲ καὶ παιδεία ἐν καιρῷ σοφίας.
(l) *Vide Vatab. Grot. Lyr.* (m) *Vide Palac. Jans. Syr. Raban. Cornel. a Lapide.*
(n) Συγκολλῶν ὄστρακον, ὁ διδάσκων μωρὸν, καὶ ἐξεγείρων καθεύδοντα ἐκ βαθέος ὕπνου.
(o) Ἐπὶ συντελείᾳ ἐρεῖ, τί ἐστιν; (p) *Eccli.* XXXII, 6. (q) *Prov.* XXIII, 9. (r) *Act.* XVII, 32.
(s) *Act.* XXVI, 24. (t) *August. Confession. lib.* 3, *c. ult.* (u) 1 *Reg.* XV, 35. (x) *Genes.* L, 3.
(y) *Num.* XX, 30. (z) *Deut.* XXXIV, 8. (a) *Prov.* XIII, 20. (b) Καὶ πρὸς ἀσύνετον μὴ πορεύου, ἀναισθητῶν γὰρ ἐξουθενώσει σε. *Rom. & alii non legunt*: Ἀναισθητῶν, *&c.* (c) *Prov.* XXIII, 9.
(d) Καὶ οὐ μὴ μολυνθῇς ἐν τῷ ἐκτιναγμῷ αὐτοῦ.

℣. 16. Deflecte ab illo, & invenies requiem, & non acediaberis in stultitiâ illius.

℣. 17. Super plumbum quid gravabitur? & quod illi aliud nomen quàm fatuus?

℣. 18. Arenam, & salem, & massam ferri facilius est ferre, quàm hominem imprudentem, (& fatuum, & impium.)

℣. 19. Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificii non dissolvetur: sic & cor confirmatum in cogitatione consilii.

℣. 20. Cogitatus sensati in omni tempore metu non depravabitur.

℣. 21. Sicut pali in excelsis, (& cæmenta sine impensâ posita) contra faciem venti non permanebunt:

℣. 22. Sic & cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet.

℣. 23. (Sicut cor trepidum in cogitatione fatui, omni tempore non metuet: sic & qui in præceptis Dei permanet semper.)

℣. 24. Pungens oculum deducit lacrymas: & qui pungit cor, profert sensum.

COMMENTARIUS.

tio: Non consparcaberis salivâ illius, quam loquendo jaculatur. Malos impiorum sermones significat, quibus adeò facilè bonorum mores corrumpuntur (e): *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*. Faciliùs spargitur vitium, quàm virtus: *Sicut melli plurimo parum absynthii injectum velocem amaritudinem trahit, mellis verò etiamsi duplum infundatur, non poterit ejus obtineri dulcedo* (f): exiguus lapis ex aggere ablatus, toti simul amni aditum facit, quem amnem vix agger validissimus contineret (g).

℣. 17. Super plumbum quid gravabitur? Quid plumbo gravius? nisi fatuus. Nihil, præter insanum, eum plumbi gravitate comparari potest, quod cætera metalla, præterquàm aurum, gravitate superat. Nihil insano gravius aut molestius. Vide supra, xxi, 19. Proximus huic versiculus hujus explicatio est: *Arenam & salem & massam ferri facilius est ferre, quàm hominem fatuum*. Salomon (h): *Grave est saxum & onerosa arena: sed ira stulti utroque gravior*.

℣. 19. Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificii, non dissolvetur: sic et cor confirmatum in cogitatione consilii; ita animus bono consilio fretus, non nutabit. Interdum Veteres ligneas trabes in ædificiorum fundamentis locabant, teste quarto libro Macchabæorum, capite 11, ubi mœnia Jerosolymæ describuntur. Cùm Antiochus Sidetes Jerosolymam obsideret, ac mœnium fundamenta soderentur, super ligneas trabes structa esse visa sunt; quamobrem consumptis igne trabibus, mœnia corruerunt. In Templi etiam Salomonici descriptione legimus (i), atrium Sacerdotum hac arte constructum fuisse, ut tres quadratorum lapidum ordines, unus cedrinarum trabium ordo alternè sibi succederent; idemque in Salomonis ædium constructione servatum est (k). Jubet Vitruvius (l), cùm arcium mœnia turresque struuntur, trabes lapidesque usque ad fundamenta misceri. Ita solebant Galli, teste Cæsare (m). Vide nos in 3 *Reg.* vi, 36. Græcus (n): *Ut compages lignea illigata ad ædificium, in concussione non dissolvetur: sic cor firmatum in prudenti cogitatione, in omni tempore metu non formidabit*. Spectat hîc morem lapides trabesque miscendi in muris, ne terræ motibus quaterentur. Textus non habet *fundamentum*; nos tamen ostendimus, trabes in mœnium fundamentis, non secus ac in ipsis mœnibus, misceri consuevisse.

℣. 20. Cogitatus sensati in omni tempore metu non depravabitur. Hæc verba versio sunt alterius partis versiculi superioris. Frequenter in hoc Libro videas eamdem rem variis phrasibus propositam. Ita verò habet Græcus, ℣. 20 (o): *Animus fixus super consilio prudente, est ut arenatum tectorium in pariete bene adaquato*. Sicuti tale tectorium, & arena optimâ calce mista, parieti rectissimo æquissimoque inducta, illum tuetur, prohibetque ne vel ab imbre, vel a procellâ evertatur; ita animus optimo consilio nixus quati non potest.

℣. 21. Sicut pali (p) in excelsis, et cæmenta sine impensa posita contra faciem venti, non permanebunt: sic cor trepidum, &c. Græcus breviore sententiâ: *Ut ridica*, vel sudea, *in sublimi posita, adversùs ventum non valebunt*: neque habet *cæmentum sine impensâ*, cæmentum in quo modicum calcis est, neque maceriam; hæc enim e superiori versiculo derivata sunt.

℣. 23. Sicut cor trepidum in cogitatione fatui, omni tempore non metuet, sic et qui in præceptis Dei permanet semper. Hic versiculus in Græco deest, & contrariam superiori sententiam fert, habenti, fatuum semper timidum esse & æstuantem: sua tamen illi veritas est; quantum enim incertus nutansque est fatuus in iis quæ aggreditur, tantum quandoque intrepidus ac temerarius est, & usque ad furorem pertinax.

℣. 24. Pungens oculum, deducit lacrymas:

(e) 1 *Cor.* xv, 33. (f) *Aug. lib. contra Fulgent. Donatist. c.* 16. (g) *Nazianz. Orat.* 25. (h) *Prov.* xxvii, 3. (i) 3 *Reg.* vi, 36. (k) 3 *Reg.* vii, 12. (l) *Vitruv. lib.* 5, *cap.* 5, & Notas Perraltii in hunc locum. (m) *Cæsar, de Bello Gallico.* (n) Ὡς ἱμάντωσις ξυλίνη ἐνδεδεμένη εἰς οἰκοδομὴν, ἐν συσσεισμῷ οὐ διαλυθήσεται, οὕτως ἡ καρδία ἐστηριγμένη ἐπὶ διανοήματος βουλῆς, ἐν παντὶ καιρῷ οὐ δειλιάσει.
(o) Καρδία ἡδρασμένη ἐπὶ διανοίας συνέσεως, ὡς κόσμος ψαμμωτὸς ἐπὶ τοίχου ξυστοῦ.
(p) *Complut. Sixt. V, alii plerique antiqui*: Sicut paleæ in excelsis. *Græc.* Χάρακες ἐπὶ μετεώρου. *Pali in excelso*.

℣. 25. Mittens lapidem in volatilia, dejiciet illa: sic & qui conviatur amico, dissolvit amicitiam.

℣. 26. Ad amicum etsi produxeris gladium, non desperes: est enim regressus. Ad amicum

℣. 27. Si aperueris os triste, non timeas: est enim concordatio, excepto convitio, & improperio, & superbiâ, & mysterii revelatione, & plagâ dolosâ: in his omnibus effugiet amicus.

℣. 28. Fidem posside cum amico in paupertate illius, ut & in bonis illius læteris.

℣. 29. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, ut & in hæreditate illius cohæres sis.

COMMENTARIUS.

MAS: AT QUI PUNGIT COR, PROFERT SENSUM. Si oculum violenter fricas, hauris lacrymas; & si quem injuriâ lacessis, iram atque ulciscendi libidinem excitas. Vel: Si quem acri objurgatione arguis, illum excitas, & cautum facis.

℣. 25. DEJICIAS ILLA: Si lapidibus petat, interficiet. Græcus (q): *Fugabit*, dissipabit.

℣. 26. AD AMICUM ETSI PRODUXERIS GLADIUM, NE DESPERES: EST ENIM REGRESSUS. Superiore versiculo docuit, amicitiam contumeliis in amicum prolatis frangi: addit hic, ubi ensem eduxeris, ut amicum ferias, locum esse amicitiæ restituendæ. Hæc invicem non pugnant: siquidem injuriæ, contumeliæ, probra irritare amicum, ac simultates parere possunt, at non semper pariunt. Restitui amicitia cum homine læso potest, quamvis ensem in ipsius cædem eduxeris: at quædam sunt, quæ amicis non remittuntur; eaque proximo versiculo recenset. Subitum animi iræque motum non ægrè ferimus; minas etiam, interdum etiam stricto ense intentatas, ob improvisum ac non meditatum animi æstum: at contumeliæ datâ operâ, & meditato consilio irrogatæ, perfidiæ, secretorum violatio, &c. nunquam remitti solent.

℣. 27. AD AMICUM SI APERUERIS OS TRISTE, NON TIMEAS: EST ENIM CONCORDATIO. Græcus non habet *triste*, at solummodo: *Adversùs amicum si aperueris os*; scilicet, si molestum aliquid & grave illi dixeris. Aperire os, apud Scripturam, interdum hoc sensu usurpatur. *Dilatatum est os meum super inimicos meos* (r). *Aperuerunt super me os suum* inimici (s). *Non aperui os meum* (t). *Os peccatoris & os dolosi super me apertum est* (u). Isaias de impiis justos opprimentibus agens (x): *Super quem dilatastis os, & ejecistis linguam?* Dissimulandus est aliquis iræ fervor, quem disputationis æstus, & sententiarum dissidium ex ore amici exprimunt.

EXCEPTO CONVITIO ET IMPROPERIO ET SUPERBIA, &c. Hæc inter amicos fermè nunquam remittuntur; malæ enim voluntatis, pravique consilii atque odii potiùs germina sunt, quàm affectuum tumultus, aut naturæ fervor. Hoc flagitiorum genus datâ operâ & meditatè patrantur, veræque amicitiæ legibus omnino repugnant. Primo autem loco Sapiens numerat *convitium*, & *improperium*. Duo hæc nomina unicâ hac voce Græcâ ὀνειδισμὸς significantur. Si ingratum animum, aut simile quid amico exprobras, fieri non potest quin is ægrè ferat; cùm, exempli causâ, vel generis humilitatem, vel tenuitatem ingenii objicis, aliâve de causâ te illum parvi pendere significas. Id enim perinde est, ac si amicitiâ tuâ & consuetudine indignum esse dicas, ac latenter significes, te illius amicitiam minimi facere, ac penitus aspernari.

Secundò, *Superbia*, ὑπερηφανία, arrogantia, moresque graves ac feri. Hoc vitio eò graviùs offenditur amicus, quòd amicitiæ principium sit æqualitas & similitudo morum (y), sententiarum, rerum, & conditionis. Quamquam fieri etiam potest, ut inter inæqualis conditionis homines amicitia sit: tunc verò majoris est, sese amico æqualem facere; secùs, vera amicitia, confidentia, libertas non est; at servitus potiùs, quàm suavis animorum conjunctio, jucundaque consuetudo.

Tertiò, *Mysterii revelatio*, μυστηρίου ἀποκάλυψις. Indigna amico perfidia est, amici arcana patefacere; præsertim si datâ operâ & de industriâ patefiant; interdum enim animi levitate aut infirmitate aperiuntur, iis minimè animadversis, quæ hinc oriri queunt, nullâque amicum lædendi voluntate. Cæterùm nihil sanctius inter amicos esse debet, quàm secretum; indignusque & confidentiâ & amicitiâ is est, qui secreti capax esse nescit. Homines enim nihilo minoris faciunt secreti religionem, quàm dignitatem; nullaque gravior injuria est, quàm secreti proditio.

Quartò, *Plaga dolosa*, πληγὴ δόλιου, scilicet nocumenta per insidias illata. Ea porrò ultima est perfidiæ meta, & gravissima amicitiæ injuria; qua non modum amicitiæ, verùm etiam charitatis & humanitatis jura violantur. Qui hujusmodi flagitium non veretur, non amicitiæ & consuetudinis nostræ solùm, sed humanæ societatis indignus est. Publicus est hostis, quem omnes odio prosequi decet. Nullum tamen ex his vitium satis est, ut charitatem ac patientiam deserere, aut de perfido amico ultionem expetere liceat. Illum ab amicitiâ & consuetudine excludere fas est, non autem ab amore, quo unumquemque haberi jubet Deus. Siluit David, cùm a Semei maledictis obsueretur (z); nihil antiquius habuit, quàm ut Absalomi, a quo armis petebatur, vita servaretur (a): Saülem, quamvis inimicum, flevit, ejusque cædem ultus est (b). Job inter probra, quibus afficiebatur, gaudebat (c). S. Paulus sibi maledicentibus benedicebat (d). Christus pro interfectoribus oravit (e), beatosque dixit eos, qui justitiæ causâ injuriis ac maledictis hominum objicerentur (f).

℣. 29. IN TEMPORE TRIBULATIONIS ILLIUS PERMANE ILLI FIDELIS, UT ET IN HÆREDITATE ILLIUS COHÆ-

(q) Ἀποσοβήσει αὐτά. (r) 1 Reg. II, 1. (s) Psal. XXI, 14; XXXIV, 21. (t) Psal. XXXVIII, 10. (u) Psal. CVIII, 2. (x) Isai. LVII, 4. (y) *Ambros. Offic. lib. 3, c. 16: Defer amico ut æquali, nec te pudeat ut prævenias amicum officio. Amicitia enim nescit superbiam.* (z) 2 Reg. XVI, 6, 7. (a) 2 Reg. XVIII, 5. (b) 2 Reg. I, 11. (c) *Job*, XIX, 7. *Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet. Ita* 70. (d) 1 Cor. IV, 12. (e) *Luc.* XXIII, 34. (f) *Matth.* V, 11.

℣. 30. Ante ignem camini vapor, & fumus ignis inaltatur: sic & ante sanguinem maledicta, (& contumeliæ, & minæ.)

℣. 31. Amicum salutare non confundar, a facie illius non me abscondam: & si mala mihi evenerint per illum, sustinebo.

℣. 32. Omnis, qui audiet, cavebit se ab eo.

℣. 33. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsis, & lingua mea perdat me?

COMMENTARIUS.

CONRESS SIS (g), scilicet ut in rebus illius prosperis uoâ gaudeas, ac particeps hæreditatis, quæ illi obveniet, fias. Græcus addit: *Neque enim semper est despicienda paupertas; neque dives admiratione*, obsequio, *dignus est, qui meate caret*, Vide supra, XVI, 12; & infra, XLIII, 34.

℣. 30. ANTE IGNEM CAMINI VAPOR, ET FUMUS IGNIS INALTATUR: SIC ET ANTE SANGUINEM MALEDICTA. Ut fumus ex igne nascitur, ita plerumque ex contumeliis, litibus, jurgiis vulnera, cædes, cruor: iis enim provocatus ira; hæc vindictam quærit; inde neces & homicidia. Lites igitur, & litigiosorum hominum consuetudinem vitato.

℣. 31. AMICUM SALUTARE NON CONFUNDAR (h), Græcus (i): *Amicum tueri non pudebit*. Nihil detererre hominem debet, us amicum tueatur, ubi necessitas postularit. Ferendum est, etiamsi aliquid mali ipsius causâ eveniat.

ET SI MALA MIHI VENERINT PER ILLUM, SUSTINEBO. Nonnihil differt Græcus, ita distribuens ℣℣. 31 & 32: *Amicum tueri non pudebit, neque coram illo abscondar*. 32. *Et siquid mali mihi evenerit illinc causâ*, vel per illum, *quicumque id intellexerit, cavebit ab eo*. Quamvis malum aliquod amici causâ nobis eveniat, opem illi denegare iniquum est. Quòd si illum cæteri fugiant, infortunio, quod mihi contigit, territi, illos ego non imitabos, neque aut quieti aut fortunæ meæ turpiter parcam: illum monitis, authoritate, opibus juvabo: me ipsum malis objiciam, si opus sit, inimicitiis atque injusiis ob amici innocentiam (k): *Juvemus auxilis, conferamus studio, compatiamur affectu: si necesse est, toleremus propter amicum etiam aspera. Plerumque inimicitiæ subeundæ sunt propter amici innocentiam, sæpè obtrectationes*, &c.

℣. 33. QUIS DABIT ORI MEO CUSTODIAM? Ad locum Psalmi respicit (l): *Pone, Domine, custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis: non declines cor meum in verba malitiæ*. Græcus habet (m): *Quis dabit super os meum custodiam, & super labia mea sigillum callidum*, optimè magnâque arte fabrefactum, *ne cadam subito per ipsam* linguam? Mihi placet ita explicare ℣℣. 31, 32, 33: *Amicum tueri non pudebit, neque me ab illis abscondam, quamvis mali aliquid illius causâ subiturus sim. Unusquisque audiens, cavere potest ab eo* qui loquitur: *at quis custodiam ori meo imponet, & labiis meis sigillum*, vel seram, *ne subito improvisoque lapsu, lingua causâ, ruam!* Perniciosæ orationis periculum fugere possumus: linguæ suæ errores satis cavere quis potest? Sigillum labiis imponi cupit, veterum morem spectans, qui nihil nisi sigillo claudebant. Novum hic incipit argumentum, quod proximo Capite prosequitus.

CAPUT XXIII.

Oratio adversùs superbiam, malum linguæ usum, gulam, impudicitiam. Mala jurandi conviciandique consuetudo. Deo atque hominibus odiosus adulter.

℣. 1. DOmine, pater, & dominator vitæ meæ, ne derelinquas me in consilio eorum: ne sinas me cadere in illis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DOMINE, PATER, NE DERELINQUAS ME IN CONSILIO EORUM (labiorum): ET NE SINAS ME CADERE IN ILLIS. E fine superioris Capitis repetendum est argumentum, quod hoc loco prosequitur; ibi enim Sapiens ori suo custodiam, labiis sigillum optaverat. Hîc orat, ut sese Deus immonem a labiorum suorum consilio tueatur, scilicet ne patiatur, ut illis obtemperet, eorumque impatientiæ, loquacitati ac volubilitati morem gerat. Accipe totum e Græco versiculum (a): *Domine, pater & domine omnis vitæ*, omnium quæ vivunt ac sentiunt, *ne derelinquas me in consilio eorum*, labiorum meorum, *nec sinas me cadere in illis, in exemplum* cæterorum. Sunt (b) qui hîc addant impios, vel stultos, aut perjuros. Ne impiorum stultorumve consilio me trahi sinas. Meliùs tamen de labiis, de quibus mox, intelligitus (c),

℣. 2. Quis

(g) Ἵνα ἐν τῇ κληρονομίᾳ αὐτοῦ συγκληρονομήσῃς. *Complut. addit:* Οὐ καταφρονητέον γὰρ ἀεὶ τῆς περιγραφῆς, οὐδὲ θαυμαστὸς πλούσιος νοῦν μὴ ἔχων. (h) *Complut. & alii:* Non confundaris. *Alii:* Non abscondaris. *Ambrof. lib. 3 de Offic.* Non erubescas. (i) Φίλον σκεπάσαι οὐκ αἰσχυνθήσομαι. *Forte Vulg. scripserat*, Salvare, *pro* salutare. (k) *Ambrof. lib. 3 Offic. c. 26.* (l) *Psal.* CXL, 3. (m) Τίς δώσει μοι ἐπὶ στόμα μου φυλακὴν, καὶ ἐπὶ τῶν χειλέων μου σφραγῖδα πανοῦργον, ἵνα μὴ πέσω αἰφνιδίως ἀπ' αὐτῆς. (a) Κύριε, πάτερ καὶ δέσποτα ζωῆς ἁπάσης. (*Edit. Rom. Basil. Ald.* ζωῆς μου, *ut Vulg.*) Μὴ ἐγκαταλίπῃς με ἐν βουλῇ αὐτῶν, καὶ μὴ ἀφῇς με πεσεῖν ἐν αὐτοῖς. (*Complut. addit:* ἐν παραδειγματισμῷ.) (b) *Vatab. Druf. Grot.*
(c) *Ita Vat. Cornel. a Lapide.*

℣. 2. Quis ſuperponet in cogitatu meo flagella, & in corde meo doctrinam ſapientiæ, ut ignorationibus eorum non parcant mihi, & non appareant delicta eorum?

℣. 3. Et ne adincreſcant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent, & incidam in conſpectu adverſariorum meorum, & gaudeat ſuper me inimicus meus?

℣. 4. Domine, pater, & Deus vitæ meæ, [ne derelinquas me in cogitatu illorum.]

℣. 5. Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne deſiderium averte a me.

℣. 6. Aufer a me ventris concupiſcentias, & concubitus concupiſcentiæ ne apprehendant me, & animæ irreverenti, (& infrunitæ) ne tradas me.

℣. 7. Doctrinam oris audite, filii: & qui cuſtodierit illam, non periet labiis, (nec ſcandalizabitur in operibus nequiſſimis.)

COMMENTARIUS.

℣. 2. Quis sopeaponet in cogitatu man flagella... ut ionorationibus eorum (d) non parcant mihi. Intelligit Sapiens, ſevero magiſtro ſe egere, qui linguæ ſuæ errores coërceat, quæque loquendo ipſe peccaverit, corrigat; ne denique aot male aut nimis loquendi conſuetudinem ipſe ſibi pariat, qoa conſuetudine peccata multiplicentur. Quò violentior eſt loquendi libido, eò frequentiores magisque periculoſi ſunt lapſus. *Mors & vita ia mana liagua*, inquit Salomon (e). *Liagnam bemiaum nullas domare poteſt*, ſubdit S. Jacobus (f). *Iaqaietum malam, pleaa veaeno mortifero*. Sapientiſſimè igitur rogat Deum Sapiens, ut ſeſe cædat, ſtimulisque ac ſuppliciis coërceat, ne a linguâ trahatur in ſcelus. Græcus e Complutenſi Editione addit (g): *Neque remittas contumelias eoram, qui ſe peccatores eſſe profitentur*.

℣. 3. Na adincrescant ionoaantiæ meæ. Timet, ne linguæ causâ in peccatum ruat, peccatum verò Divinam in ſe iram provocet; iratus autem Deus, peccati pœnâ, ſeſe in hoſtium poteſtatem tradat. Hæc timendi argumenta Judaicum ingenium ſapiunt: fugere peccatum debemus, quòd oderit peccatum Deus, non quòd nosmetipſos hoſtium ludibrio objiciat, nosque Deus hoſtium poteſtati permiſſurus ſit, ut peccatum puniat. Non ſemper optimas ac nobiliſſimas converſionis cauſas Spiritus Sanctos impiis proponit; eorumque infirmitati ſæpe connivet, atque iis argumentis ipſos trahit, quibus maximè afficiuntur. Id quod metus & cupiditas incipiunt, Dei gratia & amor perficiunt abſolvuntque. Græcus hæc verba in fine addit (h): *Neque gaudeat ſuper me inimicas meas, quorum ſpes leagè eſt a miſericordiâ ſuâ*.

℣. 4. Ne derelinquas ma in cogitatu illoaum, in hoſtium poteſtate, de quibus mox egit. At hæc verba Græcus non habet; atque ita jungitur cum ſequenti verſiculo: *Domiae, Pater, & Deas vita mea, oculos arrogaates elatoſque ae dederis mibi, & gigaatum aaimum averte perpetuò a ſervis tuis;* animum ſcilicet ſuperbum, arrogantem, ſceleroſum, temerarium, priſcis Gigantibus ſimilem, quos diluvii aquis merſiſti, vel quorum linguas ad Babelicam turrim turbaſti. Pro bis verò Vulgata fert: *Extollentiam oculorum meorum ae dederis mibi, & omae deſiderium averta a me*. Rogans Deum Sapiens, ut ſuperbos oculos ne ſibi det, non illud ſignificat, hujuſmodi oculos interdum a Deo hominibus dari; author enim malorum eſſe nequit Deus (i); atque ab ipſo dooa omnia perfecta, & quicquid boni nobis eſt (k), oriontur. At ſæpe noſtrorum criminum causâ a tentatione ſuperari nos patitur, nosque inimicorum arbitrio tradit, atque in noſtrarum virium poteſtate relinquit.

℣. 6. Aufar a ma vantris concupiscentias.... et animæ iaaeverenti at infrunitæ ne taadas me. Latina vox *iafrunitas* eſt a Græcâ *afrenetos* vel *afron*, ſcilicet inſanus, ingenio, ſenſu, judicio carens. Seneca Philoſophus hac voce utitur (l) pro homioe temerè inſanèque gloriabundo: & alibi (m) pro inſulso, rudi, imperito. Hoc loco *iafrunitas* ſapienti ac bene inſtituto opponitur. Ne animo immoderato inſanoque, & probroſis ſceleſtisque cupiditatibus me tradas. Græcus ita totum ℣. fert (n). *Spes vanas & malam cupiditatem averte a me: & ſervam habebis eum, qui tibi aſſiduè ſervire velit. Veatris cupide & concubitûs ne capiant me, & aaima impudenti ne tradas me*. Ne patere me eò usque in pudenda flagitia ruere, ut pudorem prorsùs amittam. Vel: Ne in mulieris impudicæ ac meretricis amores trahi me ſinas. Romaoa Græci editio ſimilior Vulgatæ eſt.

℣. 7. Doctrinam oris aooite, filii; dogmata de linguæ moderatione. De bac re hactenus jam multa tradidit ex ℣. 33 Capitis xxii: hinc verò usque ad ℣. 20 hujus Capitis de eâdem agere pergit. In Romanâ editione ante honc verſiculum hæc leguntur (o): *Oris iaſtitutio*.

(d) Ἵνα ἐπὶ τοῖς ἀγνοήμασί μου μὴ φείσωνται, *Ne in igaorantiis mtis* mihi *pareaat*. *Alii*: Μὴ φείσῃ σου, Κύριε. *Ita Rom. Complut. malè*, Κυρίου. (e) *Prov.* xviii, 21. (f) *Jacobi*, iii, 8. (g) Τὰς δὲ ὕβρεις τῶν ἐν ἐπαγγελίᾳ ἁμαρτωλῶν μὴ παρῇς. (h) Καὶ ἐπιχαρεῖταί μοι ὁ ἐχθρός μου, ὧν μακρὰν ἐστιν ἡ ἐλπὶς τοῦ ἐλέους σου. *Ita Complut. ſed Edit. Sixti V noa babet.* (i) *Jacobi*, i, 13. (k) *Jacobi*, i, 17. (l) *Senec. lib. de Vitâ Beatâ: Alterum infraniti eſt animi, alterum timidi ac puſilli.* (m) *Senec. lib. 3 de Benefic. c. 26: Iafranita & antiqaa eſt, qua neſciat matrimonium vocari aaam adalterium.* (n) Ἐλπίδας κενὰς καὶ ἐπιθυμίαν ἀπόστρεψον ἀπ' ἐμοῦ, καὶ κρατήσεις τὸν θέλοντα σοι δουλεύειν διαπαντός. κοιλίας ὀρέξεις, καὶ συνουσιασμὸς μὴ καταλαβέτωσάν με, καὶ ψυχῇ ἀναιδεῖ μὴ παραδῷς με. (o) ΠΑΙΔΕΙΑ ΣΤΟΜΑΤΟΣ.

℣. 8. In vanitate suâ apprehenditur peccator: & superbus, & maledicus scandalizabitur in illis.

℣. 9. Jurationi non assuescat os tuum: (multi enim casus in illâ.)

℣. 10. Nominatio verò Dei non sit assidua in ore tuo, (& nominibus Sanctorum non admisceäris: quoniam non eris immunis ab eis.)

℣. 11. Sicut enim servus interrogatus assiduè, a livore non minuitur: sic omnis jurans, & nominans, in toto a peccato non purgabitur.

℣. 12. Vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non discedet a domo illius plaga.

℣. 13. Et si frustraverit, delictum illius super ipsum erit: & si dissimulaverit, delinquet dupliciter.

℣. 14. Et si in vacuum juraverit, non justificabitur: replebitur enim retributione domus illius.

COMMENTARIUS.

℣. 8. In vanitate sua apprehenditur peccator: et superbus, et maledicus scandalizabitur in illis, ruinæ occasiones in illis inveniet. Hic versiculus superiori opponitur: Filii, si iis, quæ mox dicturus sum de linguæ moderatione, aurem porrigitis, nunquam vos labia vestra incautos capient: at impius, monita mea contemnens, linguæ suæ insidiis capietur. Superbus suis ipsius labiis evertetur. Græcus ex Romanâ editione (p): *Peccator & maledicus*, vel is qui perversâ oratione cæteris injurius est, *& superbus ruinam in labiis suis invenient*, de quibus superiori ℣. At Complutensis editio fusiore sententiâ: *In insaniâ suâ capietur peccator; Maledicus & superbus exitium in illis habebunt*.

℣. 9. Jurationi non assuescat os tuum. Brevior est in Græco sententia, apud quem ita leguntur Versiculi 9, 10 (q): *Juramento ne assuefacias os tuum, ac nominationi Sancti ne assuefcas* (r). Nunquam satis frequens esse potest Dei mentio, modò cum debito obsequio fiat. At difficillimum est obsequio non deesse, si frequenter jurando usurpetur. Si nullâ necessitate, soloque usu juras, nullo negotio pejerabis (s); id quod innumeris usu venit, qui sanctissimum hoc nomen, Angelis, ac Dæmonibus formidandum idcircò solùm pronunciant, ut eo abutentes spernant. *Falsa juratio exitiosa est, vera juratio periculosa est, nulla juratio secura est*, ait S. Augustinus (t). Vulgata hæc addidit ℣. 10: *Nominibus Sanctorum non admisceäris*. Potat Grotius, Interpretem habuisse in animo morem Christianorum non optimorum, per Apostolos jurantium, quos irridens Paganus Poëta scribit:

Per cineres Pauli, per cani limina Petri.

Mihi tamen eorum potiùs superstitionem notare videtur, qui per Angelos jusjurandum nuncupabant (u); neque enim mihi persuasum est, antiqui Interpretis ætate, scilicet Christianæ Religionis exordio, per Apostolorum cineres, ipsorumque limina jurari consuevisse.

℣. 11. Sicut enim servus interrogatus (x) assidue, a livore non minuitur, vibices tergo fert; sic omnis jurans, et nominans, in toto a peccato non purgabitur. Ut iterati ictus, quibus servus vapulat, totum corpus vibicibus pingunt; ita jurandi consuetudo diuturna peccati vestigia in animâ relinquit; hominemque ad perjurium ac mendacium parat, atque in animæ mortem inducit. Jusjurandum apud Veteres quæstionis genus homini libero habebatur. E servis veritas cruciatibus exprimebatur; e liberis jurejurando, vel sacerdotis testimonio (y).

℣. 12. Non discedet a domo illius plaga. Apud veteres Ethnicorum Philosophos persuasum habebatur, jurisjurandi usum, quamvis rectum atque innoxium, si frequentior sit, supplicio non carere, atque a Deo puniri (z); quamobrem non nisi rarò atque ægrè jurabant.

℣. 13. Et si frustraverit, delictum illius super illum erit: si dissimulaverit, duplicis peccati reus erit. Græcus (a): *Quòd si neglexerit*. Hæc locutio, *Delictum illius super ipsum erit*, in Moyse (b) loquitur, pro, pœnam peccati feret, ab Judice damnabitur, si damnetur, ac reus probetur; vel a Deo, si hominum severitatem effugiat. Qui contemptum perjurio jungit, duplicis peccati, duplicisque supplicii reus est.

℣. 14. Et si in vacuum juraverit, non justificabitur. In vacuum jurare duplici sensu accipitur: I, cùm nullâ necessitate, aut utilitate, soliusque consuetudinis causâ juratur; II, cùm falsa jurejurando asseruntur. Utrumque verò vetitum est; neque innoxius coram Deo futurus est, qui ita juraverit. Lege interdicit Deus, nequis frustra juret (c); plures tamen doctissimi Interpretes putant, *frustra* pro *falsò* usurpari (d). Atque hoc sensu usurpandum hìc esse arbitror. Censet Grotius, hìc eos damnari, qui joco jurant, ac promittunt, nullâ seriâ voluntate promissa præstandi: id enim ipsos coram Deo innoxios minimè facit.

℣. 15. Est

(p) Ἁμαρτωλὸς, καὶ λοίδορος καὶ ὑπερήφανος σκανδαλισθήσονται ἐν αὐτοῖς. (q) Ὅρκῳ μὴ ἐθίσῃς τὸ στόμα σου, καὶ ὀνομασίᾳ τοῦ ἁγίου μὴ συνεθισθῇς. (r) *Sanctus* pro *Deo* usurpatur tum hic, tum *Isai.* xxx, 12, 15; *Ezech.* xxxix, 7. (s) *Author Operis imperfecti in Matth. homil.* 12: *Nisi juramentum interdicatur, non possunt amputari perjuria*. (t) *August. de Verbis Apostoli, olim serm.* 28, *nunc serm.* 80, *de Verbis Apost. Jacob.* v, *n.* 4. (u) *Coloss.* II, 18. *Vide Theodoret. in hunc loc. Tertull. de præscriptionib. c.* 43, *&c. Vide &* Basnage, Histoire des Juifs, l. 6, c. 12, *edit. Paris.*

(x) Ἐξεταζόμενος ἐνδελεχῶς, *Assidue tortus*. *Vide Sap.* I, 9, 11, 19; *Eccli.* XVI, 28; *Act.* XXII, 24.

(y) *Plutarch. Problem.* (z) *Hesiod.*

Ὅρκον θ' ὃς δὴ πλεῖστον ἐπιχθονίοις ἀνθρώποις
Πημαίνει, ὅτι κὶν τις ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσῃ.

(a) Κἂν ὑπερίδῃ, ἥμαρτε δισσῶς. (b) *Levit.* v, 1; 2, 17; XVII, 16; XIX, 8; XX, 17, 19, 20, *&c.* (c) *Exod.* xx, 7. (d) *Vide Exod.* XXIII, 1. לא תשא שמע שוה *Et Deut.* v, 11, 20; xv, 31; xxxv, 53; *Psal.* XI, 3; *Prov.* xxx, 8, *&c.*

℣. 15. Est & alia loquela contraria morti: non inveniatur in hæreditate Jacob.

℣. 16. Etenim a misericordibus omnia hæc auferentur, & in delictis non volutabuntur.

℣. 17. Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum: est enim in illâ verbum peccati.

℣. 18. Memento patris & matris tuæ: in medio enim magnatorum consistis:

℣. 19. Ne forte obliviscatur te Deus in conspectu illorum, & assiduitate tuâ infatuatus, improperium patiaris, & maluisses non nasci, & diem nativitatis tuæ maledicas.

℣. 20. Homo assuetus in verbis improperii, in omnibus diebus suis non erudietur.

℣. 21. Duo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram & perditionem.

COMMENTARIUS.

℣. 15. Est et alia loquela contraria morti (e), quæ mortis loquela est; vel potiùs, quæ morti respondet, ipsique par & æqualis est. Græcus (f): *Est sermo amictus morte*. Flagitium, quod silet Sapiens, atque optat ne in Jacobi hæreditate inveniatur, fortasse blasphemia est (g), ita omnibus odiosa, ut vel ipsum illius nomen pronunciare vereatur. At illam satis significat, cùm morte amictam esse dicit, scilicet mortis supplicio affici apud Israëlitas. Hujus criminis reum lapidibus damnat Moyses (h), causâ minimè peractâ, ubi impia verba audiebantur. Aliis esse creditur sermo, homines cæteros in errorem, atque in numinum superstitionem trahentis (i). Id verò scelus morte puniebatur. Sunt quibus *sermo respondens morti* est calumnia, & irrogata cæteris contumelia. Vide ℣. 17; & *Levit.* XIX, 12, 13, 14.

℣. 16. Etenim a misericordibus omnia hæc auferentur. Vel: Deus pietatis suæ beneficio hæc mala a piis hominibus removebit. Pios ac misericordes nuncupat Israëlitas, qui interdum sancti appellantur, electionis causâ, quippe quos Deus populum suum esse voluerit. *Misericordes* iidem sunt, qui apud Hebræos *Hasidim* (k), sive *Assidai*; quo nomine frequenter Hebræi, præsertim post captivitatem (l), distinguebantur.

℣. 17. Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati; nunquam enim peccato caret. *Verbum* hìc idem est ac *res*, res peccati, Hebraicè pro vero peccato. Græcus legit (m): *Probrosa petulantia ne assuefaciat os tuum; est enim in eâ sermo peccati*. Complutensis editio: *Jurandi petulantia ne assuefacias os tuum*. Prior tamen lectio cum Vulgatâ melius congruit. Ac superiùs Author de jurejurando jam egerat. Hic pudicitiam, modestiam, ac sermonis honestatem commendat; jubetque vitari omnia, quæ illis nocent. Ex impudicâ oratione ad impudicas res brevis est via: nihilque alienum ab homine est, quem pudor non coërcet.

℣. 18. Memento patris et matris: in medio enim magnatorum consistis. Vel: Parentum reminiscere; ubi enim inter illos es, veluti inter Principes sedeas. Illud obsequium ac venerationem exhibere illis debes, quod Principum cœtui exhiberes. Vel: Ne unquam parentum obliviscere, quamvis longè maximâ, quàm illi, fortunâ fruaris (n). Græcus (o): Ne parentum obliviscere: *in medio enim summatum sedebis*. Tuo erga parentes obsequio atque obedientiæ præmium feret Deus, nobilissima munera, supremosque Magistratus (p). Si debito illis obsequio dees, statim ad Judicem delatus causam dicere cogêris.

℣. 19. Ne forte obliviscatur te Deus in conspectu illorum Magnatum, et assiduitate tua infatuatus, improperium patiaris. Græcus paulo brevior (q): *Ne venias in oblivionem coram illis*, quorum favore superbiens parentes neglexisti; *& consuetudine* hac malâ *flaccescas*, marcescas; vel, ex aliis Codicibus, *infanias*. Grotius hunc versiculum jungit cum superiore in hanc sententiam: *Memor esto patris ac matris tuæ, etiamsi inter summates viros considea; noli, cùm apud illos es*, illorum *oblivisci, ac consuetudine* hac malâ *desipere, aut optare, te non esse natum* ex hisce parentibus, *aut exsecrari diem natalem*. Hæc aptissima in hunc locum videntur; neque magnoperè discrepat Syrus.

℣. 20. Homo assuetus in verbis improperii, in omnibus diebus suis non erudietur. Quis enim illum monitis castigare, aut pessimo illius ingenio, & contumeliis, quibus afficere cæteros solet, fieri obnoxius audeat? Hac consuetudine nulla perniciosior; cæteræ enim medicinam saltem patiuntur, hæc nullam.

℣. 21. Duo genera hominum abundant in peccatis: et tertium adducit iram et perditionem. I, iracundus, *Anima calida*, ℣. 22. II, is qui libidinem amat, *Homo nequam in ore carnis suæ*, ℣. 23. III, denique adulter, *Homo qui transgreditur lectum suum*, ℣. 25. Novum orationis argumentum. Quæ hactenus disputata sunt, ad

(e) *Lyr. legit*: Contraria in mortem. *Alii*: E contrario in mortem. (f) Ἀντιπεριβεβλημένη θανάτῳ. *Vulg. legit*. Ἀντιπαραβεβλημένη. (g) *Raban. Lyran. Jans. Palac. Grot. alii*. (h) *Levit.* XXIV, 14; *Joban.* X, 31. (i) *Deut.* XIII, 1, 6. (k) חסידים Εὐσεβεῖς. (l) *Vide Psal.* XXX, 24; XXXI, 6; XLIX, 5; LI, 11; LXXVIII, 2; LXXXIV, 9; CXLIV, 10, *&c. Vide & 1 Maccab.* II, 42: *Synagoga Assidæorum*. VII, 17; *& 2 Macc.* XIV, 6, *&c.* (m) Ἀπαιδευσίαν ἀσυρῆ μὴ συνεθίσῃς τὸ στόμα σου, ἔστι γὰρ ἐν αὐτῇ λόγος ἁμαρτίας. *Complut.* Ἀκολασίᾳ ὅρκων μὴ ἐθίσῃς, *&c.* (n) *Lyr. Vatab. Grot. Palac. alii*. (o) Ἀνὰ μέσον γὰρ μεγιστάνων συνεδρεύσεις. (p) *Bossuet. hîc*. (q) Μήποτε ἐπιλάθῃ ἐνώπιον αὐτῶν, καὶ τῷ ἐθισμῷ σου μαρανθῇς. *Rom. Ald.* Μωρανθῇς. *Et ita legit Vulg.*

℣. 22. Anima calida quasi ignis ardens, non extinguetur, donec aliquid glutiat:

℣. 23. Et homo nequam in ore carnis suæ non desinet, donec incendat ignem.

℣. 24. Homini fornicario omnis panis dulcis, non fatigabitur transgrediens usque ad finem.

℣. 25. Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, [contemnens in animam suam,] & dicens: Quis me videt?

℣. 26. Tenebræ circumdant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus.

℣. 27. (Et non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius, quoniam expellit a se timorem Dei hujusmodi hominis timor,) & oculi hominum timentes illum:

℣. 28. Et non cognovit, quoniam oculi Domini multò plus lucidiores super solem, circumspicientes omnes vias hominum, [& profundum abyssi, & hominum corda] intuentes in absconditas partes.

℣. 29. Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia.

COMMENTARIUS.

ad linguam pertinent: quæ sequuntur, libidinem exagitant.

℣. 22. Anima caliða quasi ignis ardens. Is est, uti diximus, homo iracundus (r). Aliis (s) est avarus, opum cupiditate æstuans; vel, is qui libidine ardet (t); ita ut in tribus hisce hominum generibus, a Sapiente propositis, tria sint intemperantiæ genera; I, is qui impuris ignibus æstuat, malasque animi sui libidines sectatur: II, is qui agit turpia: III, adulter. Suum est huic explicationi pretium. Vatablus de irâ, odio, avaritiâ, ambitione, &c. interpretatur, quæ sunt pessimæ hominis cupiditates. Græcus (u): *Anima calida ut ignis ardens, non extinguetur donec absorpta fuerit*, consumpta; vel, donec ipse ignis extinctus fuerit. Ignis est, sed rapidissimus ac voracissimus, qui minimè extinguitur.

℣. 23. Homo nequam in ore carnis suæ, qui corpore suo abutitur, non desinet donec incendat ignem. Impudicus amor ignis est semper crescens. Re amatâ potitus, nedum non extinguitur, verùm etiam irritatur ac magis ardet; veluti si igni ardenti aridam materiam injicias. Græcus (y): *Homo scortator in corpore carnis suæ, non desinet donec accenderit ignem*. Qui hoc flagitii genus sectatur, non facilè recedet, nisi ignem toto corpore excitaverit, quo consumatur. Morbos significat, qui ex libidine oriuntur. Vide *Eccli.* XIX, 3; & *Prov.* V, 11.

℣. 24. Homini fornicario omnis panis dulcis. Illud solummodò quærit, ut libidini satisfaciat. Nihil respuit, dum cœno mergatur. Neque illum amor, sed turpissima cupiditas ceu servum rapit. Leges, pudorem, hominum metum, omnia negligit. En graphicam scortatoris descriptionem. Tunc furere aliquantisper cessat, cùm voluptas sua illi aut licita est, aut minimo labore comparatur. Ardua & vetita libidinem irritat (y): *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior*.

℣. 25. Omnis homo qui transgreditur lectum suum, contemnens in animam suam, vitæ discrimini objicitur, dum libidini serviat, et dicens: Quis me videt? Græcus (z): *Dicens in animâ suâ: Quis me videt?* Dicitur hic apud Vulgatam *contemnere animam suam*, seu vitam, quòd sese adulterii pœnis obnoxium faciat, infamiæ, probro, mariti iræ, ac demum neci; apud Hebræos enim adulterii pœna mors erat (a). Vide superiùs, II, 13.

℣. 27. Et non intelligit quoniam omnia videt oculus illius. Hæc in Græco non habentur, præter ea verba (b): *Et oculus hominum timor illius* est: homines solùm veretur. Ea porrò gravissima est hominum cæcitas, quòd mortalium oculos timeant, eorumque judicium formident, conspectum fugiant, atque in tenebris delitescant: Dei oculos, omnia inspicientes, quos nulla nox impedit (c), minimè vereantur. *Dixi: Forsitan tenebræ conculcabunt* (abscondent) *me: at nox illuminatio mea* (lux circa me est) *in deliciis* (voluptatibus) *meis: at tenebræ non obscurabuntur a te* (tibi o Deus, obscuræ non erunt), *& nox sicut dies illuminabitur* (nox tibi fulget uti dies).

℣. 28. Et non cognovit quoniam oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem. Græcus paulo brevior: *Neque novit, oculos Domini Altissimi decies millies sole lucidiores esse, inspicientes omnes vias hominum, & noscentes partium terræ abstrusissimas*. Solem omnia intueri atque audire, veteres Poëtæ ajebant (d). Idem verò sol tenuissima est ejus virtutis imago, qua Dei Spiritus omnia pervadit atque comprehendit. Ubique es, o Deus, ait S. Augustinus (e): *sentiri*

(r) *Grot. Cornel. a Lapide*. (s) *Raban. Lyran. Palac. Jansen.* (t) *Bossuet. in hunc loc.* (u) Ψυχὴ θερμὴ ὡς πῦρ καιόμενον, οὐ μὴ σβεσθῇ ἕως ἂν καταποθῇ. (x) Καὶ ἄνθρωπος πόρνος ἐν σώματι σαρκὸς αὐτοῦ, οὐ μὴ παύσηται, ἕως ἂν ἐκκαύσῃ πῦρ. *Vulg. legit*: Ἄνθρωπος πονηρὸς ἐν στόματι σαρκὸς αὐτοῦ.
(y) *Prov.* IX, 17. (z) Λέγων ἐν τῇ ψυχῇ αὐτοῦ, τίς με ὁρᾷ; (a) *Levit.* XX, 10. (b) Καὶ ὀφθαλμὸς ἀνθρώπων ὁ φόβος αὐτοῦ. (c) *Psal.* CXXXVIII, 11. (d) Ὁ ἥλιος ὃς πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει.
(e) *Aug. in Speculo*, c. 4.

℣. 30. Hic in plateis civitatis vindicabitur, (& quasi pullus equinus fugabitur:) & ubi non speravit, apprehendetur.

℣. 31. (Et erit dedecus omnibus, eò quòd non intellexerit timorem Domini.)

℣. 32. Sic & mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio.

℣. 33. Primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit; secundò in virum suum deliquit: tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi.

℣. 34. Hæc in ecclesiam adducetur, & in filios ejus respicietur.

℣. 35. Non tradent filii ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum.

℣. 36. Derelinquet in maledictum memoriam ejus, & dedecus illius non delebitur.

℣. 37. Et agnoscent, qui derelicti sunt, quoniam nihil melius est, quàm timor Dei: & nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Domini.

℣. 38. Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo.

COMMENTARIUS.

tiri potes, videri non potes: qui nusquam dees, & ab iniquorum cogitationibus longè es. Quia ubi non es per gratiam, ades per vindictam... Qui ubique præsens es, & inveniri vix potes. Quem stantem sequimur, & apprehendere non valemus. Qui tenes omnia, circumplecteris omnia, superexcellis omnia, sustines omnia.

℣. 30. HIC IN PLATEIS CIVITATIS VINDICABITUR. Dei obtutum sese latère posse censuit adulter: in tenebris delituit: at efficiet Deus, ut mediâ in luce sit, ejusque flagitia palam proferantur. Publico in foro flagitii sui pœnam feret: ex Lege lapidibus conficietur *(f)*. Hæc quæ fert Vulgata, *& quasi pullus equinus fugabitur*, in Græco desunt.

℣. 32. SIC ET MULIER OMNIS RELINQUENS VIRUM SUUM, ET STATUENS HÆREDITATEM (hæredes marito pariens) EX ALIENO MATRIMONIO, quæ alterius viri filios in familiam induxit. Eodem supplicio afficiebantur mœchus & adultera *(g)*. In iis quæ sequuntur, hujus flagitii atrocitatem prosequitur, ac formidabilem illius pœnam narrat. ℣. 34: *Hæc in ecclesiam adducetur, & in filios ejus respicietur*, inquisitio fiet de filiis. Denique minitatur, Dei furorem in ipsius familiam ac memoriam sæviturum. ℣. 35: *Non tradent filii ejus radices, & rami ejus non dabunt fructum*. Confer locum Sapientiæ, IV, 3: *Adulterina plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.*

℣. 38. LONGITUDO ENIM DIERUM ASSUMETUR AB EO. Græcus *(h)*: *Longævitas* est, *protegi ab eo*, Deo. Si te tuetur Deus, longævam beatamque vitam tibi pollicere.

CAPUT XXIV.

Sapientiæ elogium ab ipsâ recitatum. Sapientiæ origo, gesta, sedes, sublimitas. Qui Sapientiam quærunt ac sectantur, beati. Salomonis laus: ejusdem sapientia & eruditio.

℣. 1. SApientia laudabit animam suam, [& in Deo honorabitur,] & in medio populi sui gloriabitur.

COMMENTARIUS.

℣. 1. SAPIENTIA LAUDABIT ANIMAM SUAM *(a)*, se ipsa laudabit, ET IN MEDIO POPULI SUI GLORIABITUR. Una sibi laudes, quas meretur, dicere potest Sapientia. Suam ipsa præstantiam, eruditionem, dignitatem una cognoscit. Sapiens, Salomonem toto octavo Proverbiorum capite, & Authorem Sapientiæ *(b)* imitatus, Sapientiæ elogium recitat; ejusque originem operumque magnificentiam describit. Illam verò ceu reginam exhibet venustissimam, omnique virtutum genere præditam, homines, ac præsertim Israëlitas vocantem, ut sese quærant, suis ipsius fructibus satientur, atque opibus expleantur.

Ex Ethnicis Philosophi nihil frequentiùs jactabant, quàm Philosophiam, eruditionem, eloquentiam, qua ipsi instruebantur. His objicit Sapiens

(f) *Levit.* XX, 10: *Morte moriantur mœchus & adultera.*
(g) *Vide Levit.* XX, 10; *& Joan.* VIII, 3, *& seq.* (h) Μακρότης δὲ ἡμερῶν τὸ προληφθῆναί σε ὑπ' αὐτοῦ.
(a) Ἡ σοφία αἰνέσει ψυχὴν αὐτῆς. (b) *Sapient.* VII, 24, 25, *& seq.* VIII, 1, 2, *& seq.*

℣. 2. Et in ecclesiis Altissimi aperiet os suum, & in conspectu virtutis illius gloriabitur.

℣. 3. [Et in medio populi sui exaltabitur, & in plenitudine sanctâ admirabitur.

℣. 4. Et in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur, dicens:]

℣. 5. Ego ex ore Altissimi prodii, [primogenita ante omnem creaturam.

℣. 6. Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens,] & sicut nebula texi omnem terram.

℣. 7. Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columnâ nubis.

℣. 8. Gyrum cœli circuivi sola, & profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi,

℣. 9. Et in omni terrâ steti: & in omni populo,

COMMENTARIUS.

piens Hebræorum sapientiam, longè vetustissimam, sublimissimam, nobilissimam, ac denique pulcherrimam, quàm Græcorum Philosophiam; quippe quæ in pietate, sive Dei timore, ac Mosaicæ Legis studio exercitioque versatur. Illâ Deus sanctissimum Legislatorem instruxit, ac deinde uberiùs Salomonem, Regum sapientissimum. Neque omnibus indiscriminatim gentibus illa conceditur; ipse enim hæreditatis loco Israëlem, domicilium verò Jerosolymam elegit. Sapientiæ palatium, Dei Templum est; suaque ibi dogmata & leges ipsa tradit. Hæc toto hoc capite disputantur. Elogii artificium nobilissimum est, & oratio, quâ Hebræos ad sapientiæ studium vocat, ipsamque sapientiam toti profanorum Philosophiæ præfert, mirâ arte concinnata est, omnesque lepóres habet. Romana editio Græci in fronte Capitis hunc titulum fert (c): SAPIENTIÆ LAUS.

℣. 2. IN ECCLESIIS ALTISSIMI APERIET OS SUUM. Non ubique verba facit vera Sapientia, cujus elogium hìc recitatur. Frustra vel in Atheniensibus, vel in Alexandrinis scholis illam quæris: quippe in unis electæ a Deo gentis cœtibus, in urbe Jerosolymâ, in Templo, in Hebræorum Synagogis, quæ *Ecclesia Altissimi*, & *conspectus virtutis illius* appellantur, concionem habet. Reddi potest (d): *In Concilio Altissimi, & coram virtute illius*, Templo scilicet, loco, ubi Deus vires suas suamque Majestatem maximè conspicuam facit. Versiculos 3 & 4 non habet Græcus, utpote qui eadam ferant, quæ duo priores versiculi habent.

℣. 5. EGO EX ORE ALTISSIMI PRODII, PRIMOGENITA ANTE OMNEM CREATURAM, &c. Græcus pro versiculis 5 & 6 (e): *Ego ex ore Altissimi exivi, & sicut nebula cooperui terram*, vel sicut pruina. Nobilius profectò aut gloriosius generis sui initium prædicare non poterat Sapientia. Dei sermo sum; atque ex ipsius ore prodiens, neque otiosa fui neque sterilis: terram omnem ceu nebulâ operui. Alludit ad tenebras, quibus rerum initio chaos obvolvebatur (f), atque ad Spiritum, qui super aquas movebatur; post quæ statim lux condita est: *Tenebræ erant super faciem abyssi, & spiritus Dei ferebatur super aquas; dixitque Deus: Fiat lux: & facta est lux.*

Quæ hìc dicuntur, Interpretes (g) passim de increatâ Sapientiâ, secundâ Trinitatis Personâ, humanis membris in Mariæ ventre indutâ, interpretantur. Ecclesia longo jam usu de ipsâ Christi parente Mariâ in Officio, mystico tamen ac tropico sensu, recitat. Verus tamen hujus loci sensus ad verbum exigit, ut de eâ sapientiâ intelligatur (h), qua Deus sapientis piique ac religiosi hominis mentem replet; vel, si mavis, de fide, pietate, salutis scientiâ, charitate, quam Deus hominibus largiens, verè sapientes facit. Eadem sapientia singulos homines ad hanc vitam primùm venientes illustrat, ex ore Altissimi egreditur, & creationis opificio præest.

℣. 6. LUMEN INDEFICIENS; lux, quam Deus initio condidit (i), & quarto die soli atque astris dedit. Ea naturæ suæ vi & mutationi obnoxia est, & deficere potest: at nunquam desiit, eamdemque semper & vim & pulcritudinem servavit: *Lumen indeficiens*. Hoc in Græco deest.

SICUT NEBULA TEXI OMNEM TERRAM. Ego ipsa rerum initio totum chaos ceu nebulâ operui: *Et tenebræ erant super faciem abyssi*. Genes. 1. Hæ igitur tenebræ densissima nubes fuere, ex qua deinde aquæ inferiores ac superiores coaluerunt.

℣. 7. EGO IN ALTISSIMIS HABITAVI, ET THRONUS MEUS IN COLUMNA NUBIS. Sapientiæ sedes cœlum est: Altissimo adsidet, omnibusque illius consiliis adest (k): regnum ibi obtinet, sacris tenebris nubibusque ac venerabili obscuritate condita & obvoluta. Dei solium in nubibus esse, ipsasque nubes currum Deo ministrare, tradit Scriptura (l). Fortasse etiam hoc dicere vult Sapientia, se fuisse in eâ columnâ ex nube, quæ Israëlitas in solitudine ducebat (m).

℣. 8. GYRUM COELI CIRCUIVI SOLA, ET PROFUNDUM ABYSSI PENETRAVI. Astra ordine disposui, suumque illis iter in Cœlo constitui: cùm conderentur ac distribuerentur, præfui (n). Ego maris undas intra eos limites, quos occupant, coërcui: quàm profundæ sint, & quàm latæ, ipse novi. His verbis Sapientia docet, quanta sit vetustas sua, vis, imperii & cognitionis amplitudo.

℣. 9. ET IN OMNI TERRA STETI, ET IN OMNI POPULO, 10. ET IN OMNI GENTE PRIMATUM HABUI. Græcus brevioribus verbis (o): *Ambulavi in fluctibus maris, & in omni terrâ, in omni populo, & gen-*

(c) ΑΙΝΕΣΙΣ ΣΟΦΙΑΣ. (d) Ἐν ἐκκλησίᾳ ὑψίστου, . . . καὶ ἔναντι δυνάμεως αὐτοῦ.
(e) Ἐγὼ ἀπὸ στόματος ὑψίστου ἐξῆλθον, καὶ ὡς ὁμίχλη κατεκάλυψα γῆν. (f) *Genes.* 1, 2. *Vide & Job*, XXXVIII, 9. (g) *Raban. Lyran. Palacius, Cornel. a Lapide. Vide & Ambros. lib.* 1 *de Fide*, c. 7, & *lib.* 4, c. 4. (h) *Vide Cornel. a Lapide, hìc, & maximè in Eccli.* 1, 4. (i) *Genes.* 1, 3.
(k) *Sap.* 12, 4, 10. (l) *Psal.* XVII, 11; XCVI, 2; *Isai.* XIX, 1; *Job*, XII, 14. (m) *Exod.* XIII, 21.
(n) *Lyran. Grot.* (o) Περιεπάτησα ἐν κύμασι θαλάσσης, καὶ ἐν πάσῃ τῇ γῇ, καὶ ἐν παντὶ λαῷ, καὶ ἔθνει ἐκτησάμην.

℣. 10. Et in omni gente primatum habui.
℣. 11. (Et omnium excellentium,& humilium corda virtute calcavi:) & in his omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Dñi morabor.
℣. 12. Tunc præcepit, & dixit mihi Creator omnium: & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo,
℣. 13. Et dixit mihi: In Jacob inhabita, & in Israël hæreditare, (& in electis meis mitte radices.)
℣. 14. Ab initio, & ante sæcula creata sum, & usque ad futurum sæculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministravi.
℣. 15. Et sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea.
℣. 16. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.
℣. 17. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, & quasi cypressus in monte Sion.
℣. 18. Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Jericho.

COMMENTARIUS.

& gente possessionem, imperium *habui*. Immensa est imperii mei amplitudo; mea est terra omnis, meique sunt populi; Regibusque ac Principibus seu legatis ac servis utor (p): *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt.*

℣. 11. ET IN OMNIBUS REQUIEM QUÆSIVI: ET IN HÆREDITATE DOMINI MORABOR. Optio inter omnes orbis gentes mihi habenda erat, cùm omnes imperio meo serviant. At gratuito prorsus beneficio Jacobum mihi sedem elegi, ibique domicilium mihi soliumque constitui. Beneficium, quo ipsa Hebræos prosequuta est, cæteris gentibus exclusis, commendat Sapientia; simulque docet, cæteras gentes nullo jure sapientiâ gloriari, cùm ipsa nonnisi in Israële consideat.

℣. 12. TUNC PRÆCEPIT MIHI CREATOR OMNIUM ..... ET DIXIT MIHI: IN JACOB INHABITA. Græcus ℣℣. 11, 12, 13, fert: *Post hæc omnia requiem quæsivi*, & cogitavi, *cujus in hæreditate morarer.* (12) *Tunc conditor universi præcepit mihi, & qui creavit me, fixit tabernaculum meum.* (13) *Et ait: In Jacob habita, & in Israël habeto hæreditatem.* Se a Deo creatam fatetur Sapientia, Dei mandata excipit, ac nonnisi ex Dei sanctione sedem figit. Hæc Israëlis gloriæ magnopere serviunt, quippe cui Deus Reginam, Dominamque Sapientiam dederit, cæteris interim terrarum gentibus intra mortis umbras versantibus. Sapientiæ nomine hìc veram Religionem præsertim, & Dei notitiam, cultumque intelligi, satis vides. Optimè etiam de Verbo a Patre genito accipitur (q).

℣. 14. AB INITIO ET ANTE SÆCULA CREATA SUM. Æterna Sapientia, Verbum ejusdem cum Patre substantiæ, creatum non est, ut impiissimè docebant Ariani, si de creatione propriè dictâ intelligas; sed a Patre genitum ab æternitate. Æterna Sapientia, Angelis hominibusque ab initio concessa, ante omnium sæculorum initium genita est; antequam scilicet quidquam creatarum rerum fieret; ipsa enim Conditori adfuit, cùm corporeas hasce naturas ille crearet. Proverbiorum locum apertè spectat Sapiens (r): *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret.* Vel ex Hebræo: *Dominus possedit me, initium operum suorum*, rerum creatarum caussam & principium.

ET IN HABITATIONE SANCTA (Templo) CORAM IPSO MINISTRAVI. Sacerdos quodammodò illius & ancilla fui. His verbis magnificentiam, dignitatem, ordinemque in Templo servatum miro artificio commendat, cùm præesset sacris ritibus Sapientia, sacrosque Ministros ipsa moderaretur.

℣. 15. ET SIC IN SION FIRMATA SUM. Hæc caussa fuit, cur domicilium Sione locarem, sedemque in urbe Jerosolymâ eligerem: primò Dei imperium; secundò, honor Deo serviendi in ipsius Templo.

℣. 16. ET RADICAVI IN POPULO HONORIFICATO, ET IN PARTE DEI MEI HÆREDITAS ILLIUS; in populo, cujus pars in Dei hæreditate est. Græcus (s): *Et radices egi in populo gloriâ illustri, in parte, quam Dominus hæreditatis nomine elegit.* Quæ sequuntur, *Et in plenitudine Sanctorum detentio mea*, in Græco desunt. Radices agere usurpatur pro confirmari, perpetuam sedem & familiam habere. Hoc dicere vult Sapientia, sese Discipulos & clientes sibi comparasse inter Hebræos, gentem nobilissimam, & gloriosam. *En populus sapiens & intelligens, gens magna* (t).

℣. 17. QUASI CEDRUS EXALTATA SUM IN LIBANO. Omnium quas novimus arborum procerissima erat cedrus. Ea in Libano præsertim proveniebat, circa Tripolin, ubi adhuc aliquæ cedri conspiciuntur. Hanc arborem alibi descripsimus.

QUASI CYPRESSUS IN MONTE SION. Sionem hìc non intellige montem, cujus in vertice Templum conditum est, sed alium ejus nominis montem trans Jordanem, in montibus Hermon. Quamobrem Græcus hoc loco legit (u) *Hermon*, non *Sion*. Sion hic in Moyse (x), & in Psalmis (y) notus est.

℣. 18. QUASI PALMA EXALTATA SUM IN CADES. Cades Arabiæ Petreæ locus erat, idem qui Ca-

(p) *Prov.* VIII, 15. (q) *August. lib.* 1 *de Trinit. c.* 12: *Non enim aliud est mandatum Patris, aliud Verbum Patris, nam & Verbum hoc appellavit & Mandatum.* (r) *Prov.* VIII, 22. (s) Καὶ ἐρρίζωσα ἐν λαῷ δεδοξασμένῳ, ἐν μερίδι Κυρίου κληρονομίας αὐτοῦ. (t) *Deut.* IV, 6. (u) Καὶ ὡς κυπάρισσος ἐν ὄρεσιν Ἀερμών. (x) *Deut.* IV, 48.
(y) *Psal.* CXXXII, 3.

℣. 19. Quasi oliva speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum (juxta aquam in plateis.)

℣. 20. Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℣. 21. Et quasi storax, & galbanus, & ungula, & gutta, & quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem meam, (& quasi balsamum non mistum odor meus.)

COMMENTARIUS.

Cades-barne apud Numeros (z). Utrùm ferax palmarum esset, nusquam legimus. At Græcus fert (a): *Ut palma Engaddi*. Porrò Engaddi locus est in Scripturâ notus (b), ubertate nobilis, hortisque balsami feracibus, olim celeberrimis (c). Nemorum palmis consitorum meminere Plinius (d) & Solinus, utpote adhuc ætate suâ nobilissimorum: *Inclytis nemoribus durat decus, locisque palmarum eminentissimis nihil vel aevo vel bello derogatum*, inquit Solinus (e).

Quasi plantatio rosæ in Jericho. Jerichuntis rosæ in arbore proveniunt, quæ similis sambuco est: primùm rubra est, fit deinde subalbida, & corruptionis expers; quamobrem si aridam quolibet tempore in aquâ ponas, post certum tempus explicatur; ubi abstuleris, clauditur, uti nos experimento didicimus. Vicinus Jerichuntis ager hac arbore passim scatet; quamquam in aliquibus etiam Arabiæ locis nascitur. Neque rosa est nostræ similis, sed flori sambuceo, ac ramo plures flosculos ferenti. Hanc ab Ecclesiastico significari, non asseruerim, quippe quæ neque venustate, neque raritate, neque odore præstat: at hæc certè est, quam rosam Jerichuntis appellant. Joannes Sturmius Medicinæ Doctor Lovaniensis integrum de rosâ Jerichuntis librum scripsit.

℣. 19. Quasi platanos juxta aquam in plateis. Ut platani, quæ in magnarum urbium plateis videntur, secùs fontes aut rivos. Alibi animadvertimus, in ferventibus regionibus arbores in urbibus publicisque foris amari, æstûs levandi causâ. Platanus pulcra & ampla est arbor, rivos amans, amplissimis frondibus, quæ mirum in modum explicatur, suavissimam umbram ramis faciens. Ea vox, *in plateis*, in Græco deest.

℣. 20. Sicut cinnamomum odorem dedi. Cinnamomum arbuscula est, odorato cortice. Putat Matthiolus, cinnamomum in Arabiâ, uti balsamum in Judæâ defecisse, & ab aliquo tempore nusquam esse. Nihil cinnamomo similius quàm ea quam *canellam* dicimus. At vulgo creditur hæc cinnamomi genus esse, quamquam specie differens.

Sicut balsamum aromatizans, pretiosissimum, ac maximè aromaticum & fragrans. Opobalsami arborem communem in Judæam fuisse, atque ejus regionis opobalsamum omnium fuisse celeberrimum, neminem latet. Narrat Josephus (f), ætate suâ vulgarem gentis suæ fuisse opinionem, Reginam Saba hoc arboris genus dono dedisse Salomoni. Sunt qui putent, Salomonem in Cantico (g) hujus arboris meminisse, ubi de *vineis Engaddi* loquitur. Legitur etiam in Ezechiele, sub nomine *pannag*, si Vulgatam & Chaldæum sequeris. Scribit Plinius (h), balsamum uni terrarum Judææ concessum esse, quondam in duobus tantùm hortia. Arbor viti similis est: malleolis seri dicitur, nuper vincta ut vitis; & implet colles vinearum modo, quæ sine adminiculis se sustinent. Folium proximum rutæ, perpetua coma: proceritas intra bina cubita subsistit. Inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis. Ferro lædi vitalia odit: emoritur protinus. Succus e plagâ manat, quem opobalsamum vocant, tenui guttâ, & parva colligitur in cornua. Crassiori similis oleo est, & in musto candida. Rubescit deinde, simulque durescit e translucido. Post Plinii ætatem, eadem arbor in Jerichuntis agro sata est (i). Olim etiam in Ægypto fuisse, tradunt Itineraria (k); ibique adhuc hortus ostenditur, olim hac arbore consitus.

Græcus fert (l): *Ut aspalathus aromatum*. Quædam etiam Latina Biblia, Rabanus, Lyranus, Jansenius Gandavensis legunt *aspalathum*. Vatablus mavult *palathum*, massam caricarum, quæ, inquit, in eâ regione sunt odoratissimæ. Aspalathus arbuscula est, gravis, solida, oleagina, acris, gustu amara, odorata. Ajunt Plinius & Aristoteles, tunc præsertim asphalathi odorem sentiri, cùm iris in cœlo curvatur (m). Eadem arbori aloës accedit virtute, sapore, odore, pondere, figurâ.

Sicut myrrha electa dedi suavitatem odoris. Myrrha liquor est odoratus, ex Arabiæ arbore manans. Duplex myrrhæ genus; alterum sponte e cortice arboris sudans, quod & præstantissimum; alterum ex eodem cortice, at inciso, vulnere quotannis bis renovato. Collectam in folles confasciunt servantque, eâque & medici utuntur & unguentarii.

℣. 21. Quasi storax, qui pinguis liquor est atque odoratus: arbor cotoneo malo similis. Storax hoc loco in Græco non legitur.

Galbanum, liquor ex arbusculâ ferulæ simili; ferula verò feniculo similis. Galbani arborem dat Syria in monte Amano. Præstantissimum in guttas fluit nitidas purasque: sapore austerum & amarum; odore acre ingratumque. Locum in unguentis nobilissimis habet.

Ungula. Onyx, sive unguis odoratus, piscis cujusdam testa est, purpuræ similis. Apud Indos invenitur, & spicâ nardi pascitur; hinc ipsius odor, cujus causâ quæritur. Leguntur, ubi paludes horum piscium feraces aruere.

Gutta, myrrha, Græcis *stacte*; myrrha sponte ex arboris cortice non inciso fluens. Ea est omnium præstantissima.

Quasi Libanus non incisus, ceu thuris gutta sponte manans, scilicet sine corticis plagâ: il-

lud

(z) *Num.* xx, 1; xxxiii, 36.

(a) Ὡς φοῖνιξ ἀνυψώθην ἐν Ἐγγαδδί. *Quid.* Ἐν γαδδί. *Alii:* Ἐν γαδσῖς. *Alii:* Ἐν αἰγιαλοῖς, *In littoribus*. *Ita Rom. Edit.* (b) *Cant.* 1, 14; 1 *Reg.* xxiv, 1; *Josue*, xv, 62. (c) *Hieron. de locis*. (d) *Plin. lib.* 5, *c.* 17. (e) *Solin. c.* 35. (f) *Joseph. Antiquit. lib.* 8, *c.* 2: Λέγουσι δὲ ὅτι τὴν τοῦ ὀποβαλσάμου ῥίζαν, ἣν ἔτι νῦν ἡμῶν ἡ χώρα φέρει, δούσης ταύτης τῆς γυναικὸς ἔχομεν.

(g) *Cant.* 1, 14. (h) *Plin. lib.* 12, *c.* 25. (i) *Justin. lib.* 36. (k) *Vide Petr. Mart. Legat. Babylon. lib.* 3, *fol.* 88, *verso*, & 90 *recto*. (l) Ὡς ἀσπάλαθος ἀρωμάτων. *Rom. Edit.* Ἀσπάλαθος ἀρωμάτων. (m) *Plin. lib.* 12, *c.* 24; *Arist. problem. Sect.* 12. *Vide & Dioscorid. lib.* 1, *c.* 19.

℣. 22. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos; & rami mei honoris, & gratiæ.

℣. 23. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris; & flores mei fructus honoris, & honestatis.

℣. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.

℣. 25. (In me gratia omnis viæ, & veritatis, in me omnis spes vitæ, & virtutis.)

℣. 26. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & a generationibus meis implemini:

℣. 27. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel, & favum:

℣. 28. (Memoria mea in generationes sæculorum.)

℣. 29. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.

COMMENTARIUS.

lud porrò pretiosissimum atque optimum. Græcus habet (n): *Quasi thuris odor in tabernaculo.*

Quasi balsamum non mistum odor meus. De balsamo egimus ℣. 20. Hæc verba Græcus non habet. Se similem prædicat Sapientia iis rebus, quæ in eâ regione maximi pretii sunt, & suavissimæ habentur: plurimi enim apud eas gentes hæc unguenta æstimantur.

℣. 22. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos. Terebinthus simillima lentisco est, tum ligno tum cortice; foliis fraxino, crassioribus tamen ac resinosis: flos fructusque racemosus olivæ modo. Apud Syros, terebinthus magna est, procera, ampla, & visu jucundissima.

℣. 23. Flores mei fructus honoris et honestatis, seu divitiarum (o). Huic Scriptori *honestus*, *honestas*, *honestare* usurpantur pro locupletare, divitiæ, dives. Vitis sum, florem odoratissimum, racemos sapore jocundissimos, vinum suavissimum & exquisitissimum ferens. Eos qui me tenent, honore, suavitate, opibus cumulo.

℣. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, casti & innoxii amoris, qui in Deum fertur; timoris Dei veræque pietatis; et agnitionis, scientiæ sanctorum, quæ solidas utilesque veritates quærit; et sanctæ spei, vel in Deum fiduciæ. Qui me habent, illos amat Deus, & sui amore ac timore, sublimibusque veritatibus complet. Ii denique suavissimâ spe aluntur, futurum ut aliquando ipso Deo absolutissimè fruantur. Hic versiculus in Editionibus Romanâ, Aldinâ, Basileensi non legitur.

℣. 25. In me gratia omnis viæ et veritatis. Hæc in Græco non sunt. Dicitur hîc Sapientia alumnis amicisque dare ut bene pièque vivant, ac veritatem æquitatemque sectentur: mentes illorum animosque illustrat, & justitiæ veritatisque amatores facit. Vitium inesse in Græco apud Codices videtur; atque ita restituit Grotius (p): *Do filiis meis omnibus, ut semper sint*, æternitatem, omnibus, inquam, *electis ab ipso* Deo. Si levissimum aliquid mutes, ita explicare poteris. ℣. 23: *Ego quasi vitis peperi flores suavissimos*, flores verò fructum pulcherrimum & præstantissimum ferunt. (In optimis Codicibus penitus deest ℣. 24) 25: *Do æternitatem*, immortalitatem, *filiis meis*, *legentibus ipsum* fructum. Ad arborem vitæ in horto Eden satam (q) respicit. ℣. 26: *Accedite ad me omnes qui me amatis*, *& fructibus meis satiamini*. Hæc explicatio aptissima omnium videtur. *A generationibus meis implemini* (r), scilicet, fructibus, quos ego fero, explemini. *Generatio*, consentientibus vulgo Interpretibus, hoc sensu usurpatur superiùs, I, 14; XVI, 21. Confer Sapientiæ exhortationem apud Proverbia, VIII & IX, cum eâ quæ hîc legitur.

℣. 27. Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Græcus (s): *Recordatio mei melle dulcior*, *& hæreditas mea favo mellis*. Vel: Suavius est, mei reminisci, meque potiri, quàm mel suavissimum gustare. Qui me experiuntur ac possident, castis innocuisque deliciis, mundo ignotis, fruuntur. Iisdem fermè elogiis Scriptura Dei Legem ac præcepta prosequitur (t).

℣. 29. Qui edunt me, adhuc esurient: et qui bibunt me, adhuc sitient. Neque id argumento est, levem esse cibum Sapientiam, qui comedentes parum satiat; uti communes hominum cibi solent, quibus frequenter uti necesse est, cùm adeò constans eorum natura non sit, ut semper sustinere pastos queant. Imò, quamvis optimi succi plena, solida, divina esca sit Sapientia, stomachum minimè opprimit, novamque semper famem & acre desiderium relinquit. Quò plus gustas, eò avidiùs cupis. Terrenarum verò voluptatum ac deliciarum fastidium parit, atque hominum sapientiam & prudentiam planè insipidas reddit. Agens de illâ Christus (u), *Omnis*, inquit, *qui bibit ex aquâ hac*, *sitiet iterum: qui autem biberit ex aquâ*, *quam ego dabo ei*, *non sitiet in æternum*. Ingens discrimen, inter terrenos cibos, & animi delicias hoc est, inquit S. Gregorius (x), quòd illi, cùm non habentur, æerem aviditatem excitant; fastidium verò pariunt, ubi illos gustaveris: at animi deliciæ ingratæ nondum expertis sunt, at expertis novam semper famem & aviditatem pariunt: *In illis appetitus placet*, *experientia displicet*: *in istis appetitus vilis est*, *& experientia magis placet*.

(n) Καὶ ὡς λιβάνου ἀτμὶς ἐν σκηνῇ. (o) Τὰ ἄνθη μου καρπὸς δόξης καὶ πλούτου. (p) Δίδομαι δὲ σὺν πᾶσι τοῖς τέκνοις μου ἀειγενεῖς, τοῖς λεγομένοις ὑπ' αὐτοῦ. *Alii*: Δίδωμι δὲ σὺν πᾶσι τοῖς τέκνοις μου ἀειγενεῖς τοῖς λεγομένοις ὑπ' αὐτοῦ. *Grot. legit*: Δίδωμι δὲ συμπᾶσι τοῖς τέκνοις μου ἀεὶ γίνεσθαι, τοῖς ἐκλεγομένοις ὑπ' αὐτοῦ. Legi potest: Τοῖς λεγομένοις ἀπ' αὐτοῦ, *supp.* καρποῦ, ex ℣. 23. (q) *Genes.* II, 9. (r) Ἀπὸ τῶν γεννημάτων μου ἐμπλήσθητε. (s) Τὸ γὰρ μνημόσυνόν μου ὑπὲρ μέλι γλυκὺ, καὶ ἡ κληρονομία μου ὑπὲρ μέλιτος κηρίον. (t) *Psal.* XVIII, 11; CXVIII, 103. (u) *Joban.* IV, 13. (x) *Greg. Magn. homil.* 36 *in Evangel.*

℣. 30. Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt.

℣. 31. (Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.)

℣. 32. Hæc omnia liber vitæ, & testamentum Altissimi, & agnitio veritatis.

℣. 33. Legem mandavit Moyses [in præceptis justitiarum,] & hæreditatem domui Jacob, (& Israël promissiones.

℣. 34. Posuit David puero suo excitare regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sedentem in sempiternum.)

℣. 35. Qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus novorum.

℣. 36. Qui adimplet quasi Euphrates sensum: qui multiplicat quasi Jordanis in tempore messis.

℣. 37. Qui mittit disciplinam sicut lucem, & assistens quasi Gehon in die vindemiæ.

COMMENTARIUS.

℣. 30. QUI OPERANTUR IN ME, NON PECCABUNT. Qui me acquisituri laborant, nedum non peccabunt, verùm etiam virtutis thesaurum sibi facient. Vel: Qui laborant, ut Sapientiâ potiantur, laboris fructu non carebunt. Aliter: Qui Sapientiæ leges in vitæ instituto sequuntur, non peccabunt. Qui Sapientiæ vestigiis hærent, non errabunt.

℣. 31. QUI ELUCIDANT ME, VITAM ÆTERNAM HABEBUNT. Qui laborant ea explicando quæ in me obscura sunt, illis æterna vita præmium erit, modò vitam ad dogmatum meorum leges agant, ac tam sollicitè institutionibus meis utantur, quàm attentè alios docent; denique dum recta voluntas sit, mens pura, vitaque probè instituta. Hæc si adsint, fatendum est, præcipuam, utilissimam, & gloriosissimam eruditi hominis curam esse veræ sapientiæ studium, sacrarumque Scripturarum interpretationem, quæ adultorum & puerorum, divitum & pauperum, incipientium perfectorumque thesaurus sunt. *Sint castæ deliciæ meæ scripturæ tuæ, o Deus, ne fallar in eis, nec fallar ex eis* (y). *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege suâ* (z).

℣. 32. HÆC OMNIA LIBER VITÆ, ET TESTAMENTUM ALTISSIMI, ET AGNITIO VERITATIS. Quæ hactenus disputavi, ita certa sunt, uti ea quæ in libro vitæ, & in Altissimi Testamento continentur. Vel: *Quicquid ex te postulo, id solummodo est, ut Altissimi præceptis obtemperes.* Græcus (a): *Hæc omnia* sunt *liber fœderis Dei Altissimi.* In his vera sapientia sita est. Ne putaveris, majora ex te requiri, quàm debes. Deum time, ejusque legem serva; verè sapiens futurus, additâ spe fore ut omnia compleantur, quæ promisi.

℣. 33. LEGEM MANDAVIT MOYSES, ET HÆREDITATEM DOMUI JACOB. Jungito hæc cum superiore versiculo. Quæ huc usque monui, eò desinunt, ut ea quæ in libro Fœderis, dataque per Moysem in Israëlitarum hæreditatem lege continentur, serves. Græcus (b): *Hæc omnia* sunt *liber Fœderis Altissimi; lex quam mandavit Moyses, ut sit hæreditas in cœtibus Jacobi. Ne deficiatis fortes esse in Domino, ut ipse vos confirmet. Adhærete ipsi. Dominus omnipotens Deus solus est: & non est præter ipsum servator.*

℣. 34. POSUIT (promisit) DAVID PUERO SUO EXCITARE REGEM EX IPSO; Salomonem scilicet, cujus elogium, ceu amicissimi hominis, ac se ipsâ plenissimi, Sapientia statim aggreditur. Sublimiore sensu hic locus de Christo usurpatur, qua parte homo erat, e Davide satus, cujus regnum æternum est, infinitaque Sapientia. Hæc in Græco desunt.

℣. 35. QUI IMPLET QUASI PHISON SAPIENTIAM: quasi Phison aquas, ita Salomon sapientiam effundit. Hic versiculus cum superioribus ita jungendus est, ex Romanâ editione, cæterarum accuratissimâ: ℣. 32: Vera sapientia est, Altissimi legem servare, (33) Quam Moyses hæreditatis loco Israëli dedit. Versiculus 34 in Græco deest. 35 (c) Ipse Dominus *effundens sapientiam, ut Phison* aquas, *& sicut Tigris in diebus novorum* fructuum, vel sub messis initiom. Phisonem ipsum esse Phasidem, celeberrimum Colchidis amnem, ostendimus. Is verò sub messis initium, non secùs ac Tigris & Euphrates, exundat, ob liquatas nives ex Armeniæ montibus (d), ubi horum amnium origo est. Vide nos in Genesim, II.

℣. 36. QUASI EUPHRATES... ET QUASI JORDANIS IN TEMPORE MESSIS. Euphratem sub æstatis exordia exundare, mox diximus: idem de Jordane novimus ex Scripturâ (e). Liquatis nivibus Libani increscit incipiente messe, cujus initium circa Pentecosten apud Palæstinos erat.

℣. 37. QUI MITTIT DISCIPLINAM SICUT LUCEM. In hominum animos scientiam effundit Deus, ut in terras lucem. Solem suum super bonos malosque oriri jubet (f), suique oris jubar in omnium mentibus accendit (g): *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Singulos naturali rationis lumine instruit, ut quid bonum sit, quid malum, agnoscant; ac majori etiam liberalitate erga populum suum usus est, quippe quibus Legis voluntatisque suæ cognitionem concesserit, cæteris ter-

(y) *Aug. lib.* XI *Confess. c.* 2, *n.* 3. (z) *Psal.* CXVIII, 18. (a) Ταῦτα πάντα βίβλος διαθήκης Θεοῦ ὑψίστου. (b) Νόμον ὃν ἐνετείλατο ἡμῖν Μωσῆς κληρονομίαν ἐν συναγωγαῖς Ἰακώβ. μὴ ἐκλύεσθε ἰσχύειν ἐν Κυρίῳ, ἵνα κραταιώσῃ ὑμᾶς αὐτός. Κολλᾶσθε πρὸς αὐτόν. Κύριος παντοκράτωρ ὁ Θεὸς μόνος ἐστὶ, καὶ οὐκ ἔστιν ἔτι πλὴν αὐτοῦ σωτήρ. (c) Ὁ πιμπλῶν ὡς Φισὼν σοφίαν, καὶ ὡς Τίγρις ἐν ἡμέραις νέων. (d) *Strabo lib.* 16, *p.* 509: Πλημμυρεῖ γὰρ ὁ Εὐφράτης κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ θέρους, ἀπὸ τοῦ ἔαρος ἀρξάμενος, ἡνίκα τήκονται αἱ χιόνες ἀπὸ τῆς Ἀρμενίας. *Vide & Plin. lib.* 5, *c.* 26; *&* XVIII, 18. (e) Vide *Josue* III, 15. (f) *Matth.* V, 45. (g) *Joban.* I, 9; *Psal.* IV, 7.

℣. 38. Qui perficit primus scire ipsam, & infirmior non investigabit eam.

℣. 39. A mari enim abundavit cogitatio ejus, & consilium illius ab abysso magnâ.

℣. 40. Ego sapientia effudi flumina.

℣. 41. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio, ego quasi fluvii Dioryx, & sicut aquæductus exivi de Paradiso.

℣. 42. Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.

℣. 43. Et ecce factus est mihi trames abundans, & fluvius meus appropinquavit ad mare;

℣. 44. Quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam usque ad longinquum.

COMMENTARIUS.

terrarum gentibus ab eo beneficio exclusis (h): *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis.*

ASSISTENS (aquas augens) QUASI GEHON IN DIE VINDEMIÆ. Gehonem ipsum esse Araxem, amnem e montibus Armeniæ in mare Caspium influentem, ostendimus (i). Eadem Araxi origo est in Armeniæ montibus, ac Tigridi & Euphrati; quamobrem necesse est, ut liquatis horum montium nivibus æquè exundet. Cùm verò & Plinius (k) & Solinus (l) tradant, Euphratem inundare eodem fermè tempore quo Nilum, scilicet circa Junii Kalendas, ac minui incipere mense Septembri, cùm sol in virgine est; cùmque vindemia apud Judæos circa mensem Septembris agatur; hinc fit, ut Ecclesiasticus Araxem hîc significaverit, cùm Gehonem circa vindemiam inundare scripserit. Neque me latet, veterum plerisque Gehonem ipsum esse Nilum credi: at, quamvis probatissima, defendi ea opinio prorsus nequit; Nilus enim multo remotior est ab Euphrate ac Tigride, quibus in Moyse jungitur Gehon, quàm ut communem cum illis fontem habeat. Prima fortasse hujus erroris causa fuit hic locus, quem explicamus; ac vulgò creditum est, Nili exundationem per vindemiæ tempus hîc ab Authore significari, ubi Gehonem exundare tradit. At si Araxes eodem tempore, quo Nilus, exundat, eadem ratio, quæ Nilo favet, ad Araxem revocanda est. Solinus igitur, postquam Euphratem eodem, quo Nilum, tempore exundare scripsit, hæc addit: *Unde apparet, ista duo flumina admodum ejusdem perpendiculi constituta, licèt e diversis manent plagis, easdem incrementi causas habere.* Atqui idem de Araxe colligere potuit, cùm hujus origo proxima origini Euphratis sit. Porrò vera horum amnium inundationis causa sunt nives, uti mox diximus.

℣. 38. QUI PERFICIT PRIMUS SCIRE ILLAM: ET INFIRMIOR NON PENETRABIT ILLAM. Unus absolutè sapiens est Deus, unusque ipse est Sapientiæ author & dominus. Hominum dogmata corporis aures afficiunt; unus Deus animum mentemque alloquitur. Hoc solùm agunt exteriores magistri, ut nos interiori magistro, æterno lumini, quo Deus nos instruxit, attentos faciant (m): *Docetur homo, non verbis meis, sed ipsis rebus, Deo intus pandente manifestis.* Græcus (n): *Non potuit primus perfectè cognoscere eam, neque ultimus pervestigavit eam.* Nemo hominum hactenus Sapientiam, quàm latè patet, agnovit. Primi adhuc discere laborant, postremi ab eâ quàm longissimè absunt.

℣. 39. A MARI ABUNDAVIT COGITATIO ILLIUS, amplior mari est: quamobrem ne tibi blandiaris, te illius amplitudinem ac profunditatem assecuturum. Sapientiæ cogitationes & consilia, eadem quæ Dei sunt, quorum immensitatem tam sæpè Scriptura commendat (o).

℣. 40. EGO SAPIENTIA EFFUDI FLUMINA. (41) EGO QUASI TRAMES, rivus, AQUÆ IMMENSÆ DE FLUVIO ... EXIVI DE PARADISO. Paucioribus Græcus (p): *Ego Sapientia ut fossa e flumine, atque ut rivus e Paradiso.* Hoc dicere vult Sapientia, se fontem esse perennem uberemque, ceu rivum e quatuor amnibus, terrestrem Paradisum irrigantibus, ductum, quorum fluminum meminit ℣℣. 35, 36, 37. Quod amnes quatuor Paradiso erant, cùm humum irrigarent uberemque facerent, id ego menti hominis atque animo sum. Hoc ipsa dicit ℣. 42: *Rigabo hortum meum plantationum,* &c. Auditorum meorum animos in Judæâ & urbe Jerosolymâ meis aquis rigabo. Hic hortus meus, meusque ager: hinc aquæ meæ in cæteras mundi partes fluunt, & labendo auctæ, demum maris instar fient, quo omnia inundabo. ℣. 43: *Fluvius meus appropinquavit ad mare.* Sunt (q) quibus *Dioryx* est amnis nomen, & ipse Araxes creditur: Græca tamen vox est, fossam, rivum significans.

℣. 44. QUONIAM DOCTRINAM QUASI ANTELUCANUM ILLUMINO. Scientiæ fulgorem, matutinæ luci similem, fundo. Translatio, qua cognitionis & scientiæ suæ præstantiam commendat. Auroræ similis erit, quæ Judæam illustrabit, ac denique solis instar in omnes terrarum plagas diffundetur. Ethnicorum conversionem, Divinamque lucem ac veram Sapientiam in omnes mun-

(h) *Psal.* CXLVII, 20.

(i) *Genes.* II. (k) *Plin. lib.* XVIII, *c.* 18: *Euphrates increscit & ipse Nili modo statis diebus paulùm differens, ac Mesopotamiam inundat, sole obtinente vigesimam partem cancri; minui incipit in virgine.*

(l) *Solin. Polyhist. c.* 38: *Iisdem ferè temporibus quibus Nilus exit, sole scilicet in parte cancri vigesimâ constituto. Tenuatur cùm leone decurso, ad extima virginis curricula fit transitus.*

(m) *August. lib. de Magistro, c.* 12, 13. (n) Οὐ συνετέλεσεν ὁ πρῶτος γνῶναι αὐτὴν, καὶ οὕτως ὁ ἔσχατος οὐκ ἐξιχνίασεν αὐτήν. (o) *Isai.* XL, 13; *Rom.* XI, 34; *Psal.* LXV, 5; *Sap.* IX, 13.

(p) Ἐγὼ ἡ σοφία ὡς διῶρυξ ἀπὸ ποταμοῦ, καὶ ὡς ὑδραγωγὸς ἐξῆλθον εἰς παράδεισον.

(q) *Vide Raban. hic. Complut. & Sixti V:* Fluvius Dorix. *Alii:* Fluvius vorax. *Alii:* Dorax. ℣. 43, Διῶρυξ, *vertitur per*, trames.

℣. 45. [Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.]

℣. 46. Adhuc doctrinam quasi prophetiam effundam, & relinquam illam quærentibus sapientiam, [& non desinam in progenies illorum usque in ævum sanctum.]

℣. 47. Videte, quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem.

COMMENTARIUS.

mundi partes effundendam, velut ænigmate prædicit.

℣. 45. PENETRABO OMNES INFERIORES PARTES TERRÆ. Hoc versiculo plerique ajunt (r), Christi descensum ad inferos vaticinio prædici; nihilque accommodatius profectò est, quàm verba ipsa, quibus pronunciatur: cùm verò in Græco non sit, additus a primis Christianis, versionis authoribus, censeri potest, potiùs quàm ab ipso Libri Scriptore exaratus.

℣. 46. ADHUC DOCTRINAM QUASI PROPHETIAM EFFUNDAM, ET RELINQUAM ILLAM QUÆRENTIBUS SAPIENTIAM. Objectionem occupat Sapiens, quæ ita strui potest: Cur Sapientia, quam tantoperè hîc laudas, nullos, ut olim, Prophetas afflat? Cur desiit in Israële Prophetia? Ita ne implentur quæ polliceris, Sapientiam maris instar omnes terrarum plagas inundaturam? Respondet Sapiens, sua esse Sapientiæ tempora, & fore aliquando, ut sese iterum Prophetis inspiret, ac mortalibus manifestò appareat. Porrò id Christo inter homines lapso impletum est, quo tempore vaticinii ac prodigiorum facultas, quæ in Israële desiisse videbatur, longè lucidissimo, quàm antea, nitore fulgere cœpit. Græcus Vulgatâ brevior fert (s): *Doctrinam ut prophetiam effundam, & relinquam eam in generationes sæculorum.* Dogmata ita certa & constantissima tibi tradam, utì Prophetarum responsa.

℣. 47. VIDETE QUONIAM NON SOLUM MIHI LABORAVI. Ita claudit orationem Sapientia. Ex his, quæ hactenus dixi, collige, me intra mei ipsius fines non stetisse, nihilque avidiùs a me optari, quàm ut me cæteris largiar. Vos ego vocavi, ut accederetis, jubare meo gavisuri, hausturi aquas, fructusque carpturi. Memet sine invidiâ trado, nullâque avaritiâ effundo. Usurpari etiam possunt, hæc verba, veluti Authoris sint, Librum unicuique porrigentis (t), utì fermè Libri Sapientiæ Scriptor, VII, 13: *Quam sine fictione didici, & sine invidiâ communico, & honestatem illius non abscondo.*

CAPUT XXV.

Tria quæ optat Sapiens, tria quæ odit. Decem sunt, quæ beatissima videntur, cæterosque beatos efficiunt. Divini timoris laus. Nequitiæ mulierum descriptio.

℣. 1. IN tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus:

℣. 2. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè sibi consentientes.

℣. 3. Tres species odivit anima mea, & aggravor valdè animæ illorum:

COMMENTARIUS.

℣. 1. IN TRIBUS PLACITUM EST SPIRITUI MEO. Similis est Salomoni usus, quædam per numeros ac genera distribuendi (a): idcircò fortasse, ut faciliùs memoriâ teneantur. Tria, quæ æstimatione digna Sapientiæ videntur [pergit enim hîc loqui Sapientia] sunt fratrum concordia, mutuus cognatorum amor, ac felix conjugium, ubi vir & uxor optimè sibi consentiunt.

℣. 2. CONCORDIA FRATRUM. Utì nihil pulcrius, ita rarius est nihil fratrum concordiâ. *Fratrum quoque gratia rara est.* Fratres mutuo amore mutuâque ope se invicem juvantes munitissimæ urbi similes sunt (b): at ipsorum discordia, exitii extremorumque malorum origo est: *Concordiâ parvæ res crescunt: discordiâ maximæ dilabuntur.*

VIR ET MULIER BENE SIBI CONSENTIENTES. Nihil hoc suavius meliusque est, inquit Homerus (c), quàm ubi consentientes animo & mente unâ vivunt vir & uxor.

℣. 3. TRES SPECIES ODIVIT ANIMA MEA, pauperem

(r) *Vide Cornel. a Lapide, hic; Isid. de Resurrect. Domini. c. 52; Salazar, in Prov. XXIX; alii plerique.*

(s) Ἔτι διδασκαλίαν ὡς προφητείαν ἐκχεῶ, καὶ καταλείψω αὐτὴν εἰς γενεὰς αἰώνων.

(t) Confer *Eccli.* XXXIII, 18: *Respicite quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam.* (a) *Prov.* XXX, 15: *Tria sunt insaturabilia.* 18: *Tria sunt difficilia mihi.* 21: *Per tria movetur terra.* 29: *Tria sunt quæ bene gradiuntur.* 24: *Quatuor sunt minima terræ.*

(b) *Prov.* XVIII, 19. (c) *Homer. Odyss.* VI, ℣. 182.

. . . Οὐ μὲν γὰρ τοῦγε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
Ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασι οἶκον ἔχητον,
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή.

℣. 4. Pauperem superbum : divitem mendacem : senem fatuum & insensatum.

℣. 5. Quæ in juventute tuâ non congregasti, quomodo in senectute tuâ invenies?

℣. 6. Quàm speciosum canitiei judicium, & presbyteris cognoscere consilium!

℣. 7. Quàm speciosa veteranis sapientia, & gloriosis intellectus & consilium!

℣. 8. Corona senum multa peritia, & gloria illorum timor Dei.

℣. 9. Novem insuspicabilia cordis magnificavi, & decimum dicam in linguâ hominibus:

℣. 10. Homo, qui jucundatur in filiis, vivens, & videns subversionem inimicorum suorum.

COMMENTARIUS.

perem superbum, divitem mendacem, senem insanum. Primus nemini non risu odioque dignus videtur; nedum enim opibus verùm etiam mente sese carere demonstrat. Personam semper fert, quòque accuratiùs inopiam celat, eò pauperior fit, & graviora patitur. Alterum insaniæ genus habet dives mendax. Interdum mentiri hominem cogunt paupertas & inopia; quamobrem mendacium apud Veteres servorum esse censebatur (d). Quid verò divitem mentiri cogit, nisi aut pessima consuetudo, aut animi illiberalis humilitas? Alterum est locupletibus vitium, quòd plura promittant, promissa rarò expleant. Porrò id & sapienti & bono cuilibet homini odiosissimum est; proprium enim plerumque avari hominis est, animique male constituti.

Summo denique probro dignissima res est insanus senex, præsertim si eo sensu accipiatur, quem fert Græcus (e); *Senem mœchum mente destitutum.* Ipsa ætatis maturitas morum gravitatem & prudentiam parit, ac libidinis æstum minuit aut extinguit. Senex mente carens, ac libidinem amans, satis ostendit, pessimum fuisse elapsæ ipsius vitæ institutum, ac nequissimè illum usi animo consilioque. *Puer centum annorum morietur*, inquit Isaias (f), *& peccator centum annorum maledictus erit. Luxuria cùm omni ætate turpis*, ait Cicero (g), *tum senectuti fœdissima est. Sin autem libidini etiam intemperantia accesserit, duplex malum est: quòd & ipsa senectus concipit dedecus, & facit adolescentium impudentiorem intemperantiam.*

℣. 5. QUÆ IN JUVENTUTE NON CONGREGASTI, QUOMODO IN SENECTUTE TUA INVENIES? Juventuti labor, studium, solertia conveniunt: senectuti quies, & laborum fructus (h). Hunc ordinem si turbas, ac tempora evertis, quid jam tibi sperandum est, præter miseram turpemque senectam, post inertem ac flagitiosam juventutem? *Viaticum ex juventute ad senectam elige sapientiam; omnibus enim opibus longè certius hoc est*, ajebat vetus quidam (i).

℣. 6. QUAM SPECIOSUM CANITIEI JUDICIUM! Vel: Quàm decent senem consilium & prudentia (k)! Primum hoc est ac pulcherrimum virtutis ornamentum: optimè judicare, rectè cogitare, bene respondere consulenti. Proverbii loco usurpabant Græci (l): Labores juvenum est, bella virorum, consilia senum. Vel: Laboribus apti sunt adolescentes, viri consilio, votis atque obsecrationibus senes. *Temeritas est florescentis ætatis, prudentia senectutis* (m).

℣. 9. NOVEM INSUSPICABILIA CORDIS MAGNIFICAVI; novem sunt quæ beata judicavi. Græcus (n): *Novem sunt, quæ cogitavi in corde meo esse beatum facientia.* Ad verbum, *Novem suspiciones*, vel novem conjecturas. Hæc ego ceu beatitudinis imagines potiùs habui, quàm veram certamque beatitudinem. Vel: Novem sunt quæ mihi beata videntur; at decimum est, de quo minimè ambigo. Novem priora sunt, 1, vir, cui filii sunt liberaliter instituti, quibus ipse contentus est; 2, is qui optimâ valetudine fruitur, atque hostium suorum exitium suis ipse oculis videt; 3, maritus, cui sapiens uxor est; 4, is qui linguâ nunquam peccavit; 5, is qui nulli inferioris conditionis homini obnoxius fuit; 6, is qui verum amicum nanciscitur, vel, ex Græco, is qui prudentiam invenit; 7, is qui justitiam docet hominem facilè docilem; 8, is cui obvia est Sapientia; 9, is qui scientiam hæreditatis loco accepit. Postremus hic ex Græco abest. Quamobrem, si Græcum sequaris, octo solummodò beatitudines fert. Ut novenarium numerum impleas, opus est, usurpes pro duplici sententtiâ hæc verba ℣. 10: *Vivens*, is qui optimâ valetudine fruitur, *& videns subversionem inimicorum suorum.* Is qui beatè vivit, invitisque hostibus felix est, ipsorumque exitium præsens intuetur. Decimum, quod certissimæ beatitudinis loco tradit Sapiens, est pietas vel Dei timor, ℣℣. 13, 14, 15, 16. Humano tamen modo loquitur, ubi hostium supplicium atque infortunium quis videns, beatus esse dicitur; id enim ex iis rebus est, quæ vulgo ab hominibus felicitatis loco habentur. Vera tamen & constans beatitudo sapienti est pietas & sapientia.

℣. 10. VIVENS ET VIDENS SUBVERSIONEM INIMICORUM. Is qui optimâ valetudine fruitur, atque inimicis superior est. Ne tamen putes, odium aut vindictam a Sapiente probari; describit solummodò, quis beatus esse censeatur. Putabant Judæi, fas esse vindictam ex inimico persequi, teste Evangelio (o): *Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Id verò malam fuisse Legis interpretationem

(d) *Aristot. Vide & Sophocl.* Καλὸν δὲ κεῖθεν ἢ ὁ πρὸς ἀνδρὸς εὐγλῶσς.
(e) Γέροντα μοιχὸν ἐλαττούμενον συνέσει. (f) *Isai.* LXV, 20. (g) *Cicero*, *lib.* 1 *de Officiis*.
(h) *Quare adolescens, utere senex.* Porcius Latro. (i) *Bias apud Laërt.* Ἐφόδιον ἀπὸ νεότητος εἰς γῆρας ἀναλάμβανε σοφίαν. Βεβαιότερον γὰρ τοῦτο τῶν ἄλλων κτημάτων.
(k) *Euripid.* Γνῶμαι δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν γεραιτέρων. (l) Ἔργα νέων, πόλεμοι τ' ἀνδρῶν, βουλαὶ τε γερόντων. Vel: Ἔργα νέων, βουλαὶ τ' ἀνδρῶν, εὐχαὶ τε γερόντων. (m) *Cicero*, *in Catone*.
(n) Ἐννέα ὑπονοήματα ἐμακάρισα ἐν καρδίᾳ μου. (o) *Matth.* V, 43.

℣. 11. Beatus, qui habitat cum muliere sensatâ, & qui linguâ suâ non est lapsus, & qui non servivit indignis se.

℣. 12. Beatus, qui invenit amicum verum, & qui enarrat justitiam auri audienti.

℣. 13. Quàm magnus, qui invenit sapientiam, & scientiam! sed non est super timentem Dominum.

℣. 14. Timor Dei super omnia se superposuit.

℣. 15. (Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei:) qui tenet illum, cui assimilabitur?

℣. 16. Timor Dei initium dilectionis ejus: fidei autem initium agglutinandum est ei.

℣. 17. (Omnis plaga tristitia cordis est: & omnis malitia, nequitia mulieris.)

COMMENTARIUS.

nem scio: hic tamen de jure non agitur; ac tantummodo dicimus, putasse Hebræos, nefarium non esse odium inimicorum, ac per legem licere, vel saltem dissimulari, siquis ex inimicis ultionem exigeret. Apud Christianos, lege sancitum est, ut inimicos perinde atque amicos amemus; neque male illis velle fas est; licet verò optare, ut Deus aliquâ illos hujus vitæ calamitate cædat, qua moniti resipiscant. Licet quoque illorum vitia & flagitia abominari, ipsos homines odisse non licet. Piissimi denique homines interdum gavisi sunt severitate, qua Deus impios cecidit, non odii illorum causâ, sed gloriæ, quam inde refert Deus.

℣. 11. QUI HABITAT CUM MULIERE SENSATA. Præstantissimum Dei erga homines beneficium est, sapiens ac prudens uxor (p).

QUI LINGUA SUA NON EST LAPSUS. *Siquis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*, inquit S. Jacobus (q); & de linguæ malis frequenter egit Sapiens, *Prov.* XVIII, 21; XXVIII, 23; *Sap.* I, 11; *Eccli.* IV, 34; V, 15, 16; XIV, 16, 17.

QUI NON SERVIVIT INDIGNIS SE. Mitium sapientumque dominorum lenis est servitus, si ex Dei consilio illis obnoxii sumus: at nihil gravius domino arrogante, imperioso indignoque. *Per tria movetur terra*, inquit Salomon (r), *& quartum non potest sustinere. Per servum, cùm regnaverit; per stultum, cùm saturatus fuerit cibo; per odiosam mulierem, cùm in matrimonio fuerit assumpta: & per ancillam, cùm fuerit heres* seu æmula *dominæ suæ*.

℣. 12. QUI INVENIT AMICUM VERUM. Maxima & rarissima hominis felicitas est, bonus verusque amicus, atque optatissima vitæ suavitas; melior quippe fratre & cognato est, inquit Sapiens (s). Fratres natura & sors jungunt; amicos amor & morum similitudo. Fratrum conjunctio esse potest, quin sit amicitia, animique jungantur; amicitia solâ voluntatis animorumque propensione nititur (t). *Ex propinquitate benevolentia tolli potest, ex amicitiâ non potest: sublatâ enim benevolentiâ, amicitia nomen tollitur, propinquitatis remanet*. Græcus hoc loco habet (u): *Beatus qui invenit prudentiam*, pro, *Beatus qui invenit amicum verum*.

QUI ENARRAT JUSTITIAM AURI AUDIENTI. Non leve commodum est homini justitiam amanti, illiqua amatores comparare cupienti, auditores nancisci, qui audiant ac obtemperent. *Inauris aurea & margaritum fulgens, qui arguit sapientem, & aurem obedientem*, inquit Salomon (x); scilicet is qui docilem minimèque renuentem arguit, ita se beatum putat, veluti si inaurem auream, nitidissimumque unionem inveniat. *Auris audientis* docilisque discipuli, *desiderium* est *sapientiæ* (y); nihilque molestius magistro est, quàm surdo canere. *Lætitia docentis, auditor intelligens*, ait S. Hieronymus (z); *e contrario, luctus doctoris est malus discipulus*. Græcus ita cum præcedentibus jungitur (a): *Beatus qui invenit prudentiam, & qui narrat in auribus audientium*.

℣. 13. QUAM MAGNUS EST QUI INVENIT SAPIENTIAM ET SCIENTIAM! SED NON EST SUPER TIMENTEM DOMINUM. Decima felicitas, quam ℣. 9 proposuit, non ut conjecturam, sed certam ac minimè dubiam, Dei timor est. Ea est suprema hominis beatitudo. Florens familia, bonus amicus, prudens uxor, ipsaque sapientia & scientia beatum hominem non faciunt, si absit pietas ac Dei timor (b). *Scientiam* non habet hoc loco Græcus (c).

℣. 16. TIMOR DOMINI INITIUM DILECTIONIS EJUS: FIDEI AUTEM INITIUM AGGLUTINANDUM EST EI. Conversionis initium in nobis plerumque incipitur timore, charitate perficitur; quæ ubi perfecta fuerit, timorem excludit (d): *Timor non est in charitate; sed perfecta charitas foras mittit timorem*. Sapientiæ initium timor est, charitas perfectio: ille Judæos servosque decet; ista Christianos ac liberos. Lex timorem imperat; Evangelium charitatem. Deo obedit, qui timet: at Legis perfectio charitas est (e): *Finis præcepti est charitas*. Græcus (f): *Timor Domini initium amoris ipsius, fides verò initium adhæsionis ad ipsum*. Fides gluten est, quo cum Deo jungimur. Hic locus in Editione Romanâ & Aldinâ deest; in cæteris legitur.

℣. 17. OMNIS PLAGA, TRISTITIA CORDIS; mœror vulnus est totum hominem afficiens, morborum pessimus: ET OMNIS MALITIA, NEQUITIA MU-

(p) *Euripid.* Μακάριος ὅστις εὐτυχεῖ γάμον λαβὼν Ἐσθλῆς γυναικός.
Vide Prov. XII, 4; XIV, 5; XVIII, 22; XXXI, 10. (q) *Jacob.* III, 2. (r) *Prov.* XXX, 21.
(s) *Prov.* XVIII, 24. (t) *Cicero de Amicitiâ*. (u) Μακάριος ὃς εὗρε φρόνησιν. (x) *Prov.* XXV, 12.
(y) *Eccli.* III, 28, *in Græco*: Οὖς ἀκροατοῦ ἐπιθυμία σοφοῦ. (z) *Hieronym. in Mich.* VII.
(a) Καὶ ὁ διηγούμενος εἰς ὦτα ἀκουόντων. (b) *Vide Prov.* I, 7; IX, 10; *Eccli.* I, 16, 22; *Job*, XXVIII, 28; *Psal.* CX, 10, *&c.* (c) Ὡς μέγας ὁ εὑρὼν σοφίαν; ἀλλ' οὐκ ἔστιν ὑπὲρ φοβούμενον Κύριον.
(d) I *Johan.* IV, 18. (e) I *Timot.* I, 5. (f) Φόβος Κυρίου ἀρχὴ ἀγαπήσεως αὐτοῦ, πίστις δὲ ἀρχὴ κολλήσεως αὐτοῦ.

℣. 18. Et omnem plagam, & non plagam videbit cordis:
℣. 19. Et omnem nequitiam, & non nequitiam mulieris:
℣. 20. Et omnem obductum, & non obductum odientium:
℣. 21. Et omnem vindictam, & non vindictam inimicorum.
℣. 22. Non est caput nequius super caput colubri:
℣. 23. Et non est ira super iram mulieris. Commorari leoni & dra-
coni placebit, quàm habitare cum muliere nequam.
℣. 24. Nequitia mulieris immutat faciem ejus: (& obcæcat vultum
suum tamquam ursus:) & quasi saccum ostendit. In medio proxi-
morum ejus
℣. 25. Ingemuit vir ejus, & audiens suspiravit modicum.

COMMENTARIUS.

MULIERIS ; absolutissima nequitia est. Malorum pessimum est mœror. *Animus gaudens ætatem floridam facit : spiritus tristis exsiccat ossa (g)*. Quod est animo mœror, illud est mala uxor viro. Hunc versum non habet Græcos ; at legit hoc loco Syrus. Nihil novi fert hic versus, præter ea, quæ doobus proximis versiculis leguntur.

℣. 18. OMNEM PLAOAM, ET NON PLAOAM VIDAKIT CORDIS. ET OMNAM NEQUITIAM, AT NON NEQUITIAM MULIARIS (h). Quodlibet vulous feram, at non illud quo animus afficitur : quamlibet elige priùs nequitiam, quàm muliebrem. Vel : Qualibet nos plagâ, o Deus, affligito : tantùm averte mœrorem : mslis quibuslibet opprime ; at a malâ muliere incolumes serva.

℣. 20. OMNEM OBDUCTUM, ET NON OBOUCTUM ODIENTIUM. *Obductus* hoc loco est calamitss, mslum, infortunium : ita enim ab hoc Scriptore usurpatur *epagoge (i)*. Superiùs animadvertit Sapiens (k), nihil homini amarius esse, quàm si quis inimicos de calamitate suâ ridentes gsudentesque conspexerit (l). Quibusvis me malis afficito, præterquàm iis, quæ optat inimicus. Vel : Quævis patiar, dum nescist inimicus & non gaudeat.

℣. 22. NON EST CAPUT NEQUIUS SUPAR CAPUT COLUBRI ; ET NON EST IKA SUPAR IRAM MULIARIS. Uti coluber bestiarum perniciosissima est, & colubri caput, ubi virus clauditur, capitum omnium nequissimum ; ita nulla est ira perniciosior, acrior ardentiorque irâ mulieris. Simile prorsus vero est, Græcum Interpretem in Hebræo Codice legisse *rosch*, quæ vox plerumque *caput*, interdum etiam *virus*, fel, amarum significat (m). Quamobrem reddere poterat : *Non est virus perniciosius, quàm virus colubri*.

. . . . Quippe minuti
Semper & infirmi est animi exiguique voluptas
Ultio. Continuò sic collige, quòd vindictâ
Nemo magis gaudet quàm femina (n).

Græcus (o) : *Non est caput* perniciosius *capite colubri. Et non est ira* acrior *irâ inimici*. Lethalior morsus haud est anguis morsu : sævior vindicta nulla est vindictâ inimici, qui diu odium fovit.

℣. 23. COMMORARI LEONI ET DRACONI PLACEBIT, QUAM NABITARE CUM MULIFKE NEQUAM. Postquàm primam omnium feminarum Evam novimus, cujus causâ peccatum in homines vênit ; Dalilam, Samsonis exitium ; uxores quæ Sslomonis animum corruperunt ; Jezabelem, Nabothi cæde infamem ; uxorem Putipharis, calummniâ & carcere Josephi celebrem ; Athaliam, Regiæ familiæ oece, ac Regno usurpsto claram ; Herodiadem, S. Joannis Baptistæ supplicio cognitam, *innumerasque*, quarum nulla unquam ætss aut regio flagitia immodicamque iram silebit ; nihil hîc a Sapiente dici, nisi quod planè verissimum est, fatebimur. Neque verò bonas probasque damnamus ; ipsasque, ubi res postulavit, meritis laudibus prosequutus est Sapiens : at ingens certè malum est mals femina ; bestisrum omnium perniciosissima (p), cujus iræ par oullum est virus (q).

℣. 24. NEQUITIA MULIARIS IMMUTAT FACIEM AJUS : ET OBCÆCAT VULTUM SUUM TAMQUAM URSUS : ET QUASI SACCUM OSTENDIT, livorem ore præfert. Illud sacci vel cilicii genus significat, quo uti solebant, cùm funus agerent, ex atræ capellæ vel cameli villis, atro semper colore. Furentis feminæ ira in ore micat : lividsm facit furor : immodicè æstuat : furiam diceres. Vividam hanc descriptionem de industriâ hîc persequitur Sapiens, ut ejus vitii, quo ea deformitas paritur, borrorem legentibus incutiat. Cæterùm id semper usu venire oe censeas ; plerumque eoim innumeræ sunt artes feminis, quibus animi consilia & mentem celent ; dissimulataque diu mulieris ira perniciosior efficitur. Eam hîc describit Sapiens, quæ ex unprovisò emicat, & imprudenti excidit. Græcus pauciora fert (r).

℣. 25. IN MAOIO PROXIMORUM INGAMUIT VIR AJUS. Græcus (s) : *In medio proximorum suorum cadet vir ejus, & invitus suspirabit propter eam*. Exitiales illi inimicos ipsa pariet, a quibus calamita-

(g) *Prov.* XVII, 22. (h) Πᾶσαν πληγὴν καὶ μὴ πληγὴν καρδίας. Καὶ πᾶσαν πονηρίαν, καὶ μὴ πονηρίαν γυναικός. *Supp.* ἐνδοκῶ, *ex* ℣. 23, *aut quid aliud*. (i) Πᾶσαν ἐπαγωγὴν, καὶ μὴ ἐπαγωγὴν μισούντων. *Vide sup.* II, 2; III, 27; V, 10; X, 14; XXIII, 12, *&c.* (k) *Eccli.* XVIII, 31.
(l) *Euripid.* Οὐ γὰρ γελᾶσθαι τλητὸν ἐξ ἐχθρῶν.
(m) ראש pro veneno vel felle. Vide Deut. XXIX, 18. שרש פרה ראש XXXII, 32. ענבימו ענבי ראש XXXII, 33. ראש בתנים *Psal.* LXVIII, 22; *Jerem.* VIII, 14, *&c.*
(n) *Juvenal. satyr.* 13. (o) Οὐκ ἔστι κεφαλὴ ὑπὲρ κεφαλὴν ὄφεως. Καὶ οὐκ ἔστι θυμὸς ὑπὲρ θυμὸν ἐχθροῦ.
(p) *Menander.* Πολλῶν κατὰ γῆν, καὶ κατὰ θάλατταν θηρίων
Ὄντων, μέγιστόν ἐστι θηρίον γυνή.
(q) *Euripid.* Ἃ δ᾽ ἐστ᾽ ἐχίδνης, καὶ πυρὸς περαιτέρω,
Οὐδεὶς γυναικὸς φάρμακ᾽ ἐξεύρηκέ πω
Κακῆς. *Vide Grot.*
(r) Πονηρία γυναικὸς ἀλλοιοῖ τὸ πρόσωπον αὐτῆς, καὶ σκοτοῖ τὸ πρόσωπον αὐτῆς ὡς σάκκον. *Alii*: Ὡς ἄρκτος, *vel*, ὡς ἄρκος, *ut ursa*. (s) Ἀναμέσον τῶν πλησίον αὐτοῦ ἀναπεσεῖται ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, καὶ ἀκούσας ἀνεστέναξε δι᾽ αὐτήν. *Alii*: Ἀνεστέναξε πικρὰ, vel πικρῶς.

℣. 26. Brevis omnis malitia super malitiam mulieris: sors peccatorum cadat super illam.

℣. 27. Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto.

℣. 28. Ne respicias in mulieris speciem, & non concupiscas mulierem in specie.

℣. 29. Mulieris ira, & irreverentia, & confusio magna.

℣. 30. Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo.

℣. 31. Cor humile, & facies tristis, & plaga cordis, mulier nequam.

℣. 32. Manus debiles, & genua dissoluta, mulier, quæ non beatificat virum suum.

℣. 33. A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur.

℣. 34. Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum: nec mulieri nequam veniam prodeundi.

℣. 35. Si non ambulaverit ad manum tuam, (confundet te in conspectu inimicorum.)

COMMENTARIUS.

mitatem suam flere cogetur. Vel: Maritus inter propinquos accumbens, & quæ de uxore suâ narrantur audiens, imo e pectore suspirans gemet. Postrema hæc explicatio melior videtur. Malæ uxoris vir nunquam non dolet, iis etiam in locis, ubi animi solatium quærit.

℣. 26. SORS PECCATORUM CADAT SUPER ILLAM. Gravius hosti malum, quàm talem uxorem, optare nequeo (t). Aliter: Ita illam puniat Deus, uti scelestissimos. Vel: Talis illi maritus obtingat, qui illius superbiam frangat. Priorem explicationem confirmat locus Ecclesiastæ (u); *Inveni amariorem morte mulierem.... Qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illâ.*

℣. 27. SICUT ASCENSUS ARENOSUS IN PEDIBUS VETERANI, senis, SIC MULIER LINGUATA HOMINI QUIETO. Ut senex arenoso in clivo gradiens, singulis passibus cadit, nihilque progrediens frustra fatigatur, ac frequenter recedit, cùm se progredi putat: ita vir, cui querula & maledica uxor est, assiduis jurgiis turbisque vexatur, nullâ unquam quiete ac tranquillitate propriis in ædibus fruens. Quo ipse quietior est, magisque cupidus pacis, eò arrogantior ac turbulentior fit uxor. Vetus, diuturnoque usu probatum proverbium est; *Dos est uxoria lites* (x). Et (y):

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet.

℣. 28. NON CONCUPISCAS MULIEREM IN SPECIE. Græcus (z): *Ne accidas ad pulcritudinem mulieris, & mulierem ne desideres.* Sapienti aliud quærendum in uxore est præter formam. Eligenda est non voluntatis causâ, sed societatis. Uxor socia esse debet, quacum vivendum est, juraque divina & humana omnia communicanda, regenda familia, liberi alendi atque instituendi, resque servandæ (a).

℣. 29. MULIERIS IRA, ET IRREVERENTIA, ET CONFUSIO, quæ illam sequitur, MAGNA. (30) MULIER SI PRIMATUM HABEAT, CONTRARIA EST VIRO SUO. Hujus versiculi sensus ex Græco, ita explicandus est (b): *Res est plena ira atque iracundia, ac res pudenda, mulier qua viro prabet* unde vivat. Assiduis illum probris atque jurgiis obruit. Qui divitem & hæredem uxorem accipere cupit, profectò Deorum iræ pœnas dat, vel infelix esse vult, dum beatus a cæteris dicitur, inquit Menander (c).

℣. 32. MANUS DEBILES, ET GENUA DISSOLUTA, MULIER QUÆ NON BEATIFICAT VIRUM SUUM. Græcus (d): *Manus remissa, & genua resoluta:* his similis est *mulier qua non consolatur virum suum*, vel *qua non beat virum suum*. Vel ex Grotio: Manus remissæ, & genua resoluta sunt mulieri, quæ viri felicitati non consulit. Sive: Ignava mulier, quæ laborare non audet, viri felicitas & voluptas non erit.

℣. 33. A MULIERE INITIUM FACTUM EST PECCATI; ET PER ILLAM OMNES MORIMUR. Evam corrupit anguis, Eva maritum (e): hinc in homines peccatum, inde peccatum originia, quod unusquisque hominum nascens secum fert; hujus rei causâ omnes iræ, vindictæ, mortis filii nascimur. Peccatum originis, & quæ ex ipso oriuntur mala, meliùs describi non poterant.

℣. 34. NON DES AQUÆ TUÆ EXITUM, NEC MODICUM, NEC MULIERI NEQUAM VENIAM PRODEUNDI. Si quem aditum aquæ, quam in cisternâ seu vase aliquo habes, concesseris, tota statim effluet. Ita si quam uxori libertatem permittas, prodibit illa, teque probro obruet. Apud Orientales, uxores domi clausæ studiosissimè custodiuntur; atque idem mos in nonnullis Europæ regionibus servatur. Silentium & solitudo præcipuæ sunt probæ mulieris

(t) *Palac. Jans. Grot.* (u) *Eccle.* VII, 27. (x) *Ovid. lib.* 2 *de Arte.* (y) *Juvenal. satyr.* 6.
(z) Μὴ προσπέσῃς ἐπὶ κάλλος γυναικὸς, καὶ γυναῖκα μὴ ἐπιποθήσῃς. (a) *Vide Grot. hic.*
(b) Ὀργὴ, καὶ ἀναίδεια, καὶ αἰσχύνη μεγάλη γυνὴ, ἐὰν ἐπιχορηγῇ τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς. (c) *Menander.*

Ὅστις γυναῖκ' ἐπίκληρον ἐπιθυμεῖ λαβεῖν
Πλουτοῦσαν, ἤτοι μῆνιν ἐκτίνει Θεῶν,
Ἢ βούλετ' ἀτυχεῖν μακάριος καλούμενος.

Vide & Ambros. lib. 1 *de Abrah. c.* 2: *Qui suavitatem quærit conjugii, non tam superiorem censu ambiat, non monilibus ornatam, sed moribus, &c.* (d) Χεῖρες παρειμέναι, καὶ γόνατα παραλελυμένα, γυνὴ ἥτις οὐ μακαριεῖ τὸν ἄνδρα αὐτῆς. *Complut.* Ἥτις οὐ παρακαλέσει τὸν ἄνδρα αὐτῆς ἐν στενώσει. (e) *Vide* 1 *Timoth.* II, 14.

℣. 36. A carnibus tuis abſcinde illam, ne ſemper te abutatur.

COMMENTARIUS.

ris indicia (f). Aliter explicari hic locus poteſt: Libidinem ne ſectare; neque te ipſum cuiquam feminæ tradideris. Maritum alloquitur, ita fermè uti Salomon (g): *Bibe aquam de ciſternâ tuâ.* Et (h): *Aquæ furtivæ dulciores ſunt.* Et (i): *Ne des alienis honorem tuum, & labores tuos crudeli.* Eccleſiaſticus de profligatâ muliere agens (k): *Ab omni aquâ bibet.* Vetus oraculum (l): *Utris prominentem pedem ne reliqueris*, ſcilicet, aquam ex utre tuo fluere ne patiaris.

℣. 36. A CARNIBUS TUIS ABSCINDE ILLAM. Repudium illi dicito. Superiùs docuit (m), repudium juſtis de cauſis a ſe probari: *Mulier ſi eſt tibi ſecundùm animam tuam, ne projicias illam.* At ſi impudica ſit, & non morigera, repudium ſuadet: *Qui enim*, inquit Salomon (n) *tenet adulteram, ſtultus eſt, & impius.* De repudio egimus in diſſertatione ad Numeros. Græcus e Complutenſi editione (o): *A carnibus tuis reſeca illam* (ea Geneſeos verba ſpectat (p): *Erunt duo in carne unâ*): *da illi* repudii libellum, vel redde quæ ipſa attulit, dotem, & *dimitte eam.*

CAPUT XXVI.

Probæ, ſolertisque mulieris laus. Mulier Zelotypa, mala, vinoſa, proſtituta. Tria, quibus animus ſapientis cruciatur; & duo quæ difficilia ipſi videntur.

℣. 1. MUlieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex.

℣. 2. Mulier fortis oblectat virum ſuum, & annos vitæ illius in pace implebit.

℣. 3. Pars bona, mulier bona, in parte timentium Deum (dabitur viro pro factis bonis.)

℣. 4. Divitis autem, & pauperis cor bonum: in omni tempore vultus illorum hilaris.

℣. 5. A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit:

℣. 6. Delaturam civitatis, & collectionem populi,

℣. 7. Calumniam mendacem, ſuper mortem omnia gravia.

℣. 8. Dolor cordis, & luctus, mulier zelotypa.

COMMENTARIUS.

℣. 1. MULIERIS BONÆ BEATUS VIR: NUMERUS ENIM ANNORUM ILLIUS DUPLEX. Probæ pudicæque uxori junctus, diuturnâ beatâque vitâ fruetur. Pergit hoc capite de feminis agere, de quibus ſuperiori capite diſputavit.

℣. 2. MULIER FORTIS OBLECTAT VIRUM SUUM. Mulier fortis apud Hebræos (a) eſt mulier laboris amans, rei familiaris ſollicita, & ſolers. Mulieris fortis elogium apud Salomonem in Proverbiis lege (b).

℣. 3. PARS BONA, MULIER BONA: IN PARTE TIMENTIUM DEUM. Hanc præmii loco iis largitur Deus, qui ſeſe timent. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem a Domino*, inquit Sslomon (c). Vide infra, ℣. 17.

℣. 4. DIVITIS ET PAUPERIS COR BONUM. Sive anguſta ſit, ſive ampla domi res, uterque contentus erit. Bene juncti conjuges, nunquam contenti non ſunt. Horum theſaurus, & tranquillitatis cauſa ſunt animorum conjunctio, amor, virtus. Suot qui hanc ſententiam abſolutè uſurpent: Is qui aoimo contentus eſt, cui eſt *cor bonum*, quem ſua ipſius conſcientia non arguit, ſive locuples, ſive pauper ſit, ubique beatus erit.

℣. 5. A TRIBUS TIMUIT COR MEUM: tria metuo, totius civitatis odium, populi tumultum ac ſeditionem, calumniam. Quartum verò eſt tribus hiſce longè gravius, femina zelotypa.

℣. 6. DELATURAM CIVITATIS. Græcus (d): *Calumniam civitatis*; vel, ſi mavis, ubi tota civitas inimica homini eſt, eumque apud Judicem accuſat. Varia legimus celeberrimorum hominum exempla, qui exilio & morte damnati ſunt, ob populi levitatem & inconſtantiam: Vel: Ubi tota aliqua civitas ſceleris alicujus arguitur.

℣. 8. DOLOR CORDIS, MULIER ZELOTYPA. 9. IN MULIERE ZELOTYPA FLAGELLUM LINGUÆ. Græcus legit (e): *Angor animi & luctus, mulier æmula mulieri, & flagellum linguæ, quæ omnibus communis fit.* Vel ex Grotio: *Flagellum linguæ*, ſcilicet maledicentia (f), *eſt omnibus* (quatuor illis jam dictis) *commune.* Magnam partem in quatuor illis malis habet maledicentia, ſive improba lingua. In Hebræorum domibus, quibus plures uxores permittebantur, familiæ pax & tranquillitas uxorum æmulatione turbabatur, eædemque odii & invi-

(f) *Æschyl. in Sept. ad Thebas.* Σὸν δ' ἂν τὸ σιγᾶν, καὶ μένειν εἴσω δόμων. (g) *Prov.* v, 15.
(h) *Prov.* IX, 17. (i) *Prov.* V, 9. (k) *Eccli.* XXVI, 15. (l) *Plutarch. in Theseo*: Α'σκοῦ τὸν προὔχοντα πόδα, μέγα φέρτατε λαῶν, μὴ λύσῃς. (m) *Eccli.* VII, 27. (n) *Prov.* XVIII, 22.
(o) Α'πὸ τῶν σαρκῶν σου ἀπότεμε αὐτήν, δίδου, καὶ ἀπόλυσον. (p) *Geneſ.* II, 24.
(a) אשת חיל, Γυνὴ ἀνδρεία. (b) *Prov.* XXXI, 10, *& ſeq.* (c) *Prov.* XVIII, 22.
(d) Διαβολὴν πόλεως. (e) Α'λγος καρδίας, καὶ πένθος, γυνὴ ἀντίζηλος γυναικί, καὶ μάστιξ γλώσσης πᾶσιν ἐπικοινωνοῦσα. (f) *Job*, v, 21. *Vide infra*, XXVIII, 21: Πληγὴ γλώσσης συνθλάσει ὀστᾶ.

℣. 9. In muliere zelotypâ flagellum linguæ omnibus communicans.
℣. 10. Sicut boum jugum quod movetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem.
℣. 11. Mulier ebriosa, ira magna: & contumelia, & turpitudo illius non tegetur.
℣. 12. Fornicatio mulieris in extollentiâ oculorum: & in palpebris illius agnoscetur.
℣. 13. In filiâ non avertente se, firma custodiam: ne inventâ occasione utatur se.
℣. 14. Ab omni irreverentiâ oculorum ejus cave, & ne mireris, si te neglexerit.
℣. 15. Sicut viator sitiens, ad fontem os aperiet, & ab omni aquâ proximâ bibet, & contra omnem palum sedebit, & contra omnem sagittam aperiet pharetram, donec deficiat.
℣. 16. Gratia mulieris (sedulæ) delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit.
℣. 17. Disciplina illius, datum Dei est.
℣. 18. Mulier sensata & tacita, non est immutatio eruditæ animæ.

COMMENTARIUS.

invidiæ causa erat. Ut extrema ea mala intelligas, quò ruere zelotypa mulier solet, satis est iræ ipsius æstum considerare (g).

Caecus est ignis stimulatus irâ,
Nec regi curat, patiturve frenos.
Haud timet pœnas; cupit ire in ipsos
Obvius enses.

℣. 10. Sicut boum jugum quod movetur (h), ita et mulier nequam; ut jugum male junctum. Veteres juga non boum capiti, & prope cornua imponebant, sed collo (i). *Hoc genus junctura*, inquit Columella, *maximè probatum est; nam illud quod in quibusdam provinciis usurpatur, ut cornibus illigetur jugum, fere repudiatum est ab omnibus*; robustior enim collo & pectore bos est, quàm cornibus. Apud Orientales, jungi solent boves circulo ad pectus (k). Ad hunc veterum morem respicit Scriptor inferiùs (l): *Jugum & lorum curvant collum durum: & servum inclinant operationes assiduæ.* Docet hîc, malam uxorem ita marito esse, ut jugum bovis collo male junctum; eo enim magis læditur ac fatigatur, quàm labore. *In opere boves arctè junctos habere convenit, quò speciosius ingrediantur, sublimes ..... ac minùs colla eorum labefactentur, jugumque meliùs aptum cervicibus insideat*, ait Columella (m).

℣. 11. Mulier ebriosa, ira magna, et contumelia: Mulier vino dedita, iræ ac probri causa marito est. Vel: Mulier vinum amans, & vaga, plerumque etiam iræ & libidini obnoxia est, atque ubi mero incaluerit, sese turpiter deteget. Hic videtur esse in Græco sensus (n): *Omnis mulier, quæ vinolenta & comessatrix est, eadem quoque meretrix est* (o). Legem de fœminis tulerat Romulus: *Si vinum biberit domi, uti adulteram puniro.* Narrant Historici (p), Mecennium quemdam, cùm uxorem ob tale flagitium necasset, a Romulo absolutum. Faunus Latinorum Rex uxorem virgis necavit, quòd vinum bibisset (q).

℣. 12. Fornicatio mulieris in extollentia oculorum cognoscetur. Impudica mulier ab oris oculorumque arrogantiâ noscitur; pudica ex oculorum ac frontis modestiâ. Quid pudicum de eâ feminâ sentias, quæ libero atque arroganti ore, oculisque impudicis, ac fronte porrectâ incedit (r)? Sionis filias, quibus iratus erat Deus, describens Isaias (s), ait: *Elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo: & nutibus oculorum ibant, & plaudebant pedibus suis.*

℣. 13. In filia non avertente se, oculos hominum non fugiente, firma custodiam. Ne credas illius pudicitiæ, quæ oculos immodestè gesit; ac puta mente corruptam, peccandi opportunitatem præstolari. Quidquid illa agit, sedulò scrutare, ac diligenter domi clausam tuere: custodes foribus adhibe; neque mirum tibi sit, si malam animi sui propensionem sequatur, ubi faveat opportunitas.

℣. 14. Ab omni irreverentia oculorum ejus cave: et ne mireris, si te neglexerit. Animæ fenestræ oculi sunt; atque ex oculis judicium de animo fit. Amor ex his luculentiùs, quàm ex cæteris corporis sensibus, agnoscitur (t). Græcus (u): *Ponè impudentem oculum custodi: & ne mirare, si quid in te peccaverit.* Cavere potes, dum oris immodestiam vides.

℣. 15. Contra omnem palum. Palum intelligit vel sudem ejus generis, quibus tentoria pangebantur (x). Meretricem describit, cui nullus pudor. Hujus generis feminæ in publicis viis stabant, uti exemplo Thamaris discimus (y).

℣. 18. Non est immutatio eruditæ animæ (z). Nullum est pretium, quod æquari possit animæ bene institutæ, mulieri, quæ novit quid officii

(g) *Senec. Medea.* (h) Βοοζύγιον σαλευόμενον. (i) *Columel. de Re Rust. lib. 2, c. 2.*
(k) Chardin, Voyage de Perse, l. 2, p. 73. (l) *Eccli.* xxxiii, 27. *Vide &* xl, 34.
(m) *Columell. de Re Rust. lib. 2, c. 2.* (n) Ὀργὴ μεγάλη γυνὴ μέθυσος, καὶ ῥεμβάς. Καὶ τὴν ἀσχημοσύνην αὐτῆς οὐ συγκαλύψει. *Vide Grot. hic.* (o) *Author Oper. imperf. in Matth. c. 5.*
(p) *Plin. lib.* xiv, *cap. 13. & Val. Maxim. lib. 6, c. 3.* (q) *Arnob. lib.* v *contra Gentes.*
(r) 2 *Petri*, ii, 14: *Oculos habentes plenos adulterii.* (s) *Isai.* iii, 16. (t) *Propert. Si nescis, oculi sunt in amore duces.* (u) Ὀπίσω ἀναιδοῦς ὀφθαλμοῦ φύλαξαι, καὶ μὴ θαυμάσῃς ἐὰν εἰς σε πλημμελήσῃ. (x) Κατέναντι παντὸς πασσάλου. (y) *Genes.* xxxviii, 14. *Vide Prov.* xxx, 26.
(z) Οὐκ ἔστιν ἀντάλλαγμα πεπαιδευμένης ψυχῆς.

℣. 19. Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata.
℣. 20. Omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.
℣. 21. Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domûs ejus.
℣. 22. Lucerna splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super ætatem stabilem.
℣. 23. Columnæ aureæ super bases argenteas, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris.
℣. 24. [Fundamenta æterna super petram solidam, & mandata Dei in corde mulieris sanctæ.]
℣. 25. In duobus contristatum est cor meum, & in tertio iracundia mihi advênit:
℣. 26. Vir bellator deficiens per inopiam, & vir sensatus contemptus:

COMMENTARIUS.

officii sui sit, & exequitur; quæ scientiam ac sapientiam sibi convenientem habet.

℣. 19. GRATIA SUPER GRATIAM, MULIER SANCTA ET PUDORATA. Græcus (a): *Uxor verecunda & fida*. Nihil amabilius aut jucundius hujusmodi uxore est; eaque demum vera est mulieris forma & venustas. *Fallax gratia, & vana est pulcritudo: mulier timens Deum ipsa laudabitur* (b). *Fida mulier* ea est, quæ non modò debitam viro fidem, verùm etiam Deo servat. Pudor virgines præsertim decet; nuptas modestia: utrarumque verò est conspectum fugere. *Ejusdem libidinis est videri & videre*, inquit Tertullianus (c): *tam sancti viri est suffundi, si virginem viderit, quàm sanctæ virginis, si a viro visa sit*.

℣. 20. OMNIS AUTEM PONDERATIO NON EST DIGNA CONTINENTIS ANIMÆ. Nullum auri pondus tanti est, quanti pudicus animus. Græca vox (d) non modò eam significat, quæ castè fidem conjugii servat, verùm etiam eam, quæ absolutè continens est, totiusque vitæ instituto animi robur, virtutem, constantiam præfert.

℣. 22. LUCERNA SPLENDENS SUPER CANDELABRUM SANCTUM, ET SPECIES FACIEI SUPER ÆTATEM STABILEM. Oris venustas in maturâ ætate similis lychno est in lychnucho Templi, septem ramos habente, qui singulis noctibus in Sancto ante Sanctuarii fores accendebantur. *Ætas stabilis est* nubilis puella.

℣. 23. COLUMNÆ AUREÆ SUPER BASES ARGENTEAS, ET PEDES FIRMI SUPER PLANTAS STABILIS MULIERIS. Nupta mulier in pedibus firmis & stabilis, similis columnæ aureæ est, super argenteam basim constitutæ. Mulierum virtutem nobilibus magnificisque comparationibus commendat Sapiens. Hæc verò ex Cantico ex, ressa videtur (e): *Quàm pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* In Complutensi editione longa satis additio legitur, quæ in Romanâ deest: *Fili, vigorem ætatis tuæ conserva sanum, ac ne des alienis robur tuum*. (Hoc ex Proverbiis, v, 9.) *Cùm inveneris agrum fertilem, sere ibi semina tua, rerus fore, ut eximium fructum ferat. Ita demum soboles tua superstes erit; & ingenuitatem boni generis habens, succrescet. Mulier meretrix æqualis porræ, vel salivæ (f), æstimabitur: nupta verò, quæ libidinem sectatur, turris mortis accedentibus putabitur* (g). Carcer est, unde egressus negatur, præterquam supplicii causâ, vel in quo rei destituuntur, ut pereant. *Mulier impia iniquo pars dabitur; pia autem datur timenti Dominum*. (Vide Prov. XVIII, 22; Eccli. XXVI, 3, 17.) *Mulier turpis contemnet infamiam*, frontem obdurabit (h): *filia autem honesta etiam virum reverebitur. Mulier impudens* (i), quæ inverecundè intuetur, oculos neque avertens neque dejiciens, *sicut canis reputabitur: quæ autem habet verecundiam, Dominum timebit. Mulier virum proprium honorans*, colens, *sapiens omnibus videbitur: inhonorans autem* (k), non colens, *impia in superbiâ omnibus cognoscetur. Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex erit* (Supra, ℣. 1.). *Mulier clamosa & linguosa, quasi in hostium clade*, vel fugâ, *considerabitur* (l): illam omnes insequentur, atque ex omnibus cœtibus pellent; odio & contemptui habebunt. *Hominis autem cujuslibet animus similibus moratur moribus*, litigiosus & maledicus, *inter belli seditiones vitam transiget*. Hæc in Editione Complutensi leguntur; minimè verò apud veteres Codices apographos, optimasque editiones.

℣. 26. VIR BELLATOR DEFICIENS PER INOPIAM. Hìc desinit Sapiens de feminis loqui; quamobrem hinc duci posset initium Capitis XXVII. Tria sunt, quæ miserrima Sapienti videntur, quorum primum est miles fame periens. Profectò nihil molestius est, quàm ubi strenuum hominem videas, qui consumptis obsequio Regis & patriæ ætate & viribus, rebus vitæ necessariis caret. Invalidis militibus Romani consuluerunt, datis domibus, certisque in reliquam ætatem stipendiis. Romanorum pietatem ac liberalitatem imitatus est Ludovicus XIV, Galliarum Rex, structâ Parisiis Invalidorum domo.

VIR SENSATUS CONTEMPTUS, opibus, officio, dignitate carens in eâ Republicâ, ubi ambitio & gratia dominantur. Hinc Regnorum exitium, & Rerum publicarum eversio, ubi virtus incognita & neglecta jacet. Vitium hoc, nostrâ ætate communissimum, querebatur Salomon (m): *Civitas parva, & pauci in eâ viri: venit contra eam Rex magnus, & vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum, & perfecta est obsidio. Inventusque est in eâ vir pauper & sapiens, & liberavit urbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis.* ℣. 27. ET

(a) Χάρις ἐπὶ χάριτι γυνὴ αἰσχυντηρὰ καὶ πιστή.
(b) *Prov.* XXXI, 30. (c) *Tertull. de Veland. virginib. c.* 2. (d) Οὐκ ἔστι σταθμὸς πᾶς ἄξιος ἐγκρατοῦς ψυχῆς αὐτῆς. (e) *Cant.* VII, 1. (f) Γυνὴ μισθία ἴση σιάλῳ λογισθήσεται. (g) Πύργος θανάτου τοῖς χρωμένοις λογισθήσεται. (h) Γυνὴ ἀσχήμων ἀτιμίαν καταρτρίψει. (i) Γυνὴ ἀδιάτρεπτος. *Vide sup.* ℣. 13. Ἐν θυγατρὶ ἀδιατρέπτῳ. (k) Ἀτιμάζουσα δὲ, ἀσεβὴς ἐν ὑπερηφανίᾳ πᾶσι γνωσθήσεται. (l) Εἰς πολεμίων τροπὴν θεωρηθήσεται. (m) *Eccle.* IX, 15.

℣. 27. Et qui transgreditur a justitiâ ad peccatum, Deus paravit eum ad rhomphæam.

℣. 28. [Duæ species difficiles, & periculosæ mihi apparuerunt.] Difficilè exuitur negotians a negligentiâ: & non justificabitur caupo a peccatis labiorum.

COMMENTARIUS.

℣. 27. ET QUI TRANSGREDITUR A JUSTITIA AD PECCATUM: DEUS PARAVIT EUM AD RHOMPHÆAM. Profectò longè dignior odio, contemptu & horrore est, quàm misericordiâ; iter enim justitiæ, quod novit, ac Dei donum, quod expertus est, deserens & spernens, iniquitatem & scelua sectatur. Tenebras luci præfert, libertati servitutem, Belialem Christo; idque temerè & causâ incognitâ. *Obstupescite, Cæli, super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer, dicit Dominus* (n). *Duo enim mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.*

℣. 28. DIFFICILE EXUITUR NEGOTIANS A NEGLIGENTIA: ET NON JUSTIFICABITUR CAUPO A PECCATIS LABIORUM. Græcus (o) significat, propolam, mercatorem, eum qui quodlibet mercium genus, e pane, vino, carnibus, aliisve, emit venditque, difficilè peccato carere, fraude, injustitiâ. Utraque versiculi pars eamdem rem fert. Qui minutia hisce mercimoniorum generibus implicantur, facilè mendaciis, fraudi, rebusque adulterandis obnoxii sunt. *Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus quod statim vendant: nihil enim proficiant, nisi admodum mentiantur* (p).

CAPUT XXVII.

Paupertatis & avaritiæ incommoda. Fatui hominis inconstantia. In verbis modestia: secreti fides. Adulator & simulator Deo odiosi.

℣. 1. PRopter inopiam multi deliquerunt: & qui quærit locupletari, avertit oculum suum.

℣. 2. Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: sic & inter medium venditionis & emptionis angustiabitur peccatum.

℣. 3. (Conteretur cum delinquente delictum.)

COMMENTARIUS.

℣. 1. PROPTER INOPIAM MULTI DELIQUERUNT. Necessaria paupertas inter hujus vitæ mala pessimum est; hanc innumeri rerum defectus comitantur: hominum contemptus, labor, sollicitudo, ut ea quæ necessaria vitæ sunt, inveniantur; indigna erga locupletes obsequia. Gravissimum tamen paupertatis incommodum illud est, quòd *Ad turpia cogit egestas*, assiduisque conatibus furtum suadet, fraudem, mendacium, simulationem, perfidiam, indignissima demum ac turpia quælibet, ut miseram adeò tristemque conditionem relinquamus. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi*, rogabat Salomon (a): *tribue tantùm victui meo necessaria. Ne fortè satiatus illiciar ad negandum, & dicam: Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & perjurem nomen Dei mei.* Græcus hujus loci ad verbum habet (b): *Rei indifferentiæ gratiâ multi peccaverunt*; scilicet ob pecuniam, quam Stoici inter ἀδιάφορα sive indifferentia numerabant, quibus bene aut male uti possumus. Pauper Aristides beatiorem vitam agebat, quàm inter Regni superbiam Principes, atque inter opes avari. Achab inter innumera fortunæ bona pauperrimus; postulatâ enim Nabothi vineâ, cùm non impetrasset, mœroris causâ in morbum incidit. Duplex sceleris origo est avaritia & paupertas, inquit Cicero. Hæc verba addenda sunt Capiti superiori, ubi docet Sapiens, peccatum ac fraudem in minutis mercimoniis ægrè vitari.

℣. 2. SICUT IN MEDIO COMPAGINIS LAPIDUM PALUS FIGITUR: SIC ET INTER MEDIUM VENDITIONIS ET EMPTIONIS ANGUSTIABITUR PECCATUM. Ut paxillus aut clavus inter duos lapides parieti infixus, validè hæret, ac difficilè avellitur: ita fieri fermè nequit, ut iniquitas ab emptore ac venditore segregetur. Uterque alterum fallere studet, cùm alter caro vendere, alter vili emere conetur. Hoc propriè significat Græcus (c). *Laudat, venales qui vult extrudere merces* (d); at *Malum est, malum est, dicit omnis emptor; & cùm recesserit, gloriabitur* (e). Anacharsis, nobilissimus Scytharum Philosophus ajebat (f), forum locum esse constitutum ac certum, ubi homines invicem falluntur.

℣. 3. CONTERETUR CUM DELINQUENTE DELICTUM. Hoc in Græco non est, utpote merum glossema ad postrema versiculi superioris verba.

℣. 4. Si

(n) *Jerem.* II, 12. (o) Μόλις ἐξαιρεῖται ἔμπορος ἀπὸ πλημμελείας, καὶ οὐ δικαιωθήσεται κάπηλος ἀπὸ ἁμαρτίας. Vossius in Etymologico docet, voce Κάπηλος significari quodlibet propolarum genus, qui in foro emunt venduntque minutatim. Grotio est is qui minutatim vendit res esculentas & poculentas. (p) *Cicero, Offic.* I. (a) *Prov.* XXX, 8. (b) Χάριν ἀδιαφόρου πολλοὶ ἥμαρτον. *Vide Sap.* VII, 20; *&* XLII, 7; *& Bibl. R. Steph.* Χάριν ἐνδείας. *Grot. & Casaub.* Χάριν διαφόρου. *Vide ad c.* VII, 20: *Propter pecuniam.* (c) Ἀνὰ μέσον ἁρμῶν λίθων παγήσεται πάσσαλος, καὶ ἀνὰ μέσον πράσεως, καὶ ἀγορασμοῦ συντριβήσεται ἁμαρτία. (d) *Horat.* (e) *Prov.* XX, 14.
(f) *Laërt. lib.* I: Τὴν ἀγορὰν ὡρισμένον ἔφη τόπον εἰς τὸ ἀλλήλους ἀπατᾶν, καὶ πλεονεκτεῖν.

℣. 4. Si non in timore Domini tenueris te instanter, citò subvertetur domus tua.

℣. 5. Sicut in percussurâ cribri remanebit pulvis: sic aporia hominis in cogitatu illius.

℣. 6. Vasa figuli probat fornax, & homines justos tentatio tribulationis.

℣. 7. Sicut rusticatio de ligno ostendit fructum illius: sic verbum ex cogitatu cordis hominis.

℣. 8. Ante sermonem non laudes virum: hæc enim tentatio est hominum.

℣. 9. Si sequaris justitiam, apprehendes illam: & indues quasi poderem honoris, [& inhabitabis cum eâ, & proteget te in sempiternum, & in die agnitionis invenies firmamentum.]

℣. 10. Volatilia ad sibi similia conveniunt: & veritas ad eos, qui operantur illam, revertetur.

℣. 11. Leo venationi insidiatur semper: sic peccata operantibus iniquitates.

COMMENTARIUS.

℣. 4. SI NON IN TIMORE DOMINI TENUERIS TE INSTANTER, CITO SUBVERTETUR DOMUS TUA. Hæc sententia ad Mercatores potissimùm ac propolas pertinet, fraudibus ac mendaciis nunquam non obnoxios: nisi enim Dei timorem constantissimè amplectantur, in crimen ruent, Divinumque furorem in totius familiæ perniciem provocabunt. Ita claudit ea quæ de Mercatoribus tradidit.

℣. 5. SICUT IN PERCUSSURA CRIBRI REMANEBIT PULVIS; SIC APORIA HOMINIS IN COGITATU ILLIUS. Utì cùm agitatur cribrum, pulvis solummodò superest: ita cùm homo suis in cogitationibus inquietus fuit, perplexos incertusque animo manet. Pro *pulvis*, Græcus habet (g) *sordes*: Utì cùm agitatur cribrum, cadente tritico remanent quisquiliæ; *ita quisquilia hominis*, vitia, vel ex Vulgatâ, paupertas, *aporia illius*, *in cogitatione ejus*, in sermone, in disputatione, Profectò, quantumvis tibi caveas, ægrè animi vitia celantur, dum loqueris. Alii hanc vocem Vulgatæ, *Aporia*, vertunt, *ambiguitatem*, inopiam consilii. Cùm diù multùmque aliquâ de re meditatus fueris, frequenter majoribus difficultatibus denique implicaris. Quædam sunt adeo inania, atque incerta, ut quo attentiùs scrutaris, eò minùs didiceris; ipsaque studio ambiguitas crescit,

℣. 6. VASA FIGULI PROBAT FORNAX, ET HOMINES JUSTOS TENTATIO TRIBULATIONIS. Mala, quibus probantur pii, frequenter Scriptura cum igne comparat, quo metalla probantur (h). Profectò justorum virtus, nisi hujus vitæ malis a Deo manifesta fieret, quàm sæpissimè incognita lateret. Græcus (i): *Vasa figuli probat fornax; & exploratio hominis in sermocinatione illius*. Homo ex verbis noscitur, utì luteum vas fornace. Hominis ingenium, naturam, virtutem si nosse cupias, illum loqui jubeto; invitus enim ipse se prodet. Quæ amat, aut odit, quibus movetur, vel afficitur, statim enarrabit. Disces, utrùm prudens moderatosque sit, an insipiens ac vitiosus. Animi speculum oratio est. Cùm dives quidam filium adolescentulum ad Socratem misisset, ut indolem illius inspiceret, Socrates ad puerum, Loquere, inquit, adolescens, ut te videam; significans ingenium hominis in oratione relucere (k).

℣. 7. SICUT RUSTICATIO DE LIGNO OSTENDIT FRUCTUM ILLIUS, SIC VERBUM EX COGITATU CORDIS HOMINIS. Ut ex fructu colligitur, quæ arboris cultura fuerit; ita hominis ingenium ex ipsius cogitatione & oratione cognoscitur. Græcus (l): *Culturam arboris ostendit fructus ejus: ita sermo cogitationis animum hominis*. Ut ex fructu discis, quàm bene culta fuerit arbor; ita quàm bene institutus fuerit homo, docet oratio, Latissimum discrimen est inter hominem studio & meditatione excultum, & eum qui nullâ scientiâ imbuitur. Quid verò est hominis mens? ajebat Chrysippus (m). Orationis fons: ut enim rivi e fonte manant, ita ex animo & mente sermones. *Qualis homo, talis etiam ejus erit oratio*, ajebat Socrates (n); *orationi autem facta simillima, factis vita*.

℣. 9. SI SEQUARIS JUSTITIAM, APPREHENDES ILLAM. Magna virtutis, & justitiæ pars est, illam quærere & optare. Hujus pretium si noveris, facere non potes, quin ames; si amas, jam possides.

℣. 10. VOLATILIA AD SIBI SIMILIA CONVENIUNT: ET VERITAS AD EOS, QUI OPERANTUR ILLAM, REVERTETUR. Quidlibet rem sibi similem amat. Justitia & sapientia ultrò sese iis tradunt, a quibus & amantur & quæruntur; atque ibi sunt, ubi in pretio habentur. *Veritas* hoc loco pro justitiâ & virtute usurpatur. Proprio etiam sensu accipi potest. Mendaces fugit veritas; sincerosque & veraces quærit.

℣. 11. LEO VENATIONI INSIDIATUR SEMPER; SIC PECCATA OPERANTIBUS INIQUITATES. Peccati præda peccator est, Quo quis pejor sit, eò miserior peccati servus efficitur. Quò arctiùs peccati vincula religantur, eò plura conversionis impedimenta sunt. Vel; Utì leo prædam vorare semper paratus est, ita semper sequitur pœna peccatum. Supplicium semper impio imminet (o); semper enim Dei manus supplicio inferendo parata est.

(g) Ἐν σείσματι κοσκίνου διαμένει κόπρια, οὕτως σκύβαλα ἀνθρώπου ἐν λογισμῷ αὐτοῦ. *Edit. Rom.* Σκῦλα ἀνθρώπου, *Spolia hominis*. (h) *Sap.* III, 6; *Malac.* III, 2; *Psal.* XVI, 3, *&c.*

(i) Σκεύη κεραμέως δοκιμάζει κάμινος, καὶ πειρασμὸς ἀνθρώπου ἐν διαλογισμῷ αὐτοῦ. (k) *Apud Ciceron.*

(l) Γεώργιον ξύλου ἐκφαίνει ὁ καρπὸς αὐτοῦ, οὕτως λόγος ἐνθυμήματος καρδίας ἀνθρώπου.

(m) *Apud Stobæum, ser.* I. *Vide Cornel. a Lapid. in* ℣. 8. (n) *Tull. Tuscul. quæst. apud Cornel. hic.*

(o) *Vide infr.* XXVII, 32.

℣. 12. Homo sanctus in sapientiâ manet [sicut sol ,] nam stultus sicut luna mutatur.

℣. 13. In medio insensatorum serva verbum tempori: in medio autem cogitantium assiduus esto.

℣. 14. Narratio peccantium odiosa,& risus illorum in deliciis peccati.

℣. 15. Loquela multùm jurans, horripilationem capiti statuet : & irreverentia ipsius obturatio aurium.

℣. 16. Effusio sanguinis in rixâ superborum, & maledictio illorum auditus gravis.

℣. 17. Qui denudat arcana amici, fidem perdit, & non inveniet amicum ad animum suum.

℣. 18. Dilige proximum, & conjungere fide cum illo.

℣. 19. Quòd si denudaveris absconsa illius, non persequêris post eum.

℣. 20. Sicut enim homo, qui perdit amicum suum, sic & qui perdit amicitiam proximi sui.

℣. 21. Et sicut, qui dimittit avem de manu suâ, sic dereliquisti proximum tuum, & non eum capies.

COMMENTARIUS.

ta est. Seu denique: Scelus semper scelesto fatale est. Malum consilium danti pessimom (p). Impius plerumque laqueis a se instructis capitur (q).

℣. 12. Homo sanctus in sapientia manet ut sol : nam stultus sicut luna mutatur. Sapiens in consiliis decretisque constans est ; utque nihil nisi maturo consilio decernit, ita deinde constans est, quamquam caret pertinaciâ. At stultus constantiam ignorat, quippe qui temerè ac sine consilio decernit. Græcus legit (r) : *Sermo pii hominis semper est sapientia : at stultus sicut luna mutatur*. Nimirum hoc est sapientis ab insano discrimen. Sapientis oratio tam abundè consilio instruitur, ut statim prodeat : at insanus orationi non adeo malæ ineptum aliquid semper miscet.

℣. 13. In medio insensatorum serva verbum tempori. Græcus (s) : *In medium insipientium* ut te conferas, *observa tempus : at in mediam prudentiam assiduò temet infer*. Raro, justisque solùm de causis inter impios esto : multum enim discriminis est, utilitatis nihil. Vide sequentem ℣.

℣. 14. Narratio peccantium, odiosa : et risus illorum in deliciis peccati. Potissima hæc ratio est, cur ab insanorum societate cavendum sit ; incommoda nimirum & periculosa ipsorum consuetudo. Nunquam illi nisi de nugis, rebusque inanibus agunt, ac solummodo voluptatis & sceleris amorem inspirant.

℣. 15. Irreverentia ipsius obturatio aurium. Ubi quis horrenda illorum verba, & sacramenta audierit, aures obstruet. Altera fugiendæ impiorum consuetudinis ratio est, quòd illi nonnisi perjuria execrationesque loquuntur, quæ audientium animus, atque aures horrore complent. Græcus (t) : *Loquela multum jurantis eriget capillos, & rixa eorum obstruere aures cogit* ; singulis enim verbis perjuria, convicia & contumelias profert. Addit sequenti ℣. cædem & sanguinis effusionem, maledictaque auditu horrenda ex iis oriri : *Effusio sanguinis in rixâ superborum : & maledictio illorum, auditus gravis*. Cùm aliqua in Deum convicia intelligerent Judæi, aures obstruebant (u).

℣. 17. Qui denudat arcana amici, fidem perdit. Nemo illius amicitiam amat, qui fidem amico non servat. Cui enim fidelis futurus est, si perfidus amico fuerit? Apud Ægyptios, iis qui secretum inimico prodidissent, lingua amputabatur (x). *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana*, inquit Salomon (y): *Qui autem fidelis est, celat amici commissum*. Duo qui sequuntur ℣℣. hujus explicatio sunt.

℣. 20. Sicut homo, qui perdit amicum suum, sic et qui perdit amicitiam proximi sui. Par homicidio scelus est, leges amicitiæ violare, & amici arcanum detegere. Neque in tui potestate est amici secretum, sed depositum, integrâ fide restituendum. Si secretum aperis, furti atque injustitiæ reus es, quippe qui quod tuum non est, tibi arrogas. Si malum aliquod imprudentiæ tuæ causâ amico eveniat, perinde est ac si lethali vulnere illum afficias. Græçus e Romanâ editione aliter sonat (z): *Sicut perdit homo inimicum suum: ita tu amicitiam tibi noti hominis interfecisti*. In optimum amicorum, ceu in inimicum, sæviisti, cùm illum perfidiâ tuâ quodammodo interfeceris.

℣. 21. Sicut qui dimittit avem de manu sua, sic dereliquisti proximum tuum. Frustra sequeris : nunquam capies. Ita, si perfidus amico fuisti, nunquam tibi blandire futurum, ut in pristinum amicitiæ gradum te restituat. Perfidia enim ex iis peccatis est, quæ nunqoam ab amicis remittuntur. Hoc alibi animadvertit Sapiens (a). Romani interdum solemnibus formulis amicitiam illis a quibus passi fuerant injuriam, renunciabant. Germanicus (b) paulò ante mortem *composuit Epistolas, quibus amicitiam ei* (Pisoni) *renunciabat* ; & Cajus multis a Pisone injuriis affectus, *Non ultra progressus est, quàm ut amicitiam ei more ma-*

(p) Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. (q) *Psal.* IX, 56, XXXIV, 8. (r) Διήγησις εὐσεβοῦς διαπαντὸς σοφία, ὁ δὲ ἄφρων ὡς σελήνη ἀλλοιοῦται. (s) Εἰς μέσον ἀσυνέτων συντήρησον καιρὸν, εἰς μέσον δὲ διανοουμένων ἐνδελέχιζε. (t) Λαλιὰ πολυόρκου ὀρθώσει τρίχας, καὶ ἡ μάχη αὐτῶν ἐμφραγμὸς ὠτίων. (u) *Act.* VII, 56. (x) *Diodor. lib.* 1 *Biblioth. c.* 2: Καὶ τῶν μὲν τὰ ἀπόρρητα τοῖς πολεμίοις ἀπαγγειλάντων ἐπέταττεν ὁ νόμος ἐκτέμνεσθαι τὴν γλῶτταν. (y) *Prov.* XI, 13. (z) Καθὼς ἀπώλεσεν ἄνθρωπος τὸν ἐχθρὸν αὐτοῦ, οὕτως ἀπώλεσας τὴν φιλίαν τοῦ πλησίον σου. (a) *Eccli.* XXII, 27; *& infrà*, ℣. 24. (b) *Tacit. Annal.* 2.

℣. 22. Non illum ſequaris, quoniam longè abeſt: effugit enim quaſi caprea de laqueo: [quoniam vulnerata eſt anima ejus]
℣. 23. Ultra eum non poteris colligare. Et maledicti eſt concordatio.
℣. 24. Denudare autem amici myſteria, deſperatio eſt animæ infelicis.
℣. 25. Annuens oculo fabricat iniqua, & nemo eum abjiciet.
℣. 26. In conſpectu oculorum tuorum conculcabit os ſuum, & ſuper ſermones tuos admirabitur: noviſſimè autem pervertet os ſuum, & in verbis tuis dabit ſcandalum.
℣. 27. Multa odivi, & non coæquavi ei, & Dominus odiet illum.
℣. 28. Qui in altum mittit lapidem, ſuper caput ejus cadet: & plaga doloſa, doloſi dividet vulnera.
℣. 29. Et qui foveam fodit, incidet in eam: [& qui ſtatuit lapidem proximo, offendet in eo:] & qui laqueum alii ponit, peribit in illo.
℣. 30. Facienti nequiſſimum conſilium, ſuper ipſum devolvetur, & non agnoſcet, unde adveniat illi.
℣. 31. Illuſio, & improperium ſuperborum, & vindicta ſicut leo inſidiabitur illi.
℣. 32. Laqueo peribunt, qui oblectantur caſu juſtorum: dolor autem conſumet illos, antequam moriantur.
℣. 33. Ira, & furor, utraque execrabilia ſunt: & vir peccator continens erit illorum.

COMMENTARIUS.

ro majorum renuntiaret, mandaretque domeſticis ultionem, ſiquid ſibi accideret (c).

℣. 23. QUONIAM VULNERATA EST ANIMA EJUS, ULTRA EUM NON POTERIS COLLIGARE, curare, cicatricem inducere, malagma apponere. Gravi illum vulnere affeciſti, quod nunquam obducetur. Græcus ℣. 23, 24 (d): *Vulnus obligari poteſt, & de maledictis fieri reconciliatio; at qui arcana detexit, perdidit fidem.*

℣. 25. ANNUENS OCULO FABRICAT INIQUA, ET NEMO EUM ABJICIET. Qui alterius dicta factaque probat annuendo & annictando, mala conſilia mente fovet, ac nemo ſatis ab eo cavebit. In hominum animos, omneſque cœtus irrepet, nemine de eo dubitante: at hoſtis eſt eò pernicioſior, quò mitior eſſe videtur, & tuis deſideriis & commodis attentiùs ſervit. Græcus (e): *Annuens oculo*, is qui oculorum nutu ſeſe probare ſignificat, *mala molitur; & qui cognoverit illum, recedet ab eo*. Alii codices cum Vulgatâ conveniunt: *Nemo recedet ab eo*, neque cavebit; nihil tamen odioſius eſt, quàm fictus amicus & perfidus, ℣. 27. Illum ego magis odi quàm mortem atque infernum, inquit Homerus (f).

℣. 28. QUI IN ALTUM MITTIT LAPIDEM, SUPER CAPUT EJUS CADET: ET PLAGA DOLOSA, DOLOSI DIVIDET VULNERA. Perfidia plerumque fatalis perfido eſt: vulnera, quæ clam & per inſidias inferuntur, *plaga doloſa*, plerumque in authores vel in præſentes illorum amicos cadunt. Idque ſæpiſſimè in conſpirationibus uſu vênit. Tela quæ in lapidem jaciuntur, eodem itinere ad jaculantem redeunt.

℣. 30. NON AGNOSCET UNDE EVENIAT ILLI. Hoc dicere vult, interdum pœnam minimè cognoſci, neque ſtatim in reum cadere; at quamvis proſperis rebus uti impius videatur, affuturam illi a Deo ultionem, cùm minimè cogitaverit (g); eoque tempore, quo ipſe perfidiæ ac proditionis ſuæ oblitus fuerit.

℣. 33. IRA ET FUROR UTRAQUE EXECRABILIA SUNT: ET VIR PECCATOR CONTINENS ERIT ILLORUM; utraque intra ſe habebit. Pernicioſis hiſce cupiditatibus nunquam non agitabitur. Ita etiam reddi poteſt: *Ira & furor duo ſunt, quæ horrorem faciunt; & peccator ea ſemper habebit.* Iratus ſemper illi erit Deus; & graviſſimum iræ illius pondus æternis in cruciatibus impius experietur. Quæ præceſſere, & quæ ſequuntur, huic explicationi favent.

(c) *Sueton. in Caje*, c. 3. (d) Ὅτι τραῦμά ἐστι καταδῆσαι, καὶ λοιδορίας ἐστὶ διαλλαγή. Ὁ δὲ ἀποκαλύψας μυστήρια ἀπώλεσε πίστιν. (e) Διανεύων ὀφθαλμῷ τεκταίνει κακά, καὶ ὁ εἰδὼς αὐτὸν ἀποστήσεται ἀπ' αὐτοῦ. *Rom. Complut. & alii*: Καὶ οὐδεὶς αὐτὸν ἀποστήσεται ἀπ' αὐτοῦ.

(f) *Homer.*

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ βάζει.

(g) *Euripid.*

. . . . . . Σιγῇ, καὶ βραδεῖ ποδὶ
Στείχουσα μάρπτει τοὺς κακοὺς ἀεὶ βροτῶν.

CAPUT XXVIII.

Ultio vetita. Rixas & jurgia fuge: maledicos ac delatores evita. Linguæ custodiam adhibeto.

℣. 1. QUI vindicari vult, a Domino inveniet vindictam: & peccata illius servans servabit.

℣. 2. Relinque proximo tuo nocenti te: & tunc deprecanti tibi peccata solventur.

℣. 3. Homo homini reservat iram, & a Deo quærit medelam?

℣. 4. In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur?

℣. 5. Ipse cùm caro sit, reservat iram, (& propitiationem petit a Deo?) quis exorabit pro delictis illius?

℣. 6. Memento novissimorum, & desine inimicari.

℣. 7. Tabitudo enim, & mors imminent in mandatis ejus.

℣. 8. Memorare timorem Dei, & non irascaris proximo.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUI VINDICARI VULT, A DOMINO INVENIET VINDICTAM: ET PECCATA ILLIUS SERVANS SERVABIT. Vindictam Deus in quibusdam rebus certisque conditionibus permiserat Judæis (a): *Animam pro animâ, oculum pro oculo, dentem pro dente*, &c. at neque lege, neque auctoritate probaverat; imò ubique docuerat, id se unum velle, ut homines invicem amarent, injurias remitterent, obsequia vel inimicis exhiberent, atque uni Deo vindictam relinquerent (b). *Non oderis fratrem tuum*, inquit (c), *in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super eo peccatum. Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum. Diliges amicum tuum sicut te ipsum.* Et David (d): *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis*, in hostium potestatem tradar. Monet denique Sapiens, ei, qui vindictam ex inimico persequitur, Deum aliquando adfuturum ultorem, a quo severissimè punietur, justamque criminis sui pœnam referet. Nulla veniæ spes a Deo erit illi, qui sævus in fratres fuit.

Mosaicæ Legis mens ex hoc loco agnoscenda est, non ex iis, ubi Deus aliquid mali inter Judæos dissimulavit, ne in graviora laberentur; ubi fines vindictæ præscribuntur, ut major sævities coërceretur. Vindictam omnino proscripsit Christus, inimicorum amorem imperavit, Legem ad mentis suæ consilium revocavit, edixit fore, ut quæ erga cæteros egerimus, nobiscum agantur, eaque nobis aptetur mensura, quâ usi erga cæteros fuerimus: denique parcendum esse, si Deum nobis parcere volumus (e).

℣. 2. RELINQUE PROXIMO TUO NOCENTI TE: ET TUNC DEPRECANTI TIBI PECCATA SOLVENTUR. Priores hujus Capitis versiculi simillimi evangelicis sanctionibus sunt: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris* (f). *Dimittite & dimittetur vobis* (g). Vide & de servo parabolam, qui cùm sibi herus debitum omne remisisset, inventum in foro conservum, collo apprehensum, longè minus debitum solvere cogebat. Iratus ob eam rem herus, ingratum carceri tamdiù addixit, quamdiù debitum omne solveret (h). Si hoc mente agitaveris, te veniâ ex Deo indigere, facilè erga cæteros mitiùs ages (i).

Det ille veniam facilè, cui veniâ est opus.

℣. 5. QUIS EXORABIT PRO DELICTIS ILLIUS? Qui inimico inexorabilis est, futurum ne sperat, ut preces suas audiat Deus, aut peccatorum veniam largiatur? Quanto faciliùs oppressi atque interfecti inimici clamores excipiet? Nonne justorum sanguis & lacrymæ ad ipsum usque feruntur? Gravis esto injuria, quâ afficeris, atque ingratissimus, & omnium indignissimus esto inimicus: cur injuriæ vindictam Deo non relinquis? cur non times, tibi in fratrem sævienti, nullum fore veniæ locum aut misericordiæ? Græcus (k): *Ipse cùm sit caro, conservat iram: & quis expiabit peccata illius?* Quaslibet victimas Deo mactet: eæ ne Deo placebunt? Quâ lege tenetur Deus faciles iis precibus aures exhibere, quæ animo vindictæ pleno concipiuntur?

℣. 6. MEMENTO NOVISSIMORUM, ET DESINE INIMICARI. ℣. 7. TABITUDO ENIM ET MORS IMMINENT. Memento te mortalem esse, neque odium immortale foveas. Dei judicium verere, tuarumque injuriarum ultionem illi remitte; tuasque res illius curæ penitùs relinquas. Cogita, te quantocius ad sepulcrum abiturum, & ex iniquâ vindictæ voluptate solummodo tibi superfuturam furoris tui pœnitentiam ac desperationem. Denique: *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis* (l). Græcus (m): *Memento novissimorum, & desine inimicitias gerere. Memento corruptionis* sepulcri, *& mortis, & persta in mandatis*, quæ vindictam damnant. *Exod.* XXIII, 4, 5; 1 *Reg.* XXV, 32, 33.

℣. 8. MEMORARE TIMOREM DEI, &c. Græcus ℣℣. 8 & 9 (n): *Memento præceptorum* Dei, *& ne irascaris proximo.* Memento *fœderis Altissimi, & neglige ignorantiam*, quicquid in te peccatum est ex ignorantiâ. Qui cæteris injuriam infert, ignorans est: *omnis peccans est ignorans*: Si enim nosset, quantum sibi noceat, fieri ne posset, ut reluctantibus Dei mandatis fratrem læderet? Et multo gravior eorum cæcitas & ignorantia est, qui

(a) *Exod.* XXI, 24; *Levit.* XXIV, 20. (b) *Deut.* XXXII, 35; *Hebr.* X, 30. (c) *Levit.* XIX, 17. (d) *Psal.* VII, 5. (e) *Luc.* VI, 37; *Matth.* VII, 2. (f) *Matth.* VI, 12. (g) *Luc.* VI, 37. (h) *Matth.* XVIII, 32. (i) *Senec.* (k) Αὐτὸς σὰρξ ὢν διατηρεῖ μῆνιν, καὶ τίς ἐξιλάσεται τὰς ἁμαρτίας αὐτοῦ; (l) *Eccli.* VII, 40. (m) Μνήσθητι τὰ ἔσχατά σου, καὶ παῦσαι ἐχθραίνων. Καταφθορὰν, καὶ θάνατον, καὶ ἔμμενε ἐντολαῖς. (n) Μνήσθητι ἐντολῶν, καὶ μὴ μηνίσῃς τῷ πλησίον, καὶ διαθήκης ὑψίστου, καὶ πάριδε ἄγνοιαν.

℣. 9. Memorare testamentum Altissimi & despice ignorantiam proximi.

℣. 10. Abstine te a lite, & minues peccata.

℣. 11. Homo enim iracundus incendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittet inimicitiam.

℣. 12. Secundùm enim ligna silvæ, sic ignis exardescit: & secundùm virtutem hominis, sic iracundia illius erit, & secundùm substantiam suam exaltabit iram suam.

℣. 13. Certamen festinatum incendit ignem: & lis festinans effundit sanguinem: (& lingua testificans adducit mortem.)

℣. 14. Si sufflaveris in scintillam, quasi ignis exardebit: & si expueris super illam, extinguetur: utraque ex ore proficiscuntur.

℣. 15. Susurro, & bilinguis maledictus: multos enim turbabit pacem habentes.

℣. 16. Lingua tertia multos commovit, & dispersit illos de gente in gentem.

℣. 17. Civitates muratas divitum destruxit, & domos magnatorum effodit.

℣. 18. (Virtutes populorum concidit, & gentes fortes dissolvit.)

℣. 19. Lingua tertia mulieres viratas ejecit, & privavit illas laboribus suis.

COMMENTARIUS.

qui majori studio atque animadversione peccant.

Complutensis Editio ita legit ℣℣. 6, 7, 8, 9: *Memento extremorum tuorum, & desine inimicitias fovere.* 7: *At ne mineris iracundè proximo exitium & mortem: constans esto in mandatis* Dei. 8: *Memento præceptorum, & ne irascaris proximo.* 9: *Memor esto fœderis Altissimi, & neglige peccata ignorantiæ*, nempe quodlibet genus peccati in proximum, quæ ab Authore hoc nomine appellantur, quo illorum gravitas & horror minuitur. *Suam illis ignorantiam remitte.* Profectò, si rem probè perpendas, pleræque simultates atque inimicitiæ ex ignorantiâ oriuntur. Singulorum animi si explicentur, innumeræ statim simultates cadent.

℣. 10. ABSTINE TE A LITE, ET MINUES PECCATA. Rixas & jurgia cum vindictâ jungit, quippe quæ naturâ maximè conjunguntur. Rixæ simultatem, inimicitias, odia, maledicta, plagas, cædes pariunt. Levissimâ sæpe scintillâ gravissima incendia excitantur. Leve animi dissidium immortalia interdum odia, atque innumerorum criminum seriem affert.

℣. 12. SECUNDUM LIGNA SILVÆ, SIC IGNIS EXARDESCIT: ET SECUNDUM VIRTUTEM (vires) HOMINIS, SIC IRACUNDIA ILLIUS ERIT. Quò locupletior ac validior es, eò majori curâ vitanda sunt jurgia & rixæ. Ut enim ignis in nemore eò validior est, quò densius fuerit nemus; ita ea mala, quæ ex jurgiis nascantur, eò graviora futura sunt, quò ampliores authoritas tua, tuæque vires fuerint. *Sicut fremitus leonis, ita & Regis ira*, inquit Sapiens (o). Græcus legit (p): *Pro materiâ ardescit ignis: pari modo pro viribus hominis*, qui rixam movit, *rixa augebitur. Pro viribus hominis iracundia illius est: & pro opibus suis attollet iram suam.*

℣. 13. CERTAMEN FESTINATUM INCENDIT IGNEM: ET LIS FESTINANS EFFUNDIT SANGUINEM. Altera vitandarum litium & rixarum ratio est, quòd nihil faciliùs aut celeriùs, quàm rixæ ignis, ardeat; gravissima verò inde mala oriuntur. Unicum initio verbum fit; deinde lis ardere incipit; tum sequuntur jurgia & contumeliæ: denique in vulnera cædesque res desinit. Scintilla est, ut proximus huic versiculus habet: extinguere statim potes salivâ, si negligas, iræque inimici moderationem & patientiam opponas (q). Si verò hanc scintillam flatu excitas, ingens incendium pariet, minimè extinguendum. *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas*, ait Salomon (r).

℣. 15. SUSURRO ET BILINGUIS, MALEDICTUS. Humanæ consuetudinis pestes, & bonorum horror sunt clancularius detractor & vafer, aliud ore, aliud animo gerens, bilinguis, qui aliâ utitur linguâ ut secum ipse loquatur, aliâ ut cum cæteris agat; utraque verò non consentiunt. Græcus (s): *Detractori clanculario & bilingui maledicite.*

℣. 16. LINGUA TERTIA MULTOS COMMOVIT. Tertia hæc lingua ea est, quæ se inter duos amicos interponit, dissidia serendo (t), quæque perniciosâ oratione quælibet vel maximè simplicia vitiat, malamque in partem detorquet, ut simultates serat. Græcus e Complutensi Editione (u): *Lingua duplex*, vel *lingua secunda.* Eadem res est, quam mox explicavimus. Lingua quæ inter amicos intercedit, malisque delationibus illos invicem committit. Codices quidam ferunt (x), *Lingua perforata*, quæ secretum non servat, duasque in partes divisa est. Mala quæ ex hujusmodi linguis oriuntur, sequentibus versiculis enumerat.

℣. 19. MULIERES VIRATAS EJECIT, nuptas repudiari coëgit, ET PRIVAVIT ILLAS LABORIBUS SUIS, labo-

(o) *Prov.* XIX, 12. (p) Κατὰ τὴν ὕλην τοῦ πυρὸς οὕτως ἐκκαυθήσεται, καὶ κατὰ στερέωσιν τῆς μάχης οὕτως αὐξηθήσεται. Κατὰ τὴν ἰσχὺν τοῦ ἀνθρώπου ὁ θυμὸς αὐτοῦ ἔσται, καὶ κατὰ τὸν πλοῦτον αὐτοῦ, ὑψώσει ὀργὴν αὐτοῦ. (q) *Vide Chrysost. homil.* 3, *de non adeundis spectacul.* (r) *Prov.* XXVI, 21.
(s) Ψίθυρον καὶ δίγλωσσον καταράσασθε. *Edit. Rom.* Καταρᾶσθαι. *Maledicere, supple, oportet.*
(t) *Vide similem loquendi modum in Cald. Paraphr. Psal.* C, 5; CXXXIX, 12. (u) Γλῶσσα δισσὴ πολλοὺς ἐσάλευσε. (x) Γλῶσσα τρητὴ, vel τετρυπημένη.

℣. 20. Qui respicit illam, non habebit requiem, nec habebit amicum, in quo requiescat.

℣. 21. Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguæ comminuet ossa.

℣. 22. Multi ceciderunt in ore gladii: sed non sic, quasi qui interierunt per linguam suam.

℣. 23. Beatus, qui tectus est a linguâ nequam, qui in iracundiam illius non transivit, & qui non attraxit jugum illius, & in vinculis ejus non est ligatus.

℣. 24. Jugum enim illius, jugum ferreum est: & vinculum illius, vinculum æreum est.

℣. 25. Mors illius, mors nequissima: & utilis potiùs infernus quàm illa.

℣. 26. (Perseverantia illius non permanebit,) sed obtinebit vias injustorum: & in flammâ suâ non comburet justos.

℣. 27. Qui relinquunt Deum, incident in illam: & exardebit in illis, & non extinguetur, & immittetur in illos quasi leo, & quasi pardus lædet illos.

℣. 28. Sepi aures tuas spinis: linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras.

COMMENTARIUS.

laborum fructu. Maledica lingua suspicionem apud maritos adversùs mulieres fortes creavit, effecitque ut repudio ejicerentur, ac fructu laborum carerent. *Virata* hoc loco est fortis & generosa (y). Mulier fortis tum in Proverbiis (z) tum in hoc libro (a) est mulier industria, solers, laboris amans, ac rei familiaris studiosa. Hinc fit, ut hoc loco dicatur fructu laborum privari repudio; cùm enim mulier fortis fuerit, viri domum sedulâ rei familiaris administratione bonis cumulavit.

℣. 20. NEC HABEBIT AMICUM IN QUO REQUIESCAT. Neminem babebit, cujus præsidio niti queat; maledicos enim optimos amicorum infidos esse suadebit, ipsiusque animum ab illis avertet. Græcus (b): *Neque babitabit tranquillus.*

℣. 21. FLAGELLI PLAGA LIVOREM FACIT; PLAGA LINGUÆ COMMINUET OSSA. De ictibus linguæ superiùs egit (c). *Flagellum linguæ* longè durius est, quàm virgæ aut fustis. *Verba susurronis*, inquit Sapiens (d), *quasi simplicia, & ipsa perveniunt ad intima ventris.* Sequenti versiculo cum ense comparat, docetque plures linguæ causâ periisse, quàm ensis & armorum.

℣. 22. SIC QUASI QUI INTERIERUNT PER LINGUAM SUAM. Ingens eorum numerus est, qui gladio interierunt; at multò plures sunt, qui linguæ causâ. Græcus solùm legit: *Quantò plures linguâ ceciderunt!* Id communiter significat, multò plures a linguâ maledicâ cædes, quàm a militum gladiis effici; plures enim necat animos lingua, quàm ensis corpora.

℣. 24. JUGUM ENIM ILLIUS JUGUM FERREUM EST. Felix qui maledicæ linguæ nequitiam nunquam expertus est, neque jugo ipsius, ejusque ictibus & vinculis obnoxius fuit. Nihil ejus vinculis durius, nihil gravius jugo, nihilque plagis lethalius.

℣. 25. MORS ILLIUS MORS NEQUISSIMA; AT UTILIS POTIUS INFERNUS QUAM ILLA. Nequam lingua & maledica mortem parit sævissimam atque atrocissimam; cui nullâ ex parte comparari usitata mors & sepulcrum queunt. Carnis vitam mors aufert: maledici lingua vitam morte ipsâ longè duriorem ac molestam efficit; quippe quæ hominem famâ, dignitate, amicis exuit. Societatis tranquillitatem ac suavitatem aufert; quæ durissima omnium rapina est.

℣. 26. PERSEVERANTIA ILLIUS NON PERMANEBIT: SED OBTINEBIT VIAS INJUSTORUM: AT IN FLAMMA SUA NON COMBURET justos. Prima hujus ℣. pars in Græco non est, ubi hæc solùm leguntur (e): *Neque dominabitur piis, & in flammâ ejus non comburentur.* Maledicus pios non secus ac cæteros invadet; illis tamen minimè dominabitur. Ejus flamma in illos attolletur, at minimè amburet: minimè patietur Deus, ut justitia & veritas diù oppressæ jaceant, illas enim deteget, omnibusque manifestas efficiet. Ita etiam explicari potest: Lingua maledica inter sanctos non dominabitur, scilicet in Israële, qui populus Dei est: & ipsius flammâ non comburentur. Ita in Israële non debacchabitur, uti apud alias gentes (f): Israëlitas enim detractione, calumniâ & mendacio Deus interdicit. Prior explicatio melior videtur, ob ea quæ sequuntur ℣. 27: *Qui relinquunt Deum, incident in illam: & exardebit in illis, & non extinguetur, & immittetur in illos quasi leo, &c.*

℣. 28. SEPI AURES TUAS SPINIS: LINGUAM NEQUAM NOLI AUDIRE, ET ORI TUO FACITO OSTIA ET SERAS. Cùm ingens adeò malum sit maledici hominis lingua, tantasque cædes pariat, illius insidias sedulò fuge: aures obstrue, neque aditum illi præbeto: coram maledico adhibe linguæ custodiam, neque quicquam loquaris, ne cæteris narret quæ dixisti, & in contrariam menti tuæ sententiam detorqueat. Græcus (g): *Circumvalla agrum*

(y) Γλῶσσα τρίτη, vel διοσὴ, γυναῖκας ἀνδρείας ἐξέβαλε. (z) *Prov.* XXXI, 10. (a) *Eccli.* XXVI, 2.
(b) Οὐδὲ κατασκηνώσει μεθ' ἡσυχίας. (c) *Eccli.* XXVI, 9. *Confer Job*, V, 21. (d) *Prov.* XXVI, 22.
(e) Οὐ μὴ κρατήσῃ εὐσεβῶν, καὶ ἐν τῇ φλογὶ αὐτῶν οὐ μὴ καήσονται. (f) Confer *Eccli.* XXIII, 15: *Non inveniatur in hæreditate Jacob: etenim a misericordibus omnia hæc auferentur.*
(g) Ἴδε περίφραξον τὸ κτῆμά σου ἀκάνθαις, καὶ τῷ στόματί σου ποίησον θυρώματα, καὶ μοχλὸς. *Vulg. legit:* Τὰ ὠτία σου, *pro*, τὸ κτῆμα. Editio Romana & Aldina alteram versiculi partem omittunt, utpote quæ sequenti versiculo continetur.

℣. 29. Aurum tuum, & argentum tuum confla, & verbis tuis facito ſtateram, (& frænos ori tuo rectos.)

℣. 30. Et attende, ne fortè labaris in linguâ, & cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium tibi, (& ſit caſus tuus inſanabilis in mortem.)

COMMENTARIUS.

agrum tuum ſpinis, & ori tuo facito fores & vectes. Eodem modo legebant S. Ambroſius (*h*), S. Hilarius (*i*), & Syrus. Neque ſatis eſt non obloqui: coërcenda eſt pro viribus obloquentium licentia: aures obſtrue, uti agrum ſpinis. *Ventus aquilo diſſipat pluvias, & facies triſtis linguam detrahentem*, ait Salomon (*k*). Intelligat ex oris tui ſeveritate detractor, tibi non placere detractionem. *Nemo invito auditori libenter refert*, inquit S. Hieronymus (*l*). *Diſcat detractor, dum te videt non libenter audire, non facilè detrahere.* Ne detrahenti quicquam addas, ne reſpondeas, neque de te apud cæteros obloquendi materiam illi præbeas. *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis, ne declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis*, ajebat Pſalmiſta (*m*). Pauci admodum ſunt, qui aptas linguæ fores admoverint; plures verò qui de iis agunt, quæ ad ſe minimè pertinent (*n*).

℣. 29. AURUM TUUM ET ARGENTUM TUUM CONFLA, ET VERBIS TUIS FACITO STATERAM. Quicquid opum habes, in hanc rem erogato, ut tibi ſtateram compares, qua omnes oris tui ſententias ad libram expendas: ne parcas ſumptibus: aurum omne & argentum in eam rem conferas. Græcus (*o*): *Argentum tuum & aurum tuum colligato, & verbis tuis facito libram & pondus.* Aurum atque argentum indiſcriminatim, nulloque examine aut pondere, uti datur, accipe, & in ſacco reconde: at verbum nequod tibi excidat non probè expenſum, cave. *Ligare argentum*, apud Hebræos eſt, in ſacculo pecuniam condere (*p*). *Ligamen argenti* eſt pecuniæ ſacculus (*q*), vel faſciculus virgularum ex quolibet metallo, quarum meminit Plutarchus (*r*), quæque loco pecuniæ priſcis erant. Vide noſtram Diſſertationem de pecuniâ Hebræorum, ad Geneſim. Veterum plures (*s*) legebant: *Verbis tuis facito jugum & ſtateram*: pluraque & pulcherrima morum dogmata ex eo jugo eâque ſtaterâ ducunt. At Græca vox *Zugos*, & Latina *Jugum* libram ex æquo ſignificant.

ET FRÆNOS ORI TUO RECTOS. Græcus hæc non habet, atque ita fert (*t*): *Ori tuo facito fores & vectem.* Hæc verba non habet Romana Editio in ℣. 28; at in hoc eadem legit.

CAPUT XXIX.

Hortatur, ut opera miſericordiæ exerceas, ac præſertim mutuum des, & beneficus pauperi ſis. Malus debitor. Ingratus illorum animus, qui mutuo acceperunt. Vadem pro altero ne temerè te exhibueris. Quæ hominis vitæ neceſſaria ſunt. Miſera peregrinorum conditio.

℣. 1. QUI facit miſericordiam, fœneratur proximo ſuo: & qui prævalet manu, mandata ſervat.

℣. 2. Fœnerare proximo tuo in tempore neceſſitatis illius: & iterum redde proximo in tempore ſuo.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUI FACIT MISERICORDIAM, FOENERATUR PROXIMO SUO: ET QUI PRÆVALET MANU, MANDATA SERVAT. Inverſo locutionis ordine, ita reddi poteſt (*a*): *Qui facit eleemoſynam, habebit unde mutuum det proximo ſuo*: illum Deus bonis cumulabit, ſemperque opibus affluet; *& qui mandata ſervat, præſtabit opibus*; hoc enim propriè eſt *prævalere manu* (*b*), ut *infirmari manu* (*c*) eſt inopiâ laborare. Hic locus reſpicit ad Pſalmum XXXVI, 21: *Mutuabitur peccator & non ſolvet: juſtus autem miſeretur & tribuet.* Divitiis ita abundabit, ut cæteris mutuum det, & eleemoſynas largiatur. Optima videtur hujus loci explicatio. Si Vulgatam ſequeris, nobiliſſima erui poteſt ſententia: *Qui facit miſericordiam*, qui pauperi dat, *fœneratur* Deo, dum benefacit *proximo*, ut habent Proverbia, XIX, 17: *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis. Qui prævalet manu*, qui fortis manu eſt, qui abundè pleniſque manibus largitur, *mandata ſervat*: charitatem colit, primam inter præcepta, quæ ad proximum ſpectant.

℣. 2. FOENERARE PROXIMO TUO IN TEMPORE NECESSITATIS: ET ITERUM REDDE PROXIMO IN TEMPORE

(*h*) *Ambroſ. lib. 1 Offic. c. 3.* (*i*) *Hilar. in Pſal.* CXL. (*k*) *Prov.* XXV, 23. (*l*) *Hieronym. Ep. 2 ad Ruſtic.*
(*m*) *Pſal.* CXL, 3. (*n*) *Theognid.*

Πολλοῖς ἀνθρώποις γλώσσῃ θύραι οὐκ ἐπίκεινται
Ἁρμόδιαι, καὶ σφιν πολλ' ἀμέλητα μέλει.

(*o*) Τὸ ἀργύριόν σου, καὶ τὸ χρυσίον καταδήσον, καὶ τοῖς λόγοις σου ποίησον ζυγὸν, καὶ σταθμόν.
(*p*) *Deut.* XIV, 25; & 4 *Reg.* V, 23. (*q*) *Geneſ.* XLII, 35. צרור כספו בשקו *Ligamen argenti in ſacco ſuo. Prov.* VII, 20: צרור הכסף לקח בידו *Ligamen argenti tulit in manu ſuâ.*
(*r*) *Plut. in Lyſandro.* (*s*) *Ambroſ. lib. 1 Offic. c. 3; & in Pſal.* CXVIII; *Hilar. in Pſal.* CXL; *Gregor. Magn. in Pſal.* IV *Pœnitent. ſed Hieronym. in Ezech. Sermonibus tuis facito ſtateram & appendiculum.* (*t*) Καὶ τῷ στόματί σου ποίησον θύραν, καὶ μοχλόν. (*a*) Ὁ ποιῶν ἔλεος, δανειεῖ τῷ πλησίον, καὶ ὁ ἐπισχύων τῇ χειρὶ αὐτοῦ, τηρεῖ ἐντολάς. (*b*) *Levit.* V, 7, 11; XIV, 21, 22; XXV, 49. *Vide & Prov.* III, 27. (*c*) *Levit.* XXV, 35.

℣. 3. Confirma verbum, & fideliter age cum illo: & in omni tempore invenies quod tibi necessarium est.

℣. 4. Multi quasi inventionem æstimaverunt fœnus, & præstiterunt molestiam his, qui se adjuverunt.

℣. 5. Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant vocem suam.

℣. 6. Et in tempore redditionis postulabit tempus, & loquetur verba tædii, & murmurationum, & tempus causabitur.

℣. 7. Si autem potuerit reddere, adversabitur: solidi vix reddet dimidium, & computabit illud quasi inventionem.

℣. 8. Sin autem, fraudabit illum pecuniâ suâ, & possidebit illum inimicum gratis:

℣. 9. Et convicia, & maledicta reddet illi; & pro honore & beneficio reddet illi contumeliam.

℣. 10. Multi non causâ nequitiæ non fœnerati sunt, sed fraudari gratis timuerunt.

COMMENTARIUS.

PORE SUO. Quæ tibi fieri vis, alteri facias. Quoties alter opus habuerit, bonâ fide mutuum da: quæ autem ab eo mutuo accepisti, pari fide, suoque tempore restitue. Ita colitur charitas, & amicitiæ fides servatur; atque ita, ℣. 3, *in omni tempore invenies quod tibi necessarium est*. Ii qui opibus abundant, ne mutuum dent plerumque deterrentur non animi sævitiâ, sed metu ne bene ingratis faciant, quibus grave est ea restituere quæ acceperunt; vel ne prorsus amittant ea quæ bonâ fide mutuo tribuunt. Id optimè Author hoc capite docet. Prioribus undecim versiculis humana solummodò argumenta proponit; ostenditque frequenter contingere, ut is qui mutuum accipit, male de dante mereatur. At ℣. 12, & qui sequuntur, eleemosynam gravioribus verbis commendat, ductis e charitate, divinarumque legum obsequio argumentis.

℣. 4. MULTI QUASI INVENTIONEM ÆSTIMAVERUNT FOENUS. Quæ mutuo acceperuot, plures ita habent, qoasi invenerint. *Fœnerari*, & *fœnus*, quæ voces vulgo sonant, *mutuo dare*, in toto hoc Libro absolutè pro mutuo usurpantur. Plerique ex iis, qui mutuo accipiunt, accepta nedum statim bonâque fide non restituunt, verùm etiam ceu propria sibi arrogare conantur. Idque in causâ est, cur tam multi a rebus mutuo dandis deterreantur, & pro amissis habeant quæ dederunt.

ET PRÆSTITERUNT MOLESTIAM HIS, QUI SE ADJUVERUNT. Rem mutuo acceptam non modò integrâ fide creditoribus non reddunt, verùm etiam benemerentibus molestiam morâ & detractionibus creant. Frequenter cootingit, ut dum amicum tibi comparaturum credis, inimicum facias. Qui antequam mutuo dedisses, te invisebat, & amicitiam profitebatur; post beneficium, te fugit atque aversatur.

℣. 5. DONEC ACCIPIANT, OSCULANTUR MANUS DANTIS; ET IN PROMISSIONIBUS HUMILIANT VOCEM SUAM. Nihil vel turpissimum prætermittunt, dum voti compotes fiant: maoum dantis osculantur, loquntur submissè: at cùm restituendum est, mutantor omoia. Manùs osculari, plerumque servorum erat (d): amici & propinqui oculos, os, caput, collum osculabantur (e).

℣. 6. LOQUETUR VERBA TÆDII, ET MURMURATIONUM, ET TEMPUS CAUSABITUR. Græcus (f): *Verba tibi tædiosa reponet, & tempus causabitur* incommodum solutioni. Vel: Jubebit te esse securum, & minimè opportunum esse tempus dicet; vel denique, negligenter respondebit, nondum solvendi tempus esse. Ita causari solent mali debitores.

℣. 7. SI AUTEM POTUERIT REDDERE, ADVERSABITUR, ET SOLIDI VIX REDDET DIMIDIUM, totius summæ dimidium. Vix dimidium debiti restituet, idque beneficii tibi præstiti loco haberi volet. *Et computabit illud quasi inventionem*; quasi rei a se inventæ partem tibi tribuat (g); vel alteram summæ partem, ceu rem sibi acquisitam, inventamque arrogabit (h). Denique, ipse creditor in locro pooet, si dimidium pecuniæ creditæ receperit (i).

℣. 8. SIN AUTEM, FRAUDABIT ILLUM PECUNIA, ET POSSIDEBIT ILLUM INIMICUM GRATIS, sibi inimicum immeritò faciet. (9) ET CONVITIA ET MALEDICTA REDDET ILLI. Hoc profectò quotidianæ experientiæ usus docet. Mutuum amico das; & ubi mutuum repetis, ioimicum facis. Duplex simul jactura tibi fit, pecuniæ & amici, teque conviciis ac maledictis obnoxium reddis. An igitur colliges, mutuum dandum non esse? Minimè omnium: at ita pauperi dandum mutuo est, ut paratus sis amittere, si ille restituendo non sit; vel dono dandum, si noveris parem non fore reddendis quæ acceperit. *Dives es?* inquit S. Ambrosius (k), *non sumas mutuum. Pauper es? considera solvendi difficultatem. Opulentia usuris minuitur: paupertas usuris non levatur.*

℣. 10. MULTI NON CAUSA NEQUITIÆ NON FOENERATI SUNT, SED FRAUDARI GRATIS TIMUERUNT. Debitorum nequitia, malaque mutuo accipientiom fides, duplex malum afferunt: alterum publico, quilibet enim ægrè mutuum dat, cùm amittendæ rei periculum immineat; alterum ipsis accipien-

(d) *Arrian. in Dissert. Epicteti, lib. 5, c. 19:* Ἄλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ, ἄλλος τὸν τράχηλον, οἱ δοῦλοι τὰς χεῖρας. *Macrob. lib. 1 Saturnal. Invenies dominum spe lucri oscula alienorum servorum manibus infigentem.* (e) *Act. xx, 37: Procumbentes super collum Pauli, osculabantur eum. Plut. in Bruto, de conjuratione in Cæsarem loquens:* Ἀπτόμενοι τε χειρῶν, καὶ στέρνα, καὶ κεφαλὴν κατεφίλουν. (f) Καὶ ἀποδώσει λόγους ἀκηδίας, καὶ τὸν καιρὸν αἰτιάσεται. (g) *Castal. Jans.* (h) *Grot. Palac.* (i) *Drusius, hic.* (k) *Ambros. lib. de Tobiâ, c. 21.*

℣. 11. Verumtamen ſuper humilem animo fortior eſto, & pro eleemoſynâ non trahas illum.
℣. 12. Propter mandatum aſſume pauperem: & propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum.
℣. 13. Perde pecuniam propter fratrem, & amicum tuum: & non abſcondas illam ſub lapide in perditionem.
℣. 14. Pone theſaurum tuum in præceptis Altiſſimi, & proderit tibi magis quàm aurum.
℣. 15. Conclude eleemoſynam in corde pauperis: & hæc pro te exorabit ab omni malo.
℣. 16. Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam, adversùs inimicum tuum pugnabit.
℣. 17. Vir bonus fidem facit pro proximo ſuo: & qui perdiderit confuſionem, derelinquet ſibi.

COMMENTARIUS.

pientibus, qui deceptis ſemel creditoribus, neminem deinde inveniunt, qui cum ſolo jacturæ discrimine det. *Multi diſpendii causâ metu non fœnerant, dum fraudem verentur*, ait S. Ambroſius (l). Et (m): *Cùm iſtum fraudaveris cui debes, poſtea in tempore neceſſitatis tuæ non invenies creditorem*.

℣. 51. VERUMTAMEN SUPER HUMILEM ANIMO FORTIOR ESTO, ET PRO ELEEMOSYNA NON TRAHAS ILLUM. Græcus (n): *Erga humiliationem patiens eſto, & ne diu trahas illum in eleemoſynâ*, vel beneficio, quo illum afficis. Quæ hactenus de nequitiâ malâque debitorum fide disputavi, te ne prohibeant, quin mutuum des, aut cæteris beneficium præſtes. Si in anguſto obſcuroque rerum ſtatu eſt, patienter expecta, neque ad ſolutionem adigito, ſi par ſolvendo non ſit. Si coactus inopiâ, opem tuam poſtulet, ne iteratis dilationibus magno beneficium vende. Mutuum da, quaſi nunquam recuperaturus; ut ubi redierit res, illam lucri loco habeas (o): *Da quaſi non recepturus, ut lucro cedat, ſi reddita fuerit. Qui non reddit pecuniam, reddit gratiam: ſi fraudaris pecuniâ, acquirit juſtitiam*.

℣. 52. PROPTER MANDATUM ASSUME PAUPERAM, fer opem pauperi. Si ſolius lucri causâ fratrem juvas, ſoliusque fœnoris conditione mutuum das, quæ eſt laus tua? Quid majus facis, quàm Ethnicus faceret? Quod humanitatis genus eſt, pauperem bonis ſpoliare, ut opes tuas augeas (p)? *Minus datis, & plus exigitis. Talis humanitas, ut ſpolietis, etiam cùm ſubvenitis. Fœcundus etiam vobis eſt pauper ad quæſtum*. Cur divinæ ſanctioni non obtemperatis? *Si unus de fratribus tuis, qui morantur intra portas civitatis tuæ, in terrâ quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi, ad paupertatem devenerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, ſed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perſpexeris .... Ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum* (q).

℣. 53. PERDE PECUNIAM PROPTER FRATREM, ET NON ABSCONDAS ILLAM SUB LAPIDE IN PERDITIONEM. Si amicus in rebus aſperis opem a te poſtulat, cur non afferis, quamvis cum jacturæ diſcrimine, nullâque reſtituendi obligatione? Nonne ſatis lucri eſt, ſi amicum tueris? Quòd ſi ſolius humanitatis causâ tibi conjungitur is qui opem rogat, ferre ne dubita (r). *Nullum hic damnum eſt, ſed compendium. Minimum datis, multum recipietis. In terrâ datis, & id vobis ſolvetur in Cælo. Fœnus amittitis, mercedem magnam habebitis*. Vide *Matth.* VI, 19, 20, *&c.*

℣. 55. CONCLUDE ELEEMOSYNAM IN CORDE PAUPERIS; ET HÆC PRO TE EXORABIT AB OMNI MALO. Opes tuas ſi in tuto eſſe vis, illas ne humi, aut in rupe, ſed in ſinu pauperis conde, hunc ale, veſtibus protege, in rebus anguſtis juva; atque hâc arte theſauros tuos in tuto collocabis (s). Græcus (t): *Conclude eleemoſynam in penetralibus tuis; & hæc te liberabit ab omni malo*. Cellæ tuæ, tuaque horrea ne uni tibi abundent: pars pauperum ſit. Verus condendarum opum locus eſt pauperum ſinus, ut optimè animadvertit Vulgata: is enim theſaurus Chriſti eſt. *Nunquam memini*, inquit S. Hieronymus (u), *me legiſſe malâ morte defunctum, qui libenter opera charitatis exhibuit; habet enim multos interceſſores, & impoſſibile eſt multorum preces non exaudiri*.

℣. 56. SUPER SCUTUM POTENTIS, ET SUPER LANCEAM, ADVERSUS INIMICUM TUUM PUGNABIT. Latini Codices plures (x) ante ℣. 56 addunt hæc verba, ex hujus libri capite XVII, 18, 19: *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſervabit*; vel, gratiam Domini ſervabit illi, ceu pupillam: *& poſtea reſurget Deus, & retribuet illis retributionem*. Impios puniet ex criminum merito. Minimè tamen hìc neceſſaria fuit hæc additio; quamobrem a Vulgatâ deeſt.

℣. 57. VIR BONUS FIDEM FACIT PROXIMO SUO. Non uno in loco eos damnat Salomon (y), qui ſeſe pro altero vadem exhibet; debitoris tamen incuriam arguit, creditori rem reſtituere ceſſantis, ejusdemque impudentiam, dum amicum in id negotii genus trahit, quod graviſſimam illi moleſtiam fortaſſe creabit. Rem aliter ſpectat Libri author. Salomon nonniſi ad hujus vitæ bona, & tranquillam diſcipuli vitam reſpiciebat; Eccleſiaſticus rationes ducit ex humanitate & religione. Docet hic, pium hominem, humanitate & charitate præditum pro fratre ſponſurum. Hominem verò qui pudore & humanitate caret, ipſum in rebus anguſtiſſimis derelicturum. Alibi tamen aliquem conſilio modum imponit (z): *Non ſpondeas ſuper virtutem tuam; quod ſi ſpoponderis, quaſi reſtituens cogita*. Vide & infra, ℣. 27.

℣. 58. GRA-

(l) *Ambroſ. de Tobiâ, c. 3.* (m) *Idem, lib. de Tobiâ, c. 25.* (n) Πλὴν ἐπὶ ταπεινῷ μακροθύμησον, καὶ ἐπ᾽ ἐλεημοσύνῃ μὴ παρελκύσῃς αὐτόν. (o) *Ambroſ. lib. de Tobiâ, c. 3.* (p) *Ambroſ. de Tobia, c. 3, n. 11.* (q) *Deut.* XV, 7, 8. (r) *Ambroſ. de Tobiâ, c. 16.* (s) *Vide Matth.* VI, 19, 20; *Jacob.* V, 3, 4. (t) Σύγκλεισον ἐλεημοσύνην ἐν τοῖς ταμιείοις σου, καὶ αὐτὴ ἐξελεῖταί σε ἐκ πάσης κακώσεως. (u) *Hieronym. ad Nepotian.* (x) *Vide Cyprian. de Opere & Eleemoſyn. & Complut. hic, & alios.* (y) *Prov.* VI, 1; XI, 15; XVII, 18; XX, 16; XXII, 26. (z) *Eccli.* VIII, 16.

℣. 18. Gratiam fidejussoris ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam.

℣. 19. Repromissorem fugit peccator, & immundus.

℣. 20. Bona repromissoris sibi adscribit peccator: & ingratus sensu derelinquet liberantem se.

℣. 21. (Vir repromittit de proximo suo: & cùm perdiderit reverentiam, derelinquetur ab eo.)

℣. 22. Repromissio nequissima multos perdidit dirigentes, & commovit illos quasi fluctus maris.

℣. 23. (Viros potentes gyrans migrare fecit, & vagati sunt in gentibus alienis.)

℣. 24. Peccator transgrediens mandatum Domini, incidet in promissionem nequam: & qui conatur multa agere, incidet in judicium.

℣. 25. Recupera proximum secundùm virtutem tuam, & attende tibi, ne incidas.

℣. 26. Initium vitæ hominis, aqua, & panis, & vestimentum, & domus protegens turpitudinem.

COMMENTARIUS.

℣. 18. Gratiam fidejussoris ne obliviscaris: dedit enim pro te animam suam. Duo sunt cautionum genera: alterum pro pecuniâ & ære alieno; alterum pro personâ: uti si quis spondeat aliquem hominem stato tempore adfuturum (a). De postremo hoc genere agere videtur Ecclesiasticus, cùm dicat, sponsorem *dedisse animam suam*. Hæc tamen locutio æquè significare potest, illum fortunas omnes pro amico obligasse. Fortunas interdum & res vitæ necessarias Scriptura *vitam* nuncupat. Ita de muliere viduâ, quæ duos obolos in Templi arcam injecit, dicitur (b): *Omnia quæ habuit, misit, totum victum suum*. Et apud Ecclesiasticum (c): *Initium vitæ hominis, aqua & panis, &c.* Quæ maximè necessaria homini sunt. Et (d): *Est mihi sufficiens vita*; satis habeo unde vivam.

℣. 19. Repromissorem fugit peccator, et immundus. Græcus paulò fusiùs (e): *Bona sponsoris vir sceleratus evertit.* (20) *Et is qui ingratus est, liberatorem suum in cogitatione relinquet*; totâ ex mente proscribet; nullam illius memoriam servabit; suâque incuriâ exitium amico creabit. Eadem res iterùm dicitur ℣. 23, qui ex Græco abest. Qui de vili homine bene meretur, inquit Theognides (f), operam perdit, veluti qui in mari semen spargit. Ingrati animi vitium severissimè apud Persas puniebatur: ingrati ad Judices deferebantur; & eos, qui hoc vitio laborantes ostenderentur, ceu Deorum contemptores, ac parentum, patriæ & amicorum osores supplicio afficiebant (g). *Omnes immemorem beneficii oderunt, eamque injuriam in deterrendâ liberalitate sibi etiam fieri; eumque qui faciat, communem hostem putant* (h).

℣. 22. Repromissio nequissima multos perdidit dirigentes. Importuna sponsio multos perdidit, quibus res bene cedebant. Quamobrem frequenter adeò monet discipulum Salomon, ne sese sponsorem temerè pro altero exhibeat. Profectò frequentissimum exitii discrimen est ob incuriam fraudemque illius, cui alter sese sponsorem præbuit. Creditor enim sponsorem invadit, vexat, spoliat; atque ipse sponsor, velut in procellâ navis, agitatur; interdum etiam probri communisque contemptûs causâ per urbes ac regiones incertus vagari cogitur. 23 *Viros potentes gyrans migrare fecit, & vagati sunt in gentibus alienis.*

℣. 24. Peccator incidet in promissionem nequam, fidejussionem temerariam; et qui conatur multa agere, incidet in judicium. Ingens adeò malum est, pro moroso debitore fidejubere, ut gravius a Deo supplicium hominibus vel impiissimis contingere nequeat. Quem odit Deus, is fidejubeat; & qui alienis litibus implicantur, hi vectigalium curatores, gens Reipublicæ odiosa, hominum pestes, mala aliorum negotia suscipiant, illis fidejussores sint, causâ cadant, dignissimi enim horum sunt: at nihil tale piis contingat.

℣. 25. Recupera proximum secundum virtutem tuam: et attende tibi ne incidas. Ita claudit ea, quæ hactenus de fidejussione disputavit. Spondere pro altero, ipsumque molestiâ liberare, optimum est; sponsionis tamen lex & modus sit sapientia & prudentia; ne, dum benemereri de altero vis, tibi exitium crees. Perpende quid vires tuæ ferant; atque ita sponde, veluti aliquando damnum subiturus sis. *Non spondeas super virtutem tuam*, idem alibi scribit (i). *Si enim spoponderis, quasi restituens cogita.* Illius incuriam, pro quo temet fidejussorem dedisti, excitare studeto, ne, ubi constitutum tempus advenerit, deficientibus solvendo debitoris viribus, tu ipse a creditore exagitoris (k).

℣. 26. Initium vitæ hominis aqua et panis

(a) *Vide* 3 *Reg.* xx, 39: *Custodi virum istum, qui si elapsus fuerit, erit anima tua pro animâ illius.*
(b) *Marc.* xii, 44; & *Luc.* xxi, 4. (c) *Eccli.* xxix, 28. (d) *Eccli.* v, 1. (e) Α'γαθὰ ἐγγύυ, (*vel* ἀγαθὴν ἐγγύην) ἀνατρέψει ἁμαρτωλὸς, ἢ ἀχάριστ⊙ ἐν διανοίᾳ καταλείψει ῥυσάμενον αὐτόν.
(f) *Theognid.*

Δειλὸς δ' εὖ ἔρδοντι ματαιοτάτη χάρις ἐστὶν,
Ἶσον καὶ σπείρειν πόντον ἁλὸς πολιῆς.

(g) *Xenoph. l.* 1 *Cyroped.* Δικάζονται δὲ τδ' ἥκιστα ἀχαριστίας· Καὶ ὃν ἂν γνῶσι δυνάμενον μὲν χάριν ἀποδοῦναι, μὴ ἀποδιδόντα δὲ, κολάζουσι καὶ τοῦτον ἰσχυρῶς. Οἴονται γὰρ ἀχαρίστους, καὶ περὶ Θεοὺς ἂν μάλιστα ἀμελῶς ἔχειν, καὶ περὶ γονεῖς, καὶ πατρίδα, καὶ φίλους. (h) *Cicero de Officiis, l.* 2.
(i) *Eccli.* viii, 16. (k) *Prov.* vi, 1, 2, 5; *Ambros. de Tobiâ, c.* 23.

℣. 27. Melior est victus pauperis sub tegmine asserum, quàm epulæ splendidæ in peregrè (sine domicilio.)

℣. 28. Minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies.

℣. 29. Vita nequam hospitandi de domo in domum: & ubi hospitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os.

℣. 30. Hospitabitur, & pascet, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet.

℣. 31. Transi, hospes, & orna mensam: & quæ in manu habes, ciba cæteros.

℣. 32. Exi a facie honoris amicorum meorum: necessitudine domûs meæ hospitio mihi factus est frater.

℣. 33. Gravia hæc homini habenti sensum: Correptio domûs, & improperium fœneratoris.

COMMENTARIUS.

NIS ET VESTIMENTUM ET DOMUS PROTEGENS TURPITUDINEM. Novæ orationis initium, quâ docet Sapiens, naturam paucis esse contentam, nihilque infelicius esse illo, qui extra patriom solum vivere cogitur. Res, quibus homo indiget, si intra justos limites definiantur, hæ denique sunt: panis, aqua, vestis, domus. Scribit Josephus *(l)*, lege imperatum esse Judæis, ne cui ignem, aquam, cibum negarent, aut iter indicare. Grotius hunc locum ita vertit *(m)*: *Præcipua ad vivendum homini sunt aqua & panis: vestimentum verò est domus portatilis, obtegens ea, quæ nuda dedecent.* Qui contentus iis est, quæ a naturâ postulantur, nunquam aut mutuum accipere aut litigare cogetur.

℣. 27. MELIOR EST VICTUS PAUPERIS SUB TEGMINE ASSERUM, QUAM EPULÆ SPLENDIDÆ IN PEREGRE, SINE DOMICILIO. Cœnæ, quæ domi suæ habetur, nulla similis est. Pauper in alienâ domo, nullâ quiete fruitur aut libertate *(n)*. Felix qui paucis contentus esse scit, curis & ambitione vacuus *(o)*:

Beatus ille qui procul negotiis,
Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis,
Solutus omni fœnore.

℣. 28. MINIMUM PRO MAGNO PLACEAT TIBI. Ita contentus in paupertate tuâ vive, veluti ingentibus copiis afflueres: omnium instar tibi sit tranquillitas, quam tua mediocritas tibi parit. *Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut divitias computaremus hoc, quòd videbamus filium nostrum,* ajebat junioris Tobiæ mater *(p)*. Cur locupletum injuriis aut conviciis, itinera sectando, te objicis, dum tranquillus esse domi tuæ potes? Inopiam fugiens, plerumque libertatem amittis *(q)*.

Serviet æternum qui parvo nesciet uti.

Græcus *(r)*: *Contentus esto sive parvis sive magnis, & convicia domûs tuæ non audies.* Propinquorum conviciis minimè obnoxius eris, quos a te derelinqui pigebit, ut meliorem fortunam quæras. Altera hæc versiculi pars solummodo in Complutensi editione legitur. Vulgatæ lectio aptiùs componi videtur cum iis quæ sequuntur.

℣. 29. VITA NEQUAM HOSPITANDI DE DOMO IN DOMUM. Hoc de pauperibus intellige, qui cùm omnibus careant, stipem & hospitium ostiatim quæritant. Hi ubique in angustiis sunt, neque os libere aperiunt. Similes, inquit Salomon *(s)*, avi relicto nido: *Sicut avis transvolans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum.* Si felix esse vis, aut domi tuæ & liber vive, aut penitus ne vivas, ajebat Menander. Inter cætera, quæ Psalmista impio imprecatur, hoc non silet *(t)*: *Nutantes transferantur filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis.*

℣. 30. HOSPITABITUR ET PASCET INGRATOS, ET AD HÆC, AMARA AUDIET. 31. TRANSI, HOSPES, ET ORNA MENSAM. Vertendum ex Græco mihi videtur *(u)*: Illos fortasse aliàs *excepisti epulis & potu; at nullam illi gratiam tibi habuerunt.* 31. Si illos adis, dicent: *Veni, hospes, instrue mensam, & si quid habes, pasce me*, ex viatico, quod tecum attulisti, more Veterum, qui nunquam iter instituebant, nisi viatico instructi. Neque hoc satis: si aliquandiu substiteris, quamprimùm turpissimè te ejicient, dicentque, ℣. 32: *Exi, peregrine, a facie honoris amicorum meorum;* amicis locum da, quos honorificè excepturus sum. Vel, ex Græco *(x)*: *Exi a facie gloriæ*, proficiscere, domo egredere, quæ longè nobilior est, quàm ut similes tui homines patiatur. Vel: Recede a me: probro mihi es: tuæ conditionis hominem ædes meæ dedignantur. *Opus mihi est domo meâ: hospitio mihi factus est frater*, vel propinquus. Grotius: Egredere domo meâ, tamquam e Templo, loco gloriæ Altissimi, unde peregrini arcebantur.

Explicari etiam hoc modo potest: Si hospitem impudentem, & mendicare consuetum excipis, statim intelliges, rem tibi esse cum ingrato ac temerario. Tibi imperabunt, veluti aliquid sibi debeas. ℣. 31: Hospes, mensam instrue, cibos exhibe; quicquid optimum habes, da: tales hospites renuet is, cui sana mens est; dicetque: Excipere te nequeo: amicos expecto, nobiles viros, quos honorificè accipere debeo, &c.

Turpius ejicitur, quàm non admittitur, hospes.

℣. 33. GRAVIA SUNT HÆC HABENTI SENSUM: CORREPTIO DOMUS, ET IMPROPERIUM FOENERATORIS; exprobratio illius qui te domi excepit, & convicia creditoris. Ita claudit ea, quæ a ℣. 19 disputavit, de eo qui fidejussorem pro altero sese dedit, & eo qui iter facere cogitur. Nihil est fa-

(l) *Joseph. contra Appion. lib. 2:* Πᾶσι παρέχειν τοῖς δεομένοις πῦρ, ὕδωρ, τροφήν, ὁδοὺς φράζειν, ἄταφον μὴ περιορᾷν. (m) Ἀρχὴ ζωῆς ἀνθρώπου ὕδωρ, καὶ ἄρτος, καὶ ἱμάτιον, καὶ οἶκος καλύπτων ἀσχημοσύνην. *Grot. legit:* ἱμάτιον δὲ οἶκος, *&c.* (n) *Vide infra*, ℣. 31. (o) *Horat. Epodon, Ode 2.* (p) *Tob. v, 25.* (q) *Horat.* (r) Ἐπὶ μικρῷ, καὶ μεγάλῳ εὐδοκίαν ἔχε, καὶ ὀνειδισμὸν οἰκίας σου μὴ ἀκούσῃς. *Vulg. legit:* Καὶ ὀνειδισμὸν παροικίας μὴ ἀκούσῃς. (s) *Prov.* xvii, 8. (t) *Psal.* cviii, 10. (u) Ξενιεῖς καὶ ποτιεῖς εἰς ἀχάριστα, καὶ πρὸς ἐπὶ τούτοις πικρὰ ἀκούσεις. (33) πάρελθε, πάροικε, *&c.* (x) Ἔξελθε, πάροικε, ἀπὸ προσώπου τῆς δόξης.

ſapienti gravius, quàm ubi conviciis a creditore proſcinditur, illius causâ, pro quo ipſe ſpopondit; & eâ e domo pellitur, ubi hoſpitium ſibi jure debetur. Veterum morem ſpectat hîc Sapiens, quibus amici non deerant hospitesque in iis urbibus, qoò ſubinde profecturi erant, a quibus excipereotur, parem gratiam illis reddituri, ubi ad urbem ſuam illi venirent. Res profectò moleſtiſſima ingenuo homini erat, qui ob rerum ſuarum anguſtias egredi patriâ coacti, ab iis, quos olim ipſi beneficio & liberali hoſpitio proſequuti fuerant, excluderentur.

CAPUT XXX.

Præcepta de liberorum inſtitutione. Incolumitatis incommoda. Mala quæ mœrorem & comitantur & ſequuntur.

℣. 1. QUI diligit filium ſuum, aſſiduat illi flagella, ut lætetur in noviſſimo ſuo, (& non palpet proximorum oſtia.)
℣. 2. Qui docet filium ſuum, laudabitur in illo, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur.
℣. 3. Qui docet filium ſuum, in zelum mittit inimicum, & in medio amicorum gloriabitur in illo.
℣. 4. Mortuus eſt pater ejus, & quaſi non eſt mortuus: ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe.
℣. 5. In vitâ ſuâ vidit, & lætatus eſt in illo: in obitu ſuo non eſt contriſtatus, (nec confuſus eſt coram inimicis.)
℣. 6. Reliquit enim defenſorem domûs contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.
℣. 7. Pro animabus filiorum colligabit vulnera ſua, & ſuper omnem vocem turbabuntur viſcera ejus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUI DILIGIT FILIUM SUUM, ASSIDUAT ILLI FLAGELLA, UT LÆTETUR IN NOVISSIMO SUO, ubi ille adoleverit. Qui tenero nimis ac muliebri amore, præter rationis & caſtitatis leges, liberos amant, illis blandiuntur, eosque palpant; quamobrem nimia parentum indulgentia illis interdum exitio eſt. *Noli ſubtrahere a puero diciplinam: ſi enim percuſſerit eum virgâ, non morietur: tu virgâ percuties eum, & animam ejus de inferno*, vel ſepulcro, *liberabis* (a). *Qui parcit virgæ, odit filium* (b). Nihil gravius utiliusque cùm toti Reipublicæ, tum privatis domibus eſt, quàm optima liberorum inſtitutio (c). Hinc liberorum, parentum & patriæ felicitas. Optimè autem inſtitui nequeunt adoleſcentes, niſi ſeveritas adhibeatur, ſive ut in officio contineas, ſive ut acrem ætatis vigorem coërceas, ſive ut peccata punias. Hæc verba, *Et non palpet proximorum oſtia*, a Græco abſunt. Ita verò explicari queunt: Ne ſtipem vitamque oſtiatim ab amicis quæritare cogatur. Vel: Ne veluti palpando apud alios quærat, quod apud patrem non habet. Tu ipſe illum inſtitue, neque ad alios mitte, ut diſcat, quid ſibi agendum ſit.

℣. 2. QUI DOCET FILIUM SUUM, LAUDABITUR IN EO. Salomone enim teſte (d), ſapiens filius patris laus & gaudium eſt: ſeſe quodammodo in filio renatum videt pater, optimæque inſtitutionis fructum per anteceſſum capit, dum illius virtutem optimæque ſpei mores intuetur. Græcus (e): *Qui filium inſtituit, fructum ex eo percipiet.* Vel, ex aliis Codicibus: *Lætabitur eo.*

℣. 4. MORTUUS EST PATER EJUS, ET QUASI NON EST MORTUUS: SIMILEM ENIM RELIQUIT SIBI POST SE. Jucundiſſimum patri eſt, ſi liberos & bonorum & virtutis hæredes relinquat. Filios ceu ſui ipſius imaginem ac partem, ſuaque viſcera reſpicit. Contra, nihil moleſtius parenti eſt, quàm liberos male inſtitutos, nomini ſuo probroſos, relinquere. Vide Eccleſiaſtem, 11, 18; & Pſalmum CXXVI, 3, 4, 5.

℣. 7. PRO ANIMABUS FILIORUM COLLIGABIT VULNERA SUA. Se ſe periculis, vulneribus, ac morti objiciet, ſi opus fuerit, ut ſervet filios, quos deperit, ac virtutis & ſapientiæ causâ plurimi facit (f). Ita animo comparatus erat S. Paulus erga Chriſtianos, quos ipſe inſtituerat (g): *Ego libentiſſimè impendam omnia, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* Græcus (h): *Qui refrigerat filium*, qui nimiâ erga illum lenitate utitur, *colligabit vulnera illius*: cogetur aliquando illius vulnera curare, quæ vel ipſe ſibi intulerit, vel ab aliis acceperit: *& omni clamore turbabuntur viſcera ejus.* Siquem ſtrepitum intellexerit, ſollicitus erit, ne clamet filius (i). Complutenſis Editio fert: *Fricans filium*, lavans, puniens, *alligat vulnera illius.* Optimam illius vulneri medicinam admovet, dum docet ac punit (k). *Aſſueſcet* filius *formidare ad vocem ipſius* patris. Ubi vocem extulerit pater, animus filii movebitur ac formidabit. Vel: Sollicitus erit pater, dum filium non videbit, metuens nequid mali illi contingat: ac tum maximè amat, ubi aliquâ ſeveritate in filium utitur, ejusque clamoribus lacrymisque ſurdas

(a) *Prov.* XXIII, 13. (b) *Prov.* XIII, 24. (c) *Vide Platon. lib.* 2 *&* 7 *de Repub. & Ariſtot. Politic. lib.* 6; *Cicer. lib.* 2 *de Offic.* (d) *Prov.* X, 1, XV, 11. (e) Ὁ παιδεύων υἱὸν αὐτοῦ ὀνήσεται ἐπ' αὐτῷ. *Complut.* Εὐφρανθήσεται ἐπ' αὐτῷ. (f) *Raban. Gloſſa, Lyran.* (g) II *Cor.* XII, 15.
(h) Ὁ περιψύχων υἱὸν, καταδεσμεύσει τραύματα αὐτοῦ, καὶ ἐπὶ πάσῃ βοῇ ταραχθήσεται σπλάγχνα αὐτοῦ. *Complut.* περιψήχων υἱόν. *Vulg. & Ald. Baſil. &c.* Περὶ ψυχῶν υἱῶν, *Pro animabus filiorum.*
(i) *Syr. Vatab. Caſtellio.* (k) *Vide Palac. & Cornel. & Grot. hic.*

℣. 8. Equus indomitus evadit durus, & filius remiſſus evadet præceps.

℣. 9. Lacta filium, & paventem te faciet: lude cum eo, & contriſtabit te.

℣. 10. Non corrideas illi, ne doleas, & in noviſſimo obſtupeſcent dentes tui.

℣. 11. Non des illi poteſtatem in juventute, & ne deſpicias cogitatus illius.

℣. 12. Curva cervicem ejus in juventute, & tunde latera ejus, dum infans eſt, ne fortè induret, & non credat tibi: & erit tibi dolor animæ.

℣. 13. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.

℣. 14. Melior eſt pauper ſanus, & fortis viribus quàm dives imbecillis, & flagellatus malitiâ.

℣. 15. Salus animæ in ſanctitate juſtitiæ, melior eſt omni auro, & argento, & corpus validum, quàm cenſus immenſus.

℣. 16. Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis: & non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium.

℣. 17. Melior eſt mors quàm vita amara, & requies æterna quàm languor perſeverans.

COMMENTARIUS.

das exhibere aures videtur.

℣. 8. EQUUA INUOMITUS, EVADIT DURUS: ET FILIUS REMISSUA EVADIT PRÆCEPS. De liberorum emendatinne deſperandum non eſt. Sæviſſima & indomita ingenia frequenter optima evadunt, ubi ætas & optima inſtitutio hujuſmodi ingeniorum acerbitatem mollierint. Acres pulli, ſi optimè illos doceas, equi eximii fiunt *(l)*.

℣. 10. NE CORRIDEAS ILLI: ne conſuetudo contemptum pariat, illumve diſciplinæ impatientem reddaa, dum & te ipſum & objurgationes tuas illi deſpectas efficis. Neque tamen lenitatem & blandam oris comitatem damnat, cui comes ſit gravitas & ſeveritas. *Qui præeſt, debet & arridens timeri*, inquit S. Gregoriua *(m)*, *& iratus amari, ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata ſeveritas odioſum.*

℣. 11. NON DES ILLI POTESTATEM IN JUVENTUTE, ET NE DESPICIAS COGITATUA ILLIUS, quicquid ille agit aut cogitat. Pernicioſiſſimus juventutis ſcopulus eſt, ubi illa in ſuâ ipſius poteſtate relinquitur; ea enim ætas omnibus caret, quibus vitæ ratio inſtituitur; judicio, experientiâ, conſilio, prudentiâ, ſuarum virium diffidentiâ, docilitate, attentione. Optimi parentis eſt, tanti momenti negotium per ſe agere, ac filium fragili adeò in ætate non negligere. Græcus *(n)*: *Ne nimiam poteſtatem* (libertatem) *illi des in juventute; & ne diſſimules delicta ejus*, ad verbum, *ignorantias. Virga atque correptio tribuit ſapientiam*, inquit Sapiens *(o)*: *puer autem qui dimittitur voluntati ſuæ, confundit matrem ſuam.*

℣. 13. DOCE FILIUM TUUM, NE IN TURPITUDINEM ILLIUS OFFENOAS. Rariſſima res ſunt filii paternæ virtutis ac ſapientiæ hæredes. Interdum culpa filiorum eſt; at frequenter parentum, qui neglectâ ipſorum inſtitutione, nihil antiquius habent, quàm ut nominis & fortunarum hæredes relinquant. Hinc vetus proverbium *(p)*: *Heroum filii noxa*. Pauci parentibus pares ſunt, plerique pejores, perpauci patre meliores, inquit Homerus *(q)*. Maximi igitur negotii ac periculi res eſt, filios optimè inſtituere, ut paterni nominis famæque digniſſimi efficiantur.

℣. 14. MELIOR EST PAUPER SANUS, QUAM DIVES IMBECILLIS. Græcus *(r)*: *Quàm dives flagellatus in ſuo corpore*. Primum inter bona hujus vitæ locum Sapiens incolumitati corporis tribuit. Nihil planè ſunt opes, ſi cum eâ conſerantur. Ita ſentiebant Pythagoras, Plato, Ariſtoteles, Simonides, ac plerique veterum Philoſophorum.

℣. 15. SALUS ANIMÆ IN SANCTITATE JUSTITIÆ. Uti corporis incolumitas prima eſt inter corporis bona; ita ſanctitas & juſtitia ſunt animæ incolumitas, ac præcipua bona, quæ ad animum pertinent *(s)*. *Quis beatus eſt?* ajebat vetus quidam Philoſophus *(t)*. *Is qui ſanus corpore eſt, cui facilis fortuna, & optimè eſt animo inſtitutus.* Græcus *(u)*: *Melior eſt ſanitas & bona corporis habitudo, quàm omne aurum.*

℣. 17. MELIOR EST MORS, QUAM VITA AMARA; ET REQUIES ÆTERNA, QUAM LANGUOR PERSEVE-

(l) *Plut. Apophtheg. Lacon. de Themiſtocle.* (m) *Greg. Magn. lib. 20 Moral. c. 3.*
(n) Μὴ δῷς αὐτῷ ἐξουσίαν ἐν νεότητι, καὶ μὴ παρίδῃς τὰς ἀγνοίας αὐτοῦ. (o) *Prov. XXIX, 15.*
(p) Ἀνδρῶν ἡρώων τέκνα πήματα. (q) *Homer. Odyſſ. B.*
Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται·
Οἱ πλέονες κακίους· παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.
(r) Ἢ πλούσιος μεμαστιγωμένος εἰς σῶμα αὐτοῦ. *Vulg. Imbecillis, & flagellatus malitiâ.*
(s) *Pythagor.* Οὐκ ἔσθ' ὑγιείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ,
Ἀμυνόν ἐστι σῶμα γ' ἢ ψυχὴν νοσεῖν.
(t) *Thales apud Laërt.* Τίς εὐδαίμων; ὁ τὸ μὲν σῶμα ὑγιὴς, τὴν δὲ τύχην εὔπορος, τὴν δὲ ψυχὴν εὐπαίδευτος. (u) Ὑγίεια καὶ εὐεξία βέλτιον παντὸς χρυσίου.

℣. 18. Bona abſcondita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulcro.

℣. 19. Quid proderit libatio idolo? nec enim manducabit, nec odorabit.

℣. 20. Sic qui effugatur a Domino, (portans mercedes iniquitatis:)

℣. 21. Videns oculis, & ingemiſcens, ſicut ſpado complectens virginem, & ſuſpirans.

℣. 22. Triſtitiam non des animæ tuæ, & non affligas temetipſum in conſilio tuo.

℣. 23. Jucunditas cordis hæc eſt vita hominis, [& theſaurus ſine defectione ſanctitatis:] & exultatio viri eſt longævitas.

COMMENTARIUS.

VERANS. Æternæ quietis nomine non Cœli felicitas hìc intelligitur, qua Beati fruuntur, ſed ſepulcri quies, minimè inſpecto animæ ſtatu, de qua hìc non agitur. Corporis mors, & ſepulcri quies multo ſuaviores ſunt, quàm vita inter languores & mœrores acta. *Quare non in vulvâ mortuus ſum, egreſſus ex utero non ſtatim perii? Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem* (x).

℣. 18. BONA ABSCONDITA IN ORE CLAUSO, QUASI APPOSITIONES EPULARUM CIRCUMPOSITÆ SEPULCRO. Opes intra arcas conditæ ita inutiles habenti ſunt, ut cibi mortuis, illorum ſepulcris impoſiti. Vel: Quorſum ingens bonorum copia ori clauſo, diviti morbis oppreſſo, cùm iis frui nequeat? Hoc ex iis ſequitur quæ dixit de illorum beatitudine, qui corporis incolumitate fruuntur. Græcus (y): *Opes multa circumfuſa ori clauſo*, perinde habendæ ſunt *ac epula appoſita ſepulcro*. Quibuslibet fortunæ bonis fruatur quis, ſi morbo impeditur, quominus aperiat os, iis fruiturus, ita inutilia illi ſunt, ut mortuis cibi, qui illorum tumulis inferuntur.

Ad veterum Orientalium morem ſpectat, qui deinde a Phœnicibus ad Carthaginienſes cæterosque Afros tranſiit. Hujus moris veſtigia inter Africæ Chriſtianos, S. Auguſtini ætate (z), ſupererant. Illum penitus abolevit S. Auguſtinus. Ejuſdem meminere Tobias (a), Baruc (b), & hic Liber, VII, 37, neque utì ſuperſtitionem malamve conſuetudinem damnant, ſed veluti pium uſum commendant. Optimè norant pii homines, mortuos ejuſmodi epulis minimè gaudere: quamobrem illas pauperibus parabant, qui appoſitis ſepulcro epulis utentes, vota preceſque pro mortuis ibi conditis concipiebant. Eadem erat apud Ethnicos conſuetudo, ſed impiis ac ſuperſtitioſis obſervationibus miſta. Hi enim impoſitis ſepulcro dapibus, elatâ voce mortuos compellabant (c): *Surge, o talis, comede, bibe, & lætare*. Ejuſdem conſuetudinis reliquiæ, quamquam ſuperſtitione vacuæ, in quibuſdam Monaſteriis ſervantur, in quibus per triginta dies a Monachi alicujus obitu in communi Monachorum menſâ ad mortui locum iidem cibi afferuntur, qui vivo exhiberi conſueverant, deinde pauperibus diſtribuendi. Servatus eſt idem ritus ad hæc usque extrema tempora in funeribus Regum Francorum; quibus ceu viventibus parabantur cibi, donec tumulo inferrentur.

℣. 19. QUID PRODERIT LIBATIO IDOLO? … SIC QUI EFFUGATUR A DOMINO, PORTANS MERCEDES INIQUITATIS. Utì ſimulacrum uti nequit rebus ſibi oblatis, libatisque ſibi liquoribus; ita qui morbo opprimuntur, quos Deus iratus malis afficit, juſtiſſimâ ſcelerum pœnâ, nullâ vitæ ſuavitate, nullisque hujus terræ bonis frui poſſunt. Græcus (d): *Quid prodeſt idolo oblatio igne abſumpta* (e)? *neque enim comedit, neque olfacit. Ita quem Deus perſequitur*, & malis affligit, *videns oculis, & ſuſpirans*. Poſtrema hæc verba verſiculi ſequentis initio ſunt apud Vulgatam.

℣. 21. VIDENS OCULIS ET INGEMISCENS, SICUT SPADO AMPLECTENS VIRGINEM, ET SUSPIRANS. Æger faſtidioſus, morbo diſcruciatus, inter epulas eſt, velut eunuchus & eviratus, virginem amplectens. Æger neque frui neque paſci iis epulis poteſt. Similem comparationem ſuperiùs fert (f), ubi Judicem juſtitiæ violatorem cum eunucho puellæ vim inferente confert. Vide, quæ nos ibi, & S. Auguſtinum (g), & S. Baſilium circa finem Libri de verâ virginitate.

℣. 22. TRISTITIAM NON DES ANIMÆ TUÆ. Pernicioſiſſimus eſt ſemper mœror, niſi ex Deo ſit, ex criminum aſpectu conceptus, qui, teſte S. Paulo (h), *pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur*. Qui verò ob hujus vitæ mala, præterita, præſentia vel futura concipitur, nunquam non inutilis eſt ac pernicioſus (i); quippe qui plerumque præjudicatis opinionibus, vaniſque terroribus, ac falſis imaginibus mali, quo opprimimur, nititur (k). Optimum mœroris remedium eſt, vitæ innocentia, conſcientiæ puritas, firmaque in Deum fiducia (l): *Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis*.

℣. 23. JUCUNDITAS CORDIS …. THESAURUS SINE DEFECTIONE SANCTITATIS. Poſtrema hæc verba non habet Græcus. Lætitia quodammodò ſancti-

ta-

(x) *Job*, III, 13. (y) Ἀγαθὰ ἐκκεχυμένα ἐπὶ στόματι κεκλεισμένῳ, θέματα βρωμάτων παρακείμενα ἐπὶ τάφῳ. *Complut.* Θέματα κεκλεισμένα. *Vulg. legit*: Κεκρυμμένα. (z) *Auguſt. de Morib. Eccleſ. c.* 34; *ſerm.* 15 *de Sanctis*; *& alibi ſæpiùs*. (a) *Tobiæ*, IV, 18: *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue: & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus*. (b) *Baruc*, VI, 26.
(c) *Epiphan. in Ancorato*. Ἀνάστα, ὁ δεῖνα, φάγε, καὶ πίθι, καὶ εὐφράνθητι.
(d) Τί συμφέρει κάρπωσις εἰδώλῳ; οὔτε γὰρ ἔδεται, οὔτε μὴ εὐφρανθῇ· οὕτως ὁ ἐκδιωκόμενος ὑπὸ Κυρίου, βλέπων ἐν ὀφθαλμοῖς, καὶ στενάζων. (e) Κάρπωσις, *ſeu* κάρπωμα. *Infra*, XLV, 20; *Levit.* IV, 10, 18; XVI, 24; XXII, 22. *Idem cum Hebr.* אשה, *ſeu* עלה (f) *Cap.* XX, 3: *Concupiſcentia ſpadonis devirginabit juvenculam; & ſic qui facit per vim judicium iniquum*.
(g) *Auguſt. lib.* 1 *adv. Julian. cap.* 14. *Neque enim in libro Eccleſiaſtici adhiberetur inde ſimilitudo, niſi & ipſi ſpadones moverentur concupiſcentia carnalis affectibus, licèt deſtituti carnis effectibus*.
(h) 2 *Cor.* VII, 10. (i) *Vide Ambroſ. orat.* 2 *de Satyro*; *Gregor. Magn. lib.* 13 *Moral. c.* 217; *Auguſt. lib.* 12 *de Geneſi ad Litt. lib.* 12, *c.* 33. (k) *Vide Epicteti Enchirid.* (l) 1 *Petri*, V, 7.

℣. 24. Miserere animæ tuæ [placens Deo, & contine:] congrega cor tuum [in sanctitate ejus,] & tristitiam longè repelle a te.

℣. 25. Multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illâ.

℣. 26. Zelus & iracundia minuunt dies: & ante tempus senectam adducet cogitatus.

℣. 27. Splendidum cor & bonum in epulis est: epulæ enim illius diligenter fiunt.

COMMENTARIUS.

ctitate servit, quippe omnia hilari animo facimus, constantesque in bono sumus, opem Deo ferente. *Hilarem datorem diligit Deus* (m). Animi hilaritas omnium bene gestorum condimentum est; tædium enim, languorem, ignaviam, pusillanimitatem, impedimenta virtutis, excludit. Bona, quibus hilaritas hominis valetudinem vitamque afficit, vide in Proverbiis, XVII, 22: *Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exsiccat ossa.*

℣. 24. MISERERE ANIMÆ TUÆ PLACENS DEO. Aliquibus hujus vitæ voluptatibus, modestisque oblectationibus utere; assiduus enim mœror & austeritas bonam valetudinem evertunt, & saluti nocent. Cave tamen ne in Deum pecces: *Congrega cor tuum in sanctitate ejus, & tristitiam longè repelle a te.* His licet voluptatibus homini pio frui; voluptatibus maximè simplicibus, innoxiis, necessariis, quæ valetudini non nocent, neque justitiæ ac temperantiæ adversantur, quæ hominem in virtutis exercitio recreant, semper tamen a licentiâ, nimiâque animi relaxatione, dejectione ac tristitiâ planè absunt. Græcus breviore sententiâ (n): *Ama animam tuam, & solatia cordi tuo adhibe; tristitiam verò longè abs te repelle. Amare animam suam*, est vitam & valetudinem amare, ac tueri, ejusque curam habere. *Consolari cor*, est licito aliquo solatio animum relaxare, modesto gaudio operam dare, neque austeram nimis virtutem semper colere.

℣. 25. MULTOS ENIM OCCIDIT TRISTITIA, ET NON EST UTILITAS IN EA. Tristitia innumeros partis a se morbis necavit; multis etiam animæ necem intulit, creato virtutis fastidio, vel desperatione. Ea denique nulli commodo utilis est tum in hac vitâ, tum in æternâ. Malis a se partis non medetur; si enim jam illa evenerint, illis mœrere prorsus inutile est, cùm neque arcere, neque remediis prohibere possimus. Si futura sunt, multò inutilius est, quippe ea avertere nequimus; atque insani hominis est duplex animo supplicium sibi gratis creare, dum prævertimus mœrorem, quem in ipso infortunio experiemur. Unicum est mœroris genus utile, quod a Religione probatur; peccatorum scilicet dolor, & animi contritio (o). Persuasum apud Veteres (p) erat, Spiritum Sanctum, ac Prophetiæ donum in tristi animo minimè quiescere. Hinc factum est, inquiunt aliqui, ut Jacobi spiritus iterum vivere tunc cœperit, cùm Josephum superstitem esse intellexerit (q); & Eliseus Propheta vaticinari non posset, nisi audito fidicine, cujus numeris animo Prophetæ irato mœstoque hilaritas & tranquillitas restituta est (r).

℣. 26. ZELUS ET IRACUNDIA MINUUNT DIES: ET ANTE TEMPUS SENECTAM ADDUCET COGITATUS, animi curæ & mœror. Verti etiam potest; *Invidia & iracundia, &c.* quæ mœroris filiæ aut sorores sunt. Eadem ex iis mala oriuntur; ac nihilo minùs perniciosæ, atque inutiles sunt, quàm ipse mœror: vitæ diuturnitatem corripiunt, dum vitia in sanguinem inferunt, atrâ bili mores inficiunt; animi hilaritatem expellunt, quâ & corporis incolumitas & animi virtus optimè omnium servatur. Præterea mala, quæ ab utrâque hac animi perturbatione in animo pariuntur; æstum, turbas, dolorem. Id est animo invidia, quod ferro rubigo, ajebant veteres; quippe quæ illum consumit, ac paulatim destruit.

℣. 27. SPLENDIDUM COR ET BONUM, IN EPULIS EST: EPULÆ ENIM ILLIUS DILIGENTER FIUNT; optimæ illi dapes parantur. Animi hilaritatem & gaudium mœrori, invidiæ, iræ cæterisque animi perturbationibus mox recitatis opponit. Illæ breviorem efficiunt vitam, bonamque valetudinem exhauriunt, quippe quæ hilaritatis, societatis & conviviorum fastidium pariunt. At *cor bonum* (s), hilare, contentum, inter amicos convivia & epulas agitabit; & optimâ valetudine jucundâque vitâ fruetur. Nihil hìc morale est; atque orta ex hilaritate bona hìc Sapiens ostendit, & malis, quæ ex mœrore oriuntur, opponit.

Hic versus in Romanâ Græci editione ad calcem Capitis XXXIII legitur; atque ad verbum fert (t): *Splendidum cor & bonum in epulis ciborum suorum diligentiam adhibebit.* Qui animo hilaris est, ac rebus prosperis fruitur, is atras tristesque animo imagines pellit, nihilque antiquius habet, quàm ut conviviis epulisque occupetur. Græci Codices hinc incipiunt inter se magnoperè diffidere, cùm plurima loco mota in iis videantur. Ita in fine hujus Capitis apud Græcum leguntur ea, quæ apud Vulgatam habentur Capite XXXIII, 16, &c. Caput XXXI Vulgatæ in Græco est XXXIV. Qui in Vulgatâ XXXII, in Græco est XXXV. Caput XXXIII Vulgatæ coalescit ex initio XXXVI ex Græco, & ex XXX ejusdem. XXXIV in Vulgatâ est XXXI in Græco. Qui Vulgatæ est XXXV, Græco est XXXII. Caput XXXVI Vulgatæ constat ex prima parte Capitis XXXIII in Græco, & ex fine Capitis XXXVI ex eodem. Post Caput XXXVII uterque textus rursum junguntur, continuâ usque ad finem serie. Aptior est ordo in Latino quàm in Græco, ut ipsa rerum & Capitum distributio demonstrat. Forsasse veteres Græci Codices eum Vulgatâ consentiebant, quippe quæ ex his adornata est. Vide præsertim Caput XXX, 26, &c; XXXI, 12, 13; XXXIII, 13; XXXVI, 16.

CA-

(m) 2 *Cor.* IX, 7. (n) Ἀγάπα τὴν ψυχήν σου, καὶ παρακάλει τὴν καρδίαν σου, καὶ λύπην μακρὰν ἀπόστησον ἀπὸ σοῦ. (o) 2 *Cor.* VII, 10. *Vide Chrysost. homil.* 7 *ad Popul. & Ep.* 8 *ad Olympiam.* (p) *Antiqui Rabb. in more Neboch*, *lib.* 2, *c.* 37; *Hermas in Pastore*, *lib.* 2, *mandato* 3, *&c.* (q) *Genes.* XLV, 27. (r) 4 *Reg.* III, 15. (s) *Vide Deut.* XXVIII, 47. בשמחה ובטוב לבב *Judic.* XVIII, 20. וייטב לב הכהן *Ita & avi*, 25; XIX, 6, 9, 22; *Ruth*, III, 7; & 1 *Reg.* XXVI, 36. ולב נבל טוב עליו cor hilare, contentum, jucundum. (t) Λαμπρὰ καρδία, καὶ ἀγαθὴ ἐπὶ ἐδέσμασι τῶν βρωμάτων αὐτῆς ἐπιμελήσεται.

CAPUT XXXI.

Avarorum labores. Dives qui innocentiam colit, beatus. Moralis diſciplina & honeſtatis leges in conviviis ſervandæ. Sobrietatis laus & commoda.

℣. 1. VIgilia honeſtatis tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet ſomnum.

℣. 2. Cogitatus præſcientiæ avertit ſenſum, & infirmitas gravis ſobriam facit animam.

℣. 3. Laboravit dives in congregatione ſubſtantiæ, & in requie ſuâ replebitur bonis ſuis.

℣. 4. Laboravit pauper in diminutione victûs, & in fine inops fit.

℣. 5. Qui aurum diligit, non juſtificabitur: & qui inſequitur conſumptionem, replebitur ex eâ.

℣. 6. Multi dati ſunt in auro caſus, & facta eſt in ſpecie ipſius perditio illorum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VIGILIA HONESTATIS TABEFACIAT CARNES: cogendarum opum ſollicitudo arefacit corpus. Capite ſuperiori Author plura recenſuit, quæ valetudini nocent; veluti mœrorem, iram, invidiam, curas: pergit hìc de eodem argumento; & verba facit de avaritiâ, nimiâque comedendi libidine, quæ corporis valetudinem evertunt; iiſque opponit ſobrietatem, honeſtumque uſum humanarum opum, quibus rebus & corporis incolumitas & animi hilaritas ſervatur. Rationes verò proponit ſolummodò ex honeſtate, ac præſenti utilitate deductas; nullo tamen negotio moralis ac magis ſeria explicatio ex his elici poteſt. *Honeſtas* hoc loco divitias ſignificat, utì ſæpè in Latino hujus Libri & Sapientiæ Textu uſurpatur.

℣. 2. COGITATUS PRÆSCIENTIÆ AVERTIT SENSUM; ET INFIRMITAS GRAVIS SOBRIAM FACIT ANIMAM, moderatam; libidinis vim minuit. Id quotidianâ experientiâ confirmatur. Græcus (a): *Curæ pervigil requirit ſoporem, & gravem morbum eluit ſomnus.* Optima curarum, ſollicitudinum, laborum, morborumque medicina, ſomnus eſt (b):

Tuque o domitor ſomne malorum,
Requies animi, pars humanæ melior vitæ (c).

Legunt aliqui in Græco (d): *Gravis morbus eluit ſomnum.*

℣. 3. LABORAVIT DIVES IN CONGREGATIONE SUBSTANTIÆ: ET IN REQUIE SUA REPLEBITUR BONIS SUIS. 4. LABORAVIT PAUPER IN DIMINUTIONE VICTUS (quia neceſſariis vitæ rebus caret): ET IN FINE INOPS FIT. Laborant æquè dives & pauper, inæquali tamen exitu, aliiſque planè de cauſis: ille ut opes augeat, ſeramque in ſenectutem paret, quibus a paupertate ſecurus, fortunis ſuis tranquillè fruatur: hic ut inopiam fugiat; ubi verò jam gravi ætate eſt, & laboribus impar, nedum quiete ac fructu laborum non fruitur, verùm etiam in ultimas rerum anguſtias deveniſſe ſe ſentit. Aliter: Is quem divitem nunc vides, laborarat, ut ea congereret, quibus fruitur in ſenectute: is quem nunc inopem vides, ſua dilapidavit, ideoque in ſenectute eget (e). *Laboravit in diminutione victûs.* Alii (f) ita explicant: Sunt quibus omnia pro voto ſuccedunt, & quibus nulla unquam felicitas eſt. Alter ingentes opes labore congerit, alter inops ſemper eſt, quamquam laborare non ceſſat. *Benedictio Domini divites facit*, inquit Sapiens (g), *nec ſociabitur ei afflictio*: Dei favor divitem facit, non labor. Fruſtra ædificatis, fruſtra ante lucem ſurgitis. Niſi opem ferat Deus, atque unà ædificet, niſi ædificantibus faveat, inani labore torquemini (h). Hæc interpretatio cæteris anteferenda videtur. Aliter: Laborat dives opibus in libidine diſſipandis: inops cruciatur, ut expers paupertatis ſit. Ille tandem ad inopiam redigitur; hic laborum fructu gaudet.

℣. 5. QUI AURUM DILIGIT, NON JUSTIFICABITUR: ET QUI INSEQUITUR CONSUMPTIONEM, qui libidinem ſectatur, REPLEBITUR EX EA. Opum amor, idolorum ſervitus eſt, inquit S. Paulus (i): qui indignam hujuſmodi cupiditatem amat, in varia & innumera diſcrimina ruet (k). *Qui feſtinat ditari, non erit innocens*, ait Salomon (l). Divitiarum cupiditas in fraudem, vim, iniquitatem trahit (m).

. . . . Quæ reverentia legum,
Quis metus aut pudor eſt unquam properantis avari?

Mutatis perpaucis, ita verti poteſt Græcus (n): *Amans aurum, innocens non erit: & qui quærit pecuniam, is labetur* in peccata.

℣. 6. MULTI DATI SUNT IN AURO CASUS, ET FACTA EST IN SPECIE IPSIUS PERDITIO ILLORUM. Græcus (o): *Multi ob aurum vincti ſunt; & exitium ipſorum ipſis in conſpectu fuit.* Seſe proximos exitio ſenſerunt. Plurimi avaritiæ causâ in furtum, atque alia crimina ruerunt, ob quæ in publica vincula dati ſunt, & majora etiam diſcrimina

(a) Μέριμνα ἀγρυπνίας ἀπαιτήσει νυσταγμὸν, καὶ ἀῤῥώστημα βαρὺ ἐκνήψει ὕπνος. (b) *Euripid.* Ὕπνος πέφυκε σώματος σωτηρία.
(c) *Senec. Hercul. furens.* (d) Ἀῤῥώστημα βαρὺ ἐκνήψει ὕπνον. (e) *Grotius.* (f) *Vatab. Druſ.*
(g) *Prov.* x, 22. (h) *Psal.* cxxvi, 1, 2, 3. (i) *Coloſſ.* III, 5; *infra*, ℣. 7. (k) 1 *Timoth.* VI, 9.
(l) *Prov.* XXVIII, 20. (m) *Juvenal. ſatyr.* XIV. (n) Ὁ ἀγαπῶν χρυσίον οὐ δικαιωθήσεται, καὶ ὁ διώκων διαφθορὰν, αὐτὸς πλησθήσεται. *Grot. legit*: Ὁ διώκων διάφορον, αὐτὸς ὀλισθήσεται. Jam vidimus διάφορον pro pecuniâ pluribus in locis. Ut ſupra cap. VII, 20; XXVII, 1; & XLII, 7, &c.
(o) Πολλοὶ ἐδόθησαν χάριν χρυσίου, καὶ ἐγενήθη ἡ ἀπώλεια αὐτῶν κατὰ πρόσωπον αὐτῶν. *Edit. Rom.* Πολλοὶ ἐδόθησαν εἰς πτῶμα,

℣. 7. Lignum offensionis est aurum sacrificantium: [væ illis, qui sectantur illud,] & omnis imprudens deperiet in illo.
℣. 8. Beatus dives, qui inventus est sine maculâ: & qui post aurum non abiit, (nec speravit in pecuniâ, & thesauris.)
℣. 9. Quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vitâ suâ.
℣. 10. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.
℣. 11. Ideò stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia (Sanctorum.)
℣. 12. Supra mensam magnam sedisti? non aperias super illam faucem tuam prior.
℣. 13. Non dicas sic: Multa sunt, quæ super illam sunt:
℣. 14. Memento, quoniam malus est oculus nequam.

COMMENTARIUS.

mina subierunt. Romana Editio: *Multi ob aurum lapsi sunt* in scelera primùm, deinde in infamiam & probrum.

℣. 7. LIGNUM OFFENSIONIS EST AURUM SACRIFICANTIUM, eorum, qui auro sacrificant. Græcus (p): *Lignum casûs*, offensionis, *est aurum sacrificantibus illi; & omnis insanus capietur in eo*, in illud offendet. Frequens est in Scripturâ mentio lapidum offensionis, vel scandali. Hic non lapis est, sed lignum offensionis, de industriâ positum in viâ, ut transeuntes cadant. Eamdem fermè rem significat Ecclesiasticus Capite XXXVII, 10, his verbis: *Ne fortè mittat sudem in terram inimicus tuus, & dicat tibi, Bona est via tua, & stet e contrario videre quid tibi eveniat*. Idem fortasse spectabat Jeremias (q), cùm diceret, Babylonios in juvenes, cæterosque ex Judâ homines sæviisse, & adolescentibus lignum objecisse, ut caderent.

Ajunt alii (r), ab Authore respici ad arborem scientiæ boni & mali, in medio Paradisi, quæ primorum Parentum culpâ *arbor casûs* & scandali facta est. Alii censent (s), hoc nomine Idola significari, quæ ligna scandali ea colentibus verissimè sunt, utì divitiæ iis, a quibus coluntur, Avaritia enim verus Idolorum cultus est, teste Scripturâ (t). Sunt denique (u), qui neglectis mysteriis, ajunt, utì lapides offensionis sunt, in quos quis offendens cadit, ita esse ligna scandali, ad quæ nihilo minùs offendimus; idque velle Scriptorem iis verbis: *Lignum offensionis*. Hæc interpretatio maximè omnium simplex est.

℣. 8. BEATUS DIVES QUI INVENTUS EST SINE MACULA, ET QUI POST AURUM NON ABIIT...... 9. QUIS EST HIC, ET LAUDABIMUS EUM? Profectò nihil rarius, nihilque laudabilius, quàm dives homo, simulque innoxius & justus, qui fiduciam in opibus non collocat: is certè *fecit mirabilia in vitâ suâ*. Proprius enim divitiarum fructus est superbia & arrogantia. *Vermis divitiarum superbia*, inquit S. Augustinus (x). *Periclitatur castitas in deliciis, humilitas in divitiis*, teste S. Bernardo (y).

℣. 10. QUI PROBATUS EST IN ILLO ET PERFECTUS EST, ERIT ILLI GLORIA ÆTERNA. Inter gravissima hominis discrimina, dum vivit, opes sunt. Qui liberali animo divitias possidet, easque nullâ animi molestiâ deserit, aut sine dolore amittit, is certè perfectus est, æternâque gloriâ dignus. Pauperem inter opes esse, in paupertate contentum; inter ignem non ardere; inter assentatores superbiâ non efferri; inter peccandi pericula non cedere; male non agere, cùm impunè liceat: id porrò maximum prodigiorum est.

℣. 11. IDEO STABILITA SUNT BONA ILLIUS IN DOMINO: ET ELEEMOSYNAS ILLIUS ENARRABIT OMNIS ECCLESIA SANCTORUM. Bona sua largiri, opesque in illorum domos, qui adeò piè opibus utuntur, abundè profundere gaudet Deus. Anticipato virtutis præmio in hac vitâ fruuntur, cùm benedicat illis Deus, ipsique celeberrimum inter homines nomen acquirant. Græcus reddi potest (z): *Idcircò firmabuntur bona illius, & eleemosynas illius prædicabit Ecclesia*; scilicet, ea quæ is bene pièque cæteris facit. Illius opes tuebitur Deus & augebit.

℣. 12. SUPRA MENSAM MAGNAM SEDISTI? NON APERIAS SUPER ILLAM FAUCEM TUAM PRIOR. 13. NON DICAS SIC: MULTA SUNT QUÆ SUPER ILLAM SUNT. Græcus non habet τὸ *prior*. Ne quis prior manum in lancem injiciat, monet inferiùs, ℣. 21. Græcus solummodò fert (a): *Ne aperias super illam fauces tuas, neque dicas: Multa sunt, quæ ibi apposita sunt*. Hæc locutio nimiam aviditatem, nimiamve appositarum dapum admirationem significat; vel aliquod invidiæ genus in herum. Convivium, & convivii dominum commendare, urbanitatis est; at modesta laus esse debet, quæ neque hominem demonstret, cui nova sint ampla convivia, neque avarum, cui quodlibet sumptuum genus grave sit, neque helluonem, qui oculis devoret ea, quæ apponuntur. Salomon eamdem fermè rem monet (b): *Quando sederis ut comedas cum Principe, diligenter attende quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo, si tamen habes in potestate animam tuam*, sive famem tuam. His verbis, *Statue cultrum in gutture tuo*, comedendi aviditatem, & loquendi libidinem coërceri jubet. Eadem est hoc loco sententia: *Ne aperias faucem tuam super ea quæ apposita sunt*: ne avidiùs cibos rape; vel, ne dapum copiam, & varietatem nimis mirare. Ne dicas, ℣. 13: *Multa apposita sunt*, vel, *nimis multa*. Nihil enim aut odiosius, aut despectius avaro est.

℣. 14. MEMENTO QUONIAM MALUS EST OCULUS

(p) Ξύλον προσκόμματός ἐστι τοῖς ἐνθυσιάζουσι αὐτῷ, καὶ πᾶς ἄφρων ἁλώσεται ἐν αὐτῷ. (q) *Thren.* v, 13. ונערים בעץ בשלו (r) *Raban.* (s) *Palae. Grot. Bossuet.* (t) *Ephes.* v, 5; *Coloss.* III, 5. (u) *Jans. Drus. Vatab.* (x) *August. serm.* 5 *de Verbis Domini*, *nunc* 61, *c.* 9, *n.* 10. (y) *Bernard. de Convers. ad Cleric. c.* 30. (z) Διὰ τοῦτο στερεωθήσεται τὰ ἀγαθὰ αὐτοῦ, καὶ τὰς ἐλεημοσύνας αὐτοῦ ἐκδιηγήσεται ἐκκλησία. (a) Μὴ ἀνοίξῃς ἐπ' αὐτῆς φάρυγγά σου· 13. Καὶ μὴ εἴπῃς, πολλά γε τὰ ἐπ' αὐτῆς. (b) *Prov.* XXIII, 1, 2.

℣. 15. Nequius oculo quid creatum est? ideò ab omni facie suâ lacrymabitur: cùm viderit,

℣. 16. Ne extendas manum tuam prior, (& invidiâ contaminatus erubescas.)

℣. 17. Ne comprimaris in convivio.

℣. 18. Intellige, quæ sunt proximi tui ex teipso.

℣. 19. Utere quasi homo frugi his, quæ tibi apponuntur: ne, cùm manducas multum, odio habearis.

℣. 20. Cessa prior causâ disciplinæ: & noli nimius esse, ne fortè offendas.

COMMENTARIUS.

LUS NEQUAM. *Oculus nequam* (c) est oculus invidus, lividus, avarus. Timere videris, ne amico parem gratiam reddere debeas, atque illi succensere, quòd ita tecum agat, ut convivium æquè sumptuosum illi exhibere tenearis; vel illius opibus & fortunæ invidere, eùm parem copiam imitari nequeas. Quid verò indignius, sive avaritia, sive invidia te moveat? ℣. 15. *Nequius oculo quid creatum est?* Hujus ingenii homo cruciatur, ubi quemlibet sumptum ingenio suo majorem viderit: *Ab omni facie suâ lacrymabitur, cùm viderit.*

Ita Judas, avarorum princeps, Mariæ succensuit, quòd Christi pedes pretioso unguento perfuderit. Quorsum hoc? ajebat: nempe ducentis denariis vænire poterat unguentum, relatumque ex eo pretium pauperibus dari. At non eò id loquebatur, inquit Evangelista (d), quòd ullâ pauperum curâ tangeretur, sed quòd avarus ac fur esset. Tres hosce versiculos e Græco accipe (e): *Ne dixeris, Nimia sunt (f) quæ in mensâ apponuntur.* 14. *Memento, nequam oculum*, invidum, avarum, ingens *malum esse*. 15. *Nequius* malo *oculo quid creatum est? Idcirco totâ facie*, omni oculorum nisu, ex animo, *lacrymabitur*. Vel: De omni re, quam apponi viderit, lacrymabitur. Græcus simpliciter: *Ab omni facie lacrymabitur*. Porrò *facies* usurpatur pro qualibet re cuipiam exhibitâ. Panes, qui in mensâ Domini apponebantur, dicuntur *panes faciei* (g). Ciborum pars, quam Elcana uxori suæ Annæ dedit, dicitur *pars faciei* (h). Hæc verba, *Cùm viderit*, quæ apud Vulgatam in fine hujus versiculi sunt, ad ℣. 16 pertinent, utì stati ostendimus.

℣. 16. NE EXTENDAS MANUM TUAM PRIOR, ET INVIDIA CONTAMINATUS ERUBESCAS. Ne avarus, quem mox dixi, qui te vocavit, id ægrè ferat, tuque coram cæteris probro afficiaris: expecta dum quis te dignior, aut herus ipse appositos in lance cibo prior tetigerit: deinde tibi manum inferre licebit. Græcus aliter fert (i): *Quocumque aspexerit* oculus tuus, *ne injicias manum tuam*. (17) *Et ne comprimaris cum eo in catino.* Ne optimas partes oculo elegeris, neve statim manum injeceris iis quæ cupis. Ne manus tua simul cum alterius manu in lance sit, præsertim si ille sit herus. Expecta, dum is elegerit, ac tum denique quæ coram te sunt, accipies. Hæ urbanitatis leges nostris adhuc moribus usurpantur. Ægyptii, teste Athenæo (k), communem in mensâ catinum non apponebant, sed circumferri jubebant, ut unusquisque e convivis ordine acciperet. Ecclesiastici Author apud Ægyptios scribebat: ex iis tamen, quæ superiùs tradidit, ac deinceps disputat, satis constat, illum de Græco more sedendi ad mensam, dapesque inferendi agere, quippe tum Græci in Ægypto imperabant, patriosque mores in eam regionem intulerant.

℣. 18. INTELLIGE QUÆ SUNT PROXIMI TUI EX TE IPSO. De alterius animo ex tuo judica. Græcus addit (l): *Et de quavis re cogita*. Sapienter te in omnibus gere; neque aut ingenium tuum aut appetitum sequere, sed ratione coërce. Utì tu ægrè laturus es, siquis aliquid occupet, quod tibi placet; ita cave ne proximum eâdem libertate offendas. De cæteris judicium ex te feras (m).

℣. 19. UTERE QUASI HOMO FRUGI HIS QUÆ TIBI APPONUNTUR: NE, CUM MANDUCAS MULTUM, ODIO HABEARIS. Græcus (n): *Ede ut homo quæ tibi apposita sunt, & cave vores* ferarum modo, *ne odiosus fiat*. Nimiam comedendo aviditatem ac voracitatem damnat. Ne feras imitare, quæ prædam capientes vorant: hominis more comede, moderatè ac sapienter. Cùm Socrates divites quosdam ad cœnam vocasset, & Xanthippen modici puderet apparatûs, Bono, inquit, esto animo: nam, si quidem modesti erunt frugique, mensam haudquaquam aspernabuntur: sin autem intemperantes, nulla nobis de hisce cura fuerit. Ajebat, alios homines vivere ut ederent, se ideo edere ut viveret (o).

℣. 20. CESSA PRIOR CAUSA DISCIPLINÆ, primus desine edere honestatis causâ: ET NOLI NIMIUS ESSE (p), NE FORTE OFFENDAS, nequid pecces;

(c) *Matt.* xx, 15: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Et Eccli.* xiv, 8: *Nequam est oculus invidi, & avertens faciem suam, & despiciens animam suam. Vide & Prov.* xxiii, 6.
(d) *Joban.* xii, 5, 6. (e) 13. Μὴ εἴπῃς πολλά γε τὰ ἐπ' αὐτῆς. 14. Μνήσθητι ὅτι κακὸν ὀφθαλμὸς πονηρός. 15. Πονηρότερον ὀφθαλμοῦ τί ἔκτισται; Διὰ τοῦτο ἀπὸ παντὸς προσώπου δακρύσει.
(f) *Multa sunt, Idest, nimia sunt. Hebraism.* Vide *Num.* xvi, 5, 7; *Deut.* i, 6; ii, 3; *Psal.* cxix, 6, & *passim.* (g) *Exod.* xxv, 30; xxxv, 13, *in Hebr.* & *passim.*
(h) 1 *Reg.* i, 5. (i) Οὗ ἐὰν ἐπιβλέψῃ, μὴ ἐκτείνῃς χεῖρα σου. 17. Καὶ μὴ συνθλίβου αὐτῷ ἐν τρυβλίῳ.
(k) *Athen. lib.* 4, c. 13: Τρίτη δὲ ἐστὶν ἰδέα δείπνων αἰγυπτιακή, τραπεζῶν μὲν οὐ παρατιθεμένων, πινάκων δὲ περιφερομένων. (l) Νόει τὰ τοῦ πλησίον ἐκ σεαυτοῦ, καὶ ἐπὶ παντὶ ῥήματι διανοοῦ.
(m) *Horat. lib.* 1, *satyr.* 1.

Aut positum ante meâ quia pullum in parte catini
Sustulit esuriens, minùs hoc jucundus amicus
Sit mihi?

(n) Φάγε ὡς ἄνθρωπος τὰ παρακείμενά σοι, καὶ μὴ διαμάσω μὴ μισηθῇς. (o) *Socrates apud Laërt. lib.* 2: Εἰ μὲν γὰρ ὦσιν μέτριοι, συμπεριενεχθεῖεν ἄν. Εἰ δὲ φαῦλοι, ἡμῖν αὐτῶν οὐδὲν μελήσει. Ἔλεγε τοὺς μὲν ἄλλους ἀνθρώπους ζῆν ἵν' ἐσθίοιεν, αὐτὸν δὲ ἐσθίειν ἵνα ζῇ.
(p) *Græc.* Μὴ ἀπληστεύου, *Ne sis insatiabilis.*

℣. 21. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, (nec prior poscas bibere.)

℣. 22. Quàm sufficiens est homini erudito vinum exiguum! & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem.

℣. 23. Vigilia, cholera, & tortura viro infrunito.

℣. 24. Somnus sanitatis in homine parco: dormiet usque manè, & anima illius cum ipso delectabitur.

℣. 25. Et si coactus fueris in edendo multum, surge e medio, evome: & refrigerabit te, [& non adduces corpori tuo infirmitatem.]

℣. 26. Audi me, fili, & ne spernas me: & in novissimo invenies verba mea.

℣. 27. In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi.

COMMENTARIUS.

ces; vel, ne offendas eos qui adsunt; sive, ne gravem aut hospiti aut convivis te efficias. Inofficiosum est, si citò nimis comedere desinas: id enim perinde esset, ac si cæteros convivas nimiæ voracitatis argueres. At cavendum est, ne cæteris te notandum præbeas, dum comedere pergis, ubi cæteri desierunt. Paulò ante cessandum est, quàm ii, qui convivio præsunt; id enim modestia & officium imperant (p).

Neve diu præsume dapes, sed desine citra;
Et capias paulò, quàm cupis esse, minus.

℣. 21. PRIOR ILLIS NE EXTENDAS MANUM TUAM, NEC PRIOR POSCAS BIBERE. Altera hæc sententiæ pars in Græco non est. Audaciæ est illiberalis, manum ante cæteros in lancem inferre. Liberalitas virtute nititur & modestiâ. S. Clemens Alexandrinus in Pædagogo, qui liber institutionum ad Christianos est, plura civilis liberalitatis officia miscet. Pii bonique homines ac modesti nunquam non officiosi ac liberales sunt; quamquam non quilibet officiosus æquè modestus est; plerique enim virtute carentes, virtutis speciem exteriùs imitantur.

℣. 22. QUAM SUFFICIENS HOMINI ERUDITO, benè instituto, sapienti, VINUM EXIGUUM! ET IN DORMIENDO NON LABORABIS AB ILLO. Græcus (q) s *Quàm sufficit bene instituto modicum! Non difficulter in cubili spiritum trahet. Somnus plenus sanitatis est, ubi intestina moderatè se habent. Surgit manè, & animus ipsius cum ipso est.* Sanus ac liber capite & animo expergiscitur, ciborum reliquiis minimè oppressus. Postrema hujus versiculi pars apud Vulgatam legitur post ℣. 23: *Somnus sanitatis in homine parco. Dormiet usque mane, & anima illius cum ipso delectabitur.* Non modò in vini usu sobrietatem, verùm etiam in cibis temperantiam commendat hìc Sapiens. Immodicus utrorumque usus & corporis incolumitati & animi tranquillitati nocet.

℣. 23. VIGILIA, CHOLERA, ET TORTURA VIRO INFRUNITO; intemperantem hominem sequuntur vigilia, bilis & tormina. Hoc propriè in Græco significatur (r). Immodicus potus cibusque insomnia, cruditatem, tormina, bilem pariunt. *Infrunitus* legitur Capite XXIII, 6; est autem homo

insanus, vel intemperans.

℣. 25. ET SI COACTUS FUERIS IN EDENDO MULTUM, SURGE E MEDIO, EVOME, ET REFRIGERABIT TE. Temperantiam & sobrietatem sedulò suasit Sapiens, uti superioribus versiculis legimus: at cùm temperantissimis etiam hominibus contingere interdum queat, ut vel convivarum causâ, vel nimiâ erga amicos indulgentiâ, temperantiæ fines prætergrediantur, jubet levari stomachum vomitu. Neque aut intemperantiam, aut turpes intemperantiæ fructus probat; multo tamen melius est, morbum prævertere, levato stomacho, quàm cibos stomacho noxios retinere (s). Si peccasti, immodicum cibum capiens, ne iterum pecces, dum tibi morbum creas. Abstinendum ab iis erat, quæ nonnisi turpi medicinâ curantur.

Codices quidam non habent τὸ *evome* (t); fortasse librariorum culpâ, qui cùm turpe verbum sacro volumine indignum judicarent, omisere; temerè tamen ac minimè opportunè; Scriptura enim æquè narrat quæ bona sunt & quæ mala; illa probat, hæc damnat. Neque tam turpe est vomere, quàm immodico cibo vinoque onerari. Cæterùm apud Veteres non adeò turpes, atque apud nos, erant intemperantia & vomitus. Apertissimis verbis Salomon scribit (u), sapientem, ubi ex avari hominis convivio egressus fuerit, evomiturum, pulcrasque sententias in convivio sese perdidisse doliturum. Cicero Julium Cæsarem pro Dejotaro alloquens, dicere non veretur (x): *Cùm te vomere post cœnam velle dixisses, &c.* Græcus aliter vertitur (y): *Si coactus fueris multum edere, surge per medios* convivas *transiens, vome, & sic quiesces.* Alii: *Surge in mediis fructibus;* alii, *In medio convivii.* Veterum Medicorum consilio vomendum erat, ubi quis gravem crudumque stomachum ferret.

℣. 27. IN OMNIBUS OPERIBUS TUIS ESTO VELOX: ET OMNIS INFIRMITAS NON OCCURRET TIBI. Strenuus esto, vigil, laboris amans, innumerisque morbis liberaberis. Profectò plerique hominum morbi vel ex intemperantiâ, de qua mox, vel ex otio ignaviâque oriuntur. Eamdem rem monet Hippocrates (z): modica exercitatio, nulla sine fame comestio, ad laborem alacritas.

℣. 28. SPLEN-

(p) *Ovid. apud Cornel. hic.* (q) Ὡς ἱκανὸν ἀνθρώπῳ πεπαιδευμένῳ τὸ ὀλίγον; καὶ ἐπὶ τῆς κοίτης αὐτοῦ οὐκ ἀσθμαίνει. Ὕπνος ὑγιείας ἐπὶ ἐντέρῳ μετρίῳ, ἀνέστη πρωΐ, καὶ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ. (r) Πόνος ἀγρυπνίας, καὶ χολέρα, καὶ στρόφος μετὰ ἀνδρὸς ἀπλήστου. (s) *Vide Franscisc. Vales. sacr. Philosoph. c. 73; Jansen. hic; Cornel. a Lapid. alios.* (t) Ἔμεσον, *non est in Ald. nec Rom. nec Mss. Vide Hoschel. & Drus.* (u) *Prov.* XXIII, 8. (x) *Cicero Orat. pro Rege Dejotaro. Vide & Plutarch. lib. de Sanitate; & Sympofiac. & Plin. lib.* 14, *c.* 12. (y) Καὶ εἰ ἐβιάσθης ἐν ἐδέσμασιν, ἀνάστα μεσοπορῶν, (*alii* μεσοκωρῶν,) ἔμεσον, καὶ ἀναπαύσῃ. (z) *Hippocrat. lib. 6 Epid. sect. 4. Vide & Plutarch. lib. de Sanitate, & Galen. lib. 2 de Valetud. tuendâ.*

℣. 28. Splendidum in panibus benedicent labia multorum, & testimonium veritatis illius fidele.

℣. 29. Nequissimo in pane murmurabit civitas, & testimonium nequitiæ illius verum est.

℣. 30. Diligentes in vino noli provocare: multos enim exterminavit vinum.

℣. 31. Ignis probat ferrum durum: sic vinum corda superborum arguet in ebrietate potatum.

℣. 32. Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate: si bibas illud moderatè, [eris sobrius.]

℣. 33. Quæ vita est ei, qui minuitur vino?

℣. 34. (Quid defraudat vitam? Mors.)

℣. 35. Vinum in jucunditatem creatum est, (& non in ebrietatem, ab initio.)

℣. 36. Exultatio animæ, & cordis, vinum moderatè potatum.

℣. 37. (Sanitas est animæ, & corpori sobrius potus.

℣. 38. Vinum multum potatum, irritationem, & iram, & ruinas multas facit.)

℣. 39. Amaritudo animæ vinum multum potatum.

COMMENTARIUS.

℣. 28. SPLENDIDUM IN PANIBUS (liberalem convivatorem) BENEDICENT LABIA MULTORUM. *Splendidum in panibus* opponit *nequissimo in pane*, de quo ℣. sequenti. Panis pro quolibet ciborum & dapum genere usurpatur. Qui liberales, ac munifici sunt, qui frequenter convivia exhibent, qui opem pauperibus afferunt, ii amantur, & maximoperè commendantur. Contra verò, avarus, *nequissimus in pane*, totius urbis fabula & ludibrium est. Hic locus similis est alteri e Proverbiis, XXII, 9: *Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi.*

℣. 30. DILIGENTES IN VINO NOLI PROVOCARE. Alterum monitorum genus de vini usu. Vetat, ne ii, qui vinum amant, ad bibendum provocentur: dum enim unà bibis, ebrietatis discrimini te objicis, quæ & animi & corporis exitium est. Multos enim exterminavit vinum. Græcus (a): *Ne virum te in vino præsta.* Noli eximii potatoris nomen tibi quærere, neque in hac re pugnato; innumerorum enim malorum fons vinum est. Suæ ætatis Judæos acriter arguit hujus vitii Isaias (b): *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem!* Quanta est hominis cæcitas, qui iis gloriatur, quibus similis efficitur bestiis, viribus suis abutens, ut ea perdat, quæ a Deo idcircò condita sunt, ut hominis incolumitati serviant!

℣. 31. IGNIS PROBAT FERRUM DURUM: SIC VINUM CORDA SUPERBORUM ARGUET IN EBRIETATE POTATUM. Græcus (c): *Ut fornax probat aciem in temperaturâ.* Vel: *Qua est temperatura aciei, gladii?* sive: *Quàm bonus sit gladii calybs, igne ac temperaturâ probatur.* Faber optimè novit ex igne ac temperaturâ, quis gladius acie optimâ futurus sit. *Ita vinum in corde superborum in ebrietate.* Immodicus vini haustus animos mentesque superborum atque audacissimorum aperit. Vetus proverbium est: *In vino veritas*; ipsâque experientiâ discimus, non modò veritatem vino extorqueri, verùm etiam plura audacter jactari, & sæpe arroganter, cùm uniuscujusque ingenium & natura nullo artificio personata ostendantur.

Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro; tu sapientium
Curas & arcanum jocoso
Consilium retegis Lyæo (d).

Eadem fermè sententia apud Theognidem est (e), cùm dicat, immodico vino sapientissimorum hominum mentes aperiri, ut igne aurum argentumque probantur.

℣. 32. ÆQUA VITA HOMINIBUS, VINUM IN SOBRIETATE: SI BIBAS ILLUD MODERATE, ERIS SOBRIUS. Græcus (f): *Æquiparabile vita hominibus vinum, si id bibas modo,* qui ipsi *conveniat.* Liquor est, vitam homini afferens, & par pretiosissimæ rei, valetudini, seu vitæ, ubi eo utaris cum modo; at si immodicus sit illius usus, virus est, ac lethifer liquor.

℣. 33. QUÆ EST VITA EI, QUI MINUITUR VINO? qui sese vino vinci patitur? 34 QUID DEFRAUDAT (aufert) VITAM? MORS. Immodicus vini usus, certa mors est: vini abusus ita odiosus est uti mors. Græcus brevioribus verbis (g): *Quæ est vita illi qui destituitur vino (h)?* (Versiculus 34 in Græco non legitur) 35. *Et ipsum vinum creatum est ad lætitiam hominibus dandam.* Vinum quodammodo hilaritas & vita hominis est: *tantâ dulcedine, ut magna pars non aliud vitæ præmium intelligat,* inquit Plinius (i). Morborum medicina,

(a) Ἐν οἴνῳ μὴ ἀνδρίζου, πολλοὺς γὰρ ἀπώλεσεν οἶνος. (b) *Isai.* v, 22. (c) Κάμινος δοκιμάζει στόμωμα ἐν βαφῇ. Οὕτως οἶνος ἐν καρδίᾳ ὑπερηφάνων ἐν μέθῃ. *Edit. Rom.* Ἐν μάχῃ ὑπερηφάνων.
(d) *Horat. lib.* 3, *Ode.* 21. (e) *Theognis.*

Ἐν πυρὶ μὲν χρυσόν τε, καὶ ἄργυρον ἴδριες ἄνδρες
Γιγνώσκουσ'· ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον,
Καὶ μάλα περ πινυτοῦ, τὸν ὑπὲρ μέτρον ἤρατο πίνων.

(f) Ἐπίσον ζωῆς οἶνος ἀνθρώποις, ἐὰν πίνῃς αὐτὸν ἐν μέτρῳ αὐτοῦ. (g) Τίς ζωὴ ἐλασσουμένῳ οἴνῳ; καὶ αὐτὸς ἔκτισται εἰς εὐφροσύνην ἀνθρώποις. (h) *Palac. Jans. Sa, Cornel. Grot.*
(i) *Plin. lib.* XIV, *c.* 22.

℣. 40. Ebrietatis animositas, imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera.

℣. 41. In convivio vini non arguas proximum: & non despicias eum in jucunditate illius.

℣. 42. Verba improperii non dicas illi: & non premas illum in repetendo.

COMMENTARIUS.

ma, dolorum solatium. *Date siceram mœrentibus, & vinum his qui amaro sunt animo*, ait Salomon (k): *bibant & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius*. Nunquam tamen prætereunda lex est, superiùs significata, scilicet bibendum esse cum modo. Secùs, vinum id planè homini est, quod mox diximus (l).

℣. 40. EBRIETATIS ANIMOSITAS, IMPRUDENTIS OFFENSIO, MINORANS VIRTUTEM, &c. Ebrietas audaciam parit, insanum in ruinam impellit, &c. Græcus (m): *Ebrietas insipientis auget iram ad malum* ipsius: *minuit* illi *vires*, *& auget vulnera*, obnoxium vulneribus facit. Hucusque fertur insanus, ubi vinum potat: ad furorem usque bibit, ut retusâ judicii acie, ferarum modo sese periculis, vulneribus ac morti objiciat. Ajebant Veteres (n), tria botrorum genera a vite ferri; primum voluptatis, alterum ebrietatis, tertium pœnitentiæ vel mœroris. Vinosa convivia rarò sine tumultu, jurgiis cædibusque clauduntur.

℣. 41. VERBA IMPROPERII NON DICAS ILLI, ET NON PREMAS ILLUM IN REPETENDO. Rationem ac patientiam ignorat ebrietas. Ebrium contumeliis aut importunis postulationibus provocare, nedum inutile est, verùm etiam insanissimum. Notissimum est, quid Clito Alexandri amico, & Callistheni contigerit, cùm illi ebrio repugnassent (o): alterum enim Alexander ipse telo perfôdit, alter inter cruciatus expiravit. Sunt qui Græcum ita explicent (p): *Verbum contumeliæ ne dixeris illi, neque premas illum reposcendo*. Ne illum cogas tibi respondere, propinando illi sæpiùs ad æquales haustus, neve ad bibendum provoces ultra quàm ferre potest. Vetustissima est ea consuetudo, & maximè perniciosa, apud quasdam adhuc gentes obtinens, ut convivæ ad bibendum provocentur sæpiùs cyathis, quibus nisi respondeant, id injuriæ loco a propinantibus habetur (q). Alii reddunt: Si obvius illi factus sis, postea noli ei exprobrare ac molestus ei esse de iis quæ in vino facta sunt. Nunquam non ingratum est hæc exprobrantem audire (r).

CAPUT XXXII.

Rex convivii: ejus officia. Quid servandum in loquendo sit. Senes venerare. Musica in conviviis. Deum quære. Nihil sine consilio age.

℣. 1. RECtorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. RECTOREM TE POSUERUNT? NOLI EXTOLLI. Pergit de conviviis, quibus interdum adesse quis cogitur. Vetustissimum inter Græcos Romanosque morem spectat, qui fortasse mos Persis etiam familiaris fuit, uti ex Assueri convivio colligi posse videtur (a); ut scilicet Rex convivii crearetur, ea curans quæ ad convivium pertinebant, modumque in bibendo præscribens. Noster in Ægypto scribens, ex Græcorum more, tunc in Ægypto imperantium, loquitur.

Convivii Rex sive Magister forte (b) vel convivarum suffragiis creabatur; id enim servabatur plerumque non in conviviis, ad quæ convivæ vocabantur, sed in iis, quæ e collatis symbolis coalescebant. Athenis Magistratus erant, a quibus modum in conviviis imperabatur (c). Porrò hi publicorum & communium conviviorum reges erant, alii planè ab iis, qui inter convivas creabantur. Arguit Verrem Cicero his verbis (d): *Iste prætor severus ac diligens, qui populi Romani legibus nunquam paruisset, illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur, obtemperabat*. Ipse Cato, quamquam severissimus, his convivii legibus delectabatur (e). Varro libro xv de linguæ Latinæ scribit: *In publico convivio etiam nunc antiquitatis restituendæ causâ, cùm magistri fiunt, potio circumfertur*. Quid in hujusmodi conviviis servaretur, discimus ex *Symposiacis* Plutarchi, & ex *Dipnosophistâ* Athenæi. In eodem convivio senes, Philosophi,

(k) *Prov.* XXXI, 6. (l) *Theognid.*
Οἶνος πινόμενος πουλὺς κακός. Ἢν δέ τις αὐτὸν
Πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς ἀλλ' ἀγαθός.
(m) Πληθύνει μέθη θυμὸν ἄφρονος εἰς πρόσκομμα, ἐλαττοῖ ἰσχὺν, καὶ προσποιῶν τραύματα.
(n) *Anacharf. apud Laërt. lib.* I: Τὴν ἄμπελον εἶπε τρεῖς φέρειν βότρυς, τὸν πρῶτον ἡδονῆς, τὸν δεύτερον μέθης, τὸν τρίτον ἀηδίας. (o) *Quint. Curt. lib.* 8. (p) Λόγον ὀνειδισμοῦ μὴ εἴπῃς αὐτῷ, καὶ μὴ αὐτὸν θλίψῃς ἐν ἀπαντήσει αὐτοῦ. *Rom. Edit. & alii*: ἐν ἀπαιτήσει αὐτοῦ.
(q) *Vide Cornel. hic, & Drus.* (r) *Grotius.*
(a) *Esth.* I, 8: *Nec erat qui volentes cogeret ad bibendum.* (b) *Horat. Nec regna vini sortiere talis.*
(c) *Athen. lib.* X, *c.* 6: Οἰνόπται. (d) *Tull. in Verr. Orat.* V. (e) *Tull. in Catone, seu de Senect. Me verò & magisteria delectant a majoribus instituta, & is sermo qui more majorum summo adhibetur magistro in poculo.*

℣. 2. Curam illorum habe, & sic confide, & omni curâ tuâ explicitâ recumbe:

℣. 3. Ut læteris propter illos, & ornamentum gratiæ accipias coronam, (& dignationem consequaris corrogationis.)

℣. 4. Loquere major natu: decet enim te.

℣. 5. Primum verbum diligenti scientiâ, & non impedias musicam.

℣. 6. Ubi auditus non est, non effundas sermonem: & importunè noli extolli in sapientiâ tuâ.

℣. 7. Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in convivio vini.

℣. 8. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi, sic numerus musicorum in jucundo & moderato vino.

COMMENTARIUS.

sophi, ac literati homines unâ cum adolescentibus sedebant; verbaque de utilibus jucundisque rebus fiebant, plerumque a senibus, audientibus cæteris. Miscebantur musica & joci; nihil tamen in iis dissolutum aut immodestum. Omnia moderabatur convivii magister, ac singulos monebat, cùm discedendum esset. Hæc porrò conviviorum genus ex iis non erant, ubi in plurimam noctem bibitur, & quodlibet libidinum genus exercetur.

Esto in illis quasi unus ex ipsis. Ne tradito bonore superbias, neque arroganter brevi hac dignitate abutaris; ridicula enim arrogantia esset, animique tui imbecillitatis argumentum. Eamdem rem monet convivii Regem Plutarchus *(f)*.

℣. 2. Curam illorum habe, et sic consida. Ne in mensâ priùs sedeas, quàm omnia ordine distribueris, totumque convivium probè paratum sit, ac dapes ordine & cum munditiâ afferantur. Veteres *(g)*, qui de magistrorum convivii officio egerunt, maximè omnium monent, ut sobrius ac vigil sit. Nibil illis negligendum erat, ac potiùs convivis satisfaciendum quàm sibi, aut oblectationi vacandum. Græcus *(h)*: *Curam illorum babe; & deinde confide, & omni curâ tuâ explicitâ recumbe*. Sive, ut alii Codices ferunt: *Quæ opus sunt, fac, & laudem eâ de causâ assecutus accumbe*.

℣. 3. Ut læteris propter illos, et ornamentum gratiæ accipias coronam. Qui convivii Rex dicebatur, huic dabatur corona *(i)*; ita fermè, uti apud quosdam fieri adhuc solet in festo trium Regum, quâ die Rex aliquis eligitur, vel sorte, vel fabâ intra offam conditâ; hoc enim prisci hujus moris vestigium est, inter Christianos adhuc usque servatum.

℣. 4. Loquere major natu; decet enim te. (5) Primum verbum diligenti scientia, et non impedias musicam; sed sapienter loquere, neque concentum turbes. Hæc ad unum convivii Regem non pertinent, sed ad quoslibet qui solemnibus conviviis adsunt. Jubet Scriptor, eos, qui ætate majores sunt, verba in conviviis facere; ita enim rectus ordo & honestas postulant: illos cæteri colunt, atque ex eorum dignitate pendent: caveant tamen nequid parum sapienter aut meditatè loquantur, præsertim verò, ne concentum lyrasque turbent, quibus uti solebant in convivio locupletes *(k)*. Nemo liberaliter institutos erat, qui & canere & lyram pulsare nesciret. Fortasse etiam lyricines mercede conducti habebantur. Vetat Sapiens, ne senes musicam sermonibus turbent.

℣. 5. Ubi auditus non est, non effondas sermonem, et importuna noli extolli in sapientia tua. *Ne mittatis margaritas ante porcos*, ajebat Christus *(l)*; neque doctas quæstiones in convivio proponas, si nemo audire cupiat: cæterorum ingenium ac naturam agnosce, ut te illis accommodes. Aliter: Quæ non intelligis, ne loquare. At contraria est Græco sententia *(m)*: *Ubi acroama est, ne effundas sermonem: & noli extra tempus sapientem agere*. Senem monet, cui loquendi inter convivas honorem tribuit. Duo hìc monet; primum, ne concentum sermone interturbet; alterum, ne moralibus sententiis importunè atque abs re utatur. Seria oratio eo tempore importuna est.

℣. 7. Gemmula carbunculi in ornamento auri: et comparatio musicorum in convivio vini. Jam animadvertimus, plurimi fecisse Veteres in conviviis musicam. Ajunt, morem fuisse, ut post cœnam circumferretur lyra, quam ex ordine convivæ pulsarent *(n)*. Primùm de Baccho ab universis simul *(o)*; tum de claris viris carmina a singulis dicebantur *(p)*. *Carmina in epulis a singulis convivis esse cantata de clarorum virorum laudibus, in Originibus scriptum reliquit Cato*. Varro, *In conviviis*, inquit, *pueri modesti cantabant carmina antiqua, in quibus erant laudes majorum, & altâ voce & cum tibicine*. Hæc Ethnici. Judæi Divinas laudes in conviviis miscebant *(q)*: his inibatur convivium, his claudebatur, ut Christi exemplo discimus, qui post supremam cum Apostolis cœnam, hymnum unà recitavit.

Phi-

(f) *Plutarch. Sympofiac. lib. 1, qu. 14.* (g) *Aristot. lib. 2 Politic.*

(h) Φρόντισον αὐτῶν, καὶ οὕτω κάθισον, καὶ πᾶσαν τὴν χρείαν σου ποιήσας, ἀνάπεσε. *Alii*: Πᾶσαν τὴν χρείαν σου ποίησον, καὶ εὐδοκιμήσας ἀνάπεσαι. (i) *Vide Plaut. in Persâ: Do banc tibi florentem florenti: Tu sic eris dictatrix nobis*. (k) *Vide Ciceron. Tuscul. qu. 1; Quintil. lib. 1; Horat. lib. 2, Ode 11: Divitum mensis, & amica templis Lyra. Vide Cornel. a Lapide, hic*.

(l) *Matth. vii, 6.* (m) Ὅπου ἀκρόαμα, μὴ ἐκχέῃς λαλιάν, καὶ ἀκαίρως μὴ σοφίζου. *Acroama* est musicus concentus, non modò apud Græcos, verum etiam Latinos, qui eam vocem e Græcis accepere. *Cicero, Macrob. alii*. Aliqui Codices Græci ferunt negantem particulam, ut Vulgata: Ὅπου ἀκρόαμα οὐκ ἔστι, *Ubi auditus non est*. Usurpant hi ἀκρόαμα, pro ἀκρόασις, *auditio*. Vide Drusium. (n) *Cicero Tuscul. qu. lib. 5; & Quintil. lib. 1: Ille mos fuit, ut in conviviis post cœnam circumferretur lyra, quam ex ordine convivæ pulsarent. Cujus cùm se imperitum professus esset Themistocles, babitus est indoctior*. (o) *Plutarch. Sympofiac. lib. 5, qu. 1; & lib. de Musicâ*. (p) *Cicero in Bruto*. (q) *Matth. xxvi, 30.*

℣. 9. (Audi tacens, & pro reverentiâ accedet tibi bona gratia.)
℣. 10. Adolescens loquere in tuâ causâ vix.
℣. 11. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.
℣. 12. In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul, & quærens.
℣. 13. In medio magnatorum non præsumas: & ubi sunt senes, non multùm loquaris.
℣. 14. Ante grandinem præibit coruscatio: & ante verecundiam præibit gratia, (& pro reverentiâ accedet tibi bona gratia.)
℣. 15. Et horâ surgendi non te trices: præcurre autem prior in domum tuam, & illic avocare, & illic lude,
℣. 16. Et age conceptiones tuas, & non in delictis, & verbo superbo.

COMMENTARIUS.

Philo (r) convivia Therapeutarum, septimo quoque die celebrata, describens, ait, illos, antequam discumbant, manus oculosque ad Cœlum attollere, ut convivium Deo placeat: deinde cum ordine discumbere; verba a senibus fieri, ac solvi quæstiones, nullâ jactantiâ vel tumultu. Absoluto convivio, omnes consurgere, ac præsulem carmen aliquod incipere aut recèns a se compositum, aut desumptum ab aliquo vatum veterum: extant enim, inquit, hujus generis carmina prisca & hymni inter sacra canendi ante altaria vel a stantibus vel a choreas ducentibus moderatas variis flexibus atque reflexibus. Ubi convivii Princeps carmen incepit, cæteri præsulem imitantur submissâ voce: at demum universi vocem extollunt sine sexûs discrimine. Hic ordo in conviviis servabatur a Therapeutis, Judæorum sapientissimis, atque hic musicæ usus apud illos erat. Græcus loci quem versamus, ad verbum fert (s): *Qualis est sigillum pyropi in annulo aureo, talis concentus symphoniacorum*, mistis vocibus fidibusque, *in convivio*. Sigillum nominat gemmam quæ in annulo est; plerumque enim sigillum gemmæ insculptum erat. *Convivium vini* hilare convivium significat; quippe vinum in simplicibus consuetisque conviviis fermè non adhibebatur.

℣. 9. AUDI TACENS, ET PRO REVERENTIA ACCEDET TIBI BONA GRATIA. 10. ADOLESCENS, LOQUERE IN TUA CAUSA VIX. Versiculus 9 in Græco deest. Spectari autem videtur ℣. 10, quo adolescens monetur, quid agendum illi sit in convivio, cui adsunt senes magnæque virtutis ac dignitatis homines: tunc enim adolescenti vix loquendum est, atque ubi interrogetur. Vide ℣℣. 10, 11, 12, in Græco (t): *Loquere adolescens, si opus tibi est*. (℣ 11.) *Vix responde, si bis interrogatus fueris. Contrahe sermonem tuum*. (℣. 12.) *Dic paucis multa, ut habearis velut sciens, & tamen silens*. Hæc Vulgatæ verba, ℣. 11, *Habeat caput responsum tuum*, non illud volunt, ut oratio tua bono sensu & ratione abundet; ut opponitur alteri, cui neque caput, neque pes est; sed, *Contrahe orationem tuam*, paucis utere.

℣. 13. IN MEDIO MAGNATORUM LOQUI NON PRÆSUMAS, &c. Græcus (u): *In cætu procerum ne parem te facias; & ubi senes sunt, ne multa effutias*. Proceres & senes venerare; id enim illorum dignitati, & horum sapientiæ debes. Hæc ad adolescentes pertinent.

℣. 14. ANTE GRANDINEM PRÆIBIT CORUSCATIO, ET ANTE VERECUNDIAM PRÆIBIT GRATIA, quæ animos cæterorum devincit. Ubi verecundus adolescens, in senum coronâ modestè loquitur, ipsa illius modestia & verecundia, quæ adeò eam ætatem decent, præsentium amorem atque æstimationem alliciunt. Græcus (x): *Ante tonitru festinat fulgur, & ante verecundiam præcedet gratia*, seu favor & amicitia præsentium. Docent Philosophi, necesse esse, ut micet fulgetrum, antequam tonitru audiatur; quamquam utrumque eodem tempore producuntur; sonus enim aures feriens fluctuum modo ad nos pervenit, & reciproco motu, lentâque agitatione aëris, qui liquidum rarumque corpus est; at lux unico tempore a lucido corpore ad nos diffunditur; materies enim, quâ oculi moventur, continua est ac impenetrabilis; radii lucis ceu linea tenuissimorum corporum sunt, recta rigensque, quorum corporum series turbari nequit, nisi altera statim succedat; quamobrem haberi potest ceu linea, quæ flecti aut moveri nequit.

℣. 15. HORA SURGENDI NON TE TRICES (y): PRÆCURRE AUTEM PRIOR IN DOMUM TUAM, ET ILLIC AVOCARE, ET ILLIC LUDE. Græcus: *In tempore surge, neque agmen claudito*, ut ii qui postremam exercitûs partem tenent: *Curre domum, neque piger esto*. Alacer, attentusque sis. Monitum hoc ad adolescentes pariter pertinet. Neque ultimi in mensâ esse debent, neque tristem nimis societatem colere. Liberaliter ludendum illis est, ubi non adsunt ii, quibus obsequium debent. *Illic avocare, & illic lude*.

℣. 16. ET AGE CONCEPTIONES TUAS (cogitationes tuas mente revolve), ET NON IN DELICTIS ET VERBO SUPERBO. Vel ex Græco (z): Lude domi tuæ, *& fac quæ visum fuerit*, & nequid verbis superbis pecces. Modestiam & verecundiam in mensâ atque inter senes adolescentibus imperat: at privatis in ædibus, præsertim post mensam, hilaritatem, liberalesque lusus permittit, dum absint licentia, superbia & libido.

℣. 17. Su-

(r) *Philo de Vitâ Contemplat.* Ἔπειτα ὁ ἀναστὰς ὕμνον ᾄδει πεποιημένον εἰς τὸν Θεὸν, ἢ καινὸν αὐτὸς πεποιηκὼς, ἢ ἀρχαῖόν τινα τῶν πάλαι ποιητῶν .... Μεθ' ὃν ϗ οἱ ἄλλοι κατὰ τάξεις ἐν κόσμῳ προσήκοντι, πάντων κατὰ πολλὴν ἡσυχίαν ἀκροωμένων, πλὴν ὁπότε τὰ ἀκροτελεύτια, ϗ ἐφύμνια ᾄδειν δέοι. Τότε γὰρ ἐξηχοῦσι πάντες ϗ πᾶσαι.
(s) Σφραγὶς ἄνθρακος ἐπὶ κόσμῳ χρυσῷ· σύγκριμα μουσικῶν ἐν συμποσίῳ οἴνου.
(t) 10. Λάλησον, νεανίσκε, εἰ χρεία σου. (11.) Μόλις δὶς, ἐὰν ἐπερωτηθῇς. Κεφαλαίωσον λόγον. (12.) Ἐν ὀλίγοις πολλά. γίνου ὡς γινώσκων, ϗ ἅμα σιωπῶν. (u) Ἐν μέσῳ μεγιστάνων μὴ ἐξισάζου, ϗ ὅπου γέροντες, μὴ πολλὰ ἀδολέσχει. (x) Πρὸ βροντῆς κατασπεύδει ἀστραπὴ, ϗ πρὸ αἰσχυντηροῦ προσελεύσεται χάρις. (y) Complut. *Non te frices*. Jans. *Non tetrices*; ideſt, *ne sis tetricus*. Alii: *Non te tristes*. Græc. Μὴ οὐράγει, *ne agmen claudas; ne sis ultimus*.
(z) Ἐκεῖ παῖζε, ϗ ποίει τὰ ἐνθυμήματά σου, ϗ μὴ ἁμάρτῃς λόγῳ ὑπερηφάνῳ.

℣. 17. Et super his omnibus benedicito Dominum, qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis suis.

℣. 18. Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus: & qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem.

℣. 19. Qui quærit legem, replebitur ab eâ: & qui insidiosè agit, scandalizabitur in eâ.

℣. 20. Qui timent Dominum, invenient judicium justum, & justitias quasi lumen accendent.

℣. 21. Peccator homo vitabit correptionem, & secundùm voluntatem suam inveniet comparationem.

℣. 22. Vir consilii non disperdet intelligentiam: alienus, & superbus non pertimescet timorem:

℣. 23. Etiam postquam fecit cum eo sine consilio, (& suis insectationibus arguetur.)

℣. 24. Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.

℣. 25. In viâ ruinæ non eas, & non offendes in lapides: nec credas te viæ laboriosæ, (ne ponas animæ tuæ scandalum.)

COMMENTARIUS.

℣. 17. SUPER HIS OMNIBUS BENEDICITO DOMINUM. Vel: *Super omnia*, sive, ob hæc omnia, post cœnam, Deo gratias agito. Mos orandi Deum a mensâ surgentibus, Judæis, ipsisque Ethnicis communis est; idemque inter Christianos tum semper olim, tum adhuc nostrâ ætate apud omnes Ecclesias in usu est. Ipsa enim ratio & natura populos bene institutos id docent.

℣. 18. QUI TIMET DOMINUM, EXCIPIET DOCTRINAM EJUS. Hic versiculus, & qui sequuntur, omnino ad pietatem moresque formandos pertinent. His describit Sapiens hominum timentium Deum commoda & officia. Divinas institutiones legesque humili docilique animo excipere ii debent, ac Deum sollicitè quærere, summoque mane expergisci, ac diem precibus prævertere, ut Dei beneficia impetrent: *Qui vigilaverint ad illum, invenient benedictionem.*

℣. 19. QUI INSIDIOSE AGIT, SCANDALIZABITUR IN EA. Qui sinceritatem non colunt, Deumque simplici animo non quærunt, nunquam Sapientiæ Divinique Spiritûs participes fient. Vide Sapientiam, 1, 5: *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum*, &c.

℣. 20. QUI TIMENT DOMINUM, INVENIENT JUDICIUM JUSTUM, Deum justum esse cognoscent. Græcus (a): *Qui timent Dominum, invenient judicium, & justitias quasi lumen accendent.* Scilicet justi erunt, Divinamque Legem amplectentur. Vel: A Deo lumen, acrem mentis & judicii aciem accipient; eorumque justitia lucis instar micabit. *Justorum semita*, inquit Sapiens (b), *quasi lux splendens lucebit, & crescet usque ad perfectam diem.*

℣. 21. INVENIET COMPARATIONEM, Legis interpretationem. Græcus (c): *Inveniet mistionem*, concrementum, compagem, *secundùm voluntatem suam*; idest, comminiscetur excusationes ac prætextus, quibus mores improbos defendat; vel mites legis explicationes libidini suæ accommodatas. Huic interpretationi videntur favere ea quæ sequuntur: at mihi certum est, aliter esse explicandum. Accipe versiculos 20 & 21 ex Græco: *Qui timent Dominum, invenient judicium, & justitiæ quasi lumen accendent. 21. Peccator homo vitabit correptionem; atque ut voluit inveniet condemnationem* (d). Justus vir justitiam & judicium quærens, invenit: impius arbitratu suo regi vult, surdasque institutionibus aures præbet. Cùm mortem & condemnationem amet, utramque accipiet.

℣. 22. VIR CONSILII NON DISPERDET INTELLIGENTIAM. Vir prudens veram legis interpretationem non amittet. Græcus (e): *Vir consultus non negliget considerationem*, vel deliberationem. *Alienus verò*, aut temerarius, qui sine consilio agit, *& superbus non percelletur timore. 23. Etiam cùm aliquid fecerit ex proprio judicio sine consilio.* ℣. 24. Quamobrem *nihil inconsultò feceris; & postquam feceris, non te pœnitent.* Hanc esse veram trium horum versiculorum interpretationem puto. Hæc verba, quæ in ℣. 23 leguntur, *Et suis insectationibus arguetur*, a Græco absunt: explicari autem possunt de rebus propriæ mentis ductu deliberatis: malus enim illarum exitus deliberantem damnabit. Quæ sequuntur, ℣. 24, *Sine consilio nihil facias, & post factum te ne pœniteat*, hoc significant, quod ajebat Sallustius: *Priusquam aliquid facias, consulto; ubi consulueris, maturè facto opus est.* Eos hìc damnat Sapiens, qui incerti semper & fluctuantes, optimis opportunitatibus desunt, quòd nondum deliberaverint, nimiumque de virium suarum imbecillitate metuant. At æquè illos arguit, qui temerè nimis audent, nulloque exterorum consilio sese indigere arbitrantur. Medium iter tenendum est. Quamvis res male cedat, si consilium adhibueris, locus solatio erit. *In rectâ sententiâ ne victa quidem causa vituperanda est*, inquit Cicero (f). Et Plinius junior (g): *Est omnino pravum, sed usu receptum, quòd honesta consilia, vel turpia, prout male aut prosperè cedunt, ita vel laudantur vel vituperantur.*

℣. 25. NE CREDAS TE VIÆ LABORIOSÆ. Codices

(a) Οἱ φοβούμενοι Κύριον εὑρήσουσι κρίμα, καὶ δικαιώματα ὡς φῶς ἐξάψουσι. (b) *Prov.* IV, 18. (c) Κατὰ τὸ θέλημα αὐτοῦ ἐξευρήσει σύγκριμα. (d) Σύγκριμα usurpatur pro *decreto*, *judicio*, *condemnatione*. 1 *Macch.* 2, 6: Κατὰ τὸ σύγκριμα τοῦ βασιλέως ἐθανάτου αὐτόν. *Et Dan.* IV, 14: Διὰ συγκρίματος εἴρ ὁ λόγος. *Et* ℣. 24: Καὶ σύγκριμα ὑψίστου τοῦτό ἐστι. (e) Ἀνὴρ βουλῆς οὐ μὴ παρίδῃ διανόημα· ἀλλότριος, καὶ ὑπερήφανος οὐ καταπτήξει φόβον. 23. Καὶ μετὰ τὸ ποιῆσαι μεθ' ἑαυτοῦ ἄνευ βουλῆς. (f) *Philippicâ* 2. (g) *Lib.* 5, *Ep. ad Rufum.*

℣. 26. Et a filiis tuis cave, (& a domesticis tuis attende.)

℣. 27. In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ: hoc est enim conservatio mandatorum.

℣. 28. Qui credit Deo, attendit mandatis: & qui confidit in illo, non minorabitur.

COMMENTARIUS.

ces quidam legunt (h): *Ne credas te viæ non exploratæ*. Ne ignotum, aut tibi novum iter sequare. Alii: *Ne aggredere viam inoffensam*, æquam, planam; quæ verba nihil significant: cur enim planum rectumque iter non sequaris? Optima est Vulgatæ sententia: Ne quid aggrediare, cujus exitum non prævideas; neque facinus aliquod ingredere, nisi præsto tibi sit, quâ ratione optimè claudas. Vide *Luc.* XIV, 28.

℣. 26. ET A FILIIS TUIS CAVE. Filiorum consilia ne semper sequare. Vel: Ne filiorum institutionem negligas: illos sedulò observa. Vel denique: Ne illis te credas. Sæpe enim evenit, ut hominis propinqui, perniciosissimi illius hostes sint. Vide *Matt.* X, 36; & *Eccli.* XXXIII, 20.

℣. 27. IN OMNI OPERE TUO CREDE EX FIDE ANIMÆ TUÆ: HOC EST ENIM CONSERVATIO MANDATORUM. Hæc verba *ex fide* in Græco non habentur, ubi solùm legimus (i): *In omni opere bono crede animæ tuæ; id enim est observatio mandatorum*. Cùm bene agendum est, id sequi debes, quod docent conscientia & ratio. Gravissima hæc lex est, iis præsertim, qui judicio pollent, Divinasque Leges optimè norunt. Suum ipsi judicium, suamque conscientiam sequantur, quippe quibus melior esse magister nequit.

℣. 28. QUI CREDIT DEO, ATTENDIT MANDATIS. Qui Deo credit ac fidit, certamque in illius promissionibus spem collocat, ipsiusque opem securè expectat, ejus leges neque violat neque obliviscitur. Deo fidem servat, ejusque voluntati prorsus obsequitur. Veretur ne illius amicitiâ cadat, ejusque promissionum fructu privetur.

CAPUT XXXIII.

Pergit de hominis justi ac sapientis officio. Deus omnium author, fortunæque ac temporum dominus. Homo Deo subditus. Cuilibet rei contraria res est. Libri Scriptor Sapientium axiomata sedulò collegit. Ne cujuslibet hominis, quamvis filii sint, potestati te credas. Quid cum servis agendum sit.

℣. 1. Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, & liberabit a malis.

℣. 2. Sapiens non odit mandata, & justitias, & non illidetur quasi in procellâ navis.

℣. 3. Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. TIMENTI DOMINUM NON OCCURRENT MALA. Hoc ex iis sequitur, quæ superiori Capite de hominis Deum timentis officiis & commodis disputavit. Illum Deus malorum expertem tuebitur; vel siquam in calamitatem ruere patitur, ut illius virtutis ac fidei periculum faciat, incolumem inde reducet, & gloriâ cumulabit. Id omnium ætatum experientiâ confirmatur. *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, inquit Apostolus (a).

℣. 2. ET NON ILLIDETUR QUASI IN PROCELLA NAVIS. Pulcherrima sententia, cui favet Romana Editio, ita ferens (b): *Qui studium Legis simulat, jactatur ut in procellâ navigium*. Cæteræ Editiones habent: *Ut in procellâ multorum*, in plurium ventorum turbine, vel multorum fluctuum procellâ. Assiduo æstu agitabitur, ac miserrimum denique naufragium faciet. Eos qui sapientiam simulato animo quærunt, superiùs exagitavit, Capite XXXII, 19.

℣. 3. CREDIT LEGI DEI, ET LEX ILLI FIDELIS. Ipse fidem servat Deo, & ipsi Deus. Quicquid imperat Deus, cùm is integerrimâ fide expleverit, Deus adamussim explet, quæ illi pollicitus est. Græcus jungitur cum iis quæ sequuntur (c): *Homo prudens confidit Legi, & Lex illi fidelis* erit, *ut responsum Urim*. Respicit ad oraculum, quod a Summo Judæorum Pontifice collo ante pectus appensum gerebatur, dicebaturque Hebraicè *Urim & Thummim* (d), Græcè *Dêlon*, vel *Dêlosis* (e), manifestatio. Quæ illi pollicetur in Lege Deus, ita illi firma & certa erunt, uti ea quæ

(h) Μὴ πιστεύσῃς ἐν ὁδῷ ἀπροσκόπτῳ. *Rom.* Ὁδῷ ἀπροσκόπῳ. *Vide Hæschel. Quid.* Ἐν προσκόπτῳ. *Grot. emendat*, ἀπροσκοπήτῳ, *Non bene exploratâ*. (i) Ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ πίστευε τῇ ψυχῇ σου, καὶ γὰρ τοῦτό ἐστι τήρησις ἐντολῶν. Grotius legendum putat: Ἐν παντὶ ἔργῳ θεῷ πίστευε τῇ ψυχῇ σου. 37. Ὁ πιστεύων Κυρίῳ, προσέχει ἐντολῇ. Ex quibus optima consurgit sententia: *Quicquid aggrediaris, Deo crede ex animo. Qui Deo credit, attendit mandata.* (a) *Rom.* VIII, 28.
(b) Ὁ δὲ ὑποκρινόμενος ἐν αὐτῷ, ὡς ἐν καταιγίδι πλοῖον. *Alii*, ἐν παγίδι πλοῖον. *Complut.* Ἐν καταιγίδι πολλῶν. (c) Ἄνθρωπος συνετὸς ἐμπιστεύσει νόμῳ, καὶ νόμος αὐτῷ πιστός. (4.) Ὡς ἐρώτημα δήλων. *Alii melius*: Ὡς ἐρώτημα δήλων; *non* δηλῶν, *aut* δικαίων. (d) אורים ותמים
(e) Δήλωσις καὶ ἀλήθεια. *Num.* XXVII, 21: Ἐπερωτήσουσιν αὐτὸν τὴν κρίσιν τῶν δήλων ἔναντι Κυρίου.

℣. 4. Qui interrogationem manifestat, parabit verbum, & sic deprecatus exaudietur, & conservabit disciplinam, & tunc respondebit.

℣. 5. Præcordia fatui quasi rota carri: & quasi axis versatilis cogitatus illius.

℣. 6. Equus emissarius, sic & amicus subsannator, sub omni supra sedente hinnit.

℣. 7. Quare dies diem superat, (& iterum lux lucem, & annus annum) a sole?

℣. 8. A Domini scientiâ separati sunt, [facto sole, & præceptum custodiente.]

℣. 9. Et immutavit tempora, & dies festos ipsorum, [& in illis dies festos celebraverunt ad horam.]

℣. 10. Ex ipsis exaltavit, & magnificavit Deus, & ex ipsis posuit in numerum dierum. Et omnes homines de solo, & ex terrâ, unde creatus est Adam.

℣. 11. In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos, & immutavit vias eorum.

℣. 12. Ex ipsis benedixit, & exaltavit: & ex ipsis sanctificavit, & ad se applicavit: & ex ipsis maledixit, & humiliavit, & convertit illos a separatione ipsorum.

COMMENTARIUS.

quæ Pontifex Rationali inductus respondet.

℣. 4. PARABIT VERBUM, ET SIC EXAUDIETUR. Græcus luculentioribus verbis (f): *Ut libenter audiaris, quæ dicturus es para: compara* tibi *eruditionem, ac sic loquere.* Nullus est horum verborum cum præcedentibus nexus. Iis verò monemur unusquisque, cùm vel loqui volumus vel respondere. Si cæteris persuadere cupis, & ea quæ dicturus es, perspicua esse; si quæ postulas, consequi vis, orationem para, vel saltem quæ postulaturus es, probè explorata tene. In concionem ne venias temerè, uti stipes: neque temerè oscitanterque respondeas, si interrogeris: collige quicquid nosti, atque ita respondeto. Nemo hæc ignorat: nunquam tamen satis monentur.

℣. 5. PRÆCORDIA FATUI QUASI ROTA CARRI. Fluctuat inconstans incertusque ceu plaustri rota (g). Vel, junctâ cum superioribus sententiâ: Quæ dicturus aut responsurus es, para, neque fatuum imitare, qui ceu plaustri rota male uncta, temerè loquitur ac radit aures (h). Prior interpretatio melior.

℣. 6. EQUUS EMISSARIUS (i), admissarius, SIC ET AMICUS SUBSANNATOR, SUB OMNI SUPRA SEDENTE HINNIT. Irrisor similis equo est indomito ac periculoso. Certum discrimen est, si eo utaris. Cùm minimè censes, frænum mordebit equus, teque dejiciet. Ita irrisor neque amico neque inimico parcet; cùmque sævire cœperit illius libido, quemlibet obvium lædet (k).

Qui captat risus hominum, famamque dicacis,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est: hunc tu, Romane, caveto.

Omnia irridet, semper mordere paratus: malet amicum perdere, quàm dicterium (l).

. . . . *Dummodo risum*
Excutiat sibi, non hic cuiquam parcet amico.

℣. 7. QUARE DIEM DIES SUPERAT A SOLE, cùm idem sol utrumque efficiat? Cur tam inæqualis est dies per æstatem atque hiemem, modò sudus, modo pluvius; nunc fastus, nunc verò nefastus? Nonne idem est omnium author Deus? Nonne eodem sole illustrantur? Quæstionem hanc movet Sapiens, ut Dei Providentiam ostendat. Ita verò respondet.

℣. 8. A DOMINI SCIENTIA SEPARATI SUNT. Una hujus rei ratio est, Dei voluntas, sapientia & scientia; nullaque ex ipsâ dierum naturâ seu proprietate duci potest. Selegit dies ac distinxit Deus planè ex arbitrio, absolutâque voluntate.

℣. 10. ET EX IPSIS EXALTAVIT ET MAGNIFICAVIT DEUS, ET EX IPSIS POSUIT IN NUMERUM DIERUM. Uti ex diebus, quamquam omnes prorsus æquales sunt, alii sacris ritibus addicti sunt, alii in vulgarium dierum numerum rejecti: ita æqualis prorsus est hominum virtus & dignitas, ex ipsâ illorum creatione: *Omnes homines de solo & ex terrâ, unde creatus est Adam.* Quàm ingens tamen est inter illos discrimen! Quæ conditionum, dignitatum, officiorum, munerum, fortunarumque varietas? Unde verò hæc? ℣. 11: *In multitudine disciplinæ Dominus separavit eos.* Dei sapientiâ inter homines discrimen institutum est. Frustra causam quæris. Idcirco tales sunt, quia tales esse voluit Deus. Hic opibus & gloriâ floret, quia illum florere jussit Deus: ille obscurâ conditione est, qui Deo volente imperasset. Unus omnium humanarum conditionum dominus & institutor est: ipse *immutavit vias eorum.* Hos justitiæ & sapientiæ vias docuit, illos inter ignorantiæ ac sceleris tenebras errare passus est. Sunt (m) qui hunc locum de hominum Prædestinatione ac Reprobatione interpretantur: meliùs tamen, meâ quidem sententiâ, generica explicatio servanda est de Providentiâ, quâ Deus creatas res omnes generatim, præsertim verò homines, tuetur (n).

℣. 12. EX IPSIS BENEDIXIT, ET EXALTAVIT. ET

(f) Ἑτοίμασον λόγον, καὶ οὕτως ἀκουσθήσῃ. Σύνδησον παιδείαν, καὶ οὕτως ἀποκρίθητι.
(g) *Grot. Cornel. Vat.* (h) *Castal.* (i) Ἵππος εἰς ὀχείαν, *Equus admissarius.*
(k) *Horat. lib. 1, satyr. 4.* (l) *Idem, ibidem.* (m) *Palac. Jansen. Gandav.*
(n) *Vide Lyr. Raban. Cornel. Vatab. ad* ℣. 13.

℣. 13. Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud, & disponere.
℣. 14. Omnes viæ ejus secundùm dispositionem ejus: sic homo in manu illius, qui se fecit, & reddet illi secundùm judicium suum.
℣. 15. Contra malum bonum est, & contra mortem vita: sic & contra virum justum peccator. Et sic intuere in omnia opera Altissimi. Duo & duo, & unum contra unum.
℣. 16. Et ego novissimus evigilavi, & quasi qui colligit acinos post vindemiatores.
℣. 17. In benedictione Dei & ipse speravi: & quasi qui vindemiat, replevi torcular.
℣. 18. Respicite, quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus disciplinam.

COMMENTARIUS.

ET EX IPSIS MALEDIXIT ET HUMILIAVIT. Abrahami genus beneficiis auxit & gloriâ; posteros Levi consecravit; Davidis familiam dignitate & gloriâ cumulavit. Contra verò, soboli Chanaani maledixit; depressit Idumæos, ac servos Hebræorum fecit. *Convertit illos a separatione ipsorum:* alios, post mutuam secessionem, dereliquit. Cæteras gentes quodammodo deseruit, atque in suæ ipsarum libidinis potestate reliquit, cùm Israëlitas beneficiis abundè prosequeretur. Græcus (o): *Ejecit illos ex habitationibus ipsorum*, veluti Chananæos; vel, *e sedibus suis illos dejecit*, ut tam multos Reges, quorum sceptra comminuit, ac Regna evertit.

℣. 13. QUASI LUTUM FIGULI IN MANU IPSIUS ... SIC HOMO IN MANU ILLIUS QUI SE FECIT. Eâdem figuli comparatione usus est Apostolus (p), ut Prædestinationis ac Reprobationis arcanum explicaret; atque hoc sensu a plerisque Interpretibus hîc usurpatur; quamquam accipi potest de absolutâ infinitâque Conditoris potestate, qui de rebus creatis infinitâ authoritate, quamquam sapientissimâ justissimâque, decernit.

℣. 14. OMNES VIÆ EJUS SECUNDUM DISPOSITIONEM EJUS. Figulus luto utitur uti videtur, vel in vasa honoris, vel in vasa ignominiæ, ut inquit Apostulus. Ita de rebus creatis decernit Deus, & alios homines gloriâ instruit, atque imperare cæteris jubet; alios in obscuro esse, atque in rebus angustis & servitute vitam agere decernit. Vel si de Prædestinatione ac Reprobatione accipere velis, ita ex S. Augustino explicatur (q): *Prædestinatio Sanctorum nihil aliud est: præscientia scilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur. Cæteri autem ubi nisi in massâ perditionis justo Divino Judicio relinquuntur?*

℣. 15. INTUERE IN OMNIA OPERA ALTISSIMI, DUO ET DUO, ET UNUM CONTRA UNUM. Unicuique rei contraria res in naturâ est: vita & mors, nox & dies, bonum & malum, album & nigrum, pius & impius; atque ita de cæteris. Hinc colligit Scriptor quæ huc usque disputavit de duplici ratione, quam in rebus creatis sequitur Deus, dum alteram deprimit, alteram extollit; huic bene, illi male dicit; denique ex eâdem luti massâ vasa honoris & ignominiæ fingit. Porrò ea est naturæ pulcritudo, contraria enim contrariorum præstantiam luculentiùs ostendunt; ater color albi nitorem commendat; noctis tenebræ diei pulcritudinem demonstrant. Atque ex his infinitam Conditoris sapientiam laudare atque admirari debemus. Si Deus hominem condidit, quem perduellem sibi fore noverat, id profectò majoris boni inde orituri causâ fecisse dicendus est. Si flagitia & scelera inter homines esse patitur, suam ex iis gloriam, suorumque felicitatem colligit. *Sicut ergo*, inquit Augustinus (r), *ista antitheta contrariis opposita sermonis pulcritudinem reddunt, ita quadam non verborum sed rerum eloquentiâ, contrariorum oppositione, sæculi pulcritudo componitur.* Eadem ferme apud veteres Philosophos hac de re videas (s); mundum enim e contrariis rebus constare docuerunt.

At si contrarias hasce res, quas ita animo concipimus, veluti substantiæ sint verè existentes, accuratiùs expendamus, ex his aliquas nihil habere sentiemus, quod verè atque absolutè existat. Id quod non est, ei quod est opponitur, nox diei, scientiæ inscitia, mors vitæ, motui quies. At quod non est nihil est, ac merum nihil sunt inscitia, malum, peccatum; quippe quæ aliquid esse negant, nec aliquam sui imaginem in hominum mente relinquerent, si ea non essent, quibus contraria sunt; neque enim nosse possemus, quid nox esset, quid mors, quid error, nisi dies, vita rectusque ordo existerent. Quamobrem ex vulgi sententiâ loquitur Ecclesiasticus, dum ea quæ a Deo condita sunt, sibi invicem contraria esse docet. Dei opus non sunt mors & peccatum (t): id enim quod nihil est, fieri a Deo nequit; quippe illius agendi vis in illud desineret, quod nusquam est, atque intra ipsum nihil contineretur: id quod intelligi a nemine potest.

℣. 16. ET EGO NOVISSIMUS EVIGILAVI. Novissimum se esse gentis suæ ait, ex iis qui sententias in libros collegerunt. Præcesserat Salomon, qui eo studiorum genere maximè omnium claruit (u). Illius sententias collegerat Ezechias (x). Fortasse etiam ipso vetustior erat Author Libri Sapientiæ (y). Denique similem se esse dicit homini summo mane experrecto, ac post vindemiam racemanti. Neque tamen illius Liber collectio sententiarum est, quas cæteri pronunciaverint; sed suo ipsius marte excogitatus atque exaratus, Quamvis alii præcesserint, ipse satis amplam vindemiam racemando collegit, ut prælum impleverit. (17) *Quasi qui vindemiat, replevi torcular.*

℣. 18. RESPICITE, QUONIAM NON MIHI SOLI LABORAVI. Hoc idem dixerat superiùs, Capite XXIV,

(o) Καὶ ἀνέτρεψεν αὐτοὺς ἀπὸ στάσεως αὐτῶν. (p) *Rom.* IX, 29. *Vide Sap.* XV, 7. (q) *Aug. de Dono persever. c.* 14, *n.* 35. *Vide & de Correpτ. & Grat. c.* 13, *n.* 42; *& quæst. in Exod. l.* 2, *q.* 18, *&* 24. (r) *August. lib.* XI *de Civit. c.* 18. (s) *Vide Theophrast. apud Geor. bis. Aristotel. Vide & Laërt. in Platone, & Vales. sacr. Philosoph. c.* 75. (t) *Sap.* I, 13; II, 24. (u) *Prov.* XXV, 1. (x) 3 *Reg.* IV, 34. (y) Vide Dissertationem de Authore Libri Sapientiæ.

℣. 19. Audite me magnates, & omnes populi: & rectores Ecclesiæ auribus percipite.

℣. 20. Filio, & mulieri, fratri, & amico non des potestatem super te in vitâ tuâ: & non dederis alii possessionem tuam: ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis.

℣. 21. Dum adhuc superes, & aspiras, non immutabit te omnis caro.

℣. 22. Melius est enim, ut filii tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorum tuorum.

℣. 23. In omnibus operibus tuis præcellens esto.

℣. 24. Ne dederis maculam in gloriâ tuâ. In die consummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitûs tui distribue hæreditatem tuam.

℣. 25. Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus servo.

℣. 26. Operatur in disciplinâ, & quærit requiescere: laxa manus illi, & quærit libertatem.

COMMENTARIUS.

xxiv, 47. Inutilem latere librum suum non vult, atque idcirco a se exaratum esse demonstrat, ut cæteris absque invidiâ inanique jactantiâ communem faciat. Neque idem veretur, ℣. 19, Proceres, Principes, & cœtuum Rectores compellare, ut faciles institutionibus suis aures accommodent. Novit quàm gravia sint ea quæ docet, ac certò scit, sese Spiritu Sancto afflari; ejusque rei argumenta exhibere paratus est, utì diu pòst S. Paulus sese facturum prædicabat (z).

℣. 20. Filio et mulieri non des potestatem super te in vita tua. Ne fortunas, quas habes, illis dederis; neque illorum causâ te illis exueris, ne demum ab iis petere cogaris, quæ illis inconsideratè concesseris. Duo hìc monet Sapiens, alterum, nequem nobis imperare veluti herum servo patiamur; alterum, ne cujuslibet hominis causâ nostris nos fortunis exuamus. Is qui, cùm aliquâ dignitate fulgeat, nimiam uxori, propinquis, amicis, ac familiaribus authoritatem concessit, futurum est, ut illorum libidini, ambitioni & avaritiæ serviat, omnemque imperii invidiam in se provocet, nullis imperii commodis fruens, nemini scilicet benefaciens, nullumque sibi amicum comparans. Vulgò enim, & optimo jure credimus, multò plura debere nos homini beneficium impetranti, quàm largienti; sola enim fermè pars largientis est, nomeo atque authoritatem impetrato beneficio addere.

℣. 21. Dum adhuc superes et aspiras, non immutabit te omnia caro; nihil te moveat, ut quempiam animo tuo, tuisque fortunis imperare patiaris. Græcus (a): *Donec vixeris, & spiritus est in te, ne te mortali cuiquam mancipes*, idest, obnoxium facias. Pergit parentes alloqui.

℣. 23. In omnibus operibus tuis præcellens esto, authoritatem tuere. Tu ipse, non per alios, familiam moderare; neque te cupiditas, aut nimia indulgentia, animique imbecillitas agant; liberaliter atque ingenuè rege, atque integer & æquus esto: *Ne dederis maculam in gloriâ tuâ*, ℣. 24. Nequis te arguat, te dignitati tuæ defuisse; aut potestate abusum, tuique regiminis authoritatem cæteris concessisse. Aptiùs tamen accipitur, utì pars orationis, quâ huc usque patrem alloquitur: Familiæ tuæ tu semper impera, teque filii & hæredes nunquam jacentem videant. Turpe patri est exorare filios; quamobrem addit Scriptor: *In tempore exitûs tui distribue hæreditatem tuam*; tunc demum te bonis exue, cùm iis egere desieris.

℣. 25. Cibaria et virga et onus asino: panis et disciplina et opus servo. In consequentibus ea docet Scriptor, quæ circa servus agenda sunt. Primùm verò de servis generatim, tum denique de malis, ac denique de bonis servis disputat. Horum conditio alia planè apud veteres erat, quàm eorum, qui apud nos ministerium ac famulatum exhibent. Hi enim perinde liberi sunt ac heri, ac spontè serviunt: certum servitutis tempus ac mercedem ex pacto definiunt. At servi res patroni erant: nulla illis libertas, nulla bona, nullaque in suum corpus authoritas. Plerumque e servis nati vitam in servitute claudebant. Emebantur ac vendebantur, utì equos, aut alia res quælibet venditur. Operæ pretium est hæc nosse, ut probè intelligas, quid his verbis significetur.

Tria servo danda sunt: I, *panis*, scilicet annona conveniens; cujus mensura certa apud omnes erat, omnesque norant, quotus cuique panis in dies daretur. II, *disciplina* sive animadversio: si enim peccat, puniendus est. Illud de servis generatim censetur, eos nonnisi metu agi (b). III, *opus*, scilicet labor. Nihil magis perniciosum est servo, quàm otium. Quid enim is molietur, nisi ut male agat, herum fallat, fugiat, liber sit? Veteres, qui de servorum regimine egerunt, iisdem sententiis usi sunt. Jubet Aristoteles (c), servis dari *opera*, *castigationem*, *alimentum*, quòd si probè alantur, nullo labore, atque animadversione coërciti, facilè illos ad injuriam ruere, nisi nutrias, quamvis labore, atque animadversione coërceas, id sævitiæ esse, ipsosque terreri, ac serviendo impares effici.

℣. 26. Operatur in disciplina, et quærit

(z) 2 Cor. xiii, 3: *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* (a) Ἕως ἔτι ζῇς, καὶ ἔστι πνοὴ ἐν σοί, μὴ ἀλλάξῃς σεαυτὸν πάσῃ σαρκί. (b) *Prov.* xxix, 19: *Servus verbis non potest erudiri*. (c) *Aristot. de Oeconomic. lib.* 1, *c.* 5: Ὄντων δὲ τριῶν, ἔργου, καὶ κολάσεως, καὶ τροφῆς. τὸ μὲν μήτε κολάζεσθαι, μήτε ἐργάζεσθαι, τροφὴν δὲ ἔχειν, ὕβριν ἐμποιεῖ, *&c. Vide & Platon. l.* 6 *de Legibus*.

℣. 27. Jugum, & lorum curvant collum durum, & servum inclinant operationes assiduæ.

℣. 28. Servo malevolo tortura, & compedes: mitte illum in operationem, ne vacet:

℣. 29. Multam enim malitiam docuit otiositas.

℣. 30. In operâ constitue eum: sic enim condecet illum. Quòd si non obaudierit, curva illum compedibus, & non amplifices super omnem carnem: verùm sine judicio nihil facias grave.

℣. 31. Si est tibi servus (fidelis,) sit tibi quasi anima tua: quasi fratrem sic eum tracta: quoniam in sanguine animæ comparasti illum.

℣. 32. Si læseris eum injustè, in fugam convertetur.

℣. 33. Et si extollens discesserit, quem quæras, & in quâ viâ quæras illum, nescis.

COMMENTARIUS.

BIT REQUIESCARE. Cùm punitur, laborat, & nonnisi de quiete cogitat. Optima sententia. Perniciosissimum servo otium est; si labore occupetur, nullam fraudem molitur, idque solummodò cogitat ut quiescat. Græcus e Romanâ Editione (d): *Exerce servum in opere, & invenies requiem. Laxa manus illi*, illum otiosum relinque, *& quærit libertatem.* Hoc idem monet sequentibus versiculis 27, 28, 29, 30.

℣. 28. SERVO MALEVOLO TORTURA ET COMPEDES. Malum servum, rebellem, fugitivum, non morigerum, patrono ægrè servientem acriter puni, & pedicis coërce, vel agrestibus operis occupa, compedibus gravatum: ita enim in malos servos animadvertebatur (e). Græcus ℣℣. 27 & 28 ita jungit (f): *Jugum & lorum flectunt cervicem: Servo malefico tormenta, & compedes.*

℣. 29. MITTE ILLUM IN OPERATIONEM, NE VACET. Servum assiduo labore occupato, ne otio lasciviat. Cùm rudis animo sit, ac nobilissimis animæ exercitationibus minimè assuetus, si opere vacet, statim ad flagitia ruet. Sedulò monuere Veteres, ut servi ne otiosi sint: ea enim certissima ratio est, illos in officio continendi. *Nulla autem major vel nequissimi hominis custodia, quàm operis exactio (g).*

℣. 30. NON AMPLIFICES SUPER OMNEM CARNEM. Non omnia male gesta severissimè puniri expedit. Vetus est: *Summum jus, summa injuria,* vel *summa crux.*

℣. 31. SI EST TIBI SERVUS FIDELIS, SIT TIBI QUASI ANIMA TUA ... QUONIAM IN SANGUINE ANIMÆ COMPARASTI ILLUM. Captivum significat vel bello captum & vitæ discrimine comparatum. Si quem fidelem ac morigerum servum inter prædam nactus es, illum thesauri loco habe, atque ita ama utì alterum te: atque illud cogita, potuisse te illi obnoxium esse, ut ipse est tibi. Nihil magis in fortunæ potestate est, quàm victoria, adeoque libertas vel captivitas, quæ ex ancipiti victoriâ oriuntur (h). *Tam tu illum ingenuum videre potes, quàm ille te servum. Sic cum inferiore vivas, quemadmodum tecum superiorem velles vivere.* Græcus fusiorem sententiam fert quàm Latinus: *Si servus tibi est, sit tibi tamquam tu* (tamquam anima tua); *quia sanguine eum quæsivisti. Si servus tibi est, ut fratrem eum tracta; nam opus eo habebis ut animâ tuâ.* Illo ita opus habebis, utì temetipso. Græcus non habet τὸ *fidelis*: at addendum esse nemo non videt, cùm illud oratio postulet.

℣. 33. SI EXTOLLENS, furatus, DISCESSERIT. Vel: Si castra movens, sive, anchoram solvens abierit. Tragica supersunt servorum exempla, qui graviùs ab heris habiti, in extrema denique flagitia devenere (i). Proverbium apud Romanos erat: *Totidem esse hostes, quot servos. At non habemus illos hostes, sed facimus*, inquit Seneca (k).

CAPUT XXXIV.

Somniorum inanitas. Peregrinationis ac tentationis utilitas. Spes in Deum: Impiorum oblationes Deo odiosæ.

℣. 1. VAna spes, & mendacium viro insensato: & somnia extollunt imprudentes.

℣. 2. Quasi qui apprehendit umbram, & persequitur ventum: sic & qui attendit ad visa mendacia.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VANA SPES ET MENDACIUM VIRO INSENSATO; ET SOMNIA EXTOLLUNT, ædificant ii qui sunt IMPRUDENTES. Vel ex Græco (a): *Et insomnia alatos faciunt insipientes.* Apud Poëtas insomnia alis instruuntur (b). Nemo nisi insanus fidem somniis habet; nihilque ineptius, quàm

(d) Ἔργασαι ἐν παιδὶ, καὶ εὑρήσεις ἀνάπαυσιν. ἄνες χεῖρας αὐτῷ, καὶ ζητήσει ἐλευθερίαν.

(e) *Columel. lib. 1, c. 8.* (f) Ζυγὸς καὶ ἱμὰς κάμψουσι τράχηλον, καὶ οἰκέτῃ κακούργῳ στρέβλαι, καὶ βάσανοι.

(g) *Columel. lib. 1, c. 8.* (h) *Senec. Ep. 47.* (i) *Bodin. de Rep. lib. 1, c. 5.* (k) *Senec. Ep. 47.*

(a) Καὶ ἐνύπνια ἀναπτεροῦσιν ἄφρονας. (b) *Silius, lib. 10:*

. . . . . Curvoque volucris

Per tenebras portat medicata papavera cornu.

℣. 3. Hoc ſecundùm hoc viſio ſomniorum: ante faciem hominis ſimilitudo hominis.

℣. 4. Ab immundo quid mundabitur? & a mendace quid verum dicetur?

℣. 5. Divinatio (erroris,) & auguria (mendacia,) & ſomnia (maleſacientium,) vanitas eſt.

℣. 6. Et ſicut parturientis, cor tuum phantaſias patitur: niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, ne dederis in illis cor tuum.

COMMENTARIUS.

quàm ars interpretandi ſomnia, cùm certa hujuſmodi interpretationibus regula, ſeu prudens demonſtratio eſſe nequeat. Nimis incerta eſt ſomniorum inconſtantia, neque quidquam in humanæ vitæ geſta viceſque conſerre poſſunt. Si quando vera ex inſomniis prædicta ſunt, id merum caſùs ludibrium fuit. Vix illud e ſomniis colligere potes, quæ corporum, humorum, affectuum habitudo ſit, quidve quisquam aut amet aut averſetur; vel quid opus corpori ac valetudini ſit (c): at nullum eſt ex illis indicium earum rerum, quas liberè vigilantes agimus, multoque minùs earum, quæ a ſecundis alieniſque cauſis oriturae ſunt. Prophetica excipe ſomnia, & quæ Divinitus immittuntur: alia enim ratio illorum eſt.

℣. 3. HOC SECUNDUM HOC, VISIO SOMNIORUM: ANTE FACIEM HOMINIS SIMILITUDO HOMINIS. Somnia perinde ſunt atque imago hominis, ſeſe in ſpeculo contemplantis. Græcus ad verbum (d): *Hoc eſt, vel fermè hoc viſio ſomniorum: ſimilitudo faciei coram facie;* utrumque enim æquè inane eſt. Facies in ſpeculo exhibita merum nihil eſt: ſomnium in animo expreſſum, nihilo illâ ſolidius. Si terga vertas, nullum in ſpeculo prioris imaginis veſtigium manet. Eâdem comparatione utitur S. Jacobus Apoſtolus (e), ut veritatum, quæ in ſolâ meditatione conſiſtunt, inanitatem oſtendat, ſi abſit Chriſtianæ virtutis exercitatio.

℣. 4. AB IMMUNDO QUID MUNDABITUR? ET A MENDACE QUID VERUM DICETUR? Qui fieri poteſt, ut e ſomnio, quod, utì diximus, inanis fugiensque umbra eſt, nihilque habet ſolidum aut verum, id oriatur quod verum ſolidumque eſt? Qua fronte audet ſomniorum interpres ſanas certaſque explicationes venditare, cùm nihil ſanum certumque in ſomnio ſit? Fuere, qui abuterentur his verbis, *Ab immundo quid mundabitur?* ut Sacramenta ab hæreticis impiiſve adminiſtrata inutilia nulliusque virtutis eſſe demonſtrarent: quaſi Sacramentorum Novæ Legis vis & efficacitas a miniſtrantis ſanctitate aut virtute, non ab Inſtituentis gratiâ & voluntate penderet (f). Sive Petrus ſive Judas baptizent, idem eſt Chriſtus utriusque manu baptizans.

℣. 5. DIVINATIO ERRORIS, ET AUGURIA MENDACIA, ET SOMNIA MALEFACIENTIUM, VANITAS EST. Græcus paucioribus verbis (g): *Divinatio, auguria,* vel inſpectio volatûs avium, *& ſomnia inania ſunt;* otioſorum ludibria, vanaque ſuperſtitioſorum hominum inventa. Neque inficias iverim, vera interdum fuiſſe, quæ per quietem ſomniantibus exhibita ſunt, certamque ſtetiſſe auguriis ac divinationibus veritatem: at illud vel caſus, vel cauſa humanâ conditione ſuperior tulit. Ea porrò Diaboli ars eſt, ut homines in errore detineat. Diogenes Cynicus (h) Athenienſium ſuperſtitionem de ſomniis argutè irridebat: Ea quidem quæ vigilantes agitis, non moramini: quæ verò dormientes imaginamini, ea curioſè diſquiritis.

℣. 6. SICUT PARTURIENTIS COR TUUM PHANTASIAS PATITUR. Quæ cupis, ea ſomniaris; & ea, quibus interdiù mens tua occupatur, noctu redeunt.

Somnia ne cures: Nam mens humana quod optat
Dum vigilat, ſperat.

Somniorum interpretatio ſimilis eſt iis animæ ludibriis, quibus gravidæ mulieres aguntur. Nihil abſurdum magis, magiſve ridiculum, aut inconſtans vel magis ſibi repugnans. Sexcenti accedent Interpretes, tuaque ſomnia ſinguli explicabunt, incertis æquè explicationibus. Si ſomnia tua tu ipse animo ſedato expendas, ea meræ tibi fabulæ & animi ludibria videbuntur, utì ea quæ amentes, aut atrâ bili laborantes, gravidæque mulieres imaginantur.

NISI AB ALTISSIMO FUERIT EMISSA VISITATIO, NE DEDERIS IN ILLIS COR TUUM. Quamquam plerumque nihil veritatis in ſomniis eſt, neque peccato caret is, qui ſomnia obſervat, ac fidem illis habet; quædam tamen ſunt, quibus veritas ſubeſt, quæ negligere piaculum eſt. Quædam in Scripturâ narrantur Prophetica, quibus certa vaticinii fides ſtetit. Ex his illud eſt, quod Jacobo dormienti myſticam ſcalam exhibuit (i); & quo augendi gregis, variiſque coloribus diſtinguendi rationem didicit (k). His adde Joſephi ſomnia, quibus ſutura illius fortuna prædicebatur (l); Pharaonis (m), Nabuchodonoſoris (n), Salomonis (o) ac Prophetarum (p); & ex novo Teſtamento, S. Joſephi ſomnia, quibus & Incarnationis Myſterium ex Deo didicit (q), & peſſimum Herodis conſilium (r); ſomnium Magorum (s), & alia planè innumera, quibus certiſſimæ hiſtoriæ abundant. Quo autem indicio humanæ mentis ludibria & illuſiones a ſomniis divinitus miſſis diſtinguantur? Id verò maximè arduum eſt, in eoque vel ſapientiſſimi interdum hærent (t). Si ſapias, nunquam ſatis cautè & cum metu ſententiam feres de iis, quæ ad ſupernaturales viſiones vitamque pertinent.

Duplex ſomniorum genus apud Ethnicos, utì apud nos, agnoſcebatur: alterum eorum quæ a Diis miſſa procul ab errore aberant; alterum eorum,

(c) *Vide, ſi lubet, Galen. in lib. 1 Hippocratis de Morb. Vulg. comment. 3; & lib. de Præſag. ex inſomniis capiendo.* (d) Τῦτο κατὰ τῦτο, ὅρασις ἐνυπνίων, κατέναντι προσώπυ ὁμοίωμα προσώπυ. (e) *Jacobi*, 1, 23. (f) *Auguſt. in Pſalm.* x, *n.* 6; *& in Pſalm.* CXLV, *n.* 9; *& lib.* 2 *contra Epiſt. Petiliani, & alibi paſſim.* (g) Μαντεῖα, ϗ οἰωνισμοὶ, ϗ ἐνύπνια μάταιά ἐστι. (h) *Apud Laert. l.* 6. (i) *Geneſ.* XXVIII, 12. (k) *Geneſ.* XXXI, 10. (l) *Geneſ.* XXXVII, 5. (m) *Geneſ.* XLI, 1.... 5. (n) *Dan.* II, 1, *& ſeq.* (o) 3 *Reg.* III, 5. (p) *Jerem.* XXIII, 28. (q) *Matth.* 1, 20. (r) *Matth.* II, 13, 19. (s) *Matth.* II, 12. (t) *Vide Gregor. Magn. lib.* 4 *Dialog. c.* 48, *&* 49; *& Tertull.* *de Animâ; & Raban. hic, & Grot. in not. ad lib.* 2 *de Verit. Relig. Chriſt.*

℣. 7. Multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis.

℣. 8. Sine mendacio consummabitur verbum legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur.

℣. 9. (Qui non est tentatus, quid scit?) Vir in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum.

℣. 10. Qui non est expertus, pauca recognoscit: qui autem in multis factus est, multiplicat malitiam.

℣. 11. (Qui tentatus non est, qualia scit? qui implanatus est, abundabit nequitiâ.)

COMMENTARIUS.

rum, quæ mera sunt mentis ludibria. Illa, teste Homero, ab Jove immissa, per corneas fores; hæc per eburneas veniebant: duplex enim forium genus erat, alterum e cornu, alterum ex ebore, quà somnia ab Jove mittebantur (u).

℣. 7. Multos enim errare fecerunt somnia. Qui somniis fidem habent, plerumque falluntur; justissimo enim Dei consilio fit, ut in perniciosissimos errores Diabolus illos trahat, & aliquâ veritatis specie deceptos, ut fidem extorqueat, in extrema denique mala præcipites agat; eorumque superstitione & credulitate abutens, ambigua illis somnia, spectraque pulcherrima exhibeat, quorum exitus funestissimus sit. Insigne hujus rei exemplum habes apud Nicetam de S. Gregorio Nazianzeno. Vide Hœschelium in hunc locum. Si fidem habere insomniis cœperis, hic errandi finis non erit: magicas enim artes, divinationem, auguria, & cætera inanissima studia, quæ ab erroris ac tenebrarum Spiritu inventa sunt, consectaberis.

℣. 8. Sine mendacio consummabitur verbum legis: et sapientia in ore fidelis complanabitur, perspicua erit. Minitatur Lex fore ut eos, qui divinationem & magicas artes sequuntur, oderit Deus (x). Pro certo habe, hujusmodi minas integerrimâ fide expletum iri. Si veritatem, certamque vitæ bene instituendæ rationem nosse cupis, consule non magos aut augures, sed sapientes viros, eosque, qui Divinarum Legum scientiâ pollent: ii enim veritatem te docebunt, teque per justitiæ vias ducent. Aliter: At, inquies, nisi augures, & somniorum Interpretes, ac futurorum ominatores consulam, qui fieri poterit, ut quid mihi agendum sit, noscam? qua ratione falsum a vero insomnio secernam? Respondet Sapiens: Una Dei Lex tibi dux esto: neque in gente tuâ sapientes viri desunt, ex quibus dogmata multo certissima disces, quàm quælibet ariolorum divinorumque responsa (y).

℣. 9. Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa. Nova dicendi materies. Disputare jam aggreditur, quàm utiles homini sint peregrinatio, & rerum humanarum experientia. Nihil planè scit, qui nullas Orbis partes peragravit, neque præsens hominum diversorum mores & studia intuitus est. Parum est, intra privatos parietes operam studio & meditationi dare. Ut homo negotiis aptus efficiatur, necesse est, hominum ingenia ex præsentiâ, non ex libris discat; opus est peregrinetur. Hac arte celeberrimi antiquitatis heroës famam virtutemque compararunt: hac Ulysses consequutus est, ut hominum sapientissimus atque expertissimus haberetur (z): hac denique Pythagoras & Plato mirificam illam ac beatissimam eruditionis copiam, qua ita ubique celebrantur, quæsivere (a). Brévior est apud Græcum tum in hoc tum in consequentibus duobus versiculis sententia (b): *Qui multa peragravit, multa novit; & multa expertus, sapienter loquetur.* (10) *Qui tentatus non est, pauca novit: qui peregrinatus est, auxit versutiam.* Totus ℣. 11 a Græco abest.

℣. 11. Qui implanatus (deceptus) est, abundabit nequitia, cautior fiet, ne iterum decipiatur. Hæc sententia cum consequentibus congruit, & cum Græco ℣. 10; hic enim ℣. 11 apud Vulgatam mera est versiculi 10 repetitio. Ita verò explicari potest: Qui deceptus est, versutiâ, callidis consiliis, artibus abundabit, ut errorem vitet. Vel contrario sensu: Qui nunquam deceptus est (c), plenus est nequitiæ. Qui experientiâ caret, totus adhuc in naturæ suæ nequitiâ pravâque habitudine jacet. Impiorum artes dolosque experiri necesse est, si cavere ab iis cupis. Verus tamen Græcæ locutionis sensus est is, qui superiore versiculo legitur: *Qui multum peregrinatus est, auxit versutiam* ac prudentiam (d).

℣. 11. Mul-

(u) *Odyss.* xix.

Δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσὶν ὀνείρων·
Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται, αἱ δ' ἐλέφαντι·
Τῶν οἱ μὲν κ' ἔλθωσι διὰ πριστοῦ ἐλέφαντος,
Οἱ δ' ἐλεφαίρονται ἔπε' ἀκράαντα φέροντες·
Οἱ δὲ διὰ ξεστῶν κεράων ἔλθωσι θύραζε,
Οἱ ῥ' ἔτυμα κραίνουσι, βροτῶν ὅτε κέν τις ἴδηται.

(x) *Vide Levit.* xix, 26; *Deut.* xiii, 1, 5; xviii, 10. (y) *Confer Isai.* viii, 20. *Vat. & Cornel. a Lapide, hic.*

(z) *Homer. de Ulysse.*

. . . . Ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε·
Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

(a) *Hieronym. ad Paulin. Legimus in veteribus historiis quosdam lustrasse provincias, novos adiisse populos, maria transisse, ut eos, quos ex libris noverant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates; sic Plato Ægyptum & Archytam Tarentinum, eamque oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissimè peragravit; ut qui Athenis magister erat & potens ... fieret peregrinus atque discipulus, &c.* (b) Ἀνὴρ πεπλανημένος ἔγνω πολλά, καὶ ὁ πολύπειρος ἐκδιηγήσεται σύνεσιν. (10.) Ὃς οὐκ ἐπειράσθη, ὀλίγα οἶδεν. Ὁ δὲ πεπλανημένος, πληθυνεῖ πανουργίαν.

(c) *Implanatus*, ex Græco πλανάω, *erro, decipio.* Πόλλ' ἀπατηθῆναι διζήμενον ἔμμεναι ἐσθλόν.

(d) Πλάνη βίον τίθησι σωφρονέστερον.

℣. 12. Multa vidi errando, & plurimas verborum conſuetudines.

℣. 13. Aliquoties uſque ad mortem periclitatus ſum horum causâ, & liberatus ſum gratiâ Dei.

℣. 14. Spiritus timentium Deum quæritur, (& in reſpectu illius benedicetur.)

℣. 15. Spes enim illorum in ſalvantem illos, (& oculi Dei in diligentes ſe.)

℣. 16. Qui timet Dominum, nihil trepidabit, & non pavebit: quoniam ipſe eſt ſpes ejus.

℣. 17. Timentis Dominum beata eſt anima ejus.

℣. 18. Ad quem reſpicit, & quis eſt fortitudo ejus?

℣. 19. Oculi Domini ſuper timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani,

℣. 20. Deprecatio offenſionis, & adjutorium caſûs, exaltans animam, & illuminans oculos, dans ſanitatem, & vitam, & benedictionem.

℣. 21. Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata, & non ſunt beneplacitæ ſubſannationes injuſtorum.

℣. 22. (Dominus ſolus ſuſtinentibus ſe in viâ veritatis, & juſtitiæ)

℣. 23. Dona iniquorum non probat Altiſſimus, (nec reſpicit in oblationes iniquorum:) nec in multitudine ſacrificiorum eorum propitiabitur peccatis.

℣. 24. Qui offert ſacrificium ex ſubſtantiâ pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui.

℣. 25. Panis egentium vita pauperum eſt: qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt.

℣. 26. Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum.

COMMENTARIUS.

℣. 12. Multa vidi errando (e), et plurimas verborum consuetudines. Aliquid hic de ſe tradit Author, quod animadvertiſſe operæ pretium eſt, multa ſcilicet ſe peragraſſe & vidiſſe. Hinc verò ingens illius authoritati Libroque pondus accederet, tametſi longè graviſſima non eſſet obſequii cauſa, Spiritûs Sancti afflatus, quo plenum fuiſſe illum credimus. Vulgatæ locus ita explicari poteſt: Plura peregrinando vidi, quàm quæ verbis aſſequi poſſim. Græcus (f): *Multa vidi in peregrinatione meâ, & ſimulata verba quæ intellexi, me erudierunt.* Alii Codices: *Plura novi quàm dico.*

℣. 13. Aliquoties usque ad mortem periclitatus sum, et liberatus sum gratia Dei. Græcus (g): *Et ſervatus ſum horum causâ*, diuturnâ ſcilicet experientiâ ſapientiâque, quam peregrinando quæſivit.

℣. 14. Spiritus timentium Deum quæritur, et in respectu illius benedicetur. Curam animæ timentium ſe geret Deus, unusque Dei aſpectus illos bonis cumulabit. Vel: Quæret ac puniet Deus illos, qui caros ſibi homines odio & nece inſectati ſunt; supremâque formidabilis Judicii die, qua ipse iratus ad hominum examen accedet, illi ſuaviſſimâ animi pace boniſque cumulabuntur. Græcus paucioribus verbis (h): *Spiritus timentium Dominum vivet.* Quæ verba cum ſuperioribus jungenda ſunt: Omnia peregrinationis meæ pericula, Deo favente, vitavi. Deum timentes vivent; is enim curam illorum incolumitatis geret. ℣. 15. *Spes enim illorum in ſalvantem illos.* Hinc verò aggreditur in conſequentibus diſputare de pietatis commodis, deque illorum felicitate, qui Deo morigeri ſunt, atque obſequuntur.

℣. 18. Ad quem respicit? et quis est fortitudo ejus? Quod juſti hominis robur, quæ ſpes eſt? Unus ſcilicet Deus, ejusque providentia, ℣. 19. *Oculi Domini ſuper timentes eum.* Illos benignè, paternâque curâ tuetur: *Tegimen ardoris, & umbraculum meridiani.* Illos Deus ab æſto protegit; ardentique meridie, ſuaviſſimâ illos umbrâ refrigerat, ceu errantes in ſolitudine Israëlitas, per columnam e nube.

℣. 20. Deprecatio offensionis, et adjutorium casus. Regit, ne cadant; lapſis manum porrigit. Ita propriè ſonat Græcus (i). Curam habet ne ruant; lapſos erigit Deus.

℣. 21. Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, et non sunt beneplacitæ subsannationes injustorum. Græcus legit (k): *Qui ſacrificat ex rebus injuſtè quaſitis, irriſui eſt Deo; neque illi placent donaria iniquorum.* Vulgatæ ver-

(e) *Quid. Multa vidi enarrando.* (f) Πολλὰ ἑώρακα ἐν τῇ ἀποπλανήσει μου. Καὶ τὰ πλάσματα τῶν λογῶν μου, σύνεσίς μου. *Alii:* Καὶ πλείονα τῶν λόγων μου, σύνεσίς μου. *Vulg. legit:* Καὶ πλείονα τῶν λόγων συνήθη μοι. (g) Καὶ διεσώθην τούτων χάριν. (h) Πνεῦμα φοβεμένων τὸν Κύριον ζήσεται. *Vulg.* ζητεῖται. (i) Φυλακὴ ἀπὸ προσκόμματος, καὶ βοήθεια πτώσεως. (k) Θυσιάζων ἐξ ἀδίκου, προσφορὰ μεμωκημένη, καὶ οὐκ εἰς εὐδοκίαν δωρήματα ἀνόμων. *Vulg. legit:* Μωκήματα ἀνόμων. *Ita Rom. sed alii;* Μωμήματα. *Ita Ald. & Baſil. edit.*

℣. 27. Qui effundit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt.

℣. 28. Unus ædificans, & unus destruens: quid prodest illis nisi labor?

℣. 29. Unus orans, & unus maledicens: cujus vocem exaudiet Deus?

℣. 30. Qui baptizatur a mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lavatio illius?

℣. 31. Sic homo qui jejunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet?

COMMENTARIUS.

versioni optimi Codices Græci adstipulantur; eaque illud significat, impiorum donaria irrisiones esse potiùs, quàm obsequii argumenta. Vide Isaiam, xli, 8: *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto*. Ejusdem argumenti sunt ℣℣. 22 & 23: at ℣. 24 omnium luculentissimè ostendit, quanto horrore prosequatur Deus sacrificia, quibus comes est iniquitas: *Qui offert sacrificium ex substantiâ pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui*. Pauperum pater ac protector est Deus: si pauperem spolias, perinde est, ac si vitam auferas. Quamobrem ubi offeras Deo ea quibus pauperem spoliasti, filium coram patre mactas. Eadem sententia repetitur ℣. 25: *Panis egentium vita pauperum est: qui defraudat illum, homo sanguinis est*. 26. *Qui aufert in sudore panem*, panem sudore comparatum, *quasi qui occidit proximum suum*. Ajebat Pythagoras, impium esse, ferro sudorem abstergere, scilicet eum necare, qui frontis sudore sibi panem quærit. Nihil profectò addi harum locutionum profunditati potest, quamquam nihil ferunt, quod vel lato ungue a modo meræ veritatis excedat. Eorum sævities, qui rebus suis, suoque ipsius sudore quæsitis, pauperem spoliant, impia odiosaque adeò est, ut nullo satis atro colore pingi queat. Vide *Deut.* xxiv, 15.

℣. 28. UNUS ÆDIFICANS ET UNUS DESTRUENS: QUID PRODEST ILLIS NISI LABOR? Duas in partes hic locus spectare potest. Si ad præcedentia referas, ita explicato (l): Si Deo male sacrificas, donaria ferens ex iniquitate, quid commodi hinc feres? Nihil planè, non secùs atque homini, qui alterâ manu destruit, quæ alterâ struxit. Si ad consequentia detorqueas, ita interpretare (m): Si alter ædificet, alter diruat; hic bene, alter male precetur; denique, siquis sese eluat, quòd mortuum tetigerit, eodemque tempore iterum cadaver tangat, quid sese purgasse proderit? Nihil omnino. Ita, si dum peccati labem eluis, in alterum flagitium ruis, quorsum purgatio? Quamobrem si verè Deo placere cupis, tuaque peccata expiare, gratumque Conditori sacrificium offerre, unà cum sacrificio justitiam veramque pietatem cole: id sequenti Capite significatur. Altera hæc explicatio cum priori fermè convenit.

℣. 30. QUI BAPTIZATUR A MORTUO, ET ITERUM TANGIT EUM, QUID PROFICIT LAVATIO ILLIUS? Si postquam láveris, ut contacti cadaveris maculam éluas, iterum cadaver tangis, quorsum lotio? Mosaica sanctio (n) septem diebus immundos esse jubebat eos, qui vel cadaver tetigissent, vel adfuissent funeri. Homo eâ labe pollutus, neque in cæterorum consuetudinem, neque ad sacrorum communionem admittebatur, nisi se totum & vestes septimâ die lavisset, & aquâ lustrali, mistis vaccæ rufæ cineribus confectâ, sese expiasset. Porrò ut inutilis labor erat sese expiare, si iterum vel idem vel alterum cadaver tangeretur; ita inutilis est præteritorum criminum dolor, & per pœnitentiam expiatio, nisi seriò resipiscas, novosque lapsus sedulò vites.

Censuit S. Cyprianus (o), colligi luculentissimè ex hoc loco, baptismum ab hæreticis collatum inutilem esse, atque ut prosit, iterum esse conferendum. *Qui baptizatur a mortuo, quid proficit lavatio ejus? Manifestum est autem*, inquit, *eos qui non sunt in Ecclesiâ Christi, inter mortuos computari, nec posse ab eo vivificari alterum, qui ipse non vivat*. Communis fuit inter Africanos hæc sententia; eoque loco abutebantur Donatistæ (p), ut eo morem suum defenderent, eos iterum baptizandi, quos a Catholicâ communione in suos errores trahebant. Animadvertendum autem est, illos non legisse hæc verba, *Et iterum tangit eum*, ex quibus altera consurgit sententia, & de novæ Legis baptismo hìc non agi; sed de expiationibus, quæ inter Judæos adhibebantur, ut labes ex contacto cadavere orta elueretur. Eadem verba non legit S. Augustinus (q); at in vetustis Codicibus plus aliquid esse norat. *Inspice diligenter codices antiquos*, ait, *& maximè Græcos, ne fortè ipsa verba aliter conscripta, ex præcedenti & consequenti contextione sermonis alium sensum intiment*. At literalem hujus loci sensum non satis assecutus esse videtur, cùm ita explicet (r): *Baptizatur autem a mortuis, qui baptizatur in Idolorum templis*. Quamobrem de lustrationibus Ethnicorum, profanorum Nominum invocatione & per eorum Sacrificulos factis, non de Judæorum lustrationibus, interpretabatur.

CA-

(l) *Raban. Lyr. Jans. Cornel.* (m) *Palac. Grot.*
(n) *Num.* xix, 11, *& seq.* (o) *Cyprian. Ep. ad Quint.* (p) *Vide August. lib.* 2 *contra Cresconium*, *c.* 25; *& lib.* 1 *contra Petilian. c.* 9. (q) *August. ibidem*, *c.* 27. (r) *Vide lib.* 2 *contra Epist. Parmeniani*, *c.* 20; *& lib.* 2 *contra Crescon. c.* 24, 25.

CAPUT XXXV.

Quo animo ad Sacrificium accedendum sit. Libenter sacrificandum. Omnibus munificus est Deus, nullâ cujuspiam ratione habitâ. Humilis animi oratio Cælos penetrat. Pios defendit & vindicat Deus.

℣. 1. QUI conservat legem, multiplicat oblationem.
℣. 2. Sacrificium salutare est attendere mandatis, (& discedere ab omni iniquitate.
℣. 3. Et propitiationem litare sacrificii super injustitias, & deprecatio pro peccatis, recedere ab injustitiâ.)
℣. 4. Retribuet gratiam, qui offert similaginem: & qui facit misericordiam, offert sacrificium.
℣. 5. Beneplacitum est Domino recedere ab iniquitate: & deprecatio pro peccatis recedere ab injustitiâ.
℣. 6. Non apparebis ante conspectum Domini vacuus.
℣. 7. Hæc enim omnia propter mandatum Dei fiunt.
℣. 8. Oblatio justi impinguat altare, & odor suavitatis est in conspectu Altissimi.
℣. 9. Sacrificium justi acceptum est, & memoriam ejus non obliviscetur Dominus.
℣. 10. Bono animo gloriam redde Deo: & non minuas primitias manuum tuarum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUI CONSERVAT LEGEM, MULTIPLICAT OBLATIONEM. Superiori Capite docuit Author, quàm malè agant & fallantur ii, qui sacrificia ex iniquitate, rebusque injustè quæsitis offerunt. Hìc ostendit, quæ veræ oblationes sint, quas postulat Deus, justitia scilicet, innocentia, legis custodia. Qui fide integrâ Dei præcepta servat, Deum meliùs colit, quàm qui victimarum multitudine altaria onerat. Id tota lex & Prophetæ ubique tradunt.

℣. 2. SACRIFICIUM SALUTARE, vel sacrificium eucharisticum, omnium maximè gratuitum. Vide *Levit.* III, VII.

℣. 3. ET PROPITIATIONEM LITARE SACRIFICII SUPER INJUSTITIAS, ET DEPRECATIO PRO PECCATIS, RECEDERE AB INJUSTITIA. Ordo syntaxeos, in Vulgatâ turbatus, hic est: *Recedere ab injustitiâ, est propitiationem litare sacrificii super injustitias, & deprecatio pro peccatis. Sacrificium super injustitias*, est sacrificium expiationis, hostia pro peccato. *Levit.* IV, VI. Hunc ℣. non habet Græcus.

℣. 4. RETRIBUET GRATIAM, QUI OFFERT SIMILAGINEM; ET QUI FACIT MISERICORDIAM, OFFERT SACRIFICIUM. Sacrificia pacifica habet ℣. 2, & ℣. 3 hostiam pro peccato. Alterum hìc oblationis genus fert, scilicet e farinâ & libis, de quibus agit Leviticus *(a)*; & sacrificium laudis cæterorum absolutissimum, uti frequenter Psalmi & Prophetæ testantur *(b)*: Græcus *(c)*: *Qui reddit gratiam Deo, est tamquam si offerat similam: & qui facit eleemosynam*, qui opera misericordiæ exercet, *offert victimam laudis*. Vides hìc veram Mosaicæ legis mentem, quæ Judæorum sapientissimos non latebat.

℣. 6. NON APPAREBIS ANTE CONSPECTUM DOMINI VACUUS. Id sanciverat in lege Moyses *(d)*. At veram legis mentem hìc ostendit Sapiens. Censere quis potuisset, hac sanctione pauperes ex Dei præsentiâ excludi, & eos, qui donariis offerendis impares sunt: at id minimè voluit Deus; id enim solummodo postulat, ut integrâ fide serventur eâ quæ ipse imperat, ac vult; quæ justa sunt, gerantur; misericordia exerceatur; gratusque beneficiis animus exhibeatur. Hæc porrò sacrificia sunt, atque hæ victimæ, quas postulat. Bonorum tuorum non eget, solumque animum optat. Cave tamen putes, quemquam sacrificiorum atque oblationum templo offerendarum lege solvi. Numerum victimarum minimè præscripsit Deus, misericordiæ suæ consilio, ut pauperibus æquè ac locupletibus pronum esset sacrificare. Qui bovem aut vitulum nequit, agnum mactet; quòd si neque agnum, triticum aut similam deferat *(e)*. Denique si omnibus caret, obsequiis litet, divinisque præceptis religiosè obsequatur; id enim nihilo minùs imperatur, quàm sacrificia: *Hæc enim omnia propter mandatum*.

℣. 8. OBLATIO JUSTI IMPINGUAT ALTARE, ET ODOR SUAVITATIS EST IN CONSPECTU ALTISSIMI. Nihil opportunius est, quàm vitæ sanctitas, ut Deo placeant sacrificia, quæ quisque offert Deo.

℣. 10. BONO ANIMO GLORIAM REDDE DEO, ET NON MINUAS PRIMITIAS MANUUM TUARUM. Græcus *(f)*:

(a) *Levit.* II, 1, 2, 3, *& seq.* (b) *Psalm.* XLIX, 14, 23; CVI, 22; CXV, 17; *Isai.* LVIII, 1, 13, 14, 16.
(c) Ἀνταποδιδοὺς χάριν, ὡς προσφέρων σεμίδαλιν, καὶ ὁ ποιῶν ἐλεημοσύνην, θυσιάζων αἰνέσεως.
(d) *Exod.* XXIII, 16; *Deut.* XVI, 16.
(e) *Levit.* II.

℣. 11. In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione
ſanctifica decimas tuas.
℣. 12. Da Altiſſimo ſecundùm datum ejus: & in bono oculo adin-
ventionem facito manuum tuarum:
℣. 13. Quoniam Dominus retribuens eſt, & ſepties tantùm reddet tibi.
℣. 14. Noli offerre munera prava: non enim ſuſcipiet illa.
℣. 15. Et noli inſpicere ſacrificium injuſtum, quoniam Dominus
judex eſt, & non eſt apud illum gloria perſonæ.
℣. 16. Non accipiet Dominus perſonam in pauperem, & depreca-
tionem læſi exaudiet.
℣. 17. Non deſpiciet preces pupilli: nec viduam, ſi effundat loque-
lam gemitûs.
℣. 18. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt, & exclama-
tio ejus ſuper deducentem eas?
℣. 19. (A maxillâ enim aſcendunt uſque ad cœlum, & Dominus
exauditor non delectabitur in illis.)
℣. 20. Qui adorat Deum in oblectatione, ſuſcipietur, & deprecatio
illius uſque ad nubes propinquabit.

COMMENTARIUS.

cus (f): *Bono oculo gloriam redde Domino, & ne minuas primitias manuum tuarum.* Bonus oculus, uti animadvertimus (g), eſt oculus liberalis, munificus. Hortatur hìc Sapiens, ut munera liberali, magnoque animo coram Deo offerantur, ſolvanturque fructuum primitiæ non diminutæ. Optima denique, ac maximè eximia Deo ſiſtantur.

℣. 11. IN OMNI DATO HILAREM FAC VULTUM TUUM: ET IN EXULTATIONE SANCTIFICA DECIMAS TUAS. Donaria non exigit Deus; at ſi ea deferimus, hilari animo deferenda ſunt (h): *Hilarem datorem diligit Deus.* Libenter expleamus ea, quæ lege imperantur. *Decimas ſanctifica*, ſecerne, ſepara: Dei miniſtris bonâ mente offer. *Sanctificare*, apud Hebræos eſt aliquid parare, atque in pium ac Religioſum uſum ſecernere. Primitias, ac decimas in annonam Sacerdotum, ac Levitarum, atque in Templi reſtaurationem, & quotidiana Sacrificia Lex deſtinaverat.

℣. 12. DA ALTISSIMO SECUNDUM DATUM EJUS: ET IN BONO OCULO ADINVENTIONEM FACITO MANUUM TUARUM. Pro copiarum modo, quibus te inſtruxit Deus, tu ipſi redde; tuamque oblationem bono animo defer, pro fortunis. Ad verbum (i): *In bono oculo, pro eo quod invenerint manus tuæ*; abundè ſcilicet pro facultatibus opibusque (k). Sanctum Deo exhibe quicquid potes, bovem, vitulum, agnum, hœdum: animum tantummodò bonum ac volentem poſtulat. Neque vereare, ne inops fias, dum hæc illi offers; quippe dives æquè ac munificus eſt. ℣. 13. At neque avaritiæ & cupiditatis causâ illi ſervias; gratuitam enim & liberalem ſervitutem exigit.

℣. 14. NOLI OFFERRE MUNERA PRAVA: NON ENIM SUSCIPIET ILLA. Irriſionis ac injuriæ genus eſt, ſi vitioſa & nullius pretii munera offeras. Quæ optima & abſolutiſſima ſunt, ea ubique in Lege (l) ſibi poſcit. Cùm omnium dominus ſit, æquum eſt, ut bonorum pars, & quidem perfectiſſima, illi offeratur. Queritur de Sacerdotibus per Malachiam (m) Deus, quòd cupiditatis causâ ſibi ſervirent, ac panem pollutum, victimasque languidas ac vitioſas in Altari ponerent. Græcus (n): *Ne offeras donaria diminuta; non enim accipiet.* Integras ac benè valentes victimas, plenasque primitias, quales debes, Deo offer. Aliter (o): *Ne offeras parta ſordibus munera.* Vel ex Grotio: *Ne donis eum corrumpe*, ſcilicet ne ſperes, eum poſſe donis corrumpi; *non enim accipiet*: δωροκοπεῖν hoc ſenſu eſt in tertio Maccbabaico. Non uno in loco teſtatur Scriptura (p), Deum muneribus non corrumpi, neque cuiquam præ altero favere. Quæ ſequuntur, huic explicationi ſuffragantur.

℣. 15. NOLI INSPICERE SACRIFICIUM INJUSTUM (q), ſcilicet, ne ſacrificio injuſto confide, QUONIAM DOMINUS JUDEX EST. Sacrificio ex rebus injuſtè partis ne confidas, neve putes, eo flecti poſſe Deum. Quippe is incorruptus Judex eſt, nullius hominis *gloriam* inſpiciens, aut dignitatem, fortunas, conditionem; vel *exiſtimationem*, famamve, quâ quis inter homines fulget. Unus ipſe æquus eſt, uniuſcujuſque virtutis Judex.

℣. 18. NONNE LACRYMÆ VIDUÆ AD MAXILLAM DESCENDUNT, ET EXCLAMATIO EJUS SUPER DEDUCENTEM EAS, ſuper eos, qui cauſa illarum ſunt? Deus ubique ſeſe viduæ & orphani tutorem prædicat. *Viduæ & pupillo non nocebitis*, inquit in Exodo, XXII, 22. *Si læſeritis eos, vociferabuntur ad me*, & ego audiam clamorem eorum: & indignabitur furor meus, percutiamque vos gladio, & erunt uxores veſtræ viduæ, & filii veſtri pupilli.

℣. 20. QUI ADORAT DEUM IN OBLECTATIONE, hilari ac libenti animo, SUSCIPIETUR (r). Vel: *Qui piè Deum colit, benevolè a Deo recipitur.* Morige-

(f) Ἐν ἀγαθῷ ὀφθαλμῷ δόξασον τὸν Κύριον. καὶ μὴ σμικρύνῃς ἀπαρχὴν χειρῶν σου.
(g) *Vide Prov.* XXII, 9; *Eccli.* XXXI, 14, 15. *Infra*, ℣. 12.
(h) 2 *Cor.* IX, 7; *Rom.* XII, 8. (i) Καὶ ἐν ἀγαθῷ ὀφθαλμῷ καθ' εὕρημα χειρὸς, non uno ſimul verbo καθεύρημα. (k) *Vide Levit.* XII, 8; XIV, 21; XXV, 26, 28; 1 *Reg.* X, 7. *&c.*
(l) *Levit.* XXII, 21, 22; *Deut.* XVI, 19, 20, 21. (m) *Malach.* I, 7, 8. (n) Μὴ δωροκόπει, οὐ γὰρ προσδέξεται. (o) *Tigurina verſ.* (p) *Sap.* VI, 8; *Isai.* XLII, 1; *Act.* X, 34; *Galat.* II, 6; *Epheſ.* VI, 9.
(q) Μὴ ἔπεχε θυσίᾳ ἀδίκῳ, ὅτι κριτὴς Κύριός ἐστι, καὶ οὐκ ἔστι παρ' αὐτῷ δόξα προσώπου.
(r) Θεραπεύων ἐν εὐδοκίᾳ, δεχθήσεται.

℣. 21. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet, donec Altissimus aspiciat.

℣. 22. Et Dominus non elongabit, sed judicabit justos, & faciet judicium: & Fortissimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorsum ipsorum.

℣. 23. Et Gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem superborum, & sceptra iniquorum contribulet:

℣. 24. Donec reddat hominibus secundùm actus suos, & secundùm opera Adæ, & secundùm præsumptionem illius:

℣. 25. Donec judicet judicium plebis suæ, & oblectabit justos misericordiâ suâ.

℣. 26. Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.

COMMENTARIUS.

rigerorum sibi hominum preces benignè excipiet Deus.

℣. 21. DONEC PROPINQUET, NON CONSOLABITUR, solatium non accipiet, nisi postquam ad Deum accesserit; non quiescet, nisi ubi ante Dei tribunal steterit. Græcus reddi potest (s): *Non revocabitur, donec accesserit ad Dei solium*. Tria in humilium oratione animadverte: nubes penetrat; constantissima est, neque revocari potest, nisi coram Deo steterit; ac denique non discedit, nisi impetraverit.

℣. 22. DOMINUS NON ELONGABIT, SED JUDICABIT JUSTOS, ET FACIET JUDICIUM. Græcus ad verbum (t): *Et Dominus non erit lentus, & non quiescet ab eis Omnipotens, donec immisericordium vires conterat*, eorum scilicet, qui viduam & orphanum sævissimè opprimunt.

℣. 23. GENTIBUS REDDET VINDICTAM, DONEC TOLLAT PLENITUDINEM (omnem cœtum) SUPERBORUM. Integræ gentes gravissimam illius manum sentient, nisi infirmos opprimere desinant. Notissima est severitas, qua Deus in Ægyptios & Chaldæos animadvertit, sævitiæ causâ, qua illi Hebræos cruciaverant. Nihilo mitius in cæteros aget, qui in gentem suam sævire pergunt. Clam innuit Ægyptios & Syrios, qui tunc in Judæâ, Syriâ, & Ægypto imperabant. Explicari etiam hoc sensu potest (u): *Vindicabit populos oppressos, donec auferat multitudinem vi agentium, & sceptra iniquorum confringat* (x). Prior explicatio melior videtur, eamque plerique amplectuntur.

℣. 24. ET SECUNDUM OPERA ADÆ, ET SECUNDUM PRÆSUMPTIONEM ILLIUS. Nihilo magis illorum miserebitur, quàm Adami, postquam ille peccavit: eos scilicet concessis honoribus exuet, gravibusque iræ suæ animadversionibus diu conteret. Plerique tamen Interpretes (y) *Adæ* nomen hîc generico sensu pro universis vel singulis hominibus usurpant. Græcus etiam ita legit (z). Deus homines puniet, ut uniuscujusque opera & cogitationes postulaverint: pari severitate, prætes gratiam & favorem, in omnes animadvertet.

℣. 25. DONEC JUDICET JUDICIUM PLEBIS SUÆ. Græcis parebant eâ ætate Judæi: hinc Ægyptiorum, inde Syriorum injuriis obnoxii. Temporum, quæ Magni Alexandri obitum consecuta sunt, historia passim narrat injurias, quibus Judæi ab Ægyptiis & Syris, Antiochiæ, Alexandriæ, atque Jerosolymis exagitati fuere.

℣. 26. SPECIOSA MISERICORDIA DEI IN TEMPORE TRIBULATIONIS; scilicet, in rebus angustis Dei misericordia libenter excipitur. Græcus magis sonat (α): *Quàm opportuna est misericordia Dei in tempore afflictionis, perinde ac nubes humida tempore siccitatis!* In rebus maximè angustis divinæ opis suavitas magis sentitur (β): *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione.*

CAPUT XXXVI.

Oratio a Sapiente instituta ob gentis suæ calamitates, atque Ethnicorum conversionem. Sapiens & corruptus animus. Probæ mulieris laus.

℣. 1. MIserere nostri, Deus omnium, & respice nos, [& ostende nobis lucem miserationum tuarum.]

COMMENTARIUS.

℣. 1. MISERERE NOSTRI, DEUS OMNIUM, ET RESPICE NOS. Postquam de oblationibus egit, ac de animo, quo deferendæ sunt, orationem hîc instituit, postulans, ut afflictæ dissipatæque genti denique favere Deus incipiat. Cùm scriberet Ecclesiasticus, Judæorum gens in Ægypto, Syriâ, cæterisque Orientis Provinciis, ac trans Euphratem dissipata vagabatur. Ii, quâ in

(s) Καὶ ἕως συνεγγίσῃ, οὐ μὴ παρακληθῇ.

(t) Καὶ ὁ Κύριος οὐ μὴ βραδύνῃ, οὐδὲ μὴ μακροθυμήσῃ ἐπ' αὐτοῖς ὁ κραταιὸς, ἕως ἂν συντρίψῃ ὀσφὺν ἀνελεημόνων. (u) Καὶ τοῖς ἔθνεσιν ἀνταποδώσει ἐκδίκησιν. Ἕως ἐξάρῃ πλῆθος ὑβριστῶν, καὶ σκῆπτρα ἀδίκων συντρίψῃ. (x) *Vide Grot. hic, & Judic.* 11, 36; & 2 *Reg.* IV, 6. (y) *Cornel. Grot. alii.*

(z) Ἕως ἀνταποδῷ ἀνθρώπῳ κατὰ τὰς πράξεις αὐτοῦ, καὶ τὰ ἔργα ἀνθρώπων κατὰ τὰ ἐνθυμήματα αὐτῶν.

(α) Ὡραῖον ἔλεος ἐν καιρῷ θλίψεως, ὡς νεφέλαι ὑετοῦ ἐν καιρῷ ἀβροχίας. (β) *Psal.* 11, 10.

℣. 2. Et immitte timorem tuum super Gentes, quæ non exquisierunt te, [ut cognoscant, quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnalia tua.]

℣. 3. Alleva manum tuam super Gentes alienas, ut videant potentiam tuam.

℣. 4. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis:

℣. 5. Ut cognoscant te, sicut & nos cognovimus, quoniam non est Deus præter te, Domine.

℣. 6. Innova signa, & immuta mirabilia.

℣. 7. Glorifica manum, & brachium dextrum.

℣. 8. Excita furorem, & effunde iram.

℣. 9. Tolle adversarium, & afflige inimicum.

℣. 10. Festina tempus, & memento finis, ut enarrent mirabilia tua.

℣. 11. In irâ flammæ devoretur, qui salvatur: & qui pessimant plebem tuam, inveniant perditionem.

℣. 12. Contere caput principum inimicorum, dicentium: Non est alius præter nos.

COMMENTARIUS.

in Judæâ & in Urbe Jerosolymis remanserant, modò Ægyptiis, modò Syris parebant, fiebantque miserrimæ alterutrorum ambitionis victimæ. Tam ingens populi calamitas gravissima bonis Israëlitis erant, Deum assiduè rogantibus, ut & pacem populo restitueret, atque hostium animos converteret.

℣. 2. Immitte timorem tuum super gentes, a quibus gens tua injustè opprimitur. Vide superiùs, xxxv, 22, 23, 24. Cætera, quæ in ℣. sequuntur, in Græco desunt, ab iis verbis, *Ut cognoscant*, &c.

℣. 3. Alleva manum tuam super gentes alienas, ut videant potentiam tuam. Manum extende, ut ii qui ferire graviter volunt. Vel: Nos illorum tyrannidi subtrahe *erectâ manu*, *& brachio extento*, utì olim populum sub Moyse liberasti.

℣. 4. Sicut enim in conspectu illorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificaberis in eis. Duplex interpretatio his verbis aptari potest: Utì luculenter iratus es nobis, tantâ severitate nos puniens; ita pari severitate nobis videntibus illos puni, ut illorum supplicii testes ipsi simus: an minora nostris crimina illorum sunt? Aliter: Ut olim vires tuæ luculentissimè claruerunt, dum ipsis videntibus invitisque nos ex Ægypto reduxisti; ita eodem nos beneficio coram præsentibus nos tuere, quemadmodum coram illorum majoribus egisti. Talem te illis exhibe, qualem scelera illorum poscunt, ut virium tuarum prodigia præsentes inspiciamus, utì patres nostri ea inspexerunt, quibus Ægyptum afflixisti.

℣. 5. Ut cognoscant te sicut et nos cognovimus, quoniam non est Deus præter te, Domine. Prodigiorum tuorum vi coacti fateantur, nullum esse præter te Deum; merum nihil esse Deos, ipsosque illorum Reges nihil majus esse, quàm mortales, quorum vita & mors in tuâ potestate sunt: te denique colant, atque ut ipse mereris, adorent.

℣. 6. Innova signa, et immuta mirabilia, varia, & nunquam visa prodigia ede. Miracula, quæ sub Moyse edidisti, renova, & adde nova.

℣. 7. Glorifica manum. Vires tuas perspicuas effice. Græcus in fine addit (a): *Ut enarrent mirabilia tua.*

℣. 9. Tolle adversarium, et afflige inimicum. Reddi potest Græcus (b): *Effer in altum adversarium, & extere inimicum.* In altum tolle, ut lapsu graviore ruant.

℣. 10. Festina tempus, at memento finis. Jam tempus est, o Deus, ut opem feras: hostium enim nequitia & immanitas extremos fines attigere. Græcus (c): *Urge tempus, & memento iræ.* Alii codices: *Memento jurisjurandi.* Alii cum Vulgatâ. *Memento finis.* Absolve quod cœpisti; perge ulcisci; vel: Memento finis, quod calamitatibus nostris impositurus es: an nondum illarum finis accessit?

℣. 11. In ira flammæ devorator qui salvatur (qui gladium fugit): et qui pessimant (vexent) plebem tuam, inveniant perditionem. Acrior est hujus precationis vis, atque ingenium Judæorum, vindictæ amans, sapit. Noster Scriptor, divino Spiritu procul dubio afflatus, censendus est, hæc mala Judæorum hostibus, solius Dei gloriæ, ipsorumque salutis causâ imprecari. Hinc fit ut frequenter usurpet: *Ut cognoscant quoniam non est Deus præter te.* Et: *Ut enarrent mirabilia tua.* Denique putandus est solius Justitiæ studio loqui, nullâ sui habitâ ratione, nulloque vindictæ desiderio. Usurpari etiam hoc loco potest Patrum explicatio, Psalmorum locis accommodata, ac dici, nihil hìc imprecari Scriptorem, sed ea solummodo, quæ Judæis eventura erant, prædicere. Confer hanc locutionem, *In irâ flamma devoretur qui salvatur*, cum his, Deut. xxxii, 36: *Clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt*; Et 3 Reg. xiv, 10; & xxii, 21; & 4 Reg. ix, 8: *Percutiam de domo Jeroboam mingentem ad parietem, & clausum & novissimum in Israël.*

℣. 12. Contere caput principum inimico-

(a) Ὅπως διηγῶνται τὰ θαυμάσιά σου. (b) Ἔπαρον ἀντίδικον, καὶ ἔκτριψον ἐχθρόν.
(c) Σπεῦσον καιρὸν, καὶ μνήσθητι ὀργῆς. *Alii*: μνήσθητι ὁρκισμοῦ. *Alii*: ὁρισμοῦ. *Vide Drus. hic a*

℣. 13. Congrega omnes tribus Jacob: (ut cognoscant, quia non est Deus nisi tu, & enarrent magnalia tua:) & hæreditabis eos, sicut ab initio.

℣. 14. Miserere plebi tuæ, super quam invocatum est nomen tuum; & Israël, quem coæquasti primogenito tuo.

℣. 15. Miserere civitati sanctificationis tuæ Jerusalem, civitati requiei tuæ.

℣. 16. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, & gloriâ tuâ populum tuum.

℣. 17. Da testimonium his, qui ab initio creaturæ tuæ sunt, & suscita prædicationes, quas locuti sunt in nomine tuo prophetæ priores.

℣. 18. Da mercedem sustinentibus te, ut prophetæ tui fideles inveniantur: & exaudi orationes servorum tuorum.

COMMENTARIUS.

RUM (d) DICENTIUM: NON EST ALIUS PRÆTER NOS. Ægyptiorum ac Syriorum Reges innuit, qui vel Divinos honores, vel Divinis pares aucupabantur; quique, saltem circa Judæos, sese unicos esse illorum dominos putabant, suamque Religionem a Judæis deseri, falsosque ipsorum Deos coli volebant; id quod satis compertum fuit in Syriâ, Antiocho Epiphane rerum potiente; ac Ptolemæo Philopatore in Ægypto; cujus rei narratio in tertio Macchabæorum libro recitatur. Vide apud Danielem (e) insana Antiochi Epiphanis molimina, qui sese Deum esse censens, nullam præterea religionem norat.

℣. 13. CONGREGA OMNES TRIBUS JACOB. Nostro scribente, Judæorum plerique per varias in Oriente provincias, Græciam, Africam & Insulas dissipati vagabantur, quamquam ex unâquaque Tribu non pauci in Judæâ morabantur. Communis tunc erat Judæis orandi formula, ut dispersæ Tribus ab exilio revocarentur, ii scilicet variarum Tribuum homines, qui nondum in Judæam redierant (f).

℣. 14. MISERERE PLEBI TUÆ, SUPER QUAM INVOCATUM EST NOMEN TUUM, quæ de nomine tuo appellatur. Gentis hujus miserere, quæ *Domini populus* vulgo dicitur, quæ peculiari titulo tua est. Filii, servi, uxores de parentis, heri & viri nomine appellabantur (g). Porrò Judæa gens Dei servi & familiares erant, totaque gens veluti Dei sponsa habebatur; Judæi ceu filii ac primores natu: *Et Israël, quem coæquasti primogenito tuo*. Gentium omnium carissimi, ac maximè distincti (h), Divinarum promissionum hæredes, hæreditatis electæque regionis domini. *Filius meus primogenitus Israël*, ajebat Moyses Pharaonem alloquens (i).

℣. 15. MISERERE CIVITATI SANCTIFICATIONIS TUÆ JERUSALEM, quam sanctam, tibique sacram elegisti, in quâ ceu domicilio habitas, velut imperii tui Metropoli: miserere Urbis sanctæ atque ornatissimæ, in quâ sedes tua, Templum & quies est: *Civitati requiei tuæ*. Quietis locus plerumque est domus, & privatum hominis domicilium. Exhibetur hìc Deus sub Regis imagine, cujus Regia Templum est. In solemni dedicationis pompâ, cùm Arca eò induceretur, canebant Levitæ (k): *Surge, Domine, in requiem tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ*.

℣. 16. REPLE SION INENARRABILIBUS VERBIS TUIS, ET GLORIA TUA POPULUM TUUM. Græcus (l): *Imple Sionem, ut attollat oracula tua, & gloriâ tuâ populum tuum*. Sionem beneficiis tuis, tuâque misericordiâ comple, ut ipsa laudes tuas, tuaque gens tuam gloriam prædicet: vel, populus gloriâ tuâ cumuletur: tui nominis fulgor in populum tuum effundatur. Sive: Sionem beneficiis tuis imple, ut oracula tua, tuæque promissiones impleantur; populum verò gloriâ tuâ repleto. Seu denique: Sionem imple; tuique Prophetæ oracula tua, uti olim, in eâ Urbe nuncient. Prophetiæ facultas post Zachariæ & Malachiæ obitum in Israële cessaverat. Rogat Deum Scriptor, ut præsentiæ suæ Sionem protegentis argumenta, ut olim, exhibeat, ut Prophetiæ facultas in populo communis sit, totaque gens vetere opprobrio liberetur. Postrema hæc interpretatio omnium optima est.

℣. 17. DA TESTIMONIUM HIS QUI AB INITIO CREATURÆ TUÆ SUNT: Israëli, quem tam longâ abhinc ætate elegisti, cui tam multa benevolentiæ argumenta exhibuisti. Nova porrò curæ paternæque solicitudinis pignora exhibeto: fac sentiat, te nunquam ipsius oblivisci: veterem benevolentiam, & prisca Prophetarum vaticinia excita: quæque Vates tui tuo nomine polliciti sunt, expleto, futurum scilicet, ut Israëlem nunquam destituas, ipsiusque ad te clamantis voces facili aure excipias. Græcus (m): *Da testimonium his quæ in principio abs te creata sunt, & suscita nomine tuo Prophetas*. Hæc orationis superiori versiculo inceptæ pars est, cum eâ interpretatione congruens, quam ultimo loco dedimus. Sionem oraculis tuis imple, tuaque gloria in populum tuum fac fulgeat: nova patrocinii tui argumenta illi exhibe, illi nimirum genti, quam, ut ita dicam, e nihilo condidisti, cùm ex Ægyptiacâ servitute reduceres: Prophetas in illâ statue, quibus monentibus & ea quæ vis noscat, & suavissimo gaudio perfundatur.

℣. 18. DA MERCEDEM SUSTINENTIBUS TE. Patientiæ & fiduciæ præmium affer populo, qui integram inter tot mala & tumultus fidem tibi ser-

(d) Σύντριψον κεφαλὰς ἀρχόντων ἐθνῶν, λεγόντων, οὐκ ἔστιν πλὴν ἡμῶν. *Vulg. legit*: Ἀρχόντων ἐχθρῶν. *Et ita plerique Codd. apud Drus. hic*. (e) *Dan.* VII, 25: *Et sermones contra Excelsum loquetur, & sanctos Altissimi conteret, & putabit quòd possit mutare tempora, &c.* VIII, 25: *Contra Principem Principum consurget*. XI, 36: *Adversùs Deum Deorum loquetur magnifica*.
(f) *Psal.* CV, 47; CXLV, 4; CXLVI, 2. (g) *Isai.* IV, 1; *Deut.* XXVIII, 10; *Is.* LXIII, 19; *Jerem.* VII, 10.
(h) *Genes.* XLIX, 3: *Prior in donis, major in imperio*. (i) *Exod.* IV, 22. (k) 2 *Par.* VI, 41; & *Psal.* CXXXI, 8. (l) Πλῆσον Σιὼν ἆραι τὰ λόγιά σου, καὶ ἀπὸ τῆς δόξης σου τὸν λαόν σου.
(m) Δὸς μαρτύριον τοῖς ἐν ἀρχῇ κτίσμασί σου, καὶ ἔγειρον Προφήτας ἐπ' ὀνόματί σου. *Alii*: Τοῖς ἐν ἀρχῇ κτήμασί σου, καὶ ἔγειρον Προφητείας, *&c. Vide Drus.*

℣. 19. Secundum benedictionem Aaron da populo tuo, (& dirige nos in viam justitiæ,) & sciant omnes, qui habitant terram, quia tu es Deus conspector sæculorum.

℣. 20. Omnem escam manducabit venter, & est cibus cibo melior.

℣. 21. Fauces contingunt cibum feræ, & cor sensatum verba mendacia.

℣. 22. Cor pravum dabit tristitiam: & homo peritus resistet illi.

℣. 23. Omnem masculum excipiet mulier: & est filia melior filiâ.

℣. 24. Species mulieris exhilarat faciem viri sui, & super omnem concupiscentiam hominis superducit desiderium.

℣. 25. Si est lingua (curationis, est &) mitigationis, & misericordiæ: non est vir illius secundùm filios hominum.

℣. 26. Qui possidet mulierem bonam, inchoat possessionem: adjutorium secundùm illum est, & columna ut requies.

COMMENTARIUS.

servavit. Judæos significat, qui post Babylonis captivitatem a superstitione abhorrentes, sanctiori fide ac religione, quàm majores sui sub Regibus ante captivitatem, coluere. His verbis innuere videtur Author communem eâ ætate fuisse Judæis expectationem Messiæ, qui excellentiæ causâ Propheta dicitur, quem Moyses (n) cæterique Prophetæ promiserunt: *Ut Prophetæ tui fideles inveniantur.*

EXAUDI ORATIONES SERVORUM TUORUM (19) SECUNDUM BENEDICTIONEM AARON, quâ is benè precatus est populo. Preces nostras excipe, o Deus, nobisque ea largire, quæ sacrorum tuorum Pontificem populo imprecari jussisti, cùm diceres (o): *Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui: convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Hæc, oro, populi tui causâ exequere; neque inania cadant tuæ benedictionis auguria: *Quia tu es Deus conspector sæculorum.* Græcus (p): *Quia tu Dominus sæculorum*, tu unus æternus atque omnipotens Deus, qui de temporum vicibus absolutâ potestate decernis. Desinit hîc Authoris oratio.

℣. 20. OMNEM ESCAM MANDUCABIT VENTER, ET EST CIBUS CIBO MELIOR. Quodlibet cogitationum genus excipit animus; at non omnes æquè bonæ sunt. Quælibet desideria concipit: at inter ea quæ bona sunt & quæ mala, discrimen adhibendum est. Denique, hominis mens capax omnium est, quæ nosci queunt: at divinæ Legis cognitio cæteris præferenda est. Quamquam stomachus quodlibet ciborum genus concoquere potest, minimè tamen obvium quemlibet cibum absque discrimine accipis. Ita inter ea, quæ nosse animum tuum vis, selectus adhibendus est.

℣. 21. FAUCES CONTINGUNT CIBUM FERÆ, gustu dignoscunt ferinam, ET COR SENSATUM VERBA MENDACIA dignoscit a veris. Objectionem occupat, quæ ita strui posset: Quàm arduum est bonas a malis cognitionibus secernere? Ita facilè, inquit, animus & mens a falsis vera secernit, bonasque a malis cognitionibus, uti fauces ferinam a pecorinâ. Illud solummodo curandum est, ne mens præjudicatis opinionibus occupetur, uti fauces alienis saporibus probè purgas, si cujus cibi saporem probare velis.

℣. 22. COR PRAVUM DABIT TRISTITIAM: ET HOMO PERITUS RESISTET ILLI, impio, seu menti vitiatæ. Græcus (q): *Prava mens*, fallax, distorta, *molestiam pariet, & homo multum expertus pœnas ex eo reposcet*, pro scelerum modo.

℣. 23. OMNEM MASCULUM EXCIPIET MULIER: ET EST FILIA MELIOR FILIA. Si filiorum causâ solummodo connubia jungerentur, solers nimiùm delectus habendus non esset; quælibet enim fœmina viro apta est: at cùm in eâ societate & conjugio vitæ suavitas potissimùm spectetur, puellæ mores, ac cætera ornamenta sedulò spectanda sunt.

℣. 24. ET SUPER OMNEM CONCUPISCENTIAM HOMINIS SUPERDUCIT DESIDERIUM, & excellit supra quodvis hominis desiderium. Amor, quo vir erga fœminam fertur, validissima ferè omnium illius cupiditatum est: at si probam mulierem, eximiâ suavitate ac virtute præditam, nanciscatur, longè felicissimus est, quàm dici queat. Id sequenti ℣. significatur: *Si est lingua curationis, est & mitigationis, & misericordiæ, non est vir illius secundùm filios hominum*; scilicet, si uxoris lingua medicinam afferre malis potest, plenaque suavitatis est; vir eâ felicitate fruitur, quam cæteri ignorant. *Lingua curationis* ea est, quæ animi æstus sedat, modum tristitiæ adhibet, solatium affert, atque admovet dolori medicinam. Græcus legit (r): *Si est in linguâ* mulieris *misericordia, lenitas, & sanitas, non est vir illius similis filiis hominum.* Illius conditio & felicitas quidlibet superant, quod sperare in hac vitâ potest homo. Vide *Eccli.* XXV, 21, 22, 23, 24.

℣. 26. QUI POSSIDET MULIEREM BONAM, INCHOAT POSSESSIONEM, &c. Is qui familiam constituere meditatur, a probæ mulieris acquisitione exordiri debet; ea enim familiæ fundamentum est, primumque bonum marito quærendum. Græcus (s): *Qui uxorem sumit, acquirit* ingens *bonum.* Is habet *auxilium simile sibi, & columnam qua fretus quiescat.* Vel, ex Grotio: *Qui uxorem sumit, in rei suæ familiari proficit adjutricem sibi parem, & columnam requietis*, cui incumbat domus. His verbis Author apertè respicit ad locum Geneseos (t):

Fa-

(n) *Deut.* XVIII, 15: *Prophetam de gente tuâ, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus, &c.* (o) *Num.* VI, 24. (p) Ὅτι σὺ Κύριος τῶν αἰώνων. (q) Καρδία στρεβλὴ δώσει λύπην, καὶ ἄνθρωπος πολύπειρος ἀνταποδώσει αὐτῷ. (r) Εἰ ἔστιν ἐπὶ γλώσσης ἔλεος, καὶ πραΰτης, καὶ ἴασις, οὐκ ἔστιν ὁ ἀνὴρ αὐτῆς καθ' υἱοὺς ἀνθρώπων. (s) Ὁ κτώμενος γυναῖκα ἐνάρχεται κτήσεως. Βοηθὸν κατ' αὐτὸν, καὶ στῦλον ἀναπαύσεως. (t) *Genes.* II, 18. עזר כנגדו 70: Βοηθὸν κατ' αὐτόν.

℣. 27. Ubi non est sepes, diripietur possessio: & ubi non est mulier, ingemiscit egens.

℣. 28. Quis credit ei, qui non habet nidum: & deflectens ubicumque obscuraverit, quasi succinctus latro exiliens de civitate in civitatem?

COMMENTARIUS.

Faciamus ei adjutorium simile sibi.

℣. 27. UBI NON EST MULIER, INGEMISCIT EGENS vir. Viri domus similis agro est, qui sepe caret, atque omnium injuriis & furtis patet. Brevi omnium egens erit, bonisque spoliabitur. Res enim suas aut prorsus negligere, aut domesticorum curæ, furum scilicet ac latronum, credere cogitur. At in familiâ bene constitutâ, uxor familiaris rei curam gerit, & marito ea quæ foris sunt agente, ipsa familiam moderatur.

℣. 28. QUIS CREDIT EI QUI NON HABET NIDUM, ET DEFLECTENS UBICUMQUE OBSCURAVERIT? scilicet, indiscriminatim ac temerè ibi noctem agens, ubi nox occupaverit? Talis profectò est, qui familiâ & domo caret, quò cum filiis & uxore succedat. Exlegem vagamque is vitam agere creditur, latronis more. Græcus Vulgatam explicat (u): *Quis credat expedito latroni erranti de urbe in urbem? sic & nemo credet homini non habenti nidum*, domicilium, *& divertenti ubicumque illum vespera deprehenderit*. Ad literam, *solventi* asinum, quo vehitur, *ubicumque illum nox occupaverit*. Uxore carens, nulloque conjugio vinctus, moribus parum pudicis ac modestis esse censebatur. Ita putabant Judæi, apud quos nemo erat expers conjugii. Eadem ferè est Salomonis sententia (x): *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir qui derelinquit locum suum*, ut vagam errantemque vitam agat, neque securâ neque laudabili conditione.

CAPUT XXXVII.

Veri & simulati amici descriptio. Consilium maturè eligendum. Optimus consiliarius unus est Deus, nullius erroris capax. Vera & falsa scientia; utilis & perniciosa. Quid in convivio servandum.

℣. 1. Omnis amicus dicet: Et ego amicitiam copulavi: sed est amicus solo nomine amicus. Nonne tristitia inest usque ad mortem?

℣. 2. Sodalis autem, & amicus ad inimicitiam convertentur.

℣. 3. O præsumptio nequissima! unde creata es cooperire aridam malitiâ, & dolositate illius?

℣. 4. Sodalis amico conjucundatur in oblectationibus: & in tempore tribulationis adversarius erit.

℣. 5. Sodalis amico condolet causâ ventris, & contra hostem accipiet scutum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. OMNIS AMICUS DICET: ET EGO AMICITIAM COPULAVI. SED EST AMICUS SOLO NOMINE AMICUS. Profectò plurimi sunt specie tenus amici, re paucissimi. Si verbis & exterioribus amicitiæ indiciis contentus esse potes, innumeros amicos invenies. Rebus, non verbis, amicus noscitur. Omnibus amicus, & nulli amicus est assentator.

NONNE TRISTITIA INEST USQUE AD MORTEM? SODALIS AUTEM ET AMICUS AD INIMICITIAM CONVERTENTUR. Duo hæc membra ita jungenda sunt: *Nonne dolor est ad mortem sodalis & amicus ad inimicitiam versus?* Ita sonat Græcus (a). Profectò nihil molestius est, quàm ubi amicum ad inimicitiam conversum intuearis; vel ubi aut negligere aut ægrè ferre cogaris illum, penès quem arcanos animi tui sensus olim deposueras. Quamobrem ita maturo consilio eligendus est amicus, ut vereri nequeas, ne aliquando amittas. Si jacturæ causa tu tibi es, duplex mœroris argumentum oritur: sin amici culpa est, semper illud tibi vitio dabitur, quòd temerè amicum elegeris. Amicorum electio ratione, consilio, prudentiâ ducibus haberi debet, non ex voluntate atque animi propensione.

℣. 3. O PRÆSUMPTIO NEQUISSIMA! UNDE CREATA ES COOPERIRE ARIDAM MALITIA tua, vel nequitiâ & perfidiâ simulati amici? *Malitiâ & dolositate illius?* Græcus non habet *illius*. Arguit hoc loco Sapiens præsertim simulati amici fraudes ac dolos. Improba simulatio, unde orta es, ut seditionem inter homines sereres (b)?

℣. 4. SODALIS AMICO CONJUCUNDATUR IN OBLECTATIONIBUS, rebus prosperis: ET IN TEMPORE TRIBULATIONIS ADVERSARIUS ERIT. Id certè est simulatorum ingenium: Florentibus rebus tuis te colunt; jacentibus, fugiunt. Quicquid simulatum est, diu esse non potest; simulataque amicitia brevì se ipsam prodit.

℣. 5. SODALIS AMICO CONDOLET CAUSA VENTRIS,

(u) Τίς γὰρ πιστεύσει εὐζώνῳ λῃστῇ σφαλλομένῳ ἐκ πόλεως εἰς πόλιν; οὕτως ἀνθρώπῳ μὴ ἔχοντι νοσσιὰν, καὶ καταλύοντι οὗ ἐὰν ὀψίσῃ. (x) *Prov. xxvii, 8.* (a) Οὐχὶ λύπη μένει ἕως θανάτου, ἑταῖρος, καὶ φίλος τρεπόμενος εἰς ἔχθραν. (b) Ὦ πονηρὸν ἐνθύμημα, πόθεν ἐκυλίσθης καλύψαι τὴν ξηρὰν ἐν δολιότητι.

℣. 6. Non obliviscaris amici tui in animo tuo, & non immemor sis illius in opibus tuis.

℣. 7. Noli consiliari cum eo, qui tibi insidiatur, & a zelantibus te absconde consilium.

℣. 8. Omnis consiliarius prodit consilium, sed est consiliarius in semetipso.

℣. 9. A consiliario serva animam tuam: priùs scito quæ sit illius necessitas: & ipse enim animo suo cogitabit:

℣. 10. Ne fortè mittat sudem in terram, & dicat tibi:

℣. 11. Bona est via tua: & stet e contrario videre quid tibi eveniat.

℣. 12. [Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum injusto de justitiâ,] & cum muliere, de eâ, quæ æmulatur: cum timido de bello, cum negotiatore de trajectione, cum emptore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis;

COMMENTARIUS.

TUIS, ET CONTRA HOSTEM ACCIPIAT SCUTUM. Alterum simulatæ amicitiæ genus, ubi quis amici malis dolet, non amici, sed sui ipsius causâ, cùm ab amico pascatur. Metuens hìc, ne, non amicum, sed mensam amittat, amici infortunio dolet, &, si opus fuerit, arma capiet ut defendat: cæterùm sui onius causâ cruciatur, & ventris gratiâ pugnat. Mendum in Græco esse putat Grotius, legeodumque (c): *Scutum pro eo non sumet.*

℣. 6. NE OBLIVISCARIS AMICI IN ANIMO TUO, ET NON IMMEMOR SIS ILLIUS IN OPIBUS TUIS. Complutensis Editio mendo laborare videtur, cùm ferat (d): *Ne obliviscaris amici in animâ tuâ, nec memor sic illius in opibus tuis.* Reliquæ Editiones habent (e): *Ne obliviscaris amicum in animâ tuâ*, scilicet in rebus prosperis, cùm bene animo tuo est, *& ne immemor sis illius*, ne illum negligas *in opibus tuis.*

℣. 7. NOLI CONSILIARI CUM EO, QUI TIBI INSIDIATUR (f). Frustra hoc moneri videtur: Quis enim hostem, aut invidum consulit? antequam animi arcanum quis alteri aperiat, eumque consulat, Sapientis est illius animum explorare, ne incautè cum inimico, aut invido communicet. Græcus aliter sonat (g): *Ne consule illum, qui te suspectum habet*, te veretur: *& ab iis qui tibi invident, consilium tuum absconde.* Is, cui tu suspectus es, quique te veretur, se tentari a te putabit, ubi illum consulas; teque fallere atque evertere conabitur: qui verò tibi invidet, multò minùs consiliis tibi serviet; invidus enim, hostis latens est. Hic locus apud Græcum iterum legitur ℣. 11; & in Romanâ Editione eo loco solummodò legitur.

℣. 8. OMNIS CONSILIARIUS PRODIT CONSILIUM, SED EST CONSILIARIUS IN SEMETIPSO, scilicet est qui suæ utilitati solummodò studet, dum consilium dat. Aliud hominum genus arguit hìc & sequenti ℣. eorum scilicet, qui dum te monere videntur ea quæ ex re tuâ sunt, sibi uois rebusque suis consulunt. His ne fidas, addit ℣. 9: *Priùs scito quæ sit illius necessitas*, nam ipse in suam rem, tuæ dispendio, consilium dabit: *& quid ipse in animo suo cogitabit.* Vel ea Græco (h): *Sibi ipsi consulet.*

℣. 10. NE FORTE MITTAT SUDEM IN TERRAM, ET DICAT TIBI: BONA EST VIA TUA. Tibi ponit insidias, dum rectum iter docere videtur. Græcus (i): *Ne mittat super te fortem. & dicat tibi: Bona est via tua.* Grotius nonnihil mutans legit: *Ne mittat super te durum aliquid*, ceu lapidem, aut sudem: at Vulgatæ lectio melior est. *Sudes missa in terram* eadem res est ac *lignum offensionis*, de quo alibi (k). Sudes, aut lapis in viâ ponebatur, ut iter facientes impingerent. *Lapis offensionis, petra scandali, lignum offensionis, offendiculum, scandalum*, eadem res sunt, cùm in eumdem usum usurpentur.

℣. 12. CUM VIRO IRRELIGIOSO TRACTA DE SANCTITATE; ET CUM INJUSTO DE JUSTITIA. Græcus hunc ℣. non habet, sed superiorem legit, qui fert, ℣. 7: *Ne consule illum, qui te suspectum habet, & ab iis qui tibi invident, consilium tuum absconde.* Quæ apud Vulgatam sequuntur usque ad ℣. 14, continuata ironia vel concessio sunt. Apud Græcum omnia referenda sunt ad illud, *Ne consulas*, &c. quod est initio ℣. 7. Ita uterque Textus in eamdem sententiam conciliantur.

CUM MULIERE, DE EA QUÆ ÆMULATUR. Ne quam mulierem de æmulâ unquam consulito: illam enim summo odio prosequitur, & quælibet mala pro viribus in illam creabit. Hoc de duplici ejusdem viri uxore intellige (l); frequentissima enim erant apud Judæos jurgia; quippè cùm pluribus uxoribus uterentur, nunquam inter uxores deerat invidia; vel de duobus fœminis, quæ tametsi uni viro non nuptæ, mutuo sese odio & invidiâ prosequuntur.

CUM NEGOTIATORE DE TRAJECTIONE mercium. Difficultates ubique objiciet, ac pericula veris majora. Græcus (m): Ne consulas *mercatorem de commutatione* mercium, vel generatim de rebus venalibus: nunquam æquum rei pretium extorquebis (n).

, ... *Pleniùs æquo*
Laudat, venales qui vult extrudere merces.

CUM EMPTORE, DE VENDITIONE, de re quam emit: minoris semper æstimabit, quàm valet, seque

(c) Καὶ ἔναντι πολεμίου λήψεται ἀσπίδα. *Grot. legit*; Ἔναντι πολεμίου ὐ λήψεται ἀσπίδα.
(d) Μὴ ἐπιλάθῃ φίλον ἐν τῇ ψυχῇ σου, καὶ μὴ μνημονεύσῃς αὐτοῦ ἐν χρήμασί σου.
(e) Μὴ ἐπιλάθῃ φίλου ἐν τῇ ψυχῇ σου, καὶ μὴ ἀμνημονήσῃς αὐτοῦ ἐν χρήμασί σου.
(f) *Alii: Noli consiliari cum socero tuo. Ita Complut. Sixt. V, Raban. Lyr. Hugo, Dionys. Jans. Franc. Lucas, Palac. Cornel. Biblia pleraque Latina.* (g) Μὴ βουλεύου μετὰ τοῦ ὑποβλεπομένου σε, καὶ ἀπὸ τῶν ζηλούντων σε κρύψον βουλήν. (h) Γνῶθι πρότερον τίς αὐτοῦ χρεία, καὶ γὰρ αὐτὸς ἑαυτῷ συμβουλεύσεται. (i) Μή ποτε βάλῃ ἐπὶ σοὶ κλῆρον, καὶ εἴπῃ σοι: Καλὴ ὁδός σου. *Grot. legit*: μήποτε βάλῃ ἐπὶ σοὶ σκληρόν. (k) *Eccli.* XXXI, 7. (l) Μετὰ γυναικὸς περὶ ἀντιζήλου αὐτῆς.
(m) Μετὰ ἐμπόρου περὶ μεταβολίας. (n) *Horat. de Arte Poëticâ.*

℣. 13. Cum impio de pietate, (cum inhonesto de honestate, cum operario agrario de omni opere;)

℣. 14. Cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multâ operatione: non attendas his in omni consilio.

℣. 15. Sed cum viro sancto assiduus esto, quemcumque cognoveris observantem timorem Dei;

℣. 16. Cujus anima est secundùm animam tuam: & qui, cùm titubaveris in tenebris, condolebit tibi.

℣. 17. Cor boni consilii statue tecum: non enim tibi aliud pluris illo.

℣. 18. Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.

℣. 19. Et in his omnibus deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.

COMMENTARIUS.

seque fraudari queretur (o): *Malum est, malum est, dicit omnis emptor.*

CUM VIRO LIVIDO, DE GRATIIS AGENDIS. Lividum hoc loco potiùs avarum intellige, cui nullus pudor, nullaque erga benemerentes liberalitas: monebit ille ut semper accipias, nunquam restituas.

℣. 13. CUM IMPIO DE PIETATE, Religione, hominis erga Deum officio. Græcus (p): *Ne consulas immisericordem de misericordiâ.* Cui ferreum pectus est, nunquam suadebit, ut cæterorum inopiam leves.

CUM OPERARIO AGRARIO DE OMNI OPERE. Hic locus in Græco deest. Ne operarium in agru laborantem de operæ mercede consulito: Nunquam enim quod justum erit, fatebitur; & quod sibi fuerit utilissimum, quæret. Græcus habet (q): *Cum pigro de quovis opere*; omnia enim illi ardua sunt, viribusque majora. Quælibet illi difficultas insuperabilis est.

℣. 14. CUM OPERARIO ANNUALI, DE CONSUMMATIONE ANNI, scilicet de iis, quæ toto anno illi agenda sunt. Operam, quam in annum conduxisti, ne consulas aut de mercede quam debes, aut de opere præstando. Plus æquo postulabit; & mercedis securus, laborem pro viribus minuet. Minimè festinabit, nihilque solicitus erit de opere absolvendo. Græcus tantùm legit (r): *Ne consulas operarium annuum de consummatione*, fine operis. Quamdiù poterit, opus producet.

℣. 15. CUM VIRO SANCTO ASSIDUUS ESTO. Hunc habere debes a consiliis; probum virum, Religionis ac pietatis plenum, modò judicio & mente satis polleat. Neque enim satis est optima voluntatis habitudo, pietas, æquitas, Religio: opus est acri animo & judicio. Addit Sapiens, opus esse, ut is tibi conveniat, ac verè amicus sit. ℣. 16: *Cujus anima est secundùm animam tuam.*

℣. 17. COR BONI CONSILII STATUE TECUM: NON ENIM TIBI ALIUD PLURIS ILLO. Si legem animo tuo constituere potes, omnemque animi cupiditatem, malumque tui ipsius amorem relinquere; si ex justitiæ ac pietatis legibus vitam instituere nosti, consiliario carere potes. Tu enim ipse apud te ducem ac monitorem invenies, tuâque unius sapientiâ fretus consilium capies. Immodicus nostri amor, & nimia cupiditatibus indulgentia in causâ sunt, cur plerumque in iis quæ ad nos pertinent, parum tuti duces simus; datisque cupiditati frænis, nihilo luculentiùs veritatem cernimus, quàm res præsentes oculus malo humore occupatus. Græcus (s): *Consilium cordis statue* tibi, *nemo enim est fidelior illo.* Quæ verba ita intelligi possunt: Hominem elige, qui cum animo tuo congruat, eumque in consilium adhibe; melior enim tibi consiliarius esse nequit, quàm bonus amicus. Malo tamen cum præcedentibus jungere in hanc sententiam: ℣. 15, Hominem probum piumque sectare & cole, ℣. 16, cujus animus cum animo tuo congruat, quasi alter tu. ℣. 17, Consilium cordis tui cum illo statue, nihilque tibi sit, quod illum lateat; neminem enim fideliorem invenies, ℣. 18, neque meliorem aut prudentiorem; nam pii hominis mens majori frequenter sapientiâ pollet, quàm homines aut dignitate aut sublimi scientiâ fulgentes.

℣. 18. ANIMA VIRI SANCTI ENUNTIAT ALIQUANDO VERA, QUAM SEPTEM CIRCUMSPECTORES SEDENTES IN EXCELSO AD SPECULANDUM. Græcus non habet τὸ *sancti*: at illud postulat ipsa orationis series. Pius vir, simulque bonus amicus, rerumque tuarum studiosus, utiliora tibi suadebit, quàm consiliarii peritissimi; quippe qui optimè omnium norit, quid tibi opus sit, animi tui habitudines, rerumque tuarum statum, & id quod tibi utile est, studiosissimè omnium persequitur. Jubet Sapiens, qualibet in re pietatem ac religionem coli, ac pios esse amicos, consiliarios, tuæque vitæ institutores. Si pietatem ac religionem auferas, quid in totâ hominum vitâ superest præter inania studia, fallaciam, simulationem, cupiditatem, libidinem, inconstantiam? Quicquid boni consilii est, inquit S. Augustinus (t), ex Deo nascitur; putandumque est, iis plerumque, qui Deum verentur atque amant, potiùs quàm cæteris dari. Adde, quòd ea quæ gerenda a nobis sunt, cum totius vitæ proposito congruere debent, eòque quicquid agimus referendum est (u). Primum autem ac præcipuum totius vitæ propositum esse debet Religio. Quis igitur utiliora suadere poterit, quàm is, cujus mens solidâ pietate, sapientiâ, Religione instructissima est? His porrò niti, atque ex

(o) *Prov.* xx, 14. (p) Μὴ ἀντλήμενος περὶ χρηστοηθείας. (q) Μὴ ὀκνηρὸς περὶ παντὸς ἔργου. Interpres Vulgatus fortasse hic legebat id quod eodem versiculo legitur. Οἰκέτῃ ἀργῷ περὶ πολλῆς ἐργασίας. Legit: Οἰκέτῃ ἀγρίῳ. (r) Μὴ μισθίῳ ἐφετίῳ περὶ συντελείας. (s) Καὶ βουλὴν καρδίας στῆσον, οὐ γάρ ἐστί σοι πιστότερος αὐτῆς. (t) *August. de Doctrinâ Christ. in Prolog. n. 7: Noverit ille vir ex quacumque animâ verum consilium processisset, non ei, sed illi qui est veritas, incommutabili Deo tribuendum esse.* (u) *Senec. Epist. 71: Consilium sub die nasci debet; & hoc quoque tardum est nimis: sub manu, quod ajunt, sub manu nascatur. Quemadmodum autem inveniatur, ostendam. Quoties quid fugiendum sit, aut quid petendum voles scire, ad summum bonum & propositum totius vitæ respice.*

℣. 20. Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.

℣. 21. Verbum nequam immutabit cor: ex quo partes quatuor oriuntur, bonum & malum, vita & mors: & dominatrix illorum est assidua lingua. Est vir astutus multorum eruditor: & animæ suæ inutilis est.

℣. 22. Vir peritus multos erudivit, & animæ suæ suavis est.

℣. 23. Qui sophisticè loquitur, odibilis est: in omni re defraudabitur.

℣. 24. Non est illi data a Domino gratia: omni enim sapientiâ defraudatus est.

℣. 25. Est sapiens, animæ suæ sapiens: & fructus sensûs illius laudabilis.

COMMENTARIUS.

ex his oriri debet quicquid aggredimur aut decernimus.

℣. 20. Ante omnia opera, verbum verax præcedat te et ante omnem actum, consilium stabile. *Verbum verax* hoc loco eadem res est atque *consilium stabile*, certum firmumque. Antequam quidquam aggrediaris, consilium cape, neque quicquam decernas nisi maturo consilio ac deliberatione. Græcus (x): *Initium omnis facti, ratio; & ante omnem actionem, consilium.* Nihil temerè aut sine deliberatione agendum est. Antequam incipias, prævide quò desitura sit res; & postquam diù tecum deliberaveris, consilium capiendum est, neque tibi ipsi credendum.

℣. 21. Verbum nequam immutabit cor. Uti nihil utilius bono consilio est, ita nihil malo perniciosius. Optima interdum mens uno verbo corrumpitur, atque utilissima consilia evertuntur. Græcus (y): *Vestigium immutationis gaudii est vultus.* Animi mutatio ex ore proditur, nosciturque utrùm hilaris animus sit an tristis, nullâne an aliquâ cupiditate turbetur.

Ex quo quatuor partes oriuntur, bonum et malum, vita et mors: et dominatrix illorum est assidua lingua. Quatuor hæc plerumque ex linguæ usu oriuntur, ac tunc solummodò ex eâ prodeunt, cùm animus iis plenus est: animi enim interpres lingua est. Ex animo bona & mala desideria (z), vita & mors: lingua eas ipsas res exteriùs profert (a): *Ex abundantiâ cordis os loquitur.* Altera ex Græco sententia erui potest (b): *Quatuor sunt res, quæ in corde vestigium relinquunt mutationis: bonum, malum, vita, mors: & dominans assiduè ipsis lingua est.* Scilicet, ex Grotio, quatuor sunt, quibus movetur animus, & nota quædam imprimitur, qua eicitur appetitus: *bonum*, spes honoris, opum, voluptatis; *malum*; contrariorum metus; *vita*, longa & sana; *mors*, mortis metus, quam malorum omnium pessimum homo existimat; denique *lingua*, quæ rerum omnium, quibus affligimur aut delectamur, prima & præcipua est; bona vel mala nostri existimatio, & ea quæ bene vel male de nobis dictitantur. Hæc sunt, quibus semper aut bene afficimur, aut cruciamur.

Aliter (c): Hæc sunt quæ plerumque animum in partes scindunt. Antequam quidquam aggrediamur, dubitare incipimus in quolibet negotio, an sit *bonum malumve*, seu commodum an noxium; peccatum an rectè factum; sive usitatâ phrasi, *vita & mors*. *Et dominatrix illorum lingua*, his rebus imperat sermo assiduus: ut facilè conjectare possis, quò cujusque animus inclinaturus sit, si attenderis quibuscum assiduè colloquatur: hinc enim vel maximè afficitur animus.

Est vir astutus, multorum eruditor, et animæ suæ inutilis est (d). Duplicis sapientum generis meminit Ecclesiasticus hic & sequenti versiculo. Alterum est eorum, qui scientiâ utuntur, ut beatitudinem & animi tranquillitatem sibi comparent; alterum eorum, qui quamquam scientiâ instructi, sibi inutiles sunt, eâque uti ad felicitatem nesciunt. Innumeros ubique videas hujus generis sapientes, qui cæteris solummodò sapiunt, cæterosque nobilissimis institutionibus docentes, se ipsos minimè instituunt (e). Id multò verius in rebus moralibus est, quàm in politicis. At *quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur (f)?* Quorsum sapiens est, si uti sapientiâ ad vitæ institutionem nescit? Quorsum, inquam, scientia, si verâ sapientiâ & charitate careat (g)?

℣. 23. Qui sophisticè loquitur, odibilis est: in omni re defraudabitur, inops erit. Sophisticus sermo is est, qui illud solummodò studet, ut vanis argutationibus incautos capiat, qui scientiam ostentat, ubi importuna ostentatio est, plausum atque admirationem captat, non docere cæteros curat. Odiosum est & contemptum hujusmodi hominum genus, vitæque inopi agendæ obnoxium, cùm nulla illius misericordia quemquam moveat, inutilesque illorum subtilitates statim unusquisque fastidiat.

Aliter explicari Græcus potest (h): *Qui decipit sermone, odiosus est: hic omni sapientiâ destituetur:* verâ sapientiâ penitus caret. Minimè tamen dubito, quin ita explicandus sit: *Est qui sapienter loquens odiosus est: hic verâ sapientiâ caret.* 24. *Non est illi data a Domino gratia*, per quam hominibus placeat, *quia defraudatus est omni sapientiâ.* Profectò nonnulli sunt, quibus ingenium pulcherrima & nobilissima suggerit; at facultate carent, quâ cæteris ea ipsa suadeant. Insipidum est quicquid loquuntur: verâ sapientiâ carent, quæ non in eo solùm sita est, ut sublimes doctasque sententias quis proferat, sed ut opportunè & cum authoritate, ut menti imprimantur.

℣. 25. Est sapiens, animæ suæ sapiens: et

(x) Ἀρχὴ παντὸς ἔργυ, λόγος· καὶ πρὸ πάσης πράξεως, βυλή. (y) Ἴχνος ἀλλοιώσεως χαρᾶς πρόσωπον.
(z) *Matth.* xv, 18: *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.*
(a) *Matth.* xii, 34. (b) Ἴχνος ἀλλοιώσεως καρδίας τέσσαρα μέρη ἀνατέλλει, ἀγαθὸν, κακὸν, ζωὴ, θάνατος, καὶ ἡ κυριεύουσα ἐνδελεχῶς αὐτῶν γλῶσσά ἐστιν. (c) *Bossuet*, *hic.* (d) Hunc versiculum non habent Complutensis Editio, Lyranus, Jansenius, aliique plures: at habet Græcus.
(e) Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. (f) *Matth.* xvi, 26. (g) 1 Cor. xiii, 2.
(h) Ἔστιν ὁ σοφιζόμενος ἐν λόγοις μισητός. οὗτος πάσης σοφίας καθυστερήσει. Noster hic ubique usurpat σοφίζομαι pro *eruditum esse*, sapientiâ potiri.

℣. 26. Vir sapiens plebem suam erudit, & fructus sensûs illius fideles sunt.

℣. 27. Vir sapiens implebitur benedictionibus, & videntes illum laudabunt.

℣. 28. Vita viri in numero dierum: dies autem Israël innumerabiles sunt.

℣. 29 Sapiens in populo hæreditabit honorem, & nomen illius erit vivens in æternum.

℣. 30. Fili, in vitâ tuâ tenta animam tuam: & si fuerit nequam, non des illi potestatem:

℣. 31. Non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet.

℣. 32. Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam:

℣. 33. In multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram.

℣. 34. Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.

COMMENTARIUS.

ET FRUCTUS SENSUS ILLIUS LAUDABILIS. In superioribus hominem descripsit, qui sapiens immeritò dicitur, & sapientiam specie solùm & oratione præ se fert; cujus in ore sapientia ipsa insipida est. Hìc hominem exhibet, qui verè atque animo sapiens est, *anima sua sapiens*, qui sapientiâ utitur, ut sese primùm, deinde cæteros doceat. Hæc hominis verè sapientis natura est, atque hi verè sunt sapientiæ fructus: primùm ipsa augetur ac perficitur, deinde in cæteros manat. 26. *Vir sapiens plebem suam erudit.* Sapientiæ fructus non unius diei diuturnitatem ac vitam habent, sed æternam ac minimè caducam: *Fructus sensûs illius fideles sunt*, ii non sunt, qui intus vitiati, bonam solummodò speciem exhibeant: sana in illis omnia & vera.

℣. 28. VITA VIRI IN NUMERO DIERUM: DIES AUTEM ISRAEL INNUMERABILES SUNT. Hic versiculus cum consequenti ita jungendus est: Quamquam sapientis vita certis terminis certoque dierum numero clauditur, æterna tamen est illius gloria, & parem cum Israële diuturnitatem habet; ejusque memoria nunquam cadet. 29. *Sapiens in populo hæreditabit honorem.*

℣. 30. FILI, IN VITA TUA TENTA ANIMAM TUAM. Te ipsum explora, & vide quid ferre tuæ vires queant. Nihil aggredere, quin priùs virium tuarum periculum feceris (i).

. . . . . *Versate diu quid ferre recusent,*
Quid valeant humeri.

Si quid minimè tibi conveniat, illud ne sequare. Maximi momenti monitum est tum in iis quæ ad mores, tum in iis quæ ad vitæ consuetudinem pertinent. At præter hanc, alteram in his verbis sententiam video: quamobrem ita Græcum reddo (k): *Fili, in vitâ tuâ explora* quid conveniat *animæ tuæ*, incolumitati tuæ; *& vide si quid illi noxium sit, ne dederis illi.* Denique, ingenium tuum tuamque naturam expende: quid incolumitati tuæ noceat vel serviat, agnosce. Quicquid nocere illi potest, quamvis illud optes, sedulò evita. Vide ℣. 32, huic interpretationi faventem.

℣. 31. NON ENIM OMNIA OMNIBUS EXPEDIUNT, ET NON OMNI ANIMÆ OMNE GENUS PLACET. Hominum ingenia & animi ita inter se differunt, uti vultûs imagines. Quod uni placet, displicet alteri. Sese unusquisque exploret atque scrutetur. Hoc non modò in iis quæ ad mores pertinent, verùm etiam in totius vitæ institutione servandum est. Idem ipsum munus alteri convenit, alteri nocet. Est qui inter privatæ vitæ angustias bonus est, malus in Imperio futurus. Hic in secessu pius, in tumultu impius foret.

℣. 32. NOLI AVIDUS ESSE IN OMNI EPULATIONE. Sobrietatem suadet pluribus de causis: primò, quòd honestum hominem doceat; qui enim avidiùs quàm par est cibos appetit, is cupiditatibus suis sese minimè imperare ostendit, neque satis explorasse aut servare id quod ℣. 30 Sapiens monuit, gulæ scilicet ac appetitui non esse concedendum, quod valetudini nocet. 2, Quòd ciborum multitudo & varietas optimam corporis constitutionem lædat, ut idem tradit ℣. 33: *In multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad choleram*, cruditatem vel viscerum tormina parit. 3 denique, ℣. 34: *Propter crapulam multi obierunt; qui autem abstinens est, adjiciet vitam*, diuturniore vitâ fruetur.

℣. 33. USQUE AD CHOLERAM. Cholera est atræ bilis effusio, intestina torquens, vel tormina ex bili pariens, e cruditate & voracitate plerumque orta. De hac iterum egit supra, XXXI, 23.

℣. 34. PROPTER CRAPULAM MULTI OBIERUNT. Crapula propriè est fastidium, & capitis dolor e vinositate ortus. Græcus hoc loco solùm fert (l): *Propter edacitatem*, atque insatiabilem aviditatem, *multi perierunt.* Vulgatum est, ac verissimum: *Plures occidit gula, quàm gladius.*

CA.

(i) *Horat. de Arte.*

(k) Τέκνον, ἐν ζωῇ σου πείρασον τὴν ψυχήν σου, καὶ ἴδε τί πονηρὸν αὐτῇ, καὶ μὴ δῷς αὐτῇ.

(l) Διὰ ἀπληστίαν πολλοὶ ἐτελεύτησαν.

CAPUT XXXVIII.

Honor Medico exhibendus. Medicina commoda. De morbis. De morte. Quid servandum sit in luctu ob amicorum mortem. De Artium usu. De Agriculturâ. In rebus asperis Divinæ Legis memento.

℣. 1. HOnora medicum propter necessitatem: etenim illum creavit Altissimus.
℣. 2. A Deo est enim omnis medela, & a rege accipiet donationem.
℣. 3. Disciplina medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum collaudabitur.
℣. 4. Altissimus creavit de terrâ medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HONORA MEDICUM PROPTER NECESSITATEM: ETENIM ILLUM CREAVIT ALTISSIMUS. Quælibet gens liberaliter instituta quolibet tempore Medicos coluit. Hos autem coli duplici de causâ jubet Sapiens: primò utilitatis causâ; deinde, quòd author medicinæ est Deus. *Honor* hoc loco a plerisque intelligitur merces & stipendium, quæ medico exhibentur. Apud Scripturam *honorare* hoc sensu usurpatur: *Honora Dominum de tuâ substantiâ*, inquit Sapiens (a). Pares facultatibus tuis oblationes defer. *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur*, seu duplici mercede (b). Denique mandat Lex (c), ut parentes honorentur, scilicet iis suppeditentur ea, quibus illi ad vitæ conservationem opus habent. Græcus (d): *Honora medicum honoribus suis* (mercede suâ) *ob necessitatem: illum enim creavit Deus*, sive posuit, non secus ac cætera.

℣. 2. A DEO EST OMNIS MEDELA, ET A REGE ACCIPIET DONATIONEM. Medicæ artis & medicamentorum author est Deus. Quamobrem plurimi facienda est ars, cujus origo nobilissima est, & maxima erga hominum incolumitatem utilitas. Olim Medici publicis certisque stipendiis a Principe alebantur, ceu homines publicæ utilitati servientes, quò commodiùs experientiæ & studio vacarent, ac libentiùs operam suam pauperibus præstarent, quibus dandæ mercedis facultas deesset. Narrat Plinius (e), annuam medico mercedem apud Imperatores fuisse ducenta & quinquaginta sestertiorum millia. Quamobrem cùm sestertius nostrâ æstimatione valeret solidos quinque, merces erat librarum nostratium 62500, vel ex Budæo (f), sex millium, ducentorum & quinquaginta aureorum. *Quintus Stertinius*, apud Romanos Imperatores medicus, *imputavit Principibus, quòd sestertiûm quingenis annuis contentus esset; sexcena enim sibi quæstu urbis fuisse, numeratis domibus, ostendebat. Erasistratus, Aristotelis filiâ genitus, Antiocho Rege sanato, centum talentis donatus est a Rege Ptolemæo filio ejus.* Centum hæc talenta, ex Budæi calculis, sexaginta aureorum coronatorum millia sunt. Par fuit Theombroto præmium, similis rei causâ. Noster id fortasse significat, quod apud Ægyptiorum Reges ipsius ætate servabatur. Græcus hoc loco in Complutensi Editione habet (g): *Et a Rege accipiet gloriam*. At Vulgatæ lectioni optimi Codices favent.

℣. 3. IN CONSPECTU MAGNATORUM COLLAUDABITUR. Græcus (h): *Admirationi erit*. Peritum expertumque medicum nemo non colit; ipsique Proceres ipsum suspiciunt ac venerantur. Ita propriè significat hoc loco *admirationi esse*, ut in aliis hujus libri locis. Ita (i): *Time Dominum, & Sacerdotes illius admirare*. Et (k): *Ne admireris opera peccatorum*. Plinius de Medicis agens, ita queritur (l): *Magnitudo populi Romani perdidit ritus: vincendo victi sumus. Paremus externis, & una artium* (medicina) *Imperatoribus quoque imperat.*

℣. 4. ALTISSIMUS DE TERRA CREAVIT MEDICAMENTA, ET VIR PRUDENS NON ABHORREBIT ILLA: medicis & medicamentis utetur, quæ Deus ad corporum incolumitatem ac præsidium condidit. Hæc eò dicit, primò, ut magica & superstitiosa medicamenta, quorum usu divinâ sanctione interdicimur, vitemus; deinde ut eos refellat, qui falsis principiis freti, omnem medicinæ usum abjiciunt. Utrumque faciendum est, neque nimis medicinæ viribus credendum, neque medicamenta quærenda, quæ illicita sunt, & ex naturâ non habentur: denique, non temerè quidquam utile spernendum est, quòd eo circulatores & imperiti medici abutantur. Vetus querela est, quò plures in Civitate Medici sunt, eò plures esse ægrotos, & Medicorum turbam exitio potiùs esse quàm præsidio. *Turba Medicorum Cæsarem occidit*, moriens Adrianus ajebat. Jamdiù exploratum est, imperitos Medicos vitæ nostræ periculo discere, unisque ipsis impune esse, hominem occidere (m). Denique procul dubio est, medicam artem plerumque casu agere, & uniuscujusque vitam in Dei potestate sitam esse, a quo pro libito aufertur. At non idcirco Medicinâ uti cessandum est. Malo illius usu abstinendum est, neque frequentiùs usurpanda, aut nimis illi creden-

(a) *Prov.* III, 9. (b) 1 *Timot.* v, 17. (c) *Exod.* 20, 12; *Matth.* xv, 4, 5. (d) Τίμα ἰατρὸν πρὸς τὰς χρείας τιμαῖς αὐτοῦ. Καὶ γὰρ αὐτὸν ἔκτισεν ὁ Κύριος. (e) *Plin. lib.* xxix, *c.* 1. (f) *Budæus, lib.* 2 *de Asse*: *Sex millia ducentos quinquaginta aureos annuâ mercede celebres multos Medicos Romæ a Principibus habuisse.* (g) Καὶ παρὰ Βασιλέως λήψεται δόξαν. *Alii*: Λήψεται δόμα. *Et ita legit Vulg.* (h) Ἔναντι μεγιστάνων θαυμασθήσεται. (i) *Eccli.* VII, 30. (k) *Eccli.* 11, 22.
(l) *Plin. lib.* 24, *c.* 1. (m) *Plin. lib.* 29, *c.* 1: *Nulla lex quæ puniat inscitiam capitalem, nullum exemplum vindictæ. Discunt periculis nostris, & experimenta per mortes agunt. Medicoque tantùm hominem occidisse, impunitas summa est.*

℣. 5. Nonne a ligno indulcata est aqua amara?

℣. 6. Ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis.

℣. 7. In his curans mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pigmenta (suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis,) & non consummabuntur opera ejus.

℣. 8. Pax enim Dei super faciem terræ.

℣. 9. Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.

℣. 10. Averte a delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.

℣. 11. Da suavitatem, & memoriam similaginis, & impingua oblationem, & da locum medico.

COMMENTARIUS.

dendum est: rectum verò illius usum magni facere decet.

℣. 5. NONNE A LIGNO INDULCATA EST AQUA AMARA? Videtur (n) sapiens hoc loco spectare id quod gestum est ad Mara (o), quo loco Moyses injecto ligno in salsas & amaras aquas, mites & potui aptas reddidit. Id se voluit Scriptor, uti certè voluisse videtur, putasse dicendus est vim quandam in ipsâ ligni naturâ fuisse, quâ mitea aquæ redderentur (p) cùm eo ceu exemplo utatur, ut medicamentis, quibus ars medica utitur, virtutem inesse demonstret. Quamobrem totam prodigii rationem in eo positam fuisse dicendum est, ut Deus Moysem docuerit ignotam hactenus ejus ligni virtutem, quæ nostrâ etiam ætate ignoratur. Censet Grotius non hìc agi de Moysis miraculo, sed Glycyrrhicæ similiumque radicum. Narrat Plinius, *nitrosas, aut amaras aquas polentâ additâ mitigari, ut intra duas horas bibi possint*. Cur igitur eadem vis ligno alicui esse nequeat? Græcus priori explicationi magis favet (r): *Nonne a ligno dulcuit aqua, ut agnosceretur virtus illius?* ita enim jungendi sunt ℣℣. 5, 6: *Indulcata est aqua amara*, (℣. 6.). *Ad agnitionem hominum virtus illorum.*

℣. 6. DEDIT HOMINIBUS SCIENTIAM ALTISSIMUS, HONORARI IN MIRABILIBUS SUIS. Herbarum cæterorumque medicamentorum virtutem docuit hominem Deus, ut ea cernens quæ artis medicæ ope ab ipso fiunt, Dei sapientiam meritis laudibus prosequatur.

℣. 7. UNGUENTARIUS FACIT PIGMENTA SUAVITATIS. Olim eadem ars erant Medica, Chirurgica, & Pharmaceutica. Idem ipse Medicus emplastrum volneri imponebat & conficiebat. Idem servatum esse videtur, cùm Noster scriberet, ac diu deinde perseverasse; ac tum primùm in varias artes sejungi cœpisse in Europâ, cùm Clerici operam medicinæ dederunt. Cùm enim Ecclesia a cruore abhorreat, vetitumque fuerit, ne Clerici manum curandis vulneribus admoverent, chirurgicen Laicis relinquere necesse fuit. Peritus igitus Medicus, plantarum, metallicorum, fructuum & aromatum virtutem optimè callens, ex his unguenta & medicamenta componit, quorum odore ægrotus recreatur. Apud Græcum ℣℣. 7 & 8 aliter planè sonant (s): *Pigmentarius*, vel is qui medicamenta componit, *ex his misturam faciet, neque absolverit opus suum, quin inde latè se diffuderit pax*, suavitas, sanitas. Peritus Medicus medicamentum componit morbo contagioso præsentissimum; quo nondum admoto, solus unguenti odor, & famæ celebritas solatio ægrotis erunt, ac morbi vim in universâ regione minuent.

℣. 9. FILI, IN TUA INFIRMITATE NE DESPICIAS, SED ORA DOMINUM. Ne animo cadas, tuæque valetudinis curam ne abjicias. Vel ex Græco (t): *Fili, in morbo tuo noli negligere* medicinam, *sed ora Dominum*. Extremum utrumque vitandum est: neque magis medicorum arti fidendum est, quàm Deo, cujus vitii arguit Asam Regem Scriptura (u): neque spernenda est medicina, vel penitus ægroto desperandum. Si valetudinis adminicula negligas, quæ Deus in naturâ posuit, Deum tentas, & injuriam illius sapientiæ infers.

℣. 10. AVERTE A DELICTO, ET DIRIGE MANUS. Tum ex hoc, tum ex ℣. 15 satis apertè colligi datur, communem fuisse hominum illius ætatis sententiam, morbum quemlibet alicujus esse criminis pœnam. Profectò dura moriendi necessitas, innumerorumque morborum malorumque copia, quibus singuli opprimimur, e primo communium parentum crimine orta est. At censebant præterea veteres Hebræi, mala singula, quibus homo affligebatur, privatorum esse criminum pœnas. Cùm ægrum quempiam Christus a morbo liberaret, plerumque peccatorum veniam præmittebat (x); visoque homine cæco ab ipsâ nativitate, Apostoli Christum interrogavere, ipsiusne hominis, an parentum ipsius culpâ cæcitas illi contigisset (y). Experientiâ compertum habebatur, nonnulla interdum mala in peccati pœnam homines afflixisse. Ægyptii pertinaciæ causâ suppliciis obruti: Maria Elephanto affecta ob seditionem (z): Ozias admotâ thuribulo manu eodem morbo mulctatus (a): denique in Novo Fœdere, ii qui ad sacram Christi Corporis communionem accederent, variis morbis ipsâque morte coërciti (b).

℣. 11. DA SUAVITATEM ET MEMORIAM SIMILAGINIS. Offer Deo thus suavissimum, & similam, in memoriam beneficiorum, quibus a Deo donatus es; vel, ut memoriam tui apud Deum renoves, *In memoriam*. Humana loquendi formula,

(n) *Vatab. Cornel. alii passim.* (o) *Exod.* xv, 25.
(p) *Vide Lyr. Tir. Menoc. Cajet. in Exod.* xxvi, 25. *Vide & August. qu. 57 in Exod.*
(q) *Plin. lib.* 24, *c.* 1. (r) Οὐκ ἀπὸ ξύλου ἐγλυκάνθη ὕδωρ, εἰς τὸ γνωσθῆναι τὴν ἰσχὺν αὐτοῦ.
(s) Μυρεψὸς ἐν τούτοις ποιήσει μῖγμα, καὶ οὐ μὴ συντελεσθῇ τὰ ἔργα αὐτοῦ, καὶ εἰρήνη παρ' αὐτοῦ ἐστιν ἐπὶ προσώπου τῆς γῆς. Grotius legit, *εὐωδία*, *latè se diffundet dulcis odor*, pro εἰρήνη, *pax*.
(t) Ἐν ἀῤῥωστήματί σου μὴ παράβλεπε. (u) 2 *Par.* xvi, 12. (x) *Matth.* ix, 2, 5; *Marc.* ii, 5; *Luc.* v, 21, 23; xiii, 02. (y) *Joban.* ix, 2. (z) *Num.* xii, 10. (a) 2 *Par.* xxvi, 19. (b) 1 *Cor.* xi, 30.

℣. 12. Etenim illum Dominus creavit: & non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria.
℣. 13. Est enim tempus, quando in manus illorum incurras:
℣. 14. Ipsi verò Dominum deprecabuntur, ut dirigat requiem eorum, & sanitatem, propter conversationem illorum.
℣. 15. Qui delinquit in conspectu ejus, qui fecit eum, incidet in manus medici.
℣. 16. Fili, in mortuum produc lacrymas, & quasi dira passus incipe plorare, & secundùm judicium contege corpus illius, & non despicias sepulturam illius.

COMMENTARIUS.

la, sed apud Scripturam frequentissima, ubi de sacrificiis suavem odorem exhalantibus agitur. Ita (c): *Sacerdos tollet pugillum plenum simila & olei, ac totum thus, & ponet memoriale super altare in odorem suavitatis.* Et de sacrificio uxoris de adulterio suspectæ (d): *Ponet super manus illius sacrificium recordationis.* Monet hoc loco Sapiens, ut dum morbo angimur, ad Deum convertamur, ejusque furorem ultro delatis oblationibus & sacrificiis placemus.

Impingua oblationem, et da locum Medico. Græcus (e): *Pinguem victimam da, veluti non existens: attamen medico utere.* Donaria offer Deo, tamquam is cui nulla est vitæ spes; id verò te ne prohibeat, quin Medico utaris, veluti eo qui te morbo sit liberaturus. Firma in Deum fides ne moderatam medicinæ fiduciam excludat; neque nimium medicinæ fidens, Deo supplicare negligas. Author medicinæ Deus est; & Deum honoras, ubi datis ad naturæ & inopiæ adminiculum rebus bene uteris. ℣. 12: *Etenim illum* (medicum) *Deus creavit, & non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria.*

℣. 13. Est enim tempus, quando in manus illorum incurras. 14. Ipsi vero Dominum deprecabuntur, ut felicem curationi exitum largiatur. Honorem idcircò exhibere debes medico, quòd & illius operâ egere potes, & ipse, præter artis adminicula, preces addere potest, ut admotis medicamentis faveat Deus, atque afferendæ incolumitatis virtutem conferat. Hæc tamen explicatio non satis congruere videtur cum præcedentibus; superioribus enim versiculis 10, 11, 12, homo æger ponitur, hic incolumis inducitur. Cæterùm tres hi versiculi apud Græcum certissimè connectuntur. Quamobrem ita explicandi videntur. 11, Medico utere, dum æger es. 12, Illum enim creavit Deus, neque illo unquam careas, illius enim operâ & arte indiges. 13. Illud enim tempus est, dum langues, quo in illius manus venire debes, &c.

Altera ex hoc loco erui potest sententia (f): *Est tempus, quando in manibus illorum* est *bonus odor; ipsi enim Domino supplicabunt, ut prosperam sibi faciat ægroti quietem & curationem.* Bonus odor in manu Medici sunt utilia & efficacia medicamenta, ipsius manu parata. Peritus Medicus ita medicamentorum viribus & artis peritiæ non credet, ut orationes divinamque opem negligat. Tertiam denique interpretationem ex Græco elicias, si leve quiddam mutes (g): *Est enim aliquo tempore ejus* (medici) *usus, &* sæpe *adest operi ejus successus: nam & ipsi Deum precabuntur, ut det medicamentis vim recreandi ægrotos ac sanandi.*

℣. 15. Qui delinquit in conspectu ejus qui fecit eum, incidet in manus medici. Collatis hujus Libri locis (h), id velle videtur Sapiens, gravis mali ac supplicii loco habendum esse, ubi quis medico uti cogatur. Profectò quàm multa medicamenta ingratissima accipienda sunt, & quàm molestâ sollicitudine quibusdam rebus abstinendum est, ut sanitas restituatur? Quàm gravis curandi vulneris dolor? Quàm religiosa diætæ observatio, dum langues, & postquam convalueris? His etiam verbis significat Sapiens id quod ℣. 10 animadvertimus, quemlibet morbum præteritorum esse criminum pœnas.

℣. 16. Fili, in mortuum produc lacrymas. Postquam de Medicis & languentibus egit, de mortuis & luctu agere aggreditur. Humanitatis & Religionis est, parentes, propinquos amicosque mortuos lacrymis supremisque officiis prosequi. Id solùm superest, quo nostram erga illos benevolentiam ostendamus (i). Vota precesque addit Religio, ut ex Dei misericordiâ leviorum culparum, veniam, suppliciorumque ob graviora peccata, quæ sub mortis tempus satis æquâ pœnitentiâ nondum expiaverint, remissionem illis impetret. Ea semper fuit vetus & constans Judæorum Christianorumque doctrina & consuetudo (k).

Incipe plorare. Græcus propriè significat solemnes luctus lessosque in mortui memoriam institutos, in quibus illorum laudes & benefacta prædicabantur. Vide Herodotum, libro II, & *Luc.* VII, 37.

Secundum judicium (morem) contege corpus illius. Solebant Judæi mortuorum cadavera fasciis & institis obvolvere, teste Evangelio, ubi de Lazaro (l) & de Christi cadavere (m). *Judicium* hoc loco, uti alibi sæpiùs, est usus, consuetudo, vel æquitas. Cadaver illius tege, uti æquum est ac fieri decet. Cæterùm, inquit S. Augustinus (n), *curatio funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum*, quæ a Religione & Legibus imperantur, *magis vivorum solatia sunt, quàm subsidia mortuorum.*

℣. 17. Pro-

(c) *Levit.* II, 2, 9, 16; V, 12, *&c.* (d) *Num.* V, 18. (e) Καὶ λίπανον προσφορὰν ὡς μὴ ὑπάρχων, καὶ ἰατρῷ δὸς τόπον. (f) Ἔστι καιρὸς ὅτε ἐν χερσὶν αὐτῶν εὐοδία, καὶ γὰρ αὐτοὶ Κυρίου δεηθήσονται, ἵνα εὐοδώσῃ αὐτοῖς ἀνάπαυσιν, καὶ ἴασιν χάριν ἐμβιώσεως. *Complut.* Ἵνα εὐοδώσῃ αὐτοῖς ἀνάπαυσιν. *Grot. jungit præcedenti:* Καὶ γὰρ αὐτῷ χρεία ἔστι ὅτε καιρὸς, καὶ ἐν χερσὶν αὐτοῦ εὐοδία, *non* εὐοδία. (g) *Vide Grot. hic.* (h) *Vide Eccli.* XXVIII, 27: *Qui relinquunt Deum, incident in illam: malam linguam, scil.* (i) *Homer. Iliad.*

Τοῦτό νυ καὶ γέρας οἶον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι,
Κείρασθαί τε κόμην, βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.

(k) 2 *Macc.* XII, 42, 43. (l) *Joban.* XI, 43, 44, 45, *&c.* (m) *Joban.* XIX, 40; *Luc.* XXIV, 12.
(n) *August. lib. de Curâ pro mortuis, c.* 2.

℣. 17. (Propter delaturam) autem amarè fer luctum illius (uno die,)& consolare propter tristitiam.

℣. 18. Et fac luctum secundùm meritum ejus uno die, vel duobus propter detractionem.

℣. 19. A tristitiâ enim festinat mors, & cooperit virtutem, (& tristitia cordis flectit cervicem.)

℣. 20. In abductione permanet tristitia: & substantia inopis secundùm cor ejus.

℣. 21. Ne dederis in tristitiâ cor tuum, sed repelle eam a te: & memento novissimorum.

℣. 22. Noli oblivisci: neque enim est conversio, & huic nihil proderis, & teipsum pessimabis.

COMMENTARIUS.

℣. 17. PROPTER DELATURAM AMARE FER LUCTUM ILLIUS UNO DIE, nequis de te male obloquatur. Hæc verba, *uno die*, in Græco hîc non leguntur. Innuit hoc loco Sapiens, indulgentiæ causâ potiùs quàm alicujus virtutis sese monere, ut mortui luctus agatur. Profectò inutilis planè labor est, charum caput ita assiduis lacrymis prosequi, ut nullus detur solatio locus, quippe quòd neque lacrymis recreari neque revocari ad vitam potest. Si nostram ipsi jacturam nostramque calamitatem destemus, jam neque funus neque mortui desiderium lacrymas elicit, sed nostri ipsorum amor. Rem ipsam si Religione facem præferente inspicias, is qui ex hac vitâ excessit, certo in statu est, æternæ vel felicitatis vel calamitatis securus. Iniquum est, illius obitum lugere, si vel supremâ Cœli beatitudine gaudeat, vel in Purgatorio loco teneatur: cur enim summam illius felicitatem lugeas? Si æternis inferorum cruciatibus addictus est, perpetuis certè lacrymis lugeri debet: at nostris ne ille lacrymis dignus est, qui odio & horrori Deo sit, suumque Conditorem infinito odio ipse aversetur? Attamen aliquid naturæ, amicitiæ, consuetudini, & civili obsequio concedendum est, *propter delaturam*, ne obloquendi locus infirmioribus detur, qui eam animi tranquillitatem, qua Sapiens hominis vel propinquitate vel amicitiâ sibi conjuncti obitum exciperet, vel ex animi sævitiâ, vel deteriori etiam ex causâ oriri arbitrarentur. Græcus ℣℣. 17 & 18 brevior Vulgatâ est (o): *Amarum fletum & planctum calidum ede*, 18, *& luge prout mortuo convenit, diem unum & alterum, calumniæ vitandæ causâ. Verùm de eo dolore fer consolatores.* Utrumque extremum damnat; alterum, ubi quis nullum omnino luctum agit; alterum, ubi finem modumque lugendo non dederis: jubet verò luctum intra unum aut alterum, vel etiam septem dies claudi, ut alibi scribit (p), pro mortui propinquitate aut æstimatione. Ubi verò jusserit consuetudo, luctum ad septem dies produci, alius esse debet lugendi modus primâ & alterâ die quàm cæteris. Minimè repugnat Author, quin primâ & alterâ die, naturæ solatio, quis doleat lugeatque; at cæteris diebus consolatorem admitti jubet, quin luctûs officium deseratur (q). Ita solebant Judæi totis septem diebus, quibus luctus agebatur, cùm eos qui luctum trahebant, inviserent, cibos illis exhiberent, consolarentur, & comites assiderent. Id servatum legimus in Evangelio (r), & apud Jeremiam (s); idque significat hoc loco Sapiens: *De dolore fer consolatores*, &c.

℣. 19. A TRISTITIA ENIM FESTINAT MORS, ET COOPERIT VIRTUTEM, &c. Duplex vitandi immodici luctûs ac mœroris causâ: altera morbi periculum & mœstitiæ, quæ lethalis esse potest; altera, animi oppressio, quâ impares efficimur quibuslibet corporis & animi muneribus exercendis. Addit Vulgata: *Et tristitia cordis flectit cervicem*; quæ verba in Græco desunt.

℣. 20. IN ABDUCTIONE PERMANET TRISTITIA: ET SUBSTANTIA INOPIS SECUNDUM COR EJUS. Mœror solitudine fovetur; & talis est pauperis vita, qualis est animus. Si mœrorem ac desperationem sectetur pauper, nonnisi miserrima esse vita illius potest: at si in ipsâ paupertate patiens ac tranquillus sit; multo mitior vita illius erit. Vel: Quæ is habet unde vivat, *substantia ejus*, æqualis animi illius habitudini est. Si mœret, quicquid comedit amarum est: si tranquillus atque hilaris est, jucundus ac suavis est idem ille cibus miser malusque, quo vescitur. Græcus (t): *In secessu permanet tristitia, & vita pauperis execratio cordis*. Scilicet, assiduâ animi dejectione & mœrore opprimitur, nunquam non impatienter ferre suamque conditionem execrari paratus. Drusius vertit (u): *Etiam in carcere transit mœror, & vita pauperis ex animi illius sententiâ efficitur consuetudine*. Alii legunt: *Mœror in rebus asperis perpetuus fit; & vita pauperis est execratio cordis*.

℣. 21. NE DEDERIS IN TRISTITIA COR TUUM..., ET MEMENTO NOVISSIMORUM. Ubi cæteros morientes videris, ne in mœstitiam abeas: memento te nihilò seciùs mortalem esse, tuoque mœrore nec revocare illum posse quem luges, neque te durâ necessitate liberare, quin illum in sepulcrum sequaris. ℣. 22: *Neque enim est conversio: & huic nihil proderis, & teipsum pessimabis*. Nihil facilius est, quàm meminisse mortis inter luctus & funera; ea enim recordatio sponte in mente oritur, dum ea cernimus. Hoc unum est, quod saluti uti-

(o) 17. Πικρανον κλαυθμὸν, ἢ θέρμανον κοπετὸν, (18.) Καὶ ποίησον τὸ πένθος κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτοῦ, ἡμέραν μίαν ἢ δύο, χάριν διαβολῆς, ἢ παρακλήθητι λύπης ἕνεκα. (p) *Eccli. XXII, 13: Luctus mortui septem dies.* (q) *Vide Paulin. Epist. ad Pammach. & Cornel. a Lapide hîc.* (r) *Johan. XI, 19: Multi ex Judæis venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo.* (s) *Jerem. XVI, 5, 7: Morientur grandes & parvi.... & non frangent inter eos lugenti panem ad consolandum super mortuo, &c.* (t) Ἐν ἀπαγωγῇ παραμένει ἡ λύπη, ἢ βίος πτωχοῦ κατάρα καρδίας. *Ita Rom. Edit. & alia. Sed Complut.* Ἐν ἐπαγωγῇ παραμένει, *&c. Vulg. legit:* Ἐν ἀπαγωγῇ παραμένει ἡ λύπη, ἢ βίος πτωχοῦ κατὰ καρδίαν. *Drus.* Ἐν ἀπαγωγῇ παραβαίνει ἡ λύπη.
(u) *Sic explicat & Bossuet.*

℣. 23. Memor esto judicii mei: sic enim erit & tuum: mihi heri, & tibi hodie.

℣. 24. In requie mortui requiescere fac memoriam ejus, & consolare illum in exitu spiritûs sui.

℣. 25. Sapientia scribæ in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu, sapientiam percipiet. Qua sapientiâ replebitur

℣. 26. Qui tenet aratrum, & qui gloriatur in jaculo, stimulo boves agitat, & conversatur in operibus eorum, & enarratio ejus in filiis taurorum?

℣. 27. Cor suum dabit ad versandos sulcos, & vigilia ejus in saginâ vaccarum.

℣. 28. Sic omnis faber, & architectus, qui noctem tamquam diem transigit, qui sculpit signacula sculptilia, & assiduitas ejus variat picturam: cor suum dabit in similitudinem picturæ, & vigiliâ suâ perficiet opus.

COMMENTARIUS.

utilissimum oriri potest ex officiis, quæ mortuis exhibentur.

℣. 23. MEMENTO JUDICII MEI: SIC ENIM ERIT ET TUUM: MIHI HERI, AT TIBI HODIE. Ut acriùs discipuli animum moveat Sapiens, mortuum vel morientem hominem loquentem inducit. Cùm funeri ades, autem porrige mortuo, tacitis ita vocibus te monenti: Memor judicii esto quod in me exercuit Deus, e numero viventium auferens. Eadem tui est ac mei conditio: Quod mihi hodie contigit, cras tibi continget: *Mihi heri, tibi hodie*. Græcus verti potest (x): *Memento judicii ejus*, legis quam amicus subiit; *quoniam sic erit & tuum*, idem tibi eveniet: *Mihi heri, & tibi hodie*. Monachorum quorumdam mos erat, ut ita invicem salutarent: *Moriendum est nobis*; altero respondente: *Nescimus quando*.

℣. 24. IN REQUIE MORTUI REQUIESCERE FAC MEMORIAM EJUS. Desine amici mortem queri, quietem quam is acquisivit, cogitans. Sincera si est erga amicos benevolentia, gaudendum potiùs est de amicorum obitu, quàm dolendum; quippe qui moriendo tranquillitatem adepti, ex hujus vitæ tumultu ac labore elapsi sunt. Græcus ita reddi potest (y): *Desine mortui reminisci, cùm illum quiescere videas; & consolationem accipe de eo, cùm exierit spiritus ejus* ex hoc corpore, malorum ac laborum pleno. Quiescit ille, quiescas & tu.

℣. 25. SAPIENTIA SCRIBÆ (z) IN TEMPORE VACUITATIS. Jurisconsultus in quiete sapiens fit. Sapientiæ studium tranquillitatem animique & corporis quietem postulat; quippe quæ omnem animi intentionem exigit. Quælibet negotia relinquenda sunt, si iis rebus excellere velis, quæ ad mentem atque animi contemplationem pertinent. *Qui minoratur actu, sapientiam percipiet*. Græcus (a): *Sapientia literati in commoditate otii acquiritur; & qui multum habet negotii, sapiens non erit*. *Placibus intentus minor est ad singula sensus*. *Sapientia otia*, inquit S. Bernardus (b), *negotia sunt, & quò otiosior, eò exercitatior*. Sapiens semper otium quærit, ut operam studio explorandæ que veritati det: una charitas trahere illum ad operis turbas potest. *Otium sanctum quærit charitas veritatis: negotium justum suscipit necessitas charitatis* (c).

℣. 26. QUI TENET ARATRUM, ET QUI GLORIATUR IN JACULO, &c. Quî fieri potest, ut sapientiæ compos fiat is, qui aratrum agit? Ita intelligendus est Latinus, uti ex Græci collatione constat (d); jungendusque cum præcedentibus: Otium quærit sapientiæ studium: quî enim fieri potest, ut agricola, nocte dieque boves agens, & stivam aratri tenens, eam attentionem, quam opus est, in liberales artes conferat, & in ea studia, quæ in meditatione versantur? *Qui gloriatur in jaculo, &c.* Græcus (e): *Qui sibi placet de dolone*: qui omnem operam in id confert, ut boves dolone ac stimulo agitet.

℣. 28. SIC OMNIS FABER ET ARCHITECTUS, qui diu noctuque opus suum mente versant. Græcus propriè sonat artificem, & eum qui faciendi operis curam suscipit: is qui imperata facit, & qui imperat ac moderatur, æquè labore suo uterque occupantur: studii sui finem alter habet inventionem ac directionem, alter opus & effectionem. Græcos (f): *Eodem modo*, quî fieri poterit, ut *faber & fabrorum rector* sapientiam comparent, *qui dies noctesque* laborando *traducunt*? *qui annulorum sigilla sculpit*, totaque illius *assiduitas* est ut *varias imagines effingat*? Illud solummodò *laborat, ut verissimè res pingat*: *vigilia ejus* & studium omne *est perficere opus*. Toto hoc versiculo illud solummodò fabrorum genus spectatur, qui aurum argentumque versant, lapidesque aut metalla insculpere solummodò student, variasque in illis imagines exhibere.

℣. 29. SIC

(x) Μνήσθητι τὸ κρίμα αὐτοῦ, ὅτι οὕτως καὶ τὸ σόν. Ἐμοὶ χθὲς, καὶ σοὶ σήμερον.

(y) Ἐν ἀναπαύσει νεκροῦ κατάπαυσον τὸ μνημόσυνον αὐτοῦ, καὶ παρακλήθητι ἐπ' αὐτῷ, ἐν ἐξόδῳ πνεύματος αὐτοῦ. (z) Complut. *Sapientiam scribe in tempore vacuitatis*, Sapientiæ dogmata scribe per otium. *Ita Sixt. V, Raban. Jans. Lyr. Palae. Biblia impressa pleraque, Bernard. alii.*

(a) Σοφία γραμματέως ἐν εὐκαιρίᾳ σχολῆς, καὶ ὁ ἐλαττούμενος πράξει αὐτοῦ σοφισθήσεται.

(b) *Bern. serm. 85 in Cantica.*

(c) *Aug. l. 19 de Civit. c. 19.*

(d) Τί σοφισθήσεται ὁ κρατῶν ἀρότρου;

(e) Καυχώμενος ἐν δόρατι κέντρου;

(f) Οὕτως πᾶς τέκτων καὶ ἀρχιτέκτων, ὅστις νύκτωρ ὡς ἡμέραν διάγει. Οἱ γλύφοντες γλύμματα σφραγίδων, καὶ ἡ ἐπιμονὴ αὐτοῦ ἀλλοιῶσαι ποικιλίαν, &c.

℣. 29. Sic faber ferrarius sedens juxta incudem, & considerans opus ferri: vapor ignis uret carnes ejus, & in calore fornacis concertatur.

℣. 30. Vox mallei innovat aurem ejus, & contra similitudinem vasis oculus ejus.

℣. 31. Cor suum dabit in consummationem operum, & vigiliâ suâ ornabit in perfectionem.

℣. 32. Sic figulus sedens ad opus suum, convertens pedibus suis rotam, qui in sollicitudine positus est semper propter opus suum, & in numero est omnis operatio ejus.

℣. 33. In brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos curvabit virtutem suam.

℣. 34. Cor suum dabit ut consummet linitionem, & vigiliâ suâ mundabit fornacem.

℣. 35. Omnes hi in manibus suis speraverunt, & unusquisque in arte suâ sapiens est.

℣. 36. Sine his omnibus non ædificatur civitas.

℣. 37. Et non inhabitabunt, nec inambulabunt: & in ecclesiam non transilient.

COMMENTARIUS.

℣. 29. SIC FABER FERRARIUS SEDENS JUXTA INCUDEM. Olim fabrorum arti suæ incumbentium positura alia erat, atque nostrâ ætate solent, cùm stantes circa fornacem vel incudem operi incumbunt. Sedebant illi circa fornacem, incommodâ maxime positurâ, & follem fornaci minimè hærentem manibus ipsi tractabant. Ita Homerus (g) Vulcanum sudore manantem laborantemque ac follem inflantem exhibet. Narrant Itineraria (h), apud Orientales etiam num aurariis fabris fusorium vas in medio officinæ humi positum esse, camino carentem, eosque humi sedentes operi incumbere; ferrarios verò fabros eâdem ferme positurâ apud illos laborare, quâ apud nos sartores. Hujus generis fabri ubicumque volueris artem exercent, secumque gestant artis utensilia, fornacem, follem; omnia quippe mobilia sunt, unusque homo omnibus artis instrumentis gestandis par est (i).

℣. 30. CONTRA SIMILITUDINEM VASIS. *Vasis* significatio apud Latinos amplissima est, & quamlibet rerum atque instrumentorum, armorum præcipuè, bellicorumque utensilium genus significat.

℣. 32. SIC FIGULUS SEDENS AD OPUS SUUM, CONVERTENS PEDIBUS SUIS ROTAM. Figulorum positura operi incumbentium, apud varias gentes varia est. Figulum exhibet Jeremias (k) lapidi vel sellæ insidentem. Homerus apud Strabonem (l), rotam a figulo manibus torqueri ait. Innuit Ecclesiasticus, figulum sedere, & curvum operi imminere. *Ante pedes suos curvabit virtutem suam.* Vide sequentem ℣.

℣. 33. IN BRACHIO SUO FORMABIT LUTUM, ET ANTE PEDES SUOS CURVABIT VIRTUTEM SUAM. Lutum manibus tractat, & curvus rotæ imminet. Mihi tamen spectare videtur Author Ægyptiorum consuetudinem, qui, teste Herodoto (m), lutum manibus, farinam pedibus subigebant. Molestam esse ait Author figuli posituram, dum lutum subigit, & miscet manibus, curvusque operi incumbit; *curvans*, inquit, *ante pedes suos virtutem suam*, scilicet renibus & brachiis nitens, dum lutum miscet, & rotâ versandum parat. Meliùs fortasse in Græco legendum est (n): *Ante pedes suos curvabit lumbos suos.* Hæ Artificum descriptiones eò desinunt, ut demonstret Author, hoc hominum genus, incommodæ artis causâ, studio Sapientiæ ineptum esse.

℣. 34. COR SUUM DABIT UT CONSUMMET LINITIONEM. Lutea vasa, tectorio suo minimè oblita, quicquid infunditur, vitiant, præter oleum & aquam. Porrò hujusmodi tectorium macerato plumbo, arenâ, & vini fæcibus in pulverem comminutis conficitur. Eo autem liniuntur vasa priusquàm in fornacem inferantur.

℣. 36. SINE HIS OMNIBUS NON ÆDIFICATUR CIVITAS, neque habitatur aut frequentatur. Ipsi tamen in cœtibus non admittentur. Hujusmodi hominum arte opus est, ut ædificetur urbs, & commoda habitationi sit (o); ipsi autem ad populi regimen non vocabuntur, neque ulli parti Reipublicæ præerunt; eam enim in rem sapientibus hominibus opus est, & morali politicâque disciplinâ, legum peritiâ, cæterisque rebus, quæ Author sapientiæ nomine complectitur, probè institutis. Aliam explicationem patitur Græcus (p): *Sine his* artificibus *non habitatur urbs*: at ipsi *non*

iter

(g) *Homer. Iliad.* XVIII. Ἦ, καὶ ἀπ' ἀκμοθέτοιο πέλωρ αἴητον ἀνέστη
Χωλεύων, ὑπὸ δὲ κνῆμαι ῥώοντο ἀραιαί.
Φύσας μέν ῥ' ἀπάνευθε τίθει πυρὸς, ὅπλα τε πάντα
Λάρνακ' ἐς ἀργυρέην συλλέξατο, τοῖς ἐπονεῖτο.

(h) *Bellon. Observat. lib.* 2, *c.* 114; & *lib.* 4. *c.* 45. (i) Chardin, Voyage de Perse, t. 2, p. 71. (k) *Jerem.* XVIII. 3. והנו עשה מלאכה על האבנים (l) *Homer. apud Strabon. lib.* 7: Ὡς δ' ὅτε τις κεραμεὺς τροχὸν ἄρμενον ἐν παλάμῃσι. (m) *Herodot. lib.* 2, *c.* 36: Φυρῶσι τὸ μὲν σταῖς τοῖς ποσὶ, τὸν δὲ πηλὸν τῇσι χερσί. (n) Καὶ πρὸ ποδῶν κάμψει ἰσχὺν αὐτοῦ. Legendum malo, ὀσφὺν αὐτοῦ, *Lumbos ejus*. (o) *Ita Jans. Bossuet, Tigur. alii plerique.* (p) Ἄνευ αὐτῶν οὐκ οἰκισθήσεται πόλις, καὶ οὐ παροικήσουσιν, οὐδὲ περιπατήσουσιν. Ἐν βουλῇ λαοῦ οὐ ζητηθήσονται, καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ οὐχ ὑπεραλοῦνται.

℣. 38. Super sellam judicis non sedebunt, & testamentum judicii non intelligent, neque palam facient disciplinam, & judicium, & in parabolis non invenientur:

℣. 39. Sed creaturam ævi confirmabunt, & deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam suam, & conquirentes in lege Altissimi.

COMMENTARIUS.

iter facient, utì sapientes; *neque inambulabunt*, ut Philosophi; *neque sententiam rogabuntur in populi consiliis*, *neque prima in cœtibus loca occupabunt*. Inter Sapientis officia, vel saltem inter ea, quæ propria Sapientis sunt, recenset itinera, eruditionis causâ instituta. Hoc idem superiùs occurrit (q); at fusiùs demonstratur sequenti capite (r), ubi sapientem, ejusque munera, & in patriam beneficia opponit, iis quæ hìc de artificum operis disputat. Addit, hujusmodi artifices *non inambulaturos*; quo indicio a Sapientibus distinguuntur; apud Græcos enim Philosophi de variis rebus disputabant deambulantes atque otiosi, vel-uti unica illorum occupatio esset disputare ac veritatem explorare. Hæc optima est hujus loci explicatio.

Grotius aliter explicat: Sine his quidem omnibus neque ædificari neque existere urbs potest. Non illis necesse erit peregrè vitam quærere; domi eam reperient satis: nec inambulabant urbem, mendicorum more, stipem quærentes: satis enim illis suppetet unde vivant: at non transilient sepra, intra quæ habetur senatus, neque in judicum ac magistratuum cœtum adlegentur, &c. Alii (s): Sine his opificibus ædificari non potest civitas; hoc hominum genere opus est in florenti civitate: at ipsi urbis medium non habitabunt; sed vel ad suburbia, vel ad remota urbis loca adlegabuntur. Urbem non perambulabunt, Judicum aut Magistratuum more, ut considerent, nequid in eâ male geratur; ac denique intra locum Magistratibus destinatum non admittentur, &c.

℣. 38. In parabolis non invenientur, in parabolarum explicationibus; vel, parabolis scribendis aut explicandis occupati non invenientur. Vel denique: Inter sapientes & parabolarum Scriptores non laudabuntur. Parabolæ apud Hebræos erant sapientum virorum disputationes, moralesque sententiæ; & ii, qui sapientum nomine inter illos censebantur, has proponebant atque explicabant (t).

℣. 39. Sed creaturam ævi confirmabunt, res mortales ac brevi tempore duraturas stabilient; et deprecatio illorum in operatione artis, Deum inter operandum invocant, vitamque ad illius leges instituunt. Has artes discunt Hebræi, quæ scilicet vitæ usibus, publicæque commoditati serviunt, quæ res usu tritas reparant, novasque conficiunt, *creaturam ævi*. At perniciosas artes, quibus mores corrumpuntur, animique infirmantur, a Republicâ proscribunt; eas etiam, quæ religioni, vitæque consuetudini & humanæ societati nocent, veluti veneficos, aleatores, mimos, fœneratores, bestiarios, qui feras alunt, ut eas in pugnam committant solius spectaculi causâ.

Græcus (u): *At creaturam sæculi*, vel mundi, *stabilient*, *& deprecatio illorum in operatione artis*. Dum operi incumbunt, Deo supplicant; vel, neque altiùs eorum vota pertingunt, quàm ut suæ artis opera præclarè exequantur; idque solùm quærunt, *præter eos*, *qui animum intenderant legis divinæ studio*. Nonnulli artifices sunt, quibus una sollicitudo est, dum operi vacant, ut opificium probè exequantur: at non desunt, qui Divinæ Legis studium non negligunt, illique operam dant in ipso artis suæ exercitio. Interpretes quidam alterum hujus versiculi membrum cum sequenti capite ita jungunt: Artifices, de quibus prædictum est, rebus vitæ necessariis, quæ usu teruntur, servandis parandisque occupantur: interim verò debita Deo officia minimè negligunt; atque in ipso artis exercitio Deum precantur. Sapiens verò, qui Legis Dei studio ac meditationi vacat, (*Cap.* xxxix) Veterum omnium sapientiam explorabit, vacabitque Prophetarum studio, &c. Optima videtur hæc interpretatio. Divinæ Legis studium apud Hebræos complectebatur jura quæ ad cives ac Sacerdotium pertinebant; Theologiam quæ in meditatione consistit, & quæ de moribus instituendis est; historiam, Propheticorum vaticiniorum studium, ac moralem Philosophiam.

CAPUT XXXIX.

Sapientis negotia. Gloria quæ Sapientem sequitur. Dei laus. Dei opera mirifica & perfecta. Creaturæ omnes Dei vindictam in impios persequuntur. Bonorum omnium author Deus.

℣. 1. SApientiam omnium antiquorum exquiret (sapiens,) & in & in prophetis vacabit.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Sapientiam omnium antiquorum exquiret Sapiens., Sapientis studium, negotia, gloriam opponit hoc loco Sapiens iis quæ superiori Capite disputavit de opificum labore, eorumque laboris utilitate. Hujus Capitis initium cum superioris fine jungendum est, utì prædiximus.

(q) *Sup.* xxxiv, 9, 10. (r) Cap. xxxix, 5: *In terram alienigenarum gentium pertransiet*, *&c.*
(s) *Palac. Cornel. a Lapide*. (t) Vide 3 *Reg.* x; & Præfationem in Proverbia.
(u) *Vide Selden. de Jure Nat. & Gent. lib.* 4, *c.* 5; *& Grot. hic*. (x) Ἀλλὰ κτίσμα αἰῶνος στηρίσουσι, καὶ ἡ δέησις αὐτῶν ἐν ἐργασίᾳ τέχνης. Πλὴν τοῦ ἐπιδόντος τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, καὶ διανοουμένου ἐν νόμῳ ὑψίστου. (y) *Jans. Tig. Bossuet*, *Syr. Grot. Vatab. alii.*

℣. 2. Narrationem virorum nominatorum conservabit, & in versutias parabolarum simul introibit.

℣. 3. Occulta proverbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conversabitur.

℣. 4. In medio magnatorum ministrabit, & in conspectu præsidis apparebit.

℣. 5. In terram alienigenarum gentium pertransiet: bona enim & mala in hominibus tentabit.

℣. 6. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum: & in conspectu Altissimi deprecabitur.

℣. 7. Aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur.

COMMENTARIUS.

Contentus non erit Sapiens, doctos ætatis suæ homines consuluisse, verùm etiam Veterum scripta evolvet: externorum libros leget; simulque in animum congeret quicquid apud Veteres fuit eruditissimum ac sapientissimum. Agens de Essenis (*a*) Josephus, & Philo de Therapeutis (*b*), assiduum utrorumque studium, sacrorumque Librorum veterumque gentis Scriptorum meditationem commendant. Græci Codices nonnulli ferunt (*c*): *Sapientiam omnium hominum exquiret*, gentium omnium, domesticam atque externam. Veteres Hebræi plerumque cæterarum gentium artes & res negligebant; eumdemque rerum externarum contemptum adhuc servant. Postquam verò Græci in Asiâ imperare cœperunt, Poëtarum ac Philosophorum libros evolvere non neglexere. Id animadvertere licet apud eos illorum Scriptores, qui eam ætatem consecuti sunt, uti Authorem Libri Sapientiæ, Proverbiorum & Jobi Interpretem, Josephum, præsertim verò Philonem. Quanto denique studio in Græcorum mores ferrentur, nimiò luculentiùs docent ea quæ initio primi Macchabæorum Libri recitantur (*d*).

Et in Prophetis vacabit (*e*) in Prophetarum meditatione ac studio totus erit. Prima ea erat ac præcipua piorum doctorumque hominum cura. Nihil illis antiquius aut gravius erat, quàm ut studio intelligerent, quàm longè esset tempus, quo magnificæ illæ de Messiæ adventu promissiones implerentur: *Scrutantes in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi prænuntians eas, quæ in Christo sunt passiones & posteriores glorias* (*f*). Ita Daniel (*g*) Jeremiæ oraculum (*h*), quo reditus e captivitate prædicebatur, assiduâ meditatione versabat. Antequam Christus inter homines apparens, velum vaticiniis reduceret, ea erat Propheticorum oraculorum obscuritas, ut dignissima sapientum atque eruditorum hominum meditatione haberetur. At ubi Christus & ortu & obitu & resurrectione fidem vaticiniis fecit, omnia patent, nihilque in illis arduum est.

℣. 2. Narrationem virorum nominatorum conservabit. Horum scripta (*i*) vel sententias memoriter discet; sive: Altâ mente condita servabit ea, quæ ex illorum consuetudine, colloquio & institutione didicerit. Seu denique: Celeberrimorum gentis suæ hominum, Abrahami, Moysis, Josue, Davidis, &c. historiam callebit.

Et in versutias parabolarum simul introibit; arcanos parabolarum sensus scrutabitur. Usitata erat Hebræorum scientia, sententiosâ loquendi ratione uti, ænigmata proponere & solvere. Salomonis ætate, Reges ipsi ac Reginæ hoc studii genere delectabantur (*k*); certabantque quis difficiliora proponeret, atque aptiùs explicaret. Opifices (*l*) indoctique (*m*) ea doctis relinquebant. Quid eâ de re sentirent Persæ, ex historiâ trium Custodum Darii, apud tertium Macchabaicum, discimus.

℣. 4. In medio magnatorum ministrabit, et in conspectu præsidis apparebit. Sapientia sese colenti aditum faciet apud Reges Magnatesque, Provinciarum administratores, seu Principes, & copiarum Imperatores (*n*); generica enim est Græca hujus loci vox. Plerumque homines bene instituti doctique, corpore elegantes, & genere clari eligebantur, ut apud Regem essent. Cùm his ornamentis Daniel sociique clarerent, in Nabuchodonosoris ministerium adsciti sunt (*o*). Eâdemque fortasse viâ Nehemias atque Esdras prima apud Regem munera assecuti sunt, & Josephus tantâ apud Ægyptiorum Regem authoritate ac dignitate ornatus est (*p*). Certè Jacob, ut filios longè a Regiâ abduceret, gregum pastores esse significavit (*q*).

℣. 5. In terram alienigenarum gentium pertransiet. Aptissimus animum instruendi scientiis ac sapientiæ studio modus est, alienarum regionum peragratio, uti capite xxxiv, 11, 12, & xxxviii, 37, observatum est. Hac arte quæ bona sunt & quæ mala, discuntur: *Bona & mala in hominibus tentabit*. Utile sapienti est, malum nosse ut vitet, cæterisque vitandum doceat. Doctum hominem Homerus (*r*) ita designat, eum qui singula novit, tum bona tum mala. Docent viri summi, apud Historicos mala exempla nihilo minùs utilia esse quàm bona, hominisque moribus formandis, ipsique homini sapientiâ & experientiâ instruendo esse accommodatissima.

℣. 6. Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit illum. Studii ini-

(a) *Joseph. lib. 2 de Bello Jud. c. 7.* (b) *Philo de Vitâ Contemplat.*
(c) Σοφίαν πάντων ἀνθρώπων ἐκζητήσει. *Alii meliùs*; πάντων ἀρχαίων. *Vulg. addit*, *Sapiens*.
(d) 1 *Maccab.* I, 11, 12, 13: *&* 2 *Macc.* IV, 11, 12, 13. (e) Ἐν προφητείαις ἀσχοληθήσεται.
(f) 1 *Petri*, I, 11. (g) *Dan.* IX, 9. (h) *Jerem.* XXV, 11, 12; XXIX, 10. (i) Διήγησιν, vel διηγήσεις ἀνδρῶν ὀνομαστῶν συντηρήσει. (k) 3 *Reg.* X. (l) *Sup.* XXXVIII, 38: *In parabolis non invenientur*.
(m) *Prov.* XXVI, 7: *Indecens in ore stulti parabola*. *Eccli.* XX, 22: *Ex ore stulti reprobatur parabola*.
(n) Ἔναντι ἡγουμένων ὀφθήσεται. (o) *Dan.* I, 4, 5. (p) *Genes.* XLI, 37, 38. (q) *Genes.* XLVI, 34; XLVII, 3, 4. (r) *Homer. Odyss.* XVIII, *&* XIX.
Αὐτὰρ ἐγὼ θυμῷ νοέω, καὶ οἶδα ἕκαστα
Ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια.

℣. 8. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum:

℣. 9. Et ipse tamquam imbres mittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitebitur Domino:

℣. 10. Et ipse diriget consilium ejus, & disciplinam, & in absconditis suis consiliabitur.

℣. 11. Ipse palàm faciet disciplinam doctrinæ suæ, & in lege testamenti Domini gloriabitur.

℣. 12. Collaudabunt multi sapientiam ejus, & usque in sæculum non delebitur.

℣. 13. Non recedet memoria ejus, & nomen ejus requiretur a generatione in generationem.

℣. 14. Sapientiam ejus enarrabunt gentes, & laudem ejus enuntiabit ecclesia.

℣. 15. Si permanserit, nomen derelinquet plus quàm mille: & si requieverit, proderit illi.

℣. 16. Adhuc consiliabor, ut enarrem: ut furore enim repletus sum.

COMMENTARIUS.

initium a precibus ducet: summo mane surget, ut diurnum laborem Conditori offerat; hac enim arte acquiritur sapientia, quæ de se ipsâ loquens (s), *Qui mane vigilant ad me*, inquit, *invenient me*. Et (t): *Beatus homo, qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem a Domino.*

℣. 9. TAMQUAM IMBRES MITTET ELOQUIA SAPIENTIÆ SUÆ. Si Deo visum fuerit, illum intelligendi vi, & Prophetiæ dono adhuc orantem implebit, ℣. 8, statimque sapiens coram Deo instar fluvii exundabit, & sapientiam veluti ubertimum imbrem ex ore emittet; Dei laudes prædicabit, graodibusque eloquiis Dei amplitudinem edisseret: *In oratione confitebitur Domino*. Ita explicandos puto ℣℣. 8, & 9. Accidit interdum, ut orantes pii homines sacro furore extra mentem rapiantur, ipsorumque animus dilatetur, ut Dei laudes insolitis, ac majoribus humano sermone formulis celebrent.

℣. 10. ET IPSE DIRIGAT CONSILIUM EJUS, ET DISCIPLINAM, ET IN ABSCONDITIS SUIS CONSILIABITUR. Sapiens prudentiam ac pietatem duces adhibebit eorum, quæ ipse molietur: prudenter atque attentè expendet, quid sui muneris sit, divinæque Justitiæ ac Providentiæ arcana assiduâ meditatione versabit. Vulgata versio ferre videtur, priorem versiculi partem explicandam esse de Deo, sapientis consilia & scientiam dirigente; at Græcus (u) explicationi mox propositæ favet.

℣. 13. NON RECEDET MEMORIA EJUS A GENERATIONE, &c. Æterna erit apud homines Sapientis memoria; atque e sobole in sobolem ipse & ea, quæ gessit quâlibet ætate ferentur. Id diurna docet experientia. Quo enim studio & obsequio tuemur scripta Sapientum veterum, non sacrorum modò, & Divino spiritu afflatorum, verùm etiam Ethnicorum, qui sapientiâ & scientiâ claruerunt? Græcus Vulgatæ versioni repugnare videtur (x): *Abscedet*, vel *recedet memoria ejus, & nomen illius vivet in generationem generationum*. At optima ex hâc lectione sententia elici potest, futurum scilicet, ut Justi memoria a nostrâ ætate quodammodo longè recedat, atque in remotissima a nobis tempora proferatur. Putat probabiliter Grotius, verbum *recedet* hoc loco scholion esse, aut explicationem superioris verbi, *non delebitur*. Ita verò jungendi sunt versiculi 12, 13: *Collaudabunt multi sapientiam ejus, & usque in sæculum non delebitur memoria ejus*, nunquam cadet aut cessabit.

℣. 15. SI PERMANSERIT, NOMEN DERELINQUET PLUSQUAM MILLE: ET SI REQUIEVERIT, PRODERIT ILLI. Si diuturna est sapientis vita, longè amplissimum, quàm mille ex aliis, nomen sibi comparat: quòd si in ipso juventutis flore obeat, multo felicior est, cùm vitam longè tranquilliorem speret. Aliter: Si vitam producit Sapiens, famâ fruetur multo jucundiore, quàm posteritas florentissima parere queat. Omnium instar illi est sapientia, fortunarum, familiæ, posterorum. Illustrius illa nomen ac diuturnius ipsi facit, quàm mille liberorum soboles; cùmque ex hac vitâ excesserit, beatior erit, quàm si ingentem sobolem, florentemque familiam relinquat. Vel (y): Dum superstes erit, quocumque iverit, famam sui maximam relinquet, quantam mille alii; & si requieverit super ipsum sapientia, hæc proderit liberis ejus, ipso mortuo. Græcus (z): *Si permanserit, nomen relinquet, plus quàm mille: & si requieverit, acquiret sibi* gloriam & famam. Vivat ne an moriatur, nobilissimâ semper famâ fructur (a).

℣. 16. ADHUC CONSILIABOR UT ENARREM; UT FURORE ENIM REPLETUS SUM. Docet hìc Author, sese Divino Spiritu plenum esse, quo agitur, ut ea proferat, quæ animo fert. Græcus (b): *Adhuc quæ cogitavi edisseram, quoniam impleor ut luna corniculata*, quæ in dies crescit. Vel: Quotidie enim impleor, & augeor scientiâ, utì crescens luna singulis diebus crescit lumine (c). Reddunt alii (d): Instar plenæ lunæ refectus sum, instar lunæ cùm dimidius mensis est, & dies quatuordecim vel quindecim prætererunt. Vulgatus Interpres legit *Diomenia*, pro *Dichomenia*. Prima enim vox entheum furorem a Jove immissum, altera dimidium

(s) *Prov.* VIII, 17. (t) *Prov.* VIII, 34. (u) Αὐτὸς κατευθυνεῖ βουλὴν αὐτοῦ, καὶ ἐπιστήμην, καὶ ἐν τοῖς ἀποκρύφοις αὐτοῦ διανοηθήσεται. (x) Ἀποστήσεται τὸ μνημόσυνον αὐτοῦ, καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ ζήσεται εἰς γενεὰς γενεῶν. (y) *Grotius*. (z) Ἐὰν ἐμμείνῃ, ὄνομα καταλείψει ἢ χίλιοι. Καὶ ἐὰν ἀναπαύσηται, ἐμποιεῖ αὐτῷ. (a) *Vatab. Cornel. a Lapide, Jans.* (b) Ἔτι διανοηθεὶς ἐκδιηγήσομαι, ὅτι ὡς διχομηνία ἐπληρώθην. (c) *Ita Grot. & alii hic*. (d) *Ita Syrus, Tigur, Bossuet, Romana Edit.*

℣. 17. (In voce dicit:) Obaudite me divini fructus, & quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate.

℣. 18. Quasi libanus odorem suavitatis habete.

℣. 19. Florete flores, quasi lilium, & date odorem, (& frondete in gratiam,) & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus suis.

℣. 20. (Date nomini ejus magnificentiam, & confitemini illi in voce labiorum vestrorum,) & in canticis labiorum, & citharis, & sic dicetis in confessione:

℣. 21. Opera Domini universa bona valdè.

℣. 22. In verbo ejus stetit aqua sicut congeries: & in sermone oris illius sicut exceptoria aquarum.

℣. 23. Quoniam in præcepto ipsius placor fit, & non est minoratio in salute ipsius.

℣. 24. Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus.

℣. 25. A sæculo usque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus.

℣. 26. Non est dicere: Quid est hoc, aut quid est istud? omnia enim in tempore suo quærentur.

COMMENTARIUS.

dium lunæ vel mensis significat. Hinc variæ oriuntur explicationes.

℣. 17. IN VOCE DICIT: OBAUDITE ME, DIVINI FRUCTUS, ET QUASI ROSA PLANTATA SUPER RIVOS AQUARUM FRUCTIFICATE. Divinus furor, quo agor, loqui me cogit, & sapientiam ac sapientes his laudibus prosequi: Adeste, Divina soboles, proles sancta, electum genus, beatæ arbores, audite: Sic vestra stirps floreat, uti rosa propter aquas sata. Ex Græco (e) ita jungi debet cum præcedenti versiculo. Hæc autem verba, *In voce dicit*, non habet Græcus: *Quæ cogitavi, edisseram, quoniam ut plena luna refertus sum* scientiâ. 17. *Audite me, filii pii, & crescite ut rosa nata ad rivum aquis uberem.*

℣. 18. QUASI LIBANUS, ODOREM SUAVITATIS HABETE. Vel ex Græco (f): *Ut thus, bonum edite odorem.* Thus Græcè dicitur *libanos*.

℣. 19. FLORETE FLORES QUASI LILIUM. Flores edite ita suavi odore ut lilium, vel ita multos, ut lilium ferre solet. Lilium hìc pro stirpe, non pro ipso flore usurpatur.

FRONDETE IN GRATIAM. Frondibus replemini, quibus decor vester augeatur. Non est in Græco.

℣. 20. IN CANTICIS LABIORUM ET CYTHARIS. Laudes Deo dicebantur vel voce, vel ad lyram, vel voce simul & lyrarum concentu junctis. Græcus pro *cytharis* habet *cinnyris*. Veterem lyram hìc significari credimus, de qua in dissertatione de musicis veterum Hebræorum instrumentis.

℣. 21. OPERA DOMINI UNIVERSA BONA VALDE, vel pulcra, eximia, absolutissima. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat*, inquit Moyses (g), *& erant valdè bona*, pulcherrima. Græcus addit quæ sequuntur (h): *Et omne præceptum* Domini *in tempore suo erit. Neque est cur dicas: Quid hoc est? Omnia enim in tempore suo quærentur.* Eadem ferme sententia legitur infra, ℣. 26. Quicquid decrevit Deus, suo tempore fiet; omnes hujus vitæ vices certissimo illius providentiæ ordine disponuntur, neque sollicitè quærendum est: Quid hoc, quorsum hoc? Omnia aliquando aperientur. *Quærere* hoc loco, uti frequenter alibi, usurpatur pro invenire. Difficultatum, quibus obvolvimur & impedimur, solutio uni Deo nota est: at velum aliquando reducetur. Hoc probandum ponit hìc Author, quicquid agit Deus eximium esse; idque in consequentibus per enumerationem probat.

℣. 22. IN VERBO EJUS STETIT AQUA, QUASI CONGERIES frugum vel manipulorum (i). Id significat quod ad Erythræum, & ad Jordanem contigit; utroque enim in loco aquæ in acervum stetere, datoque Hebræis transeuntibus loco, in pristinum alveum rediere (k). In sua conceptacula reversæ sunt aquæ: *Et in sermone oris illius quasi exceptoria aquarum.* Censent alii, ea hìc intelligi, quæ rerum initio gesta sunt, ubi creatis aquis ceu immensâ voragine, illas deinde separavit Deus, suisque in conceptaculis collocavit; has supra firmamentum, illas intra maris vortices.

℣. 23. IN PRÆCEPTO ILLIUS PLACOR FIT. Eo jubente, omnia læta fiunt. Græcus (l): *Ad præceptum ipsius fit quicquid ipsi placet; & nemo est qui perdere possit id quod ille servare voluerit.* Omnipotens est, seu servare velit seu perdere, sive amicus sit sive inimicus.

℣. 25. NIHIL EST MIRABILE IN CONSPECTU EJUS. Vel: Nihil novum ipsi est, nihil ignotum insolitumque. Mirantur enim qui aliquid ignorant. Sapiens nihil miratur & timet nihil (m).

Nil admirari, prope res est una, Numici,
Solaque quæ possit facere & servare beatum.

℣. 26. NON EST ILLI NECESSE DICERE: QUID EST HOC, AUT QUID EST ISTUD? OMNIA ENIM IN SUO TEMPO-

(e) Εἰσακούσατέ μου, ὅσιοι, καὶ βλαστήσατε ὡς ῥόδον φυόμενον ἐπὶ ῥεύματος ὑγροῦ. *Edit. Rom.* υἱοὶ ὅσιοι. (f) Καὶ ὡς λίβανος εὐωδιάσατε ὀσμήν. Hæc in Complutensi Editione desunt; ea tamen legit S. Clemens Alexandrinus, *Pædag. lib.* 2, *c.* 8. (g) *Genes.* 1, 31. (h) Καὶ πᾶν πρόσταγμα ἐν καιρῷ αὐτοῦ ἔσται. Οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, τί τοῦτο ἐστι; πάντα γὰρ ταῦτα ἐν καιρῷ αὐτῶν ζητηθήσεται. (i) Ὡς θημωνία. *Supra*, xx, 28. (k) *Lyr. Jans. Grot. alii.* (l) Ἐν προστάγματι αὐτοῦ πᾶσα ἡ εὐδοκία, καὶ οὐκ ἔστιν ὃς ἐλαττώσει τὸ σωτήριον αὐτοῦ. (m) *Horat. lib.* 1, *Epist.* 6.

℣. 27. Benedictio illius quasi fluvius inundavit.
℣. 28. Quomodo cataclysmus aridam inebriavit, sic ira ipsius gentes, quæ non exquisierunt eum, hæreditabit.
℣. 29. Quomodo convertit aquas in siccitatem, & siccata est terra: & viæ illius viis illorum directæ sunt: sic peccatoribus offensiones in irâ ejus.
℣. 30. Bona bonis creata sunt ab initio, sic nequissimis [bona &] mala.
℣. 31. Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis similagineus, & mel, & botrus uvæ, & oleum, & vestimentum.

COMMENTARIUS.

TEMPORA QUÆRENTUR. Neque futurarum neque præsentium rerum solicitudine tenetur Deus; nullaque res illum turbat, aut nova illi contingit. Neminem rogat quid geratur, aut quid futurum sit; omnia enim certâ lege & ordine coram illo constant. Omnia suo tempore aperientur. Infinitam Dei sapientiam & constantissimam tranquillitatem opponit humanæ cognitionis infirmitati, ac solicitudini, anxiè quærenti quid rerum geratur, ac deinde futurum sit. Hæc verba Græcus habet superiùs, ℣. 21. Hic verò habet (n): *Non est cur quisquam dicat: Quid hoc est, & quorsum hæc res? Omnia enim ad usum suum creata sunt.* Novit Deus, cur unamquamque rem condiderit; neque opus illi est anxiè quærere: Quorsum hoc aut illud?

℣. 27. BENEDICTIO ILLIUS QUASI FLUVIUS INUNDAVIT. 28. QUOMODO CATACLYSMUS ARIDAM INEBRIAVIT, SIC IRA IPSIUS GENTES. Ubi favet, effusè favet; ubi irascitur, severissimè animadvertit. Quidquid agit, dignâ Deo atque Omnipotente majestate facit. Cùm Israëlem beneficiis prosequi decrevit, quàm ingenti bonorum copiâ cumulavit? Quàm multis prodigiis monstrisque illius causâ claruit? Cùm gigantes punire voluit, terram omnem aquis obruit, ut illos deleret.

℣. 29. QUOMODO CONVERTIT AQUAS IN SICCITATEM.... ET VIÆ ILLIUS VIIS ILLORUM DIRECTÆ SUNT: SIC PECCATORIBUS OFFENSIONES IN IRA EJUS. Quemadmodum Deus diluvii aquas revocavit, atque hominibus reconciliatus est, illorum vias corrigens, suisque similes efficiens; ita peccantibus veniam dat, atque ex irâ punitos, intra misericordiæ sinum excipit, si ad sese conversi redierint. Accipe ex Græco ℣℣. 27, 28, 29 (o). ℣. 27: *Benedictio illius*, vel aspiratio, *terram quasi fluvius operit, eamque velut inundatio inebriavit.* 28. *Iram ejus gentes* impiæ *proprio ac perpetuo jure habebunt, quemadmodum dulces aquas convertit in salsas* ad Sodomam. 29. *Viæ ejus rectæ sunt sanctis, & impiis offendicula.* Beneficia in Israëlem effudit, ceu amnis exundans; atque impios irâ obruit, uti olim Sodomam. Divina Lex Justis mera justitia & æquitas videbitur; injustis verò exitii & lapsûs occasio futura est.

℣. 30. BONA BONIS CREATA SUNT AB INITIO; ita & malis mala. Ita fert Græcus (p). Certa æternaque lex est, quolibet tempore constantissimè servata, bona bonis esse, & malis mala. Si quando inter homines everti hic ordo videtur; atque impii prosperis rebus fruuntur, dum adversæ piis sunt, turbatum in hâc vitâ ordinem in alterâ restituet Deus; ibique omnia suo in loco erunt. Si Vulgatæ explicationem tenes, dicendum est, Deum initio rerum hominem in Terrestri Paradiso collocasse, ubi omnia erant bona; eumque quolibet beneficiorum genere cumulasse. At postquam Adam Divinæ legi repugnavit, quamvis quodlibet suppliciorum genus mereretur homo, bona simul & mala miscuisse (q); vitamque ac mortem proposuisse, Cœli beatitudinem ac Inferorum pœnas; & adminicula dedisse, quibus e lapsu surgeret, & peccatum expiaret.

℣. 31. INITIUM NECESSARIÆ REI VITÆ HOMINUM, AQUA, IGNIS, &c. Hæc, quibus vita hominum maximè indiget, malis bonisque communia sunt, ut idem docet sequenti versiculo: at bonis bona sunt ob rectum usum; malis, cùm iis abutantur, mala & perniciosa. Rerum, quibus hominum vitæ opus est, primas numerat Sapiens aquam & ignem; si enim aquâ & igne careas, neque panem ipsum neque pleraque ex iis, quæ deinceps recenset, habere potes, veluti ferrum, sal, vestes, &c. Ferrum verò necessarium est ad laboris usum, ut scindantur ac dolentur ligna, lapides, metalla, &c. Reipublicæ hostes Romani aquâ & igni interdicebant. Gentium quarumdam meminit Strabo, apud quas nullus erat ignis usus; traduntque (r), aliquos ex Americanis & Sinensibus, veluti incolas Insularum, quæ vulgo *de los Jordenas* appellantur, igne non uti. Salis usum barbaris quibusdam penitus ignotum esse, scribit Homerus: at Sapiens de hominibus liberaliter institutis agit. Quamobrem homini bene instituto ignis & sal penitus necessaria sunt: *Ergo sine sale vita humanior esse nequit*, inquit Plinius (s). Carnes, pisces, ova, fructus, legumina præterit Sapiens, quippe quibus impune carere hominem posse arbitretur.

PANIS SIMILAGINEUS. Græcus (t): *Simila tritici.* Diu enim vita hominum frugibus & farinâ contenta fuit. S. Clemens Alexandrinus in Græco legit (u): *Simila, caseus.* At librarii mendum esse puto.

BOTRUS UVÆ. Græcus (x): *Sanguis uvæ, vinum. Deut.* XXXII, 14: *Et sanguinem uvæ biberet meracissimum.*

℣. 32. HÆC

(n) Οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, τί τοῦτο ἐστι; πάντα γὰρ εἰς χρείαν αὐτῶν ἔκτισται. *Edit. Rom.* Οὐκ ἔστιν εἰπεῖν τί τοῦτο; εἰς τί τοῦτο; πάντα γὰρ, &c.
(o) 27: Ἡ εὐλογία αὐτοῦ ὡς ποταμὸς ἐπεκάλυψε, καὶ ὡς κατακλυσμὸς ξηρὰν ἐμέθυσεν.
28: Οὕτως ὀργὴν αὐτοῦ ἔθνη κληρονομήσει, ὡς μετέστρεψεν ὕδατα εἰς ἅλμην.
29: Ὡς αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ εὐθεῖαι τοῖς ὁσίοις, οὕτως τοῖς ἀνόμοις προσκόμματα.
(p) Ἀγαθὰ τοῖς ἀγαθοῖς ἔκτισται ἀπ' ἀρχῆς, οὕτως τοῖς ἁμαρτωλοῖς κακά. (q) *Vide infrà*, 35: *Hæc omnia Sanctis in bona, & peccatoribus in mala convertentur. Vide Bossuet. hic.* (r) *Horn. de Origine Gent. Americ. lib.* 1, *c.* 8; *& lib.* 2, *c.* 9. (s) *Plin. lib.* 31, *c.* 7. (t) Σεμίδαλις πυροῦ.
(u) *Clemen. Alex. lib.* 2 *Pædag. c,* 8: Σεμίδαλις, τυρὸς, &c.
(x) Αἷμα σταφυλῆς.

℣. 32. Hæc omnia sanctis in bona, sic & impiis & peccatoribus in mala convertentur.

℣. 33. Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo confirmaverunt tormenta sua:

℣. 34. In tempore consummationis effundent virtutem: & furorem ejus, qui fecit illos, placabunt.

℣. 35. Ignis, grando, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt:

℣. 36. Bestiarum dentes, & scorpii, & serpentes, & rhomphæa vindicans in exterminium impios.

℣. 37. In mandatis ejus epulabuntur, & super terram in necessitatem præparabuntur, & in temporibus suis non præterient verbum.

COMMENTARIUS.

℣. 32. HÆC OMNIA SANCTIS IN BONA, SIC ET IMPIIS in mala. *Omnia munda mundis (y)*: immundis immunda omnia. In iis quæ ad præsentem vitam spectant, bonus solummodo malusve usus aut laude dignus est aut vituperio. Opes, aurum, argentum, dignitates, voluptatesque bono usu a Sanctis sancta fiunt, dum vel sese iis penitus abdicant, vel cum modo sapienterque utuntur; eademque impiis insidiæ sunt, & lapsûs causa, dum iis abutuntur, eaque ceu supremam sui beatitudinem amplectuntur. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (z). Creatura Dei in tentationem animabus hominum* impiorum sunt, *& in muscipulam pedibus insipientium (a).*

℣. 33. SUNT SPIRITUS, QUI AD VINDICTAM CREATI SUNT, ET IN FURORE SUO CONFIRMAVERUNT TORMENTA SUA, supplicia impiorum augent. Mali Spiritus, Diaboli, Divinæ in impios ultionis in utrâque vitâ instrumenta sunt *(b)*. Ita Diabolus innumeris Jobum malis obruit, & Angelus mortis in primores Ægyptiorum filios sæviit. Bonos interdum Angelos Deus in hoc ministerii genus eligit, uti binos Angelos in Sodomam immisit *(c)*, & alterum in Sennacheribum *(d)*. Explicant alii *(e)* hunc locum de ventis ac procellis, quæ solummodò in hominis perniciem condita a Deo esse videntur. Hæc Psalmista spiritus nuncupat, non secùs ac Sapiens *(f)*: *Pluet Deus super peccatores laqueos: ignis & sulphur & spiritus procellarum.* Et *(g)*: *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Hebræi spiritum vocant, inquit Grotius, vim quamcumque rebus ingenitam & efficacem, quia e rebus ita emanat, uti halitus ex homine. Græcus *(h)*: *Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt, & in furore suo gravissimè cadunt.* Hæc verba, *in furore suo*, hunc locum de malis Dæmonibus explicandum esse demonstrant. Hinc docet Sapiens, optima quælibet noxia impiis fieri. Ipsimet Angeli, qui e Conditoris manu culpæ expertes prodierunt, in crimen lapsi, impiorum inimici & carnifices effecti sunt.

℣. 34. IN TEMPORE CONSUMMATIONIS EFFUNDENT VIRTUTEM. Vehementissimè sævient, ubi decreta a Deo criminum mensura expleta fuerit; vel supremâ omnium die, quæ rerum omnium finis futura est: *In tempore consummationis.* Vel, qua die exercendam decrevit Deus in impios ultionem, supremumque illis exitium inferendum *(i)*.

℣. 35. IGNIS, GRANDO, FAMES, &c. *Ignis*, fulmina, fulgura, ignis e cœlo, qui in Sodomam ruit. *Grando*, procella, turbo. *Fames*, sterilitas, ariditas. *Mors*, pestilentia, & cætera mala, quæ præsentem afferunt mortem, & remedio prorsus carent. Hæc Divinæ ultionis instrumenta sunt. *Psal.* X, 7; CXLVII, 8.

℣. 36. BESTIARUM DENTES, ferarum, ursorum scilicet, leonum, luporum, vulpium. Hæc ferarum genera Palæstinis communia *(k)*; ac frequenter minitatur Deus, fore ut populum suum his malis affligat *(l)*.

RHOMPHÆA VINDICANS; bellum, hostium enses, quibus Divina ultio in peccantes exercetur.

℣. 37. IN MANDATIS EJUS EPULABUNTUR, promptissimo animo exequentur. Quæ superiùs recensuit, procellam, grandinem, ignem e Cœlo, famem, pestilentiam, hostium gladium ceu res animâ instructas exhibet, statim prompteque eò accurrentes, quò a Deo vocantur, quasi ad epulas properent. Paria apud Prophetas legimus. *Mucro, mucro, evagina te ad occidendum: lima te ut interficias & fulgeas (m).* Alibi *(n)*: *Fili hominis, dic omni volucri & universis avibus cunctisque bestiis agri: Convenite, properate, concurrite undique ad victimam meam, quam ego immolo vobis, victimam grandem super montes Israël: ut comedatis carnem & bibatis sanguinem. Carnes fortium comedetis, & sanguinem principum terræ*, &c. Græcus *(o)*: *Præcepto ejus lætabuntur*, vel ex quibusdam Codicibus, *ortu ejus.*

SUPER TERRAM IN NECESSITATEM PRÆPARABUNTUR. Copiæ sunt nunquam non proficisci paratæ, ubi annuerit Imperator. Græci quidam Codices ferunt *(p)*: *Et super terram ad manum parabuntur.* Sub manu erunt, Divinisque jussionibus explendis parata, ut vel nutibus obtemperent. Melior tamen vulgata lectio est, eaque in optimis Græcis Editionibus legitur.

℣. 38. PRO-

(y) *Tit.* I, 15. (z) *Rom.* VIII, 28. (a) *Sap.* XIV, 11. (b) *Raban. Lyr. Dionys. Cornel. a Lapide, Hæftenl. Vatab. Drus. Bossuet.* (c) *Genes.* XIX, 11. (d) *Isai.* XXXVII, 36; *4 Reg.* XIX, 35. (e) *Quid. apud Vatab. & Cornel. Grot.* (f) *Psal.* X, 7. (g) *Psal.* CXLVIII, 8. (h) Ἔστι πνεύματα ἃ εἰς ἐκδίκησιν ἔκτισται, καὶ ἐν θυμῷ αὐτῶν ἐστερέωσαν μάστιγας αὐτῶν. (i) *Consummatio. Hebr.* כלה *Græc.* Συντέλεια. *Vide Exod.* XXXII, 10; *Num.* XVI, 21; *Josue*, XXIV, 20; *& 1 Reg.* XX, 7, 9; XXV, 17; *Psal.* LVIII, 14; *Jerem.* IV, 27; V, 10; XXX, 11, *&c.* (k) *Deut.* VII, 22; *& 1 Reg.* XVII, 34; *& 4 Reg.* II, 24; *Judic.* XV, 4; *& 2 Reg.* XVII, 10; XXIII, 20. (l) *Deut.* XXII, 24: *Dentes bestiarum immittam in eos. Jerem.* XV, 3: *Volatilia cœli, & bestias terræ ad devorandum. Ezech.* V, 17: *Immittam in vos famem, & bestias pessimas.* (m) *Ezech.* XXI, 28. (n) *Ezech.* XXXIX, 16, 17.
(o) Ἐν τῇ ἐντολῇ αὐτοῦ εὐφρανθήσονται. *Compl.* Ἐν τῇ ἀνατολῇ. (p) *Complut.* Καὶ ἐπὶ τῆς γῆς εἰς χεῖρας ἑτοιμασθήσονται. *Rom. & alii*, εἰς χρείας.

℣. 38. Propterea ab initio confirmatus sum, & consiliatus sum, & cogitavi, & scripta dimisi.

℣. 39. Omnia opera Dñi bona, & omne opus horâ suâ subministrabit.

℣. 40. Non est dicere: Hoc illo nequius est: omnia enim in tempore suo comprobabuntur.

℣. 41. Et nunc in omni corde & ore collaudate, & benedicite nomen Domini.

COMMENTARIUS.

℣. 38. PROPTEREA AB INITIO CONFIRMATUS SUM in hac sententiâ, ℣. 39, OMNIA OPERA DOMINI BONA. Profectò hoc idem posuerat ℣. 21, postquàm ℣. 16 dixit, Divino sese furore agi, ut gravissimam verissimamque sententiam edisserat; eamque ℣. 21 propositam, in consequentibus confirmat. Hîc denique orationem claudit. Quæ hactenus disputavi, ea altiùs hanc menti sententiam inscripsere: Novi & scio, seriò meditatus sum, scripsi & assero, bonum esse quicquid condidit Deus, certumque in usum destinari. 39, *Omnia opera Domini bona, & omne opus horâ suâ subministrabit*. His utitur Deus quo loco, tempore & modo libuerit. Græcus (q): *Opera Domini omnia bona sunt; & suo quæque tempore ea quæ nobis usui sunt, exhibet*. Bona & mala pro meritis distribuit; nihil enim non bonum naturâ est: at ipsi malum efficimus, dum abutimur. Vide ℣. 32. Vel: Nequid nobis deesse queramur. Quicquid opus est, Deus studiosè suppeditat: quòd si inquietas nostrarum cupiditatum solicitudines non audit, minimè tamen negligit ea suppeditare ubi opus fuerit, & necessitas postularit.

℣. 40. NON EST DICERE: HOC ILLO NEQUIUS EST: OMNIA ENIM IN TEMPORE SUO COMPROBABUNTUR. Ea quæ maximè perniciosa videntur, suo tempore usurpata, bona sunt atque utilia. Non poteris, quin Conditoris sapientiam ac providentiam commendes, ubi aliquando ipse expertus fueris, quem in usum ea ipsa is destinaverit. Mala gravissima & malos coërcent, & exercent pios. Scelus ipsum ac scelestus Dei gloriæ serviunt; ejusque æquitatem, misericordiam, potestatem docent. Nefarium est, ubi homo Dei consilia arguere atque in examen revocare audeat. Hoc unum hominis est, quolibet tempore, & per quaslibet rerum vices Deum laudibus prosequi & celebrare. ℣. 41: *In omni corde & ore collaudate & benedicite nomen Domini*.

CAPUT XL.

Communia universo hominum generi incommoda. Vitari mors nequit. Inutiles impiorum opes. Iis quæ ad vitam necessaria sunt, contentus esto. Dei timorem plurimi omnium facito. Mendicam vitam ne agito.

℣. 1. Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam, a die exitûs de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ, in matrem omnium.

℣. 2. Cogitationes eorum, & timores cordis adinventio expectationis, & dies finitionis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. OCCUPATIO MAGNA CREATA EST OMNIBUS HOMINIBUS, ET JUGUM GRAVE SUPER FILIOS ADAM, A DIE EXITUS DE VENTRE MATRIS EORUM, USQUE IN DIEM SEPULTURÆ. Probare hic aggreditur Sapiens, universum hominum genus innumeris laboribus ac ærumnis, curisque obnoxium esse, atque inani metu ac spe agi, a primo ortûs articulo ad supremum usque spiritum, nullo ætatis aut conditionis discrimine. Quàm frequentia pericula, quàm multi terrores, cruciatus, errores ambagesque ad firmam usque hominis ætatem venientibus occurrunt? Ubi verò pervenerimus, quàm multis undique ambagibus obvolvimur, ut in errorem trahamur? quàm frequentes undique labores opprimere ac terrere conantur? Quàm multæ calamitates quatiunt? Quæ superbiæ vis agitat, ut incautos inflet, atque extollat (a)? Quàm verè cum Jobo dicimus, hominem labori nasci (b): omnemque illius vitam assiduam esse militiam (c)! Gravissimum porrò jugum, sub quo gemimus, primum est originis peccatum malaque omnia, quæ ex eo oriuntur.

USQUE IN DIEM SEPULTURÆ, IN MATREM OMNIUM, tellurem. Optimo certè jure terra communis omnium mater dicitur. *Hæc nos nascentes excipit, natosque alit, semelque editos sustinet semper, novissimè complexa gremio jam a reliquâ naturâ abdicatos, tum maximè ut mater operiens, nullo magis sacra merito quàm quo nos quoque sacros facit* (d).

℣. 2. COGITATIONES EORUM TIMORES CORDIS, ADINVENTIO EXPECTATIONIS, ET DIES FINITIONIS. Hæc sunt aliqua malorum pars, quibus hominum singuli obnoxii sunt: solicitudines, terrores, futurarum rerum expectatio, mortis metus. Græcus

(q) Τὰ ἔργα Κυρίου πάντα τὰ ἀγαθά. Καὶ πᾶσαν χρείαν ἐν καιρῷ αὐτῆς χορηγήσει. *Alii*, ἐν καιρῷ αὐτοῦ. *Alii*, ἐν ὥρᾳ αὐτῆς. (a) *Vide August. lib. 4 contra Julian. c. 26, in fine.* (b) *Job, V, 7.* (c) *Job, VII, 1. Vide & XIV, 1, 2.* (d) *Plin. lib. 2, c. 63.*

℣. 3. A residente super sedem gloriosam, usque ad humiliatum in terrâ, & cinere:

℣. 4. Ab eo, qui utitur hyacintho, & portat coronam, usque ad eum, qui operitur lino crudo: furor, zelus, tumultus, fluctuatio, & timor mortis, iracundia perseverans, & contentio:

℣. 5. Et in tempore refectionis in cubili somnus noctis immutat scientiam ejus.

℣. 6. Modicum tamquam nihil in requie, & ab eo in somnis, quasi in die respectûs.

℣. 7. Conturbatus est in visu cordis sui, tamquam qui evaserit in die belli. In tempore salutis suæ exsurrexit, & admirans ad nullum timorem.

℣. 8. Cum omni carne, ab homine usque ad pecus, & super peccatores septuplum.

℣. 9. Ad hæc mors, sanguis, contentio, & rhomphæa, oppressiones, fames, & contritio, & flagella:

COMMENTARIUS.

cus reddi potest (e): *Quàm multis cogitationibus ac terroribus illorum animus agitatur! Solicita futuri cogitatio, dies mortis.* Neque uni aut paucis hominibus hæc mala imminent: nemo immunis est, ℣. 3, *ab eo qui sedet in solio majestatis, usque ad illum qui in cinere cubat* (f). Commune est omnibus jugum, nemine excepto.

℣. 4. Ab eo qui utitur hyacintho, et portat coronam, usque ad eum qui operitur lino crudo. Hyacinthinus, vel cyaneus, sive purpureus color, is erat, quo Reges proceresque utebantur. Id e Scripturis ubique, & ex profanis noscitur. Mulieris fortis vir bysso & purpurâ induebatur (g). Purpureis etiam ornamentis Ethnici Numinum simulacra operiebant (h). Babyloniorum proceres purpurâ distinguebantur (i). Alexander Syriæ Rex, Demetrii æmulus, purpuram & auream coronam, eximiæ dignitatis indicia, ad Jonatham Macchabæum misit (k). Quamvis autem hyacinthinus color & purpureus satis similes essent, eumdem tamen non fuisse discimus e Scripturâ; uterque enim frequenter in eodem orationis membro ceu duæ res conjunguntur. Dilutior erat purpura, quàm hyacinthus; atque ad eum colorem accedebat, qui vulgò *scharlatus* dicitur; hyacinthus violaceum saturum colorem reddebat, qualis violæ est.

Iracundia perseverans, et contentio, vetus ac perseverans odium. Græci Codices (l) hoc loco dissident; at Vulgata optimam lectionem sequitur.

℣. 5. In tempore refectionis in cubili, &c. Cùm quis quietem noctu capit, curæ, cogitationes, molimina mentem turbant: *Immutat scientiam ejus*, &c.

℣. 6. Modicum tamquam nihil in requie: et ab eo in somnis quasi in die respectus. Parum aut nihil quiescit: deinde in somno est, veluti excubiæ per diem. Ita sonat Græcus (m): *Modicum & fermè nihil in quiete* est; *& deinde in somnis* est *velut in diebus specula*. Labor, vigilia, animi oppressio brevem somnum inducunt; at post brevissimam eam quietem, noctem totam inter curas agit, iis similes, quibus excubiæ agitantur.

℣. 7. Conturbatus est in visu cordis sui, tamquam qui evaserit in die belli. Mane expergiscitur, seque discrimine liberum sentiens, vanum animi sui terrorem admiratur. Quemadmodum miles, quem panicus terror prælio reduxit, fugit angiturque, ubi nullus periculi timor est; elapsoque metu, ubi rem gestam sedato animo cogitaverit, facti illum pudet, se seque miratur: ita plerique hominum inani solicitudine anguntur, nullamque quietem diu noctuque experiuntur, neque satis sciunt, cur timeant aut crucientur.

℣. 8. Cum omni carne ab homine usque ad pecus, et super peccatores septuplum. Homines timori, iracundiæ, furori, jurgiis, invidiæ, animique tumultibus obnoxios esse, satis intelligimus: at de bestiis ingens dubio locus est: si enim illas ratione atque animi intentione uti neges, nullos in illis affectus esse necesse est, quippe qui ratiocinatione, rerumque præteritarum ac futurarum contemplatione creantur. Dicendum igitur est, Sapientem hoc loco de iis agere, quæ exteriùs a bestiis agi videntur, quæ mortem timent, in sui similes pugnant, aliis invident, quin ullus rationis usus illis sit, cùm naturæ unius impulsu ductuque agantur. Omnia porrò mala, quæ mox recensuit, & pars jugi sunt, quo universi homines opprimuntur, impios magis quàm cæteros homines afficiunt: *Super peccatores septuplum*. Mala septuplo majora impii patiuntur. Septenarius pro ingenti numero usurpatur (n).

℣. 9. Ad hæc mors, sanguis, contentio, &c. Hæc verba, *ad hæc*, ad superiorem versiculum referenda sunt, uti constat ex Græco (o): *Hæc mala non hominibus tantùm, sed & mutis animantibus solent evenire; sed flagitiosis hominibus septuplo graviora quàm cæteris.* 10. Mors, *sanguis*, homicidia, *jurgia*, *gladius*, seu bellum, *oppressiones & fames*. Vel ex Græco (p): *Immissiones famis*,

(e) Τὸν διαλογισμὸν αὐτῶν, καὶ φόβον καρδίας. Ἐπίνοια προσδοκίας, ἡμέρα τελευτῆς. (f) Confer *Exod.* xi, 5; xii, 29. (g) *Prov.* xxxi, 21. (h) *Jerem.* x, 9; *Baruc*, vi, 61. (i) *Dan.* v, 7. (k) 1 *Maccab.* x, 20. (l) *Complut.* Μῆνιμα, καὶ ἔρις. *Rom. & Ald.* Μηνίαμα, καὶ ἔρις. *Alii*, μανία, vel μήνισμα, seu μήνιμα. *Est autem idem quod* μῆνις *Homero*, *idest*, χόλος ἐπίμονος. *Didym.* (m) Ὀλίγον ὡς οὐδὲν ἐν ἀναπαύσει, καὶ ἀπ' ἐκείνου ἐν ὕπνοις ὡς ἐν ἡμέραις σκοπιᾶς. (n) *Genes.* iv, 15, 24. *Levit.* xxvi, 28; *Psal.* lxxviii, 12. (o) Καὶ ἐπὶ ἁμαρτωλῶν ἑπταπλάσια πρὸς ταῦτα. (p) Ἐπαγωγαὶ λιμοῦ.

℣. 10. Super iniquos creata sunt hæc omnia, & propter illos factus est cataclysmus.

℣. 11. Omnia, quæ de terrâ sunt, in terram convertentur, & omnes aquæ in mare revertentur.

℣. 12. Omne munus & iniquitas delebitur, & fides in sæculum stabit.

℣. 13. Substantiæ injustorum sicut fluvius siccabuntur, & sicut tonitruum magnum in pluviâ personabunt.

℣. 14. In aperiendo manus suas lætabitur: sic prævaricatores in consummatione tabescent.

℣. 15. Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, & radices immundæ super cacumen petræ sonant.

℣. 16. Super omnem aquam viriditas, & ad oram fluminis ante omne fœnum evelletur.

℣. 17. Gratia sicut paradisus in benedictionibus, & misericordia in sæculum permanet.

℣. 18. Vita sibi sufficientis operarii condulcabitur, & in eâ invenies thesaurum.

COMMENTARIUS.

mie, regionum excidia, & cætera flagella. Vel tantùm: *Oppressiones & flagella*. Ad verbum: *Contritio & flagellum*, plagæ & morbi: hæc omnia impiis decreta sunt: *Super iniquos creata sunt*, scilicet, *destinata, ordinata*.

℣. 11. OMNIA QUÆ DE TERRA SUNT, IN TERRAM CONVERTENTUR, ET OMNES AQUÆ IN MARE REVERTENTUR. Quicquid in terrâ est, assiduis vicibus & conversionibus existit. Qui ex humo conditi sumus, ac terræ fructibus alimur, omnes in terram convertemur (q).

℣. 12. OMNE MUNUS ET INIQUITAS DELEBITUR, ET FIDES IN SÆCULUM STABIT. Munera quæ impii Judices exceperint, & flagitia quæ horum causâ patraverint, peribunt, atque a supremo Judice severissimè punientur: at æquitas, fides, justitia semper stabunt. Destruentur impii, impiorum stirps delebitur, eorumque opes dissipabuntur: at pii justique æternâ in Cœlo vitâ fruentur: nomen inter homines quâlibet ætate gloriosum relinquent: spiritualia bona, quæ ipsi comparaverint, æternos fructus ferent (r).

℣. 13. SUBSTANTIÆ INJUSTORUM SICUT FLUVIUS SICCABUNTUR, ET SICUT TONITRUUM MAGNUM IN PLUVIA PERSONABUNT. Male partas opes nihil aptiùs designat, quàm torrentis comparatio, qui statim labitur, brevemque aliquot horarum vitam habet, & tonitru, quod unico momento sonat. Impiorum opes, existimatio, vires statim peribunt. Elapso imbre, ac tonitru disploso, liber transitus erit, & nihil cernes (s): *Transivi, & ecce non erat*. Ad hunc Proverbiorum locum respicit Scriptor (t): *Quasi tempestas transiens non erit impius, justus autem quasi fundamentum sempiternum.*

℣. 14. IN APERIENDO MANUS SUAS LÆTABITUR: SIC PRÆVARICATORES IN CONSUMMATIONE TABESCENT. Malus Judex, qui munera excipit, & flagitiis opes comparat, torrentis ac tonitrui more labetur. Ita impii, Dei legem violantes, denique peribunt ac penitus cadent (u). Græcus (x): *Cùm manus aperuerit, gaudebit* flagitiosus Judex; *sed qui eum in modum legem transgredientur*, quæ munera ob judicandum accipi vetat *Exod.* XXIII, 8, & *Deut.* XVI, 19, *tandem deficient*, eo modo quo prædiximus, scilicet ceu torrens, & tonitru fragor.

℣. 15. RADICES IMMUNDÆ SUPER CACUMEN PETRÆ SONANT. Impii similes arbori sunt super rupem satæ: pulchros enim ramos fructusque nunquam ferent. *Sonant* in Græco non est (y).

℣. 16. SUPER OMNEM AQUAM VIRIDITAS; ET AD ORAM FLUMINIS ANTE OMNE FŒNUM EVELLETUR. Viridis herba propter aquas fluviosque citò crescit; ea verò ante cæteras evelletur. Græca vox, quæ vertitur *viriditas*, propriè significat juncos in paludibus & ad Nili oram crescentes. Hi quàm celerrimè proveniunt, cùm humore abundent; at cùm inutiles pascuis sint, statim in ignis usum evelluntur (z). Quo celeriùs crescunt, eo celeriùs evelluntur. Ita impiis evenit, qui quàm citissimè & crescunt & pereunt. Interdum herba & messis ipsa evellebatur (a). *Lignorum nomine in quibusdam regionibus, ut in Ægypto, ubi arundines & papyrus comburuntur, veniunt & herbula & sarmenta* (b).

℣. 17. GRATIA, SICUT PARADISUS IN BENEDICTIONIBUS, ET MISERICORDIA IN SÆCULUM PERMANET. *Gratia*, scilicet beneficia & misericordia, hoc loco usurpantur pro munificis hominibus, beneficis & misericordibus: hi enim bonis cumulabuntur, ceu deliciarum hortus: fructus vitæ ferent corruptionis expertes & æternos. Præmio illos afficiet Deus, opibusque cumulabit. Ad hortum Eden respicit Scriptor, in Genesi descriptum (c).

℣. 18. VITA SIBI SUFFICIENTIS OPERARII CONDULCABITUR, ET IN EA INVENIES THESAURUM. Conten-

(q) *Genes.* III, 19; *Job*, X, 9; XXXIV, 15; *Psal.* CIII, 29; CXLV, 4; *Eccle.* XII, 7.
(r) *Vide* 1 *Cor.* III, 12, 13, 14, 15. (s) *Psal.* XXXVI, 36. (t) *Prov.* X, 25. (u) *Ita Lyr. Hugo, Dionys. Sa, Raban. Cornel. Grot.* (x) Ἐν τῷ ἀνοῖξαι αὐτὸν χεῖρας εὐφρανθήσεται, οὕτως δὲ παραβαίνοντες εἰς συντέλειαν ἐκλείψουσι. (y) Hæc vox *sonant*, oriri videtur ex priori voce ℣. 16, ubi Interpres legit ἠχεῖ pro ἄχει. (z) Ἄχι ἐπὶ παντὸς ὕδατος, καὶ χείλους ποταμοῦ, &c. Hæc vox ἄχι, vel ἄχει respondet Hebræo אחו *Genes.* XLI, 2: *Carectum*. Ἐν τῷ ἄχει. *Quid.* ἐν ἕλει, vel χλόῃ. *Vulg. videtur legisse* ἠχεῖ, *sonat*, *de quo* ℣. 15. (a) *Matth.* VI, 30; *Luc.* XII, 28: *Fœnum quod hodie est, & cras in clibanum mittitur.* (b) *Vide Prosper. Alpin. lib.* 5 *de Medic. Ægypt. c.* 7; & *Psal.* CXXVIII, 6. (c) *Genes.* II, 8, 9.

℣. 19. Filii & ædificatio civitatis confirmabit nomen, & super hæc mulier immaculata computabitur.

℣. 20. Vinum & musica lætificant cor: & super utraque dilectio sapientiæ.

℣. 21. Tibiæ & psalterium suavem faciunt melodiam, & super utraque lingua suavis.

℣. 22. Gratiam & speciem desiderabit oculus tuus, & super hæc virides sationes.

℣. 23. Amicus & sodalis in tempore convenientes, & super utrosque mulier cum viro.

℣. 24. Fratres in adjutorium in tempore tribulationis, & super eos misericordia liberabit.

℣. 25. Aurum & argentum est constitutio pedum: & super utrumque, consilium beneplacitum.

COMMENTARIUS.

tentum parvo esse, vitam sine solicitudine laborando tolerare, vacuum ambitione & curâ esse, ea porrò eximia suavitas atque optatissimus vitæ thesaurus est. Græcus aliter habet (d): *Vita operarii labore quærentis ea qua sibi sufficiunt, suavis est; & utroque felicior qui thesaurum invenit*; operario scilicet, atque homine benefico, de quo superiùs, ℣. 17; vel operario, & suavi illius vitâ. Qui thesaurum invenit, is est qui sine labore atque iniquitate, & ferè non sentiens, inopinatò locuples fit.

℣. 19. Filii et ædificatio civitatis confirmabit nomen, et super hæc mulier immaculata computabitur; proba mulier utrumque superabit. Ea siquidem viri nomen immortalitati consecrat, veluti Esther, Judith, Debora, Jahel uxor Heber Cinæi; Artemisia, Mausoli Cariæ Regis uxor, Zenobia Odenati Palmytenorum Regis, quæ viros celebres effecere; ac demum ut fortis mulier apud Salomonem (e), quam vir & filii meritis laudibus prosecuti esse dicuntur. Aliter tamen res accipi potest; neque putari hoc dicere Sapiens, uxoris crimine carentis probitate viri nomen illustrius effici, quàm florenti posteritate, aut urbe conditâ; sed utrisque pluris esse æstimandam. Vel, malæ uxoris, effrenis, litigiosæ, turbidæ molestiam majorem esse, quàm ex rebus mox enumeratis voluptatem. Hæc verba, *Et super hæc mulier immaculata computabitur*, in multis Græcis desunt (f).

℣. 20. Vinum et musica lætificant cor: et super utraque, dilectio sapientiæ, Philosophiæ. Sapientiæ & virtutis studium jucundius animo est, quàm corpori vinum & musica in convivio. Animi mentisque diliciæ longè corporeas superant; illis enim ad Deum accedimus, his bestiis similes efficimur (g): *Delectatio cordis humani de lumine veritatis, de affluentiâ sapientiæ: non invenitur voluptas, cui possit aliquâ ex parte comparari.*

℣. 22. Super hæc virides sationes. Viridis agri species utramque superat. *Nullius coloris aspectus oculis jucundior est; nam herbas virentes frondesque avidè spectamus* (h); oculorum enim lassitudinem is color mulcet, languentes recreat.

℣. 23. Amicus et sodalis in tempore convenientes; et super utrosque mulier cum viro. Amici & sodalis, ubi opus est, utiles sunt sibi mutuò; at uxor & vir plus alter alteri prosunt. Vel: Magna est amicorum conjunctio, at major conjugum. Græcus ad verbum (i): *Amicus & sodalis ad tempus occurrunt; & super utraque, uxor cum viro. Occurrere* hoc loco esse potest vel mutuam opem sibi afferre (k), vel obvium esse (l), vel jungi amicos, qui cùm non semper convivant, mutuam opem invicem ferre non semper queunt. At vir & uxor, qui eâdem in domo vitam agunt, multo plus invicem utiles sunt. Profectò nulla conjunctio est, quæ cum fideli concordique conjugio sit comparanda. *Relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ* (m).

℣. 24. Fratres in adjutorium in tempore tribulationis: et super eos misericordia liberabit. Fratres inter mala præsidium sunt: at misericordia meliùs quàm illi malis eruet. Beneficus ac liberalis homo, ubi opus fuerit, ex iis de quibus benemeritus est, majorem opem ac præsidium, quàm ex fratribus ac propinquis, referet. Græcus (n): *Fratres & auxilium ad tempus afflictionis sunt; & certiùs utrisque liberabit eleemosyna*, misericordia, beneficentia. Inter ea ex rebus adversis præsidia, quæ parare nobis possumus, certissima sunt & validissima, beneficentia & misericordia, quæ & in præsentem & in futuram vitam amicos nobis comparant.

℣. 25. Aurum et argentum constitutio pedum, præsidium validissimum sunt: et super utrumque, consilium beneplacitum, utroque præstantius est bonum consilium. Græcus (o): *Aurum atque argentum statuent pedem, at longè æstimabilius utroque consilium.* Multo utilissimum est consilium tempori atque opportunè datum, quàm aurum aut argentum. Id probat Salomon (p): *Ubi non est gubernator, populus corruet: salus autem, ubi multa consilia.* Romani, ait Macchabaicorum Scriptor (q), *possederunt omnem locum consilio & sapientiâ.*

℣. 26. Fa-

(d) Ζωὴ αὐτάρκους ἐργάτου γλυκανθήσεται, καὶ ὑπὲρ ἀμφότερα ὁ εὑρίσκων θησαυρόν. (e) *Prov.* XXXI, 10. (f) Ita Grotius, at neque Drusius, neque Hœschelius Codicis ullius meminere, hæc verba non habentis. (g) *August. serm.* 139 *de Verbis Apost. Jacobi* 5, *n.* 6. (h) *Plin. lib.* 37, *c.* 5. (i) Φίλος καὶ ἑταῖρος εἰς καιρὸν ἀπαντῶντες, καὶ ὑπὲρ ἀμφότερα γυνὴ μετ' ἀνδρός. (k) *Jerem.* XV, 11. (l) *Psal.* LXXXIV, 11; *Prov.* XXII, 2; XXXIX, 13. (m) *Genes.* II, 24. (n) Ἀδελφοὶ καὶ βοήθεια εἰς καιρὸν θλίψεως, καὶ ὑπὲρ ἀμφότερα ἐλεημοσύνη ῥύσεται. (o) Χρυσίον καὶ ἀργύριον ἐπιστήσουσι πόδα, καὶ ὑπὲρ ἀμφότερα βουλὴ εὐδοκιμεῖται. (p) *Prov.* XI, 14. (q) 1 *Maccab.* VIII, 3.

℣. 26. Facultates & virtutes exaltant cor, & super hæc timor Domini.
℣. 27. Non est in timore Domini minoratio, & non est in eo inquirere adjutorium.
℣. 28. Timor Domini sicut paradisus benedictionis, & super omnem gloriam operuerunt illum.
℣. 29. Fili, in tempore vitæ tuæ ne indigeas: melius est enim mori, quàm indigere.
℣. 30. Vir respiciens in mensam alienam, non est vita ejus in cogitatione victûs: alit enim animam suam cibis alienis.
℣. 31. Vir autem disciplinatus & eruditus custodiet se.
℣. 32. In ore imprudentis condulcabitur inopia, & in ventre ejus ignis ardebit.

COMMENTARIUS.

℣. 26. FACULTATES ET VIRTUTES EXALTANT COR: ET SUPER HÆC TIMOR DOMINI. Qui opibus abundat, plerumque audax atque arrogans est: at qui Deum timet, constans sine pertinaciâ est, audax absque temeritate, & sine arrogantiâ strenuus. Id in consequentibus confirmat. Ita etiam Psalmista (r): *Dominus illuminatio mea & salus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: a quo trepidabo? Si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo.*

℣. 27. NON EST IN TIMORE DOMINI MINORATIO, ET NON EST IN EO INQUIRERE ADJUTORIUM. Deum timenti nihil deest, ac nullius ope ipse indiget. Dei timor, Hebræorum consuetudine, Religionem omnem amplectitur. Qui Deum timet, is sapiens est, probus, pius, religiosus, verus denique Israëlita. Quamobrem is qui Deum hoc modo veretur, nullâ re indiget (s): *Nihil deest timentibus Deum. Divites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

℣. 28. TIMOR DOMINI SICUT PARADISUS BENEDICTIONIS. Dei timor ita bonorum fœcundus sese habenti erit, uti primo hominum parenti terrestris Paradisus; vitam enim, delicias, ubertatem in eo nanciscetur, vitæque & scientiæ boni & mali arbores adhuc sibi quodammodo in eo virentes experietur. *Et super omnem gloriam operuerunt illum*; & gloria qualibet laude major illum vestiet. Gloriâ cumulatur, qui pietatem colit; illumque inundat gloria (t), non secùs ac terrestrem Paradisum quatuor amnes ex ipso nascentes irrigabant.

℣. 29. IN TEMPORE VITÆ TUÆ NE INDIGEAS, ne mendices: MELIUS EST ENIM MORI, QUAM INDIGERE, mendicare. Ita sonat Græcus (u). Ex gentis suæ sententiâ, de mendicitate agit Ecclesiasticus, quippe quæ apud Judæos Divinæ execrationis loco haberetur. Profectò minitatur Deus fore, ut eos qui Legi suæ non obtemperant, mendicitate feriat (x). *Si fœdus meum violaveritis, visitabo vos velociter in egestate. Frustra seretis sementem, &c.* Psalmista inter ea mala, quæ flagitiosissimis hominibus imprecatur vel prædicit, *Nutantes*, inquit (y), *transferantur filii ejus, & mendicent, & ejiciantur de habitationibus suis.* Decernit Moyses (z): *Omnino indigens & mendicus non erit in vobis.* Denique Psalmistæ (α): *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Si hanc vitæ conditionem seu corpori incommodam inspicias, ea profectò miserior morte est: mendicos enim innumeri circumstant labores, opprobria, injuriæ, ærumnæ; ac frequenter præsentissimum peccandi periculum, & maximum sapientiæ studio & virtutis exercitio impedimentum extrema inopia est.

Cave tamen putes, eam hîc spiritûs paupertatem damnari, quam Christus & commendavit & exercuit; sed minimè spontaneam, quæ vel ex ignaviâ oritur, vel ex malâ rei familiaris administratione, vel ex miserâ conditione, aut inimicâ fortunâ, aut ex ipsâ naturâ, quæ hominem opibus comparandis ineptum effecit. Ea certè gravissima calamitas est, jugumque durissimum, quo Providentia coërcere homines queat; eâque longè mitior mors ipsa est. Si hanc sedato animo feras, virtutis tuæ meritum magnoperè crescit. Christiani Martyres Religionis & veritatis causâ semel tantùmmodo vitam prodegerunt: inopes quolibet tempore per inopiam ærumnasque, quibus obnoxii sunt, quàm sæpissimè amittunt. Iis quibus satis divitiarum est, ut his cæteros juvent, miserrimâ postulantium conditione moveri debent. Nonne satis meriti esse videntur, ubi eâ animi & oris demissione postulaverint?

℣. 30. VIR RESPICIENS IN MENSAM ALIENAM, NON EST VITA ILLIUS IN COGITATIONE VICTUS: ALIT ENIM ANIMAM SUAM CIBIS ALIENIS. Hominis alienam mensam spectantis vita eo nomine indigna est; alienis enim dapibus alitur. Parasitus, cujus vita ex alterius vitâ pendet, vivere diù nequit; quippe quibus vita alterius beneficio regitur, statim peritura si nemo illum vocet. Græcus ad verbum (β): *Vir qui respicit in alienam mensam, non habet vitam in ratione vitæ*; quippe cujus vita in alterius potestate est: *despiciet animam suam in dapibus alienis*: sese contemptui exponet, atque ad turpissima quæque descendet, ut ad alterius mensam vocetur.

℣. 32. IN ORE IMPRUDENTIS CONDULCABITUR INOPIA, ET IN VENTRE EJUS IGNIS ARDEBIT. Dulcis erit insano mendicitas, & ingens edendi aviditas illius viscera depascetur. Impudens omnino sit necesse est, cui vita parasitica placere potest. Græcus (γ): *In ore impudentis dulcis erit mendicitas; & in ventre ipsius ignis ardebit.* Qui mendicitatem seu artem profitetur, is pudore prorsus caret, turpissimâque hac arte delectatur; cùmque

(r) *Psal.* XXVI, 1, 2, 3. (s) *Psal.* XXXIII, 11. (t) Καὶ ὑπὲρ πᾶσαν δόξαν ἐκάλυψεν αὐτόν. (u) Τέκνον, ζωὴν ἐπαιτήσεως μὴ βιώσῃς. Κρεῖσσον ἀποθανεῖν, ἢ ἐπαιτεῖν. (x) *Levit.* XXVI, 16. (y) *Psal.* CVIII. (z) *Deut.* XV, 4. (α) *Psal.* XXXVI. (β) Ἀνὴρ βλέπων εἰς ἀλλοτρίαν τράπεζαν, οὐκ ἔχει βίον ἐν λογισμῷ ζωῆς, ἀλισγήσει ψυχὴν αὐτοῦ ἐν ἐδέσμασιν ἀλλοτρίοις. (γ) Ἐν στόματι ἀναιδοῦς γλυκανθήσεται ἐπαίτησις, καὶ ἐν κοιλίᾳ αὐτοῦ πῦρ καήσεται. *Jans. Raban. Syr. alii legunt*: Impudentis, *pro* imprudentis.

que fame pereat, & viſcera igne vorentur (δ), laborem amplecti ignavus renuit, quo inopiam levet. Teſtis profectò experientia eſt, plerumque viliſſima hæc capita, quæ urbes ac Regiones mendicando concurſant, ita eam artem amare, ut nullius rei cauſâ ſit abdicatura. Turpem libertatem & inertiam, quamquam innumeris ærumnis & malis obnoxiam, malunt, quàm quæſitos labore cibos, vitamque honeſtiùs inſtitutam. Apud Lacedæmones probri atque infamiæ loco mendicitas erat, nulliſque apud illos mendici habebantur. Jubet Plato (ε) hoc hominum genus Magiſtratuum ſanctione ex urbe excludi.

CAPUT XLI.

Mors alteri optanda, formidabilis alteri. Impiorum filii. Bonum vita præferendum. Bona malaque verecundia. Quædam homini probroſa.

℣. 1. O Mors quàm amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis:

℣. 2. Viro quieto, & cujus viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum!

℣. 3. O mors, bonum eſt judicium tuum homini indigenti, & qui minoratur viribus,

℣. 4. Defecto ætate, & cui de omnibus cura eſt, & incredibili, qui perdit patientiam!

℣. 5. Noli metuere judicium mortis. Memento, quæ ante te fuerunt, & quæ ſuperventura ſunt tibi: hoc judicium a Dño omni carni.

COMMENTARIUS.

℣. 1. O MORS, QUAM AMARA EST MEMORIA TUA HOMINI HABENTI PACEM IN SUBSTANTIIS SUIS!... O MORS, BONUM EST JUDICIUM TUUM HOMINI INDIGENTI, ET QUI MINORATUR VIRIBUS. Homini, cui felix rerum copia eſt, ætas florens, amica fortuna, graviſſimæ calamitatis loco mors exiſtimatur. At is, cui malæ anguſtæque res ſunt, ætas decrepita, intolerabilis negotiorum turba, & nullus curarum particeps, malorum finis ac felicitas eximia eſt (a).

O vita miſero longa, felici brevis!

Ubi jucundè vivere deſieris, ſuavis eſſe incipit mors, inquit Menander (b). Attamen verum eſt, hominem naturâ ita a morte abhorrere, eoque ſtudio vitam quærere, ut miſerrimus licèt, nunquam ex animo mortem optet, teſte Æſopi fabulâ, de ſene, qui cùm gravi lignorum ſarcinâ opprimeretur, mortem invocavit: ubi enim illa vocanti adfuit, ſtatim illum voti pœnituit. Hoc igitur vult Sapiens, neminem non mortem vereri, ceu malorum peſſimum; omnium autem maximè formidabilem locupletibus eſſe, & iis qui proſperâ valetudine fruuntur: quamobrem non magnopere vitam hanc aut hujus vitæ bona eſſe amanda, & frequenter de morte cogitandum, veluti eâ quæ vitari nequit, & nunquam proxima eſſe deſinit.

HOMINI PACEM HABENTI, qui proſperis rebus utitur; pax enim Hebræis eſt bonorum omnium complexio.

℣. 2. VIRO QUIETO, ET CUJUS VIÆ DIRECTÆ SUNT, ET ADHUC VALENTI ACCIPERE CIBUM. Græcus (c): *Viro quem nihil inquietat, cui cuncta ſuccedunt proſperè, cui appetitus nondum proſtratus jacet.*

℣. 3. O MORS, BONUM EST JUDICIUM TUUM HOMINI INDIGENTI! *Judicium* hoc loco eſt mortis ſententia adverſùs omnes homines in Adamo pronunciata, vel inevitabile mortis fatum; ſeu denique Lex & præceptum, quo omnes homines morti ſubjiciuntur.

℣. 4. DEFECTO ÆTATE, ET CUI DE OMNIBUS CURA EST, ET INCREDIBILI, QUI PERDIT PATIENTIAM. Græcus decrepitum ſenem ſignificat (d), cui omnia incumbunt, nemine curarum participe, cui nulla recuperandæ valetudinis ſpes eſt; vel denique, qui nemini credit, ſenum more, qui parum cuiquam credunt, atque omnia verentur, ac facilè iraſcuntur. Hominem his malis obſitum nullo vitæ deſiderio mortem oppetere, quid mirum eſt?

℣. 5. NOLI METUERE JUDICIUM MORTIS: MEMENTO QUÆ ANTE TE FUERUNT, ET QUÆ SUPERVENTURA SUNT TIBI. Communis eſt ſententia, qua omnes morte damnamur; ac lex eſt, qua nemo immunis habetur: libenter igitur ſubeunda eſt. Nihilo meliores ſumus iis, qui eam legem ſubierunt, ac deinceps ſubituri ſunt. Hujus tamen neceſſitatis meditatio ſatis ſecuros minimè nos facit, omnemque mortis metum non ſedat: illius tamen horror multorum numero minuitur; nobiſque addi animus debet, dum inutilem eſſe periculi metum cernimus (e); uti fermè in prælio uſuvenit, ubi præſens certumque mortis diſcrimen,

(δ) *Ovid.* .... *Furit ardor edendi,*
Perque avidas fauces, immanſaque viſcera regnat...
Utque rapax ignis non unquam alimenta recuſat, &c.

(ε) *Plato l. XI de Legib.* Ὅπως ἡ χώρα τοῦ τοιούτου ζώου καθαρὰ γίγνηται τὸ παράπαν. (a) *Senec.*

(b) *Menand.* ...... Ἡδὺ δὲ ἀποθνήσκειν ὅτῳ
Ζῆν μὴ παρέσθ' ὡς βούλεται.

(c) Ἀνδρὶ ἀπερισπάστῳ, καὶ εὐοδουμένῳ ἐν πᾶσι, καὶ ἔτι ἰσχύοντι ἐπιδέξασθαι τροφήν.

(d) Ἐσχατογήρῳ, καὶ περισπωμένῳ περὶ πάντων, καὶ ἀπειθοῦντι, καὶ ἀπολωλεκότι τὴν ὑπομονήν.

(e) *Senec. de Provid. c. 5: Stultum eſt timere quod vitare non poſſis. Stultum eſt dolere in ejus conditione ſe eſſe, in qua nemo non eſt. Solatium eſt grande cum univerſo unà rapi.*

℣. 6. Et quid superveniet tibi in beneplacito Altissimi? sive decem, sive centum, sive mille anni.

℣. 7. Non est enim in inferno accusatio vitæ.

℣. 8. Filii abominationum sunt filii peccatorum, & qui conversantur secùs domos impiorum.

℣. 9. Filiorum peccatorum periet hæreditas, & cum semine illorum assiduitas opprobrii.

℣. 10. De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio.

℣. 11. Væ vobis, viri impii, qui dereliquistis legem Domini Altissimi.

℣. 12. Et si nati fueritis, in maledictione nascemini: & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra.

℣. 13. Omnia, quæ de terrâ sunt, in terram convertentur: sic impii (a maledicto) in perditionem.

℣. 14. Luctus hominum in corpore ipsorum, nomen autem impiorum delebitur.

COMMENTARIUS.

men, partâ desperatione, metum pellit, atque in constantiam vertit.

℣. 6. Et quid superveniet tibi in beneplacito Altissimi. Id tibi eveniet, quod visum Deo fuerit. Græcus (f): *Cur versus quod Altissimo placet?* Jam diu dicta est sententia: quicquid ulteriùs vixisti, id tibi spontè largitus est Deus.

℣. 7. Non est in inferno accusatio vitæ. Non exprobrabitur tibi apud Manes, quòd parum aut diu vixeris. Hæc jungenda sunt cum præcedentibus: Quòd decem aut centum vel mille annos vixeris, id nemo apud mortuos curabit, aut tibi diem ob eam rem dicet. Diuturnæ aut brevis vitæ nemo te arguet; aut ob vitam in terris actam invidebit. Apud Manes, nulla senectutis, ætatis aut conditionis dignitas est. Quàm bene, non quàm diu vixeris, quæretur.

℣. 8. Filii abominationum sunt filii peccatorum. Mala parentum exempla & institutio malos filiorum mores animique sententias pariunt. Mali parentis filius plerumque nequior patre est; & flagitia e sobole in sobolem transiens in dies augetur (g).

Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Græcus ita potest intelligi (h): *Impiorum filii vitiosi nascuntur, & sunt conversantes in viciniâ impiorum.* Illorum vivendi ratio proxima flagitiosissimis est. Frequenter in manifestam impietatem feruntur. Non consistunt mala exempla ubi incipiunt.

℣. 10. De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio. Qui filiis hoc solùm dat, ut ortum e turpi genere, nomenque probrosum atque odiosum ferat, is profectò liberorum hostis potiùs dicendus est, quàm parens. Qui verò hæreditatis loco pessima exempla relinquit, ipsosque filios iræ atque exitio obnoxios facit, dum sive pessimè instituit, sive suâ prorsus in potestate permittit, is certè liberorum carnifex ac parricida, non pater, appellandus est. Optimo igitur jure liberi talem parentem sævitiæ atque inhumanitatis apud Deum traducent. *Ex iniquis filii qui nascuntur, testes sunt nequitiâ adversùs parentes (i).*

℣. 12. Si nati fueritis, in maledictione nascemini; et si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra. Impios alloquitur. Nascentes maledicto, morientes execrationi eritis. Utilius fuit minimè nasci, quàm ita nasci, ut semper miseri ac flagitiosi viveretis. Nonne optandum erat, tales homines lucis usurâ nunquam potiri, ceu Cainum, Achitophelem, Jeroboamum Israëlis Regem, Judam (k), Antiochum Epiphanem, Hæresiarchas? Nonne verum est, illos in ipso ortu, vitâ atque obitu obnoxios esse execrationi? Agens de Chananæis Sapiens, ait malam esse illorum stirpem, insitamque illorum naturæ nequitiam. Converti in bonum e malo illorum ingenium nequit: gens est ab initio exsecrabilis (l). Grotius ita Græcum emendat (m): *Si ingens soboles vobis fuerit, genueritis ad exitium liberos: ubi moriemini, exsecrandis annumerabimini.* Græci Codices plures non habent hunc versiculum. Alii legunt: *Si multi fueritis, id exitio vobis erit; & si nati fueritis, id in exsecrationem vobis erit: & si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra.*

℣. 13. Omnia quæ de terra sunt, in terram convertentur; sic impii a maledicto in perditionem. *Maledictum* in Græco deest. Ut omnia quæ oriuntur ex humo, in humum naturâ suâ revertuntur: ita impii suo pondere in exitium ruunt. Hoc illorum fatum est, atque hic finis. Quidlibet ad sua principia per se convertitur. Vide supra, xl, 11: *Omnia quæ de terrâ sunt, in terram convertentur, & omnes aquæ in mare revertuntur.*

℣. 14. Luctus hominum in corpore ipsorum: nomen autem impiorum delebitur. Quædam officia sunt, quæ nemini denegantur. Lacrymæ

(f) *Καὶ τί ἐπανέλθῃ ἐν εὐδοκίᾳ ὑψίστου;* (g) *Horat. lib.* 3, *Ode* 6. (h) Τέκνα βδελυρὰ γίνεται τέκνα ἁμαρτωλῶν, καὶ συναναστρεφόμενα παροικίαις ἀσεβῶν. (i) *Sap.* iv, 6. (k) *Matth.* xxvi, 24: *Melius ei erat, si natus non fuisset homo ille.* (l) *Sap.* xii, 10. (m) *Complut. & Rom.* Ἐὰν γεννηθῆτε, εἰς κατάραν γεννηθήσεσθε. Καὶ ἐὰν ἀποθάνητε, εἰς κατάραν μερισθήσεσθε. *Alii apud Hœschel.* Ἐὰν γὰρ πληθυνθῆτε, εἰς ἀπώλειαν. Καὶ ἐὰν γεννηθῆτε, εἰς κατάραν γεννηθήσεσθε. Καὶ ἐὰν ἀποθάνητε, εἰς κατάραν μερισθήσεσθε. *Abest totus a plerisque. Grot. hic emendat*: Ἐὰν γὰρ πληθυνθῆτε εἰς ἀπώλειαν γενήσεται. Καὶ ἐὰν ἀποθάνητε, εἰς κατάραν μερισθήσεται.

℣. 15. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri pretiosi & magni.

℣. 16. Bonæ vitæ numerus dierum: bonum autem nomen permanebit in ævum.

℣. 17. Disciplinam in pace conservate, filii: sapientia enim abscondita, & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?

℣. 18. Melior est homo, qui abscondit stultitiam suam, quàm homo, qui abscondit sapientiam suam.

℣. 19. Verumtamen reveremini in his, quæ procedunt de ore meo.

℣. 20. Non est enim bonum omnem reverentiam observare: & non omnia omnibus bene placent in fide.

℣. 21. Erubescite a patre & a matre de fornicatione: & a præsidente, & a potente de mendacio:

COMMENTARIUS.

erymæ vel impiis morientibus persolvuntur: at illorum memoria statim perit (n): *Periit memoria eorum cum sonitu*. In cæteris hominibus una corporis mors lugetur; at in impiis & animæ & corporis interitus ploratur. Græcus (o): *Luctus hominum corpori ipsorum* persolvitur: *nomen verò malum hominum delebitur*. Maledictis obnoxium solummodò erit, eaque ipsa infamis memoria non diu vivet.

℣. 15. CURAM HABE DE BONO NOMINE: HOC ENIM MAGIS PERMANEBIT TIBI, QUAM MILLE THESAURI PRETIOSI ET MAGNI. Ad parem Salomonis sententiam respicit (p): *Melius est nomen bonum, quàm divitiæ multæ*. Optima nominis fama quibuslibet opibus pretiosior est. Vitæ hujus bona obnoxia exitio sunt, nos verò mortales sumus: illustris tamen fama æternùm vivit, nosque diu superstites vel post obitum servat. Gloriam unusquisque naturæ ductu amat; idque luculentissimum est argumentum, quo animæ hominum immortalitas demonstretur. Hujusmodi cupiditatem minimè spernit Sapiens; non quòd hominum existimationem, plerumque iniquam, inconstantem ac temerariam, magni faciat; sed famam amat ceu bonum quod virtutem, ceu corpus umbra, sequitur & comitatur. Umbram corporis causâ, non corpus umbræ causâ æstimat.

℣. 16. BONÆ VITÆ NUMERUS DIERUM: BONUM AUTEM NOMEN PERMANEBIT IN ÆVUM. Hæc amandæ gloriæ causa est. Sapientissimorum ac piissimorum hominum vita brevis est; at ubi obierint, in hominum memoriâ vivunt, superstite famâ, quam sibi comparavere. *Numerus dierum*, vel *dies numeri* plerumque pro modico dierum numero usurpantur (q).

℣. 17. DISCIPLINAM IN PACE CONSERVATE, in rebus prosperis institutiones meas custodite. Disciplinæ severitatem, cùm res prosperè cedunt, ne remittite (r). Tunc enim maximè opus est prudentiâ & circumspectione. Alii ita interpretantur (s): Sedato ac tranquillo animo institutiones meas excipite: docilesque illis aures, ac mentem affectuum tumultu liberam adhibete, ac penitus obtemperate. Grates agit Patri Christus, quòd instituta & arcana sua parvulis aperuerit, eademque superbos celaverit (t).

SAPIENTIA ENIM ABSCONDITA, &c. In prosperis rebus sapientia maximè elucet; in adversis enim unusquisque sibi cavet, modumque & animo & cupiditatibus ponit. Qui modestiam atque animi æquitatem in prosperis rebus servare novit, is sese plurimùm virtutibus profecisse demonstrat. Hic versiculus, & qui sequuntur, apertissimis verbis habentur superiùs, XX, 32, 33. Vetus est adagium (u): *Nulla est obscuræ & mutæ musicæ utilitas*. Iis quæ nosti, utendum est ubi res postularit.

℣. 19. REVEREMINI IN HIS QUÆ PROCEDUNT DE ORE MEO. Nonnulla in consequentibus præcipit Author, non modò ut ea quæ turpia sunt a minimè turpibus secernat, verùm etiam ea quæ plus minusve ad honestatem accedunt; deque iis agit, quæ rei probrum aut minuunt aut augent. Ut enim idem ait ℣. 20: *Non est bonum omnem reverentiam observare*, iniquum est de qualibet re erubescere: *& non omnia omnibus bene placent in fide*, & quædam bona sunt, quæ non omnibus placent. Græcus (x): *Non est* bonum *omnem pudorem vitare, & non omnia omnibus placent in fide bonâ*. Non semper sincerè fatemur, quid placeat vel secus, quid laudabile sit, quid probrosum. Legit Grotius: Non de omnibus erubescendum est, neque incredulum omnibus esse decet. Mala quædam verecundia est, malaque diffidentia.

℣. 21. ERUBESCITE A PATRE ET A MATRE DE FORNICATIONE. Quicquid obscœnum pudori esse debet, præsertim verò apud parentes. Injuriam illis facis, debitoque obsequio dees, ubi aliquid obscœni patraveris, nedum iis præsentibus, sed ita ut eos id intellecturos esse prævideas. Quodammodo enim illos negligentiæ liberis instituendis damnas, vel datas ab ipsis institutiones spernis. Nisi pudor homines coërceat, jam nullus erit sceleri ac licentiæ modus.

A PRÆSIDENTE, DE MENDACIO. Principes ac Magistratus ii sunt, quorum maximoperè interest, ut veritatem agnoscant, minimèque falli sese patiuntur. Sacra & inviolabilis in iis est persona, & dignitas. Tunc verò nullatenus coram iis mentiendum est, cùm dignitatis suæ munus exercent; mendacium enim perjurium fit.

℣. 22. A PRIN-

(n) *Psal.* IX, 7.

(o) Πένθος ἀνθρώπων ἐν σώματι αὐτῶν· ὄνομα δὲ ἁμαρτωλῶν οὐκ ἀγαθὸν ἐξαλειφθήσεται.

(p) *Prov.* XXII, 1. (q) *Vide Sup.* XXXVII, 28; *Eccle.* II, 3; V, 17; VI, 1, *&c.* (r) *Tig. Grot. alii.*

(s) *Lyr. Dionys. Jans. Cornel.* (t) *Matth.* XI, 25. (u) Οὐδὲν ὄφελος ἀπόρρητα, καὶ ἀφωνίας τῆς μουσικῆς. *Lucian. Vide & Sueton. in Nerone, c.* 20. (x) Οὐ γάρ ἐστι πᾶσαν αἰσχύνην διαφυλάξαι καλόν, καὶ οὐ πάντα τοῖς πᾶσιν ἐν πίστει εὐδοκιμεῖται. *Grot. legit*: Καὶ οὐ πάντα πᾶσιν ἀπιστεῖν εὐδοκιμεῖται, *Non est laudabile in omnibus esse incredulum*.

℣. 22. A principe & a judice, de delicto: a synagogâ & plebe, de iniquitate:

℣. 23. A socio & amico, de injustitiâ: & de loco, in quo habitas,

℣. 24. De furto, de veritate Dei, & testamento: de discubitu in panibus, & ab obfuscatione dati & accepti:

℣. 25. A salutantibus de silentio: a respectu mulieris fornicariæ: & ab aversione vultûs cognati.

℣. 26. [Ne avertas faciem a proximo tuo,] & ab auferendo partem, & non restituendo.

℣. 27. Ne respicias mulierem alieni viri, & ne scruteris ancillam ejus, neque steteris ad lectum ejus.

℣. 28. Ab amicis de sermonibus improperii: & cùm dederis, ne improperes.

COMMENTARIUS.

℣. 22. A PRINCIPE, DE DELICTO; is enim flagitium punit, & flagitiosos odit. Si te flagitiosum noverit, te minimi faciet, tibique non credet.

A SYNAGOGA ET A PLEBE, DE INIQUITATE. Ea quippe tuæ famæ nocebit, & pœnam minimè fugies. Omnis in te multitudo conspirabit, & lapidibus obruet. Memento Roboami Regis Judæ, qui multitudinem temerario responso irritavit (y).

℣. 23. DE LOCO IN QUO HABITAS, DE FURTO. Facillimè scelus agnoscitur, & nunquam deletur infamia. Homini furto infami nemo credit.

℣. 24. DE VERITATE DEI ET TESTAMENTO. Eadem verba leguntur Capite XLII, ℣. 4, eaque inde huc irrepsisse putat Jansenius. Plerique ad præcedentia referunt. Maximè omnium te pudeat, quòd Dei veritati ac Fœderi non obtemperaveris. Veritatem mendacio violas, Fœdus cæteris peccatis, quæ Lege vetantur. Alii (z) referunt ad consequentia: Pudeat te veritatem Divinam, que fœdus violare, dum te Numinum cultoribus misces, ut panes carnesque Numinibus oblatas comedas. Aptior tamen est prima explicatio.

DE DISCUBITU IN PANIBUS. Pudeat te cubitum mensæ imponere, dum cœnas (a); nihil enim eâ re illiberalius. Rerum mensæ impositarum, quæ dona Dei sunt, & convivarum ratio habenda est. Nostri Scriptoris ætate, convivæ in lectis convivalibus discumbentes, cubitoque innixi cibum capiebant. Illiberale autem erat, stationis suæ fines prætergredi, cubito in mensam porrecto; id enim nimiæ aviditatis, aut arrogantiæ, hominisque convivas minimi facientis argumentum erat.

AB OBFUSCATIONE DATI ET ACCEPTI, a fraude in contractibus (b). Bonâ fide da & accipe. Fraus adhiberi in commercio potest, ubi vel malas merces obtrudis, vel justo minus, aut seriùs citiùsve quàm par est; atque ubi plus accipis quàm debetur, aut tempore incommodo danti exigis. In dato etiam & accepto fraudas, ubi rationes fide non bonâ ducas, ac plus scribas, quàm vel accipis vel das. Denique creditores fraudantur, negatâ dilatâve solutione, aut decoctione, &c. Sunt, quibus *obfuscatio* est malum nomen. Bonam nominis tui famam aut fraudis suspicione aut malâ fide violari ne patiare.

℣. 25. A SALUTANTIBUS, DE SILENTIO. Pudeat te non resalutare salutantem. Quoddam debiti genus est: salutantibus reddenda est salutatio. Facilis esto salutator, inquit Isocrates (c). Nemo te salutatione prævertat: quòd si alter te priùs salutaverit, ne desis officio. Putat Salazar (d), hunc locum simile esse alteri e Proverbiis: *Qui benedicit proximo suo voce grandi, de nocte consurgens, maledicenti similis erit*. Censet autem, vetare hoc loco Sapientem, nequis salutatum eat noctu & incommodo tempore; ita enim te molestum exhibes, & gratis inimicos tibi facis eos, quos amicos facere voluisti. Hæc tamen interpretatio exquisitior æquo est.

A RESPECTU MULIERIS FORNICARIÆ. Pudeat te vel aspicere quam execrari debes. Verere, ne mors in animam per fenestras (e), per oculos scilicet, ingrediatur. Scito denique, illum qui fœminam ex malo animi desiderio aspiciat (f), jam mente corruptum esse, & coram Deo æquè criminis reum, atque reverâ constuprarit. Castus esse debet Sapienti oculus, uti corpus totum.

AB AVERSIONE VULTUS COGNATI. Te ne pudeat quemquam e propinquis agnoscere, ubi illo ditior aut major conditione sis (g). Vel: Opem illis ferre, illumque in rebus asperis juvare ne recuses. Vultum avertere ab aliquo, indicium contemptûs aut repulsæ est. Græcus significat (h): *Ne avertas faciem proximi tui*; vel, *Ne avertas faciem a proximo tuo*. Utrumque autem pro repulsâ usurpatur (i).

℣. 26. AB AUFERENDO PARTEM, ET NON RESTITUENDO. Pudeat te alteri auferre quod illius est, ac minimè restituere. Non modò iniquum est, verùm etiam indignum ac turpe alienas opes auferre, & cùm habes, non restituere. Græcus (k): Pudeat te *parte suâ aut re datâ alterum spoliare*; vel *parte quæ illi debetur*.

℣. 27. NE SCRUTERIS ANCILLAM EJUS, uxoris aut mariti. Græcus (l): *Pudeat te curiosè inspicere ancillam alienam*. Herus enim curiositate tuâ irritabitur.

℣. 28. AB AMICIS, DE SERMONIBUS IMPROPERII: ET CUM DEDERIS, NE IMPROPERES. Confer quæ prædicta sunt capitibus XXII, 25, 27; XVIII, 18; XX, 15.

CA-

(y) 3 Reg. XII. (z) *Palacius*.
(a) Ἀπὸ θέσεως ἀγκῶνος ἐπ' ἄρτοις. (b) Ἀπὸ σκορπισμοῦ λήψεως καὶ δόσεως. *Hesych.* Σκορπισμός, χλευασμός, ἀπάτη, φαυλισμός, ἀποδοκιμασία. (c) *Isocrat. ad Demonic.* (d) *Salazar. in Prov.* XXVII, 14. (e) *Jerem.* IX, 21. (f) *Matth.* V, 28. (g) *Vatab. Confer Isai.* LVIII, 7.
(h) Ἀπὸ ἀποστροφῆς προσώπου ἀνθρώπου συγγενοῦς. (i) *Psal.* XXXI, 10; XLI, 2; XXI, 25; XXX, 17; XLIII, 27, *& passim*. (k) Ἀπὸ ἀφαιρέσεως μερίδος καὶ δόσεως. (l) Ἀπὸ περιεργείας παιδίσκης αὐτοῦ. *Quid.* Ἀπὸ περιεργίας, καὶ παιδίσκης. *Ms. Heidelb.* Παιδίσκης αὐτῆς.

CAPUT XLII.

Pergit de iis quæ probrosa sunt. Patrisfamilias vigilantia in rem familiarem, filios, servos, præsertim verò in filias uxoresque. Dei operum laus.

℣. 1. NON duplices sermonem auditûs, de revelatione sermonis absconditi, & eris verè sine confusione, & invenies gratiam in conspectu omnium hominum: ne pro his omnibus confundaris, & ne accipias personam, ut delinquas.

℣. 2. De lege Altissimi, & testamento, de judicio justificare impium,

℣. 3. De verbo sociorum, & viatorum, & de datione hæreditatis amicorum,

℣. 4. De æqualitare stateræ, & ponderum, de acquisitione multorum & paucorum,

COMMENTARIUS.

℣. 1. NON UUPLICES SERMONEM AUOITUS, OA REVELATIONA EERMONIS ASSCONDITI. Quæ ipse intellexisti, ne cæteris narres, neque res secretas aperias. Hæc ita jungenda sunt cum Capite superiori (a): *Pudeat te aaeeare & pro certis affirmare quæ audisti: pudeat arcana aliis credere. Duplicare*, vel *iteraee seemonem*, quæ loquendi forma ter in hoc loco occurrit ,pro repetere, referre, jurgari, vel litigare, hoc sensu hìc usurpo. Tres hosce locos accipe. *Noli verbosus esse in maltitudine presbytererum, & non iteres verbum in eratione tuâ* (b). Alibi (c): *Ne iteres verbum nequam & durum, & non minoraberis*; ne durè & illiberaliter respondeas: ita enim obnoxius exitio non eris. Et (d): *Corripe peoximam, ne fortè uen dixerit: & si dixerit, ne fortè iteeet*; ne iterum peccet, idem denuo faciat. Hoc loco tria interdicit Autbor, quæ in unam fermè eamdemqoe rem recidunt: Primum, ne delator sis; alterum, ne audita narres; tertium, ne arcana aperias. Duo priora, unum in Vulgatâ suot. Tum quæ videntur, tum quæ audiuntur, narrationis argumentum sunt. Generatim obtrectationes ac delationes veras aut falsas damnat.

ET ARIS VERA SINA CONFUSIONE. Si harum rerum, quæ verè turpes sunt, te pudeat, vero probro, quod ex rebus male gestis oritur, carebis. Græcus (e): *Et eris veeè verecuudus*. Pudebit te earum rerum, quæ revera pudori sunt: uti enim prædiximus, duplex vereundiæ genus est, honum & malum. In præcedentibus ea eoumeravit, quæ probro esse debent. In consequentibus ea recenset, quæ pudori esse non debent. Si rei bonæ te pudeat, malus pudor est; impudentia verò, nisi pudeat mali.

NE PRO HIS OMNIBUS CONFUNDAAIS, ET NE ACCIPIAS PERSONAM UT DELINQUAS. Hæc prima res est, in quâ constantiam exhibere debes, &, si dicere fas est, piam impudentiam, æream frontem, invictum animi robur. Id olim præcepit Jeremiæ Deus, cùm illum suo nomine mitteret (f): *Ecce constitui te bodie super gentes & super regna, ut evellas & destruas, & dispeedas & dissipes, & ædifices & plantes. Ne formides a facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te bodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum aneum supee omnem terram regibus Juda, principibus ejus, & sacerdotibus, & populo terræ.* Is esse debet pius homo & judex, intrepidus, immobilis, incorruptus, jus unicuique reddens, nullo cujuspiam timore, aut potentiorum metu.

℣. 2. DE LEGE ALTISSIMI, ET TASTAMENTO. Te ne pudeat Divinæ Legis ac Fœderis. Dixit mox (g), probrosum esse, si legem & Altissimi fœdus violaveris. Hic iisdem verbis, sed alio sensu docet, minimè probri loco habendas esse, Dei Legisque observantiam, integramque iis rebus obedientiam, quæ præcipit Deus, & eorum quæ Deo debemus executionem. Hoc primum est omnium hominis officiorum, ipsi homini gloriosissimum.

ET OE JUOICIO JUSTIFICARA IMPIUM. Ne pudeat obloqui sententiis eorum, qui id agunt ut nocentem absolvant. Constanter iniquitati repugnato, neque verearis impietati & injustitiæ resistere, ubi eam certò noveris: neque te metus, amicitia, cupiditas, aut ullius obsequium cohibeant, quin æquum jus prosequaris. *Quod justum est, judicate*, ait Deus (h), *sive civis sit ille, sive peregeinus. Nulla erit distantia peesonarum: ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam, quia Dei judicium est*: Dei loco vos estis.

℣. 3. DE VERBO SOCIORUM AT VIATOAUM. Æqualem sententiam ferto inter amicum & ignotum, domesticum & alienum. *Verbum* (i) accipi hoc loco potest pro causâ, re, lite civis & peregrini. Alii hoc modo interpretantur (k): Ne pudeat, comem te blandumque viæ comitibus, aut iis quos in itinere obvios habes, exhibere. Quicquid illi dixerint, bonam in partem accipe, ac sermone moribusque suavibus comites pro viribus oblecta. Prior explicatio cum præcedentibus meliùs congruit.

DE OATIONE HÆREOITATIS AMICORUM. Te ne pudeat, amicos hac in re tueri, ubi æquum jus id ex te flagitat. Aliter: Te ne pudeat, amicos hæredes instituere, quamvis id ægrè ferant propinqui. Necujus metus te impediat, quin istud constantis amicitiæ tuæ argumentum illi exhibeas. Aliter: Te ne pudeat, amici hæreditatem pro illius voluntate distribuere, atque ex testamento, spretis propinquorum ac seditiosorum dicteriis (l).

℣. 4. DE ÆQUITATE STATERÆ ET PONDERUM, DA ACQUISITIUNE MULTOAUM ET PAUCORUM. Ne pudeat

(a) Αἰσχύνεσθε ..... καὶ ἀπὸ δευτερώσεως, καὶ λόγου ἀκοῆς, καὶ ἀποκαλύψεως περὶ λόγων κρυφίων.
(b) *Eccli.* VII, 15. (c) *Eccli.* XIX, 7. (d) *Ibidem*, ℣. 13. (e) Καὶ ἔσῃ αἰσχυντηρὸς ἀληθινῶς.
(f) *Jerem.* 1, 10, 18. (g) *Eccli.* XLI, 24. (h) *Deut.* 1, 16. (i) Περὶ λόγου κοινωνοῦ, καὶ ὁδοιπόρων.
(k) *Grot. Tigur. Vatab. Palac.* (l) *Tig. Cornel. a Lapide.*

℣. 5. De corruptione emptionis, & negotiatorum, & de multâ disciplinâ filiorum, & servo pessimo latus sanguinare.

℣. 6. Super mulierem nequam bonum est signum.

℣. 7. Ubi manus multæ sunt, claude: & quodcumque trades, numera, & appende: datum verò & acceptum omne describe.

℣. 8. De disciplinâ insensati, & fatui, & de senioribus, qui judicantur ab adolescentibus: & eris eruditus in omnibus, & probabilis in conspectu omnium virorum.

℣. 9. Filia patris abscondita, est vigilia, & solicitudo ejus aufert somnum, ne forte in adolescentiâ suâ adulta efficiatur, & cum viro commorata odibilis fiat:

COMMENTARIUS.

pudeat justo pondere & staterâ uti, neque justitiam tum in parvis, tum in majoribus lucris sequi. Justitiam fidemque in commercio de levibus gravibusque rebus exerce. Æquam ubique lancem habeto, spretis iis qui studium ac religionem tuam vituperarint. Aliter: Ne importunè erubescas, ubi fides & integritas ponderum ac mensurarum servanda est. Publicæ rei est, ut fides in commercio servetur. Neque te pudeat aliquid lucri facere, ubi honestè & justè potes, parvum licèt aut magnum: invidiam sperne, si ingens lucrum tibi occurrat: neglige dicteria, si quod quamvis modicum tibi lucrum offeratur. Importuna verecundia frequenter fortunis & rebus nocet.

℣. 5. DE CORRUPTIONE EMPTIONIS ET NEGOTIATORUM. Te ne pudeat; flagitia mercatorum corrigere. Hoc ad Magistratus pertinet. Potest etiam de emptore accipi. Te ne pudeat, vilissimum pretium emendo quærere. Græcus (m): *De discrimine venditionis mercatorum*. Probrosum non est, multos adire venditores, ut eum eligas, qui viliùs vendit. Aliter: Te ne podeat *pecunia* (n), vel pretii rerum venditarum. Turpe non est, rerum quas emis, pretium flagitare. Vel (o): Te ne pudeat *pecuniæ, venditionis, & mercatorum*. Cùm accipienda est pecunia, turpe non est singulos nummos periclitari, explorare, ad libellam expendere, numerare: ubi emas, mercimonium visere, & ea respuere quæ inutilia sunt: denique, ubi cum mercatoribus agendum est, nihil negligere, ut fidei illorum integritas, & mercimonii probitas tibi explorata sit. Optima omnium mihi videtur hæc explicatio. Græci codices quidam legunt (p): *De corruptione venditionis & mercatorum*. Vertunt alii: *De discrimine venditionis*. Altera tamen lectio nibil est præter mendum; altera oritur ex ignoratione sensûs, quo Græca vox *Diaphoron*, sive *adiaphoron* apud hunc Scriptorem usurpatur: ubique enim pecuniam significat.

DE MULTA DISCIPLINA FILIORUM, ET SERVO PESSIMO LATUS SANGUINARE. Nullus horum pudor esse debet. Si pater filiorum animadversioni operam det, suum erga illos amorem ac studium ostendit: si servum castiget, sese recto familiæ ordini studere demonstrat. Parcere labori posset, vendito servo, aut crimine dissimulato. Animadverte hîc severitatem, qua Veteres erga hoc hominum genus utebantur, atque Hebræorum morem, servorum latera virgis cædendi. Vide *Eccli.* XXX, 12: *Funde latera ejus, dum infans est*.

℣. 6. SUPER MULIEREM NEQUAM BONUM EST SIGNUM. Omnia clavi obsignata servare expedit, ubi mala mulier est. Hæc altera res est, cujus te pudere non decet. *Signum* (q) hoc loco sigillum est, quo obsignari solebant ea, quæ servanda erant cauteque custodienda. Sapientis patrisfamilias non est ipsi uxori cujuslibet rei custodiam credere, ubi præsertim uxor parum sana aut proba sit.

℣. 7. UBI MANUS MULTÆ SUNT, CLAUDE; ET QUODCUMQUE TRADES, NUMERA ET APPENDE. DATUM VERO ET ACCEPTUM OMNE DESCRIBE. Maximi momenti sunt hæc præcepta, magnis præsertim in familiis, ubi ingens domesticorum numerus est. Sapiens paterfamilias omnia in numerato habet, atque omnia cautus tuetur, non tam metûs aut avaritiæ causâ, quàm ut ne domesticos periculo fraudandi exponat, & turbas arceat, quæ ex heri incuriâ plerumque nascuntur. Eadem monita passim apud Græcos Latinosque occurrunt, qui de rebus Oeconomicis disputavere.

℣. 8. DE DISCIPLINA INSENSATI ET FATUI, ET DE SENIORIBUS QUI JUDICANTUR AB ADOLESCENTIBUS. Te ne pudeat, insanum fatuumque castigare, & damnare senes, qui a junioribus judicantur. Nunquam turpe est impios insanosque qualibet ætate & conditione punire & castigare. Si quis senex adolescentis more vivit, atque adolescentium moribus ac sententiis damnatur, illum unà damnare ne verearis. Memento Danielis sententiæ, in presbyteros Juda pronunciatæ (r). Græcus (s): Te ne pudeat *castigare insanum & fatuum & decrepitum, qui judicatur*, vel certat *cum adolescentibus*; vel, insanum punire, ac tueri senem a juvenibus damnatum. Seu denique: Ne te pudor impediat, quin moneas senem, qui cum juvenibus certare non recusat: indignum quippe hac ætate est, jurgia cum adolescente vel puero miscere.

℣. 9. FILIA PATRIS ABSCONDITA, EST VIGILIA EJUS. Filia innupta, virgo, nondum paternas ædes egressa. Puellæ innupta apud Hebræos *Halma*, scilicet abscondita, dicebatur; paternas enim intra ædes absconditæ, atque a virorum consuetudine & aspectu remotæ servabantur, priusquam in sponsi domum migrarent (t). Nunquam non solicitus me-

(m) Περὶ διαφόρου πράσεως ἐμπόρων.

(n) Διάφορον pro pecuniâ usurpatur 2 *Macc.* I, 35; III, 6. Ἀδιάφορον, vel διάφορον, idem significat *Eccli.* VII, 19: Μὴ ἀλλάξῃς φίλον ἕνεκα ἀδιαφόρου. *Et* XXVII, 1: Χάριν ἀδιαφόρου πολλοὶ ἥμαρτον. (o) Περὶ ἀδιαφόρου, πράσεως, καὶ ἐμπόρων. *Vide sup.* (p) Περὶ διαφθορᾶς πράσεως, vel περὶ διαφθείρου πράσεως. (q) Σφραγίς. Vide *Dan.* XIV, 14, 18, 21; *& Eccli.* XVII, 16; XX, 30.

(r) *Dan.* XIII, 46, *& seq.* (s) Περὶ παιδείας ἀνοήτου, καὶ μωροῦ, καὶ ἐσχατογήρου κρινομένου πρὸς νέους.

(t) עלמה Θυγάτηρ ἀπόκρυφος. *Vide Isai.* VII, 11, 12; 2 *Maccab.* III, 19: Αἱ δὲ κατάκλειστοι τῶν παρθένων. *Philon.* Θαλαμευομένας παρθένους. *Theocrit.* Παρθένος ἐν θαλάμῳ.

℣. 10. Nequando polluatur in virginitate suâ, & in paternis suis gravida inveniatur: ne fortè cum viro commorata transgrediatur, aut certè sterilis efficiatur.

℣. 11. Super filiam luxuriosam confirma custodiam: ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis, a detractione in civitate, & objectione plebis, & confundat te in multitudine populi.

℣. 12. Omni homini noli intendere in specie: & in medio mulierum noli commorari:

℣. 13. De vestimentis enim procedit tinea, & a muliere iniquitas viri.

℣. 14. Melior est enim iniquitas viri, quàm mulier benefaciens, & mulier confundens in opprobrium.

℣. 15. Memor ero igitur operum Domini, & quæ vidi, annuntiabo. In sermonibus Domini opera ejus.

COMMENTARIUS.

metuensque esse debet pater, cui filia nubilis est (u).

Na FORTE IN ADOLESCENTIA SUA ADULTA (x) EFFICIATUR, ET CUM VIRO COMMORATA ODIBILIS FIAT. Veretur pater, ne filia opportuno tempore nuptum non detur; quæ res & parenti & filiæ probrosa erat (y); vel nupta, marito invisa sit, aut repudietur. Vide *Deut.* XXIV, &c.

℣. 10. NEQUANDO POLLUATUR IN VIRGINITATE SUA: nequid peccet, quod ipsius famæ noceat, dum adhuc in paternis ædibus, paternâque sub custodiâ est. Filiæ flagitium in patrem totamque familiam cadit.

Na TRANSGREDIATUR connubii fidem, AUT STERILIS FIAT. Duplicem hanc ob causam repudiari posse filiam videt pater, novasque sibi sollicitudines imminere. Odiosissimum erat apud Hebræos adulterium; convictosque hujus criminis reos lex morte damnabat (z). Ubi sola criminis suspicio esset, Moyses periculum per aquas amaras faciendum instituerat (a); ac frequenter in his casibus, vir repudiandæ uxoris causam quærebat; uti ob sterilitatem, quæ apud Israëlitas probri loco habebatur, ut neminem latet (b). Sterilis uxor nunquam non contemptui habebatur a viro; ipsiusque pater filiæ mœrore non tangi minimè poterat.

℣. 11. SUPER FILIAM LUXURIOSAM FIRMA CUSTODIAM. Ne illius causâ probro ac dedecore apud cæteros homines obruaris; ejusque flagitia tibi vitio dentur: *A detractione in civitate, & objectione plebis*. Græcus (c): *Fabulam in urbe* te faciat, *& accusationem populi*. Ne urbis fabula fias; neque ignaviæ animique imbecillitatis arguat multitudo.

℣. 12. OMNI HOMINI NOLI INTENDERE IN SPECIE. Ne cujusquam seu viri seu mulieris venustatem intuearis. Hoc multo studiosiùs apud Græcos, ac generatim inter Ethnicos monendum erat, apud quos puerorum amor, & turpissima quælibet flagitia in usu erant.

℣. 13. DE VESTIMENTIS PROCEDIT TINEA: ET A MULIERE INIQUITAS VIRI. Uti vestem e lanâ tinea facillimè occupat, & quàm celerrimè vorat: ita mulierum societas & consuetudo concupiscentiæ ignem accendit, quo animæ miserrimè devorantur. Impudicus amor tinea est animam rodens, rubigo paulatim vorans quicquid illa corripuerit. Eò autem gravius damni periculum est, quò obscurius ac tenacius. Patres (d) fœminam magneti comparant. Uti magnes ferrum trahit, ita mulierum consuetudo viros neque sentientes in amorem rapit. Græcus (e): *Ex vestibus procedit tinea; & a muliere pravitas mulieris*. Ipsa sui exitii causa est mulier: sua illi venustas laqueus est: sese illa objicit periculo, dum cæteris periculum creat. Vel: Ita naturalis est fœminæ nequitia, uti lanæ tinea. Hæc explicatio meliùs congruit cum consequentibus.

℣. 14. MELIOR EST INIQUITAS VIRI, QUAM MULIER BENEFACIENS. Utilius est inimicum habere virum, quàm fœminam amicam: minùs enim perniciosum est viri odium, quàm fœminæ suavitas & blanditiæ (f). Sunt qui Græcum reddant: *Melior est viri deformitas, quàm fœmina venustas*. Interdum *malus & bonus* apud Hebræos pro deformi & venusto usurpatur. Alii ad verbum explicant (g): Virorum pessimus optimâ mulierum melior est. Ita Josephus (h), qui hanc sententiam Moysi tribuit, docens, fœminam qualibet in re deteriorem viro esse; hinc verò fieri, ut Lex uxorem sub mariti potestate esse decreverit, utpote quam alterius consilio regi & authoritate coërceri necesse est. *Viros ad unumquodque maleficium singulæ cupiditates impellunt: mulieres ad omnia maleficia cupiditas una ducit* (i). Euripides (k): Mulierum optima viro deterior est, quamvis hic pessimus sit, illa inter optimas una feligatur. Prior explicatio cæteris præstat.

℣. 15. MEMOR ERO IGITUR OPERUM DOMINI, scilicet, prædicabo, commendabo. Hinc usque ad Libri finem nihil nisi Dei laudes, & celeberrimorum suæ gentis hominum encomia prosequitur, quibus librum claudit.

In

(u) *Menand.* Χαλεπόν γε θυγάτηρ κτῆμα, καὶ δυσδιάθετον. (x) *Plures legunt:* Adultera. *Ita Sixt. V, Complut. Jans. Palac. alii, malè.* (y) 1 *Cor.* VII, 36: *Si quis turpem se videri existimat super virgine suâ, quòd sit superadulta.* (z) *Levit.* XX, 10. (a) *Num.* V, 17, 18, 19. (b) *Deut.* VII, 14; *Isai.* LVI, 3, 4. (c) Λαλιὰν ἐν πόλει, καὶ ἔκκλητον λαοῦ. (d) *Basil. lib. de Sanctâ Virginitate.*
(e) Ἀπὸ γὰρ ἱματίων ἐκπορεύεται σής. Καὶ ἀπὸ γυναικὸς πονηρία γυναικός.
(f) *Grot. Drus. Palac. Cornel. a Lapide, Dionys. alii: Mulier benefaciens, sive prona & facilis ministra voluptatum. Bossuet. Vulgò dicitur: Cui mulier benefacit, ei se prostituit. Drus. Vide Prov.* VII, 10. Τερπνὸν κακὸν πέφυκεν ἀνθρώποις γυνή. (g) 70: Κρείσσων πονηρία ἀνδρὸς, ἢ ἀγαθοποιὸς γυνή. (h) *Joseph, lib. 2 contra Appion. p.* 1074: Γυνὴ δὲ χείρων, φησὶν, ἀνδρὸς εἰς τὰ πάντα; καὶ ἡ πονηρία αὐτοῦ, ὑπὲρ ἀγαθοποιοῦ γυναικός. Τοιγαροῦν ὑπακουέτω, μὴ πρὸς ὕβριν ἰαῦθ' ἡγουμένη, ἀλλ' ἵν' ἄρχηται. Θεὸς γὰρ ἀνδρὶ κράτος ἔδωκε. (i) *Author ad Herennium.*
(k) *Clemen. Alex. lib. 4 Stromat.*

℣. 16. Sol illuminans per omnia respexit, & gloriâ Domini plenum est opus ejus.
℣. 17. Nonne Dominus fecit sanctos enarrare omnia mirabilia sua, quæ confirmavit Dominus omnipotens stabiliri in gloriâ suâ?
℣. 18. Abyssum, & cor hominum investigavit: & in astutiâ eorum excogitavit.
℣. 19. Cognovit enim Dominus omnem scientiam, & inspexit in signum ævi, annuntians, quæ præterierunt, & quæ superventura sunt, revelans vestigia occultorum.
℣. 20. Non præterit illum omnis cogitatus, & non abscondit se ab eo ullus sermo.
℣. 21. Magnalia sapientiæ suæ decoravit qui est ante sæculum, & usque in sæculum: neque adjectum est,
℣. 22. Neque minuitur, & non eget alicujus consilio.
℣. 23. Quàm desiderabilia omnia opera ejus, & tamquam scintilla, quæ est considerare!
℣. 24. Omnia hæc vivunt, & manent in sæculum, & in omni necessitate omnia obaudiunt ei.

COMMENTARIUS.

IN SERMONIBUS DOMINI OPERA EJUS. Dei opera illius verbo reguntur. Omnipotens Dei verbum omnia creat, servat, moderatur. Quælibet creatæ res unius Dei verbi opus sunt; atque omnia illius voluntati parent (l). Aliter; *In sermonibus Domini*, Scripturis sacris, *opera ejus* continentur. Quæ mox dicturus sum, ea velut in epitomen e Sacris Libris collegi.

℣. 16. SOL ILLUMINANS PER OMNIA RESPEXIT: ET GLORIA DOMINI PLENUM EST OPUS EJUS. Quemadmodum sol mundi lux, atque, ut ita dicam, oculus est; ita Dei gloriâ omnia illius opera complentur. Omnia unus videt, illustrat, moderatur, atque ubique est (m).

℣. 17. NONNE DOMINUS FECIT SANCTOS ENARRARE OMNIA MIRABILIA SUA? Mira Dei opera nostris viribus adeò majora sunt, ut neque meritis justisque laudibus ea prosequi valeamus. Uni in Cœlo Angeli ac Beati illius potestatem ac magnitudinem verè ac perfectè norunt & laudant. *Sancti* hoc loco intelligi possunt Israëlitæ, quibus operum suorum notitiam largitus est Deus, cæteris gentibus inter tenebras destitutis (n). Hæc fortasse verior explicatio est.

℣. 18. ABYSSUM ET COR HOMINUM INVESTIGAVIT. Profundissimos maris vortices atque obscurissimos humanæ mentis recessus ipse luculentissimè novit. Has loquendi formulas sententiasque passim in Scripturis videas.

℣. 19. INSPEXIT IN SIGNUM ÆVI; futuri temporis signa intuetur. Futuras res non ex astrorum aspectu, aut ex naturalium rerum contemplatione cognoscit: omnes naturæ conversiones absolutissimè novit, quin naturales causas consulat. Profectò qui fieri potest, ut hæc non noverit, qui ea efficit? Omnia in se uno videt Deus; ipsique explorata & præscontia sunt tempora omnia & rerum vices. Hoc igitur non vult Author, Deum inspicere signa futuri temporis, quasi ignotos investiget: sed cognitione prorsus infinitâ, nulloque labore, illum astra nosse, astrorumque motum, & ea quæ ab astris effici in terris possunt: longè aliter ac peritissimi inter homines astrologi, qui vigiliis studiisque illud solummodo assequuntur, ut hæc ipsa vel obscurissimè norint, vel penitus ignorent. *Signum ævi* (o) astra significat, præsertim verò solem & lunam (p).

℣. 21. MAGNALIA SAPIENTIÆ SUÆ DECORAVIT, mirum sapientiæ suæ decorem manifestum exhibuit. Græcus (q): *Magna sua opera per sapientiam ornavit*, vel ordinavit. Omnipotens scilicet Dei sapientia certum hunc rerum ordinem, quem admiramur, constituit; eademque tam multas & miras res creavit.

℣. 22. NEQUE ADJECTUM EST, NEQUE MINUITUR, AT NON EGET ALICUJUS CONSILIO. Magnus infinitè est Deus; nostraque encomia nihil illius magnitudini addunt, nihilque demit silentium. Unus sibi sufficit, nulliusque ope aut consilio eget. Græcus reddi potest (r): Rerum creatio *nihil illi addidit, aut minuit: & nullius consilio indiguit*, cùm vastam hanc molem conderet.

℣. 23. TAMQUAM SCINTILLA, QUÆ EST CONSIDERARE; quæ contemplari possumus, een scintilla sunt cum incendio comparata; minimam enim harum rerum partem videmus. Græcus (s): Quàm mira sint Dei opera, *id vel ex scintillâ disci potest*. Creatæ res omnes Dei magnitudinem prædicant; nullaque vel parva est, ubi Dei sapientiam ac potentiam non videas.

℣. 24. OMNIA HÆC VIVUNT... ET IN OMNI NECESSITATE OMNIA OBAUDIUNT EI. Græcus ad verbum (t): *Omnia hæc vivunt, & manent perpetuò in usibus omnibus; & cuncta parent* Deo. Ipse unus

(l) *Vide Psal.* XXXII, 6, 9; *hic, Eccli.* XLII, 24; XLIII, 28: Ε'ν λόγοις ἁγίου ςήσονται κατὰ κρίμα. *Et* XLIII, 5: Ε'ν λόγοις αὐτοῦ κατέπαυσε πορείαν.
(m) *Confer Psal.* XVIII, 6; *Abac.* III, 3. (n) *Psal.* CXLVII, 20: *Non fecit taliter omni nationi, & judicia sua non manifestavit eis. Vide & Psal.* LXXVII, 4, 11, 12; XCV, 3; CIV, 2, 5; CVI, 8, 15; CX, 4.
(o) Ε'νέβλεψεν εἰς σημεῖα αἰῶνος. (p) *Infra*, XLIII, 5: *Luna signum ævi*, Σημεῖον αἰῶνος. Et *Genes.* I, 14: *Sint in signa & tempora, & dies, & annos.* (q) Τὰ μεγαλεῖα διὰ τῆς σοφίας αὐτοῦ ἐκόσμησεν. (r) Οὔτε προσετέθη, οὔτε ἠλαττώθη, καὶ οὐ προσεδεήθη οὐδενὸς συμβούλου.
(s) Καὶ ὡς σπινθῆρός ἐστι θεωρῆσαι. (t) Πάντα ταῦτα ζῇ, καὶ μένει εἰς τὸν αἰῶνα, ἐν πάσαις χρείαις, καὶ πάντα ὑπακούει.

℣. 25. Omnia duplicia, unum contra unum, & non fecit quidquam deesse.

℣. 26. Uniuscujusque confirmavit bona. Et quis satiabitur videns gloriam ejus?

COMMENTARIUS.

unus efficit, ut unaquæque res sit, existat, agat, moveatur, vivat, uti singularum natura postulat. Creatæ res a tam longo tempore illius potentiâ existunt, diuque esse in multas ætates pergent, in eos usus, ad quos condita sunt. Omnia illius præceptis & voluntati obtemperant.

℣. 25. OMNIA DUPLICIA: UNUM CONTRA UNUM; ET NON FECIT QUIDQUAM DEESSE. Unicuique rei contraria res est: altera alteri opponitur; nullaque ex creatis a Deo rebus vitiosa est. Ita sonat Græcus (u). Eamdem sententiam, quæ res contrarias inter se oppositas esse docet, superiùs vidimus (x); diei scilicet noctem, bonum malo, morti vitam, calori frigus, humidum arido, atque ita de cæteris. Hanc qualitatum pugnam in naturâ agnovere quidam veterum Philosophi, uti Linus, Epimenides, Parmenides; censueruntque, justo contrariorum temperamento mundum existere, dum neutrum ab altero superatur, quamvis assidua sit illorum pugna. De rerum creatione agens Ovidius, ait (y):

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.
Hanc Deus & melior litem natura diremit.

℣. 26. UNIUSCUJUSQUE CONFIRMAVIT BONA. Unicuique rei proprium aliquid dedit Deus, quo adversus contrariorum vim sese tueatur. Hanc humidiorem fecit, ut siccitati resisteret; illam calidiorem, ut humoris vim cohiberet. Græcus (z): *Alterum alterius bona constituit*. Contraria principia sese invicem tuentur ac servant, justumque æquilibrium faciunt; altero enim penitus everso, alterum perit.

CAPUT XLIII.

Pergit de Creatoris laudibus. Dei operum, Cœli, Solis, Astrorum, cæterorumque elogium. Qualibet laude major est Deus.

℣. 1. Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus est, species cœli in visione gloriæ.

℣. 2. Sol in aspectu annuntians in exitu, vas admirabile, opus Excelsi.

℣. 3. In meridiano exurit terram, & in conspectu ardoris ejus quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus ardoris:

℣. 4. Tripliciter sol exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens radiis suis obcæcat oculos.

℣. 5. Magnus Dominus, qui fecit illum, & in sermonibus ejus festinavit iter.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ALTITUDINIS FIRMAMENTUM, PULCHRITUDO EJUS EST; Cœlum purissimum decus est loci sublimis. Græcus ad verbum (a): *Gloria* est *altitudinis* Cœlorum: *decor, & jubar nitidissimum*. Gloriæ suæ magnitudinem Deus maximè in firmamento demonstrat. Nobilissima ea corpora intueri non potes, quin obsequio erga Conditorem complearis. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum*, inquit Psalmista (b).

℣. 2. SOL IN ASPECTU ANNUNTIANS IN EXITU, VAS ADMIRABILE, OPUS EXCELSI. Sol oriens diem nuntiat: vas admirabile est, opus altissimi. Vel: Sol exoriens, Conditorem annunciat: inter Dei opera pulcherrimum est, ac præstantissimum. Varia est apud Græcos Codices lectio (c). Alii cum Vulgatâ consentiunt; alii legunt: *Sol in exortu*, diem *nunciat aspectu glorioso*; vel, *nunciat de glorioso*, scilicet Deo. Melior tamen videtur Vulgatæ lectio. Respicit Sapiens ad descriptionem solaris cursûs apud Psalmum XVIII; *Cœli enarrant gloriam Dei*, &c.

℣. 3. IN MERIDIANO EXURIT TERRAM. Græcus (d): *In meridie suo exurit terram; fornacem folle ventilat, operibus ardoris*. Ignem, qui nunquam extinguitur, folle nunquam fatigato ventilat. Vel, junctis cum consequentibus sententiis: Faber fornacem ventilans aptis igni excitando instrumentis, cum solis ardore comparari nequit. ℣. 4: *Tripliciter sol exurens montes*. Joga montium igne triplo ardentiore comburit.

℣. 5. IN SERMONIBUS EJUS FESTINAVIT ITER. Græci Codices hoc loco dissident. Alii enim (e) cum Vulgatâ ferunt: *Festinavit iter*; alii (f): *Compescuit iter*; quasi respiciat ad vetus prodigium de sole retardato; jubente Josue, & Domino annuente (g). ℣. 6. ET

(u) Καὶ οὐκ ἐποίησεν οὐδὲν ἐλλεῖπον. (x) *Eccli.* XXXIII, 16. (y) *Ovid. Metamorph. lib.* 1.
(z) Ἑνὸς τὸ τοῦ ἑνὸς ἐστερέωσε τὰ ἀγαθά. (a) Γαυρίαμα ὕψους, στερέωμα καθαριότητος. Εἶδος οὐρανοῦ ἐν ὁράματι δόξης. (b) *Psalm.* XVIII, 1, 2. (c) Ἥλιος ἐν ὀπτασίᾳ διαγγέλλων ἐν ἐξόδῳ, σκεῦος θαυμαστὸν, ἔργον ὑψίστου. *Alii*: Ἥλιος ἐν ὀπτασίᾳ διαγγέλλων ἐν ἐνδόξῳ.
(d) Κάμινον φυσῶν ἐν ἔργοις καύματος. *Vulgat. legit*: Φυλάσσων, *pro* φυσῶν. *Grot. legit*: Κάμινον φυσῶν ἐνεργὸς καύματος. Τριπλάσιον ἥλιος ἐκκαίων ὄρη. (e) *Rom. Ald. Basil.* Κατέσπευσε πορείαν.
(f) *Complut. & alia.* Κατέπαυσε πορείαν. (g) *Josue*, X, 13.

℣. 6. Et luna in omnibus in tempore suo, ostensio temporis, & signum ævi.

℣. 7. A lunâ signum diei festi, luminare, quod minuitur in consummatione.

℣. 8. Mensis secundùm nomen ejus est, crescens mirabiliter in consummatione.

℣. 9. Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriosè.

℣. 10. Species cœli gloria stellarum, mundum illuminans in excelsis Dominus.

℣. 11. In verbis sancti stabunt ad judicium, & non deficient in vigiliis suis.

COMMENTARIUS.

℣. 6. ET LUNA IN OMNIBUS IN TEMPORE SUO, OSTENSIO TEMPORIS. Lunam condidit Deus, ut dies, menses, annosque distingueret, testibus Moyse & Psalmistâ *(h)*. Græci Codices hîc etiam dissident. Optimi plerique habent cum Vulgatâ *(i)*: *Lunam fecit in omnibus in tempore suo*. Condita est luna, ut temporum vices designet. Alii legunt: *Lunam fecit ad stationem in tempore suo*. Ingentem hanc facem exhibet ceu excubitorem in Cœlo vigilantem, ut Conditoris imperio serviat. Hæc interpretatio plerisque placet. Prior vel in Græco implexa est.

℣. 7. A LUNA SIGNUM DIEI FESTI, LUMINARE QUOD MINUITUR IN CONSUMMATIONE. De certâ festorum dierum periodo hîc agit Sapiens, qualia erat suâ ætate, qua lunaris annus apud Hebræos tum in civilibus tum in sacris rebus observabatur. At non eadem erat ante Babylonicam Captivitatem consuetudo, ut in Dissertatione de temporum doctrinâ ad Genesim ostendimus. Paschatis festum, anni sacri primum, die decimâquartâ mensis lunaris Nisan exordiebatur; atque ad Paschatis legem statuebatur Pentecoste. Addit, minui lunam, sive lunæ jubar paulatim in nostrâ Cœli parte evanescere, a plenilunio, donec penitus non appareat: *Minuitur in consummatione (k)*. Hæc lunæ diminutio rerum astronomicarum imperitos implicat. Sacri autem Scriptores ad populi ingenium loquuntur. Quin ii ipsi, qui rebus astronomicis student, in astrorum cursu atque ordine plura inveniunt, quibus ad Conditoris potentiæ & sapientiæ admirationem, laudes atque obsequium excitantur.

℣. 8. MENSIS SECUNDUM NOMEN EJUS. Frustra in Hebrææ voce *Jareach* ירח, luna, quæris etymon vocis *Chadasch* חדש, mensis. Primus Libri Author, Hebraicè scribens, fortasse usus est voce *Meni*, quæ vox apud Isaiam *(l)* significat lunam, atque ex eâ etymon Græcæ vocis *Men*, mensis, duxit. At ne inani labore disputemus, quid Author in Hebræo scripserit, optimè fieri potuit, ut Interpres docuerit, Græcam vocem *Men* derivari ex *Mene*, luna. Nihil hoc probabilius videtur; & nemo huic etymologiæ repugnat *(m)*. Græca vocabula *Men*, & *Mene*, optimè ducuntur ex Hebraico *Manah*, distribuere, recensere, numerare. Grotius hunc locum ita explicat: Mensis a lunâ dicitur; a primâ lunâ primus, a secundâ secundus. Melior tamen prima interpretatio. Simile Græcæ vocis etymon ex Hebraicâ voce ductum, videas supra VI, 23.

CRESCENS MIRABILITER IN CONSUMMATIONE. Miro prorsus modo crescit, donec compleatur. Supra, ℣. 27, de ordinatâ lunæ diminutione disputavit: hîc mirificum illius incrementum prosequitur. Græcus *(n)*: Mensis *miras efficit varietates dum crescit*. Vel ex aliis Codicibus: *Luna* quæ mensem facit, ejusque diuturnitatem metitur, *augetur quotidie*, & assiduè aspectu *mutatur*, donec ad plenilunium perveniat.

℣. 9. VAS CASTRORUM IN EXCELSIS, IN FIRMAMENTO COELI RESPLENDENS GLORIOSE. Astra & planetas, ex Hebræorum consuetudine, comparat cum exercitu in prælium parato *(o)*, vel in cœlo veluti castris distributo. *Vas castrorum*, scilicet castrense vel bellicum instrumentum significare potest arma fulgentia, veluti paratas in pugnam copias. Astrorum fulgor ita haberi potest, ut armorum nitidorum jubar, quo cœlestes ejusmodi copiæ micant. *Vas castrorum* usurpari etiam potest pro castrorum ordine *(p)*. Alii hoc de lunâ solummodò explicant *(q)*. Grotius ita interpretatur, quasi Author in mente habuerit ignes, qui noctu circa castra excitantur. Vel: Astra id in cœlo sunt, quod ignea, quibus utuntur milites in signorum usum. Græci codices quidam legunt *(r)*: *Vas parabolarum in cœlo*: de lunâ enim plura & disputantur & dicuntur. Communis tamen lectio maximè omnium probabilis est.

℣. 10. SPECIES COELI GLORIA STELLARUM; MUNDUM ILLUMINANS IN EXCELSIS DOMINUS. Græcus *(s)*: *Cœlum formosum facit stellarum splendor: ornatus lucens in sublimibus Dei locis*. Astra ceu gemmæ sunt, Cœlo insertæ, quibus Cœli nitor decorque augetur. Vel, si placet: Faces sunt, nitidissimo jubare fulgentes. Cœlum apud Sacros Scriptores ceu Domini tentorium describitur, sive ceu amplum ac dives aulæum, quo Dei tentorium obvolvitur.

℣. 11. IN VERBIS SANCTI STABUNT AD JUDICIUM.

(h) *Genes.* I, 14; *Psal.* CIII, 19. (i) Καὶ σελήνην ἐποίησεν ἐν πᾶσιν εἰς καιρὸν αὐτῆς. *Ita Rom. Basil. Ald. alia*, εἰς στάσιν: *& ita Complut. & alia*. (k) Ἐπὶ συντελείας. Hæc vox συντέλεια significare potest vel plenilunium, seu perfectum illius statum: seu potiùs universam illius diminutionem, donec penitus non appareat. (l) *Isa.* LXV, 11. הממלאים למני ממסך (m) *Theodoret. lib. de Providentiâ*: Τὸ δὲ μῆνος ἐκ τῆς σελήνης τὸ μέτρον λαμβάνομεν. ἐντεῦθεν γὰρ καὶ τῆς προσηγορίας μετείληχεν. Μήνην γὰρ ὀνομάζουσι τὴν σελήνην. *Macrob. in Somn. Scipionum, lib.* 1: *Nam & Luna mensis dicitur, quia Græco nomine Luna, Mene vocatur*. (n) Αὐξανόμενος θαυμαστῶς ἐν ἀλλοιώσει. *Ita Complut. alii*: Αὐξανομένη θαυμαστὸς, *vel* θαυμαστῶς ἐν ἀλλοιώσει. *Alii*, ἐναλλοιώσει. (o) *Palac. & Jans. Bossuet. Badvell. alii*. (p) Σκεῦος παρεμβολῶν, ἐν ὕψει. *Quasi*, σκευὴ παρεμβολῆς, *a verbo* σκευάζω. *Badvell.* (q) *Grotius, Cornel. a Lapide, Drus. Camerar. alii*. (r) *Ald. Basil. apud Drus. & Camer.* Σκεῦος παραβολῶν. (s) Κάλλος οὐρανοῦ δόξα ἄστρων, κόσμος φωτίζων ἐν ὑψίστοις Κυρίου.

℣. 12. Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum: valdè ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo.

℣. 13. Gyravit cœlum in circuitu gloriæ ſuæ: manus Excelſi aperuerunt illum.

℣. 14. Imperio ſuo acceleravit nivem: & accelerat coruſcationes emittere judicii ſui.

℣. 15. Proptereà aperti ſunt theſauri, & evolavèrunt nebulæ ſicut aves.

℣. 16. In magnitudine ſuâ poſuit nubes, & confracti ſunt lapides grandinis.

℣. 17. In conſpectu ejus commovebuntur montes, & in voluntate ejus aſpirabit Notus.

℣. 18. Vox tonitrui ejus verberabit terram, tempeſtas aquilonis, & congregatio ſpiritûs:

COMMENTARIUS.

CIUM. Juſſu Sancti, ſcilicet Dei, parata ſtant ut in judicium veniant. Deus, Sanctus Iſraël, ad quem aſſiduis vocibus canunt Angeli, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* (t), Judicium in res creatas omnes exercet, nitidiſſimas etiam & ſublimiſſimas. *Cœli non ſunt mundi in conſpectu ejus*, inquit Job (u); *& in Angelis* ſuis reperit pravitatem (x). Græcus (y), & Interpretum plerique de ſubjectione explicant, quâ aſtra Deo parent. *Judicium* uſurpatur hìc pro *ordine, conſuetudine, præcepto*. Ordinem a Deo datum ſervant Aſtra; decreſàque ſibi in ſtatione conſiſtunt. Pergit allegoria Imperatoris copias diſtribuentis. Reſpicit verò ad eum Baruchi locum (z): Dominus *emittit lumen, & vadit: & vocavit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, & lætatæ ſunt: vocatæ ſunt, & dixerunt, Adſumus: & luxerunt ei cum jucunditate qui fecit illas*. Debora in Cantico (a): *Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo, adversùs Siſaram pugnaverunt*. Pſalmiſta (b): *Ordinatione tuâ perſeverat dies: quoniam omnia ſerviunt tibi*.

℣. 12. VIDE ARCUM..... VALDE SPECIOSUS EST. Græci (c), Latini, Itali, Galli Iridem arcûs nomine appellant; reverâ enim hemicycli vel arcûs ſubtenſi imaginem exhibet. Iridis venuſtas in colorum varietate præſertim ſita eſt (d).

Mille trahit varios adverſo ſole colores.

℣. 13. GYRAVIT COELUM IN CIRCUITU GLORIÆ SUÆ. Dicere videtur, terram omnem ab Iride integro circulo ambiri, cujus circuli dimidium ſolummodò conſpicuum nobis eſt: at dicendum eſt, ſemicirculum ab Iride fingi, quo convexa Cœli pars occupatur. Eâdem pene phraſi uſus eſt Manilius, libro 1:

Utque ſuos arcus per nubila circinat Iris.

Quid Hebræi de Cœli terræque formâ ſentirent, diſputavimus in diſſertatione de Mundi Syſtemate, ex Hebræorum ſententiâ.

℣. 14. IMPERIO SUO ACCELERAVIT NIVEM. Vix locutus eſt Deus, nix oluit. Mox nubilum erat, ſtatim nix. Mirificas haſce varietates facit Deus. Græci Codices quidam contrario ſenſu legunt (e): *Imperio ſuo compeſcuit nivem*. Optimæ tamen Editiones cum Vulgatâ conſentiunt. Vide *Pſalm.* CXLVI, vel CXLVII, 16.

CORUSCATIONES JUDICII SUI; fulgura Judicii exequendi causâ; vel quæ Judicio præcedunt; ſive ipſius ultionis miniſtri ſunt: veluti in Erythræi tranſitu (f), in cæde Siſaræ (g), & Sennacheribi (h), in Sodomæ excidio (i), aliiſque in locis, ubi fulgura, fulmina, igneſque Cœleſtes Dei furorem ac vindictam circumtulerunt.

℣. 15. PROPTEREA APERTI SUNT THESAURI, ET EVOLAVERUNT NEBULÆ SICUT AVES. Vindictæ exercendæ causâ theſauros furoris reſerat, ventoſque, procellas, turbines, fulmina, fulgura, grandinem, nivem in impios mittit. Non uno in loco docet Scriptura (k), mala hæc in Dei theſauris contineri, ut luculentiùs innuat, quàm abſolutâ poteſtate atque authoritate de iis decernat in amicos æquè atque inimicos. Hac autem phraſi, *Evolaverunt nebulæ ſicut aves*, reſpicere videtur ad vigentem adhuc inter Ægyptios morem, qui cicures palumbos emittebant, ut literas deferrent (l). Iſaias (m), Hebræos deſcribens, Babylone in patriam reduces, rogat: *Qui ſunt iſti qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Nubes emittit Deus, ut ii qui palumbos alunt, eoſque ex turri emittunt.

℣. 16. IN MAGNITUDINE SUA POSUIT NUBES, ET CONFRACTI SUNT LAPIDES GRANDINIS: virium ſuarum magnitudine nubes extollit; atque ex iis grandinem inſtar lapidum jaculatur. Græcus (n): *Corroborat nubes magnâ ſuâ potentiâ*, condenſat, congelat, *& lapides grandinis confracti ſunt*, uti rupes frangitur, ut lapides ædificiis muriſque compingendis apti inde eruantur. Nubes igitur hìc exhibet, veluti ingentes ac ſpiſſiſſimas e glacie maſſas, ex quibus Dei vis innumeras minores partes abſcindit ac ſeparat, quas deinde nos grandinem appellamus. Vide noſtram Diſſertationem de lapidum imbre, de quo apud Joſue & Pſalmum CXLVII, 17: *Mittit chryſtallum ſuam ſicut buccellas*. Job, XXXVIII, 30: *In ſimilitudinem lapidis aquæ durantur*.

℣. 18. VOX TONITRUI EJUS VERBERABIT TERRAM; terret, tremefacit, terit. Græci codices ſibi

(t) *Isai.* VI, 3; *Apocal.* IV, 8. (u) *Job*, XV, 15. (x) *Job*, IV, 18. (y) Ἐν λόγοις ἁγίῳ ἕστηκεν κατὰ κρίμα. *Melius*, Κατὰ κρίμα. *Aliqui*: Παραχρῆμα. (z) *Baruch*, III, 34. (a) *Judic.* V, 20. (b) *Psal.* CXVIII, 91. למשפטיך עמדו היום Quæ phraſis ſimilis eſt huic, Κατὰ κρίμα, quæ hìc in Græco legitur. Vide & *Num.* IX, 14; XV, 22; & 3 *Reg.* IV, 28. (c) Ἶδε τόξον. Ὅπερ ὁ κοινὸς λόγος ἶριν εἴωθεν ὀνομάζειν. *Basil. Mag. Ep. ad Greg. Fratr. Nonius*: *Arcus omnis ſuſpenſus fornix appellatur: arquus non niſi qui in cœlis apparet.* (d) *Virgil. Æneid.* V. (e) Προστάγματι αὐτοῦ κατέπαυσε χιόνα. *Ita Rom. & Ald. Vide ſup.* ℣. 5. (f) *Exod.* XIV, 24; & XV, 7, 8. (g) *Judic.* V, 20. (h) *Isai.* XXXVI, & XXXVII. (i) *Geneſ.* XIX, 24, 25. (k) *Deut.* XXVIII, 12: *Aperiet Dominus theſaurum ſuum optimum cœlum, ut tribuat pluviam terræ. Job*, XXXVIII, 22: *Numquid ingreſſus es theſauros nivis, aut theſauros grandinis aſpexiſti? Psal.* CXXXIV, 7: *Qui producit ventos de theſauris ſuis, &c.* (l) *Vide Bochart. P.* 1, *lib.* 5, *c.* 2. (m) *Isai.* LX, 8. (n) Ἐν μεγαλείῳ αὐτοῦ ἴσχυσεν νεφέλας, καὶ διετρίβησαν λίθοι χαλάζης.

℣. 19. Et ſicut avis deponens ad ſedendum, aſpergit nivem: & ſicut locuſta demergens, deſcenſus ejus.

℣. 20. Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus, & ſuper imbrem ejus expaveſcet cor.

℣. 21. Gelu ſicut ſalem effundet ſuper terram; & dum gelaverit, fiet tamquam cacumina tribuli.

℣. 22. Frigidus ventus aquilo flavit, & gelavit cryſtallus ab aquâ: ſuper omnem congregationem aquarum requieſcet, & ſicut loricâ induet ſe aquis.

℣. 23. Et devorabit montes, & exuret deſertum, & extinguet viride, ſicut igne.

℣. 24. Medicina omnium in feſtinatione nebulæ: & ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum.

℣. 25. (In ſermone ejus ſiluit ventus,) & cogitatione ſuâ placavit abyſſum, & plantavit in illâ Dominus inſulas.

COMMENTARIUS.

bi non conſtant; alii enim legunt (o): *Sonus tonitrui ipſius parturire facit terram*, vel partûs dolores illi affert. Alii (p): *Sonus tonitrui ejus convicii verberavit terram*: terribili, ac minaci voce terram allocutus eſt (q): hominum animos terrore quatit.

Fulgura, & humanas motura tonitrua mentes.

℣. 19. SICUT AVIS DEPONENS AD SEDENDUM, ASPERGIT NIVEM, ET SICUT LOCUSTA DEMERGENS DESCENSUS EJUS. Nivis comparatio in terram labentis inſtar avium, veluti ſturnorum, aut locuſtarum nubis, in agram aliquem labentium, Authoris ſententiam aptiſſimè exprimunt: præſertim verò locuſtæ nivis pluviam mirificè exhibent. Hæ, teſte Plinio (r), gregatim volant incredibili numero, & *ſolem obumbrant, ſollicitè ſuſpectantibus populis, ne ſuas operiant terras; ſufficiunt quippe vires, & tamquam parùm ſit maria tranſiiſſe, immenſos tractus permeant, dirâque meſſibus contegunt nube.* Græcus ad verbum fert (s): *Spargit Deus nivem velut avem ex alto devolantem; cujus*, nivis, *deſcenſus ſimilis eſt locuſtæ labenti*, ut agrum populetur. Duo hìc dicit Author: Nivem in aëre exhibet; eaque ſimilis eſt avium nubi: tum labentem eo impetu deſcribit, quo grex locuſtarum.

℣. 20. SUPER IMBREM EJUS EXPAVESCIT COR. Ingens adeò eſt nivis copia, ut mens terreatur. Vertunt alii: Cùm liquatur nix, ingentem adeò aquarum vim, terribileſque inundationes parit, ut mens ipſa terrore quatiatur. Alii (t): Nix lapſa vel audaciſſimos terret; quippe quibus viſum adimat, & cæcos etiam efficere poſſit, uti notatum eſt Xenophonti (u), qui ex junioris Cyri expeditione redux, ſuis ipſe oculis eam rem ſpectavit. Aliter (x): Cùm uberes imbres demittit Deus, formidant homines, tamquam redituro diluvio.

℣. 21. GELU, SICUT SALEM, EFFUNDET SUPER TERRAM. Pruina ſimilis ſali ſparſo eſt. Reſpicere videtur Author ad illud argillæ genus, margam nomine, quo humus ſtercorabatur, quodque in Evangelio dicitur ſal terræ (y).

℣. 22. FRIGIDUS AQUILO FLAVIT, ET GELAVIT CRYSTALLUS AB AQUA. Cryſtallus hoc loco eſt glacies. Verti Græcus poteſt (z): *Ex aquâ concreſcit glacies . . . & aquam induet tegmine quaſi loricæ.*

℣. 23. DEVORABIT MONTES, ET EXURET DESERTUM, ET EXTINGUET VIRIDE SICUT IGNE. Poëtica deſcriptio, qua exhibentur hiems & gelu, quaſi animâ vitâque inſtruantur, arborum frondes vorent, fructus & montium agrorumque herbas rodant, omnemque illorum pulcritudinem populentur, ignis inſtar, obvia quælibet rapientis. Non uno in Scripturæ loco animadvertere licuit (a), Hebræos urendi vim frigori, non ſecus ac igni tribuere. Iiſdem phraſibus uſi ſunt profani (b), de frigore agentes. Montes & deſertum ſunt loca inculta, ob ſterilitatem neglecta, quamvis inter agros cultos ſita ſint.

℣. 24. MEDICINA OMNIUM IN FESTINATIONE NEBULÆ. Hujuſmodi malorum remedium eſt, ſi nebula, & ros calidus adveniat. Nubes primo vere orta, quam ſuavis imber ſequatur, his malis medicinam offeret. Græcus (c): *Subita horum omnium medicina erit: Nebula, ros, poſt calorem veniens, hilarem rebus faciem reſtituet.* Calor frigora diſſipans, & imbres ac ros, calorem ſequuti, priſtinam agris venuſtatem frondeſque arboribus reddunt, partaque a gelu mala reparant. *Humilem efficiet eum.* Scripſiſſe videtur Latinus Interpres, *Hilarem efficiet eum*, ut habet Græcus.

℣. 25. IN SERMONE EJUS SILUIT VENTUS. Silere paſſim uſurpatur pro quieſcere. Horridas procellas unico oris ſui verbo ſedat Deus. *Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ*, inquit Pſalmiſta (d). Chriſtus mari & ventis imperat, ut ſileant (e). Hic locus in Græco non eſt.

COGITATIONE SUA PLACAVIT ABYSSUM. Unico vo-

(o) Φωνὴ βροντῆς αὐτῦ ὠδίνησε γῆν. *Ita Complut. Rom.* (p) Ὠνείδισε γῆν. *Ita nonnulli apud Druſ. & Huſchel.* (q) Confer *Pſal.* XXVIII, 4, 5: *Vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentiâ, vox Domini confringentis cedros, &c.* (r) *Plin. lib.* XI, *c.* 29. (s) Ὡς πετεινὰ καθιπτάμενα πάσσει χιόνα, καὶ ὡς ἀκρὶς καταλύσα ἡ κατάβασις αὐτῆς. (t) *Grotius hic.* (u) *Xenoph. in lib. 4 de Expedit. Cyri Junioris*: Ἐλείποντο δὲ τῶν στρατιωτῶν οἵ τε διεφθαρμένοι ὑπὸ τῆς χιόνος τοὺς ὀφθαλμοὺς, *&c.* (x) *Boeſuet hic.* (y) *Matth.* V, 13: *Vos eſtis ſal terræ.* (z) Παγήσεται κρύσταλλος ἀφ' ὕδατος .... καὶ ὡς θώρακα ἐνδύσεται τὸ ὕδωρ. (a) Vide *Geneſ.* XXXI, 40: *Æſtu urebar, & gelu.* *Pſal.* CXX, 6: *Per diem ſol non uret te, neque luna per noctem.* (b) *Lucan. Urebant montana nives.* *Virgil. Georgic.* I: *Boreæ penetrabile frigus adurat.* (c) Ἴασις πάντων κατὰ σπουδὴν, ὁμίχλη, δρόσος ἀπαντῶσα ἀπὸ καύσωνος ἱλαρώσει. (d) *Pſal.* CVI, 25. (e) *Matth.* VIII, 26, 27.

℣. 26. Qui navigant mare, enarrent pericula ejus: & audientes auribus nostris admirabimur.

℣. 27. Illic præclara opera, & mirabilia: varia bestiarum genera, & omnium pecorum, & creatura belluarum.

℣. 28. Propter ipsum confirmatus est itineris finis, & in sermone ejus composita sunt omnia.

℣. 29. Multa dicemus, & deficiemus in verbis: consummatio autem sermonum, ipse est in omnibus.

℣. 30. Gloriantes ad quid valebimus? ipse enim omnipotens super omnia opera sua.

℣. 31. Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius.

℣. 32. Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit enim adhuc, (& admirabilis magnificentia ejus.)

℣. 33. Benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis: major enim est omni laude.

℣. 34. Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis: non enim comprehendetis.

℣. 35. Quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum sicut est (ab initio?)

COMMENTARIUS.

voluntatis ipsius nutui mare turbulentissimum obtemperat, ac sedatur. Græcus (f): *Ad imperium ejus silet mare.*

PLANTAVIT IN ILLA INSULAS. Dei unius potentia insulaa medio in mari collocavit; eæque invitis fluctuum ac procellarum furiis, tam multo ab hinc tempore stant. Veteres quidam Græci Codices ferebant (g): *Plantavit eam Jesus*; eaque lectio in Latina quædam exemplaria irrepsit, habentia: *Et plantavit eam Dominus Jesus:* Mare intra fines coërcuit, ac statuit. Hoc verò ortum est ex mendo librarii, perversâque lectione. Grotius reddit Græcum (h): *Si qua est in mari insula, plantas profert*, ubi scilicet tranquillitatem, & veris suavitatem Deus reduxerit.

℣. 26. QUI NAVIGANT MARA, ENARRANT PARICULA EJUI. Ad locum Psalmi respicit (i): *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem* (mercaturam exercentes) *in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo.* Vetus effatum erat (k): *Qui non navigavit, nihil mali novit.* Vide *Sap.* XIV, 1; & *Ps.* CIII, 25, 26.

℣. 28. PROPTAR IPSUM CONFIRMATUA EST ITINARIA FINIA, ET IN SARMONE EJUS COMPOSITA AUNT OMNIA. Infinita Dei sapientia & potentia unamquamque rem ad suos fines dirigit; eademque omnia moderatur, distribuit, ordinat. Græcus (l): *Per ipsum*, vel ipsius ope, *prosperam navigationem fecit Angelus ejus: & imperio illius omnia obtemperant.* Nullo nos navigationis periculo terreri decet, si adsit Deus. Is enim Angelum mittet, a quo incolumes in portum reducemur. Omnia illi penitus obediunt, mare, fluctus, procellæ. Grotius ita explicat. Si tranquillum est mare, navis, quæ maris nuncius est, prosperum iter habebit; & ad imperium ejus (maris), omnia confunduntur, atque aquis merguntur. Si irascatur mare, omnia pereunt atque absorbentur, navis, merces, nautæ, vectores. Reddunt alii (m): *Deo juvante, felix exitus mercatori negotiationis est: omnia illius imperio parent.* Priorem, quam ex Græco dedimus, explicationem magis probo: satis enim ea quæ sequuntur indicant, de ope Divinâ, Deique potentiâ hìc agi.

℣. 29. CONSUMMATIO SERMONUM, IPSE AST IN OMNIBUS. Summa omnium est, ipsum in omnibus esse. Ita claudit Sapiens orationem, a ℣. 15 Capitis XLII institutam, ubi hoc posuerat, omnia Dei voluntati obtemperare: *In sermonibus Domini opera ejus.* Hìc verò, postquam hoc ipsum longâ enumeratione probavit, denique colligit, rerum omnium animam, causam, finem Deum esse: *Ipse est in omnibus*; vel ex Græco (n): *Ipse est omne;* nihilque nisi per ipsum est. Ipse unamquamque rem vivere, existere, moveri jubet. Confer ultima verba Ecclesiastæ (o): *Finem loquendi omnes audiamus. Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo.*

℣. 30. GLORIANTES, AO QUID VALABIMUS? IPSE ENIM OMNIPOTENA SUPER OMNIA OPERA SUA. Si in superbiam efferri vult homo, quid adversùs Deum valebit, qui creatas res omnes tam longo superat intervallo? Aliam sententiam fert Græcus (p): *Si celebrare eum velimus, in quo poterimus? Creatis enim rebus longè sublimior est.* Deum non videmus, nisi in iis quæ ipse agit: hæc verò quanta sunt, si cum ipso conferantur?

℣. 34. EXALTANTES EUM REPLEMINI VIRTUTE; omnibus viribus in Dei laudes nitimini. Ne delassamini: vires omnes exerite: at minimè futurum

(f) Λογισμῷ αὐτῦ ἐκόπασεν ἄβυσσος.

(g) Καὶ ἐφύτευσεν αὐτὴν Ἰησοῦς. *Ita Ald. Rom. Ms. apud Drus.* Ἐφύτευσεν αὐτὴν Κύριος.

(h) Ἐφύτευσεν ἐν αὐτῇ νῆσος, pro νήσους, quod habent cæteri Codices; cujus loco scriptum est Ἰησοῦς. (i) *Psal.* CVI, 23. (k) *Possid. apud Athen. lib.* 4: Ὁ μὴ πεπλευκὼς, οὐδὲν ἑώρακε κακόν.

(l) Καὶ δι' αὐτὸν εὐοδοῖ ὁ Ἄγγελος αὐτῦ, καὶ ἐν λόγῳ αὐτῦ σύγκειται τὰ πάντα. *Vulgat. legit:* Καὶ δι' αὐτὸν εὐοδοῖ τέλος αὐτῦ. (m) *Vatab. & Castalio*; *quasi in Hebr. fuisset* מלאכתו *opus ejus: pro quo Interpres legerit:* מלאכו *Angelus ejus.* (n) Συντέλεια λόγων, αὐτός ἐστι τὸ πᾶν.

(o) *Eccle.* XII, 13. (p) Δοξάζοντες πῦ ἰσχύσομεν; αὐτὸς γὰρ μέγας.

℣. 36. Multa abscondita sunt majora his: pauca enim vidimus operum ejus.

℣. 37. Omnia autem Dominus fecit, & piè agentibus dedit sapientiam.

COMMENTARIUS.

turum sperate, ut ipsum dicendo assequamini, aut omnia de Illo dicenda exhauriatis. Vide Psalmum CXLIV, 3.

℣. 36. MULTA ABSCONDITA SUNT MAJORA HIS: PAUCA ENIM VIDIMUS OPERUM EJUS. Quàm multa sunt homini ignota in aëre, mari, arboribus, animatis rebus, ac metallis? Quàm multa latent in astris, meteoris, Angelis, cæterisque naturæ partibus, de quibus Author vel parum vel nihil disputavit?

CAPUT XLIV.

Patriarchas ac nobilissimos gentis suæ viros generatim commendat; præsertim verò Henochum, Noëmum, Abrahamum, Isaacum, Jacobum.

℣. 1. LAudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione suâ.

℣. 2. Multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ suâ a sæculo.

℣. 3. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentiâ suâ præditi, nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum,

℣. 4. Et imperantes in præsenti populo, & virtute prudentiæ populis sanctissima verba.

℣. 5. In peritiâ suâ requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum.

COMMENTARIUS.

℣. 2. LAUDEMUS VIROS GLORIOSOS, ET PARENTES NOSTROS. Postquam Dei laudes duplici superiori capite prosequutus est, Librum claudit Sapiens magnorum atque illustrium patriæ ac gentis suæ hominum elogio. Tota Libri series moralia disciplinæ vitæque institutionis sententias cuilibet hominum generi proposuit: desinit verò in Dei laudes, ex quo justitia omnis & sapientia; atque in illustrium virorum encomia, qui tradita toto Libro virtutum dogmata suo ipsorum exemplo docuerunt. Scribit Grotius: *Solebant in Templo (a), & ad Templi exemplum in synagogis, commemorationes fieri virorum excellentium, quas εὐλογίας dixit hic Noster aliquoties. Earum hic tradit formulam, plenam Hebraica eloquentia.* In optimis Græcorum Codicibus, tituli loco, huic Capiti inscribitur (b): *Patrum Hymnus*.

℣. 2. MULTAM GLORIAM FECIT DOMINUS: illustrem inter illos gloriam sibi fecit Deus. Vel, ingentem sibi gloriam comparavit ab ipso rerum exordio ad hanc usque ætatem, per celebres hosce viros (c), quos beneficiis cumulavit, misericordiâ prævenit, suæque potestatis ac sapientiæ opibus illustres reddidit.

℣. 3. DOMINANTES IN POTESTATIBUS SUIS, *in regnis suis*. Ita sonat Græcus (d). Præcipua laudis argumenta, quæ in Patriarchis ac celeberrimis gentis suæ hominibus videt, veluti compendio colligit hîc Sapiens, ac tribus versiculis qui sequuntur. Horum enim in numero sunt populi proceres, Reges, politicarum rerum periti, Prophetæ, Sapientes, Eruditi, Musici, Poëtæ sacri, locupletes ac pacifici felicesque Principes.

HOMINES MAGNI VIRTUTE, seu viribus. Græcus (e): *Celebres viribus*; magni Principes, sive opulenti Israëlitarum Duces, veluti Judices, a Josue ad Saülem.

ET PRUDENTIA SUA PRÆDITI. Græcus (f): *Consultantes intelligentiâ suâ*. Nonnulli ex Israëlitis noti sunt celebres viri, qui quamquam nullo Prophetiæ spiritu instructi, consilio, ac difficillimâ regnandi scientiâ abundabant. Inter hos censeri possunt Othoniel, Gedeon, Aod, &c.

NUNTIANTES IN PROPHETIS DIGNITATEM PROPHETARUM; in Prophetarum libris Authorum dignitatem commendantes. Populos hortabantur, ut sacros Libros evolverent, Prophetasque illorum scriptores commendabant (g). Græcus aliter sonat (h): *Qui futura nunciarunt per Prophetias*, utpote vaticinandi virtute pleni.

℣. 4. IMPERANTES IN PRÆSENTI POPULO, ET VIRTUTE PRUDENTIÆ POPULIS SANCTISSIMA VERBA. Præsentis sibi ætatis hominibus imperavere, & sanctissima ex iis verba populi acceperunt. Græco aptari potest hæc sententia (i): *Qui præivere populo consiliis, & eâ prudentiâ quæ decet populi doctores, in quorum doctrinâ erant sermones sapientes.* Tribus hisce indiciis describitur bonus Populi Princeps: absolutissimâ scilicet in consiliis prudentiâ, in administratione experientiâ prudentiâque, in exhortatione eloquentiâ.

℣. 5. IN PERITIA SUA REQUIRENTES MODOS MUSI-

(a) *Vide infrà* ℣. 15: *Sapientiam eorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet Ecclesia.*
(b) ΠΑΤΕΡΩΝ ΥΜΝΟΣ. (c) Πολλὴν δόξαν ἔκτισεν ὁ Κύριος ἐν αὐτοῖς. *Grot. legit*: Ἐκτήσατο ἐν αὐτοῖς. (d) Κυριεύοντες ἐν ταῖς βασιλείαις αὐτῶν. (e) Ἄνδρες ὀνομαστοὶ ἐν δυνάμει.
(f) Βουλεύοντες ἐν συνέσει αὐτῶν. (g) *Dionys. Lyran.* (h) Ἀπηγγελκότες ἐν προφητείαις.
(i) Ἡγούμενοι λαοῦ ἐν διαβουλίοις, καὶ ἐν συνέσει γραμματείας λαοῦ. Σοφοὶ λόγοι ἐν παιδείᾳ αὐτῶν. Γραμματείαν usurpamus hîc pro munere illorum, qui apud Scripturam Græcè dicuntur γραμματεῖς, Hebraicè ספרים, Latinè *Scribæ*. Populi principes erant, ingenti authoritate militiæ & domi-

℣. 6. Homines divites in virtute, (pulchritudinis studium habentes:) pacificantes in domibus suis.

℣. 7. Omnes isti in generationibus (gentis suæ) gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus.

℣. 8. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum:

℣. 9. Et sunt, quorum non est memoria: perierunt, quasi qui non fuerint: & nati sunt, quasi non nati, & filii ipsorum cum ipsis.

℣. 10. Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt:

℣. 11. Cum semine eorum permanent bona,

℣. 12. (Hæreditas sancta nepotes eorum,) & in testamentis stetit semen eorum:

℣. 13. Et filii eorum propter illos usque in æternum manent: semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur.

℣. 14. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem, & generationem.

COMMENTARIUS.

MUSICOS. Hæc verba, *in peritiâ suâ*, jungenda sunt cum superiore versiculo, in hanc sententiam: *Imperantes in præsenti populo, & virtute prudentiæ populis: sanctissima verba in peritiâ eorum*. 5, *Requirentes modos musicos*, &c. Musicam plurimi faciebant Veteres, ac præsertim Hebræi, ut alibi ostendimus (k). Hac arte maximè claruit David, ejusque artis exercitio in Dei obsequium. Græcus habet (l): *Exquirentes*, vel exarantes *carmina musica, & recitantes scripta poëmata*. Nova carmina excogitaverunt, seu vetera recitavere, quæ olim majores exaraverant. Plerumque Levitæ nihil majus erant, quàm cantores; quamquam neque inter ipsos deerant qui Numine afflarentur, & carmina scriberent, ceu Asaph, Heman, Idithun.

℣. 6. HOMINES DIVITES IN VIRTUTE PULCHRITUDINIS STUDIUM HABENTES, PACIFICANTES IN DOMIBUS SUIS. Græcus non habet *pulchritudinis studium*. Vulgata intelligi potest vel de ordine, quem in familiâ statuerunt, vel de Domûs Dei pulchritudine, cujus studio ardebant. Græcæ voces hîc significant (m) homines opulentos, divites, absolutâ familiæ pace & prosperitate gaudentes. Id verò de vetustis Patribus dici potest, Abrahamo, Isaaco, Jacobo; vel de Regibus Juda, Davide, Salomone, Josaphato, Ezechia.

℣. 7. IN GENERATIONIBUS GENTIS SUÆ GLORIAM ADEPTI SUNT. Græcus non habet *gentis suæ*; ac fert solummodò, ipsos ingentem ætate suâ gloriam adeptos esse, ac celebre, dum viverent, nomen obtinuisse. Vel: Nobilissimi nominis famâ & superstites & apud posteros floruerunt. Utrumque sensum admittit Græcus (n).

℣. 8. QUI DE ILLIS NATI SUNT, RELIQUERUNT NOMEN NARRANDI LAUDES EORUM. Nepotes ex illis orti magnum post illos nomen reliquere, quo majorum laudes revocantur. Horum gloria cum illis non desiit: posteri avitam virtutem imitati sunt: quòd si parentum gloria filiis prodest, filiorum laudes in parentes convertuntur. Abrahamo suâ non magis, quàm Isaaci & Jacobi, cæterorumque Patrum virtute claret. Græcus (o) ita cum sequenti versiculo componendus est: *Sunt inter eos qui reliquere nomen* seu posteros (p) *ad celebrandas laudes suas*. ℣. 9. *Et sunt, quorum memoria nulla est*, nulla stirps, *in oblivione jacent, quasi non fuerint ipsi & filii eorum*. Ex his primi sunt Patriarchæ, quorum adeò ingens posteritas atque illustris fuit; alteri sunt justi atque eruditi, quorum memoria in oblivionem abiit, in longâ ætatum serie. Alterum sententiæ membrum nonnulli (q) de impiis explicant, quorum memoria justo Dei judicio in tenebris latuit. Impii verò sunt Cethuræ, Agaris, Edomi nepotes, qui quamquam e celeberrimis majoribus nati, attamen oblivionem non effugêre; vel mali Israëlitæ, criminum causâ e terris ejecti.

℣. 10. SED ILLI VIRI MISERICORDIÆ SUNT, QUORUM PIETATES NON DEFUERUNT, pietas nunquam deficiet. Impios in eâ oblivione destituit, in quam lapsi sunt; justosque homines ac pios, *viros misericordiæ*, prosequitur. Hebræis, præsertim Scriptoribus Captivitate recentioribus (r), *vir misericordiæ*, *Assidaus*, est vir pius, probus, verus denique Israëlita. Sapiens hoc nomine appellat Patriarchas ac veteres Justos, eos præsertim, quorum memoria illustris erat, gestaque nobilissima in Templo ac Religiosis cœtibus recitabantur. Græcus: *Hi sunt viri misericordes, quorum justitia in oblivionem non venerunt*.

℣. 11, 12, 13. CUM SEMINE EORUM PERMANENT BONA. Græcus tribus versiculis 11, 12, 13, fert hæc verba: *Cum semine eorum permanet bona hæreditas*, scilicet regio Chanaan, patribus tam diu ante promissa. 12, *Filii eorum in testamento continentur*: fœderis filii sunt, promissorumque Patriarchis exhibitorum hæredes. *Semen illorum in testamento est, & per filios in ævum manet post ipsos*. 13, *Stirps illorum in longas ætates perseverat, & gloria ipsorum non delebitur*. Alii Codices breviorem, sed eamdem sententiam ferunt.

℣. 14. CORPORA EORUM IN PACE SEPULTA SUNT: AT NOMEN EORUM VIVIT IN GENERATIONEM

ET

(k) Dissertatione de Musicâ Hebræorum, ad Psalmos. (l) Ἐκζητοῦντες μέλη μουσικῶν, διηγούμενοι ἔπη ἐν γραφῇ. (m) Ἄνδρες πλούσιοι κεχορηγημένοι ἰσχύϊ, εἰρηνεύοντες ἐν κατοικίαις αὐτῶν. Vox ἰσχὺς ponitus pro opibus. *Eccli.* XIV, 13; XXVIII, 12. Respondet Hebræo חיל

(n) Πάντες οὗτοι ἐν γενεαῖς ἐδοξάσθησαν, καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτῶν καύχημα. (o) Εἰσὶν αὐτῶν οἳ κατέλιπον ὄνομα τοῦ ἐκδιηγήσασθαι ἐπαίνους. ℣. 9: Καὶ εἰσὶν ὧν οὐκ ἔστι μνημόσυνον.

(p) *Grot. Vide Deut.* XXV, 6, 7: *Non vult suscitare nomen fratris sui in Israël*. *Josue*, VII, 9; *Ruth*, IV, 5, 10; *Isai.* XIV, 22, *&c.* (q) *Palac. Cornel. a Lapide*, *Grot. alii*.

(r) *Vide* 1 *Par.* VI, 41; *Psal.* III, 4; XI, 1, XXXVI, 28; XLIX, 5; LXXVIII, 2, חסידים 1 *Maccab.* VII, 13; & 2 *Macc.* XIV, 6, Ἀσιδαῖοι. *Eccli.* XLIV, 27, Ἄνδρα ἐλέους.

℣. 15. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nuntiet ecclesia.

℣. 16. Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam.

℣. 17. Noë inventus est perfectus, justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.

℣. 18. Ideò dimissum est reliquum terræ, cùm factum est diluvium.

℣. 19. Testamenta sæculi posita sunt apud illum, ne deleri possit diluvio omnis caro.

℣. 20. Abraham magnus pater multitudinis gentium, & non est inventus similis illi in gloriâ, qui conservavit legem Excelsi, & fuit in testamento cum illo.

℣. 21. In carne ejus stare fecit testamentum, & in tentatione inventus est fidelis.

COMMENTARIUS.

ET GENERATIONEM. Tranquillâ morte obierunt Patriarchæ, sedatamque familiam ac rebus prosperis fruentem reliquere; corpora in sepulcris quiescunt: eorumque stirps majorum nomen in omnem ætatem profert. Qua solicitudine Israëlitæ mortuorum sepulturam curarent (s), & quàm gravis mali loco haberent insepultum jacere, vel in sepulcro quiescentem turbari, neminem latet. Animam quietè agere non posse putabant, dum corpus non quiesceret.

℣. 16. ENOCH PLACUIT DEO, ET TRANSLATUS EST IN PARADISUM, UT DET GENTIBUS POENITENTIAM. De Enocho ejusque translatione satis disputavimus in Commentario ad Genesim, v, 24. Latini Patres, & ii qui Vulgatam hujus loci lectionem sequuti sunt, Enochum in Paradisum translatum esse putavere, scilicet in Cœlum, ut aliquibus placet (t); vel in hortum Eden, ut aliis videtur (u). At Græci, qui *Paradisum* hic non legebant, nihil de loco, quo translatus est Enoch, asseruerunt (x). Opinione ex majoribus acceptâ, constans est Christianorum ac Judæorum sententia, Enochum adhuc vivere (y), ipsumque supremo Judicio præiturum, ut in Antichristum pugnet. Græcus solùm fert (z): *Enoch placuit Domino Deo, & translatus est*, qui erat *exemplum pœnitentiæ populis* ætatis suæ; vel, futurus *exemplum pœnitentiæ futurarum ætatum hominibus*. Alteri huic explicationi magis favet Vulgata. Pœnitentiam & exemplo & verbis suadebit hominibus tunc victuris, ut illos ad Divinum Judicium subeundum, pugnamque in Antichristum obeundam paret. Enochi & Eliæ adventum apertis verbis prædicit Apocalypsis (a); eorumque vitæ, vestium, & mortis, a bestiâ ex Abysso proditurâ inferendæ genus describit.

℣. 17. NOE INVENTUS EST PERFECTUS, JUSTUS, ET IN TEMPORE IRACUNDIÆ FACTUS EST RECONCILIATIO. Græcus ad verbum (b): *Pretium*, hominibus æquivalens: suâ quodammodo integritate universum hominum genus, veluti exhibito pretio, redêmit. Cùm enim hominum crimina mererentur, ut homines immissis diluvii aquis perirent, Noë unus fuit peccati expers, humanumque genus in familiâ suâ servavit. Confer *Genes.* VI, 8: *Noë invenit gratiam coram Domino. Noë vir justus atque perfectus fuit in generationibus suis*.

℣. 18. DIMISSUM EST RELIQUUM TERRÆ, CUM FACTUM EST DILUVIUM. Noëmi probitatis causâ, ut diximus, pepercit Deus, quin genus hominum universum deleret, ac Noëmi familiam servavit. Græcus legit (c): *Propterea factum est diluvium: propterea relictæ sunt reliquiæ super terram*; Noëmi scilicet genus. Hebræa vox יתר (d), quæ reliquias significat, posteros etiam sonat. 19, *Et testamenta sæculi apud ipsum*, ceu loco depositi, *constituta sunt*. Fœdus cum Noëmo facere voluit Deus, ac fidem dare futurum, ut communi diluvio universos homines deleret. In eo autem fœdere sanciendo, Noë ceu fidejussor fuit, vel is cum quo Deus fœdus feriit, universi hominum generis nomine (e).

℣. 20. ABRAHAM MAGNUS PATER MULTITUDINIS GENTIUM. Abraham, si Hebraicum etymon spectes (f), est *pater magna multitudinis*. Dicitur verò *pater multitudinis gentium*; multæ enim ex eo gentes ortæ sunt: Ismaëlitæ in duodecim Tribus distributi; Cethuræ filii; Idumæi, ex Esau Isaaci filio & Abrahami nepote sati; ac denique Israëlitæ, nobilis ac celeberrima ea gens, ex Jacobo, cui pater Isaac, Abraham avus.

QUI CONSERVAVIT LEGEM EXCELSI, ET FUIT IN TESTAMENTO CUM ILLO. Cæteris per orbem populis superstitionem sectantibus, Abraham sequutus est Deum, cum eoque fœdus iniit (g); ejusque fœderis signum accepit circumcisionem. (21) *In carne ejus stare fecit testamentum*; probandæque ipsius virtutis causâ, jussus filium Isaacum mactare, eâ constantiâ obtemperavit, quæ naturæ vires superare videretur. *In tentatione inventus est fidelis*.

(s) *Vide Genes.* XXXV, 8, 20; XXXV, 20; XLIX, 31; L, 24. (t) *Hieronym. in Amos*, VIII; *Ambros. lib. de Paradiso*, c. 3; *Doroth. in Synopsi*, &c. (u) *Irenæ. lib.* 5, c. 5. *Vide Author. quæst. ad Orthodox. sub nomine Justini*, qu. 85; *Aug. lib.* 6 *Oper. imperfecti contra Julian.* n. 30. (x) *Chrysost. homil.* 21 *in Genes. Theodoret. qu.* 25 *in Genes.* (y) *Hebr.* XI, 5: *Fide Henoch translatus est ne videret mortem, & non inveniebatur. Vide Genes.* V, 22, 24; *Sap.* IV, 10; *Eccli.* XLIX, 29. *Ita & Joseph. Antiq. lib.* 5, c. 4, & *PP. passim.* (z) Ἐνὼχ εὐηρέστησε Κυρίῳ Θεῷ, καὶ μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς. (a) *Apoc.* XI, 3: *Dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis*, &c. *Vide Cornel. a Lapide, hic, & Interpp. ad Apoc.* XI. (b) Ἐν καιρῷ ὀργῆς ἐγένετο ἀντάλλαγμα. (c) Διὰ τοῦτο ἐγένετο ὁ κατακλυσμός. Διὰ τοῦτο ἐγενήθη κατάλειμμα τῇ γῇ. (19.) Καὶ διαθῆκαι αἰῶνος ἐτέθησαν πρὸς αὐτόν, &c. (d) *Mich.* V, 2; *Sophon.* II, 9. *Vide infr.* XLVII, 25, & *passim.* (e) *Genes.* VIII, 21, & *seq.* (f) אב רב המון *Genes.* XVII, 5. (g) *Genes.* XVII, 7, 21; & XXII, 16.

℣. 22. Ideò jurejurando dedit illi gloriam in gente suâ, crescere illum quasi terræ cumulum,

℣. 23. (Et ut stellas exaltare semen ejus, & hæreditare illos a mari usque ad mare, & a flumine usque ad terminos terræ.)

℣. 24. Et in Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem ejus.

℣. 25. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & testamentum confirmavit super caput Jacob.

℣. 26. Agnovit eum in benedictionibus suis, & dedit illi hæreditatem, & divisit illi partem in tribubus duodecim.

℣. 27. Et conservavit illi homines misericordiæ, invenientes gratiam in oculis omnis carnis.

COMMENTARIUS.

℣. 22. IDEO JURSJURANDO DEDIT ILLI GLORIAM IN GENTE SUA, CRESCERE ILLUM QUASI TERRÆ CUMULUM; scilicet, posteros augere, velut ingentem terræ molem. Græcus (h): *Idcirco jurato affirmavit ei, se per semen ejus benefacturum etiam aliis gentibus, & multiplicaturum ipsum sobole, quantus est pulvis terræ.* Hæc ex Genesi (i) ducta sunt, ubi hæc eadem pluries Abrahamo promittuntur.

℣. 23. HÆREDITARE ILLOS A MARI USQUE AD MARE, ET A FLUMINE USQUE AD TERMINOS TERRÆ. Hic locus ex Psalmis est (k), ubi de posterorum Davidis Imperii amplitudine dicitur. At idem sonat ac ea verba quæ in Genesi (l) de Abrahamo leguntur; cujus posteri a Mediterraneo mari usque ad Erythræum, & mare mortuum imperii fines prorogavere; atque ab Euphrate flumine usque ad cognitæ regionis terminos, scilicet usque ad Oceanum, quo Arabia ad meridiem alluitur. Harum promissionum fides nonnisi sub Davide ac Salomone impleta est.

℣. 24. ET IN ISAAC EODEM MODO FECIT PROPTER ABRAHAM PATREM EJUS. Reddi potest Græcus (m): In Isaaco implevit quæ Abrahami causâ promiserat; vel potiùs: Iisdem beneficiis ac promissionibus prosequutus est Isaacum.

℣. 25. BENEDICTIONEM OMNIUM GENTIUM DEDIT ILLI, ET TESTAMENTUM CONFIRMAVIT SUPER CAPUT JACOB. Illum uberi beneficiorum copiâ cumulavit, quæ par illi est, qua omnes gentes locupletat. De Isaaco loquitur. Vel potiùs: Gentes omnes per Isaacum bonis cumulavit. Oriturus erat ex Isaaco Messias, fons bonorum omnium, quæ homines manent (n). Græcus fert breviorem sententiam; atque ita cum superiore versiculo jungitur: *Cum Isaac pariter firmavit, Abrahami patris ipsius causâ, benedictionem omnium gentium & fœdus; quod* deinde *requievit super caput Jacobi.* Quæ Abrahamo promissa sunt, ex ipso ad Isaacum, ex Isaaco ad Jacobum transierunt.

℣. 26. AGNOVIT EUM IN BENEDICTIONIBUS SUIS (o); suâ illum benedictione prosequutus est. Hæredem promissionum illum agnovit; testatusque est, perpetuam fore benevolentiam suam erga Abrahami genus, per Isaacum & Jacobum. Vel: Isaac Jacobum ceu primorem natu legitimumque hæredem agnovit, illi benedicens antequam moreretur. *Dedit illi hæreditatem:* pollicitus illi est regionem, quam Deus Abrahamo promiserat. Denique florentem posteritatem, ac duodecim Tribuum Principes largitus est Jacobo Deus: *Divisit illi partem in tribubus duodecim.*

℣. 27. CONSERVAVIT ILLI HOMINES MISERICORDIÆ. Homines misericordes; fidelem piumque populum ex eo nasci voluit, quo ex populo amicos sibi elegit & cultores. Græcus singulari numero fert (p): *Et eduxit ex illo hominem misericordem, invenientem gratiam in oculis omnis carnis, Deo simul & hominibus carum, Mosen, cujus memoria in benedictionibus* est. Grotius, Badvellus, Hœschelius, aliique nonnulli putant, virum hunc misericordem esse Josephum, Jacobi filium; & malè jungi cum sequenti capite, ubi Moysis elogium texitur. Id si verum est, ut maximè probabile videtur, relinquendi sunt Græci Codices initio Capitis XLV, tenendaque vulgata syntaxis, quæ Moysis elogium ibi exorditur. Hoc æquius nobis videtur, ac meliùs constare eum reliquâ orationis serie. Pauca hæc verba, *Vir misericors* in familiæ Jacobi salutem *servatus, inveniens gratiam in oculis omnis carnis*, Josephum Patriarcham affabrè pingunt, atque omnia, quæ in ipsius laudem dici queunt, quasi compendio continent.

CAPUT XLV.

Moysis, Aaronis, & Phineis elogium. Sacerdotium Aaronis. Core, Dathani, & Abironis supplicium.

℣. 1. DIlectus Deo, & hominibus Moyses, cujus memoria in benedictione est.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DILECTUS DEO ET HOMINIBUS MOYSES, CUJUS MEMORIA IN BENEDICTIONE EST. Eximiis planè atque insolitis beneficiis & ornamentis Moysem decoravit Deus; totaque illius vita

(h) Διὰ τῦτο ἐν ὅρκῳ ἔϛησεν αὐτῷ ἐνευλογεῖν ἔθνη ἐν σπέρματι αὐτῦ, πληθῦναι αὐτὸν ὡς χῦν τῆς γῆς.
(i) *Genes.* XII, 2, 3; XXII, 17. (k) *Psal.* LXXI, 8.
(l) *Genes.* XIII, 14, 15. (m) Καὶ ἐν τῷ Ἰσαὰκ ἔϛησεν ὅτως διὰ Ἀβραὰμ τὸν πατέρα αὐτῦ εὐλογίαν πάντων ἀνθρώπων, καὶ διαθήκην, καὶ κατέπαυσεν ἐπὶ κεφαλὴν Ἰακώβ. (n) *Genes.* XXVI, 1, 2, 3, 4, 5, 6. (o) Ἐπέγνω αὐτὸν ἐν εὐλογίαις αὐτῦ. (p) Καὶ ἐξήγαγεν ἐξ αὐτῦ ἄνδρα ἐλέυς, εὑρίσκοντα χάριν ἐν ὀφθαλμοῖς πάσης σαρκός. (*Cap.* XLV, 1.) Ἠγαπημένον ὑπὸ Θεῦ, καὶ ἀνθρώπων Μωσῆν.

℣. 2. Similem illum fecit in gloriâ Sanctorum,& magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placavit.

℣. 3. Glorificavit illum in conspectu regum, & jussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam.

℣. 4. In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne.

℣. 5. Audivit enim eum, & vocem ipsius, & induxit illum in nubem.

COMMENTARIUS.

vita ex ortu ipso usque ad obitum prodigiis claruit. Deum coram allocutus est, seque illi exhibuit Deus longè luculentiùs, quàm cæteris (a). Illum etiam homines amavere; quippe qui primùm benevolentiam (b), deinde æstimationem filiæ Pharaonis, tum Pharaonis ipsius, cæterorumque Ægyptiorum adeptus est, tum Jetro ac denique Hebræorum, quos patris more potiùs quàm Principis duxit. Profectò qui fieri poterat, ut omnium hominum benevolentiam sibi non compararet, qui suavissimus ac mitissimus mortalium esset (c)? *Cujus memoria in benedictione est* in omnes ætates, non modò in gente suà, verùm etiam in iis, quicumque nominis illius famam audierunt. Nihil majus aut jucundius optari Principi cuilibet potest, quàm Moysis sapientia, prudentia, probitas, pietas. Græcus fert (d) *Cujus memoria in benedictionibus est*, perpetuis laudibus floret, vel gratiarum actionibus: in solemnibus Synagogis publicè laudatur. Unus ex iis est, quorum laudes a nobis prædicantur. Hunc versiculum in Græco cum superioris capitis fine connecti, jam vidimus; atque ad Moysen referenda esse ea quæ in fine Capitis XLIV dicuntur, si Græcum sequamur. At vulgata lectio melior videtur. Nos de Josepho intelligimus Capitis superioris finem; atque hìc Moysis elogium exordiri putamus.

℣. 2. SIMILEM ILLUM FECIT IN GLORIA SANCTORUM, illum eà gloriâ ornavit, quâ veteres Patriarchas, vel potiùs Angelos (e): non secùs enim atque illis, Deum intueri & alloqui illi datum est. Denique prodigia paravit iis paria, quæ ab Angelis geri possunt.

MAGNIFICAVIT EUM IN TIMORE INIMICORUM, magnum atque hostibus formidabilem effecit; Pharaoni, Ægyptiis, Amalecitis, Israëlitis seditiosis, iisque qui a Deo, cujus ipse minister ac vindex erat, defecerunt.

IN VERBIS SUIS MONSTRA PLACAVIT. Græcus (f): *In verbis suis cessare fecit prodigia.* Non modò ipse prodigia gessit cùm voluit; verùm etiam cessare jussit pro arbitrio. Nihil certè grandius dici potest, ut prodigia patrandi potestas homini concessa commendetur, quàm ubi dicas, illum prodigia facere & cohibere, ferire & sanare; Cœlum aperire & claudere; ranas, culices, angues accersere & dissipare eà facilitate ac potestate, qua Moyses solebat. Angues præstigiis suis Magi Pharaonis proferunt? Illos altero angue producto vorari Moyses jubet (g). Moysis prodigia magicis artibus illi imitantur? Mala a Moyse immissa vitare nequeunt (h). His planè ostenditur, quanto nobilior Moysis virtus fuerit, quàm præstigiatorum, Magorumque Ægypti, quos illi diabolus opposuit.

℣. 3. GLORIFICAVIT ILLUM IN CONSPECTU REGUM; Pharaonis Ægyptiorum, Sehonis Amorrhæorum, Og Basanitidis, cæterorumque Chananitidis Regum, quos nominis illius terror, & prodigiorum fama consternaverat (i).

JUSSIT ILLI CORAM POPULO SUO. Illum allocutus est Deus in monte Sinai, illique Legem digito suo scriptam dedit. Præsentibus autem Israëlitis universis Deus in monte conspicuus fuit; ibique certissima præsentiæ suæ argumenta exhibuit. Denique Deus *ostendit illi gloriam suam.* Vel ex Græco (k), ut congruat cum Exodo, XXXIII, 22, gloriæ suæ partem illi exhibuit, seque ab eo videri passus est transeuntem. Is enim ipsum Dei vultum minimè intuitus est, sed prætergressum vidit, dorsum scilicet: *Videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.*

℣. 4. IN FIDE ET LENITATE IPSIUS SANCTUM FECIT ILLUM. Illum gratià & sanctitate instruxit; donisque misericordiæ & gratiæ suæ ornavit, vivâque fide donavit, quæ in illius sermonibus enituit; morumque suavitate inter seditiones exploratissimâ (l). Vel, usurpato sensu hujus phrasis, *sanctum facere*, pro præparare: Illum Deus paravit, ut par muneri gravissimo esset, cui illum destinaverat; quamobrem & necessariis in eam rem donis muniit, absolutissimâ erga Deum fide, divinisque imperiis obedientià: *Moyses in omni domo meâ fidelissimus*; ita enim Deus ipse de Moyse testatur (m); eàque mansuetudine, clementià, lenitate, qua opus erat erga pervicacem populum, perversum, indocilem, incredulum. His igitur ornamentis illum decoravit Deus, atque inter omnes ætatis suæ homines illum selegit, ut voluntatis suæ ministrum, ac fœderis cum Israëlitis sanciendi interpretem constitueret: *Elegit eum ex omni carne.*

℣. 5. AUDIVIT ENIM EUM, ET VOCEM IPSIUS, ET INDUXIT ILLUM IN NUBEM. Græcus (n). *Audire fecit illum vocem suam, & introduxit in caliginem.* Illum Deus in monte Sinai alloquutus est, atque ad verticem usque, nube & inaccessâ caligine obsitum, ascendere jussit (o). Tonitruum fragores audiit gens universa, & ignes ac fulgura spectavit, sonitumque tubæ similem e Sinai reboantem intellexit. Nemo tamen accedere ausus est, quin potiùs Moysem rogavere, ut sese ipse alloqueretur, non Dominus, ne universi perirent. Longè igitur a monte steterunt Israëlitæ: at Moyses eò ascendens, intra caliginis penetralia admissus est.

℣. 6. De-

(a) *Num.* XII, 6: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei ... At non talis servus meus Moyses, qui in omni domo meâ fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, &c.* (b) *Exod.* II, 10, 11, *Act.* VII. (c) *Num.* XII, 13. (d) Καὶ τὸ μνημόσυνον ἐν εὐλογίαις. *Vide Grot. hic.* (e) *Drus. Grot. Cast.* (f) Ἐν λόγοις αὐτοῦ σημεῖα κατέπαυσεν.
(g) *Exod.* VII, 12. (h) *Exod.* VIII, 19.
(i) *Josue*, II, 10, 11. (k) Ἔδειξεν αὐτῷ τῆς δόξης αὐτοῦ.
(l) *Num.* XII, 3, 7. (m) *Num.* XII, 6, 7.
(n) Ἠκούτισεν αὐτὸν τῆς φωνῆς αὐτοῦ, καὶ εἰσήγαγεν αὐτὸν εἰς γνόφον.
(o) *Exod.* XIX, 16, 17; XX, 18, 19, 21.

℣. 6. Et dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ, docere Jacob teſtamentum ſuum, & judicia ſua Iſraël.
℣. 7. Excelſum fecit Aaron fratrem ejus, & ſimilem ſibi de tribu Levi:
℣. 8. Statuit ei teſtamentum æternum, & dedit illi ſacerdotium gentis: & beatificavit illum in gloriâ,
℣. 9. Et circumcinxit eum zonâ gloriæ, & induit eum ſtolam gloriæ, & coronavit eum in vaſis virtutis.
℣. 10. Circumpedes, & femoralia, & humerale poſuit ei, & cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro,
℣. 11. Dare ſonitum in inceſſu ſuo, auditum facere ſonitum in templo, in memoriam filiis gentis ſuæ.
℣. 12. Stolam ſanctam auro, & hyacintho, & purpurâ, opus textile, viri ſapientis, judicio & veritate præditi:

COMMENTARIUS.

℣. 6. DEDIT ILLI CORAM (p) PRÆCEPTA, ET LEGEM VITÆ. Vel: *Dedit illi coram* (q) Incolentâ manifeſtâque ratione, ut amicus amico, *Legem vitæ & diſciplinæ;* Legem quæ vitam atque intellectum allatura erat; vel, qua ſervatâ, vitam ſuorumque officiorum cognitionem adepturi erant; fermè uti Adamo in Terreſtri Paradiſo arbores vitæ & ſcientiæ ſuppetebant, ex quibus mortis & ignorantiæ remedium oriebatur (r).

℣. 7. EXCELSUM FECIT AARON FRATREM EJUS, ET SIMILEM SIBI DE TRIBU LEVI. Aaronem Moyſis fratrem Deus beneficiis cumulavit, ſtatuitque ceu Moyſis interpretem ac Legatum (s). Summum gentis Sacerdotem creavit (t); ejusque familiam ſupra cæteras e Levi familias evexit. Quibus ornamentis illuſtrem hunc virum Deus decoraverit, in conſequentibus conſtabit. Græcus (u): *Aaronem evexit* Deus *fratrem Moyſis*, *ſanctum*, *ſimilem ipſi*. Electus eſt Aaron, paratus, expiatusque non ſecùs ac Moyſes, ut populum Ægyptiacâ ſervitute liberaret. *Sanctus Domini* fuit Aaron, uti Moyſes: *Aaron Sanctum Domini*, ait Pſalmiſta (x). Prima Moyſi dignitas, ſecunda Aaroni.

℣. 8. STATUIT ILLI TESTAMENTUM ÆTERNUM, Aaroni. Illum ſcilicet Deus in Iſraële Pontificem creavit, voluitque æternum eſſe in illius familiâ Sacerdotium, e patre in filium deſcendens. Decimas Aaroni conceſſit, primitias, victimarumque in Tabernaculo ac Templo mactandarum partes; aliisque in gente ſuâ dignitatibus auxit. Hæc Deus fœderis nomine pollicebatur. Aaron verò ejusque familia promittebant, ſeſe fidem religiosè Deo præſtituros, atque obtemperaturos tum iis legibus quæ genti communes erant, tum iis quas Moyſes, muneris ipſorum causâ, ſibi eſſet dicturus. Præcipua Aaronis ejusque poſterorum officia vide infra, ℣. 29.

℣. 9. CIRCUMCINXIT ILLUM ZONA GLORIÆ. Præcipua Pontificis ornamenta deſcribere aggreditur Sapiens; quibus indui, nemini præter ipſum, imò neque ipſi extra Templum, licebat. Pontificis zona lata erat digitos fermè quatuor, textu verò ſubinani, ut ſerpentis exuviæ videretur. Flores autem intextos habebat cocco & purpurâ, hyacintho atque byſſo variegatos; at ſtamen ejus ex ſolâ byſſo. Ita Joſephus (y).

INDUIT EUM STOLAM GLORIÆ, magnificam, glorioſam. *Stola* veſtis erat talaris. Apud Romanos matronarum erat: apud Orientales & Græcos viris fœminisque communis. Græcus (z): *Induit ipſum perfectione gloriæ*; ſcilicet ſumptuoſiſſimis ac magnificentiſſimis ornamentis: quidquid maximè auguſtum ac ſplendidum excogitari poterat.

CORONAVIT EUM IN VASIS VIRTUTIS; apparatu majeſtatis pleno coronavit. Vel (a): *Firmavit eum ornamentis pretioſiſſimis*. *Virtus* pro *opibus* uſurpata & ſuperiùs (b) occurrit, & deinceps redibit, ℣. 14. Venerabilem igitur Aaronem reddidit Deus pretioſis veſtibus; vel, in dignitate confirmavit, magnificis veſtibus induens.

℣. 10. CIRCUMPEDES ET FEMORALIA; ſcilicet poderem & femoralia. Pontifex podere hyacinthino, vel cæruleo induebatur, cujus ad oram aurea tintinnabula & mala punica variis coloribus texta pendebant. Præter hanc, alia veſtis erat, tunica ſcilicet interior linea, ſpiſſo opere. Hæc in Exodo (c) leguntur; ubi etiam optimè deſcribuntur Pontificis femoralia (d). Græcus ad verbum fert (e): *Periſcelides*, *& poderem*, veſtes ſcilicet, quibus crura pedesque ambiuntur, ad terram usque protenſas. His verò ſignificare videtur femoralia, & tunicam hyacinthinam talarem; utraque enim Pontifici conveniebat.

ET HUMERALE POSUIT EI, ſcilicet *Ephod* (f); quæ vox Hebræa eſt, & apud Septuaginta & Vulgatam redditur, veſtis humeros tegens. Commune autem erat Sacerdotibus omnibus, ipſisque Levitis veſtimentum. Ea verò lori genus erat, quod humeros amplectens, ſupra pectus decuſſabatur; ac deinde tunicam circum ſtringebat. Huic Ephod Pontificis jungebatur Rationale, de quo mox. Vide nos in Exodum.

CINXIT ILLUM TINTINNABULIS. Græcus (g) addit mala punica, uti habet Moyſes (h). Ea ex lanâ erant, hyacintho, purpurâ & cocco. Hæc autem tintinnabula gerebat Pontifex, ut iis monerentur Iſraëlitæ, dum Pontifex in Templo deambularet. Vel, figura erant, qua Dei recordatio in populo excitaretur. Priori explicationi favere videtur ℣. 21. Vide nos in Exodum.

℣. 12. STOLAM SANCTAM AURO ET HYACINTHO,

(p) *Complut. Sixt. V, alii: Dedit illi cor ad præcepta, &c.*
(q) Ἔδωκεν αὐτῷ κατὰ πρόσωπον. (r) Vide nos in Geneſim, II, 9.
(s) *Exod.* IV, 14, 27, 28. (t) *Exod.* XXVIII, 1, 2. (u) Ἀαρὼν ἀνύψωσεν ἅγιον ὅμοιον αὐτῷ ἀδελφὸν αὐτοῦ, *&c.* (x) *Pſal.* CV, 26. (y) *Joſeph. Antiq. lib.* 3, *c.* 8. Vide nos in Exodum, XXVIII, 4.
(z) Ἐνέδυσεν αὐτὸν συντέλειαν καυχήματος. (a) Ἐστερέωσεν αὐτὸν ἐν σκεύεσιν ἰσχύος.
(b) *Eccli.* XLIV, 3, 6. (c) *Exod.* XXVIII, 4. Vide nos in hunc locum. (d) *Exod.* XXVIII, 42, & Comment. (e) Περισκελῆ καὶ ποδήρη. (f) אפוד Ἐπωμίς, *Superhumerale.* (g) Καὶ ἐκύκλωσεν αὐτὸν ῥοΐσκοις, χρυσοῖς κώδωσι πλείστοις κυκλόθεν. (h) *Exod.* XXVIII, 33. Vide nos in hunc locum.

℣. 13. Torto cocco opus artificis, gemmis pretiosis figuratis in li-
gaturâ auri, & opere lapidarii ſculptis, in memoriam ſecundùm
numerum tribuum Israël.
℣. 14. Corona aurea ſuper mitram ejus, expreſſa ſigno ſanctitatis,
& gloria honoris: opus virtutis, & deſideria oculorum ornata.
℣. 15. Sic pulchra ante ipsum non fuerunt talia usque ad originem.
℣. 16. Non eſt indutus illâ alienigena aliquis, ſed tantùm filii ipſius
ſoli, & nepotes ejus per omne tempus.
℣. 17 Sacrificia ipſius conſumpta ſunt igne quotidie.
℣. 18. Complevit Moyſes manus ejus, & unxit illum oleo ſancto.
℣. 19. Factum eſt illi in teſtamentum æternum, & ſemini ejus ſicut
dies cœli: fungi ſacerdotio, & habere laudem, & glorificare po-
pulum ſuum in nomine ejus.

COMMENTARIUS.

THO, ET PURPURA OPUS TEXTILE, VIRI SAPIENTIS, JUDICIO ET VERITATE PRÆDITI. His verbis indicat *rationale*, vel *pectorale*, quod ex quadrato panno erat, auro, hyacintho, & purpurâ conſtans, inſertis duodecim lapidibus, nomina duodecim Israëlis Tribuum inſculpta gerentibus: his addebatur Urim & Thummim, ſcilicet veritatis oraculum, quod conſulenti Pontifici reſponſa dabat. Hæc omnia texuerat Beſeleel, ejus artis peritiſſimus. Græcus ita intelligi poteſt (i): *Stolâ ſanctâ aureâ, hyacinthinâ, purpureâ, opere phrygionico*, induit Aaronem Deus. Addidit *rationale judicii, cum manifeſtationibus veritatis*. Ita paſſim reddunt Græci Hebræas voces *Urim & Thummim*. Vide quæ diximus in Exodo, XXVIII, 6, &c.

℣. 13. FIGURATIS IN LIGATURA AURI; auro incluſis, inſculptis, diſtinctisque. Pergit Rationalis deſcriptio. Duodecim gemmas, nomina duodecim tribuum ferentes, in Rationali fuiſſe, neminem latet. Græcus (k): *Gemmis more annulorum ſculptis, auroque incluſis, operâ gemmarii*.

℣. 14. CORONA AUREA SUPER MITRAM EJUS, EXPRESSA SIGNO SANCTITATIS. Cidarim ſplendidam gerebat Pontifex, circa quam in fronte Pontificis erat Mitra ſeu Diadema; ſcilicet vitta, caput ambiens; ipſique vittæ, quà parte Pontificis frontem tangebat, juncta erat aurea lamina bis verbis inſcripta: *Sanctum Domino* (l). Id quod Mitræ nomine apud Græcos Latinosque ſignificatur, vernaculo ſermone ſatis exprimi nequit. *Mitra* enim vitta eſt, caput ambiens, ſeu cingulum capitis.

EXPRESSA SIGNO SANCTITATIS, GLORIA HONORIS, ET OPUS VIRTUTIS, DESIDERIA OCULORUM ORNATA; ſcilicet, ubi ſanctitatis nomen, ſummaque gloria inſculpta erat: opus pulcherrimum ac majeſtatis plenum. Græcus ita ſonat (m): *Corona more ſigillorum inſculpta erat*; aurea ſcilicet lamina, habens nomen *ſanctitatis*, vel *Sanctum Domino*: *Ornamentum honoris, opus pretioſum*. Supra, ℣. 9, animadvertimus, virtutem pro opulentâ & pretioſâ re uſurpari; *opus virtutis, opus eximium*; quidquid pulcherrimum optari poteſt: *Deſideria oculorum*. Denique, mirum erat ornamentum & opere & materiâ. (15) Nihil unquam ſimile fuit. Poſtrema hæc elogii verba non modò ad Pontificis Tiaram & auream laminam, verùm etiam ad cætera Pontificis ornamenta pertinent.

℣. 16. NON EST INDUTUS ILLA ALIENIGENA ALIQUIS. Pontificis ornamenta in unius ipſius, ejusque ſucceſſorum uſum erant. Judæorum nemini iis indui licebat, neque ipſimet Regi, aut inferioris ordinis Sacerdoti. Ipſe etiam Pontifex nonniſi in Templo, ac per dies maximè ſolemnes iis utebatur.

℣. 17. SACRIFICIA EJUS CONSUMPTA SUNT IGNE QUOTIDIE. Græci Codices quidam legunt (n): *Sacrificia eorum*; alii, *ſacrificia ejus tota & integra quotidie offerentur aſſiduè bis*. Non Pontificis, ſed inferiorum Sacerdotum id munus erat, qui conſueta holocauſta veſpere & mane per vices unusquisque offerebant (o). Quamobrem magis placet lectio, quæ fert, *Sacrificia eorum*, atque ad Aaronis filios, ſuperiori ℣. deſignatos, refero.

℣. 18. COMPLEVIT MOYSES MANUS EJUS, ET UNXIT ILLUM OLEO SANCTO. Moyſes, Deo jubente, Aaronem, ejusque filios conſecravit; 1, propriis ejus dignitatis veſtibus induens (p): 2, muneris ſui inſtrumenta illorum manibus imponens, & partes victimæ, quæ iis debebantur (q). Ita quaſi in muneris poſſeſſionem immittebantur. 3, Oleo Sancto inungens, & cruore victimæ ob eam rem immolatæ liniens. Oleum capiti infudit; cruore ſuperiorem auris partem, dexteræ manûs volam, & dexteri pedis pollicem tetigit (r). *Complere manus Sacerdotis* apud Scripturam eſt illum initiare.

℣. 19. FACTUM EST ILLI IN TESTAMENTUM ÆTERNUM, ET SEMINI EJUS SICUT DIES COELI. Aaronis conſecratio atque unctio ceu fœderis a Deo cum illius genere initi ſigillum fuit, quo fœdere Deus æternum illis Sacerdotium pollicebatur. Aaronis Sacerdotium Chriſti Sacerdotium ſignificabat, quo de uno propriè impletum eſt id quod hîc dicitur, futurum ſcilicet, ut par cœlo illius diuturnitas ſit; Legis enim Sacerdotium jam diu eſſe deſiit (t).

FUNGI SACERDOTIO, ET HABERE LAUDEM, ET GLORIFICARE POPULUM SUUM IN NOMINE EJUS; ut Sacerdotio fungatur, ac Dei laudes canat, & gloriam ſuo nomine plebi nuntiet. Luculentior eſt Græci ſententia (u), conceptisque verbis duo potiſſima Pontificis munera ſignificat. Cætera ſequenti verſiculo feruntur. *Miniſtrare ipſi Deo, ſimul-*

(i) Στολῇ ἁγίᾳ χρυσῷ, καὶ ὑακίνθῳ, καὶ πορφύρᾳ, ἔργῳ ποικιλτοῦ· λογείῳ κρίσεως, δήλοις ἀληθείας. Urim & Thummim, plerumque redduntur a Septuaginta δήλωσις, καὶ ἀλήθεια. (k) Γλύμμασι σφραγῖδος ἐν δέσει χρυσίου. (l) Vide *Exod.* XXVIII, 4. (m) Ἐκτύπωμα σφραγῖδος ἁγιάσματος, καύχημα τιμῆς, ἔργα ἰσχύος ἐπιθυμήματα ὀφθαλμῶν, κοσμούμενα ὡραῖα. (n) Θυσίαι αὐτῶν ὁλοκαρπωθήσονται καθημέραν ἐνδελεχῶς δίς. (o) *Num.* XXVIII, 3, 4. (p) *Exod.* XXVIII, 41; *Levit.* VIII, 7, 8. (q) *Levit.* VIII, 26, 27. (r) *Levit.* VIII, 12, 23. *Psal.* CXXXII, 2. (s) *Num.* III, 3; *Judic.* XVII, 5, 12; *&* 3 *Reg.* III, 13, *&* 32, *&c.* (t) *Hebr.* VII, 11, 12, 13, *&c.*
(u) Λειτουργεῖν αὐτῷ, ἅμα καὶ ἱερατεύειν, καὶ εὐλογεῖν τὸν λαὸν ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ.

℣. 20. Ipsum elegit ab omni vivente, offerre sacrificium Deo, incensum, & bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo.

℣. 21. Et dedit illi in præceptis suis potestatem, in testamentis judiciorum, docere Jacob testimonia, & in lege suâ lucem dare Israël.

℣. 22. Quia contra illum steterunt alieni, & propter invidiam circumdederunt illum homines in deserto, qui erant cum Dathan, & Abiron, & congregatio Core in iracundiâ.

℣. 23. Vidit Dominus Deus, & non placuit illi, & consumpti sunt in impetu iracundiæ.

℣. 24. Fecit illis monstra, & consumpsit illos in flammâ ignis.

℣. 25. Et addidit Aaron gloriam, & dedit illi hæreditatem, & primitias frugum terræ divisit illi.

℣. 26. Panem ipsis in primis paravit in satietatem: nam & sacrificia Domini edent, quæ dedit illi, & semini ejus.

COMMENTARIUS.

simulque Sacerdotio fungi, & bene precari populo nomine ejus, Domini. Solemnibus formulis populo bene precari per dies festos, unius Pontificis officium erat. Vide *Num.* VI, 23, 24. Pontificis dignitas in Templo erat, ceu primi familiæ ac domûs Dei Israëlis administratoris. Ipse multitudinis nomine Deo supplex accedebat, veniamque peccatorum populi postulabat.

℣. 20. OFFERRE SACRIFICIUM DEO, INCENSUM, ET BONUM ODOREM. Hæc non unius Pontificis erant, sed ad minores etiam Sacerdotes pertinebant. Sacrificia in Altari holocaustorum, suffitus in Sancto super Altare aureum cremabantur. Uni Pontifici ex Lege servabantur sacrificia & suffitus, qui solemni Expiationis die offerebantur (x). At consuetudine obtinuerat, ut per dies maximè solemnes, insolitisque in rebus sacra faceret Pontifex. De hac re nihil satis luculentum habet Scriptura. Græcus (y): *Offerre holocaustum Domino, incensum, & suffitum odoriferum ad memoriam* revocandam, & ad *expiandum populum*, vel ad placandum erga Israëlitas Deum. Communis est loquendi formula, Scripturæ frequens, suavi sacrificiorum vel suffituum in Altari crematorum odore Deum excitari, ut plebis suæ reminiscatur (z); quasi ex intimâ humilitatis conscientiâ dicerent: Te coram, o Deus, adire, aut vota ad te statim facere non audemus: quamobrem suavia coram te suffimenta cremamus, ut servorum tuorum reminisci digneris.

℣. 21. DEDIT ILLI IN PRÆCEPTIS SUIS POTESTATEM; authoritatem illi contulit, ut præceptorum sanctionumque suarum, suique fœderis observationem exigeret. Maxima erat Pontificis authoritas non modò in iis quæ ad religionem, verùm etiam in iis quæ ad civilem administrationem pertinebant. Ipse de gravissimis negotiis, saltem provocatione, cognoscebat; totiusque Juris, quod in Metropoli & in quibusdam urbibus totum fermè per Sacerdotes ac Levitas dicebatur (a), princeps erat. Saltem hoc sanxerat Moyses; deinceps enim aliquid in hac re a Regibus mutatum est. Vide nostram dissertationem de re Politicâ Hebræorum ad Numeros. Græcus hoc loco legit (b): *Statuit illum in præceptis suis, & authoritatem illi dedit circa edicta judiciaria, ut doceret Israëlem præcepta ejus, &c.* Divinæ Legis interpretes & conservatores sunt Pontifex, ejusque in pontificatu successores: illam populo tradunt atque explicant. *Labia sacerdotis*, inquit Malachias (c), *custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est*. Authoritate etiam pollet, ut illius observationem exigat; ipsiusque Dei vices judicando agit: constantiâ ac virtute armatur, ut violatores puniat, rectumque ordinem tueatur. Vide *Deut.* XXXIII, 9, 10.

℣. 22. CONTRA ILLUM STETERUNT ALIENI; Core scilicet, Dathan, & Abiron, in Aaronem conjurati. Core ex Tribu Levi, atque ex eâdem stirpe Gaath, non secùs ac Aaron; Dathan, Abiron, Hon, ex Tribu Ruben. Conjurationis causa erat invidia, qua duplex hæc Tribus familiam Aaronis tam multis tantisque supra cæteras ornamentis distinctam ferre non poterant. Vide nos in Numeros, XVI, 1, 2.

℣. 23. CONSUMPTI SUNT IN IMPETU IRACUNDIÆ Dei. Hiscente terrâ, primi seditionis authores absorpti sunt; egressusque ignis e Tabernaculo, ducentos & quinquaginta conjuratos, thus offerre ausos, corripuit. Narrat hæc Liber Numerorum (d), & sequens versiculus: *Fecit illis monstra, & consumpsit illos in flammâ ignis.*

℣. 25. ET ADDIDIT AARON GLORIAM, ET DEDIT ILLI HÆREDITATEM. Præter hæc decora, Aaroni ejusque familiæ concessa, *gloriam* seu opes illis addidit Deus (gloria & opes apud Scripturam (e) pro synonimis usurpantur); certissimumque atque amplissimum illis censum dedit ex primitiis, decimis, oblationibus, & sacrificiis, quæ Domino sistebantur. At arcano sapientiæ suæ consilio statuit Deus, ut Sacerdotum Levitarumque census ex certo constitutoque patrimonio non constaret, sed ex decimis atque ex populis oblationibus; ut totus ex populi religione penderet, omnino periturus, si populus a Domini fide ac religione desciseeret. Quamobrem duplex erat Sacerdotibus causa, populum in Dei obsequio ac religione sedulò instituendi; scilicet census amittendi metus, ac dignitatis atque authoritatis conservandæ studium; præter legis ipsius ac religionis amorem, quem primam omnium causam esse decebat.

℣. 26. NAM ET SACRIFICIA DOMINI EDENT. Unius

(x) *Levit.* XVI.

(y) Προσαγαγεῖν κάρπωσιν Κυρίῳ, θυμίαμα, καὶ εὐωδίαν εἰς μνημόσυνον, ἐξιλάσκεσθαι περὶ τοῦ λαοῦ.

(z) *Levit.* II, 2, 9, 16; VI, 15; XXIV, 7; *Num.* V, 15, *&c.* (a) *Deut.* XVII, 8, 9; *&* XXI, 5; *&* XIX, 17; *Ezech.* XLIV, 24. *Joseph. Antiq. lib.* 10, *c. ult.* (b) Ἔδωκεν αὐτὸν ἐν ἐντολαῖς αὐτοῦ, ἐξουσίαν ἐν διαθήκαις κριμάτων· διδάξαι τὸν Ἰακὼβ τὰ μαρτύρια. (c) *Malac.* II, 6, 7.

(d) *Num.* XVI, 30, 31, 35. (e) *Genes.* XXXI, 1; *Psal.* XLVIII, 17, 18; CXI, 3; *Prov.* III, 16, *&c.*

℣. 27. Cæterum in terrâ gentes non hæreditabit, & pars non est illi in gente: ipse est enim pars ejus, & hæreditas.

℣. 28. Phinees filius Eleazari tertius in gloriâ est, imitando eum in timore Domini:

℣. 29. Et stare in reverentiâ gentis: in bonitate, & alacritate animæ suæ placuit Deo pro Israël.

℣. 30. Ideò statuit illi testamentum pacis, principem Sanctorum, & gentis suæ, ut sit illi, & semini ejus sacerdotii dignitas in æternum.

℣. 31. Et testamentum David regi filio Jesse de tribu Judâ, hæreditas ipsi, & semini ejus, ut daret sapientiam in cor nostrum, judicare gentem suam in justitiâ, ne abolerentur bona ipsorum, & gloriam ipsorum in gentem eorum æternam fecit.

COMMENTARIUS.

Uniuscujusque sacrificii partem aliquam lex Sacerdotibus decreverat; ex holocaustis vellus solummodò Sacerdotum erat; quæ tamen non minima sacri pars esse poterat. Ex sacrificiis pro peccato tota fermè victima Sacerdotibus cedebat. Ex victimis pacificis, vel eucharisticis, armus dexter, maxilla, & aliquid aliud. Hæc fusiùs traduntur in Levitico (f).

℣. 27. IN TERRA GENTES NON HÆREDITABIT (g). Nulla erat Sacerdotibus ac Levitis agri hæreditas in regione (h); ac solummodo urbes illis decretæ erant, cum agro mille cubitorum circum ambiente (i).

℣. 28. PHINEES FILIUS ELEAZARI, TERTIUS IN GLORIA EST. Aaroni successit Eleazar; Eleazarum excepit Phinees, qui virtute & legis studio claruit; plerisque enim Israëlitis ad Beelphegor superstitionem, scortationemque cum Madianitarum fœminis desciscentibus, Phinees eorum princeps, qui Divinæ Legis injuriam ulcisci aggressi sunt, Divinum furorem placavit (k). Græcus fert (l): *Phinees tertius adeptus est gloriam* immortalem, *quia exarsit ob gloriam Domini*. Vulgatæ Author Græcum verbum *Zelôsai* usurpavit pro imitari, ut interdum usurpatur: at hìc de Legis studio intelligendum est, quemadmodum ex Libro Numerorum satis intelligitur (m): *Phinees avertit iram meam a filiis Israël, quia zelo meo commotus est contra eos.*

℣. 29. STARE IN REVERENTIA GENTIS. Populo turpiter labente, stetit, ac Dei furorem Israëli imminentem placavit. Fidem, quam Deo debebat, constantissimè servavit, inter totius gentis libidines ac scelera, de quibus mox actum est. Græcus (n): *Quia stetit in clade populi, animique sui probitatem & alacritatem* in eâ re *ostendit: placavit Deum erga Israëlem*. Vide Psalmum cv, 30: *Et stetit Phinees, & placavit, &c.*

℣. 30. STATUIT ILLI TESTAMENTUM PACIS. Respicit Author ad illa, quæ Deus ipsi Phinei pollicitus est, post illustre illud facinus, quod mox diximus (o): *Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi quàm semini ejus, pactum Sacerdotii sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo, & expiavit scelus filiorum Israël.*

℣. 31. ET TESTAMENTUM DAVID REGI... HÆREDITAS IPSI ET SEMINI EJUS. Quale est fœdus datum Davidi de perpetuâ successione Regni ipsi ejusque filiis; tale fuit cum Aarone ejusque posteris. Ita propriè sonat Græcus (p), atque ipsa Vulgata, cujus syntaxis obscura est, deficiente altero comparationis membro, quo Aaron ejusque posteri spectantur. Quemadmodum legitima Regni successio in Davidis familiâ constituta est, & ipsi, natisque ex Davide successoribus deberi nemo inficiatur; ita jus Sacerdotii æternum in Aaronis familiâ atque hæreditarium agnoscitur. Davidis mentio hìc per occasionem fit: cæterùm illius elogium texitur infra, Capite XLVII.

UT DARET SAPIENTIAM IN COR NOSTRUM. Hæc ad Aaronem ejusque successores pertinent. Suo illos Sacerdotio decoravit Deus, ut populum sapientiam pietatemque docerent, æquum jus dicerent, mala genti imminentia averterent, suasque illi fortunas, Divinasque promissiones tuerentur; denique æternam illi gloriam parerent. Græcus aliter sonat, atque ita fert, veluti votum Authoris sit, Deum precantis, ut Sacerdotes suos sapientiâ & justitiâ instruat, quo integriori fide jus populo dicant (q): *Det vobis* Deus, o Aaronidæ, *sapientiam in corde vestro manentem, ut justè judicetis populum ipsius, ne intereant bona ipsorum*; utque Aaronis familia servet sibi *gloriam Sacerdotii in omnes ætates.*

CAPUT XLVI.

Elogium Josue, Calebi, Samuelis.

℣. 1. FOrtis in bello Jesus Nave, & successor Moysi in Prophetis, qui fuit magnus secundùm nomen suum;

COMMENTARIUS.

℣. 1. FORTIS IN BELLO JESUS NAVE, ET SUCCESSOR MOYSI IN PROPHETIS, QUI FUIT MAGNUS SECUNDUM NOMEN SUUM. Josue filius Nun, a Græcis dicitur *Jesus filius Nave*, vetustissimo li-

(f) Vide septem priora Levitici Capita. (g) *Complut. & alii quid. Inter gentes non hæreditabit.* Ex Græco legendum videtur cum Vulgatâ: *In terrâ gentes non hæreditabit*, Ἐν γῇ λαῶν οὐ κληρονομήσει. (h) *Num.* XVIII, 20; *Deut.* XVIII, 1, 2. (i) *Num.* XXXV, 1, 2, *& seq.* (k) *Num.* XXV, 7, 11. (l) Φινεὲς υἱὸς Ἐλεαζάρου τρίτος εἰς δόξαν, ἐν τῷ ζηλῶσαι αὐτὸν ἐν φόβῳ Κυρίου. (m) *Num.* XXV, 11. (n) Καὶ στῆναι αὐτὸν ἐν τροπῇ λαοῦ ἐν ἀγαθότητι προθυμίας ψυχῆς αὐτοῦ, καὶ ἐξιλάσατο περὶ τοῦ Ἰσραήλ. (o) *Num.* XXV, 12. (p) Καὶ διαθήκην τῷ Δαυὶδ υἱῷ ἐκ φυλῆς Ἰούδα κληρονομία βασιλέως υἱοῦ ἐξ υἱοῦ μόνου, κληρονομία Ἀαρὼν καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. (q) Δῴη ὑμῖν σοφίαν ἐν καρδίᾳ ὑμῶν, κρίνειν τὸν λαὸν αὐτοῦ ἐν δικαιοσύνῃ, ἵνα μὴ ἀφανισθῇ τὰ ἀγαθὰ αὐτῶν, καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν εἰς γενεὰς αὐτῶν.

℣. 2. Maximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, ut consequeretur hæreditatem Israël.

℣. 3. Quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas, & jactando contra civitates rhomphæas?

℣. 4. Quis ante illum sic restitit? Nam hostes ipse Dominus perduxit.

℣. 5. An non in iracundiâ ejus impeditus est Sol, & una dies facta est quasi duo?

℣. 6. Invocavit Altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus, & sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valdè fortis.

℣. 7. Impetum fecit contra gentem hostilem, & in descensu perdidit contrarios.

℣. 8. Ut cognoscant gentes potentiam ejus, quia contra Deum pugnare non est facile. Et secutus est a tergo potentis:

COMMENTARIUS.

brariorum mendo. Hic igitur *successor Moysi* fuit in munere Prophetico, & in populi regimine. Promiserat Hebræis Moyses fore, ut, sese obeunte, Deus *Prophetam sibi similem* excitaret (a). Hujus vaticinii fides nonnisi in Christo planè impleta est: at Josue illud consequutus est, ut summo Legislatori statim successor daretur, & Prophetam, quem Judæi præstolabantur, ceu figurâ exhiberet. *Fuit magnus secundùm nomen suum. Josue* servatorem significat; is enim salus Israëlis fuit: virtute claruit, *fortis in bello*, sapientiâ, prudentiâ, liberalitate, Prophetico munere ac prodigiis.

℣. 2. EXPUGNARE INSURGENTES HOSTES, UT CONSEQUERETUR HÆREDITATEM ISRAEL. Jordanem trajecit; Josue, populumque in Chanaanitidem introduxit; Regesque Chananæos bello aggressus, nunquam non superavit, eorumque regionem Israëlitis distribuit.

℣. 3. QUAM GLORIAM ADEPTUS EST IN TOLLENDO MANUS SUAS, ET JACTANDO CONTRA CIVITATES RHOMPHÆAS? Manus tollere tripliciter usurpatur; pro gestu scilicet minitantis ac ferientis (b), vel precantis (c), vel simpliciter aliquid in altum porrigentis, indicii loco, veluti cùm Josue hastam seu clypeum erexit adversùs Hai (d): *Josue non contraxit manum, quam in sublime porrexerat, tenens clypeum, donec interficerentur omnes habitatores Hai. Rhomphæa*, quæ vox hìc legitur, ensem vel telum significat; utroque enim sensu usurpatur: at verbum *vibrare*, quod illi jungitur, pro telo accipi jubet.

℣. 4. QUIS ANTE ILLUM SIC RESTITIT? Quis æquè invictus fuit? Ipse enim Deus illius hostes profligavit. Fieri certè non poterat, quin invictus esset, cùm pro illo pugnaret Deus. Græcus (e): *Quis ante illum sic stetit*, adeo claruit? *Ipse enim bella Domini gessit*; ad verbum: *Nam bella Domini ipse adduxit*. Dei ipsius copias ipse moderatus est. Romana & Aldina Editio cum Vulgatâ congruit.

℣. 5. AN NON IN IRACUNDIA EJUS IMPEDITUS EST SOL, ET UNA DIES FACTA EST QUASI DUO? Nota est Josue historia, soli imperantis, ut coram Gabaone staret, ne tempus deesset urgendi quinque reges, qui Gabaonitas Israëlitarum socios invaserant (f). Scribit Noster, eum diem ita longum fuisse, ut duplex videretur; scilicet, solem tam diù immotum stetisse, ut dies ad quatuor & viginti, non ad duodecim horas produceretur. Celebre hoc prodigium fusiùs expendimus peculiari dissertatione ad librum Josue. Græcus hoc loco legit (g): *Annon in manu ejus*, scilicet eo jubente, atque annuente, *sol retrocessit*?

℣. 6. IN SAXIS GRANDINIS VALDE FORTIS. Fusiùs peculiari dissertatione disputavimus ad Josue, utrùm lapidea grando, quæ in Israëlitarum hostes sæviit (h), reverâ lapidum esset, an mera grando, quæ duritie & magnitudine lapides æquaret.

℣. 7. IN DESCENSU Bethoron PERDIDIT CONTRARIOS. Eo loco cœpit grando Israëlis hostes ferire: ac, teste Scripturâ (i), *mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filii Israël*.

℣. 8. UT COGNOSCANT GENTES POTENTIAM EJUS, QUIA CONTRA DEUM PUGNARE NON EST FACILE. Luculenta satis est sententia. Græcus tamen paulo aliter habet (k): *Ut nossent gentes armaturam eorum*, Hebræorum, *& bellum ipsius* Josue *Domino placere*, vel Deo jubente geri. Terribilis hæc grando Chananæos malo ipsorum docuit, quibus armis Dei populus uteretur, quidve rei esset, bellum cum iis gerere, qui Deum imperatorem defensoremque haberent.

ET SEQUUTUS EST A TERGO POTENTIS. Omnipotentem semper sequutus est Josue, illius scilicet imperio planissimè obtemperavit, atque obsequutus est voluntati. Nihil nobilius in hominis laudem dici poterat, quàm quòd *sequutus est Deum*. Veterum sapientum effatum fuit (l): *Sequere Deum*; idque ab Apollinis Oraculo pronunciatum esse Veteres putavere: adeo eximium, & gravis momenti erat. Spectare videtur hìc Author ea, quæ tradit Scriptura de Josue & Calebo, illos scilicet Deum sequutos esse, cæteris Israëlitarum desciscentibus, atque in promissam regionem ingredi renuentibus (m).

℣. 9. ET

(a) *Deut.* XVIII, 15.
(b) *Ita Grot. Bossuet. Vide Job.* V, 12; XV, 6.
(c) *Vatabl.*
(d) *Josue*, VIII, 26. *Cornel. hic*. (e) Τίς πρότερος αὐτοῦ οὕτως ἔστη; τοὺς πολέμους Κυρίου αὐτὸς ἐπήγαγεν. *Rom. & Ald.* Πολεμίους Κυρίου. (f) *Josue*, X, 13. (g) Οὐχὶ ἐν χειρὶ αὐτοῦ ἀνεπόδισεν ὁ ἥλιος. (h) *Josue*, X, 11. (i) *Josue*, X, 11. (k) Ἵνα γνῶσιν ἔθνη πανοπλίαν αὐτῶν, ὅτι ἐναντίον Κυρίου ὁ πόλεμος αὐτοῦ. (l) Ἕπου Θεῷ. (m) *Vide Num.* XIV, 24; *Josue*, XIV, 8, 9; *Deut.* I, 36, 37.

℣. 9. Et in diebus Moysi misericordiam fecit ipse, & Caleb filius
Jephone, stare contra hostem, & prohibere gentem a peccatis,
& perfringere murmur malitiæ.
℣. 10. Et ipsi duo constituti, a periculo liberati sunt a numero sex-
centorum millium peditum, inducere illos in hæreditatem, in
terram quæ manat lac, & mel.
℣. 11. Et dedit Dominus ipse Caleb fortitudinem, & usque in se-
nectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ
locum, & semen ipsius obtinuit hæreditatem:
℣. 12. Ut viderent omnes filii Israël, quia bonum est obsequi san-
cto suo Deo.
℣. 13. Et judices singuli suo nomine, quorum non est corruptum
cor, qui non aversi sunt a Domino,
℣. 14. Ut sit memoria illorum in benedictione, & ossa eorum pul-
lulent de loco suo;
℣. 15. Et nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad fi-
lios illorum, Sanctorum virorum gloria.
℣. 16. Dilectus a Domino Deo suo Samuel propheta Domini, re-
novavit imperium, & unxit principes in gente suâ.
℣. 17. In lege Domini congregationem judicavit; & vidit Deu
Jacob: & in fide suâ probatus est propheta.

COMMENTARIUS.

℣. 9. Et in diebus Moysi misericordiam fecit ipse, stare contra hostem; scilicet, se se objiciens conjuratis ac seditiosis, qui improborum exploratorum, qui ad Chanaanitidem inspiciendam missi fuerant, verba intelligentes, Moysem sequi, ac Domino, jubenti in regionem irrumpere, eâque potiri recusabant (n). Seditiosis uni restitere Josue & Caleb, constantemque Deo fidem servavere. *Misericordia* hoc loco opus pietatis ac religionis significat, ut alibi *vir misericordiæ* est vir pius, verus Israëlita, Dei timoris plenus. *Hostes* (o), de quibus hîc, mali sunt Israëlitæ, cæterique exploratores, qui unà Chanaanitidem exploraverant.

℣. 11. Usque ad senectutem permansit illi virtus, ut ascenderet in excelsum terræ locum. Hæc eadem de se docet Caleb, alloquens Josue, sibique Hebronem, celsissimum totius regionis locum, postulans. *Nosti*, inquit (p), *quid locutus sit Dominus ad Moysen de me. Quadraginta & quinque anni sunt, ex quo* tecum unâ ad explorandum missus sum; *hodie octoginta quinque annorum sum, sic valens, ut eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo usque hodie perseverat, tam ad bellandum, quàm ad gradiendum. Da ergo mihi montem istum, in quo Enacim sunt*, &c. *Benedixitque ei Josue, & tradidit ei Hebron in possessionem.*

℣. 13. Et judices singuli suo nomine. Mentio cum laude habenda est singulorum Judicum, quorum animus labe caruit, quique superstitionis impietatem secuti non sunt, quorum denique memoria celebris apud homines vivit. Vel (q): *Eorum memoria in benedictionibus est.* Excludit ab his Abimelechum, Gedeonis nothum, cujus memoria meritò odiosa est, criminum ac sævitiæ causâ (r).

℣. 14. Ossa eorum pullulent de loco suo, floreant in sepulcris. Usitata bene precandi formula illorum cadaveribus, qui mortem in pietate obierunt. Horum corpora, ceu semina, quibus favet Deus, germen ferant, atque iterum, si fieri potest, e suis ipsorum tumulis oriantur, eorumque virtus iterum in terris vivat. Qui superstites iis sunt, illorum cineres summo obsequio ac religione prosequantur. His verbis ostenditur, quàm constanti spe futuram resurrectionem Judæi expectarent. Captivos Babylone Hebræos exhibens Isaias (s) sub hominum sepulcris conditorum imagine, vaticinatur fore, ut illorum ossa instar herbæ germen ferant, ipsique ab exilio revocentur. Eamdem libertatem significaturus Ezechiel, jussus est in agrum ossibus cadaverum refertum ire, ipsisque ossibus imperare, ut unâ colligerentur, atque viverent (t).

℣. 16. Samuel propheta Domini renovavit imperium. Græcus (u): *Constituit imperium.* Novam Imperii formam Hebræis dedit; idemque Saülem unxit, ac postremus Judicum Israëlis fuit. Eo invito ac renuente, populus Regem poposcit: at jubens Deus illum Israëlitarum postulationibus obsequi (x), Regem iratus dedit (y).

℣. 17. Vidit Deus Jacob (z): Et in fide sua probatus est Propheta. Respexit amicè Jacobum Deus; verusque Propheta Samuel apparuit. Samuele rerum potiente, ac jus dicente Israëli, favebat populo Deus: capta olim a Philistæis Arca reducta est (a): Philisthini præliis fracti, redactique in ordinem (b); populumque tranquillissimâ pace fruentem Samuel æquissimè judicabat ac moderabatur; *& coguevit universus Israël*,

(n) *Num.* xiv. (o) Ἀντιστῆναι ἔναντι ἐχθροῦ. *Complut.* Ἐναντίον ἐκκλησίας. (p) *Josue*, xiv, 6, & *seq.* (q) Καὶ τὸ μνημόσυνον αὐτῶν ἐν εὐλογίαις. (r) *Judic.* ix. (s) *Isai.* lxvi, 14. *Ossa vestra quasi germinabunt.* (t) *Ezech.* xxxvii, 3. (u) Κατέστησε βασιλείαν. (x) 1 *Reg.* viii, 6, 22.
(y) *Osee*, xiii, 11. (z) *Complut. Sixt. V, & alii plures*: Vidit Deum Jacob. *Vide* 1 *Reg.* iii, 7, & *seq. Infrà*, ℣. 18. (a) 1 *Reg.* vi, 7. (b) 1 *Reg.* vii, 10, 12.

℣. 18. Et cognitus est in verbis suis fidelis, quia vidit Deum lucis:

℣. 19. Et invocavit Dominum omnipotentem, in oppugnando hostes circumstantes undique, in oblatione agni inviolati.

℣. 20. Et intonuit de cœlo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam.

℣. 21. Et contrivit principes Tyriorum, & omnes duces Philisthiim:

℣. 22. Et ante tempus finis vitæ suæ, & sæculi, testimonium præbuit in conspectu Domini, & Christi: pecunias, & usque ad calceamenta ab omni carne non accepit, & non accusavit illum homo.

℣. 23. Et post hoc dormivit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, & exaltavit vocem suam de terrâ in prophetiâ, delere impietatem gentis.

COMMENTARIUS.

raël, a Dan usque Bersabee, quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini (c). Fidelis agnitus est verusque Propheta, cujus vaticinia rerum promissarum fides sequeretur. Qusmobrem totius populi existimationem statim adeptus est. ℣. 18: *Cognitus est in verbis suis fidelis.*

℣. 18. QUIA VIDIT DEUM LUCIS; Deum, cujus sedes est lux inaccessa (d). Divinas fortasse allocutiones innuit Scriptor, quas audiit in Tabernaculo Samuel, quo tempore ter illum compellans Deus, quæ eventura essent familiæ Heli, significavit (e). Græcus pro toto hoc versiculo solùm habet (f): *Agnitus est in verbo suo.* Illum Numine afflari nemo non novit, rebus prædicta sequentibus.

℣. 19. INVOCAVIT DOMINUM .... IN OBLATIONE AGNI INVIOLATI. Hæc ad victoriam spectant, a Samuele de Philistæis relatam, apud Libros Regum (g). Cùm Israël universus Maspham coram Domino convenisset, illos Philisthini prælio lacessivere. Quamobrem Samuel Deum invocans, agnum adhuc lactentem obtulit sacrificio; statimque coorta tempestas Philisthinos terruit, atque integrâ victoriâ Israëlitas donavit. Victoriam secuta est pax, quæ Samuele rempublicam gerente perseveravit. Agnum lactentem apertè fert Græcus (h).

℣. 21. ET CONTRIVIT PRINCIPES TYRIORUM, ET OMNES DUCES PHILISTHIIM. Igitur Chananæi, qui Tyrum finitimasque regiones incolebant, socia Philistinis arma junxerant, vel saltem auxiliarium copiarum nomine opem illis tulerant. Hoc in Regum Libris præteritur (i).

℣. 22. ANTE TEMPUS FINIS VITÆ SUÆ, testes adhibuit Deum Regemque, se nihil unquam a quoquam accepisse. Hoc diu ante obitum Samuelis gestum est, statimque antequam is se a regimine abdicaret, ac paulo post quàm Saulem initiasset (k). Israëlitas omnes interrogavit, utrùm quid a quoquam accepisset, aut quisquam foret, cui justa de se querendi causa suppeteret. Me enim, inquit, paratum exhibeo, ut rei cujuslibet rationem reddam, atque injurias reparem: diem itaque coram Deo ac Saule ejus Christo mihi dicite. Nemo tamen e multitudine fuit, qui non innoxium, æquissimum, mitissimumque illum fuisse testaretur.

PECUNIAS ET USQUE AD CALCEAMENTA. Hæc loquendi formula ex Genesi desumpta est (l), ubi Abraham Regem Sodomorum alloquens, ait: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, quòd a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.*

℣. 23. DORMIVIT, ET NOTUM FECIT REGI... FINEM VITÆ SUÆ. Vitâ functus, sese videndum Saüli exhibuit, ipsumque postero die moriturum significavit. Id in Libris Regum (m) recitatur, ubi Saüle veneficam consulente, ac rogante ut Samuelis manes excitaret, quiddam obscurum sese Regi exhibuit, quod imminentem ipsi necem prædixit. Utrùm ipsa anima Samuelis sese exhibuerit, incertum est: id nos fusiùs expendimus peculiari Dissertatione, ad primum Librum Regum; nosque pro iis stare significavimus, qui Prophetam ipsum Saüli adfuisse putant, uti satis luculentè Author Ecclesiastici tradit.

EXALTAVIT VOCEM EJUS DE TERRA, IN PROPHETIA DELERE IMPIETATEM GENTIS. Ex humo egressus, voces edidit, ut populi excidium in scelerum ipsius pœnam prædiceret. Neque enim Saülis necem solummodo, contumaciæ atque impietatis illius causâ imminentem, verùm etiam populi cladem, quam ipse flagitiis in se provocaverat, vaticinatus est.

CA-

(c) 1 *Reg.* III, 20.
(d) 1 *Timot.* VI, 16.
(e) 1 *Reg.* III, 7, *& seq.*
(f) Καὶ ἐγνώσθη ἐν ῥήματι αὐτοῦ.
(g) 1 *Reg.* VII. 6, 7, & 8, *seq.*
(h) Ἐν προσφορᾷ ἀρνὸς γαλαθηνοῦ. *Complut. Vitiosè*: Ἀνδρὸς γαλαθηνοῦ. *Ita & Latinè:* In oblatione viri immaculati. *Quam lectionem secuti sunt alii plures.*
(i) 1 *Reg.* VII, 11, 12, *&c.*
(k) 1 *Reg.* XII.
(l) *Genes.* XIV, 23. (m) 1 *Reg.* XXVIII, 18, *& seq.*

CAPUT XLVII.

Elogium Nathani, Davidis, primorumque Salomonis annorum; Salomonis senectus, Roboami dementia, & Jeroboami impietas damnantur.

℣. 1. POst hæc surrexit Nathan propheta in diebus David.
℣. 2. Et quasi adeps separatus a carne, sic David a filiis Israël.
℣. 3. Cum leonibus lusit quasi cum agnis: & in ursis similiter fecit sicut in agnis ovium in juventute suâ.
℣. 4. Numquid non occidit gigantem, & abstulit opprobrium de gente?
℣. 5. In tollendo manum, saxo fundæ dejecit exultationem Goliæ:
℣. 6. Nam invocavit Dominum omnipotentem, & dedit in dexterâ ejus tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ.
℣. 7. Sic in decem millibus glorificavit eum, & laudavit eum in benedictionibus Domini, in offerendo illi coronam gloriæ:
℣. 8. Contrivit enim inimicos undique, & extirpavit Philisthiim contrarios usque in hodiernum diem: contrivit cornu ipsorum usque in æternum.
℣. 9. In omni opere dedit confessionem Sancto, & Excelso in verbo gloriæ.
℣. 10. De omni corde suo laudavit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum: & dedit illi contra inimicos potentiam:

COMMENTARIUS.

℣. 1. POST HÆC SURREXIT NATHAN. Post Samuelem, Deus Nathanum produxit, ut Prophetarum seriem ac traditionem impleret. Non unus fuit Propheta Davidis ætate Nathan, sed inter cæteros nobilissimus. Is Davidi promisit fore ut regnum in ipsius posteros transiret, natusque ex eo filius Templum Deo conderet. Missus ad Davidem criminis arguendum, id eâ prudentiâ gessit, ut David pœnitentiam amplexus, crimen religiosissimè expiaverit. Denique Salomonem Regià unctione inaugurans, illum in Judæ & Israëlis solio collocavit.

℣. 2. ET (a) QUASI ADEPS SEPARATUS A CARNE, SIC DAVID A FILIIS ISRAEL. Quemadmodum victimæ adeps pars est illius delicatissima, & plurimi omnium æstimata; ita inter cæteros Israëlitas selectus prælatusque est David, ceu ferculum nobilissimum, aut fructus eximius. Græcus (b) fert, Davidem similem fuisse adipi, qui ex eucharisticâ, seu pacificâ victimâ separatur. Ex hujusmodi sacrificiis, is solummodo adeps in altari cremabatur, quo viscera operiuntur, & is, qui ventrem inferiorem occupat; & utrique cum adipe suo renes (c); ea scilicet pars, quæ omnium delicatissima putabatur. Reliqua victimæ caro offerenti restituebatur, præter eam partem, quæ Sacerdoti mercedis loco decreta erat.

℣. 3. CUM LEONIBUS LUSIT QUASI CUM AGNIS. Confessus est Sauli David, ubi primùm illum alloquebatur (d): *Pascebat servus tuus patris sui gregem, & veniebat leo vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos & percutiebam, eruebamque de ore eorum: & illi consurgebant adversùm me, & apprehendebam mentum eorum, & suffocabam interficiebamque eos.* Huc spectat Author. Græca quædam Exemplaria (e), pro *lusit*, habent, *Familiariter fuit versatus inter leones.* Aliqui ea verba, *In juventute suâ*, quæ in fine bujus versiculi leguntur, cum initio sequentis jungunt.

℣. 4. NUMQUID NON OCCIDIT GIGANTEM, elatâ manu cum fundâ, ut fert ℣. 5. Notissima est historia.

℣. 6. EXALTARE CORNU GENTIS. Populi cornu gloriam aut vires significat. Interfecto Goliath, opes Philistinorum prostratæ sunt.

℣. 7. SIC IN DECEM MILLIBUS GLORIFICAVIT EUM. Populus illum celebravit, quasi decem millia hostium interfecisset. Publicè per urbes canebatur (f): *Percussit Saul mille, & David decem millia*, cæso Gigante.

LAUDAVIT EUM IN BENEDICTIONIBUS DOMINI, IN OFFERENDO ILLI CORONAM GLORIÆ. Hoc in Regum libris non legitur; at nullus dubio locus esse videtur, quin inter Dei laudes nomen Davidis sonuerit, utpote quo usus erat Deus, ut communem hostem profligaret.

℣. 8. CONTRIVIT CORNU IPSORUM USQUE IN ÆTERNUM. Hæc vox *in æternum*, in Græco non legitur. Id verò nonnisi sub Davidici Regni exordia gestum est: is enim pluribus præliis ita Philisthinos eorumque vires fregit (g), ut diù malo emergere non potuerint.

℣. 9. IN OMNI OPERE DEDIT CONFESSIONEM SANCTO; gratias Deo egit. In omnibus vitæ suæ eventibus, solidam constantemque pietatem professus

(a) Particula *Et* in Græco deest, ac prorsus otiosa hoc loco est. (b) Ὥσπερ στέαρ ἀφωρισμένον ἀπὸ σωτηρίου, οὕτως Δαυίδ, &c. (c) *Levit.* III, 3. (d) 1 *Reg.* XVII, 34, 35. (e) Ἐν λέουσιν ἔπαιξεν ὡς ἐν ἐρίφοις. Complut. & alii quid. Ἐν λέουσιν ἐνεξένωσεν ὡς ἐν ἐρίφοις.
(f) 1 *Reg.* XVII, 7. (g) Vide 2 *Reg.* VIII, 1; 2 *Reg.* V, 27, &c.

℣. 11. Et ftare fecit cantores contra altare, & in fono eorum dulces fecit modos.

℣. 12. Et dedit in celebrationibus decus, & ornavit tempora ufque ad confummationem vitæ, ut laudarent nomen fanctum Domini, & amplificarent manè Dei fanctitatem.

℣. 13. Dominus purgavit peccata ipfius, & exaltavit in æternum cornu ejus: & dedit illi teftamentum regni, & fedem gloriæ in Ifraël.

℣. 14. Poft ipfum furrexit filius fenfatus, & propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum.

℣. 15. Salomon imperavit in diebus pacis, cui fubjecit Deus omnes hoftes, ut conderet domum in nomine fuo, & pararet fanctitatem in fempiternum: quemadmodum eruditus es in juventute tuâ!

℣. 16. Et impletus es, quafi flumen, fapientiâ, & terram retexit anima tua.

COMMENTARIUS.

feffus eft David, neque unquam de felici rerum eventu grates Deo agere neglexit. Ubique illi adfuit Deus; gratiffimumque illi animum femper exhibuit David.

℣. 11. STARE FECIT CANTORES CONTRA ALTARE, ET IN SONO EORUM DULCES FECIT MODOS. Muficorum & Mufices in rebus facris ufus, ex Davidis inftitutione eft. Nihil eâ de re in Lege fanciverat Moyfes. David Levitas fanctiffimo huic muneri addixit, exarataque a fe carmina illis dedit, coram holocauftorum altari canenda. Cantorum ordinem ac diftributionem vide in Paralipomenis *(h)*. Vide etiam nos in Differtationibus de Muficâ, muficisque Hebræorum inftrumentis.

℣. 12. ORNAVIT TEMPORA USQUE AD CONSUMMATIONEM VITÆ. Sacros dies ornavit usque ad vitæ exitum. Inter graviffimas regni curas hanc habuit David, ut facrorum ritus quàm folenniffimos. Dei cultum maximè fplendidum, numerum miniftrorum quàm frequentiffimum atque ordinatiffimum faceret; denique populum ad Tabernaculum atque ad feftis Religionis dies pulcherrimo ac magnificentiffimo apparatu alliceret. Græcus legit *(i)*: *Et ornavit tempora usque ad finem*, vel *usque ad perfectionem*. Carmina exaravit in Dei laudem ad totius anni ufum: vel, totus in eo fuit, ut facrorum dierum pompam illuftriorem pulcrioremque redderet, usque ad vitæ exitum, ut dicere videtur Vulgata; vel usque ad fupremam pompæ perfectionem, Levitis imperans, *ut laudarent nomen fanctum Domini, & amplificarent mane Dei fanctitatem.*

℣. 13. DOMINUS PURGAVIT PECCATA IPSIUS. Bethsabee adulterium, atque Uriæ necem Dei beneficio agnovit, ac pœnitentiâ expiavit; juftamque pœnam, quam peccato meruerat, Deus illi dimifit *(k)*; *Deus tranftulit peccatum tuum: non morieris.*

DEDIT ILLI TESTAMENTUM REGNI. Regnum fancito fœdere illi confirmavit. Quoddam fœderis genus iniit eum Davide Deus, fidemque obligavit, fore ut regnum ipfi ejusque pofteris æternum maneret *(l)*.

℣. 14. POST IPSUM SURREXIT FILIUS SENSATUS: ET PROPTER ILLUM DEJECIT Deus OMNEM POTENTIAM INIMICORUM. Davidi fucceflorem dedit Deus filium fapientiæ plenum, Salomonem. Ingens Davidi felicitas & gaudium fuit, ubi fapientiffimum adolefcentulum, ac Deo cariffimum, fefe adhuc fuperftite, regni fucceflorem vidit *(m)*. Cùm Salomonem anticipatâ electione amaret Deus, omnes Ifraëlis hoftes dejecerat, ut profundiffimâ pace, conftantiffimâque felicitate toto regni fui tempore frueretur. Ita de illo Scriptura *(n)*: *Ipfe obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen usque ad Gazam, & cunctos reges illarum regionum: & habebat pacem ex omni parte in circuitu. Habitabatque Juda & Ifraël absque timore ullo, unusquifque fub vite fuâ, & fub ficu fuâ, a Dan usque Berfabee, cunctis diebus Salomonis.* Ita omnia fternebat parabatque Deus, ut Templum majeftati fuæ Salomon conderet. Id fequenti verficulo fignificatur.

℣. 15. QUEMADMODUM ERUDITUS ES IN JUVENTUTE TUA! Quantâ præditus es fapientiâ fcientiâque, eâ potiffimum ætate, quâ cæteri vix ratione uti, vitamque inftituere norunt! Adolefcentis adhuc Salomonis, atque inter ipfa regni primordia agentis fapientiam commendat, ut formidabilem illius lapfum luculentiùs demonftret.

℣. 16. IMPLETUS ES QUASI FLUMEN SAPIENTIA. Magnifica & grandis comparatio, quâ ingens Salomonis fapientia fignificatur. Eâdem fluminis atque inundationis comparatione ufi funt profani, cùm de ingenti fcientiâ agerent *(o)*: *Neque concipere aut edere partum mens poteft, nifi ingenti flumine literarum inundata.* Libri Regum *(p)* ita de Salomone prodiderunt: *Dedit Deus fapientiam Salomoni & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quafi arenam quæ eft in litore maris.*

TERRAM RETEXIT ANIMA TUA. Quicquid in terris maximè abditum erat, cognovifti; ipfumque, ut ita dicam, terræ centrum penetrafti: nihil te latuit: omnia fcrutatus es, omnia intellexifti. Græcus *(q)*: *Terram obtexit anima tua univerfam.* Tua fcilicet fapientia terram omnem amplexa eft, eamque librorum fcriptorumque flumine inundafti. Nihil in naturâ eft, quod ingenii tui opera non illuftraverit: innumeras quippe parabolas, ænigmata, morales fententias, carmina exarafti. Vide 3 *Reg.* IV, 29, 30, &c.

℣. 17. AD

(h) 1 *Par.* XXIII, XXIV, XXV.
(i) Καὶ ἐκόσμησε καιροὺς μέχρι συντελείας ἐν τῷ αἰνεῖν αὐτοὺς, *&c.* (k) 2 *Reg.* XIII, 13.
(l) 2 *Reg.* VII, 12; *Psal.* CXXXI, 11, 12; *Eccl.* XLV, 31. (m) 3 *Reg.* I, 48. (n) 3 *Reg.* IV, 24.
(o) *Petron. Arbit. Satyr.* (p) 3 *Reg.* IV, 29. (q) Γῆν ἐπεκάλυψεν ἡ ψυχή σου πᾶσαν.

℣. 17. Et replesti in comparationibus ænigmata: ad insulas longè divulgatum est nomen tuum, & dilectus es in pace tuâ.

℣. 18. In cantilenis, & proverbiis, & comparationibus, & interpretationibus miratæ sunt terræ,

℣. 19. Et in nomine Domini Dei, cui est cognomen, Deus Israël.

℣. 20. Collegisti quasi aurichalcum aurum, & ut plumbum complesti argentum.

℣. 21. Et inclinasti femora tua mulieribus: potestatem habuisti in corpore tuo,

℣. 22. Dedisti maculam in gloriâ tuâ, & profanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos, & incitari stultitiam tuam:

℣. 23. Ut faceres imperium bipartitum, & ex Ephraim imperare imperium durum.

℣. 24. Deus autem non derelinquet misericordiam suam, & non corrumpet, & nec delebit opera sua, neque perdet a stirpe nepotes electi sui: & semen ejus, qui diligit Dominum, non corrumpet.

COMMENTARIUS.

℣. 17. AD INSULAS LONGE DIVULGATUM EST NOMEN TUUM. Europæos & plerosque Africanos ita habebant Hebræi, ceu insularum incolas, cùm ex Judæâ nonnisi mari adirentur. Salomonis fama non modò Palæstinam, cæterasque continentis regiones Judæis cognitas, verùm etiam Egæi insulas ac terras trans mare positas peragravit. Phœnicii enim, qui eâ ætate navigatione florebant, & Salomonicæ classes, quæ ad Ophir, Tharsum, atque alia loca navigabant, Salomonis nomen in remotissimas terræ partes detulerant.

℣. 18. IN CANTILENIS, ob carmina tua; is enim quinque & mille carmina exaraverat (r), ex quibus unum superest Canticum canticorum.

IN INTERPRETATIONIBUS rerum obscurarum, veluti ænigmatum, quæ Hiram Tyriorum Rex proposuit, & quorum solutionem postulatura venerat Regina Saba. Id populi mirabantur, qui tam multam sapientiam verissimè ceu Dei ipsius donum suspiciebant. Cognita Salomonis Sapientia exteros ad Dei notitiam atque admirationem pertrahebat. Vide ℣. sequentem, & 3 *Reg.* x, 1 . . . 8, 24.

℣. 20. COLLEGISTI QUASI AURICHALCUM AURUM, ET UT PLUMBUM COMPLESTI ARGENTUM. Plus aliquid habent libri Regum (s): *Fecit ut tanta esset abundantia argenti in Jerusalem, quanta & lapidum.* Græcus (t): *Collegisti aurum velut stannum, & argentum velut plumbum.*

℣. 21. INCLINASTI FEMORA TUA MULIERIBUS: POTESTATEM HABUISTI IN CORPORE TUO. Græcus reddi potest (u): *Inclinasti latera tua*, seu viscera tua, *mulieribus, & jus tibi assumpsisti in corpus tuum.* Corpore tuo abusus es, quasi potestas illius tibi esset, tuæque carnis, imò tui ipsius dominus non foret Deus. Eo adversùs Legis ac Dei sanctiones usus es (x). Plerique præferunt hanc explicationem, quam & nos probamus (y): *Redactus es in potestatem in corpore tuo.* Syrus: Dedisti mulieribus robur tuum; & potestatem tribuisti ei in corpus tuum.

℣. 22. PROFANASTI SEMEN TUUM INDUCERE IRACUNDIAM AD LIBEROS TUOS, ita ut pœnam excitares adversùm liberos tuos ob tuam stultitiam. Scelera, præsertim verò libidines, *stultitiæ* nomine frequenter appellantur; scelesti verò *stultorum*. Id peccavit Salomon, quòd æquo majorem uxorum numerum duxerit, Lege repugnante (z). Septingentas uxores, concubinas sive inferiores uxores trecentas adsciverat. Illud etiam illi vitio datur, quòd voluptatem præter modum sectatus fuerit; nunquam enim modum excedere in rebus etiam licitis fas est. Denique in suæ ipsius conscientiæ instituta peccavit, turpia sectatus, quæ mala esse minimè ignorabat; ac Deorum, quos nihil & inane esse norat, Religionem muliebri indulgentiâ amplexus. *Mulierum amori ad Idololatriam trahenti resistere non valuit*, inquit S. Augustinus (a), *faciens quod sciebat non esse faciendum, ne suas, quibus deperibat atque diffluebat, mortiferas delicias contristaret.* Quod hîc dicitur, *Profanasti semen tuum*, significat, illum filios procreasse, ex externis uxoribus, quarum conjugio Lex interdicebat (b). Neque desunt e Christianis Scriptoribus (c), qui censeant, illum e filiis aliquem Moloch numini immolasse, ritu Ethnicorum, Lege apertis verbis vetante (d).

℣. 23. UT FACERES IMPERIUM BIPARTITUM, ET EX EPHRAIM IMPERARE IMPERIUM DURUM. Salomonis peccata puniturus, vergente ad finem illius regno, Deus Jeroboamum ex Tribu Ephraim adversùs Salomonem excitavit; isque Salomonis vim in Ægyptum fugiens, demum rediit sub Roboami exordia, qui Salomoni successit. Provocato ad seditionem populo Roboami dementiâ, Jeroboam ad seditiosos accedens (e), Israëlis Regnum, seu decem Tribuum, alterum a Regno Juda, instituit: *Imperium bipartitum*, quod hîc dicitur *imperium durum*, vel ex Græco (f), *Regnum contumax*, regnum e seditiosis & conjuratis.

℣. 24. DEUS NON DELEBIT OPERA SUA. Dei opus est Davidis Regnum; quippe quod Deus ipse constituit decrevitque: quamobrem illud penitus cessare non patietur. Merebatur certè Salomon, ut

(r) 3 *Reg.* IV, 32. (s) 3 *Reg.* x, 14, 23, 27; 2 *Par.* IX, 13, 27. (t) Συνήγαγες ὡς κασσίτερον τὸ χρυσίον, καὶ ὡς μόλιβδον ἐπλήθυνας τὸ ἀργύριον. (u) Παρενέκλινας τὰς λαγόνας σου γυναιξί, καὶ ἐνεξουσιάσθης ἐν τῷ σώματί σου. *Complut.* Παρενέκλινας τὰ σπλάγχνα σου γυναιξί. (x) *Vide Deut.* XVII, 17; 1 *Cor.* VI, 14, 19. *Vide Grot. Cornel. a Lapide hic.* (y) *Vatab. Bossuet, alii.* (z) *Deut.* XVII, 17.
(a) *August. de Genes. ad litt. lib.* XI, *Cap.* 42. (b) *Deut.* VII, 2, 3, 4. *Exod.* XXXIV, 16; *Deut.* XXIII, 2, 3.
(c) *Pa ac. hic; Pined. lib.* VII *de reb. Salom. cap.* II, *num.* 3, *ad fin.* (d) *Levit.* XVIII, 21, *& alibi.*
(e) 3 *Reg.* XII, 14, *&c.* (f) Ἀρχὴ βασιλείαν ἀπειθῆ.

℣. 25. Dedit autem reliquum Jacob, & David de ipsâ stirpe.
℣. 26. Et finem habuit Salomon cum patribus suis.
℣. 27. Et dereliquit post se de semine suo gentis stultitiam,
℣. 28. Et imminutum a prudentiâ Roboam, qui avertit gentem consilio suo:
℣. 29 Et Jeroboam filium Nabat, qui peccare fecit Israël, & dedit viam peccandi Ephraim, & plurima redundaverunt pecccata ipsorum.
℣. 30. Valdè averterunt illos a terrâ suâ.
℣. 31. Et quæsivit omnes nequitias, usque dum perveniret ad illos defensio, & ab omnibus peccatis liberavit eos.

COMMENTARIUS.

ut severissimè in ipsum Deus animadverteret: at Davidis causâ, Regni aviti psrs solummodò a Roboamo desciivit.

℣. 25. DEDIT AUTEM RELIQUUM JACOB, ET DAVID DE IPSA STIRPA. Dedit reliquias Jacobo, & Davidi surculum ex ipso. Salomonem, ejusque filios pro scelerum meritis minimè delevit; atque aliquos e Davidicâ stirpe surculos in Jacobo reliquit. Vel: Aliquem e posteris Davidis reliquit, in Israële imperaturum. Vel: Jscobo Regem, scilicet Jeroboamum, qui decem Tribubus imperavit, & Davidi surculum dedit, in Juda regnaturum. Postrema hæc interpretatio magis cum Græco (g), & Vulgatâ convenire videtur.

℣. 27. DERELIQUIT POST SE ... GENTIS STULTITIAM, λαῶ ἀφροσύνην, populi stultissimum (h), totius gentis contemptissimum; quemadmodum contrario sensu dicitur gentis desiderium, populi deliciæ, sæculi felicitas, posterorum amor, is qui reipublicæ fortunas, voluptatem, spem tuetur. Insigne dementiæ monumentum reliquit arrogantem eam orationem, qua populo vectigalium a Salomone impositorum diminutionem postulanti respoodit (i): *Pater meus cecìdit vos flagellis, ego autem cadam vos scorpionibus*. Maxima tamen Roboami dementia in ea enituit, quòd superstitionem sd obitum usque sectatus est (k): *Fecit malum, & non præparavit cor suum, ut quæreret Dominum*.

℣. 29. JEROBOAM FILIUM NABAT, QUI PECCARE FECIT ISRAEL. Ita plerumque impium hunc Regem, omnium malorum, quibus decem Tribuum Israëlitæ affecti sunt, originem, Scriptura designat. Is aureorum vitulorum cultum invexit, qui quamquam initio penitus superstitiosus fortasse non fuit, deinde tamen quantociùs io superstitionem degeneravit, atque innumera tum in religione, tum in republicâ Hebræorum mala & turbas peperit.

℣. 30. VALDE AVERTERUNT ILLOS A TERRA SUA. Græcus hæc jungit cum præcedentibus (l): *Multùm aucta sunt peccata ipsorum, ita ut* denique *migrare cogerent eos e terrâ suâ*. Justa scilicet pœna scelerum, quæ ipsi sectati suot, & Jerobosm filius Nabst in Israëlem primus induxit. Flagitiorum cumulus sub Osee filio Ela, Israëlis Rege, completus est, regnante apud Assyrios Salmanasaro, qui Tribuum reliquias trans Euphratem migrare jussit (m); plurimos enim Israëlitss jam antea Teglathphalassar, Assyriorum Rex, regnsnte apud Israëlitas Phacee filio Romeliæ, transtulerat (n).

℣. 31. ET QUÆSIVIT OMNES NEQUITIAS, USQUE DUM VENIRET AD ILLOS DEFENSIO. Flagitiis denique cumulum sddidere, Deumque severissimâ ipsos vindictâ ferire coëgerunt. *Defensio* hîc pro ultione usurpatur, uti Græcus postulat (o). *Defendere* & *defensor* voces sunt alibi pro *ulcisci* & *ultor* usurpstæ (p).

AB OMNIBUS PECCATIS LIBERAVIT EOS. Illos denique Deus captivitate Babylonicâ liberavit, atque a superstitione, in qua tamdiu jacuerant, reduxit. Hæc verba in Græco desunt.

CAPUT XLVIII.

Eliæ, Elisæi, Isaiæ, Ezechiæ Regis elogia.

℣. 1. ET surrexit Elias propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.
℣. 2. Qui induxit in illos famem, & irritantes illum invidiâ suâ pauci facti sunt: non enim poterant sustinere præcepta Domini.

COMMENTARIUS.

℣. 1. SURREXIT ELIAS PROPHETA QUASI IGNIS. Eliæ ardor, justaque in Israëlis prævaricatores severitas effecere, ut is eum igne compararetur. *Verbum ipsius quasi facula ardebat*. Ejus verba lucem ardoremque animis inferebant. Joanni Baptistæ similis Elias, *lucerna* erat *ardens & lucens* (a). Uterque eodem animo, eâdemque adversùs impios Reges constantiâ pleni, eodem Divinæ Legis studio srdebant, eâdemque luce micabant. Joannes Baptista, inquit Evangelium (b), *venit in spiritu & virtute Eliæ*. Ex Hebræorum somniis narrant Pseudo-Epiphanius ac Dorotheus, Eliam flammis pro consueto cibo esse nutritum.

℣. 2. INDUXIT IN ILLOS FAMAM. Id tradunt Re-

(g) Καὶ τῷ Ἰακὼβ ἔδωκε κατάλειμμα, καὶ τῷ Δαυὶδ ἐξ αὐτοῦ ῥίζαν. (h) *Vide Grot. Castal.* (i) 3 *Reg.* XII, 11. (k) 3 *Reg.* XIV, 22, 23; 2 *Par.* XII, 14. (l) Ἀποστῆναι αὐτοὺς ἀπὸ τῆς γῆς.
(m) 4 *Reg.* XVII, 6, 7; XVIII, 11, 11. (n) 1 *Par.* V, 26. (o) Ἕως ὀργὴ καὶ ἐκδίκησις ἔλθῃ ἐπ' αὐτούς.
(p) *Vide Judith*, I, 52; II, 8; *Judic.* III, 31; *& antiq. version. Psalm.* VIII, 3: *Ut destruas inimicum & defensorem*. (a) *Johan.* V, 35. (b) *Luc.* I, 17.

℣. 3. Verbo Domini continuit cœlum, & dejecit de cœlo ignem ter.
℣. 4. Sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi?
℣. 5. Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Domini Dei.
℣. 6. Qui dejecisti reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo.
℣. 7. Qui audis in Sina judicium, & in Horeb judicia defensionis.
℣. 8. Qui ungis reges ad pœnitentiam, & prophetas facis successores post te.
℣. 9. Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum.
℣. 10. Qui scriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Jacob.

COMMENTARIUS.

Regum Libri (c), & S. Jacobus (d). Cœlum ad triennium clausit, scelerum Achabi, universique Israëlis pœnâ.

IRRITANTES ILLUM INVIDIA SUA, PAUCI FACTI SUNT. Baalis Prophetæ ardorem Eliæ provocavere; eosque unus populo inspectante in Carmelo monte trucidavit: deinde, quasi placato Deo, pluere passus est, ac terræ fertilitatem restituit (e). Græcus solùm legit (f): *Induxit in illos famem validam, ac zelo suo paucos effecit eos.* Plurimos fame necavit (g).

℣. 3. VERBO DOMINI CONTINUIT COELUM, ET DEJECIT DE COELO IGNEM TER. Elia Dei nomine imperante, nullus deinceps imber e cœlo pluit (h): *Vivit Dominus Deus Israël, in cujus conspectu sto: si erit annis his ros & pluvia, nisi juxta oris mei verba.* Ignem ter e Cœlo evocavit; primò, in holocaustum coram Rege ac multitudine in monte Carmelo (i); ac deinde bis in milites, quos ad sese capiendum Achab miserat (k).

℣. 5. QUI SUSTULISTI MORTUUM AB INFERIS, viduæ Sareptanæ filium, quem vitæ restituit.

℣. 6. QUI DEJECISTI REGES AD PERNICIEM. Achabi, Jezabelis (l), Ochoziæ (m), Jorami Ochoziæ fratris (n), alteriusque Jorami Regis Juda (o) exitium prædixit Elias. Quæ prædicunt Prophetæ, ea ab iis geri absolutè narrat Scriptura, veluti certissimam esse vaticiniorum fidem significet. Productus in scenam est Elias, ut impiis Regibus sese objiceret; eorumque impietatem coërceret. Nemo certè meliùs hanc personam gessit, aut majore vi & constantiâ malos Principes allocutus est.

ET GLORIOSOS DE LECTO SUO in sepulcrum. Ochoziæ Regis Israëlis obitum prædixit: *Quia*, inquit (p), *misisti nuntios ad consulendum Beelzebub Deum Accaron, quasi non esset Deus in Israël, ideò de lectulo, super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Datis ad Joramum Regem, Josaphati Regis Juda filium, literis post obitum Eliæ, idem Elias illum his verbis terruit (q): *Dominus percutiet te plagâ magnâ cum populo tuo, & filiis, & uxoribus tuis: tu autem ægrotabis pessimo languore uteri tui, donec egrediantur vitalia tua paulatim per singulos dies.*

℣. 7. QUI AUDIS IN SINA JUDICIUM, &c. Elias Jezabelis vim fugiens, in Sinam Arabiæ montem elapsus est; ibique didicit, quid Deus in Achabi familiam, universumque Israëlis Regnum pararet. Illi imperavit Deus, ut Hazaëlem Syriæ, Jehu Israëlis Reges inaugurarret (r). Græcus fert (s): *Qui audis in Sina minas* Domini in Israëlitas, *& in Horeb judicia ultionis.*

℣. 8. QUI UNGIS REGES AD POENITENTIAM. Græcus (t): *Qui ungis reges ad rependendam vicem* scelerum impiis. Eliæ successor Elisæus Reges unxit Jehu & Hazaëlem, quos elegerat Deus, ut iis uteretur vindictæ ministris in Achabi familiam. Hos ungere jussus est Elias; at electus est ad id gerendum Elisæus.

PROPHETAS FACIS SUCCESSORES POST TE. Ingens Prophetarum numerus Eliam sequebatur, quos ille instituit docuitque, ut inundanti in dies apud Israëlem impietati ac Numinum cultui ceu agger objicerentur. Nonnulla erant in eâ regione asceteria, in quibus pii Prophetarum filii seu discipuli communem vitam agebant; iisque præerat Elias, supremus omnium moderator. Elisæus, qui Eliam eo in munere excepit, ex aratro venerat (u); ac deinceps Eliam constantissimè sequutus est. Hæc Elisæi vocatio potissimùm spectari ab Authore videtur.

℣. 9. QUI RECEPTUS ES IN TURBINE IGNIS. Notissima est raptûs Eliæ historia (x). Vivus adhuc perseverat Elias in aliquâ terrarum parte, hominibus ignotâ. Is cum Moyse ad Christi Transfigurationem adfuit (y). Tertullianus (z) & S. Augustinus (a) Henochum & Eliam ceu pignora futuræ hominum resurrectionis habent: *Primogenitos nostra resurrectionis.*

℣. 10. QUI SCRIPTUS ES IN JUDICIIS TEMPORUM LENIRE IRACUNDIAM DOMINI, CONCILIARE COR PATRIS AD FILIUM. Qui ad leniendum Dei furorem electus es, judiciis definito tempore olim exercendis, &c. Habes hîc vetustissimam Judæorum traditionem, in Evangelio confirmatam, quam adhuc Synagoga & Christiana Ecclesia tuentur, futurum scilicet, ut supremo temporum fine re-

(c) 3 Reg. xvii, 1. (d) Jacob. v, 17. (e) 4 Reg. xviii, 40, 41, & seq. (f) Ἐπήγαγεν ἐπ' αὐτοὺς λιμὸν ἰσχυρὸν, καὶ τῷ ζήλῳ αὐτοῦ ὠλιγοποίησεν αὐτούς. (g) Grot. Cornel. Badvel. alii. (h) 3 Reg. xvii, 1. (i) 3 Reg. xviii, 38. (k) 4 Reg. i, 10, &c. (l) 3 Reg. xxi, 22, 23. (m) 4 Reg. i, 16, 17. (n) 4 Reg. ix, 22, 24, & seq. (o) 2 Par. xxi, 12, & seq. (p) 4 Reg. i, 16, 17. (q) 2 Par. xxi, 15. (r) 3 Reg. xix, 12, 15. (s) Ὁ ἀκούων ἐν Σινᾷ ἐλεγμὸν Κυρίου, καὶ ἐν Χωρὴβ κρίματα ἐκδικήσεως. (t) Ὁ χρίων βασιλεῖς εἰς ἀνταπόδομα. (u) 3 Reg. xix, 19, 20. (x) 4 Reg. ii, 11. (y) Matth. xvii, 3.
(z) Tertull. de Resurrect. carnis: *Quia nec morte functi; quia tamen de orbe translati, & hoc ipso jam æternitatis candidati, ab omni vitio & ab omni damno immunitatem carnis ediscunt; cuinam fidei testimonium signant, nisi qua credi oportet hæc futuræ integritatis esse documenta?*
(a) August. lib. 15 de Civit. c. 19.

℣. 11. Beati sunt, qui te viderunt, & in amicitiâ tuâ decorati sunt.

℣. 12. Nam nos vitâ vivimus tantùm, post mortem autem non erit tale nomen nostrum.

℣. 13. Elias quidem in turbine tectus est, & in Elisæo completus est spiritus ejus: in diebus suis non pertimuit principem, & potentiâ nemo vicit illum.

℣. 14. Nec superavit illum verbum aliquod, & mortuum prophetavit corpus ejus.

℣. 15. In vitâ suâ fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est.

COMMENTARIUS.

redeat Elias, patrum animos cum filiis, & filios patribus conciliaturus, ex Malachiæ vaticinio *(b)*. Monuit quidem Christus, Eliam in Joanne Baptistâ jam venisse *(c)*; quamobrem alterum Messiam, præter Jesum, quem Joannes publicè prædicabat, a Judæis frustra expectari. Hæc tamen vaticinii explicatio, ejusque fides in Joanne olim impleta minimè excludit alteram, quæ sub temporum finem explenda est. Tunc enim potissimùm id eveniet quod hîc prædicitur, Eliam animos parentum cum filiis, filiosque cum parentibus conciliaturum; Judæos nempe cum Christianis in unam eamdemque fidem collecturum, reducturumque illos ad Christi Ecclesiam, atque unicam gentem ex duabus esse conflaturum. Patriarchæ cum Judæis jungentur, atque hi cum illis; Judæi enim nomina dabunt Christo, qui veterum Patriarcharum expectatio & spes fuit; vel, Judæi, qui Christianæ Religionis parentes & conditores quodammodo fuerunt, utpote ex quibus Apostoli orti sunt, cum Christianis ex Ethnicâ superstitione conversis, ceu Judæorum filiis, jungentur; unaque gens & unus grex erunt utrique sub uno Pastore Christo.

Græcus *(d)*: *Qui conscriptus es* (prædictus in scripto Malachiæ) *ad commisationes* (comminationem allaturus) *tempore* præstituto, *ad mitigandam Dei iram*, *ante* diem *indignationis*, supremum judicii diem.

℣. 11. Beati qui te viderunt, et in amicitia tua decorati sunt. Felices pii illi homines ac Prophetæ, qui unà tecum vixere, te intuiti, tuâque amicitiâ gavisi sunt. Alludit fortasse ad Eliæ & Elisæi discipulos, qui ipsorum ætate floruerunt. Græcus ℣℣. 11, & 12 *(e)*: *Felices qui te viderunt, & qui in charitate obdormierunt: nam nos verâ vitâ vivemus*. Illorum felicitati invideo, qui te viderunt, tecumque sociatam amicitiâ vitam duxere. Si eadem nobis felicitas contingeret, verissimâ certè vitâ viveremus. Vel per futurum: *Felices qui te videbunt, & qui amicitiâ tuâ ornati fuerint; tunc enim* verè *vitâ vivemus*. Si id nobis dabitur, ut te in sæculorum fine redeuntem intueamur, tibique placeamus, certa nobis erit felicitas vitaque nunquam peritura. Secùs, nullus superest sperandi locus, ut futuro sæculo vivamus. *Post mortem autem non erit tale nomen nostrum*. Postrema hæc verba non habet Græcus.

℣. 13. Elias quidem in turbine tectus est, et in Elisæo completus est spiritus ejus. Quâ ratione raptus igneo curru in Cœlum fuerit Elias, atque abiens pallium dimiserit, cujus pallii unâque spiritûs, quo Elias fervebat, hæres fuerit Elisæus *(f)*, res notissima est.

In diebus suis non pertimuit principem Elisæus, et potentia nemo illum vicit. Dignam Eliæ successore constantiam virtutemque ubique exhibuit Elisæus. Verba ad Joramum Israëlis Regem mirâ prorsus libertate fecit, ut cum dixit *(g)*: *Vivit Dominus exercituum, in cujus conspectu sto, quod si non vultum Josaphat Regis Juda erubescerem, non attendissem quidem te*. Iterum *(h)* cùm Joram Israëlis Rex Præfectum misisset, ut Elisæum capite minueret, is domi intrepidus stetit, ac solummodò socios ita monuit; *Numquid scitis, quòd miserit filius homicidæ hic, ut præcidatur caput meum? Videte ergo cùm venerit nuntius, claudite ostium, & non sinatis eum introire: ecce enim sonitus pedum domini ejus post eum est.*

℣. 14. Nec superavit eum verbum aliquod, minæ, blanditiæ, promissiones, metus: invictus ubique atque intrepidus fuit. Græcus reddi potest *(i)*: *Nulla res latuit illum*. Amplissimam rerum remotissimarum cognitionem sibi esse, luculentissimè tum ostendit, cùm ea vidit, quæ Giezi discipulus suus e Naamo accipiebat *(k)*: *Nonne cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo de curru suo in occursum tuum? Nunc igitur accepisti argentum, &c.* Cùm Syriæ Rex proditorem aliquem inter familiares sese habere censeret, a quo molimina sua Regi Israëlis aperirentur, monitus est a suis, omnia quæ apud ipsum decernebantur, Regi ab Elisæo Prophetâ narrari *(l)*. Optima omnium videtur hæc explicatio *(m)*.

Mortuum prophetavit corpus ejus. Mortuum vaticinari non posse, nisi ad vitam redeat, aut virtute Divinâ, & communibus naturæ legibus majori loquatur, id omnes satis intelligunt: quamobrem hoc dicere noluit Scriptor. Illud innuit, quod tum gestum est, cùm cadaver in tumulum Elisæi projectum, ossium illius contactu revocatum est ad vitam *(n)*. Hujus rei causâ dicitur vel ipsum Elisæi cadaver Divino Spiritu non destitutum fuisse, ipsoque sepulcro conditum Propheticum munus obire non desiisse, dogmata scilicet ac vaticinia sua prodigiis confirmare *(o)*. Non modò vivens, verùm etiam mortuus miraculis claruit. 15, *In vitâ suâ fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est*. Hæc tamen verba de iis explicari queunt, quæ morti proximus fecit.

(b) *Malach.* iv, 6. (c) *Matth.* xi, 14; xvii, 12.

(d) Ὁ καταγραφεὶς ἐλεγμοῖς εἰς καιροὺς, κοπάσαι ὀργὴν πρὸ θυμοῦ Κυρίου. *Rom. Edit.* Καταγραφεὶς ἐν ἐλεγμοῖς (*alii* ἐλεγμὸς,) εἰς καιροὺς κοπάσαι ὀργὴν πρὸ θυμοῦ.

(e) Μακάριοι οἱ ἰδόντες σε, καὶ οἱ ἐν ἀγαπήσει κεκοιμημένοι. (12.) Καὶ γὰρ ἡμεῖς ζωῇ ζησόμεθα. *Rom.* Μακάριοι οἱ ἰδόντες (*alii* εἰδότες) σε, καὶ οἱ ἐν ἀγαπήσει κεκοσμημένοι.

(f) 4 *Reg.* ii, 15. (g) 4 *Reg.* iii, 14. (h) 4 *Reg.* vi, 32. (i) Πᾶς λόγος οὐχ ὑπερῇρεν αὐτόν. *Confer Psal.* cxxxviii, 6. פליה דעת ממני נשגבה לא אוכל לה

(k) 4 *Reg.* v, 26. (l) 4 *Reg.* vi, 12. (m) *Vide Syr. & Arab. & Cornel. hic.* (n) 4 *Reg.* xiii, 21.

(o) *Ita Vatab. Dionys. Cornel. hic; alii passim.*

℣. 16. In omnibus istis non pœnituit populus, & non recesserunt a peccatis suis, usque dum ejecti sunt de terrâ suâ, & dispersi sunt in omnem terram:

℣. 17. Et relicta est gens perpauca, & princeps in domo David.

℣. 18. Quidam ipsorum fecerunt, quod placeret Deo: alii autem multa commiserunt peccata.

℣. 19. Ezechias munivit civitatem suam, & induxit in medium ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & ædificavit ad aquam puteum.

℣. 20. In diebus ipsius ascendit Sennacherib, & misit Rabsacen, & sustulit manum suam contra illos, & extulit manum suam in Sion, & superbus factus est potentiâ suâ.

℣. 21. Tunc mota sunt corda, & manus ipsorum: & doluerunt quasi parturientes mulieres.

℣. 22. Et invocaverunt Dominum misericordem, & expandentes manus suas, extulerunt ad cœlum: & sanctus Dominus Deus audivit citò vocem ipsorum.

℣. 23. Non est commemoratus peccatorum illorum, neque dedit illos inimicis suis, sed purgavit eos in manu Isaiæ sancti prophetæ.

℣. 24. Dejecit castra Assyriorum, & contrivit illos Angelus Domini.

℣. 25. Nam fecit Ezechias, quod placuit Deo, & fortiter ivit in viâ David patris sui, quam mandavit illi Isaias propheta magnus, & fidelis in conspectu Dei.

℣. 26. In diebus ipsius retrò rediit Sol, & addidit regi vitam.

COMMENTARIUS.

cit. Cùm enim Joas Israëlis Rex illum in lecto jacentem inviseret, is Regi imperavit, ut humum spiculo ex cubiculi fenestrâ feriret. Rege ter feriente, prædixit Elisæus, illum ter de Syris triumphaturum; ac parem futurum victoriarum numerum, si pluries feriisset (p). Hoc sensu plerique Interpretum explicant.

℣. 16. IN OMNIBUS ISTIS NON POENITUIT POPULUS. Tot signis conspectis, non correxit se populus. Elisæi prodigia, institutiones, minæ, exempla Israëlitas movere non potuerunt. Quamobrem illi in scelere contumaces, *ejecti sunt de terrâ suâ, & dispersi sunt in omnem terram*.

℣. 17. ET RELICTA EST GENS PERPAUCA, ET PRINCEPS IN DOMO DAVID. Ab Jeroboamo usque ad Elisæum, ac diu etiam pòst, duplex in Palæstinâ Regnum fuit, Juda scilicet ac Israëlis. Hoc per Salmanasarum everso, ductisque in captivitatem decem Tribubus trans Euphratem, Regnum Juda cum populi parte Davidicæ familiæ addictâ perseveravit. Hoc vult his verbis Noster.

℣. 19. EZECHIAS MUNIVIT CIVITATEM SUAM, ET INDUXIT IN MEDIUM IPSIUS AQUAM, ET FODIT FERRO RUPEM, ET ÆDIFICAVIT AD AQUAM PUTEUM. Docent Isaias *(q)* & Paralipomena *(r)*, eximium opus fecisse Ezechiam, civium commodo, derivatis in urbem aquis fontis Gehon, qui ad occidentalem urbis plagam fluebat. Quamobrem rupem ferro fodere, atque ampla aquarum conceptacula facere opus fuit. Id hoc loco commendatur. Græci Codices antiqui dissident; alii enim cum Vulgatâ ferunt *(s)*: *Induxit in medium ipsius urbis aquam*; alii: *Induxit in medium ipsorum Gog*; alii: *Accersivit Neor*. Proximum vero est, ex *Gihon* factum esse *Gog*; & ex *Udor*, aqua, conflatum esse *Neor*, quæ vox nihil penitus significat.

℣. 20. SENNACHERIB MISIT RABSACEN. Hanc rem fusè narratam vide apud 4 *Reg.* XVIII, XIX; 2 *Par.* XXXII; *Isa.* XXXVI. Addit Græcus, missum esse Rabsacen in Lachis, uti fert Regum historia.

℣. 23. PURGAVIT ILLOS IN MANU ISAIÆ SANCTI PROPHETÆ. Isaiâ Prophetâ orante, peccatorum veniam populo dedit Deus. Isaiæ suadenti, ut pœnitentiam agerent, Divinamque opem postularent, obtemperavere *(t)*. Græcus *(u)*: *Liberavit*, vel, *redemit eos per Esaiam*.

℣. 24. CONTRIVIT ILLOS ANGELUS DOMINI (x), cecîdit, trucidavit. De celeberrimâ Sennacheribi cæde peculiarem Dissertationem instituimus ad Isaiam.

℣. 25. ISAIAS FIDELIS IN CONSPECTU DEI. Græcus *(y)*: *Fidelis in viso suo*, in vaticiniis; quorum fides adamussim expleta est.

℣. 26. IN DIEBUS IPSIUS RETRO REDIIT SOL. Prædixit Ezechiæ Isaias futurum, ut sanitati restitueretur; ac fidei pignus dedit solis conversionem, quæ statim contigit, atque in horologio Achaz ostensa est *(z)*. Idem quindecim vitæ annos Ezechiæ addidit, post sanitatem, quam Dei nomine illi prædixerat.

(p) 4 *Reg.* XIII, 14.

(q) *Isai.* XXII, 10.

(r) 2 *Par.* XXXII, 30. (s) Εἰσήγαγεν εἰς μέσον αὐτῆς ὕδωρ. *Alii*, εἰς μέσον αὐτῶν τὸν Γώγ. *Alii*, ἐν μέσῳ αὐτῆς τὸν Νεώρ. (t) *Vide Isai.* XXXVI, 16, 21. (u) Καὶ ἐλυτρώσατο αὐτοὺς ἐν χειρὶ Ἡσαΐου. (x) Ἐξέτριψεν αὐτοὺς Ἄγγελος Κυρίου. (y) Πιστὸς ἐν ὁράσει αὐτοῦ. *Complut.* Σεπτὸς ἐν ὁράσει αὐτοῦ, *Venerandus in visu illius*. (z) *Isai.* XXXVIII.

℣. 27. Spiritu magno vidit ultima, & consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum

℣. 28. Ostendit futura, & abscondita, antequam evenirent.

COMMENTARIUS.

℣. 27. SPIRITU MAGNO VIDIT ULTIMA, AT CONSOLATUS EST LUGENTES IN SION. Spiritu Sancto plenus Isaias, eâ ubertate & copiâ, qua cæterorum Prophetarum longè maximus efficitur, non modò Sionis mala, verùm etiam malorum finem vidit, ac solatium fidelibus Judæis attulit. Babylonicam captivitatem diu antea quàm contingeret, & captivitatis exitum vaticinatus est. Solent Prophetæ captivitatem ultimi temporis nomine significare (*). Alludit Scriptor ad eum Isaiæ locum (§): *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut consolarer omnes lugentes. ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu.*

CAPUT XLIX.

Elogia Josiæ, Jeremiæ, Ezechielis, duodecim minorum Prophetarum, Zorobabelis, Jesu Pontificis, Nehemiæ, Henochi, Sethi, Semi, Adami.

℣. 1. MEmoria Josiæ in compositionem odoris facta opus pigmentarii.

℣. 2. In omni ore quasi mel indulcabitur ejus memoria, & ut musica in convivio vini.

℣. 3. Ipse est directus divinitus in pœnitentiam gentis, & tulit abominationes impietatis.

℣. 4. Et gubernavit ad Dominum cor ipsius, & in diebus peccatorum corroboravit pietatem.

℣. 5. Præter David, & Ezechiam, & Josiam, omnes peccatum commiserunt:

COMMENTARIUS.

℣. 1. MEMORIA JOSIÆ IN COMPOSITIONEM ODORIS FACTA. Regum omnium, quorum sacra meminit Historia, sanctissimus fuit. ac maximè innoxius. Illum nullius peccati arguit Scriptura. Morigeram Deo vitam ab ipso exordio instituit, neque agere quicquam neglexit, quod Deo deberetur. Cùm octo annorum Regnum capessivisset, jam tum quærere Deum cœpit. At decimum octavum ætatis annum assecutus, curam omnem eò contulit, ut crimina, quæ præcedentium Regum culpâ inundaverant, prorsus deleret (*a*). Neminem illi parem fuisse, Spiritus Sanctus testatur. Quamobrem hanc virtutum cæterorumque naturæ ornamentorum collectionem Author cum unguento ex pretiosissimis ac suavissimis odoribus conflato comparat.

℣. 2. UT MUSICA IN CONVIVIO VINI. Similem comparationem vide supra, XL, 20.

℣. 3. DIRECTUS EST DIVINITUS IN POENITENTIAM GENTIS. Electus a Deo est, ut populum ad pœnitentiam reduceret. Diximus non, Josiam delendis ex Juda sceleribus cum successu laborasse. Quamvis ab ipso Regni exordio pietatem ac Religionem revocare studuerit, attamen decimo octavo Regni anno majori studio ac fortunâ in eam rem incubuit. Prophetæ, qui primis Josiæ annis floruerunt, inundantia ætatis suæ crimina gravissimè arguunt; at versa deinde est rerum facies. Græcus ita reddi potest (*b*): *Ipse successum habuit convertendo populo.* Favebat illius labori Deus, ejusque molimina ad felicem exitum duxit (*c*).

℣. 4. IN DIEBUS PECCATORUM CORROBORAVIT PIETATEM. Impietatem aggressus, apertissimâ illam vi exagitavit. Cùm plerique e superioribus Judæ Regibus, vel sanctissimi ac Religionis studiosissimi, excelsorum religionem tentare non ausi fuissent, ea ipse delevit, altaria evertit, lucos succendit, pseudo-Prophetarum, sacrilegorumque Sacerdotum ossa ex humo eruta cremavit (*d*). Nulla illum cupiditas, metusve continuit; interque scelestissimos ætatis mores, gentemque nequissimam, sapienter constanterque in Dei obsequium authoritate usus est; ac populum ad officium revocasse non contentus, ad singulas Palæstinæ urbes, in quibus aliquæ decem Tribuum reliquiæ supererant, nuntios misit, quibus tota gens Jerosolymam ad Paschatis festum accerseretur (*e*).

℣. 5. PRÆTER DAVID, EZECHIAM, ET JOSIAM, OMNES PECCATUM COMMISERUNT, scilicet superstitionem amplexi sunt; vel, passi sunt stare Excelsa, ubi religio purissimo Dei cultui contraria exercebatur. Josaphatum commendat Scriptura: illud tamen vitio illi dat, quòd fœdus cum Achabo & Ochosia inierit (*f*), & excelsa non everterit (*g*). Eadem est Asæ culpa (*h*). David stupratæ Bethsabee, interfectique Uriæ reus, ea cri-

(*) Vide *Isai.* II, 2; *Jerem.* XXXI, 37; XLVIII, 47; XLIX, 39, *&c.* (§) *Isai.* LXI, 1. (a) 4 *Reg.* XXII, 3; *&* XXXIII. (b) Αὐτὸς κατευθύνθη ἐν ἐπιστροφῇ λαοῦ. (c) *Vide* 4 *Reg.* XXII, XXIII; *&* 2 *Par.* XXXIV. (d) 4 *Reg.* XXIII, 4, 5, 16, *&c.* & 2 *Par.* XXXIV. (e) 2 *Par.* XXXIV, 6. (f) 3 *Reg.* XXIX, 4, 5; *&* 2 *Par.* XIX, 2; *&* XX, 37. (g) 3 *Reg.* XXII, 43, 44. (h) 3 *Reg.* XV, 14; XXII, 44.

℣. 6. Nam reliquerunt legem Altiſſimi reges Juda, & contempſerunt timorem Dei.

℣. 7. Dederunt enim regnum ſuum aliis, & gloriam ſuam alienigenæ genti.

℣. 8. Incenderunt electam ſanctitatis civitatem, & deſertas fecerunt vias ipſius in manu Jeremiæ.

℣. 9. Nam malè tractaverunt illum, qui a ventre matris conſecratus eſt propheta, evertere, & eruere, & perdere, & iterum ædificare, & renovare.

℣. 10. Ezechiel, qui vidit conſpectum gloriæ, quam oſtendit illi in curru Cherubim.

℣. 11. Nam commemoratus eſt inimicorum in imbre, benefacere illis, qui oſtenderunt rectas vias.

COMMENTARIUS.

erimioa ita expiavit, ut omoium ætatum exemplum futurus ſit; Ezechias, externorum Regum amicitias, opumque ſuarum magnitudinem & copiam pluris, quàm par erat, faciens, iisque nimium fidens *(i)*, culpam conſtanti erga Dei cultum fide, promptâque Divinis imperiis ſubjectione reparavit.

℣. 6. NAM RELIQUERUNT LEGEM ALTISSIMI REGES JUDA, ET CONTEMPSERUNT TIMOREM DEI. Id quidem de pleriſque Regibus Juda veriſſimum eſt. Græcus *(k)*: *Dereliquerunt Legem Altiſſimi Reges Juda, defecerunt*, regnare deſierunt. Everſum deletumque eſt horum imperium, oon ſecus ac Iſraëlis, cujus impietatem imitati ſunt.

℣. 7. DEDERUNT ENIM REGNUM SUUM ALIIS, ET GLORIAM SUAM ALIENIGENÆ GENTI. Verè omnino dicuntur Reges Juda ſuam ipſorum ditionem alienis dediſſe, cùm Achaz Theglatphalaſſari Aſſyriorum Regis opem implorârit *(l)*. Eo enim ex tempore Ninivitarum ac deinde Babyloniorum Reges Regnom Judæ ceu tributo ſibi obnoxium habuerunt; atque hoc ipſum cauſatus Sennacherib, Ezechiam armis aggreſſus eſt, veluti perfidum, violatique fœderis reum, quod inter Reges Juda & priores Aſſyriorum Reges initum fuerat *(m)*. Eadem fuit Nabuchodonoſori causa, nempe Reges Juda cum Ægyptiis amicitias junxiſſe, ne pactis conventis ſtarent, utque a vetuſtâ ſubjectione deſciſcerent *(n)*. At Græcus luculenter tradit *(o)*, Deum ipſum Hebræos in externorum poteſtatem ultro dediſſe: *Dedit cornu eorum alienis, & gloriam ipſorum genti extraneæ*. Cornu pro viribus, imperio, robore, gloriâ uſurpatur; fortaſſe etiam pro Templo.

℣. 8. ELECTAM SANCTITATIS CIVITATEM, Jeroſolymam, quæ apud Scripturam ſanctæ urbis nomine ſignificatur. Sicli ſub Pontifice Simone Aſmonæo euſi hoc lemmate inſcribuntur: *Jeruſalem Sancta*.

DESERTAS FECERUNT VIAS IPSIUS, IN MANU JEREMIÆ, ex Jeremiæ vaticinio, cujus hæc verba ſunt *(p)*: *Viæ Sion lugent, eo quòd non ſint qui veniant ad ſolemnitatem; omnes portæ ejus deſtructæ: Sacerdotes ejus gementes: virgines ejus ſqualidæ, & ipſa oppreſſa amaritudine*. Nobiliſſima urbs everſa eſt, ejuſque viæ nullo cultore, ut olim, frequentantur. Græcus ſingulari numero legit *(q)*: *Deſertas fecit vias*, &c. idque ad Deum, ceu primum malorum Jeroſolymæ authorem, refert.

℣. 9. MALE TRACTAVERUNT ILLUM, QUI A VENTRE MATRIS CONSECRATUS EST PROPHETA, EVERTERE, &c. Et Jeremiæ verba procul dubio ſpectat *(r)*: *Priuſquam te formarem in utero, novi te: & antequam exires de vulvâ, ſanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te .... Conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes*. Scilicet: Te ex ipſo matris ventre ſelegi, ut Regnorum regionumque excidium, cædemque, ac deinde reſtaurationem nuncies.

℣. 10. EZECHIEL QUI VIDIT CONSPECTUM GLORIÆ, QUAM OSTENDIT ILLI IN CURRU CHERUBIM. Celeberrimi hujus ſpectaculi, quo Deus ſeſe nitidiſſimo curru a Cherubim vectum exhibuit, deſcriptionem vide *Ezech.* I, 4, 5.... 10; VIII, I, 2, 3; X, 1, 2, 3.

℣. 11. COMMEMORATUS EST INIMICORUM IN IMBRE: imbre ſignificavit, quid Dei hoſtibus eventurum eſſet. Imber, procella, turbines, Prophetico more, plerumque mala & calamitates indicant. Pſeudo-Prophetis Juda minitatur his verbis Ezechiel *(s)*: *Dic ad eos qui liniunt abſque temperaturâ, quòd caſurus ſit: erit enim imber inundans, & dabo lapides prægrandes deſuper irruentes, & ventum procellæ diſſipantem*, &c. Vide & caput XXXVIII, 22. ejuſdem, ubi graviſſimam Gog & Magog procellam minitatur, qua utrique diſſipandi ſunt ac fugandi.

BENEFACERE ILLIS, QUI OSTENDERUNT VIAS RECTAS. Vaticinatus eſt bona, quibus proſecuturus eſt Deus illos, qui rectum vitæ iter inſtituerunt. De hac re vide Ezechielem, XVIII, 21, 22, 23; XXXIII, 16, 17; XXXIV, 12, 13; XXXVI, XXXVII. Græcus *(t)*: *Direxit eos, qui vias ſuas rectas faciunt*. Scilicet: Illorum, qui juſtam rectamque vivendi rationem inſtituerunt, reditum vaticinatus eſt. Quæ a Prophetis prædicuntur, hæc ab illis fieri ait Scriptura, ut animadvertimus in caput XLVIII, 6.

℣. 12, Duo-

(i) 4 *Reg.* XX, 15, 16. (k) Κατέλιπον τὸν νόμον τοῦ ὑψίστου, οἱ βασιλεῖς Ἰούδα ἐξέλιπον.
(l) 4 *Reg.* XVI, 7. (m) *Vide* 4 *Reg.* XVIII, 7: *Rebellavit Ezechias contra Regem Aſſyriorum*, *Vide &* ℣. 14. (n) 4 *Reg.* XXIV, 1, 2: *Factus eſt ei Joakim ſervus tribus annis, & rurſùm rebellavit contra eum, &c.* (o) Ἔδωκε τὸ κέρας αὐτῶν ἑτέροις, καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν ἔθνει ἀλλοτρίῳ.
(p) *Jerem. Thren.* I, 4. (q) Ἠρήμωσε τὰς ὁδοὺς αὐτῆς ἐν χειρὶ Ἱερεμίου.
(r) *Jerem.* I, 5, 10. (s) *Ezech.* XIII, 11, 12, 13.
(t) Κατώρθωσε τοὺς εὐθύνοντας ὁδούς. *Edit. Rom.* Ἀγαθῶσαι. *Grot. legit*: ἠγάθωσε, *Benefecit*: *ideſt, benè futurum prædixit*.

℣. 12. Et duodecim prophetarum ossa pullulent de loco suo: nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt se in fide virtutis.

℣. 13. Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipse quasi signum in dexterâ manu?

℣. 14. Sic & Jesum filium Josedec? qui in diebus suis ædificaverunt domum, & exaltaverunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternam.

℣. 15. Et Nehemias in memoriam multi temporis, qui erexit nobis muros eversos, & stare fecit portas, & seras, qui erexit domos nostras.

℣. 16. Nemo natus est in terrâ qualis Henoch: nam & ipse receptus est a terrâ.

COMMENTARIUS.

℣. 12. DUODECIM PROPHETARUM OSSA PULLULENT DE LOCO SUO. Postquam de Isaaco, Jeremia, & Ezechiele egit, ad minores duodecim Prophetas transit, quorum scripta jam tum unico volumine continebantur. Suâ singuli ætate Jacobi robur & gloria, populique salus fuere, justitiam veritatemque integerrimâ fide sectantes; seseque ceu æreum aggerem libidini ac sceleri, regionem universam inundantibus, objecerunt. *Nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt se in fide virtutis suæ.* Mala, quibus cæteri Israëlitæ obvoluti sunt, vitavere, fidei constantisque in Deum obsequii, ac virtutis merito, qua ipsi scelerum inundationi restiterunt. Græcus (u): *Et duodecim Prophetarum sit memoria in benedictionibus: floreant ossa eorum e loco suo.* Similis huic formula superiùs occurrit (x); atque ex Evangelio discimus (y), Pharisaicæ religionis partem fuisse, Prophetarum tumulos ornare; quo indicio significabant, quanto obsequio illorum ossa & religionem prosequerentur. Romana Græci Editio hæc solùm legit: *Floreant ossa Prophetarum de loco suo.* Ea omittit Complutensis Editio, & solùm legit: *Duodecim Prophetarum memoria in benedictionibus.* Danielem præterit Scriptor, quamvis nobilissimum Hebræis monumentum; illum enim Hebræi inter Hagiographos, non inter Prophetas numerant, quòd vitam Satrapâ & optimate potiùs quàm Prophetâ dignam egerit.

℣. 13. ZOROBABEL QUASI SIGNUM IN DEXTERA MANU (z). Alludit Noster ad illa Aggæi, II, 24: *In die illâ, dicit Dominus exercituum, assumam te, Zorobabel fili Salathiel, serve meus, dicit Dominus: & ponam te quasi signaculum,* seu annulum aut sigillum, *quia te elegi, dicit Dominus exercituum.* Docent alii Scripturæ loci, annulos dexteræ manûs digitis inseri consuevisse; cùmque pretiosa illorum materies, & opus exquisitissimum esse soleret, ubi quis aliquem magni facere sese significaret, ajebat, illum ita a se in animo geri, ceu in digito annulum; ubi verò sperneret, ejici, uti annulus e digito removetur. *Si fuerit Jechonias filius Joacim Regis Juda, annulus in manu dexterâ meâ, inde evellam eum, dicit Dominus* (a). Sponsa in Cantico (b): *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.*

℣. 14. ET JESUM FILIUM JOSEDECH, qui unà cum Zorobabele Dei domum restauravit. Jesus Josedechi filius solutâ Captivitate Pontificatum gessit; Judæ verò Principatum Zorobabel filius Salathielis. Duos hosce populi Principes Aggæus Dei nomine alloquebatur, jubebatque Templum restaurare (c). Paruerunt illi, eorumque memoria celebris nobilisque apud Israëlitas fuit. Frequentissimè pariter de Jesu Josedechi filio agit Zacharias (d); idemque absolutissima Jesu Christi figura & imago fuit, cujus nomine distinguebatur. Græca quædam exemplaria (e) legunt: *Jesum filium Josedech, qui in diebus illorum ædificaverunt domum* Domini, *& erexerunt populum sanctum Domini:* alia verò cum Vulgatâ ferunt: *Exaltaverunt Templum sanctum Domini.* Unica totius discriminis causa est literula in variis codicibus varia: *L on*, pro *Naon*.

℣. 15. NEHEMIAS IN MEMORIA MULTI TEMPORIS. Æterna sit Nehemiæ memoria, quòd mœnia Jerosolymæ restauraverit, arcendisque hostium conatibus paria effecerit. Res a Nehemia gestas narrat Liber ab ipso exaratus (f). Ex eo disces, qua ratione ex Persarum Rege facultatem impetraverit, patriæ mœnia restituendi, quantâque prudentiâ & constantiâ maximè arduum opus absolverit, quamvis innumera tum domi tum foris obstiterint. Græcos fert (g): *Et in electis* ejus ætatis *erat Nehemias, cujus diuturna* sit *memoria.* Inter celeberrimos viros post captivitatem claruit, ac gentis suæ regimen Regis nomine diu exercuit (h).

℣. 16. NEMO NATUS EST IN TERRA QUALIS HENOCH: NAM ET IPSE RECEPTUS EST A TERRA. Si Henochum eo solùm nomine commendare voluit Sapiens, objici Henocho potest Elias, cujus raptum, & raptûs adjuncta, quibus Prophetæ gloria maximopere augetur, novimus. Quamobrem ceu epilogo dicere hoc velle mihi videtur: Quamquam verò nobilissimi homines, quorum elogia prosecuti sumus, quammaximè claruerunt, illud tamen meritò dicendum est, Henochum & Josephum, suo unumquemque nomine, cæteris antecellere. Henoch inter corruptissimos omnium ætatum homines Divinarum rerum studio claruit (i); addito insigni vitatæ mortis privilegio, cùm vivens adhuc raptus e mortalibus fuerit (k). De Henocho jam superiùs verba fecit (l). Josephum nondum de nomine, sed aliis verbis optimè ac perspicuè descripserat (m): *Eduxit ex eo* (Jacobo) *virum misericordiæ, invenientem gratiam in oculis*

(u) Καὶ τῶν δώδεκα προφητῶν εἴη τὸ μνημόσυνον ἐν εὐλογίαις. Ἀναθάλοι τὰ ὀστᾶ αὐτῶν ἐκ τοῦ τόπου αὐτῶν. (x) *Eccli.* XLV, 15: *Ossa eorum pullulent de loco suo.* (y) *Matth.* XXIII, 29.

(z) *Complut. & Sixt. V, & alii plures addunt hic, Israël: Quasi signum in manu dexterâ Israël.*

(a) *Jerem.* XXII, 24. (b) *Cant.* VIII, 6. (c) *Agg.* I, II, 24; II, 3, 5. (d) *Zachar.* III, 1, 3, 6, 8, 9; VI, 11.

(e) *Edit. Rom.* Οἳ ἐν ἡμέραις αὐτῶν ᾠκοδόμησαν οἶκον, ἀνύψωσαν λαὸν ἅγιον Κυρίῳ. *Compl.* Ἀνύψωσαν ναὸν ἅγιον Κυρίῳ. (f) Vide secundum Esdræ Librum, seu Nehemiam per totum.

(g) Καὶ ἐν ἐκλεκτοῖς ἦ Νεεμίας οὗ ἐπιπολὺ τὸ μνημόσυνον αὐτοῦ. (h) 2 *Esdr.* V, 14.

(i) *Genes.* V, 22, 24. (k) *Genes.* V, 24. (l) *Eccli.* XLIV, 16. (m) *Eccli.* XLIV, *ult.*

℣. 17. Neque ut Joseph, qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, (rector fratrum, stabilimentum populi.)
℣. 18. Et ossa ipsius visitata sunt, (& post mortem prophetaverunt.)
℣. 19. Seth & Sem apud homines gloriam adepti sunt: & super omnem animam in origine Adam.

COMMENTARIUS.

oculis omnis carnis. Hic verò addit: *Natus est princeps fratrum, firmamentum gentis; rector fratrum, stabilimentum populi. Et ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetaverunt.* Græcus paucioribus verbis (n): *Nullus ut Joseph natus est homo, princeps fratrum, columen populi: & ossa ipsius visitata sunt a Domino.* Josephum condidit Deus, ut, quamquam non maximus natu inter fratres, familiæ princeps esset. Id verò velle Deum, somnia divinitus Josepho exhibita, eorumque exitu confirmata demonstravere. Arcano Providentiæ consilio in Ægyptum abductus, princeps inter Regis familiares ac Ministros fuit, iis opibus florens, ut paternam familiam tueri ac per famem alere posset. Eo denique mortuo, cùm Deus populum ex Ægypto reduceret, illud in primis curæ habitum est, ne illius ossa in Ægypto remanerent, atque in promissam regionem translata sunt (o).

℣. 19. SETH ET SEM APUD HOMINES GLORIAM ADEPTI SUNT: ET SUPER OMNEM ANIMAM IN ORIGINE ADAM. De cæteris Patriarchis, quamquam ingens sit Sethi gloria, utpote qui Justorum diluvio superiorum radix fuerit, & Sem eodem nomine claruerit post Noëmum; omnibus tamen longè antecelluit Adam, cùm nullum habuerit gloriæ suæ socium, quippe qui Dei ipsius manu conditus fuit. Unus ipse jure gloriari potest, patrem sibi fuisse Deum, absolutamque ex origine justitiam & innocentiam se retulisse: cùm cæteri homines e sui similibus oriantur, nascentesque & peccatum, & longam pœnarum peccati seriem ferant. Sunt qui velint, Sethum, fermè ut Henochum, raptum esse e mortalium numero: at hæc inania sunt Hæreticorum Sethianorum commenta, qui nomen e Setho ducebant, ipsique Setho Christi & Messiæ dignitatem arrogabant.

CAPUT L.

Simonis Pontificis, Oniæ filii, elogium. In Idumæos, Philisthinos, Samaritanos invectiva.

℣. 1. SImon Oniæ filius, sacerdos magnus, qui in vitâ suâ suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum.
℣. 2. Templi etiam altitudo ab ipso fundata est, duplex ædificatio, & excelsi parietes templi.

COMMENTARIUS.

℣. 1. SIMON ONIÆ FILIUS, SACERDOS MAGNUS. Duplicem in Hebræorum historiâ Simonem Oniæ filium legimus, utrumque Pontificem, neque ab hujus Libri Scriptoris ætate remotum. Alterum scilicet Simonem Justum, de quo ita Josephus (a): *Onia Pontifice defuncto, filius ejus Simon successit, Justus cognomine, quòd & Deum piè coleret, & cives summâ prosequeretur benevolentiâ.* Alterum apud eumdem Josephum (b), illum nempe, cujus illustre facinus in tertio Macchabæorum Libro legitur (c), cùm Ptolemæo Philopatori, in Sanctuarium ingredi conanti, resisteret.

Acriter disputatur, uter Simon hoc loco significetur. Plures priorem esse volunt (d), quibus favent Josephi verba, quæ mox recitavimus. Alii (e) Simonem secundum: quorum sententiam probamus. Hic diuturno ac felici usus est Pontificatu; eoque rempublicam gerente, celebre illud facinus contigit, quod mox innuimus, quo illius pietas rerumque sacrarum studium adversùs Ægyptii Regis arrogantiam claruit, prodigio divinitus comprobante. Vide nostram Præfationem in hunc librum, & Bossueti Episcopi Meldensis, qui ad eucharisticas victimas, a Philopatore Jerosolymis mactatas, refert descriptionem, ab Authore magnificentissimè exaratam, Simonis Pontificis, ad Altare ascendentis, splendidissimis vestibus ornati, quem Sacerdotes undique comitantur. Hanc nos opinionem toto hoc capite sequemur.

QUI IN VITA SUA SUFFULSIT DOMUM, ET IN DIEBUS SUIS CORROBORAVIT TEMPLUM. Satis ostendit Græcus (f), non hîc agi de Templi dignitate aut ordine, sed de ipsius ædificii restauratione, reparatione murorum, totiusque domûs incremento. Simon II viginti annis gentis suæ imperio potitus est, totumque id tempus Templi ornamentis ac instaurationi dedit. Codices quidam legunt (g): *Firmavit populum*, pro, *firmavit Templum*. Postrema hæc lectio tenenda est.

℣. 2. TEMPLI ETIAM ALTITUDO AB IPSO FUNDATA

(n) Καὶ ὡς Ἰωσὴφ ἐγεννήθη ἀνὴρ ἡγέμων ἀδελφῶν, στήριγμα λαοῦ· καὶ τὰ ὀστᾶ αὐτοῦ ἐπεσκέπη ὑπὸ Κυρίου. (o) *Gen.* L, 23, 24; *Exod.* XIII, 19.

(a) *Joseph. Antiq. l.* 12, *c.* 2, *p.* 392: Τελευτήσαντος Ὀνίου τοῦ ἀρχιερέως, ὁ παῖς αὐτοῦ Σίμων γίνεται διάδοχος, ὁ καὶ δίκαιος ἐπικληθεὶς, διά τε τὸ πρὸς Θεὸν εὐσεβὲς, καὶ τὸ πρὸς τοὺς ὁμοφύλους εὔνουν. (b) *Joseph. Antiq. l.* 12, *c.* 4: Ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ θεῖος αὐτοῦ Ὀνίας, τὴν ἀρχιερωσύνην Σίμωνι τῷ παιδὶ καταλιπών. (c) 3 *Maccab.* II, 2. (d) *Euseb. in Chronic. Genebr. Salian. Torniel. Jansen. Palac. Sa, Cornel. a Lapide, Drus. Badvell. hic.* (e) *Ita Raban. Hugo, Lyr. Dionys. Grot. Bossuet. hic, Sigon. lib.* 8 *de Rep. Hebr. c.* 2; *Serar. in Macchab.*

(f) Ὃς ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ ὑπέῤῥαψεν οἶκον, καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ ἐστερέωσε ναόν.

(g) *Complut.* Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ ἐστερέωσε λαόν.

℣. 3. In diebus ipsius emanaverunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum.

℣. 4. Qui curavit gentem suam, & liberavit eam a perditione.

℣. 5. Qui prævaluit amplificare civitatem, qui adeptus est gloriam in conversatione gentis: & ingressum domûs & atrii amplificavit.

℣. 6. Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet.

COMMENTARIUS.

DATA EST, DUPLEX ÆDIFICATIO, ET EXCELSI PARIETES TEMPLI. Varia hæc Simonis opera non nisi ex hoc loco noscimus, silentibus Josepho cæterisque. Græcus (b): *Sub ipso jacta sunt fundamenta altitudinis alterius* loricæ, *celsum munimen Templi in ambitu*: quibus verbis una eademque res significatur. Alteram loricam circa Templum struxit Simon, ceu thoracem, quo montis vertex ambiebatur. Cùm murus clivo montis inniteretur, altissimis fundamentis opus fuit; idque Author significat his verbis: *Templi altitudo ab ipso fundata est*. Hujus loricæ apertè meminit Ezechiel, ubi Templum describit (i). Fortasse ante Simonis Pontificatum loricæ hujus struendæ facultas non fuerat. Exterior hic murorum ambitus Atrium Gentium appellabatur: nefas enim erat, Ethnicum intra atrium Israëlis admitti. Græca vox *analemma*, quam nos reddidimus *munimen*, significat etiam sublime ædificium (k); atque in Libris Paralipomenon (l) pro *mello* usurpatur, quæ vox sonat locum solo æquatum stratumque in aream: id quod optimè loricæ nostræ convenit, quæ æqua fieri non potuit nisi aggestâ humo, æquatisque locis inæqualibus asperisque.

℣. 3. IN DIEBUS IPSIUS EMANAVERUNT PUTEI AQUARUM, ET QUASI MARE ADIMPLETI SUNT. Simile quid superiùs occurrit in elogio Ezechiæ (m). Simon fortasse aquas in urbem aquæductibus derivavit, ingentemque cisternarum numerum struxit. Græcus (n): *Ipsius temporibus diminuta sunt conceptacula aquarum*. Vel, ex Grotio: *Ipsius temporibus cavatum est* (o) *ex ære conceptaculum aquarum, triplâ magnitudine ad mare* æneum Salomonis. Vel, ficta sunt ærea conceptacula, Salomonico paria (p). Maximè ardua res erat, lutêres Salomonico mari, de quo in Libris Regum (q), triplo majores effingere. Hæc vasa in Templi usum erant. Græci tamen Codices quidam ferunt, aquarum conceptacula fuisse, quæ Simon in urbe finxerit, capacitate atque amplitudine mari similia; piscinas nempe amplissimas, ceu lacus. Quamobrem ita reddere malo (r): *Ipsius tempore cavatum est aquæ conceptaculum*, piscina, *ingens ut lacus*. Hebræi maris nomine quaslibet aquarum collectiones nuncupant. Hæc interpretatio maximè omnium placet. Plures etiam Jerosolymis erant piscinæ, teste Evangelio (s).

℣. 4. QUI CURAVIT GENTEM SUAM, ET LIBERAVIT EAM A PERDITIONE. Nos cum Bossueto credimus, his verbis illud spectari, quod in tertio Macchabæorum Libro recitatur. Philopator, fracto Antiochi magni Syriæ Regis exercitu, Jerosolymam venit, Templum invisurus, acturusque ob victoriam gratias. Illum Pontifex populusque cum ingenti hilaritatis & obsequii significatione exceperunt; eoque ad Templum ducto, victimæ eucharisticæ mactatæ sunt. Loci pulcritudine rituumque majestate illectus Rex, intra Sanctum ingredi parabat: at repugnans Pontifex, illum abire coëgit, nullâ vi aut populo aut Templi Ministris adhibitâ: idque prodigii loco habitum est, cùm Rex victor, ac repulsâ irritatus timeri posset. Hanc Simonis constantiam commendat hoc loco Sapiens; ipsiusque Pontificis virtuti precibusque adscribit tum servatam Templi dignitatem, tum populi ex præsenti gravissimoque discrimine liberationem. Vide tertium Librum Macchabæorum.

℣. 5. QUI PRÆVALUIT AMPLIFICARE CIVITATEM. Græcus (t) non habet auctam a Simone urbem, sed *firmatam valloque* cinctam ac probè munitam, ut hostium conatibus par esset.

QUI ADEPTUS EST GLORIAM IN CONVERSATIONE GENTIS. Populi benevolentiam, obsequium, amicitiam sibi comparavit sapientiâ, æquitate ac dignitate, qua rempublicam gessit. Quamvis Ægyptiorum Regibus eâ ætate parerent Hebræi, ingens tamen Pontificia in populum authoritas erat, isque civitatem fermè absolutâ potestate moderabatur. Græcus (u). *Quàm honorabatur a populo circumfuso, ubi exibat ex domo veli?* Domus veli est adytum, seu sanctum, ac maximè sacra totiùs Templi pars, cujus ostium protenso aulæo pretiosissimo claudebatur. At Pontifex Sancto egrediens, inter Sacerdotes Levitasque, non inter populum excipiebatur; populus enim nunquam intra Sacerdotum atrium admittebatur, nisi cùm victimam ad aram duceret, manum capiti hostiæ pro peccato impositurus, & peccata confessurus. Quamobrem populum hic pro Sacerdotum multitudine usurpatum puto, de quibus ait, ℣. 14: *Circa illum steterunt quasi rami palmæ, & omnes filii Aaron in gloriâ suâ*. Vel dicendum, respici ab Authore Expiationis solemnis ritum (x), qua die Pontifex in Sanctuarium ingressus, suffitum offerebat; ac deinde in populi atrium, populum expiaturus, egrediebatur. Aptissima videtur hæc explicatio.

INGRESSUM DOMUS ET ATRII AMPLIFICAVIT. Idem quod superiùs, ℣. 2. Alteram loricam, seu atrium, extra atrium Israëlis, Templo addidit Pontifex. Hoc in Græco deest.

℣. 6. QUASI STELLA MATUTINA IN MEDIO NEBULÆ, seu per nubes mane vagantes, quibus tamen

(b) Καὶ ἐπ' αὐτῷ ἐθεμελιώθη ὕψος διπλῆν ἀνάλημμα, ὑψηλὸν περίβολον ἱεροῦ. *Edit. Rom.* ὑπ' αὐτοῦ ἐθεμελιώθη ὕψος διπλῆς ἀνάλημμα ὑψηλὸν περιβόλου ἱεροῦ. (i) *Ezech.* XL, 5. (k) Α'νάλημμα. *Hesych. Suid.* (l) 2 *Par.* XXII, 5: Τὸ ἀνάλημμα τῆς πόλεως. (m) *Eccli.* XLVIII, 19. (n) Ε'ν ἡμέραις αὐτοῦ ἠλαττώθη ἀποδοχεῖον ὑδάτων χαλκὸς ὡσεὶ θαλάσσης τὸ περίμετρον. *Complut.* Ε'ν ἡμέραις αὐτοῦ ἠλαττώθη δοχεῖα ὕδατος, χαλκὸς ὡσεὶ θαλάσσης τὸ τρίμετρον. (o) Ε'λαξεύθη ἀποδοχεῖα ὑδάτων. (p) Ω'σεὶ θαλάσσης τὸ περίμετρον. (q) 3 *Reg.* VII, 23; 1 *Par.* XVIII, 8; & 2 *Par.* IV, 2, &c. (r) Ε'ν ἡμέραις αὐτοῦ ἐλαξεύθη ἀποδοχεῖον ὑδάτων, λάκκος ὡσεὶ θαλάσσης τὸ περίμετρον. *Vide Hæschel. Annot. hic.* (s) *Joban.* 12, 7. *Vide, si lubet, Isai.* VII, 3; XXII, 9, 11; & XXXVI, 2. (t) *Complut.* Ε'νισχύσας πόλιν ἐν πολιορκίᾳ. *Rom.* Ε'νισχύσας πόλιν ἐμπολιορκῆσαι. *Alii*, ἐκ πολιορκίας. Πολιορκεῖν interdum usurpatur pro *urbem munire*, quamquam propria illius significatio est, *obsidere*. Vide Grotium. (u) Ω'ς ἐδοξάσθη ἐν περιστροφῇ λαοῦ, ἐν ἐξόδῳ οἴκου καταπετάσματος. (x) *Levit.* XVI, 12, 13, & *seq.*

℣. 7. Et quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo Dei.
℣. 8. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quasi flos rosarum in diebus vernis, & quasi lilia, quæ sunt in transitu aquæ, & quasi thus redolens in diebus æstatis.
℣. 9. Quasi ignis effulgens, & thus ardens in igne.
℣. 10. Quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso.
℣. 11. Quasi oliva pullulans, & cypressus in altitudinem se extollens, in accipiendo ipsum stolam gloriæ, & vestiri eum in consummationem virtutis.
℣. 12. In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum.
℣. 13. In accipiendo autem partes de manu sacerdotum, & ipse stans juxta aram. Et circa illum corona fratrum: quasi plantatio cedri in monte Libano.
℣. 14. Sic circa illum steterunt quasi rami palmæ, & omnes filii Aaron in gloriâ suâ.

COMMENTARIUS.

tamen luciferi aspectus minimè impeditur. Talis Simon inter Sacerdotes. Hinc doceri videmur, illum augustâ corporis habitudine, dignâque Pontificatûs specie claruisse; quibus accedebat Pontificalium ornamentorum fulgor, quibus inter cæteros Sacerdotes ita distinguebatur, velut inter matutinas nubes lucifer, ceu per diem sol, per noctem luna, pluvio cœlo iris, & reliqua, quæ sequuntur ℣℣. 8, 9, 10, 11.

℣. 7. Quasi sol refulgens, sic ille effulsit in Templo Dei. Fert Græcus, Pontificem ita ornamentis fulsisse (y), *ceu solem, cùm radiis ferit Templum Altissimi*. Pulcherrimum sanè spectaculum erat, ubi sol primis ex oriente radiis Jerosolymitanum Templum feriret; lapidum enim marmorumque fulgor, auri cæterorumque metallorum jubar, ædificii totius amplitudo & structura, perstringebant oculos, animomque obsequio implebant. Hoc animadvertit cum admiratione Josephus (z).

℣. 9. Quasi ignis effulgens, et thus ardens in igne. Græcus fert (a): *Quasi ignis & thus in foculo*, seu thuribulo.

℣. 11. Quasi oliva pullulans, et cypressus in altitudinem se extollens. Nobilissimæ aptissimæque comparationes. Describere vult Scriptor Pontificem procero corpore, vestibusque pretiosissimis ac locupletissimis distinctum. Græcus habet (b): *Ut olea decora, fructus ferens, atque ut cypressus ad nubes se extollens*.

In accipiendo ipsum stolam gloriæ, et vestiri eum in consummationem virtutis: ubi gloriosis vestibus, omnibusque dignitatis suæ ornamentis induitur. Stola gloriæ, de qua Scriptor, tunicam hyacinthinam significat; *consummatio virtutis* cætera Pontificis ornamenta. Virtus interdum pro opibus usurpatur, uti sæpiùs animadvertimus (c). Græcus (d): *Ubi assumit stolam gloriæ, & induitur perfectione pulcritudinis;* scilicet, locupletissimis ac magnificentissimis dignitatis suæ ornamentis.

℣. 12. In ascensu altaris sancti, gloriam dedit sanctitatis amictum. Pontificem describere aggreditur, pacificas sive eucharisticas victimas mactantem. Illum verò exhibet ad Altare ascendentem, omnibus dignitatis suæ ornamentis distinctum. Bossuetus Meldensis Episcopus putat, uti prædiximus, hîc illud spectari quod Jerosolymam veniente Ægypti Rege, ut grates Deo ageret, contigit. Eo enim tempore, ut sacri ritûs pompa augeretur, Pontifex ipse pacificam victimam mactavit, quam reliquis diebus ab unoquoque Sacerdote offerri fas erat. Græcus (e): *Quoties ascendebat ad Altare sanctum* Simon, *illustrabat omnem ambitum Templi*, gemmis auroque quibus micabat.

℣. 13. In accipiendo autem partes (f) de manu Sacerdotum, et ipse stans juxta aram. E pacificis holocaustis, victimæ adeps, renes, cauda, adeps viscera tegens, lobus hepatis in altari cremabantur (g). Hæc Simon e cæterorum Sacerdotum manu accipiebat, ipse stans *juxta focum altaris*, super altare: altius enim erat, quàm ut ab humi stantibus adiri posset. Per gradus autem eò ascendebat Sacerdos, uti prædictum est versiculo superiori.

Circa illum corona fratrum. Cæteri Sacerdotes, Aaronis item filii, circa illum sunt, & aram ambiunt, munere suo fungentes, ad Pontificis nutum parati. Is inter Sacerdotes ingentis ac proceræ instar cedri eminebat; cùm cæteri ceu minores cedri circa majorem satæ starent, ejusque proceritati ac speciei augendæ servirent.

℣. 14. Sic circa illum steterunt quasi rami palmæ. Vel (i): *Ceu germina palmarum*. Alibi (k) docuimus, palmam circa se minorum palmarum, ex ipsâ sui radice prodeuntium, lucum quemdam parere; stante inter eas majore palmâ, velut inter liberos patre. Ita Simon inter cæteros Sacerdotes eminebat: ipse sublimissimus, magnificisque ornamentis indutus; cæteri minores, suisque vestibus ornati, *in gloriâ suâ*, discri-

(y) Ὡς ἥλιος ἐκλάμπων ἐπὶ ναὸν ὑψίστου. (z) *Joseph. lib. 5 de Bello Judaico, c. 6, p. 918*: Τὸ δὲ ἔξωθεν αὐτοῦ πρόσωπον, οὐδὲν οὔτε εἰς ψυχῆς, οὔτε εἰς ὀμμάτων ἔκπληξιν ἀπέλιπε. Πλαξὶ γὰρ χρυσοῦ στιβαραῖς κεκαλυμμένος πάντοθεν, ὑπὸ τὰς πρώτας ἀνατολὰς, πυρωδεστάτην ἀπέπαλλεν αὐγὴν, &c. (a) Ὡς πῦρ καὶ λίβανος ἐπὶ πυρείου. (b) Ὡς ἐλαία εὐπρεπὴς ἀναθάλλουσα καρποὺς, καὶ ὡς κυπάρισσος ὑψουμένη ἐν νεφέλαις. (c) *Eccli.* XLIV, 3, 6; III, 15; VIII, 16, &c. (d) Ἐν τῷ ἀναλαμβάνειν αὐτὸν στολὴν δόξης, καὶ ἐνδιδύσκεσθαι αὐτὸν συντέλειαν καυχήματος. (e) Ἐν ἀναβάσει θυσιαστηρίου ἁγίου ἐδόξασε περιβολὴν ἁγιάσματος. (f) Ἐν τῷ δέχεσθαι μέλη, *In accipiendo membra. Vulg. legit*: μέρη, *partes*. (g) Vide nos in Leviticum, III. (h) Αὐτὸς ἑστὼς παρ' ἐσχάραν βωμοῦ. (i) Ἐκύκλωσαν αὐτὸν ὡς στελέχη φοινίκων. (k) Vide *Job*, XXIX, 18.

℣. 15. Oblatio autem Domini in manibus ipsorum, coram omni synagogâ Israël: & consummatione fungens in arâ, amplificare oblationem excelsi regis.

℣. 16. Porrexit manum suam in libatione, & libavit de sanguine uvæ.

℣. 17. Effudit in fundamento altaris odorem divinum excelso principi.

℣. 18. Tunc exclamaverunt filii Aaron, in tubis productilibus sonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo.

℣. 19. Tunc omnis populus simul properaverunt, & ceciderunt in faciem super terram, adorare Dominum Deum suum, & dare preces omnipotenti Deo excelso.

℣. 20. Et amplificaverunt psallentes in vocibus suis, & in magnâ domo auctus est sonus suavitatis plenus.

℣. 21. Et rogavit populus Dominum excelsum in prece, usque dum perfectus est honor Domini, & munus suum perfecerunt.

℣. 22. Tunc descendens, manus suas extulit in omnem congregationem filiorum Israël dare gloriam Deo a labiis suis, & in nomine ipsius gloriari.

℣. 23. Et iteravit orationem suam, volens ostendere virtutem Dei.

COMMENTARIUS.

discrimine tamen longè maximo.

℣. 15. CONSUMMATIONE FUNGENS IN ARA, AMPLIFICARE OBLATIONEM EXCELSI REGIS. Sacrum in arâ faciebat Pontifex, ut nobiliorem sacrificii altissimi Regis pompam efficeret. Animadversum est, victimam offerente Philopatore, Pontificem ipsum, ut Regis victimam commendaret, eucharisticum sacrum fecisse, majori apparatu, quàm in communibus ejusmodi sacrificiis servari soleret (l): *Perfectionem ministrans in arâ*, victimam scilicet mactans puram, vitio carentem, qualem imperat Lex (m), *ut ornaret oblationem Altissimi omnipotentis*; nempe ut eâ munditiâ, dignitate ac majestate offerret, quæ rei conveniebant.

PORREXIT MANUM SUAM IN LIBATIONE, ET LIBAVIT DE SANGUINE UVÆ. Cremato pacificæ victimæ adipe, Pontifex e Sacerdotum manu pateram accepit, vinumque de more igni injecit (n). Vinum nominat *sanguinem uvæ*, ex Hebræorum phrasi (o).

℣. 17. EFFUDIT IN FUNDAMENTO ALTARIS ODOREM DIVINUM EXCELSO PRINCIPI. Victimarum cruorem ad altaris pedem effundi jubebant Sacerdotalium rituum leges (p). Vinum non ad basim altaris, uti quidam volunt, sed in ignem, quo adeps ardebat, effundebatur. Scribit Author, cruoris effusi odorem Omnipotenti suavissimum fuisse; sive totum sacrificium, additis vini & cruoris libationibus, Deo fuisse jucundissimum, usitatâ sacrorum Librorum loquendi ratione.

℣. 18. TUNC EXCLAMAVERUNT IN TUBIS DUCTILIBUS. Celeberrimi hujus sacrificii pompam describere pergit. Sacrum faciente Simone, eo modo quo diximus, Sacerdotes qui ministerio non occupabantur, tubis canere cœperunt: id enim muneris unis Sacerdotibus, Legis sanctione, debebatur (q). Usitatum autem erat, ut in solemnibus eucharisticis sacrificiis tubâ caneretur (r). *Ductiles*, nempe malleo ductas fuisse tubas animadvertit, nempe ex metallo, non e cornu, aliâve materiâ. Denique addit, tubarum sonum esse *in memoriam coram Deo*, nempe sui ipsorum memoriam apud Deum excitare; vulgari loquendi formulâ, apud Scripturam usitatissimâ (s); quasi opus sit moneri Deum, esse aliquem, qui supplex accedat, aut postulaturus, aut gratias acturus.

℣. 19. TUNC OMNIS POPULUS, qui ad pompam certatim confluxerat, audito tubarum cantu, ore in terram prono Deum pro Philopatoris, qui præsens aderat, salute vota faciebat.

℣. 20. ET IN MAGNA DOMO AUCTUS EST SONUS SUAVITATIS PLENUS. Eodem tempore Levitis, quorum erat in Templo canere, sacra carmina incipientibus, suavissimum in Templo melos insonuit. Templum hîc dicitur *magna domus*, ob incolentis magnificentiam, amplitudinem, majestatem. Reddi Græcus potest (t): Tunc voces edere cœpere Cantores, *Templumque, quàm ingens erat, vocum suavitate impletum est*. Alii (u): *Et multiplici* (ad verbum, *plurimo*) vocum *sono suavissimum fuit melos*.

℣. 22. TUNC DESCENDENS, MANUS SUAS EXTULIT IN OMNEM CONGREGATIONEM FILIORUM ISRAEL, bene illis precaturus, formulâ apud Leviticum (x) & Numeros (y) præscriptâ: *Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi, &c.*

℣. 23. ITERAVIT ORATIONEM SUAM, VOLENS OSTENDERE VIRTUTEM DEI. Cùm Philopator, absolutis sacrificio pompâque, in sanctuarium ingredi vellet (z), Simon nihil sese proficere hortando

(l) Συντέλειαν λειτουργῶν ἐπὶ βωμῶ, κοσμῆσαι προσφορὰν ὑψίστε παντοκράτορος.

(m) *Levit.* III, 5, 6. (n) *Exod.* XXIX, 40; *Num.* XV, 5, 10; & XXVIII, 7, 14.

(o) *Genes.* XLIX, 11; *Deut.* XXXII, 14. (p) *Levit.* III, 2, 13, & *passim*. (q) *Num.* X, 8.

(r) *Num.* X, 10. (s) *Levit.* XXIII, 34; *Num.* IX, 9, 10. (t) Ἐν πλείςῳ ἤχῳ ἐγλυκάνθη μέλος.

(u) *Complut.* Καὶ ἐν πλείςῳ ἤχῳ ἐγλυκάνθη μέλος. (x) *Levit.* IX, 22. (y) *Num.* VI, 23.

(z) 3 *Maccab.* Ὁ μὲν ὢν ἀρχιερεὺς Σίμων ἐνεναντίας τοῦ ναοῦ κάμψας τὰ γόνατα, καὶ τὰς χεῖρας ἐκτείνας εὐτάκτως, ἐποιήσατο τὴν δέησιν τοιαύτην.

℣. 24. Et nunc orate Deum omnium, qui magna fecit in omni
terrâ, qui auxit dies nostros a ventre matris nostræ, & fecit
nobiscum secundùm suam misericordiam:
℣. 25. Det nobis jucunditatem cordis, & fieri pacem in diebus
nostris in Israël per dies sempiternos:
℣. 26. Credere Israël nobiscum esse Dei misericordiam, ut liberet nos in diebus suis.
℣. 27. Duas gentes odit anima mea: tertia autem non est gens,
quam oderim:
℣. 28. Qui sedent in monte Seir, & Philisthiim, & stultus populus, qui habitat in Sichimis.
℣. 29. Doctrinam sapientiæ & disciplinæ scripsit in codice isto
Jesus filius Sirach Jerosolymita, qui renovavit sapientiam de
corde suo.
℣. 30. Beatus, qui in istis versatur bonis: qui ponit illa in corde
suo, sapiens erit semper.
℣. 31. Si enim hæc fecerit, ad omnia valebit: quia lux Dei, vestigium ejus est.

COMMENTARIUS.

do intelligens, flexis ante aditum Templi genibus, maoibusque protensis, Deum precatus est. Ita duplicavit, seu *iteravit orationem suam*, Deum exorans, ut suam ipse *virtutem ostenderet*, pro Templo pugnans, ac Regis, vi ingredi conantis, animum mutans. Precantis vota exaudiit Deus, *territasque atque instar arundinis agitatas prostratasque*, re infectâ, Philopator *domum relatus est a suis* (a).

℣. 24. ET NUNC OARTE DEUM ..... ℣. 25, DET NOBIS JUCUNDITATEM CORDIS, &c. Prodigiis hisce inspectis, claudit orationem Sapiens, Lectores monens, ut Deo laudes ferant, firmamque de illius misericordiâ fiduciam habeaot, ipsumque deprecentur, ut beneficiis Israëlem cumulet, ac mala quælibet ab illo arceat.

℣. 27. DOAS GENTES ODIT ANIMA MEA: TERTIA AUTEM NON AST GENS QUAM OOERIM. Duæ gentes, quas odit Sapieos, Idumæi sunt ac Philisthini; tertia verò, quam gentis nomine iodignam putat, sunt Samaritani seu Sichimitæ. Ita verò explicandum suspicor: *Duae gentes odi: at tertiam maximè omnium exsecror*. Reticentia in Textu est (b): *Et tertia non est gens....* Profectò extremum erat inter Samaritanos ac Judæos odium, Christi ætate adhuc perseverans (c). Varia hujus odii monumenta recitat Josephus; ac narrat, assiduas fuisse inter Samaritanos & Judæos Ægyptios simultates; cùm Judæi nonnisi Jerosolymis, Samaritani contra oonnisi in monte Garizim sacra ritè fieri licere contenderent (d). Vigent adhoc inter utramque gentem inimicitiæ. Idumæi verò ac Philisthini nullo non tempore acerrimi Judæorum hostes fuere; unaque illos vis ac necessitas coërcuit, ne illis nocerent.

Quid autem illud est, quod ait Scriptor, sese tres hosee populos odisse? An hostes odio prosequi, idque publicè profiteri licet? Quid de Sacro Scriptore, aperte hoc profitente, diceodum est? At pro Ecclesiastico illud afferri potest, collatis simul malis, quibus reliquæ gentes Hebræos exagitavere, odioque, quo ipsos prosequuntur, nihil simile in iis esse trium harum gentium nequitiæ ac simultati; ex quibus fieri, ut perniciosissimi omnium gentis hostium sint. Neque ipsos ex animo execratur aut odit, sed dignos judicat, qui odio habeantur longè majori quàm cæteri, qui Judæos insectati sunt. Quòd si verum animi odium significat, nullus illi est excusationi locus, neque illum purgare, nostrum esse censemus.

℣. 28. QUI SEDENT IN MONTE SEIR, Idumæi, qui regionem olim a Sehir Horræo cultam occupavere (e). Græci Codices mendo hîc omnes laborant, leguntque *Samariam* (f) pro *Seir*. At certissimum est vitium; Samaritani enim ultimo loco designantur sub nomine *populi qui habitat in Sichimis*. Sichem Cuthæorum metropolis erat, post excidium Samariæ.

STULTUS POPULUS QUI HABITAT IN SICHIMIS. Eadem gens est, quam superiùs dixit, gentis nomine indignam esse, *non est gens*; multarum enim gentium colluvies erat, incertâ origine (g), nullâque certâ lege ac religione. Hanc ita hoc loco nuncupat, *stultum populum*, quòd fortasse id colerent, quod prorsus ignorabant, ut illos arguit Christus (h): *Vos adoratis quod nescitis*. Huc se conferre solebant, ioquiunt Rabbini, omnes legis violatæ rei temporibus Manassis, generi Sanaballati; quo tempore Cuthæi devoti sunt per nomen Jehova per Esdram, Zorobabelem, & ccc Sacerdotes, cum totidem buccinis & libris Legis: constitutumque est a Senatu superiore & inferiore, ne quis Israëlita panem cum Cuthæo communem sumeret, & ne ullus Cuthæus reciperetur inter proselytos (i).

℣. 29. DOCTRINAM SAPIENTIÆ ET DISCIPLINÆ SCRIPSIT (k) IN CODICA ISTO JESUS FILIUS SIRACH JEROSOLYMITA. Suum ipsius nomen prodit hoc lo-

(a) *Ibidem*: Τὸν ὕβρει καὶ θράσει μεγάλως ἐπηρμένον, ἐμάστιξεν αὐτὸν, ἔνθεν καὶ ἔνθεν σαλεύσας αὐτὸν ὡς κάλαμον, &c. (b) Ἐν δυσὶν ἔθνεσι προσώχθισεν ἡ ψυχή μου, καὶ τὸ τρίτον οὐκ ἔστιν ἔθνος.
(c) *Joban.* IV, 20: *Non enim coutantur Judæi Samaritanis.*
(d) *Joseph. Antiq. lib.* 12, *c.* 2. (e) *Genes.* XIV, 6; XXXII, 3; XXXVI, 20.
(f) Οἱ καθήμενοι ἐν ὄρει Σαμαρείας. *Vulgat. legit*: Ἐν ὄρει Σηείρ. *Vide Drus. Hæschel. alios.*
(g) 4 *Reg.* XVII, 24, 25. (h) *Joban.* IV, 22. (i) *Vide Grot. hic.* (k) *Edit. Rom.* Παιδείαν συνέσεως ... ἐχάραξα ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ Ἰησοῦς, *Ego Jesus scripsi in hoc Libro disciplinam intelligentiæ*

eo Author, totamque orationem hoc ad Lectorem voto claudit: *Beatus qui in istis versatur bonis: qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper: si enim hae fecerit, ad omnia valebit; quia lux Dei vestigium ejus est.* Putat Grotius (*l*), postremos hosce tres versus ab Interprete, Jesu Sirachidæ nepote, additos esse. Nihil tamen nos descendere in illius sententiam cogit. Authoris ipsius verba esse non dedecet; neque novum est, Authoris nomen ab ipso Authore vel in libri fronte vel in calce prodi, uti Salomon suum tum initio tum in fine Ecclesiastæ reliquit (*m*); atque suam ipsius doctrinam & instituta ab ipso commendari. Idem Salomon in Proverbiis passim institutiones suas laudat, eæque ut assiduo studio evolvantur, monet. Illum imitatus est Sirachides, non hic solùm, verùm etiam Capite XXXXIII, 17, 28, 29; XXXXIX, 26, &c. L, 19, 22, 23, 30, 31. Græcus in fine Capitis hæc addit (*n*): *Et piis dedit Deus sapientiam. Benedictus Dominus in seculum. Fiat, fiat.* Hæc tamen additio in Editione Romanâ, Aldinâ, Basileensi non legitur.

CAPUT LI.

Jesu Sirachidæ oratio, qua gratias agit Deo, quòd sese innumeris discriminibus subtraxerit; omnesque ad sapientiæ studium hortatur.

℣. 1. ORatio Jesu filii Sirach. Confitebor tibi, Domine rex,
& collaudabo te Deum salvatorem meum.
℣. 2. Confitebor nomini tuo: quoniam adjutor, & protector factus es mihi,
℣. 3. Et liberasti corpus meum a perditione, a laqueo linguæ iniquæ, & a labiis operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adjutor.
℣. 4. Et liberasti me secundùm multitudinem misericordiæ nominis tui a rugientibus, præparatis ad escam,
℣. 5. De manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circumdederunt me:
℣. 6. A pressurâ flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non sum æstuatus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ORATIO JESU FILII SIRACH. Jesus Sirachides, Libri Author, Librum claudit prece, qua plura ad vitæ suæ vices pertinentia recitat; discrimina quæ subiit, quæque Deo juvante vitavit, itinera ob sapientiæ acquisitionem instituta, studia, studiorumque progressum. Is apud Regem insimulatus fuisse videtur, vitâque certissimè periclitatus. Illum nos sub Seleuco Philopatore, & Antiocho Epiphane Rege Syriæ, ac Ptolemæo Epiphane Ægypti Rege, atque Onia tertio apud Judæos Pontifice floruisse censemus. Utrùm apud Ægypti, an Syriæ Regem insimulatus fuerit, non satis ex illius narratione compertum est. Nobis potissimùm probatur, illum apud Regem Syriæ, cui tunc Judæa obtemperabat, fuisse delatum; atque eâ forte occasione is in Ægyptum venit, ubi supremos vitæ annos egisse videtur; ibi enim illius scripta nactus est nepos. Jerosolymitam fuisse Jesum Sirachidem, intelligimus ex Capite L, 29. Putat Grotius, ultimum hoc Caput additum esse a Jesu Sirachida, Authoris nepote; at nihil solidum firmumque huic conjecturæ est. Satis sese prodit Author: itinerumque suorum ac studiorum meminit, id quod in aliquibus Libri locis jam fecit: ad sapientiæ studium hortatur iisdem argumentis, quibus alibi usus est; denique nihil est, quod illi penitus non conveniat. Totum hoc Caput in Græcis quibusdam Editionibus vetustisque manuscriptis deest (*a*): at in optimis Editionibus legitur, veluti Romanâ, Aldinâ, Complutensi, & aliis plerisque.

℣. 3. LIBERASTI CORPUS MEUM A PERDITIONE, A LAQUEO LINGUÆ INIQUÆ. Hinc facile est colligere, Jesu Sirachidæ falsum perduellionis crimen irrogatum fuisse, cùm delatus apud Regem fuerit; iratoque in illum Rege, ipsius excidium decretum fuisse; at improvisâ divinæ manûs ope vitavisse discrimen. Nihil ille ulteriùs significat, eâque de re luculentiores conjecturas capere non licet. *Laqueus linguæ iniquæ* significat maledicta, criminationes, calumnias. Vide Psalmum XC, 3; CIX, 2.

IN CONSPECTU ASTANTIUM (*b*), scilicet accusantium. Id enim servari solebat in civilibus judiciis, ut accusator propè atque a dextris rei staret (*c*).

℣. 4. A RUGIENTIBUS PRÆPARATIS AD ESCAM. Græcus (*d*): *A rugitibus paratis ad escam.* Prope fuit ut leonibus objiceret. Mortis discrimen sub variis usitatorum eâ ætate suppliciorum imaginibus exhibet. Daniel injectus fuerat in locum, quo clausi leones alebantur (*e*).

℣. 5. DE PORTIS TRIBULATIONUM, QUÆ CIRCUMDEDERUNT ME; scilicet ex opprimentium injuriâ. Græcus (*f*): *Ex multis quas habui vexationibus*; innumeris nempe malis quæ me manebant.

℣. 6. IN MEDIO IGNIS NON SUM ÆSTUATUS. In ardenti fornace, quasi Daniel, sociique (*g*), com-

(l) *Vide & Cornel. a Lapide hic.* (m) *Eccle.* I, 1; & XII, 9. (n) .... Καὶ τοῖς εὐσεβέσιν ἔδωκε σοφίαν. Εὐλογητὸς Κύριος εἰς τὸν αἰῶνα· γένοιτο, γένοιτο. (a) *Vide Drus. & Hœschel. hic.* (b) Ἔναντι τῶν ἀνθεστηκότων μοι. (c) *Psal.* CVIII, 6; *Zachar.* III, 1. (d) Ἐκ βρυγμῶν ἑτοίμων εἰς βρῶμα. (e) *Dan.* XIV, 30. (f) Ἐκ πλειόνων θλίψεων ὧν ἔσχον. *Vulg. legit*: ἐκ πολλῶν. (g) *Dan.* III, 21, & *seq.*

℣. 7. De altitudine ventris inferi, & a linguâ coinquinatâ, & a verbo mendacii, a rege iniquo, & a linguâ injustâ.

℣. 8. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum,

℣. 9. Et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum.

℣. 10. Circumdederunt me undique, & non erat qui adjuvaret: Respiciens eram ad adjutorium hominum, & non erat.

℣. 11. Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine, & operationis tuæ, quæ a sæculo sunt:

℣. 12. Quoniam eruis sustinentes te, Domine, & liberas eos de manibus gentium.

℣. 13. Exaltasti super terram habitationem meam, & pro morte defluente deprecatus sum.

℣. 14. Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore superborum sine adjutorio.

℣. 15. Laudabo nomen tuum assiduè, & collaudabo illud in confessione, & exaudita est oratio mea.

℣. 16. Et liberasti me de perditione, & eripuisti me de tempore iniquo.

℣. 17. Propterea confitebor, & laudem dicam tibi, & benedicam nomini Domini.

℣. 18. Cùm adhuc junior essem, priusquam oberrarem, quæsivi sapientiam palàm in oratione meâ.

COMMENTARIUS.

commorabar: at me, non secus atque illos, nullam ignis vim expertum, servasti. Neque id eò dicit, ut sese inter flammas verè fuisse, divinâque virtute illas vitasse putes: discriminis tantùmmodo magnitudinem hac descriptione commendat. Græcus (h): *Ex medio igne quem ego non accenderam*; scilicet, ex calamitate, quam meo crimine non provocaveram. Iniquissimè prorsus insimulabar.

℣. 7. De altitudine ventris inferi. Jonæ exemplo, ex sepulcri sinu erutus sum (i). Vivens adhuc velut in sepulcro eram; meque quodammodo tu eruisti.

A verbo mendacii, a Rege iniquo, at a lingua injusta. Iniquus Rex fortasse Antiochus Epiphanes erat, apud Syros imperans. Res a Jesu Sirachidâ gestæ magis latent, quàm ut dicere liceat, quid his verbis significetur. Græcus (k): *A falsâ apud Regem criminatione, a lingua iniqua delationibus.*

℣. 8. Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum. 9. Et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Græcus (l): *Appropinquavit usque ad mortem anima mea*; usque ad mortis fores deveneram: *& vita mea erat prope infernum infimum*, Plutonis regnum.

℣. 11. Memoratus sum operationis tuæ, quæ a sæculo sunt. Prodigia, quæ olim Noëmi, Moysis, Josephi, Danielis, aliorumque causâ gessisti, animo revolvebam.

℣. 12. De manibus gentium. Græcus (m): *De manu inimicorum.*

℣. 13. Exaltasti super terram habitationem meam, et pro morte defluente, imminente, deprecatus sum. Græcus (n): *Ex terrâ, ubi jacebam stratus, extuli supplicationem meam, & precatus sum pro liberatione a morte.* Humi & in pulvere stratus supplicavi, ut me mortis periculo liberares.

℣. 14. Invocavi Dominum, patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meæ. Animadvertunt hoc loco Interpretes (o) secundam sanctissimæ Trinitatis Personam, Dei Filium, luculenter a Patre distinctam. Spectare autem videtur locum Psalmi (p): *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.* Grotius decretoriè asserit, locum non ita, ut in præsenti apud Græcos Latinosque legitur, ab Authore exaratum esse, at solummodo (q): *Invocavi Dominum patrem meum*; additumque esse a Christianis illud *Domini*, ut fieret, *Dominum patrem Domini mei*. Sui hujus oraculi nulla profert Grotius argumenta. Illum fusè graviterque sesellit Bossuetus Episcopus Meldensis. Profectò gravissimum imminet ex errore periculum, ubi errori illustre aliquod, ceu Grotii, nomen faveat: quòd si error ratione careat, æquè cum vulgaribus tutò negligitur.

℣. 18. Cum adhuc junior essem, priusquam oberrarem, quæsivi sapientiam palam in ora-

(h) Ἐκ μέσου πυρὸς οὗ οὐκ ἐξέκαυσα. (i) *Genes.* II, 2. (k) Ἐκ λόγου ψευδοῦς βασιλεῖ διαβολῆ, ἐκ γλώσσης ἀδίκου. *Grot. legit:* Διαβολαῖς; *Alii*, διαβολῆ. (l) Ἤγγισεν ἕως θανάτου ἡ ψυχή μου, καὶ ἡ ζωή μου ἦν ἐγγὺς ᾅδου κατωτάτου. *Vulg. legit:* ἀνῆλθεν, pro ἤγγισεν. (m) Ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν. *Vulg.* ἐκ χειρὸς ἐθνῶν. (n) Ἀνύψωσα ἀπὸ γῆς ἱκετείαν μου, καὶ ὑπὲρ θανάτου ῥύσεως ἐδεήθην. *Alii* ἐπὶ γῆς. *Alii*, ὑπὸ ὀργῆς; *vel*, ἐπὶ ὀργῆς. *Vide Drus.* (o) *Vatab. Drus. Castal. Hœsch. Palac. Cornel. Bossuet. alii.* (p) *Psal.* CIX, 1. (q) *Grot. hic:* *Christiani illud* Κυρίου *hic addidere. Jesum scripsisse credo:* Καὶ ἐπεκαλεσάμην Κύριον πατέρα μου.

℣. 19. Ante templum postulabam pro illâ, & usque in novissimis inquiram eam. Et effloruit tamquam præcox uva.

℣. 20. Lætatum est cor meum in eâ. Ambulavit pes meus iter rectum, a juventute meâ investigabam eam.

℣. 21. Inclinavi modicè aurem meam, & excepi illam.

℣. 22. Multam invêni in meipso sapientiam, & multùm profeci in eâ.

℣. 23. Danti mihi sapientiam, dabo gloriam.

℣. 24. Consiliatus sum enim, ut facerem illam: zelatus sum bonum, & non confundar.

℣. 25. Colluctata est anima mea in illâ, & in faciendo eam confirmatus sum.

℣. 26. Manus meas extendi in altum, & insipientiam ejus luxi.

℣. 27. Animam meam direxi ad illam, & in agnitione invêni eam.

℣. 28. Possedi cum ipsâ cor ab initio: propter hoc non derelinquar.

COMMENTARIUS.

ORATIONE MEA. Discrimen mox ab Authore descriptum nonnisi seriùs contigit, eoque ex itineribus reverso, jamque ad senium inclinante. Aggreditur jam juventutis suæ studia, curamque sapientiæ scientiæque sibi comparandæ. Jam aliquid de itineribus suis superiùs dixerat, capite XXXIV, 9, 10, 11, 12: *Multa vidi errando, & plurimas, verborum consuetudines.*

℣. 19. ANTE TEMPLUM POSTULABAM (r) PRO ILLA, ET USQUE IN NOVISSIMIS INQUIRAM EAM. Jerosolymam profectus, ante atrium Templi stratus atque ad Sanctum versus jacui, sapientiam a Deo postulaturus, ut olim Salomon (s); eamque postulare nunquam desinam. Orabo, ut illa in me perseveret ac augeatur eâque ipse bene utar, cùm optimè noverim, Divinâ illam ope & acquiri & servari.

EFFLORUIT TAMQUAM PRÆCOX UVA. 20, LÆTATUM EST COR MEUM IN EA. Quàm maturrimè instructus sum sapientiâ, quam adolescens adhuc a Deo impetravi; eaque me gaudio cumulavit, ceu præcox fructus, quem cum jucunditate carpis, & avidissimè gustas. Græcus (t): *Cor meum ob eam lætatum est, sicut* lætari solet aliquis *ob florem uvæ bene maturæ.* Nullus est uvæ maturæ flos præter vinum, quod eo suavius & jucundius est, quo maturior fuerit uva. Vinum apud Poëtas flos Liberi Patris dicitur; & sapientia in Proverbiis (u) amicos ad paratum a se convivium, mistumque a se vinum vocat.

℣. 21. INCLINAVI MODICE AUREM MEAM. Sui ipsius exemplo docet Author, quid agendum sit, ut sapientia comparetur. Diluculo quærenda est, sedulò flagitanda, docilique aure excipienda: ita facilè illam invenies. Vide infra, ℣℣. 34, 35.

℣. 22. MULTAM INVENI IN ME IPSO SAPIENTIAM. Rerum omnium agnoscendarum principia intra nos habemus. Superest, ut illa ad varia studiorum genera, quæ aggrederis, conferas. Hinc Veterum quorumdam error, qui nihil novum nos discere, sed latentium in mente rerum reminisci ajebant. Græcus (x): *Multam comparavi mihi eruditionem* sedulitate ac docilitate.

℣. 23. DANTI MIHI SAPIENTIAM DABO GLORIAM. Dei laudes, ex quo accepi quicquid sapientiæ in me est, prædicabo. Græcus ad verbum (y): *Ei qui dedit mihi sapientiam, dabo virtutem*: infinitam illius virtutem celebrabo.

℣. 25. COLLUCTATA EST ANIMA MEA IN EA. Diu pugnavi, ut sapientiæ vacarem. Cum inertiâ, voluptate, meisque cupiditatibus certavi: sapientiam ipsam amplexus sum, eâque potiri conatus, voti denique compos fui, athletæ more, qui adversarium dejicit ac superat (z). Hinc vides, quàm multis gravibusque conatibus opus sit, ut sapientiâ & eruditione potiaris.

ET IN FACIENDO EAM CONFIRMATUS SUM. Sapientiæ institutionibus obtemperando, longo usu vires acquisivi: bene agendi consuetudinem, virtutis & sapientiæ exercitio, mihi comparavi. Vel: Obstinato constantique animo sapientiam quæsivi. Nulli operæ peperci, ut illâ potirer. Græci Codices dissident (a); alii enim ferunt: *In gestis meis exquisitam diligentiam adhibui.* Alii. *In effectione famis*; quæ verba nihil sonant. Tenenda est lectio nonnullorum: *In omni facto meo solers fui.* Solertiâ, attentione, studio, labore opus est, ut sapientiam consequaris.

℣. 27. ET IN AGNITIONE (mei) INVENI ILLAM. Græcus sonat (b): *Per puritatem*, vitæ innocentiam, æquitatis exercitium, *inveni illam.* Vide *Sap.* 1, 4.

℣. 28. POSSEDI CUM IPSA COR AB INITIO: PROPTER HOC NON DERELINQUAR. Possidere, vel acqui-

(r) *Complut. & Sixt. V, & alia vetera: Ante tempus postulabam.*

(s) 3 *Reg.* III, 8, 12.

(t) Ἐξ ἄνθους ὡς περκαζούσης σταφυλῆς εὐφράνθη ἡ καρδία μου ἐν αὐτῇ.

(u) *Prov.* IX, 1, & *seq.*

(x) Πολλὴν εὗρον ἐμαυτῷ παιδείαν.

(y) Τῷ διδόντι μοι σοφίαν δώσω δόξαν.

(z) Διαμεμάχηται ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῇ.

(a) Καὶ ἐν ποιήσει λιμοῦ διηκριβωσάμην. *Alii*, Ἐν ποιήσει μου διηκριβωσάμην. *Alii*. Ἐν ποιήσει ὅλῃ μου διηκριβωσάμην.

(b) Ἐν καθαρισμῷ εὗρον αὐτήν.

℣. 29. Venter meus conturbatus est quærendo illam: propterea bonam possidebo possessionem.

℣. 30. Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam: & in ipsâ laudabo eum.

℣. 31. Appropiate ad me indocti, & congregate vos in domum disciplinæ.

℣. 32. Quid adhuc retardatis? & quid dicitis in his? animæ vestræ sitiunt vehementer.

℣. 33. Aperui os meum, & locutus sum: Comparate vobis sine argento,

℣. 34. Et collum vestrum subjicite jugo, & suscipiat anima vestra disciplinam: in proximo est enim invenire eam.

℣. 35. Videte oculis vestris, quia modicum laboravi, & invêni mihi multam requiem.

℣. 36. Assumite disciplinam in multo numero argenti, & copiosum aurum possidete in eâ.

℣. 37. Lætetur anima vestra in misericordiâ ejus, & non confundemini in laude ipsius.

COMMENTARIUS.

acquirere cor, Hebraica phrasis est, significans, adipisci sapientiam, intelligendi vim, prudentiam. Sapientiam atque intelligendi vim Hebræi in corde collocant, uti nos amorem & constantiam. Dicitur (c) *dedisse Deus sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris*. Idem Salomon orans postulabat sibi cor *docile*, *cor sapiens & intelligens* (d). Hebræos alloquens Jeremias, V, 21, ait: *Popule stulte qui non habes cor*, prudentiam. Osee, VII, 11: *Ephraim quasi columba seducta, non habens cor*, mentis acumine destituta.

℣. 29. VENTER MEUS CONTURBATUS EST QUÆRENDO ILLAM. Illam studiosissimè, accuratissimè, atque amantissimè quæsivi. Hæc loquendi formula, *Venter meus*, seu viscera mea *conturbata sunt*, pleromque significat amorem, misericordiam, ac frequenter dolorem, solicitudinem, metum (e). Omnes animi mei curas ac sollicitudines laboresque contuli, ut sapientiam quærerem atque invenirem.

℣. 30. DEDIT MIHI DOMINUS LINGUAM MERCEDEM MEAM. Facundiam & loquendi facilitatem largitus est mihi Deus, iisque ad laudum ipsius prædicationem utar.

℣. 31. CONGREGATE VOS IN DOMUM DISCIPLINÆ, scholam. Ad institutiones meas audiendas excipiendasque properate. Græcus (f): *Hospitium sumite*, noctem ducite *in domo disciplinæ*, vel institutionis. Eos alloquitur, qui cùm latissimas sæculi vias nunc teneant, virtutis iter aggredi meditantur.

℣. 32. QUID ADHUC RETARDATIS? ET QUID DICITIS IN HIS? ANIMÆ VESTRÆ SITIUNT VEHEMENTER. Græcus in Romanâ Editione breviorem sententiam fert (g): *Quid taedatis in his, & cur animæ vestra sitiunt vehementer?* Vel: Cùm animæ vestræ siti langueant, cur necessariam illis aquam non porrigitis, ipsasque ad sapientiæ fontem non ducitis, ut sitim levent?

℣. 33. COMPARATE VOBIS SINE ARGENTO. Accedite: vobis enim cibum potumque abundè suppeditabo. Sapientiam ac præcepta, quibus egetis, largiar. Ad locum Isaiæ respicit (h): *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque ullâ commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate?* Sapientia, quam ultro Sapiens offert, solo studio bonâque voluntate comparatur: utraque verò unusquisque apud se habet.

℣. 34. IN PROXIMO EST ENIM INVENIRE EAM. Proxima est, atque inventu facillima. Nemo inanes causas prætexat, ut ab illius inquisitione arceatur. Sapientiam viribus tuis majorem esse ne dixeris, aut intra Cœlum, vel ultra mare latêre (i). Prope te est; manum porrigit, teque ut sese quæras hortatur (k).

℣. 36. ASSUMITE DISCIPLINAM IN MULTO NUMERO ARGENTI, velutì magnam argenti copiam. Nedum nulla tibi pecunia eroganda est, ut sapientiâ potiaris, verùm etiam inæstimabilem tibi thesaurum illa pariet. Opum fons tibi futura est Sapientia. Vide supra, caput XXIV, 23; *Sap.* VII, 2. Sapientia auri aut argenti causâ minimè quærenda est: horum enim contemptum sapientia institutos a se homines docet. At æquè certum est, multo plures Sapienti esse veras justasque opum comparandarum vias, quàm cæteris, cùm ipse mentis acumine, ac naturalibus quæsitisque cognitionibus instruatur, si iis uti in eam rem velit. Cùm verò divitiarum periculum atque insidias

(c) 3 *Reg.* IV, 29.
(d) 3 *Reg.* III, 9, 52.
(e) Vide *Cant.* V, 4; *Abac.* III, 13; *Psal.* XXX, 50; *Thren.* I, 20; II, 51; *Jerem.* IV, 19.
(f) Α'υλίσθητε ἐν οἴκῳ παιδείας.
(g) Διότι ὑστερεῖτε ἐν τούτοις; αἱ ψυχαὶ ὑμῶν διψῶσι σφόδρα;
(h) *Isai.* LV, 1, 2.
(i) *Deut.* XXX, 11, 12, 13; *Rom.* X, 6.
(k) *Sap.* VI, 13, 14; *Eccli.* LI, 21.

℣. 38. Operamini opus vestrum ante tempus, & dabit vobis mercedem vestram in tempore suo.

COMMENTARIUS.

dias videat, vel omnino spernit, vel non majores possidet, quàm opus est, ne in extremam inopiam, nihilo minus perniciosam quàm opes, deveniat.

℣. 38. OPERAMINI OPUS VESTRUM ANTE TEMPUS, ET DABIT VOBIS MERCEDEM VESTRAM IN TEMPORE SUO. A primâ ætate ac juventute laborandum est, ut sapientiam quæras, virtutemque exerceas. Nunquam nimis maturo tempore ad benè agendum, virtutisque ac meritorum thesauros comparandos accedis. Solertiæ fructus *tempore suo* carpitur, ætate maturiore, in senectute, quæ pluribus indiget, atque auxilia validiora ob corporis infirmitatem postulat. *Bonum facientes, non deficiamus*, ait Apostolus (l): *tempore enim suo metemus non deficientes. Operamini non cibum qui perit*, inquit Christus (m), *sed qui permanet in vitam æternam*. Denique Sapienti aurem porrigamus monenti (n): *Finem loquendi pariter omnes audiamus*. Deum verere, ejusque præceptis obsequere. Hæc humanorum officiorum summa est, veraque omnis sapientia.

IN

(l) *Galat.* vi, 9. (m) *Johan.* vi, 27. (n) *Eccle.* xii, 13.

Finis Libri Ecclesiastici.

IN PROPHETAS PROLEGOMENA.

ARTICULUS PRIMUS.

Nomina Prophetarum. Variæ notiones vocis prophetare. *Varia Prophetarum genera.*

PRophetæ nomen ex vi Græci vocabuli virum futura prædicentem significat. Olim apud Hebræos *Videntes* audiebant; quasi homines Divina intuentes: *Qui Propheta* (נביא *Nabi*) *dicitur hodie*, ait Scriptor Sacer (*a*), *vocabatur olim Videns* (ראה *Roeh*) *: olim sic in Israël loquebatur unusquisque vadens consulere Deum : Venite, eamus ad Videntem*. Nomen *Nabi* latissimam habet significationem; non enim exprimit tantummodò virum futura prædicentem, sed hominem utcumque a Deo inspiratum, ejusque nomine loquentem. Abraham Prophetæ Domini nomen obtinet [*b*]; ut & Aaron frater Moysis, qui constitutus fratris sui interpres, ejus ad populum verba exponebat: *Ecce constitui te*, ait Deus ad Moysem (*c*), *Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus*. S. Paulus eodem titulo ornavit Poëtam quemdam Profanum (*d*), quòd scilicet Profani Vates suos ceu viros Divino œstro afflatos Diisque charos haberent. Factum est etiam, ut abusione quadam viri deceptores, Divina jactantes, Prophetæ in Scripturâ appellarentur.

Designantur etiam, nec rarò, Prophetæ appellatione hominis Dei, Angeli Domini, &c. Angelus Domini venisse perhibetur e Galgalim in locum nomine *Bochim*, ut ad populum verba faceret [*e*]. Aggæus, I, 13, se ipsum nominat nuncium, seu Angelum Domini. Malachias adventum S. Joannis Baptistæ oraculo prædicens, Angelum Domini venturum nunciat (*f*). Denique inter Prophetas minores novissimus *Malachias*, nempe Angeli, nomine cognoscitur; cùm tamen ipse credatur a nonnullis [*g*] Esdras, studio legis & amore notissimus.

Prophetare Hebræorum sermone non est tantùm venturi arcana pandere, sed eorum etiam quæ vel nostrâ ætate vel elapso jam tempore, nobis tamen abdita, contigerunt. Isaias (*h*) Dei virtutem commendans, omnia illi explorata esse dicit, quæ a mundi exordio evenere. Milites Jesum Christum oculis velatum cædentes dicebant: *Prophetiza nobis, quis est qui te percussit* (*i*). Cùm divini Spiritûs œstro afflari Prophetæ motibus aliquando agitarentur insolitis, ideo moribus usurparum est, ut mali spiritûs agitatione vexati prophetare dicerentur. Ita prophetasse dicitur in domo suâ Saül, cùm tetro melancholiæ spiritu agitaretur (*k*). Prophetæ etiam dicebantur, quicumque canere, choreas ducere, instrumenta pulsare novissent. *Cùm ingressus fueris Urbem*, ait Samuel ad Saülem (*l*), *gregem Prophetarum descendentium de excelso obviam habebis, ante eos psalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam, ipsosque prophetantes, & insiliet in te Spiritus Domini, prophetabis cum eis, & mutaberis in virum alium*. Filii Asaph constituti sunt, ut *prophetarent in citharis, & psalteriis, & cymbalis* (*m*). Non rarò etiam apud S. Paulum eo sensu usurpatur, ut soner, Scripturarum sensum pandere, pios sermones miscere, in Ecclesiâ ad populum verba habere (*n*). Extraordinarium est quod legimus apud Ecclesiasticum, XLVIII, 14, ubi prophetare est miracula patrare: *Corpus Elisæi mortuum prophetavit*. Prophetasse etiam legimus ibidem, XLIX, 18, ossa Josephi; quippe quæ ceu pignus essent factæ ab illo fratribus suis promissionis, cùm moriturus superstites ipsos mandatis oneravit, ut Ægypto egredientes ossa sua secum in Chanaanitidem deferrent.

Erant etiam apud Profanos *Videntes*, *Prophetæ*, & *Prophetiæ*, sed diversa oppidò a Judaicis. Prophetas appellabant Ethnici Sacerdotes Fanorum (*o*), eos præsertim, qui claris oraculorum famâ ædibus ministrarent, uti Dodonææ, Delphicæ, Clariæ. Olim Ægyptii solebant Videntes nuncupare illos, qui apud ipsos deinde Prophetæ vocati sunt. Inter Videntes recensent Suphin Regem ejusdem regionis (*p*). Rex Amenophis, inter *Videntes Deorum* cooptari cupiens, voti compos factus est, eâ conditione, ut totam regionem leprosorum & impurorum hominum fœce purgaret (*). Sacerdotes Ægyptii plerique Prophetæ appellabantur, quorum vitæ genus durum planè & asperum, studiumque describit Porphyrius, seu potiùs Chæremon (*q*). S. Clemens

(a) 1 *Reg.* IX, 9.
(b) *Gen.* XX, 7.
(c) *Exod.* VII, 1.
(d) *Tit.* I, 12: *Dixit quidam proprius eorum Propheta.*
(e) *Judic.* II, 1. *Vide etiam Judic.* V, 15.
(f) *Malach.* III, 1, collatus cum *Luc.* I, 76.
(g) *Hebr. apud Hieron. in Malach. Ita & Chald.*
(h) *Isa.* XLIV, 7, 8, 9.
(i) *Luc.* XXII, 64.
(k) 1 *Reg.* XVIII, 10.
(l) 1 *Reg.* X, 5, 6.
(m) 1 *Par.* XXV, 1.
(n) 1 *Cor.* XI, 14.
(o) *Festus : Antistites Fanorum Oraculorumque..... Propheta, Sancta castè qui purant loca.*
(p) *Manetho, apud Joseph. lib.* 1 *contra Appion.* Σῦφις περιόπτης εἰς Θεοὺς ἐγίνετο.
(*) *Idem, ibid.* Τῶν Θεῶν γενέσθαι θεάτην.
(q) *Apud Porphyr. de Abstin lib.* 4.

mens Alexandrinus [r] de Thalete narrat, consuetudinem habuisse cum Prophetis Ægypti, & Pythagoram discipulum fuisse Sonchedæ Archiprophetæ Ægypti. Scribit alibi, omnibus Ægypti vectigalibus præfuisse Prophetam. De oraculis Ethnicorum, eorumque, quos vocant, Entheis ministris infra differemus.

(r) *Stromat. lib.* 5 & 6.

Dei Spiritus, quamquam omnino unus ac singularis, variis operationibus unus sufficit [s]. Interdum per quietem sese communicat, uti Abrahamo, & Jacobo [t]. Interdum per visum sese exhibet, uti olim Isaiæ [u]. Joël (x) oraculo pronunciat Judæis futurum, ut juvenes eorum visionibus Divinis donentur, senes verò Divina pariantur per quietem. Interdum in extasim rapiebantur, uti S. Petrus (y). Solebat etiam Deus in nube apparere, uti Abrahamo (z), Job (a), & Moysi (b). Solebat conceptis vocibus loqui: ita e medio rubi ardentis cum Moyse locutus est [c]; e medio nubis cum Abrahamo [d]; per quietem noctis cum Samuele [e]. Sed loquendi usitatissima ratio, secreta animi inspiratio habebatur; cùm scilicet intimo lumine illustratâ mente Prophetarum, deinde voluntas excitabatur, ut auditas in animo voces promerent. Ita planè veros Prophetas Divinoque Spiritu afflatos credimus Scriptores omnes Librorum Canonicorum Veteris Novique Testamenti, sive illi futura pandant, sive præteritas, sive suorum temporum historias narrent, sive tandem moralia ac pietatis axiomata, aut pia Cantica scribant.

Tria sunt S. Augustino [f] Prophetarum genera: Prophetæ Judæorum, Ethnicorum, & Christianorum. De primis satis in Veteri Testamento. Ethnicorum Prophetæ ipsissimi sunt eorum Divini, & Poetæ. Prophetæ verò Christianæ religionis mittendi prædicuntur a Jesu Christo ad Judæos [g]: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas & Sapientes & Scribas, &c.* De quibus etiam Apostolus (h): *Posuit Deus in Ecclesiâ primum Apostolos, secundò Prophetas.* Ii nimirum sunt Authores Librorum Canonicorum, viri Apostolici, & lumine ac Dei Spiritu afflati. De variis prophetandi rationibus agit idem S. Augustinus (i).

(s) *Sap.* VII, 22: *Spiritus Sanctus unicus & multiplex.*
(t) *Gen.* XV, 12; XXVIII, 12.
(u) *Isa.* VI, 9.
(x) *Joël,* II, 28.
(y) *Act.* X, 10 11.
(z) *Gen.* XVI, 10.
(a) *Job*, XL, 9.
(b) *Exod.* XIII, 21, & *passim*.
(c) *Exod.* III, 2, &c.
(d) *Gen.* XXII, 11, 12.
(e) 1 *Reg.* III, 4, &c.
(f) *Præf. in lib.* 19 *cont. Faust.*
(g) *Matth.* XXIII, 34.
(h) 1 *Cor.* XII, 28.
(i) *De divers. QQ. ad Simplic. lib.* 2, *q.* 1.

Sexdecim Prophetarum Scripta in Veteri Testamento exhibentur; quorum priores quatuor, Majores ab amplioribus Lucubrationibus vocantur, scilicet Isaias, Jeremias, Ezechiel, & Daniel; duodecim reliqui Minores dicti sunt, videlicet Osee, Joël, Amos, Abdias, Michæas, Jonas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, & Malachias. Judæi e numero Prophetarum Danielem expungunt; quippe cujus conditio commodior fuerit, quàm Prophetarum soleret. Sed Ecclesia his neglectis, Danielem oraculorum ipsius merito inter Majores Prophetas cooptavit.

Unicum vel saltem potissimum Danielis propositum eò tendit, ut maximorum Imperiorum vices, & Ecclesiæ institutionem prædicat. Isaias elogium meretur Prophetæ miserationum Domini; reditum e captivitate Babylonis nunquam non repetit, ejusque sub imagine describit Mundi per Jesum Christum redemptionem. Jeremias totus est in lugendis Patriæ ærumnis, gentisque captivitate, eodemque est apud Prophetas loco, quo apud Apostolos S. Paulus, destinatus nempe a Deo, ut Prophetam Gentium ageret, quod ab illo pluribus in locis Oraculorum suorum insinuatum est [k]. Ezechiel instituendis, recreandisque Judæis captivis destinatus est, eòque proinde Oracula ejus omnia spectant.

(k) *Jerem.* I, 5, 10, VI, 28, XXV, 14, 15.

ARTICULUS II.

De Vetustate & successione Prophetarum apud Hebræos.

VEræ Religionis apertissimum argumentum est Prophetia: quamobrem uti omnium sæculorum successioni par fuit vera Religio, ita & parem ætatis vetustatem obtinet Prophetia. S. Clemens Alexandrinus & Origenes [l] inter Prophetas primum hominum parentem constituunt, cujus Oraculum agnoscunt in illis verbis (m): *Relinquet homo patrem & matrem suam, & adhærebit uxori suæ.* In imponendis aptis uniuscujusque animalium naturæ & ingenio nominibus, mirâ se præditum sapientiâ & lumine demonstravit. Imminentia corruptis hominibus mala Henoch prædixit: cujus Oraculi fragmentum apud S. Judam [n] servatur. Noë Patriarcha, justitiæ præco a S. Petro [o] dictus, diluvium prænunciavit hominibus, curamque omnem quamquam frustra impendit, ut errantes ad mentem revocaret. Post diluvium Abraham a Deo suscitatus, Prophetæ ab illo nomen obtinuit (p). Prophetans Isaacus, filii sui Jacobi decora atque opes prædixit (q). Jacob ad obitum decumbens, plurima futurorum arcana sibi patentia singulis filiis revelavit (r). Josephus a teneris unguiculis prophetiæ dono claruit; quippe qui futuram potentiam suam per quietem intellexit [s]; ac deinde visa ab aliis per quietem acceptâ divinitus virtute interpretabatur; quod ipsi fortunarum omnium occasio fuit & initium.

Ad id usque temporis verbo tenus erat Prophetia, vel saltem nihil ejus argumenti

(l) *Homil.* 2 *in Cantic.*
(m) *Gen.* II, 24.
(n) *Juda*, V. 14, 15.
(o) 2 *Petr.* II, 5. *Vide Philon. Quis rer. Divin. hæres*, *pag.* 517.
(p) *Genes.* XX, 7; *Psal.* CIV, 15.
(q) *Genes.* XXVII, 27.
(r) *Gen.* XLIX.
(s) *Gen.* XXXVII.

menti scriptum antehac apud Hebræos novimus: sed aliquibus post obitum Josephi annis, cùm veritas senescete, & Patriarcharum Religio e mentibus atque animis Hebræorum dilabi viderentur, Deus Moysem excitavit, ut Leges suas daret, simulque certam Religionis & Reipublicæ formam constitueret. Nemo sauè meliùs Prophetæ dignitatem Moyse sustinuit. *Si quis fuerit*, ait Dominus (*t*), *inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses; ore enim ad os loquor ei; & palam, non per ænigmata & figuras, Dominum videt.*

(t) *Num.* XII, 7, 8.

Aaron ejus ftater, & Maria soror ambo Spiritu Sancto afflati pariter prophetabant. Moysem in Prophetæ munere excepit Josue (*u*); succedunt Judices, quorum pletosque, eos ptæsertim, qui præclarissimis gestis populi gloriam auxeruut, veluti Othonielem, Aodum, Samsonem, Baracum, intet Prophetas Judæi recensent. Nihil tamen de prophetiâ Judicum in Scripturâ, unâ exceptâ Deborâ, quæ prophetasse apertis Scripturæ verbis asseritur (*x*). Sub Judice Heli (*y*) *Sermo Domini erat pretiosus: non erat visio manifesta.* Sed post manifestatum Dominum Samueli, Prophetarum numetus adeò crevit, ut sub ejus disciplinâ plures simul viverent. Quamobrem a Samuele usque ad caprivitatem coustans Prophetarum series deduci commodè potest.

(u) *Eccli.* XLVI, 1.
(x) *Judic.* IV, 4.
(y) 1 *Reg.* III, 1.

David utramque dignitatem, Regiam simul & Propheticam, in se uno coucilia-vit; eoque regnaute, Gad & Nathan simili prophetiæ dono clatuerunt. Salomon parentis vestigia eâ in re pressit. Sub eo Rege, Addo, Ahias, aliique nonnulli: Semeias sub Roboamo claruit; Semeias, inquam, [nisi fortè malueris Jeddo sive Addo rem tribuete] qui Jetoboamum vitulis aureis in Bethel sacrificia offetentem convenlens, verbis minisque castigavit (*z*). Sub Asâ noti fuut Hanani, & Azatias; sub Josaphato, Jehu filius Hanani, Elias, Elisæus, eorumque discipuli frequentissimi Regnum Juda & Israëlis sub Achabo & Jezabele illustratunt; quo simul rempore florebat Michæas filius Jemlæ [*a*]. Oseam & Amos audierunt Jeroboam II, Rex Istaëlis, & Osias Rex Juda; nec ab eâ ætate remotus fuit Jonas Propheta. Successetunt sub Josaphato, Eliezet & Jahaziel; sub Joathano, Achazo, & Ezechiâ Regibus Juda, Michæas & Isaias; sub Manasse, Osai; sub Phacee in Samaritide, Oded; labente Ezechiæ Regno, Nahum; sub Josia, Joël, Jeremias, Sophonias, & Holda Prophetis. Jedelias vir Dei notus est ex Jetemia (*b*). Labente Josiæ Regno, atque ineunte Joakimo, Habacuc ptodiit.

(z) 1 *Reg.* XIII, 5.
(a) 3 *Reg.* XXII, 8, 9.
(b) *Jerem.* XXXV, 4.

Ezechiel scribebat in Mesopotamiâ, quo tempore Jetemias & Baruch Prophetas Jerosolymæ agebant. Abdias florebat in Judæâ post captam Jerosolymam, anteq excidium Idumææ per Nabuchodonosorem. Captivitate Babylonicâ ptemente, Daniel Susis agens prophetabat. Tobias iuter Propbetas jure censetur; scribebat autem diù anre Danielem in Niuive, sive in Assyriâ. Aggæus & Zacharias ptemente, & post exitum captivitatis Babylonicæ flotuerunt. Aliquanto post illos sub Nehemia, Malachias claruit. Huuc ordinem adductis rationibus asseremus in Prolegomenis ad minores Prophetas.

S. Epiphanius (*c*) tres & septuaginta numerat Prophetas, & decem Propherides; 1, Adam; 2, Enoch; 3, Noë; 4, Abraham; 5, Isaac; 6, Jacob; 7, Moyses; 8, Aaton; 9, Jesus vel Josue; 10, Heldam; 11, Modam; 12, Job; 13, Samuel; 14, Nathan; 15, David; 16, Gad; 17, Idithun; 18, Asaph; 19, Heman; 20, Æthan; 21, Salomon; 22, Achias; 23, Sameas; 24, Oded seu *Hodeth* vir Dei; 25, Heli Summus Sacerdos in Silo; 26, Joad; 27, Addo; 28, Azatias; 29, Anani, aliter Azarias; 30, Jebu; 31, Michæas; 32, Elias; 33, Oziel; 34, Eliad; 35, Jesus filius Ananiæ; 36, Elisæus; 37, Jonadad; 38, Zacharias, aliter Azarias; 39, Alter Zacharias; 40, Osee; 41, Joël; 42, Amos; 43, Abdias; 44, Jonas; 45, Isaias; 46, Michæas; 47, Nahum; 48, Habacuc; 49, Obed; 50, Abdadon; 51, Jeremias; 52, Batuch; 53, Sophonias; 54, Urias; 55, Ezechiel; 56, Daniel; 57, Esdras; 58, Aggæus; 59, Zacharias; 60, Malachias; 61, Zacharias pater S. Joannis Baptistæ; 62, Simeon; 63, Joanues Baptista; 64, Enos; 65, Mathusalem; 66, Lamech; 67, Balaam; 68, Saul; 69, Abimelech, aliter Achimelech; 70, Amasa; 71, Sadok; 72, Senex ille, qui Bethel veuit; 73, Agabus, de quo in Actibus Apostolorum.

(c) *Fragment. apud Coteler. in not. Canon. Apost. lib.* 4, *cap.* 6, *p.* 275.

Hæc Prophetidum nomina; 1, Sara; 2, Rebecca; 3, Maria soror Moysis; 4, Debora; 5, Holda; 6, Anna Samuelis mater; 7, Judith; 8, Elisabeth mater S. Joannis Baptistæ; 9, Anna Phanuelis filia; 10, Matia Dei Mater. Quinque & triginta Prophetas a Moyse numerat S. Clemens Alexandrinus (*d*).

(d) *Strom. lib.* 1.

Apud Judæos (*e*) numerantur XLVIII Prophetæ & VII Prophetides. Prophetæ sunt; 1, Abraham; 2, Isaac; 3, Jacob; 4, Moyses; 5, Aaron; 6, Josue; 7, Phinees; 8, Elcbana; 9, Eli; 10, Samuel; 11, Gad; 12, Nathan; 13, David; 14, Salomon; 15, Addo; 16, Michæas filius Emla; 17, Abdias; 18, Ahias Silonites; 19, Jehu Hanani filius; 20, Azarias filius Oded; 21, Chaziel filius Mataniæ; 22, Eleazat

(e) *Megillah cap.* 1.

filius Dodo; 23, Osee; 24, Amos; 25, Michæas Morastites; 26, Amos; 27, Elias; 28, Elisæus; 29, Jonas; 30, Isaias; 31, Joel; 32, Nahum; 33, Habacuc; 34, Sophonias; 35, Jeremias; 36, Urias; 37, Ezechiel; 38, Daniel; 39, Baruch; 40, Neria; 41, Saraias; 42, Machasias; 43, Aggæus; 44, Zacharias, 45, Malachias; 46, Mardochæus. His, ut expleant numerum XLVIII, Hanameelem Jeremiæ patrem, & Sellum Holdæ virum adjungunt.

Prophetides sunt; 1, Maria Moysis soror; 2, Debora; 3, Anna; 4, Abigail; 5, Holda; 6, Esther. Adduntur etiam ad septenarium explendum Obstetrices Ægyptiæ, quas Prophetico spiritu afflatas ferunt.

En longa satis & constans Prophetarum successio, quamvis fortasse aliquorum nomina expungi possunt. Census, quem nos e Scripturâ duximus, certior est. Post Malachiam nusquam Prophetæ apparent, sed Spiritum suum Deus e populo reduxit; quamquam aliqui Spiritu Divino afflati Scriptores eo temporis spatio prodierunt, uti Authores Librorum Esther, Judith, Macchabæorum, Sapientiæ, & Ecclesiastici. Prophetiæ Spiritu cessante, studium Legis in populo successit; cùm tantò studiosiores Legum Divinarum viderentur Israëlitæ, quantò olim inconstantiores. Vetera Oracula antea neglecta in pretio haberi cœperunt, multoque magis servierunt Prophetæ post obitum suum Religionis integritati, quàm antea viventes valuerant. Messiæ expectatio, quem propediem venturum non dubitabant, oppressum malis populum mirè solabatur. Sed eo temporis intervallo id accidit, quod nunquam antea in Israële; nempe sectarum & sententiarum in rebus Religionis varietas & divisio. Prophetæ hactenus metu populos continuerant; sed arrogata deinde a singulis explicandarum Legum libertas, populos in partes distraxit. Malè constitutæ & superstitiosæ traditiones invaluerunt, falsæque interpretationes unà & perniciosæ inductæ sunt. Is erat Reipublicæ Judaicæ, in tres sive quatuor sectas distractæ, status, cùm Jesus Christus inter homines esse cœpit. Regulis etiam disciplinæ moralis corruptissimis utebantur, & dato falsis explicationibus loco, veræ simul recedere coactæ sunt.

ARTICULUS III.

Vitæ genus, studia, ærumnæ, & inspiratio Prophetarum.

Nihil in universâ Hebræorum Republicâ augustius, quàm Prophetarum dignitas. *Ipsi eis erant Philosophi, ipsi Sapientes, ipsi Prophetæ, ipsi Doctores probitatis ac pietatis* (f). Horum sanè præstantissimorum virorum sermonibus & oraculis Numinis majestas sub ipsos veluti Israëlitarum oculos exhibebatur. Aggeres erant pro Religione adversùs Principum impietatem, privatorumque hominum pravos & corruptissimos mores objecti. Vitæ genus, persona, sermones, omnia ad institutionem & Propheticam agendi rationem conferebant. Hos Deus in medio populi constituebat, ut apertissimum præsentiæ suæ, atque viva suæ voluntatis documenta essent. Accidebat non rarò, ut ea quæ Prophetis contingebant, oraculum essent eorum, quæ universæ genti imminebant. Querenti Jeremiæ de minitantibus sibi vim adversariis, Dominus respondit (g): *Si converteris, convertam te, & ante faciem meam stabis*, (nempe liberabo te) *& si separaveris pretiosum a vili*, (si verbis meis ac vocationi ad munus Prophetæ, ut par est., responderis) *quasi os meum eris* (voluntatum mearum interpres). *Convertentur ipsi ad te, & tu converteris ad eos. Et dabo te populo huic in murum æreum fortem, & bellabunt adversùm te, & non prævalebunt, quia ego tecum sum, ut salvem te* (h).

(f) *Aug. de Civit. Dei, lib. 18, cap. 41.*

(g) *Jerem. xv, 19, 20, 21.*

(h) Vide & *Isa. XLIX, L, LXI.*

Quamvis magna esset in populo Prophetarum authoritas, eorumque dicta certatim populus, & religiosissimi quique Principes exciperent, nihilque alicujus momenti iis inconsultis aggrederentur, asperum tamen illi, angustum, & multorum injuriis incommodum vitæ genus agebant. A populo segregati plerumque sedes habebant in agro, vel in cœtu Discipulorum, nunquam non occupati sive manuum labore, sive precibus, sive studio, sive institutione. Quamquam non ita operi erant addicti, ut eas artes exercerent, sive quæ nimis mentem distrahunt, sive quæ spiritûs libertatem Prophetæ necessariam impediunt. Elisæus ad munus Prophetæ vocatus, aratrum dimisit (i). Zacharias de se ait (k): *Non sum propheta: homo agricola ego sum*. Amos (l) vocatus a Deo ad munus Prophetæ, respondit se prophetam non esse, quippe qui pastoritiam exerceret, & ficulneas curaret. Filii, sive Discipuli Prophetarum, sub Eliæ & Elisæi institutionibus viventes, ipsi sibi cellulas cæsâ lignorum strue ædificabant (m).

Elias confecto e pellibus vestimento induebatur (n); Isaias sacco (o); nec alio plerumque cæteri Prophetæ, cùm Zacharias (p) de Pseudo-Prophetis, verorum Prophetarum vestem, non mores imitantibus, pronunciaverit: *Nec operientur pallio saccino,*

(i) 3 *Reg. XIX,*

(k) *Zach. XIII, 5.*

(l) *Amos, VII, 14.*

(m) 4 *Reg. VI, 1, 4.*

(n) 4 *Reg. I, 8.*

(o) *Isa. XX, 2.*

(p) *Zach. XIII, 4.*

cino, ut mentiantur. Sacco etiam vestiti inducuntur in Apocalypsi, xI, 3. Reliquum vitæ genus vestibus respondebat. Quæ solebant pauperibus dari munera, hæc etiam Prophetis dabantur, uti panis (*q*), & primitiæ (*r*). Angustum illud Elisæi conclave frugi admodum & modestâ supellectili Sunamitis instruxit (*s*). Nec ille sanè ditionem permisisset, qui opulentis Naamani muneribus recusatis, Giezi ea accipientem diris devovit (*t*). Quantopere a fœminis abborrerent, exemplo Elisæi erga hospitam suam discimus; nunquam enim cum illâ, nisi Giezi ministerio, loquutus est. Verebatur insuper fœmina coram Prophetâ se sistere; & cùm tandem amor verecundiam vicisset, volentem Prophetæ pedes tangere Giezi probibuit (*u*). Non tamen omnes æquè Prophetæ continentiam sectati sunt; nam de uxore Isaiæ sermo est (*x*) & Osee (*y*); ac tandem de conjuge alterius Prophetæ, quæ, amisso viro, ære alieno, impar alioqui solvendo, opprimebatur (z). Sed in cœtu Prophetarum nullus erat fœminis locus. Quàm frugi vitam ducerent, ex universâ eorum historiâ satis intelligimus. Scitum est, quod de colocynthide ad fratrum prandium paratâ narratur (*a*). Eliam iter agentem Angelus solo pane & aquâ pavit (*b*). Habacuc pulmentum tantummodo Danieli attulit (*c*). Abdias solo pane & aquâ Prophetas in cavernis latentes aluit (*d*).

Non raro adversarios in se provocabant Principes, quorum scelera liberioribus verbis castigaverant. Nec æquiorem experiebantur populum universum, ob exprobratam illius impietatem concitatum. Plures violentâ morte oppressi sunt; *alii distenti sunt* (Græcè (*e*), fustibus cæsi sunt) *non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem. Alii ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres. Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti; quibus dignus non erat Mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & in cavernis terræ*. Inter tot mala & ludibria tamen Spiritûs libertatem possidentes, mortem temnebant, obviam procurrentes discriminibus & cruciatibus; Dei semper Legem vindicantes, spretis divitiis, hominumque favore & dignitatibus, eâ animi virtute, quæ Adversarios terreret, & in desperationem adigeret.

Eorum ædes & Discipuli rutissimum erant adversùs impietatem præsidium simul & asylum. Eò ad consulendum Dominum veniebant, eò ad audiendas Legis lectiones (*f*). Palæstræ erant virtutis, & innocentiæ sedes. Quamvis prophetiæ gratia non industriæ studiis, seu voluntatis humanæ merito obtineatur; plerumque tamen solebat Deus spiritum suum filiis, seu Discipulis Propbetarum communicare, sive morum puritate & sanctitate delectatus, sive quòd ad sapientiam & societatem Propherarum vocatio, præludium esset conferendi mox propbetiæ spiritûs, divinitùs datum.

Non desunt inter Rabbinos, qui prophetiæ gratiam referant ad indolem, studium, variasque exteriores rerum causas [*g*]. Ut aliquis, inquiunt, in Propbetam formetur, opus est, ferat a naturâ vividam imaginandi vim, ratiocinandi solidam facultatem, studio instructam, validamque corporis habitudinem. Debet autem collatas a naturâ dotes indefessâ studii exercitatione excolere; alienum se continere a voluptatibus, simulque temperare a cibo potuque. Ne quis in eâ re proficiat, magnoperè obstant agitatæ vehementibus animæ affectionibus commotiones; furor, tristitia, dolor, exilium, divitiarum copia, & dignitatum illecebræ Divini Spiritûs impressiones in animam Propheratum impediunt. Eâ ratione persuasi Hebræi, Danielem & Davidem e numero Prophetarum subducunt, alienam nimis ab agresti & simplici Prophetarum consuetudine vitam agentes. Quamvis autem hæc ita se habeant, arbitrantur vicissim, spiritum prophetiæ nunquam residere, nisi in hominibus sapientiâ, divitiis & potentiâ præstantibus.

Sed illud incommodi hisce Hebræorum animadversionibus accidit, ut omnes fermè Scripturæ authoritati repugnantes deprehendantur. Maxima Prophetarum pars tenuissimi erat censûs; nec desunt exempla, quibus aliquando loqutum Deum per viros scelestissimos discimus, uti per Balaamum, & Caipham, & eos quos dictutos legimus (*b*): *Domine, nonne in nomine tuo propbetavimus?* Quæ dicunt de irâ, tristitiâ & dolore, hæc sanè magis congruere possunt veritati, cùm vehementes animi agitationes S. Spiritûs impressionem aliquando prohibuerint, ut exemplo Elisæi intelligimus, qui indignatione quadam commotus, agitationi Spiritûs sopiendæ, psalten accersivit [*i*]. Quod autem de exilio addunt, nihil planè ad rem; cùm David Saülis vim, & filii Absalomi arma fugiens, plures psalmos dictaverit; & Jeremias, Ezechiel & Daniel in ipso exilii & captivitatis dolore ab oraculis fundendis non abstinuerint. Plurima etiam extant Cantica a Sacerdotibus & Levitis in captivitate Babylonicâ concinnata.

Est itaque prophetia munus gratis omnino, & supra humanæ industriæ meritum a Deo datum: at neque studium, neque indefessam mentis intentionem excludit.

Res

(q) 1 *Reg.* Ix, 7, 8.
(r) 4 *Reg.* Iv, 42.
(s) 4 *Reg.* Iv, 10.
(t) 4 *Reg.* v, 26, 27.
(u) 4 *Reg.* Iv, 27.
(x) *Isa.* vIII, 3.
(y) *Ose.* I, 2.
(z) 4 *Reg.* xv, 1.
(a) 4 *Reg.* Iv, 38, 40.
(b) 4 *Reg.* xIx, 6.
(c) *Dan.* xIv, 32.
(d) 4 *Reg.* xvIII, 7.
(e) *Hebr.* xI, 35: Ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν, *&c.*
(f) 4 *Reg.* Iv, 27.
(g) *Maimon. more Nebochim, p.* 2, *cap.* 8, 32, 36; *& Grot. ad Sap.* vII, 27. *Vide Kimchi & Ligfort. &* Basnage hist. des Juifs, liv. 6, chap. 18.
(h) *Matth.* vII, 22.
(i) 4 *Reg.* III, 15.

Res est obtinenda precibus, vitæ innocentiâ, atque assiduâ coërcendis cupiditatibus exercitatione. Daniel nec à precibus, nec à jejunio cessabat, ut eorum merito mysterium septuaginta hebdomadum Jeremiæ sibi aperiretur [k]. Jeremias opportunum Spiritûs Sancti illapsum precibus impetravit (l). Zacharias in studio prophetiæ gnaviter sese exercuit (m); eamdemque veterum Prophetarum fuisse occupationem, S. Petrus (n) testatur. Omnem illi adhibebant curam, ut virorum divinorum oracula assequerentur; quare singula expendentes, scrutabantur quo tempore quave occasione Spiritus Christi, quo ipsi docebantur, futura illis aperiret. Daniel futuri Sanctorum statûs oraculum minimè assecutus, illud pandi sibi petiit: qua de re Angelum respondentem audivit, ut temperaret, quippe quæ arcana essent non nisi præstituto divinitùs tempore revelanda [o]. S. Joannes (p) per visum spectavit clausum quoddam volumen, nec a lacrymis temperare potuit, quòd nemo illud aperire valeret.

Non tarò Deus alteri aperit, quod alteri non permittit. Samuel primò censuerat, Regnum Israëlis a Deo adolescenti natu maximo inter liberos Isai destinari (q). Jeremias [r] doceri se a Domino poscens, quid respondendum esset Judæis, se post captam Jerosolymam consulentibus, cùm orationi decem dierum spatio institisset, voti compos denique factus est. Isaac benedictionem suam Jacobo, quem Esau filium suum natu majorem esse crediderat, largitus est [s]. Jacob Ephraimum fratri præponendum censuit, contra Josephi sententiam, quamquam Joseph communem cum patre Prophetiæ spiritum habebat (t). Nathan Davidem e suâ sententiâ allocutus, probari a Domino dixit ejus consilium de Templi ædificatione [u]. Propheta ille ad Jeroboamum Regem Israëlis missus, primò quidem Spiritûs Sancti verbis locutus est; deinde dolo cujusdam Pseudo-Prophetæ decipitur [x]. Negat Elisæus, significatam sibi a Domino esse doloris fœminæ Sunamitidis hospitæ suæ causam. Tandem si Dei Spiritus præsto semper Prophetis fuisset, quorum phrases illæ in eorum scriptis familiarissimæ, *Spiritus Domini*, sive *manus Domini super me* [y]? Hæc sanè argumento sunt apertissimo, ait S. Hieronymus [z], *ob humanam fragilitatem & vitæ hujus necessitates interdum* (Spiritum Sanctum) *recessisse ab eis*.

Ubi Spiritûs illapsum paterentur, ejus œstro non adeò rapiebantur, quin resistere valerent. Factum id quidem scimus cum Sacerdotibus & fœminis, Sacris Deorum initiatis, quos adeò impotenter raptos legimus, ut ne resistere quidem possent, etiamsi voluissent (a): mentis enim & sensuum impotes facti, ne loquendi quidem liberam habentes facultatem, tamquam mera automata, agebantur. *Spiritus Prophetarum*, ait Apostolus (b), *Prophetis subjecti sunt*. Et Ecclesia Montanistarum errorem damnat, tribuentium Prophetis utriusque Testamenti ea, quæ de Pseudo-Prophetis tantummodò, sive de Sacerdotibus Apollinis feruntur, illos scilicet Spiritûs mali agitationibus impotenter rapi (c). Nostri enim Prophetæ quietum placidumque Spiritûs Sancti illapsum accipiebant, & in tranquillo ac sereno mentis culmine manentes, altâ animi pace fruebantur. Ipsi sui compotes erant, debitâ solummodo in Deum observantiâ ad loquendum acti, ut Spiritûs Sancti ductum sequerentur. Quæ dicerent, optimè intelligebant, totumque orationis suæ sensum penitùs assequebantur. Si fortè Spiritûs, quo excitabantur, vi ignota sibi arcana exprimerent, latentis sensûs expositionem supplices postulabant, quemadmodum factum legimus a Daniele (d) & Zacharia [e]. Neminem Deus invitum ad Prophetiam cogebat. Jonas fugit, ne ad Ninivitas, quò a Deo mittebatur, verba faceret (f). Isaias [g] ipse ultrò se obtulit, ut munus Prophetæ obiret; Moyses verò, & Jeremias [h] illud a se munus deprecabantur.

(k) Dan. IX, 2.
(l) Jerem. XXXIII, 3.
(m) 2 Par. XXVI, 5. זכריהו המבין בראות האלהים
(n) 1 Petr. I, 10, 11.
(o) Daniel. XII, 8: Ego audivi, & non intellexi. Et dixi: Domine mi, quid erit post hæc?
(p) Apoc. V, 4.
(q) 1 Reg. XVI, 5, 6.
(r) Jerem. XLII, 5, 6, 7, 8, 9.
(s) Gen. XXVII, 22, 23.
(t) Gen. XLVIII, 18, 19.
(u) 2 Reg. VII, 3.
(x) 3 Reg. XIII.
(y) 4 Reg. IV, 27.
(z) Hieron. in Ezech. XI. Vide & Epist. ad Damasum, 9. 3; Orig. in Num. hom. VI.
(a) Vide Virgil. Æneid. VI; Platon. in Timæo.
(b) 1 Cor. XIV, 32.
(c) Vide S. Hieron. Præfat. in Isa. in Nahum, in Habac. Orig. tom. 6 in Jo. & lib. 7 contra Celsum; Ambros. in Psal. XXXIX; Chrysost. & Basil. in Ps. XLIV, 1, &c.
(d) Dan. IX, 22, 23; X, 1, 2, 3, &c.
(e) Zach. I, 9; IV, 4; VI, 4, 5.
(f) Jonas, I, 2, 3.
(g) Isa. VI, 8, 9.
(h) Exod. III, 11, 12; Jerem. I, 5, &c.

ARTICULUS IV.

Prophetia veritati Religionis asserendæ servit. Prophetiarum certa fides apud Hebræos. Veri Prophetæ indicia.

CUm eò potissimùm spectare noverimus Prophetiam, ut latentia lumini naturali arcana revelet, unicè a Deo repetendam apertissimè constat, ut nunquam proinde sine verâ Religione esse possit. Poterit quidem Satanas latentia hominibus arcana quandoque revelare, poterit latentes, sed a causis sibi exploratis suæque potestati subjectis, effectus prædicere; sed verum Prophetam agere non poterit. Ad Prophetiam enim spectat, res prorsùs latentes apertâ certâque fide revelare, quamvis nullam habeant cum causis secundis atque naturalibus conjunctionem. Nihil enim præter naturæ leges audet Astronomus, si futuram solis eclipsim; nihil Philosophus, si pendentem a causis sibi exploratis effectum prædixerit. Verùm si Vates prædicat fortuitum effectum, e causis liberis & minimè necessariis pendentem; id autem pluribus ante sæculis ab illo revelatum constet; si ortum hominis, cujus ipse nomen, victorias,

ftorias, res gereadas, obltumque prænunciaverit; ſi prodigium aliquod, præſentis temporis circumſtantiis prorſus repugnans; nihil ego tunc humani ſuſpicor, ſed omnia ad Deum referenda exiſtimo, & apertiſſimè illud veræ Religionis argumentum agnoſco, utpote omnium prodigiorum maximum, & ſupra hominum fidem. *Annunctate quæ ventura ſunt nobis*, ait Iſaias ad Numina [*i*], *in futurum, & ſciemus quia Dii eſtis vos*. Atuſpices Babylonii ultrò fatebantur, rerum ſututarum arcana prædicere, Dei eſſe, non hominis (*k*); & Daniel poſt expanſum Nabuchodonoſoris ſomnium, cultu dignus & Sacrificiis a Rege habitus eſt (*l*). Fatetur inſuper idem Rex, Danielis Deum cæteris omnibus præſtare: adeò verum eſt illud Tertulliani (*m*): *Teſtimonium veritatis eſt veritas Divinationis*.

Eâ perſuaſione inducti primi illi Idololatriæ Authores, Numinum Myſtæ, veteresque legum Conditores e te ſuâ eſſe cenſuerunt, ſi leges, tamquam oracula (*), & cæremonias tamquam revelatos ſibi divinitus ritus proponerent; ſummamque conciliarunt famam Magiæ, Divinationi, Auguriis, & Pſeudo-Prophetiis. Minos dictitavit, ſe poſt conſultum integro novennio Jovem, legem Cretenſibus ſcripſiſſe. Lycurgus datis a ſe legibus authoritatem apud Lacedæmones conciliaturus, tamquam oracula Delphici Apollinis tradidit. Numa Pompilius conſuetudinem ſimulavit cum Ægetiâ Nymphâ. Oracula omnia ſuum habebant peculiare Numen; nihilque negligebant Sacerdotes illa procudentes, ut populum in eâ perſuaſione detinerent. Eâ Sacerdotum arte, ac multitudinis credulitate uſus Dæmon, ambiguis oraculis credulos fallebat. *Callidè qui illa compoſuit oracula, perfecit, quodcumque accidiſſet, prædictum videretur; & hominum & temporum definitione ſublatâ, adhibuit etiam latebram obſcuritatis* [*n*].

Hebræorum Prophetis nihil tale invidiam, & ſuſpicionem creabat; non error, non ambiguitas, non dolus. Prophetiæ veritatem eventuum fides probabat. *Propheta, qui vaticinatus eſt pacem*, ait Jeremias (*o*), *cùm venerit verbum ejus, ſcietur Propheta*. Et Dominus per Moyſem ad populum loquutus (*p*), *Hoc habebis*, ait, *ſignum, quòd in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit: hoc Dominus non eſt loquutus, ſed per tumorem animi ſui Propheta confinxit*. Infeſtiſſimi Chriſtiani nominis Adverſarii nunquam id committere potuerunt, ut oraculorum Veteris Teſtamenti aſſertæ eventu fidei refragarentur. Porphyrius [*q*] contendit, eam, quam Danielis nomine habemus, prophetiam ab Authore quodam ſub Antiocho Epiphane poſt rei eventum procuſam eſſe: quod quidem viri impii dicterium id ſaltem probat, eorum Oraculorum fidem adeò apertam eſſe ab eventu, ut denegari eorum veritas nullâ ratione niſi apertiſſimo mendacio potuerit. Mendacium enim putidiſſimum eſt, quod Porphyrius excogitavit de procuſis poſt eventum Oraculis.

Palàm in ipsâ populi frequentiâ loquebantur Prophetæ, ſive in Templo, ſive in Aulâ Principum, ſive in foro, ſive in viâ, ſive in portis Urbis [*r*]. Quamobrem ſi quid erraſſent, innumeros malæ fidei nacti ſuiſſent teſtes & accuſatores. Neque palàm loqui contenti, Oracula ſua ſcriptis mandabant, legenda ſingulis tradentes, quin & ipſi coram frequenti populi concione recitantes. Ex his etiam quædam in publicis gentis Commentariis ad perpetuam rei memoriam ſcribebantur. Interdum teſtes in ſcribendo adhibebant, atque ſcripta ſuo nomine, & temporum notâ conſignabant (*s*). Jubebantur interdum a Deo Oracula ſcripto tradere, ut certa conſtaret Prophetiæ fides cum eventu collata [*t*]. Addebant accuratam anni & diei adſcriptionem. Quot ſanè teſtes contra illos, ſi quid veritati repugnaſſe deprehenderentur? Ezechiel [*u*] ad ripas Chaboræ, longiſſimo a Jeroſolymâ intervallo conſtitutus, certam diem totamque obſidionis ejuſdem urbis hiſtoriam proſequitur (*x*). Scribebant imparati nihilque meditati. Quæ minimè cogitantibus ſuccurrebant, hæc fluenti oratione dictabant (*y*). *Ex ore ſuo loquebatur, quaſi legens ad me omnes ſermones iſtos*. Deus eorum verbis loquitur, minitatur, docet; ſemper tamen ſupremæ dignitatis majeſtate ſervatâ. An hominum induſtriâ fieri unquam potuiſſet, ut par ſemper dignitas & majeſtas in eorum ſcriptis regnaret? Eadem ſemper in illis veritas & æquitas micat, nullâ arte & dolo exprimendæ: ea ſententiarum gravitas, & periodorum majeſtas, vis, & efficacia effulget, qualem nunquam fraus aſſequatur. Ratò illi argumentis, aliiſque ad perſuadendum artificiis utuntur. Veluti legatione Summi Numinis fungentes, imperioſâ quadam gravitate, ſeu verba ad Principes habeant, ſeu ad populos, loquuntur.

Quamvis Pſeudo-Prophetarum numerus apud Iſraëlitas plus nimio excreverit, nunquam tamen eò temeritatis ii venerunt, ut oracula ſua ſcriptis tradere auderent. Metuebant, ne tandem fallente oracula eventu, fraudis ſuæ pœnas luere cogerentur (*z*). Nullum faciebant finem arguendi hoſce dolorum artifices veri Prophetæ omnes; Principes & Magiſtratus in eos excitabant; illorum flagitia palam exponebant, ac tandem imminens eorum exitium nunciabant (*a*). Viciſſim ſocios laudabant [*b*]. Alter alterius Oracula commendabat, quin & ejus utebatur authoritate, cùm ſibi de eodem

(i) *Iſa.* XLI, 23.

(k) *Dan.* II, 11: *Non invenietur quiſquam, qui indicet illum in conſpectu Regis, exceptis Diis, quorum non eſt cum hominibus converſatio. Vide Hieron. in eum locum.*

(l) *Dan.* II, 46.

(m) *Apolog.* cap. 20.

(*) Vide *Strab. lib.* 17; *Diodor. lib.* 2, *cap.* 5.

(n) *Cicero, de nat. Deor. lib.* 2.

(o) *Jerem.* XXVIII, 9.

(p) *Deut.* XVIII, 22.

(q) *Porphyr. lib.* 12 *adverſùs Danielem, apud S. Hieron. præfat. in Daniel.*

(r) *Jerem.* XXV, 2; XXVII, 16; XLIV, 24.

(s) *Iſa.* VIII, 2.

(t) *Iſai.* XXX, 8; XXXIV, 16; *Daniel.* XII, 4; *Jerem.* XXX, 1, 2.

(u) *Ezech.* XX, 40; *& alii paſſim.*

(x) *Ezechiel.* XXIV, 2.

(y) *Jerem.* XXXVI, 18.

(z) *Deut.* XIII, 5.

(a) *Ezech.* XIII, 17.

(b) *Ezech.* XXXVIII, 17.

(c) *Michæi*, IV, 1, *&c. Isai.* II, 3, 4; *Jerem.* XLVIII, 19; *Isai.* XVI, 6.
(d) *Origen. lib.* 2 *contra Cels.*

dem argumento agendum esset [c]. Iste planè oraculorum consensus, istaque revelationum affinitas aperrissimum, siquod aliud, sinceritatis & veritatis est argumentum.

Cùm Prophetæ Judæis futurorum oracula panderent, Spiritu Prophetico agebantur, nec ne, ait Origenes (d). Si verè futura nunciarunt, id planè sine peculiari Dei inspiratione fieri non potuit; si verò nullam futurorum scientiam habebant, quinam fieri potuit, ut in tantam existimationem apud Hebræos devenirent? Qua planè mentis hebetudine Hebræi fortuito casu oracula fundentes admirabantur? Addit Origenes, ut Prophetas Judæis fuisse demonstret, nunquam fieri potuisse, ut gens illa in medio Ethnicorum, consulendis Divinis & Aruspicibus addictissimorum, Prophetis tranquillè careret. Si enim, inquit, Israëlitæ uni inter omnes Prophetis de rebus publicis privatisque consulendis caruissent, vix se potuissent continere, quin ad Divinos, & Oracula Ethnicorum, sive in medio gentis constituenda, sive saltem consulenda confugerent. Quare Moyses monens, ne Judæi Magos consulant, alterum sibi parem Prophetam a Domino proferendum pollicetur. Et volentibus falsos Deos consulere exprobrant Prophetæ, ut olim Elias Legatis Regis Ochoziæ [e]: *Numquid non Deus in Israël, ut eatis ad consulendum Beelzebub Deum Accaron?*

(e) 4 *Reg.* 1, 4.
(f) *Origen. lib.* 3 *cont. Cels.*

Alibi (f) idem Origenes ita eâ de re differit. Non fortuito planè casu Prophetæ Oracula, plenâ deinde fide impleta, fuderunt, uti de ortu Messiæ e Virgine parente, de ipsius passione, nece ac resurrectione. Neque etiam temerè egerunt Judæ, cùm, Prophetis aliis rejectis, alios summo honore exceperunt, ut eorum scripta eodem loco atque Mosaica haberent. Qua enim ratione potuissent inviolatam Religionem servare, in medio gentium versantes, quæ oracula sua jactitabant, nisi peculiares habuissent in suâ Republicâ Prophetas? Prosequitur deinde eorumdem Prophetarum laudes, qui omnia in suum caput mala provocare potiùs maluerunt, quàm Sancti Spiritûs vi de annunciandis populo Oraculis, ac posteritati tradendis, resisterent. Celebrat etiam gentis Judaicæ constantiam, quæ capitis sui dispendio avitæ Religioni, Scripturarum authoritate prodigiis ac Prophetarum vaticiniis fultæ, adhæsit: adeò verum est, Religionem illam nec hominum arbitrio neque lascivientis Ingenii libidine invectam stetisse.

(g) *Lib.* 1 *divin. Instit. cap.* 4.

Eodem argumento utitur Lactantius [g], Hebraicis Prophetarum oraculis asserendis, illa nempe & rerum eventu, & inter se consensu præstare. Nihil, ait ille, istis oraculis magis congruens, sibique constans. *Quis enim mentis emotæ, non modò futura præcinere, sed etiam cohærentia loqui possit? Num ergo fallaces erant, qui talia loquebantur? Quid ab his tam longè alienum, quàm ratio fallendi, cùm cæteros ab omni fraude cohiberent? Idcirco enim a Deo mittebantur, ut correctores essent pravitatis humanæ. Præterea voluntas fingendi ac mentiendi eorum est, qui opes appetunt, qui lucra desiderant: quæ res procul ab illis sanctis viris abfuit. Ita enim delegato sibi officio functi sunt, ut derelictis omnibus ad tutelam vitæ necessariis, non modò in futurum, sed ne in diem quidem laborarent, contenti extemporali cibo, quem Deus subministrasset, & hi non modò quæstum nullum habuerunt, sed etiam cruciatus atque mortem. Ii, quorum peccata & arguebantur, & prohibebantur, excruciatos eos acerbissimè necaverunt. Ergo a quibus abfuit studium lucri, abfuit etiam voluntas & causa fallendi. Quid? quòd aliqui eorum Principes, etiam Reges fuerunt, in quos cadere non potest suspicio cupiditatis ac fraudis.* Hæc Lactantius.

(h) *Deut.* XIII, 1, 2, 3.
(i) *Matth.* VII, 15; XXIV, 24.
(k) *Galat.* 1, 8.

Sed quænam, inquies, indicia sunt veri Prophetæ, quibusque potissimùm signis a deceptoribus erant distinguendi? I, Ubi dictorum fides cum eventu constaret, nihilque proderent Religioni rectisque morum legibus repugnans. Eâ enim conditione neglectâ, eventûs sinceritas non usque adeò assertam Prophetiæ fidem reddebat, uti observat Moyses [h]: *Si surrexerit in medio tui Prophetes, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signum, atque portentum evenerit, quod locutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos.... non audies verba Prophetæ illius, sed virum impium interficies.* Cautos etiam adversùs Pseudo-prophetas & Confictores miraculorum nos reddens Jesus Christus (i), judicium de illis ex eorum operibus & doctrinâ capiendum præcipit. Si Angelus de Cœlo aliud, præter doctrinam a se traditam, docuerit, hunc diris devoveri Apostolus [k] jubet. Nihili igitur habenda sunt miracula, nihili impleta oraculorum fides, si recta sanaque doctrina cum traditâ a priscis Prophetis non consenserit. II, Si vocatus esset a Deo qui ad Oracula fundenda se conferret, ejusdemque vocationis & missionis documenta sive prodigiis sive Oraculis certâ fide impletis exhiberet: vel, si cætera abessent, saltem a Prophetis supremoque Religionis Antistite probaretur. III, Si vir bonus esset, sanæ mentis, sapiensque, ab omni cupiditatis & ambitionis suspicione alienus, qui sermones omnes quodam veritatis Divinorumque Oraculorum sapore aspergeret.

Ultro quidem fatemur, vitæ frugi atque modestæ characterem non necessarium esse sinceræ prophetiæ argumentum; cùm nota sint virorum quorumdam scelestissimo-

rum

rum exempla, quibus Deus ad promenda Oracula sua ceu instrumentis est usus, uti cum Balaamo & Caipha factum scimus. Sed hæc rara sunt exempla, & vix fieri potuisse credimus, ut Deus simplicem populum diutiùs in eâ persuasione esse pateretur, Dei Spiritum viris scelestissimis dari, & penitissima Divinorum arcanorum secreta talibus aperiri, eorumque propterea ministerio Deum uti voluisse, docendis populis, reducendisque ad rectos justitiæ calles errantibus. Tandem hæc simul indicia, vel saltem plura in eodem homine juncta, satis superque populum in cognitionem veri Prophetæ poterant deducere; vel saltem, si post hæc in errorem laberetur, nullam habuisset erroris sui excusationem.

At si id, quod supra demonstravimus, verum est, quemadmodum ne ambigendi quidem locus remanet, Prophetas nimirum Divini Spiritûs illapsu non assiduè agi, & quandoque suo spiritu, non Divinitus dictata, loqui; qua ratione destinatos se ad munus Prophetæ, atque afflari interdum Divino Spiritu certò exploratòque Prophetæ ipsi noscere poterant? His potissimùm indiciis: I, Cùm prodigio aliquo vocabantur, uti Isaias, Jeremias, S. Joannes Baptista, ex ipso matris utero ad prophetandum destinati [l]. Daniel certum vocationis suæ indicium habuit e prodigio fornacis ardentis, atque Gabrielis Angeli sibi per visum exhibiti, certumque eâ de re testimonium ferentis alloquio (m). II, Cùm alterius Prophetæ vocatione ad id munus ducebantur, uti cùm Elias Elisæum ex aratro teduxit (n). III, Cùm ab altero Prophetâ legitimo recipiebantur, ejusque probabantur testimonio, & certam ab eventu fidem Oraculis suis habebant. IV, Cùm interiori lumine illustrari se, atque confirmari sentirent, subitoque veluti aspectu res latentes, futuras, & a cognitione remotissimas intuerentur. V, Cùm intimo animi sensu raperentur in amorem Dei, novoque in illum studio incenderentur; cùm impelli se validâ suavique virtute sentirent (o), quæ dilataret animum, os recluderet, atque impavidos adversùs mala efficeret, siquando in discrimen sive gloria Dei, sive ejus ministerium veniret.

Alia etiam documenta exhibet Origenes [p], ut recti pravique spiritûs motiones discernantur. Si Propheta nullam sentiat animi turbationem, atque in recto mentis, judicii, & libertatis culmine maneat; si utiles prodat, & non infimi momenti res, ad bonum publicum, & Religionem pertinentes: si res ex fint, quæ nonnisi Deo docente nosci queant. Hi simul omnes characteres certissimum sunt documentum de illapsu Divini Spiritûs in Prophetas; neque tamen si aliqui abfuerint, jure de sinceritate ejusdem Prophetæ possumus suspicari.

(l) *Jerem.* I, 4: *Isai.* XLIX, 1, *&c. Luc.* I, 13, *&c.*

(m) *Daniel.* IX, 21, 22.

(n) 3 *Reg.* XIX, 24.

(o) *Greg. lib.* 4 *Dialog. cap.* 48: *Sancti viri inter illusiones atque revelationes, ipsas visionum voces aut imagines intimo sapore discernunt; ut sciant vel quid a bono Spiritu percipiant, vel quid ab illusore patiantur.*

(p) *De Princip. lib.* I, *cap.* 3; *& contra Celsum, lib.* 7, *pag.* 334, *Edit. Cantabrig.*

ARTICULUS V.

De perspicuitate & obscuritate Prophetarum. Varius eorum sensus. Omnes in Jesum Christum collimant.

PRO variâ quidem ratione Veteris Testamenti vaticinia perspicua simul habenda sunt, & obscura. Quæ olim ante Christi adventum obscurissima censebantur & planè pugnantia, modò in apertam veritatem post Christum devenerunt (q). Exhibentur simul elatioris dignitatis atque vilissimæ demissionis imagines; servitutis & Regni; vitæ & mortis; Divinitatis & humanitatis; Israelis servati, simul & reprobati: hæc omnia in unam Jesu Christi personam conciliata, in apertam lucem prodierunt. Prophetarum oracula, quæ a cæteris divulsa atque sejuncta intelligi nequeunt, cum aliis apertissimis collata statim se produnt. *Prophetiæ ad Messiam spectantes*, ait vir doctus (r), *alia aliarum rerum oracula habent adjuncta, ut earum veritate inspectâ, de illarum fide etiam argumentum haberemus; neve particularia rerum Oracula suo fructu carerent.* Particularibus rerum oraculis coram oculis Judæorum impletis, veritas Oraculorum Messiæ, quibus priora illa naturali & necessario nexu jungebantur, magis magisque asserebatur.

Sancti Spiritûs consilium in omnibus simul Oraculis illud potissimùm fuit, ut apertissima de veritate Religionis, de Messia, atque Ecclesiâ documenta exhiberet. Eò Scripturarum omnium varietas, per distitas tamen vias, collimat. Aliæ enim rectâ ad hunc finem tendunt, aliæ per diverticula. Quæ minoris momenti oracula videntur, hæc aliorum veritati asserendæ serviunt. Isaias, ceu finem sibi peculiarem & singularem prædicit liberationem Achaz, eversionem Regum Samariæ & Damasci; quarum impleta veritas argumentum erat ortus Messiæ e Virgine parente, quem ille simul eodemque tempore prænunciavit (s). Ex iis duobus fini præscriptis a Prophetâ finibus, ille qui proximus spectabatur, nulli erat obscurus; alter verò magis remotus, vix ulli pervius, altero fulcitur [t].

Nec solos Judæos Prophetæ spectabant, cùm sæpè ad alias etiam exteras nationes converterentur; uti ad Tyrios, Ægyptios, Idumæos, Babylonios, Moabitas, Sy-

(q) *Vide Theodoret. in Isai.* XXIX, 11; *Aug. Tract.* 9 *in Joannem: Lege Libros omnes Propheticos, non intellecto Christo, quid tam insipidum & fatuum invenies?*

(r) Pensées de Pascal, ch. 15, n. 13.

(s) *Isai.* VII, VIII, IX.

(t) *Vide S. Hieron. initio Comment. in Amos* VII, *& in Isai.* XXXVII, 30; *& in Osee*, I, 2; *& Riber. prol. in Comment. duodecim Prophetarum.*

ros, &c. de quarum gentium historiâ nihil fermè novimus, nisi quantum e Prophetarum Hebræorum scriptis habemus exploratum. Omnia autem ista consilio Sacrorum Scriptorum serviebant; nempe demonstrandæ atque asserendæ veræ Religioni. Porrò sapientissimi Numinis fuit, veritatis suæ documenta non apud Hebræos tantummodo, sed & apud extraneas nationes suppeditare. Quinimo, cùm olim Jesu Christi Ecclesia e Judæis æquè atque Ethnicis colligenda esset, opportunum planè & necessarium videbatur, ut singulæ illæ gentes domestica, ut ita dicam, & aperta haberent de veritate ipsius argumenta. Factum inde; ut cùm de Regno Messiæ Oracula in eisdem Libris continerentur, in quibus imminentia in illas gentes mala referebantur; factum, inquam, inde ut horum veritate plus nimio & sub eorum oculis impletâ, eò adigerentur populi, ut Jesu Christi veritatem volentes nolentes crederent.

Cùm Judæorum populus destinatus esset a Deo, ut Divinorum Oraculorum depositum sanctè custodiret, tum & in se ipso documentum veræ Religionis præberet (*u*), ut videret nec tamen cognosceret, audiret nec intelligeret, æquum sanè fuit, ut vaticinia illa unà simul & perspicuitatem & obscuritatem præseferrent. Quæ ad politicum gentis statum pertinerent, ambagibus prorsus carere necesse erat; quæ verò de Regno Messiæ aliquid proderent, factâ caligine omnia obvolvebantur. Liberatorem venturum rotundis omnique ingenio aptis verbis asserebant; ejus tamen dotes totamque venturi in mundum historiam per ænigmata solùm prodebant, ut hodie usque, post tantam sæculorum lucem, in lectione Moysis & Prophetarum expansum habeant Judæi ante oculos velum, veritatem necdum assequentes [*x*]. In hisce planè Divinis Oraculis satis est perspicuitatis iis, qui de salute suâ solliciti sunt, sed & obscuritatis tantum, quantum sat est, ut contradicendi dispendio suo locum incredulis relinquant. Judæis ipso Prophetarum ævo quædam Oraculorum arcana pervadendi longe plurima commoditas, quàm nobis, erat: vicissim nobis plura nunc adminicula suppetunt ad quorumdam vaticiniorum cognitionem, quæ illis deerant. Historiam illorum temporum, nonnisi sub obscuris verbis a Prophetis aliò spectantibus indicatam, vix conjecturâ assequimur. Quidquid autem ad Messiam pertinet, ejus adventum, passionem, resurrectionem, vocationem Gentium, Judæorum reprobationem, Ecclesiæ constitutionem, nobis planè magis quàm Judæis, & facilè etiam quam ipsis Prophetis, planum est & apertum.

(u) *August. de Consensu Evangelist. lib. 1, cap. 11: Cui (Messiæ) Prophetando venturo gens una deputata est, cujus Republica tota administratio Prophetia esset illius Regis venturi, & civitatem Cœlestem ex omnibus gentibus condituri.*

(x) 2 Cor. III, 13.

De nostræ ætatis Judæis sunt qui affirment, ne legere illos quidem, vel saltem rarò, Prophetas; quasi metuant, nequid de Messia inveniant [*y*]. Solemnis est etiam apud illos maledictio in eos, qui tempus adventûs Messiæ accuratis calculis scrutantur. Servili quodam interpretationis genere oracula illa exponunt, ceu homines in eorum lectione planè novi, qui tantùm e parentum narratione, corruptàque pluribus fabellis traditione rem teneant.

(y) *Buxtorf. Synag. Jud. cap. 3.*

Cùm igitur ea fuerit, qualem huc usque exposuimus, vaticiniorum natura, continuò intelligimus, duplicem plerumque in illis sensum distingui oportere, Literalem nempe seu historicum, qui partem aliquam historiæ Sacræ Judæorum, sive Messiæ, sive externarum gentium inferat; penitiorem atque excellentiorem alterum, spiritalem & genericum, qui Religionis statum, adventum, & Regnum Messiæ nunquam non respicit. Ita cùm oriturum Messiam e Virgine parente Isaias prænunciat (*z*), & David de Regno Jesu Christi (*a*) ejusque passione (*b*) loquitur, nullum sibi alterum proponebant in hisce Oraculis finem, metamque omnem in Supremo illo Liberatore collocabant. Cùm verò idem Isaias (*c*) victorias Cyri, & libertatem ab eodem Rege Judæis Babylone captivis concedendam, prosequitur; cùm Psalmista [*d*] magnificentiam Regni Salomonici commendat, dictorum omnium duplex est sensus: alter historicus in Cyro, & Salomone versans, ex quo ad altiora surgendum est, nempe ad alterum sensum, quò potissimùm Sancti Spiritûs consilia spectabant, scilicet ad Jesum Christum, sub nomine & figurâ illorum Principum exhibitum. Hoc est omnium simul Prophetarum consilium.

(z) *Isa.* VII, 14.
(a) *Psal.* CIX.
(b) *Psal.* XXI.
(c) *Isa.* XLIV, 28; XLV, 1, *&c.*
(d) *Psal.* XLIV.

Profectò si unicum tantùm in vaticiniis sensum agnoscamus, tunc sanè pro certo constituendum est, nondum venisse Messiam, ait Paschasius, (*e*). Si verò duos distinguamus, illum venisse, eumque esse Jesum Christum, nullus ambigendi locus remanet. In eo igitur tota quæstio versatur, utrùm hoc sensuum discrimen admittendum sit, an historiæ apud Prophetas descriptæ res sint tantummodo, sive etiam figuræ; ut planiùs dicamus, utrùm secretius aliquid, præter id quod legentibus proditur, quærendum sit, an intra obvii sensûs fines tantummodo sistendum.

(e) Pascal, Pensées, chap. 13, n. 2.

Cùm epistola aliqua magni momenti intercipitur [*f*], cujus sensus perspicuus est, at ex ipsâ discimus, penitiorem alium & occultum sensum in verbis quærendum esse, quo neglecto, eos, qui epistolam legant, perinde futuros ac si non legerint, qui audiant veluti si non audierint; quid tunc in mentem nobis venit, nisi duplicem distinguendum esse in epistolâ sensum? quod tunc maximè nobis succurreret, si in literali

(f) Pascal, Pensées, chap. 13, n. 7.

terali sensu plurima apertissimè pugnarent. Jesus Christus & Apostoli tandem appositum sigillum removerunt, disruptoque velo, latentem literæ sensum expanderunt.

Antequam constitutum hisce Oraculis implendis tempus veniret, quamvis de illorum fide nihil esset ambigendum, nullum tamen de eorum veritate documentum exhiberi poterat, ait Origenes (g): rerum eventus expectandus fuit. Viri etiam illi, qui in partem prædicti a Prophetiâ eventûs veniebant, suâ tantùm parte occupari, cùm omnes verterent ad sua mala curas, ad omnia simul mentem conferre non poterant: quamobrem expleri vaticinii fidem non sentiebant (h). Si quis verò extra hujusmodi malorum aleam positus, totam rei seriem apud Historicos collectam intuetur; ille facilè mentem ad singula adhibebit, atque intellectâ rei alterius cum alterâ connexione, oraculi sensum assequetur. Fatentur non semel Apostoli (i), minimè assecutos se quorumdam Oraculorum, quo maximè tempore implebantur, sensum; quorum veritatem tunc denique intellexerunt, cùm post Christi obitum & resurrectionem, mentem ad exacta retro tempora converterent. Non aliter contigisse de priscis Oraculis credimus. Populus nihil ulteriùs quæsivit præter præsentem rei eventum, in literâ Prophetiæ designatum. Alter sensus, quem potissimùm Spiritus Sanctus spectabat, primùm post adventum Jesu Christi sine ambagibus prodiit.

(g) De Princip. lib. 4, c. 7.

(h) Bossuet, Préface sur l' Apocal. Art. 11.

(i) Joan. 11, 12; xii, 16.

In expositione Scripturarum duo sunt scopuli a SS. Patribus indicati, solerter vitandi: I, Omnia ad literam interpretandi libido; II, Omnia ad Jesum Christum referendi affectatio. Potest & tertius addi, cùm scilicet duplex sensus omnibus de Jesu Christo Oraculis tribuitur ita, ut omnia quæ de Christo in Veteri Testamento sunt, habere credantur alterum literalem, & historicum sensum, neque ad Jesum Christum, nisi spirituali & figuratâ interpretatione, referri.

Porrò hic scopulus postremo loco indicatus, non minùs quàm duo illi, periculosissimus est, omnique esse conatu removendum, ex abusione quorumdam Eruditorum nostræ ætatis hominum intelligimus. Bossuetus Episcopus Meldensis strenuè Grotium, qui perniciosissimus est harum literalium expositionum vindex, impugnat. Fatetur ille quidem, plurima esse in Scripturis Oracula duplici eo sensu, quem Grotius agnovit, facilè exponenda (k); nec diffitetur, contingere quidem sæpè, ut totus Psalmus ad Jesum non spectet, quamvis sensus statim legenti obvius de eo loquatur: solent enim interdum Prophetæ ex humanis statim evolare ad Divina, & e simplici ac historico sensu subitò ad Jesum Christum sive ad aliud quodcumque converti. Æquè certum constituit, plura esse, de Jesu Christo tantummodò proprio & directo sensu exponenda, quæ obliquè Davidi & Salomoni accommodari queant. Ita vir ille doctus methodum Grotii ad accuratas veritatis leges redigit & moderatur.

(k) Vide adnotanda in Psal. pag. 611, 612.

Idem Præsul (l) alibi mentem suam hac de re explicat; cujus hìc sententiam operæ pretium est recitare. Concilium Tridentinum, inquit ille, firmitatem traditionis & irrefragabilem sanctorum Patrum authoritatem in exponendo Scripturæ sensu, in eo potissimùm constituit, si unanimis omnium sententia de rebus fidei & morum consentiat; non in expositionibus literalibus & historicis, in quibus nihil plerumque ad dogma, sive authoritatem, sed omnia fermè ad simplicem conjecturam pertinent. Adde, literalem unius prophetiæ explicationem alias etiam simul & multiplices quandoque admittere. Quamobrem neglectis authoritatibus in utramque partem congestis, illud statuamus oportet, sedulò distinguendum esse inter authoritates SS. PP. & eorum dogma; & inter privatas illorum sententias, atque unanimem omnium consensum. Quis profectò ignorat Scripturarum penè infinitam fœcunditatem, quam singularis planè sensus non explet [m]? Quis ignorat, Jesum Christum ejusque Ecclesiam iis Oraculis designari, in quibus ad literam de Salomone, Ezechia, Cyro, Zorobabele aliisque agitur? Consonant eâ in re Catholici, omnesque Protestantes.

(l) Bossuet, Préface sur l' Explication de l' Apocalypse, art. 13, &c.

Inter oracula Prophetarum, alia ipsum Religionis fundamentum respiciunt, uti oracula de adventu Messiæ, dispersione Judæorum, &c. [n]. Horum sensus neque Sanctos Patres latêre poterat; perinde enim esset, ac si Religionis præcipuum dogma ignorarent. Quare horum sensus potuit quidem accedente sæculorum luce clariùs aperiri: rem tamen tenere Patres, atque in suis Scriptis prodere oportebat.

(m) Confer S. Aug. Conf. lib. 12, cap. 24, 25, 30, 31; & lib. 2 de Doctr. Christ. cap. 36; & lib. 3, cap. 27.

(n) Bossuet, ibid. art. 27.

Illud etiam constituendum est, alia ex Oraculis non dogma quidem, sed mores respicere, non ipsum Religionis fundamentum, sed quæ illi accedunt, uti oracula de Ninive, Babylone, Tyro, &c. prolata. Horum expositio ex historiâ repetenda est, nec e Sacrâ tantummodò, verùm etiam ex Profanâ. Constat inter omnes, eorum sensum scrutari singulis esse permissum. Si quispiam affirmaverit, Patres in eâ re non satis animadvertisse omnia, & plura reliquisse quàm sedulitate suâ invenerint; ille ita a debitâ in tantos viros observantiâ recessisse non dicendus est, ut etiam fateamur, quicquid in piis hujusmodi eruditionibus progredi possumus, iis deberi, quæ a Patribus tradita, nobis ulteriora scrutantibus facem præferunt.

Ex quo tertia demum veritas ducitur; si quando nimirum contingat, ut Orthodoxi in expositione horum oraculorum novi aliquid reperiant, non idcirco licere, nova quoque in iis, quæ ad dogmata pertinent, singulorum arbitrio ex iisdem oraculis procudere. In expositione Sacræ Scripturæ non ita Patres literalem sensum sequuntur, ut nihil reliquerint; nisi agatur de asserendo Religionis dogmate, sive de Hæreticis refellendis. Toti sunt enim in morali sensu explicando. Ita Præsul ille doctissimus, cujus sententiam hic suis ipsius verbis recitare operæ pretium duxi, quippe qui præscriptas ab illo regulas in meo Commentario secutus sum; non enim desunt qui iniquiùs ferant, si fortè in alicujus sententiæ, nihil ad fidem & dogmata pertinentis, expositione a Patrum interpretatione recedatur.

S. Hilarius (o) damnare eos non audet, qui omnia in Psalmis recitata ad Jesum Christum referre satagunt: credere se tamen ait, rem esse periculosam, nec citrà dispendium veritatis de Divinitate & Incarnatione ipsius id posse committi, ut omnia ad Jesum Christum trahantur. Malle proinde se addit, ut omnia, quæ ad Jesum Christum pertinent, ea de illo exponantur; in cæteris obvius literæ sensus teneatur. S. Isidorus Pelusiota (p) vereri se dicit, ne omnia conantes ad Jesum Christum deflectere, ansam præbeamus Religionis nostræ adversariis, apertissimis etiam de illo testimoniis refragandi. Utraque extrema æquè vitiosa censet S. Augustinus (q), sive omnia ad literam exponantur, sive omnia deflectantur ad allegoriam. *Literam sequi*, ait, *& signa pro rebus, quæ iis significantur, accipere, servilis infirmitatis est.* Impingit in eum scopulum pars sanè magna recentiorum Interpretum, grammaticis expositionibus plus nimio indulgentium. At nihilo minùs erras, si figuras ac tropos planè ad arbitrium scrutaris ac fingis. *Inutiliter signa interpretari, malè vagantis erroris est.*

(o) *In Psal.* LXIII, *n.* 2, 3.

(p) *Lib.* 2, *epist.* 195; *& lib.* 3. *epist.* 339.

(q) *De Doctr. Christ. lib.* 3, *cap.* 9.

Origenes, quem aliqui fortasse immeritò (r) damnant, quòd plus nimiò allegorias sectatus sit, plures admodum idoneas regulas in eam rem præscribit. Jubet (s) igitur, ubi apertus ad literam Librorum Sacrorum textus sensum literalem bene docendis Fidelibus idoneum offert, illum nonnisi literali expositione explicari. Major autem Scripturæ pars eam expositionem patitur. Alibi etiam (t) animadvertit, Hebræorum Prophetas variè de Jesu Christo locutos esse, interdum sub ænigmatis & allegoriæ involucris, interdum ambagibus amoris. Tandem, ait (u), Judæi, infestissimi licèt Christiani nominis adversarii, nunquam tamen demonstrare conantur, aliis meliùs quàm Jesu Christo vaticinia conveuire; satis habentes, si expositionem aliquam detorram & novam invehant, quam Christianorum interpretationibus opponant.

Patres & Interpretes, duos, tres, sive quatuor sensus in oraculis Prophetarum distinguunt. Docet S. Hieronymus (x), in expositione Divinarum Scripturarum literalem sensum potissimùm quærendum esse; II, sensum tropologicum, sive figuratum; III, Sensum spiritualem, vel anagogicum. Monet insuper (y), in expositionibus figuratis non omnia ad literam explicanda esse de viro, cujus est literâ sermo, & sub cujus personâ figura Jesu Christi sive Ecclesiæ innuitur; alioquin, ait, non typus erit, sed historiæ veritas. *Typus enim partem indicat. Quòd si totum præcedat in typo, jam non est typus, sed historiæ veritas appellanda est.*

S. Augustinus (z) tres etiam Scripturarum sensus agnoscit; sunt enim quædam quæ Jerosolymam terrestrem designant; sunt quæ Cœlestem; sunt quæ utramque. Priora literalem historicum sensum, circa temporalem Judæorum politiam versantem, constituunt. Secunda figuratum sensum reddunt; tertia tandem Textum ad utrumque sensum accommodant. Addit, non defuisse inter Authores Christianos, qui crederent, nihil esse in Sacris Libris, quod ad Jerosolymam Cœlestem non referretur, id est, historiis ac rebus omnibus, apud Libros Veteris Testamenti relatis, nonnisi res spirituales & mysticas designari; adeo ut, inquir Augustinus, juxta eorum sententiam, duos tantùm pro tribus supra indicatis Scripturæ sensibus distingui oporteat.

(r) *Vide Apolog. Orig. in Epist. dedic. Geneb. ad Carolum IX, & Origenian. Huetii, & Riberam prælud.* 1 *in omnes Prophetas.*

(s) *Hom.* XI *in Num.*

(t) *Cont. Cels. lib.* 1, *pag.* 39 *&* 40, *Edit. Cantabrig.*

(u) *Ibid. lib.* 2, *pag.* 78.

(x) *Hieron. ad Hedibiam, respons. ad* XII *difficult.*

(y) *In Osee* XI.

(z) *De Civit. Dei, lib.* 17, *cap.* 3.

S. Thomas (a) tres etiam agnoscit Scripturæ sensus, ex uno eodemque literali sensu deductos, nempe allegoricum, moralem, & anagogicum. Consonant hæc cum receptâ Interpretum sententiâ, quatuor Scripturæ sensus enumerantium, videlicet literalem, figuratum, moralem, & anagogicum. Possunt tamen commodè quatuor hi ad duos reduci, nempe ad literalem & figuratum; quæstio est enim de vocibus.

(a) 1 *parte, quæst.* 1, *art.* 10.

Sunt verò Prophetiæ, quæ unum tantummodò literalem sensum patiuntur; aliæ tres admittunt; aliæ duos, sive tres, qui omnes pro literalibus haberi possunt. Daniel (b) prædicit abominationem desolationis in loco sancto; cujus Oraculi veritatem applicat Author Macchabæorum (c) persecutioni ab Antiocho Epiphane motæ, & Jesus Christus (d) desolationi in ultimâ obsidione Jerosolymæ per Romanos; ac tandem pars Interpretum non modica persecutioni sub Antichristo. Nihil hic pugnans, nihil figuratum; tres enim sunt reapse veræ & genuinæ historiæ.

(b) *Dan.* IX, 27.

(c) 1 *Macch.* 1, 57.

(d) *Matth.* XXIV, 15.

AR-

ARTICULUS VI.

Methodus Patrum in expositione Propheticorum Oraculorum.

QUO tempore Jesus Christus in mundum vénit, vulgò Judæi in expositionibus allegoricis & figuratis Scripturæ occupabantur. Semel enim persuasi, Authores Sacros, cùm ad scribendum se conferrent, duplicem fermè sensum in mente habuisse, & præter literalem obviumque sensum, alterum majoris momenti occultasse, parcendum sibi non esse laboribus duxerunt, ut e puteo veritatem extraherent. Jesus Christus Judæorum animis accommodandum se duxit; quare docuit e. g. historiam Jonæ figuram esse sepulturæ & resurrectionis Messiæ (*e*). Interdum verba ad populum faciens, a literali & historico sensu statim, ne monitis quidem auditoribus, ad spiritualem & figuratum transitum faciebat: ita e. g. postquam venturum Eliam dixit, *qui omnia restituet*, addidit statim; *sed dico vobis quia Elias venit* (*f*). Hic sanè postquam de vero Elia locutus est, statim ad alterum Eliam, a priore illo per figuram indicatum, nempe ad Joannem Baptistam, convertitur. Ea exponendi ratio frequentissimè in Epistolâ ad Hebræos recurrit. Jungitur Melchisedech cum Jesu Christo, vetus cum novo Sacerdotio, cum Synagogâ Ecclesia; quæ sanè ita mista & confusa sunt, ut nonnisi in eo Scripturarum loquendi genere eruditis pervia esse queant. S. Paulus (*g*) figurato sermone exponit historias Agaris & Saræ, Jacobi & Esau. Eamdem methodum secutus Philo Judæus, ut scilicet omnia, quæ e Libris sactis prosequitur, ad allegoriam detorqueat; hunc insuper fuisse morem Esseniorum, a patribus & majoribus acceptum, idem Philo testatur [*h*]. Axiomate receptum erat apud illos, Scripturam veluti animal quoddam exhiberi, cujus litera corpus esset, latens verò sensus anima.

Ex Philone acceptum morem totam deinde Ecclesiam adoptasse, Photius putat [*i*]. Sed allegoriarum exordium apud Judæos multo vetustius Philone est, ut ex Libro Sapientiæ (*k*) constat. Ejusdem Philonis testimonio discimus, Therapeutis hunc explicandi Scripturas morem arrisisse, acceptum ex Libris Authorum ejusdem sectæ, quos apud se magistrorum loco servabant (*l*).

Josephus (*m*) non rarò explicationes allegoricas admittit, fassus, Legem Mosaicam similis generis continere plura, quæ singulari Opere complexurum se pollicetur [*n*]. Produnt hæc Ingenium Judæorum ejus ætatis. Patres igitur hunc ab Apostolis morem acceperunt, & Apostolus (*o*) tamquam certum constituit, omnia in figurâ contigisse Judæis: *Omnia in figurâ contingebant illis*. Quare Patres, ut Scripturas ad allegoriam detorquerent, nihil morabantur: at cùm de convincendis Judæis, Paganis, sive Hæreticis res esset, alteram sibi methodum proponebant. Namque Scripturas ad literam interpretati, sententiis apertissimis usi sunt, ostendentes, Oraculorum fidem in Jesu Christo impletam fuisse; objicientes receptam Ecclesiæ traditionem in Scripturæ locos, quibus Hæretici abutebantur. Morales & allegoricæ interpretationes moribus quidem juvandis, confirmandisque iis, qui alioqui persuasi sunt, atque demonstratæ jam veritati illustrandæ serviunt; afferendæ autem Religioni contra adversarios, nunquam non fugientes veritatem, non serviunt. Excipi tamen ab eâ regulâ debent loci a Jesu Christo & Apostolis expositi, qui iis testimoniis, tamquam omnium exploratissimis, adversùs Judæos utebantur, Judæos, inquam, persuasos alioquin, ea Oracula ad Messiam esse referenda. Quare suis illos armis & argumentis conficiebant.

Contra Paganos verò ostendebant Patres, servari apud Judæos in Sacris eorum Libris certa futurarum rerum Oracula, constanti totius gentis consensu recepta, quorum veritas non magistrâ modò rerum experientiâ, verùm etiam prodigiorum fide asserta erat (*p*). Hæc autem Oracula omnia in Jesu Christo impleta demonstrabant; ex quo ineluctabili planè argumento colligebant, alium expectandum non esse orbis universi Liberatorem, in salutem generis humani mittendum. Ita S. Justinus (*q*) eo adducto loco, *Foderunt manus meas & pedes meos*, atque ad sensum demonstrato, nunquam in Davide hujus Oraculi veritatem omnem apparuisse, nec in alio quopiam Veteris Testamenti Viro Justo, statim colligit, Jesum Christum iis verbis designatum fuisse. Interdum plura simul vaticinia jungebant, quorum alterum alterius sensum panderet. Davidi oriturum Messiam e genere ipsius, Deus pollicetur (*r*): & Isaias (*s*), qua id ratione gerendum sit, narrat, prænuncians, oriturum illum e Virgine parente, ex familiâ Davidis.

Non rarò partem ejusdem Oraculi de Davide, Salomone, Jona sive Jacobo exponebant; partem verò, ad sublimiorem sensum se convertentes, ad Jesum Christum referebant. Cùm enim sententiæ verba non possent omnia hisce Patriarchis Veteris Testa-

(e) *Matt.* XII, 39, 40, 41; *Jonas* I, II.

(f) *Matth.* XI, 14; *Marc.* IX, 11, 12.

(g) *Galat.* IV, 24, &c.

(h) *De vitâ contempl.* pag. 898, & 901.

(i) *Bibl. Cod.* CV. Ἐξ οὗ οἶμαι ϗ πᾶς ὁ ἀλληγορικὸς τῆς γραφῆς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ λόγος ἔσχεν ἀρχὴν εἰσρυῆναι.

(k) *Sap.* XVIII, 24.

(l) *Philo de Vitâ contemplat.* pag. 893: Ἐντυγχάνοντες γὰρ τοῖς ἱερωτάτοις γράμμασι, φιλοσοφοῦσι, τὴν πάτριον φιλοσοφίαν ἀλληγοροῦντες.... ἔστι δὲ αὐτοῖς καὶ συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, οἳ τῆς αἱρέσεως ἀρχηγέται γενόμενοι, πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορουμένοις ἰδέας ἀπέλιπον.

(m) *Antiq. lib.* 3, c. 9; & *de bello, lib.* 6, c. 6, *in Latino.*

(n) *Josephus, Prolog. in lib.* 1 *Antiquit.*

(o) 1 *Cor.* X, 11.

(p) *Vide exordium Dialogi S. Just. advers. Tryphonem.*

(q) *Apolog.* 2.

(r) 2 *Reg.* VII, 12, 13; XXIII, 1, 2, &c.

(s) *Isai.* VII, 14.

Testamenti congruere, Jesum Christum in subsidium adduci oportebat, quem veluti typum designasse summos illos Viros norant. *Hunc esse* sciebant, inquit S. Hie-
(t) *In Dan.* xi. ronymus (t), *morem Scripturæ Sanctæ, ut veritatem futurorum præmittat in typis*. Ita quæ in Psalmo LXXI leguntur, non omnia possunt ad literam Salomóni convenire, cujus neque permansurum esset cum Sole Regnum, neque Imperium ad utrumque mare, sive a flumine usque ad extrema mundi esset prorogandum, &c. Hæc quidem omnia *ex parte & quasi in umbrâ & imagine veritatis in Salomone præmissa sunt, ut in Domino Salvatore perfectiùs implerentur*.

Demonstrabant pariter Ethnicis, prophetias, utpote Dei ipsius per Prophetas locuti opera, parem cum illo veritatem habere opus fuisse: nunquam id commissum esse, ut Divina illa Scripta a quopiam sive ante, sive post Christi adventum corrumperentur. Non ante, neque enim divinare quis poterat, illum denique inter homines esse venturum; neque si divinasset, tam vividis coloribus pingere illum unquam valuisset. Post ejus verò adventum, Judæi, qui Messiam & reprobare, & cruci affigere ausi fuerunt, prorsus cavere debuissent, ne Messiam illum ad sensum in Oraculis suâ operâ procusis demonstrarent. Antequam veniret, agnoscebatur a nemine; postquam venit, nemo illum excipiebat.

Cum Judæis verò hoc armorum genus tractabant Patres, impletam scilicet in Jesu Christo Oraculorum veritatem. Neque unum modò, sive alterum illi convenire Oraculum demonstrabant, sed omnia, neque vel unum ab illo abfuisse e Messiæ characteribus; eaque simul omnia adeo in illum collimasse, ut in neminem alium meliùs. Laborantibus Judæis eadem Oracula ad alios detorquere, Patres inanem illorum conatum atque mendaces explicationes sub oculis ponebant. Methodum Aposto-
(u) *Act.* ii, 26, 27. lorum in eâ re secuti sunt, præsertim S. Petri (u), veritatem resurrectionis Jesu
(x) *Psal.* xv, 8, 9. Christi ex eo loco (x) demonstrantis: *Caro mea requiescet in spe, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Notas mihi fecisti vias vitæ, &c.* Eâ occasione ita disserit Apostolus: *Liceat audenter dicere ad vos de Patriarchâ David, quoniam defunctus est, & sepultus; & sepulcrum ejus est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus, providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum resuscitavit Deus, cujus omnes nos testes sumus.*

Servabatur apud Judæos constans consentiensque de sensu Oraculorum traditio. Eâ amotâ, cùm singuli pro suo arbitrio peculiares traderent Libris Sacris expositiones, Librorum Sacrorum veritas seminarium fuisset dissidiorum, & controversiarum fomes; quare maximi erat apud eos momenti, ut varia sensuum liberras ad unum definiretur. Quo tempore Magi Jerosolymam venerunt, receptum erat apud Judæos
(y) *Matth.* ii, 12. (y), Messiam e Bethleem proditurum, ex illo Michææ, V, 2: *Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda; ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Israël.* Certum etiam tenebant, Messiam e familiâ David proditurum; atque e Virgine parente oriturum non inviti credebant. Sensum igitur Oraculi Isaiæ, VII, 14, ad Messiam traditio deferebat: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.*

Hac animorum præparatione opportunè usus Christus, euntes in Emmaus Discipu-
(z) *Luc.* xxv, 27, &c. los docebat, Scripturas de se prolatas interpretatus (z). Eamdem opportunitatem
(a) *Act.* 8, 34. cepit, ut Jesum Christum in verbis Isaiæ Philippus Diaconus Eunucho Reginæ Candacis demonstraret (a). Eamdem traditionem, quæ sensus figuratos quibusdam Scripturæ locis tribuit, & locos aliquos de Messia explicat, Author Epistolæ ad Hebræos sibi in scribendo proponit; cùm quædam laudet, quæ, amotâ traditione, non planè ineluctabili evidentiâ de Jesu Christo exponuntur. Ejus ætatis Judæi, quantumvis increduli, negare non audebant, in iis oraculis Messiam spectari; sed perfrictâ fronte contendebant, Jesu Christo non ita prorsùs congruere, ut illi potiùs, quàm alteri meliùs conveniret. Recesserunt deinde ab eâ sententiâ, asserentes, in iis locis nullum de Messia sermonem haberi, quemadmodum etiam nostræ ætatis Judæis videtur.

Controversiarum nostræ ætatis Scriptores, vim assecuti hujus demonstrationis, ex consensu & traditione veterum Judæorum ductæ, ineluctabile planè Rabbinis conficiunt argumentum ejus generis, quæ *ad hominem* appellant. Armarunt igitur contra Judæos authoritatem Targumim, Talmudim, & veterum Rabbinorum. Accidit olim,
(b) Basnage, hist. des Juifs, liv. 4, chap. 3, art. 1. ut Judæus quidam ab adducto a Rittangelo testimonio Targum (b) ita premeretur, ut argumenti pondere oppressus clamaret: *Actum est de nobis, nisi alterum loco sensum inveniamus.* Id sanè familiare est Judæis artificium, ut vi nostrorum argumentorum coacti, authoritatibus opponant authoritates, callidisque explicationibus apertissimam sententiarum veritatem fallant. Suppetunt quidem, sed rata admodum, bonæ fidei Judæorum exempla, qui imponi sibi necessitatem credendi ex demonstratâ veri-

tate

tate passi sunt. Cæteri enim adeò obfirmato sunt in præjudicatis opinionibus animo, ut apertissimorum etiam argumentorum vim immoti sustineant. Urgenda validiùs essent oracula in Novo Testamento recitata, quæ ex unanimi Judæorum ætatis Jesu Christi & Apostolorum consensu ad Messiam spectabant. Statim enim ac Judæi recentiores Evangelia, & cæteros Novi Testamenti Libros tamquam meras, sed veridicas historias habuerint, nihil ulteriùs quærendum est, ut verus Messias Jesus esse ostendatur. Apertissimè veritas, quà prodigiis, quà impletâ in Jesu Christo Oraculorum fide, quà etiam assensu Veterum Hebræorum, testimonia illa ad Messiam referentium [c], evincitur.

Vix tamen aliquis sperandus erit nostris Scriptoribus fructus, si causam tantummodò egerint, adductis Scriptorum & Grammaticorum ejusdem gentis testimoniis (*d*). Res est enim conficienda ex authoritatibus Novi Testamenti, simulque Veteribus Versionibus, quas ipsi eorum pàtres probarunt, quæque ante excitatas inter nos & illos controversias prodierunt. Iniquum est, ut in disputationibus, Judæo authoritatem Veteris Testamenti objiciente, illam amplectamur, nisi ille Novum Testamentum saltem uti veram historiam admittat. Conveniendum est etiam, antequam ulteriùs procedatur, de principiis, quorum inter arguendum usus esse utrinque poterit; neque enim, his neglectis, quidquam utraque disceptantium pars proficiet. Si Judæus Novum Testamentum inter fabellas rejiciat, quid ex ejus authoritate valebimus? Primò igitur statuenda est Evangeliorum veritas, authoritas atque Divinitas: vel saltem Judæum urgebo, ut ipse mihi authoritatem Veteris Testamenti demonstret, nisi is dare hoc saltem velit, Novum Testamentum veram esse historiam. Quòd si hoc solummodo Judæus dederit, statim duplici invicto argumento illum conficiam: altero, ex rebus gestis, & prodigiis Jesu Christi, cui vaticiniorum omnium veritas congruit, altero, ex ipsâ Veterum Judæorum confessione, qui ea oracula de Messia explananda esse fatebantur. Cùm autem nullus ambigendi locus remaneat, utrùm omnia in Jesu Christo impleta fuerint, statim evincam, non alterum quærendum esse Messiam.

(c) *Grot. Præfat. Comment. in Vetus Testament. Judæis convincendis vel pauca, Christum & tempus, quo is venturus erat, directè describentia sufficiunt.*

(d) *Voss. de Sybill. Orac. cap. 14. Vide etiam* Basnage hist. des Juifs, liv. 7, chap. 34, art. 32.

Scitè admodum loquitur Tertullianus, de disputationibus contra Hæreticos agens (*e*). Scriptura ad Hæreticos non pertinet, quare nec uti illius testimoniis contra nos valent; vel si illa adhibere voluerint, debent omnes simul Scripturas, non earum tantummodò partem, debent etiam in sensu Ecclesiæ laudare. Quid enim sine his valeant Scripturæ? Paria etiam de Judæis ulurpanda sunt. Si nobiscum disceptare voluerint, debent omnes æquè Scripturas, tum Veteris, tum Novi Testamenti excipere. Quo enim jure possunt in rem suam contra nos Vetus Testamentum laudare, cùm nos contra ipsos Novo utentes non ferant? Nos unum sine altero planè non excipimus. In universâ autem disputatione illud semper servandum est, ut vel illi nostra principia convellant, vel simul nobiscum admittant.

(e) *De Præscript.*

Generatim autem loquendo, sensus figuratus argumentum planè demonstrativum non conficit. Textus adhibendi sunt luculenti, literales, in quibus explorata sint omnia. At traditione & consensu veterum Hebræorum, vel similium accedente, ex figurato etiam sensu invicta, saltem contra Hebræos, argumenta ducuntur. Pari etiam privilegio, cùm expositio aliqua allegorica in Veteri Testamento a Jesu Christo vel Apostolis adducta legitur, non infimum authoritatis pondus obtinere censenda est; quemadmodum etiam non aliud est judicium ferendum de consensu unanimi SS. Patrum, cùm oraculi alicujus sensus ad dogma, sed spirituali & figuratâ locutione, refertur. Ita nullum est in Veteri Testamento apertius vaticinium de futurâ Messiæ post tres dies ab obitu resurrectione, quàm Jonæ in ventre ceti historia; quamvis ad resurrectionem Jesu Christi nonnisi figuratâ expositione pertineat. Sed huic figuræ certam assertamque authoritatem vindicat non traditio Judæorum modò, verùm expressus Jesu Christi & Apostolorum, ac tandem unanimis SS. Patrum consensus. Igitur cum quodam temperamento illud accipiendum est, quod vulgato omnium sermone fertur, nimirum allegoricum sensum conficiendis demonstrativis argumentis ineptum haberi.

IN

IN ISAIAM PROLEGOMENON.

QUatuor majorum Prophetarum primus Isaias, e tribu Juda & e Regio Davidis genere, patrem habuisse fertur Amos filium Regis Joas, & & fratrem Amasiæ Regis Juda. Addunt alii, Isaiam filiam suam nuptum dedisse Manassi Regi Juda [a]. Rabbini constitutam a se regulam secuti, parentes nempe Prophetarum, ubi proprio nomine in Scripturâ exprimuntur, simili cum filiis privilegio donatos fuisse, putant, Prophetæ Isaiæ parentem Amos Prophetæ munere claruisse [b]. S. Augustinus (c) aliique nonnulli censent, Prophetam Amos ipsissimum fuisse Isaiæ parentem; quorum tamen opinioni ne assentiamur, facit diversa scribendi ratio, qua duo illa nomina exprimuntur [d]; & id quod de Amos Prophetâ animadvertimus, nimirum illum fuisse Isaiæ coætaneum, & nonnisi biennio ante eumdem Isaiam Prophetam agere cœpisse, si verum sit, epocham initi muneris ab Isaia cum anno xxv Oziæ esse componendam; exordium enim prophetandi duxit Amos biennio ante terræmotum sub Ozia (e); nempe anno ejusdem Regis tertio & vigesimo.

Sunt etiam qui maluerint, Isaiam altero hoc Prophetâ esse vetustiorem; credunt enim, eam siccitatem, cujus meminit Amos, ceu rei diu antea elapsæ, in fine primi capitis Isaiæ describi. S. Hieronymus (f) post Eusebium Cæsariensem [g] innuere videtur, Isaiam tamdiu a fundendis oraculis abstinuisse, quamdiu Rex Ozias, leprâ percussus in pœnam [h] audaciæ, vixit: sed idem alibi apertissimè asserit [i], quinque prioribus Isaiæ capitibus Oracula contineri sub Ozia prolata; & sextum ea complecti, quæ emortuali ipsius anno ab eodem Prophetâ nunciata sunt. Nobis ea sedet opinio, exordium ejus Prophetæ componendum esse cum inito per Joathanum Regno, statim post obitum Oziæ, inceptumque munus continuasse sub Achazo & Ezechia, spatio circiter LXII sive LXIII annorum. Joathan XVI annis regnavit; totidem Achaz; & Ezechias XXIX; qui annorum numerus summam conficit LXI annorum. Ejus obitum consignamus ad annum primum vel secundum Manassis.

Duo fuerunt Isaiæ filii, quos ambos figurato nomine appellavit, priorem, *Sear-Jasub*, nempe, Reliquum redibit: alterum *Chas-bas*, Festina prædari (k). Prophetissa dicitur Isaiæ uxor [l]; eamque eodem ac virum Spiritu prophetandi donant Rabbini. Longo annorum spatio prophetavit Isaias, nempe XC annis, juxta Chronicon Alexandrinum, exordio facto ab anno XXV Oziæ [m], & clauso cum vitâ munere anno secundo Regni Manassis, a quo Rege neci traditus est. Sed hæ temporis adscriptiones incertæ sunt. In capite illius sexto historia legitur missi ad prophetandum Isaiæ, appositâ temporis notâ, nempe ipso obitûs Oziæ anno; ex quo innuitur, nunquam ante illud tempus Isaiam ad prophetandum accessisse. Quare ab eâ epochâ exordium muneris Isaiæ ducendum censuerim; ea, quæ quinque prioribus capitibus leguntur, ad primum annum Joathani Regis Judæ referens. Quæ ab eodem Prophetâ lugentur mala, & crimina quæ Regnum Juda depopulabantur, tempus designant exeuntis Oziæ Regni; tempus scilicet Regno Judæ iniquissimum. Legimus (n), sub Joathano Rege duos simul exercitus, nempe Phacee Regis Israëlis, & Rasin Regis Syriæ, totam illam regionem miserandum in modum depopulatos esse; sed hæc ad exitum Regis illius, non ad exordium pertinent. Bello etiam afflictus legitur (o) ab Ammonitis, qui excusso jugo, uti facile credimus, ab illo defecerant.

Tota Prophetiæ Isaiæ series in octo partes commodè dispescitur. Prima omnes complectitur prophetias ad Regnum Joathani, filii Oziæ Regis Juda, pertinentes. In primis sex capitibus, sermonem unicâ & continuatâ serie junctum continentibus, acriter invehitur Propheta in Hebræorum crimina, quorum merito mala in illos divinitùs imminere prædicit, vastandumque annunciat Regnum Israëlis: ac tandem feliciora tempora pollicetur, ac tranquillum Regni statum describit. Portò Regnum illud Ezechiæ fuit expressa Regni Jesu Christi figura.

Altera prophetiæ pars Regnum Achaz spectat, quæ pars sex capita primis succedentia complectitur. Describit Isaias obsidionem Jerosolymæ ab exercitu Phacee & Rasin (p). In pignus promissæ imminentisque libertatis Regni Juda, exhibet Propheta Oraculum de futurâ Emmanuelis nativitate. Geminos, quos habuit ex uxore, filios mysticis nominibus, futuram Regni liberationem exprimentibus, appellat (q). Verso deinde stilo, imminentes Regnis Syriæ & Israëlis calamitates prænunciat (r); frangendas etiam addit vires Assyriorum, quibus Deus ad ultionem de impiis sumendam tam-

(a) *Hieron. in Isai. lib. 3, c. 20.*
(b) *Vide Hieron. plur. in loc. & maximè in Isai. XXXVII, 2; XXXVIII, 1; Epiph. de vitâ, & morte Propher. & Clem. Alex. Stromat. lib. 1.*
(c) *De Civit. Dei, lib. 18, cap. 27.*
(d) אמוץ *Amoz, Pater Isaia.* עמוס *Amos, Propheta.*
(e) *Amos, I, 1; & Zacha. XI, 5.*
(f) *Hieron. ad Damas. de Seraphim & calculo.*
(g) *Comment. in Isa. cap. 6.*
(h) *2 Par. XXVI, 20, 21.*
(i) *In Isai. VI, init.*
(k) *Isai. VII, 3; & VIII, 1.*
(l) *Isai. VIII, 5.*
(m) *Ita Hebræi. Hieron. in Isai. VII, & alii passim.*
(n) *4 Reg. XV, 37.*
(o) *2 Par. XXVII, 5, 6.*
(p) *Isai. VII.*
(q) *Isa. VIII, 3.*
(r) *Isai. IX.*

tamquam flagello utitur (*s*). Scitum est, quid passi fuerint Judæi a Teglatphalassaro, Salmanasaro, ac deinde omnium postremo a Sennacheribo. In hos Reges Caput x impenditur. Claudit [*t*] hæc omnia, Regem Sapientem, justum, fortem, pium promittens, a quo restituenda in pristinum omnia, revocandi captivi Judæi, & Israelitæ per quatuor mundi angulos dispersi. Sequitur Canticum gratiarum actionis (*u*). Porrò Rex ille ab Isaia promissus, Messias censendus est, ab Ezechia per figuram expressus.

Tertia, quæ proximè succedit, prophetiæ pars, iniquior est in Babylonios [*x*], in Philisthæos (*y*), in Moabitas (*z*), in Damascum (*a*), Samariam (*b*), & Ægyptum [*c*]. Pertinent hæc omnia ad annum emortualem Achazi, initumque ab Ezechia Regnum [*d*]. Non eodem tempore singula impleta sunt, sed suo quælibet, quemadmodum nos alibi explicare conati sumus. Censemus autem, horum malorum partem sub Salmanasare, Sennacheribo, Assaradone immissam; reliqua pertinere ad Nabuchodonosorem, Darium Medum, & Cytum.

Longo pòst tempore Isaias oracula sua iterum vertit in Ægyptum, Babyloniam, Arabiam, Jerosolymam, Tyrum, orbem denique universum, & quandoque in solam Judæam; quæ omnia latè continentur capite xx usque ad caput xxiv. Sequitur deinde capite xxv & xxvi Canticum actionis gratiarum pro restituto in libertatem Juda, exactâque a Deo de hostibus ultione. Capita xxvii & xxviii continent minas in Reges Babyloniæ, & Ægypti, qui Hebræos afflixerant. Oracula de reditu Juda & Israëlis, & de Rege pio atque sapiente, sub imagine pretiosi lapidis in fundamentis Sion locati designato, continentur capite xx, 1. Postrema hæc Oracula pronunciavit Isaias post delerum Sennacheribum, & post annum xvii Ezechiæ. Hic finis partis quartæ ejus prophetiæ.

Eodem tempore, sub Rege Ezechia, quinta pars exorditur, versaturque in bello Sennacheribi adversùs Judæam. Componenda autem videtur cum anno xii Ezechiæ, secundo ante bellum (*e*).

Primò igitur Propheta, verso in Jerosolymam stilo, Urbem inundaturum denunciat armorum torrentem, eamque arctissimâ obsidione premendam, cujus tamen exitus multò futurus esset, quàm exordium, felicior. Vitio vertit Ezechiæ, quòd ad Ægyptios conversus, Deo inconsulto, opem illorum contra Assyrios implorarit (*f*). Quare furorem Domini Judæos in se concitasse, quippe qui in Ægypto duxerint confidendum; atque ad Deum reduces læta omnia sperare jubet (*g*). Post confectum bellum, lætam orituram in Regno Ezechiæ prosperitatem, justitiam, & pacem [*h*]. Invehitur in Sennacheribum, & gentes quæ cum illo conspiravere [*i*]. Luendam esse dicit Idumææ pœnam de suâ in fratres Judæos sævitiâ (*k*). Succedit capite xxv tamquam epilogus universæ hujus prophetiæ, addito Cantico, quo læta omnia Judæ promittuntur. Accedunt his quatuor capita prorsus historica, historiam eorum, quæ in superioribus ab Isaia prædicta sunt, complectentia [*l*]; quæ sanè adjecta credimus sive ab Authore, sive ab aliis, qui ejus Opera recensuerunt.

Sexta pars vel sextus sermo, qui in hoc Libro instituitur, a capite XL usque ad XLV, totus est in demonstrandâ Dei & Religionis Hebraicæ veritate, & falsitate superstitionis Idolorum (*m*). In libertatem & salutem restituendum a Deo populum suum captivum pollicetur. Venturum nunciat Christum ac servum Domini (*n*); ex quo sperari jubet fore ut restituto electo populo suo, Idololatria æterno probro obruatur. Quæ sequuntur capita XLV, XLVI, XLVII, XLVIII, tamquam ejusdem orationis pars habentur; quibus Isaias & Cyri Regnum annunciat, & liberationem populi, & exitum Bel, Babylonis, & Idolorum, & Judæorum reditum; quæ sanè omnia non Dii quidem, sed Deus præstabit. Quare Dei summam potestatem ubique commendat, & Idololatriæ vanitatem.

Post caput XLIX usque ad LVI, 9, Isaias, veluti Messiæ figura, destinatum se divinitus ab ipso matris utero ad prophetiæ munus, narrat; addit, missum se a Deo non modò ut annunciet reditum Jacobi e captivitate, sed etiam gentium salutem, & ab errore conversionem. Quanta affulgebit lux felicitatis Jerosolymæ post captivitatem! Quæ mala perpessus est Judas, ea criminibus suis debet [*o*]. Prosequitur deinde persecutiones & mala, quæ ipse, figuram gerens Christi Domini, a Judæis in prædicationem suam iniquis passus est [*p*]. Luctu oppressam Sionem solatur, constantem felicitatem nuncians, luctum omnem in adversarios convertendum prodens [*q*]. Apertissimè & sine ambagibus loquitur de egressu Judæorum Babylone, excusso Assyriacæ servitutis jugo (*r*). Incredulum populum suum arguit, atque inferenda Messiæ mala depingit (*s*); quamquam, ait, ex uno illo salus est expectanda. Stylum deinde occupat (*t*) in describendâ prosperitate Sionis, tamquam figuræ Ecclesiæ; iterumque futuram gentium conversionem pollicetur. Qui esse debeant ii, quibus felicitas promissa est, describit. Qui legi Domini morigeros se omnino præbuerint, illi cujus-

(s) *Isai.* x.
(t) *Isai. cap.* xi.
(u) *Cap.* xii.
(x) *Isai.* xiii, xiv.
(y) *Cap.* xiv, 29.
(z) *Cap.* xv, xvi.
(a) *Cap.* xvii.
(b) *Cap.* xvii, 3, *&c.*
(c) *Cap.* xviii, *&* xix.
(d) *Isai.* xiv, 28.
(e) *Isai.* xxix, 1: *Additus est annus ad annum; Solemnitates evolutæ sunt, &c. Isai.* xxxi, 10: *Post dies, & annum vos conturbabimini.*
(f) *Isai.* xxix, *&* xxx.
(g) *Isai.* xxxi.
(h) *Isai.* xxxii.
(i) *Cap.* xxxiii. xxxiv.
(k) *Isai.* xxxiv, 6, *&c.*
(l) *Isai.* xxxvi, xxxvii, xxxviii, xxxix. *Quatuor ista capita e capp.* xviii, xix, *&* xx *quarti Regum totidem ferè verbis descripta sunt.*
(m) *Isai.* xl, *&* xliii, 91, 11; *&* xliv, *&* xli, *&* xliv.
(n) *Cap.* xlii.
(o) *Isai.* l.
(p) *Cap.* l, 4, *&c.*
(q) *Cap.* li.
(r) *Cap.* lii.
(s) *Cap.* liii.
(t) *Cap.* liv, lv, lvi, 1, 8.

cumque tandem conditionis fuerint, bonis omnibus cumulabuntur [u]. Hæc summa eorum, quæ continentur in septimâ parte Operis: & facilè ad idem Ezechiæ Regnum pertinent.

Omnium postrema pars occupatur in adventu Messiæ, reprobatione Judæorum, & Ecclesiæ constitutione; quidquid tandem in Israële implendum est, post futuram captivitatem usque ad planè constituram Ecclesiam, prosequitur. Exordium sermonis facit ab invectivâ in Duces & Pastores Juda, canes mutos & vigiles cæcos (x); quibus proinde furorem Domini minitatur. Vitio vertit populo & hypocrisim, & calumnias, & seditiones [y]. Quid efficiat Deo accepta jejunia & Sacrificia, demonstrat. Venturum pollicetur Servatorem, qui criminibus omnibus expiatis, sanctitatem, atque fidelitatem adducet in populum (z). Hujus autem Liberatoris adventum verbis magnificis describens, in occursum illius venturas dicit universas orbis nationes; qui verò tunc Jerosolymam, scilicet in Ecclesiam, se conferre neglexerit, ille in se mala omnia provocabit (a). Officia omnia exhibet divini hujus Servatoris, ejusque Ministrorum, & Regni ipsius felicitatem (b). Quare, ait, nunquam clamare cessabo, ac nunciare, Justi seu Messiæ adventum, nisi ubi impleta hæc omnia videro; cùm scilicet felicitate, & bonis Jerosolyma universa abundabit (c).

Videre sibi videtur Messiam victoris more ex Idumæâ venientem, tinctum sanguine purpureum paludamentum trahentem [d]. Veniat strenuus ille ductor, veniat suppetias populo suo, summis calamitatibus oppresso, Jerosolymæ eversæ & desolatæ, & Templo igni vastato allaturus (e). Innuere videtur iniquissima illa sub Macchabæis tempora, & Antiochi Epiphanis persecutionem ac liberationem Israëlis per Judam Macchabæum. Roganti Prophetæ Dominus respondit, sceleribus populi sui se provocatum, justo in illos furore exarsisse (f); quamobrem rejectis illis, convertisse se ad aliam gentem, alienam antea, modò fidelem & domesticam. Omnia tamen prospera sperare jubet Jerosolymam. Tandem prophetiam suam claudens Isaias, reprobationem Judæorum, & Sacrificiorum, atque rituum legalium inanitatem indicat [g], magis enim Deum delectari dicit earum virtutum, quas enumerat, oblatione. Iterum deinde de Domini adventum, Gentium conversionem, obstinatorum Judæorum mala nunciat; simulque Ecclesiam Jesu Christi describit sub figurâ Jerosolymæ restitutæ, quò ad cultum Domini omnes undique gentes convenient.

Hoc vaticiniorum Isaiæ propositum est universum; quorum priora sex capita ad Regis Joathani; totidem quæ sequuntur, ad Achazi; reliqua ad Ezechiæ tempora pertinent. Illud potissimùm præ oculis habuit Propheta, ut captivitatem Babylonicam, & reditum nunciaret: ad hoc enim potissimùm destinatum se noverat; quippe quæ duæ essent aptissimæ figuræ, exprimentes generis humani lapsum in peccatum, & futuram per obitum Jesu Christi reparationem. Ad id muneris destinatum se a Domino, ad quod antea nemo, narrat Propheta, ut captivitatem Babylonicam, & ex eâ liberationem Judæis prædiceret (h). Non levis momenti res est, Isaiæ oracula optimè nosse, jungere & conferre, ut universum ejus operis systema, & partium cum partibus affinitas explorata habeatur. Ingenuè enim fateamur oportet, nihil magis obstitisse, ne Oraculorum sensus pervaderetur, quàm quòd partes a partibus divulsæ, & singulæ seorsum inspicerentur, minimè spectatâ illarum simul collectarum universitate. Ubi enim aliquid per partes inspexeris, vix satis illud intelligere poteris. Omnia priùs simul juncta consideranda sunt; deinde singula inspicienda: ita enim pars partem illustrat.

In Oraculis ad Regnum Joathani, Achazi & Ezechiæ, Captivitatem Babylonicam, & liberationem per Cyrum pertinentibus, unicè spectatus est a Prophetâ Messiæ adventus, ac generis humani redimenda captivitas. Eò collimant omnia, idemque unicus finis prophetiæ ipsius universæ constituendus est: quo amoto, obscura omnia; minæ illius, promissiones, atque expressæ vividis coloribus picturæ omnes, seu vero majores sunt sive minores, si de iis solummodò explices, quæ Judæis contigerunt, quibus nonnisi per figuram conveniunt: justæ verò sunt ac veræ, si ad Jesum Christum, ejus Ecclesiam, obitum, mortem, passionem, & victorias ipsius referantur. Frequentiùs hoc Prophetâ, quàm cæteris, usos fuisse Scriptores Novi Testamenti, S. Augustinus [i] observat; cùm expressiora habeat Oracula, quorum causâ Evangelista potiùs, quam Propheta appellandus est.

Acceptâ apud Judæos, & Patrum Ecclesiæ [k] consensu probatâ traditione fertur, Isaiam serrâ dissectum sub initum a Manasse Regnum interiisse. Hanc historiam erasisse e Libris Sacris, tamquam genti suæ invidiosam, Judæos accusat S. Justinus Martyr. Narrant autem, impium hunc Principem causam parandæ viro neci sumpsisse ex eo, quòd dicentem audisset Isaiam (l): *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*; ex quo falsitatis Virum Sanctum Rex arguebat, ex eo Moysis testimonio [m]: *Non videbit Deum homo, & vivet.*

(u) *Isai.* LVI, 8.
(x) *Isai.* LVI, 9. *&c.* & LVII, 1, *&c.*
(y) *Cap.* LVIII, LIX.
(z) *Cap.* LIX, 20, 21.
(a) *Cap.* LX.
(b) *Cap.* LXI.
(c) *Cap.* LXII.
(d) *Cap.* LXIII.
(e) *Isai.* LXIV.
(f) *Cap.* LXV.
(g) *Cap.* LXVI.
(h) *Cap.* XLVIII, 5, *&c.*
(i) *August. De Civit. lib.* 18, *cap.* 29: *Ita ut a quibusdam Evangelista, quàm Propheta potiùs diceretur. Hieron. Epist.* 117: *Idem Præf. in Isai. Sicque exponam Isaiam, ut illum non solùm Prophetam, sed Evangelistam, & Apostolum dicam. Vide & Theodoret. Præf. in Isaiam.*
(k) *Origenes in cap.* XX *Matth. & in Epist. ad Jul. Afric. & hom. in Isai. Tertull. lib. de Patientiâ, cap.* 14; *& Scorpiac. c.* 8, *Justin. contra Typhon. Chrysost. ad Cyriac. Hieron. lib.* XV *in Isai. August. lib.* 18 *De Civit. cap.* 24; *Pseudo-Epiph. & Doroth. de vitâ & morte Proph.*
(l) *Isa.* VI, 1.
(m) *Exod.* XXXIII, 20.

Sed

Sed hæc in speciem quidem scelestus obtendit; re enim iniquissimo erat in Prophetam animo, liberiùs scelera sua castigantem. Explicant autem de Isaia illud, quod in Epistolâ ad Hebræos, XI, 37, legitur: Ἐπρίσθησαν, *Serrâ secti sunt*. Nec Veteres latebat hoc serræ supplicium (n). Solebant hominem medium serrâ secare. Addunt ex Patribus nonnulli (o), serram illam ligneam fuisse, ut prolixiore ac sæviore supplicio periret. Vide, si lubet, nostram Dissertationem ad Deuteronomium de suppliciis Hebræorum. Ferunt, viri cadaver sepulturæ datum fuisse sub quercu fullonis sive *Rogel*, non longè ab Jerosolymâ, ad torrentem Siloë, in latere montis Sion. Hæc omnia ex Authoribus parum assertis habemus, nempe Pseudo-Epiphanio, & Dorotheo, qui in eodem loco jacuisse Prophetam suâ ipsorum ætate affirmant. Repugnant Scriptores alii, contendentes, diù antea translatum fuisse Paneadem ad fontes Jordanis, unde postea delatum ferunt Constantinopolim, anno XXXV Theodosii junioris, nempe CDXLII Christi, vel circiter.

(n) *Vide Daniel.* XIII, 55; *Matt.* XXIV, 51. *Valer. Max. lib.* 9. *cap.* 2, *Sueton. in Calig. cap.* 27.

(o) *Justin. in Dialog. Hieron. lib.* 15 *in Isai. ad finem.*

Plura de rebus a se gestis Isaias ipse narrat, de se tamquam figuram Christi Domini gerente scribens. Ex ipso igitur matris utero appellatum se a Domino testatur, seque vel a Deo nomen obtinuisse, vel saltem Deum nominis sui meminisse perhibet; addens, se accepisse, eodem donante, os ceu acutum gladium; divinâ manu se protegi; ut sagittam in pharetrâ, ita se in Domini manu contineri (p). Et alibi (q), Ego, ait, eruditè & copiosè loquendi facultate a Domino instructus, oppressis multorum animis solatium ferre aptissimus sum: is mihi aures aperuit, ut ipse me institueret: quo verò tempore ad munus Prophetæ missus sum, vidi Dominum magnifico solio insidentem; Cherubim coronâ circumdatum, terram tamquam scabellum calcantem (r). Quo territus aspectu, Væ mihi, dixi, quòd hactenus tacui, quòd polluta labia habeo, atque in medio populi polluta labia habentis sedeo: & cùm talis ego sim, Dominum ipsum exercituum meis oculis aspexi. Ita ego mecum ipse querebar, cùm unus e Cherubim ex ipso Domini tribunali advolans, candentem calculum ex Altaris igne deductum gerens, os meum contigit, simul addens, hujus igniti calculi piamine omnes expurgatas esse sordes & crimina. Continuò vocis sonum audivi, quærentis: Quemnam mittam? aut quis ibit nobis? Respondebam ego: En ego, mitte me. Dicebat ille: Vade, & dicito populo isti: Audiens ne intelligito: & videns ne cognoscito. Crassum reddito cor populi hujus, & aures ejus fac hebetes, & oculos ejus cæcos, ne fortè vel oculis suis videat, vel auribus suis audiat, vel mente intelligat, quò conversus saluti restituatur.

(p) *Isai.* XLIX, 1, *&c.*

(q) *Cap.* L, 4.

(r) *Isai.* VI, 1, *&c.*

Fusè alibi prosequitur ærumnas, quæ sibi a populo ferendæ fuerunt (s). Corpus, inquit, meum præbui percutientibus, genas meas barbam vellentibus; faciem meam non averti a contumeliis & sputo. Dominus enim Deus præsidio mihi est: idcirco me horum non puder, idcirco faciem meam instar silicis obduro. Queritur cum Deo [t], frustra se laborasse, dum toties verba faceret ad populum pervicacem, & incredulos haberet auditores. Cui Dominus, sibi tantùm uni esse fidendum respondit, a quo suus esset Propheta constitutus, non ad Domum Jacobi modò, sed ad universas mundi nationes, quibus nuncianda erat salus. Addit (u), Dei Spiritum sedem in se uno constituisse, a quo gratiæ suæ unctione initiatus, ad mœstos recreandos, spe libertatis erigendos captivos, eosque, qui detinentur in carcere; ad prædicendum annum remissionis, & diem ultionis de hostibus populi Dei exigendæ mittebatur. In his tamen omnibus de se minùs, quàm de Jesu Christo loquitur Propheta; quippe qui illius, & personâ & rebus gestis toleratisque malis, figuram sustinetet.

(s) *Isaia*, L, 6.

(t) *Isaia*, XLIX.

(u) *Isaia*, LXI, 1, *&c.*

Prætereunda hic duximus ea, quæ per bellum a Sennacheribo gestum acta sunt; quæ fuerint Isaiæ in Republicâ partes; quibus minis Ezechiam terruerit: tum prodigium, quo sanitatem Ezechiæ restituit, & solis conversionem, quæ impetratæ valetudinis indicium fuit. Satis enim hæc omnia per se exploratissima sunt (x).

(x) *Vide* 4 *Reg.* XVIII, XIX, XX, *Isai.* XXXVI, XXXVII, XXXVIII, XXXIX.

Paulò post hæc omnia, ineunte Regnum post Sennacheribum Assaradone, Isaias jussu Domini, nudis pedibus & sine vestibus [superioribus credo] triennio ambulavit, documentum eâ re exhibiturus, in quas demum ærumnas deventuri essent Ægyptii, & incolæ regionis Chus, quam Vulgata reddit Æthiopiam; nos verò designare credimus partem Arabiæ ad latus Orientale Maris rubri, Ægypto inferiori finitimam. Hujus historiæ occasione intelligimus, saccum seu vestem lugubrem, consuetum fuisse Prophetæ indumentum: *Solve saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua de pedibus tuis* [y].

(y) *Isai.* XX, 1, 2, 3. Censent multi, Prophetam triduo, tantùm eo habitu incessisse. Vide Comment.

Cum principibus ita agebat Isaias, ut Principatum sentire non videretur. Achazum gravioribus verbis impietatis, & incredulitatis animi pervicaciæ redarguit [z]; Ezechiam, ob imploratam Ægyptiorum opem [a], atque inanem gloriolam in referendis thesauris suis coram Legatis Regis Babyloniæ [b]. Quantâ autem animi authoritate superbos illos viros Sobnam & Eliacinum coercuit (c)? Paucis verbis eximii viri characteres delineat Ecclesiasticus, XLVIII, 27, de ipso prodens: *Spiritu magno vidit ulti-*

(z) *Isai.* VII, 13.

(a) *Isai.* XXXI.

(b) 4 *Reg.* XX, 12, *&c. Isai.* XXXIX, 6.

(c) *Isai.* XXII, 15.

ultima, & consolatus est lugentes in Sion. Nec sanè alio consilio excitatus videtur a Deo vir tantus, nisi ut solvendæ captivitatis, adventûs Messiæ, & vocationis gentium spem afflictis mortalibus faceret.

Cæteri Prophetæ ferè omnes alio nullo argumento veritatem missionis suæ probare poterant, quàm quòd Oraculorum suorum fidem ab eventu peterent. Isaias, præter hæc, prodigia patrandi virtute, qua fulciret Oracula sua, præstabat. Ita & valetudinem a morbo prædicit Ezechiæ, simulque promissis stat fides sua; neque his contentus, prodigium altero prodigio de conversione solis, sive ejus umbræ cumulat. Nec sanè poterat aliter cum viro agi, quàm ut sua Oracula, ab eventu, post plura demum sæcula expectando, pendentia, prodigiorum argumento stabiliret. Qui enim, eâ vi destitutus, auditoribus veritatem vaticiniorum, quæ ipsi minimè visuri essent impleta, persuasisset; uti Redemptorem e Virgine oriturum, Babylonicam Captivitatem, ex eâque regressum? &c.

Præter vaticinia sua, quæ supersunt, Librum scripsit Isaias de Gestis Oziæ [*d*]. Origenes (*e*), S. Hieronymus (*f*), S. Epiphanius [*g*] Librum quemdam commemorant inscriptum: *Ascensio Isaiæ*. Nec dissimilis tituli Librum apocryphum vulgatum scimus Venetiis, sub nomine: *Visio Isaiæ* (*h*). Commune est enim omnium sæculorum fatum, ut magnis Viris affingantur opera tantis nominibus indigna, ut Operi cæterùm spernendo authoritas concinetur. Apud Judæos quosdam author reputatur Proverbiorum, Ecclesiastæ, Cantici Canticorum, & Libri Jobi; sed Ecclesiæ authoritas nil illi tribuit, nisi quod inscriptum ejus nomine habemus, opus Propheticum.

Vir est S. Hieronymo (*i*) omnium Prophetarum tum ingenio, cùm eloquii puritate præstantissimus. *Quid loquar*, addit ille, *de Physicâ, Ethicâ, & Theologiâ? quidquid sacrarum est Scripturarum, quidquid potest humana lingua proferre, & mortalium sensus accipere, hoc volumine continetur*. Nobilissimo huic de Isaiæ eloquentiâ judicio, gemini accedunt doctissimi quique nostræ ætatis Critici. Grotius (*k*) ita de illo: *Huic ego Græcorum Demosthenem comparo. Puritas Hebraismi in Isaia, Atticismi in Demosthene. Magnificus dicendi character, frequentia schemata, & maximè* [illegible] *illa, rebus indignis, asperis, invidiosis vim addens. Sed Isaiam etiam natalium dignitas, & regia affinitas ornabant*. Quadrant in eum virum, quæ de Messalâ Corvino Quintilianus [*l*]: *Nitidus & candidus, & quodammodo præ se ferens in dicendo nobilitatem suam*. Sanctius [*m*] deprehendisse sibi videtur in Isaia stilum ornatiorem, nitidioremque, cæteroqui autem majori pollentem gravitate & authoritate, quàm in alio unquam, qui nostrâ ætate supersit, Historico, Poëtâ & Oratore. Nunquam alibi invenies plus varietatis & nobilitatis, atque paris argumento dignitatis. Denique is est in omni sermonis genere, qualis aut Græcus, aut Latinus nemo.

Versio Græca Isaiæ in nostris Bibliis plurimùm discrepat ab Hebræo. Quæ vertendi libertas undenam Interpreti permitteretur, incertum. Frustra autem essemus, si omnes inter hæc duo Exemplaria variantes recensere niteremur, cùm nimis longè a nostro argumento abducti, Lectorem detineremus nimis distractum a serie expositionis literalis & historicæ, unicè a nobis propositâ. Vide, si lubet, eâ de re Leonem a Castro.

(d) 2 *Par.* XIV, 22.
(e) *Origen. in Matth.* XXII, & *Epist. ad Afric.*
(f) *In Isa.* LXIII.
(g) *Hæresi* 40, & 67.
(h) *Vide Sixt. Senens. Bibl. Sacr. in Isai.*
(i) *Præfat. in Isa.*
(k) *Grot. in* 4 *Reg.* XIX, 2.
(l) *Lib.* 10, *cap.* 1.
(m) *Prolegom. in Isa.*



TA-

TABULA CHRONOLOGICA

Vaticiniorum Isaiæ.

Anno Mundi

3246 Osias Rex Juda moritur. Joathan Osiæ filius loco patris solus regnat.

Isaias Propheticum munus exercere incipit. Deum solio insidentem videt, &c. *Isa.* vi, 1, &c. Quinque priora Isaiæ capita ad hunc annum, vel fortasse ad finem Regni Osiæ pertinent.

3252 Ezechias filius Achaz nascitur.

3256 Roma conditur.

3257 Ninive, tribus annis ab Arbace & Belesi obsessa, capitur. Arbaces Medos in libertatem asserit. Belesis, aliter Baladan, Babylonicum Imperium condit. Sardanapalus in urbe Ninive sese rogo injicit. Ninus junior in eâ Urbe relinquitur, cum Regis Assyriorum dignitate; eoque regnante, Assyriorum Imperium denuo constituitur.

3262 Initium Regni Achaz, mortuo Joathano. Vaticinia Isaiæ, quæ Capitibus vii, viii, ix, x, xi, xii continentur, ad hoc tempus pertinent; spectantque ad Bellum, quo Rasin Syriæ Rex, & Phacee Rex Israëlis Regnum Juda lacessiverunt.

Isaias Regem Achaz metu liberat, ac pollicetur fore, ut ab hostibus non superetur, duosque vel tres post annos prorsùs in libertatem asseratur. Emmanuelis ortum, promissionis suæ pignus, Regi pollicetur. *Isa.* vii. Alterum Divinæ opis pignus Regi exhibet, filio suo nomen tribuens, *Festina prædari*. *Isa.* viii.

Phacee & Rasin inani operâ Jerosolymam obsident. *Isa.* vii, 1, 7; 4 *Reg.* xvi, 5.

3263 Cùm Achaz in scelere perseveret, committit Deus, ut Phacee & Rasin diverso tempore iterum illi bellum inferant, ingentemque captivorum numerum abducant. 2 *Par.* xxviii, 5.

3264 Idumæi & Philisthini pluribus præliis Regem Achaz superant. 2 *Par.* xxviii, 17, 18.

Opem a Teglathphalassaro postulat Achaz. Is cum exercitu veniens, Damascum capit, & Phacee Regem Israëlis necat. 4 *Reg.* xvi, 8, 9.

3265 Teglathphalassar tributum Regi Achaz imperat: quamobrem detrimento potiùs, quàm utilitati fuit. 2 *Par.* xxviii, 20, 21; *Isa.* vii, 20.

3277 Achaz Ezechiam filium Regni socium creat. 4 *Reg.* xviii, 1, 2.

3278 Achaz Rex Juda moritur.

Isaias mala gravissima prædicit Philisthinis, Moabitis, Babyloni, Damasco, Samariæ, &c. *Isa.* xiv, xv, xvi, xvii, xviii, xix.

3278 Ezechias Templi fores ab Achaz clausas aperit. 2 *Paral.* xxvi, 24.

Pascha secundo mense celebratur, cùm non potuerit primo; & consueta in Templo Sacrificia fieri incipiunt.

3280 Moabitarum, & finitimæ Regiones a Salmanasaro vastantur, uti triennio ante Isaias prædixerat, *Isa.* xiv, &c.

3283 Salmanasar post triennii obsidionem Samariam capit, & decem Tribuum reliquias trans Euphratem ducit. Is Regni Israëlitici finis fuit.

Mardocempadus Regnum init Babylone. Idem est ac *Merodac-Baladan* apud Isaiam, xxxix, 1.

3287 Salmanasar Assyriorum Rex in Phœniciam adversùs Tyrios arma movet, opem laturus Cithæis, scilicet Cypriis seu Philisthinis.

3289 Isaiæ vaticinia in Jerosolymam & Sennacheribum. *Cap.* xxix . . . xxxiv.

3291 Sennacherib Salmanasaro succedens, bello Ezechiam petit. *Isa.* xxxvi, 1; 4 *Reg.* xviii.

3292 Ezechias lethali morbo oppressus, sanatur. Sol retro convertitur. Merodac-Baladan legatos ad Ezechiam mittit. *Isa.* xxxviii, xxxix. Hæc quarto & decimo Ezechiæ anno contigerunt: idque ita demonstramus. Ezechias novem & viginti annis regno potitus est. 4 *Reg.* xviii, 2; 2 *Par.* xxix, 1. Quatuor autem & decem annis regnaverat, cùm arma Sennacherib in illum movit. 4 *Reg.* xviii, 13; *Isa.* xxxvi, 1. E morbo restitutus, quindecim annis regnum produxit. 4 *Reg.* xx, 6; *Isa.* xxxviii, 5. Quibus simul junctis, novem & viginti anni constituuntur.

Sennacherib in Ægyptum proficiscitur, ibique triennio bellum gerit.

Michææ vaticinia in Jerosolymam, Ezechiæ pœnitentiâ aversa. *Jerem.* xxvi, 18.

3294 Sennacherib, armis iterum in Ezechiam motis, plures urbes capit; cùmque in Tharacam Æthiopum, seu Chus Regem, opem Ezechiæ ferentem, proficisci cogeretur, clxxxv millia hominum ex illius exercitu ab Angelo Domini unicâ nocte interficiuntur. *Isa.* xxxvii.

3295 Assaradon Sennacheribo succedit. Tharthanum cum exercitu in Azotbum mittit. *Isa.* xx.

3296 Prædicuntur bella adversùs Ægyptum, Babylonem, Arabiam, Tyrum, &c. *Isa.* xiii, xiv, xv, xvi, xvii.

Isaias nudis pedibus incedit, consuetâque veste non utitur per triennium, ut triennalem Ægypti, & regionis Chus captivitatem significet. *Isa.* xx.

Bellum Assaradonis, vel ipsius Præfectorum per triennium in Ægyptum, & Arabum regiones, Ægypto finitimas. *Isa.* xx.

3297 & seqq. Prædicitur captivitas Judæorum Babylone, & captivitatis exitus, Regnum Cyri, Hierosolymæ restitutio, &c. a Capite Isaiæ xlix usque ad libri finem.

3306 Moritur Ezechias, post novem & viginti Regni annos. Manasses filius patri succedit. Malum agit coram Domino, & Numinum cultum restituit. 4 *Reg.* xxi; & 2 *Par.* xxxiii. Isaiam serræ supplicio necat. *Isai. Anabatic. Apocryph. apud Origen. in Matth.* xxiii.

CON-

CONSPECTUS
HISTORIÆ PROFANÆ ORIENTALIS
a Salomone ad Captivitatem Babylonicam, ad illustrandam historiam Hebraicam in Prophetis expressam.

PRophetarum studium arduum efficit maximè imperitia, qua laboramus, historiæ earum gentium, quibuscum Hebræis commercium fuit, & illæ, quibus obruimur, tenebræ de nominibus, temporibus rebusque gestis, quæ in Scriptis Propheticis leguntur. Toto eo spatio, quod ab Abrahamo ad Davidem usque excurrit, omnia plana sunt in historiâ Hebræorum, quippe quæ res gestas unius gentis contineat, nullo adhuc commercio cum cæteris per orbem nationibus junctæ. Nihil hic operæ locandum est in conciliandâ historiâ sacrâ cum Profanâ, quæ sanè tam remotâ antiquitate non gloriatur. Frustra quis apud Græcos & Romanos historias quærat expeditionis Amraphelis Regis Sennaar, & Arioch Regis Ellasar, Codorla-homor Regis Elam, Thadal Regis Gentium, susceptæ in Reges Sodomæ & Gomorrhæ, aliosque Pentapoleos Principes fœderatos. Nec eruditior efficieris, si apud illos scruteris Imperium, & Monarchiam Nemrod, cæterorumque post ipsum, & subactam ab Hebræis Chanaanitidem, & regionem Amorrhæorum, quorum Reges magno sanè numero ii trucidarunt.

Occurrit apud Judices *Chusan Rasathaim* Rex Mesopotamiæ, de quo ne vestigium quidem apud Veteres. Nec sanè magis nota sunt apud illos Regna Idumææ, Philisthæorum, Amalecitarum, Madianitarum, Moabitarum & Ammonitarum. Quamvis autem ignota essent apud illos, Regna tamen erant florentissima, negociorum commercio cum Hebræis juncta. Sed, dicam iterum, eo Profanorum silentio factum est, ut studium veteris Historiæ difficultatibus expeditum multò sit pronius; quare totum negotium ad recentiorem ætatem reducitur.

David & Salomon Reges, quà rerum gestarum gloriâ, quà Regni amplitudine florentissimi, in historiâ tamen externâ vix agnoscuntur. In historiâ quatuor summorum Imperiorum, nempe Assyriorum, Medorum, Persarum, & Chaldæorum, nullus illis locus, quamquam alioqui & amplitudine & potentiâ debitus, assignatur. Davide rerum potiente, Syriam dimidiato imperio tenebant Adarezer Rex Damasci, & Thou Rex Emath, quorum primum vectigalem Hebræis, alterum fœderatum ipse sibi David adjunxit [a]. Neque hoc tantùm; sed prorogatis ultra Euphratem Regni finibus [b], Ægyptum & Phœniciam, amicos sibi populos, potentiam suam vereri coëgit, cæterasque finitimas gentes suo adjecit Imperio. Paternæ ditionis fines Salomon non servavit modò, sed multùm etiam victoriis provexit [c]. Quid tunc erat vastum illud Assyriorum Imperium, adeò ab amplitudine & potentiâ celebratum? Amraphel Rex Sennaar, sive Babylonis, Arioch Rex Ellasar, Codorla-homor Rex Elamitarum [d], & Chusan-Rasathaim Rex Mesopotamiæ [e] amplissimi hujus Imperii duces ne an partes erant? Toto eo a Nemrodo usque ad Manahem Regem Israëlis intervallo [f], ex Assyriæ Regibus ne unius quidem nomen legitur in Scripturâ. Noti deinde sunt Teglathphalassar, Salmanasar, Sennacherib, & Assaradon; & Merodach-Baladan Rex Babylonis sub Ezechia [g]. Successit Nabuchodonosor, in Libris Sacris & Profanis notissimus. Post Nabuchodonosorem, ordine regnarunt Evilmerodach, Balthasar, Darius Medus, Cyrus, & Persæ. Ita planè schema florentissimorum Imperiorum in S. Scripturâ exhibetur.

Quod ad Ægyptios attinet, quamquam remotissimam sine controversiâ vindicant Imperii sui antiquitatem, prima tamen ejus crepundia tenebris adeò sunt obvoluta, ut discerni nequeant. Impunè omnibus in eorum Dynastias inferre manum, suæque eas voluntati obsequentes reddere licet. Sesac, omnium Regum Ægyptiorum primus, arma in Judæam intulit, susceptâ in Roboamum filium Salomonis expeditione [h]. Longo post tempore, Pharao Nechao bello Josiam fregit [i]; tandem *Hophre*, idem qui apud Profanos *Apries*, adversùs arma Nabuchodonosoris Jerosolymæ suppetias laturus veniens, prælio victus recessit [k]. Nihil ulteriùs in Historiâ Sacrâ de florentissimo illo Regno; quæ sanè minora sunt, quàm satis adminiculi explicandis Prophetis ex eâ suppetere nobis censeamus. Quare alibi quærenda sunt ea, quæ in obscuro versantur, ut per rectum veritatis tramitem tutiùs deducant.

(a) 2 *Reg.* VIII, 5, 9, *&c.*
(b) 2 *Reg.* VIII, 3; & 3 *Reg.* X, 16; *Ps.* LIX, 2.
(c) 3 *Reg.* IV, 24; IX, 17, *&c.*
(d) *Genes.* XIV.
(e) *Judic.* III, 8.
(f) 4 *Reg.* XV, 19.
(g) 4 *Reg.* XX, 12, 12.
(h) 3 *Reg.* XIV, 25.
(i) 4 *Reg.* XXIII, 29.
(k) *Jer.* XLIV, 30.

Post bipartitam Hebræorum Monarchiam, quam primus David constituens & regens, integram deinde Salomoni filio tradidit, de florentis illius Imperii gloriâ plurimum detractum est. Stetit tamen aliquandiù, donec semper in deterius prolabens, armis tandem Regum Assyriorum & Babylonis cedere coacta est. Duo florentissima Imperia, Ægyptium & Syriacum, diutiùs inter se de regionis illius possessione disceptarunt. Reges Damasci nunquam ab affligendis vexandisque Regibus Israëlis & Juda cessarunt; quibus cùm se impares noscerent Hebræi, arma Regum trans Euphratem appellarunt. Consilium illud utrisque perniciosum cessit, Syris nempe & Hebræis; illi enim victi in dominium victoris concesserunt; Hebræi verò armis eorum Regum liberati, ipsos libertatis assertores graviores hostibus in se experti, dominatores pati coacti sunt. Ii enim post oppressam immodicis vectigalibus gentem, illorum libertatem servitute commutarunt, coactosque loco cedere, trans Euphratem identidem transtulerunt.

Ditionem Judaicam Ægyptii primùm sub Roboamo ingressi sunt, ingentique ac ditissimâ prædâ onusti, victores deinde in suam regionem sese receperunt. Venerunt iterum sub Josia, cùm scilicet Nechao exercitum ad Euphratem ducens, transitum à Josia Rege Juda postulavit; prohibitusque, arma in Judæos intulit eâ fortunâ, ut ipsum Regem Josiam commisso prælio necaverit [l]. Hujus victoriæ jure subjectam sibi Judæam omnem possidere Ægyptius voluit: quamobrem Joachazum, rerum se inscio potitum, veniens Regno amovit, secumque in Ægyptum abduxit (m). Ejus loco suprema potestas in Joakimum ab Ægyptio collata est, oneratâ priùs regione tributo centum talentorum argenti, adjecto auri talento. Nec tamen diutiùs Ægyptii Judæam tenuerunt; namque Nabuchodonosor Rex Babylonis, armis in eam Regionem ingressus, totam subjecit, ampliori Ægyptiorum ditione ad angustiores terminos redactâ [n]. Tentarunt deinde Ægyptii præscriptos sibi a victore fines prætererire, junctisque armis cum Regibus Juda, in Babylonios moverunt: sed frustra illi; quin & graviora in se Babyloniorum arma experti, colla submittere Ægyptii, Judæi verò Regni sedem Jerosolymam tradere, atque e patrio solo migrantes, trans Euphratem secedere coacti sunt.

(l) 4 Reg. xxiii.

(m) 4 Reg. xxiii, 30, 31.

(n) 4 Reg. xxiv, 6, 7.

Ita inter se de imperio Palæstinæ potentissimis illis Regibus certantibus, mutuas simultates Reges Israëlis & Juda exercebant; confligebant etiam aliquando ii Reges cum Philisthæis, Idumæis, Ammonitis, & Moabitis. Quibus crebris levibusque velitationibus vires utriusque partis etiam atque etiam affligebantur, ut faciliorem moventibus in eam regionem externis victoriam tandem præbuerint. Sed eâ de re integram dabimus dissertationem ante duodecim Minores Prophetas.

Hæc de universâ Hebræorum historiâ attingere visum est, ut sub unum veluti conspectum exhiberetur rerum series a Davide usque ad captivitatem Babylonicam, atque ostenderetur quæ fuerit hujus generis cum aliis Regnis affinitas. Sed fusiùs singula prosequamur oportet; quamobrem post recitatam profanorum Authorum historiam, simul jungemus ea, quæ apud sacros Authores & Prophetas leguntur. Plura namque apud hosce postremos succurrunt, frustra alibi quærenda, quippe qui non intra Judaicæ ditionis fines tantummodò Prophetam egerint, sed aliarum etiam gentium futuros eventus prævidentes, illos prædixerint. Id maximè spectatur in Jeremia, ob multiplicem Oraculorum ad gentes spectantium varietatem, Prophetâ gentium jure meritoque nuncupato.

§ I.

Imperium Assyriorum.

Constitutum a Nino filio Beli Assyriorum Imperium in Asiâ superiore floruit [o] spatio DXX annorum. Ninus Regnum habuit, juxta nonnullos (p), LII annos, sive juxta alios, XVII tantummodo (q); quo temporis intervallo prorogata sunt eo authore pomeria, atque magnificentiùs ornata urbs Ninive, diu ante operâ Nemrodi (r) constructa. Usserius componit Nini exordia cum A. M. 2737, sub Judicibus Deborâ & Baraco.

Vacuum obitu Nini Regnum Semiramis ejus uxor adiens, XLII annis tenuit, fœmina aucto Imperio Assyriorum, quod florentissimum Niniæ filio reliquit, illustris. Hujus celeberrimi Imperii Nini & Semiramidis, cæterorumque post ipsos, ne verbum quidem in Sacrâ Scripturâ, nisi cùm sub Prophetâ Jonâ Regem quemdam Assyriæ, sed suppresso nomine, memorat [s]. Porrò ibi Urbs Ninive exhibetur amplitudine florentissima, cui nihil deerat ad delicias & voluptates. Accidit tamen, ut Jonâ ad pœnitentiam criminum voluptuosum populum revocante, Rex insignibus dignitatis suæ depositis, & sacco indutus, sua & cæterorum scelera cineri insidens lugeret, in-

(o) Herodot. lib. 1, cap. 95.

(p) Jul. Afric. & Euseb.

(q) Diod. lib. 2; Dionys. Halycar. hist. Rom. initio.

(r) Genes. x, 9, 10.

(s) Jonæ, 1, 3. Florebat Jonas sub Regibus Ozia Rege Juda, & Jeroboamo II, Rege Israëlis, circa A. M. 3180.

dicto

dicto omnibus jejunio tam hominibus quàm jumentis. Principis exemplum cæteris sequentibus, Deus tot lacrymis flexus, imminenti in ipsos flagello abstinuit. Legitur etiam alter Rex Ninives, nomine *Phul*, sub Manahem Rege Israëlis, L circiter annis post Jonam. Is igitur ditionem Israëliticam ingressus (*t*), a Manahem, collatis mille talentis argenti, invitatus est, ut suis partibus faveret. Ad illum spectant verba Osee, v, 13: *Et vidit Ephraim languorem suum; & abiit ad Assur, & misit ad Regem ultorem*. Suspicantur nonnulli, *Phul* sive patrem *Sardanapali*, sive ipsum esse Sardanapalum, veteribus Scriptoribus notissimum. Fatemur quidem, patrem Sardanapali *Anacindaxarem* sive *Anabaxarem* appellari (*u*): sed non unum fuisse ejus gentis vetustissimis Regibus nomen, simulque externa vitorum nomina miserè a Græcis corrupta esse constat.

Auctis in immensum Ninivitarum criminibus sub Sardanapalo, Deus ejusdem gentis adversarios in illos armavit. Arbaces Mediæ Præfectus [*x*], indignè ferens Sardanapalum in intimo ædium recessu voluptatibus tabescentem, fœdere inito cum Belesi Præfecto Babyloniæ, ambo excutiendi fœdissimi jugi consilium susceperunt. Quamobrem ingenti comparato exercitu, Niniven arctâ obsidione prementes, in eas angustias miserum Principem adegerunt, ut uno eodemque loco divitias omnes, Regium Palatium, ac se denique concremarit (*y*). Diviso igitur inter Arbacem & Belesim Imperio, illi cessit Media, quam liberam pronunciavit, huic Babylon, ubi XIV annis regnavit. Niniven permiserunt Nino Juniori, veterum Assyriæ Regum hæredi, qui priscæ Monarchiæ gloriam non indignè sustinuit. Ita factum est, ut e reliquiis veteris Monarchiæ Assyriorum tria formarentur Imperia, nempe Ninives, Babylonis, & Medorum. De singulis impræsentiarum agendum est, ut unumquodque aliquam retum cum Judæis societatem habuerunt.

Belesis, apud Isaiam (*z*) Baladan, apud Profanos Nabonassar [*a*], constituto in Babyloniâ Imperio, sedem Regni habuit Babylonem, urbem diu antea ab Assyriis constructam (*b*). Merodach Baladan, filius sive nepos Belesis, consuetudine junctus fuisse videtur cum Ezechia Rege Juda, quocum obtentam prodigio valetudinem gratulatum Legatos misit (*c*). De cæteris Babyloniæ Regibus, usque ad Assaradonem, ne verbum quidem in S. Scripturâ.

Ninus junior, qui labentem Assyriæ & Ninives Monarchiam sustinere permissus est, in Scripturâ appellatur Teglathphalassar (*d*). Imperium habuisse videtur toto Oriente celebratissimum, cùm Achaz Rex Juda, suppetias imploraturus adversùs Rasin Regem Damasci, & Phacee Regem Juda, eum Regem adierit. Venit illicò, adductoque ipse per se in Damascum exercitu, urbem delevit, Regem occidit, incolasque omnes ultra Euphratem deduxit, ac tandem Regni Damasceni seu Syriaci nomen ipsum extinxit. Versis deinde armis in ditionem Phacee Regis Israëlis, prælio victum, parte subjectarum Tribuum, deductâ trans Euphratem, privavit. Jure deinde victoriæ versus in Achaz, quo vocante arma in finitimos Judææ Reges intulerat, ut armis ab ipso parceret, concessâ Sacri Ærarii prædâ impetratum est. Vectigalis igitur Achaz Assyriis mansit; id quod ansam dedit subinde Assyriis, ut in Judæam deinde venientes, paulatim priùs & per partes, demum universam everterent.

Salmanasar rerum potitus post Teglathphalassarum, in Syriam veniens A. M. 3280, Moabitidem desolavit, juxta vaticinium triennio ante ab Isaia (*e*) prolatum. Secundùm hæc, Samariam obsidens, triennii patientiâ tandem expugnavit; eàque obtentâ, reliquas Tribus trans Euphratem traduxit [*f*]. Is exitus Regni Israëlis fuit anno 3283. Ne eodem fato Ezechias Rex Juda obvolveretur, singulari Dei providentiâ factum est; quamquam non ita ejus injurias evasit, quin vectigalis Salmanasaro, quemadmodum Achaz Theglathphalassaro, fuerit. Ita redux Salmanasar, victorem exercitum Niniven reduxit.

Sed vix depositis armis, novam iterum expeditionem in Palæstinam suscepit, ad ferendas suppetias populis Gitthæis, quos Elulæus Rex Tyri invaserat (*g*). Porrò Gitthæos ipsos esse Cyprios, Scaliger arbitratur; vel Philisthæi sunt, & maximè Gethæi, uti Usserio magis probatur, ad annum 3287. Domuit pariter Phœnicios: rebusque compositis, Niniven tandem rediit.

Paulò pòst, plurimis maritimis Urbibus, excussâ Tyriorum dominatione, ad Assyrios descisentibus, ut novos subditos Salmanasar tueretur, acceptâ ab illis classe LX sive LXX navium, instructâ DCCC nautis Phœniciis, cum Tyriis, XII naves ducentibus, prælium iniit; a quibus victus dissipatusque, in potestate hostium quingentos suorum captivos reliquit. Quare temperavit quidem a suscipiendâ Tyri obsidione, sed dispositis ad fontes militibus, aquâ prohibere cives conatus est. Fefellerunt Regis conatus Tyrii, effossis in ipsâ urbe puteis. Hujus temporis sunt infausta illa Isaiæ in Tyrios vaticinia, capite XXIII recitata. Ita verò turbatâ regione, Ezechias opportunum sibi duxit, ut arma in Philisthæos inferret [*h*].

(*t*) 4 *Reg.* XV, 19; & 1 *Par.* V, 26.
(*u*) *Athen. lib.* 12, *cap.* 7.
(*x*) *Vide Athenæum ibidem.*
(*y*) *Vide Ctesiam, & Usser. ad A. M.* 3254.
(*z*) *Isa.* XXXIX, 1; 4 *Reg.* XX, 12.
(*a*) *Hipparch. Ptolem. Censorin.*
(*b*) *Isai.* XXIII, 13.
(*c*) 4 *Reg.* XX, 12.
(*d*) 4 *Reg.* XV, 29; & XVI, 7, 10, &c. & 1 *Par.* X, 6; & 2 *Par.* XXVIII, 20.
(*e*) *Isai.* XVI, 1.
(*f*) 4 *Reg.* XVII, 3; XVIII, 91.
(*g*) *Vide Menand. apud Joseph. Antiq. lib.* 9.
(*h*) De hoc bello vide 4 *Reg.* XVIII, 8; & *Joseph. Antiqu. lib.* 9, *cap. penult.*

Sennacherib, rerum post Salmanasarum potitus, bellum in Asiam universam, & Ægyptum intulit (*i*); quo ita occupato, uti facile credimus, Ezechias excutiendi jugum Assyriorum, ac denegandi Sennacheribo vectigalia occasionem cepit. Ut autem Assyriorum arma facilius sustineret, fœdus inivisse illum in communem hostem cum Regibus Ægypti & Chus, docet Scriptura (*k*). Venit igitur in Judæam Sennacherib; occupatisque præcipuis ejus regionis Urbibus (*l*), & facile in itinere Damasco subactâ (*m*), ab obsidione quidem Jerosolymæ temperandum duxit, ratus malum ex ipsâ radice evellendum. Quare omnem Ezechiæ sperandi ansam præcisurus, redigendis in ordinem Ægyptiis arma convertit. Id bellum triennio occupavit Assyrios, juxta Berosum (*n*); quo temporis intervallo Ezechias muniendæ Urbi, ut diuturnæ obsidioni par esset, nihil reliquum fecit (*o*). Post triennium Sennacherib, ducto ex Ægypto in Judæam exercitu, meridionalis oræ Urbes obsidione vallavit; quarum aliquas cepit. Metuens igitur Ezechias, ne quid sibi deterius contingeret, statuit pretio soluto periculum redimere. Numeravit proinde Regi ccc talenta argenti, & xxx auri (*p*); sed neque ingenti pecuniâ ille contentus, quamvis non majorem summam ipse postulasset, misso Rabsace, Regem ad sui & urbis deditionem sollicitavit. Sed Isaias territum nimis Assyrii legati Ezechiam confirmatum, adjectâ promissione liberandæ mox periculo Urbis, atque evacuandæ hostibus regionis, re negatâ remittere Rabsacem jussit (*q*). Oraculo sua fides stetit; nam occurrentem Sennacheribum Tharacæ Regi Chus, suppetias Ezechiæ ferenti, Angelus Domini noctis silentio exercitu exuit, CLXXXV millibus Assyriorum trucidatis (*r*). Eâ clade affectus Sennacherib, actutum Babylonem sese recepit, ubi ipso suorum filiorum gladio interemptus est, LV diebus postquam Niniven revertit (*s*).

Primo ejus belli anno, Ezechias lethali morbo correptus, nuncium futuræ mortis ab Isaia non sine lacrymis accepit. Ejus tamen dolore permotus Deus, Prophetæ verbis renunciari ægro jussit, se quindecim annorum spatio illius vitam prorogasse; cujus vaticinii pignus acciperet in prodigio umbræ solis septem lineis recedentis (*t*). Ejus prodigii fama Babylonem usque delata Regem Merodach-Baladan excitavit, ut missis Jerosolymam Legatis gratulatum veniret Ezechiæ impetratam valetudinem, simulque veritatem vulgati jam prodigii quæsitum (*u*). Eâ legatione Rex plus nimio elatus, Legatos accepit honorificè, nimiâque ambitione thesauros Regiæ domûs omnes coram illis expandit. Rem graviter tulisse Deum, Isaias Regi significavit, simul nuncians futurum, ut divitiæ ipsius omnes in potestatem Babyloniorum venirent (*x*).

Occiso igitur per parricidium Sennacheribo, fœdati paterno sanguine filii, Regno caruerunt, coacti salutem in montibus Armeniæ fugâ quærere. Regno potitus Assaradon, ex ejus filiis unus (*y*), *Saragon*, vel *Sargon* appellatus (*z*), Regnum ad xxix annos prorogatum illustravit expeditione in Philisthæos, atque operâ Tarthani, copiarum suarum Imperatoris, captâ Azotho urbe illarum gentium non infimâ (*a*), movit etiam in Ægyptios, regionem Chus (*b*), & Idumæam (*c*), illaram ab illis injuriam in Sennacheribum patrem vindicaturus. Tandem, captâ Jerosolymâ, ejus Regem Manassem captivum duxit Babylonem (*d*), quamquam hujus expeditionis tempus multo serius, quam illarum, contigisse nandum est. Imperium Babylonicum, antea distractum, deficientibus ex Belesi hæredibus (*), sibi non sine armis vindicavit, quemadmodum ex Isaia xxiii, 13, constat. Missos etiam scimus ab eodem Rege Sacerdotes Domini ad docendos Cuthæos, quorum coloniam Salmanasar in Samaritidem duxerat (*e*). Manasses a captivitate Babylonicâ eodem, quo abductus est, anno redux, Jerosolymam venit (*f*).

Saosduchin post Assaradonem Regno suffectus, xx annis, juxta Ptolemæum, rebus præfuit. Idem creditur, qui apud Juditham, 1, Nabuchodonosor appellatus est; idemque, qui superato Arphaxado Rege Medorum, nempe Dejoce, juxta Herodotum (*g*), universi Orbis Imperii sibi vindicandi consilium agitavit. Misso ad eam rem Holoferne cum validissimo exercitu in Syriam & Palæstinam, cùm eas provincias brevi subactum iri putaret, consilio frustratus est. Nam obsidens Bethuliam Holofernes neci traditus est, atque dissipatus fugatusque exercitus, ut in Libro Judith, non sine difficultatibus tamen alibi in examen revocandis, narratur (*h*).

Chinaladan, alio nomine Sarac, duo simul Imperia, Assyrium, & Babylonicum, post Saosduchinum habuit, cui nihil fuit, quantum scimus, cum Judæis negotii; sed bellum in Nabopolassarum Satrapam Babyloniæ, & Astyagem filium Cyaxaris Regis Medorum gessit (*i*). Appellantur duo hi principes in Scripturâ (*k*), *Nabuchodonosor*, & *Assuerus*. Mutuo fœdere conjungebantur ob nuptias initas inter Amyir filiam Astyagis, & Nabuchodonosorem filium Nabopolassari. Horum igitur copiis arctâ obsidione conclusus in urbe Ninive Chinaladan, tandem & Imperium & Urbem dedere coactus est. Ita bipartitum est iterum Imperium, cum Nabopolassar Ninive & Babylone, Cyaxares in Mediâ finitimisque provinciis regnaverint.

§ II.

(i) *Berosus apud Joseph. Antiq. lib.* 10, *cap.* 1.
(k) *Isa.* xxx, 1, *&c.* lvii, 9, 13; 4 *Reg.* xix, 9; xviii, 24.
(l) *Isa.* x, 28, 29; 4 *Reg.* xviii, 13.
(m) *Vide Comment. in Isa.* xvii, 1.
(n) *Apud Joseph. Antiq. lib.* 10, *cap.* 1.
(o) 2 *Par.* xxxii, 2.
(p) 4 *Reg.* xviii, 14.
(q) 4 *Reg.* xix, 21, *&c.*
(r) 4 *Reg.* xix, 35.
(s) *Tob.* 1, 23, 24, *in Græco.*
(t) *Vide* 4 *Reg.* xviii, xix, xx; *Isa.* xxxvi, xxxvii.
(u) 4 *Reg.* xx, 12; *&* 2 *Par.* xxxii, 31.
(x) *Isa.* xxxviii, xxxix; *&* 4 *Reg.* xx, 12.
(y) *Isa.* xxxvii, 36, *&c.*
(z) *Isa.* xx, 1.
(a) *Isai.* xx, 1.
(b) *Isai.* xx.
(c) *Isai.* xxxiv.
(d) 2 *Par.* xxxiii, 11.
(*) *Usser. ad an.* 3323, *ex Canon. Reg. Ptolem.*
(e) 1 *Esdr.* iv, 2, 10.
(f) *Usser. ad. A.* 3327
(g) *Lib.* 1, *cap.* 101, 102.
(h) *Vide Proleg. in Judith.*
(i) *Alexan. Polyhist. apud Syncel. Vide Usser. ad A. M.* 3378.
(k) *Tob. ult. Dan.* xi, 1.

§. II.

Imperium Chaldaorum.

NAbopolassar Nabuchodonosorem filium, ad Regni societatem adscitum, in Syriam & Palæstinam misit; cujus armis in transitu præsidium Carchemisiæ urbis ad Euphratem, a Nechao Rege Ægypti relictum, deletum est (*l*). Producto deinde in Judæam itinere, captus Joakim filius Josiæ Regis Juda (*m*), non prius dimissus est, quàm regio vectigalis fieret (*n*). Triennio victoris legem Joachimus sustinuit. Deinde ratus Regem expeditione in Ægyptios & Assyrios mox parandâ detentum iri, impositum jugum excussit. Sub idem tempus contigit, ut immanis illa statua ex variis metallis constata Nabuchodonosori per quietem demonstraretur, cujus mystici somnii omen Daniel (*o*) explicavit.

Accitus igitur eâ occasione iterum in Judæam Nabuchodonosor, ad urbem Jerosolymam cum exercitu successit; eâque expugnatâ, perduellionis reum Joakimum occidit, & vacuo Regno *Joakin* sive *Jechoniam*, alio nomine *Ceniam*, imposuit. Mox verò præstitæ in Judæos indulgentiæ pœnitens, amotum Jechoniam Babylonem deduci, unà cum parte Optimatum & Civium ejusdem gentis, jussit. Suffectus est tamen Regno, atque Jerosolymæ relictus Sedecias, patruus Jechoniæ, Anno 3405.

Secundùm hæc, Nabuchodonosor, ne diutiùs Babylone quietus maneret, certior factus est, Phœnices, Syros, Ægyptios, Arabes, Judæos, excusso jugo, rebellasse. Quare statim Jerosolymam se conferens, expugnare urbem aggressus est. Accepto verò nuncio, auxiliares copias pro Judæis ab *Aprie* Rege Ægypti, in Scripturâ *Pharaone Hophrâ* [*p*], sive *Ephræo*, deduci, arma in illum vertit, ac prælio victor, ex vaticinio Jeremiæ mox citato, iterum prosequuturus urbis obsidionem reversus est. Biennii labore circiter randem Jerosolyma expugnata est, A. M. 3416, simulque fugâ dilapsus Sedecias, tandem captus, in urbem Reblat ad Nabuchodonosorem raptus est. Cùm miser coram Victore stetisset, coactus jugulatos ante se filios tristi spectaculo sustinere, ac randem ipse oculis orbatus atque catenis oneratus, Babylonem translatus est, ubi diem clausit extremum. Jerosolyma funditus eversa, Templum in cineres favillasque redactum, Optimates trans Euphratem deducti miserum vicissitudinis humanæ spectaculum exhibuerunt. E gente florentissimâ vilissimum vulgus sub Præside Godolia filio Ahicam in provinciâ relictum est (*q*). Sed Godolia demum proditione Ismaelis filii Nathaniæ occiso, reliqui populi pars in Ægyptum unà cum Jeremia sese recepit [*r*]. Quæ autem remanserat populi pars, nonnullis post annis a Nabuzardano Babylonem translata est (*s*).

Anno 3519, nempe triennio post captam Jerosolymam, obsidio Tyri a Nabuchodonosore suscepta est; quam Urbem post XII annorum patientiam tandem decimo tertio obsidionis anno expugnavit. Nec tamen totis illis duodecim annis aliis bellis vacavit, cùm & movisse illum in Sidonios, Ammonitas, Moabitas, Idumæos arma constet (*t*). Harum expeditionum historiam, frustra alibi quærendam, legas apud Prophetas Jeremiam, XLIII, XLIV, XLVI, Ezechielem, XXVI, XXVII, XXVIII, & apud Abdiam toto capite. Demum captâ Tyro, Nabuchodonosor arma & desolationem in universam Ægyptum intulit (*u*). *Apries*, sive Ephræus, ab adversariis interemptus [*x*], vacuum Regnum æmulo suo Amasi reliquit. Interim Nabuchodonosor, ingenti reductâ captivorum prædâ, Babylonem reversus est.

Tot igitur elatus victoriis Nabuchodonosor, ambitiosum illud cepit consilium, ut Babylonem superbissimam Universi Urbem redderet. Quare opera supra fidem ingentia molitus, ita se suspiciebat, quasi supra mortalium omnium conditionem ascendisset. Deus, ut elatos illos spiritus pondere aliquo deprimeret, somnium capienti per quietem ostendit ingentem quamdam arborem [*y*] mox succidendam. Continuò Rex emotæ mentis factus, integro septennio ad belluæ conditionem redactus est (*z*). Tandem ad sanitatem mentis revocatus, non diu pòst obiit, anno Regni XLIII, A. M. 3443.

Evilmerodach ad solium evectus, Regnum biennio, juxta Berosum, tenuit. Jechoniæ Regi Juda parcens, virum libertati restituit [*a*]. Post ejus obitum, Regnum ad Balthasarem filium devolutum est, cujus tempore Daniel quatuor Imperiorum successiones, & eventus omnes per visum spectavit (*b*). Eàdem nocte, qua vasa Templi Domini profanaverat, gravem in se Dei manum expertus, Balthasar interemptus est (*c*); assumptusque ad Regnum Darius Medus, alio nomine Astyages, avunculus Evilmerodachi (*d*). De Dario Medo nos in articulo sequenti.

Antequam verò Nabuchodonosoris successores relinquamus, operæ pretium est animadvertere, Historicos profanos neque inter se neque cum Historicis Sacris satis

in eâ

(l) *Vide Jerem.* XLVI, 2.

(m) 4 *Reg.* XXIV, 1.

(n) *A. M.* 3398. Hic statuendum exordium LXX annorum captivitatis, a Jeremia, XXV, 1, 3, 11, 12; & XXVI, 1, prædictæ. Quo simul anno Daniel cum aliis pluribus captivus Babylonem deductus est. *Daniel.* 1; *&* *Jerem.* XXV, 1.

(o) *Dan.* II, 1, ... 46.

(p) *Jerem.* XLIV, 30.

(q) *Jerem.* XL, 5.

(r) *Jerem.* XLIII, XLIV, XLVI.

(s) *Jerem.* LII, 30.

(t) *Joseph. Antiq. lib.* 10, *cap.* 11, *pag.* 345; *Ezech.* XXV.

(u) *Vide Ezech.* XXIX, XXX, XXXI.

(x) *Jerem.* XLIV, 30; *Ezech.* XXXII, 14, 20, *&c.*

(y) *Daniel.* IV, 7.

(z) *Daniel.* IV, 32, 33.

(a) *Jerem.* LII, 31.

(b) *Dan.* VII, *&* VIII.

(c) *Dan.* V, 30.

(d) *Dan.* V, 30, 31; *Isai.* XIII, 1, *&c.*

in eâ re convenite. Megasthenes (e) statuit, Evilmerodachum filium esse & successorem Magni Nabuchodonosoris, simulque interfectum narrat Nerigliſſoris sororis suæ viti proditione. Nerigliſſor post occupatum IV annis Regnum, permisit Labasloarascho; isque postremus proditione conjuratorum correptus est. Dein assensu eorumdem conjuratorum Nabonidus Babylonius, sive Nabannidoch aut Labinith, juxta Herodotum, ex ipsis unus, ad Regnum evectus est. Portò hic nullâ sanguinis affinitate conjunctus erat cum Laborosoarchodo sive Labassoarascho. Cyrus Nabonidum bello victum cùm in potestatem suam redegisset, humanissimè habitum, in Caramaniam relegavit. Eadem, sed fusiùs, narrat Berosus (f). Interfecto, ait ille, merito scelerum & libidinum post duos Regni annos Evilmerodacho, successore Nabuchodonosoris, proditor ejus, & sororis vir, Nerigliſſor Regnum quadriennio occupavit. Huic jure hæreditario filius successit puer adhuc Laborosoardochus, in quo sævæ & perniciosæ indolis apparentibus indiciis, conjuratione factâ, post novem menses Regni sublatus est. Regnum deinde ad Nabonidum, a genere Regio alienum, delatum est; quocum, anno Regni ipsius XVII, Cyrus Rex Persidis confligens, secundo bello superior, ac victo Rege cum reliquis copiis Borsippum confugiente, Babylonem sibi jure victoriæ adjecit. Cyrus eâ potitus, statim exterioribus mœnibus, ne quid validioribus munitionibus confidens moliretur, dejectis, rectâ Borsippum cum exercitu contendit. Nabonidus sustinendæ obsidioni imparem se ratus, victoris Cyri manibus se committens, misericordiam imploravit. Nec frustra; cùm ab illo habitus humanitet, Caramaniam reliquæ vitæ sedem obtinuit.

(e) *Apud Euseb. Præpar. lib. 9, cap. 41.*

(f) *Apud Joseph. cont. Appion. lib. 1, pag. 1045.*

Omnia hæc nomina & tempora conciliati cum Historiâ Sacrâ & Historicis de rebus Cyri agentibus, vix ac ne vix quidem possunt. Nec planè mirandum est, si tanta hodie varietas apud Historicos de rebus gestis ejusdem Principis appareat, cùm jam inde ab ætate Herodoti [g], qui sanè vetustissimus est ejusdem argumenti Historicus, ejusdem Regis gesta triplici ratione narrarentur. In tantâ sententiarum varietate ipse se, quod probabilissimum videbatur, elegisse professus est; sed numquid proinde veritatem tenuit? An illo posteriores ætate Megasthenes, & Berosus meliora prodiderunt? Omnia nos, quæ apud Authores veteres leguntur, afferemus in medium; conabimur deinde singula suo ordine digerere, atque certos quosdam historiæ articulos eligere, omnibus assertos, neque Systemati Historico Scripturæ repugnantes. Sed altiùs historiæ exordium repetendum est.

(g) *Herodot. lib. 1, cap. 95.* Ἐπιστάμενος περὶ Κύρου, καὶ τριφασίας ἄλλας λόγων ὁδοὺς ἴεναι.

§ III.

Imperium Medorum.

MEdi usque ad Sardanapalum Syriæ Principibus subjecti, post defectionem Arbacis, atque coactum ab illo vitam sibi Sardanapalum adimere, in libertatem, eodem agente Arbace, restituti sunt [h]. Primus Author constitutæ Medorum Monarchiæ, CCCL annorum spatio duraturæ, Justino authore, sive juxta Herodotum, CL tantùm (i), is habetur. Post illum quatuor solummodo Regum Mediæ nomina apud eumdem Herodotum leguntur, Dejoces, Phraortes, Cyaxares, & Astyages. Diodorus Siculus, libro II, decem recenset; Eusebius & Syncellus octo. Fatetur tamen Herodotus, Medos ante Regnum Dejocis liberos non exiguo temporis spatio mansisse. Portò Dejoces & urbe Ecbatanis conditâ (k), & armis ad fluvium Halym usque provectis claruit. Regnasse fertur annis LIII. Illum excepit Phraortes, adjectis Imperio Medorum Persis illustris; unde exordium cepit Regnum Medo-Persicum, de quo Authores nonnulli (l). Successit ordine Cyaxares, a quo capta Ninive, auctumque dispendio Imperii Ninivitici Medorum Imperium. Idem creditur cum priori *Dario* Medo, de quo Æschylus (*). Filio Astyagi, viro in historiis celebratissimo, Regnum reliquit, qui sanè Astyages alteram e geminis filiabus Amyit nuptum tradidit Nabuchodonosori magno; quo conjugio natus Evilmerodachus Rex Babylonis [m]. Filiam alteram Mandanem duxit Cambyses Rex Persidis [n], e qua natus Cyrus. Avus igitur maternus pari gradu fuit Astyages Cyri simul & Evilmerodachi. Caruisse liberis Astyagem, Justinus non obscurè asseruit; sed Cyaxarem unicum filium illi tribuit Xenophon, Regni deinde successorem; quocum nos conveniamus oportet, ut historia Sacra cum Profanâ concilietur.

(h) *Justin. lib. 1.*

(i) *Herod. lib. 1, cap. 95.*

(k) *Herod. lib. 1, c. 130.*

(l) *Vide Marsham. Can. Ægypt. Sacul. XVIII.*

(*) Μῆδος γὰρ ἦν ὁ πρῶτος ἡγεμὼν στρατοῦ, Ἄλλος δ' ἐκείνου παῖς δ' ἔργον ἤνυσε. Τρίτος δ' ἀπ' αὐτοῦ Κῦρος εὐδαίμων ἀνήρ.

(m) *Alexand. Polybist.*

(n) *Just. lib. 1, alisque.*

§ IV.

§ IV.

Persarum Imperium.

CYrus filius Cambysis, dominationis Medorum pertæsus, Persas in idem defectionis consilium unà secum armavit; ductoque contra Astyagem avum maternum exercitu, Regem prælio victum vivum servavit, simulque donavit Hyrcaniæ Præfecturâ; illud sibi in præmium victoriæ capiens, ut Persas in libertatem, Medos vectigales redderet. Verùm urbes Medorum olim Imperio subjectæ, brevi Persarum jugum excutientes, arduum Cyro negotium effecerunt (o). Iis tamen reductis, arma vertit in Babylonios; quibuscum fœdere junctus Crœsus auxiliares copias ducens, victus fugatusque, iter in suam regionem vertere coactus est. Quare Cyrus bellum Babylonicum persecutus, cùm tandem omnia composuisset, expeditionem suscepit in Crœsum, cæteris ipsius victoriis non inferiorem. Hucusque Justinus: paria fermè Herodotus (p): quamquam bello Babylonico prævertit expeditionem in Crœsum, & in Lydiam. Addit insuper (q), Regnum Babyloniæ tunc habuisse Labynitum; ac Cyrum levi quadam de causâ Gindum amnem in CCCLX canales dissipasse: quo tandem opere peracto, Babylonem cum exercitu venit, ubi prælio fractos hostes intra urbis mœnia, necessariis omnibus refertissima, conclusit.

Cùm itaque prorogari diutiùs obsidionem intelligeret, Euphratis aquas per deductos canales in lacus quosdam circumjacentis agri derivari jussit. Ita demum vado pervium amnem reddens, per ejus alveum, & cataracthactas aquam in urbem deducentes, ipse cum exercitu urbem ingressus est. Eo strategemate, citra sanguinis dispendium in potestatem victoris venit Babylon, urbs illa soli vastitate amplissima, adeo ut cùm exercitus hostium in medio urbis esset, id ignorarent ii, qui in extremis urbis partibus morabantur. Accidisse verò hæc narrat Herodotus, qua die annuæ cujusdam solemnitatis recurrens hilaritas Urbem totam occupabat. Ita Herodotus, qui de Labynito Rege Babylonis nihil ulteriùs prodit.

Xenophon, pluribus adjectis, Cyri historiam ornavit, quippe qui optimi Regis exemplar in Cyro tradendum potiùs quàm scribendam ejus Regis historiam sibi proposuerit [r]. Videtur ille quidem historiam ex Herodoti fide tenuisse, cui plura de suo adjecit (s). Tradit, Cyrum parentes habuisse Cambysem Regem Persarum, & Mandanem filiam Astyagis Regis Medorum; silet etiam, qua ratione Cyrus puer expositus, adhuc tamen fortunæ beneficio servaretur, ac deinde ab Astyage avo agnosceretur,. Illum enim XII annis natum deductum ad Astyagem unà cùm matre Mandane commemorat. Deinde ad Cambysem patrem in Persidem rediit. Secundùm hæc, Astyage Rege Medorum vitâ functo, Cyaxares filius succedit. Porrò neque de hoc filio, neque de regis titulo, Cambysi patri Cyri tributo, ne verbum quidem apud cæteros.

Historiam suam prosequutus Xenophon, addit, libro III, Assyriorum Regem, post prorogatum imperium in Syros, Arabes, & Hircanos, consilium agitare cœpisse de subigendis Medis, quos unos victoriarum suarum cursui resistere posse arbitrabatur. Hæc intelligens Cyaxares Rex Medorum, muniendum se duxit adversùs validissimum hostem, qui per se formidabilis vires etiam augere moliebatur, advocatis in societatem belli Lydis, Caribus, Phrygibus, Paphlagonibus, Indis etiam & Cilicibus. Cyrus ætatem agens XL annorum, a patre Cambyse cum XXX millibus Persarum missus, arma cum avunculo Cyaxare junxit. Primò igitur bellum illatum est in Regem Armeniæ, quem victum, amicum & fœderatum Regibus Medorum reddidit. Pari etiam fortunâ movit in Chaldæos, quos cum Armenis reconciliavit; pari etiam cum Assyriis, quos priore prælio cecidit.

Rex ille Assyriæ, de quo Xenophon, dubio procul habendus est Evilmerodachus, sive Balthasar; nullus enim tunc alius Assyriis Rex præesse potuit. Vix autem probabile credimus id quod de victoriis Regis Babyloniæ in Syros, Arabes, & Hircanos, uti & de suscepto consilio expeditionis in Medos, narrat. Diu enim antea Nabuchodonosor Imperio suo adjectas illas provincias hæreditario jure ad filios transmiserat, qui ne cogitasse quidem de augendo Imperio videntur. Quæcumque autem fuerit movendi arma in Babylonios apud Medos causa, factum constat; neque minùs certum est, Cyrum in exercitu adfuisse; nam fatidico quodam oraculo, quod Nabuchodonosor aliquanto ante obitum pronunciavit, hæc referuntur: *Mulus persicus* (Cyrus) *veniet, qui durum cervicibus vestris jugum imponet. Atque hujus cladis author etiam erit Medus, quo ante Assyrii magnopere gloriabantur* [t]. Bellum hoc Medorum & Persarum in Babylonem non obscurè exprimunt Isaias [u] & Jeremias (x).

Sed ad Xenophontem regrediamur. Cyaxares & Cyrus ex hisce in Assyrios victotiis

(o) *Just. lib. 1: Civitates Medorum, quæ tributariæ fuerant, mutato imperio, etiam conditionem suam mutatam arbitrantes, a Cyro defecerunt. Quæ ut multorum bellorum Cyro causa, & origo fuit.*

(p) *Lib.* 1, *cap.* 178.

(q) *Lib.* 1, *cap.* 74, & 77.

(r) *Cicer. ad Quintum fratrem: Non ad fidem historiæ, sed ad effigiem justi imperii.*

(s) *Xenophon, lib.* 1.

(t) *Megasthen. apud Euseb. Prep. lib.* 9, c. 41: Ἥξει πέρσης ἡμίονος, τοῖσιν ὑμετέροισι, δαίμοσι χρεώμενος συμμάχοισιν· ἐπάξει δὲ δουλοσύνην. Οὗ δὲ συναίτιος ἔσται Μήδης, τὸ Ἀσσύριον αὔχημα.

(u) *Isa.* XIII, XIV, XXI, XLV, XLVI, XLVII.

(x) *Jerem.* L, LI.

riis prosperum capientes omen, Babylonem deducere exercitum statuerunt [y]. Priùs tamen illata a Cyro arma in Crœsum Lydiæ Regem (z), cujus expeditionis historiam fusè prosequuntur Herodotus, Xenophon, aliique; nos verò, utpote a nostro argumento alienam, prætereundam duximus. Secundùm hæc, ductus a Cyro in Babylonem exercitus, Phrygas, Cappadoces, Arabes in ipso itinere subegit [a], propiùsque randem accedens Babylonem, castra ad ejus mœnia locavit. Capta strategemate Urbs, quemadmodum supra exposuimus; nam per deductos canales derivatâ Euphratis aquâ in fossas, quæ opus Semiramidis diù ante Babylone regnantis erant, amnis alveus vado pervius effectus, exercitum hostium per catarrhactas in urbem admisit, quo tempore læta recurrentis anni solemnitas cives occupaoat. Rex Babylonis domi occisus est, eam exigentibus ab ipso ultionem injuriarum, quas ex eo acceptas a se querebantur, Gadata & Gobria Babyloniis, qui ob eam rem a Rege deficientes, ad Medos transierant. Urbis & ædium omnium præda militibus & Ducibus permissa; impositum Babyloniis tributum, & colendorum agrorum vectigal: quicumque verò e Persis novam hanc sedem eligere voluere, illi tamquam regionis domini habiti sunt.

Tota ejus expeditionis gloria ad Cyrum spectat, authore Xenophonte, apud quem nihil de *Cyaxare*, sive cùm de bello Lydio, sive cùm de Babylonico agitur. Prodit solummodò Xenophon (b), Cyrum captâ Babylone, compositisque omnibus in Persidem reversum, in Mediam ad invisendum avunculum suum Cyaxarem venisse, a quo & oblatum est filiæ connubium, & Media in dotem; carebat enim liberis Cyaxares. Cyrus avunculum amplexus, dixit, habere se ipsi paratas Babylone Regias ædes & satellitium, ubi & manere ipsi liberum, & Regem agere, siquidem voluisset, permitteretur [c].

Verùm, quidquid demum fuerit, scilicet, Cyaxares expeditioni Babylonicæ interfuerit, nec ne, illud constat (d), successisse illum in Regnum post Balthasarem; atque unicum totius ditionis Regem habitum esse; & annum primum Darii Babylone componendum esse cum tertio Cyri in Perside; quemadmodum ex capitibus IX, X, XI Danielis intelligimus. Ex eodem Prophetâ colligitur, eodem anno, Darii primo, Cyrum excutiendæ servitutis consilium agitare cœpisse, ut scilicet avunculo Dario succedens, duo Regna Medorum & Assyriorum in se uno conciliaret (e). Quamvis enim Cyrus Regium nomen apud Persas obtineret, non ita tamen regnabat, ut absolutâ potestate potiretur: Darius quippe Regis Medorum & Persarum titulum usurpabat [f]. Nec a vero prorsus abludere videtur, Cyrum in avunculum arma movisse, cui tandem aliquot post annos in Regno successit (g).

Quo primo anno Cyrus Babylone regnavit (h), Judæos libertati restituit: quod ab illo datum genti privilegium, non pro Tribu Juda tantùm & Israële valuisse credimus, sed pro cæteris etiam populis a Nabuchodonosore cæterisque post illum Regibus in captivitatem deductis: cujus nostræ opinionis documenta alibi afferemus. Aliquanto post Hebræorum in Judæam reditum, horum hostes, Cyri religionem fallentes, dolo extorserunt ab illo edictum, quo Templi ædificatio interdicebatur (i). Quo genere mortis obierit, variorum narratione incertum est. Morbo decessisse tradit Xenophon [k]. Supplicio crucis sublatum maluit Diodorus (l). Obtruncatum capite a Tomiri Reginâ referunt Herodotus, Justinus & Valerius [m]: quam etiam præcisum Cyri caput in vase sanguinis pleno demergentem, simul illud effatam dicunt: *Satia te sanguine, quem sitisti*. Spiculo vulneratum narrat Ctesias, libro XI, in prælio cum Derbicis; quo accepto vulnere post triduum interierit. Alii aliter narrant.

Frustra expectas, ut varias hasce opiniones conciliemus: inanis enim futurus est labor. Præstat, eorum, quæ de Cyro referuntur, partem rejicere, ut reliqua adoprentur. Quæ certiora & seligenda videntur, hæc esse arbitramur. Seriem trium Regum Chaldæorum, Babylone regnantium, exhibet Scriptura; videlicet Nabuchodonosorem (n), Evilmerodachum (o), Balthasarem (p). Darius Medus (q) Balthasarem excepit, Cyrus Darium sive Astyagem (r); utraque enim hæc nomina simul miscenda esse minimè ambigimus. Darium habet Textus Hebræus, Astyagem Græcus Danielis.

Porrò hunc Astyagem alterum sanè fuisse oportet ab alio ejusdem nominis, patre Amyit & Mandanes, & avo Evilmerodachi & Cyri; quamvis enim Nabuchodonosori ejusque geminis filiis nonnisi XLV sive L Regni annos simul tribuamus, (neque enim minores possumus) (s), necesse est, Astyagem Ninives obsidionem suscepisse XII annis natum; namque post L annos, cùm ætatem ageret LXII annorum, Balthasari successit (t). Hæc autem dubio procul falsa sunt; cùm eo tempore filiam haberet nubilem, quam Nabuchodonosori dedit. Oportet igitur alium Cyaxarem Xenophontis admittere, filium Astyagis & avunculum Cyri. Cyaxarem hunc, quem nos Darium Medum

(y) *Xenophon*, *lib.* 5.
(z) *Xenophon*, *lib.* 7.
(a) *Xenophon*, *lib.* 7, *pag.* 188.
(b) *Xenophon*, *lib.* 8, *pag.* 217, 218: Δίδωμι δέ σοι, ὦ Κῦρε, ϗ αὐτὴν ταύτην γυναῖκα, ἐμὴν οὖσαν θυγατέρα, ... ἐπιδίδωμι δὲ αὐτῇ ἐγὼ ϗ φερνὴν Μηδίαν τὴν πᾶσαν. Οὐδὲ γάρ ἐστι μοι ἄῤῥην παῖς γνήσιος.
(c) *Xenoph.* *ibid.* Πρῶτον μὲν δὴ ὁ Κῦρος ἔλεγε τῷ Κυαξάρῃ, ὅτι οἶκος αὐτῷ ἐξῃρημένος εἴη ἐν Βαβυλῶνι, ϗ ἀρχεῖα, ὅπως ἔχῃ, ϗ ὅταν ἐκεῖσε ἔλθῃ, ὡς εἰς οἰκεῖα κατάγεσθαι. Ἔπειτα δὲ ϗ ἄλλα δῶρα ἔδωκεν αὐτῷ πολλὰ ϗ καλά.
(d) *Dan.* V, 31.
(e) Vide *Dan.* X, 13.
(f) *Dan.* VI, 8, 12, 15.
(g) *Dan.* XIII, 65.
(h) 2 *Par.* XXXVI, 22; & 1 *Esdr.* 1, 1.
(i) 1 *Esdr.* IV, 5.
(k) *Xenoph.* *lib.* 8.
(l) *Diod.* *lib.* 2.
(m) *Herodot.* *lib.* 1, *cap.* 214; *Justin.* *lib.* 1; *Val. max.* *lib.* 9, *cap.* 10.
(n) *Dan.* 1, & *passim*.
(o) 4 *Reg.* XXV, 27; *Jerem.* LII, 31.
(p) *Dan.* V, 1, 30, 31.
(q) *Dan.* V, 31.
(r) *Dan.* XIII, 65.
(s) Regnavit Nabuchodonosor, quemadmodum e variis Scripturæ locis colligimus, XLIII annis. Nec minores quàm V sive X anni tribui possunt Evilmerodacho simul & Balthasari.
(t) *Dan.* V, 31.

dum appellamus, successisse constat Balthasari, Cyri in Regno Babylonico decessori.

Series Regum post Nabuchodonosorem in Beroso & Megasthene suspicionis arguitur, ex illo Scripturæ [u] de Nabuchodonosore: *Et servient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus, donec veniat tempus terræ ejus & ipsius.* Evilmerodach satis e Scripturâ innotescit (x), quem totius historiæ profanæ consensus filium tribuit Nabuchodonosori (y). Balthasar filius etiam ejusdem Regis appellatur, scilicet nepos ipsius, juxta Scripturæ phrasim [z]. Legimus in Paralipomenis (a): *Si quis evaserat* (ex Judæis) *gladium, ductus in Babylonem servivit Regi & filiis ejus, donec imperaret Rex Persarum.* Nullum suppetit documentum, ut Nabonidum sive Labynithum cum Balthasare misceamus; genus enim, & locus mortis Nabonidi nimis discrepat ab eo quod de Balthasare legimus in Daniele.

Si quis igitur retinendos censuerit Neriglissorem, Laborosoardochum, & Nabonidum, ita potest historiam Sacram ex Dupinio (b) conciliare. Nabuchodonosori post XIII Regni annos successor statuendus est Evilmerodachus ejus filius, qui duos integros annos, & tertii partem in Regno exegit. Ipsissimus est autem Balthasar, non. rarò filius Nabuchodonosoris [c] appellatus. Fulcit eam conjecturam, quòd Evilmerodachi nomen nusquam legitur in Daniele. Is occisus a Neriglissore, sororis suæ viro, Regnum proditori dedit, qui quatuor annis regnavit. Potest etiam non temerè Neriglissor Nabuchodonosoris Magni filius appellari, cujus filiam duxerat. Laborosoardochus ejus filius regnavit novem mensibus; quo conspiratione Optimatum Babyloniæ interfecto, ex conjuratis unus Nabonidus, LXII annis senior, Babylonius ille quidem, sed origine Medus, filius Assueri sive Oxyaris Medi, Regno suffectus est. Idem vir *Nabonidus* apud Babylonios, *Darius* apud Medos, *Labynitus* apud Herodotum dicitur. Babylonios legibus Medorum & Persarum moderatus est, ac XVII annos in Regno egit. Tandem Cyrus Imperium Babylonicum adjungere sibi meditatus, expeditionem illam suscepit; captisque Susis, procedenti obviam occurrit cum exercitu Nabonidus; commissoque prælio, victus Babylonius in arcem Borsippum aufugit. Eo amoto, Cyrus Babylonem contendens, post expugnatam urbem, rectâ Borsippum cum exercitu petiit. Nabonidus, deditione factâ, Caramaniæ præfecturam a victore obtinuit. Ita Historia Sacra conciliatur. Cyrus verò eâ expeditione confectâ, dominium sibi totius Orientis adjecit, vel, quemadmodum ipse testatur in edicto pro Judæis lato: *Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus* (d).

Cyrum excepit Cambyses, sævitiâ & crudelitate nulli secundus. Prospero eventu cum Ægyptiis conflixit; cui tandem Regioni, in potestatem redactæ, triennio imperavit. Sub hæc tempora, partem copiarum duxit in Æthiopes, immissisque cum exercitu Ducibus, diripiendum mandavit Templum Jovis Ammonis. Sed ambo hæc bella infeliciùs cesserunt: nam missas in Templum Ammonis copias arenæ turbo in desertis oppressit; quas verò in Æthiopes ipse ducebat, commeatuum penuriâ, non sine ingenti suorum pernicie, tandem reducere coactus est. Omnium in se horrorem crudelitate provocavit, odium sceleribus, & contemptum amentiâ. Sororem, quæ unà erat & uxor, nomine Meroën, interfecit; occidi etiam jussit fratrem Smerdim; ex Optimatibus quamplures interemit; nec a Numinibus Ægyptiis abstinens, scommata in ipsos plura, & indigna jactavit. Tandem certior factus, Smerdim fratrem suum incolumem servari, ac Babylone regnare, iter in Regnum repetiit. Sed cùm Ecbatana ad radices Montis Carmeli venisset, diem clausit extremum. Designari hunc Regem credimus ab Ezechiele XXXVIII, XXXIX, & a cæteris Prophetis nomine Gog, Principis Magog. Videsis nostram Dissertationem de eodem argumento.

Cambyse sublato, Imperium invaserunt septem Magi, simulatâ Smerdis fratris Cambysis personâ. Per hæc tempora Samaritani, quibus prosperæ Judæorum res ingratæ accidebant, gentem apud Magos accusarunt; atque obtento ab Arthaxata, ex illis uno, edicto, desistendum ab ædificatione Templi & munitione urbis imperarunt [e]. Ita intermissum opus usque ad secundum Darii filii Hystaspis annum cessavit.

Tandem Magorum dolo comperto, Regnum ad Darium filium Hystaspis delatum est. Raptim hæc omnia delibamus, nihil enim habent cum historiâ Judæorum affinitatis. Darius, agnitâ facultate, quam olim Judæi de restituendo Templo a Cyro impetraverant, opus prosequi [iterum enim manus operi admoverant, monentibus Aggæo & Zacharia (f), tunc temporis Jerosolymæ prophetantibus] permisit (g). Porrò Darius iste idem est ac Assuerus Estheris maritus (h), qui meritum de Amano supplicium exegit. Illum excepit Xerxes, quocum nihil peculiare fuit Judæis. Artaxerxes post illum regnans, Hebræis plurimùm favit; nam Esdram priùs (i), deinde Nehemiam in provinciam remisit [k], auctum restituendorum mœnium facultate. Imperium Persarum longo etiam pòst tempore mansit: sed frustra & præter argumentum totam hic Regum illius seriem duceremus. De Monarchiâ Græcorum satis egimus in Danielem.

(u) *Jerem.* XXVII, 7.
(x) 4 *Reg.* XXV, 27; *Jerem.* LII, 31.
(y) *Beros. Megasth. & Polyhist.*
(z) *Baruc.* I, 11, 12; *Dan.* V; *Sub umbrâ Nabuchodonosor Regis Babylonis, & sub umbrâ Balthasar filii ejus.*
(a) 2 *Par.* XXXVI, 21.
(b) Du Pin, Biblioth. des Historiens, tom. 2, pag. 812, 813.
(c) *Dan.* V, 21, 22.
(d) 1 *Esdræ*, I, 2.
(e) 1 *Esdræ*, IV, 7, 16.
(f) *Agga.* I, 2, 3, & 1 *Esdr.* V, 1.
(g) 1 *Esdr.* IV, 24; VI, 1, &c.
(h) *Vide Esth.* I, & VII.
(i) 1 *Esdr.* VII, & VIII.
(k) 2 *Esdr.* I, 11.

§ V.

Imperium Ægyptiorum, in iis quæ ad res Judaicas pertinent.

POstquam ex Ægypto solum verterunt Hebræi, nullam deinceps retinuerunt communionem cum Ægyptiis usque ad Regnum Salomonis. Hic junctis connubiis cum filiâ Pharaonis (*l*), commercium etiam instituit inter utrasque gentes equorum simul, & mercium (*m*); ex quo gemina hæc Regna amicitiis jungi cœpere. Rex Ægypti captas a se Philisthæorum urbes quasdam in dotem filiæ suæ, Salomoni nuptæ, dedit (*n*). Sed laxari nonnihil mutuum illud amicitiæ vinculum, Salomone adhuc in vivis agente, visum est, cùm Pharao in suâ regione tutum esse passus sit Jeroboamum filium Nabat (*o*), & filium Regis Idumææ (*p*). Hæc divisionis semina in apertum tandem dissidium eruperunt sub Roboamo Salomonis successore, cùm Sesac Rex Ægypti, ducto in Judæam exercitu, post direptum Regium & Sacrum Ærarium, prædâ onustus regressus est.

Labentibus Regnorum Juda & Israëlis rebus, cùm utriusque provinciæ Reges impares se adversùs vires Assyriorum & Chaldæorum, quibus premebantur, sentirent, suppetias a Regibus Ægypti petierunt: id quod ipsis semper fatale fuit. Non cessabant Prophetæ exprobrare genti vanam illam fiduciam, quam in Regibus infidelibus collocaverant [*q*]. Ezechias nullâ rerum suarum utilitate fœdus inivit cum Sennacheribo Rege Ægypti (*r*); nullâ etiam Osee Rex Israëlis, cum Suâ Rege Ægypti fœderatus [*s*]. Josias Rex Juda transitum Nechao Regi Ægypti, in Assyrios proficiscenti, intercluserus, commisso prælio ad Mageddo, vulnere confectus occubuit (*t*). Post eam victoriam, Nechaus urbe Cadyti, ejus regionis munitissimâ, facilè eâdem ac Cades in Galilæâ, alio nomine Cedes Nephtali, potitus est; productisque usque ad Euphratem armis, superatâ Carchemisâ, præsidium ibi reliquit. Redux deinde, cùm in Judæam venisset, amoto *Sellum*, alio nomine *Joachaz*, quem ad solium Judæi evexerant, Eliakimum sive Joakimum suffecit, imperato etiam Regioni tributo [*u*].

Cùm Præfectus Syriæ & Phœniciæ, qui Babyloniorum Regum nomine iis regionibus præerat, a Babylonio ad Ægyptium Regem defecisset, Nabuchodonosor a patre Nabopolassaro Rege Assyriæ missus, primo statim impetu Carchemisiam, deinde verò totam latè regionem inter Euphratem & Nilum paternæ ditioni restituit (*x*).

Defuncto Nechao, paternum Regnum Psammis ejus filius obtinuit; quod sexennio obtentum [*y*], tandem fato cedens, *Aprie* filio suo, in Scripturâ *Pharaoni Hophra* seu Ephræo (*z*), reliquit. Hic, juncto cum Sedecia & Rege Chus fœdere, in Nabuchodonosorem armavit. Interim Nabuchodonosor, ducto in illos exercitu, Jerosolymam obsidione cinxit; cui suppetias ferens Ægyptius, repulsus ab adversario, iter in suam regionem vertere coactus est. Nec ibi diutiùs quievit; cùm Nabuchodonosor, redactis in potestatem Jerosolymâ & Tyro, Ægyptum ingressus, eâ regione captâ direptâque, ingentem captivorum Ægyptiorum prædam abduxerit: quo tandem sua fides stetit Oraculis Jeremiæ, & Ezechielis [*a*]. *Apries* deinde ab Amasi æmulo oppressus, vacuum illi Regnum permisit.

Jugum Assyriorum sub Nabuchodonosore cæterisque post illum, ad Cyrum usque, tulit Ægyptus [*b*]. Labentibus Cyri annis, dominationis externæ pertæsa, descivit, eique propterea reducendæ Cambyses validissimum armavit exercitum; cujus viribus impares Ægyptii, in arbitrium victoris sævissimi simul & impotentis concedere coacti sunt. Rebellarunt iterum sub Dario filio Hystaspis; nec ab eodem Principe, morte prohibito, in ordinem redacti, Xerxis ejus filii potentiam senserunt [*c*]. Quare iterum subjectis jugo cervicibus, iterum sub Artaxerxe Longimano desciverunt, sumptisque armis, ac junctis fœderis societate Græcis, sexennio bellum gesserunt. Cedentes tandem, pristinis servitutis vinculis victas dederunt manus; & quamquam propriis donati Regibus, Persas tamen dominos ad Artaxerxem Ochum usque sustinuerunt. Ab illo quartò jam deficientes, non meliora tantùm edocti sunt, sed Regno penitus destructo, Ægyptus in Provinciam redacta est [*d*].

(l) 3 Reg. III, 5; VII, 8.
(m) 3 Reg. X, 28, 29.
(n) 3 Reg. 9, 16.
(o) 3 Reg. XI, 26.
(p) 3 Reg. X, 18, 19.
(q) Isa. XXXVI, 6; Ezech. XXIX, 6; Isa. XXX, 2; Habac. II, 15; Osee passim, VII, VIII, IX.
(r) Jerem. XLIV, 30; 4 Reg. XVIII, 21.
(s) Osee, VII, 11; VIII, 13; IX, 3; XII, 9; Jerem. II, 18, 4 Reg. XVII, 4.
(t) 4 Reg. XXIII, 29, &c.
(u) 4 Reg. XXIII, 35.
(x) Vide Jerem. XLV; & Antiquit. lib. 10, cap. 7.
(y) Herodot. lib. 2, cap. 159, 160, 161.
(z) Jerem. XLIX, 30.
(a) Jerem. XLIII, XLIV, XLVI; Ezech. XXIX, XXX, XXXI.
(b) Xenophon Prolog. Cyropæd. & lib. 8 ejusdem.
(c) Herod. lib. 7, cap. 7.
(d) Diod. ad A. 3, Olymp. 107.

DIS-

DISSERTATIO
IN ILLUD ISAIÆ:
Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel. *Isaia*, VII, 14.

REgni Juda prostratis rebus, Achaz armis Regum Samariæ & Damasci pressus, cùm imparem se validissimis adversariis sentiret, de implorandâ Regum Assyriæ ope consilium agitabat. Cùm Dominus ad Isaiam [a], *Egredere*, ait, *in occursum Achaz, tu, & qui derelictus est Jasub filius tuus; & dices ad eum: Noli timore, & cor tuum ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum, in irâ furoris Rasin, Regis Syriæ, & filii Romeliæ; non enim stabit, & non erit istud eorum in Juda consilium.* Obtemperavit Isaias; cùmque Achaz ægrè fidem illi haberet, adjecit propheta (b): *Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni sive in excelsum supra. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo Domus David: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce, Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel: butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum; quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, a facie duorum Regum suorum.*

(a) *Isa.* VII, 3, 6.

(b) *Ibid.* ℣. 14.

Coram duobus testibus scripsit deinde Propheta verba illa: *Velociter spolia detrahe* (c). Deinde accedens ad Prophetissam uxorem suam, fœtam filio reddidit, quem deinde in lucem emisit: *Et dixit Dominus ad me*, addit idem Propheta: *Voca nomen ejus: Accelera, spolia detrahe, festina prædari: quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* Verba deinde apud populum Juda faciens Propheta [d] nunciavit: *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israël, a Domino exercituum, qui habitat in Sion.* Prosecutus deinde, exposuit ultionem Domini in caput duorum Regum imminentem, & prospera omnia in Regno Juda speranda adjecit [e]: *Parvulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis. Et factus est Principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus Imperium, & pacis non erit finis: super solium David & super Regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & justitiâ, amodo usque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc.*

(c) *Isai.* VIII, 1.

(d) *Isa.* VIII, 18.

(e) *Isa.* IX, 6, 7.

Hæc tota Prophetiæ series in examen revocanda, quam totam oculis subjectam habere oportet, ut rectum de illâ judicium feratur. Una est Ecclesiæ Catholicæ de illâ sententia, spectati eo vaticinio Filii Dei Incarnationem, ejusque e Virgine parente nativitatem. At multiplex hujus oraculi explicandi ratio in Ecclesiâ circumfertur. Veteres Patres totam Messiæ vindicant: nomine *Virginis*, quæ Emmanuelem concepit, designari credunt Mariam Jesu Christi parentem; eamdemque agnoscunt in *Prophetissâ* capitis VIII: & de Filio Dei interpretantur filium, cui nomen, *Velociter spolia detrahe*. Duo Reges, armis Judam opprimentes, sunt scelera, idololatria, infidelitas (f).

Major tamen recentiorum Catholicorum Interpretum pars (g) duas ibi personas, conceptum fœtum in lucem emittentes, distinguunt; alteram nempe Mariam Virginem, quæ Jesum Christum, verum *Emmanuelem*, peperit; alteram, Prophetissam uxorem Isaiæ, matrem filii, cui nomen, *Velociter spolia detrahe*. Reges Judam aggressi, sunt Phacee filius Romeliæ Samariæ Rex, & Rasin Damasci. Isaiæ filius futuræ mox liberationis Regni Juda pignus datus est; Deus enim fidem suam obligat Regi Achaz futurum, ut antequam puer a bono malum discernat, atque parentes nomine appellare norit, Regio Juda pulsis duobus Regibus in libertatem asseratur, devictique hostes in prædam Regibus Assyriæ permittantur. Verus Emmanuel ille est, de quo dicitur [h]: *Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi*; quem Principem filius Isaiæ tamquam symbolum & imago designabat.

Veterum Hæreticorum quidam (i) contendebant, Jesum Christum e Mariâ quidem parente, non Virgine, Josephi operâ, quemadmodum cæteros homines, prodiisse.

(f) *Eus. & Hieron. in Isai.* VII, *& VIII; Aug. de Civit. lib.* 17, *cap. ult. Epiph. hæres.* 78; *Amb. lib.* 2 *in Luc. Tertul. de Trinit. Iren & Basil. Cyril. Procop. alii.*

(g) *Vide Sanct. in Isa.* VII, *n.* 56, *&c.*

(h) *Isa.* IX.

(i) *Cerinthus, Carpocrates, Helsaeai, Ebionitarum nonnulli.*

Quorum sententiæ cùm apertus Evangeliorum textus repugnaret, ideo cùm salvâ ejus authoritate eam tueri non posent, maluerunt vel Sacrum Librum corrumpere, vel totum, vel partem rejicere. Eorum blaspnemiæ, olim impietatis damnatæ apud Veteres, nullum, quod scimus, nostrâ ætate patrocinium nactæ sunt.

Dissident inter se Judæi in hoc de ortu Messiæ argumento; alii enim e Virgine oriturum asserunt, alii negant: junctis tamen viribus conveniunt omnes in Catholico dogmate refellendo, nempe Jesum Christum verum esse Messiam, & e Virgine prodiisse. Contendunt autem, oraculo Isaiæ non Messiam, non Jesum Christum ejusque natalia & matrem, sed Ezechiam [k], sive filium Isaiæ (l), cui nomen, *Velociter spolia detrahe*, spectari. Hunc illi sensum pronum & obvium esse e sermonis contextu arbitrantur. Vox *Alma*, quam nos reddimus, *Virgo*, sonat tantummodo *puellam*; hic autem denotat sive uxorem Achaz, sive Isaiæ. Non recens est Judæis, sed vetus commentum, de quo Tryphon in dialogo S. Justini.

(k) *Ita Tryphon Judaus in Dialog. S. Justini; Hebræi apud Hieron. in Isaiam, Kimchi.*

(l) *R. Salomon, Lipman. Menasse Ben-Israël, alii plerique.*

Si probandæ Messiæ nativitati e Virgine Parente nullum aliud suppeteret nobis, quàm ex eo Vaticinio, documentum, arduo planè opere Judæi revincerentur. In eâ enim, qua obfirmatum animum gerunt, obstinatione, plures invenirent detortas explicationes, quibus veritatem luderent. Sed si illi bonâ fide causam agere voluerint, vix erit, cur hujus veritatis documenta, per totam undique Scripturam sese offerentia, agnoscere recusent; cùm iis utatur phrasibus Sacra Scriptura, quæ proditurum Messiam insuetâ & legibus naturæ superiori ratione planè demonstrant. Ita quo tempore Jesus Christus in orbe apparuit, ad eam excipiendam veritatem omnes æquè Judæi ferebantur. Apostoli ad eam demonstrandam pluribus congestis argumentis se totos contulerunt. Porrò si Judæi tunc de natalitiis Messiæ aliter sensissent, futurum scilicet ut e conjugio Messias prodiret, turbas concivissent in Apostolos: rari, & fortè nulli in animum sibi potuissent inducere ea quæ de Virginitate Mariæ ferebantur; eique probandæ etiam atque etiam Apostoli & Evangelistæ institissent. Necesse igitur est, ut hanc sententiam aliqui probarent, nemo contrariam: vel saltem non adeò vulgatam fuisse contrariam, ut communis inter Judæos haberetur.

Profectò si Messias communem cum cæteris hominibus nascendi rationem sortiri debebat, testimonia Scripturarum de illo conciliari qui possent? Legimus, egressurum illum e genere Abrahami, e Tribu Juda, & familiâ Davidis, habendum ludibrio, injuriâ afficiendum, ac tandem nece perimendum. Legimus vicissim, Deum esse (m); Æternitati coævum [n]; esse ineffabilem illius nativitatem (o); prodiisse e sinu æternitatis (p); tamquam germen ex aridâ terrâ erupisse [q]; tamquam germen iterum e radice Jesse (r). Nuspiam aliquid legimus de carnali illius genitore: dicitur quidem genitus in sinu auroræ; Dominus Davidis appellatur (s), Filius Dei (t); nihil ab illo sceleris commissum, nunquam dolum ex ore ejus prodiisse (u), per excellentiam justum vocari [x]; nostris se criminibus & sceleribus onerasse (y), cùm nemo hominum sine peccato conceptus prodierit [z], nullus criminis maculâ liber, nec infans unius diei (a). De Messia scriptum lego, semen esse mulieris, caput serpentis contrituræ (b); futurum, ut e Cœlo instar roris & pluviæ labatur (c). Omnia simul hæc nullo negotio conciliavero, si Jesum Christum Æterno Patre satum ante omnia sæcula, e Virgine Mariâ, mirâ partus ratione, produsse; Virginem verò e genere Abrahami, ex familiâ Davidis, ad Tribum Juda spectasse dixero.

(m) *Is.* IX, 6.
(n) *Is.* IX, 7.
(o) *Is.* LIII, 8.
(p) *Mich.* V, 2.
(q) *Is.* LIII, 2.
(r) *Is.* XI, 1.
(s) *Ps.* CIX, 1.
(t) *Ps.* II, 7.
(u) *Is.* LIII, 9.
(x) *Is.* XLI, 2, 10; XLV, 8; LI, 5, *&c.*
(y) *Is.* LIII, 5, 6.
(z) *Ps.* L, 7.
(a) *Job*, XV, 14, 15, 16; XXV, 4.
(b) *Gen.* II, 15.
(c) *Isa.* XLV, 8.

Quod ad Oraculum Isaiæ attinet, quamvis Judæis demus, designari ad literam uxorem Isaiæ, matrem *Emmanuelis*, alio nomine dicti, *Velociter spolia detrahe*; quid inde illi? An ex eodem oraculo excluduntur Jesu Christi natalitia e Virgine parente? An unus sensus alterum non patitur? Nonne illi, non secus ac nos, in eam conveniunt sententiam, prophetias ferè omnes sensum admittere duplicem, literalem, & figuratum? Illorum etiam confessione constat, e. g. Messiam e mortuis ad vitam fore revocandum; frustra enim alioqui conciliantur Scripturæ, nunc de obitu ipsius, nunc de Regno illius æterno testimonium ferentes. Quæ cùm ita sint, Judæi tamen nullum habent certius ejusdem veritatis argumentum, quam Jonæ e ventre Ceti egredientis historiam. Hanc Parentibus illorum, resurrectionem negantibus, Jesus Christus objecit. Nihil est tamen hæc, præterquàm resurrectionis figura. Quare fateantur oportet, quoddam figurarum genus esse, e quibus validum ducitur argumentum; sicut & quædam oraculorum genera, quorum fides, licèt in Veteri Testamento impleta sit, adhuc tamen in Novo iterum implenda per Messiam expectatur.

At enim quomodo conceptus cæterorum hominum more fœtus potest natalitia e Virgine parente designare? Debuit Messiæ Parens hac laude florere, ut varia inter se oracula, supra a nobis deducta, conciliarentur. Deus per figuras, & symbolum voluit dotem illam præmonstrare: at cùm in naturâ nihil Virginis fœtæ prodigium satis repræsentet, idcirco prænunciari jussit futurum, ut Virgo conciperet, & pareret filium. Sit, esto, Virgo illa uxor Isaiæ, quæ filium ad naturæ leges ediderit;

sit; an proinde fœtum Virginis parentis non designabit? Porrò verba proprie nonnisi cum Parente Virgine congruunt. Quot insuper miracula huic figuræ demonstrandæ in uxore Isaiæ patrata sunt? Virgo potuit sterilem Virginitatem servare; potuit concipere, nec tamen filium; potuit concipere filium, nec tamen usque ad partum perducere; potuit filius nasci, natusque interire. Sed Isaias hæc omnia uno oraculo superat; futurum enim prædicit, ut Virgo concipiat filium, & filium a partu superstitem; quo nondum rationis usum habente, neque Parentum nomina adhuc balbutiente, Judæ regio hostium timore liberetur. En plura simul prodigia, quæ Deus conjunxit, ut ad Virginitatem Parentis Messiæ agnoscendam ducerent, in fœtu adolescentulæ uxoris Prophetæ per figuram significatæ.

Nil igitur favet Judæis, si oraculi sensu uxorem Isaiæ propriè designari diximus. Neque enim ex illorum principiis excluditur, quin eodem simul oraculo natalitia Messiæ per typum filii Prophetæ; Virginalis Mariæ fœcunditas fœtu prodigioso puellæ; ac tandem liberatio humani generis pulsis a Regno Juda hostibus significentur. Si quis enim figuras Veteris Testamenti planè & per omnia cum exemplaribus congruere velit, is sanè nullas in toto Veteri Testamento figuras inveniat. Salomon, omnium Messiæ figurarum procul dubio absolutissima, quàm multis nominibus ab eo differt? Quàm multa is habet vitia, quæ Divino illius exemplari convenire nequeunt?

Quæ nos deneganda Judæis censuimus, hæc illis Grotius (*d*) concessit: quam tamen viri docti concessionem nihil iisdem Judæis prodesse contendimus. Antumat igitur, *Emmanuel* alterum esse nomen ejusdem filii Isaiæ, appellati *Velociter spolia detrahe*; cui frater, alter ejusdem Prophetæ filius, natu major *Sear Jasub* accesserit. Totum autem Prophetiæ sensum ita reddit: Ut fidem suam liberaret Deus, futurum spopondit, ut antequam nubilis filia junctis connubiis conciperet & pareret, antequam ejus puellæ filius bonum a malo ætatis causâ distinguere nollet, & balbutire parentum nomina, hostium metu omnis Judæ regio liberaretur. Secundùm hæc, Isaias puellam Virginem coram testibus duxit, quæ conceptum filium, antea sub nomine *Emmanuelis* prædictum, appellatum verò a parentibus, *Velociter spolia detrahe*, peperit. Addit autem Grotius, hæc ad literam exposita, commodè tamen elatiori sensu ad Messiam referri posse, ut quæ de puellâ uxore Isaiæ, hæc de Virgine Matre Jesu Christi; quæ de Emmanuele filio Isaiæ, de Jesu Christo filio Dei exponantur.

(d) *In Matth.* I.

Hoc systema non recens est, cùm S. Hieronymus (*e*) testetur: *Quidam ex nostris Isaiam duos filios habuisse contendunt, Jasub, & Emmanuel*: quam sententiam S. Doctor nullâ censurâ, quin nec falsitatis notâ inurit. Nos tamen ad eas angustias in explicatione hujus oraculi non redigimur. Bossuetus Episcopus Meldensis, qui datâ operâ in hoc vaticinium scripsit (*f*), duo simul spectata observat; præsentem nempe, & remotam alteram historiam. Id quod oculis præsens spectabat, ortus erat filii Isaiæ, sive Regis Achaz; non enim quis potissimùm ex illis designetur oraculo, apparet: ejus autem natalitia tamquam pignus liberationis Judæ exhibentur. Remotum alterum, quod a Prophetâ spectabatur, natalitia erant Jesu Christi de Virgine parente, a quo peccati pondere oppressus mundus levandus expectabatur. Primum illud secundi pignus erat & argumentum. Cùm David de adventu Messiæ sermonem inducturus esset, primùm de Salomone filio suo agit: deinde subito impetu ad Messiam rapitur. Huic planè contrarius Isaias; in exordio enim sermonis de Messiâ agens, deinde de Achazi filio vel suo prosequitur. Filios Isaiæ accepit populus tamquam prodigium, & pignus futuræ liberationis: eâ occasione Dominus adventum Filii sui, ejusque natalitia e Virgine Parente in salutem totius generis humani prædici jubet.

(e) *In Isa.* VII.

(f) Explication de la Prophetie d'Isaie, VII, 14, à Paris, 1704, pag. 52, 53, 54, 55, 56.

Ne autem gemini Isaiæ liberi cum Messia miscerentur, peculiaribus adeò characteribus singulos describit, ut alterius alteri convenire nequeant (*g*). En quæ Messiæ tantùm aptantur: *Virgo concipiet, & pariet, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*: & illud: *Adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Assyriorum, & omnem gloriam ejus; & erit extensio alarum ejus implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel* (*h*). Est igitur Emmanuel Dominus & Princeps Regionis Juda, alter proinde a filio Isaiæ, alter etiam a filio Achazi, quemadmodum infra a nobis demonstrabitur. Sed apertius aliquid (*i*): *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis. Super solium David, & super Regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio & justitiâ, amodò & usque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc*. An hæc cum filio Isaiæ, vel Ezechiæ, sive alio quocumque hominum conveniant?

(g) *Isai.* VII, 14.

(h) *Isai.* VIII, 8.

(i) *Isai.* IX, 6, 7.

Characteres geminis filiis Isaiæ ita peculiares, ut misceri cum altero, de quo hucusque, non possint, hi planè spectantur: *Butyrum & mel comedet, ut sciat repro-*

bare

bare malum, & eligere bonum. Quia antequam sciat reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, a facie duorum Regum. Postquàm Propheta hæc Regi oracula pronunciavit, domum rediens, coram duobus testibus scripsit in Libro (k), *Velociter spolia detrahe*, quod nomen erat filii mox sibi orituri, de quo verba fecerat ad Regem. Prophetissa ejus uxor concepit, juxta oraculi fidem, & peperit filium, assignato divinitus nomine appellandum. Tunc iterum Dominus factas antea promissiones renovans, futurum spopondit, ut antequam filius parentum nomina balburiret, divitiæ Damasci, & spolia Samariæ Regibus Assyriæ in prædam essent; idque biennio circiter pòst impletum scimus, in excidio Regnorum Samariæ & Damasci armis Teglathphalassari Regis Assyriæ.

(k) *Isai.* VIII, 1, 2, 3.

Filio Isaiæ natu majori nomen fuit *Sear-Jasub*, nempe, *Reliquum redibit*. Ex quo certum capiendum erat Regi & populo Juda argumentum, eos, quos præsentium temporum iniquitas solum verrere coëgerat, sive belli necessitas in captivitatem hostium deduxerat, in patriam postliminio redituros. Eo filio comitante, Propheta Regem convênit, nuncians (l) natalitia Emmanuelis, & alterius, cui nomen, *Velociter spolia detrahe*. Utriusque hujus filii occasione illud effatus est Isaias (m): *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum & in portentum Israël.* Erant enim reverà gemina prodigia, & Oracula spirantia.

(l) *Isa.* VII, 14, 15.

(m) *Isa.* IX, 18.

En igitur trium hominum characteres, *Emmanuelis*, *Velociter spolia detrahe*, & *Reliquum redibit*. Virgo Maria conceptum Emmanuelem sive Messiam peperit; Prophetissa filium edidit, cui nomen, *Velociter spolia detrahe*. Habes hic Principem pacis, Consiliarium, Deum fortem, Admirabilem, alterum planè ab eo filio, quo nondum usum rationis assecuto, oraculis Isaiæ sua fides ex eventu constare debuit.

Plura sunt, quæ adversùs hanc sententiam congeruntur: nihil tamen solidi est, præter unicum argumentum, cujus nos totam vim explicamus. Emmanuel Regi Achaz totique domui Davidis promissus, idem est, de quo statim subditur: *Butyrum & mel comedet: antequam sciat reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra a facie duorum Regum.* Aliter Prophetæ sensus constare non potest; quippe qui in eâdem simul periodo priùs de uno, deinde tacitus ad alterum, nullâ ratione cum priori connexum, transiret. Porrò puer, quo nondum usum rationis assecuto pacata hostibus ditio reddenda fuerat, ipse est Isaiæ filius, *Velociter spolia detrahe*. Est igitur Emmanuel ipsissimus Isaiæ filius; quod planè statim intelligimus, ubi gemini illi textus unâ sermonis serie, quemadmodum a Prophetâ pronunciati sunt, juncti legantur. Constat enim, versiculis 14 & 15 de eodem Emmanuele sermonem haberi.

Id etiam priscis Ecclesiæ Patribus ex contextu sermonis & rerum scitè animadversum est, geminos hosce filios sejungi non posse, seu potiùs ex uno duos reddi. Quare applicato oraculi sensu, in quo de Emmanuele sermo, ad Jesum Christum, consequentem ejusdem vaticinii seriem de illo exposuerunt. Ita, eorum quidem sententiâ, nedum quæ de Emmanuele capite VII, 14, 15, 16, & capite VIII, 8, dicuntur, ad Messiam referenda sunt; sed de illo etiam explicari necesse est, quæ capite VIII, 1, 2, 3, 4, de filio Prophetissæ legimus, cui nomen, *Velociter spolia detrahe*; & ea quæ de Principe pacis, Consiliario, Deo forti, &c. (n). Norant enim, vix fieri posse, ut hæ Oraculi partes divellantur, quin totum simul ipsorum systema, totaque vis Oraculi, de Messia prolati, convellatur. Quæ argumentandi ratio apud illos multò constantior est, quàm apud recentiores Interpretes, qui auctoritate Patrum ad primam & postremam vaticinii partem de ortu Jesu Christi exponendam usi, de reliquo, illis neglectis, novam sibi viam struxerunt.

(n) *Eus. in Isai.* VII, *& in Isa.* VIII, 1, 2: Ἐπαναλαμβάνει τὴν διήγησιν τὴν περὶ τῆς γεννήσεως τοῦ Ἐμμανουήλ. *Hieron. in Isai.* VIII, 1, 2, 3, *pag.* 75, 76: *Promittitur ei Virgo paritura Filium, cujus nomen sit Emmanuel .... Rursus ergo sub aliâ figurâ partus describitur Virginalis. Nempe cap.* VIII, 1, 2, 3. *Ita Aug. de Civit. lib.* 17, *c. ult. Epiph. hær.* 78; *Eus. lib.* 7 *Demonstr. c.* 2; *Ambros. in Luc. cap.* 1, *n.* 41; *Tertull. de Trinit. Ita & Cyrill. Basil. Procop. Rupert.*

Illud etiam in nostram sententiam objiciunt, nunquam fieri potuisse, ut Achaz & populus universus, ad quos verba faciebat Isaias, aliter Oraculum de Emmanuele intelligerent, quàm quòd nasciturus Prophetæ filius expectaretur. Prostratis Regni rebus, Rege in ultimam desperationem adducto, quòd imparem se duobus simul Regibus sentiret, Isaias solatium aliquod allaturus territis venit. Erecti in spem animi prodigiosum aliquid e manu Dei expectabant, quo tandem pristinæ felicitatis serenitas tot procellis afflicto Regno restitueretur. Oraculo prædicit Isaias futurum, ut intra biennii sive triennii spatium, viribus hostium fractis ac dissipatis, pax afflictis restituatur. Hujus promissionis pignus exhibiturus, oriturum mox infantem nunciat, nondum conceptum; quo nondum intelligente mali a bono discrimen, sua futura esset oraculo fides. Nonne hiantes corvos fefellisset Propheta, si opportunam opem sperantibus, cujus habituri essent veluti argumentum natalitia promissi Infantis, Messiæ adventum, post septingentos denique annos implendum, promisisset?

Tandem, ajunt, vox *Alma*, quam nos reddimus *Virginem*, maximum nostræ hypotheseos fundamentum, variæ est, si qua alia usquam, significationis in Scripturâ. Interdum enim exprimit Virginem claustro tutam, quæ ab injuriis virorum castitatem tuetur; non rarò puellam, quæcumque tandem illa sit, virginitate minimè specta-

spectatâ; quandoque puellam quæ a virginitate exciderit. Denique, ut Græca vox *Parthenos*, & Latina *Virgo* abusione quadam interdum de puellâ etiam matrimonio junctâ usurpatur; ita pariter Hebræa vox *Alma* variè sonat pro rerum connexione, & sermonis contextu. Hæc omnia, allatis argumentis, statim demonstrabimus.

Cùm itaque apud Prophetam jungatur vox *Alma* illi sententiæ, *Concipiet & pariet filium*, ita accipienda est, quasi Virginem designet mox nuptui dandam, quæ deinde conjugii fructum filium pariet; vel etiam puellam jam nuptam, futuram deinde consuetis naturæ legibus matrem. Non aliter Rex Achaz cæterique vaticinii sensum assequi poterant; satisque ex orationis serie vocis *Alma* significatio declaratur. Si quid autem prodigii Rex expectabat, non erant infantis e Virgine parente natalitia, sed illud solummodo, quod puella, nondum mater, paritura promittebatur, editusque puer futurus esset argumentum ac pignus rei, quæ tum temporis expectationem omnem superabat; nempe imminentis Regnorum Samariæ, & Damasci excidii, atque Judaicæ liberationis. En, inquiunt, prodigium.

Ut has difficultates eluamus, in præsenti statuendum id quod maximi momenti est oraculorum sensibus promendis, nimirum, Prophetis solemne fuisse, Oracula sua de Messia, cùm aliis de rebus agerent, pronunciare. Ita dum de Davide, Salomone, Ezechia, Zorobabele verba faciunt, statim ad Jesum Christum rapiuntur: vel de Cyro, deque Babylonicæ captivitatis exitu agentes, Messiæ decora & humani generis redemptionem innuunt. Interdum orationis exordium a suæ ipsorum missionis, muneris, laborum atque ærumnarum narratione facientes, veluti gradu facto, ad vitam, mortem, Passionem Messiæ ascendunt. Nec rarò illi quidem, vel oblatâ semel occasione id agunt, sed veluti certam eam legem, ac morem sequuntur. Id olim S. Hieronymo cæterisque deinde Interpretibus observatum est [o]. Sapientissimus hic æquè ac sanctissimus Scripturarum Interpres, illud etiam in Prophetis observatum promit in caput I Malachiæ: *Sic futurorum texit vaticinium, ut præsens tempus non deserat.* Vaticinia igitur vicinos ac præsentes rerum eventus ita spectant, ut simul missionis ipsorum, & Divini Spiritûs, quo afflantur, argumentum sint, rerumque magis remotarum, quas ipsi nunciant, pignus.

(o) *In Jerem.* VIII; *& in Isai.* III, *&* XX; *& in Nahum*, II: *Hinc vel maximè obscuri sunt Prophetæ, quòd repentè, dum aliud agitur, ad aliot persona mutatur.*

Hæc, generatim de vaticiniis Prophetarum observata, præsenti argumento accommodanda sunt. Propheta pignus aliquod futuræ mox liberationis Regi exhibiturus, oriturum filium in hujus rei argumentum nunciat; quem planè filium, antequam is a bono malum præ ætate distinguere norit, promissa Regni felicitas consecutura est. Sed plus aliquid despondenti animis Regi pollicetur Propheta: futurum nempe dicit, ut Messias e parente Virgine oriatur; deinde Messiam, fulguris more vix demonstratum, subitò deserens, iterum ad natalitia filii sui, veluti pignus demum implendi oraculi, regreditur. Emmanuel sive Messias potissimas Prophetæ meditationes occupat; expectationem verò, & mentem Regis & populi tenet vaticinio prædictus ejusdem Isaiæ filius. Nihil duobus hisce natalitiis commune; nisi fortè filius Prophetæ tamquam oblata aliqua occasio habeatur, ut oraculum de Messia præter naturæ leges gignendo promeretur.

Solent plerumque Prophetæ, de argumento aliquo historico & literali agentes, opportunam capere occasionem, ut de Messia aliquid prodant. Isaias planè contrarius, nunciatis priùs natalitiis Jesu Christi e Virgine parente, recidit tandem ad filium suum, veluti pignus futuræ liberationis Juda promissum. Hac in re illius vaticinium a cæteris distinguitur, quæ res pluribus negotium facessere in intelligendâ mente Prophetæ visa est. Cùm autem Vates, ceu fulgure exhibito, quamquam vivido & lucidissimo, Messiam indicaverit, ne quis forte minùs advertens decipiatur, ad idem argumentum sæpiùs redit, novos semper illius characteres depromens, quibus tandem Messias ab omnibus agnoscatur. Hunc enim nominat Deum fortem, Principem pacis, qui solium in æquitate & justitiâ constitutum & æternum tenet. Quis Messiam a cæteris distinctum non agnoscat?

Possunt igitur verba illa, *Virgo concipiet & pariet, & vocabitur nomen ejus Emmanuel*, sive absoluto sensu & a reliquâ oratione divulso spectari; quo sensu nemini præter quàm Messiæ e Virgine Parente nato convenient: sive cum reliquo sermonis contextu, & cum oraculo de filio Isaiæ conjuncta; atque eo sensu, una poterit Jesu Christi, Apostolorum, Patrum, Ecclesiæ authoritas suadere, ut hæc verba, & reliqua ad Messiam spectantia, in consequentibus recitata, a cæteris vaticinii partibus, de filio Isaiæ agentibus, avellamus. Hoc vaticinium ex iis reputandum est, quorum duplex est sensus, alter ad literam, alter traditione indicatus; e quibus alter ab eventu post remotum aliquod tempus implendo pendet, alter mox complendus expectatur. Hoc admisso, duos sub nomine Emmanuelis viros agnoscamus oporter, hunc ad literam proditum, nempe Messiam; alterum sequenti versiculo indicatum, nempe filium Isaiæ. Ille Deum habet patrem, matrem Virginem, totique humano generi salutem allatur

tur

tus est; hic e Prophetâ & Prophetissâ natus, divinarum promissionum pignus est & argumentum. Quod in eo vaticinio agnoscimus, id in omnibus metaphoris & allegoriis spectatur, ut duplex sub earum vocibus sensus lateat. Cùm dicimus *fulmen belli*, duo quædam grammatico sensu planè discrepantia exprimimus, quæ tamen in unam personam strenui militis junguntur.

Quamquam aliam inivisse viam in expositione ejusdem vaticinii Patres Ecclesiæ videntur, quàm quæ vulgo hodie a nostris Interpretibus tenetur; non id tamen repudiandum est, quasi inter se utrique pugnent, vel Ecclesia in eo argumento aliquid variasse credatur. Unâ semper constantique sententiâ docuit Ecclesia, vaticinium illud Jesu Christi e Virgine parente ortum exprimere; sed Patres, quibus solemne erat sensui literali figuratum conjungere, e re esse censuerunt, ut figurarum æquè ad omnia Prophetæ verba, quæ propriè ad Isaiæ filium attinent, extenderent, ac de Messia interpretarentur. Paria in aliarum rerum interpretatione servarunt. Semel persuasi, Salomone Messiæ typum exhiberi, omnia, quæ propriè ad Salomonem pertinebant, figurato sensu de Jesu Christo exposuerunt. Non est igitur, cur invidia in nos creetur, quasi pugnantia loquamur, si literali sensui inhærentes, iis, quæ de filio Isaiæ apertissimè pronunciata esse intelligimus, illi relictis, nihil Jesu Christo tribuamus, præter ea, quæ literâ demonstrante de illo prolata esse noscuntur. Nec tamen negamus, ea quæ historico sensu filium Isaiæ produnt, per figuram Jesu Christo convenire, quemadmodum & Patres interpretati sunt.

Ultro fatemur, Achazum cæterosque populos, Prophetam audientes, totos in expectatione filii Prophetæ occupatos fuisse; at nihil illos cogebat in eâ tantùm interpretatione consistere: ipsa enim Prophetæ verba ad aliud deducunt. Cùm de partu mulieris nuptæ agendum est, an illâ phrasi utimur, *Virgo concipiet & pariet filium?* Si Emmanuel idem est puer vocatus postea, *Velociter spolia detrahe*, cur sub nomine Emmanuelis promissus, cùm postea in lucem venit, non idem Emmanuelis nomen a patre obtinet? Quo pacto in Isaiæ filium convenire verba illa magnifica credi poterant? Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, qui sedebit super solium Davidis, &c.

Licèt Judæi, Jesu Christo coævi, cæterique, qui vaticinantem Isaiam audiebant, non satis fortasse noscerent futurum, ut Messias e Deo satus, Deus foret, atque e Virgine Parente nasceretur; mysterium tamen aliquod in illis verbis suspicatos esse constat: *Virgo concipiet & pariet filium*: ita enim de Jesu Christo locutos legimus (p): *Hunc scimus unde sit: Christus autem cùm venerit, nemo scit unde sit*. In ipso autem missionis suæ exordio sibi laborandum non censuit Jesus Christus, ut totum Incarnationis & natalium suorum prodigium exponeret (q). Mysterium illud plures discipuli ejus ignorarunt, rati e parente Josepho prodiisse. Cùm S. Philippus illum a se agnitum convênit, tamquam merum Prophetam habuit: *Quem scripsit Moyses in Lege, & Prophetæ, invênimus Jesum filium Joseph a Nazareth* (r). Sola ejus prodigia totam illi Messiæ opinionem conciliabant, neque consulere eâ de re singulas Oraculorum partes opus fuit; suo enim tempore tandem referandæ erant. Quare opportunum illarum tempus expectandum erat. S. Matthæi Evangelium, veluti reducto velo, totum Oraculum denique expandit, ac fidei dogma constituit (s). Ante id temporis res erat pluribus quidem inter fideles in ambiguo posita: excuti dubia oportebat longâ miraculorum successione. Invehi mysterium illud primò decebat sub connubii involucris abditum; atque ipse tandem Mariæ maritus testis comparandus erat virginitatis Sponsæ suæ, ex quo totum generationis Jesu Christi prodigium peteretur. Messiæ parentem ligandam fore conjugio, nunquam Propheta negavit: nec virginitas & connubium duo sunt inter se pugnantia.

Traditione e priscis Patribus acceptâ asserit S. Chrysostomus (t), peculiari providentiæ suæ consilio noluisse Deum, ut statim Judæis parentis suæ & prodigiosæ generationis arcanum proderetur, cui tam sublimi veritati ferendæ nondum pares essent. Satis igitur habuit, primò Jesum promere tamquam filium Josephi, & e familiâ Davidis hæredem; reliquis opportuniori tempore reservatis. Porrò veteres istos Patres, non alios esse censeo præter S. Ignatium Martyrem Episcopum Antiochenum (u), Origenem (x), & fortè S. Basilium (y), apud quos paria legas. Docent etiam S. Hilarius (z), S. Ambrosius [a], aliique plures [b], id commisisse Deum, ut Maria, quamvis integro semper virginitatis flore mansura, nuptum daretur, ut generationis Messiæ arcanum ipsos Dæmones laterêt, nihilque discriminis ex eo partu Mariæ nomini immineret, utpote sub specie conjugii protecto; prodigiis enim Filii Virginitate Mariæ nondum probatâ, quid aliud quàm fœmina corruptissima haberi potuisset?

Oraculum igitur, generationem Messiæ e Virgine parente prænuncians, non ita erat omnibus exploratum, ut ea veritas neminem laterêt. Id enim homines si vulgò scissent, Jesum Christum Messiam esse procul dubio negassent, cujus utrumque paren-

tem

(p) *Joan.* VII, 27.

(q) Bossuet, Explication de la Prophetie d' Isaie, VII, 14, pag. 8, 9...... 27.

(r) *Jo.* I, 45.

(s) Bossuet, *loco cit. pag.* 20, 26.

(t) *Chryf. hom.* 3 *in Matth.* Οὐκ ἐβούλετο τοῖς ἰουδαίοις εἶναι δῆλον παρὰ τὸν τῶν ὠδίνων καιρὸν, ὅτι ἐκ παρθένου γεγέννηται ὁ Χριστὸς, ἀλλὰ μὴ θορυβεῖσθε πρὸς τὸ παράδοξον τοῦ λεγομένου. Οὐ γὰρ ἐμὸς ὁ λόγος, ἀλλὰ πατέρων ἡμετέρων, θαυμαστῶν καὶ ἐπισήμων ἀνδρῶν, &c.

(u) *Epist. ad Philadelph.*

(x) *In Luc. hom.* 6.

(y) *Homil. de humanâ Christi generatione.*

(z) *In Matth. can.* 1.

(a) *In Luc. lib.* 2, *& lib. de Instit. Virg. cap.* 6.

(b) *Hieron. in Matt. Theoph. in Matt. Bernard. super Missus est.*

tem se nosse arbitrarentur: neque id unquam commisisset Jesus Christus, ut patrem suum appellarent Josephum, nec matrem suam voluisset communem aliquam fœminam haberi, uxorem Josephi, quæ connubii sui fructum Jesum Christum genuisset. Nec tamen id etiam habebant exploratum, utrùm communi hominum viâ Messias in mundum venturus esset: minimè enim alioqui se continuissent Judæi, quin rejiciendi Evangelii inde argumenta ducerent, quòd natus in illo Jesus Christus e Virgine parente, contra id quod de Messia futurum credebant, legeretur. Res igitur erat, uti aliæ plures, ambigua, quam longa rerum eventuumque series tandem explicatura esset. Ita planè accidit, ut plurium oraculorum, quibus pugnantia inter se & vix intellectui pervia prædici videbantur, veritas tandem adventu Jesu Christi, ejus vitâ, passione, & morte in apertum produceretur. Nulla sanè alia potuit causa esse Apostolis, ut Mariæ virginitatem, atque prodigiosam Jesu Christi generationem depromerent, præter quàm ut ferrent illustre veritati testimonium, Deoque gloriam conciliarent. Omnes enim humanæ prudentiæ leges jussissent, ingratam veritatem silentio premi, ne fortè propagationi fidei apud Judæos atque Ethnicos obstaculum poneretur.

Inter Judæos recentiores non satis de generatione Messiæ e parente Virgine convenit; alii enim pro illâ, numerus sanè major contra illam producitur. Laudantur Rabbi Hunna, & Josue (c), qui ex vaticinio Jeremiæ, XXXI, 22, *Fœmina circumdabit virum*, hanc Parenti Messiæ dotem asserunt. Nullum habitura exemplum inter homines Messiæ natalitia R. Jodem (d) affirmavit, quòd scilicet, ait ille, sine corporum mistione is gignendus sit: & R. Barachias in illud Psalmi CIX, *Ex utero auroræ bodie genui te*, docet, sine coitu humano, sed Divino prodigio Messiam oriturum. Cæteri tamen Rabbini omnia hæc testimonia suspicionis accusant, ab impostore aliquo, sive Judæo ad Christianorum partes deficiente, procusa esse comminiscentes.

Ignatius Landriani Monachus Olivetanus, in Libro de Virginis partu a se scripto (e), frustra se in scriptis Judæorum laudata a Galatino aliisque testimonia quæsivisse fatetur; ratus proinde operâ recentiorum Rabbinorum post Galatinum ex illis erasa, nuspiam deinceps apparuisse. Ipse verò alia nonnulla e Judæis Cabalistis in medium adducit, obscurissima, & quæ vix præterquàm Hebraicè scripta intelligantur; versantur enim omnia in vocibus & literis Hebraicis, variè inter se comparatis. At, quamvis possemus, inanis labor esset, eos locos recitare, cùm soli Judæi Cabalistæ his possent, veluti argumento, uti vocant, *ad hominem*, evinci: adversùs cæteros Rabbinos nihil valet nisi res, & literalia documenta.

(c) *Vide Galat. lib.* 1, *c.* 14; *Sanctem Pagnin. Comment. in Pss. apud P. Landriani, tract.* 1 *de Virginis partu, cap.* 4, &c. *Mediolani*, 1639.

(d) In eum locum Psalmi LXXXIV, 12: *Veritas de terrâ orta est, & justitia de cœlo prospexit*; apud Galatin. lib. 8, cap. 2.

(e) *Tract.* 1, *cap.* 4.

Sed nobis sanè consultissimum simul & expeditissimum videtur, hisce omnibus in medio relictis, ad alia nos conferre. Quamvis enim consensus quorumdam parvo numero Rabbinorum accederet, levissimum ex eâ re argumentum oriri in cæteros posset, qui vaticinium illud aliter ac nos exponunt, & scripta illa a nobis opposita suspicionis arguunt. Ad rem magis facere credimus authoritatem Septuaginta, & Caldæi, vetustissimorum omnium, qui nostrâ ætate supersint, Authorum apud Judæos. Illi enim reddunt æquè ac nos: *Virgo concipiet & pariet*. Præter hæc, Veteres quidam RR. suppetunt in Talmud, ad Messiam referentes caput IX Isaiæ, quod sanè continuatio est sermonis in capite VII & VIII de eodem argumento instituti. Tandem paria sensisse Judæos suorum temporum, Tertullianus (f) & Eusebius Cæsariensis (g), quarti sæculi Scriptor, pro suâ quisque ætate testantur. Hæc Judæis bonæ fidei evincendis sufficiunt; si enim obstinatâ mentis pervicaciâ rem agere voluerint, nihil erit quod contra illos valeat.

(f) *Contr. Jud. cap.* 9.

(g) *Demonstr. lib.* 7, *cap.* 7.

Porrò systema illud jamdiu a Judæis excogitatum, nimirum puerum promissum capite VII, 14, 15, cujus deinde natalitia narrantur capite IX, additis magnificis, & amplissimis titulis, alterum non esse quàm Ezechiam filium Achazi, systema, inquam, illud falsitatis nullo negotio arguitur. Natus est enim Ezechias octo sive decem annis, antequam pater Regni Juda solium ascenderet; regnasse autem Achazum constat, cùm ab Isaia oraculum Emmanuelis mox orituri accepit. Minimè igitur Isaias Ezechiæ natalitia vaticinabatur. Narrante Scripturâ [*] scimus, Achazum non nisi XVI annis regnasse; patrium verò Regnum adivisse Ezechiam XXV annorum ætate; quare antequam regnaret pater, illum natum fuisse constat. Porrò Oraculum hoc Isaiæ ad primum sive secundum annum Achazi pertinet; igitur, &c. Fateor quidem, Scripturæ verbis significari, alios fuisse Achazo filios: sed qui hæreditario jure Regnum adierit, solus legitur Ezechias. Quamobrem Oraculum Isaiæ de filio (h), appellato *Principe pacis, qui super solium David sedebit, & corroborabit Regnum suum in judicio & justitiâ usque in sempiternum*; non alteri potuisset quàm Ezechiæ convenire. Legimus etiam (i) de Achazo: *Lustravit filios suos in igne, juxta ritum gentium, quas interfecit Dominus in adventu filiorum Israël*. Ex his certè filiis nemo prophetico vaticinio designatur.

(*) 4 Reg. XVIII, 4.

(h) *Isai.* IX, 6, 7.

(i) 2 *Par.* XXVIII, 3.

Neque ego pervicaciùs certo, vocem Hebræam עלמה *Alma* nihil unquam nisi virginem reverâ talem designare: facilè concesserim, abusione quâdam interdum usurpari de adolescentulâ, non quidem virginitate inspectâ, sed ætate (*k*). Nullus tamen dubito, quin propria & genuina hujus significatio sit, *Virgo*: nec alterum supperit Hebræis vocabulum, quo innupta puella meliùs designetur. Derivatur *Alma* e radice, quæ sonat occultum & clausum esse; mos est enim Judæis, in toto pariter Oriente familiaris, ut in ædium parte, matribus illarum assignatâ, puellæ Virgines detineantur, veluti in claustro. Id sexcentis Scripturæ locis proditur. Amnon filius David sororem suam ex alterâ matre sataw deperiens, nullam optatâ puellâ spem potiundi relinqui sibi querebatur (*l*), quia cùm esset virgo, arduum censebat quippiam inhonestè agere cum illâ: puellæ scilicet arctâ custodiâ & viris inviâ in ædibus clausæ detinebantur.

Hinc apud Macchabæos (*m*) puellæ virgines *conclusæ* appellantur; eodemque utitur epitheto Ecclesiasticus (*n*). In secretissimis ædium penetralibus detineri illas, continentes se ne pudorem suum vitis prodant, Philo testatur (*). Observat insuper S. Hieronymus, Isaiam in eo Oraculo abstinuisse a voce *bethula*, quæ de puellâ tantùm usurpatur; sed usum voce *alma*, quæ virginem designat, nunquam oculis virorum prodeuntem (*o*). Hæc est genuina significatio vocis linguâ Punicâ, quam eamdem origine cum Hebræâ & Phœniciâ scimus. Major & universa ferè veterum Interpretum, ac recentiorum turba reddit *Virginem*; & Aquila, qui semel & iterum vertit *adolescentulam*, in Genesi tamen, XXX, 19, reddidit *Absconditam*. Jure igitur meritoque nos eamdem retinemus significationem, donec de contrario non constiterit.

Reverâ quamquam Latinum *Virgo* sonat interdum fœminam non virginem, & *puella* fœminam nuptam; nemo tamen satis ex his convincere poterit, veram & genuinam ambarum vocum significationem non esse hujus quidem Virginem reapse talem, alterius adolescentulam nondum viro datam. Solus verborum contextus aliam geminis hisce vocabulis significationem conciliare potest. Ita in Judith, XVI, 14, legimus: *Filii puellarum compunxerunt eos*: & Joël (*p*): *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis tuæ*. Utrobique sanè sermo est de fœminis jam nuptis. Apud Virgilium Pasiphae trium liberorum mater, virgo appellatur Eclogâ VI:

Ah virgo infelix, quæ te dementia cepit?

Et Georgicôn IV de Euridice uxore Orphei:

Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas altâ non vidit in herbâ.

Plura, si ad rem nostram opus esset, exempla congerere possemus (*q*). At his satis demonstratum arbitror, abusione quâdam voces aliquas aliter usurpari, quamquam assertæ sint & minimè ambiguæ significationis. Ita etiam S. Paulus, quamvis natum e Virgine Christum sciret, scripsit nihilominus de illo: *Natum ex muliere* (*r*). Et S. Lucas, de Virginitate Mariæ optimè meritus, salutantem in hæc verba Mariam Angelum Gabrielem inducit: *Benedicta tu inter mulieres* (*s*).

Ut igitur genuinum sententiæ alicujus sensum assequamur, textus priùs, deinde orationis series, tum mens Authoris expendenda, cujus rei causâ illud scripserit; deinum illi consulendi, qui optimè nosse earum vocum significationem creduntur. Nobis autem favent hæc omnia. Vox *Alma* sonat apertissimè & constanter Virginem. Fateor quidem jungi illi sententiæ, *Concipiet, & pariet*; sed divino prodigio fieri poterat, ut eadem Virgo simul esset & mater. Favet etiam huic significationi ipsum tempus. Isaias prodigium se aliquod exhibiturum Regi pollicetur, statimque subdit, Virginem uterum laturam & parituram. A vero igitur non abhorret, totam prodigii expectationem ad Virginis partum referendam esse. Idem colligitur ex totâ sermonis serie; ubique enim legentibus offertur puer homine major, & prodigio natus.

Si Judæorum Interpretes vetustissimi, nempe Septuaginta, & Paraphrastes Caldæus, consulantur, eos quidem lego Hebræum *Alma* reddere Virginem. Ferebantur in eam sententiam de ortu Messiæ e Virgine parente Judæi Jesu Christo coævi. Apostoli & Evangelistæ, quamvis nullâ ad id cogerentur utilitate, constanter tamen, usque ad effusionem sanguinis, Mariæ Virginitatem proclamarunt. Josephus, Mariæ vir, qui injurias thalami sui æquiori animo minimè tulisset, qui pariter nihil e re suâ putasset, de Virginitate uxoris testimonium dicere; qui ne visis quidem maximis Jesu Christi prodigiis, & ante assertum Jesu Christo Messiæ titulum obiit; Josephus, inquam, omnium primus Mariæ integritatem, & Jesu Christi prodigiosam generationem testimonio suo asseruit. Mahometus, ille virginitatis osor, refragari huic veritati non audet. Asserit, & tamquam dogma fidei credendum proponit Ecclesia Christiana, non aliam esse hujus Oraculi significationem procul dubio credens. Hæc satis superque sunt, ut docilis & præjudicatis opinionibus vacua mens convincatur.

DIS-

(k) *Prov.* XXX, 19: *Viam viri in adolescentiâ. Hebr. in adolescentulâ*, בעלמה

(l) 2 *Reg.* XIII, 2: כי בתולה היא

(m) 2 *Macch.* III, 19: Αἱ κατάκλειστοι τῶν παρθένων. 3 *Macch.* I, 18: Ἀνάνδρυφοι.

(n) *Eccli.* XLII, 9: Θυγάτηρ ἀπόκρυφος.

(*) *Philo contra Flaccum*: Θαλαμευόμεναι παρθένοι δι' αἰδῶ τὰς ἀνδρῶν ὄψεις, καὶ τῶν οἰκειοτάτων ἐκτρεπόμεναι. *Idem, de specialib. legib.* Τελάσαι δὲ θυρίαι, καὶ ἔνδον μονή. Παρθένοις μὲν εἴσω κλισιάδων μεσαύλιον ὅρον πεποιημέναις. Τελείαις δὲ ἤδη γυναιξὶ τὴν αὔλιον.

(o) *Hieron. in Isai.* 7: *Ergo Alma non solùm puella, sed cum ἐπιτάσει Virgo abscondita dicitur, & secreta, quæ nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magnâ parentum diligentiâ custodita sit.*

(p) *Joël.* I, 8: אלי כבתולה

(q) *Horat. lib.* I, *Ode* 29: *Quæ tibi Virginum, Sponso necato barbara serviet? Varro de re rusticâ, lib.* 2, *cap.* 10: *Nec non etiam hoc, quas Virgines ibi appellant, annorum* XX, *quibus mos eorum non denegavit ante nuptias, ut succumberent quibus vellent, &c.* Aulus Gellius *lib.* 12, *cap.* 1, non tarò fœminas statim a puerperio puellas nuncupat. Et Virgilius, *Georg. lib.* 3, de Hero uxore Leandri, *Nec moritura super crudeli funere Virgo*.

(r) *Galat.* 4, 4: Γενόμενον ἐκ γυναικός.

(s) *Luc.* 1, 28: Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξί. *Vide & V.* 42.

DISSERTATIO
DE CLADE EXERCITUS SENNACHERIBI.
Isai. XXXVII, 36.

Excusso Assyriacæ dominationis jugo ab Ezechia, Sennacherib Rex Assyriorum in Judæam cum exercitu venit (a). Quam tamen antequam redigere in potestatem aggrederetur, arma priùs inferenda duxit in Ægyptium, quocum, utì & cum Rege Chus, Ezechias belli societatem inierat. Post afflictam igitur triennio Ægyptum (b), arma vertens in Judæos, præcipuas regionis Urbes domuit. Ezechias interim prostratam Ægyptum sibi fœderatam cernens; pacis conditiones a Sennacheribo quæsituros legatos misit. Conventum inter illos, ut Assyrii, reductis armis, ccc talentorum argenti [c], & xxx talentorum auri (d) summam acciperent. Verùm solutâ a Judæis pecuniâ, Assyrius missis tribus Præfectis, Rabsace, Rabsari & Tarthano, Judæis deditionem imperavit. Regis jussa Rabsaces arroganter adeò, tantisque in Deum conviciis exposuit, ut exhorrens & consternatus Ezechias, scissis vestibus & sacco indutus ad Templum Domini, opem a Domino impetraturus, cucurrerit; simul jubens Isaiam Prophetam acciri, quem de re totâ certiorem faceret. Propheta nunciari jussit Regi, nihil esse, cur terrore minarum Sennacheribi commoveretur; sciret enim, coactum hostem rebus suis consulere, Jerosolymam relicturum intactam; quin & in regionem suam profugum, gladio tandem perimendum.

(a) 4 Reg. XVIII.

(b) Beros. apud Josephum, Antiq. lib. 10, cap. 2; Herod, lib. 2, cap. 142.

(c) Reddunt 1460156 libras, & 5 solidos Gallicos.

(d) Reddunt 2085937 libras, & 10 solidos Gallicos.

Rabsaces quidem, nullo ab hostibus accepto responso, ad Regem se contulit, qui solutâ obsidione Lachis, Lobnam, Urbem e Meridionalibus Juda, tentabat. Simul autem audiens Sennacherib, Tharacam Regem Chus, nempe illius Arabiæ partis, quæ ad inferiorem Ægyptum porrecta, plagam Orientalem extremæ oræ maris rubri tenet, Tharacam, inquam, auxiliares copias ad Ezechiam ducere (e); occurrendum hostibus duxit, datis priùs literis ad Ezechiam, minacibus oppidò & in Deum conviciosis. Eas literas Ezechias in Templum intulit, & coram Domino statuens, divinam ejus opem etiam atque etiam imploravit. Tunc Isaias despondentem animis Regem confirmavit, simul nuncians, suppetias Jerosolymis Dominum laturum, tum & commissurum, ut coactus referre arma Sennacherib, nullam inferret Jerosolymæ injuriam. Oraculo sua fides stetit: per quietem enim ejusdem noctis Angelus Domini descendens, hostes insigni cæde ita prostravit, ut CLXXXV millia hostium desiderarentur; coactusque statim pedem referre in patriam Sennacherib, aliquandiu pòst filiorum gladio extinctus est. Hæc historia est deleti exercitûs Sennacheribi, quam nos in examen revocamus, utpote apud Scripturam, Interpretes, & historicos profanos non unâ ratione descriptam. Singula hic explicabimus, dissitas variorum opiniones pro viribus conciliaturi.

(e) 4 Reg. XIX, 9, 10.

Qui primus nostras meditationes exercet, Angelus in cædem Sennacheribi descendens occurrit; hunc enim Interpretum nonnulli bonum Angelum credunt [f], sive Gabrielem, populi Dei propugnaculum, sive Michaëlem, Synagogæ Patronum. Alii malum Angelum, eumdem facilè, quem authorem cædis primorum natu in Ægypto suspicantur [f]. Ex veteri traditione acceptum tenent Hebræi (h), igne cœlitus lapso ita correptos fuisse Assyrios, ut in cineres favillasque redactis corporibus, vestes remanerent intactæ: quare ad prædam accurrentes Judæos, excusso cinere, omnes sibi vestes habuisse. Censent autem, id quod etiam pluribus Interpretibus placuit, insignem hanc exercitûs Assyrii cladem, in ipsâ Jerosolymæ obsidione contigisse; adduntque, Sennacheribum adhibitis tantum decem e suis, præcipiti fugâ saluti suæ consuluisse, reliquis omnibus absumptis.

Laudant in hanc sententiam illud Isaiæ [i]: *Propter hoc mittet Dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem; & subtus gloriam ejus* [nempe sub vestibus splendidissimis] *succensa ardebit quasi combustio ignis. Et erit lumen Israel in igne, & Sanctus ejus in flammâ; & succendetur, & devorabitur spina ejus, & vepres in die unâ. Et gloria saltûs ejus, & carmeli ejus ab animâ usque ad carnem consumetur; & erit terrore profugus. Et reliquiæ ligni saltûs ejus præ paucitate numerabuntur, & puer scribet eos.*

(f) Tostat. in 4 Reg. XVIII.

(g) Exod. XII, 29. Vide Psal. LXXVII, 49.

(h) Apud Hieron. in Isa. X, 16. Vide & Auth. Serm. ad fratres in eremo, Hug. Cardin. in 4 Reg. & alios.

(i) Isa. X, 16, 17, 18, 19.

(k) *In Isa. xxxiii, 3.*

Verùm S. Hieronymus [*k*] ex Judæis accepiſſe ſe dicit, Angelum Gabrielem deſcendiſſe a Deo, vindicem in Aſſyrios, quem Angelum deſignatum cenſent nomine *Hamon*, ſive multitudinis; in Iſaia enim quo loco legimus, *A voce Angeli fugerunt Populi*; Hebræus habet: *A voce multitudinis fugerunt*, *&c.* quæ verba LXX & alii Interpretes explicant de terrore, qui ſubitò in Aſſyrios lapſus, omnes in fugam vertit, donec occurrente Angelo exterminatore, omnes interempti ſunt.

(l) *Isa. IX, 3, 4, 6.*
(*) *Judic. VII, 18, 19, &c.*

In mutuam cædem ſæviiſſe Aſſyrios, Interpretum alii malunt; orto enim inteſtino diſſidio, deſtinata hoſtibus arma in ſe ipſos verterunt. Id enim in ſubito terrore, cæciſque nocturnis tumultibus accidit, in quibus obvius quilibet pro hoſte habetur. Suffragatur Iſaias (*l*): *Lætabitur coram te* (Populus tuus) *ſicut exultant Victores captâ prædâ, quando dividunt ſpolia. Jugum enim oneris ejus, & virgam humeri ejus, & ſceptrum exactoris ejus ſuperaſti, ſicut in die Madian*[cùm in mutuam cædem [*] Madianitæ ſævierunt]. *Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum mixtum cum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis.* Quaſi innuat Propheta, futurum ut veſtimenta, crebris vulneribus lacerata, & ſanguine fœdata, ad nullos proinde apta uſus, igni tradantur.

(m) *Isa. XXXIII, 4.*

Eamdem ſententiam præſeferunt alia Iſaiæ verba (*m*): *Congregabuntur ſpolia veſtra, ſicut colligitur bruchus, vel cùm foſſæ plenæ fuerint de eo.* Rejectæ enim ad litus locuſtæ ſive incensâ pyrâ cremantur, ſive defoſſâ humo operiuntur, ne quid noxæ ac peſtis aëri inferant. Ita planè cum Aſſyriis fiet, quorum veſtes ſanguine fœdatæ, nequid circumfuſo aëri virulentum ex eorum afflatu inducatur, ſive defoſſâ humo operientur, ſive igne cremabuntur.

(n) *Eccli. XLVIII, 24:* Ἐξέτριψεν αὐτοὺς ὁ Ἄγγελος αὐτοῦ.

Occiſos interno aliquo & ignoto ulcere, interiora depaſcente, Toſtatus & Salianus maluerunt. Eccleſiaſticus habet [*n*]: *Contrivit illos Angelus Domini.* Veluti cùm homo fulmine tactus, ſolâ viſcerum concuſſione, ac tenuiſſimarum fibrarum vaſorumque ſanguineorum turbatione perimitur, ita planè & cum Aſſyriis factum ab Angelo Domini, innuere Author videtur.

(o) *Joseph. Antiq. lib. 10, cap. 2.* Ὑποστρέψας δὲ Σενναχήριβος ἀπὸ τῶν Αἰγυπτίων πολέμων ἐπὶ τὰ Ἱεροσόλυμα, καταλαβὼν ἐκεῖ τὴν ὑπὸ τῷ στρατηγῷ Ῥαψάκῃ δύναμιν, τοῦ Θεοῦ λοιμικὴν ἐνσκήψαντος αὐτοῦ τῷ στρατῷ νόσον, καὶ τὴν πρώτην τῆς πολιορκίας νύκτα, διαφθείρονται μυριάδες ὀκτὼ καὶ δέκα, καὶ πεντακισχίλιοι, σὺν ἡγεμόσι, καὶ ταξιάρχαις.

Joſephus (*o*) in Beroſi ſententiam concedere viſus eſt, cùm ejus verba, nihil de ſuo addens, laudet. Narrat igitur, ejuſdem Hiſtorici verbis, Sennacheribum, cùm arma ex Ægypto referret, ad exercitum, qui ſub Rabſace copiarum ſuarum Duce Jeroſolymæ obſidionem aggrediebatur, veniſſe. Sed primâ obſidionis nocte, ſubitâ divinitùs immiſsâ lue corrupto exercitu, CLXXXV millia virorum periiſſe. Quamobrem Regem cum reliquis copiis celeri fugâ Niniven ſeſe recepiſſe.

(p) *Lib. 2, cap. 141.*

Rumorem aliquem de Sennacheribi in Ægyptum bello, ejusque deleto divinitùs exercitu, Herodotus (*p*) ex Sacerdotum Ægypti narratione, ſed non ſine fabulis, audierat. Ita verò eam rem narrat. Sethon Rex Ægypti, ſimul & Vulcani Sacerdos, armis Sennacheribi Regis Arabum & Aſſyriorum preſſus, omnique militum ſuorum præſidio deſtitutus, in iis anguſtiis quid conſilii caperet incertus, Vulcani opem enixis precibus imploravit. Cùm poſt abſolutas preces in ſomnum reſolutus dormiret, Vulcanum per quietem vidit, a quo bono animo eſſe juſſus eſt, ſe enim facturum dixit, ut adversùs Sennacheribi vim protegeretur. Igitur Sethon ad pugnam cum paucis ſuorum procedens, Peluſium usque pervenerat; cùm eâdem nocte murium campeſtrium exercitus in caſtra Aſſyriorum ſubrepens, clam nervos arcuum, pharetras, loraſcutorum abroſit: quamobrem hoſtes mane ſurgentes, armorum robore deſtituti, fugâ ſe ſubducere coacti ſunt. Spectabatur in Templo Vulcani ſimulacrum Regis Sethonis, lapideum murem manu tenens, hoc adjecto epigrammate: *In me quis intuens pius eſto.*

(q) *Isa. XXIX, 6, 7, &c. XXX, 30; & Psal. LXXV, 6, 7, 8, 9, 10.*

Sed Iſaias [*q*] & Pſalmiſta diſertiſſimè aſſerunt, totam hanc Aſſyriorum cladem ſubito nimbo, adjectis fulminibus, eſſe tribuendam: *Et erit ſicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te; & ſicut favilla pertranſiens multitudo eorum, qui contra te prævaluerunt. Eritque repente confeſtim, a Domino exercituum viſitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magnâ turbinis, & tempeſtatis, & flammæ ignis devorantis. Et erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel* (ideſt, contra Urbem Sanctam). *Sicut ſomniat qui eſurit, & comedit; cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima ejus; & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, adhuc ſitit, & anima ejus vacua eſt; ſic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra montem Sion.*

(r) *Isai. XXX, 30, 31, 32.*

Hæc ſine ambagibus nimbum aliquem deſignant; ſed apertius aliquid (*r*): *Et auditam faciet Dominus gloriam vocis ſuæ* (nempe fragorem tonitrui ſui), *& terrorem brachii ſui oſtendet in comminatione furoris, & flammæ ignis devorantis: allidet in turbine & in lapide grandinis. A voce enim Domini pavebit Aſſur, virgâ percuſſus, & erit tranſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum. In tympanis & citharis, & in bellis præcipuis expugnabit eos. Præparata eſt enim ab heri Tophteth, a Rege præparata, profunda & dilatata. Nutrimenta ejus ignis & ligna multa: flatus*

Domi-

Domini ficut torrens sulphuris succendens eam. Alludit hic Propheta ad ea, quæ in valle Topheth spectabantur, ubi scilicet igne, qui Molocho perpetuus ardebat, humanæ victimæ in Sacrificium Numinis cremabantur. Cùm autem ea sacrificia fierent, ne exaudiretur miserorum ejulatus, prohibebat tympanorum atque instrumentorum musicorum fragor. Ferunt etiam, perpetuum arsisse ignem in eâdem valle, absumendis morticinis, quæ ex Urbe efferebantur. Porrò exercitus Sennacheribi inter fragores nimborum & tonitruum ita planè deletus est, ut inter instrumentorum strepitum sacræ Molocho victimæ absumebantur.

In Psalmo LXXV, nempe in cantico eâ occasione concinnato, hæc legimus: *Habitatio ejus* [Dei] *in Sion: ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum. Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde. Dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Ab increpatione tuâ, Deus Jacob, dormitaverunt, qui ascenderunt equos. Tu terribilis es, & quis resistet tibi? Ex tunc ira tua. De Cælo auditum fecisti judicium: terra tremuit, & quievit, cùm exurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terræ.*

Varias hasce sententias conciliare, tum per se arduum, cùm nobis nullâ necessitatis lege impositum est. Quòd enim inter varios Interpretes non conveniat, frequentissimè accidit. Satis superque habebimus, si ea omnia quæ de hac re in Scripturâ exhibentur, ita cum veritate constare demonstraverimus, ut nihil habeant pugnans, nihil non verisimile. Exercitum ampliùs CLXXXV millium virorum, variis constantem gentibus, dissitis inter se moribus & ingeniis, in mediâ regione hostili, hostibus cinctum, ubi validissimum hostem accedere intellexerit, subito terrore consternari agentibus bonis sive malis Angelis, subitâque procellâ per intempestam noctem turbatum in mutuam cædem ruere, nec mira nec sine exemplo res est. Fieri etiam potuit, ut ingruentibus fulminibus, procellâ, grandine atque imbribus, divulsisque lapidibus, cùm quisque pro suâ salute sollicitus huc illuc in tenebris discurreret, præcipitatione opprimeretur. Potuit etiam, & quotidiano exemplo accidit, lapsus e Cælo ignis, parte aliquâ castrorum correptâ, milites quàm plurimos absumere; & fulminum vis potuit multorum spiritus intercludere. Quis tandem in animum non induxerit, potuisse Angelum mortis plurimos intimo & ignoto ulcere percussos, quin aliquid in exteriori cute appareret, quod maximè sentit S. Hieronymus (*s*), perimere?

Varia cædis genera variis Scripturæ locis supra laudatis exprimuntur. Nunc enim Hebræi dicuntur spoliis cæsorum hostium locupletandi; nunc eorumdem hostium vestes, vulneribus laceratæ & sanguine fœdatæ, in pabulum ignis, ceu prorsus inutiles, destinatæ. Hæc omnia satis conveniunt cum iis quæ diximus, nempe exercitum deletum esse partim fulminibus, & tonitruis, partim Angeli ultoris gladio, partim igne, partim ense & præcipitiis.

Sed ea, quæ de Angelo exterminatore diximus, maturiori examine expendenda sunt. Huic enim Scriptura tribuit cædem primorum natu Ægypti (*t*), Israëlitarum seditiosorum in deserto (*u*), & eorum, quos in odium instituti census in populo a Davide Dominus perêmit (*x*). Nec alteri tribuuntur Jobi mala [*y*]. Ex Græco ejusdem Jobi [*z*] discimus, hanc olim stetisse Judæis sententiam, suum esse Angelum ejiciendæ e corporibus animæ destinatum. Alibi etiam (*a*) legimus futurum, ut si mille Angeli mortis Justum perempturi venerint, nunquam tamen illum percutiant, si ille in se ipsum se recipiens, ad Dominum converti decreverit. Si homini fatebitur peccatum suum, Angelus prohibebit, ne is in mortem cadat. Hunc ipsum Angelum stricto gladio sævientem in populum suum, deletis minimo temporis spatio LXX millibus hominum, David spectaverat (*b*); & Job impios concitaturos in suam necem Angelum exterminatorem denunciat [*c*]. Psalmista (*d*) de hostibus suis ait: *Angelus Domini coarctans eos.* Salomon (*e*): *Semper jurgia quærit malus; Angelus autem crudelis mittetur contra eum.* Eodem ab Angelo crudeli, Angelo necis, occisi sunt priores Saræ filiæ Raguelis viri, quos in primo ad thalamum ingressu necabat [*f*]. Hunc deinde Angelum Asmodæum, in deserta Ægypti relegatum, vinculis coërcuit Angelus Raphaël [*g*]; est enim Asmodæus, vastator, exterminator. Hæc de Angelis mortis vetus Judæorum sententia.

Manet adhuc eadem apud Hebræos persuasio; nam assidere credunt ad caput lecti, ubi quis ad obitum decubuerit, Satanam sive Angelum mortis, gladio evaginato minitantem; cujus e mucrone tres guttæ fellis pendent (*h*). Viso eo Angelo, æger ingenti horrore correptus, os diducit; statimque Satanas tres lethales guttas in os immittit, e quibus una miserum extinguit, altera atrum colorem inducit, tertia randem aptum facit, ut statim in pulverem redigatur. Statim ac animam hausto felle æger efflavit, Angelus malus confestim aquâ, fortè in ædibus obviâ, lethalem gladium

(s) *Hieronymus in Isai.* XXXVII: *Centum octoginta quinque millia fortissimorum virorum ab uno Angelo unâ nocte caduntur, & absque vulneribus cæsorum mors sæva discurrit, excludens animas Dei voluntate.*

(t) Exod. XII, 29.

(u) *Psal.* LXXVII, 49; & 1 *Cor.* X, 10; & *Judith*, V, 11, 25.

(x) 2 *Reg.* XXIV, 16.

(y) *Job*, I, 11, 12.

(z) *Job.* XX, 15. Ἐξ οἰκίας αὐτοῦ ἐξελκύσει αὐτὸν Ἄγγελος.

(a) *Job*, XXXIII, 23: Ἐὰν ὦσι χίλιοι Ἄγγελοι θανατηφόροι, εἷς αὐτῶν οὐ μὴ τρώσῃ αὐτόν· ἐὰν νοήσῃ τῇ καρδίᾳ ἐπιστραφῆναι πρὸς κύριον, ἀναγγείλῃ δὲ ἀνθρώπῳ τὴν ἑαυτοῦ μέμψιν, τὴν δὲ ἄνοιαν αὐτοῦ δείξῃ, ἀνθέξεται τοῦ μὴ πεσεῖν εἰς θάνατον.

(b) 2 *Reg.* XXIV; 16; & 1 *Par.* XXI, 30.

(c) *Job*, XXXVI, 14: Ἡ δὲ ζωὴ αὐτῶν τιτρωσκομένη ὑπὸ ἀγγέλων.

(d) *Psalm.* XXXIV, 5, 6.

(e) *Prov.* XVII, 11.

(f) *Tob.* III, 8.

(g) *Tob.* VIII, 3.

(h) *Buxtorf. Synag. cap.* 35, *pag.* 507.

dium eluit. Hinc virus iis aquis, statim proinde, ne cui noceant, in subjectam viam dissipandis. Hæc apud omnes latè Judæos accepta tenentur. Addunt Judæi, canes aspectu ejusdem Angeli mortis horrendum latrare; quamobrem si fortè audiri canes latrantes circa ædes ægroti contigerit, malo id omini vicinæ mortis vertitur [i].

Docent etiam, hunc exterminatorem Angelum nihil in Judæorum gentem posse (k); cùm enim, inquiunt, pravus Spiritus olim cum Deo quereretur, frustra se in mundo esse, Ego, respondit Deus, te creavi, ut vires tuas in homines, unis exceptis e radice Israëlis gentibus, exerceas. Hinc fit, ut hunc Angelum Principis Mundi nomine appellent. Eorum tamen confessione scitum est, privilegium illud solis Hebræis deberi, qui in regione Israëlis obierint. Illos enim occidit gladius acutus, & probè limatus; cæteros extra eam regionem mactar gladius *Sammaëlis* confractus & obtusus. Manet etiam defunctos secunda mors in sepulcro, quò anima reducitur ab Angelo, unà cum corpore judicium subitura. Eâ de causâ, inquiunt, veruit Josephus (m), ne in Ægypto, immundâ regione, ubi secunda illum mors mansisset, sepeliretur.

Non abludunt ab hisce Judæorum opinionibus Platonici (n), qui sensisse videntur, Angelum illum, qui hominem, dum viveret, tutatus est, ejus animam post obitum ad judicii locum deducere. Hunc Angelum, animas e corpore separantem, ac deinde revocantem, appellat Tertullianus [o] *Evocatorem animarum*. At probine an mali Angeli id munus est? Mali, ajunt plerique Patres, & Interpretes, adjecto omnium Rabbinorum consensu; neque enim invidiosum munus alter quàm malignus spiritus sustineret: res tamen difficultate non caret. Nemo sanè dubitat, potuisse Deum vires & ultionem suam per bonos Angelos exercere. Ita in Moyse [p] legimus, Dominum per ædes Ægyptiorum discurrentem, omnes majores natu ejusdem gentis interfecisse: idque a verbo Dei, quod e scabello pedum Domini descendit, factum esse testatur Author Sapientiæ, XVIII, 14, 15. Exhibet autem Verbum ipsum ceu militem cataphractum, qui in mediam regionem saltu descendens, acutumque & probè limatum gladium tenens, omnia cædibus & sanguine complevit. Statura Angeli, addit, immanis est adeò, ut terram pedibus, cervice nubes tangat. Ita plane exterminatorem Angelum sibi fingebant Hebræi, Angelum, inquam, quem ad exercitum Sennacheribi delendum Dominus miserat.

(i) Vide Henric. Bromel. Dissert. de Angel. exter.
(k) Ligfoot. Hor. Hebr. in Jo. XII, 31.
(m) Gen. L, 24.
(n) Plato in Phædone.
(o) Lib. de Anima, cap. 53.
(p) Exod. XI, 4; XII, 12, 13.

Cùm Scriptura cædem exercitûs Sennacheribi ab Angelo peractam docet, non ita accipienda est, quasi unius mortis genus, sed potiùs omnia, quibus homines subjecti sumus, designet. Sive enim perimamur peste, morbo, aut gladio, unus est Angelus mortis, qui gladium suum exeruit. Vel Assyrii in mutuam cædem intempestæ noctis horrore sævierint; sive tonitru, fragore, & concussione spiritus interclusus fuerit; sive igne cœlitus lapso, sive fulgure, sive immissis internis ulceribus perierint, sive e rupibus præcipites se dederint; unus est Angelus mortis, varias inferens cædes. Ita omnia Scripturæ loca, ubi de hac re sermo est, & variæ ac in speciem pugnantes Interpretum opiniones concilientur.

Sola Rabbinorum opinio cum Scripturâ constare non posse nobis videtur. Quòd enim Assyriorum corpora ita in cinerem favillasque redacta sint, ut intactæ vestes manserint; quas deinde vestes colligentes Hebræi, excusso pulvere, integras sibi habuerint: id planè cum recitatis supra Scripturæ testimoniis pugnare arbitror. Quorsum prodigia absque necessitate? Non obscure Isaias ingentem vestium prædam, utpote atro interfectorum cruore fœdatam, & vulneribus laceratam, nonnisi ignis pabulum futuram prædicit. Nec minùs disertè narrat panicum illum terrorem, quo subitò turbati Assyrii cæcis invicem vulneribus sese confecerunt. Tandem fulmen, & ignis e Cœlo lapsus, ac tonitrua possunt quidem sine externo vulneris indicio homines perimere; non tamen ita in cineres favillasque redigere, uti Hebræorum Doctores comminiscuntur.

Superest aliquid in examen revocandum, quo nempe loco memorabile illud excidium contigerit. Sub ipsis Jerosolymæ mœnibus in obsidione Urbis per Rabsacem, cùm scilicet Assyrii castra haberent in valle Josaphat & Topher, sive Hinnon, ad Orientem & meridiem Urbis, major Judæorum & Interpretum Christianorum pars contigisse putat. Favere videtur Isaias, XXX, 33: *Præparata est ab heri Topheth, a Rege præparata, profunda, & dilatata*. Eò etiam spectasse creditur Joël, III, 2, 12: *Congregabo omnes gentes, & ducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate meâ Israël, quos dispersèrunt in nationibus. Consurgant, & ascendant gentes in vallem Josaphat; quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu*. Ferunt insuper, Judæos mane surgentes, coronâ cadaverum Assyriorum cincta mœnia spectasse, lætosque ad colligenda spolia cucurrisse.

Nobis tamen certa stat sententia, nec Sennacheribum, nec Rabsacem unquam ad obsidendam Jerosolymam accessisse. Rabsaces quidem a Rege missus, Urbis deditionem

tionem petiturus cum copiis nonnullis venerat [q]: at rediit deinde mane alterius diei ad exercitum in Lachis. Interea Sennacherib, solutâ obsidione ejus Urbis, ad tentandam Lebnam transiit. Accidit inter hæc, ut nuncius de Tharacâ Rege Chus, auxiliares copias ad Hebræos deducente, ferretur; cui Sennacherib occurrere statuit. Priùs tamen arrogantissimas literas ad Ezechiam dedit, reduces se copias Jerosolymam deducturum, Urbemque lege victoris habiturum, minitatus. Eâ occasione Isaias Regi luculentiùs spopondit, nunquam futurum, ut Sennacherib Jerosolymam obsidione seu vallo cingeret, aut hostilem sagittam in illam jacularetur, & nunquam recluderentur sceleštissimo hosti Urbis fores, sed verso itinere is domum reverteretur. Eâdem nocte, idest, tertiâ vel quartâ die post reductas copias e Lebnâ in Tharacam, Angelus Domini descendens, CLXXXV millia Assyriorum trucidavit (r); qua clade affectus Sennacherib, magnis itineribus Niniven contendit. In viâ igitur Ægypti, non ad mœnia Urbis, memorabilis illa clades accidit.

Ambages omnes removet Isaias, X, 24, 25: *Noli timere, populus meus habitator Sion, ab Assur: in virgâ percutiet te, & baculum suum levabit super te in viâ Ægypti. Adhuc enim paululum modicumque, & consummabitur indignatio, & furor meus super scelus eorum. Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum, juxta plagam Madian in petrâ Oreb, & virgam suam super mare, & levabit eam in viâ Ægypti.* Superiùs animadvertimus, hanc Assyriorum cladem comparari a Prophetâ cladi Madianitarum (s), quos in mutuam cædem sæviisse scimus, clangore CCC buccinarum militum Gedeonis, subitoque incensarum lampadum aspectu turbatos (t).

(q) 4 Reg. XVIII, 17: *Misit Rex Assyriorum Tarthan & Rabsaris, & Rabsaces cum validâ manu Jerusalem.*

(r) *Vide* 4 Reg. XIX, 8, 9. .... 20. .... 35.

(s) Isa. IX, 4.

(t) Judic. VII, 18.

DISSERTATIO

DE FORMA JESU CHRISTI

Eleganti, nec ne? Ad illud Isaiæ, LII, 2: *Vidimus eum, & non erat aspectus, neque decor.*

Qua Christiani omnes erga SS. Jesu Christi Humanitatem tenemur, observantia non sine modestiâ quadam circumspectione sermonem de illâ nos habere patitur. Utrumque sanè novimus, sive parum, sive æquo majora dicantur, æquè in eâ re invidiosum esse; speramus tamen adeò nos calamum in officio detenturos, ut nihil extra præscriptas a Religione metas excurrat. Solam in Christo humanam naturam spectabimus: ejus corpus cum cæteris mortalibus elegantiâ præstantibus, vel secus, comparabimus; semper tamen illum ex hominum vulgo segregantes, utpote qui humanam illius naturam cum divinitate hypostaticè jungi, optimè noverimus. Quòd si veluti expanso velo Divinam illius naturam brevi morâ non intuemur, id planè eo consilio agimus, quò certiorem obtutum in ejus humanitatem, remoto Divinitatis fulgore, figamus.

Quid sit id quod venustatem constituit, licèt inter varias dissitasque gentes non satis constet, æquè tamen omnibus quoddam pulcritudinis judicium eit, ut hic potiùs quàm alter omnibus placeat: quid autem sit id quod omnibus in eâ re placet, neque ipse scio, neque, si sciam, facilè definiam. Sunt qui ament nigrum oris colorem, sunt qui fuscum, sunt qui pallidum, sunt denique qui album. Aliis grandior nasus placet, aliis aquilinus, aliis brevior & simus. Oculos alii malunt cæsios, alii nigerrimos. Constat tamen inter omnes, virum proceriori, atque bene constituto corpore, vultu ad majestatem & gratiam composito, ampliori oculo & vivido, ore ad normam amplo, colore optimo & delicato, corporis motu ac gestu ingenuo, firmâ & robustâ valetudine, hunc apud omnes æquè elegantem hominem haberi; contra verò male constitutum hominem, æquo breviorem, servili ore & corporis habitudine, male firmo gressu, nec bene disposito membrorum ordine, austeriori & ingrato vultu, fœdum & inelegantem appellari. Verùm inter hæc duo veluti extrema medium aliquid, inter elegantem ingratumque hominis aspectum, constituitur, quod sanè medium multi tenent, nec elegantiâ gloriantes, nec turpes dici patienter ferentes.

Quicumque pro elegantiâ corporis Jesu Christi sententiam tulerunt, hi nihil planè desideratum in illo contendunt ex his quæ gratiam hominis aspectui concilíant. Illum cæteris præstare hominibus pulcritudine Psalmista (a) disertè testatur: *Speciosus formâ præ filiis hominum.* Felicissima erat ejus corporis constitutio, cùm omnes corporis venustati noxiæ abessent causæ, sive dum fœtus formabatur, sive dum in lucem

(a) Psal. XLIV 3.

cem vênit, sive tandem dum vivus inter homines fuit: nihil enim ad frugi sobriamque vitam habendam reliquum fecit. Frugi etiam probisque parentibus natus est; nulla fœturæ sive partûs incommoda mater sensit; rectam ejus phantasiæ habitudinem nihil turbavit: utraque enim hæc causa magni est ad eam rem momenti. Jesus Christus matrem habuit Virginem frugi, æquè modestam, ac puram, cujus phantasiæ serenum nulla peccati originalis nubes turbare poterat. Multùm sanè valetudini rectæque corporis constitutioni & pulchritudini nocent sive flagitia hominum, sive morbi, sive sexcenta alia, quæ in hoc vitæ cursu adversa patimur. Omnia æquè aberant a Jesu Christo; quamobrem nihil fuit, quin omnibus numeris speciosissimus esset.

S. Hieronymus [b] eâ de re scribens, ait: *Certè fulgor ipse, & majestas Divinitatis occultæ, quæ etiam in humanâ facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat aspectu. Nitebat*, ait idem (c), *fulgor quidam cœlestis, & divina quædam in vultu majestas, quæ latentem Divinitatem prodebat.* Qui enim potuisset aliter (d) Apostolos statim ad sui clientelam allicere, qui humi sternere solo aspectu milites in horto Olivarum, si nihil supra hominem in ejus vultu spectabatur? Rex Abgarus, authore S. Joanne Damasceno (e), virum misit, qui ejus effigiem pingeret. Is illius oris nitore attonitus perculsusque, diu prohibitus est; donec Jesus nolens pium Regem spe suâ & religione frustrari, telam capiens, & ori admovens, ipse sui imaginem impressit.

Refert Nicephorus [f], S. Lucam pictas a se imagines Jesu Christi, SS. ejus Parentis, & Apostolorum reliquisse; ex quibus deinde per universum Orbem tamquam ex archetypis plures imagines esse derivatas. Ita verò Jesum Christum ipse describit (g): *Porrò effigies Domini nostri Jesu Christi, sicut a Veteribus accepimus, talis propemodum: Egregio is vividoque vultu fuit. Corporis statura ad spithamas prorsus septem* [id est septem pedes, XII digitorum singulos]. *Cæsariem habuit subflavam, ac non admodum densam, leniter quodammodo ad crispos reclinantem. Supercilia nigra non perinde inflexa. Ex oculis subflavescentibus mirifica promanabat gratia. Acres ii erant* (h), *& nasus longior. Barbæ capillus flavus, nec admodum demissus. Capitis porrò capillos tulit prolixiores. Novacula enim in caput ejus non ascendit, neque manus aliqua hominis, præterquam Matris in tenerâ dumtaxat ætate. Collum fuit sensim declive, ita ut non arduo & extento nimiùm corporis statu esset. Porrò frumenti referens colorem* (i), *non rotundam, aut acutam habuit faciem, sed qualis matri ejus erat, paulum deorsum versum vergentem, ac modicè rubicundam; gravitatem, atque prudentiam cum lenitate conjunctam, placabilitatemque iracundiæ expertem præseferentem. Persimilis denique per omnia fuit immaculatæ suæ Genitrici.*

Sanctus Bernardus minimè anceps summam Jesu Christo venustatem & gratiam asseruit, adeò ut scripserit [k]: *Adhærebant ei* (cujuslibet loci homines), *affatu pariter & aspectu ipsius delectati. Cujus nimirum vox suavis, & facies decora.* Verba ipsa descripsisse videtur ex S. Chrysostomo (l), qui homines veluti clavis Servatori affixos fuisse tradit: adeò illos amor & gratia illius tenebat. Alibi (m) habitu corporis fuisse dicit ad gratiam & amorem composito, ut aspici & non amari non posset. Et [n] verba Isaiæ, *Vidimus eum, & non erat aspectus*, exponens ait: *Non dicit de deformitate, absit, sed de ejus contemptione; quæcumque enim erant vilia, & contemnenda pervasit.* S. Basilius (o) docet, sensisse Magos ipsam pueri divinitatem, in præsepi jacentem intuitos; Magorum enim oculos perstrinxit fulgor, qui ab iis, quorum mentis oculi vitio carebant, spectabatur.

Aëlredus Abbas Rivallensis, Ordinis Cisterciensis, Diœcesis Eboracensis in Angliâ, duodecimi sæculi Scriptor, luculentum tradit testimonium opinionis suo tempore acceptæ de spectatâ Jesu Christi venustate: ita enim habet (p): *Credo in illo speciosissimo vultu tantam gratiæ cœlestis elegantiam refulsisse, ut omnium in se converteret aspectum, auditum erigeret, excitaret affectum. Cerne, quæso, quemadmodum a singulis trahitur! Senes osculantur, amplectuntur juvenes, pueri obsequuntur.* Cùm autem, pergit, unà cum parentibus suis Jerosolymam veniret, esset autem in moribus positum apud Judæos, ut viri seorsum a mulieribus iter illud instituerent, quò religiosiùs mente & corpore puri sacros ritus & Sacrificia adirent; puer Jesus, nondum præ ætate Legi subjectus, viris indiscriminatim, & mulieribus adjungebantur. Omnes enim certatim blandum, elegantem, suavemque puerum secum habere, itineris fastidia

(b) *In Matth.* IX.
(c) *In Matth.* XXI, 12, 13.
(d) *Idem Epist. ad Principiam.*
(e) *Damasc. de Orthodoxâ fide, lib.* 4, *cap.* 7; *Niceph. Hist. Eccl. lib.* 2, *cap.* 7.
(f) Niceph. lib. 2, *cap.* 43: Φασὶ δ᾽ αὐτὸν πρώτιστον τήν τε Χριστοῦ εἰκόνα, καὶ τῆς αὐτοῦ θεοπρεπῶς τεκούσης, ἔτι δὲ καὶ τῶν κορυφαίων Ἀποστόλων, διὰ ζωγραφικῆς ἱστορῆσαι τέχνης, κἀντεῦθεν εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὸ τοιοῦτον εὐσεβὲς καὶ πάντιμον ἔργον ἐξενεχθῆναι.
(g) *Niceph. lib.* 1, *cap.* 40: Ἡ μέν τοι διάπλασις τῆς μορφῆς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὡς ἐξ ἀρχαίων παρειλήφαμεν, τοιάδε... Ὡραῖος μὲν ἦν τὴν ὄψιν σφόδρα. Τήν γε μὴν ἡλικίαν, ἤτουν ἀναδρομὴν τοῦ σώματος ἑπτὰ σπιθαμῶν ἦν τελείων. Ἐπίξανθον ἔχων τὴν τρίχα, καὶ οὐ πάνυ δασεῖαν, &c.
(h) Τοὺς δὲ ὀφθαλμοὺς χαροπούς τινας, καὶ ἠρέμα ἐπιξανθίζοντας. Εὐόφθαλμος δὲ ἦν, καὶ ἐπίῤῥιν.
(i) Σιτόχροος δὲ, καὶ οὐ στρογγύλην ἔχων τὴν ὄψιν ἐτύγχανεν, ἀλλ᾽ ὥσπερ τῆς μητρὸς αὐτοῦ, μικρὸν καταβαίνουσαν.

(k) *Serm.* 2 *in Festo omnium SS.* (l) *Chrysost. in Psal.* XLIV: Ἦσαν αὐτῷ προσηλωμένοι φιλοῦντες αὐτὸν, καὶ θαυμάζοντες, καὶ ὁρᾷν εἰς αὐτὸν ἀεὶ βουλόμενοι. (m) *Idem in Matth.* VIII, *Homil.* 28: Οὐδὲ γὰρ θαυματουργῶν ἦν θαυμαστὸς μόνον, ἀλλὰ καὶ φαινόμενος ἁπλῶς πολλῆς ἔγεμε χάριτος.
(n) *Chrysost. in Psal.* XLIV: Οὐ περὶ ἀμορφίας λέγων, μὴ γένοιτο, ἀλλὰ περὶ τοῦ εὐκαταφρονήτου.
(o) *Basil. de human. Christi gener. ad finem*: Ἐφαίνετο γὰρ ὥσπερ φῶς δι᾽ ὑαλίνων ὑμένων, διὰ τοῦ ἀνθρωπίνου σώματος ἡ θεία δύναμις, διαυγάζουσα τοῖς ἔχουσι τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς καρδίας κεκαθαρμένους.
(p) *Serm. seu Tract. de Jesu duodenni, Domin. infra Octav. Epiph.*

sidia levaturum, certabant. Accidit proinde, ut cùm alter parens cum altero venire puerum reputaret, errandi causa utrique parenti traderetur, nec primâ die ejus absentia ab illis sentiretur.

S. Laurentius Justinianus primus Venetiarum Patriarcha, qui sæculo decimoquinto florebat, ita habet de hoc argumento (q): *Quis unquam illo pulcrior? Quis modestior? Quis sapientior? Ornatus in moribus, maturus in gressibus, in sermonibus facundus, in conversatione circumspectus, in redargutione severus, in exhortatione blandus, in collocutione suavissimus, & in omne opere venerandus: aspectus illius venustate plenus, humilitate verecundus, suavitate refertus, & totâ elegantiâ decoratus: labia illius lilia distillantia, verba vitæ æternæ emanantia, mel & lac eructantia. Illud quidem resonabat in ore, quod latebat in corde; ideo solabatur mœstos, infideles illustrabat, cunctosque ad se accedentes reddebat benevolos: sermonibus quoque suis audientium corda ad mundi animabat contemptum: ad virtutum profectum instruebat, maximè cùm de Regno Dei loquebatur, & de gaudiis Paradisi. Quis autem non languesceret? Quis jucundo non inebriaretur amore, si videret Verbum ambulans, Sapientiam loquentem, unigenitum Dei cum peccatoribus conversantem?* Quamvis autem potissima hujus Scriptoris cura versetur in spiritualibus Jesu Christi ornamentis, subinde tamen plura commemorat, quæ venustatem ipsius inter filios hominum commendat. Accedit receptus apud omnes Ecclesias mos ita pingendi Jesu Christi imaginem, ut nihil ad venustatem & majestatem desideretur: idque communem esse apud omnes persuasionem, vetustissimamque eâ de re traditionem, non minimum est documentum.

Neque enim ita reputandum est, quasi Veteres imaginem Jesu Christi e vivo expressam procurare sibi neglexerint. Scita sunt, quæ de Abgaro, curante sibi depingi illius imaginem, leguntur. Mulier Hæmorrhoissa, incommodo morbo Jesu Christi beneficio liberata, acceptæ ab eo sanitatis monumentum statuam Servatori erexit, quæ usque ad Julianum Apostatam stetit (r). Alexander Severus Imperator inter varia Numinum & Summorum Virorum simulacra, Jesu Christi imaginem in privato Larario statuit, eamque, uti & alias in eodem loco, venerabatur (s). Mulier quædam Christiana, hæresi Carpocratiana, adjunctas habebat Jesu Christi, Homeri & Pythagoræ imagines [t]: & nostrâ etiam ætate spectatur Romæ imago Beatæ Virginis, puerum Christum in ulnis gestantis, opus, uti ferunt, S. Lucæ. Non abludit igitur a vero, si in Ecclesiâ ex veteri traditione recepta habeatur persuasio, de spectatâ Jesu Christi elegantiâ.

Profectò si compositus ad majestatem & authoritatem vultus, si grata verborum facundia partes sunt pulcritudinis & perfectionis virilis; hanc Jesu Christo laudem, si cui unquam, concedendam minimè ambigimus. Suppetunt enim ejus rei documenta in Evangelio, ubi ejecti e Templo narrantur mercatores & negotiatores [u]. Minimè enim potuisset ipse inermis, nulliusque authoritatis vir obstinatos pellere, nisi priùs oris majestate & nitore perculisset. Paria credere pronum est in eo, quod militibus ad illum capiendum venientibus in horto Oliveti contigit, quos sermonis & majestatis suæ terrore resupinos stravit [x]. Verba ad populum habentem apprehendi, missis ad id viris, Judæi jusserant; nemo tamen ausus est manum in illum immittere, neminem unquam ita loquutum esse testantes (*).

Virum fuisse corporis habitudine despectum, neque Julianus Apostata, neque Judæi, sive Ethnici, infestissimi illi Jesu Christi, & Religionis Christianæ adversarii, unquam exprobrarunt; quamvis nihil omiserint, quod illi invidiam crearet; hunc ex adulterio natum asserentes [y]; hunc virum indoctissimum & nullo studio excultum, Magum, deceptorem (z); hunc mentis inopem & agitatum a Dæmone [a]; Pseudo-Prophetam, prodigiorum inanem jactatorem, voracem, ebriosum [b]. Historias quasdam ad ejus ludibrium de vitâ, gestis, & obitu ipsius confinxerunt Judæi (c); nunquam tamen alicui succurrit, ut deformitatem vultûs, & neglectam corporis habitudinem exprobraret, quasi scilicet ejus calumniæ ne levis quidem ansa obtrectatoribus suppeteret.

Hanc Historiæ partem, minimè contemnendam, humilitatem scilicet formæ Jesu Christi, utique non neglexissent Evangelistæ, Apostoli, cæterique historiæ Ecclesiasticæ Scriptores; apud quos ne desideramus quidem vestium S. Joannis Baptistæ descriptionem; nihilque prætermissum est ex iis, quæ ad ortum ejusdem Baptistæ & Servatoris, sicut & ad mortem ejusdem Jesu Christi spectant: ibi enim de tunicâ inconsutili, de vestium divisione sortis arbitrio commissâ, de laboribus, de itineribus, de cibo, de somno; quæ sanè omnia scire lectoribus minùs conducebat.

Si Jesu Christi forma inelegans fuit, id sive ejus electioni & potentiæ, tamquam Homini Deo, tribuendum est, sive naturali cuidam necessitati, tamquam homini e Virgine parente nato. Utrumque autem æquè abest a vero. Spiritus Sanctus, quem Jesus Christus parentis loco habuit, nonnisi perfectissimum fœtum compingere potuit;

(q) *Tract. de Casto Connubio.*

(r) *Theophylact. in Luc.*

(s) *Lampridius in Alexan.*

(t) *Iren. lib. 1, ubi de hær. Carpocr. Epiph. de hæres. lib. 1; August. de Hæres.*

(u) *Jo.* II, 14, 15; *Matth.* XXI, 12.

(x) *Jo.* XVIII, 6.

(*) *Jo.* VII, 46.

(y) *Tertull. de Spect. cap. 30; Hier. Ep. 1 ad Heliod.*

(z) *Cyrill. lib. 5, to. 1 in Isai. Procop. in cap.* LIII *Isaiæ.*

(a) *Matth.* XI, 18; *Jo.* VIII, 24; *Justin. Dial. cum Tryph.*

(b) *Matth.* XI, 14.

(c) *Vide Toledos Jesu*, & Basnage, Hist. des Juifs, liv. 6, chap. 27, 28.

neque Jesus Christus tamquam homo potuit deformitatem eligere, quæ nihil ejus consiliis esset profutura, nocuisset autem aliquantum; poterat enim ab illo animos avertere: id quod sanè proposito a se & ab Æterno Patre præstituto nocuisset. Debuit labori & suppliciis perferendis par esse; quamobrem valido corporis temperamento instrui oportebat. Debuit populos & docere & sibi conciliare; quare vultu ad gratiam composito, suadela in verbis addenda erat.

(d) 3 *parte*, *quæst.* 14, *art.* 4.

S. Thomas (*d*) egregiè demonstravit, Jesum Christum unà cum hominum exuviis assumpsisse pariter incommoda naturæ humanæ communia, veluti sitim, famem, laborem & quietis necessitatem; quæ verò singularibus tantùm hominibus peculiaria sunt, uti cæcitatem, ægritudinem, deformitatem, reliquisse, & ea maximè, quæ consiliis suis nocere viderentur. Quare & deformitatem rejecisse par fuit, utpote quæ consilio suo maximè nocuisset. Etenim humilitatis & pœnitentiæ causâ, ut paternæ justitiæ satis faceret, humilem illam & despectam formam elegerat, simul exemplum se præbens gloriolæ, e corporis habitudine eleganti, contemnendæ. Ita omnibus abjectis divitiis, paupertatem elegit, ut exemplo suo doceret, divitiarum gloriæque ambitionem esse contemnendam. At si ea fuisset Christo ratio deformitatem eligendi, cur non fuisset ægritudines omnes atque peculiares quorumdam corporum imbecillitates assumendi?

(e) *Vavassor de formâ Christi*, *cap.* 3, *pag.* 100, 101.

(f) *Luc.* VII, 37, 38, *Matth.* XXVI, 7.

Neque ii sumus [*e*], qui illam Jesu Christo oris gratiam conciliemus, quæ muliebris & affectata esset, & carnalibus oculis capiendis, & mollioribus excitandis affectibus plurimum valeret. Invidiosa utique ea res fuisset, & adversariorum obtrectarionibus prona. Quid enim tunc non latrassent adversarii, dum fœminarum satellitio stipatum cernerent, dum passim cum omnibus colloquentem, utentem hospitio Marthæ & Mariæ, ferentemque fœminam pedibus accidere, lacrymis pedes lavare, tergere comâ (*f*), & alteram alabastrum unguenti pretiosi capiti suo affundere? Nonne invidiam in illum creassent, quasi lascivientis formæ blanditiis molliorem sexum alliceret? Nunquam verò eam invidiam subiisse legimus; ut argumentum ex eo silentio ducatur apertissimum, virili præditum formâ, nihil præ se tulisse, quod non ætati suæ, muneri rebusque gerendis conveniret. Nitor micabat ex oculis & majestas quædam, ad gratiam & ad venerationem composita, ut intuentibus obsequium simul & amorem inspiraret.

Hæc sunt, quæ pro Jesu Christi formâ congeruntur; nec omittunt, nonnullis viris Sanctissimis Jesum Christum jucundo atque florenti supra fidem vultu sese obtulisse. Sed hæc minora sunt, quàm ut alicujus ad rem præsentem habeantur momenti. Alius est enim Jesu Christi inter mortales agentis, alius in Cœlo regnantis status; ut nihil dicam de hisce visionum generibus, quæ sanè fidei sunt subjectæ, multumque ad eas pingendas imagines confert hominum phantasia, præjudicatis spectantium opinionibus & ingeniis serviens. Quæ igitur de Christi formâ vulgò recepta est sententia, ea planè communi omnium plausu probatur; nec aliam patiuntur viri pietati atque orationi prorsus addicti.

Contraria verò de Christi minùs spectatâ pulcritudine, gratiâ & populi favore minùs valet. Vix enim apud Christianos invenias, qui id aggrediantur, ut contra Servatoris formam confligant; & vix aliquos, qui id revocantes in dubium sine stomacho sustineant. Nihil in cathedris frequentiùs sonat, quàm Hominis Dei, speciosi præ filiis hominum, elogia: pietatis & religionis Libri utramque de illis paginam implent. Fateamur tamen oportet, ea quæ adversùs speciem Servatoris afferuntur, ejus esse ponderis, ut adversam opinionem ex æquo, ut minimum, sustineant.

(g) *Isa.* LII, 13, 14, 15; LIII, 2, 3, *&c.*

Isaias (*g*) Redemptoris humani generis imaginem his verbis pingit: *Congregabit vos Deus Israël; ecce intelliget servus meus. Exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valdè. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum. Iste asperget gentes multas* (beneficiis): *super ipsum continebunt Reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, viderunt; & qui non audierunt, contemplati sunt, Quis credidit auditui nostro, & brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terrâ sitienti. Non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum, despectum & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem; & quasi absconditus vultus ejus & despectus, unde nec reputavimus eum. Et nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, &c.*

(h) *Philipp.* II, 7.

(i) *Joan.* XX, 15.

Verba ista Prophetæ eò magis ad rem præsentem valent, quòd ipsis fatentibus Patribus & Interpretibus, ita de Jesu Christo prolata sunt, ut illi ad verbum conveniant. Non semel autem in illis ingeritur os minimè elegans, in quo nihil ad amorem & desiderium sui spectatur. Apostolus innuit (*h*), Christum humanâ naturâ indutum, servilem formam assumpsisse. Legimus (*i*), Mariam Magdalenam viri specie

dece-

deceptam, illum pro olitore accepisse, quem demum Christum esse novit. De pulcritudine ejus ne verbum quidem ullibi in Evangelio; cùm nihil omittant Evangelistæ [k], dum totam transfigurationis historiam describunt; quo tacito documento innuunt, alterum eo tempore, quàm soleret, apparuisse. Nitor tunc fulgebat in vultu, ut solem radiantem crederes; candor niveus in vestibus.

Abarbanel [l] vidisse sibi videtur in oraculo Prophetæ virum ore & habitu corporis neglectum, atrâ bili tetrum, & corpore imbecillem; quod sibi valido esse argumento credidit, ut ea Prophetæ verba a Messia detorqueret, quem sapientum Christianorum confessio aspectu decorum, & ad gratiam composito depingit. Bonus ille quidem Judæus, sed malus Logicus.

Vetustissimi e Patribus, quorum authoritas magni esse momenti in eâ re debet, cùm adhuc superessent recentissimâ & purissimâ traditione confirmata monumenta, quæ certissimam reddebant de formâ Christi fidem, veluti statuæ & imagines e vivo expressæ; veteres, inquam, illi minimè elegantem fuisse Jesu formam testantur. S. Irenæus (m) ita scripsit in rem nostram de Christo: *Homo indecorus & passibilis..... Dominus Sanctus, mirabilis, & consiliarius, & decorus specie.*

Hanc oris & natalium Jesu Christi obscuritatem vitio Christianis vertebat Celsus Epicuræus; quod ex vulgato rumore acceptum contra Divinitatem Jesu Christi tamquam telum jaciebat (n). Quis enim, ita impius ille calumniabatur, unquam induxerit in animum, ut credat Spiritum Sanctum male compactum adeò sibi contubernium elegisse? Planè si Jesus vulgarem mortalium conditionem superasset, conditionis suæ insignia non recusasset, procero sese & bene constituto corpore spectandum offerens, cui nihil deesset ad gratiam, non vox, non indoles, non eloquentia; quare nec Deum fuisse oportet.

Ad hoc Origenes fateri se dicit (o), Jesum formâ ineleganti fuisse, sed in iis quæ ad genus & familiam spectant, nonnisi per calumniam obscuritatem a Celso objici, sicut & eâdem fide de contemptâ illius formâ quædam jactari. Isaiam verò oraculo suo tantùm prænunciasse futurum, ut Christus neque formâ spectatâ, neque insuetis corporis dotibus supra mortales sese extolleret. Fatetur igitur Origenes, nil singulare in vultu Jesu Christi apparuisse, quod latentis Divinitatis indicia proderet.

Clemens Alexandrinus, Origene vetustior, in Isaiæ vaticinio prænunciatum agnoscit, nil in carne Jesu Christi, quod oculos caperet, spectandum. *Vidimus eum*, ait Propheta, *& non erat aspectus, neque decor. Quis autem Domino præstantior* [p]? *Sed non carnis pulcritudinem, quæ visione apprehenditur, sed veram animæ & corporis ostendit pulcritudinem; animæ quidem beneficentiam, carnis verò immortalitatem.*

Alibi (q), laudatâ Philosophi cujusdam sententiâ sapienti scilicet nil ad pulcritudinem deesse, nihil etiam defuisse Justis concludit, ut venustissimi haberentur, etsi indecoro essent aspectu; morum enim sanctimonia, & ad normam recti conformata vita, pulcritudo est. Laudat in eam rem illud Isaiæ: *Aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum.* Et alio loco (r): *Ipse, qui est caput Ecclesiæ, in carne quidem deformis, & specie carens transiit, docens nos respicere ad id quod est Divinæ causæ, inaspectabile, & incorporeum.* Et [s]: *Jam verò Dominus non frustra voluit uti vili & humili formâ corporis, ne quis speciem laudans, & admirans pulcritudinem, absistat ab iis, quæ dicuntur; & attendens iis, quæ relinquuntur, ab iis abducatur, quæ percipit intelligentia.*

S. Cyrillus Alexandrinus paria sensit cum Origene, & S. Clemente. Hujus sunt verba in illud Psalmi XLIV, 4: *Speciosus formâ præ filiis hominum* (t). *Nemo potest dubitare, quin pulcritudo intelligatur de eâ, quæ est in gloriâ & naturâ Deitatis omnia superantis, quandoquidem carnis gloriationem nemo adscripserit Christo, nec in gloriâ ipsius censuerit. Absit hoc; totum enim mysterium incarnationis suæ est exinanitio & humiliatio, sicut scripsit de eo Isaias Propheta: Et vidimus ipsum, & non habebat speciem, neque pulcritudinem* (u).

Tertullianus omnium apertissimè idem asseruit; ita enim de Christo: *Vultu & aspectu inglorius* (x). Et adversùs Judæos: *Ne aspectu quidem honestus*; & de Carne Christi: *Adeò nec humanæ honestatis corpus fuit, nedum cœlestis claritatis.* Id autem, addit ille, quamvis sub ipsis ferè oculis non exhibuissent Prophetæ, abundè tamen persuaderent tormenta, quibus ejus corpus confectum est. *An ausus esset aliquis ungue summo perstringere corpus novum, sputaminibus contaminare faciem non merentem?* Voluit Christus in sinu Matris concipi, voluit præscriptum puerperio tempus expectare; voluit incrementum ætatis, adolescente sensim corpore, sentire. Adultus jam pro-

(k) *Matth.* xvii, 2; *Marc.* ix, 1.

(l) *In Isa.* LIII.

(m) *Iren. lib.* 3, *cap.* 19, *nov. Edit. pag.* 212, *vlim, cap.* 21.

(n) *Orig. contr. Cels.* Ἀλλὰ, ὥς φασι, μικρὸν, καὶ δυσειδὲς, καὶ ἀγεννὲς ἦν.

(o) *Idem ibid.* Ὁμολογουμένως τοίνυν γέγραπται τὰ περὶ τοῦ δυσειδὲς γεγονέναι τὸ Ἰησοῦ σῶμα. Οὐ μὲν ὡς ἐκτέθειται, καὶ ἀγεννές. Οὐδὲ σαφῶς δηλοῦται ὅτι μικρὸν ἦν. Ἔχει δὲ ἡ λέξις οὕτω παρὰ τῷ Ἡσαΐᾳ ἀναγεγραμμένη προφητεύοντι αὐτὸν ἐπιδημήσοντα τοῖς πολλοῖς, οὐκ ἐν ὡραίῳ εἴδει, οὐδὲ τινι ὑπερέχοντι κάλλει.

(p) *Clem. Alex. Pædagog. lib.* 3, *cap.* 1: Τὸ δὲ Κύριον αὐτὸν τὴν ὄψιν αἰσχρὸν γεγονέναι διὰ Ἡσαΐου τὸ πνεῦμα μαρτυρεῖ. Καὶ εἴδομεν αὐτὸν, καὶ οὐκ εἶχεν εἶδος, οὐδὲ κάλλος, ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον, ἐκλεῖπον παρὰ τοὺς ἀνθρώπους. Καὶ τίς ἀμείνων Κυρίου; ἀλλὰ οὐ τὸ κάλλος τῆς σαρκὸς τὸ φανταστικὸν, τὸ δὲ ἀληθινὸν, καὶ τῆς ψυχῆς, καὶ τοῦ σώματος ἐνεδείξατο τὸ κάλλος. Τῆς μὲν τὸ εὐεργετικόν. Τὸ δὲ ἀθάνατον τῆς σαρκός.

(q) *Clem. Alex. lib.* 1 *Stromat.*

(r) *Idem lib.* 4 *Stromat.* Αὐτὸς ἡ κεφαλὴ αἰτίας ἀποβλέ- ὁ υἱὸς τῷ λίαν τῆς Ἐκκλησίας ἐν σαρκὶ μὲν ἀειδὴς διελήλυθεν; καὶ ἄμορφος, εἰς τὸ ἀειδὲς καὶ ἀσώματον τῆς θείας πων ἡμᾶς διδάσκων.

(s) *Strom. lib.* 6.

(t) *Lib.* 2 *Glaphyr. in Exod.*

(u) Ἐν εἴδει γὰρ πέφηνεν ἠκαλλώπιστῳ.

(x) *Tertull. de Idololatr.*

prodere se atque in publicum ostendere non festinat: *sed contumeliosius insuper sibi est*, nempe servilis vultûs ignobilitate [y].

(y) *Idem de Patientiâ.*

S. Augustinus (z) decorem quidem in Christo agnoscit, non tamen in corpore; *Ut homo non habebat speciem, neque decorem. Sed speciosus formâ ex eo, quod est præ filiis hominum.* Et (a): *Et ipse Sponsus non carne, sed virtute formosus.* Addit [b], Judæos nunquam commissuros fuisse, ut manus in illum injicerent, siquidem internam ejus cordis pulcritudinem novissent. Quidquid autem in exteriori corporis superficie apparebat, illud norant tantummodo: *Nisi fœdum putarent, non insilirent, non flagellis cæderent.* Alibi (c) deformitate Christi reddi nos formosos docet. *Si enim*, ait, *ipse deformitatem recusasset, formositas nostra nos perdidisset; ille enim deformis in cruce appensus, deformitate suâ formosos nos reddidit. Imitemur igitur atque complectamur deformem Jesum in hac vitâ, cruci inhæreamus, atque in ejus passione gloriemur.*

(z) *In Psal.* XLIV.
(a) *In Psal.* CXVIII.
(b) *In Psal.* CXXVII.
(c) *Serm.* 20 *de verbis Apostoli.*

Idem S. Doctor [d], concilians duos simul Prophetas, Isaiam & Psalmistam, quorum primus omnem ab aspectu Christi gratiam ablegat, alter speciosissimum præ filiis hominum celebrat; docet, Psalmistam de Jesu Christo Deo egisse: *Cùm in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, juxta Apostolum (e): Prophetam verò humanam ipsius naturam præ oculis habuisse (f): *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Concordant ergo*, subdit Augustinus, *ambo pacifici. Quid est speciosius Deo? Quid deformius Crucifixo?*

(d) *Serm.* 95, *in novâ Edit. nunc primùm edito.*
(e) *Philipp.* II, 6.
(f) *Philipp.* II, 7.

Nihil hic ego de Imaginibus, quas jactitant, de sudariis impressam Christi faciem exhibentibus, neque de numismate illo vetustissimo apud Vavassorium (g), quod Sirmondo, cùm is Romæ versaretur, ostensum, Christi imaginem præseferebat, ad severitatem potiùs & austeritatem, quàm ad gratiam & amorem compositum. Hujus enim generis monumenta, quorum plerisque nihil minùs est quàm asserta vetustas, suspecta sunt Eruditis. Sudaria verò imagines sunt, quarum arbitrio vix ac ne vix quidem hujus rei controversia committi queat. Nihil enim in illis [quamvis exploratæ esse antiquitatis fateamur] nisi malè expressæ quædam lineæ, quæ vix prima oris rudimenta designant.

(g) *De formâ Christi*, *cap.* 2, *pag.* 91, 92.

Ex his, quantum arbitror, satis colligimus, veteres Patres sententiæ de pulcritudine Christi parum favere, parum etiam primos illos Fideles, quibus eâ de re creata est ab Ethnicis invidia. Neque id exprobrantibus, veritatem negabant Christiani: quæ ab illis probro esse credebantur, hæc sibi Christiani gloriosa censebant. Plus enim ad admirationem & divinitatem Jesu Christi commendandam faciebat, quòd vilis ille & contemptus homo, nihil habens adminiculi sive ex generis dignitate, sive ex industriâ, scientiæ famâ & gratiâ, tantum nihilo seciùs valuerit, ut immensam hominum turbam sibi devinxerit, cœlestem adeò doctrinam inter homines sparserit, totumque demum universum tam prodigiosâ reformatione converterit. Hæc enim, quæ in viro eloquentissimo, venustissimo, cui nihil deesset & studii & eloquentiæ & authoritatis, miracula fuissent: quis non magis in Jesu Christo emicare obstupescat? Apollonius Tyanæus, vir formâ spectabilis, eloquentiâ summus, præstigiis, industriâ, fictorum miraculorum famâ illustris, nunquam tamen tantum valere potuit, ut duodecim sibi Discipulos adsciseeret: Jesus Christus nec aspectu nec eloquentiâ gratus, veritatis vi, excellentiâ doctrinæ, & prodigiorum perspicuitate omnem ad se mundum pellexit. Hæc pristinis illis Fidelibus veritatis Christianæ fidem faciebant.

Vetus hæc traditio cœpit tandem ipso S. Hieronymi & S. Chrysostomi ævo sensim in adversam opinionem degenerare. Sed S. Hieronymus eodem loco (h), ubi nitore quodam micuisse vultum Jesu Christi asseruerat, cujus fulgore præstricti venditores illi, in Templo versantes, ne pervicaciùs Jesu Christo resisterent, prohibiti sunt; eodem, inquam, loco fatetur, vilem adeò & contemptum intuentium oculis apparuisse Christum, ut a supplicio crucis in illum decernendo Judæi non deterrerentur: *Mihi, inter omnia signa quæ fecit, hoc videtur mirabilius, quòd unus homo, & illo tempore contemptibilis, & in tantum vilis, ut postea crucifigeretur*, &c. S. Chrysostomus, qui Christi venustati adeò favet, alibi (i) fatetur, illius formam adeò simplicem & vulgarem fuisse, ut Samaritides fœminæ, meretrices, publicani summâ libertate ad illum accederent & colloquerentur.

(h) *In Matth.* XXI.
(i) *Chrysost. homil.* 12 *in cap.* 1 *Joann.* p. 84, 85: Οὕτω γὰρ εὐτελὴς περιεκεῖτο σχῆμα, καὶ κοινὸν ἅπασιν ὁ Χριστὸς, ὡς καὶ Σαμαρείτιδας γυναῖκας, καὶ πόρνας, καὶ τελώνας μετὰ πολλῆς τῆς ἀδείας θαῤῥεῖν αὐτῷ προσιέναι καὶ διαλέγεσθαι.

Postquam opinio de specie Christi inter filios hominum superior esse apud Fideles cœpit, identidem tamen Scriptores prodierunt, qui veterem opinionem renovantes, eadem de hoc argumento, quæ Patres primorum sæculorum, senserunt. Michaël Medina (k), qui Concilio Tridentino præsens fuit, docet, illud fuisse corpori Jesu Christi temperamentum, quod maximè conveniret homini sapienti & studiis dedito. Addit deinde, nihil esse, cur vanam illorum persuasionem amplectamur, qui fieri nullo argumento censuerunt, Jesum Christum formâ spectabilem supra cæteros mortales fuisse; unde felicissimum ejus temperamentum fuisse, colligere sibi videntur. Hujus opinionis,

(k) *Lib.* 11 *de rectâ in Deum fide*, *cap.* 7.

nis, inquit Medina, nullum est fundamentum, nisi in locis quibusdam Scripturæ, sive sensu allegorico tantùm, sive de spirituali ejus pulcritudine ejusque Divinitate explicandis. Hæc ille: additurus pariter, si succurrisset, contigisse non rarò, ut ad gratiam compositus vultus, pictaque vividis coloribus facies temperamentum habeat iniquius; & infelix oris habitudo feliciori gaudeat humorum mixturâ.

Cornelius a Lapide (*l*) hæc de Jesu Christo docet: *Non erat aspectabilis; non habebat aliquid dignum aspectu, quod oculos aspicientium ad se traheret, sed erat despectus.* Addit deinde, Isaiæ vaticinium de Christi deformitate fidem suam habuisse & in passione ipsius & in reliquâ illius vitâ. Scitum est, eamdem sententiam Dissertatione peculiari, ad calcem Operum S. Cypriani a se editorum, & in Notis ad Tertullianum, Rigaltium asseruisse. Author Commentariorum in Isaiam, sub nomine S. Thomæ vulgatus, docet [*m*], Jesum Christum suam occuluisse sub imbecillitatis velo pulcritudinem: non enim deerat illi sive nitor, sive gratia, sed velo paupertatis abscondita. Nos, ait, illum in corpore vidimus, nihilque spectavimus illius majestatis, quam Vetus quidam Regi Priamo tribuit, quem vultu Regiam majestatem præ se tulisse ajebat.

Possent in eam sententiam plures alii Interpretes laudari, veluti Grotius, Mariana, aliique. Eusebius Cæsariensis (*n*) explicans ea verba, *Speciosus formâ præ filiis hominum*, docet, non ad formam aliquam corporis, sed ad immunitatem a peccato esse referenda; neque enim, ait ille, contrarius est Psalmista Isaiæ: *Vidimus eum, & non erat aspectus; non erat species ei neque decor.* Geminus est Eusebio Theodoretus (*o*); neque dissentit S. Basilius (*p*); cui tota Jesu Christi venustas non in justo membrorum ordine, neque in coloris suavitate, sed in naturâ Divinâ spectatur. Eadem legas apud Tertullianum (*q*), S. Cyrillum (*r*), S. Ambrosium (*s*), S. Isidorum Pelusiotam (*t*), & Pseudo Hieronymum [*u*], aliosque non raros.

Est igitur cur sedulò distinguamus inter Isaiæ vaticinium, quod ad literam interpretemur oportet, & de formâ minimè eleganti Jesu Christi a priscis quàm pluribus Patribus atque Interpretibus explicatur; & sententiam Psalmi XLIV de pulcritudine Jesu Christi, quem locum Interpretes explicant mystico & figurato sensu de spirituali Jesu Christi pulcritudine, quæ ex Divinitate & morum sanctimoniâ petitur. Primum illud vaticinium potest in argumentum adduci; alterum minimè, nisi moralem & figuratum sensum pariatur.

Hæc majoris momenti argumenta afferuntur pro ablegandâ a Jesu Christo spectatæ formæ elegantiâ. Nunc laborandum est nobis, ut inter duas hasce sententias media inveniatur, quæ nec fœditatem nec pulcritudinem, sed medium quid Jesu Christo tribuat.

Est quædam in hominibus venustas, mollior planè & lascivior, quàm quæ Jesum Christum deceret. Hanc ab eo prorsus ablegamus, quippe quæ repugnet iis quæ de illo in Sacrâ Scripturâ traduntur, cùm neque viræ laboribus, paupertate, rebus adversis agitatæ conveniat. Illum enim scimus virum fuisse dolorum, & victimam expiandis morre suâ mundi sceleribus destinatam; nimium proinde abhorruisse a blanditiis lascivientis oris, a roseis genis & risu, quæ carnalem gratiam, & molles hominum affectus pelliciant. Itaque si in eo viri venustas constituatur, omnem a Christo ablegari pulcritudinem non inviti patimur. Nihil ille ad acquirendam & augendam eam venustatem sive studii, sive industriæ contulit; quin & laboravit plurimùm, ut si quam habuisset, penitus deleret. Si quis verò in alteram partem ruens contendat, nihil fuisse in Jesu Christo nisi fœdum & deforme, tristem illum & fervilem habuisse oris corporisque habitudinem, os austerum & torvum, vocem asperam, fractam, & inconditam; plenam invidiâ hanc illius picturam tamquam blasphemam, & Humanitati Filii Dei injuriosam toto nisu abjicimus.

Medium igitur quid statuamus oportet, ut nihil illi sive insigniter fœdum, sive egregiè pulcrum tribuamus. Visus est igitur in mundo tanquam mortalium aliquis, justam hominum staturam attingens, nihilque habens supra vel infra vulgarem seu turpitudinem seu venustatem. Color erat viro, uti facilè credimus, fuscus, instar Judæorum Palæstinæ; indolem spirabat facilè bellicam, & martialem Galilæorum (*x*), uti placet Vavassorio; justam hominum staturam non excedebat; cur enim alioqui Zacchæus, spectandi illius gratiâ, cùm præ turbâ non posset, sycomorum ascenderet [*y*]? Nec authoritatem Nicephori, aliorumque ejus generis quidquam veremur: ambigua sunt argumenta in eam rem picturæ, sudaria, & numismata; nulla enim explorata antiquitatis picta, sive scriptum aliquod authenticum superest, quo de formâ Jesu Christi ejusque staturâ doceamur. Quam Hæmorrhoissa statuam erexerat, quam Alexander Mammæus in suo Larario servabat imaginem, quam Jesus Christus misit ad Abgarum Regem, sive Marcellina Carpocratiana colebat; has, inquam, omnia adeo intercedisse constat, ut nulla earum descriptio supersit.

Quæ ex S. Joanne Damasceno, & Nicephoro legimus, de fulgore oris Jesu Christi,

(l) *In Isa.* LIII, 2.

(m) *In Isa.* LIII.

(n) *Eufeb. Cæsar. in Psal.* XLIV: Ὁ δὲ Ψαλμὸς κάλλος αὐτοῦ καλεῖ, οὐ τὸ τοῦ σώματος, ἀλλὰ τὸ τῆς ἀρετῆς.

(o) *In Psal.* XLIV.

(p) *Basil. in Isai.* V: Οὐ γὰρ ἐν ἁρμονίᾳ τῶν μελῶν, οὐδὲ ἐν εὐχροίᾳ τινὶ τῇ ἐπανθούσῃ τῷ σώματι τὸ τερπνὸν ἔχοντι. Ἀλλὰ μόνῃ τῇ διανοίᾳ, *&c. Vide & in Psal.* XLIV.

(q) *Adversùs Marcion. lib.* 3, *cap.* 17.

(r) *In Isa.* LIII; *& lib.* 1 *Glaphyr. in Exod.*

(s) *Epist.* 1 *Class. Epist.* 29 *ad Irenæum.*

(t) *Lib.* 3, *Epist.* 130.

(u) *In Psal.* XLIV.

(x) *Joseph. de bel. lib.* 3, *cap.* 4.

(y) *Luc.* XIX, 2, 3, 8.

Christi, quo perstrictus pictor ab Abgaro missus ab opere prohibitus est, hæc sanè majora sunt, quàm ut Authoribus hisce sequioris ætatis, solis & sine teste, credantur. S. Hieronymus, & S. Chrysostomus in eâ fuerunt sententiâ, rutilantem e vultu Jesu Christi fulgorem in sui amorem mortales omnes rapuisse. Quæ si vera essent, de luce quadam oculos corporis perstringente, non fuisset planè, cur illum flocci pendentes dictitarent Judæi (z): *Nonne hic est Jesus filius Joseph, Fabri filius? Nonne sorores ejus nobiscum sunt?* Si insolito vultûs nitore occultæ Divinitatis specimen exhibuisset, in tantam ne prorupissent audaciam Judæi, Romanique, ut manus in illum injicerent (a)? Priscis illis Fidelibus neque studium deerat, neque facultas noscendi, quæ Jesu Christo forma esset, statura & majestas; nihil autem illi eâ de re speciosum produnt. Quis credat unquam, illos, siquidem aliquid animadvertissent supra vulgare in imaginibus & statuis Jesu Christi, nihil curasse, ut tantæ rei memoria posteris relinqueretur? Ex quibus omnibus illud conficitur argumentum, Jesu Christi formam æquè a summâ deformitate & venustate abfuisse.

Plerique e Patribus, quorum verba in utramque sententiam suprà laudavimus, in hanc nostram opinionem convenire videntur, sive cùm eorum mens seriò in examen revocatur, sive cùm apertiùs mentem suam prodiderunt. Vaticinium illud Isaiæ, *Vidimus eum, & non erat ei species neque decor*, revocant ad tempus Passionis, cùm scilicet probris, ictibus, & spuris fœdato vultu, triste sui spectaculum intuentibus præbebat (b). Alii verò explicant de obscuro vitæ genere, atque ab hominum luce glotiâque alieno, quod Dominus elegit (c). Origenes fatetur (d), in Scripturâ ineleganrem Christi formam dici; nuspiam autem legi, fœdam atque pigmæam staturam illum præsetulisse; ex quo nihil supra vulgare in illo apparuisse, satis designat. Hæc genuina Origenis sententia. S. Clemens Alexandrinus, & Tertullianus de formâ Jesu Christi agentes, nimii sunt, quibus, si dicti sui idoneum aliquod testimonium attulissent, fidem haberemus; nunc autem futiles adeò illius rationes, & plus æquo probantes adducunt, ut nihil illis obsequendum credamus. Minimè simile vero est, Jesu Christi consiliis oris deformitatem servire potuisse. Abhorruit igitur a deformitate tantum, quantum ab ejus necessitate aberat.

S. Augustinus, & S. Bernardus suas laudes illius pulcritudini vicissim & deformitati, pro suâ singulis ratione, contulerunt. Possunt ambo in utramque sententiam laudari, cùm utrumque verum sit, & invenustum fuisse Christum, cui nullæ essent lascivientis oris blanditiæ, quæ carnales oculos rapiunt; & formosum, si cum iis comparetur, qui sive a naturâ, sive casu aliquo fortuito aliquam oris deformitatem referunt. Utrumque legimus in Scripturâ, & laudari Christum a venustate, & abhorruisse illum a nitore & pulcritudine. Psalmista *speciosum præ filiis hominum* commendat; Isaias despicatum & inglorium hominem inducit: *Illæ sunt duæ tibiæ quasi diversè sonantes, sed unus spiritus ambas inflat*, ait Augustinus (e).

(z) *Matth.* XIII, 55. *Marc.* VI, 3.

(a) 1 *Cor.* II, 8; & *August.* in *Psal.* CXXVII.

(b) *Theodoret. Eusebius, Hieron. in Isai.* LII & LIII; & *Hieron. in Epist. ad Principiam*; & in *Psal.* XLIV; *Chrysost. in Matt.* VIII, *homil.* 28; *Cyrill. in Isai.* LIII; *Procop. in eumdem locum*; *Bernar. Serm.* 26 & 28 in *Cantica*.

(c) *Chrysost. in Psal.* XLIV.

(d) *Contra Celsum*: Οὐκ εὐωραῖον εἶδος, οὐδέ τινι ὑπερέχοντι κάλλει.

(e) *Tract.* 9 in *Epist.* 1 *Joan.*



COM-

COMMENTARIUS LITERALIS IN ISAIAM.

CAPUT PRIMUM.

In scelera Jerosolymæ invectiva. Ultio, quam Dominus de populo suo exiget. Sacrificia & Festa veteris Legis. Ad justitiam & innocentiam adhortatio. Rerum Judaicarum in florentem statum restitutio futura.

℣. 1. Visio Isaiæ filii Amos, quam vidit super Judam & Jerusalem in diebus Oziæ, Joathan, Achaz, & Ezechiæ, regum Juda.

℣. 2. Audite, cœli, & auribus percipe, terra, quoniam Dominus locutus est: Filios enutrivi, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me.

℣. 3. Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognovit, & populus meus non intellexit.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VISIO ISAIÆ FILII AMOS, QUAM VIDIT SUPER JUDAM, ET JERUSALEM. De Isaia, rebusque ab eo gestis latè egimus in Præfatione. Vaticinia illius pleraque ad Regnum Juda & urbem Jerosolymam spectant; nec omittuntur res Israëlis, Chaldæorum, Ægyptiorum, Phœnicum, aliarumque gentium Judææ finitimarum. Sed potissimùm illud sibi proponit Isaias, in quo agebat, Regnum Juda. Commune id habet cum cæteris Prophetis, quòd nunquam oculum avertit a Jesu Christo ejusque Ecclesiâ, quorum alterutrum sive directo & literali, sive obliquo, spirituali & sublimiori sensu respicit. Sed proprium illi inter cæteros est, quod apertiùs de illis loquatur, quòd accuratiùs, quòd discertè magis quàm alius quisque e Veteri Testamento. Septuaginta (a), & Theodotion: Visio Isaiæ *in Judæam & Jerusalem*.

IN DIEBUS OZIÆ, JOATHAN, ACHAZ ET EZECHIÆ REGUM JUDA. Ozias regnavit annis duobus & quinquaginta, Joathan sexdecim, totidem Achaz, Ezechias undetriginta. Toto hoc temporis spatio Prophetam egisse Isaiam, satis constat. Vaticinandi exordium cum anno Oziæ quinto & vigesimo plerique componunt (b). Hujus Regis res gestas scripsit (c). Sed initium hoc vaticinandi ad annum Regni ejus postremum rejiciendum nos arbitramur (d). Quam hic legimus, inscriptio probat, Isaiam vaticinia sua non exarasse nisi labentibus vitæ suæ annis, vel saltem absoluto jam Operi titulum addidisse; cùm enim Prophetam agere cœpit, nunquam profectò nosse poterat, ad Ezechiam usque se perseveraturum. Facilè etiam alius ab Isaiâ, Esdras nempe sive alius quispiam, titulum adjecit.

℣. 2. AUDITE COELI, ET AURIBUS PERCIPE TERRA. Splendidum hunc apparatum exigebat rerum, quas producturus erat, magnitudo. Persimile exordium, ubi rerum gravitas & magnitudo poscebat, Sacri Scriptores persæpè usurparunt (e). Cœlum quidem & terra sensûs incapaces sunt, ait Theodoretus (f): sed Propheta illa alloquitur, atque adhibet testes tamquam creaturis omnibus ætate & perennitate superiora, & quæ creaturas reliquas sensibus obnoxias contineant.

FILIOS ENUTRIVI ET EXALTAVI. Septuaginta (g): *Filios genui & exaltavi*. Hebræus (h): *Filios magnificavi & exaltavi*. Israëlem in populum meum, filiumque charissimum elegi. *Filius meus primogenitus Israël* (i), ait ad Pharaonem Dominus. Cumulatum illum beneficiis supra reliquos populos extuli; ipse autem iniqua rependit.

℣. 3. COGNOVIT BOS POSSESSOREM SUUM, ET ASINUS PRÆSEPE DOMINI SUI. Populus meus erga beneficia Dei ingenii, scientiæ, & sensûs minus habet, quàm stupidissima quæque brutorum. Mei oblitus, alios sibi Dominos, alios sibi Deos præter me quæsivit. Authoritas sententiæ hujus, & alterius ex Habacuc, juxta expositionem Septuaginta, petitæ, *In medio duorum animalium cognosceris*

(a) Κατὰ τῆς Ἰουδαίας, καὶ κατὰ Ἱερουσαλήμ. על יהודה וירושלם (b) *Hieron. Rabb. Interpp. plerique*. (c) 2 *Par.* XXVI, 22. (d) Vide nos in Caput VI, 1. (e) *Deut.* XXXI, 1, 2; *Jerem.* II, 12; *Isai.* LXV, 8. (f) *Theodoret. hic*: Οὐρανὸν δὲ καὶ γῆν εἰς μαρτυρίαν οὐχ ὡς ἐμψύχους καλεῖ, ἀλλ᾽ ὡς πᾶσαν ὁρωμένην περιέχοντας κτίσιν, καὶ ἐπὶ πλεῖστον διαρκοῦντας. (g) Υἱοὺς ἐγέννησα, καὶ ὕψωσα. (h) בנים גדלתי ורוממתי (i) *Exod.* IV, 22. (k) *Abacuc*, III, 2: Ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ.

℣. 4. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis: dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum.
℣. 5. Super quo percutiam vos ultra, addentes prævaricationem? omne caput languidum, & omne cor mœrens.
℣. 6. A plantâ pedis usque ad verticem, non est in eo sanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.
℣. 7. Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni: regionem vestram coram vobis alieni devorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili.
℣. 8. Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vineâ, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut civitas, quæ vastatur.

COMMENTARIUS.

scêris, persuasit Pictoribus nostris, ut puero Jesu in præsepi jacenti bovem & asinum appingerent. Hunc sensum, quem ignorarunt veteres in Isaiam & Habacuc Scriptores, norunt Recentiores, qui & sententiis quibusdam Sanctorum Patrum dictum suum tuentur *(l)*. Sed Patres illi bovem & asinum allegorico sensu accepisse videntur *(m)*; & cæteri, qui apertiùs rem prodiderunt, Scriptores sunt vel ignoti *(n)*, vel minùs accurati; quamobrem certa hujus opinionis epocha adstrui citiùs nequit, quàm ad dimidium sæculi quinti, quo vivebat Author Libri Promissionum, sub ementito S. Prosperi nomine latens *(o)*.

℣. 4. POPULO GRAVI INIQUITATA *(p)*, iniquitatis sarcinâ ita oppresso, ut caput attollere non valeat. Vel potiùs: Gravi, & criminum suorum enormitate ipsi Deo intolerabili. Septuaginta *(q)*: *Pleno peccatis*.

FILIIS SCELERATIS: DERELIQUERUNT DOMINUM. Septuaginta *(r)*: *Filii iniqui dereliquistis Dominum*. Hebræus *(s)*: *Filiis corruptis*, vel corruptoribus: *dereliquerunt Dominum*. Sceleratè vivunt, & pravo exemplo cæteros corrumpunt. Depravant sese, & ab avitâ parentum pietate degenerant. Semen spurium.

℣. 5. SUPER QUO PERCUTIAM VOS ULTRA, ADDENTES PRÆVARICATIONEM? Vaticinia hæc & sequentia quinque priorum Capitum cum labentibus Regni Oziæ, & ineuntibus Joathani annis componenda esse diximus in Præfatione. Sed quomodo concilientur ea, quæ hîc narrantur de calamitatibus & sceleribus Juda, cum Ozia & Joathano, quos pios felicesque Principes fuisse docet Scriptura *(t)*? Quomodo igitur sub iis Regibus *(u) omne caput languidum, & omne cor mœrens? A plantâ pedis usque ad verticem capitis non est in eo* (Juda) *sanitas: vulnus, & livor, & plaga tumens. Terra vestra deserta, civitates vestræ succensæ igni*. Respondemus 1, Cùm Oziam superbum audentemque profanam manum ad suffitum in Templo offerendum extendere, Deus leprâ feriit *(x)*, res Juda abire in deterius cœpisse, moderante illas Joathano, Principe adolescentulo. 2, Quos Ozias domuerat *(y)*, Ammonitas labentibus Regni ejus annis facilè jugum excussisse; hujus enim filius Joathan obstinato bello illos urgere coactus fuit, ut ad fidem reduceret. 3, Jeroboamum II, Israëlis Regem, victorias suas ad fines usque Ægypti sub imperio Joathani provexisse *(z)*. Hæc præstitisse illum, intactâ ditione Regni Juda, vix credimus. 4 Denique, pauca adeò de rebus Regnorum illorum comperta esse, ut certa illarum series constitui vix possit. 5, Docente Scripturâ *(a)* constare, Dominum sub imperio Joathani immittere in ditionem Juda cœpisse copias Syrorum & Israëlitarum, quæ sub Achaz regionem latè vastarunt. Sed excursiones hasce ad exitum potiùs quàm ad exordium Regni Joathani referendas credo. Quare & mala hæc, de quibus in hoc capite, cum exitu Regni Oziæ componere oportet. Interpretum quidam *(b)* accipienda hæc arbitrantur tamquam vaticinium malorum sub Achaz futurorum. Sed verba Textûs de malis jam exactis apertissimè loquuntur: *Super quo percutiam vos ultra* (quorsum vos ultra cædam flagellis, quibus nihilo meliores effecti estis?) *addentes prævaricationem?*

℣. 7. DESOLABITUR SICUT IN VASTITATE HOSTILI. Ut hæc sententia cum præcedentibus & consequentibus nectatur, ita vertendam arbitror: *Regio vestra ita desolatur ubi locus aliquis hostium excursione vastatur; & Sion ita destituitur, ut umbraculum in vineâ*. Meritò suspicamur, Ammonitas, Moabitas, aliosque Regni Juda adversarios, adolescentiam, inexpertam Joathani ætatem, & absentiam Oziæ opportunè nactos, regionem invasisse, totamque vastasse. Vel fortè, Propheta sævientia tunc mala cum futuræ pariter calamitatis minis componit. Quo postremo sensu accepta verba commodè exponuntur de iis quæ sub Achaz & Ezechia contigerunt. S. Hieronymus, Theodoretus *(c)*, Tertullianus *(d)*, aliique plures expressam hîc agnoscunt extremam Jerosolymæ per Romanos eversionem, & quæ post illam consecutæ sunt, calamitates. Excidium urbis per Chaldæos alii præferunt; quod utique at vicinius erat malum, magisque animos illorum afficiens, quàm quod per Romanos illatum est.

℣. 8. UT UMBRACULUM IN VINEA, ET SICUT TUGURIUM IN CUCUMERARIO. Quamdiu e vite pendent uvæ, in constructis e paleâ casis aguntur

(l) *Vide Cornel. a Lapide hic, Sanct. Baron. an. Christi* 1, § 3. (m) *Vide Casaubon. exerc.* 2, § 2; *&* Notes de M. de Tillemont sur J. C. note 5, p. 447. (n) E. g. Author Carminis qui vulgo tribuitur Lactantio, & Author Sermonis 33 inter Opera S. Joannis Chrysostomi, t. 6, p. 277. (o) *Prosper, lib.* 3 *de Promiss. c.* 5. (p) עם כבד עון (q) Πλήρης ἁμαρτιῶν. (r) Υἱοὶ ἄνομοι ἐγκατελίπετε τὸν Κύριον. (s) בנים משחיתים (t) 4 *Reg.* XV, 2; 2 *Par.* XXVI; *&* 4 *Reg.* XV, 34; *&* 2 *Par.* XXVII. (u) *Isai.* 1, 5, 6, 7. (x) 2 *Par.* XXVI, 10. (y) 2 *Par.* XXVII, 7, 8. (z) 2 *Par.* XXVII, 5. (a) 4 *Reg.* XV, 37. (b) *Vat. Grot. Cornel.* (c) *Hieron. & Theodoret. hic.* (d) *Tertull. contra Jud. c.* 13; *& Apolog. c.* 25.

℣. 9. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.

℣. 10. Audite verbum Domini, principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri, populus Gomorrhæ.

℣. 11. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum: holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.

℣. 12. Cùm veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis?

℣. 13. Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi. Neomeniam, & sabbatum, & festivitates alias non feram: iniqui sunt cœtus vestri:

℣. 14. Calendas vestras, & solemnitates vestras, odivit anima mea: facta sunt mihi molesta: laboravi sustinens.

COMMENTARIUS.

tur excubiæ adversùs injurias avium & prædonum; & in agris, ubi maturi cucumeres ac pepones sunt, tuguria statuuntur, ubi ab æstu solis tuti custodes vigilant. Sed vindemiâ absolutâ, collectisque agri fructibus, tuguria hæc, & casæ desertæ habitatoribus negliguntur. Ita Jerusalem, filia Sion, jacet derelicta. Prophetarum phrases non semper ad verbum accipiendas esse constat; ii enim non rarò hyperbole utuntur. Cucumeres & pepones in Palestinâ aliisque pluribus per Orientem locis in apertis agris seruntur, ut apud nos familiarissima quæque legumina. Persimilem loquendi formam habes in Psalmo LXXVIII, 1: *Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam..... posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.*

Sicut civitas quæ vastatur. Hebræus & Septuaginta (e): *Sicut civitas obsessa.*

℣. 9. Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. Exitium adeò extremum & irreparabile, uti Sodomæ, nobis contigisset. Actum fuisset de Jerosolymâ, & Judâ. Sed feliciter cessit, quòd *Deus Sabaoth*, vel Dominus exercituum, nostri misertus, aliquot ex nobis reliquit; ad literam, *reliquit nobis parum*, ex quo accisæ spes tandem repullularent.

℣. 10. Principes Sodomorum. Principes Juda, nihilo meliores Sodomitis. Nomen rei alicujus odiosæ alicui adscribere, familiare est Prophetis. Ita interdum appellant Hebræos *genus Chanaan, filios Amorrhæorum, populum Sodomæ*: ita & Jerosolyma est *Babylon*, vel *Sodoma*, vel *mons leonis, Ariel*.

℣. 11. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? Sincerus Dei cultus, & vera religio in eo posita est, ut quis colat justitiam, amet veritatem, charitati studeat. His remotis animi ornamentis, Dei benevolentiam exteriora cruenta Sacrificia non movent. *Hostia*, inquit hîc S. Hieronymus, *& immolatio victimarum non principaliter a Deo quæsita sunt, sed ne idolis fierent, & ut de carnalibus victimis quasi per typum & imaginem ad spirituales hostias transiremus (g).* Nunquam non Deus per Prophetas docuit Judæos, parum se illorum sacrificiis affici (h), parum illa curare, nec illa flagitare (i). Id potiùs optabat, ut sensim illos ad Sacrificium novæ Legis perduceret, quod vetera hæc Sacrificia, Novi typos & umbras, sublimiori dignitate continebat.

Plenus sum. Holocausta... nolui. Septuaginta (k): *Plenus sum*, vel saturatus *holocaustis agnorum*. In eumdem sensum exponi Hebræus potest. Tertullianus (l) & S. Cyprianus lectionem Vulgatæ retinent.

℣. 12. Ut ambularetis in atriis meis; ut ingrederemini in Templum meum. Ad literam (m): *Ut conculcaretis atria mea*; ut frequentaretis atria mea. Commodè teneri potest versio Septuaginta, ferens (n): *Calcare atrium meum non apponetis. Vanum est, si offeratis similam, &c.* Nectunt hæc cum versiculo sequenti. Molestæ mihi sunt visitationes, & vestræ ad Templum meum peregrinationes.

℣. 13. Neomeniam et Sabbatum et festivitates alias; primos scilicet ineuntis mensis sive Lunæ exorientis dies. Hebræus (o): *Mensee vestres, Sabbathum, & convocationem cœtuum vestrorum.* Græcus (p): *Neomenias vestras, & Sabbatha, & diem magnum vestrum.* Hæc omnia mihi molesta sunt: quòd a vobis malâ animi præparatione celebrentur.

℣. 14. Facta sunt mihi molesta. Laboravi sustinens. Septuaginta (q): *Facti estis mihi in nauseam. Nequaquam ultra dimittam peccata vestra.* Chaldæus: *Facta sunt coram me in abominationem; multiplicavi remittens.* Reddi potest Hebræus (r): *Solemnitatibus vestris lassatus sum;*

(e) כעיר נצורה 70: Ὡς πόλις πολιορκουμένη. (f) הותיר לנו שריד

(g) Vide *Theodoret. hic.* Δῆλον ὅτι ὡς προηγουμένας αὐτὰς ἐδόθησαν, ἀλλ' ὥστε παιδαγωγίαν γενέσθαι τῆς ἄλλης ἐντεῦθεν αὐτοῖς πολιτείας.

(h) *Psal. XLIX, 9: Non accipiam de domo tuâ vitulos, &c.*

(i) *Amos, V, 21: Odi & projeci festivitates vestras; & non capiam odorem cœtuum vestrorum, &c. Jerem. VI, 20: Holocautomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi, &c. Ezech. XX, 26: Pollui eos in muneribus suis, &c.* (k) Πλήρης εἰμὶ ὁλοκαυτωμάτων κριῶν. *Heb.* שבעתי עולות אילים *&c.* (l) *Tertull. advers. Judæos: Holocautomata & sacrificia vestra nolo. Ita Cypr. lib. 1 de testim. advers. Jud.* (m) רמס חצרי (13) לא תוסיפו הביא מנחת שוא (n) Πατεῖν τὴν αὐλήν μου. (13.) Οὐ προσθήσεσθε. (o) חדש ושבת קרא מקרא לא אוכל (p) Τὰς νουμηνίας ὑμῶν, καὶ τὰ σάββατα, καὶ ἡμέραν μεγάλην. (q) Ἐγενήθητέ μοι εἰς πλησμονήν· οὐκ ἔτι ἀνήσω τὰς ἁμαρτίας ὑμῶν.

(r) היו עלי לטרח נלאתי נשא

℣. 15. Et cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos a vobis: & cùm multiplicaveritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.

℣. 16. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse,

℣. 17. Discite benefacere: quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.

℣. 18. Et venite, & arguite me, dicit Dominus: si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.

℣. 19. Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.

℣. 20. Quòd si nolueritis, & me ad iracundiam provocaveritis: gladius devorabit vos, quia os Domini locutum est.

℣. 21. Quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicii? justitia habitavit in eâ, nunc autem homicidæ.

℣. 22. Argentum tuum versum est in scoriam: vinum tuum mistum est aquâ.

℣. 23. Principes tui infideles, socii furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant: & causa viduæ non ingreditur ad illos.

℣. 24. Propter hoc, ait Dominus Deus exercituum fortis Israël: Heu, consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.

COMMENTARIUS.

sum; laboravi patiendo, vel ferendo.

℣. 15. LAVAMINI, MUNDI ESTOTE. Non exteriorem curis lotionem solam requirit: hæc enim exteriora religionis indicia, interiori pietate destituta, mox damnavit. Interiorem imperat lotionem, quâ animus eluitur a sordibus, & quæ mentem in Sanctitatem per pœnitentiam & charitatem mundat. Innui his verbis Baptismum novæ Legis, Eusebius & Theodoretus suspicantur.

℣. 17. QUÆRITE JUDICIUM; rem expendite, antequam judicetis: æquitatem & justitiam colite, jus reddite equum atque integrum.

℣. 18. VENITE, ET ARGUITE ME. Meam in vos severitatem querimini: arguite me iniquitatis, si vos justos & innocentes puniero & rejecero. Hebræus (s): *Adeste nunc, & increpemus nos alterutrum;* disceptemus inter nos, uter nostrûm meliori jure utatur.

UT COCCINUM ...... QUASI VERMICULUS. In Exodum, XXV, 4, latè demonstravimus, priorem vocem Hebræam שנים designare coccineum colorem; alteram verò תולעת vermiculum, cujus cruor colorem illum coccineum reddit. Utraque ea vox plerumque jungitur, tamquam unum idemque significans; idest, rubrum colorem saturum, splendidum, ad ignis colorem accedentem. Septuaginta (t): *Rubrum ut puniceum .... & ut coccineum*. Tertullianus (u): Ut roseos color, & quasi coccineus sive igneus color, ruseo dilutior: *In roseo, sanguinem ostendens Prophetarum; in coccino, Domini, ut clariorem.*

℣. 22. ARGENTUM TUUM VERSUM EST IN SCORIAM. Probatos olim vos exhibebatis, uti argentum omni fæce & scoriâ liberum: nunc autem sincerum illud metallum adulterastis; vinum estis aquâ dilutum & enervatum. Aliter: Quæ vobis erant optima & pretiosissima, nunc viluerunt & emarcuerunt. Judices vestri, Principes & Sacerdotes integritate, pietate & justitiæ amore destituuntur; quibus olim laudibus obsequium sibi & existimationem pepererunt. Seu potiùs: In commerciis sinceritas omnis abest. Argentum vestrum mistura est prava, quæ pretiosi metalli sinceritatem minuit & pretium; vinumque vestrum, multâ dilutum aquâ a mercatoribus (x), viluit. Sub duplici hoc exemplo cæteras commercii fraudes complectitur. Patres (y) accipiunt de corruptione divinæ Legis ex infectis Judaicis traditionibus, deque Evangelicorum dogmatum depravatione, ingestis perniciosis expositionibus malorum Doctorum, qui sanctissimas veritates sive præter modum augent, sive minuunt.

℣. 23. PRINCIPES TUI INFIDELES. Hebræus (z): *Principes tui contumaces*, qui non aliam sibi agendi regulam constituunt, quàm depravatæ voluntatis licentiam. Septuaginta: *Increduli sunt*, vel inobedientes.

℣. 24. PROPTER HOC AIT DEUS EXERCITUUM, FORTIS ISRAEL: HEU! CONSOLABOR SUPER HOSTIBUS MEIS. Ulciscar de hostibus meis. Heu, hic fortè adscribitur, ut significet, nonnisi invitum se & reluctantem in ultionem ferri. Verbo *consolari* utuntur Hebræi ad designandam voluptatem, quâ homo in ultionem fertur (a). *Consolari se super hostibus suis*, perinde est atque conceptum in illos odium per ultionem explere. Quæ loquendi phrasis cùm Deo aptari numquam possit, nonnisi e moribus hominum desumpta est.

Septua-

(s) לכו ונוכחה 70: Δεῦτε καὶ διαλεχθῶμεν. (t) 70: Ὡς φοινικοῦν .... ὡς κόκκινον.
(u) *Tertull. contra Marcion. lib. 4, c. 10.* (x) 70: Οἱ κάπηλοί σου μίσγουσι τὸν οἶνον ὕδατι.
(y) *Vide Hieron. hic, Eusebium Cæsar. Theodoret. Cyrill. Basil. in hunc loc. Nazianz. in Apol. & Ambr. serm. 12 in Ps. CXVIII.* (z) שריך סוררים 70: Οἱ ἄρχοντές σου ἀπειθοῦσι. *Sym.* Ἀπειθεῖς. *Teod.* Ἐκκλίνοντες. (a) הוי אנחם מצרי *Vide Isai. XII, 1; Ezech. V, 13; & 2 Macc. VII, 6.*

℣. 25. Et convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.
℣. 26. Et restituam judices tuos, ut fuerunt priùs, & consiliarios tuos sicut antiquitus: post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis.
℣. 27. Sion in judicio redimetur, & reducent eam in justitiâ.
℣. 28. Et conteret scelestos, & peccatores simul: & qui dereliquerunt Dominum, consumentur.
℣. 29. Confundentur enim ab idolis, quibus sacrificaverunt: & erubescetis super hortis, quos elegeratis.
℣. 30. Cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus absque aquâ.
℣. 31. Et erit fortitudo vestra ut favilla stuppæ, & opus vestrum quasi scintilla: & succendetur utrumque simul, & non erit qui extinguat.

COMMENTARIUS.

Septuaginta (b): *Propterea hæc dicit Dominus Dominator Sabaoth: Væ fortes Israël! Non cessabit enim furor meus contra adversarios; & judicium de inimicis meis faciam*; insignem in illos ultionem exercebo. Harum minarum vis tandem impleta est sub Achazo & Ezechia, cùm Regnum Juda gravissima passum est a Syris, Assyriis, Philistæis, & Regibus Israëlis mala, ut inferiùs narrabitur. Calamitates istæ labente Joathani regno cœperunt. 4 *Reg.* xv, 37.

℣. 25. Excoquam ad purum scoriam tuam, et auferam omne stannum tuum. Sicut metallum in fornace fusorio, ita te excoquam & purgabo scoriâ & adulterinâ metalli mistione, quâ vitiaris, uti superiùs, ℣. 22. Septuaginta (c): *Excoquam ad purum te; incredulos autem perdam, & auferam a medio tui impios & superbos*. Editio Romana: *Inducam manum meam super te, & excoquam ad purum: inobedientes autem perdam, & auferam omnes prævaricatores*. Oraculis hisce sua fides reddita est sub Regno Ezechiæ, qui totam Judæ ditionem idololatriæ & impietatis fœce purgavit. Sed brevis hæc reformatio figura erat tantummodo & vestigium eorum, quæ sub Jesu Christo, & in ejus Ecclesiâ spectanda fuerant. Tunc enim contigit, ut vera illa Jerusalem meritò appellaretur *Civitas Justi, Urbs fidelis*, ℣. 26.

℣. 27. Sion in judicio redimetur, et reducent eam in justitia. Periit sceleris & iniquitatis causâ: illam instrumentis planè contrariis Deus restituet; efficiet enim, ut æquitate & virtutibus floreat. Hebræus (d): *Sion in judicio redimetur, & captivi ejus in justitiâ*. Septuaginta (e): *Cum judicio salvabitur captivitas ipsius, & cum misericordiâ*.

℣. 29. Confundentur enim ab Idolis, quibus sacrificaverunt: et erubescetis super hortis quos elegeratis. Hebræus (f): *Pudore afficientur super nemoribus, quæ concupierunt, & erubescetis ab hortis, quos elegistis*. Fræna laxaverant Judæi, in mores idololatrarum deflectentes, adsciverant sibi nemora Idolis consecrata, hortosque, ubi Numinum superstitionem exercebant (g). Porrò nemora Astarthi seu Veneri sacra erant: hortis Adonis præerat. Iis in locis infanda illa scelera patrabantur, quæ Prophetæ sæpè exprobrant Hebræis, & Historici profani non rarò commemorant. Vide nostram dissertationem de Numinibus Phœnicum. Nunciat illis Propheta versiculo sequenti futurum, ut redigantur ad miserum statum nemoris viridi foliorum amictu nudati, & horti, quem nimius solis æstus torret, aquarum nulli fontes rigant. Is rerum status fuit Regni Juda & Jerosolymæ post arma Regum Damasci & Israëlis sub Achazo, & Sennacheribi sub Ezechia.

℣. 31. Erit fortitudo vastra ut favilla stuppæ. Hebræus (h): *Et erit fortitudo in stuppam, & opus ejus in favillam*. Igni e stuppâ levi ac tenui similis erit fortitudo tua; subitò exardescet, & statim extinguetur. Septuaginta (i): *Et erit fortitudo eorum ut stipula stuppæ, & opera eorum sicut scintilla*. Conatus omnes Joathani, Achazi, & ipsius pariter Ezechiæ, quibus hostium vires repellere adnisi sunt, quid erant nisi stuppæ ignis levis & futilis? *Fortitudo* etiam hîc pro divitiis usurpari potest. Divitiæ vestræ uti stuppa absumentur; & labores vestri, eaque omnia quæ studiosè comparastis, ut favilla evanescent.

(b) Τάδε λέγει ὁ δεσπότης κύριος σαβαώθ. Οὐαὶ οἱ ἰσχύοντες Ἰσραήλ· οὐ παύσεται γάρ μου ὁ θυμὸς ἐν τοῖς ὑπεναντίοις, καὶ κρίσιν ἐκ τῶν ἐχθρῶν μου ποιήσω. (c) Πυρώσω σε εἰς καθαρόν. Τοὺς δὲ ἀπειθοῦντας ἀπολέσω, καὶ ἀφελῶ πάντας ἀνόμους ἀπὸ σοῦ, καὶ πάντας ὑπερηφάνους. *Ita Edit. Compl. Paulo brevior est Rom. Sym.* Καὶ πυρώσω εἰς καθαρὸν τὴν σκωρίαν σου. *Theod.* Καὶ πυρώσω εἰς καθαρὸν τὸ γιγαρτῶδές σου. (d) ציון במשפט תפדה ושביה בצדקה (e) Μετὰ γὰρ κρίματος σωθήσεται ἡ αἰχμαλωσία αὐτῆς, καὶ μετὰ ἐλεημοσύνης. (f) כי יבשו מאילים אשר חמדתם ותחפרו מהגנות אשר בחרתם (g) Vide *Isai.* LXV, 3, ubi de hisce hortis, flagitiosissimæ religionis exercitio infamibus: ea verò flagitia lavacro elui potabant. (h) והיה החסן לנערת ופעלו לניצוץ (i) 70: Καὶ ἔσται ἡ ἰσχὺς αὐτῶν ὡς καλάμη στιππύου, καὶ αἱ ἐργασίαι αὐτῶν, ὡς σπινθῆρες πυρός. *Sym.* Ὡς ἀποτίναγμα. *Hieron.*

CAPUT II.

Nobilis descriptio gloriæ urbis Jerosolymæ, postquam conversa fuerit. Crimina Judæorum, quæ vim omnem minarum Domini in caput illorum provocavere. Ultio Domini in impios formidabilis.

℣. 1. VErbum, quod vidit Isaias filius Amos, super Juda & Jerusalem.

℣. 2. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.

℣. 3. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.

℣. 4. Et judicabit gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VERBUM QUOD VIDIT ISAIAS. Caput hoc cum præcedente unicâ rerum serie conjungitur; nec aliò spectat ad verbum, quàm ad Regnum Jesu Christi, & Ecclesiæ illius institutionem. Quædam subinde continet, quæ vix alteri convenire possunt, quàm Judæis post excidium Judææ sub Sennacheribo. Est autem in Prophetarum moribus positum, ut vaticinia generica, quæ ad Messiam primò spectant, simul jungant misceantque aliis privatarum rerum vaticiniis, quæ non obscurè implentur in Republicâ Judaicâ, vel in iis, ad quos verba fiunt, quæque saltem ex obliquo Messiam respiciunt.

℣. 2. ET ERIT IN NOVISSIMIS DIEBUS PRÆPARATUS MONS DOMUS DOMINI IN VERTICE MONTIUM. Quod Jerosolymis stabat Templum, jugo montis Moriæ insidebat; futurum autem prædicit Isaias, ut postremâ sæculorum ætate longè sublimiorem loci sedem obtineat; collectionem scilicet montium, quorum alter alteri insideat, hoc erit illi fundamentum & basis. Hyperbolica hæc & grandia dicta minora sunt tamen, quàm ut exprimant sublimitatem, splendorem, majestatem Domûs Domini, a Jesu Christo constitutæ atque fundatæ; Ecclesiæ scilicet ipsius, ipso authore ipsiusque manu ædificatæ, cujus ipse est Fundamentum, Caput, Pontifex, Victima, Doctor, Lux, Robur, Gloria. Licèt autem phrasis ista, *In novissimis diebus*, non semper aut necessariò futuram adventûs Jesu Christi ætatem significet; omnes tamen facilè assensuros arbitror, in hac frequentiùs significatione usurpari (a); quin & axiomate id receptum est apud Judæos. Quod autem apertè demonstrat, postremum hunc sensum retinendum esse, illud est, nimirum nullum designari posse temporis articulum inter Isaiæ & Christi ætatem, quo vaticinium hoc de Templo materiali impletum habeatur. Sublimius est igitur aliquid excogitandum, nec aliud sanè quàm Ecclesiæ Christianæ institutio.

Tres priores Versiculi Capitis IV Michææ totidem verbis respondent secundo, tertio, & quarto hujus Capitis. Accepisse hæc ab Isaia Michæam, qui exordium vaticinandi post illum fecit, non male credimus. Septuaginta (b): *Erit in novissimis diebus mons Domini manifestatus*, vel omnium oculis expositus. Hebræus (c): *Erit in novissimo dierum Nachon mons Domini in capite montium.* Apud Reges (d) occurrit area *Nachon*, prope domum Obededomi, & a Davidis ædibus non procul. Probabiliter existimo, aream Nachon eamdem esse cum hac, quæ hic ponitur ceu synonimum *montis Domûs Domini*. Si verò significatio grammaticalis vocis *Nachon* teneatur, cum Hieronymo vertendum erit: *Erit in novissimis diebus præparatus mons Domus in vertice montium.*

FLUENT AD EUM OMNES GENTES. Si hæc de Ecclesiâ Jesu Christi exponantur, perspicua sunt & aperta. Post cædem exercitûs Sennacheribi, exteræ plures gentes ad offerenda Domino in Templo sacrificia confluxerunt. Vide 2 *Par.* XXXII, 22, 23; & 4 *Reg.* XX, 12.

℣. 3. DE SION EXIBIT LEX, ET VERBUM DOMINI DE JERUSALEM. Lex nova in Sion lata est; Evangelium e Synagogâ cœpit. Jesus Christus nonnisi in Judæâ prædicavit. Porrò is Legem Mosaicam non aboliturus, sed completurus, & omnibus numeris absoluturus venit. Christiana Religio est quodammodo Judaicæ recensio & correctio.

℣. 4. JUDICABIT GENTES, Judicem, Regem, Principem multarum gentium aget.

CONFLABUNT GLADIOS SUOS IN VOMERES, ET LANCEAS SUAS IN FALCES; gladios convertent in vomeres, & lanceas in falces; seu potiùs (e): *Frangent gladios*, & lanceas, ut vomeres & falces conficiant. Proverbialis hæc formula exprimit pacem, post Sennacheribi bellum Regno Ezechiæ

(a) Vide *Jerem.* XLVIII, 47; XLIX, 39; *Ezech.* XXXVIII, 8, & 16; *Dan.* X, 14; *Osee*, III, 5; *Joël*, II, 28, *Act.* II, 17; *Joan.* II, 18; 1 *Timot.* IV, 1; *Heb.* I, 2.
(b) Ὅτι ἔσται ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις ἐμφανὲς τὸ ὄρος τοῦ κυρίου.
(c) והיה באחרית הימים נכון יהיה הר בית יהוה בראש ההרים
(d) 2 *Reg.* VI, 6. *Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei.*
(e) וכתתו חרבותם לאתים וחניתותיהם למזמרות

℣. 5. Domus Jacob, venite, & ambulemus in lumine Domini.
℣. 6. Projecisti enim populum tuum, domum Jacob: quia reple-
ti sunt ut olim, & augures habuerunt ut Philisthiim, & pueris
alienis adhæserunt.
℣. 7. Repleta est terra argento & auro: & non est finis thesau-
rorum ejus:
℣. 8. Et repleta est terra ejus equis: & innumerabiles quadrigæ
ejus. Et repleta est terra ejus idolis: opus manuum suarum
adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum.
℣. 9. Et incurvavit se homo, & humiliatus est vir: ne ergo di-
mittas eis.

COMMENTARIUS.

chiæ partam. Familiares hæ loquendi phrases sunt tam Sacris (f) quàm profanis Scriptoribus. Ovidius (g):

Sarcula cessabant, versique in pila ligones,
Factaque de rostri pondere cassis erat.

Virgilius, Æneidos VII:

Vomeris huc & falcis honos; huc omnis aratri
Cessit amor. Recoquunt patrios fornacibus enses.

Non levabit gens contra gentem gladium. Vaticinio huic sua fides stetit, quo tempore Jesus Christus natus est. Augustus Imperator, turbis Imperium Romanum agitantibus pacatis, externis domesticisque confectis bellis, Jani Templum clausit (h). Ætatis hujus felicitatem describens ita canit Virgilius (i):

Claudentur belli portæ: furor impius intus
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

℣. 5. Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini. Verba sunt Ezechiæ, Israëlem invitantis, ut ad agnoscendum & adorandum Dominum veniant (k); seu potiùs ipsa est Ecclesia Christiana, Apostoli Evangelii præcones, idemque pariter Jesus Christus, qui Judæos ad cœtum Fidelium & ad lucem veritatis vocant.

℣. 6. Projecisti enim populum tuum, domum Jacob. Advenæ, Ethnici, ad fidem conversi, Judæos invitare coguntur, ut Deo gloriam rependant, & Evangelii lumen agnoscant. Vel, si mavis, ipse per se Propheta de futurâ Regni decem Tribuum dispersione, ceu de re gestâ, loquitur; quippe quam post eventus hìc expressos consequuturam norat. Causas exitium hoc Israëlitarum inducturas exhibet. Tu, Domine, miseros deseruisti, quòd tota illorum regio vitiis & superstitionibus abundaret.

Repleti sunt (superstitione) ut olim, et augures habuerunt ut Philisthiim. Cùm illos e conspectu meo abjeci, tam multis vitiis inquinabantur, quàm olim, cùm ex Ægypto eductos, in populum meum elegi. Ad scelera priora redierunt. Ethnicorum Oracula, Divinos, Augures, Magos, perinde ac Philistæi, & ejus fæcis homines, consulebant. Porrò Philistæis Oraculum erat *Beel-zebub* Accarone (l): erant & Sacerdotes & Arioli, quorum oraculum interrogarunt, cùm de remittendâ Arcâ Domini deliberaretur (m).

Sunt qui vertant Hebræum (n): *Hauserant idololatriam suam ex Oriente* (o). Vel. *Repleti sunt idololatriâ præ ipsis Orientalibus*. Aliter: *Impleverunt mensuram flagitiorum a sæculo. Dediti sunt* magicis artibus, ut Philisthæi. Denique: *Repleti sunt* divitiis, rerumque opulentiâ *plus quàm Orientales*, quorum tantæ erant divitiæ, ut abierint in proverbium (p). De Jobo legimus (q): *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales*; in medio locupletis populi opulentissimus habebatur. Septuaginta (r): *Repleta est ut ab initio regio illorum auguriis, ut ea quæ alienigenarum* vel Philistæorum erat. Reddi insuper potest: *Repleverunt* manus suas *ut Orientales*. Cultui inanium Deorum sese totos consecrarunt. *Replere manus suas*, vernaculo Hebræorum sermone perinde est ac Sacerdotio initiari.

Pueris alienis adhæserunt. S. Hieronymus, aliique plures ex Interpretibus (s) notari his verbis putant crimen illud nefarium, quod Capite præcedenti Sodomæ nomen Judæis adscivit (t). Alii (u) accusari malunt Judæos de connubio cum uxoribus alienigenis, ex quibus liberos genuerint; id quod Lege interdictum erat (x). Denique vitio illis vertitur, quòd mores alienigenarum gentium, superstitiones & vitia imitati fuerint, fœdus cum illis conciliaverint, Religionem eorum & Leges adsciverint. *Pueri alieni* non rarò gentes alienas significant (y). Hæc crimina Israëlitarum.

℣. 7. Repleta est terra ejus argento... et repleta est terra ejus equis. Descriptio hæc planè congruit cum Regnis novissimorum Regum Israëlis. Opulentiam, rerum copiam, crapulam, effusosque sumptus exitio semper florentissimis Imperiis fuisse, planè constat; exitio, inquam, nedum morum, pietatis & Religionis, sed regiminis etiam & administrationis Reipublicæ. Vetuerat Deus, ne Hebræorum Reges equos sibi ingenti numero alerent (z).

℣. 9. Ne ergo dimittas eis; vel ex Hebræo (a): *Ne parcas eis*. Septuaginta (b): *Non dimittam eos*; vel non parcam eis. Sed meliùs reddi Hebræus videtur: *Et tu non dimisisti eis*: quæ conclusio est sermonis hùc usque deducti.

Cum

(f) Vide *Michæam*, IV, 3; *Joël*, III, 10.
(g) *Ovid. Fast. lib.* 1. (h) *Sueton. in Aug.*
(i) *Virgil. Æneid.* I. (k) 2 *Par.* XXX, 1, & *sequ.* (l) 4 *Reg.* 1, 2.
(m) 1 *Reg.* VI, 2. (n) כי מלאו מקדם ועננים כפלשתים
(o) *Lud. de Dieu.* (p) *Lyr. Vat. Munst. Vat.* (q) *Job.* 1, 3.
(r) Ὅτι ἐνεπλήσθη ὡς τὸ ἀπ' ἀρχῆς ἡ χώρα αὐτῶν κληδονισμῶν, ὡς ἡ τῶν ἀλλοφύλων.
(s) *Hieronym. hic, Rupert. Sanct. Tir. Cornel. Hayme, Thom. Anglicus, &c.*
(t) *Isai.* 1, 10: *Audite verbum Domini, Principes Sodomorum.* (u) *Theodor. Cyrill. Ita* 70: Καὶ τέκνα πολλὰ ἀλλόφυλα ἐγεννήθη αὐτοῖς. (x) *Exod.* XXXIV, 15, 16; *Deut.* VII, 3; & 1 *Esdr.* IX, 2.
(y) *Psal.* XVIII, 45; & CXLIV, 7, 11; *Isai.* LX, 10; LXI, 5. (z) *Deut.* XVII, 16. (a) ואל תשא להם
(b) Οὐ μὴ ἀνήσω αὐτούς.

℣. 10. Ingredere in petram: & abscondere in fossâ humo a facie timoris Domini, & a gloriâ majestatis ejus.

℣. 11. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus solus in die illâ.

℣. 12. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem: & humiliabitur.

℣. 13. Et super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan.

℣. 14. Et super omnes montes excelsos, & super omnes colles elevatos.

℣. 15. Et super omnem turrim excelsam, & super omnem murum munitum.

℣. 16. Et super omnes naves Tharsis, & super omne, quod visu pulcrum est.

℣. 17. Et incurvabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & elevabitur Dominus solus in die illâ:

℣. 18. Et idola penitus conterentur:

℣. 19. Et introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ, a facie formidinis Domini, & a gloriâ majestatis ejus, cùm surrexerit percutere terram.

℣. 20. In die illâ projiciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, ut adoraret talpas, & vespertiliones.

COMMENTARIUS.

Cum Israëlitis decem Tribuum pro merito egisti.

℣. 10. INGREDERE IN PETRAM, ... A FACIE TIMORIS DOMINI. Insultat imbecillitati Israëlis, qui Dei voces neglexit. Tutum tibi nunc quære asylum in præruptis, in specubus profundissimis adversùs irati Numinis vindictam. Minis hisce potissimùm spectatur tempus belli Salmanasari in Israëlitas; in quam sententiam nos trahunt verba versiculorum 18 & 20, quibus Idolorum abjectio & confractio prædicitur. Scitum est, Regnum decem Tribuum superstitione & idololatriâ laborasse, præsertim sub novissimis Regibus, & quo tempore mala illa, de quibus hìc Propheta loquitur, inundavere.

℣. 11. OCULI SUBLIMES HOMINIS HUMILIATI SUNT; oculi hominis superbi dejicientur; vel, qui cervicem erigit, deprimetur. Septuaginta (c): *Oculi Domini sublimes; homo autem humilis.*

℣. 13. SUPER OMNES CEDROS LIBANI SUBLIMES. Dejiciet Syros Libani incolas, quorum fastum & superbiam Propheta cum cedris comparat. Evertet Principes Ammonitarum, Moabitarum, & reliquarum gentium trans Jordanem, regionisque Basaniticæ, quorum tanta est superbia, ut quercus Regionis suæ æmulentur. Hæc ad verbum implevit Nabuchodonosor, quinto post Jerosolymæ excidium anno (d). Fortè etiam accipienda sunt hæc de exitio Regni Samaritici.

℣. 14. SUPER OMNES MONTES EXCELSOS; super Idumæam, quæ asylum ponebat in montibus & petris. Abdias verbis Domini alloquens Idumæos, ait (e); *Ecce parvulum dedi te in gentibus; contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum; qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.*

℣. 15. ET SUPER OMNEM TURRIM EXCELSAM. Facilè hìc designantur Philistæi, vel Ægyptii (f), plurimarum Urbium munitione superbientes. Has porrò gentes pro suâ unamquamque vice calix furoris Domini a Nabuchodonosore propinatus potavit, ex oraculo Jeremiæ (g): *Sume calicem vini furoris hujus de manu meâ, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te.*

℣. 16. SUPER OMNES NAVES THARSIS. Sermonem hìc esse de Tharso Ciliciæ, pluribus demonstrare conati sumus (h). Naves Tharsis sunt naves diuturnæ navigationis patientes, naves illæ majores & onerariæ. Ex nexu versiculi hujus cum præcedentibus, & ex Capite XXIII, 1, 14, doceri videmur, Prophetam spectasse Tyri excidium, quæ tunc Urbs mari imperabat, vel saltem mercaturam totius fermè Mediterranei ad se avocaverat.

ET SUPER OMNE, QUOD VISU PULCRUM EST. Hebræus (i): Super omnia quæ sunt artis miracula, & pretio digna. Ad verbum: Opera eximia, & *egregias desiderii prospecturas*. Docente Ezechiele discimus (k), in urbe Tyro nihil defuisse eorum, quæ desiderari possent, sive ad magnificentiam, sive ad pulcritudinem, sive ad raritatem; divitiis luxuriasse Tyrum, artis & deliciarum accessione cumulatis. Septuaginta (l): *Super omne pulcherrimum navigium maris.*

℣. 20. UT ADORARET TALPAS ET VESPERTILIONES. Nemo ignorat, quousque superstitionem & impie-

(c) Οἱ γὰρ ὀφθαλμοὶ κυρίου ὑψηλοί, ὁ δὲ ἄνθρωπος ταπεινός.

(d) *Joseph. Antiq. lib.* X, *c.* 11: Τῷ γὰρ πέμπτῳ τῆς Ἱεροσολύμων πορθήσεως ἔτει, ὅ ἐστι τρίτον καὶ εἰκοστὸν τῷ Ναβουχοδονοσόρῳ, στρατεύει ὁ αὐτὸς ἐπὶ τὴν κοίλην Συρίαν, καὶ κατασχὼν αὐτήν, ἐπολέμησε καὶ Ἀμμανίτας, καὶ Μωαβίτας. Ποιησάμενος δὲ ὑπηκόα ταῦτα τὰ ἔθνη, ἐνέβαλεν εἰς τὴν Αἴγυπτον, καταστρεψόμενος αὐτήν. (e) *Abdias*, ℣. 2, 3. Vide & *Ezech.* XXXV, 2, *& seq.*

(f) *Ezech.* XXV, 15, *&* XXIX, XXX. (g) *Jerem.* XXV, 15. (h) *Genes.* X, 4. (i) ועל כל שכיות החמדה

(k) *Ezech.* XXVI, XXVII, XXVIII. (l) Καὶ ἐπὶ πᾶσαν θέαν πλοίων κάλλους.

℣. 21. Et ingredietur scissuras petrarum, & in cavernas saxorum, a facie formidinis Domini, & a gloriâ majestatis ejus, cùm surrexerit percutere terram.

℣. 22. Quiescite ergo ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est ipse.

COMMENTARIUS.

& impietatem provexerint Ægyptii, ut vel bruta ipsa religione cultuque digna censuerint. Nihil erat a minimâ ad ingentes usque belluas, a pisce, insecto, & reptili usque ad bruta perfecta, & ad aves, quod non consecraverint (m). Ipsa pariter hortorum olera colebant (n):

Porrum & cepe nefas violare & frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hae nascuntur in hortis
Numina!

Nullius quidem testimonio discimus, Ægyptios vespertilionem coluisse: sed Atribitos, Nomum hujus nominis in inferiori Ægypto incolentes, consecrasse murem araneum, author est Strabo (o). Thebanos adorasse mustelam, docet Ælianus (p). Mures Numina erant Amaxitarum in Troade, quorum greges alebantur in Templo Apollinis Sminthii, quasi murini. Moris simulacrum sub tripode Apollinis ponebatur (q). Plinius de Magis scribit (r): *Animalium cunctorum talpas maximè mirantur .... Nullis aquè credunt extis, nullum religionis capacius judicant animal; ut si quis cor ejus recens palpitansque devoraverit, divinationis & rerum efficiendarum eventus promittant.* Denique cùm ex Herodoto (s) discamus, nullum fuisse animal, quod cultu careret in Ægypto; quis ambigere poterit, utrùm sua pariter cum cæteris Altaria nacti fuerint vespertiliones & talpæ, ut in grege monstrosorum Numinum monstra hæc pariter non deessent? *Omnigenûmque Deûm monstra* (t). Cùm autem Israëlitæ plus nimio sæpè in superstitiones & idololatriam Ægyptiorum abierint; quis post hoc Prophetæ testimonium dubitaverit, utrùm coram vilissimis hisce belluis genua posuerint?

Recentiores quidam Interpretes (u) vertunt Hebræum (x): *Ad fodiendum fossas*, & idola projicienda *talpis*; ut ea Numina humi condat, communes cum talpis latebras habitura. Septuaginta (y) & Syrus: *Ad adorandum vana & vespertiliones*. Chaldæus (z): *Ut adorarent Idola, & simulacra*. Sed Interpretum plerique sequuntur S. Hieronymum, docentem, Hebræum *Pharpharoth*, quod in unam vocem, post Theodotionem, conjungit, talpas designare.

℣. 22. Quiescite ab homine, cujus spiritus in naribus ejus: quia excelsus reputatus est ipse. Explicantur hæc de J. Christo. Monentur Judæi, ne ulteriùs prorogent odia in Hominem Deum; ne patientiam ejus diutiùs provocent; quamvis enim exteriori specie homo esse videatur, idem est tamen Altissimus (α). Totam hanc sententiam omiserunt Septuaginta, quod de industriâ factum ab illis censet S. Hieronymus, ut Judæis suis parcerent (β). Sed quæ tunc ratio Judæos suadere poterat, ut Oraculum hoc nobis auferrent, vel Ethnicis absconderent?

Alio sensu reddi potest Hebræus (γ): *Ne vos terreat homo spirans; quanti enim faciendus est?* Quantula res homo est, & quæ ejus vita? Ne igitur fiduciam collocetis in homine: quàm enim modicum sunt vita, totusque homo! Vita est halitus brevis; & cùm homo obierit, nihil ex illo supererit. Deo credite, vestrumque in illo præsidium collocate, si malorum expertes esse cupitis. Israëlitæ vanam ab Ægyptiis opem quæsierant. Chaldæus: *Cessate vobis, ne subjiciamini homini, cùm factus fuerit terribilis, cujus spiraculum, spiritus vitæ in naribus ejus est, quia hodie est vivus, & cras non est, & quasi nihilum reputatus est ipse.* Aquila, cujus versio ad Codicem Septuaginta, apud quos desiderabatur, translata est, ita vertit (δ): *Cessate vobis ab homine, cujus halitus est in naribus ejus; nam in quo æstimandus est?*

CA-

(m) *Herodot. lib. 2, c. 65; & Juvenal. Sat. xv:*

Quis nescit, Volusi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc, illa pavet saturam serpentibus Ibin.
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci ....
Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur.

(n) *Idem ibidem. Vide & Plin. lib. xix, 6.* (o) *Strabo, lib. 17, p. 559:* Μυγάλην δ' Ἀθριβῖται. (p) *Ælian. lib. xii, c. 5.* (q) *Ælian. ibid.* (r) *Plin. lib. xxx, c. 3.* (s) *Herodot. lib. 2, c. 65:* Τὰ δὲ ἐόντα σφι, ἅπαντα ἱρὰ νενόμισται. (t) *Æneid. viii.* (u) *Vatab. Mont. Cast.*

(x) לחפר פרות ולעטלפים (y) Προσκυνεῖν τοῖς ματαίοις, καὶ τοῖς νυκτερίσι.

(z) לטעותא ולצלמניא (α) *Hieron. hic: Moneo atque præcipio, ut quiescatis ab eo, qui secundùm carnem quidem homo est, & habet animam, & ita spirat .... ut nos homines spiramus & vivimus. Sed secundùm divinam majestatem excelsus sit, & reputatur, & creditur.*

(β) *Idem in Jerem. xvii, initio: Quod cur a Septuaginta prætermissum sit, nescio: nisi forsitan pepercerunt populo suo.* (γ) חדלו לכם מן האדם אשר נשמה באפו כי במה נחשב הוא

(δ) *Aqu. in edit. Complut.* Παύσασθε ὑμῖν ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, ᾧ ἀναπνοὴ ἐν μυκτῆρι αὐτοῦ· ὅτι ἐν τίνι ἐλογίσθη;

CAPUT III.

Vaticinia in Jerosolymam gravia. Principes pueri & effœminati. Luxus filiarum Sion arguitur & damnatur.

℣. 1. ECce enim Dominator Dominus exercituum auferet a Jerusalem, & a Juda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ:

℣. 2. Fortem, & virum bellatorem, judicem, & prophetam, & ariolum, & senem:

℣. 3. Principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquii mystici.

℣. 4. Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ECce enim Dominator .... auferet a Jerusalem validum, et fortem, et omne robur panis. Septuaginta (a): *Ecce Dominator Dominus Sabaoth auferet validum & validam* (& fortitudinem), *robur panis, & robur aquæ*. Hebræus (b): *Removens* illum & illam quæ *fulcimentum* sunt *& fulcimentum, omne fulcimentum panis, & omne fulcimentum aquæ*. Loquendi formulâ Hebræis familiari usurpatur fulcimentum, vel *baculus panis* pro fulcimento vitæ; conterere baculum panis, redigere ad inopiam, & ad rerum, quibus vita indiget, angustiam (c). Insueta verò est phrasis *baculus aquæ*, quam Propheta idcircò adhibendam fortè censuit, quòd eadem vox pani addita, aquæ pariter addenda videretur. Impleta hæc sunt ad verbum sub Nabuchodonosore in horribili eâ fame, quæ Judæos Jerosolymitanos afflixit.

℣. 2. Et fortem, et virum bellatorem. Septuaginta (d): *Gigantem, & fortem, & hominem bellatorem*. Solent hi frequentiùs reddere gigantem pro voce Hebræâ *Gibbor*, quod propriè sonat hominem robustum, strenuum. Caput hoc cum præcedenti nectendum est in hanc sententiam: *Cessate fiduciam collocare in homine, cujus vita halitus est; quanti enim habendus est? & quanta est virtus hominis? Ecce Dominator Dominus exercituum*, fortitudinem omnem, totumque vanæ fiduciæ argumentum ab Jerosolymâ & Juda auferet. Rediget utrumque ad summam rerum angustiam. Quicquid est hominum bellicorum strenuorumque, rapiet. Integra bis fides mansit in expeditione Nabuchodonosoris adversùs Judæos. Supremâ enim in obsidione tanta fames Urbem tenuit, ut matres vesci carnibus filiorum cogerentur (e). Tanta erat aquæ penuria, ut homines & belluæ siti perirent, & (f) languentes homines publicis in foris jacerent. Jam inde ab ætate Jechoniæ, Nabuchodonosor ex Juda removerat artifices omnes peritos, & si quis erat sive exercituum imperio sive Urbium defensioni aptus (g).

Judicem, Prophetam, et Ariolum, et senem, vel Senatorem. Deo permittente, Nabuchodonosor Optimates Judæorum sub Jechonia omnes abduxit, ipsumque Ezechielem, qui Prophetam trans Euphratem egit. Daniel translatus est Babylonem anno Joakimi quarto; sed Prophetiæ munus nonnisi in eâ regione accepit. Jeremias e turbâ captivorum segregatus est, mansitque cum paucis iis, qui in Judæâ relicti sunt. Suspicor tamen, Isaiam, cùm prædiceret abducendos esse Prophetas, simul spectasse & veram Prophetarum a populo segregationem, & pertinaciam populi, Prophetarum monita rejecturi ac despecturi. Sacri enim Præcones, quorum voces non excipiuntur, perinde sunt, ac si omnino non sint. *Ariolus* (h) in bonam partem accipi potest de homine prudentiâ prædito, qui ductis e sapientiâ & experientiâ conjecturis, rerum eventos certò prædicit. Nulla tamen necessitas hunc sensum præferre cogit. Minitatur populo Isaias futurum, ut omnes ii ab eo removeantur, quibus maximè fidebant, Arioli, Incantatores, Pseudoprophetæ.

℣. 3. Principem super quinquaginta. Hebræorum copiæ distribuebantur in agmina, quorum aliqua ex millenis, alia ex quinquagenis, tricenis, denis constabant, uti ad Exodum demonstravimus.

Honorabilem vultu. Hebræus (i): *Elevatum facie*, ore & corpore ad majestatem composito, veneratione dignum; seu virum gravem, cujus præsentia ad obsequium vocat. Porrò *vir facie elevatus*, opponitur homini, qui demissâ facie, seu ore supplici est. *Elevare faciem alicujus*, est liberare illum probro, postulatis annuere. Hic autem designari propriè credo hominem, qui propiùs ad Regem accedit, inter amicos Regis familiarem, hominem, cui *faciem elevavit* Rex, cui liberum ad se permittit accessum. Septuaginta (k): *Admirabilem consiliarium*.

Sapientem de Architectis. Hebræus (l): *Sapientem artificum*. Ex Regibus (m), & Jeremia (n) discimus, Nabuchodonosorem, captâ Jeroso-

(a) Α'φελεῖ ἰσχύοντα, καὶ ἰσχύουσαν. *Cyprian. lib.* 1 *Testim. Validum & validam. Aqu.* Ε῎ρεισμα, καὶ ἐρεισμόν. *Sym.* Στήριγμα καὶ στηριγμόν.
(b) משען ומשענה : כל משען לחם וכל משען מים (c) *Levit.* xxvi, 26: *Postquam confregero baculum panis vestri. Psal.* civ: *Omne firmamentum panis contrivit. Ezech.* iv, 15: *Ecce ego conteram baculum panis in Jerusalem. Vide &* v, 16; *&* xiv, 13. (d) Γίγαντα καὶ ἰσχύοντα καὶ ἄνθρωπον πολεμιστήν. (e) *Thren.* iv, 10. (f) *Ibid.* ii, 11, 12; iv, 5. (g) 4 *Reg.* xxiv, 14: *Et transtulit (Nabuchodonosor) omnem Jerusalem, & universos principes, & omnes fortes exercitûs decem millia in captivitatem, & omnem artificem & clusorem. Ita & Jerem.* xxiv, 1.
(h) *Hebr.* קסם *70:* Στοχαστήν. (i) נשוא פנים (k) Θαυμαστὸν σύμβουλον. (l) חכם חרשים
(m) 4 *Reg.* xxiv, 14. (n) *Jerem.* xxiv, 1: *Transtulit Nabuchodonosor Jechoniam & Principes ejus, & fabrum, & inclusorem de Jerusalem.*

℣. 5. Et irruet populus, vir ad virum, & unusquisq; ad proximum suum;
tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem.
℣. 6. Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui: Vestimentum tibi est: Princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tuâ.
℣. 7. Respondebit in die illâ, dicens: Non sum medicus, & in domo meâ non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me principem populi.

COMMENTARIUS.

rosolymâ sub Jeremiâ, & ditione Juda omnes, quns nactus est, peritos artifices abduxisse. Vertunt quidam: *Sapientes præstigiis*.

Prudentem eloquii mystici. Hebræus (o): *Intelligentem incantationis*, viros incantandi peritos, & magicis artibus pollentes. Studium & favor populi in hujus generis homines merebatur utique, ut Deus omnes, quotquot erant, e regione illorum abduceret, & in alienam transferret. Septuaginta (p): *Prudentem auditorem*, seu potiùs, Oratorem peritum; vel discipulum artibus ibi regnantibus probè institutum. Aquila & Symmachus peritum incantatorem reddunt.

℣. 4. Dauo pueros Principes eorum. Qui Josiæ successerunt in Judâ Reges, oraculi hujus fidem asseruerunt. Josias decedens, liberos reliquit tres, qui post illum regnavere (q). Joachaz tribus tantùm & viginti annis natus Regaum a populo accepit, ac breve Regnum tribus mensibus absolvit. Quinque & viginti natus annos Joakim frater ejus & successor, ad solium vênit, tenuitque annis undecim. Jechonias, Joakimi filius, octo annurum puer viduatum Regnum capessivit; quod nonnisi mensibus tribus, additis diebus decem, habuit. Denique Sedecias, Jechoniæ patruus, & filiorum Josiæ tertius, unum & vigesimum ætatis annum agebat, cùm admotus regno est. Accidit interdum, ut hominum quorumdam sapientia ætatis imbecillitatem regat, & multum insideat prudentiæ, ubi parum est ætatis. Cave tamen hæc de Regibus Juda novissimis putes. Nemo insaniùs rebus suis consuluit, nemo pejus clavum Reipublicæ moderatus est. Religione, pietate, prudentiâ, fide carentes, criminum & flagitiorum causâ mala extrema in se totumque Regnum provocarunt.

Effoeminati dominabuntur eis; inter voluptates ac nequitias nutriti, experientiâ & virtute destituti. *Væ tibi terra, cujus Rex puer est, & cujus Principes mane comedunt* (r). Hebræus (s): *Et dabo pueros Principes eorum*. Septuaginta (t): *Et illusores dominabuntur*, homines ludorum amatores, qui tempus ludendo fallunt. Theodotion, & Aquila: Homines infames, qui se infando crimini prostituunt.

℣. 5. Irruat populus, vir ad virum. Domesticæ seditiones totam inter se regionem committent. Toto eo tempore, quod postremam obsidionem Jerosolymæ per Chaldæos præcessit, populus in contraria studia secesserat. Aliorum erat sententia, ut in fide & sub imperio Nabuchodonosoris perseverarent; alii verò excutiendum jugum suadebant, monebantque, ut aures præberentur Ægyptiis, magnas res & favorem opemque adversùs Chaldæos spondentibus. Ita pariter post urbis excidium, Juda in Judam se commisit. Ismaël neci tradidit Godoliam; & miseræ ex populi reliquiæ, in se ipsas armatæ, mutuò delebantur. Vide Jeremiam, xl, xli.

℣. 6. Vestimentum tibi est; Princaps asto noster. Hæc loquendi formula ad vivum exprimit miseram extremamque conditionem populi, nescientis cui se dedat, qui Principem sibi constituit obvium quemcumque, honestiori aliquantò veste spectatum. Hæc facilè impleta sunt ad literam post eversionem Jerosolymæ (u), & necem Godoliæ. Ducti Babylonem Judæi, & ii, qui in Ægyptum migravere, Principe carentes & opibus, pronis manibus obvium quemlibet eligere Principem parati erant, dum vestibus paulò honestioribus amictus spectaretur.

Ruina autem hæc sub manu tua; eversi populi regimen ut suscipias rogamus. Protege, tuêre, defende miseri populi reliquias. Symmachus & Theodotion vertunt (x): *Infirmitas hæc sub manu tuâ* sit: populum hunc fractum, & extenuatum tuêre. Septuaginta (y): *Cibus meus sub te sit*; alacris me tibi dedo, dum sufficias quo vivam: nihil nisi panem peto. Hebræus (n): *Et lapsus iste sit sub manu tuâ*. Populum hunc, qui malorum suorum gravi sarcinâ oppressus ruit, porrectâ manu erige. Hoc propriè significat Hebræus.

℣. 7. Non sum meoicus. Regimen populi a se deprecatur. Vulnus, quod e lapsu retulisti, obducere nequeo. Non panis mihi, non vestis est, quibus te alam & protegam: alium igitur Principem quære. Hebræus ad verbum (a): *Non sum alligans*, is qui vulnera ligat & curat. Septuaginta (b): *Non ero tuus Princeps*. Medicina & Chirurgice (olim enim idem qui medicinam, ipse & chirurgicen colebat) tunc virum Principem non dedecebant. Apud Homerum Æsculapius, & gemini ejus filii Podalyrius & Machaon Principes erant & Medici.

In domo mea non est panis neque vestimentum; eâdem, quâ vos, rerum inopiâ laborans, impar sum ut vestri Principatum geram. Apud Hebræos (c) & apud Indos (d), Carthaginienses (e) & Athenienses (f), nemini nisi opulento Regnum deferebatur. Verebantur illi, nec immerito, ne vel summa potestas inopiâ Principis vilesceret, vel egens Princeps iniquitate & populi oppressione meliorem sibi fortunam strueret. *Rex egens proventuum, magnus sycophanta*, ait Sapiens (g). Iniquis artibus divitias sibi comparabit. Idem cum proportione de omnibus in dignitate constitutis intelligito.

(o) נבון לחש (p) Συνετὸν ἀκροατήν.
(q) 2 Par. xxxvi, 1, 2, & seq. (r) Eccle. x, 16. (s) והעלולים ימשלו בם (t) Καὶ ἐμπαῖκται κατακυριεύσουσιν αὐτῶν. Aqu. Ἐναλλακταὶ, *Qui se mutent, & turpitudinis exerceant viere*. Hieron.
(u) *Jerem.* xxxix, 10: *Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan in terrâ Juda, &c.* (x) *Apud Hieronym. hic.* (y) Καὶ τὸ βρῶμα τὸ ἐμὸν ὑπὸ σὲ ἔστω.
(z) והמכשלה הזאת תחת ידך (a) לא אהיה חבש (b) Οὐκ ἔσομαί σου ἀρχηγός. *Ita Syr. Arab. Chald.* (c) *Exod.* xviii, 21. (d) *Plin.* xvi, 59. (e) *Aristot. lib.* 3, c. 9, *Polit.* (f) *Plut. in Solone.*
(g) *Prov.* xxviii, 16: Βασιλεὺς ἐνδεὴς προσόδων μέγας συκοφάντης. *Aliter in Heb.*

℣. 8. Ruit enim Jerusalem, & Judas concidit: quia lingua eorum, & adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.

℣. 9. Agnitio vultus eorum respondit eis: & peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt: væ animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala.

℣. 10. Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventionum suarum comedet.

℣. 11. Væ impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei.

℣. 12. Populum meum exactores sui spoliaverunt, & mulieres dominatæ sunt eis. Populus meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.

℣. 13. Stat ad judicandum Dominus: & stat ad judicandos populos.

℣. 14. Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, & principibus ejus: vos enim depasti estis vineam, & rapina pauperis in domo vestrâ.

COMMENTARIUS.

℣. 8. ADINVENTIONES EORUM CONTRA DOMINUM, UT PROVOCARENT OCULOS MAJESTATIS EJUS. Judas gestorum & sermonum impietate, oculorum Dei offensionem ita incurrit, ut mala, quibus premitur, in se provocaverit. Septuaginta (h): *Lingua eorum cum iniquitate. In his quæ ad Dominum, increduli*, vel pervicaces: *quare nunc humiliata est gloria eorum.* Aliter utique illi ac nos & S. Hieronymus (i), in suis Codicibus legebant.

℣. 9. AGNITIO VULTUS EORUM RESPONDIT EIS, Septuaginta (k): *Confusio vultûs eorum restitit eis.* Hebræum *Haccharath* (l) hîc semel, & alibi nuspiam, in Scripturâ occurrit. Reddunt illud alii: *Vultûs illorum lineamenta*; alii, Duritia, vel *exporrectio* vultûs eorum; alii denique: *Superbia*, quæ in vultu illorum pingitur. Hæc omnia recidunt in illa, quæ statim subduntur: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt.* Crimina sua, quorum pudere illos debebat, in decus suum & gloriam vertunt.

VÆ ANIMÆ EORUM, QUONIAM REDDITA SUNT EIS MALA. Septuaginta (m): *Væ animæ eorum, quoniam consiliati sunt consilium pessimum contra semetipsos*, ℣. 10, *dicentes*, &c.

℣. 10. DICITE JUSTO QUONIAM BENE: sperare illum æqua jubete; vel, omnia illi rectè cessura dicitote. In tantâ malorum, quæ Jerosolymam inundabunt, eluvione, ne animis despondeat justus, omnia enim illi rectè cedent: e communi impiorum exitio illum servabit Deus, ut æqua pro merito justitiæ rependat. Quàm vera nunciarit hoc oraculum, ostendit Jeremias, quem Chaldæi tanto obsequio, & veneratione prosequuti sunt, ut ne paria quidem Judæi viro sanctissimo penderint (n). Versiculum hunc cum præcedente jungunt Septuaginta (o): *Pravum consilium in illum inierunt*, (℣. 10) *dicentes: Alligemus justum, quoniam invisus est nobis.* Commodè hæc accipiuntur de Jeremiâ, seu potiùs de Jesu Christo, cujus typum Jeremias gerebat. Hanc profectò interpretationem sequuntur Græci Patres cum Latinis nonnullis; atque huc spectasse creditur Author Sapientiæ, ita loquentes impios inducens (p): *Circumveniamus Justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris*, &c. Sed Vulgata optimè expressit sensum Hebræi, & optimè pariter congruit cum iis, quæ statim adduntur: (℣. 10.) *Dicite Justo quoniam bene.* (℣. 11.) *Væ impio in malum; retributio enim manuum ejus fiet ei.* Nunquam fermè Isaias adversa prædicit, quin simul eorum severitatem mitiorum prædictione temperet.

℣. 12. POPULUM MEUM EXACTORES SUI SPOLIAVERUNT, ET MULIERES DOMINATÆ SUNT EIS. Novissimos Reges Juda ita nobis pingunt Jeremias, & Ezechiel, ut exhibeant tyrannos (q), qui vectigalium intolerabilium onere subjectos sibi populos opprimunt. Simul verò tyrannos dixisses & fœminas imbelles, debiles, ac imperio ineptas. Principes erant effœminati, quos voluptates & crapula mollierant. Septuaginta (r): *Popule meus, exactores vestri spoliant vos, & exigentes dominantur vobis.* Creditores scilicet duri; vel ex Theodotione & Chaldæo, *fœneratores*. Sed Hebræa vox propriè designat fœminas; id est, homines effœminatos. Simili in re Virgilius: *O verè Phrygiæ; nec enim Phryges.*

POPULE MEUS, QUI TE BEATUM DICUNT, IPSI TE DECIPIUNT. Prophetæ mali & pessimi Consiliarii, qui animo tuo blandiuntur, spe inani te pascunt, in occultos te laqueos demum inducent. Reddi potest Hebræus (s): *Popule meus, qui gressus tuos dirigunt, deceptores sunt*, in errorem te trahunt, & ad præcipitium urgent.

℣. 14. VOS ENIM DEPASTI ESTIS VINEAM. Vos scilicet mali Principes Juda, Joakim, Jechonia,

(h) Αἱ γλῶσσαι αὐτῶν μετ' ἀνομίας, τὰ πρὸς κύριον ἀπειθοῦντες· διότι νῦν ἐταπεινώθη ἡ δόξα αὐτῶν. (i) לשונם ומעלליהם אל יהוה למרות עיני כבדו (k) Καὶ ἡ αἰσχύνη τοῦ προσώπου αὐτῶν ἀντέστη αὐτοῖς. (l) הכרת פניהם ענתה בם (m) Οὐαὶ τῇ ψυχῇ αὐτῶν, διότι βεβούλευνται βουλὴν πονηρὰν, καθ' ἑαυτῶν. (n) *Jerem.* XXXIX, 11, 12: *Præceperat autem Nabuchodonosor de Jeremiâ Nabuzardan, dicens: Tollo illum, & pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias; sed ut voluerit, sic facias ei.* (o) Βεβούλευνται βουλὴν πονηρὰν καθ' ἑαυτῶν, (10.) Εἰπόντες· Δήσωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι. (p) *Sap.* II, 12: Ἐνεδρεύσωμεν δὲ τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι, ἐναντιοῦται τοῖς ἔργοις ἡμῶν. (q) *Jerem.* XXII, XXIII; *Ezech.* IX, *per totum.* (r) Λαός μου, οἱ πράκτορες ὑμῶν καλαμῶνται ὑμᾶς, καὶ οἱ ἀπαιτοῦντες κυριεύουσιν ὑμῶν. *Aqu. quoque vertit* נשים Ἀπαιτοῦντες. *Theodot.* Δανεισταί. (s) כי עמי מאשריך מתעים

℣. 15. Quare attentis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum?
℣. 16. Et dixit Dominus pro eo, quòd elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant:
℣. 17. Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.

COMMENTARIUS.

nia, Sedecia, qui vectigalibut & vi populum Juda (qui oomine vineæ Domini sæpiùs significatur) depopulamini. Septuaginta (t): *Vos autem, quare incendistis vineam meam?* Cur induxistis belli incendium in ditionem Juda, a Nabuchodonosore, cui vos ego submiseram, desciscentes (u)?

℣. 15. Quare facies pauperum commolitis? Quare faciem pauperis lividam tundendo efficitis? Septuaginta (x): *Quare faciem pauperum confunditis?* Plerique tamen Hebræum (y) vertunt ut est in Vulgatâ: *Quare facies pauperum commolitis?*

℣. 16. Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et amaulaverunt extento collo. Reliquum Capitis totum in describendâ superbiâ & luxu mulierum Jerosolymitanarum impenditur. Gravis Prophetæ oratio, qua hoc vitium is arguit, & supplicium quo plectitur, satis indicant criminis hujus coram Deo gravitatem, quæ sanè ingens se ipsâ est, & maxima ex iis malis, quibus Rempublicam & familias afficit. Libido morumque corruptio vitii hujus radix sunt simul & mala propago. Nemo enim se ornat, nisi ut placeat, atque io hanc rem seu superbiâ, seu libidine inducitur; & vix unquam fit, ut placere quis possit, quio simul lethali vulnere animas afficiat (z). Stultus pariter ornamentorum & vestium amor quid non imperat sumptuum? Quas non iniquitatet, quæ non flagitia suadet, ut his sumptibus par esse queas?

Nutibus oculorum ibant, et plaudebant pedibus suis; et composito gradu incedebant. Hebræus (a): *Incesserunt nigris oculis; & brevi incessu* (ceu pueri; seu potiùs incedentes tinniunt, ac si ad numerum & tympanum pultantes ducerent choreas), *& pedes habent in circulis clausos.* Palæstinæ mulieres olim stibio oculos & supercilia pingebant, ut alibi docuimus (b). Eamdem hic interpretationem Chaldæus sequitur (c). Nostrâ adhuc ætate viri, mulieres, puellæ, quin & parvuli infantes extremum pupillarum limbum & oculorum albumen liniunt nigro quodam pigmento, quod *Couhel* appellant. Vitium hoc fusè arguit S. Clemens Alexandrinus io Pædagogo (d). Inter cimelia Abbatiæ S. Genovefæ exhibetur imago Indicæ mulieris puerum suum tenentis, quorum pupillæ nigro pigmento oblitæ sunt, & vi stibii latiùs expansæ.

Quod nos vertimus, *Incedebant brevibus gressibus*, sive ad numerum velut tinnientes cymbalo, duplici ratione explicatur: Incedebaot angusto incessu, more puerorum (e), delicatam quamdam mollitiem affectantet. Seu potiùs: Incedentes sonabant pedibus (f). Legimus in Itinerario quodam (g), Turcicas & Syriacas mulieres circa crura gestare annulos, quibus minores alii annuli inserti sunt, quorum annulorum affrictu, cùm pedes moventur, sonus quidam acutus & clarus, aures longè feriens, exprimitur. S. Hieronymus docere videtur (h), mulierum ambulantium caligas olim stridere consuevisse clarè & acutè, ex metallo fortasse, quod sub talo collocabant: *Caliga ambulantis nigella ac nitens stridore ad se juvenes vocat.* Turcas, quos *Gromaleros* vocant, cymbala quædam ad pedes gestare, Hornius est author (i). S. Clemens Alexandrinus (k) carpit luxum caligarum, quas aurea ornamenta, ut ipse ait, onerabant, quæque sparsæ eraot clavis, & gradiendo stridebant.

Quod attinet ad circulos, quos Syriacæ mulieres insertos cruribus gestant, Itineraria uno assensu rem ita docent, ut extra controversiam posita videatur. Mulieres, quæ tenuem habent censum, utunrur ferreis vel æneis; locupletes argenteis & aureis. Plinius (l) hæc asserit de Romanis fœminis: *Luxu feminarum plebis compedes sibi ex eo (argento) facientium, quas induere aureas mos tritior vetat.* Septuaginta vertunt (m): *Incessu pedum simul trahentes tunicas* (seu pallas), *& pedibus simul ludentes.* Chaldæus: *Et crinibus crispatis* (circumvolutis), *& pedibus suis strepentes.*

℣. 17. Dacalvabit verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit. Venustatem in eo maximè statuunt mulieres, si comam babeaot nitidam; neque contentæ dato sibi a naturâ ornamento, adminiculum exposcunt ab arte. Norant olim rationem pingendi comam, & coloribus ad arbitrium inficiendi. Fœminis igitur Deus hic

(t) Ὑμεῖς δὲ τί ἐνεπυρίσατε τὸν ἀμπελῶνά μου. (u) 4 *Reg.* xxiv, 1, & 20.
(x) Καὶ τὸ πρόσωπον τῶν πτωχῶν καταισχύνετε. (y) ופני עניים תטחנו
(z) *Tertull. de cultu famin. Non de integrâ conscientiâ venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis scimus.* Ibid. *Perit simul vir in tuâ formâ, o mulier, & facta es tu gladius illi.* Vide Cornel. a Lapide, in hoc Caput.
(a) ומשקרות עינים הלוך וטפוף תלכנה וברגליהם תעכסנה (b) *Vide* 4 *Reg.* ix, 30; *Jerem.* iv, 30. שקר usurpatur hìc pro שחר, scilicet, oculorum nigredo. *Job*, xli, 9; *Cant.* v, 55.
(c) ומסרבן עינין אזלן (d) *Clem. Alex. lib.* 3 *Pædag. c.* 2: Γυναικὲς τῶν πλοκάμων τὰς ἐμπλοκὰς ἀσκοῦσαι, χρίσματα τε παρειῶν, καὶ ὑπογραφὰς ὀφθαλμῶν, καὶ βαφὰς μετιοῦσαι τριχῶν. Et paulo superiùs: Τὰς ὀφρῦς πυῤῥὰς ἔχει τίς; ζωγραφοῦσι ἀσβόλῳ. Συμβέβηκε εἶναι μέλαιναν; κατίπλασε ψιμυθίῳ. Λευκόχρως λίαν τίς ἐστι; παιδέρωτ' ἐντρίβεται. (e) Ductâ voce טפף ex טף puer parvus.
(f) Ex תוף tympani genere, quo ioterdum puellæ canebant. *Psal.* lxvii, 26. (g) *Eugenius Rogerius*, *l.* 2, *c.* 2. (h) *Hieron. ep.* 47, *de vitando contubernio*, &c. (i) *Horn. lib.* 3, *cap.* 19, *p.* 215, *de orig. Gent. Americ. Vide Vatab. & Grot. hic.* (k) *Clem. Alex. Pædag. lib.* 2, *c.* 11: Ἐφ' ἧς ἐστὶ τὰ χρυσοῦ ἀναθήματα, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἥλους ἑλικοειδῶς ταῖς καττύμασι ἐγκαλκροῦειν ἀξιοῦσι.
(l) *Plin. lib.* 33, *c.* 12. (m) Τῇ πορείᾳ τῶν ποδῶν ἅμα σύρουσαι τοὺς χιτῶνας, καὶ τοῖς ποσὶν ἅμα παίζουσαι.

℣. 18. In die illâ auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas,

℣. 19. Et torques, & monilia, & armillas, & mitras,

℣. 20. Et discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures,

COMMENTARIUS.

hic minitatur futurum, ut comis illas suis exuat, & more ancillarum vel captivarum radat (n). Hebræus variè redditur (o): alii quidem vertunt (p): *Permittet Dominus ut scabies vel lepra fluere faciat crines earum, & turpitudinem illarum deteget*. Nudas statuet ante hostes. Alii: *Dominus decalvabit illas*; desperatione actæ vellent crines; *& Deus nuditatem earum deteget*. Septuaginta (q): *Humiliabit Deus principales filias Sion, & denudabit ignominiam earum in die illâ*. Vertere ego malo: *Decalvabit supremum capitis illarum verticem, & fluere faciet crines angulorum illarum*, vel extremitatum, frontis nempe & temporis utrinque (r).

℣. 18. Ornamentum calceamentorum et lunulas. Mulieres Palæstinas olim caligis usas esse magnificis & pretiosis, discimus ex Cantico (s): *Quàm pulcri sunt gressus tui in calceamentis, filia Principis!* Sermo est apud Ezechielem (t) de caligis purpureis seu cæruleo saturo imbutis, cujusmodi S. Hieronymus appellat *caligas nigellas*. Adhuc apud fœminas Syriacas in usu sunt caligæ ex alutâ flavæ seu rubræ, quæ non pedem modò, sed partem etiam cruris ceu sandalia vestiunt.

In Hebræo legitur (u): *Recedere faciet Deus ornamenta circulorum* crus ambientium, *& basebebisim & lunulas*. Prior vox significat vittas, quibus vinciuntur pedes seu bovis, seu alterius cujuslibet victimæ, utì constat ex Proverbiis, VII, 22. Accipitur hic de annulis, quibus crura inseruntur, de quibus supra, ℣. 16. Vox *basebebisim* hic semel, nec alibi usquam, in Scripturâ occurrens, ignotæ est significationis. Si legatur *basebibizim* (x), reddi potest quiddam auro intextum, simile Rationali Summi Sacerdotis, seu vestibus Reginæ & novæ nuptæ, de qua in Psalmo XLIV, 14. Septuaginta (y) vertunt *Lacinias*, vel pretiosi operis fimbrias. Aquila (z): *Vittas* seu lora, cingulos, baltheos; quam posteriorem interpretationem magnoperè probo. Cinguli virorum amplissimorum apud Orientales locupletissimi, & auro vel argento intexti sunt.

Lunulæ aureæ ornamenta erant calceorum, ex quorumdam sententiâ, cujusmodi etiam olim gestasse feruntur viri Senatorii ordinis apud Romanos: *Patriciâ clausit vestigia lunâ*. Malunt alii, designari hac voce fibulam, quæ figuram exhiberet dimidiatæ Lunæ. Nulla tamen necessitas nos adigit, ut de ornamentis caligarum dicta hæc accipiamus, cùm præsertim vox præcedens ad caligas non referatur. Commodè igitur intelliguntur de lunulis, quæ torquibus appensæ, collum ornabant, seu quæ e superiore capitis vertice descendebant in frontem. Lunæ dimidiatæ imago nunquam non in obsequio apud Orientales fuit. Cameli Madianitarum appensum cervici torquem lunulis distinctum gestabant (a); eâdemque imagine Turcæ maximè delectantur. Plures Isidis imagines Lunæ cornua capite gerentes videntur. Septuaginta (b) legunt *Meniscous*; quam vocem alii de figurâ dimidiatæ Lunæ, alii de armillâ interpretantur. Plautus (c):

Lunulam atque anellum aureolum in digitum.

℣. 19. Et torques et monilia. In descriptionibus muliebris cultûs apud Veteres nihil frequentius quàm monilia. Hebræum *hanaetiphoth* (d) derivatur ex radice, quæ sonat, guttatim fluere; idque Interpretes nonnullos in eam persuasionem induxit, ut de vase quodam suavis liquoris, vel olei, ceu balsami, vel similis unguenti explicarent. Reddunt alii monilia e margaritis, quippe quæ figuram & colorem exhibeant guttæ simillimum. Chaldæus reddit tantummodo *torques*, quibus non male convenit nomen *Netiphoth*, quòd scilicet variati essent & veluti guttati; cujusmodi torquium genus Latini appellabant *murenulas*; ita enim argento simul & auro texebantur, ut maculis distincti instar murænæ viderentur. Noti erant pariter torques, quos *angues* vocabant, quippe qui anguis exuvias colore imitarentur (e).

Armillas. Hebræus (f), *Hasereth*, quæ vox eadem est cum *esoure*, quæ apud Arabum mulieres sonat armillas. Sunt autem eæ armillæ manicæ aureæ, argenteæ, vel ex aurichalco, seu vitro, seu ex argillâ, variis obductæ coloribus, pro gerentium dignitate. Apud Chaldæum sunt *armilla* (g). Ornantur his brachia, brachiorumque commissuræ, & pedum tali (h).

Mitras. Hebræa vox *Haraloth* (i) derivatur ex radice sonante tremere, nutare, instar hominis temulenti. Vertunt quidam *peploe*, quibus caput & os mulierum velatur; alii bracteas aureas vel argenteas, vel cristas, vel denique mitras. Mulieres in Syriâ & Arabiâ caput ornant mitrâ quadam argenteâ in figuram coni, quam *arkie* appellant; obvolvitur autem nigro quodam sericeo velo, cujus limbum gemmæ & uniones (k) ornant.

℣. 20. Discriminalia; crinium vittas, seu vittas crinibus intertexias. Constat utique, Hebræum (l) *Happerim* capitis ornamentum esse, viris fœmi-

(n) *Deut.* xxi, 12; & xxxii, 42. (o) ושפח אדני קדקד בנות ציון : ויהוה פתהן יערה (p) *Munst. Jun. Tremel. Pisc. Vat. Anglic.* (q) Ταπεινώσει κύριος ἀρχούσας θυγατέρας Σιών, καὶ κύριος ἀνακαλύψει τὸ αἰσχύνημα αὐτῶν ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. (r) Ductâ voce פתהן ex פאה, vel פאת, lego פאהתן. Ea vox hoc sensu invenitur *Levit.* xix, 41; xix, 27; xxi, 5. (s) *Cant.* vii, 1. (t) *Ezech.* xvi, 10: *Calceavi te Janthino*. (u) יסיר אדני את תפארת העכסים והשבסים והשהרנים (x) *Exod.* xxviii, 4, & 39; & 21, 13, 14, 20, 25. Lego השביצים, pro השבסים (y) Καὶ τοὺς κοσύμβους. (z) *Aqu.* Τελαμῶνας. Αἰνίττεται δὲ τὰ προάμεια, *ait Theodoretus*. (a) *Judic.* viii, 21, 26. השהרנים אשר בצוארי גמליהם (b) Καὶ τοὺς μηνίσκους. (c) *Plaut. Epidico. Drus. hic*. (d) *Heb.* הנטיפות *Chald.* ענקיא *Theodot.* Τὰ καθέματα, monilia. *Aqu.* Κροκυφάντους, peplos. *Alius*, Χαλαστὰς, *Catenas*. (e) *Clem. Alex. Pædag. lib.* 2, *c.* 12: Σμυραίνας τινὰς, καὶ ὄφεις ἀποχλαττομένας ἐπὶ εὐκρίχων. Λέγει γὰρ ὁ κωμικὸς Νικόστρατος, ἁλύσεις, καθετῆρας, δακτυλίους, ψέλλια, ὄφεις, &c. (f) *Hebr.* השרות (g) *Chald.* שירי ידיא (h) Voyage de l'Arabie heureuse, à Paris, 1716, p. 257. (i) הרעלות *Chald.* הנימנסיא (k) *Vide* Eugéne Roger, liv. 2, & Daviti, Syrie. (l) הפארים *Chald.* כליליא.

℣. 21. Et annulos, & gemmas in fronte pendentes,
℣. 22. Et mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus,

COMMENTARIUS.

fœminisque commune *(m)*. Nec aliod fortasse est quàm velum, quo mitra fœminarum cingitur, seu potiùs veli hujus laciniæ & flocci, *mitræ redimicula*. Alii accipiunt de pectinibus, vel de acubus in usum comarum.

Periscelidas. Compedes sunt argentei, ænei, vel figlini, cocto tectorio obliti, quibus adhuc mulieres in Syriâ utuntur. Hos S. Clemens Alexandrinus *(n)* appellat pedicas vel compedes, post Philemonem, Aristophanem, & alios. Ita & Latini Scriptores. Manilius:

Et pedibus niveis fulserunt aurea vincla.

Seneca:

Crura distincto religavit auro
Luteo plantas cohibente socco.

Hebræum *(o) batzadoth* sonat *motum*, agitationem. Jam supra animadvertimus, regionis illius fœminas circa crura circulos gestare, quibus inserti sunt annuli plures, qui inter gradiendum agitati, seque invicem fricantes, persimilem tintinnabulis strepitum edunt. Chaldæus *(p)*: *Catenas pedum*.

Murenulas. Quæ murænæ nomine distinguuntur, catenulæ erant aureis simul & argenteis annulis intextæ, quorum flavi albique coloris varietas murænæ similem colorem referebat. Hebræum *(q) bak-schurim* designat propriè vittam, vinculum. Apud Jeremiam, II, 32, redditur, *Fascia pectoralis*; zona scilicet, qua olim fœminæ sinum coërcebant. Id autem expressum credo in fabulâ Isidis, in qua cernas Deam ornatam torque, ex quo ad utrumque humerum pendent geminæ vittæ, quæ infra mamillas decussatæ, retro post terga ducuntur, ut zonæ more pallam adstringant. Vide ℣. 24.

Olfactoriola. Hebræus ad literam *(r)*: *Domus animæ*: id quod alii explicant de arculis appellatis *sedibus animæ*, vel respirationis, quòd scilicet odores & unguenta spiritus excitent; & si fortè spiritus vitales torpescant, revocent ad officium. Alii designatas hisce malunt cordis effigies, quas pectori præfixas gerebant puellæ; perinde fermè ac apud nos cruces & alia ejus generis ornamenta ferunt. Cor jure meritoque *sedes animæ* appellatur. In moribus positum erat apud Romanos, ut e collo suspensa amlueta quædam, adversùs fascinationes præsentissima, gererentur. Pueri ingenui distinguebantur bullâ aureâ vel argenteâ, liberti vel servi coriaceâ. Mulieres in Oriente torquibus vel simili ornamento sinum decorant. Fortè etiam hac voce designatur flabellum, cujusmodi adhuc regionis illius mulieres utuntur: est autem quadratum quoddam veluti labarum, ex eleganti herbarum texturâ. Hujusmodi flabella olim a Monachis texi consuevisse, tradit S. Hieronymus *(s)*.

Inaures. Hebræa vox *(t)* designat propriè *incantationes*; & Interpretum plures exponunt de amuleto adversùs fascinationes. Veteres olim superstitiosâ religione erga amuleta tenebantur, quorum varia erant genera, absurda planè & vana, quamquam præsentissima censebantur ad averruncanda veneficia. De inauribus in eum usum e summâ aure suspensis, hæc legas apud S. Augustinum *(u)*. *Execranda superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in summis ex unâ parte auriculis suspensæ.*

℣. 21. Annulos. Genuinam hanc esse vocis significationem, satis convenit inter omnes. Inanis foret disputatio de annulis, quos digitis insertos gerebant apud Hebræos viri pariter, & fœminæ. Quis enim morem adeò tritum ignorat? Digitos fere omnes annulis onerant fœminæ apud Syros & Indos.

Gemmas in fronte pendentes. Judæis mulieribus non modò ornamenta aurium, sed & narium & frontis, erant familiaria. Qui Regiones illas peragrarunt *(x)*, testantur, mulieres apud Syros, præter inaures, e perforatis etiam naribus ferre suspensam margaritam vel achaten, mole & pretio insignem. Sunt quæ duas & tres gerant, amygdalæ magnitudine. Censu tenuiores e perforatis naribus suspenduot pariter gemmam, sed minùs pretiosam, olivæ magnitudine, quæ ad os usque demittitur. Addunt etiam torques ex eo argillæ genere, quam *porcellanam* vocant, barbæ similitudine hinc inde usque ad sinum porrectæ. Apud alias regiones fama est, mulieres gestare annulos aureos vel argenteos in superiori narium parte, ubi nos oculorum vitra gerimus, insertas. Hæc satis de ornamentis narium.

De gemmis e fronte pendentibus hæc habet S. Hieronymus *(y)*: *Usque hodie inter cætera ornamenta mulierum solent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus*. Testimonio illorum, qui ea loca peragrarunt, discimus, locupletiores Regionis illius fœminas capillos disseminare pluribus margaritarum nexibus, quarum loco tenuiores adhibent aureas quasdam & argenteas bracteas, quibus caput ornant. Alligant etiam capillos vittis sericeis, suspensas regentibus tres quatuorve aureas argenteasque catenulas. Nos hîc expressa *(z)* credimus narium ornamenta. Vide nos in Genesim, XXIV, 22.

℣. 22. Mutatoria, vestium multitudinem, quam fœminæ ad superbiam potiùs & ostentationem, quàm ad usum habent: vestes scilicet æstivas & hyemales; vestes luctûs & hilaritatis; familiares & solemnes; domesticas & forenses, &c. Hebræa vox *(a)* derivari potest ex *chalazim*, quod renes sonat; designare autem potest pallas vel femoralia, a quibus regionum illarum mulieres nondum desueverunt *(b)*. Hujus generis femoralia plerumque colore nitent, seu purpureo seu hyacinthino, vel radiato, ornanturque variis floribus, seu coloribus; demissaque ad imos usque pedes cum caligis junguntur, ut una eademque vestis pro femoralibus, tibialibus, & caligis sit. Chaldæus explicat de tunicâ seu veste interiori.

Palliola. Hebræa vox *bammataphoth (c)* ex radice oritur, quæ sonat *tegere*. Creditur autem significare fœminarum pallia, seu peplos, quibus

(m) *Vide Exod.* XXXIX, 28; *Ezech.* XXIV, 57; & XLIV, 18. (n) *Clem. Alex. Pædag. lib.* 2, *c.* 12: Πέδας δὲ περισφυρίους τὴν περὶ τοὺς πόδας ἀκοσμίαν τῶν γυναικῶν, φιλήμων ἐν συνεφήβῳ προσεῖπεν. Ἱμάτια διαφαίνοντα, καὶ πέδην τινὰ χρυσῆν ... *Et Aristoph. in Thesmophoriaz.* Ὅρμους, πέδας, σφραγῖδας, &c. (o) הצעדות (p) *Chald.* שירי רגליא (q) *Heb.* הקשרים *Chald.* קולמוממיא (r) בתי הנפש *Chald.* קדשיא (s) *Hieronym. Præf. in Job*: *Pro flabello, calathis, sportellisque, munusculo monachorum, spiritualia hæc & mansura dona suscipite.*
(t) *Heb.* והלחשים *Chald.* וחליטתא (u) *Aug. ep.* 245 *nov. edit.* (x) *Roger. lib.* 2, *c.* 2; *Gabriel Sionita*, *c.* 11. (y) *Hieron. in Ezech.* XVI. (z) ונזמי האף (a) המחלצות (b) Eugène Roger, liv. 2; & Pietro della Valle, lib. 8, p. 576. (c) *Heb.* המעטפות *Chald.* שושיפיא

CAPUT II.

Nobilis descriptio gloriæ urbis Jerosolymæ, postquam conversa fuerit. Crimina Judæorum, quæ vim omnem minarum Domini in caput illorum provocavere. Ultio Domini in impios formidabilis.

℣. 1. VErbum, quod vidit Isaias filius Amos, super Juda & Jerusalem.

℣. 2. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.

℣. 3. Et ibunt populi multi, & dicent: Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem.

℣. 4. Et judicabit gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VErbum quod vidit Isaias. Caput hoc cum præcedente unicâ rerum serie conjungitur; nec aliò spectat ad verbum, quàm ad Regnum Jesu Christi, & Ecclesiæ illius institutionem. Quædam subinde continet, quæ vix alteri convenire possunt, quàm Judæis post excidium Judææ sub Sennacheribo. Est autem in Prophetarum moribus positum, ut vaticinia generica, quæ ad Messiam primò spectant, simul jungant misceantque aliis privatarum rerum vaticiniis, quæ non obscurè implentur in Republicâ Judaicâ, vel in iis, ad quos verba fiunt, quæque saltem ex obliquo Messiam respiciunt.

℣. 2. Et erit in novissimis diebus præparatus mons Domus Domini in vertice montium. Quod Jerosolymis stabat Templum, jugo montis Moriæ insidebat; futurum autem prædicit Isaias, ut postremâ sæculorum ætate longè sublimiorem loci sedem obtineat; collectionem scilicet montium, quorum alter alteri insidens, hoc erit illi fundamentum & basis. Hyperbolica hæc & grandia dicta minora sunt tamen, quàm ut exprimant sublimitatem, splendorem, majestatem Domûs Domini, a Jesu Christo constitutæ atque fundatæ; Ecclesiæ scilicet ipsius, ipso authore ipsiusque manu ædificatæ, cujus ipse est Fundamentum, Caput, Pontifex, Victima, Doctor, Lux, Robur, Gloria. Licèt autem phrasis ista, *In novissimis diebus*, non semper aut necessariò futuram adventûs Jesu Christi ætatem significet; omnes tamen facilè assensuros arbitror, in hac frequentiùs significatione usurpati (a): quin & axiumate id receptum est apud Judæos. Quod autem apertè demonstrat, postremum hunc sensum retinendum esse, illud est, nimirum nullum designari posse temporis articulum inter Isaiæ & Christi ætatem, quo vaticinium hoc de Templo materiali impletum habeatur. Sublimios est igitur aliquid excogitandum, nec aliud sanè quàm Ecclesiæ Christianæ institutio.

Tres priores Versiculi Capitis IV Michææ totidem verbis respondent secundo, tertio, & quarto hujus Capitis. Accepisse hæc ab Isaia Michæam, qui exordium vaticinandi post illum fecit, non malè credimus. Septuaginta (b): *Erit in novissimis diebus mons Domini manifestatus*, vel omnium oculis expositus. Hebræus (c): *Erit in novissimo dierum Nachon mons Domini in capite montium*. Apud Reges (d) occurrit area *Nachon*, prope domum Obededomi, & a Davidis ædibus non procul. Probabiliter existimo, aream Nachon eamdem esse cum hac, quæ hic ponitur ceu synonimum *montis Domûs Domini*. Si verò significatio grammaticalis vocis *Nachon* teneatur, cum Hieronymo vertendum erit: *Erit in novissimis diebus præparatus mons Domini in vertice montium*.

Fluent ad eum omnes gentes. Si hæc de Ecclesiâ Jesu Christi exponantur, perspicua sunt & aperta. Post cædem exercitûs Sennacheribi, exteræ plures gentes ad offerenda Domino in Templo sacrificia confluxerunt. Vide 2 *Par.* XXXII, 22, 23; & 4 *Reg.* XX, 12.

℣. 3. De Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Lex nova in Sion lata est; Evangelium e Synagogâ cœpit. Jesus Christus nonnisi in Judæâ prædicavit. Porrò is Legem Mosaicam non aboliturus, sed completurus, & omnibus numeris absoluturus venit. Christiana Religio est quodammodo Judaicæ recensio & correctio.

℣. 4. Judicabit gentes, Judicem, Regem, Principem multarum gentium aget.

Conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces; gladios convertent in vomeres, & lanceas in falces; seu potiùs (e): *Frangent gladios*, & lanceas, ut vomeres & falces conficiant. Proverbialis hæc formula exprimit pacem, post Sennacheribi bellum Regno Eze-

chiæ

(a) Vide *Jerem.* XLVIII, 47; XLIX, 39; *Ezech.* XXXVIII, 8, & 16; *Dan.* X, 14; *Osee*, III, 5; *Joël*, II, 28; *Act.* II, 17; *Joan.* II, 18; 1 *Timot.* IV, 1; *Heb.* I, 2.
(b) Ὅτι ἔσται ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις ἐμφανὲς τὸ ὄρος τοῦ κυρίου.
(c) והיה באחרית הימים נכון יהיה הר בית יהוה בראש ההרים
(d) 2 *Reg* VI, 6. *Postquam autem venerunt ad aream Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei*,
(e) כתתו חרבותם לאתים וחניתותיהם למזמרות

℣. 5. Domus Jacob, venite, & ambulemus in lumine Domini.
℣. 6. Projecisti enim populum tuum, domum Jacob: quia repleti sunt ut olim, & augures habuerunt ut Philisthiim, & pueris alienis adhæserunt.
℣. 7. Repleta est terra argento & auro: & non est finis thesaurorum ejus:
℣. 8. Et repleta est terra ejus equis: & innumerabiles quadrigæ ejus. Et repleta est terra ejus idolis: opus manuum suarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum.
℣. 9. Et incurvavit se homo, & humiliatus est vir: ne ergo dimittas eis.

COMMENTARIUS.

chiæ partam. Familiares hæ loquendi phrases sunt tam Sacris (f) quàm profanis Scriptoribus. Ovidius (g):

Sarcula cessabant, versique in pila ligones,
Factaque de rastri pondere cassis erat.

Virgilius, Æneidos VII:

Vomeris huc & falcis honos: huc omnis aratri
Cessit amor. Recoquunt patrios fornacibus enses.

Non levabit gens contra gentem gladium. Vaticinio huic sua fides stetit, quo tempore Jesus Christus natus est. Augustus Imperator, turbis Imperium Romanum agitantibus pacatis, externis domesticisque confectis bellis, Jani Templum clausit (h). Ætatis hujus felicitatem describens ita canit Virgilius (i):

Claudentur belli portæ: furor impius intus
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

℣. 5. Domus Jacob, venite, et ambulemus in lumine Domini. Verba sunt Ezechiæ, Israëlem invitantis, ut ad agnoscendum & adorandum Dominum veniant (k); seu potiùs ipsa est Ecclesia Christiana, Apostoli Evangelii præcones, idemque pariter Jesus Christus, qui Judæos ad cœtum Fidelium & ad lucem veritatis vocant.

℣. 6. Projecisti enim populum tuum, domum Jacob. Advenæ, Ethnici, ad fidem conversi, Judæos invitare coguntur, ut Deo gloriam rependant, & Evangelii lumen agnoscant. Vel, si mavis, ipse per se Propheta de futurâ Regni decem Tribuum dispersione, ceu de re gestâ, loquitur; quippe quam post eventus hìc expressos consequuturam norat. Causas exitium hoc Israëlitarum inducturas exhibet. Tu, Domine, miseros deseruisti, quòd tota illorum regio vitiis & superstitionibus abundaret.

Repleti sunt (superstitione) ut olim, et augures habuerunt ut Philisthiim. Cùm illos e conspectu meo abjeci, tam multis vitiis inquinabantur, quàm olim, cùm ex Ægypto eductos, in populum meum elegi. Ad scelera priora redierunt. Ethnicorum Oracula, Divinos, Augures, Magos, perinde ac Philistæi, & ejus fæcis homines, consulebant. Porrò Philistæis Oraculum erat *Beel-zebub* Accarone (l): erant & Sacerdotes & Arioli, quorum oraculum interrogarunt, cùm de remittendâ Arcâ Domini deliberaretur (m).

Sunt qui vertant Hebræum (n): *Hauserunt* idololatriam suam *ex Oriente* (o). Vel. *Repleti sunt* idololatriâ *præ* ipsis *Orientalibus*. Aliter: *Impleverunt* mensuram flagitiorum *a sæculo*. *Dediti sunt* magicis artibus, ut Philisthæi. Denique: *Repleti sunt* divitiis, rerumque opulentiâ *plus quàm Orientales*, quorum tantæ erant divitiæ, ut abierint in proverbium (p). De Jobo legimus (q): *Erat vir ille magnus inter omnes Orientales*; in medio locupletis populi opulentissimus habebatur. Septuaginta (r): *Repleta est ut ab initio regio illorum auguriis, ut ea quæ alienigenarum* vel Philistæorum erat. Reddi insuper potest: *Repleverunt* manus suas *ut Orientales*. Cultui inanium Deorum sese totos consecrarunt. *Replere manus suas*, vernaculo Hebræorum sermone perinde est ac Sacerdotio initiari.

Pueris alienis adhæserunt. S. Hieronymus, aliique plures ex Interpretibus (s) notari his verbis putant crimen illud nefarium, quod Capite præcedenti Sodomæ nomen Judæis adscivit (t). Alii (u) accusari malunt Judæos de connubiis cum uxoribus alienigenis, ex quibus liberos genuerint: id quod Lege interdictum erat (x). Denique vitio illis vertitur, quòd mores alienigenarum gentium, superstitiones & vitia imitati fuerint, fœdus cum illis conciliaverint, Religionem eorum & Leges adsciverint. *Pueri alieni* non rarò gentes alienas significant (y). Hæc crimina Israëlitarum.

℣. 7. Repleta est terra ejus argento... et repleta est terra ejus equis. Descriptio hæc planè congruit cum Regnis novissimorum Regum Israëlis. Opulentiam, rerum copiam, crapulam, effusosque sumptus exitio semper florentissimis Imperiis fuisse, planè constat; exitio, inquam, nedum morum, pietatis & Religionis, sed regiminis etiam & administrationis Reipublicæ. Vetuerat Deus, ne Hebræorum Reges equos sibi ingenti numero alerent (z).

℣. 9. Ne ergo dimittas eis; vel ex Hebræo (a): *Ne parcas eis*. Septuaginta (b): *Non dimittam eos*; vel non parcam eis. Sed meliùs reddi Hebræus videtur: *Et tu non dimisisti eis*: quæ conclusio est sermonis huc usque deducti.

Cum

(f) Vide *Michæam*, IV, 3; *Joël*, III, 10.
(g) *Ovid. Fast. lib.* 5. (h) *Sueton. in Aug.*
(i) *Virgil. Æneid.* 1. (k) 2 *Par.* XXX, 5, & *sequ.* (l) 4 *Reg.* I, 2.
(m) 1 *Reg.* VI, 2. (n) כי מלאו מקדם ועוננים כפלשתים
(o) *Lud. de Dieu.* (p) *Lyr. Pag. Munst. Vat.* (q) *Job.* I, 3.
(r) Ὅτι ἐνεπλήσθη ὡς τὸ ἀπ' ἀρχῆς ἡ χώρα αὐτῶν κληδονισμῶν, ὡς ἡ τῶν ἀλλοφύλων.
(s) *Hieronym. hic, Rupert. Sanct. Tir. Cornel. Haymo, Thom. Anglicus, &c.*
(t) *Isai.* I, 10: *Audite verbum Domini, Principes Sodomorum.* (u) *Theodor. Cyrill. Ita* 70: Καὶ τέκνα πολλὰ ἀλλόφυλα ἐγενήθη αὐτοῖς. (x) *Exod.* XXXIV, 15, 16; *Deut.* VII, 3; & 1 *Esdr.* IX, 2.
(y) *Psal.* XVIII, 45; & CXLIV, 7, 11; *Isai.* LX, 10; LXI, 5. (z) *Deut.* XVII, 16. (a) ואל תשא להם
(b) Οὐ μὴ ἀνήσω αὐτούς.

℣. 10. Ingredere in petram: & abscondere in fossâ humo, a facie timoris Domini, & a gloriâ majestatis ejus.

℣. 11. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incurvabitur altitudo virorum: exaltabitur autem Dominus solus in die illâ.

℣. 12. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum, & super omnem arrogantem: & humiliabitur.

℣. 13. Et super omnes cedros Libani sublimes, & erectas, & super omnes quercus Basan.

℣. 14. Et super omnes montes excelsos, & super omnes colles elevatos.

℣. 15. Et super omnem turrim excelsam, & super omnem murum munitum.

℣. 16. Et super omnes naves Tharsis, & super omne, quod visu pulcrum est.

℣. 17. Et incurvabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum, & elevabitur Dominus solus in die illâ:

℣. 18. Et idola penitus conterentur:

℣. 19. Et introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ, a facie formidinis Domini, & a gloriâ majestatis ejus, cùm surrexerit percutere terram.

℣. 20. In die illâ projiciet homo idola argenti sui, & simulacra auri sui, quæ fecerat sibi, ut adoraret talpas, & vespertiliones.

COMMENTARIUS.

Cum Israëlitis decem Tribuum pro merito egisti.

℣. 10. INGREDERE IN PETRAM . . . . A FACIE TIMORIS DOMINI. Insultat imbecillitati Israëlis, qui Dei voces neglexit. Tutum tibi nunc quære asylum in præruptis, in specubus profundissimis adversùs irati Numinis vindictam. Minis hisce potissimùm spectatur tempus belli Salmanasari in Israëlitas; in quam sententiam nos trahunt verba versiculorum 18 & 20, quibus Idolorum abjectio & confractio prædicitur. Scitum est, Regnum decem Tribuum superstitione & idololatriâ laborasse, præsertim sub novissimis Regibus, & quo tempore mala illa, de quibus hìc Propheta loquitur, inundavere.

℣. 11. OCULI SUBLIMES HOMINIS HUMILIATI SUNT; oculi hominis superbi dejicientur; vel, qui cervicem erigit, deprimetur. Septuaginta (c): *Oculi Domini sublimes; homo autem humilis.*

℣. 13. SUPER OMNES CEDROS LIBANI SUBLIMES. Dejiciet Syros Libani incolas, quorum fastum & superbiam Propheta cum cedris comparat. Evertet Principes Ammonitarum, Moabitarum, & reliquarum gentium trans Jordanem, regionisque Basaniticæ, quorum tanta est superbia, ut quercus Regionis suæ æmulentur. Hæc ad verbum implevit Nabuchodonosor, quinto post Jerosolymæ excidium anno (d). Fortè etiam accipienda sunt hæc de exitio Regni Samaritici.

℣. 14. SUPER OMNES MONTES EXCELSOS; super Idumæam, quæ asylum ponebat in montibus & petris. Abdias verbis Domini alloquens Idumæos, ait (e): *Ecce parvulum dedi te in gentibus; contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium tuum; qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.*

℣. 15. ET SUPER OMNEM TURRIM EXCELSAM. Facilè hìc designantur Philistæi, vel Ægyptii (f), plurimarum Urbium munitione superbientes. Has porrò gentes pro suâ unamquamque vice calix furoris Domini a Nabuchodonosore propinatus potavit, ex oraculo Jeremiæ (g): *Sume calicem vini furoris hujus de manu meâ, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te.*

℣. 16. SUPER OMNES NAVES THARSIS. Sermonem hìc esse de Tharso Ciliciæ, pluribus demonstrare conati sumus (h). Naves Tharsis sunt naves diuturnæ navigationis patientes, naves illæ majores & onerariæ. Ex nexu versiculi hujus cum præcedentibus, & ex Capite XXIII, 1, 14, doceri videmur, Prophetam spectasse Tyri excidium, quæ tunc Urbs mari imperabat, vel saltem mercaturam totius fermè Mediterranei ad se avocaverat.

ET SUPER OMNE, QUOD VISU PULCRUM EST. Hebræus (i): Super omnia quæ sunt artis miracula, & pretio digna. Ad verbum: Opera eximia, & *egregias desiderii prospecturas*. Docente Ezechiele discimus (k), in urbe Tyro nihil defuisse eorum, quæ desiderari possent, sive ad magnificentiam, sive ad pulcritudinem, sive ad raritatem; divitiis luxuriasse Tyrum, artis & deliciarum accessione cumulatis. Septuaginta (l): *Super omne pulcherrimum navigium maris.*

℣. 20. UT ADORARET TALPAS ET VESPERTILIONES. Nemo ignorat, quousque superstitionem & impie-

(c) Οἱ γὰρ ὀφθαλμοὶ κυρίου ὑψηλοὶ, ὁ δὲ ἄνθρωπος ταπεινός.

(d) *Joseph. Antiq. lib.* X, c. XI: Τῷ γὰρ πέμπτῳ τῆς Ἱεροσολύμων πορθήσεως ἔτει, ὅ ἐστι τρίτον καὶ εἰκοστὸν τοῦ Ναβουχοδονοσόρου, στρατεύει ὁ αὐτὸς ἐπὶ τὴν κοίλην Συρίαν, καὶ κατασχὼν αὐτὴν, ἐπολέμησε καὶ Ἀμμανίτας, καὶ Μωαβίτας. Ποιησάμενος δὲ ὑπηκόα ταῦτα τὰ ἔθνη, ἐνέβαλεν εἰς τὴν Αἴγυπτον, καταστρεψόμενος αὐτήν. (e) *Abdias*, ℣. 2, 3. Vide & *Ezech.* XXXV, 2, *& seq.*

(f) *Ezech.* XXV, 15, *&* XXIX, XXX. (g) *Jerem.* XXV, 15. (h) *Genes.* X, 4. (i) ועל כל שכיות החמדה

(k) *Ezech.* XXVI, XXVII, XXVIII. (l) Καὶ ἐπὶ πᾶσαν θέαν πλοίων κάλλους.

℣. 21. Et ingredietur sciſſuras petrarum, & in cavernas ſaxorum, a facie formidinis Domini, & a gloriâ majeſtatis ejus, cùm ſurrexerit percutere terram.

℣. 22. Quieſcite ergo ab homine, cujus ſpiritus in naribus ejus eſt, quia excelſus reputatus eſt ipſe.

COMMENTARIUS.

& impietatem provexerint Ægyptii, ut vel bruta ipsa religione cultuque digna cenſuerint. Nihil erat a minimâ ad ingentes usque belluas, a piſce, inſecto, & reptili usque ad bruta perfecta, & ad aves, quod non conſecraverint (m). Ipsa pariter hortorom olera colebant (n):

Porrum & cepe nefas violare & frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hae naſcantur in hortis
Numina!

Nullius quidem teſtimonio diſcimus, Ægyptios vespertilionem coluiſſe: ſed Atribitos, Nomum hujos nominis in inferiori Ægypto incolentes, conſecraſſe murem araneum, author eſt Strabo (o). Thebanos adoraſſe moſtelam, docet Ælianus (p). Mures Numina erant Amaxitarum in Troade, quorum greges alebantur in Templo Apollinis Sminthii, quaſi murini. Muris ſimulacrum ſub tripode Apollinis ponebatur (q). Plinius de Magis ſcribit (r): *Animalium cunctorum talpas maximè mirantur .... Nullis aquè credunt extis, nullum religionis capacius judicant animal; ut ſi quis cor ejus recens palpitansque devoraverit, divinationis & rerum efficiendarum eventus promittunt.* Denique cùm ex Herodoto (s) diſcamus, nullum fuiſſe animal, quod cultu careret in Ægypto; quis ambigere poterit, utrùm ſua pariter cum cæteris Altaria nacti fuerint vespertiliones & talpæ, ut in grege monſtroſorum Numinum monſtra hæc pariter non deeſſent? *Omnigenûmque Deûm monſtra* (t). Cùm autem Israëlitæ plus nimio ſæpè in ſuperſtitiones & idololatriam Ægyptiorum abierint; quis poſt hoc Prophetæ teſtimonium dubitaverit, utrùm coram viliſſimis hiſce belluis genua poſuerint?

Recentiores quidam Interpretes (u) vertunt Hebræum (x): *Ad fodiendum foſſae*, & idola projicienda *talpis*; ut ea Numina humi condat, communes cum talpis latebras habitura. Septuaginta (y) & Syrus: *Ad adorandum vana & vespertiliones*. Chaldæus (z): *Ut adorarent Idola, & ſimulacra*. Sed Interpretum pleriqoe ſequuntur S. Hieronymum, docentem, Hebræum *Phaìpharoth*, quod in unam vocem, poſt Theodotionem, conjungit, talpas deſignare.

℣. 22. QUIESCITE AB HOMINE, CUJUS SPIRITUS IN NARIBUS EJUS: QUIA EXCELSUS REPUTATUS EST IPSE. Explicantur hæc de J. Chriſto. Monentur Judæi, ne ulteriùs prorogent odia in Hominem Deum; ne patientiam ejus diutiùs provocent; quamvis enim exteriori specie homo eſſe videatur, idem eſt tamen Altiſſimus (α). Totam hanc ſententiam omiſerunt Septuaginta, quod de induſtriâ factum ab illis cenſet S. Hieronymus, ut Judæis ſuis parcerent (β). Sed quæ tunc ratio Judæos ſuadere poterat, ut Oraculum hoc nobis auferrent, vel Ethnicis abſconderent?

Alio ſenſu reddi poteſt Hebræus (γ): *Ne vos terreat homo ſpirans; quanti enim faciendus eſt?* Quantula res homo eſt, & quæ ejus vita? Ne igitur fiduciam collocetis in homine: quàm enim modicum ſunt vita, totusque homo! Vita eſt halitus brevis; & cùm homo obierit, nihil ex illo ſupererit. Deo credite, veſtrumque in illo præſidium collocate, ſi malorum expertes eſſe cupitis. Israëlitæ vanam ab Ægyptiis opem quæſierant. Chaldæus: *Ceſſate vobis, ne ſubjiciamini homini, cùm factus fuerit terribilis, cujus ſpiraculum, ſpiritus vitæ in naribus ejus eſt, quia hodie eſt vivus, & cras non eſt, & quaſi nihilum reputatus eſt ipſe.* Aquila, cujus verſio ad Codicem Septuaginta, apud quos deſiderabatur, tranſlata eſt, ita vertit (δ): *Ceſſate vobis ab homine, cujus halitus eſt in naribus ejus; nam in quo æſtimandus eſt?*

CA-

(m) *Herodot, lib. 2, c. 65; & Juvenal. Sat. xv:*

Quis neſcit, Voluſi Bithynice, qualia demens
Ægyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hac, illa pavet ſaturum ſerpentibus Ibin.
Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci ....
Illic cœruleos, hic piſcem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur.

(n) *Idem ibidem. Vide & Plin. lib. XIX, 6.* (o) *Strabo, lib. 17, p. 559:* Μυγάλην δὲ Α᾿τριβῖτοι. (p) *Ælian. lib. XII, c. 5.* (q) *Ælian. ibid.* (r) *Plin. lib. XXX, c. 3.* (s) *Herodot. lib. 2, c. 65:* Τὰ δὲ ἐόντα σφι, ἅπαντα ἱρὰ νενόμισται. (t) *Æneid. VIII.* (u) *Vatab. Mont. Caſt.*
(x) לחפר פרות ולעטלפים (y) Προσκυνεῖν τοῖς ματαίοις, καὶ τοῖς νυκτερίσι.
(z) למעותא ולצלמניא (α) *Hieron. hic: Moneo atque præcipio, ut quieſcatis ab eo, qui ſecundùm carnem quidem homo eſt, & habet animam, & ita ſpirat .... ut nos homines ſpiramus & vivimus, Sed ſecundùm divinam majeſtatem excelſus ſit, & reputatur, & creditur.*
(β) *Idem in Jerem. XVII, initio: Quod cur a Septuaginta prætermiſſum ſit, neſcio: niſi forſitan pepercerant populo ſuo.* (γ) חדלו לכם מן האדם אשר נשמה באפו כי במה נחשב הוא
(δ) *Aqu. in edit. Complut.* Παύσασθε ὑμῖν ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, ᾧ ἀναπνοὴ ἐν μυκτῆρι αὐτοῦ· ὅτι ἐν τίνι ἐλογίσθη;

CAPUT III.

Vaticinia in Jerosolymam gravia. Principes pueri & effœminati. Luxus filiarum Sion arguitur & damnatur.

℣. 1. Ecce enim Dominator Dominus exercituum auferet a Jerusalem, & a Juda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ:

℣. 2. Fortem, & virum bellatorem, judicem, & prophetam, & ariolum, & senem:

℣. 3. Principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de architectis, & prudentem eloquii mystici.

℣. 4. Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Ecce enim Dominator .... auferat a Jerusalem validum, et fortem, et omne robur panis. Septuaginta (a): *Ecce Dominator Dominus Sabaeth auferet validum & validam* (& fortitudinem), *robur panis, & robur aquæ.* Hebræus (b): *Removent illum & illam quæ fulcimentum sunt & fulcimentum, omne fulcimentum panis, & omne fulcimentum aquæ.* Loquendi formulà Hebræis familiari usurpatur fulcimentum, vel *baculus panis* pro fulcimento vitæ; conterere baculum panis, redigere ad inopiam, & ad rerum, quibus vita indiget, angustiam (c). Insueta verò est phrasis *baculus aquæ*, quam Propheta idcircò adhibendam fortè censuit, quòd eadem vox pani addita, aquæ pariter addenda videretur. Impleta hæc sunt ad verbum sub Nabuchodonosore in horribili eâ fame, quæ Judæos Jerosolymitanos afflixit.

℣. 2. Et fortem, et virum bellatorem. Septuaginta (d): *Gigantem, & fortem, & hominem bellatorem.* Solent hi frequentiùs reddere gigantem pro voce Hebræâ *Gibbor*, quod propriè sonat hominem robustum, strenuum. Caput hoc cum præcedenti nectendum est in hanc sententiam: *Cessate fiduciam collocare in homine, cujus vita halitus est; quanti enim habendus est? & quanta est virtus hominis? Ecce Dominator Dominus exercituum*, fortitudinem omnem, totumque vanæ fiduciæ argumentum ab Jerosolymâ & Juda auferet. Rediget utrumque ad summam rerum angustiam. Quicquid est hominum bellicorum strenuorumque, rapiet. Integra bis fides mansit in expeditione Nabuchodonosoris adversùs Judæos. Supremâ enim in obsidione tanta fames Urbem tenuit, ut matres vesci carnibus filiorum cogerentur (e). Tanta erat aquæ penuria, ut homines & belluæ siti perirent, & (f) languentes homines publicis in foris jacerent. Jam inde ab ætate Jechoniæ, Nabuchodonosor ex Juda removerat artifices omnes peritos, & si quis erat sive exercituum imperio sive Urbium defensioni aptus (g).

Judicem, Prophetam, et Ariolum, et senem, vel Senatorem. Deo permittente, Nabuchodonosor Optimates Judæorum sub Jechonia omnes abduxit, ipsumque Ezechielem, qui Prophetam trans Euphratem egit. Daniel translatus est Babylonem anno Joakimi quarto; sed Prophetiæ munus nonnisi in eâ regione accepit. Jeremias e turbâ captivorum segregatus est, mansitque cum paucis iis, qui in Judæâ relicti sunt. Suspicor tamen, Isaiam, cùm prædiceret abducendos esse Prophetas, simul spectasse & veram Prophetarum a populo segregationem, & pertinaciam populi, Prophetarum monita rejecturi ac despecturi. Sacri enim Præcones, quorum voces non excipiuntur, perinde sunt, ac si omnino non sint. *Ariolus* (h) in bonam partem accipi potest de homine prudentiâ prædito, qui ductis e sapientiâ & experientiâ conjecturis, rerum eventus certò prædicit. Nulla tamen necessitas hunc sensum præferre cogit. Minitatur populo Isaias futurum, ut omnes ii ab eo removeantur, quibus maximè fidebant, Arioli, Incantatores, Pseudoprophetæ.

℣. 3. Principem super quinquaginta. Hebræorum copiæ distribuebantur in agmina, quorum aliqua ex millenis, alia ex quinquagenis, tricenis, denis constabant, uti ad Exodum demonstravimus.

Honorabilem vultu. Hebræus (i): *Elevatum facie*, ore & corpore ad majestatem composito, veneratione dignum; seu virum gravem, cujus præsentia ad obsequium vocat. Porrò *vir facie elevatus*, opponitur homini, qui demissâ facie, seu ore supplici est. *Elevare faciem alicujus*, est liberare illum probro, postulatis annuere. Hic autem designari propriè credo hominem, qui propiùs ad Regem accedit, inter amicos Regis familiarem, hominem, cui *faciem elevavit* Rex, cui liberum ad se permittit accessum. Septuaginta (k): *Admirabilem consiliarium.*

Sapientem de Architectis. Hebræus (l): *Sapientem artificum.* Ex Regibus (m), & Jeremia (n) discimus, Nabuchodonosorem, captâ Jeroso-

(a) Ἀφελεῖ ἰσχύοντα, καὶ ἰσχύουσαν. *Cyprian. lib. 1 Testim. Validum & validam. Aqu.* Ἔρεισμα, καὶ ἐρεισμόν. *Sym.* Στήριγμα καὶ στηριγμόν.

(b) משען ומשענה : כל משען לחם וכל משען מים (c) *Levitic* xxvi, 26: *Postquam confregero baculum panis vestri. Psal.* civ: *Omne firmamentum panis contrivit. Ezech.* iv, 15: *Ecce ego conteram baculum panis in Jerusalem. Vide &* v, 16; *&* xiv, 13. (d) Γίγαντα καὶ ἰσχύοντα καὶ ἄνθρωπον πολεμιστήν. (e) *Thren.* iv, 10. (f) *Ibid.* ii, 11, 12; iv, 5. (g) 4 *Reg.* xxiv, 14: *Et transtulit* (*Nabuchodonosor*) *omnem Jerusalem, & universos principes, & omnes fortes exercitus decem millia in captivitatem, & omnem artificem & clusorem. Ita & Jerem.* xxiv, 1.

(h) *Hebr.* קסם 70: Στοχαστήν. (i) נשוא פנים (k) Θαυμαστὸν σύμβουλον. (l) חכם חרשים (m) 4 *Reg.* xxiv, 14. (n) *Jerem.* xxiv, 1: *Transtulit Nabuchodonosor Jechoniam & Principes ejus, & fabrum, & inclusorem de Jerusalem.*

℣. 5. Et irruet populus, vir ad virum, & unusquisq; ad proximum suum;
tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem.
℣. 6. Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui: Vesti-
mentum tibi est: Princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tuâ.
℣. 7. Respondebit in die illâ, dicens: Non sum medicus, & in
domo meâ non est panis, neque vestimentum: nolite constitue-
re me principem populi.

COMMENTARIUS.

rosolymâ sub Jeremiâ, & ditione Juda omnes, quos nactus est, peritos artifices abduxisse. Vertunt quidam: *Sapientes præstigiis*.

PRUDENTEM ELOQUII MYSTICI. Hebræus (o): *Intelligentem incantationis*, viros incantandi peritos, & magicis artibus pollentes. Studium & favor populi in hujus generis homines merebatur utique, ut Deus omnes, quotquot erant, e regione illorum abduceret, & in alienam transferret. Septuaginta (p): *Prudentem auditorem*, seu potiùs, Oratorem peritum; vel discipulum artibus ibi regnantibus probè institutum. Aquila & Symmachus peritum incantatorem reddunt.

℣. 4. DABO PUEROS PRINCIPES EORUM. Qui Josiæ successerunt in Judâ Reges, oraculi hujus fidem asseruerunt. Josias decedens, liberos reliquit tres, qui post illum regnavere (q). Joachaz tribus tantùm & viginti annis natus Regnum a populo accepit, ac breve Regnum tribus mensibus absolvit. Quinque & viginti natus annos Joakim frater ejus & successor, ad solium venit, tenuitque annis undecim. Jechonias, Joakimi filius, octo annorum puer viduatum Regnum capessivit; quod nonnisi mensibus tribus, additis diebus decem, habuit. Denique Sedecias, Jechoniæ patruus, & filiorum Josiæ tertius, unum & vigesimum ætatis annum agebat, cùm admotus regno est. Accidit interdum, ut hominum quorumdam sapientia ætatis imbecillitatem regat, & multum insideat prudentiæ, ubi parum est ætatis. Cave tamen hæc de Regibus Juda novissimis putes. Nemo insaniùs rebus suis consuluit, nemo pejus clavum Reipublicæ moderatus est. Religione, pietate, prudentiâ, fide carentes, criminum & flagitiorum causâ mala extrema in se totumque Regnum provocarunt.

EFFOEMINATI DOMINABUNTUR EIS; inter voluptates ac nequitias nutriti, experientiâ & virtute destituti. *Væ tibi terra, cujus Rex puer est, & cujus Principes mane comedunt* (r). Hebræus (s): *Et dabo pueros Principes eorum*. Septuaginta (t): *Et illusores dominabuntur*, homines ludorum amatores, qui tempus ludendo fallunt. Theodotion, & Aquila: Homines infames, qui se infando crimini prostituunt.

℣. 5. IRRUET POPULUS, VIR AD VIRUM. Domesticæ seditiones totam inter se regionem committent. Toto eo tempore, quod postremam obsidionem Jerosolymæ per Chaldæos præcessit, populus in contraria studia secesserat. Aliorum erat sententia, ut in fide & sub imperio Nabuchodonosoris perseverarent; alii verò excutiendum jugum suadebant, monebantque, ut aures præberentur Ægyptiis, magnas res & favorem opemque adversùs Chaldæos spondentibus. Ita pariter post urbis excidium, Juda in Judam se commisit. Ismaël neci tradidit Godoliam; & miseræ ex populi reliquiæ, in se ipsas armatæ, mutuò delebantur. Vide Jeremiam, XL, XLI.

℣. 6. VESTIMENTUM TIBI EST: PRINCEPS ESTO NOSTER. Hæc loquendi formula ad vivum exprimit miseram extremamque conditionem populi, nescientis cui se dedat, qui Principem sibi constituit obvium quemcumque, honestiori aliquantò veste spectatum. Hæc facilè impleta sunt ad literam post eversionem Jerosolymæ (u), & necem Godoliæ. Ducti Babylonem Judæi, & ii, qui in Ægyptum migravere, Principe carentes & opibus, pronis manibus obvium quemlibet eligere Principem parati erant, dum vestibus paulò honestioribus amictus spectaretur.

RUINA AUTEM HÆC SUB MANU TUA; eversi populi regimen ut suscipias rogamus. Protege, tuêre, defende miseri populi reliquias. Symmachus & Theodotion vertunt (x): *Infirmitas hæc sub manu tuâ* sit: populum hunc fractum, & extenuatum tuêre. Septuaginta (y): *Cibus meus sub te sit*; alacris me tibi dedo, dum sufficias quo vivam: nihil nisi panem peto. Hebræus (z): *Et lapsus iste sit sub manu tuâ*. Populum hunc, qui malorum suorum gravi sarcinâ oppressus ruit, porrectâ manu erige. Hoc propriè significat Hebræus.

℣. 7. NON SUM MEDICUS. Regimen populi a se deprecatur. Vulnus, quod e lapsu retulisti, obducere nequeo. Non panis mihi, non vestis est, quibus te alam & protegam: alium igitur Principem quære. Hebræus ad verbum (a): *Non sum alligans*, is qui vulnera ligat & curat. Septuaginta (b): *Non ero tuus Princeps*. Medicina & Chirurgice (olim enim idem qui medicinam, ipse & chirurgicen colebat) tunc virum Principem non dedecebant. Apud Homerum Æsculapius, & gemini ejus filii Podalyrius & Machaon Principes erant & Medici.

IN DOMO MEA NON EST PANIS NEQUE VESTIMENTUM; eâdem, quâ vos, rerum inopiâ laborans, impar sum ut vestri Principatum geram. Apud Hebræos (c) & apud Indos (d), Carthaginienses (e) & Athenienses (f), nemini nisi opulento Regnum deferebatur. Verebantur illi, nec immerito, ne vel summa potestas inopiâ Principis vilesceret, vel egens Princeps iniquitate & populi oppressione meliorem sibi fortunam strueret. *Rex egens proventuum, magnus sycophanta*, ait Sapiens (g). Iniquis artibus divitias sibi comparabit. Idem cum proportione de omnibus in dignitate constitutis intelligito.

(o) נבון לחש (p) Συνετὸν ἀκροατήν.
(q) 2 *Par.* XXXVI, 1, 2, *& seq.* (r) *Eccle.* X, 16. (s) ותעלולים ימשלו בם (t) Καὶ ἐμπαῖκται κατακυριεύσουσι αὐτῶν. *Aqu.* Ἐναλλακταὶ, *Qui se mutant, & turpitudinis exerceant vices. Hieron.*
(u) *Jerem.* XXXIX, 10: *Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan in terrâ Juda, &c.* (x) *Apud Hieronym. hic.* (y) Καὶ τὸ βρῶμα τὸ ἐμὸν ὑπὸ σε ἔστω.
(z) והמכשלה הזאת תחת ידך (a) לא אהיה חבש (b) Οὐκ ἔσομαί σου ἀρχηγός. *Ita Syr. Arab. Chald.* (c) *Exod.* XVIII, 21. (d) *Plin.* XVI, 19. (e) *Aristot. lib.* 3, *c.* 9, *Polit.* (f) *Plut. in Solone.*
(g) *Prov.* XXVIII, 16: Βασιλεὺς ἐνδεὴς προσόδων μέγας συκοφάντης. *Aliter in Heb.*

℣. 8. Ruit enim Jerusalem, & Judas concidit: quia lingua eorum,
& adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent
oculos majestatis ejus.

℣. 9. Agnitio vultus eorum respondit eis: & peccatum suum qua-
si Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt: væ animæ eo-
rum, quoniam reddita sunt eis mala.

℣. 10. Dicite justo, quoniam bene, quoniam fructum adinventio-
num suarum comedet.

℣. 11. Væ impio in malum: retributio enim manuum ejus fiet ei.

℣. 12. Populum meum exactores sui spoliaverunt, & mulieres do-
minatæ sunt eis. Populus meus, qui te beatum dicunt, ipsi te
decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.

℣. 13. Stat ad judicandum Dominus: & stat ad judicandos populos.

℣. 14. Dominus ad judicium veniet cum senibus populi sui, &
principibus ejus: vos enim depasti estis vineam, & rapina pau-
peris in domo vestrâ.

COMMENTARIUS.

℣. 8. ADINVENTIONES EORUM CONTRA DOMINUM, UT PROVOCARENT OCULOS MAJESTATIS EJUS. Judas gestorum & sermonum impietate, oculorum Dei offensionem ita incurrit, ut mala, quibus premitur, in se provocaverit. Septuaginta (h): *Lingua eorum cum iniquitate. In his quæ ad Dominum, increduli*, vel pervicaces: *quare nunc humiliata est gloria eorum.* Aliter utique illi ac nos & S. Hieronymus (i), in suis Codicibus legebant.

℣. 9. AGNITIO VULTUS EORUM RESPONDIT EIS, Septuaginta (k): *Confusio vultûs eorum restitit eis.* Hebræum *Haccharath* (l) hìc semel, & alibi nuspiam, in Scripturâ occurrit. Reddunt illud alii: *Vultûs illorum lineamenta*; alii, Duritia, vel *exporrectio* vultûs eorum; alii denique: *Superbia*, quæ in vultu illorum pingitur. Hæc omnia recidunt in illa, quæ statim subduntur: *Peccatum suum quasi Sodoma prædicaverunt.* Crimina sua, quorum pudere illos debebat, in decus suum & gloriam vertunt.

VÆ ANIMÆ EORUM, QUONIAM REDDITA SUNT EIS MALA. Septuaginta (m): *Væ animæ eorum, quoniam consiliati sunt consilium pessimum contra semetipsos*, ℣. 10, *dicentes*, &c.

℣. 10. DICITE JUSTO QUONIAM BENE: sperare illum æqua jubete; vel, omnia illi rectè cessura dicitote. In tantâ malorum, quæ Jerosolymam inundabunt, eluvione, ne animum despondeat justus, omnia enim illi rectè cedent: e communi impiorum exitio illum servabit Deus, ut æqua pro merito justitiæ rependat. Quàm vera nunciarit hoc oraculum, ostendit Jeremias, quem Chaldæi tanto obsequio, & veneratione prosequuti sunt, ut ne paria quidem Judæi viro sanctissimo penderint (n). Versiculum hunc cum præcedente jungunt Septuaginta (o): *Pravum consilium in illum inierunt*, (℣. 10) *dicentes: Alligemus justum, quoniam invisus est nobis.* Commodè hæc accipiuntur de Jeremiâ, seu potiùs de Jesu Christo, cujus typum Jeremias gerebat. Hanc profectò interpretationem sequuntur Græci Patres cum Latinis nonnullis; atque huc spectasse creditur Author Sapientiæ, ita loquentes impios inducens (p): *Circumveniamus Justum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, &c.* Sed Vulgata optimè expressit sensum Hebræi, & optimè pariter congruit cum iis, quæ statim adduntur: (℣. 10.) *Dicite Justo quoniam bene.* (℣. 11.) *Væ impio in malum; retributio enim manuum ejus fiet ei.* Nunquam fermè Isaias adversa prædicit, quin simul eorum severitatem mitiorum prædictione temperet.

℣. 12. POPULUM MEUM EXACTORES SUI SPOLIAVERUNT, ET MULIERES DOMINATÆ SUNT EIS. Novissimos Reges Juda ita nobis pingunt Jeremias, & Ezechiel, ut exhibeant tyrannos (q), qui vectigalium intolerabilium onere subjectos sibi populos opprimunt. Simul verò tyrannos dixisses & fœminas imbelles, debiles, ac imperio ineptas. Principes erant effœminati, quos voluptates & crapula mollierant. Septuaginta (r): *Popule meus, exactores vestri spoliant vos, & exigentes dominantur vobis.* Creditores scilicet duri; vel ex Theodotione & Chaldæo, *fœneratores.* Sed Hebræa vox propriè designat fœminas; id est, homines effœminatos. Simili in re Virgilius: *O verè Phrygiæ; nec enim Phryges.*

POPULE MEUS, QUI TE BEATUM DICUNT, IPSI TE DECIPIUNT. Prophetæ mali & pessimi Consiliarii, qui animo tuo blandiuntur, spe inani te pascunt, in occultos te laqueos demum inducent. Reddi potest Hebræus (s): *Popule meus, qui gressus tuos dirigunt, deceptores sunt*, in errorem te trahunt, & ad præcipitium urgent.

℣. 14. VOS ENIM DEPASTI ESTIS VINEAM. Vos scilicet mali Principes Juda, Joakim, Jechonia,

(h) Α'ι γλῶσσαι αὐτῶν μετ' ἀνομίας, τὰ πρὸς κύριον ἀπειθοῦντες· διότι νῦν ἐταπεινώθη ἡ δόξα αὐτῶν. (i) לשונם ומעלליהם אל יהוה למרות עיני כבדו (k) Καὶ ἡ αἰσχύνη τοῦ προσώπου αὐτῶν ἀντέστη αὐτοῖς. (l) הכרת פניהם ענתה בם (m) Οὐαὶ τῇ ψυχῇ αὐτῶν, διότι βεβούλευνται βουλὴν πονηρὰν, καθ' ἑαυτῶν. (n) *Jerem.* XXXIX, 11, 12: *Præceperat autem Nabuchodonosor de Jeremiâ Nabuzardan, dicens: Tolle illum, & pone super eum oculos tuos, nihilque ei mali facias; sed ut voluerit, sic facias ei.* (o) Βεβούλευνται βουλὴν πονηρὰν καθ' ἑαυτῶν, (10.) Εἰπόντες· Δήσωμεν τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι. (p) *Sap.* II, 12: Ἐνεδρεύσωμεν δὲ τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι, ἐναντιοῦται τοῖς ἔργοις ἡμῶν. (q) *Jerem.* XXII, XXIII; *Ezech.* IX, *per totum.* (r) Λαός μου, οἱ πράκτορες ὑμῶν καλαμῶνται ὑμᾶς, καὶ οἱ ἀπαιτοῦντες κυριεύουσι ὑμῶν. *Aqu.* *quoque vertit* נשים Ἀπαιτοῦνται. *Theodot.* Δανεισταί. (s) כי עמי מאשריך מתעים

℣. 15. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum?

℣. 16. Et dixit Dominus pro eo, quòd elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant:

℣. 17. Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.

COMMENTARIUS.

nia, Sedecia, qui vectigalibus & vi populum Juda (qui nomine vineæ Domini sæpiùs significatur) depopulamini. Septuaginta (t): *Vos autem, quare incendistis vineam meam?* Cur induxistis belli incendium in ditionem Juda, a Nabuchodonosore, cui vos ego submiseram, desciscentes (u)?

℣. 15. Quare facies pauperum commolitis? Quare faciem pauperis lividam tundendo efficitis? Septuaginta (x): *Quare faciem pauperum confunditis?* Plerique tamen Hebræum (y) vertunt ut est in Vulgatâ: *Quare facies pauperum commolitis?*

℣. 16. Pro eo quod elevatæ sunt filiæ Sion, et ambulaverunt extento collo. Reliquum Capitis totum in describendâ superbiâ & luxu mulierum Jerosolymitanarum impenditur. Gravis Prophetæ oratio, qua hoc vitium is arguit, & supplicium quo plectitur, satis indicant criminis hujus coram Deo gravitatem, quæ sanè ingens se ipsâ est, & maxima ex iis malis, quibus Rempublicam & familias afficit. Libido morumque corruptio vitii hujus radix sunt simul & mala propago. Nemo enim se ornat, nisi ut placeat, atque in hanc rem seu superbiâ, seu libidine inducitur; & vix unquam fit, ut placere quis possit, quin simul lethali vulnere animas afficiat (z). Stultus pariter ornamentorum & vestium amor quid non imperat sumptuum? Quas non iniquitates, quæ non flagitia suadet, ut his sumptibus par esse queas?

Nutibus oculorum ibant, et plaudebant pedibus suis; et composito gradu incedebant. Hebræus (a): *Incesserunt nigris oculis; & brevi incessu* (ceu pueri; seu potiùs incedentes tinniunt, ac si ad numerum & tympanum pulsantes ducerent choreas), *& pedes habent in circulis clausos.* Palæstinæ mulieres olim stibio oculos & supercilia pingebant, ut alibi docuimus (b). Eamdem hic interpretationem Chaldæus sequitur (c). Nostrâ adhuc ætate viri, mulieres, puellæ, quin & parvuli infantes extremum pupillarum limbum & oculorum albumen liniunt nigro quodam pigmento, quod *Coubel* appellant. Vitium hoc fusè arguit S. Clemens Alexandrinus in Pædagogo (d). Inter cimelia Abbatiæ S. Genovefæ exhibetur imago Indicæ mulieris puerum suum tenentis, quorum pupillæ nigro pigmento oblitæ sunt, & vi stibii latiùs expansæ.

Quod nos vertimus, *Incedebant brevibus gressibus*, sive ad numerum velut tinnientes cymbalo, duplici ratione explicatur: Incedebant angusto incessu, more puerorum (e), delicatam quamdam mollitiem affectantes, Seu potiùs: Incedentes sonabant pedibus (f). Legimus in Itinerario quodam (g), Turcicas & Syriacas mulieres circa crura gestare annulos, quibus minores alii annuli inserti sunt, quorum annulorum affrictu, cùm pedes moventur, sonus quidam acutus & clarus, aures longè feriens, exprimitur. S. Hieronymus docere videtur (h), mulierum ambulantium caligas olim stridere consuevisse clarè & acutè, ex metallo fortasse, quod sub talo collocabant: *Caliga ambulantis nigella ac nitens stridore ad se juvenes vocat.* Turcas, quos *Giomaleros* vocant, cymbala quædam ad pedes gestare, Hornius est author (i). S. Clemens Alexandrinus (k) carpit luxum caligarum, quas aurea ornamenta, ut ipse ait, onerabant, quæque sparsæ erant clavis, & gradiendo stridebant.

Quod attinet ad circulos, quos Syriacæ mulieres insertos cruribus gestant, Itineraria uno assensu rem ita docent, ut extra controversiam posita videatur. Mulieres, quæ tenuem habent censum, utuntur ferreis vel æneis; locupletes argenteis & aureis. Plinius (l) hæc asserit de Romanis fœminis: *Luxu fœminarum plebis compedes sibi ex eo (argento) facientium, quas induere aureas mos tritior vetat.* Septuaginta vertunt (m): *Incessu pedum simul trahentes tunicas (seu pallas), & pedibus simul ludentes.* Chaldæus: *Et crinibus crispatis* (circumvolutis), *& pedibus suis strepentes.*

℣. 17. Decalvabit verticem filiarum Sion, et Dominus crinem earum nudabit. Venustatem in eo maximè statuunt mulieres, si comam habeant nitidam; neque contentæ dato sibi a naturâ ornamento, adminiculum exposcunt ab arte. Norant olim rationem pingendi comam, & coloribus ad arbitrium inficiendi. Fœminis igitur Deus hic

(t) Ὑμεῖς δὲ τί ἐνεπυρίσατε τὸν ἀμπελῶνά μου. (u) 4 *Reg.* xxiv, 1, & 20.
(x) Καὶ τὸ πρόσωπον τῶν πτωχῶν καταισχύνετε. (y) ופני עניים תטחנו
(z) *Tertull. de cultu famin. Non de integrâ conscientiâ venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorem libidinis scimus.* Ibid. *Perit simul vir in tuâ formâ, o mulier, & facta es tu gladius illi.* Vide Cornel. a Lapide, in hoc Caput.
(a) ומשקרות עינים הלוך וטפוף תלכנה וברגליהם תעכסנה (b) *Vide 4 Reg.* ix, 30; *Jerem.* iv, 30. שקר usurpatur hic pro שחר, scilicet, oculorum nigredo. *Job*, xli, 9; *Cant.* v, 11.
(c) ומסרבן עינין אזלן (d) *Clem. Alex. lib. 3 Pædag. c. 2:* Γυναῖκες τῶν πλοκάμων τοὺς ἑλιγμοὺς ἀσκοῦσαι, χρίσματα τε παρειῶν, καὶ ὑπογραφὰς ὀφθαλμῶν, καὶ βαφὰς μετιοῦσαι τριχῶν. Et paulo superiùs: Τὰς ὀφρῦς πυῤῥὰς ἔχει τίς; ζωγραφοῦσι ἀσβόλῳ. Συμβέβηκ' εἶναι μέλαιναν; κατέπλασε ψιμυθίῳ. Λευκόχρως λίαν τίς ἐστι; παιδέρωτ' ἐντρίβεται. (e) Ductâ voce טפף ex טף puer parvus.
(f) Ex תוף tympani genere, quo interdum puellæ canebant. *Psal.* lxvii, 26. (g) *Eugenius Rogerius, l. 2, c. 2.* (h) *Hieron. ep. 47, de vitando contubernio, &c.* (i) *Horn. lib. 3, cap. 19, p. 215, de orig. Gent. Americ. Vide Vatab. & Grot. hic.* (k) *Clem. Alex. Pædag. lib. 2, c. 11:* Ἐφ' ὧν ἐστὶ τὰ χρυσᾶ ἀναθέματα, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἥλους ἑλικοειδῶς ταῖς κατύμασιν ἐγκαλκρούειν ἀξιοῦσι.
(l) *Plin. lib. 33, c. 12.* (m) Τῇ πορείᾳ τῶν ποδῶν ἅμα σύρουσαι τοὺς χιτῶνας, καὶ τοῖς ποσὶν ἅμα παίζουσαι.

℣. 18. In die illâ auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas,

℣. 19. Et torques, & monilia, & armillas, & mitras,

℣. 20. Et discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoriola, & inaures,

COMMENTARIUS.

hic minitatur futurum, ut comis illas suis exuat, & more ancillarum vel captivarum radat (n). Hebræus variè redditur (o): alii quidem vertunt (p): *Permittet Dominus ut scabies* vel lepra *fluere faciat crines earum, & turpitudinem illarum deteget*. Nudas statuet ante hostes. Alii: *Dominus decalvabit illas*; desperatione actæ vellent crines; *& Deus nuditatem earum deteget*. Septuaginta (q): *Humiliabit Deus principales filias Sion, & denudabit ignominiam earum in die illâ*. Vertere ego malo: *Decalvabit supremum capitis illarum verticem, & fluere faciet crines angulorum illarum*, vel extremitatum, frontis nempe & temporis utriusque (r).

℣. 18. ORNAMENTUM CALCEAMENTORUM ET LUNULAS. Mulieres Palæstinas olim caligis usas esse magnificis & pretiosis, discimus ex Cantico (s): *Quàm pulcri sunt gressus tui in calceamentis; filia Principis!* Sermo est apud Ezechielem (t) de caligis purpureis seu cæruleo saturo imbutis, cujusmodi S. Hieronymus appellat *caligas aigellas*. Adhuc apud fœminas Syriacas in usu sunt caligæ ex alutâ flavæ seu rubræ, quæ non pedem modò, sed partem etiam cruris eco sandalia vestiunt.

In Hebræo legitur (u): *Recedere faciet Deus ornamenta circulorum* crus ambientium, *& baschebisim & lunulas*. Prior vox significat vittas, quibus vinciuntur pedes seu bovis, seu alterius cujuslibet victimæ, uti constat ex Proverbiis, VII, 22. Accipitur hìc de annulis, quibus crura inferuntur, de quibus supra, ℣. 16. Vox *baschebisim* hìc semel, nec alibi usquam, in Scripturâ occurrens, ignotæ est significationis. Si legatur *baschbibizim* (x), reddi potest quiddam auro iotextum, simile Rationali Summi Sacerdotis, seu vestibus Reginæ & novæ nuptæ, de qua in Psalmo XLIV, 14. Septuaginta (y) vertunt *Lacinias*, vel pretiosi operis fimbrias. Aquila (z): *Vittas* seu lora, cingulos, baltheos; quam posteriorem interpretationem magnoperè probo. Cinguli virorum amplissimorum apud Orientales locupletissimi, & auro vel argento intexti sunt.

Lunula aurea ornamenta erant calceorum, ex quorumdam sententiâ, cujusmodi etiam olim gestasse feruntur viri Senatorii ordinis apud Romanos: *Patriciâ clausit vestigia lunâ*. Malunt alii, designari hac voce fibulam, quæ figuram exhiberet dimidiatæ Lunæ. Nulla tamen necessitas nos adigit, ut de ornamentis caligarom dicta hæc accipiamus, cùm præsertim vox præcedens ad caligas non referatur. Commodè igitur intelligentur de lunulis, quæ torquibus appensæ, collum ornabant, seu quæ e superiore capitis vertice descendebant in frontem. Lunæ dimidiatæ imago nunquam non in obsequio apud Orientales fuit. Cameli Madianitarum appensum cervici torquem lunulis distinctum gestabant (a); eâdemque imagine Turcæ maximè delectantur. Plures Isidis imagines Lunæ cornua capite gerentes videntur. Septuaginta (b) legunt *Meniscous*; quam vocem alii de figurâ dimididiatæ Lunæ, alii de armillâ interpretantur. Plautus (c):

Lunulam atque anellum aureolum in digitum.

℣. 19. ET TORQUES ET MONILIA. In descriptionibus muliebris cultûs apud Veteres nihil frequentius quàm monilia. Hebræum *hannetiphoth* (d) derivatur ex radice, quæ sonat, guttatim fluere; idque Interpretes nonnullos in eam persuasionem induxit, ut de vase quodam suavis liquoris, vel olei, seu balsami, vel similis unguenti explicarent. Reddunt alii monilia e margaritis, quippe quæ figuram & colorem exhibeant guttæ simillimum. Chaldæus reddit tantummodo *torques*, quibus non male convenit nomen *Netiphoth*, quòd scilicet variati essent & veluti guttati; cujusmodi torquium genus Latini appellabant *murenulas*; ita enim argento simul & auro texebantur, ut maculis distincti instar murænæ viderentur. Noti erant pariter torques, quos *angues* vocabant, quippe qui anguis exuvias colore imitarentur (e).

ARMILLAS. Hebræus (f), *Haseroth*, quæ vox eadem est cum *esoure*, quæ apud Arabum mulieres sonat armillas. Sunt autem eæ armillæ manicæ aureæ, argenteæ, vel ex aurichalco, seu vitro, seu ex argillâ, variis obductæ coloribus, pro gerentium dignitate. Apud Chaldæum sunt *armilla* (g). Ornantur his brachia, brachiorumque commissuræ, & pedum tali (h).

MITRAS. Hebræa vox *Haraloth* (i) derivatur ex radice sonante tremere, nutare, instar hominis temulenti. Vertunt quidam *peplos*, quibus caput & os mulierum velatur; alii bracteas aureas vel argenteas, vel cristas, vel denique mitras. Mulieres in Syriâ & Arabiâ caput ornant mitrâ quadam argenteâ in figuram coni, quam *arbia* appellant; obvolvitur autem nigro quodam sericeo velo, cujus limbum gemmæ & uniones (k) ornant.

℣. 20. DISCRIMINALIA; crinium vittas, seu vittas crinibus intertextas. Constat utique, Hebræum (l) *Happerim* capitis ornamentum esse, viris fœmi-

---

(n) *Deut.* XXI, 12; & XXXII, 42. (o) ושפח אדני קדקד בנות ציון : ויהוה פתהן יערה (p) *Munst. Jun. Tremel. Pisc. Vat. Anglic.* (q) Ταπεινώσει κύριος ἀρχούσας θυγατέρας Σιὼν, καὶ κύριος ἀποκαλύψει τὸ ἀσχημόνημα αὐτῶν ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ. (r) Ductâ voce פתהן ex פאה, vel פאת, lego פאתהן. Ea vox hoc sensu invenitur *Levit.* XIII, 41; XIX, 27; XXI, 5. (s) *Cant.* VII, 1. (t) *Ezech.* XVI, 10: *Calceavi te janthino*. (u) יסיר אדני את תפארת העכסים והשבסים והשהרנים (x) *Exod.* XXVIII, 4, & 39; & 11, 13, 14, 20, 25. Lego השביצים, pro השבסים (y) Καὶ τοὺς κοσύμβους. (z) *Aqu.* Τελαμῶνας. Ἀινίττεται δὲ τὰ κράσπεδα, *ait Theodoretus*. (a) *Judic.* VIII, 21, 26. השהרנים אשר בצוארי גמלים (b) Καὶ τοὺς μηνίσκους. (c) *Plaut. Epidico. Drus. hic.* (d) *Heb.* הנטיפות *Chald.* ענקיא *Theodot.* Τὰ καθέματα, monilia. *Aqu.* Κρουνοῦντες, peplos. *Alius*, Χαλαστὰς, *Catenas*. (e) *Clem. Alex. Pædag. lib.* 2, c. 12: Σμυραίνας τινὰς, καὶ ὄφεις ἀποπλαττομένας ἐξ ἐυπρέπειαν. Λέγει γοῦν ὁ κωμικὸς Νικόστρατος, ἁλύσεις, καθετῆρας, δακτυλίους, βάθαλια, ὄφεις, &c. (f) *Hebr.* השרות (g) *Chald.* שירי ידיא (h) Voyage de l'Arabie heureuse, à Paris, 1716, p. 257. (i) הרעלות *Chald.* הנימנסיא (k) *Vide* Eugéne Roger, liv. 2, & Daviti, Syrie. (l) הפארים *Chald.* כליליא.

℣. 21. Et annulos, & gemmas in fronte pendentes,
℣. 22. Et mutàtoria, & palliola, & linteamina, & acus,

COMMENTARIUS.

fœminisque commune (m). Nec aliod fortaſſe eſt quàm velum, quo mitra fœminarum cingitur, ſeu potiùs veli hujus laciniæ & flocci, *mitræ redimicula*. Alii accipiunt de pectinibus, vel de acubus in uſum comarum.

Periscelidas. Compedes ſunt argentei, ænei, vel figlini, cocto tectorio obliti, quibus adhuc mulieres in Syriâ utuntur. Hos S. Clemens Alexandrinus (n) appellat pedicas vel compedes, poſt Philemonem, Ariſtophanem, & alios. Ita & Latini Scriptores. Manilius:

Et pedibus niveis fulſerunt aurea vincla.

Seneca:

Crura diſtincto religavit auro
Lutea plantae cohibente ſocco.

Hebræum (o) *batzadoth* ſonat *motum*, agitationem. Jam ſupra animadvertimus, regionis illius fœminas circa crura circulos geſtare, quibus inſerti ſunt annuli plures, qui inter gradiendum agitati, ſeque invicem fricantes, perſimilem tintinnabulis ſtrepitum edunt. Chaldæus (p): *Catenas pedum*.

Murenulas. Quæ murænæ nomine diſtinguuntur, catenulæ erant aureis ſimul & argenteis annulis intextæ, quorum flavi albique coloris varietas murænæ ſimilem colorem referebat. Hebræum (q) *hak-ſchurim* deſignat propriè vittam, vinculum. Apud Jeremiam, II, 32, redditur, *Faſcia pectoralis*; zona ſcilicet, qua olim fœminæ ſinum coërcebant. Id autem expreſſum credo in fabulâ Iſidis, in qua cernas Deam ornatam torque, ex quo ad utrumque humerum pendent geminæ vittæ, quæ infra mamillas decuſſatæ, retro poſt terga ducuntur, ut zonæ more pallam adſtringant. Vide ℣. 24.

Olfactoriola. Hebræus ad literam (r): *Domus animæ*; id quod alii explicant de arculis appellatis *ſedibus animæ*, vel reſpirationis, quòd ſcilicet odores & unguenta ſpiritus excitent; & ſi fortè ſpiritus vitales torpeſcant, revocent ad officium. Alii deſignatas hiſce malunt cordis effigies, quas pectori præfixas gerebant puellæ; perinde fermè ac apud nos cruces & alia ejus generis ornamenta ferunt. Cor jure meritoque *ſedes animæ* appellatur. In moribus poſitum erat apud Romanos, ut e collo ſuſpenſa amlueta quædam, adversùs faſcinationes præſentiſſima, gererentur. Pueri ingenui diſtinguebantur bullâ aureâ vel argenteâ, liberti vel ſervi coriaceâ. Mulieres in Oriente torquibus vel ſimili ornamento ſinum decorant. Fortè etiam hac voce deſignatur flabellum, cujuſmodi adhuc regionis illius mulieres utuntur: eſt autem quadratum quoddam veluti labarum, ex eleganti herbarum texturâ. Hujuſmodi flabella olim a Monachis texi conſueviſſe, tradit S. Hieronymus (s).

Inaures. Hebræa vox (t) deſignat propriè *incantationes*; & Interpretum plures exponunt de amuleto adversùs faſcinationes. Veteres olim ſuperſtitioſâ religione erga amuleta tenebantur, quorum varia erant genera, abſurda planè & vana, quamquam præſentiſſima cenſebantur ad averuncanda veneficia. De inauribus in eum uſum e ſummâ aure ſuſpenſis, hæc legas apud S. Auguſtinum (u). *Execranda ſuperſtitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in ſummis ex unâ parte auriculis ſuſpenſa.*

℣. 21. Annulos. Genuinam hanc eſſe vocis ſignificationem, ſatis convenit inter omnes. Inanis foret diſputatio de annulis, quos digitis inſertos gerebant apud Hebræos viri pariter, & fœminæ. Quis enim morem adeò tritum ignorat? Digitos fere omnes annulis onerant fœminæ apud Syros & Indos.

Gemmas in fronte pendentes. Judæis mulieribus non modò ornamenta aurium, ſed & narium & frontis, erant familiaria. Qui Regiones illas peragrarunt (x), teſtantur, mulieres apud Syros, præter inaures, e perforatis etiam naribus ferre ſuſpenſam margaritam vel achaten, mole & pretio inſignem. Sunt quæ duas & tres gerant, amygdalæ magnitudine. Cenſu tenuiores e perforatis naribus ſuſpendunt pariter gemmam, ſed minùs pretioſam, olivæ magnitudine, quæ ad os uſque demittitur. Addunt etiam torquea ex eo argillæ genere, quam *porcellanam* vocant, barbæ ſimilitudine hinc inde uſque ad ſinum porrectæ. Apud alias regiones fama eſt, mulieres geſtare annulos aureos vel argenteos in ſuperiori narium parte, ubi nos oculorum vitra gerimus, inſertas. Hæc ſatis de ornamentis narium.

De gemmis e fronte pendentibus hæc habet S. Hieronymus (y): *Uſque hodie inter cætera ornamenta mulierum ſolent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.* Teſtimonio illorum, qui ea loca peragrarunt, diſcimus, locupletiores Regionis illius fœminas capillos diſſeminare pluribus margaritarum nexibus, quarum loco tenuiores adhibent aureas quaſdam & argenteas bracteas, quibus caput ornant. Alligant etiam capillos vittis ſericeis, ſuſpenſas regentibus tres quatuorve aureas argenteaſque catenulas. Nos hic expreſſa (z) credimus narium ornamenta. Vide nos in Geneſim, XXIV, 22.

℣. 22. Mutatoria, veſtium multitudinem, quam fœminæ ad ſuperbiam potiùs & oſtentationem, quàm ad uſum habent: veſtes ſcilicet æſtivas & hyemales; veſtes luctûs & hilaritatis; familiares & ſolemnes; domeſticas & forenſes, &c. Hebræa vox (a) derivari poteſt ex *chalazim*, quod renes ſonat; deſignare autem poteſt pallas vel femoralia, a quibus regionum illarum mulieres nondum deſueverunt (b). Hujus generis femoralia plerumque colore nitent, ſeu purpureo ſeu hyacinthino, vel radiato, ornanturque variis floribus, ſeu coloribus; demiſſaque ad imos uſque pedes cum caligis junguntur, ut una eademque veſtis pro femoralibus, tibialibus, & caligis fit. Chaldæus explicat de tunicâ ſeu veſte interiori.

Palliola. Hebræa vox *hammataphoth* (c) ex radice oritur, quæ ſonat *tegere*. Creditur autem ſignificare fœminarum pallia, ſeu peplos, quibus

(m) *Vide Exod.* XXVIII, 28; *Ezech.* XXIV, 17; & XLIV, 18. (n) *Clem. Alex. Pædag. lib.* 2, *c.* 12: Πέδας δὲ περισφυρίους τὴν περὶ τοὺς πόδας ἀκοσμίαν τῶν γυναικῶν, Φιλήμων ἐν συνεφήβῳ προσεῖπεν. Ἱμάτια διαφαίνοντα, καὶ πέδην τινὰ χρυσῆν ... *Et Ariſtoph. in Theſmophoriaz.* Ὅρμους, πέδας, σφραγῖδας, &c. (o) הצעדות (p) *Chald.* שירי רגליא (q) *Heb.* הקשרים *Chald.* קולמוסיא (r) בתי הנפש *Chald.* קדשיא (s) *Hieronym. Præf. in Job: Pro flabello, calathis, ſportellisque, munuſculo monachorum, ſpiritualia hæc & manſura dona ſuſcipite.*
(t) *Heb.* והלחשים *Chald.* וחליטתא (u) *Aug. ep.* 245 *nov. edit.* (x) *Roger. lib.* 2, *c.* 2; *Gabriel Sionita, c.* 11. (y) *Hieron. in Ezech.* XVI. (z) ונזמי האף (a) המחלצות (b) Eugéne Roger, liv. 2; & Pietro della Valle, lib. 8, p. 276. (c) *Heb.* המעטפות *Chald.* שושיפיא

℣. 23. Et ſpecula, & ſindones, & vittas, & theriſtra.

COMMENTARIUS.

bus caput obnubunt, ubi in publicum prodeunt. Veſte utuntur, quæ ante pectus amplioribus globulis clauditur: tum peplo, quo caput, facies, omnesque veſtes, præter oculos, velantur: adduntque quoddam cribri genus ante oculos, ex atris equorum ſetis, quo cæteri illas intueri, non ipſæ cætera videre prohibentur.

Linteamina. *Hammitphacoth* (d) certè amplum illud velum ſignificat, quo fœminæ cæteras veſtes protegebant. Hoc velo, ex humeris depoſito, ſex hordei menſuras, ſibi a Booz traditas, Ruth excepit (e). Quamobrem *linteamina* eſſe putamus amplum illum peplum, de quo mox, cùm de *palliolis* ageremus.

Acus. Deſignantur hìc facilè vel acus, quarum erat uſus pingendis producendiſque ſuperciliis (f).

Ille ſupercilium madidâ fuligine tinctum
Obliquâ producit acu.

Vel acus capitis, quibus utebantur mulieres ceu fulcro capillorum & mitrarum (g), & altas illæ capitum turres ædificabant, ut phraſi Juvenalis utar (h):

Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

Septuaginta (i) explicant de veſtibus illis Lacænarum mulierum adeò brevibus, ut infra genua non deſcenderent, & ad femora patentibus. Harum veſtium non rarò meminere Veteres, quas ab immodeſtiâ vituperant. Sed nulla eſt affinitas inter vocem Hebræam (k) *Charith*, & Lacænas veſtes. Nonnulli occurrunt loci, in quibus alligatum vel clauſum dicitur argentum in *careth* (l); qua ex re ſuſpicati ſunt Interpretes nonnulli, hac voce deſignari crumenam: at ex iiſdem locis aliud eſſe videtur *Careth* a crumenis, quæ in uſu apud nos ſunt. Nemo enim alligatos dixerit in crumenâ omnes annulos & inaures, quas Iſraëlitæ ad Aaronem contulerunt, ut aureus vitulus conflaretur; nec ſatis aptè alligari dicuntur in geminâ crumenâ duo illa talenta, quæ Naaman Giezi largitus eſt. Quàm amplæ fuiſſent crumenæ illæ, ut tantam pecuniarum vim continerent? Melius igitur hæc vox accipitur de cinctu vel amplâ zonâ, denique de panno aliquo vel telâ adeo latâ, ut humi ſterni, ac deinde argento referta alligari poſſet.

℣. 23. Specula. Interpretum plerique cum Vulgatâ congruunt. Hebræus (m) ſonat *detegens*. Sed Hebræis alia eſt vox, qua ſpeculum ſignificent: quæ autem hìc legitur, nuſpiam alibi hoc ſenſu uſurpata occurrit. Legitur inferiùs (n) vox *Gilion* pro volumine; quare accipi hìc poteſt de ornamentis, vel faſciis quibuſdam, ad veterum voluminum ſimilitudinem. *Gilion* deſignare etiam poſſet nuditatem, quod eſt detectum. Arguuntur a Veteribus veſtes quædam ita tenues, ac pellucidæ, ut meritò a Varrone dicantur *vitrea toga*.

Porrò veſtes haſce excogitatas a mentibus male ſanis dicit S. Clemens Alexandrinus (o); eaſque veſtium nomine dignas eſſe negat, quæ nuditatem non operiant.

Sindones. Hebræum *Sedinim* deſignat tunicam interiorem. Adoleſcentibus, quos Samſon nuptiarum ſocios habebat (p), daturum ſe ſpopondit triginta ſindones & mutatorias veſtes. Mulier fortis apud Salomonem confectam manibus ſuis ſindonem vendit Phœnicibus (q). Matronæ apud Arabes duplici induſio utuntur, quorum inferius radiatum eſt intertexto inter goſſipium ſerico colorato: manicas habet ampliſſimas, quæ a ſummo cubito ad manum uſque ſenſim dilatantur. Fœminæ vulgares utuntur induſio e goſſipio ad terram uſque promiſſo, cærulei coloris, latiſque adeo manicis, ut illas retro poſt tergum vinciant, brachiis & lateribus ferè prorſus nudis. Hæc tradidit P. Eugenius Rogerius; ſed Petrus Della Valle (r) affirmat uti illas albo induſio tenuiſſimo & pellucido, quod multum ad imos pedes deſcendit: huic autem femoralia ſuperindui.

Vittas. Hebræa vox (s) ſignificare videtur vittam illam vel peplum, quo tota obnubitur mitra fœminarum apud Syros & Arabes, cùm in publicum prodeunt. Eſt autem niger peplus, quem vittâ coloratâ e ſerico adſtringunt. Vox *Hazeniphoth* derivatur ex *zanaph*, quod eſt obvolvere, volutare. Chaldæus explicat de *coronis* (t), faſciis capiti obvolutis. *Vittas, quibus crines ligantur*, ait S. Hieronymus in hunc locum.

Theriſtra, ornamenta æſtiva; id enim ſonat Græca vox *theriſtron*. Docet S. Hieronymus, deſignari hac voce palliola, quibus ſe obvolvunt fœminæ, in publicum æſtivo tempore prodeuntes. Vox *Hardidim*, quæ in Hebræo legitur (u), duci poteſt ex *radad*, extendere, quaſi diceres velum quoddam ſeu veſtem quæ latiùs explicatur. Idem verbum accipitur pro *dominari*; quo ſenſu putat Forerius deſignari poſſe flammeum, quo nuptæ tegebant caput in argumentum ſubjectionis, & quod per antiphraſim, *poteſtatem mulierum* S. Paulus appellat (x). Papæ! ingenioſam novamque conjecturam! Septuaginta (y): *Æſtivas veſtes clauſas*, vel demiſſas. Velamina os tegentia. Inconſtantia, quæ adeo ſæpè muliebrium veſtium nomina & noſtræ & ſuperioris ætatis mutavit, in eam nos facilè perſuaſionem induceit, negligendum eſſe horum nominum etymon, ac præſens errandi periculum imminere, ſi nulla præter hanc via ſuppetat, ut cognitionem muliebris cultûs aſſequamur. Communis tamen ea eſt in pleriſque his rebus conditio. Sed minimè utique refert noſſe propriam & accuratam ſingularum harunce vocum ſigni-

---

(d) הַמִּטְפָּחוֹת (e) *Ruth.* III, 15. (f) *Juvenal. Sat.* 5.
(g) *Martial. lib.* XIV, *Epig.* 24: *Tenuia ne madidos violent bombycina crines,*
Figat acus madidas, ſuſtineatque comas.
Iſidor. Ethymol. lib. 59, *c.* 31: *Acus ſunt, quibus in feminis ornandorum crinium compago retinetur, ne laxiùs fluant, & sparſos diſſipent capillos.* (h) *Juvenal. Sat.* 6, *v.* 502.
(i) Διαφανῆ λακωνικά. Veteres appellant Lacænas puellas Φαινομηρίδας. Hoc habitu Venerem deſcribit Virgilius, *Æneid.* 1: *Nuda genu, nodoque ſinus collecta fluentes. Vide Horat. lib.* 5, *Sat.* 2.
(k) וְהַחֲרִיטִים (l) *Exod.* XXXII, 4, 4 *Reg.* V, 23. (m) *Heb.* הַגִּלְיֹנִים *Chald.* מַחְזִיתָא
(n) *Iſai.* VIII, 1. קַח לְךָ גִּלָּיוֹן גָּדוֹל (o) *Clem. Alex. Pædag. lib.* 2, *c.* 10: Τὰ γὰρ περιττὰ ταῦτα, καὶ διαφανῆ ἔλεγχός ἐστι δειλίας οὐκ ἐρρωμένης, ὀλίγῳ παραπετάσματι τὴν αἰσχύνην τοῦ σώματος προσαγαγόμενα, οὐ γάρ ἐστι σκεπὴ ἡ ἀβρόδιαιτος ἐσθὴς, τὸ σχῆμα τῆς γυμνότητος κρύπτειν μὴ δυναμένη. Προσπίπτουσα γὰρ ἡ τοιαύτη ἐσθὴς τῷ σώματι, προσεισπίπτει αὐτῷ ὑγροτέρου, καὶ προσαναπλάττηται σαρκικῶς ἐμφῦσα τῷ σχήματι, καὶ τὸν τύπον ἐκματτεται τῆς γυναικός.
(p) *Judic.* XIV, 12. (q) *Prov.* XXXI, 24. (r) Lettera 8, p. 176. (s) הַצְּנִיפוֹת (t) הַקִּיטְרִיָּא
(u) הָרְדִידִים (x) 1 *Cor.* XI, 10: *Debet mulier poteſtatem habere ſuper caput, propter Angelos.*
(y) Θέριστρα καθάκλιστα, vel, κατάκλιτα.

℣. 24. Et erit pro ſuavi odore fœtor, & pro zonâ funiculus, & pro criſpanti crine calvitium, & pro faſciâ pectorali cilicium.
℣. 25. Pulcherrimi quoq; viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio.
℣. 26. Et mœrebunt, atque lugebunt portæ ejus, & deſolata in terrâ ſedebit.

COMMENTARIUS.

ſignificationem; nec Scriptura fusè adeò ſingula hæc proſecuta eſſe videtur, niſi ut duo planè graviſſima doceat: Primum, ſuperflua mulierum ornamenta pernicioſiſſima eſſe Reipublicæ; alterum, inviſa eſſe maximè Deo, & aptiſſima ad iram Numinis provocandam in caput illorum, qui ſtudiosè nimis inania iſta ſectantur.

℣. 24. ERIT PRO SUAVI ODORE FOETOR (z). Septuaginta (a): *Erit pro odore ſuavi pulvis*, ſanies. Judæos noſci ubique ex teterrimo illo, quem e corporibus exhalant, odore, conſtat inter omnes. Quæ in illos maledictio vi oraculi huius inducta videtur. Narrat Ammianus Marcellinus (b) de Marco Aurelio Imperatore: *Cùm Paleſtinam tranſiret, fœtentium Judæorum & tumultuantium ſæpè tædio percitus*. Martialis in ſuo illo epigrammate in Baſſam mordaciſſimo, ait, malle ſe ut teterrimum quidlibet, & quod olent Judæi, Baſſa oleret, quàm quod olebat (c).

Quod jejunia Sabbatbariorum,
Mæſtorum quod anhelitus reorum
. . . .
Mallem, quàm quod oles, olere, Baſſa.

Ut fœtorem hunc corrigerent Judæi, baptiſmate ſe interdum abluebant (d):

Abluitur Judæus odor baptiſmate divo.

De causâ hujus fœtoris operosè diſputatum eſt. Quidam, uti animadvertimus, Cœlitus immiſſum ſuſpicantur, ut perpetuo hoc ſtigmate inureretur gens parricidio Filii Dei infamis. Aliis verò referre id placet ad crebra Hebræorum jejunia; huc revocantibus proverbium (e): *Jejunium olet*. Sunt qui ducant ex naturâ ciborum, veſtium, & domorum, quibus illi utuntur, & ſanguinis. Credibile eſt, his ſimul omnibus fœtorem creari: miraculum enim ut agnoſcamus, nulla nos ratio ſuadet: neque Isaiæ ætate, Dei maledictum ob parricidium Jeſu Chriſti adhuc incuſſum erat.

Agareni ſeu Saraceni, vel inani quadam opinione, vel aliâ qualibet ex causâ, natos ſibi pueros olim deferebant ad Catholicos Sacerdotes, baptiſmate abluendos, rati, futurum ut poſſiderentur a Dæmone, & peſſimè inſtar canum olerent, niſi baptiſmate Chriſtianorum abluerentur (f). Miſſi ad Eugenium III Pontificem Armeni quidam Epiſcopi narrabant, finitimas regioni ſuæ gentes quasdam ventitare ad ſe conſueviſſe, ut delatos infantes baptiſmate initiarent, quòd arbitrarentur hac arte nativum illorum fœtorem ſeſe diſſipaturas (g). Non ſolos igitur Judæos malo huic incommodo obnoxios eſſe norant: lues erat aliis pariter gentibus communis. Nec eæ profectò gentes ſive jejunia frequentabant, ſive Dei maledicto perculſæ fuerant; ſed fœtorem, perinde ac Judæi, e malâ ſanguinis vel ciborum naturâ contraxerant. Hinc, meâ quidem ſententiâ, fœtor iſte, quo puniendas eſſe Judæas mulieres Propheta minitatur, nihil eſt præter carceres, vel ſordida & incommoda tuguria, in quibus captivæ detinendæ erant: vel ingratus ille odor, qui luctu, labore, ſudore creatur. Orientales fœminæ odoribus, ſi quæ aliæ, delectantur, quibus proinde, iiſdemque acrioribus, totæ perfunduntur.

PRO ZONA, FUNICULUS. Pro ſuperbiâ cingulorum, quibus veſtium luxuries aptiſſimè coërcetur, miseræ illæ funibus medio corpore alligatæ in captivitatem rapientur. Hebræus (h): *Loco cinguli, confractio*, laceræ & ſordidæ veſtes.

PRO CRISPANTI CRINE, CALVITIUM. Sive morbo ſponte fluent crines, ſive doloris vi agitatæ, capillos ipſæ ſuos evulſuræ ſunt, ſive comam raſuræ, ex veteri luctûs ritu. Narrat Suetonius (i), in obitu Germanici *Regulos quoſdam barbam poſuiſſe, & uxorum capita raſiſſe, ad indicium maximi luctûs*. Septuaginta (k): *Pro ornatu capitis aureo, calvitium habebis*. Chaldæus: Pro crinibus, tondeberis & calva fies.

PRO FASCIA PECTORALI, CILICIUM. Jam alibi nonnulla diximus de faſciis hiſce ab utroque demiſſis humero, & ſe invicem, ſtolæ inſtar, ante pectus decuſſantibus: quas Anacreon appellat (l) *vittas mamillarum*; & Ovidius in deſcriptione ſimulacri cujusdam muliebris (m): *Redimicula pectore pendent*. Vide nos in Exodum, XXV, ubi de Ephod. Hebræus ad literam (n): *Pro petigil cinguli, ſaccus*. Quid rei ſit *petigil*, pro cingulo uſitatum, ignoratur: at cùm opponatur ſacco vel cilicio, idcirco non male ſuſpicamur, genus eſſe ditioris zonæ, tunc inducendæ, cùm res eſſent lætæ & felices; quemadmodum in triſtibus & luctuoſis ſaccus & cilicium adhibebantur. Septuaginta (o) accipiunt de veſte quâdam, faſciis diſtinctâ purpureis; & apud Aquilam eſt *Zona ex ſerica*. Chaldæus: Cùm ſuperbè inceſſeris, ſacco induêris.

℣. 25. PULCHERRIMI QUOQUE VIRI TUI GLADIO CADENT. Hebræus ad literam (p): *Vice pulcritudinis, viri tui gladio cadent*. Nedum formæ venuſtatem non colent homines iſti effœminati, verùm etiam miſera hoſtium & gladii victimæ fient. Vel ex Maſſoretarum punctis vocalibus: *Vice pulcritudinis, urêrie*, ſeu *aduſtio*. Hæc oris venuſtas, qua uſque adeo gloriaris, ſolaribus diſſipata radiis evaneſcet, & os referes atrum, aduſtum, aridum, ſiccum (q). Septuaginta (r): *Filius tuus pulcherrimus, quem amâs, gladio cadet*. Chaldæus: Pro eo quòd venuſtatis causâ flagitioſæ ſunt, viri illarum pulcherrimi gladio cadent.

℣. 26. LUGEBUNT PORTÆ EJUS. Septuaginta (s): *Lugebunt thecæ ornamenti earum*. Arcæ illarum & capſulæ negligentur, deſpicientur, deſerentur.

DESOLATA IN TERRA SEDEBIT. Hoc humili corporis ſtatu exhibentur Provinciæ ſuperatæ. In nummis Veſpaſiani, poſt Judaicum bellum cuſis, exhibetur Judæa ſub effigie mulieris ſedentis, ſuumque excidium ſub palmâ lugentis, additâ epigraphe: *Judæa capta*. Occupatam a Nabuchodonoſore Jeroſolymam ſedentem lugentemque pingit Jeremias (t): *Quomodo ſedet ſola, civitas plena populo! facta eſt quaſi vidua domina gentium.*

CA-

(z) תחת בשם מק (a) Καὶ ἔςαι ἀντὶ ὀσμῆς ἡδείας κονιορτός. (b) *Ammian. lib. 2.* (c) *Mart. lib. 4, Epig. 4.* (d) *Fortunat. lib. 5 Carm.* (e) Νηςείας ὄζει. (f) *Vide Balsam. in Nomocan. Photii, tit. 13.* (g) *Otho Friſing. lib. 7.* (h) תחת חגורה נקפה (i) *Sueton. in Cajo, c. 5.* (k) Ἀντὶ τοῦ κόσμου τῆς κεφαλῆς τοῦ χρυσίου, φαλάκρωμα ἕξεις. (l) Καὶ ταινίη δὲ μαςῶν, *&c.* (m) *Ovid. Metam. x.* (n) תחת פתיגיל מחגרת שק (o) Ἀντὶ τοῦ χιτῶνος τοῦ μεσοπορφύρου, περιζώσῃ σάκκον. (p) כי תחת יופי מתיך כחרב יפלו (q) *Thren. v, 10: Pellis noſtra ſicut clibanus exuſta eſt. Iſai. XIII, 8: Facies combuſta vultus eorum.* (r) Ὁ υἱός σου ὁ κάλλιςος ὃν ἀγαπᾷς, μαχαίρᾳ πεσεῖται. (s) Πενθήσουσιν αἱ θῆκαι τοῦ κόσμου ὑμῶν. (t) *Jerem. Thren. I, 1.*

CAPUT IV.

Virorum in Juda raritas. Quæ post exitium Jerosolymæ consequetur, felicitas. Jerusalem sordibus abluta; nube lucidâ per noctem, densâ verò & spissâ per diem protecta.

℣. 1. ET apprehendent septem mulieres virum unum in die illâ, dicentes: Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo invocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum.

℣. 2. In die illâ, erit germen Domini in magnificentiâ, & gloriâ, & fructus terræ sublimis, & exultatio his, qui salvati fuerint de Israël.

℣. 3. Et erit: Omnis, qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Jerusalem, sanctus vocabitur omnis, qui scriptus est in vitâ in Jerusalem.

COMMENTARIUS.

℣. 1. APPREHENDENT SEPTEM MULIERES VIRUM UNUM. Prosequitur mala, de quibus capite superiori: & hîc pariter adversùs fœminas agitur. Ait autem Propheta sub finem Capitis præcedentis, viros quoslibet formosissimos gladio deletum iri, & bellicosissimos in prælio casuros: nunc vaticinando pergit: Virorum numerus minuetur adeò, ut fœminis maritum quærentibus maritus desit; & cùm antea quærere, & emere sibi uxores maritorum esset, nec uxores ducere, nisi graves hasce conditiones pactis, liceret, ut nunquam alienigenas adsciscerent *(a)*, & quas sibi oppignorassent uxores, cibo ac veste instruerent, & apud se detinerent; nunc, ait Isaias, futurum prædico, ut *septem mulieres*, idest plures simul fœminæ, veniant unicum virum rogaturæ, ut omnes simul ducere in uxores velit; vel potiùs certatim se offerent rogentque unaquæque, ut sese ducat, ac cæteris præferat. Nihil a te postulamus, rogabunt illæ: nobis ipsæ cibo vestibusque consulemus: id tantummodo petimus, ut nos ex te nomen uxoris & liberos accipiamus: *Invocetur nomen tuum super nos; aufer opprobrium nostrum*. Cælibatus & sterilitas probro erant Israëlitis, quibus Deus fœcunditatem ceu benedictionem pollicetur *(b)*: *Non erit apud te sterilis utriusque sexûs, tam in hominibus, quàm in gregibus tuis*. Vaticinia hujus generis non semper ad verbum implenda esse constat; satis enim ad illorum fidem est, si res eò devenerint, ut ea quæ prædicta sunt, contingere facilè potuerint. *Invocetur nomen tuum super nos*, perinde sonat, ac, uxores tuæ simus, in patrocinium & clientelam tuam adsciscamur.

℣. 2. IN DIE ILLA ERIT GERMEN DOMINI IN MAGNIFICENTIA. Postquam ea mala descripsit, quibus Judas premendus erat, gradum facit Isaias ad describendam serenitatem, quæ post nubila succedet. Etsi autem ad verbum agere videtur de felici rerum statu post captivitatem *(c)*, mentis tamen obtutum altiùs defigens, glorioso verborum apparatu regnum Jesu Christi in Ecclesiâ producit. *Germen* istud pullulans *in magnificentiâ*, ipse est Jesus Christus, sub imsgine Zorobabelis expressus, qui pariter & in Jeremiâ *(d)* & Zachariâ *(e)* designatur sub nomine *Orientis*; eadem autem Hebræa vox *orientem* & *germen* significat. Zorobsbel ad verbum germen erat, spes, surculus stirpis Davidicæ post csptivitatem: sed longè admodum distabat a nobilissimis iis dotibus Germinis hujus sublimis, nec totam illam, quam Propheta subjecit mentibus, expectationem de magnificentiâ Germinis ejusdem implevit.

FRUCTUS TERRÆ SUBLIMIS. Quò dejectior fuit Jesus Christus, eò sublimior dejecti hujus gloria oune est. Deus *donavit illi nomen, quod est super omne nomen (f)*. Ad summum gloriæ & honoris culmen evectus, inter omnia Dei opera excellit *(g)*: ad dexteram Altissimi sedet, & sæculorum Rex ac Judex viventium & mortuorum constitutus est *(h)*. Hunc meritò dicas germen fœcundum, quod in sublime crescens tollitur, ut eximiam sui speciem omnibus exhibeat, & fructus ferat uberrimos. Totum hunc versiculum ita reddunt Septuaginta *(i)*: *In die illâ effulgebit Deus in consilio cum gloriâ super terram, ut sublime faciat & gloriosum quod reliquum est ex Israële*. Hebræus ad verbum *(k)*: *In die illâ erit germen Domini in decorem & gloriam* (pulcrum & gloriosum); *& fructus terræ in sublimitatem & decus iis qui ex Israële evaserint*. Germen & fructus terræ unum eumdemque indicant virum, argumentum gloriæ, dignitatis, amoris & felicitatis populi, e captivitate restituti; tum & illorum omnium, qui gentis suæ calamitatibus superfuerint.

℣. 3. OMNIS QUI RELICTUS FUERIT IN SION . . . . . SANCTUS VOCABITUR; omnes nempe qui Sione perseveraverint; vel potiùs e tot calamitatibus residui, quique e captivitate Babylonicâ Sionem reversi fuerint, sancti erunt & fideles Domino. Gentem hanc deinceps non perduellem, non pervicacem, non superstitiosam dices; sed novis instituta moribus, fide, docilitate, & obedien-

(a) *Genes.* XXXI, 50. (b) *Deut.* VII, 14. (c) *Ita Judæi apud Hieron. hic; Prado in Ezech.* III; *Sanct. hic.*
(d) *Jerem.* XXIII, 5: *Suscitabo David germen justum.* Et XXXIII, 15: *Faciam David germen justitiæ.*
(e) *Zach.* III, 8; *&* VI, 12: *Ecce vir oriens nomen ejus.* צמח שמו (f) *Philipp.* II, 9.
(g) *Heb.* II, 7; *Psalm.* VIII, 7. (h) *Act.* X, 42. (i) Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἐπιλάμψει ὁ Θεὸς ἐν βουλῇ μετὰ δόξης ἐπὶ τῆς γῆς, τοῦ ὑψῶσαι, καὶ δοξάσαι τὸ καταλειφθὲν τοῦ Ἰσραήλ.
(k) ביום ההוא יהיה צמח יהוה לצבי ולכבוד ופרי הארץ לגאון ולתפארת לפליטת ישראל

℣. 4. Si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem Je-
rusalem laverit de medio ejus, in spiritu judicii, & spiritu ardoris.
℣. 5. Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, &
ubi invocatus est, nubem per diem, & fumum, & splendorem
ignis flammantis in nocte: super omnem enim gloriam protectio.
℣. 6. Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æstu, & in se-
curitatem, & absconsionem a turbine, & a pluviâ.

COMMENTARIUS.

dientiâ vitia illa reparabit, quibus olim ante captivitatem Babylonicam sese addixerat. Hic sensus historicus: at longè aliud reputandum est de Judæis, qui ad sacra Christianorum transieruot, & de Ethnicis, qui resipiscentibus Judæis sese adjunxerunt. Hos omnes nomine *Sanctorum* & Fidelium donare solet Apostolus (l).

OMNIS QUI SCRIPTUS EST IN VITA, IN JERUSALEM. Qui tot malis superfueriot, vitamque eò usque perduxerint. Ex illis qui datâ a Cyro facultate usi redieruot, quidam prioris Templi & pristinum Jerosolymæ splendorem (m) spectaverant. Hi omnes, ait Propbeta, sancti appellabontur. *Scriptum esse in vitâ*, seu *in libro viventium*, nihil aliud hîc sonat, quàm frui vitâ, esse superstitem (n). Exhibetur hîc Deus ceu Princeps, subjectos sibi populos babens in numerato, quorum nomina, uti quisque e vitâ decessit, e censu delet, ut io eo censu nonnisi superstites describantur ae legantur. Sed phrasis Propheticæ vis eò tendit, ut eos innuat, qui a Deo ad fidem destinantur, in Libro vitæ & prædestinationis describnotur, atque adeò ad veram Religionem vocantur; quibus demum gratiam & justificationem, nec non supremam gloriæ coronam largitur (o).

℣. 4. SI ABLUERIT DOMINUS SORDES FILIARUM SION. Hæc tunc implebuntur, cùm Deus populum suum purgaverit fœce hominum perduellium & neqaam, quos auferet gladio Chaldæorum, diuturnæ captivitatis incommodis & severâ justitiæ in illos animadversione; denique igne, quem in medio populi excitabit: *In spiritu judicii, & spiritu ardoris.* Populum gladio, Urbes incendio tradet, illos quidem puniturus, bas verò purgaturus. De baptismo aquæ & ignis vel Sancti Spiritûs, dicta hæc Patres accipiunt (p).

℣. 5. CREABIT DOMINUS SUPER OMNEM LOCUM MONTIS SION NUBEM PER DIEM, ET FUMUM ET SPLENDOREM IGNIS FLAMMANTIS IN NOCTE, ut olim in deserto, cùm nubes lucida per noctem, opaca per diem & Tabernaculum protegeret, & populi Israëlitici viam dirigeret (q). Accipienda sunt hæc allegoricè de patrocinio Dei in populum suum; neque obscurè favorem Sancti Spiritûs in Ecclesiam Christianam designant (r).

SUPER OMNEM GLORIAM PROTECTIO; locum enim gloriæ suæ, Templum, undique proteget. Vel potiùs: *Protectio*, quam tibi pollicetur, *longè superabit gloriam* (s), quæ super Tabernaculum in deserto eminenit: te non brevi & ad certum tempus patrocinio tuebitur, sed perpetuò aderit. Nubes illa vetus nimios arcebat calores, arcebat & tenebras; sed bæc retundet urentes solis radios, tempestates, nimbos, & pluvias. ℣. 6: *Et Tabernaculum erit umbraculum diei ab æstu, & in securitatem, & absconsionem a turbine & a pluviâ.* Hebræus (t): *Et protectio* hujus nubis *in umbram dierum erit a siccitate*, adversùs solis æstum; *in præsidium & in latibulum a turbine & a pluviâ.*

CAPUT V.

Judas ceu mala vinea labruscas parit: quamobrem a Deo deseritur. Crimina optimatum & vulgi arguit. Populi captivitas, ærumna, & hostes ab extremis terræ plagis in illos immissi.

℣. 1. CAntabo dilecto meo canticum patruelis mei vineæ suæ.
Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei.

COMMENTARIUS.

℣. 1. CANTABO DILECTO MEO CANTICUM PATRUELIS VINEÆ SUÆ: carmine scilicet, quod patruelis meus exaravit, celebrabo vineam dilecti mei; vel potiùs cantabo carmen, quod patruelis meus de vineâ suâ scripsit. Solemne erat Hebræis, carmina habere varii argumenti læta, triumphalia, nuptialia, solemnia; tum tristia & lugubria. Lugebant aptis ad rei casum lamentationibus & carminibus tristes eventus magnorum hominum, Urbium, gentium. Josiæ obitum (a), & exitium Urbis Jerosolymæ Jeremias scriptis lamentatiooibus prosecutus est; prosecutus & Ezechiel ruinam Regis Tyri (b) & Ægypti (c). Ita Isaias, postquam superioribus capitibus scelera Ju-

(l) *Rom.* I, 7; XV, 25, 26; XVI, 2, 15; & 2 *Cor.* I, 2; & VI, 1; XIV, 33; XVI, 1; & *passim.*
(m) 1 *Esdr.* III, 12, 13. (n) *Ezech.* XIII, 9: *In consilio populi mei non erunt, & in scripturâ domûs Israël non scribeatur. Vide & Sanct. hîc.* (o) *Rom.* VIII, 30: *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit. Quos autem justificavit, illos & glorificavit.* (p) *Vide Euseb. hîc, & Hieronym.* (q) *Exod.* XIV, 20. (r) *Ita PP. Hieronym. Basil. Cyrill. Theodoret. alii.* (s) כי על כל כבד חפה Nubes quæ in deserto apparebat, passim nuncupatur, *Gloria Domini.* Vide *Exod.* XVI, 7, 10; XXIV, 16, 17; *Levit.* IX, 6, 23; *Num.* XIV, 10, & *passim.* (t) וסכה תהיה לצל יומם מחרב למחסה ולמסתור מזרם וכמטר 70: *Καὶ ἔσαι εἰς σκιὰν ἀπὸ καύματος, καὶ ἐν σκέπῃ, καὶ ἐν ἀποκρύφῳ ἀπὸ σκληρότητος καὶ ὑετοῦ.*
(a) 2 *Par.* XXXV, 25. (b) *Ezech.* XXVIII, 12. (c) *Ezech.* XXXII, 1, 2, & *sequ.*

℣. 2. **Et sepivit eam, & lapides elegit ex illâ, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in eâ: & expectavit ut faceret uvas, & fecit labruscas.**

COMMENTARIUS.

Juda, & Divinam in illos animadversionem exhibuit, addit hîc Carmen, velut epilogo quodam omnia hoc usque dicta complectens, quo faciliùs ea populus memoriâ retineret. Poëtico more comminiscitur, Carminis hujus Authorem virum esse sibi vel amicitiâ vel necessitudine familiarem; cùm tota narrationis series satis demonstret, vineæ dominum ipsum esse qui exercituum Dominus est; vineam autem designare domum Israëlis & Juda. ℣. 7: *Vinea autem Domini exercituum, domus Israël est*. Hebræus (d) totius versiculi ita reddi potest: *Cantabo nunc dilecto meo canticum dilecti mei de vineâ suâ: vinea fuit dilecto meo*, &c. Hebræa vox *dod* usurpatur interdum pro propinquo, patruo: sed hîc synonimum esse *jedid*, dilecti, ex proximè consequentibus verbis intelligimus. Septuaginta (e): *Canam dilecto carmen dilecti mei vineæ meæ*, seu *de vineâ meâ*: *Vinea facta est dilecto meo*, &c. Deducta e vineâ similitudo, cùm de populo Israëlis agitur, Prophetis familiaris est.

Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei; vinea erat dilecto meo sita in loco sublimi, pingui, fertili. Ad literam (f): *In cornu*, in angulo, *filio olei*, pinguedinis. Symmachus: *In cornu, in medio olivarum*. Optimæ vineæ apud Palæstinos, satæ in montibus oleæ & ficuum feracibus sunt (g). Reddi potest: *In edito loco, qui oleum fert*, olivis consito.

℣. 2. Sepivit eam, et lapides elegit ex ea. Muro ab injuriis furum & belluarum protexit. Sepes, seu murus quo illam cinxit, ipsa est Lex Israëlitis data, & patrocinium illud perpetuum, quo Deus populum tutatus est. E vineâ lapides, ut in optimis quibusque vineis fieri solet, removit. Qui de re rusticâ scripserunt, jubent amoveri lapides; nam (h) *Lapides qui supersunt, hieme rigent, æstate fervescunt; ideirco satis, arbustis, & vitibus nocent*. Sunt qui vertant Hebræum (i): *Sepivit & lapidavit*, seu *lapidibus sepivit*. Septuaginta (k): *Maceriâ circumdedit, & fossâ munivit*. Versiculus quintus, qui huic opponitur, legit: *Ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus, & erit in direptionem; diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem*. Porrò vocibus *maceria* & *sepis* unum idemque significat, patrocinium scilicet suum, opem, & Angelorum præsidium. *Isai.* xxvi, 1; *Zach.* ii, 5; & ix, 8.

Plantavit eam electam. Hebræus (l): *Plantavit eam sorek*. Docent Hebræi, *sorek vitis genus esse optima, quod uberes faciat fructus, atque perpetuos* (m). Authore Plinio (n), *Vites quidem & trifera sunt, quas ob id insanas vocant, quoniam in iis alia maturescunt, alia turgescunt, alia florent*. Quædam aliquibus in locis sunt biferæ (o). Aliis verò *sorek* vineæ cujusdam peculiare nomen est. Meminit Isaias (p) *sorek*, quæ planta erat urbis Jazer in Moabitide: ac notissima est vallis sorek, quam incolebat Dalila, mulier illa in historiâ Samsonis celeberrima (q). Illud constat, vinum sorek eximium fuisse (r): at eâ voce vini naturam, sive regionem exprimi, potiùs quàm plantæ sive coloris nomen, affirmare non ausim. Vinum erat flavum, turbidum, ut reliqua regionis illius vina alba, & apud nos vina Hispanica. *Sorek* opponitur τῷ *Chamar*, quod est vinum rubrum, vel nigrum, turbidum, densum, uti vina illius regionis sunt. Porrò *sorek* coloris nomen esse, docet non obscurè Scriptura, addens illud lino crudo (s), & equis colore gilvis (t). Literali & historico sensu, palmites isti peregrini & eximii, quibus vineam suam instruxit Deus, ipsi sunt Patriarchæ populi Israëlitici, Abraham, Isaac, Jacob, Judas, Levi, Moyses, Aaron, cum reliquis.

Ædificavit turrim in medio ejus. Turres istæ in medio vinearum usui erant plurimo; nam & vinitoribus erant pro domo, & instrumentis colonicis pro custodiâ; & cùm matura esset uva, in his veluti speculis locati vigiles vineam adversus injurias furum & belluarum tuebantur: ibi torcular, & specus vel cisternas subterraneas habebant, ad condenda vina, antequam in lagenas transferrentur. Ædificiorum hujusmodi intra vineas, sub eodem turrium nomine, Evangelium pariter meminit (u). Interpretes & Patres (x) dicta hæc accipiunt de Templo Domini in mediâ Judæâ condito; & nomine torcularis Altare holocaustorum expressum agnoscunt.

Torcular extruxit in ea. Hebræus (y): *Fodit torcular*, seu potiùs lacum, ubi vinum contineatur. Porrò vinum excipi consuevisse priùs in receptacula quædam subterranea, calce, vel cæmento probè oblita, alibi demonstrabimus. Horum vini lacuum situs qualis esset, planè docet verbum *fodere* (z); & phrases istæ *exuberare* (a), *haurire* (b), *rumpere se* (c), quæ cum eâ voce junguntur, prohibent ne de torcularibus, qualia nos videre consuevimus, interpretemur.

Expectavit ut faceret uvas, et fecit labruscas. *Labrusca* propriè uvæ genus est, immaturum semper & acre (d), uni tantùm aceto conficiendo aptum. Sed Hebrææ vocis *beusebim* (e) ety-

(d) אשירה נא לידידי שירת דודי לכרמו כרם היה לידידי בקרן בן שמן

(e) Ἄσω δὲ τῷ ἠγαπημένῳ ᾆσμα τοῦ ἀγαπητοῦ μου τῷ ἀμπελῶνί μου. Ἀμπελὼν ἐγενήθη τῷ ἠγαπημένῳ, &c. Ita Edit. Rom. & Theod. sed Sym. Εἰς τὸν ἀμπελῶνά μου. Edit. Complut. Τῷ ἀμπελῶνι αὐτοῦ. (f) בקרן בן שמן Sym: Ἐν τῷ κέρατι ἐν τόπῳ πίονι. (g) Doubdan, c. 21.
(h) Pallad. lib. 1 de re Rust. tit. 6; & Columel. lib. 11, c. 3: *Saxa summâ parte terræ & vites & arbores lædunt: imâ parte refrigerant*. (i) ויעזקהו ויסקלהו (k) Φραγμὸν περιέθηκα καὶ ἐχαράκωσα. (l) ויטעהו שרק (m) *Hebræi apud Hieron. hîc*. (n) *Plin. lib.* xvi, c. 27. (o) *Idem loc. cit. & lib.* xviii, c. 22. (p) *Isai.* xvi, 8. (q) *Judic.* xvi, 4. (r) *Vide Genes.* xlix, 11: *Jerem.* ii, 21.
(s) *Isai.* xix, 9. עבדי פשתים שריקות (t) *Zach.* i, 8. סוסים שרוקים ולבנים
(u) *Matt.* xxi, 33; *Marc.* xii, 1. (x) *Origen. Euseb. Hieronym. Beda, Euthym. alii passim*.
(y) וגם יקב חצב (z) *Vide Matt.* xxi, 33: *Fodit in eâ torcular*. (a) *Joël.* iii, 13: *Exuberant torcularia*.
(b) *Agg.* ii, 17: *Cùm intraretis ad torcular, ut exprimeretis, (Heb. Ut hauriretis) quinquaginta lagenas*, לחשף (c) *Prov.* iii, 10: *Vino torcularia redundabunt*. Heb. *rumpent se*, פרצו
(d) *Plin. l.* xxiii, c. 1: *Labrusca œnanthen fert, sic dictam, quæ a Græcis ampelos agria dicitur*. *Virgil. Eclog.* v.... *Aspice ut antrum*
Sylvestris raris sparsit labrusca racemis.
(e) ויקו לעשות ענבים ויעש באשים

℣. 3. Nunc ergo habitatores Jerusalem, & viri Juda, judicate inter me, & vineam meam.

℣. 4. Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quòd expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?

℣. 5. Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ: auferam sepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem.

℣. 6. Et ponam eam desertam: non putabitur, & non fodietur: & ascendent vepres, & spinæ: & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.

℣. 7. Vinea enim Domini exercituum, domus Israël est: & vir Juda germen ejus delectabile: & expectavi, ut faceret judicium, & ecce iniquitas: & justitiam, & ecce clamor.

℣. 8. Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?

℣. 9. In auribus meis sunt hæc, dicit Dominus exercituum: Nisi domus multæ desertæ fuerint, grandes, & pulchræ, absque habitatore.

COMMENTARIUS.

etymon sonat fructus odore & sapore ingratos. Septuaginta (f), & Theodotion: *Et expectavi ut faceret uvam, & fecit spinas*. Aquila (g): *Fractas pessimos*, seu vinum olens, in quo relicti de industriâ flores & herbæ odoratæ, gratum potatoribus nonnullis saporem vino dabant. Symmachus: *Fructus imperfectos*, ἀτελῆ, acerbos, uvas, quibus dentes obstupescunt, cuilibet rei ineptas. Id spectasse videtur Propheta, quod Moyses, cùm diceret (h): *De vineâ Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrha. Uva eorum uva fellis, & botri amarissimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.*

℣. 3. JUDICATE INTER ME ET VINEAM MEAM; inter me & vos. Sæpè Deus in Scripturis (i) populum suum vocat, testem eorum quæ ipse erga illos gerit: ita se quodammodo demittit, ut ex æquo cum illis agere videatur: Utri nostrûm melior causa sit, videamus. Vide superiùs, I, 17; XLI, I.

℣. 4. AN QUOD EXPECTAVI UT FACERET UVAS? Hebræus: *Quid ultra faciendum erat vineæ meæ quod non fecerim? Cur igitur me sperante uvas reddituram, labruscas protulit?*

℣. 5. AUFERAM SEPEM. Ab eâ recedam, patrocinio illam meo ita privabo, ut auxilium, quod despexit, denegem. Regionem illorum, urbem, Templum Chaldæis dabo. Vide ℣. 2. Graphicè hæc pingunt miserum illum rerum Synagogæ statum post mortem Jesu Christi, & Ecclesiæ institutionem.

℣. 6. ET PONAM EAM DESERTAM; NON PUTABITUR. Desertam Palæstinam ita redigam in solitudinem, ut incolis & culturâ vacet toto Captivitatis Babylonicæ tempore. Tunc certè amplissimum illi spatium relictum est, ut Sabbatha sua ageret, utì narrat Scriptura (k): *Tunc placebunt terræ Sabbatha sua, cunctis diebus solitudinis suæ.* Hic est hodie rerum Judaicarum status.

℣. 7. VINEA DOMINI, DOMUS ISRAEL EST. Hæc comparatio Scripturæ familiarissima est (l).

EXPECTAVI UT FACERET JUDICIUM, ET ECCE INIQUITAS: ET JUSTITIAM, ET ECCE CLAMOR. In Hebræo paronomasia est, quæ in Versiones transferri non potuit (m): *Expectavi judicium* (Misphat), *& ecce vulnus* (misphach); *justitiam* (Zedakah), *& ecce clamor* (Zaakab). En crimina, en scelera & atrocia facinora, omnia in te vindictam postulant, ut olim ex humo sanguis Abelis fusus (n), utì Sodomitarum flagitia clamabant (o); ut denique rugitus leonis, qui vel in ipsum Deum voces extulit (p): *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylvâ: dedit contra me vocem.*

℣. 8. VÆ QUI AGRUM AGRO COPULATIS USQUE AD TERMINUM LOCI (q); eò usque, ut acquiri nihil ulteriùs queat: donec omnia possideatis. Septuaginta (r): *Væ qui copulatis hæreditatem hæreditati, ut a proximo auferatis aliquid.* Væ cupiditati mortalium insatiabili, quæ nunquam expletur, nec satis sibi rem esse commodam arbitratur, dum in angustum cæteros non redegerit, & quæ sibi necessaria semper deesse queritur, nisi superfluis abundet.

℣. 9. IN AURIBUS MEIS SUNT HÆC, DICIT DOMINUS: NISI DOMUS MULTÆ DESERTÆ FUERINT. Facinorum vestrorum clamor ad aures usque meas pervênit; seu potiùs, oppressorum a vobis hominum voces ad me pervenere. Fidem meam obligo

(f) Καὶ ἔμεινα τοῦ ποιῆσαι σταφυλὴν, καὶ ἐποίησεν ἀκάνθας. (g) *Aqu.* Σαπρίας. *Hieron. Fructus pessimos.* *Athen. lib.* 5, c. 23, ex *Hermippo*. Ἔστι δέ τις οἶνος ὃν δὴ σαπρίαν καλοῦσι.
Οὗ καὶ ἀπὸ στόματος στάμνων ἀνοιγομένων
Ὄζει ἴων, ὄζει δὲ ῥόδων, ὄζει δ' ὑακίνθου, &c.

(h) *Deut.* XXXII, 32. (i) *Jerem.* II, 9, 29; *Ezech.* XX, 35; *Isai.* I, 18; *Osee*, II, 2.

(k) *Levit.* XXVI, 34. (l) *Psal.* LXXIX, 9; *Isai.* III, 13; *Jerem.* II, 21; XII, 10; *Ezech.* XVII, 6; XIX, 10; *Joël.* I, 7; *Matt.* XX, 1; & XXI, 28. &c. (m) יקו למשפט והנה משפח: לצדקה והנה צעקה (n) *Genes.* IV, 10: *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ.* (o) *Genes.* XVIII, 20: *Clamor Sodomorum . . . multiplicatus est.* (p) *Jerem.* XII, 8. (q) *Heb.* עד אפס מקום *Usque ad defectum loci.* (r) Καὶ ἀγρὸν πρὸς ἀγρὸν ἐγγίζοντες, ἵνα τοῦ πλησίον ἀφέλωνταί τι.

℣. 10. Decem enim jugera vinearum facient lagunculam unam, & triginta modii sementis facient modios tres.

℣. 11. Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.

℣. 12. Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis.

℣. 13. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles ejus interierunt fame, & multitudo ejus siti exaruit.

COMMENTARIUS.

go futurum, ut multitudo hæc domorum deserta relinquatur. Aliter ex Hebræo (s): Juro coram Domino, ad literam, *in auribus Domini*, futurum, ut ingens hic domorum, quas ædificastis vel occupastis, numerus *deseratur* & desoletur. Septuaginta (t): *Audita sunt hac in auribus Domini: Cùm fuerint domus multa, in desertum erunt.* Nihil vobis proderit tam multas domos emere: nam e vestrâ regione pulsi, illas omnes deserere cogemini.

℣. 10. Decem jugera vinearum. Hebræus (u): Decem juga vel *decem paria vinearum*. Tantum soli, quantum decem juga boum unâ die seu operâ absolvunt (x). At non ita reputandum est, quasi regionis illius vineæ maritentur arboribus, sub quibus humus, uti fit apud Italos, colitur. Vites enim Palæstini pro nostro more colebant, humiles, staminatas, & in montium dorsis satas. Ita enim vineas exhibet Scriptura; idque confirmant S. Hieronymus & Itineraria. Vertunt quidam (y): *Decem paria canistrorum* Uvis refertorum.

Lagunculam unam. Hebræus: *Batum vini*. Id mensuræ genus continebat pintas undetriginta cum hemipintâ, hemisextario, octavâ pintæ parte, & amplius aliquantulo.

Triginta modii sementis faciant modios tres. Hebræus (z): *Sementis chomer faciet epha*. Implebat chomer decem bathos vel decem epha; quamobrem reddebat pintas ducentas nonaginta octo cum hemipintâ, hemisextario, & aliquanto amplius: epha continebat pintas novem & viginti, hemipintam, hemisextarium, & octavam pintæ partem.

℣. 11. Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam. Vix quicquam cibi capiebant Hebræi ante meridiem; vespere cœnabant. *Væ tibi, terra, cujus Rex puer est, & cujus Principes mane comedunt*, ait Ecclesiastes, x, 16. Hebræus (a): *Væ maturantibus in mane ad Sechar*, vel Siceram. Hoc potionis genus istè descripsimus in Numeris (b); ubi demonstravimus, designari fortasse hac voce alicujus vini genus. S. Hieronymus in caput xxviii Isaiæ contendit, genericum nomen esse potionis cujuslibet, qua ebrietas inducitur, sive ex tritico, sive ex fructibus. Sed Theodoretus (c), & S. Chrysostomus in hunc locum docent, *Sechar*, vel *Siceram* propriè vinum esse e palmis, celebre apud Veteres, & in toto Oriente familiarissimum, teste Plinio (d). Exprimebatur autem e dactylis palmarum aquâ maceratis, e quibus liquor quidam ita generosus eliciebatur, ut spiritus turbaret, & ebrietatem facilè induceret. Potum hunc hodie pariter amant Orientales; & cùm palmæ & dactyli Judææ reliquis ex Oriente præstarent, non immeritò arbitramur, in eâ regione vinum e palmis expressum vulgò obtinuisse. Nomen *Sechar*, quo istud vini genus Hebræi nuncupant, affinitatis habet plurimum cum *Carioto*, quod nomen a Græcis inditum est dactylis, unde vinum exprimebatur. *Carios* Græcè est ebrietas, & sopor, qui ebrietate inducitur; eademque est apud Hebræos significatio nominis *Sechar*. Hinc Aquila & Symmachus illud reddidere *ebrietas* (e). Itaque teneri posse hac in re arbitramur sententiam S. Chrysostomi, & Theodoreti, quippe qui in Syriâ nati, genuinam vocum hujusmodi significationem nosse poterant.

℣. 12. Opus Domini non respicitis. Qualia esse debeant vestra erga Deum officia, non cogitatis; cultui Numinis ac religioni minimè studetis. Seu potiùs: Mala quæ vobis minitatur, minimè timetis. *Opus Domini* familiari Prophetarum sermone usurpatur interdum pro Dei animadversione in impios. In hoc eodem Capite, ℣. 19, legitur: *Festinet, & citò veniat opus ejus*; citò inferat ultionem, cujus minis jam diu nos terruit. Et Capite xxviii, 21: *Ut operetur opus suum: peregrinum est opus ejus ab eo*: nonnisi invitus cædit: punit mœrens. Contrario planè sensu opus est etiam libertas & salus, quam Deus populo procurabit (f): *Ecce Dominus veniet; ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo*; ad rependendam vobis mercedem, congerenda beneficia, libertatem conferendam præsto adest.

℣. 13. Propterea captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Captivitatem Babylonicam prædicens Isaias, de illâ, ceu de re præteritâ agit. Mente & intellectu in iis, quæ a Prophetis sæpè adeò audiit, populus caruit; nec monitis eorumdem profecit, ut se a supplicio subduceret. Septuaginta (g): *Eo quod ipsi non cognoverunt Dominum.*

℣. 14. Di-

(s) באזני יהוה צבאות אם לא בתים רבים לשמה (t) 70: Ἠκούσθη γὰρ εἰς τὰ ὦτα κυρίου σαβαὼθ ταῦτα. Ἐὰν γὰρ γένωνται οἰκίαι πολλαί, εἰς ἔρημον ἔσονται. (u) כי עשרת צמדי כרם

(x) *Ita 70*: Οὗ γὰρ ἐργῶνται δέκα ζεύγη βοῶν. *Ita Syr. Angl. Pisc. alii.*

(y) *Foreriur.* (z) זרע חמר יעשה איפה (a) הוי משכימי בבקר שכר 70: Οὐαὶ οἱ ἐγειρόμενοι τὸ πρωΐ, καὶ τὸ σίκερα διώκοντες. (b) *Vide ad Num.* vi, 3; *& ad Levit.* x, 9.

(c) *Theodoret. hic*: Κυρίως οὖν σίκερα τὸ ἐκ φοινίκων ὀνομάζεται πόμα. *Vide & Chrysost. hic.*

(d) *Plin. l.* xiv, *c.* 16: *Primum e palmis, quo Parthi & Indi utuntur, & oriens totus. Et lib.* vi, 28; *& lib.* xiii, *c.* 4: *Ab his carioti maxime celebrantur, & cibo quidem, sed & succo uberrima. Ex quibus præcipua vina orientis, iniqua capiti, unde pomo nomen.*

(e) *Aqu. & Sym.* Μέθυσμα. *Theodoret. hic.*

(f) *Isai.* xl, 10; *&* lxii, 11. (g) Διὰ τὸ μὴ εἰδέναι αὐτοὺς τὸν κύριον.

℣. 14. Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os
suum absque ullo termino; & descendent fortes ejus, & populus ejus, & sublimes, gloriosique ejus, ad eum.
℣. 15. Et incurvabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi sublimium deprimentur.
℣. 16. Et exaltabitur Dominus exercituum in judicio, & Deus sanctus sanctificabitur in justitiâ.
℣. 17. Et pascentur agni juxta ordinem suum, & deserta in ubertatem versa advenæ comedent.
℣. 18. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum.
℣. 19. Qui dicitis: Festinet, & citò veniat opus ejus, ut videamus: & appropiet, & veniat consilium sancti Israël, & sciemus illud.
℣. 20. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.

COMMENTARIUS.

℣. 14. Dilatavit infernus animam suam, alvum, ut tantam excipiat impiorum multitudinem, quos gladius, fames, sitis ad inferos misit. Exhibetur hic sepulcrum, ceu vastus abyssi hiatus, qui nunquam dicit, Sufficit *(h)*, ceu animal vorax, & insatiabile.

Fortes, et Populus ejus, et sublimes gloriosique. Hebræus *(i)*: *Gloria* regionis, *turba ejus* vel opulentia; *elevatio ejus*, vel strepitus, fragor, seu tumultus; & *lætitia ejus* eò descendent. Septuaginta *(k)*: Inclyti, vel illustres, *& magni, & divites, & qui sunt in gaudio in medio ejus*, terræ scilicet, vel Jerosolymæ. Oraculis hisce sua fides stetit in postremis Nabuchodonosoris adversùs Judam expeditionibus.

℣. 16. Deus Sanctus sanctificabitur in justitia. Septuaginta *(l)*: *Deus sanctus glorificabitur in justitiâ suâ*. Id committet, ut universos populus, & reliquæ per orbem nationes discant, se Numen esse sanctum, iniquitatis osorem, cùm severitatem justitiæ suæ in Judæ scelera exercebit.

℣. 17. Pascentur agni juxta ordinem suum, et deserta in ubertatem versa, advenæ comedent. Agit de statu Palæstinæ post captivitatem Babylonicam. Tellus hæc inculta, sed fertilis, pascuis abundabit, quibus alentur greges, ab advenis eò ducti. Culta antea loca, & habitatoribus frequentata silvescent, & pascua belluis dabunt. Hæc autem fidem obtinuerunt post translatum in Babyloniam Juda. Tunc enim Ammonitæ, Moabitæ, Samaritani, Idumæi, Arabes regionem invaserunt, eoque greges duxerunt. Quin & Idumæi atque Ammonitæ plura occuparunt loca, quæ olim Israëlis & Judæ sedes erant. Hebræos *(m)*: *Pascentur agni more*, vel secundùm ovile, vel septum suum, *& deserta ac fœcunda comedentur ab extraneis ac peregrinis*. Brevi unius literulæ apice mutato *(n)* reddi potest: *Agni eorum pascentur de more, & hirci pascentur in desertis eorum, & pingues*. Septuaginta *(o)*: *Pascentur dispersi quasi tauri, & deserta eorum qui capti sunt, agni comedent*.

℣. 18. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculo vanitatis. Exprobrat impiis, quòd se quodammodo nexuerint jugo iniquitatis, ut funestum hunc currum trahant, ceu boves vincti funibus, funibus inquam, mendacii. Seu potiùs *(p)* illos comparat cum hominibus, qui vanitate, superstitione & mendacio ceu funibus quibusdam extrema in se mala trahunt. Prior expositio planior est. Demonstrat simul & infelicem statum impii, qui trahendo iniquitatis suæ plaustro fatigatur; & obstinatam illius stultamque inhæsionem duro huic & funesto exercitio *(q)*. *Lassati sumus in viâ iniquitatis & perditionis*. Septuaginta *(r)*: *Væ qui trahunt peccata quasi funiculo longo, & quasi jugi corrigiâ, & qui trahunt peccata vinculo vitulæ*.

℣. 19. Festinet, et cito veniat opus ejus. Mala, quæ jamdiu minitatur, tandem inducat. Verba sunt impia, & superba incredulorum ex Juda, qui Prophetarum verba perinde ac dormientium somnia ludibrio habebant. Similem Judæorum impudentiam habes apud Jeremiam, Ezechielem, & reliquos Prophetas *(s)*.

℣. 20. Væ qui dicitis malum bonum, at bonum malum. Objurgatio hæc ferit potissimùm Sacerdotes, Judices, Doctores, Pseudaprophetas, qui pravis Legum interpretationibus, & assentationibus indignis vulgi errores fovebant. Aquila apud S. Hieronymum: *Væ qui dicunt malo, bonum es; & bono, malum es*.

℣. 21. Væ

(h) *Proverb.* xxx, 15, 16: *Tria sunt insaturabilia .... infernus, & os vulvæ, & terra, &c.*
(i) וירד הדרה והמונה ושאונה ועלז בה
(k) Καταβήσονται οἱ ἔνδοξοι, καὶ οἱ μεγάλοι, καὶ οἱ πλούσιοι, καὶ ὁ ἀγαλλιώμενος ἐν αὐτῇ.
(l) Ὁ Θεὸς, ὁ ἅγιος δοξασθήσεται ἐν δικαιοσύνῃ.
(m) ורעו כבשים כדברם וחרבות מחים גרים יאכלו (n) גדים Hirci pro גרים advenæ. Legendum fortasse est במדברם *in desertis eorum*, pro כדברם *de more ipsorum*. Totus ita sensus constabit, atque antithesis inter duo sententiæ membra sequetur.
(o) Καὶ βοσκηθήσονται οἱ διηρπασμένοι ὡς ταῦροι. Καὶ τὰς ἐρήμους τῶν ἀπειλημμένων ἄρνες φάγονται.
Legunt כרים pro גרים
(p) *Cyrill. Sanct. Cornel.* (q) *Sap.* v, 7.
(r) Οὐαὶ οἱ ἐπισπώμενοι τὰς ἁμαρτίας ὡς σχοινίῳ μακρῷ, καὶ ὡς ζυγοῦ ἱμάντι δαμάλεως τὰς ἀνομίας.
(s) *Jerem.* xvii, 15; *Ezech.* xii, 22, *& seq. Isai.* xxviii, 10; *&* xxxiv, 13; *Amos*, v, 18.

℣. 21. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.

℣. 22. Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.

℣. 23. Qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.

℣. 24. Propter hoc, sicut devorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: sic radix eorum quasi favilla erit, & germen eorum ut pulvis ascendet. Abjecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israël blasphemaverunt.

℣. 25. Ideò iratus est furor Domini in populum suum, & extendit manum suam super eum, & percussit eum: & conturbati sunt montes, & facta sunt morticina eorum, quasi stercus in medio platearum. In his omnibus non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

℣. 26. Et elevabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ: & ecce festinus velociter veniet.

COMMENTARIUS.

℣. 21. Væ qui sapientes estis in oculis vestris. Hebræus & Septuaginta legunt in tertiâ personâ (t): *Va qui sunt sapientes in semetipsis.* Væ arrogantibus, qui vivendi regulas ipsi sibi statuunt; cæci cæcos ducentes, ut ii, de quibus Jesus Christus (u). Scitè sapiens (x): *Ne sis sapiens apud temetipsum; time Deum, & recede a malo.*

℣. 22. Viri fortes ad miscendam ebrietatem. Hebræus ad literam (y): *Qui estis homines virtutis ad miscendum sechar.* Nomine *Sechar* vinum e palmis designari, superiùs dixi. Generosi hujusmodi liquores nunquam ferè meri potabantur; hinc phrases istæ, familiares Græcis & Hebræis, *miscere vinum*, vel *miscere Sechar*, pro bibere. Olim apud Persas & Græcos atque utinam non adhuc apud nos! certamina potatorum instituebantur, proposito strenuissimis præmio. Certa quædam solemnitas instituta erat apud Græcos, in qua ejusmodi certamina celebrabantur, quam vocabant *Choas*, ex appellatione vasis, quod quæ exhaurissent, victores habebantur (z). Tubarum clangore invitabantur potatores propositumque iis præmium erat uter vel saccus e corio, ad vinum continendum. Id genus hominum appellat hîc Isaias *viros fortes ad miscendam ebrietatem*. Cyrus minor gloriabatur olim in communi totius Græciæ legatione, se fratrem suum Artaxersem largiùs potando, vinumque ferendo superare (a).

℣. 24. Lingua ignis לשון אש, ignis nempe, cujus flamma linguæ figuram exhibet. Solemni Pentecostes die Spiritus Sanctus illapsus est in Apostolos sub figurâ *linguarum ignis* (b), id est flammarum. Hebraica phrasis est non dissimilis figuræ Latinorum, apud quos interdum legitur ignis lambere corpora quibus adhæret. Horatius (c):

Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Vulcano, summum properabat lambere tectum.

Virgilius, Æneidos II:

. . . . . . Tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas.

℣. 25. In his omnibus non est aversus furor ejus. Post excidium Judææ, post incendium urbis & Templi, post cædes & depopulationem gentis, furor Domini nondum deferbuit. Reliquiæ Juda captivæ Babylonem ducentur, ubi longo haustu e calice furoris Domini bibent. Gement diu sub manu Omnipotentis.

℣. 26. Elevabit signum in nationibus procul, ceu Rex, qui copias per se suas ducturus, signum erigit, ut subjectas sibi gentes moneat, sese ad bellum instruant, atque ad expeditionem præsto sint. Ita solent Orientalium Reges. Ubi signum Principis erectum stetit, nemo unus militiâ eximitur, sed omnibus indicitur, ut præsto sint ad nutum. Vel ut Imperator, prælium commissurus, qui signum erigi jubet, ut agmina moneat de prælio; quæ disciplina erat olim Romanorum (d). Animadvertere etiam juvat, in Judæâ olim & finitimis regionibus, siquod improvisum discrimen immineret, vel subita hostium irruptio fieret, erigi signum consuevisse in editis montibus & turribus, ut palans in agris populus moneretur, & rumor per alia subinde & alia loca celeriter diffusus, singulos ad arma excitaret, statimque sub signa Imperatoris vel Principis reduceret. Hujus moris documenta inferiùs dabimus (e).

Sur-

(t) Οὐαὶ οἱ σοφοὶ ἐν ἑαυτοῖς. הוי חכמים בעיניהם (u) *Matt.* XV, 14. (x) *Prov.* III, 5, 7.
(y) אנשי חיל למסך שכר (z) *Vide Aristophan. in Acharn. act.* 4, *scen.* 4; *& act.* 5, *scen. ult.*
Ἀκούετε λεῴ, κατὰ τὰ πάτρια τὰς χόας
Πίνειν ὑπὸ τῆς σάλπιγγος. Ὃς δ᾽ ἂν ἐκπίῃ
Πρώτιστος, ἀσκὸν Κτησιφῶντος λήψεται.
(a) *Plutarch. in Artax.* Οἶνον πλείονα πίνειν, καὶ φέρειν. (b) *Act.* II, 3. (c) *Horat. Satyr. lib.* 1, *Sat.* 5.
(d) *Cæsar, de Bello Gall. lib.* 2: *Cæsari uno tempore omnia erant agenda, vexillum proponendum; quod erat insigne, cùm ad arma concurri oporteret. Virgil.*
Ut belli signum Laurenti Turnus ab urbe
Extulit.
(e) *Isai.* XI, 12; XIII, 2; XVIII, 3; XXX, 17; XXXIII, 23; XLIX, 22; LXII, 10; *Jerem.* IV, 6; L, 2; LI, 12, 27.

℣. 27. Non est deficiens, neque laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet, neque solvetur cingulum renum ejus, nec rumpetur corrigia calceamenti ejus.

℣. 28. Sagittæ ejus acutæ, & omnes arcus ejus extenti. Ungulæ equorum ejus ut silex, & rotæ ejus quasi impetus tempestatis.

℣. 29. Rugitus ejus ut leonis, rugiet ut catuli leonum: & frendet, & tenebit prædam: & amplexabitur, & non erit, qui eruat.

℣. 30. Et sonabit super eum in die illâ sicut sonitus maris: aspiciemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata est in caligine ejus.

COMMENTARIUS.

SIBILABIT AD EUM DE FINIBUS TERRÆ. Theodoretus (f) & S. Cyrillus Alexandrinus censent, alludere hîc Prophetam ad illos, qui apes curant; mos enim illis est, sibilo excitare apes ex alvearibus, & per agros ducere, ac nocte adventante ad alvearia revocare. Huic explicationi plurimum favent ea quæ inferiùs leguntur. Isaias enim Regi Achaz prædicit futuras Regni illius vices, ex Regibus Ægypti & Assyriæ; spondetque futurum (g), ut Dominus sibilando vocet muscam Ægypti & apem Assyriæ, quæ, inquit, excitæ valles occupabunt, sibique sedes quærent secùs torrentes & in montibus Juda. Ibi Propheta meliùs explicat comparationem, quam obscurâ tantùm allusione hîc indicat.

Chaldæos autem designat sub nomine populi, *qui veniet de finibus Terræ* (h); re verâ enim a ditione Judæorum longè aberant, ac nondum iis opibus pollebant, quibus deinde floruerunt. Aberant tunc illi quàm longissimè ab iis, quæ Isaias vaticinabatur. Stabat adhuc Assyrium Imperium, & Chaldaici exordia propriè a Nabopolassaro cœpere, qui Imperii fundamenta regnante apud Judæos Josia posuit. Sub eâdem imagine Chaldæos passim exhibet Jeremias (i): *Gens magna consurget a finibus terræ*. Et alibi: *Populus venit ab Aquilone; gens magna, & Reges multi consurgent a finibus terræ*. Abrahamum e Chaldæâ accitum ita Dominus alloquitur (k): *Apprehendi te ab extremis terræ*. Hunc locum paulò fusiùs expendi, quòd nonnullorum opinio sit, spectari hîc a Prophetâ alios planè a Chaldæis, ejusque dicta nonnisi Romanis congruere.

ECCE FESTINUS VELOCITER VENIET. Sub aquilæ imagine Nabuchodonosorem exhibent Daniel (l), Jeremias (m) & Ezechiel (n); avis enim hujus pernicitatem & robur æmulabatur.

℣. 27. NON EST DEFICIENS NEQUE LABORANS IN EO. Tota hæc descriptio mirè pingit Chaldæos duce Nabuchodonosore, quorum erant copiæ invictæ, & laboris patientissimæ. Confer descriptionem virium Nabuchodonosoris apud Ezechielem (o). *Cingulum* hoc, quod minimè solvendum prædicit Isaias, ipsum erat cingulum, quo quilibet in viam se daturus cingebatur. Non intermisso itinere proficiscentur, nec deponent caligas: renibus cincti & caligati semper stabunt ad iter parati.

℣. 28. UNGULÆ EQUORUM EJUS UT SILEX. Cùm ferro muniri equorum ungulas, mos ætatis illius non esset, illud solicitè curabant, ut eædem ungulæ arte & industriâ obduratæ, itinerum asperitati utcumque resisterent (p). Hinc Amos (q) ceu rem quæ fieri prorsus nequit, rogat: *Numquid currere queunt in petris equi!* Sed ungulæ equorum exercitûs Chaldaici nullis difficultatibus cedent.

℣. 29. RUGITUS EJUS UT LEONIS. Leænæ aquilinis alis instructæ Nabuchodonosorem comparat Daniel (r), & Jeremias (s) leoni.

℣. 30. LUX OBTENEBRATA EST IN CALIGINE EJUS. Hebræus variè admodum redditur (t): *Lux obscurabitur in fluxu*, vel *in ruinâ ejus*, in ruinâ scilicet, atque in infelicia hujus Regionis excidio. Septuaginta (u): *In inopiâ eorum*; in eâ rerum angustiâ, quò redigentur. Laborabunt velut obsiti densissimis tenebris. Rerum angustia & luctus plerumque in Scripturâ exhibentur sub imagine noctis atræ & tenebrosæ, ut sexcentis documentis ex Libris Prophetarum discimus.

CAPUT VI.

Anno Regis Oziæ emortuali gloriam Domini intuetur Isaias, ejusque labia purgantur, ac mittitur ad nunciandum populo & ipsius cæcitatem, & extrema, quibus perdendus est, mala. Tum secuturam prædicit restitutionem Jerosolymæ, & Juda reditum.

℣. 1. IN anno, quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum: & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. IN ANNO, QUO MORTUUS EST REX OZIAS. Hic locus variis difficultatibus agitatur. Censent quidam, Isaiam nunc primùm missum fuisse (a), ut non ante Prophetam agere cœperit, quàm

(f) *Cyrill. & Theod. hic.* Ἔθος γὰρ πῶς ἐστι τοῖς μελιττοκόμοις συρίζειν αὐταῖς. Οὕτω τε τῶν σμβλων ἀποφέρειν εἰς ἄνθη, καὶ ὕλας, καὶ μὴν, καὶ ἀνακομίζειν ἐξ ἀγρῶν, ὥστε αὐτὰς ἀναυλίζεσθαι ποιεῖν. (g) *Isai.* VII, 18. (h) *Lyran. Sanct. Hebræi.* (i) *Jerem.* VI, 22; & L, 41. (k) *Isai.* XLI, 9. (l) *Dan.* VII, 4. (m) *Jerem.* XLVIII, 40. (n) *Ezech.* XVII, 3. (o) *Ezech.* XXVI, 7, 8, 9; & XXVIII, 7, XXX, 11. (p) *Vide Xenophont. de Re equestri, & in Hipparchico.* (q) *Amos*, VI, 13. (r) *Dan.* VII, 4. (s) *Jerem.* IV, 7. (t) ואור חשך בעריפיה (u) Καὶ ἰδοὺ σκότος σκληρὸν ἐν τῇ ἀπορίᾳ αὐτῶν. (a) *Vide Origen. Euseb. Cyrill. Chrysost. Hieronym. ad Damas. de hoc Capite; Dionys. Carth.*

℣. 2. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri, duabus velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus, & duabus volabant.

COMMENTARIUS.

quàm mortuo Oziâ. Contendunt alii (b), mortem Oziæ hìc non naturalem esse, sed civilem, quâ tunc affectus est, cùm irrumpere tentans in Templum, suffitum oblaturus, improvisâ correptus leprâ, a consuetudine hominum extorris factus est, & in segregatam domum (c) usque ad obitum rejectus; quo temporis intervallo Joathan illius filius Regni clavum suscepit. Aliorum denique opinio fert (d), Isaiam Prophetæ munus accepisse aliquandiu ante facinus & molimen Oziæ: at cùm, inquiunt, adversùs Regem talia tentantem tollere voces recusaverit; Deus illum multavit spiritu suo, nec restituit, nisi mortuo Ozia. Sunt qui credant, Deum vaticinandi spiritum a Prophetis toto eo tempore, quo Ozias vixit, abstulisse, quòd Ozias Jerosolymis relictus, nec pulsus fuerit ex Urbe sanctâ, ubi Templum Domini dedicatum erat. Sed nos quinque priora capita, atque hoc præsens cum exordio Jonathani & fine Oziæ componenda ita censemus, ut minimè definiamus, utrùm illa præcesserint, an consecuta fuerint obitum Oziæ; nihil enim satis apertè docet Textus, nec res est scitu digna.

Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, et ea quæ sub ipso erant, replebant Templum. Isaias spiritu raptus transfertur in Templum, ubi Dominum sub hominis imagine intuetur, regali in solio sedentem, quem Seraphim corona cingebat, splendidissimâ majestatis gloriâ fulgentem. Deus Israëlis spectandum se præbebat e Sanctuario, velut e loco, ubi luculentiora præsentiæ suæ argumenta exhibebat, & quò studia omnia convertere Israëlitas volebat, ut debitum sibi religionis cultum darent. Oculis quidem corporis nihil intuitus est Propheta, quin nec in Templum re verâ translatus est; omnia enim visione Propheticâ exhibita sunt (e).

Igitur Dominus solio insidebat; *& ea quæ sub ipso erant, replebant Templum*; idest stratum, cui impositum erat solium, Sanctuarii pavimentum tegebat; vel fortè *fimbria vestimentorum ejus* (f), vel denique gloria, quâ cingebatur (g); fulgor ignis undique micantis totum replebat Templum. Totum scilicet sanctuarium, quin & Sanctum ipsum, luce illâ fulgebat, vivâ adeo & micanti, ut mortalibus esset inaccessa (h); quemadmodum in dedicatione Templi Salomonici (i) nubes majestatis plena totum occupavit Templum, ut vel ipsi Sacerdotes pedem intrò ferre non auderent: *Impleverat enim gloria Domini Templum Domini*.

Veteres quidam arbitrati sunt, Dominum solio insidentem ipsum fuisse Patrem Æternum; & qui hujus lateri aderant duo Seraphim, alterum quidem Filium fuisse, alterum Spiritum Sanctum. Sed hanc sententiam non probat S. Hieronymus (k), qui Dei filium in eo solio collocat; id quod non obscurè docet S. Joannes, qui prolata ab Isaiâ narrat ea, quæ hìc legimus, ℣℣. 9, 10 (l). *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus* (Filii), *& locutus est de eo*. Hanc sententiam vulgò omnes ferè Patres & Commentariorum Scriptores amplexi sunt.

℣. 2. Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, et sex alæ alteri. Hebræus (m): *Seraphim stabant super illum*; super Dominum vel super solium, & vibratis in aëra pennis. Hanc interpretationem firmat tota series narrationis, ferens Seraphim volasse; e quibus unum volans, accessit ad Altare, acceptoque ex eo carbone, Prophetæ labia purgavit. Septuaginta legunt (n): *Seraphim stabant in circuitu ejus*; quæ cum superiore interpretatione non pugnant; poterant enim e terrâ suspensa solium circumambire.

De numero Seraphim, quæ Isaias intuitus est, disquiritur; alii duo agnoscunt (o); alii quatuor (p); alii innumera (q). Quæ hìc leguntur, alterum scilicet sex alis instructum fuisse, alterum itidem sex; & clamasse invicem, gemina designare videntur. Nomen *Seraphim* hìc tantummodò, & alibi nuspiam, sive in Veteri, sive in Novo Testamento, legitur; sonat autem ardentes, inflammatos; quæ pariter appellatio tribuitur anguibus alatis & urentibus, quos Dominus in Hebræos in deserto immisit (r). Inter novem classes Angelorum, Seraphim supra Cherubim collocati, primum ordinem tenent. Sed quid satis certi affirmetur de eorum naturâ, muneribus, & gloriâ?

Sex alæ uni, et sex alæ alteri. Duabus velabant faciem ejus, et duabus velabant pedes ejus, et duabus volabant. Litera Textûs ferre videtur, alis hisce velatos fuisse pedes Domini in solio sedentis. Quam interpretationem sequuti sunt S. Hieronymus (s), aliique nonnulli, rati, alas Seraphim velasse faciem & pedes, id est, attributa Divinitatis, Judiciorum profunditatem, rectam gubernandi providentiam, mysterium Incarnationis, &c. At recepta vulgò fermè opinio docet (t), Seraphim facies pedesque velasse suos, obsequio tantæ majestatis, cùm fulgorem gloriæ illius ferre non possent, nec apertâ facie sistere se coram auderent. Pedes etiam tegebant suos, velut in obsequii & timoris argumentum, atque ut majori veneratione jussa supremi Domini exequerentur. Textus Hebræus ambiguus est (u), commodè utramque sententiam admittens; eamdemque ambiguitatem retinnerunt Septuaginta (x), non satis definientes, utrùm illi suam,

(b) *Chaldæus hic*; *Tostat. qu.* 7. (c) 2 *Par.* XXVI. (d) *Vide infrà ad* ℣. 5. (e) *Aug. lib. contra Adimant. c.* 28. (f) ושוליו מלאים את ההיכל (g) *Cald.* ומזיו יקרה אתמלי היכלא 70. Καὶ πλήρης ὁ οἶκος τῆς δόξης αὐτοῦ. (h) 1 *Timot.* VI, 16: *Lucem habitat inaccessibilem*. (i) 3 *Reg.* VIII, 10. 11; & 2 *Par.* VI, 1. (k) *Hieronym. ad Damas. de hoc loco*. (l) *Johan.* XII, 40, 41. (m) שרפים עמדים ממעל לו (n) Ἐστήκεισαν κύκλῳ αὐτοῦ. (o) *Origen. lib.* 1 *Periarchon, c.* 3; & *Hieron. hic*; *Philastr. hæres.* 10; *Bern. Ser.* 3 *de verbis Isai. Basil. hic*; *Adam. Lyr. Sanct. Cornel. Men.* (p) *Prado in Ezechiel. Perer. in Apocalyps.* IV. (q) *Forer. Arias Mont.* (r) *Num.* XXI, 6. (s) *Hieron. Ep.* 142 *ad Damas. de exposit. hujus loci*; *Damian. Ep.* 6; *Cyrill. hic. Ita Hugo, Tirin. Menoc.* (t) *Theodoret. hic*: Ἐκάλυπτον γὰρ τὰ πρόσωπα, ὡς οὐδὲ τὴν αἴγλην ἰδεῖν δυνάμεναι τῆς ἐκ τῆς δεσποτικῆς ἀπαστραπτούσης θέας· κατεκάλυπτον δὲ καὶ τοὺς πόδας, καὶ διὰ τούτου τὴν δουλείαν σημαίνουσαι, καὶ τὸ δέος ἐμφαίνουσαι, καὶ τὴν λειτουργίαν εὐσχημόνως ἀποπληροῦσαι. *Ita Chrysost. tom.* 1, *Ser.* 3, *de incompreh. Dei nat. Liturgia Jacobi, & Æthiop. in Præf. Euseb. hic*; *Chald. Syr. Arab. Pag. Mont. Vat. Adam. Forer. Grot. Sanct. Cornel. alii passim.* (u) שש כנפים שש כנפים לאחד בשתים יכסה פניו ובשתים יכסה רגליו (x) Ἓξ πτέρυγες τῷ ἑνὶ, καὶ ἓξ πτέρυγες τῷ ἑνί. Καὶ ταῖς μὲν δυσὶ κατεκάλυπτον τὸ πρόσωπον, ταῖς δὲ δυσὶ κατεκάλυπτον τοὺς πόδας.

ỳ. 3. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, San-
ctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloriâ ejus.
ỳ. 4. Et commota sunt superliminaria cardinum a voce claman-
tis, & domus repleta est fumo.
ỳ. 5. Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego
sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, &
regem Dominum exercituum vidi oculis meis.

COMMENTARIUS.

suam, an Dei faciem velarent. Sed narrationis sensus Interpretes omnes eò duxit, ut postremam explicationem præferrent. Animadvertere juvat, Seraphim humanam figuram, exceptis alis, omnino exhibuisse, ac persimilem retulisse imaginem cum Cherubim Ezechielis, 1, 4, 5, 6. Veteres quidam Codices legebant; *Quatuor alis velabant facies, & quatuor pedes (y).*

ỳ. 3. Clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Hæc vocum ingeminatio significat mysterium Trinitatis, inquiunt Patres (z); & illud, *Dominus Deus exercituum*, exprimit in multiplici personâ naturæ unitatem. Quod autem sequitur, *Plena est omnis terra gloriâ ejus*, accipiendum est velut oraculum de Incarnatione Verbi, quæ orbi universo novâ veluti luce gloriam Domini ostendit, cùm priùs intra breve unius Judææ spatium tota veluti contineretur.

ỳ. 4. Commota sunt superliminaria a voce clamantis. Ipsæ Templi fores, Seraphim voces quodammodo sentire visæ, ac præsentiâ majestatis Domini veluti perculsæ, nutavere, statimque reclusæ ingressuro Regi gloriæ aditum dederunt. Vide Amos, VIII, 3; & Psalmum XXIII, 7. Hæc ostium commotio exprimebat iram Numinis, & clamores Seraphim, palam inviolabilem Domini in Templo suo Sanctitatem prædicantes, ultionem petere videbantur in scelera & flagitia, quibus Judæa gens loci religionem violaverat. Legimus in Amos (a): *Stridebunt cardines Templi in die illâ* (ultionis Domini). Et alibi (b): *Percute cardinem, & commoveantur superliminaria.* Quibus verbis designatur, prope esse, ut Dei furor erumpat in scelera populi. Septuaginta (c): *Limina*, superliminaria *portarum elevata sunt a clamore Seraphim*; quibus innuitur, inquiunt Sanctus Hieronymus & Theodoretus, futurum ut in obitu Servatoris velum Templi medium scindatur, & paries ille, segregans Judæos a gentibus, dejiciatur; futurum denique, ut credentibus omnibus Cœli pateat aditus per Fidem & Sacramenta. Judæus ille, qui S. Hieronymum docuit, ad captivitatem futuram Babylonicam dicta hæc torquebat.

Domus repleta est fumo; atrâ nube, quæ vivam illam lucem, & infinitum majestatis fulgorem temperabat, ut Prophetæ impunè liceret coram Deo stare. Huic similis nubes olim apparuit in solemni dedicatione Templi sub Salomone (d).

ỳ. 5. Et dixi: væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum. Quid mali est silentium homini labiis polluto? nonne majoris audaciæ fuisset, labiis immundum loqui? Suspicantur quidam, Prophetam silentium sibi suum vitio dare, quòd Seraphim clamantibus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, laudans ipse pariter non accesserit. At nonne præsto erat tacenti excusatio, quòd scilicet pollutus labiis os in Dei laudes aperire ausus non fuerit? *Non est speciosa laus in ore peccatoris (e).* Vel potiùs dolet infelicitatem suam, quòd silentium servare coactus, continuisset sese ab ingeminando cum Seraphim carmine, Sanctus, Sanctus, Sanctus; quippe qui labiis esset pollutus (f). Malunt alii (g), displicuisse Numini silentium Isaiæ, quo tempore Ozias facinus illud cremandi in Templo suffitum tentavit (h); cùm neque verbis arrogantem castigaverit, neque ejecerit ex orbe, vetante lege, ne leprosi intra urbium septa considere permitterentur (i). Satis tunc habitum est, illum in segregatâ domo claudi (k). At cujus testimonio discimus, sive tunc siluisse Isaiam, sive loqui debuisse? Nonne constantiam Sacerdotum in hac re mirè celebrat Scriptura? Ubinam queritur illa, mitiùs quàm par esset, tunc actum fuisse cum Ozia?

Hebræus non unâ ratione reddi potest (l): *Væ mihi! coactus enim sum silere, quia in medio populi polluti habito.* Vel: *disperii.* Quid opponam furori Dei ultoris & minitantis? In medio sum populi criminibus polluti, & linguam gero pollutam, & imparem, ut cum Domino Deo exercituum loquar. Aliter: Væ mihi! disperii, hæreo immotus ut lapis, ceu simulacrum sileo. Silentium non rarò usurpatur pro ruinâ, morte, excidio (m). Labia gero polluta, & in medio populi labiis polluti versor. Præterea meis ipse oculis Dominum Deum exercituum intuitus sum. Hæc olim persuasio sedebat, fore ut qui Dominum vel Angelum oculis spectassent, mortem minimè dubiam subirent (n). Id exitium multò faciliùs quàm ceteros se subiturum, timere poterat Isaias; quippe qui & labiis esset pollutis, & inter pollutos versaretur. Ex angustiis hisce quod mihi effugium superest? Actum est de me. Quid auxilii postulem, homo labiis pollutus? nec intercessores adhibere possum filios populi mei, nihilo me mundiores. Vox Hebræa, quæ redditur, *Tacui*, usurpatur etiam pro, Eversus sum, dejectus, in abysso sepultus.

Septuaginta (o): *O miser ego! quia compunctus sum*; dolore & pœnitudine confectus. Chaldæus: *Væ mihi quia peccavi!* Denique subdimus interpretationem, quam optimam arbitramur: *Væ mihi! coactus sum silere: vir pollutis labiis ego sum, & in medio polluta labia habentis ego habito, quia Dominum vidi.* Ex quo gloriam mihi tuam exhibuisti, o Deus, linguam tuli impeditam,

(y) *Hieron. ad Damas.* (z) *Athanas. de Incarnat. Verbi; Basil. lib. 3 de Spiritu Sancto; Hieron. & Theodoret. hic; Gregor. lib. 29 Moral. c. 16; Epiphan. Ancorat. alii passim.* (a) *Amos*, VIII, 3. (b) *Ibid.* IX, 1. (c) 70: Καὶ ἐπήρθη τὸ ὑπέρθυρον ἀπὸ τῆς φωνῆς ἧς ἐκέκραγον. *Hebr.* וינעו אמות (d) 3 *Reg.* VIII, 10, 11. (e) *Eccli.* XV, 9. (f) *Hieronym. hic.* (g) *Item Hieron. hic; Theodoret. Cyrill. Haimo, Sanct. Men. Tir.* (h) 2 *Par.* XXVI, 16, 17. (i) *Levit.* XIII, 46. (k) 4 *Reg.* XV, 5; & 2 *Par.* XXVI, 21: *Fuit igitur Ozias Rex leprosus, usque ad diem mortis suæ, & habitavit in domo separatâ, &c.*
(l) אוי לי כי נדמיתי כי איש טמא שפתים אנכי (m) *Exod.* XV, 16. ידמו כאבן 1 *Reg.* II, 9. רשעים בחשך דמו *Psal.* XCIII, 17; CVII, 29; *Isai.* XV, 1. (n) *Vide Genes.* XVI, 13; *Exod.* XXXIII, 20; *Non videbit me homo & vivet, &c.* (o) Ὦ τάλας ἐγώ, ὅτι κατανένυγμαι.

℣. 6. Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari;

℣. 7. Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.

℣. 8. Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me.

℣. 9. Et dixit: Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & nolite cognoscere.

COMMENTARIUS.

tam, ut loquendi liberâ facultate caream: tamquam mutus in medio populi me contineo. Aspectus majestatis tuæ mentem mihi quodammodò & loquendi facultatem corripuit. Ita Moyses, cùm Dominum in medio rubi ardentis intuitus fuisset, ajebat (p): *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius; & ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Eamdem confessionem, vel excusationem apud Dominum hic Isaias instituit. Nos, ego scilicet ac populus meus, labiis pollutis sumus; vel, ut phrasi Mosaicâ utar (q): *Incircumcisi labiis sumus:* alter erga alterum perinde nos habemus atque gens sermonis barbari & ignoti. Facere nequeo, ut populus me loquentem intelligat. Vix hæc dixerat Propheta, cùm statim advolavit Seraphim, & eo, quem manibus gerebat, seu carbone seu lapide ignito, illius linguam & os purgavit. Ita expiatus Propheta, paratum se obtulit ad Domini nutus: *Ecce ego, mitte me.*

℣. 6. In manu ejus calculus, quam forcipe tulerat de altari. Textus Latinus fert calculum, vel lapidem, non carbonem. Id pariter Aquila, Symmachus, & Theodotion servant. Hebræa vox (r) *Rizphah* sonat propriè lapidem ignitum. Hodie pariter Arabes *Ridphah* appellant lapidem, qui in fuco positus candescit, ut ejus ope carnes & panem coquant. Eodem nomine designant lapides igneos, quibus stigmata sibi inurunt (s), Septuaginta (t) & Interpretum plures de carbone ardenti, vel de *anthrace*, seu de carbunculo accipiunt. Ardens hic carbo designabat, ex quorumdam [u] sententiâ, Dei verbum, quod Angelus perinde ac ignem in os Prophetæ immittebat. Ex aliis [x], typus erat Eucharistiæ. Sunt quibus [y] de Incarnatione Verbi, & sunt quibus [z] de spiritu Prophetiæ placeat interpretari. Illud constat, eo calculo purgatum fuisse Prophetam eâ labe, quam pro se causabatur.

℣. 7. Ecce tetigit hoc labia tua, et auferetur iniquitas tua. Labes, quæ labia tua polluebat, eluetur. Deinceps minimè querêris, labia te gerere incircumcisa. Liberè meis verbis populum alloquêris. Mala & ægritudines, quæ sensum & corpus afficiunt, nomine peccati non semel Hebræi designant, quippe quibus ea sederat persuasio, vitia omnia, etiam corporis, malas esse criminum appendices. Hinc Apostoli de cæco nato Christum interrogant [a]: *Quis peccavit, hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Moyses in lege cavet, ut lepræ maculâ, aliisque naturalibus sordibus sese homines expient, perinde atque criminibus polluerentur. Est autem opinio apud Orientales vetustissima, nulla infligi hominibus mala, nisi in pœnam criminis præteriti. Id veluti certum in totâ oratione ponebant tres Jobi amici, idque toto Libro Jobus refutavit. Apud Indos adhuc obtinet; atque hinc sententia de metempsychosi petita est.

℣. 8. Quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me. Propheta ab Angelo confirmatus, præsto se exhibet, populo nunciaturus ea quæ Deus opportuna judicabit. Imbecillitatem suam aut loquendi difficultatem jam non causatur. Ex hac sententiâ, *Quis ibit nobis?* argumentum pro asserendâ Trinitate duxerunt Veteres [b]. Similis loquendi phrasis occurrit in Genesi, I, 26: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.*

℣. 9. Vade, et dices populo huic: Audite audientes, et nolite intelligere.... [℣. 10]. Excæca cor populi hujus. Ad Domum Juda te mitto, jussiones meas delaturum: at scito futurum, ut sermones tuos mente non percipiant. Suadebis illos, sed non persuadebis; duros enim animos & aures surdas invenies. Vel potiùs: Perge populum meum allocuturus, illique nuncia meo nomine futurum, ut orationis tuæ sensum non assequantur: seu potiùs, dictis tuis animum non adhibeant: sciant sese te ostendente cæcos, te loquente surdos fore. Pro consueto Scripturæ more, facere dicuntur Prophetæ aliquid, cùm illud futurum nunciant [c]. *Obdurant* illum, cujus pertinaciam prædicunt. *Destruunt* [d], cujus destructionem vaticinantur: *polluunt* [e], quem pollutum esse declarant: *sanctificant* [f], quem sanctificari jubent. Sunt qui [g] verba hæc tribuant Isaiæ, quasi Dominum rogaret Propheta, ut cæcos faceret Judæos, cujus cæcitatis causâ Apostoli Evangelicum lumen ad gentes deferrent. Sed contraria huic opinio majori suffragio probatur. Deus est qui Isaiam alloquitur in eam, quam modò exposuimus, sententiam.

Septuaginta reddiderunt [h]: *Vade, & dic populo huic: Auditu audietis, & non intelligetis... Incrassatum est cor populi hujus, & auribus suis graviter audierunt, & oculos compresserunt, ne fortè videant oculis, & auribus audiant.* Hac sententiâ frequenter usi sunt Novi Testamenti Scriptores [i], ut Judæorum pervicaciam demonstrarent, ac plerumque ex Versione Septuaginta, in qui-

(p) *Exod.* IV, 10. (q) *Exod.* VI, 12, 30.
(r) וּבְיָדוֹ רִצְפָּה בְּמֶלְקָחַיִם לָקַח מֵעַל הַמִּזְבֵּחַ (s) *Boch. de anim. part.* 1, *lib.* 2, *c.* 33.
(t) Καὶ ἐν τῇ χειρὶ εἶχεν ἄνθρακα. (u) *Basil. hic; Hieron. ep. ad Damas. Hugo, Haimo.*
(x) *Theodoret. hic.* (y) *Cyrill. & Procop. in hunc loc. Damasc. lib.* 4, *c.* 14, *de fide orthod.*
(z) *Hieronym. ep.* 142, *ad Damas. Sanct.* (a) *Joan.* IX, 2. (b) *PP. & Interpp. passim.*
(c) *Vide Aug. qu.* 69; *D. Thom.* 1 *parte, qu.* 14, *art.* 3; & 3 *parte, qu.* 15, *art.* 2; *Salmeron. Prolegom.* 10, *quinquagenâ* 2; *Sanct. hic.* (d) *Jerem.* I, 10. (e) *Isai.* XLIII, 28. (f) *Exod.* XIX, 10; *Josue*, VII, 13; *Joël*, I, 14; II, 16, &c. (g) *Hieronym. Thom. Hugo, Haimo, Glossa.*
(h) Πορεύθητι καὶ εἶπον τῷ λαῷ τούτῳ. Ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε.... ἐπαχύνθη γὰρ ἡ καρδία τοῦ λαοῦ τούτου, καὶ τοῖς ὠσὶν αὐτῶν βαρέως ἤκουσαν, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῶν ἐκάμμυσαν, μή ποτε ἴδωσι τοῖς ὀφθαλμοῖς, καὶ τοῖς ὠσὶν ἀκούσωσι, &c. (i) *Matt.* XIII, 13, 14, 15; *Marc.* IV, 12; *Luc.* VIII, 10; *Joan.* XII, 39; *Act.* XXVIII, 26; *Rom.* XI, 8, 9.

℣. 10. Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos
ejus claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat,
& corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.
℣. 11. Et dixi: Usquequò, Domine? Et dixit: Donec desolentur
civitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquetur
deserta.
℣. 12. Et longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur, quæ
derelicta fuerat in medio terræ.
℣. 13. Et adhuc in eâ decimatio, & convertetur, & erit in ostensionem
sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ expandit ramos
suos: semen sanctum erit id, quod steterit in eâ.

COMMENTARIUS.

quibus difficultatis præsefert minùs quàm in Vulgatâ, quæ meliùs cum Hebræo convenit. Sunt [k] qui hæc verba tribuant Isaiæ, rati, Prophetam rogare Deum, ut Judæorum oculos & aures impediat, ne sensum orationis suæ percipiant. Sed plerique (l) Deo adscribunt, qui futuram populi pervicaciam prænunciat. Horum sententiam ipsa orationis series confirmat: *Ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum.*

℣. 10. Ne forte videat oculis suis . . . . et convertatur, et sanem eum. An Deus tamquam malum timet impii conversionem? An veretur, ne ad medicum revertens curetur? Si conversionem populi non cupit, cur ad eum hortandum Prophetam mittit? Deusne Prophetam suum sine gratiarum satellitio, ad capiendum sibique alliciendum populum necessario, legaverit? Pugnantia sunt hæc, & planè opposita. An Deus occultas struit ad populi exitium insidias? Sed phrasis hæc, *Ne fortè convertatur*, perinde solùm valet, ac (m): Mitto te ad populum ita in scelere obstinatum, ut nequidquam te exhortante, nequidquam me auxiliis moliente, in nequitiâ constans perseveraturus sit. Non revertetur ad me, nec resipiscet. Morbum illius non vincent ea, quæ propono, remedia. Nihil exhortando impetrabis. Te tamen ire volo, ut omnem excusationis locum pertinaci auferam, nihilque is habeat, quod mihi opponat. Reddi potest Hebræus (n): *Certè non videbit oculis suis, nec auribus suis audiet. Cor ejus non intelliget; non convertetur, nec sanabo eum.*

℣. 11. Et dixi: Usquequo, Domine? et dixit: Donec desolentur civitates absque habitatore. Quousque furor tuus, vel eorum pervicacia perseverabit? Nunquam a malo cessabunt, usque ad exitium populi, & expugnationem urbis per Nabuchodonosorem (o), sub quo plena oraculi hujus fides stetit. Sed & multò apertiùs hæc impleta intelligimus post obitum Jesu Christi. Judæi pervicaces, in nequitiâ stabiles usque ad excidium gentis sub Romanis erunt (p). Hanc illorum contumaciam, omnia denique mala, quæ ad nostram usque ætatem in caput populi congesta sunt, frangere non valuerunt. Mentis illorum cæcitas, & animi pervicacia perseverant adhuc, ad exitum usque mundi permansura. Tres hosce sensus cohærere inter sese posse planè constat: nec novum est aut rarum, ut aliquod Prophetarum oraculum ad tres veluti scopos ita collimet, ut tribus diversis temporum articulis implendum expectetur. Judæorum gens omnibus retrò sæculis perfidiâ & contumaciâ insignis fuit.

℣. 12. Longe faciet Dominus homines; et multiplicabitur quæ derelicta fuerat. Deletâ vel dissipatâ sobole hac perduelli, restituetur Hierosolyma: malo hoc fermento ex Juda ablato, gentem hanc Dominus in populum novum ac dociliorem convertet. Hujus oraculi fides integra stabit solutâ captivitate Babylonicâ. Sed multò pleniùs stetit in adventu Jesu Christi, & in Ecclesiæ Christianæ institutione.

℣. 13. Et adhuc in ea decimatio. Post diuturnam hanc incolarum & culturæ destitutionem, denique fiet, ut regio iterum culta, decimis, uti priùs, Templo solvendis par sit (q). Idem totidem fermè verbis prænunciat Ezechiel (r): *In odorem suavitatis suscipiam vos, cùm eduxero vos de populis, & congregavero vos de terris, in quibus dispersi estis. Ibi quæram primitias vestras, & initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris.* Diu multumque laborant Interpretes, dum significationem vocis *decimatio* scrutantur. Sunt (s) qui accipiant de decem Principibus, Juda regnum gesturis ante captivitatem, ab Ozia usque ad Sedeciam. Censent alii [t], Judæos, qui prænunciata sibi mala vitaturi essent, augendos quidem esse numero, sed non ita, ut vel partem attingerent decimam eorum, quos bella præcedentia absumpserant; quin & futurum, ut decima hæc pars, quæ discrimen effugisse videbatur, novis iterum calamitatibus oppressa, vix superstites paucos relinqueret. Alii [u]: Permittet Dominus, ut Israël pessimi animi libidine rapiatur, & ab hostibus deleatur: sed e miseris hisce decimam sibi partem servans, intra Christianorum Ecclesiam colliget. Alii: Judæa semel, iterum, & *decies*, idest, multoties desolabitur. Porrò a Salmanasaro, qui decem Tribus egit captivas, desolationes facilè decem numerantur [x]. Alii: Decuplo augebuntur. Denique: Decima adhuc supererit, residui adbuc erunt quidam in Israële; ut res ejus penitus deploratæ non sint. Vide superiùs, 5, 9; IV, 3.

Et convertetur, et erit in ostensionem, sicut terebinthus, &c. Ad Dominum conversa Jerusalem attollet sese ceu arbor procera, quam omnes admirantes indice porrecto monstrabunt. Hebræus [y]: *Et convertetur* e captivitate, *& erit* ad

(k) *Hieron. S. Thom. Hugo, Haimo, Glossa.* (l) *Cyrill. Forer. Adam. Sanct. Cornel. alii passim.* (m) *Vide Isidor. Pelus. Epist. lib. 2, ep. 270.* (n) פן יראה בעיניו ובאזניו ישמע ולבבו יבין ושב ורפא לו *Vide Genes.* XXXVIII, 23; *Num.* XXII, 18; *Judic.* XV, 12; *Prov.* XXIV, 18; *ubi* פן *pro certè usurpari videtur.* (o) *Chrysost. Vatab.* (p) *Euseb. Hieron. Basil. Cyrill. Haimo, Rupert. Cornel.* (q) *Lyran.* (r) *Ezech.* XX, 40. (s) *Ita Vatab. Castal. Calv. Rabb.* (t) *Hieron. Ita ferè Cyrill. S. Thom. Procop. Chald.* (u) *Ita Basil. Arias, Osor. Adam. & Alcazar. in Apocal.* (x) *Vide Cornel. a Lapide hic.*
(y) ושבה והיתה לבער כאלה וכאלון אשר בשלכת

ad conflagrandum, sicut terebinthus, & ut quercus. Septuaginta (z): *Rursum erit in direptionem sicut terebinthus, & sicut quercus.* E captivitate Babylonicâ redux Judæorum natio malis ita premetur, ut penitus tamen non opprimatur. Novis iterum discriminibus obnoxia erit: desolabitur enim Judæa Antiochi Epiphanis armis & Romanorum. Qui Jesu Christi ætate vivebant Judæi, patrum pervicaciam velutì hæreditariam habentes, authore vitæ neci tradito, exitium in se provocabunt. Sed pereuntibus illis, tenues aliquæ reliquiæ supererunt, quas sibi ceu semen sanctum Deus servabit: *Semen sanctum erit id quod steterit in eâ.*

Vertere ego maluerim Hebræum [α]: Erit sicut terebinthus [vel sicut ulmus] & sicut quercus quæ traditur igni, *cujus germina e trunco erumpunt. Radicis hujus germina, stirps sancta erunt.* Pars est hæc felicitatis, quâ, revertens ad Dominum, Jerosolyma fruetur. Cerneres illam velut arborem proceram, cujus rami cæsi sunt, atque in ignem dati: sed novis illa vestietur, e quibus fructum feret planè novum, & germen sanctitatis emittet. Septuaginta (β): *Sicut terebinthus, & sicut glans, cùm ceciderit e thecâ suâ.* Quæ cum his junguntur, *Columna fundamenti ejus, genus sanctum est*, verba esse non Septuaginta, sed Theodotionis, docent S. Basilius & S. Hieronymus. Chaldæus: *Erunt sicut terebinthus, & sicut quercus, cùm defluunt folia ejus.* Arbores illæ succo quidem & vitâ carere videntur; at reverâ succum intro condunt, quo fœcundante nova germina emittunt. Ita pariter captivi Israëlitæ in pristinam libertatem restituentur, quòd eorum radix germen sit sanctitatis. Sunt qui vertendum putent [γ]: *Sicut quercus quæ est in portâ Schalechet.* Vide 1 *Par.* XXVI, 16. Ex hac portâ aditus patebat a Regiâ in Templum. Porrò viæ hujus utrumque latus consitis pulcherrimis arboribus ornatum fuisse censent. Sed conjecturis plus nimio indulgendum est, ut lux aliqua verbis adeò obscuris, qualia sunt ea quæ mox laudavimus ex Paralipomenis, afferatur.

CAPUT VII.

Reges Syriæ & Israëlis copias ab obsidione Jerosolymæ coacti reducunt. Utriusque Principis exitium Isaias Regi Achaz pranunciat. Oraculum de futuro ortu Emmanuelis e Virgine Parente. Finitimæ Ægypto gentes & Rex Assyriæ in Judam arma movebunt, Regio in solitudinem redigetur.

℣. 1. ET factum est in diebus Achaz filii Joathan, filii Oziæ regis Juda, ascendit Rasin rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ rex Israël in Jerusalem, ad præliandum contra eam: & non potuerunt debellare eam.

℣. 2. Et nuntiaverunt domui David, dicentes: Requievit Syria super Ephraim, & commotum est cor ejus, & cor populi ejus, sicut moventur ligna silvarum a facie venti.

COMMENTARIUS.

℣. 1. FACTUM EST IN DIEBUS ACHAZ FILII JOATHAN. Vaticinium hoc post septem & decem annos (a) a superiori editum fuisse, ex eo constat, quòd hoc ad exordium Achaz, illud verò, de quo in præcedenti Capite, ad postremum Oziæ annum pertinet. Porrò medius inter utrosque Joathan XVI annis imperium tenuit. Labentibus Joathani annis, Regum Damasci & Samariæ irruptiones in ditionem Juda cœperunt (b). Primam belli hujus originem ignoramus: at eventus hìc describere Author aggreditur.

ASCENDIT RASIN REX SYRIÆ, ET PHACEE FILIUS ROMELIÆ REX ISRAEL IN JERUSALEM...... ET NON POTUERUNT DEBELLARE EAM. Achazo Regnum ineunte, Reges Syriæ & Israëlis ad Jerosolymam obsidendam accesserunt; sed mox obsidionem solvere coacti sunt. Vertente anno seorsum unusquisque copias in ditionem Juda duxit, tantamque attulit vastitatem, quanta hìc describitur.

℣. 2. NUNTIAVERUNT DOMUI DAVID, DICENTES: REQUIEVIT SYRIA SUPER EPHRAIM. Sparsus per totam latè ditionem Juda rumor ferebat, geminos illos Reges, qui superiore anno Jerosolymam obsidione cinxerant, junctis simul viribus, novam in Regnum irruptionem moliri. *Ephraim* ponitur hìc pro Regno decem Tribuum. Hebræus (c): *Requievit Aram super Ephraim.* Septuaginta (d): *Consensit Aram*, seu Syria, *cum Ephraim.* Aliter (e): *Castrametatus est Aram in Ephraim.* Syrorum agmen in ditionem Ephraimitarum usque processerat; quamobrem utriusque Regis copiæ in ipso fermè ditionis Juda limine constitêre. Hujus rei fama totam undique regionem

(z) Καὶ πάλιν ἔσται εἰς προνομὴν, ὡς τερέβινθος καὶ ὡς βάλανος, ὅταν ἐκπέσῃ ἐκ τῆς θήκης αὐτῆς. Σπέρμα ἅγιον τὸ στήλωμα αὐτῆς.

(α) באלון אשר בשלכת מצבת בם זרע קדש מצבתה Lego משלכת seu שלחת surculus. *Vide Isai.* XVI, 8; & XXVII, 8; & XVII, 7. Explico מצבת de stirpe seu trunco arboris. Vide Concordiam Calasii, verbo יצב (β) Vide locum superiorem. *Sym. apud Theodoret.* Ἔσται εἰς καταβόσκησιν, ὡς δρῦς, καὶ ὡς βάλανος, ἥτις ἀποβαλοῦσα τὰ φύλλα ἵσταται μόνη, *Erit in depastionem sicut quercus, & sicut balanus, quæ amissis foliis sola stat.* (γ) *Vat. Jun. Pisc. Anglic.*

(a) Anno Mundi 3262. (b) 4 *Reg.* XV, 37. (c) נחה ארם על אפרים

(d) Συνεφώνησεν Ἀρὰμ πρὸς Ἐφραΐμ. (e) *Vide infra*, ℣. 19. ובאו ונחו

℣. 3. Et dixit Dominus ad Isaiam: Egredere in occursum Achaz
tu, & qui derelictus est Jasub filius tuus, ad extremum aquædu-
ctûs piscinæ superioris in viâ agri fullonis.
℣. 4. Et dices ad eum: Vide, ut sileas: noli timere, & cor tuum
ne formidet a duabus caudis titionum fumigantium istorum in
irâ furoris Rasin regis Syriæ, & filii Romeliæ:
℣. 5. Eò quòd consilium inierit contra te Syria in malum Ephraim,
& filius Romeliæ, dicentes:
℣. 6. Ascendamus ad Judam, & suscitemus eum, & avellamus eum
ad nos, & ponamus regem in medio ejus filium Tabeel.
℣. 7. Hæc dicit Dominus Deus: Non stabit, & non erit istud:
℣. 8. Sed caput Syriæ Damascus, & caput Damasci Rasin: & adhuc
sexaginta & quinque anni, & desinet Ephraim esse populus:

COMMENTARIUS.

nem terrore perculit: *Commotum est cor ejus* (Achaz), *& cor populi, sicut moventur ligna sylvarum a facie venti.*

In sinistrâ hac rerum constitutione Isaias jubetur hæc nunciare Achazo, utriusque Regis molimina inania fore, quin & futurum ut intra biennium vel triennium duo ii *titiones fumigantes* extinguantur. Interim hostes regionem invasere; divisisque copiis, Rasin totam latè ditionem Juda excurrit, partâque ingenti prædâ, victor rediit Damascum. Phacee Rex Israëlis, conserto cum Achaz prælio, victor fuit, interfectis centum & viginti millibus hostium, captisque ducentis millibus, ex universo populo tum marium tum fœminarum, tum puerorum (f), quos omnes unà cum opimis manubiis Samariam transtulit. Sed Oded vir Propheta, tunc Samariæ agens, venientibus occurrens institit evicitque, ut præda restitueretur, & captivi Jerichuntem reducerentur. Is fuit exitus secundæ hujus expeditionis, sub cujus initium Isaias verba fecit ad Achaz.

℣. 3. EGREDERE IN OCCURSUM ACHAZ TU, ET QUI DERELICTUS EST JASUB FILIUS TUUS; tu scilicet & filius tuus Jasub, vel (g) *Sear-Jasub*. Porrò Sear-Jasub sonat *Reliquum redibit*; vel, *Reliquum convertetur*. Mysterium in nomine est, & quantum conjecturâ assequi possumus, Deus puerum ita appellari jusserat, ut eo argumento intelligeret populus futurum, ut ii qui Babylonem ducti fuerant, reverterentur; seu potiùs levandum esse Judam molesto, quo tunc premebatur, onere belli, sibi ab utroque Rege illati, & reliquias populi ad Dominum sub Regno Ezechiæ redituras. Vide inferiùs, 8, 22. Hic genuinus est loci hujus sensus.

AD EXTREMUM AQUÆDUCTUS PISCINÆ SUPERIORIS, IN VIA AGRI FULLONIS. Piscinam hanc superiorem implebant aquæ fontis Siloës, in rivum *Rogel*, vel fullonis fluentes. Sub ipsis mœnibus Jerosolymæ in plagâ orientali erat. Ibi stetit impius Rabsaces, minas nunciaturus Judæis sub Regno Ezechiæ (h).

℣. 4. VIDE UT SILEAS: NOLI TIMERE A DUABUS CAUDIS TITIONUM FUMIGANTIUM ISTORUM. Ita per contemptum appellantur uterque in Achazum fœderati Rasin Rex Syriæ, & Phacee Rex Israëlis. *Vide ut sileas*; metum compesce, molestas expelle curas, ne despondeas animis; uni Deo te crede, qui præsentis discriminis angustias auferet. Superiùs animadvertimus, molimina Achaz frustra cessisse; cujus fidei imbecillitas id promeruit, ut ambo Reges plura illi incommoda inferrent. Sed invitâ Achazi nequitiâ, passus non est Deus, ut vota hostium Juda penitus explerentur. Victricia illorum arma coërcere, modumque victoriis imponere novit. Cùm enim nihil minus molirentur, quàm ut Achazum e solio deturbarent (i), consilium inivit Achaz opportunum, ut in ipsos exciret hostem, qui negotium aliis facientes rebus suis consulere coëgit. Porrò Achaz in auxilium suum Reges Ægypti & Assyriæ adscivit (k).

℣. 6. AVELLAMUS EUM AD NOS, ET PONAMUS REGEM IN MEDIO EJUS FILIUM TABEEL; jugum illius excutiamus, ac pro authoritate agentes, Regem nobis constituamus filium Tabeelis. Ad verbum (l): *Evellamus*, conteramus, discerpamus, rapiamus illum *ad nos*. Filius hic Tabeelis quis fuerit, ignoratur. Proprium hujus nomen in significationem contemptûs neglectum fuisse videtur. Chaldæus: *Constituamus Regem, qui nobis placuerit.*

℣. 7. NON STABIT, ET NON ERIT ISTUD. Sunt qui jungenda credant hæc cum consequentibus: *Non stabit caput Samaria Damascus, & caput Damasci Rasin*. Sed hunc sensum rejicit Hebræa syntaxis, ubi particula *Ki* initio versiculi sequentis legitur: *Sed caput Syriæ*, &c.

℣. 8. SED CAPUT SYRIÆ DAMASCUS, ET CAPUT DAMASCI RASIN; Damascus scilicet Syriæ Metropolis, & qui Damasco imperat Rasin, peribunt; vel potiùs: Eadem, quæ vobis minitando nunciant, contingent Damasco Syriæ Metropoli, & Rasin Regi Damasci: Ephraim verò post quinque & sexaginta annos inter populos adscribi cessabit: ℣. 9. *Adhuc sexaginta & quinque anni, & desinet Ephraim esse populus*. Vel potius: Post quinque & sexaginta annos Damasco metropolitica dignitas auferetur, & Rasin e solio Damasci deturbabitur, ac denique Ephraim in censum populorum ulteriùs non referetur: Samaria non erit in posterum Ephraimitarum Metropolis, nec filius Romeliæ Samariæ imperabit. Ita in unam seriem jungendi sunt versiculi 8 & 9.

ADHUC SEXAGINTA ET QUINQUE ANNI, ET DESINET EPHRAIM ESSE POPULUS. Jam non agetur de Ephraimitis, ceu de peculiari gente, & Imperio a cæteris discreto. Decem Tribus in captivitatem abducentur; Samaria funditus evertetur, & Regnum Israëlis peribit. Nec meliora Damascum manent. At quo tempore hæc fient? Post annos quinque & sexaginta. Periodus ista anno-

---

(f) 2 *Par.* XXVIII. (g) אתה ושאר ישוב בנך 70: Σὺ καὶ ὁ καταλειφθεὶς Ἰασοὺβ ὁ υἱός σου.
(h) *Vide* 4 *Reg.* XVIII, 17; *& Isai.* XXXVI, 2. (i) Infra, ℣. 6. (k) *Infra*, ℣. 17, 18.
(l) ובקיעה עלינו ונמליך מלך בתוכה את בן טבאל

℣. 9. Et caput Ephraim Samaria, & caput Samariæ filius Romeliæ. Si non credideritis, non permanebitis.
℣. 10. Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens:
℣. 11. Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.
℣. 12. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum.
℣. 13. Et dixit: Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?
℣. 14. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.

COMMENTARIUS.

annorum negotium facessit; nam ab exordio Achazi usque ad captam armis Salmanasari Samariam, translatasque trans Euphratem decem Tribus, nonnisi spatium unius & viginti annorum intercessit (m); hoc enim vaticinium altero Achazi anno latum est.

Hanc difficultatem ut eluat Usserius, censet, periodum hanc quinque & sexaginta annorum absolvi in adventu Cuthæorum in regionem Samariæ, anno 3327. Porrò ab exordio Achazi anno 3262, usque ad hunc annum, integri quinque & sexaginta anni numerantur. Ludovicus Capellius & Grotius (n), latêre in Textu mendum suspicati, legendum putant sex & quinque, id est, undecim, pro quinque & sexaginta. Verùm certissimè constat, ab initio Achaz usque ad eversionem Regnorum Samariæ & Damasci, annos ampliùs undecim fluxisse. Rabbinorum & Interpretum plerique (o) arbitrantur, annos hosce quinque & sexaginta ducendos esse a vaticinio Amos in Regnum Samariæ (p). Cepit Amos vaticinari decennio ante terræmotum, quo quassa est tellus, cùm Ozias anno Regni sui quinto & vigesimo profanas manus thuri offerendo admovit: quo ex tempore usque ad captam Samariam periodus annorum quinque & sexaginta ita digeritur: Oziæ anni septem & viginti; Joathan regnavit annis sexdecim; Achaz totidem; Samaria Ezechiæ anno sexto capta est: atque his summa annorum quinque & sexaginta conficitur. Sed prior solutio nostro judicio cæteris præstat. Eversio utriusque Regni, Samaritici & Syriaci, sub Teglatphalassaro cœpta, quam & Salmanasar prosequutus est, sub Assaradone tandem perfecta fuit.

℣. 9. Si non credideritis, non permanebitis. Regem Achaz alloquitur. Si de promissionum mearum fide ambiguus fueris, expletas non videbis. Seu potiùs ex Hebræo (q): *Si non creditis, quia estis infideles*; vel: Novi laborare vos incredulitate; idcirco Deus veritatem dictorum suorum signis adstruere vobis constituit. (℣. 10) *Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: Pete tibi signum, &c.* Aliter (r): *Num non creditis, quia nondum confirmati estis*, argumentis divinitus datis? Quare imbecillitati vestræ connivere Deus, volens rem prodigiis faciet probabilem. Septuaginta (s): *Et nisi credideritis, neque intellexeritis* fieri posse quæ dico. Theodotion (t): *Nisi credideritis, neque fides vobis habebitur.* Vel: Nisi credideris, nihil tibi credetur; nemo tibi fidem habebit. Tuâ te in incredulitate relinquet Deus. Hebræum malo ita reddere: *Nisi credideritis quæ dico; & quia non intelligitis*, incredulitatem vestram Deus editis prodigiis vincet.

℣. 11. Pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni sive in excelsum supra; ex humo, sive e Cœlo. Pete ut terra dehiscat, uti olim cùm rebelles in deserto absorbuit (u); sive ut astra cursum remorentur, uti olim sub Josue (x); sive ut tonitrua & procellæ ex improviso mugiant, uti sub Samuele contigit (y); sive ut ignis e Cœlo pluat, ut olim sub Eliâ (z). Hebræus (a): *Pete tibi signum a Domino Deo tuo; humilia petitionem* (fode, ex imo erue), sive *in altum tolle*. Pete quidvis arduum, sive altissimum sit, sive profundissimum: ne credas te majora petere, quàm largiri queat Deus; quippe qui difficultatibus omnibus superior est.

℣. 12. Non petam, et non tentabo Dominum. Modestia ne, aut obsequium, an incredulitas & hypocrisis hæc verba a Rege exprimit? Plerique (b) illum damnant, rati, simulatâ pietatis ludificatione continuisse sese, ne signum peteret; quippe qui Deum tentare se velle negaret. Sed genuina prodigii non postulandi ratio fuit metus, ne aspectu miraculi impietatem deserere cogeretur, quæ Deo & hominibus nomen ejus perosum effecerat: *Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo?*

℣. 14. Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Hoc est prodigium, quod familiæ Davidicæ Dominus exhibet. E Virgine parente nasciturum spondet Filium, nomine Emmanuelem; id est, *Deus nobiscum*. Editus e Virgine matre Princeps, ipse est Jesus Christus, ut latè in Dissertatione de hoc argumento demonstravimus, ne fusior hic haberetur disputatio, quàm Commentarii modus patitur. Juvat hîc tantummodò animadvertere, verbum illud *vocabitur*, sive ex Hebræo (c), *Vocabis Emmanuelem*, non necessariò postulare, ut id nominis inter homines puer gesserit: satis est ut veritas illius & vis tota in eo expleta sit, quòd *Deus* reverâ *nobiscum* fuerit. Porrò *vocari* non rarò pro *esse* usurpatur. Ita Isaias (d) de puero hoc Principe affirmat futurum, ut *vocetur Admirabilis*,

Con-

(m) Achaz regnum iniit anno 3262. Hoc vaticinium spectat ad annum 3263. Capta est Samaria anno 3283. (n) *Lud. Capell. critic. p. 497. Grot. hic.* (o) *Hebræi apud Euseb. Kimchi, Rabb. Sal. Abenez. Abarban. Hieron. Vat. Buxtorf. alii passim.* (p) *Amos*, I, 5; III, 12, 12; VII, 11, 17.
(q) אם לא תאמינו כי לא תאמנו (r) *Grotius.* (s) Καὶ ἐὰν μὴ πιστεύσητε, οὐδὲ μὴ συνῆτε. *Theodoret.* Οὐδὲ μὴ συνῆτε. (t) *Theodotion:* Ἐὰν μὴ πιστεύσητε, οὐδὲ μὴ πιστευθείητε.
(u) *Num.* XVI, 28, 29, 30. (x) *Josue*, X, 12. (y) 1 *Reg.* XII, 17, 18. (z) 4 *Reg.* I, 10, *& seq.*
(a) שאל לך אות מעם יהוה אלהיך העמק שאלה או הגבה למעלה *Theodot. & Aquil. apud Theodoret.* Βάθυνον εἰς ᾅδην ἢ ὕψωσον ἄνω. LXX. Αἴτησαι ... εἰς βάθος ἢ εἰς ὕψος.
(b) *Hieron. Cyrill. Basil. Rupert. alii recent.* (c) ילדה בן וקראת שמו עמנואל
(d) *Isai.* IX, 6.

℣. 15. Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.

℣. 16. Quia antequam sciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, a facie duorum regum suorum.

COMMENTARIUS.

Consiliarius, Deus, Fortis, Princeps pacis, Pater futuri sæculi, &c. Et alibi (e) Jerosolymam alloquens, *Vocaberis*, ait, *Civitas Justi*; eamque Urbem vocandam, id est futuram, prædicit Jeremias (f) *solium Domini*.

Nec prætereundum est, Prophetam ita loqui, quasi geminos Emmanueles exhibeat; alterum scilicet, qui & Messias est, e Virgine parente natus, cujus *Principatus super humerum ejus*, quique appellatur Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, cujus & auctum Imperium, & pacatum erit in ævum, qui denique sessurus erit in solio Davidis, ut stabile illud in æquitate & justitiâ perpetuò constituat (g). Hæc planè omnia mirificè congruunt Jesu Christo, Mariæ Filio, vero Emmanueli, vel Deo nobiscum. Emmanuel alter, a priore planè diversus, puer est qui veluti pignus est & argumentum Numinis semper domui Juda amici. Antequam hic puer bonum e malo secernere præ ætate noverit, antequam pueritiam exuat (h), regio Juda oppressionis pondere levata, a metu armorum Regum Syriæ & Israëlis respirabit. Puer idem, figura & imago genuini Emmanuelis, alius planè est ab Ezechia, qui tunc novem vel decem annos minimè superabat, cùm quinque & viginti annis natus patri post sextum & decimum Regni ejus annum successerit (i). Expressum potiùs agnoscimus filium Isaiæ, de quo sermo est in exordio capitis VIII, 4, cui & inditum nomen est: *Festina prædare* (k). Porrò ex omnibus iis dotibus, quas genuino Emmanueli Scriptura tribuit, nonnisi unica congruit filio Isaiæ; illa nimirum, quòd futurum dicitur, ut antequam is liberæ rationis annos attingat, regio pacem habitura sit (l).

℣. 15. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum, comedet scilicet butyrum seu lactis florem (m) & mel, adeo ut sciat, vel donec sciat, seu potiùs ex Septuaginta (n), antequam sciat bonum a malo discernere. Denique eodem, quo cæteri infantes, alimento utetur, nutrietur enim, pro consueto more, lacte & melle, usque ad ætatis annum tertium, vel quartum; infantes enim e mammillâ triennio pendere solebant (o). Narrat Diodorus Siculus (p), puerum Jovem mel & lac Nymphis curantibus ita suxisse, ut ex ubere capellæ Amalthææ lac traheret, & ex apibus specûs montis Idæ mel acciperet. Didymus apud Lactantium (q) docet, Melissæo Cretensium Regi geminas fuisse filias, Amalthæam & Melissam, quæ lacte capellæ & melle Jovem puerum aluerunt; unde nata est fabula de apibus Idæis, & de capellâ Amalthæâ. Tradit Homerus, Venerem nutrisse Pandari filias caseo, melle, & vino dulci. Denique communis adeò mos erat nutriendi infantes lacte & melle, ut in Ecclesiâ Christianâ hominibus mox e Baptismo mel & lac exhiberetur (r), in argumentum infantiæ spiritualis, quam instituunt, & innocentiæ, in quam per Sacramentum renovantur.

℣. 16. Antequam sciat puer reprobare malum, et eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu detestaris, a facie duorum Regum suorum. Ad verbum propriè hæc minimè congruunt Jesu Christo vero Emmanueli. Duo illi Reges, de quibus Propheta, alii planè non sunt præter Rasin & Phacee. Regio Juda pacata fuit, antequam Emmanuel ille, alterius typus, liberæ rationis annos attigisset. Ita verò res habuit sese. Fessus Achaz diuturnis bellis, quibus lacessebatur a Regibus Syriæ & Israëlis, suppetias postulatum ad Teglathphalassarum Regem Assyriæ misit, offerens quidquid auri & argenti in ærariis Templi & Regiis erat. Statim Teglathphalassar in Rasin Regem Syriæ movit, captâque Damasco, Rasin interfecit, Regnum evertit, & subjectas illi gentes in regionem Kir transtulit (s). Victricibus deinde armis succedens in regionem Israëlis, belli impetu rapuit tribus Ruben, Gad, & Manasse, unâ cum incolis Galilææ, & Tribu Nephtali; omnesque trans Euphratem misit (t). Acta sunt hæc anno 3264, altero anno postquam vaticinium ediderat Isaias. Anno 3265, sublato Phacee Rege Israëlis, interfector illius Osee solium occupavit; atque ita factum est, ut Achaz respiraret a metu *duarum caudarum titionum fumigantium*, antequam puer, de quo Propheta, ætatem liberæ rationis attingeret. Tam subita, & veluti sub oculos exhibita oraculi hujus veritas plenam adstruebat fidem reliquis omnibus, quæ in vaticinio, de ortu scilicet Messiæ e Virgine parente, continebantur.

Pro iis verbis, *Terra quam tu detestaris*, reddi potest Hebræus (u): *Terra, quam tu fastidis*, quam ægrè & iniquo oculo respicis, *derelinquetur a duobus Regibus suis*. Quæ sive de Judæâ, quam desolatam vastatamque ab hostibus ægerrimè ferebat Achaz, vel de terrâ Syriæ & Israëlis, quæ, utpote hostiles, & fons malorum omnium, eidem Achaz horrori erant, intelligenda sunt. Porrò ditio Juda vacua fuit metu & quieta, exitio & cæde utriusque illius Principis; illorumque ditio, Regibus viduata suis, furori & cædibus Assyriorum patuit. Altera hæc interpretatio æquior est & pronior. Septuaginta (x): *Derelinquetur terra*,

(e) *Isai.* I, 26. (f) *Jerem.* III, 17.
(g) *Isai.* IX, 5, 6. (h) *Isai.* VII, 15, 16.
(i) 4 *Reg.* XVIII, 2. (k) *Vide Sanct. bis*, *n.* 55; *Idem in c.* XVII, ℣. 13, *n.* 3; & *Hieron. ad c.* VIII, ℣. 18.
(l) *Isai.* VII, 16; & VIII, 4. (m) חמאה ודבש יאכל לדעתו מאוס ברע ובחור בטוב
(n) Βούτυρον καὶ μέλι φάγεται, πρὶν ἢ γνῶναι αὐτὸν προελέσθαι πονηρὰ, καὶ ἐκλέξασθαι τὸ ἀγαθόν.
(o) 2 *Macc.* VII, 27. (p) *Diodor. Sicul. lib.* 5, *p.* 232: Αὐταὶ δὲ μέλι καὶ γάλα μίσγουσαι τὸ παιδίον ἔθρεψαν, καὶ τῆς αἰγὸς τῆς ὀνομαζομένης Ἀμαλθαίας τὸν μαστὸν εἰς διατροφὴν παρείχοντο, &c.
(q) *Lactant. lib.* 1 *de falsâ Relig. c.* 22. (r) *Tertull. de coronâ militis*, *c.* 3, &c.
(s) 4 *Reg.* XVI, 7, 8, 9. *Confer Amos*, I, 4, 5.
(t) 4 *Reg.* XV, 29; 1 *Par.* V, 26.
(u) תעזב האדמה אשר אתה קץ מפני שני מלכיה (x) Καὶ καταλειφθήσεται ἡ γῆ, ἣν σὺ φοβῇ, ἀπὸ προσώπου τῶν δύο βασιλέων.

ỳ. 17. Adducet Dominus super te, & super populum tuum, & super domum patris tui dies, qui non venerunt a diebus separationis Ephraim a Juda, cum rege Assyriorum.

ỳ. 18. Et erit in die illâ: Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ est in terrâ Assur.

ỳ. 19. Et venient, & requiescent omnes in torrentibus vallium, & in cavernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in universis foraminibus.

ỳ. 20. In die illâ radet Dominus in novaculâ conductâ, in his, qui trans flumen sunt, in rege Assyriorum, caput, & pilos pedum, & barbam universam.

COMMENTARIUS.

ra, quam tu times, a facie duorum Regum.

ỳ. 17. ADDUCET DOMINUS SUPER TE, ET SUPER POPULUM TUUM...... DIES QUI NON VENERUNT A DIEBUS SEPARATIONIS EPHRAIM A JUDA, CUM REGE ASSYRIORUM. Septuaginta addunt hîc particulam *Sed* (y), per quam oppositio versiculi hujus cum superiore perspicua magis elucet. Hæc de Regnis Syriæ & Israëlis. At ne putes scelerum tuorum oblitum esse Deum. Si te liberat meu Phacee & Rasin hostium tuorum, te vicissim Regi Assyriorum tradet, ex quo ea patietur Juda, quæ nunquam antea a secessione Israëlis tulit. Jam tunc consilium cepisse videtur Achaz suppetias ab Assyriis postulandi, ut utrumque Regem, qui sese perdere & e Regno deturbare moliebantur, ejiceret; cujus inanem de hominibus, potiusquam Deo, fiduciam ut argueret, Isaias nunciasse videtur grandia, quæ illi imminebant, mala, ab eo inferenda, in quo omnem libertatis suæ spem collocaverat. Teglathphalassar, redactâ in servitutem Syriâ & ditione Israëlis, id sibi arrogavit, ut Regi Achaz tributa, & servitutem imperaret (z); quo detrectante, Assyrius ditionem Juda nemine resistente excurrit atque vastavit; coactusque est Achaz Sacram, Regiam ac privatam optimatum suorum supellectilem in pecuniam convertere; neque id satis fuit. Præter hæc, Idumæi & Philisthæi infestis armis in regionem irruperunt, secumque intulerunt vastationem & cædes (a). Ita sua fides vaticinio Isaiæ stetit.

ỳ. 18. SIBILABIT DOMINUS MUSCÆ, QUÆ EST IN EXTREMO FLUMINUM ÆGYPTI, ET API QUÆ EST IN TERRA ASSUR; ET VENIENT, ET REQUIESCENT IN TORRENTIBUS VALLIUM. Superiùs, v. 26, animadvertere licuit similem phrasim ad apes alludentem, ductâ comparatione ab apum custode, qui apes educit ad pascua, reducitque ad alvearia vel sibilo, vel tibiâ. Licuit pariter animadvertere, *apem Assyriæ*, vel Teglathphalassarum invasisse Judæam, cujus totum mel sunit, pretiosissimis quibusque rebus ablatis. At nullibi legimus, Ægyptios in hanc regionem Achazo imperante venisse. Hoc me in eam trahit sententiam, muscâ, *quæ est in extremo fluminum* vel rivorum *Ægypti*, designari Philisthæos & Idumæos, quorum regio adusque ramum Nili orientalem porrigebatur. Neque enim in Scripturâ adducitur musca Ægypti; sed *musca quæ est in extremo fluminum Ægypti* (b). Legere est in Paralipomenis cædem ab utroque hoc populo illatam Judææ sub Achazo. Porrò ea irruptio comparatur cum examine muscarum, quæ *requiescunt in torrentibus vallium, & in cavernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in universis foraminibus*. Apes in Palæstinâ aliisque in locis, non in alvearibus modò, verùm etiam in specubus, in cavis arborum truncis, & sub humo inveniebantur (c). Nonnulli dicta hæc accipiunt de expugnatione Jerosolymæ sub Nabuchodonosore Rege Babylonis, & de victoriâ, quam Nechao Rex Ægypti de Josia retulit.

ỳ. 20. IN DIE ILLA RADET DOMINUS IN NOVACULA CONDUCTA...... CAPUT ET PILOS PEDUM. Initiaturus Dominus populum suum novâ quadam consecratione, conducit novaculas, seu potiùs (d) forfices, rasurus pilos omnes capitis, barbæ, & verendorum (e). Eodem ritu expiabantur olim leprosi recuperatâ valetudine (f), & Levitæ ad consecrationem parabantur (g). Id pariter servabant Ægyptii Sacerdotes singulis triduis, rati ita se mundissimos servatum iri (h). Vel potiùs, hæc pilorum universi corporis, quam Propheta minitatur, abrasio, symbolum est vastationis & cædis, quam Assyrii in regionem illaturi erant.

Porrò Assyrii, Teglathphalassar, Salmanasar, Sennacherib, Nabuchodonosor futuri sunt forfices illi, quibus utetur Dominus, ut populum tondeat. *Conducti sunt* autem, quòd ingenti oblatâ pecuniâ Achaz Teglathphalassari copias in hostes conduxerit. At forfices isti, tonsis Damasco, Samariâ, Phacee & Rasin, tondere non desinent: sed Deus illos in perniciem Juda convertet, ut pilos Achazi radat. Phrasis ista, cujus literalis significatio nimis urgenda non est, exprimere potest luctum, mœrorem, consternationem, quæ totam

(y) Ἀλλ' ἐπάξει ἐπὶ σὲ ὁ Θεὸς, *&c.* *Heb.* יביא יהוה עליך

(z) 2 *Par.* XXVIII, 20, 21: *Adduxit contra eum Teglathphalassar Regem Assyriorum, qui & afflixit eum, & nullo resistente vastavit. Igitur Achaz, spoliatâ domo Domini, & domo Regum ac Principum, dedit Regi Assyriorum munera: & tamen nihil illi profuit.* (a) 2 *Par.* XXVIII, 17, 18: *Veneruntque Idumæi, & percusserunt multos ex Juda, & ceperunt prædam magnam. Philisthiim quoque diffusi sunt per urbes campestres, & ad meridiem Juda, &c.*

(b) לזבוב אשר בקצה יארי מצרים 70: Μυίαις, ἃ κυριεύσει μέρους ποταμοῦ Αἰγύπτου. *Theodot. & Sym.* Αἳ ὁ κυριεύουσι ἐστι ἐν μέρει ποταμοῦ Αἰγύπτου. (c) *Vide Aristot. lib.* 5 *hist. anim. c.* 22: Ἔνιοι δὲ καὶ μέλιτται, αἳ ποιοῦσι τριπλᾶ κηρία ἐν τῇ γῇ. Ταῦτα δὲ μέλι μὲν ἴσχει, σκώληκα δὲ οὐκ ἴσχει. (d) בתער השכירה (e) *Pilos pedum.* Ut *aqua pedum*, est lotium *Ezech.* XVI, 7; *Isai.* XXVI, 12: *Divisisti pedes tuos omni transeunti. Ezech.* XVI, 25: *Prohibe pedem tuum a nuditate. Jerem.* II, 25. (f) *Levit.* XIV, 9.

(g) *Num.* VIII, 7: *Radant omnes pilos carnis suæ.*

(h) *Herodot. lib.* 2, *c.* 37.

℣. 21. Et erit in die illâ: Nutriet homo vaccam boum, & duas oves,
℣. 22. Et præ ubertate lactis comedet butyrum: butyrum enim
& mel manducabit omnis, qui relictus fuerit in medio terræ.
℣. 23. Et erit in die illâ: Omnis locus ubi fuerint mille vites mil-
le argenteis, in spinas & in vepres erunt.
℣. 24. Cum sagittis, & arcu ingredientur illuc: vepres enim &
spinæ erunt in universâ terrâ.
℣. 25. Et omnes montes, qui in sarculo sarrientur, non veniet il-
luc terror spinarum & veprium, & erit in pascua bovis, & in
conculcationem pecoris.

COMMENTARIUS.

tam latè regionem tenebunt (i). S. Hieronymus, & Theodoretus (k) explicant de Judæorum ignaviâ, & animi imbecillitate. Tondebuntur ceu fœminæ; illorumque inertia & imbellis animus irridebitur. Septuaginta: *Radet Dominus in novaculâ ebriâ*; radet passim & indiscriminatim omnia.

℣. 21. Nutriat homo vaccam boum .... (℣. 22) et præ ubertate lactis comedet butyrum. Capitis hujus finis difficultatem habet, quòd & cum iis quæ præcedunt, & secum ipse pugnare videatur. In versiculis 21 & 22 spondet Propheta tam multam pascuorum ubertatem, ut unius vaccæ & duarum ovium lac & butyrum alendis curatoribus gregis satis futurum sit. In versiculis verò 23 & 24 regionem exhibet incultam, & spinis horridam. Denique versiculo 25 futurum prænunciat, ut montes olim culti, nullis silvescant spinis, quin & pascuis abundent. Qua ratione hæc simul cohæreant?

Ite nos vertendum censemus: (℣. 21) *Et erit in die illâ: Omnis, cui fuerit vacca gregis & oves duæ, tantum lactis mulgebit, ut se nutriat butyro*, vel cremore lactis; *adeout qui relictus fuerit in medio terræ, butyrum & mel manducet.* Hæc rerum ubertas non tam felicitatis, quam spondeo, indicium est, quàm argumentum solitudinis, ad quam totus ager redigetur, & rari illius, qui supererit, gregis. Modicus ille, qui relinquetur, ovium numerus largè & copiosè adeò pascet, ut lactis copiam majorem quàm pro consueto, reddat. (℣. 23) *In die illâ angulus vineæ, qui continet mille mensuras*, vel mille jugera vineæ, *quarum singula æstimantur mille siclis* (l); id erat summum eximiarum vinearum pretium (m); *angulus*, inquam, *ille silvescet, ut non ferat nisi spinas & vepres.* (℣. 24) *Cum sagittis & arcu ingredientur ibi* ad venandum; *vepres enim & spinæ erant in universâ terrâ.* (℣. 25) *Sed omnes montes qui coluntur ligone* vel bipalio, *& ubi non veniebat terror spinarum, & veprium* (n); omnes, inquam, montes isti *erunt in pascua bovis & conculcationem pecoris.* Hac positâ versione difficultas omnis tollitur. Duo montium genera distinguit Isaias, alios scilicet vineis & arboribus consitos, quos brevi redigendos in desertum incultum vepribus spinisque horridum prædicit; alios verò, quos dicit bipalio & ligone scindendos, qui tamen arboribus plantisque destituuntur. Montes isti, quamquam non culti, nullis sponte natis spinis vepribusque sylvestribus, sed herbis tantummodo abundant, quæ nisi alium proventum conferant, certè eximia gregibus pascua sufficiunt. Hæc omnia implenda erant sub Regno Achazi, post emptam ab illo pacem ex Teglathphalassaro; pacatam enim habuit Regionem, sed penè desertam, spoliatam, habitatoribus raram, bellorum præcedentium causâ. Porrò pascua, quorum hîc meminit Propheta, paupertatem Regionis satis indicant. Greges rari, frumenti parum, panis, vini, olei nihil; lactis tantummodo, butyri, & mellis sylvestris copia.

CAPUT VIII.

Vaticinium de filio Isaiæ nascituro, cui nomen dandum, Velociter spolia detrahe, *figurâ eversionis Regnorum Israëlis & Syriæ. Rex Assyriæ instar amnis totam latè regionem Israëlis & Juda inundabit. Mandat Deus, ut oracula hæc sua sub arcani secreto Isaias ejusque discipuli contineant.*

℣. 1. ET dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, &
scribe in eo stylo hominis: Velociter spolia detrahe,
citò prædare.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis (grandibus literis): Velociter spolia detrahe. Hebræus ad verbum (a): *Tolle tibi*

(i) 2 *Reg.* x, 4; *Isai.* xv, 2: *Omnis barba radetur.* *Jerem.* xlviii, 37. (k) *Hieron. hîc. Theodoret.* Ἀφελὼν δὲ καὶ τοῦ πώγωνος τὴν εὐπρέπειαν, ἀντὶ τοῦ γυναῖκας ἀντ' ἀνδρῶν δείξει τοὺς πολεμίους.

(l) Mille sicli reddunt libras Gallicas circiter 5622. (m) *Cant.* viii, 2: *Vinea fuit pacifico: vir affert pro eâ mille argenteos.* (n) *Hebr.* ℣. 25. וכל ההרים אשר במעדר יעדרון לא תבוא שמה יראת שמיר וגו Ita explico, quasi in Hebræo sit לא תבוא שמה יראת שמיר אשר Usitatissimæ sunt hæ loquendi formulæ: interdum in Textu addendum est, אשר, atque hîc locus, eâ voce non additâ, satis perspicuè explicari nequit. (a) קח לך גליון גדל וכתב עליו בחרט אנוש למהר שלל חש בז

℣. 2. Et adhibui mihi testes fideles, Uriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ :

℣. 3. Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me : Voca nomen ejus, Accelera spolia detrahere; Festina prædari.

℣. 4. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ, coram rege Assyriorum.

COMMENTARIUS.

tibi volumen grande, & scribe in eo in stylo hominis : Ad festinandum expoliare : Chaseb-bas ; seu : *Velociter prædam rape*, Puer, symbolum prædæ mox rapiendæ, appellabitur *Chaseb-bas*, vel, *Citò prædare*. Septuaginta (b) : *Sume tibi librum grandem novum, & scribe in eo hominis stylo : Ut velociter deprædationem faciat spoliorum*. Chaldæus : *Scribe scripturam claram : Festina ad prædandum prædam*.

Phrasis ista, *stylo hominis*, nova planè est & insueta. Quis porrò hominum ad scripturam in volumine exarandam alio utitur instrumento, quàm quo homines consueverunt? Quis unquam Scriptori imperet, ut in membranâ aliquid describat calamo hominis? Adde, mores illius ætatis nequaquam tulisse, ut in volumine ex membranis stylo vel scalpro scriberetur, sed calamo. Denique Hebræa vox *Chereth*, utrùm reddenda sit stylus vel scalpellum, non satis certò affirmatur. E quatuor enim Scripturæ locis, in quibus occurrit, tres sunt, in quibus sacculum seu vestium unum apertè significat (c). Plerique dictum explicant non de stylo scriptorio, sed de stylo seu methodo ac ratione scribendi. Ita scribe, ut legi perspicuè, & scripta percipi queant, stylo aperto, non ænigmatico, & hieroglyphicis mysteriis ambiguo. Perspicuè & disertè nuncia venturos casus, veluti oratione familiari, vocibus utens communibus & ab omni ambiguitate remotis. Expositio hæc maximè prona videtur. Sermonibus obscuris obvolutisque persæpe utebantur Prophetæ, neque vaticiniis suis temporum adscriptiones semper addebant. Hîc accurata sint omnia & perspicua.

Filius Isaiæ, *Chaseb-bar* appellandus, typus erat & figura imminentis excidii Regnorum Samariæ & Israëlis (d). Sublimiori sensu designabat Jesum Christum (e), qui propriâ virtute hostes Juda debellaturus erat atque spoliaturus, Ethnicos nempe, designatos nomine Regni Syriæ, & Judæos pervicaces & incredulos nomine Regni Israëlis. Bellum illud, quo Rasin & Phacee ditionem Achazi infestabant, symbolum erat eorum, quæ Jesum Christum ejusque Ecclesiam manebant ab impiis, incredulis, & Idololatris. Porro belli hujus & libertatis, Regi Achaz partæ, veritas, certum erat argumentum & pignus victoriæ a Jesu Christo de hostibus, quos diximus, referendæ.

℣. 2. ADHIBUI MIHI TESTES FIDELES, URIAM SACERDOTEM, ET ZACHARIAM FILIUM BARACHIÆ. Ad asserendam rebus a me scriptis fidem integram, & ad invidiam evitandam, ne vaticinatus esse dicerer post factum, vel ne cavillationibus lacesseretur verborum meorum sensus, duos adhibui testes amplissimos, iisque præsentibus nomen scripsi illius, qui typus futurus erat imminentis depopulationis Syriæ & Damasci, cujus nomen *Chaseb-bas*. Adjeci autem serioto temporis notam, illis præsentibus, ut intelligerent, nihil minùs me timere, quàm ut arguerer mendacii, aut oracula casu funderem. Filius Isaiæ, cujus ortus prædicitur, ipse idem est, qui designatur Capite præcedenti, ℣. 16, cujus, inquam, ortus miscetur cum ortu Messiæ e Virgine parente. Demonstraturus autem Propheta, puerum, de quo egit in eodem Capite superiori, ℣. 14, quem & Emmanuelem appellandum prædicit, inter liberos suos adscribendum non esse, narrare hîc aggreditur ortum filii sui, cui & aliud nomen imponit, ne cum priore misceatur. Interpretum nonnulli suspicantur, testes, quos hîc adhibet Isaias, accitos fuisse ad fidem connubii tunc a se initi : sed hæc inter incerta sunt incertissima.

Sacerdos Urias ipse erat facilè Urias summus Sacerdos, qui aliquandiu post rem hanc gestam, turpe illud & indignum factu commisit, ut conflandum curaret Jerosolymis altare æneum ad imaginem Damasceni illius, cujus typum Achaz ad illum miserat (f); conflatumque altare profanum loco amoti Altaris holocaustorum in Templo constituit. Malunt alii, designari hîc Prophetam Uriam, de quo Jeremias (g), quique in Urbem & Templum vaticinatus fuit. At vir iste Propheta diu post Isaiam floruit, nec inter Sacerdotes cooptatus fuit.

Zacharias filius Barachiæ, ex S. Hieronymo (h), vir erat ejusdem nominis Propheta, qui in Paralipomenis (i) sub regno Ezechiæ nominatur. At sanctus hic Pater Ezechiam cum Azaria vel Ozia miscuit. Legimus utique, Abi Ezechiæ matri patrem fuisse Zachariam; sed huic Zachariæ patrem fuisse Barachiam, ignoramus. Zachariæ, inter minores Prophetas undecimo, pater erat Barachias quidam : sed hic Isaiæ ætate lucem nondum aspexerat. Itaque quis fuerit secundus iste, a Prophetâ electus testis, ignoratur.

℣. 3. AD PROPHETISSAM; ad uxorem Prophetæ. Ad uxorem meam accessi, quæ filium concepit, appellandum, *Accelera spolia detrahere*; quem filium daturus erat Deus in pignus earum rerum, quas spoponderat (k).

℣. 4. ANTEQUAM SCIAT PUER VOCARE PATREM SUUM ET MATREM SUAM, AUFERETUR FORTITU-

---

(b) *Λάβε σεαυτῷ τόμον καινὸν μέγαν, κ̀ γράψον εἰς αὐτὸν γραφίδι ἀνθρώπε, τῦ ὀξέως προνομὴν σκύλων.* (c) *Vide Exod.* XXXII, 4; 4 *Reg.* V, 23; *Isai.* III, 22. (d) *Vide Chrysost. D. Thom. Richard. Victorin. lib.* 1 *de Emmanuele*; *Sixt. Sen. Vat. Clar. Forer. Montan. alios*. (e) *Euseb. Basil. Cyrill. Hieron. Procop. Rupert. Epiphan. hæres.* 78; *Aug. lib.* 17 *de civit. c. ult.* ita explicant, veluti sit pars vaticinii de Emmanuele sive Messia. (f) 4 *Reg.* XVI, 10, 11, 15. (g) *Jerem.* XXVI, 20. (h) *Hieron. hîc : Deinum narrat historia, quod Ezechias filius Achaz quæsierit Dominum, in diebus Zachariæ eruditi in timore Dei*. Sequutus est Versionem Septuaginta. (i) 2 *Par.* XXVI, 5 : *Exquisivit (Ozias) Dominum in diebus Zachariæ intelligentis, & videntis Deum*. (k) *Vide Chrysost. in Isai. c.* VIII, *p.* 763, *Edit. Morel. Rabb. Sixt. Sen. Sanct. hîc, & alios apud eumdem. S. Thom. apud Lyran.* Patrum plerique de Mariâ Virgine interpretantur. *Euseb. Cyrill. Basil. Hieron. Procop. Epiphan. alii*.

℣. 5. Et adjecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens:

℣. 6. Pro eo quòd abjecit populus iste aquas Siloë, quæ vadunt cum silentio, & assumpsit magis Rasin, & filium Romeliæ:

℣. 7. Propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam ejus: & ascendet super omnes rivos ejus, & fluet super universas ripas ejus.

℣. 8. Et ibit per Judam, inundans, & transiens usque ad collum veniet. Et erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terræ tuæ, o Emmanuel.

COMMENTARIUS.

TITUDO DAMASCI, ET SPOLIA SAMARIÆ, CORAM REGE ASSYRIORUM. Nullum unquam editum fuit Propheticum vaticinium perspicuum magis & accuratum; res enim ipsæ suis hìc exprimuntur nominibus, cum certâ temporis adscriptione. Filii nascituri vaticinium literis mandatur, coram testibus scriptum obsignatur. Quod opponant Ethnici, nullum habent futurorum oraculum pacis veritatis & evidentiæ. Teglathphalassar suppetias laturus Regi Achaz vênit anno regni ejusdem Achaz tertio, & post annum a lato Isaiæ vaticinio; quo simul anno fregit vires Damasci, & Rasin interfecto, subjectisque illi gentibus in regionem Kir translatis, vetus illud Imperium everit. Eodem anno Samariæ spolia diripuit. Nec Propheta Samariæ opes casuras prædixit; stetit enim post eam rem aliquandiu; sed diripienda dixit ejus spolia, & agendas captivas quatuor Tribus, scilicet Nephtali, Ruben, Gad & Manassen (l). Hæc omnia spirituali sensu commodè explicantur de victoriis, quas Jesus Christus de Mundo ac Dæmone retulit.

℣. 6. PRO EO QUOD ABJECIT POPULUS ISTA AQUAS SILOA, QUÆ VADUNT CUM SILENTIO, ET ASSUMPSIT MAGIS RASIN ET FILIUM ROMELIÆ.... (℣. 7.) ADDUCAT DOMINUS SUPER EOS AQUAS FLUMINIS; nempe Euphratis, qui sub nomine *fluminis* sine addito plerumque designatur. Populus iste, qui aquas Siloës abjecit, alius non est a populo Juda; neque enim in alium cadit animadversio illa, de qua hìc, ℣. 8, Propheta: *Ibit per Judam inundans, & transiens usque ad collum veniet.*

Quî verò gens Juda, aquis Siloës rejectis, confugit ad Rasin & Phacee, vel, ut habet Hebræus, *gavisa est* utroque hoc Rege? Quid aquæ Siloës? Designari his creditur (m) opem Domûs David, in qua spem collocare populus Juda tunc recusavit, cùm novit quàm ingentibus malis Regnum agitaretur, postquam rebus præfectus est Achaz. Tempori serviendum censuit Juda, redimendamque vexationem, tributo se obnoxium faciens Regibus Syriæ & Israëlis, vel Regem accipiens Tabeelem; quem ab iis Regibus propositum fuisse, legimus Capite superiori.

Cùm Achaz impar esset, sive ut rebus Juda consuleret, sive ut validissimis adversariis resisteret, suppetias ab Assyriis implorare coactus fuit, ne vel desereretur a suis, vel hostibus succumberet, maluit vectigalem se præbere Teglathphalassaro (n), quàm hisce Regibus cedere, qui in suam perniciem conspiraverant (o). Eâ in re populus æquè & Princeps rem Deo invisam moliti sunt; populus quidem, legitimum Regem deserens, spretis promissionibus, quibus Deus sese familiæ illius obstrinxerat, futurum scilicet, ut illi perpetuò Regnum Juda servaretur. Achaz verò, quòd negligeos validissimam Numinis opem implorare, spem omnem in profano homine collocarit, qui nec ab injuriis finitimorum, vel unico temporis momento ipsum tutatus est, nisi ut validiùs opprimeret. Pro æquo & pacifico Principe Tyrannum sævissimum & violentum habuit Juda; & irrigatione aquarum Siloës posthabitâ, inundationem Euphratis passus est. Pro Achaz, obtemperandum fuit Teglathphalassaro; cùm deinceps post Achaz, Assyriæ Reges jus in Judæam sibi vindicaverint.

Fontem Siloës describit hìc S. Hieronymus his verbis: *Siloë fontem esse ad radices montis Sion, qui non jugibus aquis, sed incertis horis diebusque ebulliat, & per terrarum concava & antra saxi durissimi cum magno sonitu veniat, dubitare non possumus; nos præsertim, qui in hac habitamus provinciâ.* Sed hic fontem describit, qualis erat ætate suâ; cùm Scriptura hìc aquas illas exhibeat, leniter & quietè fluentes: *Quæ vadunt cum silentio*; sive ex Hebræo (p), *euntes leniter*, tranquillè fluunt. Scaturiebant suavi impetu, fluebantque leni rivo, antequam varia Jerosolymorum excidia humum & rudera circa fontem aggeraverint, quibus aquæ absorberentur & asperarentur. Ætatis suæ testis Josephus fontem illum aquarum esse copiosissimum narrat (q).

℣. 7. ASCENDAT SUPER OMNES RIVOS EJUS, ET FLUET SUPER UNIVERSAS RIPAS EJUS. Describitur Euphrates, totam latè ditionem Juda inundans. Hic tumens exundansque, ripis & aggeribus superatis, tanto aquarum impetu & copiâ sese in hanc regionem effundet, ut collo tenus Judam mergat: *Transiens usque ad collum veniet.* Everso Damasceno Regno, & vastatâ Samariâ, Teglathphalassar victricibus copiis totum latè Regnum Juda miserrimè inundavit (r). Post illum, eò pariter vênit sub Rege Ezechia Sennacherib, formidabili exercitu regionem vastaturus: quam alteram expeditionem præ oculis habuisse hìc Propheta, orationis series indicare videtur.

℣. 8. ERIT EXTENSIO ALARUM EJUS IMPLENS LATITUDINEM TERRÆ TUÆ, O EMMANUEL. Relictâ allegoriâ fluminis inundantis, Assyriacas alas, regionem Juda invasuras, æquiori oratione describit. Nomine alarum designantur hìc, uti & apud Romanos, & nostros, militum agmina. Se-

(l) *Vide* 4 *Reg.* xvi, 9, 10; *&* 1 *Par.* v, 26; *& Usser. ad an. M.* 3264.
(m) *Cyrill. Procop. Forer. Vat. Sanct. Grot. Cornel. alii.* (n) 4 *Reg.* xvi, 7: *Misit ad Teglathphalassar, dicens: Servus tuus, & filius tuus ego sum, &c.* (o) *Isai.* vii, 6: *Ascendamus ad Judam, & suscitemus eum, & evellamus eum ad nos, & ponamus Regem in medio ejus filium Tabeel.*
(p) את מי השלוח ההלכים לאט (q) *Joseph. lib.* 6 *de Bell. c.* 6: Μέχρι σιλωᾶς, ὅτω γὰρ τὴν πηγὴν γλυκεῖαν, καὶ πολλὴν ὕδατι ἐκαλοῦμεν. (r) *Vide* 4 *Reg.* xvi, 10, *& seq. &* 2 *Par.* xxviii, 20: *Teglathphalassar, qui & afflixit eum (Achaz), & nullo resistente vastavit. Isai.* vii, 17, 18, 19.

ỳ. 9. Congregamini, populi, & vincimini, & audite universæ procul terræ: confortamini, & vincimini: accingite vos, & vincimini:

ỳ. 10. Inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet: quia nobiscum Deus.

ỳ. 11. Hæc enim ait Dominus ad me: Sicut in manu forti erudivit me, ne irem in viâ populi hujus, dicens:

ỳ. 12. Non dicatis, conjuratio: omnia enim quæ loquitur populus iste, conjuratio est: & timorem ejus ne timeatis, neque paveatis.

ỳ. 13. Dominum exercituum ipsum sanctificate: ipse pavor vester, & ipse terror vester.

ỳ. 14. Et erit vobis in sanctificationem. In lapidem autem offensionis, & in petram scandali, duabus domibus Israël; in laqueum, & in ruinam habitantibus Jerusalem.

ỳ. 15. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.

COMMENTARIUS.

ptuaginta (s): *Et erunt castra ejus ut impleant latitudinem regionis tuæ, Deus nobiscum.* Chaldæus: *Et erit populus exercitûs ejus implens plenitudinem terræ tuæ, o Emmanuel.* Terram Juda appellavit terram Emmanuelis, quòd Messias, verus Emmanuel, ibi mortalem lucem esset aspecturus, & ex Juda egrediens, Davidicum imperium ac solium occupaturus. Porrò Jesus Christus jus minimè dubium in regnum Judææ usurpare poterat; sed is qui symbolum erat & pignus futuri Messiæ, cùm ex Isaia & e Tribu Juda ortus esset, verissimè & meritò hanc terram suam esse regionem affirmare poterat; quod & multò æquiùs illi congruebat, cùm argumentum esset & signum omnium eorum, quæ in Juda eventura prædicebantur.

ỳ. 9. Congregamini, populi, et vincimini. Absoluto Deus imperio jura dat bello & victoriæ; colligit populos & dissipat; largitur victoriam, & adimit pro arbitrio. Assyrii, aliena gens, proficiscimini in bellum: in Judæam cogimini: hunc ego locum vestræ fugæ & cædi destino. Eò veniet Teglathphalassar; sed ita veniet, ut pertransisse videatur. Exercitum ingentem eò coget Sennacherib, terrorem minasque exitii & cædis ubique sparget; evomet in Deum ac Templum convicia (t): sed ipse omnesque illius copiæ ibi peribunt, eò majori exitio, quò major fuerit agminum copia: *Congregamini & vincimini.* Consilia molietur superba, minabitur, copiarum suarum robur gloriabundus prædicabit: sed Dominus molimina illius evertet, vires franget, atque ipsum denique nece miserabili auferet. (ỳ. 10) *Inite consilium, & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet.* Idcirco autem hæc omnia fient, quòd Deus nobiscum sit, nobis præsto sit Emmanuel: *Quia nobiscum Deus;* vel ex Hebræo: *Quia Emmanuel.* Divini patrocinii certum pignus tenemus in puero, cujus ortum vobis prænuncio. Porrò noctis unius spatio Angelus Domini centum octoginta quinque millia Assyriorum trucidavit (u). Idumæi in ordinem redacti sunt, dejecti Philistæi (x) sub Achazi successore Ezechia.

ỳ. 11. Sicut in manu forti erudivit me, ne irem in via populi hujus, dicens: (ỳ. 12) Non dicatis: Conjuratio; ne communem in universo hoc populo vocem usurpes: Conjurationem ineamus. Hebræus ad verbum (y): *Nam sic dixit Dominus ad me in fortitudine manûs, & erudivit me, ne abeam in viâ populi hujus, dicendo: Non dicatis, Conjuratio, ad omnia quæ populus iste appellat conjurationem.* Hæc dixit Isaias, quo tempore universum Judam tenebat (z) terror armorum Regum Syriæ & Israëlis, quibus tota regio vastanda, & cædibus implenda timebatur. Territus populus, nec sperans ex Achazo, *aquis Siloë*, ex domo Davidis tantum auxilii, quantum sat esset in præsenti discrimine, conspiraverat, ut Regibus Phacee & Rasin vectigalem sese faceret (a). Jubetur Propheta a Domino consiliis populi minimè accedere, ac despondentes illius animos confirmare, hortarique, ne metuant: *Timorem ejus ne timeatis;* confugiant ad Dominum, debitamque illi referentes gloriam, hunc unicum Liberatorem suum agnoscant; ac denique nomen illius sanctificent vitæ sanctimoniâ morumque sincerâ emendatione. (ỳ. 13) *Dominum exercituum ipsum sanctificate.* Deum solummodò veremini, inanesque hostium minas spernite: *Ipse pavor vester, & ipse terror vester.*

ỳ. 14. Erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis...... duabus domibus Israel. Quicumque ex vobis meis hisce monitis obsequentur, illis nuncio futurum, ut in Domino gloriam, robur, sanctitatem nanciscantur: at qui contumaces in conspiratione & defectione a Rege suo perstiterint, illi utique in eâ, quam tenent, viâ Dominum offendent, eritque illis Deus lapis offensionis ut cadant. Coactus Achaz vi hostium & perfidiâ suorum, totum se Teglathphalassaro Regi Assyriorum tradet, qui Regnum Israëlis vastabit, & tres quatuorve Tribus rapiet in captivitatem. Tum Regnum Juda aggressus, hostilia omnia exercebit, subjiciet omnia & spoliabit. Ita fiet, ut duæ Israëlis domus, vel duo Regna, Juda scilicet ac decem Tribuum, exitium patiantur in hoc bello, quod vos in vestram Regionem provocastis. Ipse rei eventus plus nimio fidem vaticinio adstruxit, uti ex Historiâ discimus.

ỳ. 16. Li-

(s) Καὶ ἔσται ἡ παρεμβολὴ αὐτοῦ, ὥστε πληρῶσαι τὸ πλάτος τῆς χώρας αὐτοῦ. *Heb.* והיה מטות כנפיו מלא רחב ארצך (t) 4 *Reg.* XVIII, 19, 20. (u) 4 *Reg.* XX, 35. (x) 4 *Reg.* XVIII, 8.
(y) כה אמר יהוה אלי בחזקת היד ויסרני מלכת בדרך העם הזה לאמר: לא תאמרון קשר לכל אשר יאמר העם הזה קשר: Μή ποτε εἴπητε σκληρόν. πᾶν γὰρ ὃ ἐὰν εἴπῃ ὁ λαὸς οὗτος σκληρόν ἐστι. Legebant קשה pro קשר (z) *Isai.* VII, 2. (a) Vide quæ diximus in ỳ. 6.

℣. 16. Liga testimonium, signa legem in discipulis meis.
℣. 17. Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a domo Jacob, & præstolabor eum.
℣. 18. Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israël a Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.
℣. 19. Et cùm dixerint ad vos: Quærite a pythonibus, & a divinis, qui strident in incantationibus suis: Numquid non populus a Deo suo requiret, pro vivis a mortuis?
℣. 20. Ad legem magis, & ad testimonium. Quòd si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.

COMMENTARIUS.

℣. 16. LIGA TESTIMONIUM; SIGNA LEGEM IN DISCIPULIS MEIS. Ea quæ tibi prodo, secreti claustro contine; legem meam veluti obsignatam inter discipulos meos habe: Vel, contine inter discipulos tuos, qui verba mea excipiunt, & fidem minis & promissionibus meis adhibent. Scribe & obsigna quæ ego prædico tibi de ortu filii tui, & Regni utriusque calamitate; ut re peractâ, velint nolint, veritatem verborum meorum fateri increduli cogantur. Mos olim obtinebat, ut cùm arcanum aliquod in pugillaribus scribebatur, obvolverentur hi lineo quodam panno, sigillo superiùs admoto. Huc respicit Isaias verbis hisce: *Liga testimonium, signa legem.*

℣. 17. EXPECTABO DOMINUM, QUI ABSCONDIT FACIEM SUAM A DOMO JACOB. Ego & discipuli mei tranquillo animo opperiemur vaticiniorum meorum eventum; oppetiar tempus, quo indignantis in scelera Jacobi, Domini verba impleantur. Porrò Deus faciem ab illo avertit, & in exitium abire miserum patietur. Novi enim, remedii impatientem esse morbum quo laborat; illiusque excidium irrevocabili sententiâ decrevi.

℣. 18. ECCE EGO ET PUERI MEI, QUOS DEDIT MIHI DOMINUS IN SIGNUM ET IN PORTENTUM ISRAEL A DOMINO EXERCITUUM. Judæorum Religioni sua erant futurorum præsagia & miracula varii generis & rationis. Non libri tantummodò, & verba ac monita hominum divinitus afflatorum; sed ipsi pariter Prophetæ, eorumque familiæ, filii, & uxores interdum, spirantia veluti vaticinia, & proposita populo exempla habebantur. Uxor & filii Osee (b) signa erant & morum documenta Israëlitis. Ambo filii Isaiæ, nempe (c) *Sear-jasub*, *Reliquum redibit*; & *Caseb-bar* (d), *Accelera spolia detrahere*, præsagia erant palam Judæ exhibita. Ipse pariter Isaias (e) nudis pedibus incedens, nonne subjecto sensibus ipsis præsagio futuros Ægypti eventus portendit? Varia ejusdem moris exempla Jeremias & Ezechiel in se exhibent. Denique universè certum est, Dominum in Prophetarum sermone & in ipsis Prophetis sese exhibuisse (f): *In manu Prophetarum assimilatus sum.* Hic igitur verborum Isaiæ sensus est: Ecce ego & filii mei prodigium & vaticinium in Israële exhibiti sumus. Deo visum est, certum tempus auxilio iræque suæ adscribere, ortu atque ætate filiorum meorum definitâ; quemadmodum meæ vocis instrumento ad nunciandas populo veritates suas usus est.

℣. 19. CUM DIXERINT AD VOS: QUÆRITE A PYTHONIBUS ET A DIVINIS, QUI STRIDENT IN INCANTATIONIBUS SUIS. Verbum *strident* strepitum significat illi similem, quem sive candens ferrum aquâ mersum, vel cardines forium male uncti, vel serra, cùm limatur, reddunt. Agentes Profani de fragore Sagarum umbrarumque carminibus evocatarum, hanc, vel non dissimilis significationis vocem adhibent (g). Ita ergo Dominus Prophetam, ejusque filios & Discipulos affatur: Cùm vocabimini ad Magos vel Sagas, hæc respondebitis: Nonne gentium unaquæque Deos suos consulit? An mortuorum oracula de futuris vitæ hujus eventibus interrogantur? Legem Domini potiùs, ejusque per Prophetas responsa consulamus; *Numquid non populus a Deo suo requirit visionem? Pro vivis a mortuis? Ad Legem magis, & ad testimonium.*

Septuaginta (h): *Quærite ventriloquos, & eos qui de terrâ loquuntur, vana loquentes, qui de ventre clamitant. Nonne gens ad Deum suum exquirent? Quid exquirunt de vivis mortuos? Legem enim in auxilium dedit*; Legis suæ auxilium nobis dedit, quam habere nos voluit loco divinationum, & qua præstigia omnia vetantur. Prophetas potiùs illius spiritu afflatos conveniamus. Hebræus ad literam (i): *Ite ad Pythones & ad murmuratores*; ad illos qui carmina magica surdis vocibus obmurmurant, uti de Magis Persarum tradit Herodotus (k). Porrò Hebræa vox *Mehagim* radix est non obscurè vocis *Magus*. Derivatur autem ex *Haga*, quod sonat meditari, gemere, obmurmurare.

℣. 20. AD LEGEM MAGIS ET AD TESTIMONIUM; ad legem scilicet illam ac testimonium (l), de quibus superiùs, ℣. 16; ad vaticinia, quæ Isaias Dei nomine tulit. Hinc discetis futuros omnes belli hujus eventus & exitum. Frustra vos eâ de re Divinos consulitis; Divinos, inquam impares, qui futura vos doceant, cùm disertè omnia tradantur in Libro, quem vobis audientibus lectum, jussu Domini obsignavi. Vel potiùs: Cur Magis & Ariolis studetis? consulite potiùs Dei Legem, ejusque Prophetas, ex quibus certas habebitis agendi rationes, & exploratas voluntatis Divinæ expositiones. Confer Ecclesiasticum, XXXIV, 28.

QUOD SI NON DIXERINT JUXTA VERBUM HOC, NON ERIT EIS MATUTINA LUX. Densissimis occupabuntur tenebris, & deplorato morbo languebunt.

Nox

(b) *Osee*, I, 2, 3, 9. (c) *Isai.* VII, 3. (d) *Isai.* VIII, 1. (e) *Idem*, XX, 2. (f) *Osee*, XII, 10. *Vide Hieron. hic.* (g) *Horat. ser.* I, *satyr.* VIII;

. . . . Quo pacto alterna loquentes
Umbra cum saganâ resonarent triste & acutum.

(h) Ζητήσατε τοὺς ἐγγαστριμύθους, καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς γῆς φωνοῦντας, καὶ τοὺς κενολογοῦντας, οἳ ἐκ τῆς κοιλίας φωνοῦσιν, οὐκ ἔθνος πρὸς θεὸν αὐτοῦ ἐκζητήσουσι· τί ἐκζητήσουσι περὶ τῶν ζώντων τοὺς νεκρούς; νόμον γὰρ εἰς βοήθειαν ἔδωκεν. (i) המצפצפים והמהגים (k) *Herodot. lib.* I, *cap.* 131.
(l) לתורה ולתעודה

℣. 21. Et transibit per eam, corruet, & esuriet: & cùm esurierit, irascetur, & maledicet regi suo, & Deo suo, & suspiciet sursum.
℣. 22. Et ad terram intuebitur, & ecce tribulatio & tenebræ, dissolutio & angustia, & caligo persequens, & non poterit avolare de angustiâ suâ.

COMMENTARIUS.

Nox & tenebræ exprimunt res tristes miserasque; uti lux prosperas & lætas; lux autem *matutina* spes est melioris conditionis. Inter calamitates suas relinquentur, ut fortunæ melioris spes nulla reliqua sit: nunquam matutinam lucem aspicient.

℣. 21. Et transibit per eam, corruet. Hebræus (m): *Et transibit in illam* (in terram) *mala patiens & esuriens*. Vitam aget infelicem & egestate miseram. Septuaginta (n): *Et veniet super eos dura fames*; super incredulos scilicet Juda, & Israëlis. Aliter: Violabunt legem miseri & famelici.

Maledicet Regi suo et Deo suo. In rabiem & desperationem acti maledicent, quippe quos miserè angent mala, quæ suis in se criminibus provocarunt, facilè vitaturi humili erga verba Domini subjectione. Regem habebunt sui oppressione sævissimum, defensione infirmum: at in Deo nihil nisi fororem in sui supplicium, & erga lacrymas suas contemptum & neglectum invenient. Seu: *Maledicent Regibus & Principibus suis*; Ducibus qui tanta mala in ipsos induxerunt. Vel: Maledicent Regi suo, & Idolis suis. Hebræa vox (o) *Elohim* usurpatur sæpè pro Principibus & Numinibus superstitiosis.

℣. 22. Et non poterit avolare de angustia sua. Hebræus (p): *Qua est sine dolore, non poterit avolare*. Vel potiùs, junctis hisce cum præcedentibus: Cœlum respiciet, considerabit Terram, nec aliud intuenti obversabitur, *nisi dolor, tenebræ, & caligo, quibus obvolvetur, & nox quæ illum infectabitur*; ut nulla evadendi via pateat; vel avolandi ab hac, qua undique obsidetur, caligine. Vernaculo nostrorum sermone vix sentiri potest elegans ille verborum lusus inter vocem *Meuph*, *caligo*, *obscuritas*; & *Muaph*, quod est avolare.

CAPUT IX.

Vaticinium de ortu Messiæ & prædicatione Jesu Christi per Galilæam. Libertas Juda. Calamitas Regni Israelitici.

℣. 1. PRimo tempore alleviata est terra Zabulon, & terra Nephthali: & novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium.

COMMENTARIUS.

℣. 1. PRimo tempore alleviata est Terra Zabulon, et Terra Nephthali, et novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galilææ gentium; aggravata est scilicet manus Domini super Galilæam Gentium in viâ maris trans Jordanem. Judæos ad Christi fidem conversos hæc omnia de Jesu Christo olim exposuisse, testis est Sanctus Hieronymus hîc. Tribus Zabulonis & Nephtali, ac Galilæam Gentium primas omnium occuparunt Assyrii, & captivas transtulerunt: sed eædem omnium primæ ætate Jesu Christi lucem Evangelii avidè perbiberunt, eamque in cæteras gentes transmiserunt per Apostolos, genere fermè omnes Galilæos. Tribus Zabulonis & Nephthali omnium primæ excusso traditionum Scribarum jugo, & scisso errorum Pharisaicorum velo, puros oculos ad fidem Jesu Christi extulerunt. Denique Sanctus Paulus, Apostolorum novissimus, fidem Jesu Christi ad nationes ac trans mare detulit. Christiani omnes Interpretes uno assensu fatentur, præsagire hæc Evangelii tempus; quam in sententiam nos ducit Sanctus Matthæus (a), cùm totum hunc Textum accommodet Jesu Christo, in Galilæâ aliquandiu commoranti. *Ut adimpleretur*, ait, *quod dictum est per Isaiam Prophetam: Terra Zabulon & terra Nephthali, via maris trans Jordanem, Galilæa Gentium, populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam*.

Commodè autem, ex Hebræo, haberi hæc possunt veluti continuata series minarum, quibus Propheta impios, & incredulos castigat. Gravâ terrore, cujus vitandi multa suppetet ratio, tenebuntur (b): *Primò quidem Terra Zabulon & terra Nephthali alleviata est*. Æquiorem experta est Teglathphalassarum, quàm cæteræ Tribus: tum *via maris* Genesareth, *Regio trans Jordanem, & Galilæa Gentium aggravata sunt*. Manus Victoris capiti illorum gravis incubuit; pondus belli totum in illos recidit (c): universâ enim Syriâ vastatâ, direptâ eversâque Damasco, Teglathphalassar belli impetum vertit in Zabulonem & Nephthali; regiones illas hostiliter peragravit, & incolas trans Jordanem abduxit. Sed mala sunt hæc mitissima eorum comparatione, quæ intulit regioni, quæ secundùm mare Tiberiadis porrigitur, *via maris* (d), Tribubus Ruben, & Gad, & dimidiæ Manasse, quæ *trans Jordanem* consederant; & Ga-

(m) ועבר בה נקשה ורעב (n) Καὶ ἥξει ἐφ' ὑμᾶς σκληρὰ λιμός.
(o) וקלל במלכו ובאלהיו (p) כי לא מועף לאשר מוצק לה Recensuit ℣. superiori מוצק & מועף inter mala, quæ illis minatus est: paranomasia est in eâ voce מועף quæ pro *tenebris* usurpatur ℣. 21, & *volare* ℣. 22. Quasi ferat Textus ולא מעף למועף אשר מיצק לה *Et non est avolatio obscuritati quæ eum premit*. (a) Matt. IV, 13.
(b) כעת הראשון הקל ארצה זבלון וארצה נפתלי : והאחרון הכביד דרך הים עבר הירדן גליל הגוים (c) *Ita Thom. Hugo, Vatab. Adam. Jansen. Concord. Evangel. c. 25; Hebræi passim.*
(d) *Adrichom. p. 115, Theatr. terræ sanctæ.*

℣. 2. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta est eis.

℣. 3. Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam. Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores captâ prædâ, quando dividunt spolia.

℣. 4. Jugum enim oneris ejus, & virgam humeri ejus, & sceptrum exactoris ejus superasti, sicut in die Madian.

COMMENTARIUS.

& *Galilæa Gentium*, quæ pariter trans Jordanem ad meridiem maris Tiberiadis sita erat. Populos hosce plurimis affecit malis, captivosque egit trans Euphratem. Gesta hæc sunt vertente anno post Isaiæ vaticinium. Vide 2 *Par.* v, 26.

Septuaginta (e): *Hoc primum velociter bibe, velociter fac; regio Zabulon, terra Nephtalim, & reliqui qui juxta mare, & trans Jordanem, Galilæa Gentium.* Haurite citò furoris Domini calicem, quo vos omnium primi inebriabimini. Hæc accidisse sub Teglathphalassaro, superiùs animadvertimus.

℣. 2. POPULUS QUI AMBULABAT IN TENEBRIS, VIDIT LUCEM MAGNAM. Cùm Jesus Christus circa mare Tiberiadis, relictâ urbe Nazareth, versari cepit, ejus regionis incolis novi solis lux affulgere cepit, pulsis iis, quibus obvolvebantur, tenebris, quippe qui remotissimi a Templo erant, Prophetis carebant, & regionem incolebant, in qua Propheta aliquis surrecturus minimè sperabatur (f): *A Galilæâ Propheta non surgit*, ajebant ad Nicodemum Judæi. Verùm ut inceptam jam historicæ interpretationis seriem prosequamur, reputari commodè potest, quo tempore Teglathphalassar Regnum Israëlis excurrit, & mala illa, de quibus hactenus, in Tribus Zabulonis, Nephtali, Ruben, Gad & Manasse intulit, tunc Regno Judæ, obscuræ noctis caligine eò usque obvoluto, novam veluti lucem affulsisse, spe conceptâ futurum, ut brevì exitum malorum calamitatumque suarum videret. De his omnibus ita loquitur Propheta, utì de re jam gestâ; quamquam reverà tempus implendi hujus oraculi remotissimum erat, nec felicis hujus rerum conversionis suspicio tunc aliqua mentibus succurrebat. Alii (g) dictum accipiunt de prodigiosâ libertate Judæorum sub Ezechia, quem Sennacherib infestis armis invaserat: cui sententiæ series oraculi plurimum favet. Re ipsâ quidem gaudium tunc a Judæis conceptum, quòd se liberatos metu Rasin & Phacee armis Teglathphalassari sentirent, breve adeò fuit, tantamque malorum appendicem sub eodem Principe secum intulit, ut omnia, quæ hîc de prosperis Judæorum rebus legimus, vix ac ne vix quidem huic tempori congruere posse videantur.

IN REGIONE UMBRÆ MORTIS; in sepulcro, ubi æterna nox regnat. Umbra vel tenebræ mortis exprimunt mortales tenebras, morti inferendæ aptas, vel potiùs iis similes, quibus obvolvuntur mortui in sepulcro, sive in tristibus iis locis, ubi detineri in alterâ vitâ animas rebantur (h).

. . . . *Umbræque silentes,*
Et Chaos, & Phlegeton, loca nocte silentia latè.

℣. 3. MULTIPLICASTI GENTEM, ET NON MAGNIFICASTI LÆTITIAM. Formidabilem copiarum exercitum collegit Sennacherib (i); sed quo majori agmine stipabitur, eo majus experietur exitium. Cogetur enim solitarius proripere sese in Regnum suum, postquam gladio Angeli exterminatoris totus illius exercitus perierit. Legunt Hebræi (k): *Multiplicasti gentem; auxisti illi lætitiam.* Judæa gens sub Ezechia felici incremento plurimum creverat, cui rerum prosperitate, magnisque beneficiis pro numero populi favisti. Alii (l), intacto Textu negationem ferentes, vertunt: *Multiplicasti gentem, non multiplicasti lætitiam?* Cæsis hostibus Juda, fuso Sennacheribo, populus Domini numero auctus, jucundæ pacis bono fruens, felicique prosperitate quiescens, sub Regno pii Ezechiæ, nonne gaudio pro numero auctæ gentis cumulabitur?

Felix hoc Regnum, sed ab ipsis caordiis vexatum, nonne viva est imago Ecclesiæ Jesu Christi, quam in ipso ortu hostes lacessiverunt: sed quæ denique victrix evasit, & numero populi in immensum crevit? At mira hæc fœcunditas, & incrementum sanè prodigiosum nonne Ecclesiæ incommoda extitere, cùm illius filii morum & disciplinæ severitate exciderint? Quo sensu verissimè affirmatur: *Multiplicasti gentem, & non magnificasti lætitiam.* Nimia illa piscium multitudo, quam Sanctus Petrus piscatu cepit, vix cymbam non mersit (m). Vertit Symmachus (n): *Multiplicasti gentem, quam non magnificasti. Impleti sunt gaudio, ut illi qui lætantur in messe.* Assyrios multiplicasti, quorum ingentes copias in Judæam coëgisti; sed commodis illorum non servisti, neque enim pro illorum spe, res illis cessit. Gaudens populus tuus victorum hostium spolia colliget, utì gaudent messores, ubi plenam messem referunt.

LÆTABUNTUR CORAM TE, SICUT QUI LÆTANTUR IN MESSE. Populus tuus, o Deus, grates in Templo aget ob improvisam nobilissimamque victoriam. Hostium sævissimorum spolia dividentes ita gaudio efferentur, utì messores, dum messem legunt.

℣. 4. JUGUM ENIM ONERIS EJUS, ET VIRGAM HUMERI EJUS, ET SCEPTRUM EXACTORIS EJUS SUPERASTI, SICUT IN DIE MADIAN; cùm scilicet Gedeon prodigiosâ prorsus victoriâ Madianitarum exercitum, a quibus populus opprimebatur, fudit (o). Variis expressam phrasibus describit Propheta oppressionem, qua Juda sub Assyriis Regibus gemebat; utì enim animadvertimus, Scriptura non semel conceptis verbis affirmat (p), Assyrios Reges jam inde a Teglathphalassaro non aliter habuisse Reges Juda, quàm subditos ac vectigales. *Sceptrum exactoris* est vis, qua in eâ Regione sæviebant Præpositi vectigalium, quæ Regibus Assyriæ pendebantur. Injuriis hisce fatigatus Ezechias,

(e) Τοῦτο πρῶτον ταχὺ πίε, ταχὺ ποίει, χώρα Ζαβουλὼν, καὶ ἡ γῆ Νεφθαλεὶμ, καὶ οἱ λοιποὶ τὴν παραλίαν, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν.
(f) *Joan.* VII, 52. (g) *Jansen. Gand. Concord. Evang. c.* 28; *D. Thom. Hugo, Lyr. Adam. in* ℣. 3. *Grot. hic.*
(h) *Virgil. Æneid.* VI. (i) *Ita D. Thom. Adam. Hugo, hic; Lyr. lib. Differentiarum. Grot. hic.*
(k) הרבית הגוי לא (Heb. לו) הגדלת השמחה (l) *Ita Thom. Lyr. Hugo, Adam.*
(m) *Luc.* v, 7. (n) *Sym.* Ἐπλήθυνας τὸ ἔθνος, ὃ οὐκ ἐμεγάλυνας. Εὐφροσύνῃ εὐφράνθησαν ἐνώπιόν σου, ὡς εὐφροσύνῃ ἐν θερισμῷ. (o) *Judic.* VII. (p) 4 *Reg.* XVIII, 7, 14; & 2 *Par.* XXVIII, 20.

℣. 5. Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine, erit in combustionem, & cibus ignis.

℣. 6. PARVULUS enim NATUS est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.

COMMENTARIUS.

chiss, a Sennacheribo defecit, bellumque illud in se concitavit, de quo hîc Propheta, cujus eventus tam feliciter Judæ cessit, ut plenam in libertatem restitutus fuerit (q).

℣. 5. OMNIS VIOLENTA PRÆDATIO CUM TUMULTU, ET VESTIMENTUM MISTUM SANGUINE, ERIT IN COMBUSTIONEM, ET CIBUS IGNIS. Hebræus (r): *Quia omnis pugna confligentis in strepitu, & vestimentum involutum in sanguinibus, & dabuntur flammis in cibum ignis.* Hæc significare videntur, Angelum exterminatorem, qui omnem Sennacheribi exercitum neci dedit, subitas injecisse turbas subitumque terrorem in Assyrios, ut unusquisque arma in socium verterit, omnesque mutuâ cæde imprudentes corruerint; quamobrem illorum vestes undique laceratas, & cruore madentes, nulli deinceps usui aptas, Hebræi cremare coacti fuere. Vide nostram dissertationem de clade exercitûs Sennacheribi.

℣. 6. PARVULUS ENIM NATUS EST NOBIS, ET FILIUS DATUS EST NOBIS, in harum victoriarum pignus & fidem. Felix rei eventus præsens, sensibus ipsis subjectus, quo Deus nobis in hostes favit, datusque hic nobis Puer, futurorum pignus, certâ fide res multo gravissimas, & futurum alterius filii ortum pollicentur, cujus dignitas & natura humanam longè superabit. Sermo hîc est de ortu Jesu Christi, qui verus est Messias, Deus, Liberator & Dominus, non Israëlis modò & Juda, sed & humani generis planè universi. Ad hunc necessariò, & directo, pleno, & literali sensu referuntur omnia, quæ de Puero recèns nato mox leguntur.

FACTUS EST PRINCIPATUS SUPER HUMERUM EJUS; Principatûs insignia in humeris gestat; vel planiùs: Totum imperii pondus in se suscepit: quamquam puer, humeros imperio subjecit, utpote oneri viribus suis non majori. Is æterna est Sapientia, justitia, veritas, & virtus Patris, in quo tota Spiritûs consilii, virtutis, & æquitatis plenitudo residet. Theodotion & Symmachus vertunt (s): *Eruditio ejus super humeros ejus.* Humeros spontè subjecit iniquitatum nostrarum oneri, quarum pœnam atque supplicium in se assumpsit, ut æterno nos Patri reconciliaret: *Disciplina patris nostri super eum*, ait alibi Isaias (t). Tertullianus (u) aliique Patres explicant de Cruce, quam Jesus Christus humeris impositam in argumentum Regiæ dignitatis gessit. Hebræus (x): *Et erit Principatus super humerum ejus.* Feret insignis authoritatis supremæ, sceptrumque humeris gestabit. Principes & viri quique amplissimi insignis dignitatis suæ in humeris ferebant, uti nos inferiùs (y) demonstrabimus.

VOCABITUR NOMEN EJUS, ADMIRABILIS, CONSILIARIUS, DEUS, FORTIS, &c. Nobilissima hæc nomina implevit Jesus Christus, qui omnes hasce laudes absolutissimè in se uno conjunxit. *Admirabilis* idem est in æternâ ipsius Generatione, Incarnatione, Ortu temporali, cæterisque rebus a se divinitus gestis; idem *Consiliarius*, utpote salubrium omnium consiliorum, rerumque sanctè & perfectè decretarum author & suasor: ille nos lumine suo illustrat, veritate docet, ad amorem boni efficacem & justitiæ studium gratiæ suæ illecebris trahit; denique voluntatem nobis agendi, ipsumque opus quod agimus, in nobis efficit (z). *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo* (a). Pari cum Patre naturæ & dignitatis gradu consistit: Regnum suum ad omnia sæcula prorogat, sibique cultum Angelorum & hominum vindicat, atque in nominis illius obsequium omnia flectunt genu, cœlestia, terrestria, & inferna (b).

Naturæ suæ necessitate *Fortis* est, totiusque fortitudinis fons & origo; sine quo humanum robur mera imbecillitas est; sapientia in insaniam vertitur. Illo largiente jura dant Reges, illoque tradente sceptrum habent Principes (c). Omnis illi potestas in Cœlo terràque asserta est. Ipse verus exercituum Deus, ipse Imperiorum & Diadematum largitor. Quemadmodum Adam, ait Theodoretus, sæculi præsentis pater est; ita Jesus Christus *Pater sæculi futuri*. Generis humani res accisas ille restituit, & pro sententiâ mortis, qua omnes obvolvebamur, ad vitam nos vocat, & singulos homines in libro adoptionis descripsit, ut Dei filii appellemus & simus, Deumque nomine Patris nostri compellare non vereamur (d). Nec alius ab ipso ad novam vitam mortales invitat; & post infelices brevis hujus peregrinationis dies, felicitatis æternæ quietem in Cœlo nobis confert. Denique Jesus Christus *Princeps* est *Pacis*, Rex pacificus, verusque Salomon, cujus munere verâ solidàque animi tranquillitate (e), firmàque cum Deo pace fruimur.

Septuaginta Complutenses (f): *Appellabitur Magni Consilii Angelus, Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Potens, Princeps pacis, Pater futuri sæculi. Ducam enim pacem, & incolumitatem ejus super Principes.* Eamdem sententiam totidem verbis recitat S. Irenæus (g) & Eusebius (h): at hic in Commentariis in Isaiam, cum Romanâ Editione, cujus verba modò dabimus, omnino consentit. Recitat & S. Ignatius in Epistolâ ad Antiochenos; ac denique ita legunt plures manuscripti Codices Septuaginta (i). Romana Editio mol-

tò

(q) *Thom. Lyran. Adam. alii.* (r) כי כל סאון סאן ברעש ושמלה מגוללה בדמים והיתה לשרפה מאכלת אש. LXX obscurè: Ὅτι πᾶσαν στολὴν ἐπισυνηγμένην δόλῳ, καὶ ἱμάτιον μετὰ καταλλαγῆς ἀποτίσουσι, καὶ θελήσουσιν εἰ ἐγένοντο πυρίκαυστοι. (s) Καὶ ἔσται ἡ παιδεία ἐπὶ τοῦ ὤμου αὐτοῦ.

(t) *Isai.* LIII, 5. (u) *Tertull. contra Judæos, & alii. Vide a Castro hic.*

(x) ותהי המשרה על שכמו *Aqu.* Μέτρον, *Mensura: alii, principatus.* (y) *Vide ad Isai.* XXII, 22.

(z) *Philipp.* II, 13: *Deus est enim qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bonâ voluntate.*

(a) *Philipp.* II, 6. (b) *Philipp.* II, 10. (c) *Prov.* VIII, 16. (d) *Rom.* VIII, 15; *Gal.* IV, 6.

(e) *Joan.* XIV, 27. (f) Μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, θαυμαστὸς, σύμβουλος, Θεὸς ἰσχυρὸς ἐξουσιαστὴς, ἄρχων εἰρήνης, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, ἄξω γὰρ εἰρήνην ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας, καὶ ὑγιείαν αὐτοῦ.

(g) *Irenæ. lib. 4, c. 33, nov. edit, advers. hæres.* (h) *Euseb. Demonst. lib. 7, & 9.*

(i) *Vide Nobilium hic.*

℣. 7. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: super solium David, & super regnum ejus sedebit; ut confirmet illud, & corroboret in judicio, & justitiâ, amodò & usque in sempiternum: zelus Domini exercituum faciet hoc.

℣. 8. Verbum misit Dominus in Jacob, & cecidit in Israël.

COMMENTARIUS.

tò brevior est; fert enim (k): *Vocabitur nomen ejus, Magni Consilii Angelus, addacam enim pacem, & sanitatem ejus super Principes.* Nec plura legunt S. Basilius, S. Cyrillus, Theodoretus, & S. Hieronymus in suis ad hunc locum Commentariis; quibus etiam suffragatur S. Ambrosius (l) & S. Cyprianus (m); ac denique eamdem lectionem servat Ecclesia in Introitu tertiæ Missæ Natalitiæ. Aquila reddiderat (n): *Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Fortis, Potens, Pater futuri, Princeps pacis.* Symmachus (o): *Vocabitur nomen ejus paradoxum, Consultus, Fortis, Potens, Pater sæculi, Princeps pacis.* Gemina fermè habet Theodotion.

Porrò Interpretes isti inter laudes, quæ hîc recensentur, dolo malo omiserunt *Dei* nomen, quamvis in Hebræo legerint *El*, quæ vox procul dubio Deum significat; ejusque loco scripserunt, *Fortis*, idcirco fortasse, quòd vox *El* interdum hac pariter significatione usurpetur. Sed quis credat, Sacrum Scriptorem duo simul verba ejusdem significationis conjunxisse, *Fortis*, *Potens*? Incertissimum est insuper, nomen *El* in singulari fortem tantummodo significare; quin hanc significationem apertissimè respuit, ubi, ut hîc legitur, jungitur adjectivo, & voci *Gibbor*, quæ inter consueta Dei epitheta adscribitur, ut sit: *Deus potens*, vel *Deus*, *Potens*; *El-Gibbor*.

Quid fuerit in causâ, cur in Codices Septuaginta discrimen illud irrepserit, ignoratur. S. Hieronymus hoc loco ita scribit: *Quæ nominum majestate perterritos Septuaginta, reor non esse ausos de puero dicere, quòd apertè Deus appellandus sit, &c. sed pro his sex nominibus posuisse, quod in Hebraico non legitur, Magni consilii Angelum; &, Adducam pacem super Principes, & sanitatem ejus.* Hæc tamen ratio statim corruit, si olim in vetustis pluribus Codicibus hæc omnia legebantur, quemadmodum apud plures vetustos Patres habentur. An igitur hujus rei culpam transferemus sive in Judæorum nequitiam, sive in oscitantiam librariorum, sive in Hæreticorum dolum? Verùm si Judæos accusemus, cur illi in Bibliis Hebraicis hæc retinuere? Cujus ætatis Hæretici dicam nobis hac de re impegerunt? Quis in animum induxerit, librariorum solertiam hîc potissimum, ubi rei gravitas maximè poscebat, defuisse?

Grotius reddit: *Et vocabit* (eum quisque) *Admirabilem, Consultatorem Dei Fortis*; quòd scilicet Ezechias, quem hîc designatum sub nomine Pueri hujus admirabilis agnoscit, Deum per Prophetas in omnibus rebus consulturus esset; longè aliter, quàm Achaz soleret, qui nec Dominum satis, nec Propheta illius quidquam colebat. Sed Grotii fides de Divinitate Jesu Christi ambigua semper fuit; ac mirum profectò est, Virum eruditissimum, qui interdum (q) fatetur, Socini sectatores Christianorum nomine indignos esse, ubique fermè conatum esse oracula omnia detorquere, quæ ad nostram usque ætatem Catholici omnes & Protestantes uno consensu de Jesu Christi divinitate exposuerunt. Ad hunc versiculum quod attinet, an Grotio, qui illum nobis eripuit, non succurrit, vel infestissimos Jesu Christi osores, Judæos inquam & Socinianos (r), qui Divinitatem Jesu Christi negant, dicta hæc de Deo exposuisse, coactos verborum evidentiâ, & traditione constanti, quæ epitheton Consiliarii a nomine Dei nunquam non sejunxit? Insuper an ignorabat, Hebræum (s) *Joez* nunquam sonare illum qui alterum consulit, sed eum qui alteri consilium dat? Grotii sensus si admittatur, quis Deo Consiliarius esse poterit? *Quis adjuvit Spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, & ostendit illi* (t)? Quî conveniant Ezechiæ singula hæc nomina, hîc expressa? an de puero saltem decenni usurpari potest, *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis?* Verè ne affirmari potest, sub ejus Regno omnia æternâ pace quievisse; illum Patrem esse sæculi futuri; regnum illius ita firmandum, ut in sæcula perpetua floreret? Nonne scitum est, quas turbas metus Sennacheribi in illius regno conciverit & foverit? Nonne scitum est, neglexisse Ezechiam Dominum consulere in eâ, quam a Rege Babylonis accepit, legatione; infelicem filiis fuisse, cùm successorem reliquerit Manassen, Principem reliquorum, qui deinceps in Juda regnarunt, nequissimum?

℣. 7. Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis. Ecclesia Jesu Christi, toto latè orbe diffusa, & pax, quam ipse Christus nobis conciliavit, mortales homines cum Deo Patre componens, oraculi hujus veritatem plenè adstruunt. Addit Propheta futurum, ut, qui nobis datus est Puer, sedeat *super solium David.... ut confirmet illud, & corroboret in sempiternum.* Hæc nemini congruere non possunt, nisi Jesu Christo, regnanti in Ecclesiâ, in hominum animis, & in cœlo, imperio stabili ac perpetuo. Frustra hæc aliter accipias, quàm de Imperio, quod Pater cum Filio communicavit, ad dexteram suam illum adsciscens, ejusque pedibus advolutos adversarios sternens (u).

Zelus Domini exercituum faciet hoc. Studium, quo Deus gloriam suam, & mortalium salutem procurat, pariet nobis Principem hunc numeris omnibus absolutum, cujus beneficio desideratâ potiemur pace, cujus providentiâ pacifico, florenti & tranquillo Imperio fruemur.

℣. 8. Verbum misit Dominus in Jacob, et cecidit in Israel (x), impletum est in Israële, veluti cùm peritus sagittarius telum ad metam certo ictu jaculatur. *Verbum missum in Jacob*, ipsum est

(k) *Edit. Rom.* Καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, ἄξω γὰρ εἰρήνην ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας, καὶ ὑγίειαν αὐτῷ. (l) *Ambros. in Luc. lib. 3, p. 1316, nov. edit.*
(m) *Cyprian. lib. 2 Testimon. adv. Jud.* (n) *Aquil. apud Euseb.* Καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ θαυμαστὸς σύμβουλος, ἰσχυρὸς, δυνατὸς, πατὴρ ἔτι, ἄρχων εἰρήνης. *Ambros. loc. cit. ex Aquilâ: Vocabitur nomen ejus, Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, potens, pater sæculi, Princeps pacis.*
(o) *Sym.* Καὶ κληθήσεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ παραδοξασμὸς, συμβουλεύων, ἰσχυρὸς, δυνατὸς, πατὴρ αἰῶνος, ἄρχων εἰρήνης. (p) *Theodot.* Καὶ ἐκάλεσε τὸ ὄνομα αὐτοῦ θαυμαστὸς, συμβουλεύων, ἰσχυρὸς, δυνατὸς, πατὴρ αἰῶνος, ἄρχων εἰρήνης. (q) *Ep. ad Valleum.* (r) *Vide Version. Anglic. & Calov. adversùs hanc Grotii explicationem.* (s) יועץ אל גבור (t) *Isai.* XL, 13, 14; *Rom.* XI, 34.
(u) *Psal.* CIX, 1; *Heb.* XII, 2; *Psal.* XLIV, 7. (x) דבר שלח ארני ביעקב ונפל בישראל

℣. 9. Et sciet omnis populus Ephraim, & habitantes Samariam, in superbiâ & magnitudine cordis dicentes:

℣. 10. Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus: sycomoros succiderunt; sed cedros immutabimus.

℣. 11. Et elevabit Dominus hostes Rasin super eum, & inimicos ejus in tumultum vertet:

℣. 12. Syriam ab Oriente, & Philisthiim ab Occidente: & devorabunt Israël toto ore. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta:

℣. 13. Et populus non est reversus ad percutientem se, & Dominum exercituum non inquisierunt.

℣. 14. Et disperdet Dominus ab Israël caput & caudam, incurvantem & refrænantem, die unâ.

COMMENTARIUS.

est vaticinium hic expressum. Porrò illud cecidit in Israëlem, quippe qui vim ejus expertus est, ejusque veritatem ipso didicit eventu. (℣. 9.) *Et sciet omnis populus Ephraim*. Confer Isaiam LV, 11: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum*. Septuaginta (y): *Mortem misit Dominus super Jacob; & venit super Israël*. Sensus hic planè cohæret cum sequentibus. Vaticinium triste est & minax; eademque Hebræa vox (z), quæ redditur *verbum*, legendi ratione mutatâ, sonat etiam *mortem*.

℣. 10. Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus. Reductis a Teglathphalassaro copiis, lætiora sibi affulgere sentientes incolæ Samariæ, sub Osee Rege, blandiebantur sibi futurum, ut res accisæ restituerentur. Quæ hic usurpant verba, proverbium redolent. Si domus nostras lateritias demoliti sunt Assyrii, quadratis illas lapidibus restituemus; si nostras sycomoros succiderunt, earum loco cedros adhibebimus. Seu potiùs (a): Sycomori nostræ cæsæ sunt, seremus cedros; tecta nostra sycomoris strata everterunt, nos asseribus cedrinis compingemus. Sycomorum arborem esse familiarissimam in Palæstinâ, quâ domus tegi consueverant, Theodoretus affirmat. Septuaginta (b): *Lateres ceciderunt, sed venite, dolemus lapides, & succidamus sycomoros, & cedros, & ædificemus nobis turrim.*

℣. 11. Elevabit Dominus hostes Rasin super eum. Assyrii, qui Rasin Regem, & illius imperium sustulerunt, populumque ejus egêre captivum (c), arma pariter infesta in Israëlem vertent. Theglathphalassar gravis incumbet Phacee, Damasco eversâ; & hujus successor Salmanasar obsidebit, vi capiet Samariam, Regnum Israëlis evertet, & populum trans Euphratem aget.

Et inimicos ejus in tumultum vertet; hostes undique in illum concitabit. Ad verbum (d): Hostes turmatim accibit; vel alterum alteri miscebit; misti confusique cum Israëlitis ditionem illorum ingredientur. Septuaginta toto hoc versiculo magnoperè discrepant ab Hebræo (e): *Allidet Deus eos qui consurgunt contra montem Sion contra eum, & inimicos dissipabit.* Codices quidam legunt: *Inimicos Juda dissipabit.*

℣. 12. Syriam ab Oriente, et Philisthiim ab Occidente. Gentes istæ ditionem Israëlis invadent. Nulla est ambigendi ratio, utrùm mala hæc omnia Israëlem occuparint labentibus Regni illius annis: quamquam illorum narrationem Libri Regum silent; qui hoc tantummodò tradunt (f), Dominum illos hostibus suis diripiendos tradidisse, donec tandem a se penitus illos ejecit. Septuaginta (g): *Syriam a solis ortu, & Græcos a solis occasu.*

In omnibus his non est aversus furor ejus. Hæc autem omnia merum futura sunt præludium ingentium malorum, quibus tandem opprimentur. Vastatum direptumque diù ab hostibus Regnum Israëlis, denique eversum est, ejusque populus in captivitatem ductus. Hæc autem omnia idcirco, quia *populus non est reversus ad percutientem se.*

℣. 14. Disperdet Dominus ab Israël caput et caudam; incurvantem, et refrænantem die una; unâ simul die cædet Dominus caput Israëlis & caudam; incurvantem, & depravantem: eum scilicet, qui populos ad subjectionem cogit, & qui corrumpit, & in errorem trahit: Pseudo-Prophetas, deceptores, &c. Hebræus (h): *Excidet Dominus ab Israël caput & caudam, ramum & juncum die unâ.* *Caput* sunt Principes, Duces populi, Magistratus, Sacerdotes; *cauda* verò sunt populus, subditi, discipuli. *Ramus* validus, qui stanti resistit vento, idem est ac caput; *juncus*, qui cedit flectiturque in omnem ventum, est populus. Loquendi formulæ vulgo usitatæ. Delebit Dominus universum Israëlem a maximo usque ad minimum, nemine excepto (i). Chaldæus: *Disperdet Dominus ab Israël præfectum, Dominatorem, & Satrapam die unâ.* Mentem suam exprimit Propheta sequenti versiculo: *Longævus & honorabilis ipse est caput; & Propheta docens mendacium, ipse est cauda.* Hebræus (k): *Senex & elatus faciebus* (Vide supra, III, 3.) *ipse caput*, &c. Septuaginta (l): *Senem & eos qui faciem admirantur* (qui nempe personas accipiunt), *hoc est principium*; hinc cædendi exordium faciam. Seu potiùs: Hi sunt, penès quos authoritas est, quique nomine capitis designantur.

℣. 16. Erunt

(y) Θάνατον ἀπέστειλε κύριος ἐπὶ Ἰακὼβ, καὶ ἦλθεν ἐπὶ Ἰσραήλ. (z) דבר *Dabar*, verbum, *Deber*, mors. (a) שקמים גדעו וארזים נחליף (b) Πλίνθοι πεπτώκασιν, ἀλλὰ δεῦτε λαξεύσωμεν λίθους, καὶ ἐκκόψωμεν συκαμίνους, καὶ κέδρους, καὶ οἰκοδομήσωμεν ἑαυτοῖς πύργον. (c) 4 *Reg.* XVI, 9.
(d) ואת איביו יסכסך (e) Καὶ ῥήξει ὁ Θεὸς τοὺς ἐπανιστανομένους ἐπὶ ὄρος Σιὼν ἐπ' αὐτὸν, καὶ τοὺς ἐχθροὺς αὐτοῦ διασκεδάσει. (f) 4 *Reg.* XVII, 20. (g) Συρίαν ἀφ' ἡλίου ἀνατολῶν, καὶ τοὺς Ἕλληνας ἀφ' ἡλίου δυσμῶν. (h) יכרת יהוה מישראל ראש וזנב כפה ואגמון ביום אחד
(i) Καὶ ἀφεῖλε κύριος ἀπὸ Ἰσραὴλ κεφαλὴν, καὶ οὐρὰν, μέγαν καὶ μικρὸν ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ.
(k) זקן ונשא פנים (l) Πρεσβύτην, καὶ τοὺς τὰ πρόσωπα θαυμάζοντας, αὕτη ἡ ἀρχή. *Sym.* Πρεσβύτην καὶ αἰδέσιμον, *Senem & venerabilem.*

℣. 15. Longævus, & honorabilis, ipse est caput: & propheta docens mendacium, ipse est cauda.

℣. 16. Et erunt, qui beatificant populum istum, seducentes: & qui beatificantur, præcipitati.

℣. 17. Propter hoc super adolescentulis ejus non lætabitur Dominus: & pupillorum ejus & viduarum non miserebitur: quia omnis hypocrita est nequam, & universum os locutum est stultitiam. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

℣. 18. Succensa est enim quasi ignis impietas, veprem, & spinam vorabit: & succendetur in densitate saltus, & convolvetur superbia fumi.

℣. 19. In ira Domini exercituum conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis; vir fratri suo non parcet.

℣. 20. Et declinabit ad dexteram, & esuriet: & comedet ad sinistram, & non saturabitur: unusquisque carnem brachii sui vorabit; Manasses Ephraim, & Ephraim Manassem, simul ipsi contra Judam.

℣. 21. In omnibus his non est aversus furor ejus, sed adhuc manus ejus extenta.

COMMENTARIUS.

℣. 16. Erunt qui beatificant populum istum, seducentes: et qui beatificantur, præcipitati. Qui inania oracula in Israële venditant, qui nonnisi fausta populo nunciant, rei tandem deprehendentur deceptionis, quippe qui omnem curam in decipiendo populo collocaverint; & populus, qui sese decipi inanibus illorum promissis passus est, se eò corruisse, unde surgendi spes nulla sit, agnoscet. Septuaginta (m): *Et erunt, qui beatum dicent populum istum, seducentes; & seducunt, ut devorent* & absumant *eos*. Prophetæ sunt, qui rebus suis student, dispendio rudis populi, quem fallunt.

℣. 17. Super adolescentulis ejus non lætabitur Dominus: et pupillorum ejus non miserebitur. Decretum a Deo est exitium Israëlis; forentisque Numinis ultionem cohibere nemo poterit. Adolescentuli, formæ venustate amabiles, severitatem illius non emollient, quos nec mitiori, nec lætiori oculo aspiciet. Viduæ & pupilli, quorum conditio aptissima ad misericordiam movendam est, Deum non tangent, nec in illis quidquam agnoscet, nisi quo iram suam & ultionem augeat. Hypocrisis ubique, nequitia, dementia. *Omnis hypocrita est & nequam, & universum os locutum est stultitiam*. Septuaginta (n): *Omnes iniqui & nequam, & omne os loquitur injusta*. Hebræus ad verbum (o): *Omne os loquens stultitiam*; Chaldæus, *Mendacium*. Proprio Scripturæ stylo *stultitia* plerumque pro peccato usurpatur (p).

℣. 18. Succensa est enim quasi ignis impietas: veprem et spinam vorabit, et succendetur in densitate saltus, et convolvetur in superbia fumi; & nubes fumi attollet. Nequitia decem Tribuum in medio illarum instar ignis ardebit; ejusque flamma non vulgus modò corripiet, nomine *veprium & spinarum* designatum; sed ubi densissimus est saltus, ibi sæviet, ut vel proceris arboribus non parcat, nempe Regibus, Principibus, virisque summis, nemine eladem fugiente; sublatus autem ex incendio fumus in sublimem elatus aërem, terribile spectaculum sui latè omnibus præbebit. Regni Israëlitici ruina in sui admirationem omnes convertet, ejusque fama latè undique diffusa, divinæ ultionis metum omnibus ingeret. Populus Israëliticus non semel in Libris Sacris denso saltui comparatur. Jeremias (q) Dei nomine futurum nunciat, ut ignis injiciatur in saltum, quo vicina omnia comburantur. Paria minitatur Ezechiel (r) saltui meridiei, id est Judæ. Saltui etiam comparatur exercitus Sennacheribi apud Isaiam, x, 18, 33, 34. Confer etiam Psalmum LVII, 10: *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viventes, sic in irâ absorbet eos*.

℣. 19. Vir fratri suo non parcet. Domestica sævient dissidia, fratre cum fratre commisso. Michæas (s), ejusdem cum Isaia ætatis Propheta, simili formulâ utitur, ut extremum Judæ exitium exprimat. Discimus autem ex historiâ, excidio Regni Samaritici bella & dissidia domestica præcessisse (t).

℣. 20. Unusquisque carnem brachii sui vorabit. Vulgaris & hyperbolica dicendi formula, qua sævissimæ famis rabies exprimitur, eò desperatos acturæ, ut carnem suam lanient ac vorent; seu potiùs, qua pingitur tantummodò iræ impotentis furor, quæ digitos mordet & carnem lacerat; vel potiùs aviditas, qua unusquisque cibos fratribus, necessariis, & liberis auferet. Hoc facilè oraculum præ oculis habebat Josephus (u), dum scripsit, vetus quoddam oraculum in gente suâ vulgatum fuisse, futurum, ut cùm Judæi inter-

(m) Καὶ ἔσονται οἱ μακαρίζοντες τὸν λαὸν τοῦτον πλανῶντες, καὶ πλανῶσιν ὅπως καταπίωσιν αὐτούς. *Heb.* ויהיו מאשרי העם הזה מתעים ומאשריו מבלעים (n) Ὅτι πάντες ἄνομοι, καὶ πονηροί, καὶ πᾶν στόμα λαλεῖ ἄδικα. (o) וכל פה דבר נבלה (p) *Judic.* XIX, 23; *&* 2 *Reg.* XIII, 12; *Num.* XII, 11; *&* 1 *Reg.* XIII, 13, *& passim.* (q) *Jerem.* XXI, 14. (r) *Ezech.* XX, 46. *Vide Isai.* II, 13; *&, si lubet*, X, 18. (s) *Mich.* VII, 2, 6. (t) *Vide* 4 *Reg.* XV, *per totum*. (u) *Joseph. de bello Jud. lib.* 7: Τότε τὴν ἅλωσιν αὐτῆς κρεῖττον, ὅταν ὁμόφυλος τις ἄρξῃ φόνου,

ter se committerentur, certum omen futuri excidii caperetur. Accommodat autem vaticinium istud iis quæ contigerunt paulò ante captam a Romanis Jerosolymam. Non satis ex historiâ Regum perspicuè patet, eo tempore quo Salmanasar Samariam evertit, domesticis dissidiis fatiscere cepisse Regnum Israëlis, aut Judam arma in reliquas Tribus movisse. Sed Prophetæ non semel dissidia hæc indicarunt; & Samariæ excidium nonnisi obiter & obscurè in Libris Regum narratur; omnino autem omittitur in Paralipomenis.

CAPUT X.

Novæ in Israelem minæ, & invectiva. Prædictio calamitatum Assur, qui traditâ sibi a Deo potestate abusus est. Reliquiæ Jacobi ad Dominum revertentur.

℣. 1. VÆ qui condunt leges iniquas: & scribentes, injustitiam scripserunt:

℣. 2. Ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei: ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.

℣. 3. Quid facietis in die visitationis, & calamitatis de longè venientis? ad cujus confugietis auxilium? & ubi derelinquetis gloriam vestram,

℣. 4. Ne incurvemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis? Super omnibus his non est aversus furor ejus: sed adhuc manus ejus extenta.

℣. 5. Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est: in manu eorum indignatio mea.

℣. 6. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, ut auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VÆ QUI CONDUNT LEGES INIQUAS. Pergit de iis agere, quæ leguntur Capite superiori *(a)*. Post omnia hæc mala, quibus Israëlem affecit Deus, illius ira nondum deferbuit: extento adhuc brachio flagellum quatit, quòd scilicet viri summi & Principes iniquas ferant leges & edicta, quibus pauperes & innocentes opprimantur.

℣. 3. QUID FACIETIS IN DIE VISITATIONIS ET CALAMITATIS DE LONGE VENIENTIS? Cùm videritis formidabiles exercitus e remotissimis plagis venientes, ut ea ulciscantur scelera, quæ in Deum vestrum, relicto illius cultu, adoratisque Numinibus, commisistis. *Dei visitatio* tempus est, quo ultionem exercet *(b)*. *Calamitas de longè veniens* copiæ sunt Salmanasari, Ninive profectæ ad obsidionem Samariæ, & Regni Israëlitici excidium.

AD CUJUS CONFUGIETIS AUXILIUM, ET UBI DERELINQUETIS GLORIAM VESTRAM? Quis e tantâ rerum angustiâ vos eripiet? cujus custodiæ credetis Numina vestra, quibus hactenus gloriabamini? Quibus ea viribus tuebimini, ne insultibus adversariorum pateant *(c)*? Aliter: Quem defensorem, & gloriæ vestræ, magnificentiæ, superbiæ & arrogantiæ, qua vobis hucusque blanditi estis, conservatorem implorabitis? Superbia & arrogantia Israëlitarum quænam fuerit, vide Capitis præcedentis ℣℣. 8, 9.

℣. 4. NE INCURVEMINI SUB VINCULO, ET CUM INTERFECTIS CADATIS. Ne vobis triste hoc & grave contingat, ut veluti misera mancipia oneremini catenis, & in captivitatem trahamini; vel, ut sævissimam ex Assyriis necem evadatis. Septuaginta *(d)*: *Ut non incidatis in captivitatem; & cadent sub mortuis.*

℣. 5. VÆ ASSUR; VIRGA FURORIS MEI... AD GENTEM FALLACEM MITTAM EUM. Reddi hæc possunt ita, ut arctiori nexu cum consequentibus jungantur in hanc sententiam *(e)*: *Veni, Assur, virga & baculus furoris mei, executor ultionis meæ. Mittam illum ad gentem hypocritam*, fallacem, quæ nomine populi mei gloriatur, legesque meas impune violat; quæ me Deum suum appellat, unàque Deos colit. Hebræa vox *hui*, quæ usurpari solet pro *heu!* accipi etiam potest ut sit vox excitantis, hortantis, & e longinquo accersentis *(f)*. Hic autem oratio convertitur ad Salmanasarum vel Sennacheribum, qui arma in Judam illaturi erant, ut ex ipsâ orationis serie planum est *(g)*.

℣. 7. Ipsa

(a) *Lyr. Sanct. alii apud Hieron.*

(b) *Theodoret.* Ἡμέραν ἐπισκοπῆς ἐκάλεσε τὸν τῆς τιμωρίας καιρόν. Ὥσπερ γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ μακροθυμίαν ὕπνον καλεῖ, οὕτως τὴν τιμωρίαν ἐπισκοπὴν ὀνομάζει. (c) Confer *Osee*, VIII, 5, 6; X, 5, 6.

(d) Τοῦ μὴ ἐμπεσεῖν εἰς ἀπαγωγὴν, καὶ ὑπὸ κάτω ἀνῃρημένων πεσοῦνται.

(e) הוי אשור שבט אפי בגוי חנף אשלחנו (f) *Vide Isai.* LV, 1; *& Zach.* II, 6, 7; *& Vatabl., Forer. Vatab. Anglic. Ludov. de Dieu; Heus Assur.*

(g) *Basil. Cyrill. Euseb. Hieronym. alii.*

℣. 7. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor ejus, & ad internecionem gentium non paucarum.
℣. 8. Dicet enim: Numquid non principes mei simul reges sunt?
℣. 9. Numquid non ut Charcamis, sic Calano; & ut Arphad, sic Emath? Numquid non ut Damascus, sic Samaria?
℣. 10. Quomodo invenit manus mea regna idoli, sic & simulacra eorum de Jerusalem, & de Samaria.
℣. 11. Numquid non sicut feci Samariæ, & idolis ejus, sic faciam Jerusalem, & simulacris ejus?
℣. 12. Et erit cùm impleverit Dominus cuncta opera sua in monte Sion, & in Jerusalem: visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum ejus.

COMMENTARIUS.

℣. 7. Ipse autem non sic arbitrabitur.... sed ad conterendum erit cor ejus. Sennacherib certè non intelliget, sese mihi debere, quidquid habet virium; meoque beneficio tenere se virgam, qua perduellea filios meos castiget. Suis ipse cogitationibus decipietur, ratus, sese brachii sui viribus, non ope auxilii mei, tot sibi victorias comparasse, suoque nisu hoc gloriæ culmen attigisse. Quantâ ille imbecillitatis suæ ignorarione teneretur, ex rebus statim sequentibus intelligimus.

℣. 8. Numquid non Principes mei simul Reges sunt? Nonne aulæ meæ Præfecti olim summis imperiis regnabant, quos ego e Regibus in servos redegi, coëgique domesticas domûs meæ res curare? Simili exemplo diù antea Adonibesech (h) apud se habebat Reges septuaginta, qui sub ejus mensâ vescebantur, quibus ipse manuum pedumque extrema amputaverat. Ita & Nabuchodonosori famulabantur ingenti numero Principes, quos bello superaverat, & ludibrio habebat (i).

℣. 9. Numquid non ut Charchamis, sic Calano; et ut Arphad, sic Emath? Quænam urbs tam opulenta fuit, ut mihi resisteret! Nonne florentissimæ & validissimæ urbes mihi cessere? Prædicit hic Isaias impudentissimam orationem, habendam deinceps a Rabsace Regis Assyriorum oratore, quam recitant Regum Libri (k): *Numquid liberaverunt Dii gentium singulos, quos vastaverunt Patres mei, Gozan videlicet & Haran, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thelassar? ubi est Rex Emath & Rex Arphad & Rex Civitatis Sepharvaim, Ana & Ava?* His verbis complectitur hic Sennacherib ea quæ ipse & majores sui præclarè & gloriosè in bello gesserunt, ut audacissimè superbiat, neglecto Deo, qui illum idcirco extulerat, ut justitiæ suæ in impios severitatem exerceret.

Calano urbs est vetustissima, quam Nemrod paulò post diluvium condidit (l); eademque creditur cum Ctesiphonte ad Euphratem (m).

Emath ipsa est Emesa ad Orontem, utì non semel aliàs demonstravimus (n).

Charcamis vel *Charchemisia*, olim *Circesium* ad Euphratem, urbs eà ætate celebris, quam Nechao Rex Ægypti sub Josia Rege Juda armis tentavit (o). Sita est, quo loco Chaboras in Euphratem influens, angustam in medio ripam relinquit (p).

Arphad designare creditur insulam & urbem Aradum in Mediterraneo, in orâ maritimâ Syriæ. Sed in hanc sententiam ne ultrò concedam, illud facit, quod in Scripturâ Arphad & Emath ceu vicinæ urbes junguntur, quamquam Aradus & Emesa plurimo distant intervallo. Præferendam igitur censeo opinionem, quæ *Arphad* cum *Raphaneâ* miscet. Vide Jeremiam, XLIX, 23.

Samaria & Damascus Urbes sunt notissimæ. Neutra parebat adhuc Assyriis; neque enim nisi altero anno Teglathphalassar utramque subegit. At cùm utriusque expugnationem & excidium Propheta antea prædixerit, hinc rectus sermonis ordo postulabat, ut utramque veluti captam jam ab hostibus commemoraret.

Septuaginta (q): *Non cepi regionem quæ est supra Babylonem, & Chalanen, ubi turris ædificata est? cepi autem Arabiam, Damascum & Samariam.* Statuunt illi, nomine *Charcamis*, designari regionem quæ supra Babylonem est: sed minùs accuratè. Ajunt etiam, Babelicam turrim in *Calanne* ædificatam: id verò incertissimum est. In Hebræo nonnisi de Arabiâ est sermo. Vero simillimum est, Sennacheribum cepisse & desolasse Damascum, utì nos inferiùs ad Caput XVII, 1, demonstrabimus.

℣. 10. Quomodo invenit manus mea Regna Idoli, sic et simulacra eorum de Jerusalem. Verba hæc non obscurè referuntur ad ea, quæ Rabsaces nomine Sennacheribi exposuit (r): *Nolite audire Ezechiam, qui vos decipit, dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt Dii gentium Terram suam de manu Regis Assyriorum? Ubi est Deus Emath & Arphad? ubi est Deus Sepharvaim, Ana & Ava?* Impius iste æquo gradu Deum, ac Numina gentium constituit, ratus, nihil discriminis intercedere, cum Deo Judæorum, an cum Diis cæterarum gentium agatur. Illud etiam falsò putabat, Numinum cultum ita obtinere Jerosolymis, utì Samariæ, cæterosque apud finitimos. Cæterùm Samariam non Sennacherib, sed ante ipsum Salmanasar everterat.

℣. 12. Cum impleverit Dominus omnia opera

(h) *Judic.* I, 7. (i) *Habac.* I, 10: *Ipse de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi ejus erunt.* (k) 4 *Reg.* XIX, 12, 13. (l) *Genes.* X, 10. (m) Vide nos in eum locum Geneseos. (n) Vide præsertim nostras Animadversiones in Geographiam Josue. (o) 2 *Par.* XXXV, 20; & *Jerem.* XLVI, 2. (p) *Ammian. Marcell.* l. 23, c. 11. *Circesium, ... cujus mœnia Abora & Euphrates ambiunt flumina, velut spatium insulare fingentes.* Vide & *Procop. Belli Pers.* lib. 2, c. 5. (q) Οὐκ ἔλαβον τὴν χώραν τὴν ἐπάνω Βαβυλῶνος, καὶ Χαλάνης, οὗ ὁ πύργος ᾠκοδομήθη; καὶ ἔλαβον Ἀραβίαν, καὶ Δαμασκὸν, καὶ Σαμάρειαν. (r) 4 *Reg.* XVIII, 32, 33, 34.

℣. 13. Dixit enim: In fortitudine manûs meæ feci, & in sapientiâ
meâ intellexi: & abstuli terminos populorum, & Principes eo-
rum deprædatus sum, & detraxi quasi potens in sublimi residentes:
℣. 14. Et invenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum:
& sicut colliguntur ova, quæ derelicta sunt, sic universam ter-
ram ego congregavi: & non fuit qui moveret pennam, & ape-
riret os, & ganniret.
℣. 15. Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in eâ?
aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur? quomodo si
elevetur virga contra elevantem se, & exaltetur baculus, qui
utique lignum est.
℣. 16. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pin-
guibus ejus tenuitatem: & subtus gloriam ejus succensa ardebit
quasi combustio ignis.

COMMENTARIUS.

RA SUA IN MONTE SION; VISITABO SUPER FRUCTUM MAGNIFICI CORDIS REGIS ASSUR; visitabo, inquit, opera cordis superbi Regis Assur. Teglathphalassar, Salmanasar, & Sennacherib divinæ voluntatis in Jerosolymam ministros se præbebant. Vindictam Omnipotentis in Judam urgebunt, quousque Dominus permiserit; quo munere postquam functi fuerint, vices illi pariter suas experientur. Periculum facere voluit Deus fidei Ezechiæ, eumque sub potenti manu suâ caput ponere jussit. Sennacherib totam latè regionem terruit; coactusque Rex Juda, quidquid erat argenti in ærariis Regis & Templi, ad explendam famem hostis insatiabilem misit (s). At deinque Deus irasci in Regem Assyriorum cœpit, cùm is omne studium in eo magis adhibuit, ut aviditatem, libidinem & avaritiam expleret, quàm ut verens tremensque impositum sibi terribile *Virga Dei* munus expleret.

SUPER FRUCTUM MAGNIFICI REGIS ASSUR, ET ET SUPER GLORIAM ALTITUDINIS OCULORUM EJUS. Puniam ego opera superbi cordis Regis Assyriorum, & superbos illius oculos deprimam (t). Septuaginta (u): *Cadere faciet Dominus super sensum magnum, & super Principem Assyriorum, & super altitudinem gloriæ oculorum ejus*; supple: *cadere faciet flagellum & ultionem*. Puniet pro merito operum ejus, *secundum fructum ejus*. Hebr.

℣. 13. ABSTULI TERMINOS POPULORUM, ET PRINCIPES EORUM DEPRÆDATUS SUM, ET DETRAXI QUASI POTENS IN SUBLIMI RESIDENTES. Hebræus (x): *Removere feci terminos populorum, & thesauros* (promptuaria, horrea) *deprædatus sum, & descendere feci sedentes velut in arce*. Aliter: Abstuli terminos, quibus distinguebantur provinciæ, diripui cubilia eorum, sedes, & deturbavi eos, qui versantur in requie quasi heroës. Septuaginta (y): *Auferam terminos gentium, & fortitudinem eorum deprædabor, & concutiam fundendo civitates habitatas*.

℣. 14. INVENIT QUASI NIDUM MANUS MEA FORTITUDINEM POPULORUM. Trhasonicam jactantiam, Sennacheribo dignam! Parem illius superbiæ orationem illi tribuit Isaias. Septuaginta in futuro vertunt: *Terram habitatam universam apprehendam manu ceu nidum*. Veteres quidam verba hæc tamquam a Deo ipso pronunciata laudarunt (z); & reverà quidem Deus iisdem fermè verbis interdum utitur, quibus hìc Sennacherib: *Si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te* (a). Et alibi (b): *Si in petrâ posueris nidum tuum, quamdiu poteris permanere?*

℣. 15. NUMQUID GLORIABITUR SECURIS CONTRA EUM QUI SECAT IN EA? Septuaginta (c): *Numquid gloriabitur securis sine eo qui secat in ipsâ; & serra sine eo qui ipsam trahit?* Quid gloriatur Sennacherib victoriis, quasi absque meâ ope talia gesserit? similis est baculo seu ligno, quod adversùs eum, a quo geritur, conjurat. Quanti est ex se homo? Illum conservare si vel brevissimo temporis spatio cessaverit Deus, in nihilum revertetur. Quin nisi Deus efficacem assiduamque asserat actu opem, manumque adjutricem omnibus, quæ ab illo gerenda sunt, præbeat, homo certe errabit, atque in malum ruet. Gratiæ agendæ sunt Deo, non modò de iis quæ bene illius ope gerimus, verùm etiam de malis quæ vitamus. *Gratiæ tuæ deputo quæcumque non feci mala*, inquit S. Augustinus (d).

℣. 16. MITTET IN PINGUIBUS EJUS TENUITATEM; pingues scilicet Assyriæ macie extenuabit; suis illos opibus exuet, atque ab eo dignitatis gradu, quem tenent, demittet. Hebræus (e): *Mittet in pinguibus ejus maciem* vel ariditatem. Hebræi verba hæc explicant de intimo quodam igne viscera depascente, qui vestibus intactis centum octoginta quinque millia hominum e copiis Sennacheribi absumpsit. Huc etiam referunt ea quæ proximè sequuntur: *Et subtus gloriam ejus succensa ardebit*. Hanc Hebræorum traditionem refert hìc S. Hieronymus; quorum pariter Doctorum testimonio asseritur, e toto exercitu Assyriorum nonnisi decem superfuisse.

ET SUBTUS GLORIAM EJUS SUCCENSA ARDEBIT, QUASI COMBUSTIO IGNIS. Immittet Dominus ignem, qui arborem istam procerissimam corripiens, totam absumet. Versiculis 17 & 18 comparat Sennacheri-

(s) 4 *Reg.* VIII, 15.
(t) אפקד על פרי גדל לבב מלך אשור ועל תפארת רום עיניו (u) Καὶ ἐπάξει ἐπὶ τὸν νοῦν τὸν μέγαν ἐπὶ τὸν ἄρχοντα τῶν Ἀσσυρίων, καὶ ἐπὶ τὸ ὕψος τῆς δόξης τῶν ὀφθαλμῶν αὐτοῦ.
(x) אסיר גבולות עמים ועתידותיהם שושתי ואוריד כאביר יושבים S. Hieronymus legit עתידים hircos, & metaphoricè Principes (*Vide Isai.* XIV, 9; *Zach.* X, 3.) pro עתידות
(y) Ἀφελῶ ὅρια ἐθνῶν, καὶ τὴν ἰσχὺν αὐτῶν προνομεύσω, καὶ σείσω πόλεις κατοικουμένας.
(z) *Tertull. lib.* 2, *c.* 25, *contra Marcion. & c.* 18 *advers. Praxeam*. (a) *Abdias*, 4. (b) *Num.* XXIV, 21.
(c) Μὴ δοξασθήσεται ἀξίνη ἄνευ τοῦ κόπτοντος ἐν αὐτῇ, ἢ ὑψωθήσεται πρίων ἄνευ τοῦ ἕλκοντος αὐτόν.
(d) *Aug. Confess. lib.* 2, *c.* 7. (e) ישלח במשמניו רזון

℣. 17. Et erit lumen Iſraël in igne, & Sanctus ejus in flammâ: & ſuccendetur, & devorabitur ſpina ejus, & vepres in die unâ.
℣. 18. Et gloria ſaltus ejus, & carmeli ejus, ab animâ uſque ad carnem conſumetur, & erit terrore profugus.
℣. 19. Et reliquiæ ligni ſaltus ejus præ paucitate numerabuntur, & puer ſcribet eos.
℣. 20. Et erit in die illâ: non adjiciet reſiduum Iſraël, & hi qui fugerint de domo Jacob, inniti ſuper eo, qui percutit eos: ſed innitetur ſuper Dominum ſanctum Iſraël in veritate.
℣. 21. Reliquiæ convertentur, reliquiæ, inquam, Jacob ad Deum fortem.
℣. 22. Si enim fuerit populus tuus Iſraël quaſi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo: conſummatio abbreviata inundabit juſtitiam.
℣. 23. Conſummationem enim, & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.

COMMENTARIUS.

cheribum cum procerâ Carmeli arbore, ejusque copias cum ſpinis & vepribus. His adhærens ignis vorabit omnia (f). Totum hunc verſiculum aliter exponunt Septuaginta (g): *Mittet Dominus Sabaoth in honorem tuum ignominiam, & in gloriam tuam ignem ardentem accendet.* Pro eo, quem ſollicitè quæris, favore populi, & nominis gloriâ, obrueris ignominiâ, & gloria tua planè tota in fumum evaneſcet.

℣. 17. ET ERIT LUMEN ISRAEL IN IGNEM, AT SANCTUS EJUS IN FLAMMAM, quæ totum Sennacheribi exercitum abſumet. Milites illius perinde erunt atque ſpinæ ac vepres, quos immiſſos ignis tamdiu depaſcet, donec abſumat. Ipſe pariter Sennacherib, ejusque Præfecti, ceu nemus Carmeli, materiam igni præbebunt, eosdemque ſæviens flamma, ad intima usque cordis penetrans, vorabit; vel ex Hebræo ad verbum (h): *Ab animâ usque ad carnem conſumetur.*

℣. 18. ET ERIT TERRORE PROFUGUS. Septuaginta (i): *Et erit qui fugit, quaſi qui fugit a flammâ ardenti.* Jungunt hæc cum ſequentibus. Hebræus (k): *Et erit ſicut pulvis cadens a ligno putrido*; vel: *Sicut vexillifer, qui animo deficit*, pavoremque ſuum cum toto exercitu communicat. Chaldæus Vulgatæ ſententiam tuetur. Sennacherib penè ſolus in regionem ſuam evaſit, ubi a filiis cæſus interiit.

℣. 19. PUER SCRIBET EOS. Pauci adeò ſupererunt, ut cenſui illorum ſcribendo puer ſufficiat. Hebræi, uti ſupra animadvertimus, decem tantummodo ſuperfuiſſe tradunt. Solemne eſt Scripturæ, ut pro brevi numero uſurpet *Viros numeri*, qui facilè numerantur. *Nos viri numeri ſumus*, ajebat ad liberos Jacob poſt cædem Sichimitarum (l). *Diſperget vos Dominus in omnes gentes, & remanebitis viri numeri in nationibus*, inquit Moyſes (m).

℣. 20. NON ADJICIET RESIDUUM ISRAEL INNITI SUPER EO QUI PERCUTIT EOS. Qui tot malis ſupererunt, nunquam ampliùs incautum hoc capient conſilium, ut Aſſyriis, quos graves adeò experti ſunt, innitantur. Intelligent, quanto ſui diſpendio erraverint, relicto Domino, ut malos adeò ſibi patronos adſciſcerent. Neque Iſraël hìc ita ſolus accipiendus eſt, ut a Judâ diſtinguatur. Anno Ezechiæ ſexto, & octavo ante adventum Sennacheribi in ditionem Juda, Salmanaſar ceperat Samariam, & Iſraëlitas captivos trans Euphratem egerat. Igitur nomen Iſraëlis hìc exponendum eſt de populo Juda & Benjamini, ac paucis Iſraëlitarum reliquiis, quæ in ditionem Ezechiæ ſeſe receperant, quæque victo fuſoque Sennacheribo, tandem experimento didicerant, quàm male ſpem ipſi ſuam in Rege Aſſyriæ collocaſſent; id autem duplici ratione intelligebant. Alterâ ſcilicet, quòd mala plurima inde ſibi accidiſſe noverant; alterâ verò, quòd infirmas eſſe horum Regum vires cernerent, ubi Dominus populo ſuo faveret. Poſt translatos Iſraëlitas decem Tribuum trans Euphratem, nulla ſupereſt apud Sacros Scriptores mentio ſeparationis Iſraëlem inter & Judam; paſſim alterum nomen pro altero uſurpatur. Scribebat iſta Iſaias ante excidium Samariæ; at ſermo illi erat de ætate, quæ illud conſequutura erat.

℣. 22. SI FUERIT POPULUS TUUS ISRAEL QUASI ARENA MARIS, RELIQUIÆ CONVERTENTUR EX EO. Verſicolo ſuperiori dixerat, reliquos e populo, qui e tot malis ſuperfuerint, redituros eſſe ad Dominum; hìc verò addit: Utique reſipiſcent, tametſi plures fuerint, quàm ſunt in maris litore arenæ. Seu potiùs: Quamvis populus tuus, o Achaz, maris arenam numero æquaret, redigetur in arctum, ac denique ad Dominum convertetur (n). Alludit hìc ad *Sear-Jaſub*, de quo egit Capite VII, 3.

Oraculo huic ſua fides ſub Ezechia ſtetit. Hoc enim elogio illum proſequitur Scriptura (o): *Fecit quod erat bonum coram Domino, juxta omnia quæ fecerat David pater ejus. Ipſe diſſipavit excelſa, & contrivit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes; ſiquidem usque ad illud tempus filii Iſraël adolebant ei in-*

(f) Confer *Iſai.* IX, 18.
(g) Ἀλλὰ ἀποστελεῖ κύριος σαβαὼθ εἰς τὴν σὴν τιμὴν ἀτιμίαν, καὶ εἰς τὴν σὴν δόξαν πῦρ καιόμενον καυθήσεται. (h) מנפש ועד בשר יכלה (i) Καὶ ἔσται ὁ φεύγων ὡς ὁ φεύγων ἀπὸ φλογὸς καιομένης. (k) והיה כמסס נסס (l) Vide *Geneſ.* XXXIV, 30. (m) *Deut.* IV, 27. Vide & 2 *Par.* XVI, 29; *Jerem.* XLIV, 28; *Pſal.* CIV, 22. (n) *Vide Hieronym. Cyrill. Cornel.*
(o) 4 *Reg.* XVIII, 3, 4, & *ſeq.*

℣. 24. Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus exercituum : Noli timere populus meus habitator Sion, ab Assur : in virgâ percutiet te, & baculum suum levabit super te in viâ Ægypti.

℣. 25. Adhuc enim paululùm, modicumque, & consummabitur indignatio, & furor meus super scelus eorum.

℣. 26. Et suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum, juxta plagam Madian in petrâ Oreb, & virgam suam super mare, & levabit eam in viâ Ægypti.

COMMENTARIUS.

ei incensum. Itaque post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Juda ; sed neque in his qui ante eum fuerunt, &c. Eo regnante, filii Israëlis, id est reliquiæ Tribuum Juda & Israëlis, quæ gladium & manus Assyriorum evaserant, restituentes sese Domino, Festa illius & præcepta ex integro renovarunt [p].

S. Paulus (q) hanc sententiam accommodat Judæis ætatis Jesu Christi : Tametsi numerus vester tam magnus esset quàm arenæ maris, nonnisi tamen pauci quidam erunt, qui resipiscentes salutem consequentur. Legit hìc Apostolus cum Septuaginta (r) : *Si fuerit populus Israël tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. Verbum enim consummans & abbrevians in æquitate ; quia verbum abbreviatum faciet Dominus super Terram.* Profectò ea populi pars debilis, extenuata, ex hostium manibus elapsa, quæ sub Ezechia ad Dominum reversa est, figura erat paucissimorum Judæorum, qui victas manus fidei dederunt.

Consummatio abbreviata inundabit justitiam : (℣. 23) consummationem enim et abbreviationem Dominus faciet in medio omnis terræ. Hebræus (s) : Erit *desolatio decisa, justitia inundans ; quia consummationem, & exitium decisum faciet Dominus in interiori universæ terræ.* Ex collatione omnium locorum, easdem ferentium voces, quas hìc reddimus *desolationem*, vel exitium, vel consummationem *decisum*, constitutam, decretam (t), bis designari ultimum excidium intelligimus. Eamdem significationem exhibet hìc vox *inundationis*, quæ cum *justitiâ* conjungitur. De excidio Ninives agens Nahum, *consummationem* & *inundationem* simul componit (u) : *In diluvio prætereunte consummationem faciet loci ejus..... Consummationem faciet, & non consurget duplex tribulatio.*

Hanc pariter sententiam accipit Apostolus de justâ Numinis irâ, rejiciente incredulos Israëlis, reos perfidiæ, & contumaces, & ex iis paucissimos deligente, ut Fidem & agnitionem Evangelii consequantur. Porrò ex Israëlitis ii, qui Domino sese sub Ezechia restituerunt, post supremum Samariæ excidium, eamque malorum eluvionem, quam nimbus iræ Dei in Israëlem ingessit, pignus erant futuræ Judæorum ad Fidem Jesu Christi conversionis, post excisam Romanorum armis Jerosolymam.

℣. 24. Baculum suum levabit super te in via Ægypti. Minax instabit capiti tuo, & in tuam perniciem ruet, uti olim Ægyptii, cùm pedem ab Ægypto referrent : at exitu nihilo meliore. Uti enim Ægyptios Erythræi undæ absorbuerunt ; ita etiam unius noctis cæde Sennacherib copiis omnibus privabitur ; & si huic calamitati superstes fuerit, probro & mœrori suo vivet. Malo tamen planiùs atque ad verbum hunc locum reddere (x) : *Levabit baculum suum super te in viâ Ægypti.* Minitabitur tibi ex longinquo. Ex Ægypto redux mittet ad te Rabsacen, ut minis terreat, arrogantesque ac superbas conditiones tibi exhibeat : ne tamen timeas ; nihil enim mali tibi unquam inferre valebit. Versabatur Sennacherib ad Lachis, cùm Rabsacen legavit (y). Deinde profectus Lobnam (z), ibi intellexit, Tharacam Æthiopum Regem bellum atque arma sibi inferre. Obviam occurrit Sennacherib, copiasque duxisse usque Pelusium fertur (a). Antequam castra moveret, iterum Rabsacen cum minacibus ad Ezechiam mandatis misit [b]. Ita adamussim impletum est, Sennacheribum porrecto baculo minitatum esse Judææ ex viâ Ægypti.

℣. 25. Adhuc paululum modicumque, et consummabitur indignatio mea. Ab ipsis Achazi initiis, quibuscum hoc vaticinium componimus, adusque cædem exercitûs Sennacheribi, anni octo & viginti fluxerunt. Spatium hoc temporis facilè *paululum modicumque* appellatur. *Mille anni ante oculos tuos [Deus] tamquam dies hesterna*, inquit Psalmista (c). Vel fortè, hæc verba, *Adhuc paululum modicumque*, ad præcedentia referenda sunt in hanc sententiam : Minax instabit tibi in viâ Ægypti : at ne timeas ; fiet enim continuò, brevique unius noctis spatio, ut totum illius exercitum deleam. Porrò Sennacheribi exercitus in ipso eodem itinere cæsus est.

℣. 26. Suscitabit super eum (Sennacheribum) Dominus exercituum flagellum, juxta plagam Madian in petra Oreb ; uti olim Gedeonem misit, qui Regem Madianitarum juxta rupem Oreb trucidavit [d]. Atque ut olim Dominus imperavit Moysi, ut porrectâ in Erythræum virgâ, aquas finderet, ac deinde in pristinum alveum restitueret, ad necem Ægyptiorum ; ita Deus virgam porriget in Sennacheribum in viâ Ægypti. Superbi hujus Principis copiæ ibi peribunt. Baculo ille suo tibi minitatus est : (℣. 24) ego vicissim baculo illum meo feriam, cædamque in viâ Ægypti, ibi scilicet, ubi impia in te mandata edere ausus est. Porrò exercitus Sennacheribi deletus fuisse ad Jerosolymam, falsâ persuasione creditur : hæc enim omnia planè contrarium evincunt (e).

℣. 27. Aufe-

(p) 2 *Par.* xxxi, 1; & xxx, 21. (q) *Rom.* ix, 27.
(r) Καὶ ἐὰν γένηται ὁ λαὸς Ἰσραὴλ ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, τὸ κατάλειμμα αὐτῶν σωθήσεται. λόγον γὰρ συντελῶν, καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον κύριος δυνάμεων ποιήσει. (s) כליון חרוץ שטף צדקה כי כלה ונחרצה אדוני עשה בקרב כל הארץ
(t) כלה vel כליון & נחרצה *Vide Isai.* xxviii, 22; *Jerem.* iv, 27; v, 10, 18; xxx, 11; xlvi, 28; *Ezech.* xi, 13; xx, 17; *Dan.* ix, 27; *Sophon.* i, 18. (u) *Nahum.* i, 8, 9. ובשטף עבר כלה יעשה
(x) ומטהו ישא עליך בדרך מצרים (y) 4 *Reg.* xviii, 17. (z) 4 *Reg.* xix, 8, 9.
(a) *Herodot. lib.* 2, *c.* 141. (b) 4 *Reg.* xix, 9. (c) *Psal.* lxxxix, 4. (d) *Judic.* vii, 25: *Interfecit Oreb in petrâ Oreb.* (e) Vide nos in 4 *Reg.* xix, 9.

℣. 27. Et erit in die illâ: Auferetur onus ejus de humero tuo, &
jugum ejus de collo tuo, & computrescet jugum a facie olei.
℣. 28. Veniet in Ajath, transibit in Magron: apud Machmas
commendabit vasa sua.
℣. 29. Transierunt cursim: Gaba sedes nostra: obstupuit Rama:
Gabaath Saülis fugit.
℣. 30. Hinni voce tuâ, filia Gallim: attende, Laisa, paupercula
Anathoth.
℣. 31. Migravit Medemena: habitatores Gabim confortamini:
℣. 32. Adhuc dies est, ut in Nobe stetur: agitabit manum suam
super montem filiæ Sion, collem Jerusalem.

COMMENTARIUS.

℣. 27. AUFERETUR JUGUM EJUS DE COLLO TUO, ET COMPUTRESCET JUGUM A FACIE OLEI, deficiente scilicet oleo. Fuso fugatoque Sennacheribo, Judæa ab onere vectigalium ac tributorum, quibus ab eo Rege oppressa fuerat, respiravit. Tunc autem jugum, quod ille cervicibus Judæ imposuerat, affuso oleo minimè irrigatum; seu lora, quibus jugum cervicibus populi nectebatur, cùm aruissent, atque usu trita essent, sponte fracta sunt; & Israëlitæ hac servitute penitus liberati. In hanc sententiam reddiderat Symmachus (f), & similes huic phrases occurrunt in Scripturâ, quibus illud *a facie*, vel *propter* usurpatur pro *defectu*. Ita: *Caro mea immutata est propter oleum* (g), idest, quòd oleo & unguento delibutus non fuerim.

Vertunt alii: *Computrescet jugum, affluente oleo*: id quod hyperbolicè dicitur, ubi Regnum lene, pacificum, facile designatur, in quo populus rerum pinguedine ad saturitatem & abundantiam fruitur, adeout is jugum servitutis non grave sed leve gratumque experiatur. Servitutem suam non sentit; jugumque ejus veluti oleo putruit, oleo enim perunctum cervicibus lene incumbit. Hanc interpretationem plerique sequuntur. Septuaginta (h): *Computrescet jugum ab humeris vestris*. Chaldæus: *Conteretur populus a facie Christi*. Merito rerum piè gestarum ab Ezechia & Isaia (i), qui nomine Unctorum Domini hîc designantur, Sennacherib tot usque exercitus delebitur. Hæc omnia altiori & perfectiori sensu accipiuntur de victoriâ, quam Jesus Christus de errore, peccato, ac Dæmone retulit. Jugum, quo nos premebamur, fregit.

℣. 28. VENIET IN AJATH; TRANSIBIT IN MAGRON; APUD MACHMAS COMMENDABIT VASA SUA. Exhibet hìc Propheta sub oculis Sennacheribi adventum. Exercitus illius e septemtrione Jerosolymam versùs movet: perveniet in *Ajath*; quam urbem esse credo *Hai*, apud Josue celebrem (k). *Magron*, urbs erat Gabaæ proxima: Saül enim in extremâ parte Gabaæ sub malogranato prope Magron versabatur (l). Machmas adjacebat Hai, Bethel & Gabaæ, utì ex Regibus (m) discimus.

℣. 29. TRANSIERUNT CURSIM: GABA SEDES NOSTRA. Hebræus (n): *Transierunt transitum* seu vadum: *Gaba sedes nostra est*. Dixerunt illi: Noctem ibi agemus. Vel potiùs: *Transierunt fauces montium; quiescat*. Septuaginta (o): *Transibit vallem, & veniet in Anga*. Vel: Transierunt vada Jordanis; considebunt in Gaba.

OBSTUPUIT RAMA: GABAATH SAULIS FUGIT. Rama nomen erat pluribus Judææ urbibus commune. Quæ hic indicatur, adjacebat Gabaæ, aberatque leucis quinque a Jerosolymâ in plagâ septemtrionali. *Gabaath*, urbs vel sedes Saülis, ipsa est quæ paulo superiùs dicitur *Gaba*, duabus a Jerosolymâ leucis.

℣. 30. HINNI VOCE TUA, FILIA GALLIM. Certus situs urbis *Gallim* ignoratur, nisi fortè ipsa sit Galgala, non procul a Jerichunte. Huic conjecturæ favet propinquitas *Laisa* vel *Lais* ad Bethel, & *Anathoth*. Credibile est, Laisam vel ipsam esse *Lesem* prope Bethel, vel ipsammet Bethel. *Anathoth*, patria Jeremiæ, Urbs erat satis proxima Jerosolymæ, in plagâ septemtrionali. Reddi potest Hebræus (p): *Intona voce tuâ, filia Gallim; audiri fac* clamores tuos *usque Lais, paupercula urbs Anathoth*.

℣. 31. MIGRAVIT MEDEMENA; HABITATORES GABIM CONFORTAMINI. Certus situs Medemenæ & Gabim ignoratur. Hebræus (q) reddi potest in hanc sententiam, si jungas hæc cum præcedentibus: Misera Urbs Anathoth, *fuge Medemenam; habitatores locorum editorum, fugâ vobis salutem parate*. Sensus iste optimus videtur. Medemena vel Madmena adjacebat Sicceleg, in orâ maximè meridionali Judææ. Confer Josue, xv, 14; & 1 Paralipomenon, 11, 49. Reddi etiam potest: *Medemena fuge, Gabim evade e periculo* (r).

℣. 32. ADHUC DIES EST, UT IN NOBE STETUR. Nihil illum prohibet, quin Nobem perveniat. Vel potiùs: *Unius dies iter illi superest, ut perveniat Noben*, Urbem Sacerdotalem, Jerosolymæ satis proximam. Collocat illam Benjamin tribus parasangis a Gabaath Saülis. Porrò Gabaath stadia non amplius viginti vel triginta, idest, quater mille passus, a Jerosolymâ distabat (s). Nobe igitur ab hac aberat non ampliùs quindecim vel sexdecim passuum millibus, idest, leucis quatuor circiter. Urbes, quas antea recensuit, viciniores erant Jerosolymæ: eò jam pervenisse Sennacheribum non scribit, sed urbibus relictis incolas fugisse, vel metu consternatos fuisse, audito Sennacheribi adventu. Ex Libris Regum discimus, Sennacheribum non substitisse Jerosolymis; sed cum profanis Scriptoribus, qui res a Sennacheribo gestas tradiderunt (t), putamus contendisse

(f) *Ita Sym.* Ὑπὸ ἀναλωψίας. *Ita Apollinar. Sanct.* (g) *Psal.* cviii, 24. (h) Καὶ καταφθαρήσεται ὁ ζυγὸς ἀπὸ τῶν ὤμων ὑμῶν. *Heb.* וחבל על מפני שמן (i) *Vide* 2 *Par.* xxxii, 20.
(k) *Josue*, vii, 2 & *seq.* חעי *Hic autem* עית 70: Ἀγγαί. (l) 1 *Reg.* xiv, 2. (m) 1 *Reg.* xiii, 5.
(n) עברו מעברה גבע מלון לנו (o) 70: Παρελεύσεται φάραγγα καὶ ἥξει εἰς Ἀγγαί.
(p) צהלי קולך בת גלים הקשיבי לישה עניה ענתות 70: Χρεμέτισον φωνῇ σου θύγατερ Γαλλίμ, ἐπακούσει Λαϊσά, ἐπακούσεται ἐν Ἀναθώθ. (q) נדדה מדמנה ישבי הגבים העיזו
(r) העיזו Vide *Exod.* ix, 19; *Jerem.* iv, 6; vi, 1. *Anglic.* (s) *Vide Joseph. Antiq. lib.* 5, *c.* 2; & *de Bello*, *lib.* 5, *c.* 6. (t) *Vide Herodot. lib.* 2, *c.* 141; *Beros. apud Joseph. Antiq. lib.* 5, *c.* 2.

℣. 33. Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore, & excelsi staturâ succidentur, & sublimes humiliabuntur.

℣. 34. Et subvertentur condensa saltûs ferro: & Libanus cum excelsis cadet.

COMMENTARIUS.

disse illum recto itinere in Ægyptum, ibi tribus præliis pugnavit. Redux inde in Judæam vêort, substititque ad Lachis, unde misit Rabsacen, minas suas Ezechiæ nunciaturum. Sed eodem simul tempore Tharaca Rex Æthiopiæ, vel Cusch, idest Arabiæ, quæ Erytbræo adjacet, quæque Ægypto inferiori finitima est, Sennacheribum coëgit, reductis ex Judæâ copiis manus secum conserere. Septuaginta (u) magnoperè ab Hebræo discrepant Versiculis 31 & 32. Ita enim utrumque legunt: *Obstupuit Madebena, & habitatores Gebim. Consolamini hodie in viâ ut maneat.* (℣. 33) *Consolamini filiam Sion in monte, & colles qui in Jerusalem.*

Agitabit manum suam super montem filiæ Sion. Minaci ore prospectam longè Jerosolymam porrectâ manu terrebit; ita fermè uti diù pòst impius Nicanor (x) porrigere manum adversùs Templum Domini ausus fuit.

℣. 33. Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore. Hebræus (y): *Dominus exercituum deramificans pulcritudinem eorum* [virorem, folia eorum] *in terrore.* Vênit, ut e proceris hisce arboribus detrahat ramos & folia; superbiam exercitûs hujus dejecturus vênit. Septuaginta (z): *Dominus Sabaoth conturbabit gloriosos cum fortitudine.* Mentem suam explicat versiculo sequenti: *Subvertentue condensa saltûs*, exercitus, quem silvæ comparat superiùs, ℣. 18. Principes & Duces cadent, & cum reliquis absumentur: *Libanus cum excelsis cadet*; idem cum cæteris fatum cedros Libani manet. Brevì fiet, ut Assyriorum Imperium succumbat & pereat.

CAPUT XI.

De ortu Messiæ Vaticinium. Spiritûs plenitudo, qua abundabit: justitia illius & gloria. Gentium conversio. Israelitarum e variis regionibus, in quibus errabant, reditus, & victoria, ab illis de hostibus referenda.

℣. 1. ET egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Hebræus (a): Egredietur *germen de tennco* [b], vel de stirpe Jesse; *& flos*, vel ramus, seu germen (c) *e radicibus ejus.* Superius Caput clausit Propheta minis in Assyrios sub allegoriâ nemoris, & cedrorum procerissimarum, quas injectus ignis absumet ac depascet. Hîc autem eamdem urgens allegoriam, Regnum Juda comparat vitiatæ & penè dejectæ arbori, cujus e trunco vel radice prodibit germen, cujus causâ tota Davidis spes iterum virebit. Germen ipse est Christus Jesus, unica mundi salus, & Filius unicus Patri, homo verus verusque Deus. Nobiscum in hanc expositionem conveniunt Judæorum plerique, vaticinium hoc de Messiâ explicantes (d); quamquam nos inter & illos ingens hoc intercedit discrimen, quòd nos in Jesu Christo Messiam agnoscimus, & veneramur; cùm Judæi in vanam futuri Liberatoris expectationem arrecti, adhuc hæreant, oculos sponte claudentes, ne gloriosas J. Christi dotes videant & agnoscant.

Post latum de extremo Sennacheribi excidio & lapsu Imperii Assyriaci vaticinium, subito œstro rapitur Isaias in aliud multò augustius argumentum. Prænunciat enim futuram stirpis Davidicæ felicitatem, & ortum Principis, qui accisas Familiæ illius res non modò restituet, sed multò altiùs attollet, in se uoo concilians laudes longè majores, quàm quibus alius quispiam hominum fulserit, divinas nempe, & naturâ majores. Inter hæc verò ornamenta, magnifica planè & sublimia, quæ nemini præterquam Messiæ ejusque Ecclesiæ convenire possunt, nonnulla miscet Isaias, quæ congruunt tempori post captivitatem Babylonicam futuro. Cujusmodi est illud quod legitur versiculo undecimo & sequentibus, de reliquiis populi dilapsis ex Asyriâ, Ægypto, Æthiopiâ, Emath, &c. quæ ex quatuor mundi angulis in unum coëunt. Porrò necesse erat, ut populo, quem Propheta alloquebatur, proximum aliquid & sub oculos exhiberetur, in quo impletam cerneret primam oraculi veritatem, ut eo veluti pignore certam teneret fidem promissionum adeo sublimium & supra fidem, de ortu Messiæ. Sed & ista pariter mirè congruunt tempori, quo promulgatum est Evangelium, & locata sunt Ecclesiæ fundamenta; ut facile sit intelligere, Sacrum Scriptorem,

---

(u) 31: *Ἐξέστη μαδεβηνὰ, καὶ οἱ κατοικοῦντες γεβίμ. Παρακαλεῖτε σήμερον ἐν ὁδῷ τοῦ μεῖναι.* 32: *Παρακαλεῖτε ἐν τῷ ὄρει τὴν θυγατέρα Σιών, καὶ οἱ βουνοὶ ἐν Ἱερουσαλήμ.* (x) 2 *Macc.* xv, 32: *Obtruso capite Nicanoris, & manu nefariâ, quam extendens contra domum sanctam omnipotentis Dei, magnificè gloriatus est.* (y) יהוה צבאות מסעף פארה במערצה (z) *Κύριος σαβαὼθ συνταράσσει τοὺς ἐνδόξους μετὰ ἰσχύος. Aquil.* Κεραμεῖον. *Theodot. & Sym.* Ληνὸς, *Torcular*, pro פארה
(a) ויצא חטר מגזע ישי ונצר משרשיו יפרה (b) 70: *Ἐκ τῆς ῥίζης. Alii, nempe Aqu. Sym. Theod.* Ἀπὸ κορμοῦ, *A trunco.* (c) 70: *Ἄνθος ἐκ τῆς ῥίζης. Reliqui, germen.*
(d) *Chaldaeus hic: Egredietur Rex de filiis Jesse, & Christus de filiis filiorum ejus ungetur. Hebræi apud Hieron. hic, & in c.* x, ℣. 33; *Kemsbi, Rab. Salom. Abarbanel; Patres Græci & Latini passim.*

℣. 2. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectûs, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis,

℣. 3. Et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundùm visionem oculorum judicabit, neque secundùm auditum aurium arguet:

℣. 4. Sed judicabit in justitiâ pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: & percutiet terram virgâ oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium.

COMMENTARIUS.

rem, & quo afflabatur, Spiritum Sanctum ad aliud spectare, majus scilicet nobiliusque, quàm ad reditum captivitatis, in quo sublimium adeo & magnarum promissionum veritas vix adumbrata est.

Grotius *(e)* post recentiores nonnullos Rabbinos hæc omnis propriè de Ezechia explicat; sublimiori sensu, de Messia. At non animadvertit Grotius, Ezechiam novem seu decem egisse annos, quo tempore Isaias vaticinium istud effudit: rem autem futuram, & ab ætate suâ longè remotam a Prophetâ prænunciari, quæ nonnisi post cædem exercitûs Sennacheribi & illius fugam eventura erat; adeoque jam diu regnante Ezechia. Præterea qui conveniant Ezechiæ ejusque Regno omnia quæ hìc de germine Jesse traduntur? An illius ætate Israëlitæ & Judæi e quatuor mundi angulis in unum coivere? Si quærendus erat aliquis, qui typum gereret Messiæ, seque ipsum præberet scopum magnarum illarum promissionum ante ortum Jesu Christi, is profectò esse debuit Zorobabel, cui *germinis* vel surculi e stirpe Davidicâ *(f)* nomen utcumque convenit. Sed latissimo discrepant intervallo veritas promissionum in ipso Jesu Christo ejusque Ecclesiâ impletarum, & umbra, quam Zorobabel prætulit. Discrimen est inter utrumque adeò ingens, quàm inter corpus pictum & verum.

Veteres quidam Christiani judaizantes *(g)*, & ex Patribus nonnulli *(h)* membrum hoc vaticinii explicavere de Regno, quo Jesum Christum in terris potiturum rebantur. Censuerant illi futurum, ut tunc ad verbum implerentur ea quæ hìc prædicuntur, lupum scilicet simul cum agno cubiturum, pardum cum hœdo, & Judæos ad fidem & Religionem Jesu Christi reversuros. At hæc opinio, unà cum fabulis Millenariorum, jam diu obsolevit, ac neglecta est. Una jam obtinet sententia, ab Ecclesiâ probata, quæ docet, germen e stirpe Jesse ipsam esse Virginem Mariam, & florem ex eâ radice erumpentem, ipsum esse Jesum Christum *(i)*; vel utrumque explicat de Jesu Christo, cujus adventus duplici ratione, sed eodem sensu exprimitur. Ita verò Caput hoc cum superiori conjungitur. Sennacherib ejusque exercitus, ceu densum nemus, igne depascetur, ut nemo ex incendio evadat: igne omnes absumentur, majores æquè & minores. Sed aliud erit fatum Domûs Davidicæ, cujus res hodie accisæ sunt adeò & dejectæ. Instar arboris est radicitus cæsæ, ut solus truncus cum paucis radicibus supersit; at hic truncus emittet germen, floribus vestiendum, quod proceritate tantum præstabit cæteris, quantum nemo unquam Regum reliquos superavit. Cumulabit illum Deus omni gratiarum ubertate, atque is totam Davidicæ domûs gloriam augebit.

℣. 2. REQUIESCET SUPER EUM SPIRITUS DOMINI; stabilis in illo perseverabit; plenissimè sese cum Jesu Christo communicabit, quem affatim immensâ donorum largitate, ipso Incarnationis ejus articulo, & reliquo vitæ ejus divinæ tempore locupletabit. Hæc S. Spiritûs in Jesum Christum effusio perspicuo tunc argumento exhibita est, cùm in ipso ejus Baptismate, hiscentibus Cœlis, Spiritus Sanctus sub columbæ imagine lapsus, super illum vênit *(k)*. Tunc autem hæ voces, ex Nazaræorum Evangelio, insonuere *(l)*: *Fili mi, in omnibus Prophetis expectabam te, ut venires, & requiescerem in te. Tu es enim requies mea, tu es filius meus primogenitus, qui regnas in sempiternum.* Denique ex hac Jesu Christi plenitudine omnes Spiritum Sanctum accepimus *(m)*: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.*

SPIRITUS SAPIENTIÆ ET INTELLECTUS. Numerat hìc Scriptura septem dona Spiritûs Sancti, videlicet, 1, Spiritum Sapientiæ; 2, Spiritum intellectûs; 3, Spiritum consilii; 4, Spiritum fortitudinis; 5, Spiritum scientiæ; 6, Spiritum pietatis; 7, Spiritum timoris Domini. Numerus donorum septenarius & vulgari Patrum sermone, & usu Ecclesiæ consecratus est. At æquè illud constat, quandoquidem virtutes omnes & piæ animi habitudines dona sunt Spiritûs Sancti, nemini unquam succurrisse, ut intra angustos septenarii numeri fines ejusdem Spiritûs munera definiret. Cæterùm nonnisi sex dona in Hebræo recensentur, cùm *timor Domini* bis repetatur; quam repetitionem vitaturi Septuaginta & S. Hieronymus semel reddiderunt, *Spiritus pietatis* *(n)*.

℣. 3. REPLEBIT EUM SPIRITUS TIMORIS DOMINI. Hebræus [o]: *Respirare ipsius in timore Domini.* Gaudium, solatium vitamque in timore Domini constituet. Ægrè vividiùs exprimas hominem Dei amore ac timore penitus occupatum, ubi illum dixeris Dei amorem metumque spirare. Aliter: *Odor ejus timor Dei.* Sola illius præsentia Dei timorem inspirabit, instar unguenti, odorem suum latè fundentis; quemadmodum de se fatebatur Apostolus *(p)*: *Christi bonus odor sumus in omni loco.* Vel potiùs: *Timor Domini unguentum ejus erit.* Totum se illo perfundet, suasque in illo delicias ponet.

℣. 4. SPIRITU LABIORUM SUORUM INTERFICIET IMPIUM. Docet Apostolus *(q)*, accipi hæc de Antichristi exitio; illum enim Christus spiritu oris sui interficiet, & fulgore secundi adventûs sui, veluti sol tenebras, dissipabit. Explicari etiam po-

(e) *Grot. hic.* (f) *Vide dicta ad Zach.* III, 8; VI, 12. (g) *Judaizantes apud Hieronym. hic, ad ℣. 6.* (h) *Lactant. lib. 7 Instit. 24, & pseudo-Sybilla apud eumdem.* (i) *Ita Theodoret. & Hieron. hìc, & alii PP. passim. Vide, si lubet, Leon. Castr.* (k) *Joan.* XXXII, 33. (l) *Apud Hieronym. hic.* (m) *Joan.* I, 16. (n) ויראת יהוה 70: Πνεῦμα εὐσεβείας. (o) הריחו ביראת יהוה (p) 2 *Cor.* II, 15. (q) 2 *Thessal.* II, 8: *Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventûs sui.*

℣. 5. Et erit justitia cingulum lumborum ejus: & fides cinctorium renum ejus.

℣. 6. Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos.

℣. 7. Vitulus, & ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum: & leo quasi bos comedet paleas.

℣. 8. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis: & in cavernâ reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.

℣. 9. Non nocebunt, & non occîdent in universo monte sancto meo: quia repleta est terra scientiâ Domini, sicut aquæ maris operientes.

℣. 10. In die illâ, radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulcrum ejus gloriosum.

COMMENTARIUS.

potest alio sensu de Jesu Christo, qui prædicatione verbisque divinis impios omnes, eorumque Imperatorem Satanam interfecit, præbens Apostolis & Fidelibus arma, ut illorum viribus resisterent, & inimicum imperium subverterent.

℣. 5. ERIT FIDES CINCTORIUM RENUM EJUS. Æquitas & fides illum non deserent, quemadmodum miles balteum nunquam dimittit. In rebus ab illo gerendis nunquam desiderabitur justitia, æquitas, veritas, sinceritas. Justus erit in omnibus quæ aget, fidelis in promissis, in sermone verax. Porrò Jesus Christus naturâ suâ veritas est: *Ego sum veritas*; veræ justitiæ fons & norma.

℣. 6. HABITABIT LUPUS CUM AGNO. Veteres quidam (r) arbitrati sunt, hæc omnia ad verbum implenda fore in ipso mundi exitu, cùm Jesus Christus ad judicandos homines accesserit. Tunc enim, si illos audias, vera Saturni sæcula recurrent (s), qua ætate bruta amicâ societate, positâque feritate, insidiis, veneno simul cubabant, & humus sponte & abundè optima quæque ferebat. At qui sapiunt, fabellas hasce rejiciunt, atque hæc verba ad figuratum sensum amandant. Sub Regno Jesu Christi admirari licuit gentes lupis, leonibus, & pardis feritate similes, ceu agnos mitescere; atque ita cicuratas, in Ecclesiâ vivere tantâ morum simplicitate, innocentiâ & modestiâ, ut dignos se Jesu Christi discipulos exhiberent. Feri indomitique antea homines colla submiserunt Pastoribus suis mirâ prorsus docilitate: *Puer minabit eos*. Puer profectò agebat leones, & feroces belluas, cùm Apostoli, & eorum successores Episcopi viris Principibus, Imperatoribus, & integris gentibus imperarent; cùmque illi unico Jesu Christi nomine & auctoritate instructi sub jugum legis Ecclesiæ venire hominum Principes cogerent.

Legitur hìc, ut alibi sæpè in Vulgatâ, verbum *minare*, pro *ducere* usurpatum; occurrens etiam apud probatos Latinos Scriptores, utì Festum (t), Aurelium Fuscum in fragmento apud Senecam (u), Interpretem Juvenalis (x), aliosque plures.

℣. 8. DELECTABITUR INFANS AB UBERE SUPER FORAMINE ASPIDIS. Apostoli viribus, armis, scientiarum humanarum adminiculo, famâ nominis, divitiis, omnibusque ornamentis destituti, coram Sacerdotibus Judaicis, Præfectis Romanis, Areopagitis Judicibus, Senatu, Imperatoribus, viris eruditione ac philosophiâ spectatis stant, ac fide tantùm & nomine Jesu Christi instructi, terrent, quatiunt, ac manus victas fidei dare cogunt. Si Principum furor vitam illis adimit, interfectorum sanguis clamat, hortaturque discipulos, ut hanc constantiam & ardorem æmulentur.

IN CAVERNA REGULI. De hoc angue fusè egimus in Psalmum XC, 13.

℣. 9. NON OCCIDENT IN UNIVERSO MONTE SANCTO MEO. Qui olim ita noxii ut aspides erant, neque minùs quàm viperæ virulenti, Ethnicorum Philosophi, Venefici, Numinum Sacerdotes, Christianorum osores, qui mortem olebant, ad Jesum Christum conversi odorem vitæ dabant iis qui in Ecclesiâ Jesu Christi degebant. Vitæ probè institutæ exemplo tantum valebant, quantum olim sermonibus scriptisque & odio nocuerant. Confer Osee, II, 18.

℣. 10. IN DIE ILLA RADIX JESSE, QUI STAT IN SIGNUM POPULORUM, IPSUM GENTES DEPRECABUNTUR. Crux Jesu Christi ceu signum erecta est, ut ad illam ex universo undique orbe populi convenirent. Ubi gentibus Evangelium nunciare Apostoli instituerunt, continuò gentes illæ, quæ glomerantibus tenebris hactenus mersæ fuerant, ad radium salutaris hujus signi invitatæ confluxerunt. Judæi atque Ethnici sub signa Jesu Christi convenerunt.

IPSUM GENTES DEPRECABUNTUR, ET ERIT SEPULCRUM EJUS GLORIOSUM. Certatim convolarunt gentes ad Ecclesiam, ut Jesum Christum ibi agnoscerent & adorarent. Ejus sepulcrum Fideles omnes summâ semper veneratione prosequuti sunt; idemque ceu culto dignum & obsequio exteræ pariter gentes, quæ Jeso Christi nomine non censentur, habuere. Profanus quidam Imperator (y) ut sanctissimum eum locum profanaret, atque averteret Christianos, ne peregrinationes ad illum instituerent, simulacrum profani Numinis ibi erigi jussit: at hæ artes potiùs auxere deinceps loci religionem, cùm Principes & Christiani Imperatores certatim eam profanationem ornamentis ac muneribus reparare contenderint. Scitum est, quanto fidei ardore Europæ Principes conati sint illum Ethnicorum tyrannide liberare, quanto totius Occidentis studio ad arma concursum sit, ut trajecto mari ad vindicandum ejus loci honorem venirent.

Hebræus, Septuaginta, & veteres Interpretes

(r) *Judaizantes apud Hieron. & ex nostris quidam, ut Millenarii. Lactant. lib. 7, c. 24.* (s) *Ovid. Metamorph. 1.* (t) *Festus: Agasones, equos agentes, idest, minantes: & agere, modò significat ante se pellere, idest minare.* (u) *Senec. Controv. lib. 2, controv. 1: Minantes pecora sua. Malè in editis, mirantes decora sua.* (x) *Interp. ad Juven. Sat. 6: Hanc (Io) in tantum persecuta est Juno, ut per omnem mundum eam minaret.* (y) *Euseb. de vit. Constant. lib. III, c. 26.*

℣. 11. Et erit in die illâ: Adjiciet Dominus secundò manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyriis, & ab Ægypto, & a Phethros, & ab Æthiopiâ, & ab Elam, & a Sennaar, & ab Emath, & ab insulis maris.

℣. 12. Et levabit signum in nationes, & congregabit profugos Israël, & dispersos Juda colliget a quatuor plagis terræ.

℣. 13. Et auferetur zelus Ephraim, & hostes Juda peribunt: Ephraim non æmulabitur Judam, & Judas non pugnabit contra Ephraim.

℣. 14. Et volabunt in humeros Philisthiim per mare, simul prædabuntur filios Orientis. Idumæa, & Moab præceptum manûs eorum, & filii Ammon obedientes erunt.

COMMENTARIUS.

tes (z) ferunt: *Et erit requies ejus gloria*; vel ex S. Hieronymo: *Erit mors ejus gloriosa*. Norat utique S. Doctor vim Hebraici vocabuli; sed, ut ipse monet, *Nos ut manifestum legenti sensum faceremus, pro dormitione & requie, altero verbo, sed eodem sensu, sepulcrum vertimus*. Si retinendam malis vocem *requies*, explicare potes de Ecclesiâ Christianâ, quæ locus est quietis, & Jesu Christi domus, gloriâ ornamentisque lucia & gratiæ magnifica. Chaldæus: *Erit locus mansionis ejus in gloriâ*.

℣. 11. Adjiciat Dominus secundo manum suam ad possidendum (a) residuum populi sui. Quamquam Dominus rejecit Israëlem, ceu filium prodigum minimèque morigerum, seligendam tameo duxit ex illo partem, quam ad Evangelium vocaret. Docet id Apostolus non semel (b); ejusdemque veritatis documenta suppetunt in Actis Apostolorum (c) & in Ecclesiasticâ Historiâ, ubi plura de Judæis ad Christiana sacra conversis. Sed verbis hisce Propheta designat pariter reditum Israëlitarum e captivitate. Ait enim: *Adjiciet Dominus secundò manum suam ad liberandum illos*; idest, postquam semel illis libertatem largitus est, Sennacheribi copiis interfectis, in novam iterum libertatem restituet: reduceos extorres ex iis locis, ad quæ illos variæ rerum vices egerunt, ac præsertim e Babylonicâ captivitate. Ezechias in Paralipomenis (d) agnoscit, plures fuisse ex Judæis, qui captivitatem per varia terrarum loca subibant, quo tempore Achaz ipsius pater rebus præerat. Ex iis aliquos collegit Ezechias. Sed de majori quadam libertate agit hìc Isaias: *Adjiciet Dominus secundò manum suam*, &c.

Ab Assyriis, et ab Ægypto, et a Phethros, et ab Æthiopia, et ab Ælam, &c. Syri, Idumæi, Philistæi, Assyrii, qui regnante Achaz Judæam vastaverant, incolas plures captivos egerunt, uti modò indicavimus, captivosque in exteras regiones vendiderunt. Ex illis plures utique regressi sunt sub felici Ezechiæ Regno; sed hæc omnia merum erant præludium majoris libertatis e captivitate Babylonicâ, quam Propheta toties prædicit, & quam hìc potissimum vaticiniorum suorum finem constituit.

Phethros, de quo Isaias, nomus est in Ægypto, alio nomine *Pathures*, vel *Patros* (e), apud Plinium *Phaturites* (f). Jacebat autem in Thebaide. *Phetrusim*, de quibus Moyses (g), incolæ erant ejusdem nomi. Nechao captivos plures egerat in Ægyptum: at plurimi majori numero spontè eò se receperant, post captam a Nabuchodonosore Jerosolymam (h). *Ælam* regio est notissima Ælamitarum, vel Elymais. *Sennaar* locus est celebris turri Babelicâ (i). *Emath*, celebris est *Emesa*, Urbs in Syriâ Soba, Metropolis. *Insularum maris* nomine designantur Insulæ Mediterranei, & quidquid est regionis transmarinæ & a continenti Palæstinæ sejunctum. Porrò ubique per ea loca palantes erant Judæi (k), e quibus ingens hominum turba variis temporibus Palæstinam repetiit, sub Regibus Cyro, Dario Hystaspis, & Alexandro Magno.

℣. 13. Auferetur zelus Ephraim, et hostes Juda peribunt. Post secessionem Israëlis a Juda, inter utrumque Regnum perpetua simultas & insitum odium fuit. Ea animorum scissio tunc prorsus reparata est, cùm Israël & Juda, solutâ captivitate, in patriam redierunt. Penès Judam fuit Imperium; & Israël nunquam deinceps, nisi sub communi Judæorum nomine agnitus est. Cœpit primùm sub Ezechia hæc animorum consensio, quam conciliavit ingens Israëlitarum numerus, qui in ditionem Juda se recipiens, avitæ se Religioni restituit (l). Tunc autem absoluta fuit, cùm e Captivitate Babylonicâ populus rediit.

℣. 14. Volabunt in humeros Philisthiim per mare; a plagâ maris seu potiùs occidentis. Vel: Volabunt ad oras sive ad fines (m) Philistæorum, qui Tribui Juda occidentales ad Mediterraneum jacebant. Hujus rei fides tunc stetit, cùm Ezechias, ductis in Philistæos copiis, præcipuas ditionis illorum urbes in potestatem redegit (n). Macchabæi post Captivitatem felici exitu cum illis pugnavere (o). Septuaginta (p): *Volabunt in navibus alienigenarum*, sive Philistæorum. Classes illorum occupabunt, vel classes in illos ducent. Nihil suppetit in historiâ, quo fides vaticinii hujus firmetur: nec classibus pugnasse Judæi, unquam leguntur. At post Macchabæos contingere facilè potuit, ut navali prælio cum Philistæis congrederentur. Simon Macchabæus (q) in sepulcro fratrum suorum in Modin arma & naves insculpsit, quasi innueret, virtutis illos suæ speci-

(z) והיתה מנחתו כבוד 70: *Καὶ ἔσται ἡ ἀνάπαυσις αὐτοῦ τιμή*. *Ita Aqu. Sym. Theodot.*
(a) *Heb.* לקנות *Aqu.* Κτήσασθαι. *Sym.* & 70: Τὸ ζηλῶσαι. (b) *Rom.* XI, 2, 4, 7. 8, 15; & III, 3.
(c) *Act.* II, 41; & IV, 4; & XXI, 20. 21. (d) 2 *Par.* XXIX, 9: *Filii nostri & filiæ nostræ, & conjuges captiva ducta sunt.* (e) *Vide Jerem.* XLIV, 1; & XXIX, 16. (f) *Plin. lib.* 5, c. 9.
(g) *Genes.* X, 14. (h) 4 *Reg.* XXV, 26; *Jerem.* XLIII, XLIV. (i) *Genes.* XI, 2.
(k) *Zach.* X, 11; & VIII, 7. 8. Et infra, ℣. 15. 16. (l) 2 *Par.* XXX, 1, 10, 11, 18; XXXI, 1.
(m) Vide *Ezech.* XXV, 9, ubi *humerus*, & *fines* pro eodem usurpantur. (n) 4 *Reg.* XVIII, 8.
(o) 1 *Macc.* V, 68; X, 83; XIII, 43, &c. (p) *Καὶ πετασθήσονται ἐν πλοίοις ἀλλοφύλων*. *Heb.* ועפו בכתף פלשתים (q) 1 *Macc.* XIII, 29: *His circumposuit columnas magnas, & super columnas arma; & juxta arma, naves sculptas.*

℣. 15. Et desolabit Dominus linguam maris Ægypti, & levabit manum suam per flumen, in fortitudine spiritûs sui: & percutiet eum in septem rivis, ita ut transeant per eum calceati.

℣. 16. Et erit via residuo populo meo, qui relinquetur ab Assyriis: sicut fuit Israëli in die illâ, qua ascendit de terrâ Ægypti.

COMMENTARIUS.

cimina terrâ marique exhibuisse.

SIMUL PRÆDABUNTUR FILIOS ORIENTIS, Arabes Scenitas, Moabitas, Ammonitas, populos Palæstinæ Orientales, Judæis finitimos. Has gentes Macchabæi variis temporibus ac præliis fractas superavere (r). Arma in illos duxisse Ezechias, quamquam nullo historiæ documento scimus, probabilissimè tamen creditur. Vide Isaiam, xv, xvi.

IDUMÆA ET MOAB PRÆCEPTUM MANUS EORUM; leges illorum victi acceperunt. Judas Macchabæus prospero marte pugnavit cum Idumæis (s); quos Hircanus, unus e posteris Judæ, debellavit, coëgitque imperium, Circumcisionem, & leges Judæorum subire, nisi regionem suam deserere mallent (t).

℣. 5. DESOLABIT DOMINUS LINGUAM MARIS ÆGYPTI. Hebræus ad verbum (u): *Dominus subjiciet anathemati*, desolabit, evertet, *linguam maris Ægypti*. Nomine *linguæ maris* censetur Sinus, quem aquæ maris, intra continentem longiùs progressæ, efficiunt. Ita in Josue, xv, 2, legimus: *Lingua maris salsissimi*, idest, extrema ora maris mortui, quæ intra Idumæam penetrat. Itaque *lingua maris Ægypti* pars mediterranei est, alluens Ægypti oras, præsertim circa Pelusium, ubi nonnihil intra continentem excurrit. Fortasse ostia Nili innuit, quibus maris Ægypti appellationem aquarum amplitudo conciliat (x). Sennacherib ingenti clade Ægyptum vastavit; ac de se ipso gloriabundus jactat in Libris Regum, ingentis hujus amnis aquas sese exhausisse (y). Oræ, quas hæc maris lingua alluit, variis subinde temporibus post captivitatem vastatæ sunt. Cambyses in eam regionem irrumpens, cæde omnia & sanguine complevit. Alexander Magnus suis pariter victoriis captivam fecit. Antiochus Magnus Raphiam usque progressus est, ejusque filius, post illum, Epiphanes omnem fernè Ægyptum sibi parêre coëgit. His sævientibus bellis facilè impleta sunt ea, quæ Isaias hìc prædicit. Confer hæc cum Capite xix, 4, 5, 6, 7, ubi minæ Dei in Ægyptum leguntur.

At præstat, versiculum hunc & sequentem interpretari de reditu Hebræorum e Captivitate, quam in Ægypto subierant (z). Tunc Deus prodigia illa renovabit, quibus olim eductos ex Ægypto illorum patres prosequutus est. Mare Rubrum exsiccavit, & per sectas aquas viam illis aperuit; hìc autem similia præstabit; exsiccabit enim mare, *Linguam maris Ægypti*. Maris Rubri figura linguæ simillima est. Vel potiùs: Exsiccabit ostia Nili in Mediterraneum, ne impediant Hebræos trans amnem versantes, quin ad patriam revertantur. Addit Isaias: *Levabit* Dominus *manum suam super flumen, in fortitudine spiritûs sui; & percutiet eum in septem rivis*; idest, inducet ventum validum qui exsiccabit septem ramos, quos Nilus in inferiori Ægypto facit: *Septemplicis ostia Nili*; atque ita commodum iter inveniet populus, ut domum revertatur. Luculenter id exprimitur ℣. 16. Hanc verò genuinam esse hujus loci interpretationem, variis Scripturæ locis inter se collatis (§) disces.

℣. 16. ERIT VIA RESIDUO POPULO MEO, QUI RELINQUETUR AB ASSYRIIS, SICUT FUIT ISRAELI IN DIE ILLA, QUA ASCENDIT DE TERRA ÆGYPTI. Hebræus (*): *Residuo populi ejus erit via strata*, agger, via prominens, iter stratum ex Assyriâ deducens; quemadmodum stratam paratamque viam nactus est Israël per sectas Erythræi aquas, & per desertum, quo tempore pedem ex Ægypto retulit. Vel potiùs: Nanciscetur iter patens & commodum per medium Euphratem, ut olim ab Ægypto egrediens, per Erythræum. Sermo fuit versiculo superiori de reditu Hebræorum e captivitate, vel ab exilio, quod in Ægypto sub Regibus Assyriæ tulit: hìc agitur de illorum libertate, qui trans Euphratem & Babylone versabantur. Nec adamussim impletam oraculi hujus veritatem exigi oportere arbitramur; satis est enim ad illius fidem, ut Deus ardua maximè impedimenta, quæ redituris obstabant, removeret. Vide easdem promissiones in Zacharia, x, 10, 11: *Educam eos de terrâ Ægypti, & de Assyriis congregabo eos...... Et percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis.*

CAPUT XII.

Carmen eucharisticum pro partâ Judæis libertate.

℣. 1. ET dices in die illâ: Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, & consolatus es me.

COMMENTARIUS.

℣. 2. CONFITEBOR TIBI, DOMINE, QUONIAM IRATUS ES MIHI: CONVERSUS EST FUROR TUUS, ET CONSOLATUS ES ME. Familiare est Prophetis, postquam lætum aliquid prædixerint, ut vaticinio manum eucharistico aliquo carmine imponant; ac vicissim post tristia & molesta, carmen aliquod lugubre canant. Morem hunc servatum in omnibus ferè majoris momenti vaticiniis discimus. Cùm igitur Isaias præcedenti capite nunciaverit adventum Jesu Christi, & Israëlis restitutionem, populum inducit, carmen, quod hìc legimus, modulantem. Quemadmodum olim trajecto Erythræo cecinistis, *Cantemus Domino gloriosè*, &c. ita transmisso Nilo & Euphrate, reduces ex Ægypto & Babyloniâ, hoc carmen canetis: *Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi.*

Non

(r) 1 *Macc.* v, 6, *& seq.* 24, 25, *& seq.* (s) 1 *Macc.* v, 3. (t) *Joseph. Antiq. lib.* 13, *c.* 17: Ἐπέτρεψεν αὐτοῖς μένειν ἐν τῇ χώρᾳ, εἰ περιτέμνοιντο τὰ αἰδοῖα, καὶ τοῖς Ἰουδαίοις νόμοις χρῆσθαι θέλοιεν. (u) והחרים יהוה את לשון ים מצרים 70: Ἐρημώσει. *Alii*, ἀναθεματίσει. (x) *Vide Cyrill. hic.* (y) 4 *Reg.* xix, 24. *Confer Isai.* xix, 5, 6, 7. (z) *Vide supra, hic.* ℣. 11. (§) Confer *Isa.* l, 5; *Zach.* x, 10, 11; *Psal.* lxv, 4; 4 *Esdr.* xiii, 43. (*) והיתה מסלה לשאר עמו

℣. 2. Ecce Deus salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.
℣. 3. Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris:
℣. 4. Et dicetis in die illâ: Confitemini Domino, & invocate nomen ejus: notas facite in populis adinventiones ejus: mementote, quoniam excelsum est nomen ejus.
℣. 5. Cantate Domino, quoniam magnificè fecit: annuntiate hoc in universâ terrâ.
℣. 6. Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israël.

COMMENTARIUS.

Non agit hic popolus grates Domino, quòd in Israëlem iratus sit: id enim periode fuisset atque Deo insultare, ac probare peccatum, quo Deus provocatus est: at eò commendat, quòd iram posuerit, misericordiæ in populum non oblitus. Grates tibi ago, Deus, quòd cùm irascendi non unam tibi causam præbuerimus, non ita animum a nobis abalienaveris, quin tandem nos mili ac benevolo ocolo aspiceres. Vertunt quidam: *Benedicam tibi, Domine, quamquam iratus es mihi; furor tuus quievit, & consolatus es me.* Eodem fermè spiritu afflatus Jobus ita de Deo loquebatur (a): *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.* Illud *quoniam* usurpatur sæpè pro *quamquam* (b). Sed quæ prior expositio allata est, hæc & probatior.

℣. 2. ECCE DEUS SALVATOR MEUS. Spectantur ea Exodi verba, xv, 2: *Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.*

℣. 3. HAURIETIS AQUAS IN GAUDIO DE FONTIBUS SALVATORIS. Pro aquis, quas Patres vestri hauserunt in deserto, per Moysem e silice eductis, vena aperietur vobis aquarum Servatoris. Servator idem est, de quo in Capite præcedenti: ipse pariter est germen e Radice Jesse, quod ibi mirificè commendatur. Fontes quos nobis aperit, sunt sanctissimorum dogmatum latices (c), Sacramenta, ex quibus fluunt gratiarum amnes ad irrigandas illorum animas, qui dignè accedunt, pravasque animi habitudines, quibus divini illi amnes impediuntur, a se removent. Jesus Christus profitetur, se fontem esse aquarum viventium (d): *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: sicut dicit Scriptura.* Et alibi (e): *Omnis qui bibit ex aquâ hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Quas e deserti silice Moyses eduxit, aquæ levissima erant harunce aquarum Servatoris figura. Illæ elementares erant, quibus populi sitis tantummodo extinguebatur. Hæ autem vim suam in animo exercent. Ipse sunt Jesus Christus, qui se ipsum dat, communicat, nosque totos perfundit (f): *Petra autem erat Christus.*

℣. 4. NOTAS FACITE IN POPULIS ADINVENTIONES EJUS, opera scilicet vel consilia illius. Oraculum est de futurâ gentium vocatione. Agnoverunt denique illæ opera Dei, cui gloriam, cui debiti obsequii tributum attulerunt. Aquas Servatoris avidè quæsierunt, cùm Judæi, e quibus in Gentes sacrarum Scripturarum fluenta derivata sunt, prope fontem manentes, aridi & sitientes ore hianti stent, manum porrigere ad aquas hauriendas recusantes. Imitatus videtur Isaias Psalmos xcv, 2, 3; & xcvii, 2, 3, 4, & civ, 1; nisi malis, Psalmos ipsos ex his esse imitatos.

℣. 6. QUIA MAGNUS IN MEDIO TUI SANCTUS ISRAEL. Hominum servator Jesus Christus spectandum sese in medio populi, & in ipso Patris Æterni Templo præbuit; Evangelium Sione nunciavit; in medio illorum versatus est, nec illi, quem secum haberent, agnoverunt (g): *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis. Sui eum non receperunt* (h). Alludere hic videtur ad nomen *Emmanuelis*, quod sonat, *Deus nobiscum.* Isaiæ, vii, 14.

CAPUT XIII.

Babylonis excidium per Medos.

℣. 1. ONus Babylonis, quod vidit Isaias filius Amos.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ONUS BABYLONIS, in Babylonem vaticinium. Caput hoc & quæ sequuntur usque ad xx, componuntur cum anno Achazi postremo & Ezechiæ primo. Hæc temporis nota exprimitur Capite xiv, 28; exitium autem Regni Israëlitici, quod incidit in annum Ezechiæ sextum, non obscurè legitur Capite xvii. Calamitates, quas hic legimus, variis temporibus subiisse Babylonem, certum est. Nobis autem hæc sedet opinio, sub Dario Medo, qui Babylonem Balthasari eripuit, oraculi hujus veritatem impleri cœpisse. Narrat Xenophon (a), Cyrum, captâ Babylone, cùm sub armis haberet copias patrui sui Cyaxaris, quem ipsissimum credimus Darium Medum, imperasse Babyloniis, ut agros colerent, tributa solverent, & Persas ceu dominos agnoscerent: validumque ibi præsidium reliquisse, ut populos in obsequio contineret. Ex Beroso (b) discimus,

(a) *Job*, xiii, 15. (b) *Vide Jerem.* vii, 10; *Genes.* viii, 21; *Psal.* lxxvii, 59, 20. (c) *Ita PP. Euseb. Cyrill. Hieron. Procop. alii.* (d) *Joan.* vii, 38. (e) *Joan.* iv, 13, 14. (f) 1 *Cor.* x, 4. (g) *Joan.* i, 26. (h) *Joan.* i, 11. (a) *Xenophon. lib.* 7 *Cyropæd. p.* 114. (b) *Beros. apud Joseph. lib. contra Appion. p.* 1045: Κῦρος δὲ Βαβυλῶνα καταλαβόμενος, καὶ συντάξας τὰ ἔξω τῆς πόλεως τείχη κατασκάψαι, διὰ τὸ λίαν αὐτῷ πραγματικὴν, καὶ δυσάλωτον φανῆναι τὴν πόλιν.

℣. 2. Super montem caliginosum levate signum, exaltate vocem levate manum, & ingrediantur portas duces.

℣. 3. Ego mandavi sanctificatis meis, & vocavi fortes meos in irâ meâ, exultantes in gloriâ meâ.

℣. 4. Vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium, vox sonitûs Regum, gentium congregatorum: Dominus exercituum præcepit militiæ belli.

℣. 5. Venientibus de terrâ procul, a summitate cœli: Dominus, & vasa furoris ejus, ut disperdat omnem terram.

COMMENTARIUS.

mus, Cyrum, Babylone potitum, facilè post patruum Darium, imperasse, ut exteriora mœnia everterentur, quòd scilicet urbem nimis validam esse censeret. Post Cyrum, Darius Hystaspis (c), Babylone iterum captâ, portas illius & mœnia evertit, & urbis hujus superbæ audaciam severâ animadversione fregit. Alexander Magnus in veterem gloriam illam restituere meditabatur; sed consilia illius mors prævertit, & successores id agere neglexerunt (d); quæque indulgentiâ Persarum superfuerant, temporis injuriâ brevi ceciderunt, præsertim post conditam a Seleuco Nicanore Seleuciam ad Tigrim. *In solitudinem rediit, exhaustâ vicinitate Seleucia, ob id condita a Nicanore* (e). Quamobrem hodie vix agnoscitur locus, ubi olim celebris ea urbs jacebat. Ita sensim & per diuturni temporis successiones plena fides oraculis Isaiæ aliorumque Prophetarum reddita est. Confer Isaiam, XIV, XXI, XLV, XLVI, XLVII, XLVIII; Jeremiam, L, LI; Ezechielem, XXI, 30, 31, 32; Habacuc, II.

℣. 2. SUPER MONTEM CALIGINOSUM LEVATE SIGNUM. Milites ad exercitum Darii Medi comparandum describite. Media montibus aspera est. Super editorum montium cacumina signa tollite, ut illorum aspectu populi ad arma vocentur (f). Mos signa in montibus constituendi ad cogendos e Provinciis populos, non semel in Jeremia & Isaia innuitur (g). Ingens erat arbor in sublimi montis speculâ erecta, cujus ad summum verticem per trochleam & funes pannus attollebatur. *Quasi malus in vertice montis, & quasi signum super collem* (h). *In Thecuâ clangite buccinâ, & super Bethacarem levate vexillum, quia malum* [hostis] *visum est ab Aquilone*, inquit Jeremias (i). Isaias (k): *Laxati sunt funiculi tui, & non prævalebunt: sic erit malus tuus, ut dilatare signum non queas.* Docet Frontinus (l), morem obtinuisse apud Arabes, ut de hostium adventu signum per diem sublatâ fumi columnâ, per noctem verò accensis ignibus darent; & Vegetius (m) agens de signis, quibus agmina remotiora monebantur, ubi per nuncios ob temporis angustias moneri non possent, suum quoque locum assignat ignibus ad eam rem incensis, & fumo in eum usum per diem excitato. Hodie pariter Arabes Scenitæ socios latè in agro palantes admonent sublato e summis hastis albo panno, quem ex edito loco agitant; idque condictum est signum, ut Duces cum suis in castra Magni Emiri se conferant (n).

Mons caliginosus, nubibus obsitus, vel *mons præruptus* (o) designare potest sive editi cujuslibet montis cacumen, sive montes Mediæ, unde irrupturus erat Darius Medus, & quò copias ex condicto coacturus erat. Non pauci (q) explicant de Babylone: at urbi in agro considenti montis nomen non congruit.

EXALTATE VOCEM, ELEVATE MANUM, ET INGREDIANTUR PORTAS DUCES. Gestus sunt hominis cogentis copias, quas voce ac manu vocat. Copiarum in agro oppidisque palantium Duces manipulos cogant, ingrediantur urbem Metropolim, & præsto sint ad nutum Imperatoris. Imperatoris hujus personam induit Dominus, idemque expeditionis hujus est author: *Dominus exercituum præcepit militiæ belli*, ℣. 4. Reddi potest Hebræus (q): *Levate vocem ad illos* (elatâ voce illos accersite): *agitate manum* more hominis qui e longinquo aliquem accersit, & manu agitatâ monet ut veniat: *ingrediantur portas Principes*; populi & milites coëant ad duces suos, & sint ad Principum nutum parati. Septuaginta (r): *Exaltate vocem eis; ne metuatis; excitate illos signo manuum vestrarum; aperite, Principes.* Symmachus: *Agitate manum, & egrediantur e portis.*

℣. 3. EGO MANDAVI SANCTIFICATIS MEIS; operi huic destinatis. Dominus ipse loquitur, appellatque consecratos, vel sanctificatos suos Medos (s), quos ministros ultionis suæ in Babylonios constituit. Vernaculo Hebræorum stylo (t) *sanctificare* usurpatur sæpissimè pro *præparare*. Septuaginta (u): *Ego præcipio, & ego adduco eos.*

VOCAVI FORTES MEOS IN IRA MEA, EXULTANTES IN GLORIA MEA. Septuaginta (x): *Gigantes veniunt implere furorem meum, gaudentes simul, & glorificantes seipsos.* Reddi potest Hebræus (y): *Accivi bellatores meos, ut exercerem iram meam;* heroas istos, qui gloriâ meâ gloriantur, qui honori sibi ducunt & gloriæ, quòd mihi tanto Regi pareant.

℣. 4. VOX SONITUS REGUM GENTIUM CONGREGATARUM. Reges & gentes plures simul coëuntes. Darius Medus Regis Medorum & Persarum titulum sibi vindicat apud Danielem, VI, 12. In hujus exercitu Principes gentesque plures merebant; Medi, Persæ, Armeni, Hircani, Chaldæi, &c. He-

(c) *Herodot. lib.* 3, *c. ult.* Σφέων τὸ τεῖχος περιεῖλε, καὶ τὰς πύλας πάσας ἀπέσπασε. (d) *Strabo, lib.* 16, *p.* 58. (e) *Plin. lib.* VI, *c.* 27. (f) Vide *Xenophon. Cyropæd. lib.* 1, 3, 4. (g) *Isai.* V, 26; XI, 17; XLIX, 22; *Jerem.* IV, 6; VI, 1. (h) *Isai.* XXX, 17. (i) *Jerem.* VI, 1. (k) *Isai.* XXXIII, 23. (l) *Frontin. Stratagem. lib.* 2. (m) *Veget. lib.* 3, *c.* 5. (n) M. Darvieux, Voyage, p. 93. (o) עַל הַר נִשְׁפֶּה 70: Ἐπ᾽ ὄρους πεδινοῦ. *Alius*: νεφώδους. (p) *Chald. Hieron. alii apud Theodoret. plerique recentior. Sanct. Cornel.* (q) הרימו קול להם הניפו יד ויבאו פתחי נדיבים (r) Ὑψώσατε τὴν φωνὴν αὐτοῖς, μὴ φοβεῖσθε, παρακαλεῖτε τῇ χειρί, ἀνοίξατε οἱ ἄρχοντες. *Sym.* Κινήσατε χεῖρα, καὶ ἐξελθέτωσαν θύρας. (s) *Hieron. Theodoret. Ita & recentiores.* (t) אני צויתי למקדשי *Vide Exod.* XIX, 10, 14, 22; *Num.* XI, 18; *Josue*, III, 5; VII, 13; *Jerem.* VI, 4; XII, 12; LI, 27, 28; *Joël*, I, 14; III, 14; *Mich.* III, 5; *Sophon.* I, 7. (u) 70: Ἐγὼ συντάσσω, καὶ ἐγὼ ἄγω αὐτούς. (x) Γίγαντες ἔρχονται πληρῶσαι τὸν θυμόν μου, χαίροντες ἅμα, καὶ ὑβρίζοντες. (y) גם קראתי גבורי לאפי עליזי גאותי

℣. 6. Ululate, quia prope est dies Domini: quasi vastitas a Domino veniet.

℣. 7. Propter hoc, omnes manus dissolventur, & omne cor hominis contabescet,

℣. 8. Et conteretur. Torsiones & dolores tenebunt: quasi parturiens, dolebunt: unusquisque ad proximum suum stupebit: facies combustæ vultus eorum.

℣. 9. Ecce dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ furorisque, ad ponendam terram in solitudinem, & peccatores ejus conterendos de eâ.

℣. 10. Quoniam stellæ cœli & splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo.

COMMENTARIUS.

Hebræus (z): Audio *vocem, & sonitum Regnorum, gentium congregatarum.*

DOMINUS EXERCITUUM PRÆCEPIT MILITIÆ BELLI. Hebræus (a): *Visitat exercitum prælii.* Ipse exercitum hunc moderatur; ipse se copiarum ducem constituit; coëgit illas e remotissimis terræ partibus, ab extremis cœli oris: *Venientibus a terrâ procul, de summitate cœli*; ex ultimis cœli nostri finibus, ubi cælum ac terra conjungi videntur: *A summitate Cœli.* Septuaginta (b): *A summo fundamento Cœli.* Solent non rarò Septuaginta hoc nomine regionem trans Euphratem significare.

℣. 6. ULULATE, QUIA PROPE EST DIES DOMINI. Ad Babylonios loquitur. *Dies Domini* dies est ultioni destinata (c). A primo Ezechiæ anno usque ad Balthasaris obitum, quo mortuo Darius Medus Babylonem occupavit, annorum est centum & septuaginta duorum intervallum. Raptus in spiritu Propheta calamitatibus hisce præsens fit, easdemque tamquam sub oculis positas intuetur: testis eorum omnium quæ ad hanc Domini expeditionem parabantur; Babyloni minitatur malum, quod ipsis Civium capitibus jam imminet: *Prope est dies Domini.*

QUASI VASTITAS A DOMINO VENIET. Calamitas, quæ vobis imminet, ictus erit flagelli ab Omnipotente excussi. Timete malum, viribus iræque Domini æquale. Hebræus (d): *Veniet vobis ut destructio Destructoris.* Lusus est verborum in Hebræo inter *Sod* destructio, vastatio, desolatio, & *Sadai* quod unum est e nominibus Dei, derivatum e radice quæ sonat, vastare, destruere.

℣. 8. QUASI PARTURIENS, DOLEBUNT; UNUSQUISQUE AD PROXIMUM SUUM STUPEBIT. Acutis, subitis, inevitabilibus torminibus angentur, uti mulier paritura. Perinde erunt ac homines statu mentis emoti, stupidi ignorantesque in quam se partem convertant, quorum alter alterum stupens intuetur, quippe quibus improvisum aliquod malum, nec facilè vitandum, irrepsit. *Naturale est enim, ut imminentibus malis alior sapere plus putemus (e).*

FACIES COMBUSTÆ VULTUS EORUM; facies nempe atræ, lividæ, adustæ, quas mistus desperatione & confusione dolor accendit. Idem aliis verbis designat alius Propheta, terrorem Ninivitarum ita describens (f): *Facies eorum ut nigredo ollæ.* Et Joël (g) loquens de terrore, quem infesta locustarum nubes, instar exercitûs, Judææ intulit, ait: *A facie ejus cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam.* Hebræus hìc legit (h): *Facies flammarum facies eorum.* Rabbinorum quidam: *Facies eorum facies Lehabim*, quæ vox Lybicæ in Africâ gentis est nomen (i). Septuaginta (k): *Faciem suam quasi flamma mutabunt.*

℣. 9. AD PONENDAM TERRAM IN SOLITUDINEM; vacuandam habitatoribus terram, seu potiùs ad redigendam in solitudinem Babylonem. Nomen terræ usurpatur sæpe pro singulari eâ regione, de qua fit sermo: *Idioma est Sanctæ Scripturæ, ut omnem Terram illius significet Provinciæ, de qua sermo est*, ait S. Hieronymus (l). Darius Medus, & ipse Cyrus Babylonem minimè in solitudinem degerunt; neque enim oraculi hujus plena veritas nisi longo pòst sæculorum spatio asserta fuit. Vide ℣. 2.

℣. 10. STELLÆ COELI ET SPLENDOR EARUM NON EXPANDENT LUMEN SUUM. Ad verbum hæc accipienda non sunt, cùm Propheta solummodo significet extremam populi hujus consternationem, cui parem diceres illam, qua homines capimur, ubi astra improvisâ caligine obsita subitas orbi tenebras afferunt (m). Hodie pariter Orientalibus similes placent hyperbolæ, ut ingentia atque insolita mala significent (n). Extant pariter plura hujus rei exempla in Scripturâ (o). Hebræus (p): *Stellæ Cælorum & earum Chesil*; quæ posterior vox reddi solet (q) *Orion*, stella ab Astronomis appellata *Cor Scorpionis*, exoriens ineunte æquinoctio Autumnali, & frigus imbremque præsagiens. Hinc Virgilius, *Nimbosus Orion.* Septuagin-

(z) קול שאון ממלכות גוים נאספים
(a) יהוה צבאות מפקד צבא מלחמה 70: Κύριος σαβαὼθ ἐντέταλται ἔθνει ὁπλομάχῳ.
(b) מקצה השמים 70. Ἀπ' ἄκρου θεμελίου τοῦ οὐρανοῦ. (c) *Isai.* II, 12; X, 3; XIII, 9; XXXIV, 8.
(d) כשד משדי יבוא (e) *Hieron. hic.* (f) *Nahum*, II, 10. (g) *Joël*, II, 6.
(h) פני להבים פניהם (i) *Vide Genes.* X, 13. (k) Καὶ τὸ πρόσωπον αὐτῶν ὡς φλὸξ μεταβαλοῦσι.
(l) *Hieron. hic, ad* ℣. 4. (m) *Hieronym. hic: Est autem sensus: quòd cùm dies Domini crudelis advenerit, præ timoris magnitudine mortalibus cuncta tenebrescant; & sol ipse, & luna, astraque rutilantia suum videantur negare fulgorem.* (n) *Vide Grot. ad Matt.* XXIV, 27, 29; *Harpan ad Isai.* XXX, &c. (o) *Vide Deut.* XXXII, 22; *Isai.* XXIV, 4, 19, 20, 23; LXV, 17; *Jerem.* IV, 23; *Matt.* XXIV, 29; 2 *Petr.* III, 10; *Apoc.* VI, 12, 13, 14.
(p) כי כוכבי השמים וכסיליהם לא יהלו אורם
(q) *Vide Job*, IX, 9; XXXVIII, 32; *Amos*, V, 8.

℣. 11. Et visitabo super orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quiescere faciam superbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.

℣. 12. Pretiosior erit vir auro, & homo mundo obrizo.

℣. 13. Super hoc, Cœlum turbabo: & movebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris ejus.

℣. 14. Et erit quasi damula fugiens, & quasi ovis: & non erit qui congreget: unusquisque ad populum suum converteтur, singuli ad terram suam fugient.

℣. 15. Omnis, qui inventus fuerit, occidetur: & omnis, qui supervenerit, cadet in gladio.

℣. 16. Infantes eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorum, & uxores eorum violabuntur.

℣. 17. Ecce ego suscitabo super eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint:

℣. 18. Sed sagittis parvulos interficient, & lactantibus uteris non miserebuntur, & super filios non parcet oculus eorum.

COMMENTARIUS.

ginta (r): *Astra Cœli & Orion, & omnis ornatus Cœli non dabunt lumen*. *Chesil* designat etiam Occidentem. Vide Jobum, IX, 9; XXXVIII, 31.

℣. 11. VISITABO SUPER ORBIS MALA; ulciscar scelera Orbis seu Babyloniæ. Chaldæorum sive Babylonis Imperium, quo tempore Darius Medus illud aggressus est, omnium Orbis imperiorum florentissimum erat. In tantas enim opes evexerat Nabuchodonor, ut similis magnitudinis exempla rara inter homines sint. Puniens igitur Deus Babylonem, ulcisci quodammodò videbatur ipsa mundi scelera, cùm omnia mundi crimina Urbs hæc intra vastissimum ambitûs sui spatium contineret. Imperii Babylonici lapsus totum simul Orbem, totam Asiam concussit.

℣. 12. PRETIOSIOR ERIT VIR AURO, ET HOMO MUNDO OBRIZO. Auro rariores homines fient, faciliùs enim aurum & metalla invenientur quàm homo; tantam mortalium segetem bellum messuerat. Hebræus (s): *Pretiosum hominem faciam praphaz, & mortalem cariorem quàm Chetem Ophir*. Aurum *Phaz* est facilè aurum Phisonis sive Hevilat, quod est omnium probatissimum (t). *Chetem Ophir* aurum est regionis Ophireticæ, apud Scripturam celebre.

Septuaginta (u): *Erunt qui derelicti fuerint, honorati magis quàm aurum incoctum; & homo magis pretiosus quàm lapis qui de Ophir*. Aurum quod periculo ignis non indiget, pretiumque sui sub ipsum statim aspectum exhibet, ab Antiquis appellabatur *Obrizum*, & a Septuaginta hîc exprimitur sub nomine *auri incocti*. *Chetem*, quod versum a Septuaginta est *lapis Ophir*, designat apertissimè aurum; atque ex aliis locis, in quibus eadem vox legitur (x), discimus, *Aurum Phaz* & *aurum Ophir* unum idemque esse. Atque ita gemina versiculi hujus membra verbis, non sensu, differunt. Commodè etiam cum Interpretibus nonnullis (y) accipitur de Medis, qui humani cruoris avidiores quàm auri futuri erant. Vide inferiùs, ℣. 17.

℣. 13. SUPER HOC, COELUM TURBABO. Fulmina e Cœlo dabo & tonitrua; monstris horrisonis e cœlo terràque terrorem in adversarios injiciam. Vel planiùs: In eam consternationem illos ego conjiciam, quasi ordo naturæ ipsis intuentibus susdeque verteretur, & Cœlum Terramque misceri spectarent (*). Confer ℣. 10.

℣. 14. UNUSQUISQUE AD POPULUM SUUM CONVERTETUR; terga illi vertent, ut ad populum suum quisque se conferat. Babyloniorum fœderati illos deserent, ut quisque se in regionem suam recipiat. E tam multis provinciis, quæ Balthasari parent, ne una quidem ulcisci mortem illius, aut illius ditionem ab aggressione Darii Medi tueri curabit. Crœsus & Lydii cum fœderatis fusi fugatique fuerant, antequam Babylon hostilibus copiis cingeretur (§).

℣. 15. OMNIS QUI SUPERVENERIT, CADET IN GLADIO. Pugnare ista videntur cum iis, quæ versiculo 14 leguntur, futurum scilicet, ut quisque miseros deserat, proripiatque se in regionem suam. Hebræus (z): *Omnes collecti*, vel qui simul coiverint ad defensionem urbis, *gladio cadent*. Qui se victoribus opposuerint, peribunt. Quas Balthasar colliget ad urbis defensionem, copiæ cædentur.

℣. 16. INFANTES EORUM ALLIDENTUR. Confer Psalmum CXXXVI, 9: *Beatus qui tenebit, & allidet parvulos tuos ad petram*.

℣. 17. SUSCITABO SUPER EOS MEDOS, QUI ARGENTUM NON QUÆRANT, NEC AURUM VELINT. Sanguinem & cædes spirabunt: frustra ad illos leniendos servandamque tibi vitam, aurum argentumque offeres. Populus sunt ingenio barbarus, qui

(r) Ο'ι γὰρ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ὁ Ὠρίων, καὶ πᾶς ὁ κόσμος τοῦ οὐρανοῦ, τὸ φῶς αὐτῶν οὐ δώσουσι. *Sym. Stellas, pro Orione. Hieron.* (s) אוקיר אנוש מפז ואדם מכתם אופיר

(t) *Genes.* II, 11, 12; *Nomen uni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Hevilat, ubi nascitur aurum; & aurum terra illius optimum est.* (u) Καὶ ἔσονται οἱ καταλελειμμένοι ἔντιμοι μᾶλλον ἢ τὸ χρυσίον τὸ ἄπυρον, καὶ ἄνθρωπος μᾶλλον ἔντιμος ἔσται ἢ ὁ λίθος ὁ ἐκ Σουφίρ.

(x) Confer *Job*, XXVIII, 16; *Psal.* XLIV, 10, cum *Cant.* V, 11; *Dan.* X, 5. (y) *Sanct. hic, Grot. Vatab. Castal. Anglic.* (*) *Vide Hieron. hic.* (§) *Xenophon, lib.* 1, *& lib* 3, *& 4; & Herodot. lib.* 1. (z) וכל הנספה יפול בחרב 70; Οἱ τινὲς συνηγμένοι ἥττῃ πεσοῦνται ἐν μαχαίρᾳ.

℣. 19. Et erit Babylon illa gloriosa in Regnis, inclyta superbia
Chaldæorum, sicut subvertit Dominus Sodomam, & Gomorrham.
℣. 20. Non habitabitur usque ad generationem & generationem :
nec ponet ibi tentoria Arabs, nec pastores requiescent ibi.
℣. 21. Sed requiescent ibi bestiæ, & replebuntur domus eorum
draconibus : & habitabunt ibi struthiones, & pilosi saltabunt ibi.

COMMENTARIUS.

qui divitiarum pretium ignorat ac despicit. Ezechiel (a) & Sophonias (b), prænunciantes mala Judæis inferenda a Chaldæis, addunt : *Argentum eorum & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini*. Jugum servitutis excusserant Medi viginti annis ante obitum Achaz, quo anno editum hoc oraculum credimus (c).

℣. 19. ERIT BABYLON ILLA GLORIOSA .... SICUT SUBVERTIT DOMINUS SODOMAM. In hunc rerum statum Babylon non vênit nec sub Dario Medo, nec sub Cyro, Dario Hystaspis, aut Alexandro Magno; at sub Imperii Macedonici exitum eò devênit. Affirmat Strabo (d), ætate suâ penè desertam squalluisse; ut verissimè de illâ dici posset quod olim vetus Poëta dixerat de Megalopoli, Urbe olim apud Arcades inclytâ, aliud scilicet non esse nisi vastam solitudinem. Diodorus Siculus, ætatis ejusdem Scriptor, nonnisi modicam illius partem raris habitatoribus cultam agnoscit (e). Docet Pausanias, nihil ex illâ nisi vasti ambitûs mœnia superesse (f). Notat Theodoretus, ætate suâ Judæos nonnullos ibi sedem posuisse; & Eusebius in huoc locum scribit, penitus desertam esse, ut ii testantur, qui ex iis partibus veniunt. Hieronymus, ex narratione Monachi cujusdam Ælamitæ, Hierosolymæ commorantis, auctor est (g), Persarum Reges Babylonem in septum venaticarum ferarum convertisse. Eversam penitus aspexit Benjamin Tudelensis (h), relictis tantummodò ruderibus ædium vetustarum Nabuchodonosoris, ad quæ, anguibus aliisque virulentis belluis infesta, accedere nemo auderet. Hinc factum est, ut jam inde a pluribus sæculis Prophetarum vaticinia de excidio inclytæ Urbis fidem integram obtinuerint. Fatum imitata Sodomæ, deserta penitùs squallet: *Non habitabitur usque ad generationem & generationem*. ℣. 20.

℣. 20. NON PONET IBI TENTORIA ARABS. Arabes Scenitæ, vel Beduini, erraticum vitæ genus sectantur; nam alia subinde & alia mutantes loca, pro domibus tentoriis utuntur, urbes negligunt, & ibi consident ubi aquam & pascua pro gregibus nacti fuerint. Jacens circa Babylonem regio deserta fiet adeò, solumque adeò ingratum offeret, ut gens ista errabunda semper & inconstans locum aptum figendis ad tempus tentoriis non inveniat. Nulla ibi habitatio commoda, nulla pascua. Censet Theodoretus, Isaiam nunciare, ad eam miseram conditionem redactum iri Babylonem, ut Arabes Mercatores negotiationis gratiâ eò venire desinant.

℣. 21. SED REQUIESCENT IBI BESTIÆ, ET REPLEBUNTUR DOMUS EORUM DRACONIBUS. Hebræus (i): *Cubabunt ibi ziim, & implebunt domos eorum Ochim*. Prior vox designare fertur (k) *feles sylvestres*, vel ex aliis *cercopithecos*. Plerique ad Vulgatam & Septuaginta accedentes, de belluâ qualibet ferâ & sylvestri interpretantur. Altera vox *ochim* redditur a Septuaginta (l) *echo*; ab aliis, *feræ perniciosæ & lugubres*. Casu omnes. Symmachus & Theodotion (m) reddunt *voces*; quod congruit cum Septuaginta, vertentibus strepitum, vel echon, quæ plerumque in ruderibus veterum ædificiorum sonat.

Sed nulla ea his Versionibus nobis satis arridet. Ita ergo reddimus: *Piscatores requiescent ibi ; & domus ejus replebuntur arundinibus*. Falsò inducta est persuasio, Babylonem in aridam sterilemque solitudinem redactam esse, cùm planè contrarium acciderit; cecidit enim in eum statum, ut ait hîc Isaias, in quem Sodoma & Gomorrha, aquis in ejus solo stagnantibus (n), quòd in humili esset loco & irriguo. Docet hoc Abydenus (o), narrans, conditorem Babylonis Belum, collectis ex universâ Babyloniâ populis, Babylonem ædificasse in loco ea aquarum copiâ olim mari appellato. Babylonem deserti maris nomine Isaias (p) nuncupat; ejusque urbis mare desertum fore Jeremias minitatur (q). Isaias denique tales loquendi formulas alibi (r) usurpat, quæ lucis plurimum huic sententiæ afferunt : *Ecce terra Chaldæorum, inquit; talis populus non fuit. Assur fundavit eam Ziim*. Porrò *Ziim* ipsissimi sunt populi, de quibus Propheta hîc. Babylon in eumdem, qui olim fuit, statum redigetur, in sedem scilicet Piscatorum, Nautarum, & ejus generis hominum, qui artem suam in aquis exercent.

Ziim Insularum habitatores dicuntur. *Obvias habebunt ibi Ziim insulas*, inquit Isaias (s). Jeremias (t): *Habitabunt Ziim insulas*. Psalmista (u) de Salomone sive de Messia canens, ait: *Ziim procident coram illo*. Alibi (x): *Confregisti capita draconis, dedisti eum escam populis Ziim*. Daniel (y) futurum nunciat, ut Legati Romanorum ex Ægypto cum Nautis Macedonibus, cum *Ziim e Cethim*, veniant. Notum est, Euphratem Babylonem permeare; atque ut eam urbem caperet, coactum fuisse Cyrum amne cæso aquas in deserta vicina derivare (z). Apertos autem in eam rem hiatus nemo unquam claudere valuit, quòd mobile & leve solum conatus omnes falleret. Pluribus operis sumptibusque conatus est Alexander Magnus Euphratis aquas continere, ne in deserta fluerent (a); at irrito labore; cùm aliquibus pòst annis, ruptis aggeribus, Euphrates omnem Babylonis agrum inundaverit; ut hodie pariter Euphra-

(a) *Ezech.* VII, 19. (b) *Sophon.* I, 18. (c) *Isai.* XIV, 28. (d) *Strabo, lib.* 16: Ἡ δὲ Βαβυλὼν ἐρημία ἡ πολλή. (e) *Diodor. lib.* 2 *Bibliot. c.* 9. (f) *Pausan. Arcadic. c.* 33. (g) *Hieronym. ad Isai.* ℣. *ult. c.* XIII; *&* XIV, 22. (h) *Itinerar. p.* 70. (i) ורבצו שם ציים ומלאו בתיהם אחים (k) *Chald.* חמון *Bochart. de animal. facr. parte* 1, *lib.* 3, *c.* 14. (l) Καὶ ἀναπαύσονται ἐν αὐτῇ θηρία, καὶ ἐμπλησθήσονται αἱ οἰκίαι ἤχου. (m) Φωνῶν. *Vide Boch. de animal. parte* 1, *lib.* 3, *c.* 15. (n) *Vide Isai.* XIV, 23 *&* 70; *& Theodoret. in eum locum.* (o) *Abyden. apud Euseb. Prep. lib.* 9, 41. *Vide & Jerem.* L, LI. (p) *Isai.* XXI, 1. (q) *Jerem.* LI, 36. (r) *Isai.* XXIII, 13. (s) *Isai.* XXXIV, 14. פגשו ציים את איים (t) *Jerem.* L, 39. ישבו ציים את איים (u) *Psal.* LXXI, 9. ציים יכרעו לפניו *Vulg. &* 70, *Æthiopes.* (x) *Psal.* LXXIII, 14. לעם לציים 70 *& Vulg. Æthiopes.* (y) *Dan.* XI, 30. ובאו בו ציים כתים (z) *Xenophon, Instit. Cyri, lib.* 7; *Herodot. lib.* 1, *c.* 190, 191. (a) *Strabo, lib.* 16, *p.* 741; *Arrian. lib.* 7.

℣. 22. Et respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus, & sirenes in delubris voluptatis.

COMMENTARIUS.

Euphratis aquæ dissipentur, antequam ad Sinum Persicum perveniant. Ab ipsâ Alexandri Magni ætate aquæ plurimum soli occupaverant, cùm ipsa veterum Regum Babyloniæ sepulcra obruissent, & raptum vento diadema Alexandri, arundinibus in quodam ex bis sepulcris sponte natis sese implicuerit *(b)*.

Ochim vox est equidem ignotæ Interpretibus significationis, quam tamen de juncis & arundinibus accipiendam censeo. Derivatur ex *achu*, quæ vox, nemine ambigente, sonat locum palustrem, juncis ferendis aptum, vel pratum, vel solum aquis putre. Eâdem voce utitur Moyses in descriptione insomnii Pharaonis *(c)*: *Boves pingues pascebantur in locis palustribus*. Job *(d)*: *Numquid virere potest scirpus sine aquâ?* Apud Authorem Ecclesiastici legas Græcè vocem *Achi*, ut significet juncum ad aquas natum, qui ante fœnum vellitur *(e)*. Septuaginta & Theodotion eamdem adhibent inferiùs, Capite XIX, 6, ut juncos Ægypti designent.

Habitabunt ibi struthiones, et pilosi saltabunt ibi. Hebræus *(f)*: *Et habitabunt ibi filiæ Jaanah; & hirci saltabunt ibi*. Non semel alibi de *filiabus Jaanah* disceptatum est; nihilque certum nacti sumus, quod animi ambiguitatem auferret. Igitur pro viribus demonstrare hìc aggredimur, hac voce cycnum significari. En conjecturas.

I, *Filiæ Jaanah*, aves sunt, & facilè aquaticæ, cùm a Moyse referantur in censum quarumdam avium, quarum usu Judæi interdicuntur *(g)*. II, Jungi solent in Scripturâ cum *thannim*, quæ pisces sunt & monstra marina, fortasse quòd commune sit utrisque elementum aqua. III, Apud Prophetas *(h)* *Jaanim* loca tenent palustria, & quæ suis deserta habitatoribus, in solitudines & paludes degenerarunt. IV, Animal id generis sylvestre est, triste, clamorosum: *Clamabo ceu thannim*, inquit Michæas *(i)*, *& lugebo ceu filia Jaanah*. Job, XXX, 29: *In turbâ clamabam: frater fui thannim, & socius filiarum Jaanah*. V, Sæva avis est, vel in pares. Jeremias *(k)*: *Thannim nudaverunt mammam, lactaverunt catulos suos: filia populi mei quasi jaanim in deserto*.

Hæc autem omnia cum cycno planè congruunt. Nomen *Jaanah*, vel *Jaghana*, vel *Ighna* ad *cycnon* vel *cygnum* accedit. Est autem avis aquatica, lacus, paludes, stagna, amnes leniter pacateque fluentes amans *(l)*. Hujus ingenium describens Plinius ait *(m)*: *Iidem mutuâ carne vescuntur inter se*. Reus etiam arcessitur cycnus, quòd ova destruat sua, & pullos voret *(n)*. Huc facilè spectans Jeremias, filiam populi sui accusat, quòd sævitiem *Jaanim* imitaretur *(o)*, cùm matres quædam, obsidione Jerosolymam premente sub Nabuchodonosore, filios suos vorarint *(p)*: *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos*, &c. Denique ore omnium celebrantur lugubria cycnorum carmina, acutique clamores tanto interdum nisu ac tamdiu producti, ut mortem illis afferant *(q)*. Hinc facilè locus fabulæ datus, canendo scilicet cycnum mori, funusque suum lugere.

Vox Hebræa *sehirim*, quam Author Vulgatæ reddit *pilosi*, & Septuaginta *Dæmones*, quæque accipi solet de hircis, satyris, vel Dæmonibus, hìc propriè exponitur de hircis seu capreis. Hujus generis feræ lascivient in ripâ paludum, quæ Babylonem obruent. Loquens alibi Isaias *(r)* de futuro Babylonis statu post ejus lapsum, ait: *Hircus clamabit alter ad alterum*, alter alteri respondebit, uti fit, dum alius stat in insulâ vel in ripâ, alter ex adverso.

℣. 22. Respondebunt ibi ululæ in ædibus ejus. Vox Hebræa איים *iim*, quam S. Hieronymus reddidit *ululas*, a Septuaginta Ὀνοκένταυροι *onocentauri* vertitur. Alii malunt *feles (s)*; alii *hyenas*; luporum genus in Arabiâ familiarissimum, Bochartus *(t)*. Sunt autem illi lupis vulgaribus minores, colore ad flavum accedentes: incedunt turmatim, & alii aliis ululatu respondent. Nomen obtinent *filiorum Avvi*, quæ vox similitudinem habet aliquam cum Hebræâ *iim*. Verùm S. Hieronymus de ave interpretari maluit. Nota est ex Moyse *(u)* & Jobo *(x)* avis *aiah*; sed utrùm vulturem an picam designet, ambigitur. Avem esse lynceis oculis, ex Jobo discimus; id quod sanè ululæ non congruit.

Et sirenes in delubris voluptatis. Sirenes, notissima monstra, puellæ erant alatæ, pedibus avium instructæ, dulce quidem, sed fatale Viatoribus multis canentes. Hebræa vox *(y)* *thannim*, sonat procul dubio anguem, magnum piscem, monstrum marinum. Expensis locis omnibus, in quibus ostenditur, constat, I, Piscem esse ingentem, valideque stridentem *(z)*; II, Ejus carnibus homines maritimos vesci *(α)*; III, Catulos e mammillâ alere *(β)*; IV, Mare vel loca aquatica incolere *(γ)*. Quæ omnia cum phocâ vel balænâ mirè congruunt: nam & strident acutè, & catulos mammillâ alunt *(δ)*, & carnibus cibum præbent maritimis gentibus, quæ & oleum ex iis exprimunt. Porrò paludes Babylonem inundantes perviæ erant facilè phocis, quæ amphibia sunt monstra, & amnes majores non rarò obsident. Confer postrema hujus Capitis cum Capite XXXIV, 13, 14, 15, Isaiæ, easdem fermè phrases exhibente.

CA-

(b) *Appian. Syriac. p.* 124, *edit. Græco-Lat.* (c) *Genes.* XLI, 2, 18, הרעינה באחו 70: *in Achi*. (d) *Job*, VIII, 11, ישגא אחו בלי מים (e) *Eccli.* XL, 16. Ἄχι (*vel* ἄχει,) ἐπὶ παντὸς ὕδατος, καὶ χείλους ποταμοῦ, πρὸ παντὸς χόρτου ἐκτιλήσεται. (f) ושכנו שם בנות יענה ושעירים ירקדו שם. (g) *Levit.* XI, 16; *Deut.* XIV, 14. (h) *Isai.* XIII, 25; XXXIV, 15; *Jerem.* L, 39.
(i) *Mich.* I, 8. ואבל כבנות יענה (k) *Jerem. Thren.* IV, 3. בת עמי לאכזר כיענים במדבר
(l) *Ælian. hist. animal. lib.* XVII, 24: Κύκνοι δὲ ἤθη καὶ διατριβαί, λίμναι τε, καὶ ἕλη, καὶ τενάγη, καὶ ἀέναοι ποταμοί, πρᾴως καὶ ἡσυχῇ ῥέοντες. *Vide & lib.* 10, *c.* 36. (m) *Plin. lib.* X, *c.* 23.
(n) *Ælian. hist. anim. lib.* XIV, *c.* 3: Ὡς ἡ φήμη διαῤῥεῖ λέγουσα ἐπιβουλεύειν ἐγγόναις καὶ διαφθείρειν τὰ ᾠά. (o) *Thren.* IV, 3. (p) *Thren.* IV, 10.
(q) *Ælian. lib.* 5, *c.* 34: Τυφλὸν δὲ ἄρα τῷ κύκνῳ περιεῖναι εὐθυμίας, ὡς ἐπὶ τῇ καταστροφῇ τοῦ βίου τοῦ σφετέρου ᾄδειν, ἀναγηρύεσθαι οἷον ἐπικήδειόν τε τοῦτο τὸ μέλος. *Vide & lib.* 2, *c.* 32; *& lib.* X, *c.* 36; Ἀκουσθῆναι τι μέλος πάνυ μὲν ἡδύ, γοερὸν γε μήν, καὶ οἷον τοῖς ὠσὶν ἐπικλάσαι τὰς ἀκούοντας. Καί τινας ἐπὶ τῷ μέλει φησὶ (Ἀριστοτέλης) φανῆναι τεθνεῶτας αὐτῶν.
(r) *Isai.* XXXIV, 14. (s) *Chald.* חתולין *Catulin.* (t) *Boch. de animal. sacr. parte* 1, *lib.* 3, *c.* 12.
(u) *Levit.* XI, 14; *& Deut.* XIV, 13. (x) *Job*, XXVIII, 7. (y) ותנים בהיכלי ענג 70: *Erici*. Νοσσοποιήσουσιν ἐχῖνοι ἐν τοῖς οἴκοις αὐτῶν. (z) *Job*, XXX, 29; *Mich.* I, 8. (α) *Psal.* LXXIII, 13.
(β) *Lament.* IV, 3. (γ) *Genes.* I, 21; *Psal.* LVIII, 7; *Isai.* XXVII, 1; *Ezech.* XXXII, 2.
(δ) *Vide Plin. lib.* IX, *c.* 8; *Aristot. lib.* 3 *hist. animal. c.* 20; *& lib.* 6, *c.* 12; *Ælian. hist. lib.* 5, *c.* 4. De phocarum clamoribus vide nos in *Mich.* I, 8.

CAPUT XIV.

Judæi, Captivitate Babylonicâ tandem liberati, consolantur. Superbia & casus Regum Babyloniorum. In Philistæos mina.

℣. 1. PRope est ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elon-
gabuntur. Miserebitur enim Dominus Jacob, & eliget
adhuc de Israël, & requiescere eos faciet super humum suam:
adjungetur advena ad eos, & adhærebit domui Jacob.
℣. 2. Et tenebunt eos populi, & adducent eos in locum suum:
& possidebit eos domus Israël super terram Domini in servos
& ancillas: & erunt capientes eos qui se ceperant, & subji-
cient exactores suos.
℣. 3. Et erit in die illâ: cùm requiem dederit tibi Deus a labore
tuo, & a concussione tuâ, & a servitute durâ, qua ante servisti:
℣. 4. Sumes parabolam istam contra Regem Babylonis, & dices:
Quomodo cessavit exactor, quievit tributum?
℣. 5. Contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium,

COMMENTARIUS.

℣. 2. PROPE EST UT VENIAT TEMPUS EJUS. Ab exordio Ezechiæ ad Balthasaris exitum centum & septuaginta duo anni circiter effluxerunt (a). Docet non obscurè Hebræus (b), illud, *tempus ejus*, referri ad Babylonem, de qua Capite superiori. Hebræus, & Græcorum nonnulli a ℣. 2 hoc Caput exordiuntur. Ultio Domini in Babylonem non differetur: tum miseratio Domini in populum succedet. *Miserebitur Dominus Jacob*, &c.

ELIGET ADHUC DE ISRAEL, ET REQUIESCERE EOS FACIET SUPER HUMUM SUAM. Iterum e medio gentium, inter quas illos dispersit, delectos pristinæ hæreditati jure postliminii restituet. Hæc omnia sub Cyro impleta sunt, cùm non Juda modò, sed & Israël, quamquam non totus simul, sed per varias temporum opportunitates, redierit. Vide nostram Dissertationem Ezechieli præfixam.

ADJUNGETUR ADVENA AD EOS. Ex Ethnicis, qui trans Euphratem sunt, plures ad sacra Judæorum, præsertim sub Assuero & Esthere, transierunt (c). Plurimi etiam accedentes Judæis, communes cum illis sedes in Palæstinâ, præsertim post Macchabæorum ætatem, habuerunt. Idumæa universa sub Hircano (d) circumcisionem admisit.

℣. 2 TENEBUNT EOS POPULI, ET ADDUCENT IN LOCUM SUUM. Judæis a se remissis milites ad tutelam itineris dedisse Cyrus creditur. Hæc præsidia petere ab Artaxerse Esdras noluit, ne auxilio Dei diffidere videretur (e). Ab eodem Principe literas accepit Nehemias, quibus Præsides trans Euphratem jubebantur cum manu validâ Nehemiam adusque ditionem Juda deducere (f). Author tertii Libri Esdræ (g) narrat, Darium Regem ad Præfectos ac Præsides Provinciarum literas dedisse, ut Judæos domum redeuntes tuerentur: quin & Rex ipse comites illis mille equites adjunxit.

POSSIDEBIT EOS DOMUS ISRAEL IN SERVOS ET ANCILLAS. Quo tempore Hebræi trans Euphratem versabantur, plures utriusque sexûs Chaldæos servos emerunt, emptosque secum in patriam duxerunt. Neque enim reputandum est, ita illos in alienis terris egisse, ut Chaldæis servirent; cùm a cæteris gentibus Regi subjectis nihil differrent. Agros sibi ad culturam assignatos possederunt; e quibus tributa solventes Regi, quod reliquum erat, sibi habebant. Quin & non pauci industriâ & labore plurimas opes pepererunt. Ex his etiam multi domos ibi optimè fundatas deserere, ut in patriam reverterentur, recusavere; neque enim meliorem conditionem sperare poterant, cùm æquè serviendum, & tributa Regi Persidis solvenda essent. Esdrâ & Nehemiâ narrantibus discimus, redeuntes in patriam Judæos secum duxisse magnam servorum copiam (h), collectam facilè ex alienigenis, quippe qui seorsum ab Israëlitis censentur. Neque enim Israëlitæ perpetuò servire cogebantur, nisi spontè libertate cessissent (i).

ERUNT CAPIENTES QUI SE CEPERANT; ET SUBJICIENT EXACTORES SUOS. Harum promissionum fides in Judæâ primùm stetit post cædem Holophernis, deinde Cambyse extincto; ac postremò post casum Imperii Assyriorum & Chaldæorum. Tunc pronum fuit Judæis emere vel etiam capere ex his gentibus servos, præsertim postquàm Alexander Magnus Judæos in exercitu habuit (k), iisdemque copiis Persarum Regnum evertit. Uti enim jam animadversum est, hæc oracula nonnisi longâ sæculorum serie impleta sunt. Vide Jeremiam, xxx, 16; & xxv, 14, ubi similes promissiones exhibentur. Sub Macchabæis potissimùm horum oraculorum veritas patuit; pluribus enim præliis victores, magnam captivorum prædam egerunt.

℣. 4. SUMES PARABOLAM ISTAM CONTRA REGEM BABYLONIS, ET DICES: QUOMODO CESSAVIT EXACTOR? Eam sibi regulam fermè perpetuam statuunt Prophetæ, ut oracula claudant carmine sive encha-

(a) Vide Cap. XIII, 6. (b) וקרוב לבוא עתה וימיה לא ימשכו (c) *Esth.* VIII, 17: *In tantum ut plures alterius gentis & sectæ, eorum religioni & cæremoniis jungerentur. Grandis enim cunctos Judaici nominis terror invaserat.* (d) *Joseph. Antiq. lib.* XIII, *c.* 17. (e) 1 *Esdr.* VIII, 22. (f) 2 *Esdr.* 2, 7. (g) 3 *Esdr* IV, 47; & V, 2. (h) 1 *Esdr.* II, 65: *Exceptis servis eorum & ancillis, qui erant septem millia trecenti triginta septem.* (i) *Exod.* XXI, 6.
(k) *Joseph. Antiq. lib.* XI, *c.* 8: Ε᾽ιτινες αὐτῷ βόλονται στρατεύειν τοῖς πατρώοις ἔθεσι ἐμμένοντες, καὶ κατὰ ταῦτα ζῶντες, ἑτοίμως ἔχειν ἐπαγγέλλεσθαι, πολλοὶ τὴν σὺν αὐτῷ στρατείαν ἠγάπησαν.

℣. 6. Cædentem populos indignatione, plagâ insanabili, subjicientem in furore gentes, persequentem crudeliter.
℣. 7. Conquievit & siluit omnis terra, gavisa est & exultavit:
℣. 8. Abietes quoque lætatæ sunt super te, & cedri Libani: ex quo dormisti, non ascendet qui succîdat nos.
℣. 9. Infernus subter conturbatus est in occursum adventûs tui, suscitavit tibi gigantes. Omnes principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes principes nationum.
℣. 10. Universi respondebunt, & dicent tibi: Et tu vulneratus es sicut & nos, nostri similis effectus es.
℣. 11. Detracta est ad inferos superbia tua, concidit cadaver tuum: subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.
℣. 12. Quomodo cecidisti de cœlo, Lucifer, qui mane oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes?

COMMENTARIUS.

eucharistico, sive lugubri, pro naturâ vaticinii *(l)*. Cùm igitur Isaias Babylonis exitium præounciavit, Hebræos inducit laudes & felicitatem recuperatæ libertatis carmine celebrantes. *Parabola (m)* hìc accipitur pro lugubri carmine, poëticis tropis & verbis expresso. Septuaginta *(n)*: *Sumes lugubrem naniam*.

℣. 6. SUBJICIENTEM IN FURORE GENTES, PERSEQUENTEM CRUDELITER. Hebræus *(o)*: *Dominantem in furore gentibus, persequentem absque misericordiâ*. Rabbini passivè, sed mendosè, legunt: *Persecutionem passum crudeliter*. Septuaginta *(p)*: *Ferientem gentem plagâ furoris, quâ non pepercit*.

℣. 7. SILUIT OMNIS TERRA. Dominis hisce sævis & turbulentis sublatis, tranquillâ pace fruuntur populi *(q)*. Darius Medus & Cyrus regno tranquillo & pacato populos bearunt. *Omnis terra* hìc est Chaldæorum Imperium universum, cum vicinis regionibus, quas horum Principum ambitio sollicitos assiduè & in armis tenebat.

℣. 8. ABIETES QUOQUE LÆTATÆ SUNT, ET CEDRI LIBANI. Nedum populi, sed Principes ac Reges, nomine cedrorum Libani designati *(r)*, Balthasaris exitio gavisi sunt; quippe quibus sublatus est metus: *Non ascendet qui succîdat nos*: nullus regiones nostras invadet tyrannus, nemo nos dejiciet, utì antea Nabuchodonosor Reges Juda, Tyri, Ægypti, aliosque plurimos evertit.

℣. 9. INFERNUS SUBTER TE CONTURBATUS EST. Prosopopœja est *(s)*, vel amara in Regem Chaldæorum ironia. Vix attigisti limen loci illius, ubi mortui quiescunt, statim moveri omnes qui ibi versabantur, accorrere certatim ad tanti Principis manes. E soliis illi suis tibi venienti assurrexerunt: *Suscitavit tibi gigantes*; Gigantes illos heroesque, quorum virtutem fama hominum celebrat, obviam venienti procurrerunt. Simili descriptione utitur Ezechiel *(t)*, de morte Regum Tyri & Ægypti agens,

℣. 10. ET TU VULNERATUS ES, SICUT ET nos. Tandem & tu pariter, utì & nos, communi hominum fato succubuisti; e nostro numero unus nunc es. Balthasar neci traditus fuit eâdem nocte, qua sacra Templi Domini vasa profanavit *(u)*.

℣. 11. SUBTER TE STERNETUR TINEA, ET OPERIMENTUM TUUM ERUNT VERMES. Lectum hìc pro dignitate tuâ sternimus; tineas pro cubili, vermes pro culcitrâ *(x)*; atque hæc parantur pulvinaria viro, qui Asiam universam terrore concussit. Probabile est, Balthasarem, quem occi traditum fuisse superiùs diximus, honore sepulturæ privatum, *sepulcrum asinorum* obtinuisse. Cæterùm constat, Babylonios sive Chaldæos maximè curasse, si quid aliud, ut cadavera condirentur, & magnifici operis sepulcris mandarentur *(y)*.

℣. 12. QUOMODO CECIDISTI DE COELO LUCIFER, QUI MANE ORIEBARIS? Hebræus *(z)*: *Quomodo cecidisti de cælo, Helel fili Auroræ*. Septuaginta *(a)*: *Quomodo cecidit de cælo sydus matutinum, quod mane oriebatur?* His verbis prosequuntur Heroës & Principes luctum, quo casum Regis Babyloniæ commiserantur. Quomodo in hanc paupertatem cecidisti, Regum olim gloriosissime, deturbatus e solio, ex quo tamquam matutinum sydus fulgebas? Ita interpretantur plerique ex Patribus *(b)*, & Interpretibus *(c)*; ex quibus alii accommodant hæc Nabuchodonosori, alii Balthasari, alii Sennacheribo, pro suâ quisque sententiâ. At major veterum Patrum *(d)* turba hæc explicat de *Lucifero*, Dæmone scilicet, qui in tantam superbiam audaciamque devênit, ut quamdam cum Altissimo similitudinem affectarit, soliumque in monte Testamenti erigere ausus sit, unde & meruit deturbari. Nec diffiteri possumus, omnia quæ hîc de Lucifero, Angelo huic perduelli congruere. Quin & hunc locum spectat Jesus Christus *(e)*: *Videbam Satanam, sicut fulgur, cadentem de Cælo*.

Eusebius hîc suspicatur *(f)*, sermonem esse de Virtute quadam seu genio, Angelo Præside Impe-

(l) *Vide sup. c.* XII, *&* XXVI, 5. *Jerem. Thren. Ezech.* XXVII, 3; XXXII, 2.
(m) ונשאת המשל (n) Καὶ λήψῃ τὸν θρῆνον. (o) רדה באף גוים מרדף בלי חשך
(p) Παίων ἔθνος πληγῇ θυμοῦ, ἣ οὐκ ἐφείσατο. *Alius*: Ἐπάταξεν. (q) Confer a *Macc.* I, 3: *Siluit terra in conspectu ejus (Alexandri.)* (r) *Theodoret. Eusеb. Hieron. Grot. Sanct. alii*.
(s) *Hieron. Theodoret. Euseb.* (t) *Ezech.* XXXI, 17, 18, XXXII, 19, *& seq.* (u) *Dan.* V, 3.
(x) תחתיך יצע רמה ומכסיך תולעה (y) *Herodot. lib.* 1, *c.* 198; *Strabo, lib.* 16.
(z) איך נפלת משמים הילל בן שחר (a) Πῶς ἐξέπεσεν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ὁ ἑωσφόρος, ὁ πρωῒ ἀνατέλλων. (b) *Ita Hieron. Cyrill. Basil. hîc; Aug. lib.* 3 *de Doctr. Christ. c.* 37; *Chrysost. Eclog. de superbiâ, homil.* 16. (c) *D. Thom. Haimo, Dionys. Sanct. Cornel. Grot. Vatab. Sa, Chald. &c.*
(d) *Origen. lib.* 1 *Periarchon, c.* 5; *& lib.* 4, *c.* 2; *Euseb. in Psal.* LXXXI; *Athanas. plurib. in locis; Greg. Magn. sæpiùs; Tertull. lib.* 5 *advers. Marcion. c.* 11, *&* 17; *Ambros. in Psal.* CXVIII; *Theodoret. hîc; Isid. Pelus. lib.* 1, *ep.* 15; *Bernard. serm.* 3 *in vision. Is. & alii*.
(e) *Luc.* X, 18. (f) *Euseb. hîc. Vide & in Isai.* XXIV, 22.

℣. 13. Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.
℣. 14. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.
℣. 15. Verumtamen ad infernum detrahêris, in profundum laci.
℣. 16. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient: Numquid iste est vir, qui conturbavit terram, qui concussit regna?
℣. 17. Qui posuit orbem desertum, & urbes ejus destruxit, vinctis ejus non aperuit carcerem?
℣. 18. Omnes reges gentium universi dormierunt in gloriâ, vir in domo suâ.
℣. 19. Tu autem projectus es de sepulcro tuo, quasi stirps inutilis, pollutus, & obvolutus cum his, qui interfecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci, quasi cadaver putridum.

COMMENTARIUS.

Imperii Chaldæorum. Scitum est. Veteres olim singulis Imperiis singulos Angelos Præpositos agnovisse; cui opinioni favere Daniel videtur (g). Virtus hæc Babylonis custos nedum Imperium istud in justitiâ & veritate moderata non est, verùm etiam corrupit, sibique Divinos honores comparavit. Quod illi cùm successisset, offensus idcirco Deus, Provinciam illi abstulit, exulemque in Inferna detrusit, sociam *Rephaim* vel Gigantum. Sunt autem Gigantes Virtutes quædam, quæ hujus exemplo abusæ potestate suâ, divinos sibi honores usurpaverant. Descendens ad Inferna Jesus Christus, obvias habuit easdem Virtutes, quæ hic venienti Lucifero occurrunt, ratas facilè, unum esse illum e suo grege, qui communem conditionem subiret (h). Porrò opinio hæc nova est prorsus & singularis, & asseclis, quantum scio, carens. Dæmonis lapsum nec ipsi Ethnici penitus ignorarunt. Radius enim quidam illius veritatis affulsit Homero (i), scribenti, dissidiorum Dæmonem e Cœlo præcipitem a Jove actum fuisse; eumdemque furorem suum in locis tristibus, in quibus detinentur homines, exercere. De casu Jerosolymæ agens Jeremias (k), ait Filiam Sion e Cœlo cecidisse.

℣. 13. In Coelum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte Testamenti, in lateribus Aquilonis. Assyriæ, Chaldææ & Persidis Reges perinde ac Numina a populis habebantur; divinosque honores & obsequia ab illis exigebant. Ex audacissimâ Rabsacis oratione (l) intelligimus, quanto contemptu superbi ii Reges reliqua cæterarum gentium Numina asperoarentur. Omnes gentium Deos veluti e superiore loco despiciebant; ac meritò illi quidem, nisi illos vera esse Numina putavissent; hominum enim vilissimus, dum vivit, melior est, quàm centum Joves mortui.

Hanc dementiam atque arrogantiam animo fovebant Holofernes, ejusque Rex Nabuchodonosor, cujus ambitio eò ferebatur, ut ab universis totius Imperii populis pro Numine coleretur (m). Regibus quidem Persidis jus erat dignitati suæ insitum, ut thure & cultu religioso adorarentur (n). Quamobrem mirum non est, si Regum istorum animæ venientem ad inferna Regem Babylonis excipientes, unà quasi gravissimam calamitatem querantur, quòd vasta illius molimina cum ipso evanuerint, atque e vivis abierit, antequam ascenderit in Cœlum, & inter astra solium collocarit, ac denique antequam Templi Domini Jerosolymæ Aras ascendere potuerit. Hoc enim Templum iis verbis designatur: *In monte Testamenti*; idest, in monte ubi Templum stat, depositum servans tabularum fœderis & Arcæ, quam intra Sanctuarium condebat. Mons iste adjacebat *lateribus Aquilonis*, vel Septemtrionis, cui rectâ opponebatur vetus Urbs Jerosolymæ, ad meridiem posita. *Latera Aquilonis, Civitas Regis Magni* ait Psalmista (o).

℣. 15. Veruntamen ad Infernum detraheris, in profundum laci. Commune cum reliquis mortalibus fatum subibis. Infernus interdum pro sepulcro usurpatur; hic autem accipi commodè potest pro loco, ubi defunctorum animæ continentur. Hebræus (p): *In Infernum*, vel in sepulcrum, *projicieris ad latera fossæ*; in eos loculos, qui exciduntur in speluncis, sepulturæ hominum destinatis. Molitus es solium tuum *in lateribus Aquilonis*, in Templo Domini constituere: at sedes tua erit ad latera sepulcri vel speluncæ.

℣. 16. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient. Excitati strepitu adventûs tui, surgent e sepulcris vel loculis suis; proni te colent, & alter ab altero flagitabit: Nonne hic est triumphator ille, qui Provincias vastavit, qui universum terrarum orbem turbavit atque concussit? Hebræus (q): Qui te viderint, *sollicitè te considerabunt; & perpendent in se ipsis*: En triumphatorem inclytum, mundi olim strepitum & ruinam. Septuaginta (r): *Qui te videbunt, mirabuntur super te, & dicent: Iste homo qui irritabat Terram*. Aquila (s): *Qui concussit terram*, totamque commovit. Hic genuinus est Hebræi sensus.

℣. 19. Tu autem projectus es de sepulcro tuo. Obvio sensu accipi hæc ita possunt: In sepulcrum patrum tuorum illatus non es (t), at sub

---

(g) *Dan.* X, 13, 20. (h) *Euseb. Demonstr. Evang. lib.* X, *c. ult.* (i) *Homer. Iliad.* XIX.
(k) *Jerem. Thren.* II, 1. (l) 4 *Reg.* XVIII, 33. (m) *Judith*, III, 13. *Præceperat enim illi Nabuchodonosor Rex, ut omnes Deos terræ exterminaret, videlicet ut ipse solus diceretur Deus ab his nationibus, &c.* (n) *Curt. lib.* 8: *Persas quidem non piè solùm, sed etiam prudenter Reges suos inter Deos colere. Majestatem enim imperii, salutis esse tutelam.* (o) *Psal.* XLVII, 3.
(p) אך אל שאול תורד אל ירכתי בור 70: Νῦν δὲ εἰς ᾅδην καταβήσῃ, καὶ εἰς τὰ θεμέλια τῆς γῆς.
(q) ראיך אליך ישגיחו אליך יתבוננו הזה האיש (r) Ἰδόντες σε θαυμάσουσιν ἐπὶ σοι, καὶ ἐροῦσιν· Οὗτος ὁ ἄνθρωπος. (s) *Aqu.* Ὁ κλονήσας τὴν γῆν. *Heb.* מרגיז הארץ 70: Ὁ παροξύνων τὴν γῆν.
(t) *Sanct. Grot. Vat. Chald. Vide infra* ℣. 20: *Non habebis consortium neque cum eis in sepulturâ.*

℣. 20. **Non habebis consortium neque cum eis in sepulturâ: tu enim terram tuam disperdidisti, tu populum tuum occidisti: non vocabitur in æternum semen pessimorum.**

℣. 21. **Præparate filios ejus occisioni in iniquitate patrum suorum: non consurgent, nec hæreditabunt terram, neque implebunt faciem orbis civitatum.**

℣. 22. **Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum: & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem, dicit Dominus.**

COMMENTARIUS.

at sub dio projectus. Ad verbum hæc fortè impleta sunt in Balthasare, violentâ sublato morte, cujus etiam Imperium ad alienum hominem translatum est. Explicant hæc Judæi de Nabuchodonosore: sed quî fieri potuit, ut tantus Princeps honore sepulturæ careret? En fabellam. Successor illius Evilmerodachos, Regni Optimates minùs faciles ad obsequium sibi præstandum nactus, metuentes, ne in vivis adhuc esset Nabuchodonosor, vel saltem ne regrederetur e sepulcro, utì olim restitutus est e morbo, quo belluam agere ferocem per septennium coactus est; patris cadaver e sepulcro educi jussit, ac palam spectantibus omnibus rapi, ut obitum illius certo argumento omnes discerent. Ita rem narrat S. Hieronymus ex Judæis. Alii (u) affirmant, filium parentis corpus in frusta trecenta concidisse, & corvis in pabulum dedisse, ne iterum victurus timeretur.

Sed fabellas omittamus. Cùm moris esset apud veteres, unà cum cadaveribus opes pro dignitate mortui sepulcro condere, si fortè contingeret, ut milites regionem aliquam hostilem invaderent, continuò sacrilegas inferebant manus sepulcris, ut conditos thesauros eruerent. Simili casu accidit, ut Cyri cadaver erueretur, confringereturque sepulcrum, atque a militibus diriperetur (x). Nullo quidem historiæ testimonio discimus, quo casu factum sit, ut Regum Chaldæorum sepulcra everterentur: at si Persæ ne Beli quidem sepulcro pepercerunt (y), cùm Belus regionis illius Numen esset, ejusque cadaver in mausolæo omnium magnificentissimo conderetur; quis non facilè sibi persuaserit, illos Regum cæterorum sepulcra minori obsequio coluisse? Scimus denique, Alexandri Magni ætate plura veterum Regum Babylonis sepulcra aquis Euphratis mersa latuisse (z), ut latebræ insectorum & piscium essent. Septuaginta (a): *Tu autem projectus fuisti in montibus sicut mortuus abominatus*; projectus sub dio, utì cadavera vilissimorum & miserrimorum solent.

Quasi stirps inutilis, pollutus, et obvolutus cum his qui occisi sunt gladio. Projectus es utì lignum sterile, posteritate & liberis carens (b). Seu potiùs ex Hebræo (c): *Utì stirps abominabilis*, perniciosa, venenata, fœtens, quæ vix nata ex agro vel horto eliminatur; & *ut vestimentum occisorum in bello & perforatum gladio* (d), cruore infectum, quod omnibus ineptum usibus in ignem projicitur (e). Septuaginta (f): *Sicut mortuus abominabilis cum multis mortuis confossis gladio*. Aquila: *Sicut morticinum*. Symmachus: *Sicut abortivus*. Theodotion: *Sicut surculus*.

℣. 20. Terram tuam disperdidisti: tu populum tuum occidisti. Septuaginta [g]: *Terram meam perdidisti, & populum meum interfecisti*. Verbis discrepant, re congruunt. Ego tibi populum meum tradidi: is in potestatem tuam transiit; tu verò crudeliter illum habuisti; & pro pastore egisti carnificem.

Non vocabitur in æternum semen pessimorum; semen impiorum non diù notum erit in terrâ; ad literam: *Non vocabitur*; perpetuò in ore hominum non vivet, sed brevì peribit. Nabuchodonosoris posteritas nonnisi brevi, ut ita dicam, temporis momento stetit. Evilmerodachus & Balthasar paucis annis regnarunt; quorum uterque hæredibus destitutus periit. Nabuchodonosoris grande nomen veluti suffocatum evanuit, ejusque cum illo memoria condita sepulcro est: formidabile illud Imperium, quod super eversa Regna constitutum fuit, brevì in aliorum manus concessit.

℣. 21. Præparate filios ejus occisioni, in iniquitate patrum eorum. Propheta, liberorum ejus mortem prædicito: hi paternæ iniquitatis causâ neci tradentur. Famaliare est Scripturæ, ut factum a Prophetis dicant, quod ab illis vel prædictum [h] vel imperatum est. Utrùm Balthasar decedens liberos reliquerit, ignoramus; sed vero propiùs putamus, illos, si quos habuit, acerbo admodum fato, & unà cum patre interfectos fuisse. Si dicta hæc accipiantur de Nabuchodonosore, oraculi veritas facilè patebit. Evilmerodachus diuturnum regnum habere non potuit; & Beroso teste constat, a Neriglissore sororis viro, post biennii regnum, sublatum fuisse (i). Violentâ etiam morte periisse Balthasarem, ex Daniele discimus (k); qua morte brevissimi regni periodum clausit.

℣. 22. Perdam Babylonis nomen. Deinceps sermone hominum utì princeps in orbe civitas & Metropolis summi in universo Imperii non celebrabitur. Sensim minuetur, ac tandem fiet ut homines ita de illâ loquantur, velutì de urbe quæ jam desierit. Si nominis illius mentio aliqua substiterit, id erit ad opprobrium, & ad eruditionem posteritatis, ut sciat, urbem hanc criminum suorum causâ, Sodomæ simile exitium in se provocasse; & ut proverbium pro urbe corruptâ & vitiis deditâ (l), & monumentum furoris Divini perpetuum maneat.

℣. 23. Po-

(u) *Haimo, Hugo, alii plures.* (x) *Arrian. lib. 6, ad finem, & Strabo, l. 15, p. 730.* (y) *Strabo lib. 16, p. 738; Arrian. lib. 7; Diodor. lib. 17.* (z) *Arrian. de expedit. Alex. lib. 7; Strab. lib. 16; Appian. Syriac. p. 124.* (a) Σὺ δὲ ῥιφήσῃ ἐν τοῖς ὄρεσι, ὡς νεκρὸς ἐβδελυγμένος μετὰ πολλῶν τεθνηκότων. (b) *Isai. LVI, 3: Non dicat eunuchus: Ego lignum aridum.* (c) כנצר נתעב (d) לבש הרגים מטעני חרב (e) *Isai. IX, 5: Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem.* (f) Ὡς νεκρὸς ἐβδελυγμένος μετὰ πολλῶν τεθνηκότων ἐκκεκεντημένων μαχαίρᾳ. (g) Τὴν γῆν μου ἀπώλεσας, καὶ τὸν λαόν μου ἀπέκτεινας. *Heb.* ארצך שחת עמך הרגת (h) *Isai. VI, 10; Jerem. LI, 28, & passim.* (i) *Beros. apud Joseph. lib. 1 contra Appion. p. 1045.* (k) *Dan. V, 30.* (l) *1 Petr. V, 13; Apoc. XIV, 8; XVI, 19; XVIII, 2.*

℣. 23. Et ponam eam in possessionem ericii, & in paludes aquarum, & scopabo eam in scopâ terens, dicit Dominus exercituum.

℣. 24. Juravit Dominus exercituum, dicens: Si non, ut putavi, ita erit: & quomodo mente tractavi,

℣. 25. Sic eveniet: ut conteram Assyrium in terrâ meâ, & in montibus meis conculcem eum: & auferetur ab eis jugum ejus, & onus illius ab humero eorum tolletur.

℣. 26. Hoc consilium, quod cogitavi super omnem terram, & hæc est manus extenta super universas gentes:

℣. 27. Dominus enim exercituum decrevit: & quis poterit infirmare? & manus ejus extenta: & quis avertet eam?

℣. 28. In anno, quo mortuus est rex Achaz, factum est onus istud:

℣. 29. Ne læteris, Philisthæa omnis, tu, quoniam comminuta est virga percussoris tui: de radice enim colubri egredietur regulus, & semen ejus absorbens volucrem.

COMMENTARIUS.

℣. 23. PONAM EAM IN POSSESSIONEM ERICII. Hebræa vox (m) *Kippod*, quam Sanctus Hieronymus & Septuaginta (n) reddiderunt *Ericium*, una ex illis censetur, quorum est ambigua significatio. Si ericii interpretatio teneatur, id utique accipiendum est de ericio maritimo, & aquatico; tota enim orationis series demonstrat, regionem, in qua olim Babylon jacuit, stagnantibus aquis occupatam transisse in paludem. Alii (o) explicant de ave maritimâ vel palustri, uti de halizeto, buteone, vulture, ardeâ, merulâ aquaticâ, mergo; alii de lutrâ, castore vel fibro. Duobus aliis in locis (p) jungitur cum *pellicano*, quæ avis aquatica est. Porrò *Kippod* derivatur e radice sonante cædere, scindere, quod probè congruit castori & fibro, dentibus scindenti radices salicum aliarumque arborum, quæ ad ripas aquarum proveniunt (q). Si quis reddere maluerit *anserem*, facilè demonstrari poterit, animal esse voracissimum & avidissimum. Plinius (r): *Nec minùs aviditas* (mortifera illi est), *nunc satietate nimia, nunc suâmet vi; quando apprehensâ radice, morsu sæpe conantes avellere, nunc colla sua abrumpant.*

PONAM EAM IN PALUDES AQUARUM, ET SCOPABO EAM IN SCOPA TERENS; ita scilicet scopâ fricans, ut deteratur ceu vas, e quo rubigo detergenda est, vel uti pavimentum, quod verrendo raditur. Hebræus (s): *Scopabo eam in scopis destructionis.* Septuaginta (t): *Erit in nihilum; & ponam eam luti voraginem in perditionem.* Hæc omnia referuntur ad ea quæ in versiculos 21 & 22 Capitis XIII animadvertimus, de misero soli Babylonii statu post urbis excidium.

℣. 24. JURAVIT DOMINUS, SI NON, UT PUTAVI, ITA ERIT..... (℣. 25.) UT CONTERAM ASSYRIUM IN TERRA MEA. Ad primum propositum rediens Propheta, agit de cæde Sennacheribi (u) ejusque exercitûs, ex quo argumento illum abripuerat divini Spiritûs, quo afflabatur, impetus, ut ad vaticinandum Babylonis ejusque Regum exitium converteretur. Hæc tamen digressio non inutilis proposito existimanda est. Proximum enim ac perspicuum copiarum Sennacheribi exitium, quod inopinatum in ipsis Judææ montibus futurum erat, argumentum præbebat, quo conciliaretur fides alteri oraculo remotiori de excidio Regum Babylonis. Quæ præcedunt, & quæ hîc subduntur, de Sennacheribo Grotius exponit. Commodè etiam accipiuntur sive de interitu Cambysis, qui in ipsis Judææ montibus oppressus est, uti latiùs ad Ezechielem (x) demonstravimus, sive de excidio copiarum Holofernis, qui periit ad Bethuliam in montibus Judææ.

℣. 25. AUFERETUR AB EIS JUGUM EJUS; impositum sibi jugum excutiet Israël; fuso enim fugatoque Sennacheribo, liberam jugo Assyriorum cervicem erexit Ezechias; & sublato Cambyse, sævissimi Principis injuriis Israël liberatus est. Qui illi successit Darius Hystaspis, illos amicè prosecutus est, iisque liberam permisit facultatem Templi restituendi (y), quam Cambyses ademerat.

℣. 28. IN ANNO QUO MORTUUS EST REX ACHAZ, FACTUM EST ONUS ISTUD. Vaticinium præcedens, & ea quæ deinceps sunt, edita fuisse creduntur anno Regis Achaz emortuali, cùm Ezechias Regnum iniisset. Neque enim Isaias hanc epocham notasset, nisi Achazo e vivis sublato. Proximè sequens versiculus innuit, contigisse hæc statim post Regis obitum.

℣. 29. NE LÆTERIS, PHILISTHÆA OMNIS, TU, QUONIAM COMMINUTA EST VIRGA PERCUSSORIS TUI. Ne gaudeas morte Achazi, qui te bello lacessebat: filius enim ejusque successor domitam te servire coget. Regnum ineunte Achazo, Philisthæi captâ opportunitate, quòd res Juda turbatas ac male affectas intelligerent, eam ditionem aggressi, plures ex eâ urbes occupaverant (z): at vix Achaz instantium hostium metu liberatus est, creditur arma intulisse in Philisthæos, & recuperasse urbes, quas illi regni sui initio abstulerant. Innuit hoc Isaias, Achazum virgam Philisthæorum appellans: *Virga percussoris tui*, seu *virga percutiens te*, ex Hebræo (a).

DE RADICE COLUBRI EGREDIETUR REGULUS. Instar colubri Achaz, raptim te morsu petiit, metuens nonnihil ac diffidens: at Ezechias regulum aget,

(m) ושמתיה למורש קפד

(n) Θήσομαι τὴν Βαβυλῶνα ἔρημον, ὥστε κατοικεῖν ἐχίνους. (o) *Vide Boch. de animal. sacr. parte 2, lib. 3, c. 36.* (p) *Isai.* XXXIV, 11; *& Sophon.* II, 14. (q) *Plin. lib.* X, *c.* 30: *Animal horrendi morsûs, arbores juxta flumina ut ferro cædit.* (r) *Plin. lib.* X, *c.* 59.

(s) וטאטאתיה במטאטא השמד (t) Καὶ ἔσται εἰς οὐδέν. καὶ θήσω αὐτὴν πηλοῦ βάραθρον εἰς ἀπώλειαν. (u) *Theodoret. Hieron. Sanct.* (x) *Ezech.* XXXVIII, XXXIX. Vide nostram Dissertationem de Gog & Magog. (y) 1 *Esdr.* VI, 2, 3, *& seqq.* (z) 2 *Par.* XXVIII, 18, 29. (a) שבט מכך

℣. 30. Et pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent: & interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam.
℣. 31. Ulula porta, clama civitas: prostrata est Philisthæa omnis: ab Aquilone enim fumus veniet, & non est qui effugiet agmen ejus.
℣. 32. Et quid respondebitur nuntiis gentis? Quia Dominus fundavit Sion, & in ipso sperabunt pauperes populi ejus.

COMMENTARIUS.

aget, qui te solo aspectu sibiloque interficiet (b); id enim regulo naturâ insitum esse Rei naturalis Scriptores tradunt; quamquam Nostri repugnant. Verùm satis est, quòd olim id ab Antiquis regulo tributum fuerit. Ex Libris Regum discimus, quas de Philistæis victorias Ezechias retulerit (c): *Ipse percussit Philistæos usque ad Gazam & omnes terminos eorum.*

Et semen ejus absorbens volucrem. Qui ex angue vel regulo nascetur, multo infestior illo erit; neque enim mordebit tantùm, & halitu obvium quidlibet, sive homo illud sit sive arbor, occidet; sed & volantes in aëre aves interficiet. Fatendum est utique, nihil tale de regulo tradidisse Scriptores: sed & Hebræus legit tantummodo (d): *De radice serpentis egredietur Zepha* (aspis, vipera, seu regulus; certa enim significatio hujus vocis ignoratur) *& fructus ejus serpens volans*. Veteres recentioresque Philosophi norunt (e), in Arabiâ & Africâ angues esse quosdam volantes, & morsu perniciosissimos, cujus generis anguium meminere Numeri (f): & simulacrum æneum erexit Moyses in deserto, ut illius aspectu ii, qui morsu ejusmodi anguium affecti fuerant, Israëlitæ curarentur. Septuaginta (g): *Ex semine anguium egredientur fœtus aspidum; & e fœtu eorum egredientur serpentes volantes.*

Quam nos huic loco dedimus interpretationem, de victoriis Ezechiæ in Philistæos, vulgò Patres & Interpretes sequuntur; eamque fulcit Historia. Sed Propheta, ℣. 31, docet, malum, quod venturum prædicit, ruiturum in Philistæos *ab Aquilone*, quo nomine designari solet Chaldæa vel Assyria (h). Adde, quòd comparatio Ezechiæ cum aspide vel alato angue, a familiari Isaiæ stilo abhorrere videtur. Præstat igitur, *serpentis* nomine Sennacheribum intelligere, atque aspidis vel *alati serpentis*, Assaradonem; quorum uterque in Assyriâ regnavit, belloque lacessivit Philistæos, Isaiæ ætate.

Narrat Berosus (i), Sennacheribum armis totam Asiam Ægyptumque infestasse; quin & ad Pelusium usque pervenisse, tradit Herodotus (k). Bellum ibi triennio egisse, censet Usserius (l). Philistæi, quos Sennacherib in itinere habebat, hujus vim utique non evitarunt. Sed leviora hæc reputanda sunt, si cum iis comparentur, quæ ab Assaradone, Sennacheribi successore, passi sunt: missus enim ab illo Imperator copiarum Thartan, Azotum urbem Philisthæorum aggressus, obsedit atque expugnavit (m); atque ita sua fides mansit verbis Isaiæ: *E radice colubri egredietur regulus*. Nullibi legitur Achaz Philisthæos bello vexasse. Ad hæc eadem tempora spectare vaticinium Amos in Philisthæos arbitror.

℣. 31. Ab Aquilone fumus veniet. Fumus & ignis bellum significant (n); *Aquilo* Chaldæam vel Assyriam. Hinc bellum in Philisthæos infertur. Qui hæc de bello Ezechiæ interpretantur, animadvertunt, Jerosolymam ad septemtrionem Gazæ jacere. Verissimè illi quidem: sed universæ Philistæorum ditioni orientalis erat.

℣. 32. Et quid respondebitur nuntiis gentis (o), ferentibus scilicet rei hujus nuncium? At cujus gentis? Earum scilicet, quæ istam rerum & eventuum vicissitudinem admirabuntur. Ezechias omnibus Assyriæ viribus appetitus, e discrimine divinitus eripitur. Philisthæi, gens omnium opinione validissima, viribus unius e Ducibus Assaradonis resistere non valet. Quid respondebitur illis, qui in animum hæc inducere non poterunt, nisi hoc unum: *Dominus fundavit Sion, & in ipso sperabunt pauperes populi ejus?*

Aliter: *Quid respondebunt Nuntii gentis?* Legati scilicet ab Ezechia missi ad fœderatos Principes, cædem Sennacheribi nunciaturi? Quid illi respondebunt, nisi hoc unum, in patrocinium scilicet Dei hæc omnia referenda esse? Septuaginta (p): *Quid respondebunt Reges gentium? Quoniam Dominus fundavit Sion.* Legatos ad Reges Victores mittendi mos quàm vetus sit, exemplo Thou, qui nuncios ad Davidem misit (q), gratulatum ob victoriam de Rege Soba relatam, discimus. Misit pariter David legatos ad Regem Ammonitarum, de obitu patris ipsius dolens (r): misit & Merodac Baladan ad Ezechiam, recuperatam ab illo valetudinem gratulaturus (s).

CA-

(b) *Vide Ælian. lib. 2, c. 5, & 7; Plin. lib. 8, c. 21.* (c) 4 *Reg.* XVIII, 8.
(d) משרש נחש יצא צפה ופריו שרף מעופף (e) *Cicero de naturâ Deor. lib. 1; Lucan. lib. 6; Mela, lib. 3, c. 9; Ælian. lib. 2, c. 38.* (f) *Num.* XXI, 9. (g) Ἐκ γὰρ σπέρματος ὄφεων ἐξελεύσονται ἔκγονα ἀσπίδων, καὶ τὰ ἔκγονα αὐτῶν ἐξελεύσονται ὄφεις πετάμενοι.
(h) *Vide Isai.* XLI, 25; XLIII, 6, *Jerem.* I, 13, 14, 15; III, 12, *& passim. Vide Euseb. ad* ℣. 31.
(i) *Beros. apud Joseph. Antiq. lib. 2, c. 1.* (k) *Herodot. lib. 2, c. 141.* (l) *Ad. an. M.* 3292.
(m) *Isai.* XX, 1: *In anno quo ingressus est Tarthan in Azotum, cùm misisset eum Sargon Rex Assyriorum, & pugnasset contra Azotum, & cepisset eam.* (n) *Num.* XI, 28; *Jerem.* I, 13, *&c. Thren.* IV, 11, *&c.* (o) מה יענה מלאכי גוי *Aqu. Theod.* Βασιλεῦσι ἔθνους. *Sym.* Ἀγγέλοις ἔθνους.
(p) Καὶ τί ἀποκριθήσονται βασιλεῖς ἐθνῶν, Ὅτι Κύριος ἐθεμελίωσε Σιών. (q) 2 *Reg.* VIII, 9, 10.
(r) 2 *Reg.* X, 2, *& seq.* (s) 4 *Reg.* XX, 12.

CAPUT XV.

De excidio Moab vaticinium:

℣. 1. ONus Moab. Quia nocte vastata est Ar, Moab conticuit: quia nocte vastatus est murus, Moab conticuit.

℣. 2. Ascendit domus, & Dibon ad excelsa in planctum super Nabo, & super Medaba, Moab ululavit: in cunctis capitibus ejus calvitium, & omnis barba radetur.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ONUS MOAB. Docet Isaias (a), minas hasce in Moab explendas esse post triennium evolutum ab eo tempore, quo ipse dedit Oraculum, nempe, uti superiùs animadvertimus (b), ab anno Achaz postremo & Ezechiæ primo. Hanc temporis epocham Interpretes plerique vaticinio huic assignant. Creditur Salmanasar, defectione Osee Regis Israëlis (c) auditâ, tertio Ezechiæ anno in illum movisse; & ne quid relinqueret quod sibi molestum esset in expeditione, quam in Israëlem & Ægyptum Osee fœderatam aggrediebatur (d), in ipso itinere occupasse Regnum Moabitarum, cui pepercerat Teglathphalassar, cùm domitas tres Israëlis Tribus transjordanicas trans Euphratem misit. Bellum hoc in Moabitas descriptum hic ab Isaia creditur.

Hanc expeditionem omittit Regum Historia, eam tantummodo narrans, quæ anno proximè sequenti a Salmanasaro in Samariam suscepta est. Hanc eamdem fortasse in Moabitas & Ammonitas expeditionem Amos (e) spectabat. Fusè prosequitur Isaias cædem hoc bello illatam: sed Amos ejus belli causas ostendit. Israëlitas transjordanicos sævè crudeliterque vexaverant Ammonitæ, Idumæos Moabitæ. Moabitas pariter arguunt Jeremias (f), Ezechiel (g) & Sophonias (h): sed horum minæ respiciunt bella Nabuchodonosoris, post aliquot ab exitio Jerosolymæ annos eventura. Gentes hasce verbis castigans Jeremias, plures ex Isaia phrases adoptavit; id quod familiare est Prophetis, cùm easdem res vel similes nunciant (i). Commodè etiam oraculum hoc explicabis, si Ezechiam bello lacessivisse Moabitas statueris; & inter ea quæ sequuntur, nonnulla invenies, quæ huic sententiæ favent. Sed nihil fert Scriptura de hac alterâ Ezechiæ & Salmanasari expeditione.

QUIA NOCTE VASTATA EST AR, MOAB CONTICUIT; QUIA NOCTE VASTATUS EST MURUS. MOAB CONTICUIT. Moabitarum Metropolis *Ar* vel Areopolis, Urbs ad torrentem Arnon, alio nomine *Rabbath-Moab*, & a Profanis [k] *Carac-Moba* appellatur. *Kir*, vel *Kirharezeth* (l), vel *Kariath-hares*, seu Karioth sive *Kariath-Moab* (m), quam vocem Sanctus Hieronymus reddit hîc, *murus*, & alibi, *murus coctî lateris*, ipsa est *Ar* vel *Rabbath-Moab*. Post Urbis hujus ruinam, Moab altè conticuit, extremâ consternatione tenetur, mœrore contabuit. Idcirco autem *nocte* cecidisse Urbs dicitur, ut fortè innuatur, quàm facilè superba hæc Urbs ceciderit, vel improviso hosti cesserit. Sed ea, qua laboramus, hujus rei ignoratio nonnisi conjecturas admittit.

Paucis mutatis, reddi potest Hebræus (n): *Tandem penitus vastata est Ar: Moab desolatus est. Denique Kir penitus eversa est: Moab desolatus.* Vel: *Qua nocte Ar concidit, periit & Moab; qua nocte Kir eversa est, Moab desolatus fuit.* Post hujus munitissimæ urbis excidium, ea gens surgere deinceps non valuit. Denique: *Ar Moab eversa est & vastata: Kir Moab vastata est & desolata.* Septuaginta (o): *Nocte periit Moabitis; nocte enim periit murus Moabitidis: contristamini super ærumnas ejus.* Kir & Ar sunt hîc veluti synonima in duplici hoc membro, quæ duo membra idem significant.

℣. 2. ASCENDIT DOMUS, ET DIBON AD EXCELSA IN PLANCTUM. SUPER NABO ET SUPER MEDABA MOAB ULULAVIT. Mos ascendendi loca edita, montium cacumina, & interdum domorum tecta ad lugendos publicos privatosque casus, notissimus est in Scripturâ (p). Domus sive urbs *Bethsimoth*, vel *Bethara*, seu Bethabara, Beth-Phegor, Beth-Deblataim, Beth-Gamul, Beth-Maon, vel alia regionis illius, cui nomen erat Beth, domum sonans, & urbs Dibon edita loca ascendent, cacumina Nebo & Medabæ, ad plorandos regionis suæ casus. Nebo montis nomen est, cujus ad radices urbs ejusdem nominis jacebat. Medaba e proximo spectabat Phasgam, alium regionis Moabiticæ montem.

Hebræus (q): *Kir ascendit in Templum, & Medaba in excelsa ad fletum; Moab ululat super Nebo & super Medaba.* Cives Kir vel Ar Moab ascenderunt in Templum Chamos, & in verticem Nebo, ut ibi casos suos lugerent. Moabitæ juga Nebo & Medabæ tenentes, ululant. Hæc vera est hujus loci sententia. Interpretationi huic favent Septuaginta (r) & Eusebius. Teste S. Hieronymo (s), olim Chamos vel Beelphegor in urbe Nebo colebatur.

IN CUNCTIS CAPITIBUS EJUS CALVITIUM, ET OMNIS BARBA RADITUR. In totâ ubique Moabitide tristia luctûs insignia oculis obversabuntur: barbam sibi quisque & crines radet, consueto lugentium & mœrentium more (t).

(a) *Isai.* XVI, 14: *In tribus annis, quasi anni mercenarii, auferetur gloria Moab.* (b) *Isai.* XIV, 28.
(c) *Anno M.* 3280. *Usser.* (d) 4 *Reg.* XVII, 4. (e) *Amos*, I, 13; & II, 5, 2.
(f) *Jerem.* IX, XXV, XLVIII. (g) *Ezech.* XXV, 8. (h) *Sophon.* II, 8, 9. (i) Confer *Mich.* IV, 1, 2, 3, cum *Isai.* II, 2, 3, 4; *Isai.* XVI, 6; & *Jerem.* XLVIII, 29. (k) *Ita Ptolemæus, vel Characoma. Stephan. Mabucharax. Theodoret. hic: Charac-moba; & in Isai.* XI, 14: Χαραγμωβᾶ.
(l) *Isai.* XVI, 7, 11: *Murus cocti lateris. Et* 4 *Reg.* III, 25: *Muri fictiles.* (m) *Jerem.* XLVIII, 24, 41.
(n) כי בליל (כליל Lego) שדד ער מואב נדמה : כי בליל (כליל) שדד קיר מואב נדמה
(o) Νυκτὸς ἀπολεῖται ἡ Μωαβῖτις, νυκτὸς γὰρ ἀπολεῖται τὸ τεῖχος τῆς Μωαβίτιδος. Λυπεῖσθε ἐφ' ἑαυτοῖς. (p) *Jerem.* XLVIII, 38. *Vide & Jerem.* V, 10; & *hic* ℣. 3.
(q) עלה הבית ודיבון הבמות לבכי על נבו ועל מידבה מואב יליל
(r) 70: Λυπεῖσθε ἐφ' ἑαυτοῖς, ἀπολεῖται γὰρ καὶ Νιβὼν, οὗ ὁ βωμὸς ὑμῶν. Ἐκεῖ ἀναβήσεσθε κλαίειν.
(s) *Hieronym. hic. Vide Pag. Vatab.* (t) *Vide Jerem.* XLVIII, 37; *Levit.* XXI, 5; 2 *Reg.* XIX, 24; *Jerem.* XLI, 5; *Baruc*, VI, 30.

℣. 3. In triviis ejus accincti sunt sacco: super tecta ejus, & in plateis ejus omnis ululatus descendit in fletum.

℣. 4. Clamabit Hesebon, & Eleale: usque Jasa audita est vox eorum, super hoc expediti Moab ululabunt, anima ejus ululabit sibi.

℣. 5. Cor meum ad Moab clamabit, vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem: per ascensum enim Luith flens ascendet, & in viâ Oronaim clamorem contritionis levabunt.

COMMENTARIUS.

℣. 3. In triviis ejus accincti sunt sacco, uti solebant ii, qui funera propinquorum publicasque calamitates lugebant. Familiare id erat in totâ Palæstinâ, Babyloniâ & Ægypto. Aliud erant hujus generis sacci ab iis, quos propriè saccos dicimus: dicebantur enim hoc nomine vestes asperæ, crassæ, lugubres. De bello Italico agens Vellejus Paterculus, scribit (u): *Tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut usque ad saga iretur, diuque in eo habitu maneretur.*

Super tecta ejus at in plateis ejus. Domorum tecta ascendere interdum veteres consuevisse plorandi causâ, superiùs animadvertimus, ℣. 2.

℣. 4. Clamabit Hesebon et Eleale: usque Jasa audita est vox eorum. Hesebon, urbs olim Metropolis Regni Sehon Regis Amorrhæorum (x), ad radices montis Phasga jacebat (y). Eleale sita erat ad septemtrionem, tribus leucis ab Hesebone. Multo meridionalior Jasa mari mortuo imminebat, in ipsis regionis Moabiticæ finibus (z). Itaque per hyperbolen dicitur, ex Hesebone & Eleale clamores usque Jasam insonuisse. At his verbis significantur clamores & ululatus planè terribiles, qui e mediâ regione ad extremos usque Provinciæ fines quodammodo sonant. Castigatiùs legere videtur Jeremias, XLVIII, 34: *De clamore Hesebon usque Eleale & Jasa*. Hesebon media inter duas hasce urbes jacebat.

Super hoc expediti Moab ululabunt; anima ejus ululabit sibi. Milites & strenuus quisque, ac regionis præsidium, lugebunt cum cæteris: suis occupati malis, patriæ calamitates negligent. Nemo unus erit, cui non sit sua dolendi causa. Hebræus (a): *Cincti in Moab ululabunt; anima* uniuscujusque *vociferabit sibi*, vel sui ipsius causâ ululabit; quisque suum lugebit casum. Septuaginta (b): *Propter hoc, lumbus Moabitidis clamat: anima ejus cognoscet*. S. Hieronymus putasse videtur, Hebræam vocem *Chalazei* designare urbem Elusam; at nimis illa a Moabitide aberat, quippe quæ urbs esset Arabiæ Petrææ, Idumæam & Erythræum versùs.

℣. 5. Cor meum ad Moab clamabit. Calamitatibus illius, quamquam inimicus mihi semper is fuit, tangar. Septuaginta (c): *Cor Moabitidis clamabit in se*. Chaldæus: *In cordibus suis dicent Moabita*, sese in Segor elapsuros. Hoc intra se decernent. Jungi possunt hæc verba cum præcedentibus: *Fortissimi Moab ululabunt; anima ipsorum ululabit sibi*, sua ipsi mala plorabunt. (℣. 5.) (d) *Cor Moab sibi clamabit*: mala queretur, quibus opprimitur. Vulgatæ lectio cum Hebræo & Syriaco magis congruit.

Vectes ejus usque ad Segor vitulam conternantem: præsidia illius tam altè stridebunt, ut in Segor audiantur; eademque Segor ceu vitula trimula ingemiscet. Ad literam *vectes ejus*, sudes ejus stridebunt usque Segor, id est ad extremam maris mortui oram meridionalem. Notum est, Segor unam fuisse e quinque Urbibus igne cœlesti vorandis; servatam verò, quòd Loth ibi perfugium quæsierit (e). Jeremias (f) simili in re habet: *Dederunt vocem suam a Segor usque ad Oronaim vitulâ conternante*. Et alibi (g): *Annuntiate clamorem parvulis ejus; per ascensum enim Luith plorans ascendet in fletu.*

Ignotum est, cur urbibus Segor & Oronaim epitheton hoc *vitulæ conternantis*, novum planè & insolitum, addatur. Sunt qui designari eo putent robur illius & strenuitatem; alii indocilitatem indomitamque proterviam; quod fermè in idem recidit. Segor, Urbs illa pulcherrima, florens, lætissima, & rerum copiâ abundans, quæ lasciviebat jugi impatiens, ceu vitula trimula, quæ in ipso ætatis & pulcritudinis flore gestit, clamores audiet Hesebonis & Eleales; quin & ipsa consternabitur: tantæ calamitatis adventu horrescet. Suspicor, *Agelam* & *Salisam* locorum nomina esse. Occurrit Urbs *Beth-Agla*, domus vitulæ, ad mare mortuum (h), & *Salisa* vel Baal-Salisa, cujus meminere Libri Regum (i). Igitur verti debet (k): *Cor meum erumpit in suspiria super eam Moab. Fugitivi ejus currunt usque ad Segor*, usque ad *Agelat*, vel Beth-Agla, & *usque ad Salisam* vel *Baal-Salisam*. *Ascendit lugens verticem Luith, &c. Beth-Agla & Baal*. Verùm Salisa urbs erat Danitica, adeoque magis a Moabitide absens, quàm ut clamores illius exaudire posset. Tenenda est igitur interpretatio Chaldæi, Septuaginta, Syri, Arabis, aliorumque, qui vocem *Agelath Hascheliscbin* pro epitheto usurpant urbis Segor, ut reddat vitulam conternantem.

Per ascensum Luith flens ascendet; et in via Oronaim clamorem contritionis levabunt. Scandet Moab, elabeturque per ascensum Loith, quæ urbs jacet inter *Ar* & *Segor* (l). Ejulatus tam altos edent, ut audiantur in viâ *Oronaim*, ejusdem regionis Urbis, quam ipsi Segor vicinam constitui necesse est, cùm Jeremias futurum dicat (m), ut clamores Segor ad Oronaim usque perveniant. Censet Grotius, Oronaim ipsam esse *Avaram* Ptolemæi in Arabiâ Petræâ.

℣. 6. Aquæ

(u) *Vellej. Patercul. lib. 2.*
(x) *Num.* XXI, 26.
(y) *Hieronym. & Euseb. in locis.* (z) *Hieronym. hic: Urbs Jaza mortuo mari imminet, ubi est terminus provinciæ Moabitarum.* (a) חלצי על כן חלצי מואב יריעו נפשו ירעה לו *Aquil. Exertis humeris. Hieron.* (b) Διὰ τοῦτο ἡ ὀσφὺς τῆς Μωαβίτιδος βοᾷ, ἡ ψυχὴ αὐτῆς γνώσεται. Legunt ידעה, pro ירעה (c) Ἡ καρδία τῆς Μωαβίτιδος βοᾷ ἐν ἑαυτῇ.
(d) לבי למואב יזעק Legunt לבו pro לבי
(e) *Genes.* XIX, 20, 21, 22. (f) *Jerem.* XLVIII, 34.
(g) *Ibid.* ℣. 4, 5. (h) *Josue*, XV, 6; XVIII, 19, 21. (i) 1 *Reg.* IX, 4; & 4 *Reg.* IV, 42.
(k) לבי למואב יזעק בריחיה עד צוער עגלת שלישיה כי מעלה הלוחית בבכי יעלה וגו
(l) *Euseb. & Hieron. in locis.* (m) *Jerem.* XLVIII, 34.

℣. 6. Aquæ enim Nemrim desertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.

℣. 7. Secundùm magnitudinem operis, & visitatio eorum, ad torrentem salicum ducent eos.

℣. 8. Quoniam circuivit clamor terminum Moab: usque ad Gallim ululatus ejus, & usque ad Puteum Elim clamor ejus.

℣. 9. Quia aquæ Dibon repletæ sunt sanguine: ponam enim super Dibon additamenta: his, qui fugerint de Moab, leonem, & reliquiis terræ.

COMMENTARIUS.

℣. 6. AQUÆ NEMRIM DESERTÆ ERUNT, QUIA ARUIT HERBA. Nemrim, fertilis hodie lymphisque ac pratis amœna, in desertum degenerabit: aquæ illius amaro sapore inficientur, arebunt pascua. Nemrim septemtrionalis est ipsi Segor ad mare mortuum (n); ætatisque suæ testis S. Hieronymus affirmat, aquas illius salsas adeò & amaras esse, ut vicinum agrum sterilem efficiant; idque minis hisce Isaiæ tribuere videtur. *Nemrim* ipsa est *Nemra* (o) vel Beth-nemra (p) Moysis.

℣. 7. SECUNDUM MAGNITUDINEM OPERIS ET VISITATIO EORUM. De criminibus, quæ supplicium in Moabitas provocavere, videsis Amos (q). Vetustis criminibus nova Moabitæ adjecerunt. Quamobrem novis malis oppressi ac prorsus extincti sunt a Nabuchodonosore; idque vaticinari aggreditur Propheta.

AD TORRENTEM SALICUM DUCENT EOS, Babylonem scilicet, urbem ad Euphratem, cujus utraque ripa salicibus vel in ipsâ urbe vestitur. *In salicibus, in medio ejus, suspendimus organa nostra, cùm recordaremur tui Sion*, ajebant Babylonicam captivitatem lugentes Judæi (r). Septuaginta (s): *Inducam super vallem Arabas, & capient eam.* Hoc planè pugnat cum iis quæ hactenus diximus, si ponamus, ab Assyriis mala hæc in Moabitas inducta fuisse. Hebræus (t): *Adducent eos ad torrentem Arabum*, sive ad vallem Arabum. Id verò de aliquibus ad Euphratem regionibus intelligi potest. Certè Moabitæ e patriâ per Nabuchodonosorem abducti sunt; at post Jerosolymæ excidium (u). Alii vertunt: *Ducent eos ad vallem corvorum*; interfectos illos inhumatosque corvis projicient. Postremam hanc explicationem optimam putamus. Vide 3 *Reg.* XVII, 3; & *Isa.* LVII, 6. Nec repugnat iis qui statuunt, Ezechiam bellum hoc Moabitis intulisse.

℣. 8. QUONIAM CIRCUIVIT CLAMOR TERMINUM MOAB. Accipi hæc possunt sive de ejulatibus, & querelis, sive de clamore scelerum, quæ undique ad extremos usque Moabitarum fines obstrepuerunt. Sed priori interpretationi narrationis series favet.

USQUE AD GALLIM ULULATUS EJUS, ET USQUE AD PUTEUM ELIM CLAMOR EJUS. S. Hieronymus (x) removet *Gallim*, vel *Agallim* octo millibus passum ab Areopoli ad meridiem. *Elim*, vel *puteus Elim*, seu *Beer-Elim* idem est facilè locus, de quo in Numeris (y). *Beer-Elim* designare potest *puteum Principum*, vel *Arietum* populi (z); & in Numeris appellatur *puteus Principum* & Ducum cœtûs Israëlitici.

℣. 9. QUIA AQUÆ DIBON REPLETÆ SUNT SANGUINE; PONAM ENIM SUPER DIBON ADDITAMENTA; sanguinis scilicet incrementum. Hebræus Græcique Interpretes pro *Dibon* ferunt *Dimon*, quod sonat cruorem vel cruentum. Addam ipsi Dimon nominis, quod sonat urbem sanguinis, nova argumenta; aquas ejus implebo cruore, ut verè sit & appelletur urbs cruenta: tota enim sanguine civium suorum exundabit. Cæterùm *Dimon* & Dibon ipsa sunt eademque Urbs, alio nomine *Dibon-Gad ad Arnon* (a).

HIS QUI FUGERINT DE MOAB, LEONEM, ET RELIQUIIS TERRÆ. Leo hic ipse est Nabuchodonosor, in Moabitas post Salmanasarum missus. Hebræus (b): Mittam *in evasionem Moab leonem; & residuo sanguinem*, vel lacrymas, seu desolationem.

Septuaginta (c): *Tollam semen Moab, & Ariel, & residuum Adama.* Nomine *Ariel* designatur facilè *Ar* vel Areopolis; & *Adama*, Urbs ejusdem nominis, clara olim in Pentapoli, quæ igne cœlesti unà cum Sodomâ & Gomorrhâ arsit. Fortè enim alia ejusdem nominis excitata est in ripâ orientali maris mortui, quamquam hac de re nihil apud Geographos. Sed in Libris Regum (d) & Paralipomenon (e) obiter mentio fit duplicis *Arielis Moab*, quas urbes Banaias sive percussit, sive evertit interfecitque. Ambiguum est, utrùm duo Arieles sint Leones, vel Gigantes, seu potiùs duo loca, Arieles appellata. Hoc si ponatur, reddi potest: *Tollam reliquias Moab ut Ariel; & qui evaserint, ut Adama*; simili fato ac cives utriusque Urbis interibunt. Hic genuinus est locis hujus sensus. Urbem *Ar*, Arielem olim vel Areopolim appellatam fuisse, Eusebio, S. Hieronymo (f) & Theodoreto (g) authoribus discimus. Urbs erat duplex, quam medius fluens Arnon distinguebat. En duplex Ariel Moab. Meminit S. Epiphanius regionis *Arielitidis* in Moabitide.

CA-

(n) *Euseb. & Hieron. in locis; & Hieron. hic: Hoc oppidulum super mare mortuum est, salsis aquis, & ob hoc ipsum sterilibus. Sive autem allusit ad nomen, sive quod ante non fuerat, post vastitatem accidit, ut etiam aquæ in amaritudinem verterentur.* (o) *Num.* XXXII, 3. (p) *Ibid.* ℣. 36.
(q) *Amos*, II, 1: *Eo quòd incenderit (Moab) ossa Regis Idumææ usque ad cinerem.*
(r) *Psal.* CXXXVI, 2. *Vide Rab. Salom. hic, Boch. Phaleg, lib.* 1, *c.* 8; *Anglic. alii.*
(s) Ἐπάξω γὰρ ἐπὶ τὴν φάραγγα Ἄραβας, καὶ λήψονται αὐτήν. (t) על נחל הערבים ישאום
(u) *Jerem.* XLVIII, 7: *Ibit Chamos in transmigrationem, Sacerdotes ejus, & Principes ejus simul.*
(x) *Hieronym. in locis, in Agallim.* (y) *Num.* XXI, 15, 16. (z) באר אלים *Puteus arietum*, vel *Principum. Et Num.* XXI, 17. באר חפרוה שרים כרוה נדיבי העם (a) *Hieronym. hic.*
(b) (Lego הדמה seu הדמעה) לפליטת מואב אריה ולשארית אדמה
(c) Ἀρῶ τὸ σπέρμα Μωὰβ, καὶ Ἀριὴλ, καὶ τὸ κατάλοιπον Ἀδαμά. (d) 2 *Reg.* XXIII, 20.
(e) 1 *Par.* XI, 22: *Ipse percussit duos Ariel Moab.* (f) *Euseb. & Hieron. in locis, in Ariel.*
(g) *Theodoret. in Isai.* XXIX, 1.

CAPUT XVI.

Agnus dominator Terræ, e petrâ deserti missus. Superba cervix Moab frangitur: vineæ illius avulsæ & dissipatæ, totusque Moab dispersus.

℣. 1. EMitte agnum, Domine, Dominatorem terræ, de Petrâ deserti ad montem filiæ Sion.

℣. 2. Et erit: Sicut avis fugiens, & pulli de nido avolantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon.

℣. 3. Ini consilium, coge concilium: pone quasi noctem umbram tuam in meridie: absconde fugientes, & vagos ne prodas.

COMMENTARIUS.

℣. 1. EMITTE AGNUM, DOMINE, DOMINATOREM TERRÆ DE PETRA DESERTI AD MONTEM FILIÆ SION. S. Hieronymus, quem frequenti numero Interpretes sequuntur (a), explicat hæc de Messia, qui verus est Agnus, expians peccata mundi, missus e regione Moab, ortus scilicet e stirpe Ruth Moabitidis, uxoris Booz, & Davidis Aviæ, qui in Judæâ & in ipso filiæ Sion monte apparuit. Rabbinorum quidam censuerunt, Ruth filiam fuisse Eglonis Regis Moabitarum: id quod nullam veritatis speciem præsefert. E nostris quidam ortam illam ajunt e Petrâ, urbe Moab; sed duo illi statuunt, quorum alterum omnino falsum est, Petram scilicet, Arabiæ desertæ Metropolim, in Moabitide jacere; alterum verò est incertissimum, Ruth scilicet Moabitidem originem suam inde traxisse. Regio Moab montibus erat & rupibus aspera; quare meritò sub nomine Petræ deserti designatur. Nihil ergo prohibet, quin de Messia accipiatur Prophetæ oratio, ex Vulgatâ. Hoc sensu usurpasse videtur Ecclesia Latina in Libris Liturgicis, in quibus sæpè utitur hoc loco, ut adventum Liberatoris designet.

Hebræus (b): *Mitte aries, dominator terræ, de Sela deserti ad montem filiæ Sion*. Rex Moab, dux & aries regionis tuæ, mitte ad offerenda vota & sacrificia in Templum Jerosolymæ. Mitte e rupe, ubi moraris, ex arce tuâ, e desertâ regione, in qua habitas. Moabitis finitima erat, & portio Arabiæ desertæ. *Aries* usurpatur interdum pro Principe. Ita legimus (c), Jojadam summum Sacerdotem, cùm ad Regnum evehere puerum Joas moliretur, elegisse *arietes & cursores* ex Levitis in novi Regis præsidium. Aliter: Mitte, o dominator regionis Moabiticæ, mitte arietes, immolandos Domino in monte filiæ Sion. Frustra opem a Deo Chamus flagitas: frustra illum tentas sacrificiis (d), ut certum tibi procures auxilium: Domino supplex accede, qui te liberum esse jubebit.

Alii sic explicant (e): O Moabitæ, mittite ad Reges Juda, ad montem Sion, ea quæ debetis, agnorum tributa. Tributa solvite Ezechiæ, uti olim solvebatis Regibus Juda, ac deinde Regibus Israëlis, qui provinciam vestram subegerunt. Porrò tributi nomine solvenda erant a Moabitis agnorum millia centum, & arietum totidem cum vellere, quæ semper dederant Regibus Israëlis usque ad Regnum Achabi (f), sub quo defecerunt. Tacitè illis exprobrat Isaias defectionem, hortaturque ut redeant ad officium, reddantque Ezechiæ tributa, quæ præcedentibus olim Regibus solverant. Hæc interpretatio innuit, Ezechiam bello illos lacessivisse. Vide versiculos 5 & 8.

Septuaginta Romanæ Editionis (g), S. Cyrillus, S. Basilius, & Theodoretus legunt: *Mittam quasi serpentes*, vel *quasi reptilia super terram. Numquid Petra deserta est, mons filiæ Sion?* Vel: Numquid mons filiæ Sion petra deserti est? S. Cyrillus, & S. Basilius ita jungunt hæc cum capite superiori: *Mittam residuum Adama, quasi reptilia super terram*. Mittam angues voraturos quidquid in ditione Moab reliquum est. Editio Complutensis (h): *Mittam agnum dominaturum super terram. Numquid mons filiæ Sion petra deserta est?* O Moabitæ, videte, utrùm Sion redacta sit in solitudinem, & an nuda rupes sit mons Templi; & argumentum inde sumite, quantæ sit virtutis ille, qui adversùs hostium conatus utrumque defendit.

℣. 2. ET ERIT: SICUT AVIS FUGIENS, ET PULLI DE NIDO AVOLANTES; SIC ERUNT FILIÆ MOAB IN TRANSCENSU ARNON. In exteras abductæ regiones (i), trajicient Arnon, ceu aves e nido avolantes, & ut avium pulli, imbecilles, rudes, timidi. Vel: Fugam tentabunt, & transitum Arnon: sed intercipientur ut pulli avium, temerè e nido avolantes, quamquam alis non satis firmi & implumes. Arnon occidentales ditionis Moabiticæ fines circumscribebat; & in medio itinere de viâ deflectens, in mare mortuum ferebatur. Septuaginta (k): *Eris, filia Moab, velut avis avolans, pullus ablatus. Deinde verò, Arnon, plura consulta*. Filiæ Moab commodè significare possunt regionis illius urbes ad Arnon, quas capiet Victor, uti capi solet avis in nido. Hic genuinus est loci hujus sensus.

℣. 3. PONE QUASI NOCTEM UMBRAM TUAM IN MERIDIE: plenâ meridie umbram quære perinde nigram ac noctem, ut hostium perquisitiones fallas. Seu potiùs: Quære umbram, noctis instar opacam, ut Hebræos ab injuriis hostium tuearis. Hunc genuinum esse hujus loci sensum, sequentia demonstrant. Docet Propheta Moabitas artem, quâ minas futuræ ultionis fugiant. Primò omnium suasit, ut victimas ad Templum Domini afferrent,

(a) *Hugo, Lyr. Adam. Vatab. Sanct. Cornel.* (h) שלחו כר מושל ארץ מסלע מדברה אל הר בת ציון (c) 4 *Reg.* xi, 4, 19. כרים ורצים (d) *Vide infra*, ℣. 11: *Laboravit Moab super excelsis suis, ingredietur ad sancta sua ut obsecret, & non valebit*. (c) *Ita Chald. Rabb. Pisc. Jun. Grot. Bochart. Forer. alii*. (f) 4 *Reg.* iii, 4, 5. (g) Ἀποστελῶ ὡς ἑρπετὰ ἐπὶ τὴν γῆν. Μὴ πέτρα ἔρημός ἐστι, τὸ ὄρος θυγατρὸς Σιών; (h) Ἀποστελῶ ἀμνὸν κυριεύοντα ἐπὶ τὴν γῆν. Μὴ πέτρα ἔρημός ἐστι τὸ ὄρος τῆς θυγατρὸς Σιών; (i) *Hieronym. hic, Vatab.* (k) Ἔσῃ γὰρ ὡς πετεινοῦ ἀνιπταμένου νεοσσὸς ἀφῃρημένος, θύγατερ Μωάβ, ἔπειτα δὲ Ἀρνῶν (3.) Πλείονα βουλεύε.

℣. 4. Habitabunt apud te profugi mei: Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris: finitus est enim pulvis, consummatus est miser: defecit qui conculcabat terram.

℣. 5. Et præparabitur in misericordiâ solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans, & quærens judicium, & velociter reddens quod justum est.

℣. 6. Audivimus superbiam Moab, superbus est valdè: superbia ejus, & arrogantia ejus, & indignatio ejus, plusquam fortitudo ejus.

℣. 7. Idcirco ululabit Moab ad Moab, universus ululabit: his, qui lætantur super muros cocti lateris, loquimini plagas suas.

℣. 8. Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, & vineam Sabama Domini gentium exciderunt: flagella ejus usque ad Jazer pervenerunt: erraverunt in deserto: propagines ejus relictæ sunt, transierunt mare.

COMMENTARIUS.

rent, vel agnorum tributa Jerosolymam mitterent: hìc addit, ut in regione suà excipiant eos e decem Tribubus, qui sese ad illos receperint, calamitates Israëlis sub Teglathphalassaro & Salmanasaro evasuri: *Absconde fugientes, & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei*. Seu potiùs obliquè illos pungit, quòd asylum illis denegaverint, quin & indignè vexaverint. Vide Amos I & II. Hac sævitià minas hasce in se provocarunt. Magnoperè ab his discrepant Septuaginta, ℣℣. 3 & 4 (l): *Facite tegumen filiæ Moab luctûs semper. In meridianis tenebris fugiunt, obstupuerunt. Ne abducaris. Accolent tibi* (prope te) *profugi Moab*. Sententia prorsus obscurissima.

℣. 4. FINITUS EST ENIM PULVIS, CONSUMMATUS EST MISER: DEFECIT QUI CONCULCABAT TERRAM. Coloribus hisce Achaz, vel Teglathphalassar pingitur. Hebræus (m): *Finiit sugens eos* usque ad sanguinem; *defecit vastator; conculcator*, qui pedibus conculcat & conterit, *consumptus est*. Septuaginta (n): *Sublati sunt fœderati tui, & Princeps periit, qui conculcabat terram*. Sed frustra ego exhortor, ut asylum vexatis Israëlitis præbeas; evanuerunt mala Israëlis & Judæ: hostes sublati sunt; plus satis novi mala consilia tua, quàm ut spondeam futurum, ut apertis ulnis fugitivum populum meum excipias.

℣. 5. ET PRÆPARABITUR IN MISERICORDIA SOLIUM, Ezechiæ scilicet (o). En Principem, qui omnia restituet. Jus enim reddet æquitate duce & veritate: imperium Juda in Moabitas prorogabit. S. Hieronymus aliique plures ex Patribus explicant hæc de Messia, cui meliùs quàm Ezechiæ omnia congruunt quæ hic leguntur.

℣. 6. AUDIVIMUS SUPERBIAM MOAB; SUPERBUS EST VALDE. Paria Moabitis exprobrat Jeremias, XLVIII, 29. Hebræus ad verbum (p): *Audivimus superbiam Moab; superbus est valde; fortitudo ejus* (brachia, vectes ejus) *superbiam ejus, extollentiam, iracundiam* non æquant. Septuaginta (q): *Audivimus contumelias Moab; superbiam ejus contumeliosam, & violentias, & dementiam. Non sic divinatio tua, non sic*. Ex his ægrè aptum sensum exprimas.

℣. 7. HIS QUI LÆTANTUR SUPER MUROS COCTI LATERIS, LOQUIMINI PLAGAS SUAS. Mœnia cocti lateris, alio nomine urbs *Kir-bareseth*, de qua nos in Caput XV, I, metropolis erat Moabitidis; cui nomen muri cocti lateris, quòd mœnibus cingeretur ex lateribus fornace coctis, cùm ex communi ferventium earum regionum more lateres in sole siccarentur. Porrò lateres istos duobus & interdum quinque annis servari consuevisse, antequam usui essent, Vitruvius (r) est author. *Kir-bareseth* ad verbum sonat (s) *Murum figlinæ officinæ*. Jubetur a Deo Isaias, populis urbis illius mala, quæ ipsis imminent, nunciare.

Hebræus (t): *Querentur*, ingemiscent *ob fundamenta*, vel ob dolia *Kir-bareseth*, *licèt percussi*. Innumera licèt inter mala, non obliviscentur fundamentorum Kir-bareseth, quæ evulsa sunt; seu potiùs: Dolebunt ob amissa celebris orbis hujus vina. Septuaginta (u): *Meditaberis habitatores Seth, & non confunderis*. Moyses [x] Moabitas appellat filios Seth: *Percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth*. Nos autem in eum locum animadvertimus, *filios Seth* fuisse *filios superbiæ*, cujus vitii Moabitas arguit Isaias, ℣. 6. Jeremias (y) simili in loco: *Ejulabo ad viros Kir-bareseth*.

℣. 8. SUBURBANA HESEBON DESERTA SUNT. Arva quælibet culta, segetum aut vini feracia, appellantur *Sademoth* (z), ex Hebræà voce quæ hìc legitur. Vicinus Heseboni ager vastatus est, vindemiatus, populatus.

VINEAM SABAMA DOMINI GENTIUM EXCIDERUNT. Distat Sabama ab Hesebone passibus circiter quingentis (a). Utraque verò vinearum amœnitate celebrabatur. Principes vel Domini gentium sunt Assyrii, qui tunc in Oriente dominabantur, quorum ambitio totius Orbis imperium quærebat. Commodè etiam hoc nomen de Judæis accipitur, cùm Jerosolymam appellet Jeremias (b) *Dominam Gentium, Principem Provinciarum*.

FLAGELLA EJUS USQUE AD JAZER PERVENERUNT. Jazer aberat non longè a fonte torrentis Jazer, qui Tribus Gaditicam & Rubeniticam distinguebat. Aberat a Sabamâ leucis circiter quinque vel sex

(l) Ποιεῖτε σκέπην πένθους αὐτῇ διαπαντός. Ἐν μεσημβρινῇ σκοτίᾳ φεύγουσιν, ἐξέστησαν. Μὴ ἀχθῇς, (4.) Παροικήσουσί σοι οἱ φυγάδες Μωάβ. (m) כי אפס המץ כלה שר המו רמס מין הארץ
(n) Ὅτι ἤρθη ἡ συμμαχία σου, καὶ ὁ ἄρχων ἀπώλετο ὁ καταπατῶν ἀπὸ τῆς γῆς.
(o) *Theodoret. Judæi apud Hieron. Forer. alii*. (p) שמענו גאון מואב גא מאוד גאותו וגאונו ועברתו לא כן בדיו (q) Ἠκούσαμεν τὴν ὕβριν Μωάβ, ὑβριστὴς σφόδρα· τὴν ὑπερηφανίαν, καὶ τὴν ὕβριν αὐτοῦ, καὶ ἡ μῆνις αὐτοῦ, οὐχ οὕτως ἡ μαντεία σου. (r) *Vitruv. lib. 2, c. 3*. (s) קיר חרשת
(t) לאשישי קיר חרשת תהגו אך נכאים (u) Ἐν τοῖς κατοικοῦσι δὲ Σὴθ μελετήσεις, καὶ οὐκ ἐντραπήσῃ. (x) *Num. XXIV, 17*. (y) אל אנשי קיר חרשת אהגה *Jerem. XLVIII, 31*.
(z) שדמות חשבון אמלל (a) *Hieronym. hic*. (b) *Thren. I, 1*.

℣. 9. Super hoc plorabo in fletu Jazer vineam Sabama: inebriabo te lacrymâ meâ, Hesebon & Eleale; quoniam super vindemiam tuam, & super messem tuam vox calcantium irruit.

℣. 10. Et auferetur lætitia, & exultatio de Carmelo, & in vineis non exultabit, neque jubilabit, vinum in torculari non calcabit, qui calcare consueverat: vocem calcantium abstuli.

℣. 11. Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit, & viscera mea ad murum cocti lateris.

℣. 12. Et erit: cùm apparuerit, quòd laboravit Moab super excelsis suis, ingredietur ad sancta sua, ut obsecret, & non valebit.

℣. 13. Hoc verbum, quod locutus est Dominus ad Moab ex tunc:

℣. 14. Et nunc locutus est Dominus, dicens: In tribus annis, quasi anni mercenarii, auferetur gloria Moab super omni populo multo, & relinquetur parvus, & modicus, nequaquam multus.

COMMENTARIUS.

sex ad septemtrionem. Palmites vinearum Sabamæ cæsi ad Jazer usque translati fuerant. Regio tota impediebatur palmitibus vinearum, quos milites evulserant, secumque uvis onustos rapuerant. Nisi cæsos fuisse velis, sive in ignis usum, sive unius excidii causâ. Totum planè desertum his latè conspersum erat. *Erraverunt in deserto; propagines ejus relictæ sunt*. Quin & trans lacum vel mare Jazer aliqui dissipati fuerant, teste Jeremia (c): *Propagines tuæ transierunt mare; usque ad mare Jazer pervenerunt*.

℣. 9. PLORABO IN FLETU JAZER VINEAM SABAMA; cum flentibus Jazer simul flebo, lugens vineam Sabamæ; vel lugebo plorans Jazer, & vineam Sabamæ; casum scilicet Jazer, & vastationem vinearum Sabamæ. Jeremias (d): *De planctu Jazer plorabo tibi, vinea Sabama*; plorabo exitium tuum, potiùs quàm Jazer.

INEBRIABO TE LACRYMA MEA, HESEBON ET ELEALE; QUONIAM SUPER VINDEMIAM TUAM.... VOX CALCANTIUM IRRUIT. Septuaginta (e): *Arbores tuas dejecit, Hesebon & Eleale; quoniam super messem & super vindemiam tuam conculcabo, & omnia cadent*. Hebræus (f): *Inebriabo te lacrymâ meâ, Hesebon & Eleale; quoniam vox calcantium uvas cecidit super messes tuas & vindemias tuas*. Novo te liquoris genere inebriabo, Hesebon & Eleale; ecce messores novos, novosque vindemiantes induco: auribus tuis insonabit novum celeusma. Inebriaberis lacrymis tuis, irruentque super te hostes tui, utì occupare solent vineam ii qui uvis illam spoliant; & ii, qui uvas prælo exprimere parant. Hæc vindemiæ & præli cum hostium furore comparatio familiarissima est Scripturæ (g). Atque hic verus est sententiæ hujus sensus. *Inebriabo te*; idest, futurum prædico, ut lacrymis ebria fias. Similis Jeremiæ locus fert planiùs (h): *Super messem tuam & vindemiam tuam prædo irruit*.

℣. 10. AUFERETUR LÆTITIA ET EXULTATIO DE CARMELO. Nomine *Carmeli* ad verbum designatur *vinea Dei*, vinea eximia. Accipitur interdum pro monte Carmelo, quo nihil in Palæstinâ magis notum: sed hîc potiùs sonat optimas vineas. Septuaginta (i): *Tolletur lætitia de junceis*. Lætos ob vindemiam dies non agent deinceps pro more (k) Moabitæ.

℣. 11. VENTER MEUS AD MOAB QUASI CITHARA SONABIT; ima cordis mei, ad verbum, *venter meus*, viscera mea (l) sonabunt quasi cithara vel cinnor. Lugubre & triste, instar gementis hominis, cinnor sonabat. Profitetur hîc Isaias, se hæc non eò dicere, ut insultet Moabitarum exitio, & calamitatibus illorum gaudeat; intimo enim dolore miserorum tangitur. Vide superiùs, ℣. 5. *Muri cocti lateris* quorum statim meminit, designant urbem *Kir-bareseth*, vel *Rabbath-Moab*.

℣. 12. ET ERIT CUM APPARUERIT QUOD LABORAVIT MOAB SUPER EXCELSIS SUIS, INGREDIETUR AD SANCTA SUA, UT OBSECRET, ET NON VALEBIT. Experimento discet, quanta sit Numinum suorum imbecillitas, quàm frustra preces adhibeat. Vel potiùs: Ne orare quidem valebit præ lassitudine, & animi defectu. Vel: Ne ingredi quidem in Templa sua permittetur, quòd hostes illa vel occupaturi sint vel crematuri. Vel denique: Deus, quem Moabitæ colunt, opem illis ferre *non valebit*. Septuaginta (m): *Et erit in confusionem tuam, quia laboravit Moab in excelsis suis* (vel in aris suis), *& ingredietur* in templa Deorum suorum *manufacta, ut deprecetur, & non poterit eximere se*.

℣. 13. VERBUM QUOD LOCUTUS EST.... EX TUNC (℣. 14). ET NUNC LOCUTUS EST, DICENS: IN TRIBUS ANNIS, QUASI ANNI MERCENARII, AUFERETUR GLORIA MOAB. Hoc est oraculum quod Dominus diù antea edidit; nunc verò hæc dicit Dominus: Sicut mercenariis certa dies est; ita intra triennium gloria Moab dissipabitur. Hæc locutio, *ex tunc*, sonat tempus elapsum & remotum; ut in illo (n): *Parata sedes tua ex tunc: a sæculo tu es*. Opponitur adverbio *nunc*, quod tempus præsens designat. Exitium Moab statutum est multis abhinc annis; at propediem explebitur: non enim differetur ultra tres annos, ad certum dierum numerum exactos, quemadmodum ad certam dierum periodum definiri solent anni pro mercede solvendâ servo conducto vel mercenario. Triennii hujus exordium sumendum est ab anno Achaz emortuali (o), & Ezechiæ primo; ejusque anno tertio, triennio ante captam Samariam a Salmanasaro, absolvitur.

Re-

(c) *Jerem.* XLVIII, 32. (d) *Jerem.* XLVIII, 32. מבכי יעזר אבכה לך הגפן שבמה (e) Τὰ δένδρα σου κατέβαλεν Ἐσεβὼν, καὶ Ἐλεαλὴ, ὅτι ἐπὶ τῷ τρυγητῷ σου καταπατήσω, καὶ πάντα πεσοῦνται.

(f) אריוך דמעתי חשבון ואלעלה כי על קיציך ועל קצירך הידד נפל (g) *Isai.* LXIII, 2; *Apoc.* XIX, 15. (h) *Jerem.* XLVIII, 32. על קיצך ועל בצירך שדד נפל Legit שדד, pro הידד.

(i) Ἀρθήσεται εὐφροσύνη ... ἐκ τῶν ἀμπέλων. (k) *Vide Jerem.* XXV, 30; XLVIII, 33; LI, 14.

(l) מעי ככנור יהמו (m) Καὶ ἔσται εἰς τὸ ἐντραπῆναί σε, ὅτι ἐκοπίασε Μωὰβ ἐν τοῖς βωμοῖς, καὶ εἰσελεύσεται εἰς τὰ χειροποίητα αὐτῆς, ὥστε προσεύχεσθαι, καὶ οὐ μὴ δύνηται ἐξελέσθαι αὐτήν. *Heb.* והיה כי נראה כי נלאה מואב על הבמה ובא אל מקדשו להתפלל ולא יוכל

(n) *Psal.* XCII, 2. (o) *Sup.* XIV, 28.

RELINQUETUR IN EO PARVUS hominum numerus. Tantâ clade Moabitas affecit Salmanasar, ut nemo ferè hominum superstes manserit in regione. Supremum verò Moabi excidium Nabuchodonosori servabatur, post captam Jerosolymam quinquennio. Vide nos in Jeremiam, XLVIII.

CAPUT XVII.

Damasci & Regni Israelitici clades. Israëlitæ raro numero e discrimine servati convertentur.

℣. 1. ONus Damasci. Ecce Damascus desinet esse civitas, &
erit sicut acervus lapidum in ruinâ.
℣. 2. Derelictæ civitates Aroër gregibus erunt, & requiescent
ibi, & non erit, qui exterreat.
℣. 3. Et cessabit adjutorium ab Ephraim, & regnum a Damasco:
& reliquiæ Syriæ sicut gloria filiorum Israël erunt: dicit Dominus exercituum.
℣. 4. Et erit in die illâ: attenuabitur gloria Jacob, & pinguedo
carnis ejus marcescet.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ONUS DAMASCI. Vaticinium hoc consignandum quidam censent in exordio Regni Achaz, antequam Teglathphalassar Rex Assyriæ Damascum everteret, & Rasin Syriæ Regem interficeret. Israëlitarum calamitas, quæ cum Damascenâ jungitur, favere opinioni huic videtur, cùm ex Regno Israëlitico Tribus quædam eodem tempore captivæ ab Assyriis abductæ fuerint. Cum verò sermo hîc pariter habeatur (a) de raris illis Israëlitis, qui superstites excidio fuere, & de illorum conversione, quæ sanè primò contigit post captam a Salmanasaro Samariam, translatasque decem Tribus trans Euphratem; idcircò referendam censemus ad idem tempus Damasci cladem; quare & distinguendum ducimus oraculum istud ab altero Isaiæ sub Achaz edito (b). Excidit tunc Damascus sub Teglathphalassaro; at post illum restituta fuit, donec per Sennacheribum iterum eversa est. Silet hoc quidem Historia; sed rem narrat Isaias (c), qui superbum hunc Principem ita loquentem inducit: *Numquid non Principes mei simul Reges sunt? numquid non ut Charcamis, sic Calanno; & ut Arphad, sic Emath? numquid non ut Damascus, sic Samaria?* Igitur varia in Damascum vaticinia sedulò distinguenda sunt. Prædicit Amos (d) ea, quæ urbem hanc manebant ex Jeroboamo II, Israëlis Rege, sive ex Teglathphalassaro Rege Assyriæ (e); addit Isaias quid ferendum illi fuerit ex Sennacheribo; Jeremias verò (f) exitium ex Nabuchodonosore vaticinatur.

DAMASCUS DESINET ESSE CIVITAS, evertente illam Teglathphalassaro. Desperatas res reparare conata est sub illius successore Salmanasaro; at iterum per Sennacheribum excisa est. E ruinis semel adhuc emersit; sed iterum cadere coëgit Nabuchodonosor, ex oraculo Jeremiæ (g). Iterum post Captivitatem inter magni nominis urbes recensetur (h); nec id novum aut mirum est, quòd urbs situ maximè commoda tam facilè restituta fuerit. Ut verbis Prophetarum sua maneat fides, satis est, si demonstretur, post Teglathphalassarum e statu inclytæ urbis cecidisse in urbem obscuram, imbecillem, debilem. Regibus destituta suis, nec alios aggredi, nec se defendere, nec adjuvare amicos, nec lacessere hostes valuit. Gloria illa, quæ Damasco accedebat ex vetustate & viribus, occidit: *Damascus desinet esse Civitas*, uti Antiochia & Alexandria eædem urbes esse desierunt. *Magni sunt nominis umbræ.*

℣. 2. DERELICTÆ CIVITATES AROER GREGIBUS ERUNT. Intra veterem provinciam Moab, nota erat olim Urbs Aroër ad Arnon. Sed quis credat, e Damasco Isaiam transiisse ex improviso ad Aroër, remotam adeò urbem? *Aroër* (i) Hebraicè sonat myricam, tamaricem. Redigetur Damascus in agri sterilis statum, miricæ ferendæ apti, cujus est unus ad pascua gregum usus (k). Malunt alii, *Aroër* regionem esse Syriæ, quam Ptolemæus *Aueiram* appellat (l). Septuaginta (m) aliter legerunt: *Derelicta in sæculum in cubile gregis.* Chaldæus: *Derelictæ civitates eorum in domum mansionis gregum ovium erunt.*

℣. 3. CESSABIT ADJUTORIUM AB EPHRAIM, ET REGNUM A DAMASCO. Ephraim, sive Regnum Israëlis, usus sæpè fuerat auxiliis a Damasco missis; idque fœdus, arctum nimis & iniquum, fatale utrique fuit. Damascus & Samaria vires junxerunt in Judam; Achaz coactus opem a Teglathphalassaro quæsivit, qui Damascum evertit, & magnam Samaritanorum partem abduxit. Tum Salmanasar veniens cum exercitu, Samariam cepit atque vastavit. Denique quidquid Damasci restitutum fuerat, delevit Sennacherib.

RELIQUIÆ SYRIÆ SICUT GLORIA FILIORUM ISRAEL ERUNT. Si quid in Syriâ manus Teglathphalassari evaserat, gladium Sennacheribi expertum est: & miseris hisce Syrorum reliquiis sors eadem contigit, *quæ gloriæ Israëlis*, idest, Samariæ, quam vastavit Sennacherib. Vastatio utrinque, cædes vel captivitas.

℣. 4. IN DIE ILLA ATTENUABITUR GLORIA JACOB; robur scilicet, subditorum numerus, pulcritudo & ubertas regionis; denique commoda omnia, quibus gloriabatur, quæque Regnum Samariæ commendabant: hæc simul omnia evanescent,

(a) ℣. 6, 7, 8. (b) *Isai.* VII, 8; VIII, 4. (c) *Isai.* X, 8, 9. (d) *Amos*, I, 3, 4, 5; *&* 4 *Reg.* XIV, 25, 26.
(e) 4 *Reg.* XV, 9; *& Isai.* VII, 8; VIII, 4. (f) *Jerem.* XLIX, 24. (g) *Jerem.* XLIX, 24. (h) *Zach.* IX, 1.
(i) עזבית ערי ערער לערים *Vide Jerem.* XVII, 6; XLVIII, 6: *Sicut miryca in deserto.*
(k) *Hieronym. hic.* (l) *Grot. ex Ptolem.* Ἀυειρα. (m) Καταλελειμμένη εἰς τὸν αἰῶνα, εἰς κοίτην ποιμνίων, *&c.* Legunt עד עד pro ערער Si legas ערי עדרי Urbes viduæ gregibus perfugium erunt.

℣. 5. Et erit sicut congregans in messe quod restiterit, & brachium ejus spicas leget: & erit sicut quærens spicas in valle Raphaim.

℣. 6. Et relinquetur in eo sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor aut quinque in cacuminibus ejus fructus ejus: dicit Dñs Deus Israel.

℣. 7. In die illâ inclinabitur homo ad factorem suum, & oculi ejus ad Sanctum Israël respicient:

℣. 8. Et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus: & quæ operati sunt digiti ejus, non respiciet, lucos, & delubra.

℣. 9. In die illâ erunt civitates fortitudinis ejus derelictæ, sicut aratra, & segetes quæ derelictæ sunt a facie filiorum Israël, & eris deserta.

℣. 10. Quia oblita es Dei salvatoris tui, & fortis adjutoris tui non es recordata: propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum seminabis.

COMMENTARIUS.

scent, uti corporis venustas morbo & morte tollitur.

℣. 5. ERIT SICUT CONGREGANS IN MESSE QUOD RESTITERIT, ET BRACHIUM EJUS SPICAS LEGET. Perinde erit atque ager collectâ messe, in quo raræ quædam supersunt spicæ, quas pauperes singillatim legunt. Israëlem hostes ita demetent, ut sedulos hosce messores vix unus & alter fugiant. Hebræus (n): *Erit sicut colligens messem segetis adhuc stantis, & ejus brachium spicas metet.* Erit Israël ceu messis, quam Assyrius metet: colliget autem segetes hasce plenis manibus; est enim messis spissa, dives, illi similis, quam vallis Raphaim fert, non procul a Jerosolymâ (o): *Sicut quærens spicas in valle Raphaim.* Hanc interpretationem prætulerunt Septuaginta (p): *Erit quomodo si quis congreget messem stantem, & semen spicarum metat; & erit quomodo si quis congreget spicam in valle petrosâ.* Vallis Raphaim meridionalis erat Jerosolymæ, cui interdum apud Septuaginta & Vulgatam nomen additur *Vallis Gigantum* (q), quòd olim ibi veteres regionis Gigantes considerent.

℣. 7. INCLINABITUR HOMO AD FACTOREM SUUM. Captâ a Salmanasaro Samariâ, rari illi Israëlitæ, qui e discrimine hostiumque gladio elapsi fuere, sponte in ditionem Juda se proripuerunt, restitueruntque pristino avitæ Religionis exercitio (r); ac denique missis ad se ab Ezechia viris aures præbuerunt (s), ut sub eo Principe & Josia (t) semper cum Juda & Benjamino Templum & cœtus religiosos frequentarint.

℣. 8. NON INCLINABITUR AD ALTARIA QUÆ FECERUNT MANUS EJUS. Israëliticam ditionem peragrans Josias, obvia quæque Altaria evertit (u), succîdit lucos profanos, dejecit simulacra, & Sacrificulorum ossa in Aris Numinum cremavit.

℣. 9. ERUNT CIVITATES FORTITUDINIS EJUS DERELICTÆ, SICUT ARATRA ET SEGETES, QUÆ DERELICTÆ SUNT A FACIE FILIORUM ISRAEL. Cùm Israëlitæ; duce Josue, trajecissent Jordanem, tantus illorum terror invasit Chananæos, ut aratris messibusque prædæ hostium relictis, munitissimarum Urbium perfugium quæsierint; atque inde Chananæorum consternatio in proverbium abierit. Igitur ditionis Samariticæ Israëlitas tantus, ait Isaias, terror occupabit, quantus olim Chananæos; quare veniente Salmanasaro, urbes suas derelicturos ait, uti olim Amorrhæi aratra messesque deseruerunt.

Meminit non semel Scriptura terroris Chananæorum, Josue Chanaanitidem ingrediente (x); notumque est, Israëlitas, cùm regionem illam attingerent, maturas jam messes invenisse; cœpisse autem tunc panem degustare, cùm hactenus mannâ usi fuissent (y). Hebræus (z): *In die illâ erunt civitates fortitudinis ejus sicut derelictio virgulti & rami, quæ dereliquerunt a facie filiorum Israël.* Israëlitæ decem Tribuum munitas urbes suas deseruerunt, uti arbor seu ramus inutilis abjicitur, atque ut olim Amorrhæi messes suas accedentibus filiis Israëlis deseruerunt.

Fatendum est tamen, illos Urbes suas non deseruisse; omnes enim Josue vi cepit, teste Scripturâ (a): *Non fuit Civitas, quæ se traderet filiis Israël, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon; omnes enim bellando cepit.* Hunc nihilominus sensum prætulerunt Septuaginta (b): *Die illâ erunt civitates tuæ derelictæ, sicut dereliquerunt Hevæi & Amorrhæi a facie filiorum Israël.* At versio Sancti Hieronymi & cum Hebræo congruere magis, & optimum sensum reddere videtur. Constat utique, vocem *Charesch*, ex qua *Charosch*, significare agrum colere, & *Hemir* cum *hain*, manipulorum struem. S. Hieronymus paulo aliter ac nos hodie (c), legebat Hebræum.

℣. 10. PLANTABIS PLANTATIONEM FIDELEM, ET GERMEN ALIENUM SEMINABIS. Sevisse te credes optimi fructûs arborem & fœcundam, *plantationem fidelem*; reipsâ tamen planta erit mali fructûs, ger-

(n) והיה כאסף קציר קמה וזרעו שבלים יקצור והיה במלקט שבלים בעמק רפאים

(o) 2 *Reg.* v, 18; & 1 *Par.* xiv, 9. (p) Καὶ ἔσαι ὃν τρόπον ἐάν τις συναγάγῃ ἄμητον ἑστηκότα, καὶ σπέρμα σταχύων ἀμήσῃ, καὶ ἔσαι ὃν τρόπον ἐάν τις συναγάγῃ στάχυν ἐν φάραγγι στερεᾷ.

(q) 2 *Reg.* xxiii, 13. (r) *Hieronym. hic.* (s) 2 *Par.* xxx, 1, 5; iii, 18; xxvi, 16. (t) 2 *Par.* xxxiv, 6, 7, 9; & xxxv, 18. (u) 2 *Par.* xxxiv, 6, 7, &c. (x) *Josue*, ii, 9; v, 1. (y) *Josue*, v, 11, 12.

(z) ביום ההוא יהיו ערי מעזו כעזובת החרש והאמיר אשר עזבו מפני בני ישראל

(a) *Josue*, xi, 19. (b) Τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἔσονται αἱ πόλεις σου ἐγκαταλελειμμέναι, ὃν τρόπον κατέλιπον οἱ Ἀμορραῖοι, καὶ οἱ Εὐαῖοι ἀπὸ προσώπου τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, &c. *Aquil.* החרש ואמיר *Teslam & amir. Sym. Sylvam & amir. Theodot. Ars & emir.*

(c) Codex quo utebatur S. Hieronymus, fortasse ferebat העמיר pro האמיר, cùm ipse vertat, *hores & amir*, *idest*, *vomeres & acervi segetum*.

℣. 11. In die plantationis tuæ labrusca, & manè semen tuum florebit: ablata est messis in die hæreditatis, & dolebit graviter.

℣. 12. Væ multitudini populorum multorum, ut multitudo maris sonantis: & tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum:

℣. 13. Sonabunt populi sicut sonitus aquarum inundantium, & increpabit eum, & fugiet procul: & rapietur sicut pulvis montium a facie venti, & sicut turbo coram tempestate.

℣. 14. In tempore vespere, & ecce turbatio: in matutino, & non subsistet: hæc est pars eorum qui vastaverunt nos, & sors diripientium nos.

COMMENTARIUS.

germen alienum, quod degeneravit, vel sterile. Hebræos (d): *Plantabis plantationes jucundas, & invenies radices alienas*. Agro tuo credidisse te putabis plantationem optimam, eaque tibi erit plantatio, quæ velut in alieno solo radices non aget, nec fructus feret. Septuaginta (e): *Plantabis plantationem infidelem, & semen infidele*. Israëlitæ, qua tenebantur Numinum superstitione, & extraneorum amore, lethiferi fructûs arborem sibi serebant.

℣. 11. IN DIE PLANTATIONIS TUÆ LABRUSCA, ET MANE SEMEN TUUM FLOREBIT. Pro eâ, quam tibi sevisse credes vineam optimam, deteriorem nanciscêris, ac brevì errorem tuum ex fructu deprehendes. Intra unius noctis spatium flores tibi dabit. Fiet brevì, ut Dei ira in te ferveat, feresque justam scelerum tuorum pœnam. Hebræus (f): *In die illâ plantationem tuam crescere facies, & in mane semen tuum germinare facies*. Dies & mane simul posita indicant summam celeritatem, cùm de plantis & seminibus agitur.

℣. 12. VÆ MULTITUDINI POPULORUM. Sunt qui hæc exponant de Sennacheribo ejusque exercitu: sed nulla est hujus interpretationis cum præcedentibus connexio. Nihil enim grave intulit Sennacherib in regnum Samariæ, quod veniente illo in Palæstinam jam diù corruerat. Alii explicandum censent (g) de Israëlitis fœderatisque, qui valido agmine in ditionem Juda irruperunt. Væ innumeris istis agminibus, quæ terrorem & consternationem latè inferunt! statim enim peribunt. Vide ℣. sequentem.

℣. 14. IN TEMPORE VESPERE, ET ECCE TURBATIO: IN MATUTINO, ET NON SUBSISTET. Phacee Rex Israëlis, & Rasin Rex Syriæ totam latè ditionem Juda sub Achazo terruerunt. Impetum illorum coërcuit Teglathphalassar; Rasin neci traditus, ejusque regnum eversum; Israëlis res Salmanasar evertit: hæc omnia tam brevi temporis spatio, quantum fermè inter mane & vesperam est. Celerior fuit lapsus, quàm instauratio.

HÆC EST PARS EORUM QUI VASTAVERUNT NOS. Hæc justa est in Israëlitas pœna, qui tantâ sævitiâ in regnum Achaz, Isaiæ ætate, debacchati sunt (h).

CAPUT XVIII.

Vaticinium in gentem Ægypto vicinam, quæ libertate recuperatâ; ventura est ad offerenda Domino munera.

℣. 1. VÆ terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Æthiopiæ,

COMMENTARIUS.

℣. 1. VÆ TERRÆ CYMBALO ALARUM, QUÆ EST TRANS FLUMINA ÆTHIOPIÆ! Væ terræ, quæ cymbalorum suorum alas quatit, atque ultra amnes Æthiopiæ jacet. De sensu hujus oraculi dissidium est inter plures. Sunt qui exponant de Ægypto (a); sunt qui de Judæâ (b); alii de Æthiopiâ propriè dictâ (c), ad meridiem Ægypti, & ultra Catharractas; alii (d) de Indiâ, vel de insulis Americanis, quæ paucis abhinc sæculis detectæ sunt. Orationem convertit Isaias ad gentem quæ sistris delectatur, jacetque trans amnes vel ramos Nili, quæ navigat scirpeis lintribus, & legatos mittit ad gentem omnium maximè formidabilem; ad gentem, cujus flumina terras vorant: legationis autem propositum est, ut suppetias se illi laturam promittat. Porrò hæc omnia adamussim congruunt iis gentibus, quas Scriptura sæpe nuncupat Æthiopes, & Hebræus *Cusebim*, quibus erant sedes in plagâ Orientali inferioris Ægypti, & Deltæ, in provinciâ, cui nomen Arabicæ, inter Nilum, extremam oram maris Rubri, & deserta Arabiæ Petrææ. Gens erat olim validissima, cui imperasse credimus Tharacam illum, Regem Æthiopum, qui ductis in Sennacheribum copiis, coëgit invitum reducto ex obsidione Lobnæ exercitu, obviam venienti procurrere (e). Nec a vero abhorret, ad hanc rem, & ad ea quæ præcesserunt, Prophetæ oraculum referri. Ex hac sen-

(d) על כן תטעי נטעי נעמנים וזמורת זר תזרענו Septuaginta & S. Hieronymus legebant נאמנים pro נעמנים (e) Διὰ τοῦτο φυτεύσεις φύτευμα ἄπιστον, καὶ σπέρμα ἄπιστον. (f) ביום נטעך תשגשגי ובבקר זרעך תפריחי (g) *Sanct. Forer.* (h) *Vide 4 Reg.* XVII, 5; *& Isai.* VII, 1, *& sequ.*
(a) *Hieron. Cyrill. Haimo, Procop. D. Thom. Lyr. Adam. hic, Ribera in Sophon.* 3. *Anglic.*
(b) *Justin. contra Tryphon. Oecumen. Prolog. in Epist. ad Rom. Leo Castr. hic.* (c) *Sanct. n.* 28, *Cornel. Tirin. hic, Forer. Vat.* (d) *Ludov. Legion. Arias Mont. in Abdiam, Forer. Joseph Acosta, Robert. lib.* 28, *qu.* 23; *Ferrand. Delrio Adag.* 732, *Bozius, t.* 2 *de not. Eccl.* 1, 20, *Signo* 84, *apud Cornel. hic.*
(e) 4 *Reg.* XIX, 8, 9.

℣. 2. Qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas. Ite, angeli veloces, ad gentem convulsam, & dilaceratam; ad populum terribilem, post quem non est alius; ad gentem expectantem, & conculcatam, cujus diripuerunt flumina terram ejus.

℣. 3. Omnes habitatores orbis, qui moramini in terrâ, cùm elevatum fuerit lignum in montibus, videbitis, & clangorem tubæ audietis.

COMMENTARIUS.

sententiâ nos Caput hoc explicabimus, in singulos versiculos opinionis nostræ argumenta producturi. Juvat autem animadvertere, Ezechiam fœdus tum ad ferendam, tum ad propulsandam injuriam in Assyrios cum Regibus Ægypti & Chus junxisse.

Væ terræ cymbalo alarum. Cymbalum instrumentum est æneum, pileoli figurâ. Utraque manus suum habebat; instruebaturque annulo, cui pollex inserebatur. Alterum cum altero percussum sonum edebat, qualem crotala apud nos. Imaginem cymbali cernere licet in anaglyphis, Bacchanalia festa referentibus. Quid sint autem alæ cymbalorum, utique ignoratur, quamvis admittas, instrumentum fuisse Ægyptiis familiarissimum. Itaque peritissimi Interpretes Hebræum *Zilzal* reddunt sistrum, notissimum Ægyptiis instrumentum (f). Constat autem æneâ laminâ, ovali figurâ, recurvâ, desinente in ejusdem metalli manubrium. Porrò ovale hoc instrumentum æquis intervallis ad utrumque latus foraminibus perfoditur satis amplis, quæ insertas tenent quasdam ex aurichalco virgas, quarum utrumque caput, reliquo virgæ corpore majus, intra foramina torquetur, atque acutè stridet affrictu laminæ, qua sistrum constat. Hasce virgas Isaias *alarum sistri* nomine designat.

Interpretes quidam reddunt (g): *Væ terræ adumbratæ alis*, seu alis suis profectæ; seu: *Væ terræ umbræ alarum*. Septuaginta & Chaldæus explicant hæc de alis navium: *Væ terræ, ad quam veniunt in navibus de terrâ longinquâ, & vela eorum extensa sunt, quasi aquila volans alis suis*. Ita Chaldæus. Septuaginta planiùs (h): *Væ terræ navium alis trans flumina Æthiopiæ*. Igitur sive hæc accipiantur de tentoriis, sive de navium velis, sive de sistro, facilè locus exponitur de iis populis, de quibus nos supra, qui septemtrionales Erythræi & Orientales Nili oras tenebant, scilicet de Cuschim, Ægypto vicinis. Solebant illi domorum loco habere tentoria; ex quo factum est, ut urbes regionis illius raræ sint; & legatur in Habacuc (i), Dominum ex ipso Sinai monte spectandum se præbuisse, ejusque aspectu deserta & eversa tentoria Cusch jacuisse. Narrat Herodotus (k), inferioris Ægypti incolas, cæterosque qui Lacus ejus regionis accolunt, in usu habuisse parvas quasdam cymbas, instructas velis ex scirpo ejus generis, qui papyrus appellatur. Inundantibus Nili aquis totam latè Ægyptum ejusmodi cymbæ variis pictæ coloribus peragrabant (l).

Et circum pictis vehitur sua rura phaselis.

Gentes istas inferioris Ægypti dormire obvolutas retibus seu carbasis, intolerabilis culicum molestia cogit: idque fortasse sunt alæ seu vela, de quibus hîc Propheta. Nomen *conaphaim*, alæ, satis congruit cum nomine *Canopi*, qui Deus est & Urbs Ægypti, simulque Nili ramus eam regionem perluens.

Quæ est trans flumina Æthiopiæ; sive ex Hebræo: *Flumina Chus*. Regio Chus plus sæpè studia nostra exercuit. Fatendum est utique, plures ejus nominis fuisse regiones, uti plures etiam communi nomine Saba utebantur. Id nominis *Chus* tenebant veteres Scythæ ad Araxem (m); habebant etiam Æthiopes propriè dicti, ultra Catharractas, ad meridiem Thebaidis (n): denique alii sunt populi *Chus*, vicini Ægypto, Judææ & Arabiæ (o). Postremis hisce imperabat Zara, prælio victus ab Asâ Rege Juda, prope Maresam, & Geraram usque fugatus (p). Imperavit deinde Tharaca Rex Chus, qui auxiliares Ezechiæ copias in Sennacheribum duxit (q). Nechao Ægypti Rex jussit Chuschim arma secum jungere in Chaldæos (r). Easdem gentes unâ cum Ægyptiis captivas Nabuchodonosor abduxit (s); neque enim calamitas illa cæteris Æthiopibus Ægypto superioribus contigit. Antiochus Epiphanes Ægyptum invadens, junctas habebat copias Chusch & Lybiæ; nisi malueris, illum in eorum regionem pervasisse (t). De his Æthiopibus, qui fortitudo erant urbis *Neammon*, agit Nahum (u). Apud illos, vel non procul ab iis, id est, in insulâ Erythræi, inveniri topazium, docet Jobus (x).

Quod attinet ad *flumina Chus*, id certè nomen nonnisi ramos Nili significat. Horum etiam meminit Sophonias (y): *Ultra flumina Æthiopiæ, inde supplices mei*. Porrò ramos hosce Nili fluvios appellari a veteribus, discimus ex Manethone (z), qui ceu de amne agit de ramo ad Bubastum. Artapanus (a), narrans Hebræorum ab Ægypto secessionem, ait trajecisse illos Ægypti flumina, & post longum viæ ambitum, triduo postquam moverunt, ad Erythræum pervenisse. Scitum est, unicum esse Ægypti amnem; quare cùm de amnibus Ægypti vel Arabiæ ad Ægyptum inferiorem sermo est, varii e Nilo rami designantur.

℣. 2. Qui mittit in mare legatos in vasis papyri super aquas. Nilum honoris gratiâ compellarunt olim Ægyptii nomine Oceani; & nunc etiam interdum *Mare* nuncupant (b). Hebræis verò

(f) *Apul. lib. XI asini aurei: Dextrâ quidem gerebat aureum crepitaculum, cujus per angustam laminam, in modum baltei recurvatam, trajecta media pauca virgula crispante brachio trigeminos jactus reddebant argutum sonum.* (g) הוי ארץ צלצל כנפים אשר מעבר לנהרי כוש *Pagn. Vat. Jun. Pisc. Castal.* (h) Οὐαὶ γῆς πλοίων πτέρυγες, ἐπέκεινα ποταμῶν Αἰθιοπίας.
(i) *Habac. III, 7: Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ. Heb. Sub nihilo vidi tentoria Chusch.*
(k) *Herodot. lib. 2, c. 96.* (l) *Virgil. Georgic. 4.* (m) Vide nos in *Genes. II, 13.* (n) *Ezech. XXIX, 10.*
(o) *2 Par. XXI: Suscitavit Dominus contra Joram spiritum Philisthinorum, & Arabum, qui confines sunt Æthiopibus. Heb. Cuschim.* (p) *2 Par. XIV, 9.* (q) *Isai. 4 Reg. XIX, 9.* (r) *Jerem. XLV, 9.*
(s) *Isai. XX, 3, 5.* (t) *Dan. 11, 43.* ולבים וכושים במצעדו *Vulg. Per Lybiam quoque, & Æthiopiam transibit.* (u) *Nahum, III, 9.* (x) *Job, XXVIII, 19.* (y) *Sophon. III, 10.* (z) *Lib. 1 contra Appion. p. 1040. Vide, si lubet, Ezech. XXVI, 3.* (a) *Artapan. apud Euseb. lib. 9 præpar. c. 27, ad fin.* Διαβάντες τοὺς κατ' Ἀραβίαν ποταμούς. (b) Relation d'Ethiop. des PP. Lobo, & Tellez, p. 1. *Vide S.* Cyrillum in hunc locum.

verò maria dicuntur ingentia quælibet conceptacula aquarum, & lacus: quamobrem cùm populus hic, de quo in præsenti, mittere dicitur legatos super aquas vel mare scirpeis in navibus, censendum minimè est, Mediterraneum sive Erythræum his naviculis sulcari consuevisse. Agit enim Propheta de cymbis per Nilum vel Ægypti Lacus navigantibus, quæ viminibus texebantur. Docent id veteres *(c)*.

Conseritur bibulâ Memphitis cymba papyro.

Naviculis hisce utuntur communiter regiones, ubi Nilus sive ex alto cadit sive perniciùs currit; quæ olim loca ramis plurimis secabantur. Committebantur aquis, quoties ramus aliquis occurreret, humerisque deferebantur toto terræ, quod ad mare usque supererat, intervallo. Cæterùm naviculæ istæ minùs erant fragiles, quàm ligneæ, nec, si ripæ vel saxis allidentur, facilè disjungebantur.

Septuaginta *(d)*: *Qui mittit in mare obsides, & epistolas biblinas super aquam.* Bochartus Hebræum reddit *(e)*: *In mare mittit imagines*; censet autem cum S. Cyrillo & Procopio, spectare hìc Prophetam ritum illum, de quo Lucianus *(f)*: Mos erat Ægyptiis in Festis Adonidis mari committere vasculum quoddam scirpeum capitis formâ, cui credebatur epistola ad cives Bibli, urbis Phœnicum, quæ ab Ægypto ampliùs leucis octoginta aberat; qua ii monebantur, tandem inventum esse Adonidem. Aquas pererrans epistola, Biblum spontè appellebat, post septem navigationis dies; vel saltem ita apud populum ferebatur. Inanem hanc superstitionem Isaias hìc respicere creditur *(g)*.

Mihi placet magis, Prophetam exhibere hìc sollicitudinem, quâ tenebatur Ezechias, ut auxiliares sibi copias compararet ex Rege Ægypti in Sennacheribum, qui infesta sibi arma intulerat. Vel potiùs exhibere Tharacam Regem Chus, mittentem legatos ad Ægyptios, ut juberet stare in armis intentosque ad signum, quod de profectione suâ daturus esset, sive incenso igne, seu carbaso in montium culmine expansâ; *Cùm elevatum fuerit signum in montibus, videbitis*, ℣. 4. Legatio hæc minimè spectare videtur ad res seu religionis, seu festi, sed ex causâ aliquâ gravi suscepta est, cujus exitus in gloriam Dei Israëlis desiit, ut Ægyptii, ad quos legati missi fuerant, venirent supplices ad agendas grates offerendaque munera Deo exercituum in monte Sion, ℣. 7.

ITE, ANGELI VELOCES, AD GENTEM CONVULSAM ET DILACERATAM; AD POPULUM TERRIBILEM, POST QUEM NON EST ALIUS; AD GENTEM EXPECTANTEM ET CONCULCATAM, CUJUS DIRIPUERUNT FLUMINA TERRAM EJUS; ite, nuntii celeres, ad gentem dilaceratam eversamque, omniumque maximè formidandam, quæ expectat, quæque pedibus conculcatur, cujus solum amnium suorum inundatione vastatur. Pinguntur hisce coloribus Ægyptii, populis Cusch vicini. Celeres nuntios eò mittit Ezechias, monens invasisse jam ditionem suam Sennacheribum; venirent proinde, statim ubi daretur signum, opemque rebus afflictis ferrent. Sive, Tharaca Rex Chus nuncios mittit ad Pharaonem *(h)*, *Ad gentem convulsam & dilaceratam*; idcircò fortasse sic dictam, quòd jam inde a Rege Sabacone domesticis dissidiis laceraretur; vel potiùs ob mala, quæ Sennacheribus Ægypto intulerat (cujus rei historiam dabimus capite sequenti); vel denique, quòd tota ea regio in partes scinderetur; distinguitur enim Ægyptus in Nomos vel præfecturas: eæ item præfecturæ in Toparchias; atque hæ demum in minores Præfecturas, teste Strabone *(i)*. Quod Vulgata reddit *gentem dilaceratam*, ex Hebræo reddi potest: Gentem tonsam, quæ sibi pilos radit. Quibus verbis indicatur vetus Ægyptiorum mos, totum caput totamque fermè barbam abradendi *(k)*. Barbæ autem partem retinebant e mento pendentem, uti ex sepulcris cadaverum illarum gentium discimus. Sæpe autem Sacerdotes non modò toto capite & barbâ, sed toto etiam corpore radi solebant.

Ad populum terribilem, post quem non est alius. Ægypti gens semper arrogans & superba, rebus in bello fortiter gestis, & animi robore gloriabantur. Nihil frequentiùs jactabant, quàm veterum regum suorum triumphos; inter quos maximè omnium Sesostris celebrabatur. Post Ezechiam, Rex Nechao arma intulit usque ad Euphratem. Gentis illius pars maxima unicam armorum professionem exercebat [*l*]. Hebræus *(m)*: *Ad gentem terribilem ab exordio & ultra.* Scitum est, quàm multa de antiquitate suâ jactarent Ægyptii [*n*]. Conari videtur Isaias Ægyptios pingere iis coloribus, quos illi maximè amabant; simulque illos acutâ ironiâ pungere.

Ad gentem expectantem, & conculcatam; seu potiùs ex Hebræo *(o)*, *Ad gentem linea & contemptûs*; vel conculcatam, seu potiùs conculcantem, & contundentem humum. Agrorum mensores peritissimi erant Ægyptii, *gens lineæ*, mensuræ, perticæ, funiculi. In Ægypto nata est geometria, atque ex his ad Græcos translata [*p*]. Schœnus vel funiculus mensura erat regionis illius peculiaris, quâ in metiendis agris longioris spatii utebantur [*q*]. Cùm Ægyptos annuis alluvionibus obnoxia esset, quibus tota limo operiebatur, ut sua deinceps singulis starent possessionum limina, necesse erat post aquarum fluxum, agros iterum ex integro demetiri [*r*]. Hinc facilè Ægyptiis nomen *gentis lineæ*.

Docent etiam Historici [*s*], obtinuisse more apud eas gentes peculiari, ut farinæ massam pedibus, lutum verò manibus subigerent. An inde ortum est nomen gentis *conculcantis*? Narrat Herodotus [*t*], inferioris Ægypti incolas labori colendorum agrorum non indulgere, sed post fluxum aquarum, semina in terram jacere, submittere porcorum greges, qui semen conculcantes pedi-

(c) *Lucan. lib. 4; Plin. lib.* VII, *c. 56: In Nilo ex papyro, & scirpo & arundine. Idem lib.* XIII, *22: Ex ipso papyro navigia texunt, & ex libro vela. Idem lib.* VI, *c. 22; Et Theophrast. hist. Plant. lib. 4; Strabo, lib. 17.* (d) Ὁ ἀποστέλλων ἐν θαλάσσῃ ὅμηρα, καὶ ἐπιστολὰς βιβλίνας ἐπάνω τοῦ ὕδατος. (c) השלח בים צירים *Boch. Phaleg, lib. 4, c. 2.*
(f) *Lucian de Deâ Syr.* Βυβλίνην κεφαλήν. (g) *Vide Procopium in hunc locum Isaiæ, & S. Cyrillum, t. 2, l. 2, in Isaiam.* (b) אל גוי ממשך ומרט (i) *Strabo, lib. 17, p. 541; & Herodot. lib. 2, c. 164.*
(k) *Herodot. lib. 2, c. 36, 37.* (l) *Herodot. lib. 2, c. 164, & 167; Strabo, lib. 17, p. 541.*
(m) אל עם נורא מין הוא והלאה (n) *Herodot. lib. 2, c. 2; Justin. lib. 2.*
(o) גוי קו קו ומבוסה (p) *Herodot. lib. 2, c. 109:* Δοκέει δέ μοι ἐνθεῦτεν γεωμετρίη εὑρεθεῖσα, ἐς τὴν Ἑλλάδα ἐπανελθεῖν. *Ita & Strabo, lib. 17, p. 542.* (q) *Idem, lib. 2, c. 6.*
(r) *Strabo, lib. 17, p. 542:* Ἐδέησε δὲ τῆς ἐπ' ἀκριβὲς καὶ κατὰ λεπτὸν διαιρέσεως διὰ τὰς συνεχεῖς τῶν ὅρων συγχύσεις, ἃς ὁ Νεῖλος ἀπεργάζεται κατὰ τὰς αὐξήσεις, ἀφαιρῶν καὶ προστιθεὶς, καὶ ἐναλλάττων τὰ σχήματα, καὶ τἆλλα σημεῖα ἀποκρύπτων, οἷς διακρίνεται τό τ' ἀλλότριον, καὶ τὸ ἴδιον· ἀνάγκη δὲ ἀναμετρεῖσθαι πάλιν καὶ πάλιν. Ἐντεῦθεν δὲ καὶ γεωμετρίαν συστῆναί φασιν.
(s) *Herodot. lib. 2, c. 36:* Φυρῶσι τὸ μὲν σταῖς τοῖσι ποσὶ, τὸν δὲ πηλὸν τῇσι χερσὶ, καὶ τὴν κόπρον ἀναιρέονται. (t) *Idem, lib. 2, c. 14:* Τότε σπείρας ἕκαστος τὴν ἑωυτοῦ ἄρουραν, ἐσβάλλει ἐς αὐτὴν ὗς. ἐπεὰν δὲ καταπατηθῇ τοῖσι ὑσὶ τὸ σπέρμα, τὸν ἀμητὸν τὸ ἀπὸ τούτου μένει.

℣. 4. Quia hæc dicit Dñus ad me: Quiescam, & considerabo in loco meo, sicut meridiana lux clara est, & sicut nubes roris in die messis.

℣. 5. Ante messem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit, & præcidentur ramusculi ejus falcibus: & quæ derelicta fuerint, abscindentur, & excutientur.

℣. 6. Et relinquentur simul avibus montium, & bestiis terræ: & æstate perpetuâ erunt super eum volucres, & omnes bestiæ terræ super illum hyemabunt.

℣. 7. In tempore illo deferetur munus Domino exercituum a populo divulso, & dilacerato; a populo terribili, post quem non fuit alius; a gente expectante, & conculcatâ, cujus diripuerunt flumina terram ejus; ad locum nominis Domini exercituum, montem Sion.

COMMENTARIUS.

pedibus intra humum trudunt; deinde quietos otiosόsque messem opperiri.

Cujus diripuerunt flumina terram ejus. Inundantes Nili aquæ interdum latè omnia vastabant, aggeres rumpebant, vias in eminenti stratas dejiciebant, convellebant solum, susdeque totam miscebant inferiorem humum, huic hæreditatem adimentes, alteri addentes alienam: hinc veteres limites noscere arduum erat absque ope mensoris agrorum, quâ de re supra. Tradunt Veteres, Ægypti solum coaluisse e limo, quem Nilus deponebat in locis, quæ inundantibus illius aquis fluitabant (u).

Igitur Rex *Chus* legatos mittit in naviculis levissimis ex scirpo contextis, mittit, inquam, ad Ægyptios, Deltam & superiora incolentes, moneique, ut præsto sint in armis, moturi adversùs Sennacheribum, ubi primò per signum a se e sublimi editum profectionem intellexerint. *Cùm elevatum fuerit signum, videbitis*, ℣. 3.

℣. 4. Hæc dicit Dominus ad me, ego quiescam, et considerabo in loco meo. Quo simul tempore Tharaca Rex Chus infesta ducebat in Sennacheribum arma, & Ægyptus parata erat ad profectionem, opem latura Ezechiæ. Dominus hæc omnia ex edito Templo suo tranquillus considerabat, opperiens temporis articulum, quo superbum hostem, tam multos lacessentem, exerto brachio dejecturus esset. Exhibent hæc omnia veluti sub oculos infinitas Dei vires, qui omni liber anxietate & sollicitudine, securus dejicit demittitque ante pedes superba impiorum colla, & audacia quæque consilia uno veluti oculi ictu dissipat.

Sicut meridiana lux clara est, et sicut nubes roris in die messis; ita ego in medio populi mei. Vel: Populus meus, ubi Tharacam opem sibi ferentem viderit, statim animis erigetur. Nuncium hoc affulgebit mœstis, utì aurora post noctem, atque utì pluvia in æstivis solis ardoribus.

Vel junctis hisce cum sequentibus: Ita erit Sennacherib, utì *æstivus sol per diem, & sicut nubes roris in die messis*. Dissipabitur perinde atque æstus meridianus, & nubes, quas æstivi solis ardores tollunt. Molimina illius omnia inania cadent, & qui hodie terrore constringuntur, allatâ deinde pace & securitate fruentur: ℣. 5, *Ante messem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit* (cùm scilicet cadentibus floribus apparent nascentes botri) tunc *præcidentur ramusculi ejus*, hujus scilicet arboris, *falcibus; quæ derelicta fuerint, abscindentur, & excutientur*. Hoc sensu reddi potest Hebræus [x].

Aliter [y]: Ita me in Sennacheribum geram, utì *siccitas ad ignem*, atque utì *pluvia ad messem*. Ambo in perniciem conspirant [z]; ignis enim auget, non extinguit calorem; & pluvia importuna est in messe; ita & Sennacheribo incurret mors, quo tempore spes illius latiùs firmata crescet, & omnia illius votis favere videbuntur. Abscindetur ceu botrus ante maturitatem, & ut palmes qui abscinditur, quo tempore gemmas seu flores edit [α]. Grotius aliique plures vertunt [β]: *Sicut sol micans post imbrem, & sicut nubes pluvia tempore messis*. Alii (γ): *Sicut sol exurens herbas, & sicut nubes pluvia in medio messis*; ita Sennacheribus in populum meum.

℣. 5. Ante messem enim totus effloruit; et immatura perfectio germinabit; vinea enim ante tempus florebit, & ita germinabit, ut nunquam maturitatem attingat, quippe cujus surculi falcibus cædentur. Hæc omnia de Sennacheribo. Ante tempus vindemiæ botri quidem flavescere videbantur; sed cùm ventum est ad vineam, ut uvæ colligantur, pro fructibus flores, vel uvæ acerbæ inventæ sunt. Neque tamen cessatum est racemos vellere, aut cædere palmites. Vineam hanc dixeris Regem Assyriorum, in quem animadversurus Dominus vênit. Tunc verò Sennacherib primas triumphorum suorum palmas colligebat, suisque moliminibus manum tum primùm admovebat: sed falx Domini & palmitem & uvam adhuc florentem abscidit. Aliter: Cùm messis & vinea floribus depositis ad maturitatem accederent, ventum est ad messem, & vindemiam, negato plenæ maturitatis spatio. Sennacherib jam jam subacturus erat Judæam & Ægyptum, cùm subitò Dominus spem illius unico veluti ictu præcidit.

℣. 6. Et relinquentur simul avibus montium. Rami præcisi & deserti, vinea vastata, præda relinquetur avium & belluarum, atque in sedem, quò eæ se recipiant & contineant. Cadavera militum Sennacheribi sub dio relicta jacebunt, pabulum avium, ex montibus advolantium, & belluarum ex agro.

℣. 7. In tempore illo deferetur munus Do-

(u) *Herodot. lib. 2, c. 5*: Ὅτι Αἴγυπτος ἐς τὴν Ἕλληνες ναυτίλλονται, ἐστὶ Αἰγυπτίοισι ἐπίκτητός τε γῆ, καὶ δῶρον τοῦ ποταμοῦ. *Ita Strabo, lib. 1 p. 34.* (x) כי (℣. 5.) כחם צח עלי אור : כעב טל בחם קציר לפני קציר כתם פרח ובסר גמל יהיה נצה : וכרת הזלזלים במזמרות ואת הנטישות הסיר התז (y) Ex hac versione, legendum est ציה quæ vox legitur in Jobo, xxiv, 19, pro צח, & usurpandum אור pro igne, utì apud Isaiam, xliv, 16. (z) Vide *Prov.* xxvi, 1. (α) *Munst. Vatab. Castal. Tig.* (β) אור usurpari potest pro imbre, *Job*, xxxvi, 32; & xxxvii, 11. (γ) אור accipitur pro herbis *4 Reg.* iv, 39; & *Isai.* xxvi, 19, ex *Jun. Pisc. Tremel. Anglic.*

DOMINO EXERCITUUM A POPULO DIVULSO ET DILACERATO..... AD LOCUM NOMINIS DOMINI. Liberi metu Sennacheribi Ægyptii, & jam minimè ambigentes, utrùm copiarum Sennacheribi cædes, brevi noctis unius spatio expleta, unius Dei Israëlis virium, qui eam cladem antea per Prophetam nunciaverat, opus esset; Ægyptii, inquam, iisdem hìc expressi coloribus atque superiùs, ℣. 2, in argumentum & obsequium improvisæ libertatis munera ad Templum Hierosolymitanum miserant. Docet id Scriptura (δ), cùm post liberatum a Domino Ezechiam manibus Sennacheribi, ait: *Multi deferebant hostias & sacrificia Domino in Jerusalem, & munera Ezechiæ Regi Juda, qui exaltatus est post hæc coram cunctis gentibus.* Vide etiam Isaiæ XIX, 18, 19.

CAPUT XIX.

Oraculum in Ægyptum, quæ sævissimo Tyranno permittetur. Nilus siccabitur. Principes Ægypti vertiginis spiritu agentur. Juda terror Ægypti. Altare Domino in Ægypto dedicatum. Ægyptii ad Domini sacra conversi.

℣. 1. ONus Ægypti. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur simulacra Ægypti a facie ejus, & cor Ægypti tabescet in medio ejus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ONUS ÆGYPTI. Veterum plures (a) Oraculum hoc explicant de J. Christo, & Romanis. Puer Jesus in Ægyptum fùgit, intra ulnas delatus a Virgine patente, quæ hìc nomine nubis levis designatur: *Ascendet super nubem levem.* Ejus adventus Ægypti Numina terruit, totamque latè regionem uberi gratiarum imbre irrigavit, cujus beatus fructus est seges illa Sanctorum Eremicolarum, qui in desertis sanctitatem coluerunt. Regionem hanc Romanis tradidit, omnibus iis malis subjiciendam, de quibus hìc. Denique Ægyptus ad Dominum rediit, simulque cum fido benedictionem in medio sui fovit. Hæc interpretatio cum literâ optimè congruit; at Isaias propinquius aliquid spectare videtur; ejusque dicta recentiores plerique Interpretes (b) exponunt de expeditionibus Assyriorum vel Chaldæorum in Ægyptios. Probant profectò, Oraculi hujus fidem implesse Sennacheribum & Nabuchodonosorem; fœdusque Ægypti cum Judâ, de quo Isaias, nonnisi post reditum e Captivitate coaluisse. Creditur etiam (c) prima oraculi pars continere domesticas Ægypti seditiones, postquàm Sabacon Rex Æthiopum, qui occupatam a se Ægyptum tenuit annis quinquaginta, domum regressus est (d): sævissimus autem Rex, qui cum imperio dominatur, non alius creditur a Psammiticho (e), qui Regno Ægypti annis quatuor & quinquaginta potitus est, statim ante Nechon vel Nechao, qui Josiam Regem Juda prælio victum interfecit. Latiùs explicanda est hæc historia, ut rem totam Lectores teneant.

Cùm Ægyptus in varia scinderetur studia, pluribus e viris Principibus supremam authoritatem optantibus, Sabacon Rex Æthiopum, tempus opportunum nactus, eam regionem occupavit, cui pacifico imperio annis quinquaginta præfuit. Denique in Æthiopiam rediit, territus insomnio, quo medios secare omnes Ægypti Sacerdotes jubebatur. His accedebat, quòd tempus, quo regionis suæ Numina Regnum Ægypti sibi definiverant (f), jam effluxerat. Egresso Sabacone, antiquus Ægypti Princeps Anysis, lumine oculorum orbatus, qui annis quinquaginta in Insulâ quadam latuerat, iterum rediit. *Sethon* Vulcani Sacerdos Anysi successit (g); quo rerum potiente, Sennacherib venit in Ægyptum, quo tempore Ezechias res Juda moderabatur.

Milites cæterique bellicæ professionis viri, quòd neglecti a Sethone fuissent, illum ab invasione Regis Assyriorum tueri recusarunt. Quamobrem Sethon omni ope destitutus, Numen, cujus gerebat Sacerdotium, imploravit; a quo per somnium monitus est, ut venienti Sennacheribo obviam occurreret cum eâ Ægyptiorum parte, quos amicos habebat; futurum enim, ut plenam victoriam referret. Nec defuit oraculo fides; proximâ enim nocte ingens murium copia castra Sennacheribi invadens, lora scutorum & pharetrarum, & nervos arcuum rosit; ut posterâ die omnes bello impares sese senserint. Hæc Sacerdotum Ægyptiorum narratione ferebantur.

Post Sethonis obitum, Ægyptii singulis Ægypti Provinciis singulos Reges, duodecim numero, dederunt (h). Inter illos primo quidem amor & consensio; deinde verò simultas & dissidium. Psammitichus e duodecim unus, cùm vinum Diis, paterâ carens, galeâ libasset, cæteris sociis Regibus præsentibus, nescius implevit fidem oraculi, Regnum pollicentis uni e duodecim, qui vinum æneo cratere libaret. Dictis sua fides stetit. Cùm a cæteris sociis Regibus exul in angulum Ægypti ejectus fuisset, Caribus & Jonibus, qui fortuitò ad Ægyptum appulerant, opem ferentibus, arma illis intulit, illos Regno spoliavit (i), unusque per annos quatuor & quinquaginta imperavit (k). Post hunc regnavit Nechos vel Nechao, notus in Libris Sacris ex bello, quo Josiam lacessivit. Jam

(δ) 2 *Par.* XXXII, 23, 24. (a) *Vide Cyrill. hic. Quidam apud Hieronym. Euseb. Demonstr. lib. 1, c. 4; Chrysost. homil. 9 in Matt. 11: Tolle puerum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum. Theodoret. & Procop. hic, Bernard. alii.* (b) *Thomas, Haimo, Hugo, Lyran. Adam. Sanct. Cornel. Pisc. Hieronym. hic, aliquot locis.* (c) *Ita Grot. Jun.* (d) *Herodot. lib. 2, c. 137.* (e) *Idem, lib. 2, c. 157:* Ψαμμήτιχος δὲ ἐβασίλευσε Αἰγύπτου τέσσερα καὶ πεντήκοντα ἔτεα. (f) *Herodot. lib. 2, c. 139:* Ἐν γὰρ τῇ Αἰθιοπίῃ ἐόντι αὐτῷ, τὰ μαντήϊα τοῖσι χρέωνται Αἰθίοπες, ἀνεῖλε ὡς δέοι αὐτὸν Αἰγύπτου βασιλεῦσαι ἔτεα πεντήκοντα. (g) *Herodot. lib. 2, c. 141.* (h) *Idem, lib. 2, c. 147:* Ἐλευθερωθέντες Αἰγύπτιοι μετὰ τὸν ἱρέα τοῦ Ἡφαίστου βασιλεύσαντα, ἐστήσαντο δυώδεκα βασιλέας, ἐς δυώδεκα μοίρας δασάμενοι Αἴγυπτον πᾶσαν. (i) *Idem, c. 153.* (k) *Herodot. lib. 2, c. 157, 158.*

℣. 2. Et concurrere faciam Ægyptios adversùs Ægyptios: & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, civitas adversùs civitatem, regnum adversùs regnum.

℣. 3. Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus ejus, & consilium ejus præcipitabo; & interrogabunt simulacra sua, & divinos suos, & pythones, & ariolos.

℣. 4. Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum.

℣. 5. Et arescet aqua de mari, & fluvius desolabitur, atque siccabitur.

COMMENTARIUS.

Jam nunc Ægyptiacam historiam cum sacrâ conciliemus. Regnum Sethonis, cui bellum intulit Sennacheribus, congruit cum anno Ezechiæ Regis Juda duodecimo; & Regnum Nechai Reges Ægypti & successoris Psammitichi, cum Regno Josiæ Regis Judæorum convenit. Quamdiu Sethon, quamdiù duodecim minores Ægypti Reges imperaverint, latet: at Psammitichus sceptrum tenuit annis quatuor & quinquaginta, & Nechao sexdecim. Post invasionem Sennacheribi, Ezechias quindecim, Manasses quinque & quinquaginta, Amon duobus, Josias uno & triginta annis regnarunt; Itaque a cæde Sennacheribi usque ad obitum Josiæ intervallum est annorum centum & trium. Ut igitur conveniant Regna Regum Juda & Ægypti, tribuendi sunt Regno Sethonis post expeditionem Sennacheribi in Ægyptum, & Regno duodecim minorum Ægyptum Regum, ante Psammitichum, anni septem & triginta circiter, posito Nechai bello in Josiam anno Regni ipsius duodecimo circiter. His ex historiâ constitutis, facilè fides constabit iis, quæ tum hoc Capite, tum sequentibus in Ægyptum mala prædicuntur. Revocandum in mentem est, hoc oraculum editum fuisse anno Achazi primo, adeoque quarto & decimo ante Sennacheribi in Ægyptum expeditionem.

ASCENDET DOMINUS SUPER NUBEM LEVEM, ET INGREDIATUR ÆGYPTUM. Ægyptum punitorus veniet, vectus alis ventorum, atque intra nubes latens, quibus protegetur veluti tentorio, vel tamquam curru cooperto; hoc enim majestatis apparatu venientem illum David inducit (l): *Volavit super pennas ventorum: posuit tenebras latibulum suum; in circuitu ejus tabernaculum ejus; tenebrosa aqua in nubibus aëris.* Ultionem exercuit Deus in Sennacheribum, qui adventu suo totam hanc regionem terrore concussit. Herodotus [m] & Berosus [n] hujus expeditionis Sennacheribi in Ægyptum meminere; eamque innuit Isaias Capite XVIII, 2, 3. Denique Rabsaces non obscurè illius meminit in quarto Regum, XIX, 24. Vide inferiùs, XIX, 5, 6.

COMMOVEBUNTUR SIMULACRA ÆGYPTI A FACIE EJUS. Ægyptus, ejusque Numina accedente exercitu Sennacheribi horruerunt, quòd milites, quos Sethon nihili vel parvi habuerat, arma ferre recusarent, ut pœnas de socorde hoc Principe sumerent (o). Terrorem tribuere hîc Numinibus Ægyptiis videtur Propheta, ut magis magisque illorum inanitatem & infirmitatem ostendat. Veterum plures docuerunt (p), eademque traditio quarto sæculo obtinebat, veniente Jesu Christo in Ægyptum, quidquid simulacrorum in Ægypto erat, sponte confractum corruisse, ut hoc vaticinium expleretur.

℣. 2. CONCURRERE FACIAM ÆGYPTIOS ADVERSUS ÆGYPTIOS. Impletum fortasse id fuit eo bello, de quo agimus; cum fortè Rex & populus cogere ad arma sumenda milites vellent, & cæteros, qui defendere imperium tenebantur. Sed malo interpretari de dissidiis, quæ post mortem Sethonis excitata sunt, & de simultate duodecim Regum, de qua superiùs. In hanc sententiam nos ducunt ea, quæ deinceps subduntur: *Pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum suum, civitas adversùs civitatem, Regnum adversùs Regnum.* Septuaginta: *Nomos adversùs Nomum*; vel Regio adversùs Regionem; Provincia in Provinciam. Ægyptus tunc in duodecim minora Regna scindebatur.

℣. 3. DIRUMPETUR SPIRITUS ÆGYPTI IN VISCERIBUS EJUS. Hebræus (q): *Evacuabitur spiritus Ægypti in medio ejus.* Deficient mente, animo, consilio. Septuaginta (r): *Spiritus Ægyptiorum turbabitur*, &c.

INTERROGABUNT SIMULACRA SUA, ET DIVINOS. Vanum perfugium, familiare tamen populo territo & superstitioso. Coëgerat Psammitichus validum exercitum e strenuo milite & armato, tam ex inquilinis quàm ex advenis: idem verò Dux strenuus erat ac felix; quarum rerum causâ totam latè regionem ingens terror facilè corripuit. Meminerant, fidem Oraculi, imperium uni destinantis, in illo expleri. Hisce omnibus, multo potiores ejus partes quàm adversariorum fiebant.

℣. 4. TRADAM ÆGYPTUM IN MANU DOMINORUM CRUDELIUM; REX FORTIS DOMINABITUR EORUM. Crudeles domini sunt duodecim illi Reges, de quibus modò: his autem superatis, Psammitichus, *Rex fortis* & violentus absolutum Ægypti imperium in se uno conciliavit.

℣. 5. ARESCET AQUA DE MARI, ET FLUVIUS DESOLABITUR. Nomen maris hîc usurpandum est potiùs de lacubus vel stagnis inferioris Ægypti (s), quàm de Mari Mediterraneo. Reddi potest Hebræus [t]: Aqua exhaurietur, nec in mare defluet.

(l) *Psal.* XVII, 11, 12. (m) *Herodot. lib.* 2, *c.* 141: Μετὰ δὲ ἐπ' Αἴγυπτον ἐλαύνειν στρατὸν μέγαν Σαναχάριβον βασιλέα Ἀραβίων τε καὶ Ἀσσυρίων, &c. (n) *Berof. apud Joseph. Antiq. lib.* X, *c.* 1, 2: Βηρωσσὸς δὲ, ὁ τὰ χαλδαϊκὰ συγγραψάμενος μνημονεύει τοῦ βασιλέως τοῦ Σενναχηρίβου, καὶ ὅτι πάσῃ ἐπεστράτευσε τῇ Ἀσίᾳ, καὶ τῇ Αἰγύπτῳ, λέγων οὕτως. Ὑποστρέψας δ' Σενναχήριβος ἀπὸ τῶν Αἰγυπτίων πολέμου ἐπὶ τὰ Ἱεροσόλυμα, κατέλαβεν ἐκεῖ τὴν ὑπὸ τῷ στρατηγῷ Ραψάκῃ δύναμιν τοῦ Θεοῦ λοιμικὴν ἐνσκήψαντος αὐτοῦ τῷ στρατῷ νόσον, &c. (o) *Herodot. lib.* 2, *c.* 141: Τὸν ἐν ἀλογίῃσιν ἔχειν παραχρησάμενον τῶν μαχίμων Αἰγυπτίων, ὡς οὐδὲν δεησόμενον αὐτῶν .... Οὔκων δὴ ἐθέλειν τοὺς μαχίμους τῶν Αἰγυπτίων βοηθέειν. (p) *Vide Athanas. de Incarn. Verbi, n.* 36; *Origen. seu alium, t.* 2, *divers. Homil. homil.* 3; *Cyrill. Jerof. Cathech.* X; *Pallad. hist. Lausiac.* 52; *Rufin. vit. PP. lib.* 2, *c.* 7; *Sozom. lib.* 5, *c.* 21; *Hier. hic.* (q) נבקה רוח מצרים בקרבו (r) Καὶ ταραχθήσεται τὸ πνεῦμα τῶν Αἰγυπτίων ἐν αὐτοῖς. (s) *Hieronym. hic*; *Sanct. alii.* (t) ונשתו מים מהים ונהר יחרב ויבש

℣. 6. Et deficient flumina: attenuabuntur, & siccabuntur rivi aggerum. Calamus, & juncus marcescet:

℣. 7. Nudabitur alveus rivi a fonte suo, & omnis sementis irrigua siccabitur, arescet, & non erit.

℣. 8. Et mœrebunt piscatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete super faciem aquarum emarcescent.

℣. 9. Confundentur, qui operabantur linum, pectentes, & texentes subtilia.

COMMENTARIUS.

fluet, & fluvius exsiccabitur & arescet. Vel planiùs: Nilus non exundabit, nec Ægyptum vertet in mare, uti solet quotannis [u]. Tota narrationis hujus series exhibet sub oculos sterilitatem Ægypti extremam, Nilo minimè regionem alluente: cùm enim rari sint in Ægypto imbres, nisi horum vices agant Nili alluviones, extrema sterilitas statim Ægyptum tenet. Quo potissimùm tempore hæc mala contigerint, Historia quidem non docet; sed hic non obscurè exprimitur: neque in Ægypto rara & insolita res est, Nilum arescere; neque enim satis erat, si aquæ ejus utcumque inondarent; sed crescere aquas usque ad certam mensuram opus erat. *Si duodecim cubita non excessit, fames certa est: nec minus, si sexdecim exsuperavit* (x).

℣. 6. Deficient flumina: attenuabuntur rivi aggerum. Flumina hic sunt septem Nili ostia, quæ in Mediterraneum influunt. *Rivi aggerum*, sive ex Hebræo (y), *rivi Ægypti* sunt rami Nili, quibus ita intersecabatur Delta, ut nonnisi fermè fluviali itinere permeabilis esset; idque tam facili negotio fieri consuevisse affirmat Strabo (z), tamque aptâ arte ductæ erant aliæ super alias fossæ, ut nonnulli testaceis scaphis uterentur.

Calamus et juncus marcescet. Nobilem olim mercaturam exercebant Ægyptii juncis & calamis, iis præsertim, qui *papyri* appellabantur; ex quibus carta papyracea, & caligæ quædam in usum Sacerdotum, & navigia, vela & funes aliaque sexcenta conficiebantur [a]. Crescebant secundùm ripas Nili, vel lacuum ejus regionis.

℣. 7. Nudabitur alveus rivi a fonte suo; in ipso scilicet fonte. Nili fons non in Ægypto est, sed in Æthiopiâ: rarum esset autem & inusitatum, si tantus amnis vel in ipsâ sui scaturigine aresceret. Hyperbolica locutio est; ac veriùs dices, fossas ex eo flumine ductas in ipso fluminis ostio aruisse: adeò humilis fluebat amnis. Hebræus (b): *Herba rivi, ad os*, vel ad ostium *rivi*, plantæ, junci, herbæ ornantes ostia, quâ Nilus influit in Mediterraneum, ubi latior amnis spatiatur, arebunt & deficient, humoris egentes. Pari modo interpretati sunt Septuaginta [c], legeruntque hic *Achi*, quo nomine Ægypti calamos secùs Nilum crescentes nuncupant. Idem nomen occurrit in Hebræo Exodi (d), ubi legimus, puerum Moysem expositum fuisse in *achu*, ad ripam amnis. Affirmat S. Hieronymus [e], ex Ægyptio quodam se didicisse, vocem *Achi* vernaculo sermone exprimere quidquid est virens in locis humidis & stagnantibus.

Omnis sementis irrigua siccabitur. Hebræus (f): *Omnis sementis rivi arescet*. Nullo operosiori molimine serebant Ægyptii, quàm jacto in terram semine, post fluxum aquarum Nili; injectâque super semen humo, statim illud germinans, uberem otioso agricolæ messem serebat (g). Non ita verò res habebit sese hisce annis sterilitatis; frustra committetur terræ semen; arebit enim & peribit minimi humoris causâ.

℣. 8. Mœrebunt piscatores. Nilus, & lacus Ægypti erant piscosi; & ex piscatione ingens pecunia in ærarium Regis inferebatur. Unius lacûs Mœridis totis iis sex mensibus, quibus Nilus refluebat, unius talenti quotidianus proventus erat, seu nostri numismatis librarum bis millium, sexcentarum & octoginta octo; sex verò alteris, quibus influebat, viginti minas æquabat. Duo & viginti piscium genera in Nilo capi, quibus saliendis incolas licèt frequentissimos, vix sufficere, Diodorus [i] affirmat.

℣. 9. Confundentur qui operabantur linum; nam humus lino serendo avara erit. Lini feracissima est Ægyptus; ex illo autem conficiebantur filum ac tela carbasina prorsus mira [k]; ac nobilem lini & carbasi nundinationem ibi institui consuevisse, discimus ex tertio Regum, x, 29.

Pectentes, et texentes subtilia. Hebræus (l) jungendus est cum præcedentibus: *Operantes lina pectinata, & texentes perforata retia*; seu opera lini in usum retium, seu texturæ reticulatæ. Vel ex aliis (m): *Operantes in lino flavo*, vel crudo, & nativi coloris, in usum crassiorum rerum, uti funium, retium, &c. [*Sarak* vel *Sorek* sonat flavum apud Isaiam, v, 2] *& texentes telas albas* & tenues, in usum vestium. Vox *serikoth*, quæ hic negotium facessit, derivatur ex Sarak

(u) *Herodot. lib. 2, c. 97.* Τὰ μὲν γὰρ ἄλλα τῆς Αἰγύπτου πέλαγος γίνεται, αἱ δὲ πόλιες μοῦναι φαίνονται ὑπερέχουσαι. (x) *Plin. lib. XVIII, c. 18.* (y) יארי מצור 70: Ξηρανθήσεται πᾶσα συναγωγὴ ὕδατος. (z) *Strabo, lib. 17, p. 541:* Ἀποῤῥῶγες πολλὰς καθ' ὅλην μερισθεῖσαι τὴν νῆσον, πολλὰ καὶ ῥεῖθρα καὶ νήσους ἐποίησαν, ὥσθ' ὅλην γενέσθαι πλωτὴν διωρύγων ἐπὶ διώρυξι τμηθεισῶν, ὡς καὶ ῥᾳδίως πλέονται τοσαύτην, ὥστε καὶ ὀστράκινα ἐνίοις εἶναι πορθμεῖα. (a) *Plin. lib. XIII, c. 11: Radicibus incolæ pro ligno utuntur .... ex ipso quidem papyro navigia texunt, & e libro vela, tegetesque, nec non & vestem, & etiam stragula, & funes.* (b) ערות על פי יאור
(c) Καὶ τὸ χλωρὸν πᾶν τὸ κύκλῳ τοῦ ποταμοῦ. *Edit. Rom. Theodoret.* Καὶ τὸ ἄχι τὸ χλωρὸν πᾶν τὸ κύκλῳ τοῦ ποταμοῦ. (d) *Exod. II, 3: Posuit eum in carecto ripæ fluminis. Heb.* באחו 70: Ἐν ἄχει, vel ἐν ἄχι. (e) *Hieronym. in Isai. XIX, lib. 7, seu exposit. 2.* (f) וכל מזרע יאור יבש 70: Πᾶν τὸ σπειρόμενον διὰ τοῦ ποταμοῦ ξηρανθήσεται. (g) *Herodot. lib. 2, c. 14, collatum cum Plin. lib. 18, c. 18; & Diodor. lib. 1, p. 23.* (h) *Herodot. l. 2, c. 149:* Ἐπεὰν μὲν ἐκρέῃ ἔξω ὕδωρ, τότε τοὺς ἓξ μῆνας ἐς τὸ βασιλήιον καταβάλλει ἐπ' ἡμέρην ἑκάστην τάλαντον ἀργυρίου ἐκ τῶν ἰχθύων· ἐπεὰν δὲ ἐσίῃ τὸ ὕδωρ ἐς αὐτήν, εἴκοσι μνέας. (i) *Diodor. lib. 1, p. 34.* (k) *Plin. lib. 19, c. 1.*
(l) ובשו עבדי פשתים שריקות וארגים חורי (m) *Boch. de animal. lib. 1, c. 7.*

℣. 10. Et erunt irrigua ejus flaccentia: omnes, qui faciebant lacunas ad capiendos pisces.

℣. 11. Stulti principes Taneos, sapientes consiliarii Pharaonis, dederunt consilium insipiens. Quomodo dicetis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius regum antiquorum?

℣. 12. Ubi nunc sunt sapientes tui? annuntient tibi, & indicent, quid cogitaverit Dominus exercituum super Ægyptum.

℣. 13. Stulti facti sunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus.

℣. 14. Dominus miscuit in medio ejus spiritum vertiginis: & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius, & vomens.

℣. 15. Et non erit Ægypto opus, quod faciat: caput & caudam, incurvantem & refrænantem.

℣. 16. In die illâ erit Ægyptus quasi mulieres, & stupebunt, & timebunt a facie commotionis manûs Domini exercituum, quam ipse movebit super eam.

COMMENTARIUS.

Sarak vel Sorek, qua voce designari sericum, Interpretes quidam docent (n). At versiculus sequens suadere illud potest, agi hic de retibus ad capiendos pisces; sermo enim ibi, uti & ℣. 8, de piscatione fit. Septuaginta (o): *Operantes linum fissile, & operantes byssum*. Symmachus: *Linum pectinatum*. Vox *sericum* derivata videtur ex *Serikoth*, vel Serikim. Quid verò esset *linum sericeum*? Videsis quæ de vetustate serici ad Ezechielis xvi, 10, contulimus.

℣. 10. Erunt irrigua ejus flaccentia; arescent scilicet. Hebræus (p) variè redditur: *Erunt retia ejus disrupta*, vel *consilia ejus dissipata*. Septuaginta (q): *Erunt operantes ea in dolore*. Chaldæus: *Conculcatus erit locus, ubi faciebant lacunas*. Aquila: *Horrea ejus dejicientur*. Theodotion: *Humillima quæque Ægypti dejicientur*.

Omnes qui faciebant lacunas ad capiendos pisces. Hebræus (r): *Omnes facientes clausuram & stagna animæ*, seu *vitæ*. Qui pisces implicabant retibus vel nassis, ut illos caperent atque interficerent; vel qui fodiebant aquarum conceptacula, ubi vivos continerent. Septuaginta (s): *Omnes qui faciunt zythum, mœrebunt, & animis laborabunt*. Hæc versio cæteris facilè præstat. Amabant enim Ægyptii zythum, quod vinum ex hordeo confectum, appellat Herodotus (t). Tantâ igitur sæviente siccitate, cùm hordei messis cum cæteris fructibus defecisset, mirum non est, si liquoris hujus artifices mœrore tabescerent.

℣. 11. Stulti principes Taneos. Principes Taneos & Mempheos viri sunt a consiliis & optimates duodecim illorum Regum, quorum sæpè meminimus. Porro isti, politicis artibus excultissimi, consilio destituuntur & prudentiâ; illos enim e statu mentis deturbavit adventus Psammitichi. Quò nunc eximia hæc vestra rerum politicarum scientia, quam tantopere olim jactabatis? audebitisne modò decus hoc vestrum efferre? audebitisne coram Pharaone gloriari: *Filius Sapientium ego, filius Regum antiquorum*? Consilia nunc capite hac prudentiâ & genere vestro digna. Coërcet Isaias superbiam & dementiam Principum Ægypti, quos fama erat cæteris hominibus sapientiâ præstare (u).

℣. 13. Emarcuerunt Principes Mempheos. Hebræus (x): *Seducti sunt*, vel errant *Principes Noph*. Septuaginta (y): *Exaltati sunt*. Noph seu Memphis urbs erat inter vetustissimas & inclytas Ægypti, sedes olim plurium Regum, & Metropolis Nomi Memphitici. Quindecim millibus passuum hanc a Delta constituit Plinius (z): at alibi quinque tantùm millibus passuum ab illâ removet.

Deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus; deceperunt Ægyptum, & præsidia populorum ejus. Pravis consiliis Regem & Ægyptios in errorem induxerunt. *Anguli populi* designare possunt sive Principes populi, sive e populo novissimos; *Ægyptum, & angulos ejus*, quanta quanta est regio, ab unâ orâ ad aliam. Vide similem phrasim in Judicibus, xx, 2.

℣. 15. Non erit Ægypto opus quod faciat: caput et caudam, incurvantem et refrænantem; incerta quid agat, tota Ægyptus hærebit, a maximo ad minimum, ab eo qui imperat, usque ad eum qui paret. Ambigui omnes & anxii nutabunt, Princeps æquè & subditi; ad verbum: *Caput & caudam, incurvantem & refrænantem*. Similis locutio jam superiùs occurrit (b). Septuaginta (c): *Et non erit Ægyptiis opus quod faciat caput & caudam, & principium & finem.*

Incer-

(n) *Buxtorf. & Fuller. Miscell. lib. 2, c. 21. Vide, si lubet, Braun. lib. 1, c. 6, & 8, de vestit. sacerd. Heb.* & *Chald.* פלחי כתנת דשריקין (o) Τὸ λίνον τὸ σχιστὸν, καὶ τοὺς ἐργαζομένους τὴν βύσσον. *Sym.* Λίνον τὸ κτενιστὸν, *Linum pectinatum*. (p) והיו שתתיה מדכאים
(q) Καὶ ἔσονται οἱ ἐργαζόμενοι αὐτὰ ἐν ὀδύνῃ. *Aqu.* Αἱ ἀποθῆκαι αὐτῆς τεταπεινωμέναι.
(r) כל עשי שכר אגמי נפש (s) Πάντες οἱ ποιοῦντες τὸν ζύθον, λυπηθήσονται, καὶ τὰς ψυχὰς πονέσουσι. Legunt שכר *Sechar*, *Sicera*. Et אגמי נפש quasi ex אגמון *hamus*, captus hamo.
(t) *Herodot. lib. 2, c. 77:* Οἴνῳ δὲ ἐκ κριθέων πεποιημένῳ διαχρέωνται, οὐ γάρ σφι εἰσὶ ἐν τῇ χώρῃ ἄμπελοι. (u) *Herodot. lib. 2, c. 160:* Δοκέοντες παρὰ σφίσι οὐδ' ἂν τοὺς σοφωτάτους ἀνθρώπων Αἰγυπτίους οὐδὲν ἐπεξευρεῖν. (x) נשאו שרי נף (y) Ὑψώθησαν οἱ ἄρχοντες Μέμφεως.
(z) *Plin. lib. 5, c. 9.* (a) *Plin. xxxvi, c. 14.* (b) Cap. ix, 14: *Disperdet Dominus Israël caput & caudam, incurvantem & refrænantem.* (c) Οὐκ ἔσται τοῖς Αἰγυπτίοις ἔργον ὃ ποιήσει κεφαλὴν καὶ οὐρὰν, ἀρχὴν καὶ τέλος.

℣. 17. Et erit terra Juda Ægypto in pavorem: omnis, qui illius fuerit recordatus, pavebit a facie consilii Domini exercituum, quod ipse cogitavit super eam.

℣. 18. In die illâ erunt quinque civitates in terrâ Ægypti, loquentes linguâ Chanaan, & jurantes per Dominum exercituum: Civitas solis vocabitur una.

COMMENTARIUS.

Incerti erunt quid capiant consilii, quem rerum exitum, quod initium faciant. Hebræus (d): *Et non erit Ægypto opus*, seu potiùs nescient, quid consilii capiant, *& caput, & cauda, & ramus, & juncus*; Princeps æquè & populus, caput & membra, ambigui & incerti versabuntur. Hæc genuina est loci hujus interpretatio. Chaldæus: *Non erit Ægyptiis Rex qui regnet, nec Princeps, nec Satrapa, nec Præfectus, nec dominator.*

℣. 17. ERIT TERRA JUDA ÆGYPTO IN PAVOREM. Mirabile illud Dei opus, quo Judæam e potestate Sennacheribi eruit, vertetur Ægypto in argumentum terroris. Qui enim mentem huic rei adhibuerint, illos plena terroris veneratio corripiet. Ex capite præcedenti didicimus (e), missa tunc ab Ægypto munera & victimas ad Deum exercituum in Sion. S. Hieronymus fatetur, reddi posse Hebræum (f): *Erit terra Juda in solemnitatem Ægypto*; unde optimus sensus elicitur; cæso enim Sennacheribo, Ægyptus imminenti malo liberata est.

℣. 18. IN DIE ILLA ERUNT QUINQUE CIVITATES IN TERRA ÆGYPTI, LOQUENTES LINGUA CHANAAN, ET JURANTES PER DOMINUM. Id verò quo tempore contigit? Sunt qui impletum censeant (g) sæviente bello Sennacheribi, & Psammiticho rerum potiente; tunc enim frequentes Israëlitas Ægypto insedisse, ex Historiâ sacrâ & profanis discimus. Judæis in bello Æthiopico usum fuisse Psammitichum, narrat Aristeas. Cum Pharaone fœdus occultum junxisse videtur Ezechias (h); cujus facilè auxiliorum spe fretus, jugum Regis Assyriæ excussit. Nec minùs arcto necessitudinis vinculo conjunctos Reges Israëlis cum Ægypto Scriptura (i) demonstrat. Ægyptum pariter sibi devinxit Sedecias Rex Juda (k). Commercium cum Ægyptiis plus nimio familiare, ætatis illius Judæis exprobrant Prophetæ (l). *Væ filii desertores*, ait Isaias (m), *qui ambulatis, ut descendatis in Ægyptum, & os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbrâ Ægypti.* Vicissim autem exprobrat Ægyptiis fractum cum amicis fœdus, & negata contra datam fidem auxilia (n).

Iidem quoque Prophetæ reditum Hebræorum ex Ægypto prænunciant (o). Jeremias coactus est eò se recipere, secuturus Judæos, quos Nabuzardan in patriâ reliquerat (p). Spes igitur aliqua blandiebatur Judæis futurum, ut commodam ibi & quietam vitam nanciscerentur, scientes se inventuros cives suos, qui sedes jam diu eâdem in regione fixerant. Fortasse igitur eâ ætate fuerunt ibi *quinque Civitates*, utentes vernaculo Hebræorum vel *Chananæorum* sermone; ita enim appellabant exteri linguam illam, quæ apud Hebræos, Philisthæos, & Phœnices obtinebat. Neque tamen crediderim, vernaculum quinque istarum Urbium sermonem Hebræum fuisse; sed confertissimos ibi consedisse Hebræos arbitror, ut partem istarum Urbium non modicam tenerent, maneretque apud illos patrius sermo, pro more nunc etiam apud illos consueto, in locis ubi morantur. Vivebant a reliquis discreti Ægyptiis, & libero Religionis suæ exercitio utentes: *Jurantes per Dominum exercituum.*

Alii contigisse hæc non priùs censent, quàm post regnum Alexandri Magni & sub Ptolemæis. Scitum est enim, tunc Judæos in Ægypto magnoperè crevisse. Possidebant non ignobilem vicum Urbis Alexandriæ, muneris loco sibi ab Alexandro Magno datum (q). Judæos etiam ingenti numero Ptolemæus filius Lagi duxit in Ægyptum, ex quibus unicâ transmigratione transtulisse centum millia fertur (r). Translatis autem nonnullas arces custodiendas tradidit, & triginta illorum millia exercitibus suis adjecit. Quin & deinceps Judæorum aliqui copiarum ipsius ductores leguntur (s). Beneficiis illos cumulavit Ptolemæus Philadelphus (t); & Philopator, monstrum illud sævitiæ & libidinis, inito consilio tradendi miseros sub pedibus elephantorum conterendos, irâ in amorem versâ, suam in illis fiduciam collocavit (u). Scribit autem Historicus, Judæos tunc confertos adeò in Ægypto fuisse, ut census illorum nullo molimine perfici potuerit, quamquam Scribæ plures totis quadraginta diebus unicæ huic rei vacarint (x). Proseuchas ibi tunc, seu loca orationi destinata habebant; quarum non obscurè meminit Ptolemæus Philopator, in edicto pro Judæis lato. Nonnisi post hanc ætatem conditum est in Ægypto Templum *Onion*, de quo inferiùs.

Sed Patres (y) cum Interpretibus nostris plerisque oracula hæc ad Evangelii tempus referunt. Tunc enim plena illis fides constitit in frequenti illâ Christianorum turbâ, quæ Ægyptum implebat, ubi & altaria Domino exercuere, vitæ sanctimoniam coluere adeò puram, ut nihil perfectius, nihil purius Religio Christiana unquam viderit. Integræ ibi Urbes Monachos habebant pro Civibus, qui vitæ genus sanctissimum profitebantur. Denique nulla fuit Regio, quæ gratiæ ubertate floruerit magìs, quàm Ægyptus, sedes olim & Regnum superstitionis, Idololatriæ & libidinis.

CIVITAS SOLIS VOCABITUR UNA. Hebræus (z): *Una vocabitur Civitas heres*, seu Civitas excidii, vastationis. Qui reddiderunt, *Civitas Solis*, legebant, *Hir hacheres* (a) pro *Hir haheres*. Chaldæus utrumque conjungit: *Domus solis quæ destinen-*

(d) לא יהיה למצרים מעשה אשר יעשה ראש וזנב כפה ואגמון (e) *Isai.* XVIII, *ult.* (f) והיתה אדמת יהודה למצרים לחגה (g) *Grotius hic.* (h) 4 *Reg.* XVIII, 21. (i) 4 *Reg.* XVII, 4. (k) *Ezech.* XVII, 15. (l) *Osee*, VII, 11; VIII, 13; IX, 3; XII, 9; *Jerem.* II, 18. (m) *Isai.* XXX, 2, *& seq.* (n) *Habac.* II, 15; *Ezech.* XXIX, 6, 7. (o) *Isai.* XI, 11; *Osee*, XI, 11; *Zach.* X, 10. (p) *Jerem.* XLII, XLIII. (q) *Joseph. de bello*, *lib.* 2, Κεφαλ. λϛ; *& lib.* 2 *contra Appion. p.* 1063. (r) *Joseph. lib.* 12 *Antiq. c.* 1, *&* 2; *Aristeas de 70 Interpp.* (s) *Joseph. contra Appion. lib.* 2, 1064. (t) *Joseph. Antiq. lib.* XII, *c.* 2; *Aristeas de 70 Interpp.* (u) 3 *Macc.* VIII. (x) *Ibid.* IV, 14. (y) *Euseb. Hieron. Cyrill. alii passim.* (z) עיר ההרס יאמר לאחת *Aqu. Th.* Πόλις ἄρες. *Sym.* Ἡλίου. (a) 70. Πόλις ἀχερὲς κληθήσεται μία πόλις. In quibusdam Codicibus legebant, *asedec*, teste S. Hieronymo hîc. *Hir hazedec*, significat *urbem justitiæ*. Editio Rom. Πόλις ἀσεδέκ.

℣. 19. In die illâ erit altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus.

℣. 20. Erit in signum, & in testimonium Domini exercituum in terrâ Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis salvatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.

℣. 21. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptii Dominum in die illâ, & colent eum in hostiis, & in muneribus: & vota vovebunt Domino, & solvent.

COMMENTARIUS.

struenda est, dicetur una ex eis. Creditur Urbs *Heliopolis*, seu Urbs solis, ipsa esse *On*, de qua in Genesi *(b)*, Jacebat extra Deltam, ad meridiem Babylonis Ægypti, inter Nilum & Erythræum, at Nilo propinquior, Judæi frequentes illam occupasse videntur, Tradit S. Hieronymus hìc: *Alii Ares, id est ὄστρακον, hoc est testam, Urbem Ostracinem intelligi volunt, & caeteras juxta Rhinocoruram & Casium Civitatem, quas usque hodie in Ægypto linguâ Chananitide, hoc est Syrâ, loqui manifestum est.* Ex tanto Versionum dissidio discimus, varium olim lectionum hujus loci discrimen fuisse.

℣. 19. IN DIE ILLA ERIT ALTARE DOMINI IN MEDIO TERRÆ ÆGYPTI. Si cautum erat, ne Judæi altaria Domino alibi præter Jerosolymam erigerent, quo jure hìc Propheta loco eximii beneficii populo spondet erigendum in medio Ægypti Altare, Domino consecratum? Altare illud, ex dogmate Judaicæ Religionis, perinde habendum erat ac profanum & impium, utpote invito Numine erectum; nisi hoc ponamus, illius constructionem sive præcepisse Dominum hoc ipso oraculo, sive probasse. Agnoscendum est igitur cum Patribus, nonnisi post Christianæ Religionis exordium legitima & auspicata Domino Altaria in Ægypto stetisse. Tunc primùm puro & perfecto cultu Dominus ibi, uti & alibi, per Orbem coli cœpit. Ipsi pariter Judæi ætatis S. Hieronymi *(c)* uno cum Christianis assensu oraculum hoc ad Messiam referebant: at Judæi implendam ejus rei fidem rejiciebant in tempus remotum & incognitum, quo Liberatorem opperiebantur; Christiani verò literalem ejus veritatem intuebantur in eâ, quæ tunc in Ægypto florebat, Christianâ Religione.

Onias Oniæ III Summi Judæorum Sacerdotis, filius, cùm post decessum patris *(d)* amotum se a sacrâ dignitate, & alios accitos doleret, nec satis tutas quietasque sedes in Judæâ nancisceretur, utpote obnoxius ambitioni illorum, qui Summum Sacerdotium invaserant, & injuriis Antiochi Epiphanis oppressus, in Ægyptum perfûgit. Tutum ibi asylum obtinuit sub Ptolemæo Philometore, qui Judæis favebat, civium ope fretus, quibus pergratum acciderat, quòd Summi Sacerdotis, e stirpe Aaronis, filium apud se haberent, Onias igitur Isaiæ oraculum ad verbum intelligens, illud implere aggressus est, Templum Domino in Ægypto excitans, Regis assensu impetrato & Judæorum opibus fretus, Templum condidit, cui ex nomine conditoris sui *Onia* nomen *Onion* inditum est; jacuitque in Nomo Ægypti, at non in urbe Heliopoli.

Onias in supplici ad Philometorem libello *(e)* exposuit, se animadvertisse, Templa quædam vero Deo dicata esse a Judæis in Cœlesyriâ, Phœniciâ, & Leontopoli Ægypti, in Præfecturâ Heliopolitanâ: cùm autem varia hæc Templa dissidium inter Gentiles suos parerent, ut simultates hasce auferret, eosque in fide Regis contineret, consilium se iniisse condendi commune quoddam Judæis omnibus Templum; petere igitur, ut copia sibi fieret purgandi aream veteris cujusdam Templi ab Ægyptiis derelicti, nulli dicati Numini, in Oppido Bubasto campestri, ut ibi sacrum Domino ædificium construeret. Addebat, Isaiæ Prophetæ oraculo prædictum olim fuisse, sacrum Domino Israëlis Templum in Ægypto futurum. Oppidum, ubi Templum conditum est, deinde in Urbem nobilem crevit; & Ptolemæi Geographi ætate *(f)* appellabatur *Onion*, totique Nomo Heliopolitano præerat, vetere Urbe Heliopoli jam eversâ *(g)*. Jacebat Onion ad ripam Nili meridianam, supra Bubastum. Igitur Templum Onion nec primum fuit, nec unicum in Ægypto; nam vetustius aliud Leontopoli steterat.

ET TITULUS DOMINI JUXTA TERMINUM EJUS: & monumentum Domini, ad verbum *(h)*, *Et columna Domini*, in extremis regionis finibus. Qui in Ægypto degebant Judæi, columnas fortasse nonnullas erexerant, cum epigrammate, indicante, locum illum Domino ac populo illius addictum esse. Post invectam Christianam Religionem, crux, quæ Domini vexillum est, erecta emicuit in omnibus iis locis, ubi J. Christi cultus obtinuit.

℣. 20. CLAMABUNT AD DOMINUM A FACIE TRIBULANTIS, ET MITTET EIS SALVATOREM. Dicta hæc accipi possunt de Judæis oppressis a Philopatore, qui illos sub elephantum pedibus conterere meditabatur; quo discrimine divinitus liberati sunt *(i)*. At genuina explicatio ea est, quæ de conversione Gentium, & præsertim Ægyptiorum, ad Jesu Christi fidem interpretatur. Gemebant illi sub Dæmonis ac peccati tyrannide; neque calamitatem suam satis intelligebant; neque norant cujus manu liberandi forent; clamabantque quodammodo ad Dominum, quemadmodum tellus arida & hiscens imbrem postulat, & filii corvorum cibum a Deo flagitant *(k)*.

℣. 21. COLENT EUM IN HOSTIIS. Non semel Ægypti Reges munera & hostias ad Templum Jerosolymæ miserunt *(l)*. Sed affirmare quis possit, ante Jesum Christum seu verè notum fuisse Ægyptiis, seu cultum fuisse Dominum gratâ dignâque ejus majestatis religione? Dei ne cultus in unam admittere societatem potest Numinum superstitionem, quæ publicam admittebat professionem tot

erimi-

(b) *Genes.* XLI, 45.
(c) *Hieronym. hic. Vide & Misna tract.* מנחות *c.* 13, §. 10. (d) *Joseph. lib.* XII, *c.* 15 *Antiq.*
(e) *Joseph. Antiq. lib.* XIII, *c.* 6. (f) *Vide Ptolem. & Joseph. lib.* XIV *Antiq. c.* 14; *& de Bello, lib.* 1, *c.* 7; *& lib.* 7, *c.* 30. (g) *Strabo, lib.* 17, *p.* 553. (h) ליהוה מצבה אצל גבולה 70. Στήλη πρὸς τὸ ὅριον αὐτοῖς τῷ κυρίῳ. (i) *Vide* 3 *Macc. & lib.* 2 *contra Appion.* (k) *Psal.* CXLVI, 9.
(l) *Joseph. contra Appion. lib.* 2, *p.* 1064, *de Evergete. Idem, lib.* XII *Antiq. c.* 2, *de Philadelpho.*

℣. 22. Et percutiet Dominus Ægyptum plagâ, & sanabit eam, & revertentur ad Dominum, & placabitur eis, & sanabit eos.

℣. 23. In die illâ erit via de Ægypto in Assyrios, & intrabit Assyrius Ægyptum, & Ægyptius in Assyrios, & servient Ægyptii Assur.

℣. 24. In die illâ erit Israël tertius Ægyptio, & Assyrio: benedictio in medio terræ,

℣. 25. Cui benedixit Dominus exercituum, dicens: Benedictus populus meus Ægypti, & opus manuum mearum Assyrio: hæreditas autem mea Israël.

COMMENTARIUS.

criminum, quibus Ægyptii implicabantur?

℣. 22. PERCUTIET DOMINUS ÆGYPTUM PLAGA, ET SANABIT EAM. Feriit Ægyptum Dominus gladio Nabuchodonosoris, Cambysis, & Artaxersis Ochi. Post hunc, quieta omnia in Ægypto fuere, Alexander Magnus facile illam & sine cæde subegit; nec pluris stetit Ptolemæo filio Lagi. Sub novissimis Regibus Persidis, & sub Alexandro, uni Principi parebant Ægyptus, Judæa & Assyria, idest, tota trans Euphratem regio; eæque simul gentes rebus inter se compositis tranquillâ pace fruebantur. Huc spectare videtur Propheta sequenti versiculo, futurum prædicens, ut via pateat ex Ægypto in Assyriam, & ex Assyriâ in Ægyptum; addeosque: *In die illâ erit Israël tertius Ægyptio, & Assyrio*; & tunc erit *benedictio in medio terræ*. Gentibus istis pax erat, & felix rerum copia. Eusebius, & S. Hieronymus (m) explicant de rebus ætatis suæ, cùm Ægyptus Romanis parêret, ejusdemque in præsidiis Syrus miles constitutus esset. Ambo hi Patres Assyriam hîc ita accipiunt, veluti pro Syriâ poneretur. Quod sanè familiarissimum est profanis Scriptoribus. Sed utrùm e Scripturâ similia exempla adduci queant, ambigo. In Hebræo Syria *Aram*, & Assyria *Assur* appellantur.

Sed Isaiæ verborum plena significatio augustius aliquid exposcit, quàm meram gentium conjunctionem in unicum Imperium, & rerum humanarum ubertatem. Sermo est enim hîc de Israële, veluti de societatis vinculo, de mediatore, & sequestro pacis Ægyptios inter & Assyrios, deque benedictione, & felicitate regionis utriusque, ℣. 24: *Erit Israël tertius Ægyptio & Assyrio; benedictio in medio terræ*. Beneficiis cumulaturum se Dominus non Israëlem modò, sed & Ægyptios & Assyrios, & utrumque nomine populi sui donandum, pollicetur, ℣. 25: *Benedictus populus meus Ægypti; & opus manuum mearum Assyrio; hæreditas autem mea Israël*.

Hæc omnia nunquam absolutè expleta sunt, nisi postquam eæ gentes fidei & religioni Jesu Christi nomen dedêre. Tunc Israël populus Dei, Judæi fideles, & ad fidem conversi, Apostoli e stirpe Judaicâ orti, sequestros & novi Fœderis ministros sese exhibuerunt; atque ita facti sunt benedictio & felicitas gentium illarum, quibus Evangelium pacis nunciarunt. Remotior quælibet gens avidæ confluxerunt, ut exciperent verbum, quo salus illis conferenda erat; constantique in Jesum Christum fide appellationem populi & filiorum Dei obtinuerunt. Animadverte hîc progressum Oraculi de Ægypto lati. Primò quidem Isaias futurum pronunciavit (n), ut Ægyptii venirent, Dominum in Templo Sionis adoraturi; hîc (o) autem aliud longè admirabilius prædicit, Dominum scilicet in Ægypto agnoscendum fore & adorandum, ibique futurum illi dicit Templum & Altare. Addit, Hebræos & Ægyptios in unum Imperium coalituros, & communi fruituros appellatione populi Domini. Hæc omnia per varios temporum gradus fidem assecuta sunt; sub Sennacheribo, sub Regibus Persidis & Ægypti, Alexandri successoribus, ac denique sub Jesu Christo, Ægyptios Judæosque ad fidem vocante.

CAPUT XX.

Isaias pedibus totoque nudus corpore graditur, ad designandam Ægyptiorum ac Æthiopum sub Rege Assyriæ captivitatem.

℣. 1. IN anno, quo ingressus est Tharthan in Azotum, cùm misisset eum Sargon rex Assyriorum, & pugnasset contra Azotum, & cepisset eam:

COMMENTARIUS.

℣. 1. IN ANNO, QUO INGRESSUS EST THARTHAN IN AZOTUM, CUM MISISSET EUM SARGON REX ASSYRIORUM. Necessarium ducimus de Sargone illo Rege Assyriorum inquirere. Unum hoc esse e nominibus Sennacheribi plerique arbitrantur; cui septem nomina tribui asserit S. Hieronymus (a). Hujus opinionis validissimum argumentum est, I, quòd idem Tharthan, qui cum Rabsace Jerosolymam missus est (b), hîc pariter in obsidione Azoti sese exhibet; II, quòd ipsum hoc Oraculum continuatio est præcedentis adversùs Ægyptum lati. Eo autem oraculo definitur tempus, quo implenda erant ea omnia, quæ Isaias in Ægyptum vaticinatur. Hæc in patrocinium sententiæ hujus afferuntur; quibus tamen victas dare manus recusans Sanctius, censet, Sargonem

(m) *Euseb. & Hieronym. hic.* (n) *Isai.* XVIII, 7. (o) *Isai.* XIX, 18, 19, 20, 21, *& sequ.* (a) *Hieron. hic: Sargon Rex Assyriorum, qui septem nominibus appellatur. Vide S. Thom. Hugon. &c.*
(b) 4 *Reg.* XVIII, 17.

℣. 2. In tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filii Amos, dicens: Vade, & solve saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic, vadens nudus & discalceatus.

COMMENTARIUS.

gonem hunc potiùs unum aliquem fuisse e Regibus Assyriis, ceu Teglathphalassarum vel Salmanasarum, qui Regnum Israëlis everterunt. Demonstrat autem, Sennacheribum stringere nunquam potuisse Azotum obsidione, sive ante sive post Ægyptiacam expeditionem. Hujus quidem argumenta non omnia fidem extorquent; sed opinionem, quam rejicit, egregiè confutat.

Nobis aliud planè probatur. *Sargon* unus idemque est cum Assaradone Rege Assyriorum, filio & successore Sennacheribi, Principe apud Scripturam notissimo. Porrò is Assyriæ solium ascendit, postquam Sennacheribum liberi interfecerunt (c); misitque in Samaritidem Sacerdotem, ut Cuthæos, aliasque exterorum Colonias, in Regionem olim ab Israëlitis decem Tribuum occupatam ductas, doceret (d). Nomen *Sargon*, vel, uti legunt Aquila & Theodotion, *Sacgon*, cum *Assaraddon* vel *Asor-Addan*, vel *Asnaphar*, uti Esdras appellat (e), non obscurè congruit. Tharthan nomen erat potiùs Magistratûs, quàm hominis proprium; idque pariter de nomine Rabsacis, vel Rabsatis censeo, Suspicor autem *Thathan* illum, qui præfecturam trans Euphratem gessit sub Cyro ejusque successoribus (f), idem obtinuisse munus, eamdemque dignitatem apud Persas ac *Tharthan* apud Assyrios. Utriusque nomen derivari potest e muneribus (g) vel tributis, quæ Regis nomine exigebant. Pro *Tharthan*, Septuaginta hîc legunt *Thanathan*; cujus vocis cum nomine *Thathanai* similitudo persuadet, ut genuinam hanc esse lectionem censeam.

Igitur Assaraddon, vix Assyriæ Regno potitus, inter primas Regni curas hanc habuit, ut in Ægyptum & Regionem *Chus* ulcisceretur injuriam, qua Sennacherib pater suus in Judæâ affectus est. Missus proinde Tharthan cum copiis in Ægyptum, jussus est aggredi, quæ in viâ occurrebat, Urbem Azotum, Judæis tunc facilè subditam; quippe quam Ezechias sub Regno Salmanasari subegerat (h). Hinc Tharthan processit in Ægyptum & in Æthiopiam, sive in Regionem Chus, quibus mala hoc Capite expressa intulit. Hanc expeditionem, uti & alteram in Manassen Regem Juda (i) aliquandiù post obitum Ezechiæ, Assaraddon per se gessisse non videtur. Ducibus utramque commisit. Porrò Ezechiam in ipsâ Urbe Jerosolymâ aggredi non ausus Tharthan, quòd illum non ambiguo Dei favore validum intelligeret, invasit Ægyptum, tunc inter duodecim minores debilesque, & facilè inter se non coëuntes Reges distractam (k). Psammitichus, qui Regnum Ægypti in se uno junxit, victis duodecim Principibus, pro suâ pariter vice Azotum obsedit, nec nisi post undetriginta obsidionis annos cepit (l). Obsidio est hæc omnium, quas noverimus, maximè diuturna, inquit Herodotus. Si quis velit ad hanc Tharthani in Ægyptum expeditionem transferre partem eorum, quæ superiùs Sennacheribo tribuimus, per nos licet; ingenuè enim fatendum est, non satis pro voto in Scripturâ adjuncta illustrium istorum eventuum explicari. Hanc Azoti obsidionem spectabat fortasse Amos (m), cùm in eam urbem vaticinaretur.

Annus igitur obsidionis Azoti congruit facilè cum eo qui mortem Sennacheribi consecutus est, & secundo Regni Assaraddonis. Expeditiones Ægypti & Æthiopiæ opus sunt fortè unius ejusdemque anni; neque enim satis convenit, quid significent verba versiculi 3: *Ambulavit Isaias nudus & discalceatus, trium annorum signum, & portentum super Ægyptum & super Æthiopiam.* Sed hæc impræsentiarum non expendimus. Porrò oraculum hoc, & quæ sequuntur, lata fuerunt post annos circiter duodeviginti ab oraculis, quæ Capitibus præcedentibus exprimuntur.

℣. 2. SOLVE SACCUM DE LUMBIS TUIS, &c.... VADENS NUDUS ET DISCALCEATUS. Mos erat Prophetis uti vestibus non modestis modò & simplicibus; sed vilibus etiam & hispidis (n). Saccus vestis genus erat in luctibus familiare: *Unam habens tunicam, & ipsam ciliciaam*, ait S. Hieronymus. Vaticinabatur Isaias nedum verbis, sed factis etiam & ærumnis. Illum, uti & cæteros Prophetas, diceres *virum prodigiorum*, in quem oculi totius Juda conversi erant, & in quo nihil silebat. De nuditate illius dissidium est sententiarum; neque enim sive quamdiù producta sit, sive quid nuditatis fuerit, definitum est. Sunt qui (o) censeant, nudum penitus incessisse, ut non corpore modò, verùm etiam iis membris, quæ celari pudor jubet, vestibus careret. Quâ in re promptum Prophetæ ad jussa Domini obsequium inter cætera admirantur Eusebius & S. Hieronymus. Opus erat utique, inquiunt, omnibus planè detractis vestibus nudum sese exhibere Prophetam, ut plenam exprimeret imaginem nuditatis illius, ad quam Ægyptii gentesque illæ, quæ hic Æthiopes appellantur, redigendæ erant. *Sic minabit Rex Assyriorum captivitatem Ægypti, & transmigrationem Æthiopiæ, nudam, & discalceatam, discoopertis natibus, ad ignominiam Ægypti*, ait Propheta, ℣. 4.

Alii sententiam planè oppositam probantes, putant, nihil tale reipsâ commisisse Prophetam; sed omnia per quietem noctis acta esse; narrare autem Isaiam populo ea quæ sibi dormienti obversata sunt, quibus & interpretationem adjecit. Malunt aliqui (p), incessisse quidem nudum, sed tectis cingulo verendis; alii (q) indusium vel tunicam concedunt, pedibus nudis. Nudus sæpè ille dici-

(c) 4 *Reg.* XIX, 37; & *Isai.* XXXVII, 38. (d) 1 *Esdr.* IV, 2; 4 *Reg.* XVII, 26. (e) 1 *Esdr.* IV, 10.
(f) 1 *Esdr.* V, 3, 6; VI, 6, 13. (g) תרתן, vel תרתני ex Nathao, *dedit* נתן. Tributa apud Veteres dicebantur munera, teste passim Scripturâ. Vide nos in 1 *Reg.* X, 27. (h) 4 *Reg.* XVIII, 8.
(i) 2 *Par.* XXXIII, 11. (k) *Isai.* 2, 3, 4. (l) *Herodot. lib.* 2, *c.* 157: Ψαμμίτιχος δὲ ἐβασίλευσε Αἰγύπτου τέσσαρα καὶ πεντήκοντα ἔτεα. τῶν τὰ ἑνὸς δέοντα τριήκοντα, Ἄζωτον, τῆς Συρίης μεγάλην πόλιν, προσκαθήμενος ἐπολιόρκεε, ἐς τὸ ἐξεῖλε. Αὕτη δὲ ἡ Ἄζωτος ἁπασέων πολίων ἐπὶ πλεῖστον χρόνον πολιορκεομένη ἀντέσχε, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν. (m) *Amos*, I, 8. (n) Vide Præfationem in Prophetas, & 4 *Reg.* 1, 8; *Zach.* XIII, 4. (o) *Vide Haymon. Dionys. Adam. Cornel. Euseb. & Hieronym. hic: Simul discimus obedientiam Prophetarum, quòd vir nobilis non erubuerit nudus incedere, sed Dei præceptis nihil honestius judicans, deposuerit saccum, quo abjecto nudus fuerit, unam potiùs habens tunicam, & ipsam cilicinam.* (p) *Montan. Pintus, Estius.* (q) *Hugo, Forer. Sanct.*

℣. 3. Et dixit Dominus: Sicut ambulavit servus meus Isaias nudus, & discalceatus, trium annorum signum, & portentum erit super Ægyptum, & super Æthiopiam:

℣. 4. Sic minabit rex Assyriorum captivitatem Ægypti, & transmigrationem Æthiopiæ, juvenum, & senum, nudam, & discalceatam, discoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.

℣. 5. Et timebunt, & confundentur ab Æthiopiâ spe suâ, & ab Ægypto gloriâ suâ.

℣. 6. Et dicet habitator insulæ hujus in die illâ: Ecce hæc erat spes nostra, ad quos confugimus in auxilium, ut liberarent nos a facie regis Assyriorum: & quomodo effugere poterimus nos?

COMMENTARIUS.

dicitur, qui vestes consuetas deposuit: ita Saulem cœtui Prophetarum nudum se immiscuisse (r); S. Petrum nudum in naviculâ fuisse (s); & Davidem nudum sese exhibuisse in pompâ translationis Arcæ Jerosolymam (t) legimus. Denique, uti scitè animadvertit Seneca (u): *Qui male vestitum & pannosum vidit, nudum se vidisse dicit*. Hæc postrema sententia ab honestate quidem commendatur: sed utrùm satis ad literam? an satis exprimit ea, quæ Deus hac Prophetæ sui nuditate scire homines volebat?

℣. 3. SICUT AMBULAVIT ISAIAS NUDUS, ET DISCALCEATUS, TRIUM ANNORUM SIGNUM, ET PORTENTUM ERIT SUPER ÆGYPTUM ET SUPER ÆTHIOPIAM: ut Isaias nudus exutusque soleis incessit, ut esset veluti prodigium, nuncians triennalem futuram calamitatem Ægypti ac Æthiopiæ; ad literam (x), *Trium annorum signum* vel prodigium; sive jungendo hæc cum præcedentibus. *Sicut ambulavit Isaias nudus & discalceatus triennio, signum* hoc est *& portentum super Ægyptum*. Utramque expositionem admittit Hebræus; sed postremam magis congruere Textui censeo; quam & retinuisse Chaldæus videtur, probaruntque Septuaginta (y) cum Interpretibus nonnullis. Alii unius diei nuditatem Prophetæ tribuunt: sed plerique triduanam fuisse malunt, ut singuli dies annum designarint pro more Prophetarum solemni. Ita pariter Dei consilio Hebræi annis in deserto pererrarunt quadragenis, tot scilicet annis, quot dies in explorandâ Chanaanitide impensi sunt (z): *Annus pro die computabitur*. Et Ezechiel jussus a Deo est in latus dextrum cubare diebus quadraginta, futuræ calamitatis Juda per annus quadraginta documentum (α): *Diem pro anno; diem, inquam, pro anno dedi tibi*. Bellum Ægypti statim post captam Azotum ineundum erat, & ad triennium prorogandum; quo sæviente, Ægyptus ac Æthiopia, armorum Assyriorum præda, miseram sui speciem exhibituræ erant. Æthiopia hìc est Regio *Chus*, quæ ad extremam oram Maris Rubri, & ad inferiorem Ægyptum usque porrigitur. In hanc provinciam lata sunt oracula Capitis XVIII; ibique imperabat Tharaca ille, qui adversa in Sennacheribum arma tulit.

℣. 4. MINABIT REX ASSYRIORUM CAPTIVITATEM ÆGYPTI, ET TRANSMIGRATIONEM ÆTHIOPIÆ NUDAM; abducet Dominus ab Ægypto ac Æthiopiâ magnam captivorum vim nudam adeò, ut neque verendis parcat. Assaraddon, sive per se sive per Imperatores suos Ægyptum invadens, ingentem captivorum prædam egit trans Euphratem ceu gregem pecudum, seu vendendos seu destinandos servituti. Neque novum est in eâ regione, imò pro more ejus ætatis est, quod insuetum esset sub nostro cœlo moribusque nostris, ut nudi homines exponantur. Id enim mercium genus hodie pariter in Oriente non aliter venditur; & mancipia olim nuda penitus incedere solebant. De Babylonicâ Captivitate ita agunt Prophetæ, ut veteris hujus moris radius in illis luceat. Alloquens Isaias (β) fœminas Babylonicas, *Tolle molam*, ait, *mola farinam, denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura*, &c. Et Nahum (γ) ad Niniven verba faciens: *Revelabo pudenda tua in facie tuâ, & ostendam gentibus nuditatem tuam, &c.*

℣. 5. ET CONFUNDENTUR AB ÆTHIOPIA SPE SUA, ET AB ÆGYPTO GLORIA SUA; probro obruentur, quòd in Æthiopiâ & Ægypto spem gloriamque suam collocaverint. Vel potiùs: Cadent spe auxiliorum, quæ ex finitimis populis Chus & Ægypti expectabant. Ad Judæos hæc dicta creduntur: quî verò illis conveniant quæ statim subduntur? ℣. 6: *Dicet habitator insulæ hujus in die illâ, ecce hæc erat spes nostra, &c.* Judæam nihil minus esse quàm Insulam, constat. Sed meritò illi id nominis dare potuit Isaias, quòd criminum similitudine accederent Judæi ad gentes Insularum remotissimarum, ad populos, quos Deus longiùs a se removerat; denique ad gentes ab hæreditate Domini prorsus alienas; eâdem fermè ratione, ac Judæi alibi appellantur *radix Chanaan*, & Jerusalem *nova Sodoma*. Genuinus est hic loci hujus sensus.

CA-

(r) 1 *Reg.* XIX. (s) *Joan.* XXI. (t) 2 *Reg.* VI. (u) *Senec. lib.* 5 *de benefic. c.* 23.
(x) כאשר הלך ערום ויחף שלוש שנים אות ומופת על מצרים
(y) 70 *Edit. Rom.* Ὃν τρόπον πεπόρευται ὁ παῖς μου Ἡσαΐας γυμνὸς καὶ ἀνυπόδετος τρία ἔτη, τρία ἔτη ἔσται εἰς σημεῖα, *&c. Alii libri semel legunt*, τρία ἔτη. *Edit. Complut.* Ὃν τρόπον πεπόρευται Ἡσαΐας ὁ παῖς μου γυμνὸς καὶ ἀνυπόδετος, τρία ἔτη ἔσται εἰς σημεῖα, *&c.* (z) *Num.* XIV, 34.
(α) *Ezech.* IV, 5, 6. *Vide Sanct. & Cornel. hic.* (β) *Isai.* III, 17; & XLVII, 2. (γ) *Nahum*, III, 5.

CAPUT XXI.

Vaticinia in Babylonem, in Regionem Cedar, & in Arabiam.

℣. 1. ONus deserti maris. Sicut turbines ab Africo veniunt, de deserto vênit, & terrâ horribili.

℣. 2. Visio dura nuntiata est mihi: qui incredulus est, infideliter agit: & qui depopulator est, vastat. Ascende, Ælam; obside, Mede: omnem gemitum ejus cessare feci.

℣. 3. Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me sicut angustia parturientis: corrui, cùm audirem, conturbatus sum, cùm viderem.

℣. 4. Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me: Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ONUS DESERTI MARIS; vaticinium scilicet in desertum maris. Nomine *deserti maris* designati constat Babylonem, ita dictam ex situ ad Euphratem, & ex paludibus, quæ in desertis illius vel agris stagnabant; vel potius e futuro, ad quem redigenda erat, statu. Vide quæ animadvertimus superiùs ad Caput XIII, 21. Hanc opinionem fulcit Jeremias, LI, 42, iis verbis: *Ascendit super Babylonem mare: multitudine fluctuum ejus operta est*; & paulò superiùs, ℣. 36: *Desertum faciam mare ejus, & siccabo venam ejus*. Megasthenes ab Abydeno laudatus (a) affirmat, locum, ubi condita fuit Babylon, aquis olim putruisse, ut maris nomen obtineret. Igitur Isaias Babylonem *desertum maris* idcircò appellat, quòd redigenda foret in solum desertum in medio paludis; vel potiùs in Urbem aquis obrutam. Denique reddi potest: *Vaticinium in planitiem maris* (b); quòd Babylon jaceret in planitie aquis irriguâ.

Sed quo potissimùm tempore hoc vaticinium impletum est? Explicatur plerumque de captâ per Cyrum Babylone; eòque pariter refertur oraculum Capitibus XIII & XIV recitatum. Hoc in præsenti sequimur.

SICUT TURBINES AB AFRICO VENIUNT, DE DESERTO VENIT, DE TERRA HORRIBILI. Hebræus (c): *Ut turbines in meridie, qui obvolvunt e latere deserti, & qui veniunt de terrâ formidabili*. Turbines, qui obvia quæque secum rapiunt & obvolvunt, quique feruntur e meridie, ex atrâ regione ac terribili, e Mediâ & Perside, Babyloni meridionalibus. Porrò Regiones hasce si cum Babylonicâ conferas, horribiles & incultas dixeris. Turbini autem comparat exercitum Darii Medi, ab eo Principe & a Cyro ductum.

℣. 2. QUI INCREDULUS EST, INFIDELITER AGIT; ET QUI DEPOPULATOR EST, VASTAT. Balthasar, Princeps infidelis, a scelere & injuriis minimè cessat: a Dario & Cyro interficietur. Hebræus (d): *Prævaricator est infidelis; & vastator vastat*. Vel ex S. Hieronymo: *Percussor percute, populator populare*. Veni, Dari, orbis terror, ultionemque meam in Babylonem exerce. Verba sunt Domini ad Regem Medorum.

ASCENDE, ÆLAM; OBSIDE, MEDE. Ælam Persidis, unde Cyrus veniebat, nomen est; pro Medo, Darium intellige. Veni, propera, accede ad cingendam obsidione Babylonem; adest enim tempus excidii ipsius, & præstitutæ in illius crimina ultionis. Septuaginta (e): *Super me Ælamitæ, & Legati Persarum super me veniunt*.

OMNEM GEMITUM EJUS CESSARE FECI; fiet denique, ut Babylon cæteros plorare ulteriùs non cogat. Vel potiùs: Immitis ero in Babylonem; querelis illius & suspiriis surdus. Vel: *Tantis malis opprimetur, ut ne gemitum quidem liberum habeat*, ait S. Hieronymus. Septuaginta (f): *Nunc gemam, & consolabor me ipsum*. Vertunt quidam Hebræum (g): Adducam in Babylonem gentem, quam mala ejus non tangent, quæ nemini parcet.

℣. 3. PROPTEREA REPLETI SUNT LUMBI MEI DOLORE, tristi aspectu malorum, quæ in Babylonem parata sunt; petitâ phrasi e torminibus mulieris parturientis. Vide Nahum, II, 10; Jeremiam, XXX, 6. Toto hoc Capite Propheta misericordiâ in Babylonem moveri se exhibet. Dum hæc vaticinabatur, ea Urbs amica erat & fœderata Ezechiæ; neque quidquam adhuc grave Hebræis intulerat. Terribilem se sub Nabuchodonosore primùm exhibuit. Sed Isaias simul & semel crimina Babylonis & supplicium prædicit.

℣. 4. BABYLON, DILECTA MEA, POSITA EST MIHI IN MIRACULUM; in argumentum stuporis vel terroris. Hebræus (h): *Auroram desiderii mei posuit mihi in terrorem*. S. Hieronymus nomen *Babylonis* pro *aurorâ* posuit, sive pro *tenebris*, uti vertunt Aquila & Theodotion. Urbs ista, quam ego perinde habebam atque auroram blandam & pulcherrimam, graviter me afflixit, me scilicet, cujus auribus insonuerant Domini in illam minæ, quique noveram, quanta in ejus exitium parabantur. Septuaginta (i): *Anima mea incubuit in timorem*. Præstat ita explicare Hebræum, conjunctis hisce cum præcedentibus: Elanguit cor meum: tenebræ me terruerunt; & *aurora*, quâ dulces mihi mollesque somnos ominabar, & quam *tantopere exoptabam, conversa est mihi in argumentum terroris*. Exhibet se velut hominem occupatum re aliquâ tristi & molestâ, qui diu no-

ctuque

(a) *Apud Euseb. præp. lib.* IX, *c.* 41.
(b) מדבר pro planitie usurpatur *Isai.* LXIII, 13; *Jerem.* XIII, 24; *Thren.* IV, 19; V, 9.
(c) כסופות בנגב לחלוף ממדבר בא מארץ נוראה
(d) הבגד בגד והשדד שדד
(e) Ἐπ' ἐμὲ οἱ Ἐλαμῖται, καὶ πρέσβεις τῶν Περσῶν, ἐπ' ἐμὲ ἔρχονται.
(f) Νῦν στενάξω, καὶ παρακαλέσω ἐμαυτόν. (g) כל אנחתה השבתי
(h) את נשף חשקי שם לי לחרדה Septuaginta legunt נפשי Ἡ ψυχή μου, Anima mea.
(i) Ἡ ψυχή μου ἐφέστηκεν εἰς φόβον.

℣. 5. Pone mensam, contemplare in speculâ comedentes & bibentes: surgite principes, arripite clypeum.

℣. 6. Hæc enim dixit mihi Dominus: Vade, & pone speculatorem: & quodcumque viderit, annuntiet.

℣. 7. Et vidit currum duorum equitum, ascensorem asini, & ascensorem cameli: & contemplatus est diligenter multo intuitu.

℣. 8. Et clamavit leo: Super speculam Domini ego sum, stans jugiter per diem: super custodiam meam ego sum, stans totis noctibus.

℣. 9. Ecce iste venit ascensor vir bigæ equitum, & respondit, & dixit: Cecidit, cecidit Babylon, & omnia sculptilia deorum ejus contrita sunt in terram.

℣. 10. Tritura mea, & filii areæ meæ, quæ audivi a Domino exercituum Deo Israël, annuntiavi vobis.

COMMENTARIUS.

ctuque quiete caret. Confer Jobum, VII, 4.

℣. 5. PONE MENSAM, CONTEMPLARE IN SPECULA COMEDENTES ET BIBENTES: SURGITE, PRINCIPES, ARRIPITE CLYPEUM. Repetendus est sensus a ℣. 2, quem interruperat Propheta, ut vivum animi sui dolorem exprimeret: *Ascende, Ælam; obside, Mede.* Discumbite & vescimini, milites, ad vim Babyloni inferendam destinati; bibite, comedite; vigiles constituite: surgite, Principes, arripite clypeos; proficiscendum est. Gentes basce ita alloquitur Isaias, veluti præsentes coram cernat, monetque ut cibum capiant, quasi longum iter inituræ: jubet sumere clypeos & arma; ad verbum (k), *ungere clypeum.* Oleo liniebantur clypei, sive lignei essent tectique corio vel calybe, sive ex ære conflati. Oleum enim nitidos reddebat, prohibebatque, ne adhærens aquâ rubiginem induceret (l):

Pars laves clypeos, & lucida spicula tergent
Arvinâ pingui.

Aliter, alludit Propheta ad ea quæ in expugnandâ Babylone gesta sunt. Læta omnia erant in Urbe: Balthasar in convivio lætus. Missi interim, qui venientem hostem specularentur. Cùm urbem jam subiisse hostem nunciatum est, statim ire omnes in arma jussi: *Surgite Principes, &c.* At serò nimis; jam enim hostibus cesserat Babylon.

℣. 6. VADE, ET PONE SPECULATOREM: ET QUODCUMQUE VIDERIT, ANNUNTIET. Gesta sunt hæc non re ipsâ, sed Prophetæ contemplantis in mente. Imperat Dominus Isaiæ, ut statuat vigilem in speculâ, illumque ex alto prospicientem interroget, quid videat? Speculatorem igitur in loco apto constituit; illumque audit clamantem, prospici e longinquo currum, equites vehentem duos, &c.

℣. 7. VIDIT CURRUM DUORUM EQUITUM: ASCENSOREM ASINI, ET ASCENSOREM CAMELI. Vertere Hebræum malo (m): *Vidit currum duobus vectum equis*, vel jumentis duobus; *asino & camelo.* Vigil in speculâ constitutus ab Isaia, seu potiùs missi a Balthasare exploratores, ut de hoste referrent, narrarunt, venire Babylonem currum, quem asinus & camelus trahebant. Id ut auditum est, ac narrante exploratore compertum, currus jam pervenisse, socius Isaiam monet, actum esse, captam scilicet esse Babylonem, ℣. 9. Septuaginta (n) & Author Vulgatæ legebant in Hebræo: *Hominem ascensorem asini, & hominem ascensorem cameli*; quæ lectio sensum reddit meliorem quàm altera, *Currum asini, & currum cameli*; neque enim trahendo currui aptus est camelus. Contra verò camelis gentes nonnullæ tum vecturis tum in bello utebantur (o), ceu Bactriani, Arabes. Cyri exercitus camelis consertus erat, quorum fuit opportunus illi usus in Crœsum; nam oppositi equitatui hostium, equos gravitatem odoris sui non ferentes fugarunt (p). Censent Interpretes, hominem ascensorem asini esse Cyrum, quem vetus quoddam Oraculum nomine muli expresserat (q), quòd natus esset matre quidem Medâ, patre Persâ. Vectus camelo vir erat Darius Medus, seu Cyaxares. Porrò currum istum ipsum esse eumdemque, de quo ℣. 9, apertissimè constat.

℣. 8. ET CLAMAVIT LEO: SUPER SPECULAM DOMINI EGO SUM; clamavit ceu leo: Speculator Domini ego sum. Vertunt alii: *Clamavit: Video leonem.* Video hominem ceu leonem terribilem. Leo est Cyrus. Hebræi malunt esse Habacucum, quem sub huius nominis ænigmate idcircò designatum ab Isaia dicunt, quòd numerus e literis utriusque nominis collectus par idemque sit. Sunt equidem in Habacuco (r) eædem phrases, quæ hìc leguntur. At nonne omnes Prophetæ speculatores Domini sunt (s)? Nonne illorum unusquisque eadem, quæ de se Habacuc, usurpare potest? Septuaginta (t): *Voca Uriam in speculam Domini.* Constitue speculatorem eumdem Uriam, quem tu adhibuisti testem oraculi de filio tibi nascituro (u). Theodotion pro *arie*, id est leone, legit *ariel*, id est, leo Dei. Levi admissâ mutatione, Hebræus verti potest (x): *Videas*, speculator, vigil *clamavit: Speculator pro Domino ego sum, &c.*

℣. 9. ECCE ISTE VENIT ASCENSOR BIGÆ; ascensor scilicet currûs a duobus equis, seu potiùs ab asino & camelo vecti, ℣. 7. Illum interrogavi, quid novi afferret; statimque ille: Cecidit Babylon; Babylon cecidit. Actum est, hostis accessit ad Urbem: Cyaxares, & Cyrus impetum in illam faciunt. Hæc omnia spectrum fuisse somniantis, superiùs monuimus; casus enim Babylonis nonnisi post edita hæc vaticinia contigit.

℣. 10. TRITURA MEA, ET FILII AREÆ MEÆ; QUÆ

(k) משחו מגן (l) *Virgil. Æneid.* VII. (m) רכב צמד פרשים רכב חמור רכב גמל (n) 70: Ἀναβάτην ὄνου, καὶ ἀναβάτην καμήλου. Legunt *Rechab*, pro *Recheb*. (o) *Plin. lib.* 8, *c.* 18. (p) *Herodot. lib.* 1, *c.* 80. (q) *Oraculum Crœso datum, apud Herodot. lib.* 1, *c.* 55, *&* 91: Ἀλλ' ὅταν ἡμίονος βασιλεὺς Μήδοισι γένηται. *Et Nabuchodonosor jam jam moriturus dixit: Veniet Perses mulus, vestris Dæmonibus ut commilitonibus usurus, & servitutem inducet. Megasthenes apud Euseb. præpar. lib.* 9, *c. ult.* (r) *Habacuc*, II, 1. (s) *Isai.* XXI, 11; LVI, 10; *Jerem.* VI, 17; *Ezech.* III, 17; XXXIII, 2; *Osee*, IX, 8. (t) Καὶ κάλεσον Οὐρίαν εἰς τὴν σκοπιὰν κυρίου. (u) *Isai.* VIII, 2: *Adhibui mihi testes fideles, Uriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ.* (x) ויקרא אריה ארני אנכי (Lego הראה) על מצפה

ꝟ. 11. Onus Duma ad me clamat ex Seir : Custos quid de nocte ? custos quid de nocte ?

ꝟ. 12. Dixit custos : Vênit mane, & nox : si quæritis, quærite : convertimini, venite.

ꝟ. 13. Onus in Arabiâ. In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim.

ꝟ. 14. Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram Austri, cum panibus occurrite fugienti.

ꝟ. 15. A facie enim gladiorum fugerunt, a facie gladii imminentis, a facie arcûs extenti, a facie gravis prælii.

ꝟ. 16. Quoniam hæc dicit Dominus ad me : Adhuc in uno anno, quasi in anno mercenarii, & auferetur omnis gloria Cedar.

COMMENTARIUS.

Quæ audivi a Domino, annuntiavi vobis. Vos, quos mala premunt, quos ego terendos ceu paleam in areâ permitto, vos scire volo, quæ ego a Domino didici. Verba sunt Isaiæ ad Judæos, seu potiùs ad Babylonios. Hebræus ad verbum (y) : *Tritura mea, filii areæ meæ*; seu, messis mea, quæ jaces in areâ, mox terenda & conculcanda : Babylon, cujus capiti furor iræ Domini imminet, cave : ut flectere Judicem supremum studeas, hortor. Hoc prono & naturali epilogo claudit Propheta vaticinium in Urbem tunc temporis Judæis fœderatam. Scitum est, Merodac Baladanum, Babylonis Regem, amicum fuisse Ezechiæ (z) ; resque habuisse eum illo conjunctas toto Regni tempore, non absimile vero arbitramur. Assaraddon Rex Assyriæ, Babylone potitus, Judæorum res mutavit. Manasses enim, filius & successor Ezechiæ, in captivitatem a militibus Assaraddonis actus, catenis onustus, Babylonem ductus est (a). Ex eo tempore Babylon impietatis suæ mensuras magis magisque complens, Hebræos nunquam non vexavit.

ꝟ. 11. Onus Duma. Urbs est Idumææ, viginti millibus passuum ab Eleutheropoli, ultra quam surgere montes Seir, affirmat S. Hieronymus. Quæ in regionem hanc mala prænunciat Isaias, miseram oppresserunt, post annum a vaticinio, id est undevigesimo Ezechiæ Regis Juda. Vide Isaiam, xx, 1. Probabile est, Assaraddonem, vel missos ab eo Duces Idumææ excidium, ꝟ. 26 recitatum, intulisse.

Ad me clamat de Seir : Custos quid de nocte ? Quid novi hac nocte vidisti, speculator ? Exhibet se hîc Isaias tamquam speculatorem a Domino constitutum, ut e longinquo motus hostium prospiciat, & ad populum referat. Vigilem interrogant Idumæi, quid noctu acciderit ; respondetque : *Vênit mane & nox*, &c. Mane vênit, & cùm diem opperiremur, successit nox atra, quæ nos caligine jamjam obvolvit. Video nubem obscuram, caliginosæ nocti similem. Familiari Prophetarum sermone nox, atra nubes, caligo significant terribiles calamitates. Addit Speculator : *Si quæritis, quærite ; convertimini, & videte*. Si de meorum verborum fide ambigitis, surgite, vos ipsi prospicite, ora huc vertite, & videbitis. Tam propè adest, ut fermè vos tangat. Intra annum irruet.

Septuaginta (b) : *Verbum in Idumæam. Ad me clamat de monte Seir : Custodite septa* (seu propugnacula). *Custodio mane & noctu*, diu noctuque. *Si quæritis, quærite, & apud me habitate.*

Vertunt quidam Hebræum (c) : *Clamant ad me de Seir : Custos quid de nocte ? Dixit custos : Vênit mane & etiam nox*. Perseveravi in speculâ diu noctuque. *Si nosse cupitis quid novi fiat, vos ipsi venite*. Aliter : *Custos respondit : Hostis mane huc aderit, quamquam nox adhuc est*. Vel : *Mane veniet hostis, & fortè etiam ante exitum noctis*. Sin minùs affirmanti creditis, venite, & appropinquantem videbitis. Solemne est Judæis (d), Idumææ nomen de Romà usurpare, ut de Romanis ea quæ de Idumæis dicuntur, exponant. Quod ab illis per errorem mentis ita creditum est, ut veritatem nosse non patiantur.

ꝟ. 13. Onus in Arabia. Editio Romana Septuaginta hæc verba non legit. Theman & Dedan, de quibus in sequentibus versiculis, ad Idumæam pariter attinent (e). Vox *Arab*, quæ vesperam sonat, & hîc pariter legitur (f), occasionem fortè dedit addendi hæc in Hebræo : *Onus in Arabiâ ; in Arab*, in vesperam.

In saltu ad vesperam dormietis, in semitis Dedanim. Juncta hæc cum præcedentibus in hanc sententiam commodè redduntur : Mane vênit, & ecce nox : pacem opperimur, & ecce motus rerumque turbatio. Vos igitur Idumæos hortor : nocte nondum evolutâ fugite, vosque in saltum ad Dedanim recipite, ubi tutum perfugium nanciscemini ; est enim vicina vobis gens, & amica, quæ fœderatos excipiet.

ꝟ. 14. Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram Austri. Populi Dedan, incolæ Regionis australis Idumææ, occurrite obviam fratribus, ferentes solatium fessis, & ab hoste vexatis. Eadem fermè hîc recurrunt quæ superiùs in vaticinio adversùs Moabitas, Capite xvi, 3, legimus.

In regionibus ferventissimis, ubi raræ sunt aquæ, & rarissimæ occurrunt Urbes, ex quibus comparari queant commeatus, gratissimum accidit peregrinis, si aquæ & cætera vitæ necessaria ipsis exhibeantur. Severâ animadversione Dominus puniit Ammonitas & Moabitas, quòd iter habentibus Israëlitis per desertum non occurrerint, panes & aquam offerentes (g) : *Quia noluerunt vobis occurrere cum pane & aquâ in viâ, quando egressi estis de Ægypto*. Negare illis opem hanc, cùm nec profectio ignoratur nec inopia, perinde est ac res negare, sine quibus mors vix ac ne vix quidem vitatur ; ut idem sit ac exitii illorum participem fieri.

ꝟ. 16. Adhuc in uno anno quasi in anno mer-

(y) מדשתי ובני גרני (z) 4 *Reg.* xx, 12 ; *Isai.* xxxix, 1, *& sequ.* (a) 2 *Par.* xxxiii, 11.
(b) Τὸ ῥῆμα τῆς Ἰδουμαίας. Πρὸς ἐμὲ καλεῖ παρὰ τοῦ Σηείρ. Φυλάσσετε ἐπάλξεις, φυλάσσω τὸ πρωῒ καὶ τὴν νύκτα. (c) אלי קרא משעיר שמר מה מלילה... אמר שמר אתא בקר וגם לילה
(d) *Vide apud Hieron. hic, & Sanct. hic. & Rabb. in Abdiam.* (e) *Vide Genes.* xxxvi, 11 ; *Jerem.* xxv, 23. (f) משא בערב ביער בערב תלינו ארחות דדנים. (g) *Deut.* xxiii, 2, 3, 4.

℣. 17. Et reliquiæ numeri sagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur: Dominus enim Deus Israël locutus est.

COMMENTARIUS.

MERCENARII, ET AUFERATUR OMNIS GLORIA CEDAR; unicum annum ad summum permitto Cedar, annum, inquam, ita definitum, quasi annus esset mercenarii; quo evoluto, omnis gloria illius evanescet. Animadversum est superiùs (h), eas voces, *annus mercenarii*, usurpari pro tempore certo & definito. *Cedar* regio est in Arabiâ Petræâ ad meridiem Nabathæorum, adeoque & Idumææ maximè vicina (i). *Cedrei* vel *Cedareni* portio erant Saracenorum, qui incultum negligentes solum, greges amplissimos alebant (k). Sub pellibus degebant, solis gregibus divites (l). Horum igitur gloriam intra definitam anni periodum lapsuram Isaias prædicit. Probabile est, hos eodem tempore, quo Idumæos, Assaraddonis arma sensisse; eorumque armenta & tentoria diripuisse milites Assaraddonis, a quibus & validissimi spiculatores interfecti, & res Cedarenorum in arctum coactæ sunt, ℣. 17. Atque ita gloria Cedar extincta est. Alterius calamitatis minas addit Jeremias (m); cujus tamen oraculi fides diù pòst sub Nabuchodonosore impleta est.

CAPUT XXII.

In Jerosolymam vaticinium. Sobna exauctoratus, & in alienum solum abductus; cui Eliacim substituitur.

℣. 1. ONus vallis visionis. Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti & tu omnis in tecta?

COMMENTARIUS.

℣. 1. ONUS VALLIS VISIONIS. Hoc vaticinio feriri Jerosolymam, satis inter omnes constat; quin & Septuaginta (a) legerunt: *Verbum in vallem Sion*. Accipi id non potest, nisi per antiphrasim vel ironicè dictum: quis enim nesciat, Sionem nomen esse montis, cujus in jugo David Urbem condidit, appellatam *civitatem Sion*. Igitur *vallis visionis* est hìc urbs Jerosolyma, seu mons Sion, cujus vertici Templum insidebat. Est mons Moriah, seu *mons visionis*, cui id nominis tunc datum est, cùm Abraham eò duxit Isaacum filium immolandum (b). Solemne est Prophetis, figurata indere rebus, de quibus loquuntur, nomina. Ita Babylon appellatur *Desertum maris* (c), non quòd in loco deserto, seu mari jaceret, sed quòd futurum tandem esset, ut stagnantibus in circumjacente agro Euphratis aquis, in desertum redigeretur. Eamdem Babylonem Jeremias (d) nuncupat *montem pestiferum*; quamquam urbs erat in planitie jacens.

Oraculum, de quo in præsenti, impletum est, ex Interpretibus plerisque (e), sub Nabuchodonosore, cùm Jerosolyma Chaldæis cessit, qui & Templum cremavere. At Ælam inter Chaldæos non merebat, quod tamen hìc asseritur, ℣. 6. Vide Jeremiam, XLIX, 34. Rabbinus ille, qui Hebraicè docebat S. Hieronymum, referenda hæc ad ætatem Sennacheribi arbitrabatur (f): at quî cum hac sententiâ congruant ea, quæ hìc leguntur de Urbe captâ, & de hostibus illam invadentibus? Nonne conceptis verbis asserit Scriptura (g) fore ut Sennacherib pedem intra Urbem non inferat, telumve in illam intorqueat, aut clypeum tollat, machinas admoveat, vineas in mœnia instruat? Utique, ajebat Rabbinus, Sennacherib nonnisi unam Urbis partem occupavit, quam illi tradidit Sobna; reliquæ verò partes, mons nempe Sion & Templum, manus Sennacheribi evaserunt; ita ferme, uti olim Capitolium servatum est, Gallis Romam tenentibus. Perfidiæ autem pœnas, Sobnæ mala denunciat Propheta, quæ inferiùs ℣℣. 15, 16, & sequentibus exprimuntur. In Caput XXXVI Isaiæ S. Hieronymus disertè asserit, Sobnam Scribam planè alium esse a Sobnâ præfecto Templi, quem Isaias hoc vaticinio exagitat.

Eusebius Cæsariensis de ultimo excidio Jerosolymæ per Romanos explicat; cui Theodoretus adstipulatur. Suspicatur Grotius, accidisse hæc ante expeditionem Sennacheribi in Ezechiam, & antequam Sobna exauctoraretur. Censet autem, conspirasse Sobnam, ut Urbem Jerosolymam proderet Salmanasaro, quo tempore hic Samariam cepit. At quibus argumentis hoc persuadeat? Ullumne est hujus rei vestigium in Scripturâ? Si perfidiæ reum illum tenuisset Ezechias, num satis habuisset removere hominem a Magistratu? num scribam creasset?

Optimum igitur ducimus, referre hæc ad tempus, quo Manasses a militibus Assaraddonis captivus abductus est. Rem narrat Liber Paralipomenon (h). Miserum illum Regem latentem in dumetis ceperunt Assyrii, vinctumque catenis traxerunt Babylonem. Hæc, quam proponimus, sententia cum hoc Capite optimè congruit. De *Sobnâ* illud suspicamur, illum, postquam Scribæ munus sub Ezechiâ usque ad mota Sennacheribi arma exercuit (i), Regiæ Domûs œconomum creatum fuisse, loco Eliacimi. Magistratum tenuit sub Manasse:

(h) *Isai.* XVI, 14. (i) *Plin. lib.* 5, *c.* 11. (k) *Hieron. in Isai.* LX, 7: *Cedar Regio est Saracenorum, qui in Scripturâ vocantur Ismaëlitæ; & Nabajoth unus est filiorum Ismaël; ex quorum nominibus solitudo appellatur, quæ frugum inops, plena est pecorum.* (l) *Psal.* CXX, 5; *Isai.* LX, 7. (m) *Jerem.* XLIX, 28. (a) 70 *Edit. Rom.* Τὸ ῥῆμα τῆς φάραγγος Σιών.

(b) *Genes.* XXII, 14: *Appellavit nomen loci illius, Dominus videt; unde usque hodie dicitur: In monte Dominus videbit.* (c) *Isai.* XXI, 1: *Onus deserti maris.* Et *Jerem.* LI, 36: *Desertum faciam mare ejus.* (d) *Jerem.* LI, 25. (e) *Hieronym. Sanct. Cornel. alii.* (f) *Vide Hieronym. hìc, & Isai.* XXXVI. (g) *Isai.* XXXVII, 33: *Non intrabit civitatem hanc, & non mittet in eam sagittam, & non occupabit eam clypeus, &c.* (h) 2 *Par.* XXXIII, 11: *Superinduxit eis Principes exercitûs Regis Assyriorum, ceperuntque Manassen, & vinctum catenis atque compedibus duxerunt in Babylonem. Vide Hebr.* וילכדו את מנשה בחוחים וגו (i) 4 *Reg.* XVIII, 18; & *Isai.* XXXVI, 3.

℣. 2. Clamoris plena, urbs frequens, civitas exultans: interfecti tui, non interfecti gladio, nec mortui in bello.

℣. 3. Cuncti principes tui fugerunt simul, durèque ligati sunt omnes, qui inventi sunt, vincti sunt pariter, procul fugerunt.

℣. 4. Propterea dixi: Recedite a me, amarè flebo, nolite incumbere, ut consolemini me super vastitate filiæ populi mei.

℣. 5. Dies enim interfectionis, & conculcationis, & fletuum, Domino Deo exercituum in valle visionis, scrutans murum, & magnificus super montes.

℣. 6. Et Ælam sumpsit pharetram, currum hominis equitis, & parietem nudavit clypeus.

℣. 7. Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum, & equites ponent sedes suas in portâ.

℣. 8. Et revelabitur operimentum Judæ, & videbis in die illâ armamentarium domûs saltûs.

COMMENTARIUS.

nasse: at cùm indignum se illius præbuisset audaciâ & superbiâ, permittente Deo, esptivus unâ cum Rege raptus est Babylonem, pristinamque dignitsiem Eliacim recuperavit. Hic vicissitudinum ordo aptior est, quàm alter, quo constituitur Sobna primò quidem Regiæ Domûs œconomus, deinde verò scribs sub Ezechiâ. Neque enim sub hoc Principe tale quid accidisse Sobnæ apparet, quale hìc legimus apud Isaiam ℣℣. 15, 16, & sequentibus. Vaticinio huic sccommodari possunt ea, quæ legnotur in quarto Regum, xxi, 10, 11: *Locutus est Dominus in manu servorum suorum Prophetarum, dicens: Quia fecit Manasses Rex Juda abominationes istas pessimas super omnia quæ fecerunt Amorrhæi ante eum, & peccare fecit etiam Judam in immunditiis suis; propterea hæc dicit Dominus Deus Israël: Ecce ego inducam mala super Jerusalem, & Judam, ut quicumque audierint, tinniant ambæ aures ejus.*

Quidnam quoque tibi est, quia ascendisti tu omnis in tecta, ut casus tuos plorares & ejulares? Quid tibi mali accidit, Urbs Sion? Obtinuisse in eâ regione constst, ut in tectis domorum ascenderent, qui vel suorum funera, vel publicas calamitates lugerent (k).

℣. 2. Interfecti tui, non interfecti gladio. Non agitur de luctu sliquo publico ob sinistrum belli csfum; neque enim in bello ecciderunt Principes, civesque tui, quorum exitium luges. Msnsses, qui vinctus catenis raptus est Bsbylonem, non conseruit manus cum Ducibus Assyriis, sed fugitans quæsivit latebras. Sobns, qui pariter tractus est Babylonem (l), ibique interfectus, hostibus restitisse minimè dicitur. Exprobrare velut ex obliquo hìc videtur Isaias Principibus hisce segnitiem, admirans, populum hunc tanto luctu plorare, quamquam nullum commissum est prælium, nullum amissum.

℣. 3. Cuncti principes tui fugerunt simul, durèque ligati sunt. Msnasses ejusque Præfecti fugâ in deserta loca elapsi sunt. Miser iste Princeps in dumetis lstens captus est, oneratusque æneis catenis, ut traheretur Bsbylonem (m), unà cum cæteris simul cum illo captis.

℣. 4. Propterea dixi: Recedite a me. Nullum capio solatium ob smissionem Principis mei, & patriæ meæ desolationem. Gravissimum animi sui crucistum his verbis exprimit Isaias. Ignotum est, utrùm vitam eò usque prorogsverit; sed loquitur utì præsens de re, quam in spiritu videbat.

℣. 5. Scrutans murum, et magnificus super montem; video hostem fodientem mœnia, & superbè in monte sancto insultantem. Mœnia Jerosolymæ suffodiunt Assyrii, & superbè ac petulanter montis Templi verticem tenent. Hebræus (n): *Fodit parietem; & clamat in monte.* Septuaginta (o): *A parvo usque ad magnum errant super montes.*

℣. 6. Et Ælam sumpsit pharetram, currum hominis equitis, et parietem nudavit clypeus: phsretram jam jam sumit Ælam, parat currus in usum equitum, & clypeos e muris revellit. Clypei olim suspendebantur e mœnibus, & circum turres (p): *Turris David: mille clypei pendent ex eâ.* Ælamitæ olim Regibus Assyriæ parebant, eosdemque animadvertere jam libuit (q) Medis junctos in obsidione Bsbylonis. Reddi potest Hebræus (r): *Ælam tulit pharetram; homo ascendens currus, disposuit equos suos; homo e Kir evolvit clypeum suum.* Quid sit Ælsm, compertum est; homo ascendens currum, miles est cataphractus, vectus curru bellico, quem trahit equorum biga. *Kir* regio est in Mediâ, ad litus Csspii maris, qnam amnis Cyrus perluit. Hsrum gentium mentio non semel fit in Scripturâ (s), & apud Profanos (t). Regibus Assyriæ paruisse idcirco constat, quòd Teglsthphslassr eò transtulerit Damascenos (u).

℣. 7. Erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigis. Exercitus Regis Assyriæ & Babylonis veniet, Jerosolymsm obsessurus.

℣. 8. Revelabitur operimentum Judæ. Hebræus (x): *Masac Juda revelabitur.* Nomine *Masac* poprié designatur velum snte fores expansum (y). Hic autem positum credimus pro loco umbroso, nti

(k) *Isai.* xv, 3; *Jerem.* xlviii, 38; & vii, 29. (l) Infra, ℣. 18. (m) 2 *Par.* xxxiii, 11. וילכדו את
מנשה בחוחים ויסרהו בנחשתים ויליכהו בבלה (n) מקרקר קר ושוע אל ההר
(o) Ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου πλανῶνται ἐπὶ τὰ ὄρη. (p) *Cant.* iv, 4. (q) *Isai.* xxi, 2: *Ascende, Ælam; obside, Mede.* (r) ועילם נשא אשפה ברכב אדם פרשים וקיר ערה מגן
(s) 4 *Reg.* xvi, 9: *Transtulit habitatores ejus (Damasci) Cyrenem. Heb.* קיר *Amos*, i, 5; ix, 7.
(t) *Vide Cellar. lib.* 3, *c.* 18, *Geograph. antiq.* 474. (u) 4 *Reg.* xvi, 9.
(x) ויגל את כסך יהודה (y) *Vide Exod.* xxv, 36, 37; xxvii, 16; xxxv, 5, 12; xl, 12.

ŷ. 9. Et scissuras civitatis David videbitis, quia multiplicatæ sunt: & congregastis aquas piscinæ inferioris,

ŷ. 10. Et domos Jerusalem numerastis, & destruxistis domos ad muniendum murum.

ŷ. 11. Et lacum fecistis inter duos muros ad aquam piscinæ veteris, & non suspexistis ad eum, qui fecerat eam, & operatorem ejus de longè non vidistis.

ŷ. 12. Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illâ ad fletum, & ad planctum, ad calvitium, & ad cingulum facci:

ŷ. 13. Et ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur.

COMMENTARIUS.

utì porticu ad introitum Urbis, quò populus coit, & ubi se ab æstu solis recipit. Cùm autem hostis eo loco uti in sui commodum posset, visum est illum dejicere ac detegere, ubi venire exercitus prospectos est. In simili fermè eventu Achaz Rex Juda, avus Manassis, metuens, ne Thegláthphalassar Rex Assyriæ ad mœnia Jerosolymæ accederet (z), evertit *Musac sabbati*, quod in Templo excitaverat. Erat autem, utì opinor, porticus aliqua, seu locus tectus, foribus Templi conjunctus, in commodum populi coëuntis diebus festis, ad cœtus in Templo celebrandos.

ET VIDEBIS IN ILLA DIE ARMAMENTARIUM DOMUS SALTUS. Paratum a Salomone in ædibus suis, appellatis *Saltu Libani* (a), vel absolutè *Domo Libani*, armamentarium, cujuslibet generis arma continebat. Ezechias etiam pater Manassis, optima sibi arma paraverat, quibus pro rerum opportunitate uteretur (b). Cùm igitur mœnibus Urbis successerunt Assyrii, reseratum est armamentarium illud inspectumque, & arma in cives distributa sunt.

ŷ. 9. SCISSURAS CIVITATIS DAVID VIDEBITIS; animadvertetis frequentes scissuras in mœnibus Urbis David, quas antea negligebatis, & restaurare non curabatis, sive nimiùm viribus vestris freti, sive temerè securi.

CONGREGASTIS AQUAS PISCINÆ INFERIORIS. Meminit Scriptura (c) *piscinæ superioris*, quæ erat *in viâ agri fullonis*, adeoque & in plagâ urbis orientali, & prope fontem Siloës, jacentem in campo fullonis. Proximum igitur vero est, *piscinam inferiorem* pertinuisse ad fontem Gihon, in plagâ Urbis occidentali & oppositâ. Ezechias effossâ rupe (d), aditum præbuit in Urbem aquis fontis Gihon (e); & Manasses Ezechiæ filius claudi jussit mœnia in loco, ubi fons ille scatebat (f), novamque condidit Urbem, quam *secundam* appellavit (g).

ŷ. 10. DOMOS JERUSALEM NUMERASTIS, ET DESTRUXISTIS DOMOS AD MUNIENDUM MURUM, vel reparandum. Cùm extra urbem vagari neminem sineret hostis, occupans agros, quærenda erat in Urbe materies apta scissuris mœnium farciendis. Census igitur populi primùm, deinde ædium institutus est; & si quæ domus minùs necessariæ censebantur populo continendo, eversæ sunt, ut illorum lapides & ligna ad mœnia Urbis reparanda converterentur.

ŷ. 11. ET LACUM FECISTIS INTER DUOS MUROS AD AQUAM PISCINÆ VETERIS, AT NON SUSPEXISTIS AD EUM QUI FECERAT EAM. Manasses, utì superiùs, ŷ. 9, animadvertimus, condidit *piscinam inferiorem*, eamque clausit intra *secundam Urbem inter duos muros*, veterem nempe Jerosolymæ murum, & novum a se excitatum, secùs aquam *piscinæ veteris*, quam paraverat Ezechias, cùm Sennacherib cum exercitu vênit. Verùm nec Manassi neque ministris ejus in mentem vênit Ezechiæ religiosi illius Principis, qui tanto molimine piscinam construxerat; Divinamque opem implorare in re præsenti, piique Regis exemplum imitari neglexerunt. Atque ita factum est, ut belli utriusque exitus longè diversus esset. Ezechias non sine prodigio e discrimine evasit, ejusque sapientiæ ac religionis fama finitimos Principes ipsosque hostes in obsequio & metu continuit; cùm Manasses præda hostium cesserit.

ŷ. 12. VOCABIT DOMINUS AD FLETUM.... (ŷ. 13) ET ECCE GAUDIUM ET LÆTITIA. Dei consilium fuerat, ut animos colligeretis, vosque ipse maneret, ut pœnitudine ad sese reverteremini; itaque ille Assyriæ Regis exercitum in vos misit. At vos nihil habuistis antiquius, quàm ut oblectaremini, temerè ac stultè confisi futurum, ut conatibus hostium facilè resisteretis, sive ut Dominus vos e manibus Assaraddonis eriperet, quemadmodum Ezechiam Sennacheribo liberavit.

COMEDAMUS, ET BIBAMUS: CRAS ENIM MORIAMUR. Horribilem Manassis ejusque amicorum pervicaciam! cùm enim Ezechiam imitati, Dei opem supplices implorare deberent; & inter pericula, quæ undique circumsistebant, libidine tandem & oblectamentis abstinere, nova graviùs lædendi Dei argumenta ex eo sumebant, quòd iram illius capitibus suis jam imminentem sentirent; & eò avidiùs inhiabant voluptatibus, quò breviùs se illis fruituros norant. Quis non intelligat, omnem in illis fidem ac Dei timorem defuisse? Olim apud Profanos in solemnibus conviviis ornare mensam solebant simulacra quædam occultis tectisque machinis ita ad motum disposita, ut vivam mortis imaginem convivis exhiberent, quâ vitæ brevitatem monerentur (h). Id verò ex hia colligebant, libidini & conviviis omnino indulgendum, utpote brevibus, quasi post hanc vitam nihil reliqui superesset.

Heu, heu! nos miseri! quàm totus homuncio nil est!
. . . .
Sic erimus cuncti, postquam nos auferet orcus.
Ergo vivamus, dum licet esse bene.

Domi-

(z) 4 *Reg.* XVI, 18. (a) 3 *Reg.* VII. (b) 2 *Par.* XXXII, 27: *Thesauros sibi plurimos congregavit argenti & auri, & armorum universi generis.* (c) 4 *Reg.* XVIII, 17; & *Isai.* XXXVI, 2.
(d) *Eccli.* XLVIII, 19; & 4 *Reg.* XX, 20; & 2 *Par.* XXXII, 4. (e) 2 *Par.* XXXII, 30.
(f) 2 *Par.* XXXIII, 14. (g) 4 *Reg.* XXII, 29; & 2 *Par.* XXXIV, 32. (h) *Petron. Vide Plut. 7 sapient. conviv.*

℣. 14. Et revelata est in auribus meis vox Domini exercituum: Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.

℣. 15. Hæc dicit Dominus Deus exercituum: Vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpositum templi, & dices ad eum:

℣. 16. Quid tu hìc, aut quasi quis hìc? quia excidisti tibi hìc sepulcrum, excidisti in excelso memoriale diligenter, in petrâ tabernaculum tibi.

℣. 17. Ecce Dominus asportari te faciet, sicut asportatur gallus gallinaceus, & quasi amictum sic sublevabit te.

℣. 18. Coronans coronabit te tribulatione, quasi pilam mittet te in terram latam & spatiosam: ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domûs Domini tui.

℣. 19. Et expellam te de statione tuâ, & de ministerio tuo deponam te.

COMMENTARIUS.

Domitianus imaginem mortis pingi in laqueari cœnaculi jusserat; eamque ita loquentem Martialis inducit:

Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo.
Ipse jubet mortis te meminisse Deus.

Dei nomine Poëta assentator Domitianum ipsum designat. Scitè autem S. Hieronymus hìc observat: *Nihil sic offendit Deum, quàm post peccata erecta cervix, & ex desperatione contemptus.*

℣. 14. SI DIMITTETUR INIQUITAS HÆC VOBIS, DONEC MORIAMINI, DICIT DOMINUS; juratus assero futurum, ut impietatem vestram usque ad mortem feratis; seu: Spondeo futurum, ut nunquam vobis scelus hoc dimittam; quin & morte vos puniam. Scelera Manassis enormia fuerunt adeò, & nequitia Juda sub eo Rege adeò crevit, ut nullo piaculo deleri potuerint. Quamobrem Dominus extremum tandem consilium perdendi Judam cepit (i). Ferale decretum nec pœnitentia Manassis (k), nec pietas Josiæ successoris (l), nec mala gravissima, quibus affectus est Juda post Josiæ decessum (m), mitigare valuerunt. Crimina quædam sunt, quæ Deus aperto ac terribili ultionis exemplo punit, quamvis peccanti pepercerit. Justitiam suam nunquam non regulis sapientiæ, & superioris cujusdam providentiæ imperio moderatur. Veniam sibi quidem impetrasse videtur Manasses; at patratorum ab eo criminum horror severam ultionem merebatur, quæ in exemplum & documentum futurorum temporum maneret.

Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.

℣. 15. VADE, INGREDERE AD EUM QUI HABITAT IN TABERNACULO, AD SOBNAM PRÆPOSITUM TEMPLI. Sobna Scribam egit usque post Sennacheribi bellum in Ezechiam, uti ex Libris Regum (n) & Isaiæ (o) intelligimus. Sed post bellum loco Eliacimi creatus est *Præfectus Domûs* Regis vel Templi, ex S. Hieronymo (p) aliisque. Hebræus (q): *Vade ingredere ad istum Soeben, ad Sobnam, qui super Domum. Soeben* est propriè Thesauri Præfectus, seu cellarum vini, frumenti, olei, & similium, quæ olim Reges cogebant in usum Domûs vel negotiationis. Reges Ægypti (r), Salomon (s), Josaphat (t), Ezechias (u) urbes quasdam in hujusmodi borreorum usum destinaverant. Omnibus autem muneribus exutus Sobna, captivus raptus est Babylonem; ibique neci traditum fuisse jussu Assaraddonis, ex versiculis sequentibus discimus; ac pristinæ dignitati, Regiæ nempe Domûs præfecturæ, Eliacim restitutus est.

℣. 16. QUID TU HIC, AUT QUASI QUIS HIC? Quid tu hìc agis, quid juris hìc habes? Hebræus (x): *Quid tibi hìc? & quis tibi hìc?* Quid hìc speras, & quem relicturum post te credis? Quòd latè fundatam habeas domum, superbis? an speras memoriam tui perpetuò mansuram, magnifici operis sepulcrum in editâ rupe tibi parans? *Excidisti in excelso memoriale.* Hebræorum sepulcra exteriùs quidem nihil magnificum præferebant, cùm vasti essent specus, in vivâ rupe excisi, eâ elegantiâ, quæ uniuscujusque dignitatem deceret. Quæ adhuc monstrantur peregrinis sepulcra in montibus Jerosolymæ, opera sunt adeò sumptuosa & absoluta, ut admirationem extorqueant.

℣. 17. ECCE DOMINUS ASPORTARI TE FACIET, SICUT ASPORTATUR GALLUS GALLINACEUS, pedibus nempe vinctus. Ferox galli ingenium superbam Sobnæ naturæ affabrè pingit; & probrum galli victi ac ligati (y) vivam exhibet imaginem superbi hominis dejecti, & gradu suo exturbati. Hebræus (z): *Ecce Dominus transportare te faciet alibi, o vir strenue, & amiciet te velamine.* Vel potiùs: Egredi te coget e patriâ ceu miles, & super te ruet eo impetu, quo rapax volucris in prædam ruit. Septuaginta (a): *Ecce nunc Dominus ejiciet, & conteret virum, & auferet stolam tuam.* Censet Grotius, prædicere Prophetam Sobnæ lepram, qua puniendus a Deo esset. S. Hieronymus in Versione secutus est Rabbinum, quo docente Hebræum discebat, asserentem, voce quæ *de homine* usurpari solet, hìc gallum significari. Vinctus Sobna transferetur Babylonem, uti gallus qui ad forum defertur.

℣. 18. IBI ERIT CURRUS GLORIÆ TUÆ, IGNOMINIA

(i) *Vide* 4 *Reg.* XXI, 10, 12. .... 16. (k) 2 *Par.* XXXIII, 12, 13. (l) 4 *Reg.* XXIV, 26.
(m) 4 *Reg.* XXIV, 3. (n) 4 *Reg.* XVIII, 18; & XIX, 2. (o) *Isai.* XXXVI, 3, 22; XXXVII, 2.
(p) *Hieron. hìc, Hebræi, Thom. Dionys. Forer.* (q) לך בא אל הסכן הזה על שבנא אשר על הבית (r) *Vide Exod.* I, 11. ערי מסכנות (s) 3 *Reg.* IX, 19; & 2 *Par.* VIII, 4.
(t) 2 *Par.* XVII, 12. (u) 2 *Par.* XXXII, 28. (x) מה לך פה ומי לך פה (y) *Cicer. de Divin. Galli victi silere solent, canere victores. Vide Ælian. lib.* 4, *c.* 27.
(z) הנה יהוה מטלטלך טלטלה גבר ועטך עטה (a) Ἰδοὺ δὴ ὁ κύριος σαβαὼθ ἐκβαλεῖ καὶ ἐκτρίψει ἄνδρα, καὶ ἀφελεῖ τὴν στολήν σου.

℣. 20. Et erit in die illâ: Vocabo servum meum Eliacim filium Helciæ,
℣. 21. Et induam illum tunicâ tuâ, & cingulo tuo confortabo eum,
& potestatem tuam dabo in manu ejus: & erit quasi pater ha-
bitantibus Jerusalem, & domui Juda.
℣. 22. Et dabo clavem domûs David super humerum ejus, & aperiet,
& non erit qui claudat: & claudet, & non erit qui aperiat.
℣. 23. Et figam illum paxillum in loco fideli, & erit in solium glo-
riæ domui patris ejus.
℣. 24. Et suspendent super eum omnem gloriam domûs patris ejus,
vasorum diversa genera, omne vas parvulum, a vasis cratera-
rum usque ad omne vas musicorum.

COMMENTARIUS.

MINIA DOMINI TUI. Currus ille superbus & magnificus, quo veheris, in probrum Manassis domini tui vertetur. Hic qui te opibus & honoribus cumulavit, te in alienâ regione pereuntem videbit. Versiculum hunc cum sequenti jungunt Septuaginta in hanc sententiam (b): *Ponet currum tuum optimum in ignominiam, & domum Principis tui in conculcationem.* Profectò fieri non poterat, quin illatæ in Sobnam injuriæ, caderent in Principem, qui hominem planè immeritum tam altè evexerat.

℣. 20. VOCABO SAXVUM MEUM ELIACIM FILIUM HALCIÆ. Eliacim Helciæ Summi Sacerdotis filius, Regiæ domûs œconomum egerat sub Ezechiâ, utì e Scripturâ compertum est (c), cùm Sobna Scribæ munere fungeretur. Sed Ezechias, incertum quâ de causâ, amoto Eliacimo, Sobnam substituit. Igitur Eliacim magistratu carebat, saltem apud Regem; cùm enim Summi Sacerdotis filius esset, alterum a patre locum in Templo tenuisse necesse est. Casus Manassis & Sobnæ, fortunæ initium Eliacimo fuit. Hic vices egit Regis vel moderatoris totius Regni, quamdiu Manasses captivus fuit. Hanc gerens præfecturam, cultum Domini restituit; & Rex carcere Babylonico clausus, ad saniora pœnitentiæ consilia regressus, semper deinceps, etiam in Regnum restitutus, Eliacimum veneratus est eo obsequio, quod solida virtus nunquam non sibi conciliat.

Eliacimo res moderante, Historia Judithæ contigit (d). Munus autem Summi Sacerdotis retinuit sub Josiâ (e); quin & in Libro Baruc (f) sub filiis Josiæ sese offert. Cæterùm rerum civilium & bellicarum administratio non abhorrebat a Summo Sacerdote. Jojada Regni gubernacula tenuit, quamdiu Joas ætate minor fuit. Sacerdotes Jojada, Sadoc, Achimaas, & Banajas non modicas militum manus ducebant sub Davide & Salomone. Vide Dissertationem nostram de Summis Sacerdotibus Hebræorum.

℣. 21. CINGULO TUO CONFORTABO EUM; id est, decorabo. Authoritate illum augebo, cujus authoritatis signum est cingulum (g). Mos erat Principibus, insignes balteos ferre in argumentum summæ dignitatis. Deus, ait Jobus (h), *balteum Regum dissolvit.* Septuaginta (i): *Coronam tuam dabo ei.*

EXIT QUASI PATER HABITANTIBUS JERUSALEM. In tantâ rerum mistione & motu, Eliacim ceu pater, Sacerdos, & Rex Jerosolymæ fuit. Absente enim Rege, sapientissimè Regnum administravit, ac religionis restaurationi atque conservationi post pœnitentiam reditumque Manassis servììt. Ex libro Judithæ (k) discimus, quæ illius fuerint coræ in re maximè arduâ, bello scilicet Holofernis.

℣. 22. DABO CLAVEM DOMUS DAVID SUPER HUMERUM EJUS. Constituam illum œconomum, supremumque Regiæ domûs Præfectum; cujus geret clavem, insigne dignitatis suæ, ut significet, unum se esse post Regem, cui jus sit aperiendi & claudendi, ingrediendi & exeundi, ut ab ejus nutu & obsequio reliqui pendeant. Clavis gestatio indicium authoritatis erat. Iris, Trivia, Janus claves gestant. Apud Authorem Phoronidis (l) Callirrhoë clavem fert Reginæ Cœli. In Hispaniâ Nobiles Cubicularii clavem ex aurato argento gerunt. Ceres apud Callimachum humeris clavem fert (m). Similem humeris clavem facilè ferebat Eliacim, pro veterum more, qui dignitatis suæ insignia humeris gerebant. Huc etiam spectat illud Jobi, xxxi, 36: *Quis mihi tribuat, ut librum scribat ipse, qui judicat, ut in humero meo portem illum, & circumdem quasi coronam mihi?* Frequentes sunt in Nummis Græcis Latinisque (n) Mars, Apollo, Hercules, Diana, &c. dignitatis suæ insignia in humeris exhibentes.

℣. 23. FIGAM ILLUM PAXILLUM IN LOCO FIDELI, in loco firmo; qui scilicet paxillus in solido firmoque pariete altè figitur, ad rem quamlibet suspendendam. Humilis quidem pro nostris moribus comparatio est, familiari veterum Hebræorum stylo nobilis, quâ non rarò Sacri Scriptores utuntur, ubi phrases nobiles res ipsa postulat (o). Septuaginta (p): *Statuam enim Principem in loco fideli*, vel stabili. Talem se præbuit Eliacim, utì clavum muro altè infixum, ex quo res quælibet tutò suspenduntur; neque enim casurus est unquam, nec evellendus.

ERIT IN SOLIUM GLORIÆ DOMUS PATRIS EJUS. Ex auctâ illius dignitate, novum decus familiæ Aaronicæ, &, cui præest, stirpi Sacerdotali accedet.

℣. 24. A VASIS CRATERARUM USQUE AD OMNE VAS MUSICORUM. Emblemata sunt hæc Sacerdotii Eliacimi. Non œconomum modò Regiæ domûs aget, sed Regni moderatorem, summumque Sacerdotem;

(b) Καὶ θήσει τὸ ἅρμα σου τὸ καλὸν εἰς ἀτιμίαν, καὶ τὸν οἶκον τοῦ ἄρχοντός σου εἰς καταπάτημα.
(c) 4 *Reg.* xviii, 18, 37; *Isai.* xxxvi, 3, 22; xxxvii, 2. (d) *Judith*, iv, 5: *Sacerdos Eliacim.*
(e) 4 *Reg.* xxii, 4, 8; xxiii, 4, 24. Helcias ibi appellatur. (f) *Baruc*, i, 7: *Joakim filius Helciæ.*
(g) *Vide Isai.* xi, 5; xxiii, 10; xxxvii, 2. (h) *Job*, xii, 18. *Vide Apoc.* i, 13.
(i) 70: Καὶ τὸν στέφανόν σου δώσω αὐτῷ. *Heb.* אבנטך אחזקנו (k) *Judith*, iv, 4. 5, 6, *& seq.* xv, 9.
(l) *Apud Clem. Alex. lib.* 1 *Strom. p.* 98. (m) *Callimach. de Cerere*: Κατωμαδίαν ἔχε κλαΐδα.
(n) *Apud Spanheim.* (o) 1 *Esdr.* ix, 8: *Ut dimitterentur nobis reliquiæ, & daretur nobis paxillus in loco sancto ejus. Vide Ezech.* xv; *Zach.* x, 4.
(p) Καὶ στήσω αὐτὸν ἄρχοντα ἐν τόπῳ πιστῷ. *Heb.* ותקעתיו יתד במקום נאמן

℣. 25. In die *illâ* dicit Dominus exercituum: Auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, & frangetur, & cadet, & peribit quod pependerat in eo, quia Dominus locutus est.

COMMENTARIUS.

dotem; ut utrumque imperium ab ejus prudentiâ ac diligentiâ tum in rebus politicis tum in sacris pendeat. Se totum ex æquo distribuet inter munera Sacerdotii & curas imperii.

℣. 25. AUFERETUR PAXILLUS. Sobna e munere demittetur suo, Præfecturis, dignitatibus, ejusque clientes pari exitio obvolventur.

CAPUT XXIII.

Vaticinium in Tyrum; quæ tamen urbs post evolutos annos septuaginta restituetur.

℣. 1. ONus Tyri. Ululate naves maris: quia vastata est domus, unde venire consueverant: de terrâ Cethim revelatum est eis.

℣. 2. Tacete, qui habitatis in insulâ: negotiatores Sidonis, transfretantes mare, repleverunt te.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ONUS TYRI. Unus omnium Interpretum consensus (a) hoc oraculum de Tyro per Nabuchodonosorem magnum eversâ interpretatur, ut ad unam eamdemque rem Isaias, Jeremias (b) & Ezechiel (c) colliment. Nos hìc duo animadvertimus, quæ ne divertamus a communi opinione, suadent. Primum illud est, quòd Propheta ibi de captâ Babylone ita agit, veluti de re præteritâ (d). Cessit autem Babylon Assaraddoni Regi Assyriorum anno 3323; nisi agere Isaias censeatur de Babylonis per Cyrum excidio, veluti de re elapsâ, quòd scilicet Urbis illius exitium diu antea, quàm Tyri casus, decretum & prænunciatum esset, Capite XIII & XXI. Alterum quod animadvertimus, illud est, Tyrum intra annos septuaginta esse restituendam. Si quis autem a Regno Assaraddonis Babylone cœpto usque ad captam a Nabuchodonosore Tyrum annos singulos recenseat, nullum tempus inveniet, quo Tyrus restituta sit. Hæc ante Nabuchodonosorem non ceciderat; quin & florentissima, si unquam aliàs, tunc erat, cùm ad obsidendam ventum est. Denique periodus ista annorum septuaginta duci commodiùs non potest, quàm ab exordio Regni Nabuchodonosoris, usque ad initium Cyri Babylone regnantis. Eædem pariter epochæ sunt exordii, & exitûs annorum septuaginta captivitatis, non Judæorum modò, verùm etiam Tyriorum, cæterarumque gentium Judææ finitimarum (e). Eusebius aliique nonnulli dictum explicant de bello Assyriorum, id est Salmanasari, in Tyrum; quâ de expeditione Menander Historicus apud Josephum plura narrat.

ULULATE, NAVES MARIS: QUIA VASTATA EST DOMUS, UNDE VENIRE CONSUEVERANT. Deinceps spectaculum sui non facient in mari ingentes illæ classes onerariarum navium, quæ olim Tyro solventes, in omnes Mediterranei portus merces ferebant referebantque. Hebræus (f): *Ululate, naves Tharsis, quia Tyrus vastata est ad intus;* & quia detecta est ab eâ parte, unde venitur de terrâ *Cethim*. Florens hæc Urbs penitus eversa est. Intus omnino jacet, & mœnia quæ mare portumque aspiciunt, diruta sunt.

Aliter: Plorate, naves longorum itinerum patientes, vel naves quæ olim Tharso Ciliciæ solventes, negotiationis gratiâ ad portum Tyri appellebatis: ululate; Tyros enim periit, ut nulla domus relicta sit intra Urbem, nec ad illam concursus ampliùs fiat e Cethim, vel e Græciâ, & præsertim e Macedoniâ. Vel denique: Ululate, negotiatores Tharsis, nunciatum illis est ex Insulâ Cypro; quòd Tyrus periit, ut nulla stet ampliùs domus, lapis super lapidem non supersit. Septuaginta (g): *Ululate, naves Carthaginis, quia Tyrus periit, & non ultra venient de terrâ Cittæorum: ducta est captiva.* Solemne est septuaginta Interpretibus, ut nomen Tharsis reddant Carthaginem. Nomen *Cethim* designare potest insulam Cyprum, in qua *Cithium* urbs celebris; sed alibi (h) demonstravimus, pro Macedoniâ accipiendum esse.

℣. 2. TACETE QUI HABITATIS IN INSULA. NEGOTIATORES SIDONIS, TRANSFRETANTES MARE, REPLEVERUNT TE; portus scilicet tuos impleverunt. *Qui habitant in Insulâ*, Tyrii sunt, quorum Urbs olim in insulâ condita est; deinde verò transiit in continentem per aggerem mari impositum; quo factum est, ut quæ olim erat Insula, in peninsulam abiret. Vide nos in Josue (i). Hunc versiculum altero commodissimo sensu reddunt Septuaginta (k): *Cui similes facti estis habitantes in Insulâ, negotiatores Phœniciæ transmittentes mare?* Reddi potest Hebræus (l): *Silete* mœrentes consternatique, Tyrii, *qui habitatis in Insulâ, negotiatores Sidonis*, vel Phœniciæ: *qui mare transfretant, repleverunt te.* Vel: *Negotiatores Sidonis*, & ad-

(a) *Cyrill. Procop. Thom. alii.* (b) *Jerem.* XXVII, 3; XLVII, 4. (c) *Ezech.* XXVI, XXVII, XXVIII.
(d) *Isai.* XXI, 13. (e) Vide nos in Dissertatione, utrùm decem Tribus e captivitate redierint, ad Ezechielem; & *Ezech.* XVI, 55; & XXIX, 11, 12.
(f) הילילו אניות תרשיש כי שדד מבית מבוא מארץ כתים נגלה למו
(g) Ὀλολύζετε, πλοῖα Καρχηδόνος, ὅτι ἀπώλετο, καὶ οὐκέτι ἔρχονται, ἐκ γῆς Κιτιαίων. Ἦκται αἰχμάλωτος. (h) Vide nos in Genesim, Cap. X. (i) *Josue*, XIX, 29. (k) Τίνι ὅμοιοι γεγόνασιν οἱ κατοικοῦντες ἐν τῇ νήσῳ; μεταβόλοι Φοίνικες, διαπερῶντες τὴν θάλασσαν. Legunt τὸ למו ℣. præcedentis, veluti esset למי & ad ℣. sequentem rejiciunt τὸ מלאוך
(l) דמו ישבי אי סחר צידון עבר ים מלאוך

℣. 3. In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus: & facta est negotiatio gentium.
℣. 4. Erubesce Sidon: ait enim mare, fortitudo maris, dicens: Non parturivi, & non peperi, & non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines.
℣. 5. Cùm auditum fuerit in Ægypto, dolebunt, cùm audierint de Tyro:
℣. 6. Transite maria, ululate, qui habitatis in insulâ.

COMMENTARIUS.

& advenæ *transfretantes mare, repleverunt te* bonis.

℣. 3. In aquis multis semen Nili, messis fluminis fruges ejus; semina quæ Nilus exundantibus aquis rigat, messes, quas Ægyptus benefico huic amni debet, cibus Tyri erant. Tyrus annonam sibi comparabat ex Ægypto, quæ provincia omnium fertilissima habebatur. Hebræus (m): *Proventus Tyri est in semine Sihor, & in multis aquis, & in messibus fluminis.* Nomine *Sihor* Nilum designari, alibi (n) demonstravimus; sonat autem hæc vox *aquam turbidam*. Inundantes Nili aquæ solum Ægyptium fœcundabant, ut meritò Propheta semina regionis illius appellet semina *multarum aquarum*, & *messem fluminis*. Agriculturam negligebant Phœnices, totosque se negotiationi tradiderant. Solum habebant angustum & sterile; quamobrem rebus suis meliùs se consulere censebant, si ingratam negligentes agriculturam, frumenta sibi aliunde emerent.

℣. 4. Erubesce, Sidon, ait mare, fortitudo maris, dicens: Non parturivi, et non peperi; erubesce, Sidon, ait mare, & fortitudo maris; dixit enim illa: non concepi, nec filios peperi. Maritimæ gentes, incolæ Insularum, nautæ, mercatores, qui maria peragrant, gens quælibet, quæ nomine *maris* & *fortitudinis maris* censetur, exprobrant Sidoni, quòd deseruerit filiam suam urbem Tyri, quæ colonia erat Sidoniorum. Hanc ejus inhumanitatem ac sævitiam exprobant exteri: An nos genuimus, ac veluti peperimus Tyrum? Adhuc tamen illius casum lugemus, ejusque mala nos tangunt. Tu verò, Sidon, mater sæva & impia, malis ejus insultare, & illius exitio gaudere nobis videris.

Septuaginta (o): *Erubesce, Sidon, dixit mare; fortitudo autem maris dixit: Non parturivi, neque peperi.* Sidon, quæ hìc appellatur fortitudo maris, convicia in se intorta, quòd Tyrum deseruerit, ita repellit: Num ego mater illius sum? num illam peperi? num opem illi debeo? Explicationem hanc inter optimas habemus. Apud Veteres quidam asserunt, Tyrum a Sidoniis conditam fuisse (p); idque Tyrii negabant, urbem suam nihil cedere antiquitate Sidoni affirmantes. Ex quo Tyrus in eam opulentiam crevit, quam describit Ezechiel (q), Sidon nonnisi livido oculo suspicere illam potuit; nec a vero abluderet, qui commodissimum illi accidisse exitium æmulæ suæ censeret.

Ex Annalibus Tyriorum nescio quid recitat Josephus (r), unde satis discimus, qui utriusque erga alteram animus esset: *Elulaus etiam nomine apud Tyrios regnavit annos triginta sex. Hic Citiaeos, qui ab imperio suo defecerant, classe eò vectus, ad obsequium reduxit. Contra hos misso exercitu Assyriorum Rex* (Salmanasar) *Phœnicem omnem bello incursavit. Qui tamen pace cum omnibus facta, cedit retro. Descivere etiam a Tyriorum imperio Sidon & Acco* (s), *Palætyrus*, seu antiqua Tyrus, *multæque urbes aliæ, quæ se Assyriorum Regi dediderunt. Cùm tamen non ob id se subjicerent Tyrii, Rex eis rursus bellum intulit, postquam a Phœnicibus acceperat naves sexaginta, & remiges octingentos. In quas invecti Tyrii navibus duodecim, disjectis hostium navibus, homines numero ad quingentos fecere captivos. Itaque ob hæc Tyrii omnes magno in honore esse cœperunt. Cùm autem reverteretur Assyriorum Rex, constituit custodes ad flumina & aquæductus, qui Tyrios ab aqua hauriendâ arcerent; toleratumque id Tyriis per annos quinque, bibentibus interim e puteis, quos foderant.* Hæc in Tyriorum Annalibus contra Salmanasarum scripta inveniebantur.

℣. 5. Cum auditum fuerit in Ægypto, dolebunt, cum audierint de Tyro. Hinc Sidonis inhumanitas magis magisque mira & inexcusabilis apparet. Extraneæ enim gentes, uti Ægyptii, casum Tyri lugebunt; & Sidon malis illius veluti plaudit & gaudet.

℣. 6. Transite maria, ululate qui habitatis in Insula. Fugite, ex urbe vestrâ recedite, migrate in Insulas remotissimas, o incolæ Tyri. Consilium hoc cepisse Tyrios, docet S. Hieronymus (t). Quamobrem apud Ezechielem dicitur (u), Nabuchodonosori ejusque exercitui digna merces laborum in Tyro expugnandâ toleratorum repensa non fuisse, cùm Urbis illius cives cum rebus optimis aliò se recipientes, domos vacuas hostibus reliquerint. Hebræus (x): *Transite in Tharsis, ululate habitatores Insulæ.* O Tyrii, in Tharsum Ciliciæ fugite. Tharsus urbs erat tunc florentissima, & arcto commercii fœdere Tyriis juncta. Nomen *Tharsis* Carthaginem reddere consuevisse Septuaginta, jam animadvertimus.

(m) במים רבים זרע שחר קציר יאור תבואתה
(n) Vide *Josue*, xiii, 3. (o) Αἰσχύνθητι, Σιδών, εἶπεν ἡ θάλασσα· ἡ δὲ ἰσχὺς τῆς θαλάσσης εἶπεν· οὐκ ὤδινον, οὐδὲ ἔτεκον, *&c.* (p) *Justin. lib.* xviii, *c.* 3. *Isai.* xxiii, 12. (q) *Ezech.* xxvi, xxvii. (r) *Joseph. Antiq. lib.* 9, *c. ult. Ex Menandro in chronicis, ex Tyriorum annalibus:* Ἀπέστη τε Τυρίων Σιδὼν, καὶ Ἄκη, καὶ ἡ παλαίτυρος, καὶ πολλαὶ ἄλλαι πόλεις, αἳ τῷ τῶν Ἀσσυρίων ἑαυτὰς βασιλεῖ παρέδοσαν. Διὸ Τυρίων οὐχ ὑποταγέντων πάλιν ὁ βασιλεὺς ἐπ' αὐτοὺς ὑπέστρεψε, Φοινίκων συμπληρωσάντων αὐτῷ ναῦς ἑξήκοντα, ἐπικώπους ὀκτακοσίους. Αἷς ἐπιπλεύσαντες, Τύριοι ναυσὶ δώδεκα, τῶν νεῶν τῶν ἀντιπάλων διασπαρεισῶν, λαμβάνουσιν αἰχμαλώτους ἄνδρας εἰς πεντακοσίους. Ἐπετάθη δὲ πάντων ἐν Τύρῳ τιμὴ διὰ ταῦτα. Ἀναζεύξας δὲ ὁ τῶν Ἀσσυρίων βασιλεὺς κατέστησε φύλακας ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ, καὶ ὑδραγωγῶν, οἳ διακωλύσουσι Τυρίους ἀρύσασθαι. Καὶ τοῦτο ἔτεσι πέντε γενόμενον, ἐκαρτέρησαν πίνοντες ἐκ φρεάτων ὀρυκτῶν. (s) Ἄρκη. Malo Ἄκη, seu Ptolemais.
(t) *Hieronym. hic: Obsessos Tyrios, postquam nullam spem evadendi videbant, conscensis navibus fugisse Carthaginem, seu ad alias Ionii Ægeive maris insulas.* (u) *Ezech.* xxix, 18: *Et merces non est reddita ei. Vide Hieron. in hunc locum.* (x) עברו תרשישה הילילו ישבי אי

℣. 7. Numquid non vestra hæc est, quæ gloriabatur a diebus pristinis in antiquitate suâ? ducent eam pedes sui longè ad peregrinandum.

℣. 8. Quis cogitavit hoc super Tyrum quondam coronatam, cujus negotiatores principes, institores ejus inclyti terræ?

℣. 9. Dominus exercituum cogitavit hoc, ut detraheret superbiam omnis gloriæ, & ad ignominiam deduceret universos inclytos terræ.

℣. 10. Transi terram tuam quasi flumen, filia maris, non est cingulum ultra tibi.

℣. 11. Manum suam extendit super mare, conturbavit regna: Dominus mandavit adversùs Chanaan, ut contereret fortes ejus.

℣. 12. Et dixit: Non adjicies ultra, ut glorieris, calumniam sustinens, virgo filia Sidonis: in Cethim consurgens transfreta, ibi quoque non erit requies tibi.

℣. 13. Ecce terra Chaldæorum: talis populus non fuit, Assur fundavit eam: in captivitatem traduxerunt robustos ejus, suffoderunt domos ejus, posuerunt eam in ruinam.

℣. 14. Ululate naves maris, quia devastata est fortitudo vestra.

COMMENTARIUS.

mus. Patebit autem inferiùs, mansisse in urbe Tyro magno numero cives, qui in captivitatem redacti, translati sunt in terras alienas, trans Euphratem. ℣℣. 7, 10, 12.

℣. 7. NUMQUID NON VESTRA HÆC EST, QUÆ GLORIABATUR A DIEBUS PRISTINIS IN ANTIQUITATE SUA? Nonne hæc est urbs illa, quam tantopere celebratis, cujus tot sæculorum antiquitas adeò extollitur? Est igitur hæc Tyrus illa celebris, quæ tam remotam antiquitatem jactabat? Hæc reputabunt exteræ gentes, quæ eversam spectabunt, & apud quas incolæ ejus perfugium quærent. Fortasse tamen minorem antiquitatem præferebat Tyrus, quàm qua gloriabatur: est autem in moribus urbium quarumcumque florentium, ut illustria sibi exordia & fumosam antiquitatem arrogent. Viris eruditis persuasum est, recentiorem esse Tyrum Sidone. Tyri nomen primùm legitur apud Librum Josue, XIX, 3: at non satis liquet, nomen illud in eo Libro descriptum fuisse primi illius Scriptoris ætate. Vide nos in eum locum.

DUCANT EAM PEDES SUI LONGE AD PEREGRINANDUM; pedes ibit in terras longinquas & alienas. Seu Tyrii se receperint in tutum, uti tradit S. Hieronymus, seu vi expugnatâ urbe captivi abducti sint a Nabuchodonosore, oraculi fides ex æquo constat.

℣. 8. CUJUS NEGOTIATORES PRINCIPES erant. Ad verbum (y): *Principes erant negotiatores tui*. Perinde atque Reges opibus pollebant negotiatores tui (z). Dicta hæc ad verbum accipi, Ezechiel jubere videtur. Ipsi per se reges in nundinis tuis negotiationes exercebant, mercesque suas ad Tyri emporium vendendas mittebant. *Ditasti Reges terræ*, ait Ezechiel (a).

℣. 10. TRANSI TERRAM TUAM, QUASI FLUVIUM, FILIA MARIS: NON EST CINGULUM ULTRA TIBI. Nuda & distincta abducêris in captivitatem, instar hominis, qui amnem trajicit. Animadvertere aliàs licuit, Prophetam similibus minis Ægyptios terruisse (b): *Sic minabit Rex Assyriorum captivitatem Ægypti, juvenum, & senum, nudam & discalceatam, discoopertis natibus*, &c. Alii per tropum dicta hæc explicant: Migra in alienam terram, o urbs Tyri, tantâ pernicitate, quantâ amnis fluit. Mœnia & munimenta tua, quibus olim veluti cingulo ambiebaris, dejecta sunt, & tu jamjam in manus hostium lapsura es. Prior sensus alteri præstat.

℣. 11. DOMINUS MANDAVIT ADVERSUS CHANAAN, urbem Tyri, quæ tunc una erat ex Chananæis, vel Phœniciis, quin & erat illius regionis metropolis.

℣. 12. NON ADJICIAS ULTRA UT GLORIERIS, CALUMNIAM SUSTINENS, VIRGO FILIA SIDONIS; non erit, cur ulteriùs glorieris, filia Sidonis, Virgo quæ ignominiam passura es. Ad verbum: Virgo per calumnias oppressa. Hebræus (c) exprimit tantummodo oppressionem, injuriam, probrum illatum. Idcirco autem filia Sidonis Tyrus appellatur, quòd Colonia esset Sidoniorum. Vide ℣. 4.

IN CETHIM CONSURGENS TRANSFRETA: IBI QUOQUE NON ERIT REQUIES TIBI. Græciam, sive Macedoniam adnaviga; ibi quoque turbabit quietem tuam Deus; neque enim ut quietos capias somnos, illius ira patietur.

℣. 13. ECCE TERRA CHALDÆORUM: TALIS POPULUS NON FUIT: ASSUR FUNDAVIT EAM. Hebræus (d): *En terra Chaldæorum: populus iste non fuit: Assur fundavit eam piscatoribus*; in usum hominum, quorum omnis vitæ professio, & commercium in aquis erat. Locus, in quo Babylon condita est, palus erat, vel lacus aquis putris: cujus rei causâ inditum urbi nomen est *maris* (e). Nullis fermè incolis frequentabatur, nisi vilissimis piscatoribus vel nautis, qui vitam agendis scaphis tolerabant (f). Condidit illam Assyrius, *Nemrod* scilicet, qui illius fundamenta jecit, ibique impe-

(y) אשר סחריה שרים (z) *Hieronym. hic, & alii.* (a) *Ezech.* XXVII, 33. (b) *Isai.* XX, 4.
(c) המעשקה בתולת בת צידון (d) הן ארץ כשדים : זה העם לא היה : אשור יסדה לציים (e) *Abyden. apud Euseb. præp. lib. IX, c. 41.*
(f) Vide nos in Isaiam XIII, 21.

℣. 15. Et erit in die illâ: In oblivione eris, o Tyre, ſeptuaginta annis, ſicut dies regis unius: poſt ſeptuaginta autem annos erit Tyro quaſi canticum meretricis.

℣. 16. Sume citharam, circui civitatem, meretrix oblivioni tradita: bene cane, frequenta canticum, ut memoria tui ſit.

℣. 17. Et erit poſt ſeptuaginta annos: Viſitabit Dominus Tyrum, & redducet eam ad merces ſuas: & rurſum fornicabitur cum univerſis regnis terræ ſuper faciem terræ.

℣. 18. Et erunt negotiationes ejus, & merces ejus ſanctificatæ Domino: non condentur, neque reponentur: quia his, qui habitaverint coram Domino, erit negotiatio ejus, ut manducent in ſaturitatem, & veſtiantur uſque ad vetuſtatem.

COMMENTARIUS.

Imperii ſui ſedem conſtituit (g). Non modicè crevit ſub Belo, quem idcirco plures primum ejus authorem agnoſcunt. Ejus curâ & ſtudio, ait Abydenus, coacti ſimul ſunt Babyloniæ populi, atque intra urbem conſtituti, in loco antea mari appellato. Gens iſta, inquit Iſaias, olim ſine nomine, nunc terror gentium facta eſt. At ſe ipſam tueri non potuit; ipſa enim ac validiſſimæ illius copiæ Aſſaraddoni Aſſyriorum Regi in prædam datæ, redactæ ſunt in captivitatem (h): *In captivitatem traduxerunt robuſtos ejus.*

Hebræus (i): *Erexerunt mœnia ejus, ſuſcitaverunt ædes ejus.* Dominus *poſuit eas in ruinam.* Totum verſiculum ita reddunt Septuaginta (k): Si fugeris *in Terram Chaldæorum, hæc deſolata eſt ab Aſſyriis; neque ibi erit requies tibi: quoniam murus ejus corruit.* Probabile eſt, Iſaiam ſermonem hîc habere de captâ per Darium ſeu Cyrum Babylone, ceu de re præteritâ, quòd caſum illius antea prædixerit, Capite XIII, & XXI.

℣. 15. In oblivione eris, o Tyre, septuaginta annis, sicut dies Regis unius. Ita facilè in oblivionem abibunt anni ſeptuaginta hi, ut facilè obliviſcimur vitæ Principum, qui ſuavi & placido curſu fluxerunt. Seu potiùs: Anni hi evolventur & fluent, ut Principis alicujus regnum. Tempus iſtud diuturnius non erit, quàm Principia alicujus imperium. Fortaſſe innuitur hic Imperium Nabuchodonoſoris ejusque filiorum, Evilmerodachi & Balthaſaris; quo elapſo, Imperium e Chaldæis in Perſas devolutum eſt. Periodi hujus annorum ſeptuaginta initium ſtatuimus anno Nabuchodonoſoris primo, exitum verò ſub initia Cyri; eademque nobis eſt epocha annorum ſeptuaginta captivitatis Judæorum, ab anno Mundi 3398, usque ad 3468. Demonſtravimus alibi (l), Cyrum liberas pronunciaſſe gentes omnes, quas priores Reges in captivitatem abduxerant.

Erit Tyro quasi canticum meretricis. Fiet Tyrus uti meretrix canens. Poſt annos excidii ſeptuaginta, reſtituetur Tyrus, ut ſit inſtar meretricis, quæ procos, ut ad ſe veniant, Urbem canendo & muſica inſtrumenta pulſando (m) diſcurrens, vocat. Sic Tyrus ſtudia omnia eò conferet, ut commercium ſuum reparet, & ad priſtinum emporium mercatores acceſſat. Cenſet Sanctius (n), Tyrum comparari cum fœminâ non proſtitutâ, ſed mercaturam exercente, quæ per compita diſcurrens clamat, canit, pulſatque muſica inſtrumenta, ut emptores alliciat. Animadvertit autem, hunc olim, & nunc pariter alicubi, morem obtinuiſſe, ut invitarentur mercatores non clamore, ſed cantu, & inſtrumentorum ſono. Poſt Cyrum, Tyrus in optimam fortunam brevì rediit. Hanc enim exhibet Zacharias, IX, 3, reſtituentem *munitionem ſuam, & coacervantem argentum quaſi humum, & aurum ut lutum platearum.* Alexandri Magni ætate iis opibus pollebat, ut diutiùs, quàm reliquæ Urbes ab illo obſeſſæ, totis nempe ſeptem menſibus, ejus armis obſtiterit. Urbs erat tunc opulentiſſima, munitiſſima, & validiſſima.

Cæterùm Tyrus illa, quæ in oblivione annis ſeptuaginta jacuit, urbs erat nova ejuſdem nominis, in Inſulâ condita; nam poſt Nabuchodonoſorem ſeries quædam Regum Tyri occurrit, qui facilè Reges in Tyro veteri regnabant. Nabuchodonoſor Regem ibi conſtituit Ithobalum (o), cujus ſucceſſores ad Alexandri Magni ætatem usque perſeverarunt. Si quis autem maluerit, quod & nos maximè probamus, Ithobalo, ejusque ſucceſſoribus regnum tribuere in Inſulâ, & in urbe illâ Tyri, quam ceperat Nabuchodonoſor, & de qua hîc ſermo eſt, utique illud, *In oblivione eris,* accipiendum erit non de ſupremo urbis excidio, quo penitus everſa fuerit, ſed de ſubjectione Tyri Regibus Chaldæorum, ut e priſtinâ fortunâ plurimùm exciderit, nec cervicem erexerit, niſi poſt Cyri regnum. Vide, quæ animadvertimus ad illud Ezechielis, XXVI, 14: *Non ædificaberis ultra.*

℣. 17. Rursum fornicabitur cum omnibus Regibus. Commercium turpe & iniquum cum cæteris gentibus ex integro inſtituet. Septuaginta (p): *Et erit emporium omnibus regnis Orbis ſuper faciem terræ.*

℣. 18. Erunt merces ejus sanctificatæ Domino. Legimus in Eſdra (q), Judæos Babylonem reduces frumenta & vina dediſſe Tyriis & Si-

(g) *Geneſ.* X, 10: *Principium regni ejus Babylon.* (h) Vide ſupra, XX, &c.
(i) הקימו בחוניו עררו ארמנותיה : שמה למפלה (k) Καὶ ἐὰν εἰς γῆν χαλδαίων, καὶ αὕτη ἠρήμωται ἀπὸ τῶν ἀσσυρίων, οὐδὲ ἐκεῖ σοι ἀνάπαυσις ἔσται, ὅτι ὁ τοῖχος αὐτῆς πέπτωκεν.
(l) *Vide Ezech.* XXIX, 12, 13; *Jerem.* XXV, 11; *&* XLIX, 6; XLVIII, 47; XLVI, 26.
(m) *Vide Horat. lib. Carminum, Ode 13:*
Et cantu tremulo pota cupidinem
Lentam ſollicitas.
(n) *Vide Sanct. hic, n.* 39, 40. (o) *Vide annal. Phœnic. apud Joſeph. lib.* I *contra Appion.*
(p) 70: Καὶ ἔσται ἐμπόριον πάσαις ταῖς βασιλείαις τῆς οἰκουμένης. *Hebr.* וזנתה את כל ממלכות
(q) I *Eſdr.* III, 7: *Cibum quoque, & potum Sidoniis, Tyriisque, ut deferrent ligna cedrina de Libano, &c.*

& Sidoniis, ut emerent ligna cedrina, quibus Templum restaurarent. Scitum est pariter, Tyrios aliquos sedes habuisse Jerosolymæ, vendendis piscibus occupatos sub Nehemia (r). Sed animo erant parum adeò parato ad conferendum lucrum suum Domino, ut adversùs ipsam illius sanctionem merces suas Judæis vendere sacrâ die Sabbathi non cessarent. Id ut tolleret Nehemias, claudi jussit portas Urbis, nequid eâ die venale in Urbem inferretur. Sub Macchabæis, Tyrii & Phœnices odio infestissimo Judæos insectati sunt (s). Nihil est igitur, cur Isaiæ oraculum accipiatur de eo tempore, quod a solutâ captivitate usque ad Jesum Christum fluxit. Quare explicetur oportet de conversis ad fidem Tyriis cæterisque Phœnicibus, quos Christus & præsentiæ suæ honore, & prodigiorum suorum solatio donavit, incolumitati restituens filiam mulieris Chananææ, cujus fidem admiratus est, & quam voluit totius Phœniciæ primitias consecravit. Ea deinde regio studio & ardore in fidem & dogmata Evangelii enituit.

Consulendus est Zacharias, VIII, 20, 21, 22, & XVIII, 18, 19, ubi Propheta vaticinatur adventum exterarum gentium ad Templum Jerosolymitanum; quibus promissionibus plena fides nonnisi post Evangelii prædicationem stetit. Hæc omnia maximè infirmat Grotius, putans Tyrios Phœnicesque, qui & quærere amabant, & quæsita prodigere, negotiationis suæ quæstum translaturos ad emendum frumentum, vinum, oleum, & carnes ex Judæis, quorum regio rebus hisce abundabat. At quid in his est consecratum Domino, & Ministris Domini alendis impensum? Aliam conjecturam proponens Sanctius, suspicatur, illud, *sanctificata Domino*, contrario sensu perinde valere, atque *profanata*. At adeò coacta interpretatio est, ut vel ipse illius author illi assentiri non audeat, sed in communem sententiam redeat, quæ de Phœnicibus ad Jesum Christum conversis oraculum explicat.

Ut manducent in saturitatem, et vestiantur usque ad vetustatem; ut alantur & satientur, ut ad senectutem usque induantur. Seu potiùs (u): *Erit quod comedant ad saturitatem, & induantur vetustis*. Sed quæ rerum opulentia est, *indui vetustis*? Nonne locuples quisque novas vestes amat? Reddendum Hebræum puto: Opes Tyri cedent illis, qui Domino student, *ut manducent in saturitatem, & ut claudant vetera*. Rebus illis affluent, & superflua condent. Septuaginta (x): *Erit omnis Tyri negotiatio edere & bibere, & saturari in communi mensâ coram Domino*. Aquila (y): *Ut manducent in saturitatem, & vestiantur mutatoriis vestibus*.

CAPUT XXIV.

Vaticinium de malis totam latè terram inundaturis. Dies Domini impiis terribilis.

℣. 1. Ecce Dominus dissipabit terram, & nudabit eam, & affliget faciem ejus, & disperget habitatores ejus.

℣. 2. Et erit sicut populus, sic sacerdos: & sicut servus, sic dominus ejus: sicut ancilla, sic domina ejus: sicut emens, sic ille qui vendit: sicut fœnerator, sic is qui mutuum accipit: sicut qui repetit, sic qui debet.

℣. 3. Dissipatione dissipabitur terra, & direptione prædabitur. Dominus enim locutus est verbum hoc.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Ecce Dominus dissipabit terram, et nudabit eam. Caput hoc vulgò exponitur de extremâ Judicii die (a), qua Dominus venturus est, ut Judicium viventium & mortuorum exerceat, singulis pro merito operum rependurus. Nec recedendum censeo ab hoc sensu, quò nos verba Prophetæ ultro ducunt. Sed neque prohibemur, quin hoc capite reibusque sequentibus expressum agnoscamus oraculum de Judæ excidio, Jerosolymæ expugnatione (b), captivitate Juda, ejusque restitutione redituque, deque restauratione Jerosolymæ ac Templi; denique de illorum supplicio, qui populum Domini oppresserant. Familiare est Scripturæ, uti animadvertit S. Hieronymus, ut Judæam sub nomine terræ sine addito, vel universæ terræ designet.

Nec duæ istæ interpretationes magis pugnant inter se, quàm quæ afferuntur ab Interpretibus in Caput XXIV S. Matthæi, ubi omnium consensu Christus simul miscet signa, quæ novissimum sui adventum prævertent, cum prædictione novissimæ obsidionis Jerosolymæ per Romanos. Argumentis non obscuris, exhibitis hic ℣℣. 1, 10, 12, 16, & 23, hujus capitis, & XXV, 2, 3, & XXVI, 1, 2, 3, &c. discimus, Prophetam obliquè saltem monere voluisse populos Juda proximum urbis regionisque exitium. Et Capite XXVI, sub imagine futuræ resurrectionis, quæ vividis coloribus pingitur, grati animi sensa ob futuram Jerosolymæ restaurationem elucent.

℣. 2. Et erit sicut populus, sic sacerdos. Nullum faciet hostis discrimen inter Sacerdotem & populum, inter herum & servum. Captâ Jerosolymâ, Chaldæi Judæos indiscriminatim omnes captivos egèrunt, parcentes nemini, ætati, dignitati, conditioni, sexui, &c. Deo Judice, discrimen omne dignitatis & opum, quod superba & cupida ingenia hominum invexere, cessabunt: par omnium conditio. Summus ille Judex nullo cujusquam favore jus dicet: *Sicut populus, sic Sacerdos*.

℣. 4. Infir-

(r) 2 *Esdr.* XIII, 16: *Et Tyrii habitaverunt in eâ, &c.* (s) 1 *Macc.* V, 15.
(t) *Matt.* V, 21. (u) לאכל לשבעה ולמכסה עתיק (x) Πᾶσα ἡ ἐμπορία αὐτῆς, φαγεῖν, ϗ πιεῖν, ϗ ἐμπλησθῆναι εἰς συμβολὴν, μνημόσυνον ἔναντι κυρίου. (y) *Aqu.* Τοῦ φαγεῖν εἰς πλησμονὴν, εἰς ἔνδυσιν μεταφορίους. (a) *Hieronym. Ambros. de Elia & Jejunio*, c. 21, *alii passim*.
(b) *Vide, si placet, Theodoret. Vat. Leon. Castr. alios.*

℣. 4. Luxit, & defluxit terra, & infirmata est: defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ.

℣. 5. Et terra infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.

℣. 6. Propter hoc, maledictio vorabit terram, & peccabunt habitatores ejus: ideoque insanient cultores ejus, & relinquentur homines pauci.

℣. 7. Luxit vindemia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes, qui lætabantur corde.

℣. 8. Cessavit gaudium tympanorum, quievit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.

℣. 9. Cum cantico non bibent vinum: amara erit potio bibentibus illam.

℣. 10. Attrita est civitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introëunte.

℣. 11. Clamor erit super vino in plateis: deserta est omnis lætitia: translatum est gaudium terræ.

℣. 12. Relicta est in urbe solitudo, & calamitas opprimet portas.

℣. 13. Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum: quomodo si paucæ olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex oleâ, & racemi, cùm fuerit finita vindemia.

℣. 14. Hi levabunt vocem suam, atque laudabunt: cùm glorificatus fuerit Dominus, hinnient de mari.

COMMENTARIUS.

℣. 4. INFIRMATA EST ALTITUDO POPULI TERRÆ; Principes & Optimates mœrore tabescent. Reges Juda, Joakim, Jechonias, Sedecias, & illorum Proceres, pro suâ quisque vice, Chaldæorum sævitiem experti sunt. Summi quique Reges consternati & dejecti, præsentiam Judicis tremendi viventium & mortuorum verebuntur.

℣. 6. PECCABUNT HABITATORES EJUS; qui terram incolunt, omoea peccata sequentur, seu pro merito punientur. *Peccare* enim sæpè usurpatur pro *luere pœnam peccati* (c).

IDEOQUE INSANIENT CULTORES EJUS, ET RELINQUENTUR HOMINES PAUCI. Hebræus (d): *Ideò comburentur habitatores terræ; & remanebit hominis pusillum*. Septuaginta (e): *Ideò pauprrrs erunt habitatores terræ, & derelinquentur homines pauci*. Captâ Jerosolymâ, Nabuzardan raros egenosque, rerum omnium indigos, incolas in regione permisit (f): *De plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimisit Nabuzardan, magister militum, in terrâ Juda*. Septuaginta: *Redigentur* in paupertatem. Symmachus: *Conterentur*.

℣. 9. AMARA ERIT POTIO. Hebræus: *Sichar*, sicera, seu vinum palmarum, *amara erit*.

℣. 10. ATTRITA EST CIVITAS VANITATIS. Hebræus (g): *Civitas confusionis*, tumultûs, nihili, inanitatis, quæ solidi nihil habet, *attrita est*. Septuaginta (h): *Deserta est civitas universa*. Jerusalem fuit, jam non est. De futuro ceu de re præteritâ agit.

CLAUSA EST OMNIS DOMUS NULLO INTROEUNTE. Sive quòd urbe in solitudinem redactâ nemo hominum superesset, qui desertas domos incoleret; sive quòd universo populo casus suos lugente, domi quisque se contineret, ut in luctu publico. In luctu enim clausas domos teneri consuevisse, in Jeremiam, IX, 21, demoostravimus.

℣. 12. RELICTA EST IN URBE SOLITUDO, ET CALAMITAS OPPRIMET PORTAS; portæ scilicet evertentor. Septuaginta: *Derclinquentur civitates desolatæ; & domus derelicta peribunt*.

℣. 13. QUOMODO SI PAUCÆ OLIVÆ, QUÆ REMANSERUNT, EXCUTIANTUR EX OLEA; ET RACEMI, CUM FUERIT FINITA VINDEMIA. Hebræus (i): *Sicut excussio oleæ, sicut racemi, si consummata fuerit vindemia*. Septuaginta (k): *Quomodo si quis excutiat olivam; sic excutient eos: & si quiescat vindemia*, altos clamores edent.

℣. 14. CUM GLORIFICATUS FUERIT DOMINUS, HINNIENT DE MARI; altas emittent voces, cùm Dominus in gloriam suam venerit; seu: Cùm Dominus vindictam exercuerit in regionem hanc & populum perduellem; tunc Insularum habitatores, remotæ gentes, quæ itineribus maritimis occupantur, sive terrore, sive miseratione commotæ ululabunt. Denique illud *a mari* designare potest plagam occidentalem, Philisthæos & Phœnices, secundùm oras Mediterranei, ad occidentem Jerosolymæ porrectas, qui lætos daturi sunt clamores, & exitio urbis impiæ insultatori. Septuaginta (*): *Lætabuntur simul cum gloriâ Domini; conturbabitur aqua maris*. Reddi potest Hebræus ($) in hanc sententiam: Rari illi, qui perseveraverint in regione, tollent voces, & canent: *Aquæ clamabunt*

(c) *Vide Genes.* IV, 7; XXXI, 39; XLIV, 33; 3 *Reg.* II, 21, *& alibi*. (d) על כן חרו ישבי ארץ ונשאר אנוש מזער (e) 70: Διὰ τοῦτο πτωχοὶ ἔσονται οἱ κατοικοῦντες ἐν τῇ γῇ, καὶ καταλειφθήσονται ἄνθρωποι ὀλίγοι. (f) 2 *Par.* XXXIX, 10. (g) נשברה קרית תהו (h) 70: Ἠρημώθη πᾶσα πόλις. (i) כנקף זית כעללות אם כלה בציר (k) Ὃν τρόπον ἐάν τις καλαμήσηται ἐλαίαν, οὕτως καλαμήσονται αὐτούς, καὶ ἐὰν παύσηται ὁ τρυγητός.

(*) Εὐφρανθήσονται ἅμα τῇ δόξῃ κυρίου, ταραχθήσεται τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης. *Theodot.* Ἤχησαν ὕδατα.

($) ירנו בגאון יהוה צהלו מים Lego *maim*, aquas, pro *miiam*, ים mari.

℣. 15. Propter hoc, in doctrinis glorificate Dominum: in insulis maris nomen Domini Dei Israël.

℣. 16. A finibus terræ laudes audivimus, gloriam justi. Et dixi: Secretum meum mihi, secretum meum mihi, væ mihi: prævaricantes prævaricati sunt, & prævaricatione transgressorum prævaricati sunt.

℣. 17. Formido, & fovea, & laqueus super te, qui habitator es terræ.

℣. 18. Et erit: Qui fugerit a voce formidinis, cadet in foveam: & qui se explicaverit de foveâ, tenebitur laqueo: quia cataractæ de excelsis apertæ sunt, & concutientur fundamenta terræ.

℣. 19. Confractione confringetur terra, contritione conteretur terra, commotione commovebitur terra,

℣. 20. Agitatione agitabitur terra sicut ebrius, & auferetur quasi tabernaculum unius noctis: & gravabit eam iniquitas sua, & corruet, & non adjiciet ut resurgat.

COMMENTARIUS.

mabunt, cùm Dominus fuerit in gloriâ suâ.

℣. 15. PROPTER HOC, IN DOCTRINIS GLORIFICATE DOMINUM, IN INSULIS MARIS NOMEN DOMINI; idcirco gloriam Deo exhibete puræ doctrinæ sanctitate; celebrate Dominum in insulis maris. Reddi potest Hebræus (l): *Laudate Dominum accensis facibus*, ignibus & lucernis incensis; *laudate nomen ejus in insulis maris*. Mos erat olim apud veteres (m), qui adhuc servatur, ut festi ignes in argumentum hilaritatis accenderentur. Quî tamen ista cohæreant cum sententiâ alterius membri: *Laudate nomen ejus in insulis maris?* Recentiorum Interpretum plures (n) reddunt: *Laudate Dominum in vallibus*. Hoc sensu usurpari interdum Hebræum Or contendunt (o). Septuaginta (p). *Propterea gloria Domini in insulis maris; nomen Domini gloriosum erit*. Levissimâ Textûs mutatione reddi potest Hebræus: *Propterea glorificate Deum in fluminibus (q); laudate nomen ejus in Insulis maris*. Vel: *Populi electi (r) glorificate Dominum; laudate nomen ejus in insulis*. Vel denique: *Laudate Dominum in montibus (s); celebrate in Insulis*.

℣. 16. A FINIBUS TERRÆ LAUDES AUDIVIMUS, GLORIAM JUSTI. ET DIXI: SECRETUM MEUM MIHI, SECRETUM MEUM MIHI. Auribus meis insonuerunt laudes, quas justi Deo rependunt, & apud me constitui nunquam prodere quæ audivi; quasi inter laudes Domino collatas audiverit etiam minas in populum horribiles, sive arcana auribus hominum non credenda (t): *Arcana verba, quæ non licet homini loqui*. Reddi potest Hebræus (u): *Audivimus canentes ab extremis terræ: Gloria justo. Et dixi* (vel dixit): *Macies mihi, macies mihi est: væ mihi! prævaricatores prævaricati sunt; prævaricatores prævaricati sunt prævaricatione*.

Ambiguum est in Textu, utrùm querelas hasce exprimat Propheta, an gentes exteræ, quarum voces ipse audiebat ab extremis terræ finibus laudantes justi Judicis æquitatem; ac mœrore tabescentes, dum adeò gravia & nunquam intermissa flagitia intuebantur, quæ verbis exequi non aliter se posse arbitratur Propheta, quàm vocibus iteratis, quibus illa significantur. In utrumque sensum sententia hæc facilè & commodè explicatur. Septuaginta (x): *A finibus terræ portenta audivimus: spes pio. Et dicent: Væ prævaricatoribus, qui prævaricantur legem*. Omiserunt ea verba: *Secretum meum mihi*; vel ex Recentioribus: *Macies mihi, macies mihi*: sed apud illos suppleta sunt ex Theodotione, ferente: *Mysterium meum*, vel arcanum meum, *mihi* (y). Geminum habent Aquila & Symmachus, Chaldæam significationem sequentes.

℣. 17. FORMIDO ET FOVEA ET LAQUEUS. Spectat artem, qua belluæ capiuntur. Vide nos in Jeremiam. XLVIII, 44; & Jobum. XVIII, 1.

℣. 18. QUIA CATARACTÆ DE COELO APERTÆ SUNT, ET CONCUTIENTUR FUNDAMENTA TERRÆ. Eâdem locutione utens Moyses (z), *catharractas Cœli* ponit pro imbre, seu potiùs aquarum torrente, quo universus orbis obrutus est. Mala, quæ in Judam & Jerosolymam erumpent, vel, si mavis, universalis Judicii signa comparat hîc Isaias cum iis, quæ acciderunt in terribili illâ rerum turbatione, quam luculentissimum furoris in homines sui monumentum Deus constituit. Septuaginta (a): *Fenestræ de Cœlo apertæ sunt*. Chaldæus: *Magnalia in Cœlo facta sunt*. Cœlum patuit; fulgura & fulmina eruperunt.

℣. 20. AUFERETUR QUASI TABERNACULUM UNIUS NOCTIS, quod demittitur, complicatur, transfertur. Ita & Juda populatus, direptus est, ejusque incolæ sive gladio trucidati, sive captivi rapti sunt Babylonem. Id multò pleniùs supremâ Judicii die constabit. Impius quilibet dicto citiùs accusabitur, ageturque præceps in infernum; hæc autem omnia tam citò absolventur, quàm citò demittitur complicaturque tentorium, noctis unius

(l) על כן בארים כברו יהוה באיי הים שם יהוה (m) 2 *Macc.* IV, 22: *Antiochus ab Jasone, & civitate susceptus, cum facularum luminibus, & laudibus ingressus est. Et Judith*, III, 10: *Excipientes eum (Holofernem) cum coronis & lampadibus*, &c. (n) *Munst. Pag. Mont. Grot. Tigur. Angl.* (o) אור *pro valle, Isai.* XVIII, 4; XXV, 19, &c. (p) 70: Διὰ τῦτο ἡ δόξα κυρίου ἐν ταῖς νήσοις ἔσαι τῆς θαλάσσης, τὸ ὄνομα κυρίου ἔνδοξον ἔσαι, κυρίου τοῦ Θεοῦ Ἰσραήλ.
(q) ביארים, pro בארים (r) בחורים, pro בארים (s) בהרים, pro בארים (t) 2 *Cor.* XIV, 4.
(u) מכנף הארץ זמרות שמענו צבי לצדיק : ואמר רזי לי רזי לי : אוי לי בגדים בגדו ובגד בוגדים בגדו (x) Ἀπὸ τῶν πτερύγων τῆς γῆς τέρατα ἠκούσαμεν, ἐλπὶς τῷ εὐσεβεῖ, καὶ ἐροῦσιν· οὐαὶ τοῖς ἀθετοῦσιν, οἱ ἀθετοῦντες τὸν νόμον. *Sym. & Theodot.* Ψαλμὸς ἠκούσαμεν. *Aquil.* Μελῳδίας.
(y) Τὸ μυστήριόν μου ἐμοί, τὸ μυστήριόν μου ἐμοί. (z) *Genes.* VII, 11. (a) 70: Ὅτι θυρίδες ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἠνεῴχθησαν. *Heb.* כי ארבות ממרום נפתחו

℣. 21. Et erit: In die illâ visitabit Dominus super militiam cœli in excelso: & super reges terræ, qui sunt super terram.

℣. 22. Et congregabuntur in congregatione unius fascis in lacum, & claudentur ibi in carcere: & post multos dies visitabuntur.

℣. 23. Et erubescet luna, & confundetur sol, cùm regnaverit Dominus exercituum in monte Sion, & in Jerusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.

COMMENTARIUS.

unius usui erectum. Septuaginta (b): *Concutietur quasi hortorum casa*; vel quasi porticus, ubi servus constituitur ad nocturnam pomorum custodiam.

℣. 21. VISITABIT SUPER MILITIAM COELI; nempe Angelos vel Astra. Extremâ Judicii die Angeli apostatæ judicio sistentur (c): *Nescitis quoniam Angelos judicabimus?* Sydera & virtutes Cœlorum concutientur (d): *Virtutes Cœlorum commovebuntur*. Totus denique universus terrore quatietur, aspectu tremendi Judicis, in majestate venturi.

℣. 22. CONGREGABUNTUR IN CONGREGATIONE UNIUS FASCIS IN LACUM.... ET POST MULTOS DIES VISITABITUR. Postrema hæc verba Origenem (e) ejusque sectatores in eam mentem induxerunt, futurum, ut post plura sæcula Deus visitet Dæmones, damnatosque e carcere Inferni educat. Hanc Origenis sententiam Ecclesia proscripsit, & non unus Scripturæ locus damnat; non semel enim legimus in Scripturâ, impiorum apud Inferos supplicia malum esse æternum & exitu carens. Deus hic per tropum describit captivitatem Juda, & futuram illius libertatem. Hebræus (f): *Et colligentur collectione vincti in lacum subterraneum*, in atrum carcerem. Hæc explicat Eusebius (g) de Angelis, quos Deus Regnis hominum præfecit, qui cum in perduellionem incidissent, justam flagitii pœnam apud inferos subierunt.

℣. 23. ET ERUBESCET LUNA, ET CONFUNDETUR SOL. Hisce phrasibus utitur Jesus Christus, ut prodigia significet Judicium suum præventura (h). Sunt autem loquendi formulæ, nunquam non extremum aliquod malum in Scripturâ designantes. Familiare est Prophetis uti nominibus noctis, tenebrarum, caligantium Astrorum, sepulcri, tenebrarum mortis, ut captivitatem, bellum, mortem, inusitata pericula, ærumnas indicent. Tunc igitur, *cùm Dominus exercituum regnaverit in monte Sion, & in Jerusalem, & in conspectu senum suorum fuerit glorificatus*; in conspectu scilicet Angelorum, Sanctorum, atque e populo seniorum; cùm exercuerit vindictam in Jerosolymam, cùm justitiæ suæ specimen dederit, cùm severum in impios jus dixerit; tunc sol & luna caligabunt, &c.

CAPUT XXV.

Grates aguntur ob ea, quibus Deus populum suum cumulavit bona, ejusque in impios severitatem.

℣. 1. DOmine, Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen.

℣. 2. Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum: ut non sit civitas, & in sempiternum non ædificetur.

COMMENTARIUS.

℣. 1. CONFITEBOR NOMINI TUO, QUONIAM FECISTI MIRABILIA, COGITATIONES ANTIQUAS FIDELES. AMEN. Quoniam scilicet mira patrasti, & consilia tua æterna integrâ fide implesti. Vel ex Septuaginta (a): *Quoniam fecisti admirabiles res*, explesti *consilium tuum antiquum verum. Fiat*. Vel (b): *Consilia tua a longe, quæ sunt veritas & firmitas*, certa, fixa, immota. Gratias Deo agit Propheta eo nomine, quòd justam ultionem impleverit in impios, consilia sua æterna & immota, vetusta oracula sua, ea nempe quæ Isaias nunciavit, quæque perinde atque expleta respicit.

℣. 2. QUIA POSUISTI CIVITATEM IN TUMULUM; in sepulcrum, sive in acervum ruderum, in maceriam. Sermonem facilè habet de Jerosolymâ, quam arma Chaldæorum in ruderum acervum redegerunt (c); seu potiùs de Babylone, cujus excidii descriptionem exhibuit capite XXI. Postremæ huic interpretationi vaticinii series meliùs congruit. Chaldæus & Septuaginta (d) generatim explicant: *Laudabo te, quia posuisti civitates in rui-*

(b) Ὡς ὀπωροφυλάκιον. *Heb.* התנדדה כמלונה
(c) 1 *Cor.* VI, 3. (d) *Matt.* XXIV, 29. (e) *Origen. de Princip. lib.* 3, *c.* 6, *& passim.*
(f) אספו אספה אסיר על בור (g) *Euseb. hic. Vide & supr. in Isai.* XIV, 12.
(h) *Matt.* XXIV, 29: *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum. Vide & Joël*, II, 10, 31; III, 15; *Amos*, VIII, 9; *Isai.* XIII, 10; *Ezech.* XXXII, 7.
(a) Ὅτι ἐποίησας θαυμαστὰ πράγματα, βουλὴν ἀρχαίαν ἀληθινήν. Γένοιτο.
(b) עצות מרחק אמונה אמן (c) *Vide, si lubet, Mich.* III, 12; *& Jerem.* XXVI, 18.
(d) Ὅτι ἔθηκας πόλεις εἰς χῶμα. *Heb.* כי שמת מעיר לגל

℣. 3. Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te.

℣. 4. Quia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione suâ: spes a turbine, umbraculum ab æstu: spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem.

℣. 5. Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis: & quasi calore sub nube torrente, propaginem fortium marcescere facies.

℣. 6. Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defœcatæ.

COMMENTARIUS.

ruinas, Civitates munitas in acervos, &c.

Domum alienorum, ut non sit civitas. Domus ista exterorum civitas esse desiit. Reddi potest Hebræus (e): *Palatium alienorum, ut non sit unquam urbs.* Septuaginta (f): *Impiorum civitas in æternum non ædificabitur.* Alii explicant (g) de urbibus Deorum profanorum, de locis cultui Numinum sacris.

℣. 3. Super hoc laudabit te populus fortis, Civitas gentium robustarum timebit te. Populus fortis, urbs gentium ferarum ac formidabilium, quod ex consequentibus suspicari licet, sunt Babylon, & Chaldæi, qui Dei populum oppressere. Corripientur terrore, cogenturque vel inviti agnoscere Dei omnipotentis magnitudinem ac vires, ubi urbem suam humi jacentem eversamque viderint. Vel: Medi & Persæ, Babylone potiti, laudes tibi rependent, tuasque vires agnoscent (h).

℣. 4. Quia factus es fortitudo pauperi. Malis undique Judam prementibus, tu miserum nunquam deseruisti: illius tu robur, præsidium & spes.

Spiritus enim robustorum quasi turbo impellens parietem. Impetus Nabuchodonosoris, qui tot Principes Syriæ, Phœniciæ, Ægypti, Palæstinæ, & Arabiæ evertit, optimè exprimitur nomine turbinis, procellæ, nimbi (i), qui in parietem aliquem ruens, illum dejicit. Septuaginta (k) cum sequenti versiculo hæc jungunt in hanc sententiam: *Spiritus hominum iniquitatem sustinentium laudabunt te, quasi homines pusillanimes sitientes in Sion.* Commodè etiam Vulgata jungitur cum ℣. 5: *Quasi calore sub nube torrente, vel sicut æstus in siti.* Aliter: Darius Medus & Cyrus, perinde atque turbines impetum facientes in Babylonem, illam dejicient.

℣. 5. Sicut æstus in siti, tumultum alienorum humiliabis. Reddi potest Hebræus (l): Dejicies *superbiam alienorum sicut ariditas in loco sicco*, & sicut æstus in loco arenti. Mihi tamen magis probatur sensus versiculo superiori propositus, juxta Septuaginta, ut jungatur verbum *humiliabis* cum iis quæ sequuntur, in hanc sententiam: Impetus hostium sicut procella imbris parietem impellens, *sicut æstus in loco arido*; tu verò (m) *humiliabis extremam hanc ariditatem nube densâ; propago formidabilium infirmabitur*, vel dejicietur; stirps illorum succidetur. Septuaginta (n): *Ab hominibus pessimis liberabis nos, quibus nos permisisti.* Hæc omnia planè congruunt cum Nabuchodonosore, cujus violentos impetus nemo ignorat. Dura Judæorum captivitas soluta est sub Rege Cyro, qui veluti nobis densæ umbraculum sese exhibuit populo, siti & lassitudine deficienti. Denique Tyranni germen succisum est, translatumque in Medos & Persas imperium.

℣. 6. Et faciet Dominus omnibus populis in monte hoc convivium. Solutâ captivitate, quidquid erit e genere Israëlitico, non ex Juda solùm, sed & ex decem Tribubus, cæterisque, qui ad sacra illorum transibunt, in Montem Sanctum convenient, ut reos se votorum sistant, celebrentque læta convivia, & Domini religione sacra. Hoc oraculo non obscurè pariter exprimitur gentium ad fidem conversio, & adventus Messiæ, omnibus latè gentibus divinam mensam parantis, Corpore & Sanguine suo in Eucharistiâ instructam. Dictum etiam accipitur de convivio, quo Deus Electos in Cœlo excipit. Huc non semel Jesus Christus spectavit (o).

Convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defœcatæ. Tot congestæ phrases veluti ad sensum demonstrant, quàm alta senserit Propheta de Cœlesti felicitate, de majestate convivii Carnis & Sanguinis Agni, ab ipso mundi exordio mactati. Intelligimus pariter, eò spectare Prophetam, ut hominum animos ad aliud quid majus, augustius, & planè divinum erigat, quàm dapes caducas, & convivium corpori alendo aptum, celebratumque in terrestri Jerosolymâ post reditum e Babyloniâ. Hebræus (p): *Convivium pinguium, convivium fæcium, pinguium medullatorum, fæcium expurgatorum*, vel percolatarum; olim enim vina mensæ inferenda percolabantur (q). Erat autem id maximè necessarium vino pingui, turbido, denso, quo Græci & Orientales utebantur, quodque in amplioribus amphoris servabatur, ubi fæcis plurimum & acinorum plerumque subsidebat. Contrario planè sensu describit Psalmista Deum propinantem impiis vinum turbidum, cogentemque usque ad fæces bibere (r).

Septuaginta (s): *Super montem istum bibent lætè, bibent vinum, ungentur unguento.* Hæc vindemiarum convivia, quorum meminit S. Hieronymus

(e) ארמון זרים מעיר לעולם (f) Τῶν ἀσεβῶν πόλις εἰς τὸν αἰῶνα οὐ οἰκοδομηθῇ. (g) *Ita Chald. Grot.* (h) Confer hæc verba hujus ℣. עם עז & גוים עריצים, cum iis ex ℣. 4 רוח עריצים & hæc ex ℣. 5 שאון זרים & זמיר עריצים cum alteris ex ℣. 2 ארמון זרים מעיר לעולם (i) כזרם קיר (k) Καὶ πνεύματα ἀνθρώπων ἀδικουμένων εὐλογήσουσί σε. Ὡς ἄνθρωποι ὀλιγόψυχοι διψῶντες ἐν Σιών. (l) כחרב בציון שאון זרים תכניע (m) תכניע חרב בצל עב: זמיר עריצים יענה (n) Ὅτι ῥύσῃ αὐτοὺς ἀπὸ ἀνθρώπων ἀσεβῶν, οἷς ἡμᾶς παρέδωκας. (o) *Luc.* XIV, 16; *Matt.* XXII, 2; XXV, 10; *Marc.* II, 19; *Apoc.* XIX, 7. (p) משתה שמנים משתה שמרים: שמנים ממחים: שמרים מזקקים (q) *Vide Athen. lib.* 2, *c.* 5. (r) *Vide Psal.* LIX, 3, *seu* 5; *&* LXXIV, 9. (s) 70: Ἐπὶ τὸ ὄρος τοῦτο πίονται εὐφροσύνην, πίονται οἶνον, χρίσονται μύρον.

℣. 7. Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam quam orditus est super omnes nationes.

℣. 8. Præcipitabit mortem in sempiternum: & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universâ terrâ: quia Dominus locutus est.

℣. 9. Et dicet in die illâ: Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, & salvabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in salutari ejus.

℣. 10. Quia requiescet manus Domini in monte isto: & triturabitur Moab sub eo, sicuti teruntur paleæ in plaustro.

℣. 11. Et extendet manus suas sub eo, sicut extendit natans ad natandum: & humiliabit gloriam ejus cum allisione manuum ejus.

℣. 12. Et munimenta sublimium murorum tuorum concident, & humiliabuntur, & detrahentur in terram usque ad pulverem.

COMMENTARIUS.

mus in Vulgatâ, apud Veteres omnes Scriptores Sacros profanosque celebrantur (t).

℣. 7. PRÆCIPITABIT IN MONTE ISTO FACIEM VINCULI COLLIGATI. Hebræus (u): *Præcipitabit in monte isto faciem velaminis operientis omnes populos.* Velamen hoc oppansum, aspectu lucis prohibens, dejiciet. Reorum ad supplicium ducendorum oculi velabantur, sicut & caput defunctorum obnubebatur; quique tenebantur mœrore, os faciemque tegebant. Singula hæc exemplis, vel ab ipsâ Scripturâ petitis, constant (x). Igitur, qui olim alto dolore mersi veluti sepeliebantur, ut non incongruè mortuos diceres, vel qui se perinde habebant atque æterno supplicio damnatos, subitò & insperatò reductum e capite velum, & ante pedes projectum læti aspexerunt. Luculenter hæc de vocatione Gentium ad lucem Evangelii explicantur.

Septuaginta (y): *Trade hæc omnia gentibus: consilium enim hoc super omnes gentes.* Seu potiùs: Convivii hujus præparatio omnibus gentibus est. Aquila (z) verterat: *Faciem tenebrarum auferet Dominus e tenebris super omnes populos.* Symmachus: *Auferet faciem dominantis, qui in omnes Gentes dominatur.*

℣. 8. PRÆCIPITABIT MORTEM IN SEMPITERNUM. Ad hunc locum respicere videtur Apostolus iis verbis (a): *Absorpta est mors in victoriâ;* victa scilicet, dejecta, prostrata. Id post mortem Jesu Christi contigit; tunc enim verè mors dejecta est, ejusque potestas cecidit. Mortem nostri causâ oppetens Jesus Christus, vitam nobis eamdemque æternam contulit; nisi nos sponte mortem ultro obeamus post recuperatam ex illo veram justitiæ vitam, ope Sacramentorum. Septuaginta (b): *Mors prævaluit, devoravit.* Hebræus (c): *Absorbebit mortem cum victoriâ;* dejiciet mortem, ut caput attollere nunquam deinceps queat. Libertas e captivitate Babylonicâ non obscuro emblemate redemptionem humani generis e potestate mortis & Dæmonis significabat: emblemati autem huic & figuræ minùs aptè congruunt ea, quæ plenè uni Exemplari conveniunt.

℣. 10. REQUIESCET MANUS DOMINI IN MONTE ISTO. In hoc monte spiritûs & gratiæ suæ perspicua dabit argumenta; cumulabit illum donis. Vel: Patrocinii hîc sui vim & potentiam exeret. Omnia hæc ad Ecclesiam Jesu Christi pertinent.

TRITURABITUR MOAB SUB EO, SICUTI TERUNTUR PALEÆ IN PLAUSTRO. Plaustra, de quibus hîc S. Hieronymus (d), carpenta sunt ferrata, quorum erat usus apud Orientales ad cædendas terendasque paleas, in pabulum pecudum, cùm rarum admodum sit in plerisque iis regionibus fœnum. Interpretes quidam (e) reddunt Hebræum (f): *Moab pedibus conculcabitur sub eo, ut palea in fimo;* vel utì palea ad stramen. Sive: Conculcabitur Moab pedibus Domini, utì conteritur palea (g) *in aquis Medmena;* cujus nominis urbs erat Moabitica, celebris fortasse ex commercio laterum, ex luto paleis concreto. Septuaginta (h): *Conculcabitur Moabitis, quemadmodum calcant aream, frumentum, in plaustris.* Non satis certo constat, quo potissimùm tempore malum hoc Moabitas oppresserit. Post captivitatem utique rejiciendum est, & facilè a Macchabæis illatum (i).

℣. 11. ET EXTENDET MANUS SUAS SUB EO, SICUT EXTENDIT NATANS AD NATANDUM. Graphica descriptio hominis dejecti, qui sub incumbente sibi pondere porrigitur.

ET HUMILIABIT GLORIAM EJUS CUM ALLISIONE MANUUM EJUS; omnes brachii sui vires exeret ad illius superbiam evertendam. Reddi potest Hebræus (k): *Humiliabit superbiam ejus* (superbiam Moab) *insidiis manûs ejus.* Insidias ab ipso sibi paratas fallet. Seu potiùs: *Destruet superbiam ejus, & robur brachiorum ejus.* Confer Caput XV, 5; & XVI, 6.

(t) *Hesiod. sent. Hercul. v. 297; Athen. lib. 2, c. 3, &c.*
(u) בלע בהר הזה פני הלוט הלוט על כל העמים
(x) *Vide Joan. XI, 44; Esther, VII, 8; 2 Reg. XV, 30.* (y) Παράδος ταῦτα πάντα τοῖς ἔθνεσι. Ἡ γὰρ βουλὴ αὕτη ἐπὶ πάντα τὰ ἔθνη. (z) *Aquila apud Hieron. hic: Faciem tenebrarum super omnes populos; cùmque Aquila bis tenebras dixerit, Theodotio semel tenebras nominavit.*
(a) *1 Cor. XV, 54.* (b) Κατέπιεν ὁ θάνατος ἰσχύσας. (c) בלע המות לנצח
(d) *Hieron. hic: Sunt autem carpenta ferrata, rotis per medium in serrarum modum se volventibus, quæ stipulam conterunt, & comminuunt in paleas.* (e) *Pagn. Mont. Pisc. Jun.*
(f) ונדש מואב תחתיו כהדוש מתבן במדמנה (g) במי מדמנה כתיב *Vide Isai. X, 31. Ita Pater Kimchi, & Lud. de Dieu, hic.* (h) Καταπατηθήσεται ἡ Μωαβῖτις, ὃν τρόπον πατοῦσι ἅλωνα ἐν ἁμάξαις. (i) *1 Macc. V, 6, 7. Vide & Joseph. Antiq. lib. XIII, c. 25.*
(k) והשפיל גאותו עם ארבות ידיו

CAPUT XXVI.

Carmen eucharisticum ob fortunas Justorum, impiorumque calamitates. Mortuorum resurrectio.

℣. 1. IN die illâ cantabitur canticum istud in terrâ Juda: Urbs fortitudinis nostræ Sion: salvator ponetur in eâ murus, & antemurale.

℣. 2. Aperite portas, & ingrediatur gens justa, custodiens veritatem.

℣. 3. Vetus error abiit: servabis pacem; pacem, quia in te speravimus.

℣. 4. Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.

℣. 5. Quia incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit: humiliabit eam usque ad terram, detrahet eam usque ad pulverem.

℣. 6. Conculcabit eam pes, pedes pauperis, gressus egenorum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. URBS FORTITUDINIS NOSTRÆ SION: SALVATOR PONETUR IN EA MURUS ET ANTEMURALE. Canticum hoc cum precedente continuatur, exhibetque veluti epilogum omnium, quæ in Capitibus XXIV & XXV dicta sunt. E captivitate redux populus Juda gratias Deo agit de recuperatâ libertate, fractisque Chaldæis. Pleræque carminis hujus phrases ad aliud propositum spectant, quò sanè mens Sancti Spiritûs potissimùm ferebatur, intra cujus fines Commentariorum Scriptores plerique se continent: id verò est Ecclesiæ institutio, salus per Jesum Christum hominum generi procurata, judicium terribile, quod Deus impiis reddet, & mortuorum resurrectio. Cùm autem postremum hunc sensum ipsa Cantici litera satis exprimat, nos in obscuriore altero, sub ambagibus sublimium typicarumque phrasium obvoluto, evolvendo laborabimus.

Reddi potest Hebræus (a): *Urbs fortis nostra salus est, cui apposita sunt mœnia, & agger*. Vel: Est nobis munita urbs; Deus ibi pro muro & pro aggere salutem statuit. *Sion* nec in Hebræo, nec in versionibus, quin nec in ipso S. Hieronymi Commentario legitur. Idcirco autem additur in Vulgatâ, quòd hìc revera agatur de Jerosolymâ, per Nehemiam post captivitatem restitutâ; & sublimiore sensu de Ecclesiâ Christianâ, cui Jesus Christus murus est, agger, præsidium, robur, salus.

Septuaginta (b): *Ecce civitas fortis, quæ est nostra salus; ponet murum & antemurale*; restituetur. Antemurale ambitus erat muri, urbem cingens coronâ, obvolvensque mœnia certâ spatii distantiâ a primis; sed ipsis mœnibus humilius erat ac minus validum. Supersunt adhuc ejus generis aggeres in urbibus quibusdam, ad recentiorum regulas non munitis.

℣. 2. APERITE PORTAS, ET INGREDIATUR GENS JUSTA. Jerosolymam, solutâ captivitate, coluit gens minus impia, & magis sancta, quàm quæ abducta fuerat Babylonem. Quin & Prophetæ (c) de illâ, ceu de gente eximiæ sanctitatis & Justitiæ laude florente, loquuntur. At horum sermo altiùs respiciebat, ad gentem scilicet sanctam, quam Jesus Christus elêgit; ad constitutam ab illo Ecclesiam, qui omnes virtutis, pietatis, justitiæ numeros, quos celebrant Prophetæ, de incolis novæ Jerosolymæ sermonem habentes, in se uno explevit.

℣. 3. VETUS ERROR ABIIT: SERVABIS PACEM; PACEM, QUIA IN TE SPERAVIMUS. Numinum superstitio ex Juda excessit; eâque pulsâ, secessere pariter turbæ, bella, excidia. Tu nobis, Deus, firmam stabilemque pacem conferes, cùm nostram in te spem posuerimus. Hebræus (d): *Consilium firmum*, fixum, *absolutum statuisti; pacem, pacem, eo quòd in te speratum sit*. Vel: Decretum est, fixum, & definitum; pacem constanter servabis; servabis, inquam, quia in te speravimus.

Septuaginta cum præcedenti versiculo jungunt in hanc sententiam (e): Nemo huc ingrediatur, nisi gens justa & veritatem diligens, *apprehendens veritatem, & custodiens pacem, quoniam in eo speravimus*. Aquila (f): *Figmentum stabile, custoditio pacis, quia in ipso confisi sunt*. Vel, si mavis: *Figmentum*, inventum *stabile*, &c. Symmachus (g): *Figmentum nostrum firmatum*, vel sublatum, &c. Harum Versionum fidem sequutus S. Hieronymus, reddidit: *Vetus error abiit*. Sed Hebræa vox *jezer*, quæ sonat figmentum, accipitur etiam pro consilio, decreto, uti superiùs exposuimus.

℣. 4. SPERASTIS IN DOMINO IN SÆCULIS ÆTERNIS. Populus Juda, de ope Domini non desperasti, gravia licèt mala te undique premerent. Omnibus semper retro sæculis, & in omnibus vitæ tuæ casibus summo huic Domino spem tuam credidisti. Hodie tandem intelligis, spem istam nec inanem fuisse nec irritam.

℣. 5. INCURVABIT HABITANTES IN EXCELSO; Superbas deprimet cervices. Babylon superba civitas, Nabuchodonosor ejusque Proceres, arrogantes ac fastosi, redigentur in ordinem; Babylon ad pulverem usque radetur, evertetur funditus.

℣. 6. CONCULCABIT EAM PES, PEDES PAUPERIS.

(a) עיר עז לנו ישועה ישית חמות וחל (b) Ἰδὸυ πόλις ἰσχυρὰ, καὶ σωτήριον ἡμῶν, θήσει τεῖχος, καὶ περίτειχος. (c) *Isai.* X, 20, 21; *Jerem.* XXIII, 3, *& seq. Mich.* V, 12; *Sophon.* III, 13, *& passim*. *Vide & Psalm.* XIV, 1, 2, *&c.* (d) יצר סמוך תצור שלום שלום כי בך בטוח (e) Ἀντιλαμβανόμενος ἀληθείας, καὶ φυλάσσων εἰρήνην, ὅτι ἐπὶ σοὶ ἠλπίσαμεν. (f) Πλάσμα ἐστηριγμένον, φύλαξις εἰρήνης, ὅτι ἐπ' αὐτῷ πεποίθασι. (g) Τὸ πλάσμα ἡμῶν ἐστηριγμένον, vel ἐκπεπρασμένον, *&c.*

℣. 7. Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum.
℣. 8. Et in semitâ judiciorum tuorum, Domine, sustinuimus te: nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ.
℣. 9. Anima mea desideravit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te. Cùm feceris judicia tua in terrâ, justitiam discent habitatores orbis.
℣. 10. Misereamur impio, & non discet justitiam: in terrâ Sanctorum iniqua gessit, & non videbit gloriam Domini.
℣. 11. Domine, exaltetur manus tua, & non videant: videant, & confundantur zelantes populi: & ignis hostes tuos devoret.

COMMENTARIUS.

ris. Judas, humilis adeò & pauper, superbam urbem dejectam intuebitur, eamque pedibus, captivitate solutis, conteret; nam & captam a Cyro, & in prædam exteris datam aspiciet.

℣. 7. SEMITA JUSTI RECTA EST, RECTUS CALLIS JUSTI AD AMBULANDUM. Qui e Dei populo recti justique sectatores fuere, omnes ante se vias sterni videbunt, egredienturque Babylone; iisque abeuntibus, Deus jam diu clausum regionis suæ aditum patefaciet. Hebræus (h): *Semita justo rectitudines; sternes rectas vias justi.* Rectam justi semitam opponit anfractibus impiorum; illorum felicitatem calamitati istorum; horum erectionem, quæ in extremos casus desinit, illorum demissioni, quæ solidam constantemque felicitatem parit.

℣. 8. NOMEN TUUM, ET MEMORIALE TUUM IN DESIDERIO ANIMÆ. Septuaginta (i): *Via enim Domini judicium. Speravimus in nomine tuo, & in memoriâ, qua desiderat anima nostra.* Versiculum hunc cum præcedente si jungas, reddi potest Hebræus [k]: *Sternes* semitam rectam justi; quæ est *via judiciorum tuorum, Domine, Spem nostram in nomine tuo constituimus, & amorem nostrum in desideriis tui.* In eo, quod patiebamur, exilio nulla supererat nobis spes alia & gaudium, quàm memoria tui. Tu solatium nostrum, tu virtus nostra fuisti.

℣. 9. ANIMA MEA DESIDERAVIT TE IN NOCTE. Durissimâ in captivitate ad te suspiria, Domine, emisimus. Scitum est, familiari Prophetarum sermone, noctem pro adversis usurpari.

SED ET IN SPIRITU MEO, IN PRÆCORDIIS MEIS, DE MANE VIGILABO AD TE. CUM FECERIS JUDICIA TUA IN TERRA, JUSTITIAM DISCENT HABITATORES ORBIS. Septuaginta (l) aliter legebant: *Quia lux præcepta tua super terram. Justitiam discite, qui habitatis super terram.* Severitas judicii, quod Deus exercebit, primùm quidem in populum suum, deinde in exteros ac in opulentissimos quosque Principes, docebit alios justitiam colere ac timere, ne par supplicium subeant.

℣. 10. MISEREAMUR IMPIO, ET NON DISCET JUSTITIAM. Nisi Deus excusso in impios flagello illos meliora doceret, nunquam sese in viam redderent. Vis adhibenda est, ut ab iis, quæ insanè amant, avellantur. Væ impiis, quorum molles dulcesque voluptates Deus amarâ mistione non inficit! Fiet enim, ut animi illorum pervicacia nunquam extundatur. Avertat Deus fatalem conniventiam, qua interdum impios punit. Nisi Juda Babylonicam subiisset captivitatem, unquam ne a superstitione recessisset? Aliter: Quamvis impii Nabuchodonosoris misereamur, nunquam fiet, ut justitiam discat; quippe cujus animus in flagitiis obfirmatur, & disciplinam minimè patitur. In terram Sanctorum, in Judæam, & in Jerosolymam sæviit; *non videbit gloriam Domini*, non salutem: illius non miserebitur Deus, omnique spe spoliatus peribit. Aquila & Theodotion: *Misericordiam consecutus est impius, sed non didicit justitiam.*

IN TERRA SANCTORUM INIQUA GESSIT, ET NON VIDEBIT GLORIAM DOMINI. In ipsâ Sanctorum regione Judas coluit impietatem: flagitiis & superstitione terram violavit, quæ sanctitate ac pietate parentum jam floruit. At justa Numinis ultio e sanctâ hac terrâ illum rapuit, gloriam majestatis, & oris sui fulgorem illum celavit: terga vertit ingrato, eumque in regionem alienam compulit.

Totum hunc versiculum aliter reddunt Septuaginta (m): *Cessavit impius; non discet justitiam super terram; veritatem non faciet.* Raptus est impius, *ne videat gloriam Domini.* Reddi etiam potest Hebræus (n): *Noluit impius discere justitiam; in terrâ rectitudinum iniquè egit; & non vidit* (veritus non est, non mentem advertit ad) *gloriam Domini.* De Nabuchodonosore locum explicamus.

℣. 11. DOMINE, EXALTETUR MANUS TUA, ET NON VIDEANT; VIDEANT ET CONFUNDANTUR ZELANTES POPULI; ET IGNIS HOSTES TUOS DEVORET. Nabuchodonosor, superbus ille populi tui hostis, qui mala plurima in terram sanctorum intulit, ita perdatur, ut nunquam gloriam Domini videat: pereant Chaldæi, nec testes fiant libertatis populo tuo concessæ. Vel: Serva illos, Domine, ut in æternum sui dedecus illam videant, ingratoque illius aspectu, rabie & furore torqueantur.

Aliter etiam reddi potest Hebræus [o], si cum præcedente jungatur: *Non viderunt gloriam Domini.* (℣. 11.) *Non adhibuerunt mentem manui tuæ erectæ. Videbunt hæc tandem, & probro obruentur invidi* (hostes nempe) *populi tui; & ignis hostes tuos devoravit.* Septuaginta (p): *Domine, excelsum est brachium tuum, & nescierunt. Scientes autem confundentur. Zelus apprehendet populum ineru-*

(h) ארח לצדיק מישרים ישר מעגל צדיק תפלס Ὁδὸς εὐσεβῶν εὐθεῖα ἐγένετο, καὶ παρεσκευασμένη ἡ ὁδὸς τῶν εὐσεβῶν. (i) Ἡ γὰρ ὁδὸς κυρίου κρίσις, ἠλπίσαμεν ἐν τῷ ὀνόματί σου, καὶ ἐπὶ τῇ μνείᾳ ἧ ἐπιθυμεῖ ἡ ψυχὴ ἡμῶν. (k) אף ארח משפטיך יהוה : קוינוך לשמך ולזכרך תאות נפש (l) Διότι φῶς τὰ προστάγματά σου ἐπὶ τῆς γῆς. Δικαιοσύνην μάθετε οἱ ἐνοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς. Legunt ארח *Oraeh*, pro רוח *Ruah*. (m) 70: Πέπαυται γὰρ ὁ ἀσεβής. οὐ μὴ μάθῃ δικαιοσύνην ἐπὶ τῆς γῆς. Ἀλήθειαν οὐ μὴ ποιήσῃ. ἀρθήτω ὁ ἀσεβής, ἵνα μὴ ἴδῃ τὴν δόξαν κυρίου.
(n) יחן רשע בל למד צדק בארץ נכוחות יעול ובל יראה גאות יהוה
(o) יהוה רמה ידך בל יחזיון יחזו ויבשו קנאת עם אף אש צריך תאכלם
(p) Κύριε, ὑψηλός σου ὁ βραχίων, καὶ οὐκ ᾔδεισαν. Γνόντες δὲ αἰσχυνθήσονται. Ζῆλος λήψεται λαὸν ἀπαίδευτον, καὶ νῦν πῦρ τοὺς ὑπεναντίους ἔδεται.

℣. 12. Domine, dabis pacem nobis: omnia enim opera nostra operatus es nobis.

℣. 13. Domine Deus noster, possederunt nos domini absque te, tantùm in te recordemur nominis tui.

℣. 14. Morientes non vivant, gigantes non resurgant: propterea visitasti, & contrivisti eos, & perdidisti omnem memoriam eorum.

℣. 15. Indulsisti genti, Domine, indulsisti genti: numquid glorificatus es? elongasti omnes terminos terræ?

COMMENTARIUS.

inerruditum, & nunc ignis adversarios tuos comedet. Reddunt hæc sensum optimum, exhibentque Dei manum, ferire terga adversariorum populi paratam, belli ignem jam succensum, quo jam jam absumenda est Babylon.

℣. 12. DOMINE, DABIS PACEM NOBIS: OMNIA ENIM OPERA NOSTRA OPERATUS ES NOBIS; tu enim es in nobis author eorum omnium quæ ipsi gerimus. Seu: Quæ nobis contigerunt, omnia tibi accepto referimus. Tu enim nos feriisti, tu gravi manu capitibus nostris incubuisti (q); te permittente, abducti sumus captivi; teque, Domine, authore, pacem fortunasque accipiemus. Dum populi tui hostes, qui acceptâ ex te potestate ad nos opprimendos per summam audaciam abusi sunt, gravem in se manum tuam experientur, nos interim clementiæ & patrocinii tui munere, tranquillâ pace fruemur. Aliter: *Domine, dabis pacem nobis, sicut dedisti nobis reliqua bona* (r). Denique: Tu nobis, Deus, conferes gloriam, tu æternam felicitatem, postquam nos auxilio gratiæ tuæ præveneris; cujus ope, quidquid boni gessimus, id omne factum est. Tu beneficia in nobis tua coronabis; tu pariter, post collata nobis merita & gratiam, præmium deoique largieris.

℣. 13. POSSEDERUNT NOS DOMINI ABSQUE TE. TANTUM IN TE RECORDEMUR NOMINIS TUI: id effice, ut in te maneamus, nec unquam tui nominis oblivio nos teneat. Sive: Alieni domini nos possederunt: nos deinceps alteri parère, præter te, aut de alio cogitare recusamus. Reddi potest Hebræus (t): *Domine, Deus noster, dominati sunt nobis domini sine te. Tantum in te spes nostra erit, nomenque tuum solummodò celebrabimus*; vel nonnisi de nomine tuo loquemur. Id nobis molestum contigit, ut in alienorum dominorum potestatem incideremus, quamvis e grege tuo essemus. At inter populos, quibus serviebamus, nunquam nos cepit oblivio, tuum esse nos populum. Nomen tuum nobis semper in mente versabatur, & familiaris de illo perpetuusque fuit sermo. Quin & venerabilis hujus nominis cognitionem in eum populum attulimus, inter quem dissipati vagabamur. Septuaginta (u): *Domine Deus noster, posside nos: Domine, extrà te alium nescimus: nomen tuum nominamus*.

℣. 14. MORIENTES NON VIVANT, GIGANTES NON RESURGANT: PROPTEREA VISITASTI, ET CONTRIVISTI EOS. Verba sunt veluti imprecantis, vel, si mavis, prædicentis exitium Chaldæorum, Nabuchodonosoris, dominorum crudelium & alienorum, qui Dei populum oppressere. Tu illos feries, Deus, tu illos delebis, in pulverem rediges; iique e cinere suo nunquam resurgent; morientur, neque unquam caput efferent e sepulcro; præter salutis spem peribunt, ut ne memoria quidem illorum ulla supersit: *Perdidisti omnem memoriam eorum*. Illorum memoria execrabilis erit, ut illis utilius futurum sit, e memoriâ hominum penitus excidisse.

Gigantum nomine accipiuntur hîc homines sævi atque impotentes, domini alieni, de quibus sæpiùs tum hoc cùm Capite præcedenti. Septuaginta (x): *Mortui vitam non videbunt; neque medici suscitabunt. Idcirco induxisti & perdidisti, & tulisti omne masculum eorum*. Eadem Hebræa vox, quæ significat *Raphaim*, gigantes, usurpari etiam potest, ex aliâ legendi syntaxi, pro medicis; & quæ redditur *memoria*, verti etiam potest *masculus*. Hinc ambiguitas & discrimen lectionum in hoc Textu.

℣. 15. INDULSISTI GENTI, DOMINE, INDULSISTI GENTI: NUMQUID GLORIFICATUS ES? ELONGASTI OMNES TERMINOS TERRÆ? Hoc genus hominum beneficiis tuis, o Deus, prosequèris. Nonne gloriam tuam in eo constitues, ut gentem hanc ad utrumque Orbis terminum proroges? Finem beneficiis tuis non statues, educto e captivitate populo: latiores patrocinio tuo fines dabis. Augebis gloriæ cumulum, augebis populi numerum atque opes, ut ad mundi extrema usque dilatetur. Promissionibus hisce fides integra non stetit nisi in populo Christiano, gente numero penè infinitâ, delectâ, & redemptâ Jesu Christi Sanguine, ac per universam latè orbis faciem dilatatâ. Septuaginta (y): *Adde eis mala, Domine, adde mala gloriosis Terræ*.

In eumdem sensum, quem Patres Græci secuti sunt, reddi commodè potest Hebræus (z): *Addes super hanc gentem, Domine, addes: glorificaberis, elongabis terminos terræ*: Verbum *addere* usurpatur interdum pro incremento malorum (a). *Termini terræ* interdum ponuntur pro viris principibus, angulis, regionis optimatibus (b). Illos Deus in furore suo removet, cùm dispergit ac perdit. Hebrææ locutiones designare etiam possunt: *Removebis* sævam hanc gentem ad *terminos Terræ*. E toto orbe Chaldæos pelles. Captivi ad extrema mundi ducentur, uti olim ipsi gentes integras abduxere.

℣. 16. Do-

(q) *Ita* 70: Πάντα γὰρ ἀπέδωκας ἡμῖν. *Grot. Vat. Menoch. Jun. Ita & Hieron. Vide Isai.* XXVIII, 23; V, 19, XL, 10. (r) *Ita Cyrill. Forer. Cornel.* (s) *Sanct. Cornel. Est. Alii e Scolâ*.

(t) יהוה אלהינו בעלונו אדנים זולתך לבד בך נזכיר שמך

(u) Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, κτῆσαι ἡμᾶς, Κύριε, ἐκτός σου ἄλλον οὐκ οἴδαμεν. τὸ ὄνομά σου ὀνομάζομεν.

(x) Οἱ δὲ νεκροὶ ζωὴν οὐ μὴ ἴδωσιν, οὐδὲ ἰατροὶ οὐ μὴ ἀναστήσωσι· διὰ τοῦτο ἐπήγαγες, καὶ ἀπώλεσας, καὶ ἦρας πᾶν ἄρσεν αὐτῶν. *Aqu. & Theodot.* Πᾶν τὸ μνημόσυνον αὐτῶν. *Sym.* Πᾶσαν τὴν μνήμην αὐτῶν. (y) Πρόσθες αὐτοῖς κακά, Κύριε, πρόσθες κακὰ τοῖς ἐνδόξοις τῆς γῆς.

(z) יספת לגוי יהוה יספת לגוי נכבדת רחקת כל קצוי ארץ (a) *Vide Psal.* CXIX, 3; LII, 2; *Nah.* I, 25; *Sophon.* III, 11; 2 *Reg.* XIV, 5; *Jerem.* XLVI, 3. *Forer. Lud. de Dieu*.

(b) *Vide Ludovic. de Dieu, hic, & dicta ad Genes.* XLVII, 2; *& Judic.* XX, 2; *&* 1 *Reg.* XIV, 38.

℣. 16. Domine, in angustiâ requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis.

℣. 17. Sicut quæ concipit, cùm appropinquaverit ad partum, dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus a facie tuâ, Domine.

℣. 18. Concepimus, & quasi parturivimus, & peperimus spiritum: salutes non fecimus in terrâ, ideò non ceciderunt habitatores terræ.

℣. 19. Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate, qui habitatis in pulvere; quia ros lucis ros tuus, & terram gigantum detrahes in ruinam.

℣. 20. Vade, populus meus, intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.

℣. 21. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo, ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum: & revelabit terra sanguinem suum, & non operiet ultrà interfectos suos.

COMMENTARIUS.

℣. 16. Domine, in angustia requisierunt te; in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Malis prementibus, te quærent, Domine: tu illos erudies calamitatibus, quibus humiles tibi preces porrigere cogentur. Ad verbum: Tu illos erudiisti *malis*, de quibus queruntur. Hebræus (c): *Domine, in angustiâ requisierunt te, effuderunt preces suas mussitando*, ceu homines dolore & timore correpti, cùm *tu illos afflixeris*. Ludovicus de Dieu: *Recordati sunt tui in angustiâ; sed perstiterunt in incantationibus suis*, in *superstitionibus, cùm illos percuteres*. Septuaginta (d): *Domine, in tribulatione recordati sumus tui; in tribulatione parvâ disciplina tua nobis*.

℣. 18. Peperimus spiritum; ventum scilicet. Miseri adeò fuimus, ut te desereremus; magnoque molimine conati sumus consilia nostra implere; finitimarum gentium opem frustra polliciti nobismetipsis sumus: spes nostra, inania molimina evanuere. Conatus nostri in ventum abierunt; similes avibus, quæ sine semine ova foventes, nihil pariunt (e).

Salutes non fecimus in terra; ideo non ceciderunt habitatores terræ: salutis fructus non produximus in terrâ, idcirco terræ incolæ deleti non sunt. Nullo bonorum operum merito instruebantur Judæi: quamobrem neque promeruerunt, ut vicinæ Judææ gentes delerentur. Hos omnes populos ad exercitationem & supplicium Judæorum Deus servavit. Hebræus (f): *Concepimus tormina partûs, sensimus; tamquam ventum peperimus. Salutes non fecimus in terrâ* nostrâ, *nec habitatores orbis ciciderunt*. Res male nobis cessit; neque enim nos servavimus, nec hostes prostravimus. Septuaginta (g): *In utero accepimus, doluimus dolore parturientis, & parturivimus, & peperimus spiritum salutis, quam fecisti super terram. Non cademus; sed cadent omnes habitatores terræ*. Hebræo volumine longè alio quàm nos, illos usos esse necesse est.

℣. 19. Vivent mortui tui: interfecti mei resurgent. Expergiscimini qui habitatis in pulvere; illi quos neci tradidisti, iterum resurgent: qui interfecti fuerunt apud me, vitæ restituentur. Expergiscimini, &c. Qui diem in Domino, in fide scilicet ejusque charitate claudunt, ad æternam & felicem in Cœlo vitam resurgent: quos verò Dominus morte quadam civili interfecit, exilio, captivitate, malisque quibus oppressit, illos quodammodo ad vitam revocabit, & in regionem suam restituet. In eâ conditionis conversione veluti novæ vitæ auras trahent (h): inimicis interim nullâ salutis reditûsque spê perituris. Vide superiùs, ℣. 14.

Quia ros lucis ros tuos, et terram gigantum detrahes in ruinam; quia ros super te cadens, lucis ros est, & terram gigantum evertes. Seu potiùs: Quem super mortuos tuos cadere jubes, ros lucis est, quippe qui illos subitò e nocte & morte reducet: simul autem exitium inferes terræ gigantum, Chaldææ, in qua Juda, velut cadaver in sepulcro, jacuit. Idem qui Israëlitas manumisit Cyrus, Imperium Chaldæorum evertit, perdiditque terram gigantum, quibus orbis universus opprimebatur. Septuaginta (i): *Ros qui a te, sanitas eis est; terra autem impiorum cadet*. Vertunt quidam Hebræum (k): *Ros tuus ros est herbarum*, vel auroræ, *& cadere facies terram Rephaim*, gigantum.

℣. 20. Vade, populus meus . . . . . . abscondere ad modicum . . . . . donec pertranseat indignatio. Verba hæc vel ad Judæos ante captivitatem pertinent: Recipite vos brevi temporis spatio trans Euphratem, donec tempus libertatis vestræ impleatur; sive ad Judæos e Babyloniâ reduces, cùm Gog, idest, Cambyses, in Judæam veniens, illam penitus se vastaturum, ac diripiendam militibus permissurum minitabatur (l). Huic postremæ interpretationi favent quæ sequuntur. Vide Caput XXVII.

℣. 21. Ut visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum; patrata scilicet flagitia sive in Deum sive in populum. Quæ duo in idem reci-

(c) יהוה בצר פקדוך צקון לחש מוסרך למו (d) 70: Κύριε, ἐν θλίψει ἐμνήσθημέν σου, ἐν θλίψει μικρᾷ ἡ παιδεία σου ἡμῖν. (e) *Plin. lib.* x, c. 58, de columbis: *Et ipsæ autem inter se, si mas non sit, feminæ aquè saliunt, pariuntque ova irrita, ex quibus nihil gignitur, quæ hypenemia Græci vocant.* (f) כמו ילדנו רוח ישועת בל נעשה ארץ וכל יפלו ישבי הכל (g) Ἐν γαστρὶ ἐλάβομεν, καὶ ὠδινήσαμεν, καὶ ἐτέκομεν πνεῦμα σωτηρίας σου, ὃ ἐποιήσαμεν ἐπὶ τῆς γῆς. οὐ πεσούμεθα, ἀλλὰ πεσοῦνται οἱ ἐνοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς. (h) *Vide Sanct. Grot. Jun. Anglic.*
(i) ἡ γὰρ δρόσος ἡ παρὰ σοῦ, ἴαμα αὐτοῖς ἐστιν, ἡ δὲ γῆ τῶν ἀσεβῶν πεσεῖται.
(k) כי טל אורות מלך וארץ רפאים הפיל (l) *Ezech.* xxxviii, 21, 22.

recidunt. Sed Hebræus (m) commodè aliter redditur: Ut ultionem in habitatores terræ exerceat ob patrata ab illis scelera. Porrò ea ultio ex directo ferit Chaldæos, cæterosque Judaici nominis adversarios.

REVELABIT TERRA SANGUINEM SUUM, ET NON OPERIET ULTRA INTERFECTOS SUOS. Ulciscetur sanguinem iniquè fusum, & immeritam multorum necem. Innocentium sanguinem hactenus quodammodo absorbuerat terra: nunc autem biscens emittet voces, ab hoc sanguine intra se clauso conceptas. Sanguis & cædes, quibus Reges Chaldæorum sævierunt, in ipsos & in ipsorum terram recident. Vide Jobum, XVI, 19: *Terra, ne operias sanguinem meum*, &c. Vide & Genesim, IV, 10.

CAPUT XXVII.

Punitio Regis Babyloniæ, sub Leviathani nomine designati. Carmen eucharisticum Judæorum ob recuperatam libertatem. Babylon eversa; totaque inter Euphratem & Nilum regio vastata. Reditus Israelitarum ex Assyriâ & Ægypto.

℣. 1. IN die illâ visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti, super Leviathan serpentem vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est.
℣. 2. In die illâ vinea meri cantabit ei.
℣. 3. Ego Dominus, qui servo eam, repentè propinabo ei: ne fortè visitetur contra eam, nocte & die servo eam.

COMMENTARIUS.

℣. 1. IN DIE ILLA VISITABIT DOMINUS IN GLADIO SUO SUPER LEVIATHAN SERPENTEM VECTEM, ET SUPER LEVIATHAN SERPENTEM TORTUOSUM; ET OCCIDET CETUM, QUI IN MARI EST. Prænunciato regressu Juda in patriam, & ultione a Domino expetendâ sanguinis iniquè fusi in Judæâ, historiam ultionis ipsius hîc enarrare Isaias aggreditur. Primò autem illos, quos ea ultio feriet, sub nomine duorum ingentium colobrorum, vel sub duplicis marinæ belluæ imagine innuit. *Leviathan serpens vectis*, idest rectus porrectusque, designare potest Nabuchodonosorem, vel Assyrium; alterum verò, *Leviathan tortuosum*, pro Rege Ægypti non male usurpaveris. Nobis verò ea sedet opinio, sub nominum hujusmodi emblemate latère eumdem, qui apud Ezechielem Gog appellatur, Cambysem seu Holofernem. Patebit enim inferiùs, nostram hanc explicationem cum reliquis hujus capitis partibus congruere. In argumentis autem ejus generis, in quibus certi nihil demonstrari potest, satis habendum est, si id, quod majorem veri speciem habet, teneatur. Porrò hypothesim te excogitasse rectam tunc meritò arbitreris, cùm omnia quæ per allegoriam dicta in Textu exhibentur, feliciter in tuo argumento exponantur; quemadmodum optimè solutum ænigma tunc reputandum est, cùm reducitur velum, quo veritas obvolvebatur, & obscuræ phrases, caligine veritatem celantes, in apertam lucem educuntur. Plerique dicta hæc de Diabolo exponunt; sed nos sensum historicum & literalem persequimur.

IN GLADIO SUO DURO ET GRANDI. Septuaginta (a); *Gladium sanctum & magnum*. Gladius est Numinis ira, ultio.

LEVIATHAN SERPENTEM VECTEM, colubrum immanem. Ad literam (b): *Serpentem* ceu *vectem*, magnum & longum, unius formæ. Hebræus reddi potest: *Serpentem fugientem*, vel *claudentem*, uti vectis fores claudit; & *fortem*, robustum. Suspicatur Bochartus (c), *serpentem* hunc *vectem esse zygænam* (Italis *pesce martello*, Gallis *baratelle*) piscem notum Oppiano, Æliano, Galeno, & Suidæ, cujus caput neque planum, neque rotundum, neque acuminatum, nec altum est, sed ad utrumque latus porrigitur ceu vectis.

LEVIATHAN SERPENTEM TORTUOSUM (d); anguem tortuosum, more serpentis vel anguillarum, vario corporis flexu repentem. Solemne est Hebræis, pisces anguis & reptilis nomine appellare. Porrò Isaias unum eumdemque Principem designat sub tribus hisce nominibus *Leviathani* serpentis vectis, *Leviathani* serpentis tortuosi, ac *Ceti, qui in mari est*. Babylon *mare* appellatur superiùs, XXI, 1. Hæc omnia planè congruunt cum Cambyse, Principe sævo, furibundo, crudeli.

℣. 2. IN DIE ILLA VINEA MERI CANTABIT EI. Nomine vineæ meri, & vini exquisiti Judæa significatur: idemque vineæ nomen regioni populi sui Scriptura frequenter impartitur (e). Sublato Cambyse, vel Holoferne, ubi liberam se metu infestissimi hostis Judæa sensit, ad solemnes Deo grates agendas se contulit. Reddi potest Hebræus (f): *In die illâ per intercalares canetur: Vinea meri optimi*. Carmen est vindemiæ lætumque, cujus prima verba hîc libantur.

℣. 3. EGO DOMINUS, QUI SERVO EAM, REPENTE PROPINABO EI: NE FORTE VISITETUR CONTRA EAM; nunquam non illam rigabo; & ne vastetur, noctu diuque illam custodio. Vinea est mihi charissima, quam assiduo humore irrigo, cui insidiantur undique hostes: sed tanto illam studio tuebor, ut nunquam in illam irrumpant. Ita Dominus curas suas exprimit erga gregem suum, in

(m) לפקוד עון ישב הארץ עליו

(a) Τὴν μάχαιραν τὴν ἁγίαν, καὶ τὴν μεγάλην. *Heb.* בחרבו הקשה והגדולה Legunt קדשה pro הקשה (b) על לויתן נחש ברח *Hieron.* *Fugiens*. *Sym.* *Concludens*. *Theodot.* *Robustus*. *Aquil.* *Vectis*. (c) *Boch. de animal. parte* 2, *lib.* 5, *c.* 33. (d) על לויתן נחש עקלתון ἐπὶ τὸν δράκοντα ὄφιν σκολιόν. (e) *Psal.* LXXIX, 9; *Isai.* III, 13; V, 1; *Jerem.* II, 21; *Ezech.* XVII, 9; *Joël*, I, 7, &c. (f) ביום ההוא כרם חמר ענו לה 70: Τῇ δὲ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀμπελὼν καλὸς ἐπιθύμημα ἐξάρχει κατ' αὐτῆς.

℣. 4. Indignatio non est mihi: quis dabit me spinam, & veprem in prælio? gradiar super eam: succendam eam pariter.

℣. 5. An potiùs tenebit fortitudinem meam, faciet pacem mihi, pacem faciet mihi?

℣. 6. Qui ingrediuntur impetu ad Jacob, florebit, & germinabit Israël, & implebunt faciem orbis semine.

℣. 7. Numquid juxta plagam percutientis se percussit eum? aut sicut occîdit interfectos ejus, sic occisus est?

℣. 8. In mensurâ contra mensuram, cùm abjecta fuerit, judicabis eam: meditatus est in spiritu suo duro per diem æstûs.

℣. 9. Idcircò super hoc dimittetur iniquitas domui Jacob: & iste omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus, cùm posuerit omnes lapides altaris sicut lapides cineris allisos, non stabunt luci & delubra.

COMMENTARIUS.

in Judæâ collectum post dispersionem.

℣. 4. INDIGNATIO NON EST MIHI. QUIS DABIT ME SPINAM, ET VEPREM IN PRÆLIO? GRADIAR SUPER EAM, SUCCENDAM EAM PARITER. Ingenio non sum ad iracundiam facto. Quis est, qui arma in me infert ut in spinam, & veprem? Conculeabo illam, & succendam igne. Vineam meam non alio animi affectu prosequor quàm amore & charitate; fœcundam florentemque opto, nullique rei ob eam causam parco. Si quis verò id efficiat, ut spinis vepribusque illa silvescat, illas ne vix germinantes non evellam, & igne succendam? Si populus meus degeneraverit, & ager spinosus pro fœcundâ & bene cultâ vineâ fiat, is utique furoris mei vim sentiet. Si autem inimicus aliquis irruperit in vineæ hujus excidium, eamque veluti in agrum incultum spinisque obsitum redegerit, quo me furore in illum exarsurum credis? Versiculum hunc & sequentem accipiendos potiùs censeo de minis in extraneos illatis, ut in Cambysem cæterosque Judaici nominis osores, quàm in ipsos Israëlitas.

℣. 5. AN POTIUS TENEBIT FORTITUDINEM MEAM, FACIET PACEM MIHI? Contineat ille manum meam, nec audeat mittere se in discrimen experiundi vim brachii mei, & indignationis meæ pondus. Minas intentat Deus, non ut perdat, sed ut occasionem præbeat iis, qui supplicium promeruerunt, resipiscendi, & iis, qui tormenta metuunt, vitandi peccatum.

℣. 6. QUI INGREDIUNTUR IMPETU AD JACOB: FLOREBIT ET GERMINABIT ISRAEL. Væ illis qui impetum faciunt in Jacobum! Israël florebit & germinabit. Hebræus [g]: *Veniet tempus, quo Jacob radicabit; florebit & gemmas aget Israël.* Septuaginta (h): *Venientes, sunt filii Jacob; germinabit & florebit Israël.* Alii vertunt Hebræum: *O Justi, radix futura! Jacob radices aget, &c.* Portendunt hæc rerum eventus post captivitatem Babylonicam.

℣. 7. NUMQUID JUXTA PLAGAM PERCUTIENTIS SE PERCUSSIT EUM? An Deus populum percussit, utì eos, qui populum tyrannide oppressere? Judam & Israëlem punivit quidem Deus, & abduxit in captivitatem; sed miserorum non est oblitus: cecîdit illos ceu pius pater, & justitiam clementiâ temperavit. Post exilium revocavit illos in patriam, summoque illos studio defendit. Aliter planè se gessit cum Chaldæis, cæterisque Judaici nominis adversariis. Deus illos supremo excidio perdidit delevitque; prostratum illorum Imperium nunquam deinceps caput extulit, nec eorum radix germinavit: omnis posteritas cum illis periit. Septuaginta (i): *Nonne sicut ipse percussit, & ipse sic percutietur? & sicut ipse interfecit, sic interficietur?* Hunc sensum commodè admittit Hebræus. Alium dabimus ℣. sequenti.

℣. 8. IN MENSURA CONTRA MENSURAM, CUM ABJECTA FUERIT, JUDICABIS EAM; tunc pariter cùm Israël rejectus fuit, jus illi reddidit moderatum & ad mensuram. Seu potiùs contrario sensu (k): *Judicasti* adversarios populi tui *mensurâ pleâ & abundanti, illos penitùs abjiciens.* Septuaginta (l): *Rixans & exprobrans ejiciet eos.* Præstat dicta exponere de severitate, quam Deus in populum suum exercuit; quem sensum definire videtur tota sermonis series.

MEDITATUS EST IN SPIRITU SUO DURO PER DIEM ÆSTUS; rationem inivit severitatem indignationemque suam temperandi, cùm succensere maximè videbatur. Prona sunt hæc, si de clementiâ Dei erga populum accipiantur. Si verò exponantur de severitate Judicii, quod exercuit in Judam & Israëlem, utì versiculo præcedenti explicavimus, reddendum erit: Immisit in illos validum ventum die æstûs. Ariditatem & siccitatem per ventum inductam æstui per solem parto adjecit. Septuaginta (m): *Nonne tu eras, qui meditabaris spiritu duro,* & inexorabili, *interficere eos spiritu furoris?* Sed severitatis hujusce causâ, quâ Deus Jacobum exercuit, factum est, ut is veniam impetrârit. [℣. 9.] *Idcirco super hoc dimittetur iniquitas domui Jacob.*

℣. 9. CUM POSUERIT OMNES LAPIDES ALTARIS SICUT LAPIDES CINERIS ALLISOS, NON STABUNT LUCI ET DELUBRA; cùm scilicet cremaverit profani Numinum altaris lapides, utì cremantur lapides calcis; & cùm succiderit lucos, & delubra everterit; tunc criminum suorum veniam obtinebit, & memoria præteritorum criminum apud Dominum cadet.

℣. 17. Ci-

(g) הבאים ישרש יעקוב יציץ ופרח ישראל

(h) Οἱ ἐρχόμενοι, τέκνα Ἰακώβ. βλαστήσει, καὶ ἐξανθήσει Ἰσραήλ.

(i) Μὴ ὡς αὐτὸς ἐπάταξε, καὶ αὐτὸς οὕτως πληγήσεται; καὶ ὡς αὐτὸς ἀνεῖλεν, καὶ αὐτὸς οὕτως ἀφαιρεθήσεται. *Heb.* הכמכת מכהו הכהו אם כהרג הרגיו הרג

(k) בסאטאה בשלחה תריבנה

(l) Μαχόμενος, καὶ ὀνειδίζων ἐξαποστελεῖ αὐτούς. (m) Οὐ σὺ ἦσθα ὁ μελετῶν τῷ πνεύματι τῷ σκληρῷ ἀνελεῖν αὐτοὺς πνεύματι θυμοῦ;

℣. 10. Civitas enim munita desolata erit, speciosa relinquetur, & dimittetur quasi desertum: ibi pascetur vitulus, & ibi accubabit, & consumet summitates ejus.

℣. 11. In siccitate messes illius conterentur, mulieres venientes, & docentes eam: non est enim populus sapiens, propterea non miserebitur ejus qui fecit eum, & qui formavit eum non parcet ei.

℣. 12. Et erit: In die illâ percutiet Dominus ab alveo fluminis usque ad torrentem Ægypti, & vos congregabimini unus & unus filii Israël.

℣. 13. Et erit: In die illâ clangetur in tubâ magnâ, & venient qui perditi fuerant de terrâ Assyriorum, & qui ejecti erant de terrâ Ægypti, & adorabunt Dominum in monte sancto in Jerusalem.

COMMENTARIUS.

℣. 10. Civitas enim munita, desolata erit. Accipi hæc possunt sive de Jerosolymâ sive de Babylone; quamquam postremam hanc nexus sermonis præfert. Postquam exposuit Propheta versiculis præcedentibus pœnam, qua Deus ad iracundiam provocatus in populum animadvertit, nunc narrare aggreditur justitiæ suæ in Babylonios severitatem. Redigetur Babylon in solitudinem; pascentur greges, & absument germina herbarum ibi nascentium (n): *Consumet summitates ejus*. Septuaginta longe aliter reddunt (o): *Dimissus grex sicut grex derelictus; & erit multo tempore in pastionem; & ibi requiescent greges; & post tempus multum non erit in eâ omne viride*, in iis pascuis.

℣. 11. In siccitate messes illius conterentur. Mulieres venientes et docentes eam; non est enim populus sapiens. Sermo est de Babyloniis. Tempus messis aderit, accedetque Dominus, ut ultionem in impios exerceat, demetet segetes, & excutiendas ac terendas sive pedibus pecudum sive plaustris ferreis dabit. Flavescit jam messis, & falcem expectat. Principes, viri docti, & quos adhibent a consiliis, ceu fœminæ imbecilles (p) nec firmitate, nec consilio, nec robore, nec ingenio valebunt. Hebræus (q): *In arescendo messem ejus, conterentur. Mulieres venientes instruent eam*. Septuaginta: *Non erit in eâ omne viride post tempus*, (℣. 11) *quia exsiccatum est. Mulieres venientes ad spectaculum, venite; non est enim populus habens intelligentiam*.

℣. 12. Percutiet Dominus ab alveo fluminis (Euphratis) usque ad torrentem Ægypti. Syriam totam, Phœniciam, Palæstinam, Arabiam desertam, regionesque cis Euphratem omnes Nabuchodonosor vastavit. Cyrus deinde Chaldæorum Imperium evertit, liberosque Judæos pronunciavit: *Et vos congregabimini unus & unus, filii Israël*. Elici hæc explicatio commodè potest ex his verbis: at æquè potest de consternatione rerumque turbatione usurpari, qua tota regio correpta est, sublato Cambyse, antequam Imperium Dario Hystaspis assereretur. Namque nonnisi post Cambysis obitum, & postquam Darius res pacavit, Judæa gens absolutam libertatem adepta est, & Israëlitæ sigillatim domum rediere.

Et vos congregabimini unus et unus, filii Israel. In Dissertatione ad Ezechielem demonstravimus, non modò Tribus Juda, Levi & Benjamini, sed & decem reliquas Tribus Israëlis e captivitate rediisse: hoc tamen inter utrasque discrimine, quòd Judas edicti causâ pro se dati Jerosolymam rediit, sub exordia Cyri Babylone regnantis; cùm Israëli non alia facultas data fuerit, quàm universa quædam libertas, a Cyro facilè concessa, & a Dario Hystaspis confirmata; ut proinde Israël nonnisi *unus & unus*, utì habet hic Propheta, sigillatim nempe, & per turmas redierit, cùm Judas per agmina venerit. Cambyse autem sublato, & Dario Regnum jam tenente, potissimùm factum est, ut Israëlitæ in patriam regrederentur.

℣. 13. Venient qui perditi fuerant de terra Assyriorum, et qui ejecti erant, de terra Ægypti. Classico strenuè canet Dominus, & dispersas per varia loca decem Tribus in unum coget. Sedulò distinguendus est hic reditus Juda e captivitate suâ, de quo fusiùs in Capite xxvi, a reversione decem Tribuum, de qua modò. Post annos a Cyri edicto pro Tribu Juda lato vicenos, Israëli reditus patuit.

CA-

(n) כלה סעפיה (o) Ποίμνιον ἀνειμένον ἔσται, ὡς ποίμνιον καταλελειμμένον. Καὶ ἔσται πολὺν χρόνον εἰς βόσκημα, καὶ ἐκεῖ ἀναπαύσονται, καὶ μετὰ πολὺν χρόνον οὐκ ἔσται ἐν αὐτῇ πᾶν χλωρόν.

(p) Vide similes locutiones *Isai.* iii, 12; xix, 16; *Nahum*, iii, 13.

(q) ביבש קצירה תשברנה נשים באות מאירות אותה 70: Διὰ ξηρανθῆναι, ἀπὸ θέας δεῦτε. Οὐ γάρ λαός ἐστιν ἔχων σύνεσιν.

CAPUT XXVIII.

Calamitas Regni Ephraimitici, cujus scelera æmulatus Juda, simili ultione punietur. Judæi Prophetis insultant. Lapis angularis in Sion. Messis frumenti & minutarum segetum, Divinæ ultionis emblema.

℣. 1. VÆ coronæ superbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti, gloriæ exultationis ejus, qui erant in vertice vallis pinguissimæ, errantes a vino.

℣. 2. Ecce validus & fortis Dominus, sicut impetus grandinis, turbo confringens, sicut impetus aquarum multarum inundantium, & emissarum super terram spatiosam.

℣. 3. Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim.

℣. 4. Et erit flos decidens gloriæ exultationis ejus, qui est super verticem vallis pinguium, quasi temporaneum ante maturitatem autumni: quod cùm aspexerit videns, statim, ut manu tenuerit, devorabit illud.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VÆ CORONÆ SUPERBIÆ, EBRIIS EPHRAIM, ET FLORI DECIDENTI, GLORIÆ EXULTATIONIS EJUS, QUI ERANT IN VERTICE VALLIS PINGUISSIMÆ. Pinguntur his verbis Israëlitæ decem Tribuum, ac præsertim Samariæ incolæ, quos Prophetæ non rarò superbiæ, arrogantiæ & ebrietatis accusant. Amos ita illos describit (a): *Pro eo quòd vendiderint pro argento justum, & pauperem pro calceamentis. Et super vestimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare; & vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui.* Et alibi, illos alloquens, ait (b): *Audite verbum hoc, vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ; quæ dicitis dominis vestris: Afferte, & bibemus.*

Reddi potest Hebræus (c): *Corona superbiæ ebriorum Ephraim, & flos decidens gloriæ ejus, quæ super caput vallis pinguis quassatorum vino.* Samariam alloquitur, urbem in monte sitam, præsidentemque agro fertilissimo, quæ superbiam suam fovebant, & qua decem Tribuum Israëlitæ gloriabantur, Metropolim regni Israëlis, sedemque populi locupletissimi, superbi, arrogantis, conviviis & libidini dediti. Planum est ex Vulgatâ, oraculum istud editum fuisse ante captivitatem decem Tribuum, & Regni Israëlitici eversionem. Sed non ita res in Hebræo constat; commodè enim in præterito redditur (d), explicanturque versiculi 2, 3, 4, 5, veluti descriptiones malorum, quæ Ephraimum pœnâ criminum oppresserunt. Si cui prior sensus arriserit, is certè hoc vaticinium componat cum exordio Regni Ezechiæ; hujus enim Principis (e), de quo in hoc Capite, ℣. 6, anno sexto Samaria cessit Salmanasaro. Eusebius & Veterum nonnulli explicant hæc de Juda proditore, quem Ephraimiticam originem traxisse ferebant, legebantque ex Septuaginta: *Væ coronæ superbiæ, Mercatoribus Ephraim.*

℣. 2. ECCE VALIDUS ET FORTIS DOMINUS, SICUT IMPETUS GRANDINIS. Hebræus (f): *Ecce validus & fortis Domino, sicut inundatio grandinis.* En Salmanasar, Princeps validissimus, qui procellæ instar Samariæ imminet. *Vir fortis Domino* designare potest virum mirificè robustum, & penè divini roboris, ut cùm dicitur *vir pulcher Domino, Cedri Dei, montes Dei*, &c. vel planiùs, hominem potentem, a Deo missum. Septuaginta (g): *Ecce fortis & durus furor Domini, sicut grando quæ cadit impetu.*

SICUT IMPETUS AQUARUM MULTARUM INUNDANTIUM ET EMISSARUM SUPER TERRAM SPATIOSAM. Hebræus (h): *Sicut inundatio rapidarum aquarum deponetur in terrâ manu.* Occupabit Salmanasar exercitu regionem Samariticam, ut violentarum aquarum eluvio totam latè operit regionem: vel, in totam ditionis Israëliticæ faciem effundetur. Manus significare potest spatium, vel robur, vel exercitum. Septuaginta (i): *Sicut aqua magna multitudo trahens regionem terræ, faciet requiem manibus suis.*

℣. 4. ERIT FLOS DECIDENS GLORIÆ EXULTATIONIS EJUS. . . . . . . QUASI TEMPORANEUM ANTE MATURITATEM AUTUMNI: QUOD CUM ASPEXERIT VIDENS, STATIM UT MANU TENUERIT, DEVORABIT ILLUD. Flos iste caducus, ex quo tota illius gloria est, qui in capite vallis pinguis micat, perinde erit ac fructus præcox, ante autumnum maturus, qui statim visus carpitur, & ori admovetur. Assyriæ Reges Samariam habuerunt, ceu ficum præcocem. Hujus regionis amœnitatem, & superbæ urbis gloriam vix aspexerunt, ingenti statim illius desiderio flagravere. Tantâ aviditate ad eam capiendam accessere, quantâ ferimur in fructum præcocem, qui statim visus carpitur, & ori infertur. Theglathphalassar nihil intulit gravius, quàm ut illam vectigalem redderet. At Salmanasar, metuens ne vires cum Ægyptiis jun-

(a) *Amos*, II, 6, 7, 8; & VIII, 4, 5, &c. (b) *Ibid.* IV, 1; & V, 11, 12. (c) הוי עטרת גאות שכרי אפרים וציץ נבל צבי תפארתו אשר על ראש גיא שמנים הלומי יין 70. Οὐαὶ τῷ στεφάνῳ τῆς ὕβρεως, οἱ μισθωτοὶ Ἐφραίμ, τὸ ἄνθος τὸ ἐκπεσὸν ἐκ τῆς δόξης ἐπὶ τῆς κορυφῆς τοῦ ὄρους τοῦ παχέος, οἱ μεθύοντες ἄνευ οἴνου. (d) *Vide Sanct. hic.* (e) 4 *Reg.* XVII, 6, *cum* 4 *Reg.* XVIII, 1. (f) הנה חזק ואמיץ לאדני כזרם ברד (g) Ἰδοὺ ἰσχυρὸν καὶ σκληρὸν ὁ θυμὸς κυρίου, ὡς χάλαζα καταφερομένη. (h) כזרם מים כבירים שטפים הניח לארץ ביד (i) Ὡς ὕδατος πολὺ πλῆθος σῦρον χώραν, ἐν τῇ γῇ ποιήσει ἀνάπαυσιν ταῖς χερσί.

℣. 5. In die illâ erit Dominus exercituum corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui:

℣. 6. Et spiritus judicii sedenti super judicium, & fortitudo revertentibus de bello ad portam.

℣. 7. Verùm hi quoque præ vino nescierunt, & præ ebrietate erraverunt: sacerdos, & propheta nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium.

℣. 8. Omnes enim mensæ repletæ sunt vomitu, sordiumque, ita ut non esset ultra locus.

℣. 9. Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus.

℣. 10. Quia manda, remanda: manda, remanda: expecta, reexpecta: expecta, reexpecta: modicum ibi, modicum ibi.

COMMENTARIUS.

jungeret, quibuscum Osee Rex Israëlis (k) occultâ necessitudine jungebatur, atque e suis dilapsa, in alterius manum transiret, illam occupavit, & funditus evertit.

℣. 5. In illa die erit Dominus corona gloriæ . . . . residuo populi sui. Quicumque ex Israëlitis gladium sive captivitatem Assyriorum vitarunt, plerique ad Judam accesserunt, unâque coiverunt in eamdem synceri cultûs religionem. Tunc Dominus corona gloriæ illis fuit, eorumque fiducia, qui antea in superbiam sese erexerant, rati tuta sibi esse omnia, dum Samaria staret. Sunt qui (l) *Residuum populi sui* de Tribubus Juda & Benjamini interpretentur; quorum sententiæ series orationis favet.

℣. 6. Et spiritus judicii sedenti super judicium. Spiritus judicii afflabit eum, qui reddendo juri sedebit. Ezechiam scilicet (m), inter optimos qui in Juda regnarunt. Abjectum penitus in ditione suâ cultum Domini ille restituit; expulsam æquitatem ordinemque revocavit; accivit iterum Israëlitas ad religionem avitam (n) & reduces e bello in pacis exercitio confirmavit: *Et fortitudo revertentibus de bello ad portam*. Hebræus: *Et fuit robur (o) revocantibus bellum ad portam*, vel redeuntibus e bello, secumque pacem in regionem suam deferentibus. Perinde se habuit Ezechias atque munimentum Israëlitarum, qui bellico spiritu & simultatibus, quæ illos nunquam non cum Juda commiserant, depositis redierunt in communem patriam, & sub idem Imperium familiæ Davidicæ, seseque populo fideli Juda adjunxerunt. Denique Ezechias copias suas novo robore armavit, easque ex omnibus belli expeditionibus victrices secum reduxit (p).

℣. 7. Verum hi quoque præ vino nescierunt. Vel ipsa Tribus Juda ebrietatem Ephraimitarum imitati sunt; laxarunt fræna in libidinem, ebrietatem, & cætera ex his fontibus vitia. Neque enim reputandum est, Ezechiæ, quantumlibet pio ardore omnia moliretur, id contigisse, ut populum penitus e licentiâ adeo inveteratâ revocaret. Sub optimis quibuslibet Principibus locus semper aliquis vitiis est, quæ illi pati vel dissimulare, metu majorum malorum, coguntur. Quamquam vitia hæc ad successorum potiùs quàm ad Ezechiæ Regnum pertinebant.

Sacerdos et Propheta nescierunt præ ebrietate. Muneri suo obeundo impares ob ebrietatem erant. Turbata Prophetæ mens vini hausti excessu, Sancti Spiritûs afflatum non admisit; nec Sacerdos mentem habuit satis expeditam, ut accuratè lepram a leprâ dignosceret, & maturum judicium inter sanguinem & sanguinem redderet; ut denique servaret ordinis sui majestatem, quam & Domûs Dei & sacri muneris dignitas poscebat: *Nescierunt videntem, ignoraverunt judicium*. Vel ex Hebræo (q): *Erraverunt in visione; nutarunt in judicio*. Apud Hebræos causarum ferè omnium Judices Sacerdotes erant (r). Septuaginta (s): *Hæc est visio; maledictio comedet hoc consilium*.

℣. 8. Omnes mensæ repletæ sunt vomitu sordiumque, ita ut non esset ultra locus. Tam immodicè bibebant, ut vomitu super mensas egerere cogerentur ea quæ absorbuerant: sordes ubique, ut nullus careret sordibus locus. Ita Hebræus (t). Intolerabilem probrosamque intemperantiam! Quis hisce rebus fidem adhiberet, nisi in Religione omnium sanctissimâ similia adhuc hominum monstra occurrerent, ad hauriendum vinum & ad abutendum divinis beneficiis nata; quæ inde sibi gloriam quærunt, quod æternum esse ipsis debuit probrum? Ab Hebræo magnoperè discrepant Septuaginta, cùm legant (u): *Siquidem istud consilium propter avaritiam est. Cui annunciavimus mala?*

℣. 9. Quem docebit scientiam? ablactatos a lacte, et avulsos ab uberibus. (℣. 10) Quia manda, remanda, &c. Quem docebit legem suam Deus? Pueros ne vix a lacte pulsos? Doce, iterum doce, &c. Hunc locum præ oculis habuisse videtur Apostolus iis verbis (x): *Non potui loqui vobis quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tamquam parvulis in Christo, lac potum vobis dedi, non escam; nondum enim poteratis*.

Ver-

(k) 4 *Reg.* xvii, 4; & 2 *Par.* xxx, 1, 2, 11, 18; xxxi, 6.
(l) *Sanct. Hieronym. Menoc. Grot. Cornel.* (m) *Hieron. Sanct. Grot. Cornel.*
(n) 2 *Par.* xxx, 1, 2, 11, 18. (o) ולגבורה משיבי מלחמה שערה (p) 4 *Reg.* xviii, 7, 8: *Unde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad quæ procedebat, sapienter se agebat. Rebellavit quoque contra Regem Assyriorum, & non servivit ei: ipse percussit Philisthæos usque ad Gazam.*
(q) שגו בראה פקו פליליה (r) *Deut.* xvii, 9, 10. (s) Τοῦτό ἐστι φάσμα. ἀρὰ ἔδεται ταύτην τὴν βουλήν. (t) כי כל שלחנות מלאו קיא צאה בלי מקום
(u) Αὕτη γὰρ ἡ βουλὴ ἕνεκα πλεονεξίας. Τίνι ἀνηγγείλαμεν κακά. (x) 1 *Cor.* iii, 2.

℣. 11. In loquelâ enim labii, & linguâ alterâ loquetur ad populum istum:
℣. 12. Cui dixit: Hæc est requies mea, reficite lassum, & hoc est meum refrigerium: & noluerunt audire.
℣. 13. Et erit eis verbum Domini: Manda, remanda: manda, remanda: expecta, reexpecta: expecta, reexpecta: modicum ibi, modicum ibi: ut vadant, & cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur.

COMMENTARIUS.

Verba illa, *Manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi*, expressa censentur (y) imitatione derisionum, quibus Judæi Prophetas traducebant. Homines e ditione Juda, qui sapere se supra vulgus gloriabantur, personam hominum a Deo afflatorum Prophetarumque agentes, promebant de ridiculo verba obscura & ænigmatica; obliquè innuentes, sanctissimos illos Prophetas homines esse nebulones & garrulos, qui credulum populum fallerent, terrerentque simplices inanibus verborum terroribus, quos e cerebro educebant.

Commodè etiam hic sensus exprimitur: Quorsum hæc Propheta? num docere se credit pueros vix a lacte pulsos, balbutientes adhuc, quibus mandenda sont omnia, & monstrandæ literæ ac syllabæ (z)? *Zau lazan, zau lazan; Kau lakan, Kau lakan; sebir scham, Sebir scham*, ajebant impii isti, imitantes ludimagistros, qui pueros docent literas noscere & efferre. *Zau lazan*; & reliqua, sonant ad literam: *Manda ad mandandum; manda ad mandandum; expecta ad expectandum; expecta ad expectandum: parum ibi, parum ibi:* quæ voces nullum sensum reddunt; uti neque ullum referunt eæ voces puerorum, quibus literæ monstrantur, *ba, be, bi, bo, bu* [a].

Alii ita reddunt Hebræum: Quid docet ille? ad quem verba se facere credit? *Proponit nobis præceptum præcepto; lineam lineâ; parum hic, parum hic*; tamquam stupidi simus & bardi, minimè percipientes ea quæ docet. Cur non apertè proloquitur? cur non luculenter edisserit ænigma? Modò hoc, modò illud prædicit. Nunc arguit, nunc minatur; nunc magnificis promissionibus credulitatem nostram pascit. Cur hoc sermonis circuitu nos trahit? Palam rem aperiat, ut sciamus quid agendum sit. Reponit hisce Propheta futurum, ut Dominus iniquis illorum expostulationibus non moveatur; & cùm immeritò querantur illi, non percipere se Prophetæ oracula, id commissurum Dominum affirmat, ut ministros suos inducat linguâ illis ignotâ loquentes, erudiendosque illos tradat ceu pueros, quibus modica singillatim præcepta traduntur, & literæ altera post alteram, linea post lineam monstrantur. Tunc pro arbitratu dicant, ait, tradi sibi *præceptum præcepto, præceptum præcepto; lineam lineâ, lineam lineâ, &c.* donec incautis prædicta sibi mala obveniant, & tunc, serò licet, agnoscant stultâ se arrogantiâ errasse. Fiet tunc, pergit ille, ut agnoscant verè se infantes, ignarosque omnium fuisse. Erunt illis vaticinia Prophetarum, ceu liber clausus, seu veluti scriptum extranei & ignoti sermonis. Vide Caput xxix, ℣℣. 11, 12. Hæc explicatio æquior nobis videtur, meliusque toti orationi propheticæ congruere.

Nicolaitæ, & Gnostici verbis hisce olim abutebantur: *Zau lazan, Kau lakau, &c.* abutebantur, inquam, ad mysteria iniquitatis & ad nefarias cœtuum suorum execrationes (b). Septuaginta (c): *Tribulationem super tribulationem expecta, spem super spem, adhuc parum, adhuc parum.*

℣. 11. In loquela enim labii, et lingua altera loquetur ad populum istum: alloquetur deinceps hunc populum alieno, & non eodem, quo priùs, sermone. Fiet, ut deinceps non querantur immeritò, sermonem haberi sibi obscurum, & ignoto idiomate; tunc enim revera alterâ & barbarâ linguâ Dominus loquetur. Loquentis verba non percipient: audient, nec intelligent. Calamitatem hanc alibi Deus Judæis prænunciavit [d]; ejusque integram fidem tunc stetisse docent Apostoli [e], cùm Jesus Christus Judæos parabolis alloquebatur, docebatque mysterium Regni Cœlorum, sub verborum ambagibus obvolutum. Oraculi hujus veritatem probant quotidie Judæi eâ, quâ tenentur, pervicaciâ, iisque tenebris, quibus illorum oculi conduntur, ne Jesum Christum, perspicuè adeò passim in Scripturâ elucentem, animadvertant.

Tunc quoque aliquâ ex parte fides hujus oraculi impleta est, cùm Tribus Juda & Benjamin in alienas regiones abductæ sunt. Profectò tunc, ex harum Domini minarum fide, coactæ sunt linguam ignotam discere, & frequentare scholas puerorum, in quibus dicitur, *Zau lazau; Kau lakau*, &c. (℣. 13). *Et erit verbum Domini: Manda, remanda; manda, remanda; expecta, reexpecta; expecta, reexpecta*, &c.

℣. 12. Cui dixit: Hæc requies mea; reficite lassum; . . . . . et noluerunt audire. Hortatus erat Deus, ut finem sceleribus facerent, neque iram suam provocare pergerent. Fessum se esse illorum criminibus, cogique in severam ultionem exurgere, per ministros suos nunciaverat: sed frustra. Hebræus (f): *Dixit ad eos: Cessate*; satis est; *requiem aliquam præstate fesso*: ne patientiam meam fatigetis, *& hæc sit requies vobis; & noluerunt audire*. Vel: Nuntiavit illis Deus: Jam peccare cessare; fratrum vestrorum misereminì; solatium miseris afferte: at surdis cecinimus.

℣. 13. Et erit eis verbum Domini: Manda, remanda; . . . . ut vadant, et cadant retrorsum, &c. Id committet Dominus, ut invitos vos cogat balbutire eum pueris: *Zau lazan; Kau lakan*, &c. donec abducamini in alienam regionem, & acti retrorsum cervices confringatis, ac laqueo capiamini. Vobis nequidquam con-

(y) *Hieron. hic, Haymo, Lyran. Sanct. Menoch. Tirin. alii.*
(z) כי צו לצו צו לצו קו לקו קו לקו זעיר שם זעיר שם *Theodot.* Δυσαλζα ἐπὶ δυσαλζαν, ἔμετος εἰς ἔμετον. (a) *Vide, si placet, Forer. hic, Vatab. Clar. Pagn.* (b) *Hieron. hic, & Epiphan. in Nicolaitis, hæres. 25.* (c) Θλῖψιν ἐπὶ θλῖψιν προσδέχου, ἐλπίδα ἐπ' ἐλπίδι, ἔτι μικρὸν ἔτι μικρόν. Legunt *zar lazar*, צר לצר, pro צו לצו *zau, lazau.* (d) *Isai.* vi, 9, 10: *Audite audientes, & nolite intelligere, &c.* (e) *Matt.* xiii, 14; *Marc.* iv, 12; *Luc.* viii, 10; *Joan.* iii, 40; *Act.* xxviii, 26; *Rom.* xi, 8. (f) אשר אמר אליהם זאת המנוחה הניחו לעיף וזאת המרגעה ולא אבוא שמוע

℣. 14. Propter hoc audite verbum Domini, viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Jerusalem.

℣. 15. Dixistis enim: Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cùm transierit, non veniet super nos: quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.

℣. 16. Idcircò hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundamentum: qui crediderit, non festinet.

℣. 17. Et ponam in pondere judicium, & justitiam in mensurâ: & subvertet grando spem mendacii: & protectionem aquæ inundabunt.

COMMENTARIUS.

contra molientibus, ora Prophetarum non claudet, qui & vobis mandata Domini exponent, nec loqui cessabunt, donec in duram captivitatem redigamini. Uti vos minas illorum de ridiculo traduxistis; ita & ego clamores vestros irridebo [g]. Sive in propositâ ℣. 11 interpretatione: Balbos, & verè balbos efficiet vos Dominus; quippe quos coget veluti pueros discere linguam alienam in regione, quò transferemini.

℣. 14. AUDITE VERBUM DOMINI, VIRI ILLUSORES, QUI DOMINAMINI SUPER POPULUM MEUM, Increduli, derisores, qui verba Domini irridetis, ejusque Prophetarum minas de ridiculo traducitis, audite, quæ Dominus vobis nunciat. Verba facit ad viros Principes Jerosolymæ, quorum convicia & scommata recitavit ℣℣. 9, 10, quosque toto sequenti capite exagitat.

℣. 15. DIXISTIS ENIM: PERCUSSIMUS FOEDUS CUM MORTE. Impios ita loquentes inducit Propheta, uti loqui illos par esset, si agerent sincerè. Ita enim se gerunt, veluti pactum cum morte, & inferno inierint, nihilque sibi timendum superfit. Frustra nobis extrema mala minitaris, dicerent; minimè enim infernum, minimè mortem timemus: utrumque babemus fœderatos. Mendacium præsidium nostrum est, & in dolo fiduciam constituimus: utroque autem nos a minis vestris tuebimur. Seu: Vanis minarum vestrarum terroribus spretis, fœdus cum Assyriâ & Ægypto componemus, transferemusque nos ad cultum Numinum, quæ vos ceu inania & mendacia arguitis. Vide ℣. 17.

℣. 16. ECCE EGO MITTAM IN FUNDAMENTIS SION LAPIDEM, LAPIDEM PROBATUM, ANGULAREM . . . . . . QUI CREDIDERIT, NON FESTINET. Quæ hic leguntur de lapide angulari, ad Ezechiam Judæi transferunt (h). Cùm autem tempore editi hujus oraculi Ezechias solium jam ascendisset, vix & ne vix quidem ita accipi potest, veluti regnum promittatur regnum jam obtinenti; & Principi, qui vix rerum potitus veræ religionis patronum sese exhibuit, evertens omnia, quæ Achaz ipsius pater pro Idololatriâ constituerat. Insuper cum Ezechia ejusque Regno singula hic expressa planè non conveniunt. Primò enim Ezechias nunquam illud fuit, quò populi Dei fides collimabat. Secundò, hujus ætate extrema illa mala, de quibus hic, aberant. Tertiò, quamquam Ezechias licentiam & vitia Juda coërcuit, nunquam tamen illi contigit, ut justitiam & æquitatem perfectam restitueret. Quartò, nec abolere potuit fœdera, ab impiis cum morte & inferno initum. Quæ crimina Judam inundabant sub Manasse, & quæ mala gentem miseram oppresserunt sub Regibus illorum successoribus usque ad excidium Regni, luculentissimè docuere, perseverasse adhuc mali radicem, expectandumque fuisse alium lapidem angularem in Sion, qui collapsas res Juda restitueret, justitiam repararet, mortisque atque inferni Imperium everteret. Unus Jesus Christus spes hasce omnes implevit, quin & meritorum suorum abundantiâ superavit. Utraque Scripturæ Veteris Novique Testamenti pagina (i) hunc designat sub nomine lapidis angularis, vel fundamenti; eamdemque sibi appellationem ipse Christus vindicat (k).

QUI CREDIDERIT, NON FESTINET. Innuit his verbis Propheta, oraculi hujus sui veritatem non tunc quidem, sed diu pòst implendam esse. Audite, Principes impii, qui imperium in populum meum exercetis, quique meorum Prophetarum verba de ridiculo traducitis. Superbè gloriamini, nihil vereri vos, non mortem, non extrema illa, quæ a me prædicuntur, mala. Fiet denique, ut malesanum illud fœdus vestrum, cum morte & inferno sancitum, frangatur, atque scindatur; immittam in vos malorum procellam, ex qua caput vestrum tueri nequeatis: restituam justitiam ac pacem in Sion, posito angulari lapide, quo totum ædificium innitetur. Vos, populi fideles, qui promissionum mearum veritatem agnoscitis, patienter expectate: fiet enim, quamquam non brevì, ut impleatur. Septuaginta (l): *Qui credit in eo*, lapide angulari, *non confundetur*. Ita S. Petrus (m) & S. Paulus [n] hunc locum recitavere. Hebræus (o) reddi potest: *Qui credit, non commovebitur*, vel *non festinabit*.

℣. 17. PONAM IN PONDERE JUDICIUM, ET JUSTITIAM IN MENSURA. Cùm meâ operâ steterit in Sion lapis ille angularis, de quo superior versiculus, fiet deinde, ut justitia & æquitas in populo meo regnent, Hebræus ad verbum (p): *Ponam judicium ad lineam*, vel ad trutinam, *&* *justitiam ad pondus*, in staterâ. Justitia & æquitas ad accuratam rationis normam exercebuntur. Interpretum plures (q) designari his censent justitiam inexorabilem, ultionem severam, criminum gravitati parem.

SUBVERTET GRANDO SPEM MENDACII; spem scilicet in mendacio positam. Spem suam in mendacio

(g) *Prov.* I, 25: *Despexistis omne consilium meum . . . . Ego quoque in interitu vestro ridebo.*
(h) *Apud Theodoret. hic. Ita ferè & Grotius.*
(i) *Psal.* CXVII, 22; *Isai.* VIII, 14; *Dan.* II, 34; *& Zach.* III, 9; 2 *Petr.* II, 4, 6; *Act.* II; *Rom.* IX, 32, 33, *&c.* (k) *Matt.* XXI, 42: *Nunquam legistis in scripturis: Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* (l) Καὶ ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ, οὐ μὴ καταισχυνθῇ.
(m) 2 *Petr.* II, 6. (n) *Rom.* IX, 33. (o) המאמין לא יחיש *Alii*: Ὁ πιστεύων οὐ σπεύσει.
(p) ושמתי משפט לקו וצדקה למשקלת (q) *Menoc. Tir. Grot. Jun. Pisc. Cornel. Sanct.*

℣. 18. Et delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit: flagellum inundans cùm tranſierit, eritis ei in conculcationem.

℣. 19. Quandocumque pertranſierit, tollet vos: quoniam manè diluculo pertranſibit in die, & in nocte, & tantummodò ſola vexatio intellectum dabit auditui.

℣. 20. Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita ut alter decidat: & pallium breve utrumque operire non poteſt.

℣. 21. Sicut enim in monte diviſionum ſtabit Dominus: ſicut in valle, quæ eſt in Gabaon, iraſcetur: ut faciat opus ſuum, alienum opus ejus: ut operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus ejus ab eo.

COMMENTARIUS.

dacio collocaſſe ſe dixerant impii ſuperiùs, ℣. 15; illis autem hìc nunciat Propheta futurum, ut immiſſa a Deo malorum grando vanas illorum ſpes vaſtet, mendacium ſimul & mendacii artifices probro afficiat, & contemptui tradat illis, quos capere inſidiis tentarunt, ℣. 18.

℣. 19. QUONIAM MANE DILUCULO PERTRANSIBIT IN DIE ET IN NOCTE; mala iſta diffundentur manè primo, ac diu noctuque perſeverabunt. Hebræus ad verbum: *Mane in mane tranſibunt, in die & in nocte*. Fiet brevì & ſummo mane, ut inundantibus malis hiſce corripiamini, nec diu noctuque ceſſabunt. Minarum hujuſmodi veritas impleta eſt in captivitate Babylonicâ, & labentibus Regum Juda annis; tunc enim continuata malorum ſeries Judæos tenuit, bellum bello, exitium exitio excipiente. Poſt Jeſu Chriſti mortem, oppreſſio major Judæos tenuit, quòd criminum menſuram eo ſcelere, omnium graviſſimo, impleverint.

SOLA VEXATIO DABIT INTELLECTUM AUDITUI. Nunquam minùs impios ſe præbuerunt Judæi, quàm poſt captivitatem Babylonicam. Ferocem gentis indolem utcumque domuit durum illud exilium & longa captivitas, ut deinceps minùs ſuperba magiſque Deo obſequens fuerit. Docilitas tunc in populo major, obedientia promptior. Quæ verò tulerunt mala poſt obitum Servatoris, oppoſitum planè ex iis impetrarunt. Pervicacior enim in ſcelere illorum animus iis efficitur. Deſtinatum illis gratiæ tempus nondum impletum eſt: fiet tandem, ut undique concurrant ad Eccleſiam, & religioſo mentis obſequio colant & adorent illum, quem clavis fixum, & opprobriis obrutum deſpexerunt.

℣. 20. COANGUSTATUM EST ENIM STRATUM, ITA UT ALTER DECIDAT, ET PALLIUM BREVE UTRUMQUE OPERIRE NON POTEST. S. Hieronymus, quem Interpretum plures ſequuntur (r), cenſet ſententiæ huic vim parem eſſe cum alterâ apud Apoſtolum (s): *Non poteſtis calicem Domini bibere & Dæmoniorum; non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ Dæmoniorum*. Et alibi (t): *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?*

Rabbini & recentiorum quidam (u) cenſent, Prophetam nunciare Judæis futurum, ut in eas rerum anguſtias redigantur, ut careant veſte & lecto, in quo duo ſimul cubent. Nos jungere hæc cum præcedentibus malumus in hanc ſententiam: Opprimemini malis, quæ vos capient ſummo mane, nec requiem dabunt diu noctuque. Amicus amico, vir uxori auxilio eſſe non poterit. *Coanguſtatum eſt ſtratum, adeo ut nonniſi unum capiat*. Similis proverbio formula deſignat, alterum ſive nolle ſive non poſſe alterum juvare. Huc ſpectare videtur Amos (x): *Quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ; ſic eruentur filii Iſraël, qui habitant in Samariâ in plagâ lectuli, & in Damaſci grabato*. Et Jeſus Chriſtus (y) agens de extremo Judicio, vel Jeroſolymæ excidio, ait: *In illâ nocte erunt duo in lecto uno; unus abſumetur & alter relinquetur*. Velutì cùm in nocturno tumultu domos invadens hoſtis obvia quæque rapit; unuſquiſque autem, minimè de ſocio cogitans, fugæ ſuæ conſulit. Vir uxorem deſerit, ut ſeſe tueatur; unus capietur, alter evadet. Hìc planè aliter fiet. In communi illâ rerum miſtione ac terrore quilibet ſibi perfugium & latebras quæret; amicus ab amico veſtem flagitabit: ille cauſabitur, arctum nimis lectum habere ſe, & veſtem brevem, ut duos non admittat.

Hebræus ad verbum (z): *Brevius eſt ſtratum, quàm ut quis ſeſe extendat*, vel quàm ut ex eo aliquid vacuum ſuperſit; *& veſtis anguſtior, quàm ut quis operiatur*, vel quàm ut quis ſub eam ſeſe colligat. Septuaginta jungunt hæc cum verſiculo ſuperiore in hanc ſententiam (a): *Diſcite obedire qui eſtis in tribulatione. Non poſſumus pugnare; ipſi autem infirmi ſumus ut congregemur*. Judam exhibet Iſaias inferiùs (b) ſub emblemate meretricis, quæ ſtratum dilatavit, quò plures procos admittat. Omnibus hiſce comparationibus aut figuris idem eſt argumentum: lectus anguſtior, qui duos non capit; amplum cubile plures ſimul admittens. Calamitate ſuâ laborantes impii mutuam ſibi opem ferre non poſſunt; & eâ, cui ſe dediderunt, licentiâ in crimina omnia Deorumque ſuperſtitiones omnes ruunt.

℣. 21. SICUT ENIM IN MONTE DIVISIONUM STABIT DOMINUS; SICUT IN VALLE, QUÆ EST IN GABAON, IRASCETUR. Ita Dominus in vos inſurget, utì olim in monte diviſionis egit: ita nunc iraſcitur, utì olim in valle Gabaonis. Duplex narratio a Prophetâ ſpectatur. Altera ſcilicet, quâ mirabilis de Philiſtæis victoria in valle diviſionis vel *Pheraſim* ab exercitu Davidis relata memoratur (c): altera verò, quâ fuga copiarum Chananæarum, Gabaonem obſidentium, recitatur, tunc ſcilicet cùm iratus Dominus, Joſue orante, Solis curſum remoratus eſt (d), imbremque lapideum in magnam Chananæorum ſtragem de-

(r) *Ita Interpp. Catholici plerique*. (s) 1 *Cor*. x, 20. (t) 2 *Cor*. vi, 14, 15.
(u) *Iſidor. Clar. Vatab. Mon. Forer*. (x) *Amos*, iii, 12. (y) *Luc*. xvii, 34.
(z) כי קצר המצע מהשתרע והמסכה צרה כהתכנס (a) Μάθετε ἀκούειν (20.) στενοχωρούμενοι. Οὐ δυνάμεθα μάχεσθαι. Αὐτοὶ δὲ ἀσθενοῦμεν τοῦ ἡμᾶς συναχθῆναι. (b) *Iſai*. lvii, 8.
(c) 1 *Reg*. v, 20, *& ſeq*. (d) *Joſue*, x, 10.

℣. 22. Et nunc nolite illudere, ne fortè constringantur vincula vestra: consummationem enim, & abbreviationem audivi a Domino Deo exercituum super universam terram.

℣. 23. Auribus percipite, & audite vocem meam, attendite, & audite eloquium meum.

℣. 24. Numquid totâ die arabit arans, ut serat, proscindet, & sarriet humum suam?

℣. 25. Nonne cùm adæquaverit faciem ejus, seret gith, & cyminum sparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum, milium, & viciam in finibus suis?

COMMENTARIUS.

deturbavit. Minitatur porrò Deus, ita se cum magnis hisce ingeniis, quæ minas suas temnunt, gesturum, uti olim in Chananæos sub Josue, & in Philistæos sub Davide. Id tandem impletum fuisse per Nabuchodonosorem, ex Capite XXIX, quod præsentis hujus continuatio est, discimus.

Ut faciat opus suum; alienum opus ejus; opus suum, alieno licèt sit animo, prosequetur. Severissimè, repugnans licèt & invitus, vos puniet. Sed quoniam nolentem reluctantemque vos cogitis, idem ultionis suæ consiliis acquiescet, quamquam Deus est ingenio mitis, & ad miserendum naturâ pronus: *Non est enim opus Dei perdere quos creavit*, ait hîc S. Hieronymus. Deus Creator invitus planè opus suum dissipat: Deus servator severitate ad puniendum uti non potest, nisi insito miserendi ac diligendi ingenio vim inferat: *Alienum ab eo ut puniat, qui Salvator est.*

Sunt qui (e) *opus alienum* accipiant de supplicio terribili & insueto, quodque consuetam puniendi homines rationem superet. Spondet Deus Davidi futurum, ut ipsius filium nonnisi consuetis suppliciis castiget (f): *Arguam eum in virgâ virorum, & in plagis filiorum hominum.* Novis & gravioribus suppliciis afficiendos Core, Dathanum & Abironem nuncians Moyses, ait (g): *Si consuetâ hominum morte interierint, & visitaverit eos plagâ, quâ & cæteri visitari solent, non misit me Dominus; sin autem aperiens terra os suum deglutiat eos, & omnia, quæ ad illos pertinent, scietis quòd blasphemaverint Dominum.* Vide etiam Psalmum LXXII, 5: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, ideo tenuit eos, superbia*, &c.

℣. 22. Nolite illudsaa, ne forte constaingantur vincula vestra. Pergit impios alloqui derisores, qui iogenio vulgaribus superiori Prophetarum monita despiciebant, traducebantque. Timete, ne vobis pejora contingant, ne Divinum furorem iterum provocetis. Septuaginta (h): *Nolite lætari, neque confortentur vincula vestra.*

Consummationem enim et abbreviationem audivi a Domino; Domino enim narrante didici futurum, ut absoluto excidio & abscissione terram universam perdat. Ultionis suæ vim omnem exeret, ac brevì quidem id fiet. Similem phrasim dedit superiùs Capite X, 22, 23; significat autem eversionem Regni Juda per Nabuchodonosorem.

℣. 24. Numquid tota die arabit arans ut serat? Hinc usque ad capitis finem inter se conferuntur agendi ratio, qua utitur Deos, cum eâ, quam agricola in agris impendit. Porrò agricola haud semper arationi vacat; postquam enim araverit, serendi tempus accedit; post sementem messis, quam excipit tritura: succedit tritici in mortario vel sub molâ contusio; denique panis. Singula hæc suas habent temporis vices, & ex ordine providentiæ, atque agricolæ peritiâ. Ita Dominus non semper verba faciet aut minitabitur: veniet denique messis tempus. Erudit vos modò, minis terret, ad pœnitentiam per Prophetas vocat: excipiet hæc omnia tempus iræ & ultionis. Demetentur impii, atque ex hac vitâ evellentur: conterentur, contundentur publicis privatisque a Deo calamitatibus. Tempus messis familiari Prophetarum stylo est sæpè tempus Judicii Dei, & dies futuræ illius ultionis (i).

℣. 25. Nonne cum adæquaverit faciem ejus, seret gith? postquam scilicet agrum æquaverit, seret gith. Gith, alio nomine *nigella*, vel *papaver nigrum*, Græcè *melanthion*, generis est duplicis; sativum scilicet & silvestre. Illud calamo ad palmum assurgit, floribusque ornatur senecioni persimilibus, sed altiùs dentatis. Nitent flores colore cæruleo, figurâ stellati, & e medio emittunt longiuscula quædam veluti capitula, conditum intus ferentia semen quoddam nigrum vel subrubrum, odore grato, sapore amaro, & acuto. Silvestre distinguitur tenuioribus foliis, magisque dentatis, & capillatis; reliquas verò partes, florem, fructus cum sativo communes habet.

Cyminum foliis ad fœniculum accedit, flores & ramos perinde uti fœniculum in fasciculum compositos emittit. Porrò hæc planta, non secus ac nigella, faciliùs semina reddit, quàm ut cogenda sit ictu majorum flagrorum, & gravissimis illis plaustris ferro armatis, quibus segetes excutiuntur. Virgis contundi sat est; qua in re typum gerunt eorum, qui divinæ justitiæ subjectos se præbent, quique minoribus obnoxii peccatis, minoribus suppliciis expiandi sunt. Porrò Divinus ille agricola & justus judex novit pro singulorum merito pœnam temperare.

Cæterùm siquis voces Hebræas (k) *Kezaeb* & *camon* aliter quàm de nigellâ & cymino accipere voluerit, per nos licet; nobis sequi visum est hac in re fidem Vulgatæ & Septuaginta: animadvertere tamen juvat, difficultate non carere vocum istarum, sed præsertim *Kezaeb*, significationem; hanc enim recentiores quidam Interpretes (l) reddunt *viciam*; notatque S. Hieronymus, veteres Interpretes intactas in versionibus suis reliquisse voces, quas ille reddit *nigellam* & *cyminum*, fortasse quòd vim earum vocum ignorarent.

℣. 26. Eru-

(c) *Castal. Pisc. Anglic.* (f) 2 *Reg.* VII, 24.
(g) *Num.* XVI, 29, 30. (h) Καὶ ὑμεῖς μὴ εὐφρανθείητε, μηδὲ ἰσχυσάτωσαν ὑμῶν οἱ δεσμοί.
(i) *Isai.* XVIII, 5; *Osee*, VI, 11; *Joël.* III, 13; *Matt.* XIII, 30, 39: *Messis verò consummatio sæculi.* Vide *Apoc.* XIV, 15. (k) קצח וכמון 70: Σχίσει μικρὸν μελάνθιον ἢ κύμινον.
(l) *Munst. Tig. Anglic.*

℣. 26. Et erudiet eum in judicio: Deus suus docebit illum.
℣. 27. Non enim in serris triturabitur gith, nec rota plaustri super cyminum circuibit: sed in virgâ excutietur gith, & cyminum in baculo.
℣. 28. Panis autem comminuetur: verùm non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rotâ plaustri, nec ungulis suis comminuet eum.
℣. 29. Et hoc a Domino Deo exercituum exivit, ut mirabile faceret consilium, & magnificaret justitiam.

COMMENTARIUS.

℣. 26. Erudiet eum in judicio; Deus suus docebit illum; Deus enim illum apto ad eam rem mentis acumine instruxit, quidve gerendum illi esset, edocuit. Inventæ agriculturæ honorem Diis tribuerunt Veteres (m). Recitat Plinius vetusta quædam oracula agricolis data, ut artem terræ colendæ docerentur (n). Oraculorum copiam nulla hominum ars majorem certioremque habebat. Liberum Cereremque agnoscebant agricolæ, ceu inventores vineæ & frumenti, tum colendi utriusque authores (o). Inventionem vomeris & frumenti, siqua fides Porphyrio seu ficto Sanchoniatoni (p), Dagoni suo referebant Phœnices, unde ille nomen *Jovis agricolæ* obtinuit. Sanctior est nobis Librorum sacrorum authoritas, quàm profanorum, cùm præsertim hi fabulis scateant perpetuis, inter quas recensendi sunt inventores illi frumenti, vineæ & vomeris. Nonne pluribus sæculis Jovem, Bacchum & Cererem præcessere Cain & Noë, quorum alter agros coluit, alter vineam sevit? Elucet tamen ex his persuasio antiquitatis, honorem rerum quæ maximè ad vitam necessariæ sunt, in Deum referentis.

℣. 27. Non enim in serris triturabitur gith; nec rota plaustri super cyminum circuibit. Cavebit peritus agricola, ne gravibus hisce, serratis lapideisve machinis ad excutiendam nigellam vel cyminum utatur; tereretur enim, & in pulverem redigeretur semen. Neque enim solidum adeo est, ut ponderis gravitati & motui resistere valeat: idque unius tritici est, & similium frumentorum. Fusiùs actum est de machinis hisce in Dissertatione de suppliciis Hebræorum. Non iisdem pœnis omnes Deus afficit; novit enim pro mensurâ criminum & peccantium naturâ ulcisci: *Potentes potenter tormenta patientur* (q); sed debiles & imbecilles mitiùs agentur: *Exiguo enim conceditur misericordia.*

℣. 28. Panis autem comminuetur. Vel: Triticum & hordeum, quibus conficitur panis, trahis hisce & serratis carpentis, de quibus actum est, teruntur. Palea triticum continens teritur, inductis gravissimis hisce machinis, quæ etiam cautè adhibentur. Excussum triticum a paleâ sejungitur; idque in areâ non molitur neque teritur; mistis enim pulvere ac paleis inutile efficeretur. Cùm molitur, aut in pilâ pinsitur, aut molâ teritur. Hîc tamen agit Propheta de iis, quibus triticum paratur, seu de triturâ, quæ in agro sive in areâ perficitur, ubi triticum a paleis separatur.

Septuaginta (r): *Virgâ excutietur melanthion:* (℣. 28) *cyminum autem cum pane comeditur.* Pertinent hæc ad ultionem Dei in populum. Perinde habebit impios & thrasonica isthæc ingenia, quæ minas Prophetarum de ridiculo traducunt, atì se gerit agricola cum hordeo & frumento; gravi trituræ illos subjiciet. Ad reliquos verò quod attinet, mitiùs aget cum illis, cæsosque virgis vel bacillis dimittet.

Verum non in perpetuum triturans triturabit illum. Non diuturnâ nec violentâ triturâ, immissis plaustrorum rotis vel trahis, triticum excutitur, ne conteratur. Ita & Deus non ita populo suo incumbet gravis, ut caput exerere deinceps nequeant; neque enim conterere illos vult, nec ultimo excidio perdere. Septuaginta (s): *Neque enim in sempiternum irascar vobis; nec vox amaritudinis meæ conculcabit vos.*

Nec ungulis suis comminuet eum. Triplicem triturandi artem hîc Propheta commemorat; teritur enim trahis vel molis; tum & plaustris rotis instructis; denique immissis super jacentes manipulos pecudibus. Equis autem in hanc rem utuntur in iis regionibus, quæ equis abundant. In Palæstinâ boves adhibent. Postremam hanc artem tritici excutiendi Scriptura non semel spectat. *Non ligabis os bovi trituranti*, ait Moyses (t). Michæas, IV, 13: *Surge & tritura, filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos.* Septuaginta locum hunc prætererunt.

℣. 29. Et hoc a Domino exivit, ut mirabile faceret consilium, et magnificaret justitiam. Hoc quod agit agricola, eruditio est, nobis a Deo data, ut discamus qua ratione ille impios punit, junctâ sapientiâ & clementiâ. Nihil ille gerit, nisi servatâ mensurâ & proportione. Septuaginta (u): *Hæc a Domino Sabaoth sunt egressa portenta; inite consilium, exaltate vanam consolationem.* Hebræus (x): *Etiam hoc a Domino exercituum exivit, mirificavit consilium, magnificavit executionem.* Ex æquo magnus & potens, sive cùm init consilia, sive cùm inita exequitur.

CA-

(m) *Aratus apud Grot. hic:* Λέγει δ' ὅτε βῶλος ἀρίστη
Βουσί τε καὶ μακέλῃσι· λέγει δ' ὅτε δεξιαὶ ὧραι
Καὶ φυτὰ γυρῶσαι, καὶ σπέρματα πάντα βαλέσθαι.
(n) *Plin.* XVIII, c. 4: *Ac primum omnium oraculis majore ex parte agemus, quæ non in alio vitæ genere, plura certiorave sunt.* (o) *Virgil. Georgic.* I: *Liber, & alma Ceres, vestro si munere tellus Chaoniam pingui glandem mutavit aristâ.*
(p) *Sanchon. apud Euseb. præp. lib.* I, *c. ult.* Ὁ δὲ Δαγὼν ἐπειδὴ εὗρε σῖτον, καὶ ἄροτρον, ἐκλήθη Ζεὺς ἀρότριος. (q) *Sap.* VI, 7. (r) 27. . . . Ἀλλὰ ῥάβδῳ ἐκτινάσσεται τὸ μελάνθιον, τὸ δὲ κύμινον (28) μετ' ἄρτου βρωθήσεται. *Heb.* לחם יודק (s) Οὐ γὰρ εἰς τὸν αἰῶνα ἐγὼ ὀργισθήσομαι ὑμῖν, οὐδὲ φωνὴ τῆς πικρίας μου καταπατήσει ὑμᾶς. (t) *Deut.* XXV, 4. *Vide & I Cor.* IX, 9.
(u) Καὶ ταῦτα παρὰ κυρίου σαβαὼθ ἐξῆλθεν τὰ τέρατα. Βουλεύσασθε, ὑψώσατε ματαίαν παράκλησιν.
(x) גם זאת מעם יהוה צבאות יצאה הפלא עצה הגדיל

CAPUT XXIX.

Væ Jerosolimæ. Ab hostibus obsidetur. Judæorum cæcitas, & eorum, qui residui sunt in Jacob, conversio.

ỳ. 1. VÆ Ariel, Ariel civitas, quam expugnavit David: additus est annus ad annum: solemnitates evolutæ sunt.

ỳ. 2. Et circumvallabo Ariel: & erit tristis, & mœrens, & erit mihi quasi Ariel.

ỳ. 3. Et circumdabo quasi sphæram in circuitu tuo, & jaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obsidionem tuam.

ỳ. 4. Humiliaberis, de terrâ loquêris, & de humo audietur eloquium tuum: & erit quasi pythonis de terrâ vox tua: & de humo eloquium tuum mussitabit.

COMMENTARIUS.

ỳ. 1. VÆ ARIEL, ARIEL, CIVITAS, QUAM EXPUGNAVIT DAVID. Tota vaticinii hujus series satis demonstrat, sub *Arielis* nomine Jerosolymam designari. Eamdem appellationem tribuit Ezechiel Altari holocaustorum *(a)*. Porrò nominis hujus etymon est *leo Dei* *(b)*, vel ingens leo. Septuaginta *(c)* & Theodoreto est *Ariel* nomen urbis in Regione Moabiticâ, eo facilè deceptis, quòd legerint de Banaiâ, viro inter fortissimos e Davidico exercitu *(d)*: *Ipse percussit duos Ariel Moab.* Probabile est autem, geminas esse urbes Ar, quæ ad utramque ripam Arnonis sese e regione spectabant.

Hebræus *(e)*: *O Ariel Ariel, Civitas mansionis David;* vel Civitas castrorum Davidis; arx, præsidium Davidis. Ereptam Jebosæis Jerosolymam David sedem Regni sui creavit, auxit magnis incrementis, munivit, ædesque statuit in monte Sion, quem conjunctum cum vetere Jerosolymâ, nomine Civitatis David appellavit. Exhibetur hoc Capite vaticinium obsidionis Jerosolymæ per Sennacheribum *(f)*.

ADDITUS EST ANNUS AD ANNUM; SOLEMNITATES EVOLUTÆ SUNT. Oraculi hujus tempus non satis est exploratum: certè Sennacheribi expeditionem præcedit. Quin & collatum cum ỳ. 10 Capitis XXXI, componendum videtur cum secundo ante id bellum anno, adeoque duodecimo Ezechiæ *(g)*.

ỳ. 2. CIRCUMVALLABO ARIEL, ... ET ERIT MIHI QUASI ARIEL. Id efficiam, ut obsidione valletur Jerosolyma, Leo Dei, Leo potens: at illa ceu Leonem Dei in oppugnatores se geret; exitio enim erit illis & calamitati; vel potiùs erit tamquam Ara Holocaustorum, quæ Ariel appellatur. Assyrios, qui illam minis, & terrore obsidionis vexarunt, furori suo, velut in Altari, Deus immolabit. Septuaginta *(h)*: *Conteram Ariel, & erit fortitudo illius & divitiæ mihi; & circumdabo, sicut David, super te.* Constat equidem, Sennacheribum nunquam obsedisse Jerosolymam *(i)*; at misisse, qui deditionem imperarent; ni parêret, extrema minitatum; quin & præstò fuisse illi omnia ad obsidionem, cujus jam terror Ezechiam corripuerat. Porrò Isaias verba sua minis Sennacheribi accommodat.

ỳ. 3. CIRCUMDABO QUASI SPHÆRAM IN CIRCUITU TUO; mœnia tua velutì ducto circulo ambiam. Veteri more obtinebat, ut in obsidionibus mœnia urbium clauderentur vel ambitu muri, vel loricæ & fossæ, ne quid sive in urbem inferretur, sive exiret. Ita verò ab oppugnatoribus pressa urbs, annonamque absumens, & spe auxilii exteriùs destituta, eò brevi redigebatur, ut deditioni assentiretur. Reddi potest Hebræus totius hujus versiculi *(k)*: *Ego castra circum te metabor in gyrum*; meis copiis te circumdabo; *arctabo te aggeribus, & erigam adversùs te propugnacula.* Septuaginta *(l)*: *Circumdabo te vallo, & ædificabo, & statuam circum te turres.* Hæc meditabatur Sennacherib, hæc jactabat minitans; sed Deus precibus Ezechiæ exoratus, omnia illius molimina evertit.

ỳ. 4. HUMILIABERIS, DE TERRA LOQUERIS ... ERIT QUASI PYTHONIS DE TERRA VOX TUA; erit scilicet vox tua similis veneficæ, cujus voces e ventre reboant, quæque velut ex imo terræ deducere voces videtur. Hæc descriptio urbis in squallore mœrentis vivam exhibet Jerosolymæ imaginem, adventu copiarum Assyriarum territæ. Sagæ illæ, quæ præsertim defunctorum animas evocare feruntur, artem callebant ex imo ventre loquendi, ut ii qui ipsas loquentes intelligerent, audire se alium crederent, ex imo terræ loquentem, vel superiorem aliquem divinumque spiritum, qui voces e cavo sagarum ventre daret, ederetque ignota mortalibus arcana. Ita profectò veteratores isti abutebantur superstitione & credulitate rudium & imperitorum. Hebræa vox *(m)* *ob* designat propriè *utrem*, sive saccum ex hirci corio, continendis liquoribus apto: idcircò fortasse, quòd sagæ istæ utris seu follis more turgerent, ubi spiritu sese afflari credulis persuadebant. Vide Jeremiam, XLVI, 22, ex Septuaginta, ubi Ægyptiorum gemitus cum sibilo anguium comparantur.

ỳ. 5. ERIT

(a) *Ezech.* XLIII, 15, 26. (b) ארי אל *Leo Dei.*
(c) 70: Οὐαὶ πόλις Ἀριὴλ, ... φάγεσθε γὰρ σὺν Μωάβ. *Theodoret. hic*: Ἀριὴλ ἡ Ἀρεόπολις καλεῖται. Τῆς δὲ Μωαβίτιδος ἐστὶν αὕτη ἐπίσημος. (d) 1 *Par.* XI, 22.
(e) הוי אריאל אריאל קרית חנה דוד 70: Οὐαὶ πόλις Ἀριὴλ ἣν Δαυὶδ ἐπολέμησε. *Sym. Castrum David. Theodot. Circumvallatio David.* (f) *Ferer. alii plures.*
(g) 4 *Reg.* XVIII, 13: *Anno quarto decimo Regis Ezechiæ, ascendit Sennacherib.*
(h) Ἐκθλίψω γὰρ Ἀριὴλ, καὶ ἔσται αὐτῆς ἡ ἰσχὺς, καὶ ὁ πλοῦτος ἐμοί. Καὶ κυκλώσω ὡς Δαυὶδ ἐπὶ σέ.
(i) *Isai.* XXXVII, 33. (k) הניתי כדוד עליך וצרתי עליך מצב והקימתי עליך מצרות
(l) Κυκλώσω ἐπὶ σὲ χάρακα, καὶ οἰκοδομήσω, θήσω περὶ σὲ πύργους.
(m) כאוב מארץ קולך 70. Ὡς οἱ φωνοῦντες ἐκ τῆς γῆς ἡ φωνή σου.

℣. 5. Et erit ſicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te, & ſicut favilla pertranſiens multitudo eorum, qui contra te prævaluerunt.

℣. 6. Eritque repentè confeſtim. A Domino exercituum viſitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magnâ turbinis & tempeſtatis, & flammâ ignis devorantis.

℣. 7. Et erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra Ariel, & omnes, qui militaverunt & obſederunt, & prævaluerunt adversùs eam.

℣. 8. Et ſicut ſomniat eſuriens, & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima ejus; & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima ejus vacua eſt; ſic erit multitudo omnium gentium, quæ dimicaverunt contra montem Sion.

℣. 9. Obſtupeſcite & admiramini, fluctuate & vacillate: inebriamini, & non a vino: movemini, & non ab ebrietate.

℣. 10. Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis, claudet oculos veſtros: prophetas, & principes veſtros, qui vident viſiones, operiet.

℣. 11. Et erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati, quem cùm dederint ſcienti literas, dicent: Lege iſtum; & respondebit: Non poſſum, ſignatus eſt enim.

COMMENTARIUS.

℣. 5. ERIT SICUT PULVIS TENUIS MULTITUDO VENTILANTIUM TE. In ventum diſſipaberis, utì frumentum, cùm ventilatur. Adverſariorum tuorum multitudo pulveris numerum æquabit. Hebræus (n): *Alieni*, ſive *hoſtes tui*, *ſicut pulvis tenuis*. Videbis exercitum Aſſyriorum tam multum, quàm pulverem & arenam terræ, paratum te circumvenire & opprimere.

℣. 6. A DOMINO EXERCITUUM VISITABITUR IN TONITRUO: Veniet Dominus inter tonitrua, ut in eos animadvertat. Confer Pſalmum LXXV, 7, 8, 9. Hæc omnia impleta ſunt, ubi vaſtator Angelus totum Sennacheribi exercitum trucidavit; cujus argumenti diſſertationem noſtram conſule. Porrò Sennacheribi exercitus tunc deletus eſt, cùm obviam Tharacæ Regi Chus, ſuppetias Ezechiæ ferenti, proficiſceretur. Vide 4 Regum, XIX, 9; Iſaiam, XXXVII, 36.

℣. 7. ET ERIT SICUT SOMNIUM VISIONIS NOCTURNÆ MULTITUDO OMNIUM GENTIUM; turba populorum, qui arma ceperint in Arielem, erit ceu ſpectrum nocturni ſomnii. Sennacherib ejusque milites, nacturos ſeſe rebantur Jeroſolymæ quo inſatiabilem cupiditatem explerent; ſpondebantque ſibi e direptione opulentiſſimæ urbis locupletiſſimam prædam; at ſpes illos fefellit. Similes dixeris iis, qui per quietem bibere & comedere ſibi videntur. Experrectus Sennacherib, copias ſuas neci traditas vidit, ut penè ſolitarius domum remeare fugiens cogeretur.

℣. 9. OBSTUPESCITE ET ADMIRAMINI; . . . ; INEBRIAMINI, ET NON A VINO; ebrii efficiemini aliâ planè quàm vini ebrietate; ſeu potiùs, ſtupore & improviſo pavore corripiemini, nutabitis ceu ebrii; ſed ebrietatem veſtram & ſtuporem alia planè cauſa quàm meri potio inducet; terrore enim & conſternatione fiet, ut ſenſus veſtri & mens hebeſcant; deſtituemini conſilio & deliberatione. Hæc juſta erit criminum veſtrorum pœna. Totos enim vos dediſtis crapulæ (o), & ebrietati, ſpretis querelis & monitis Prophetarum. Tunc igitur ebrietate corripiemini, cùm maximè ſobrietatem optaveritis; fruſtra ad opus revocabitis animum, ubi vos hoſtis aggredietur; tunc enim Deus ebrietate vos abalienabit, propinabit calicem liquoris ſoporiferi, qui ſenſus hebetet: *Miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis*.

Apud Prophetas ebrietas interdum uſurpatur pro irati Numinis ultione: hinc familiaris eſt phraſis: Propinare alicui calicem uſque ad fæces (p). Uſurpatur etiam pro terrore & ſtupore, quibus inferuntur menti tenebræ, ut neſciat quis quid conſilii in diſcrimine capiat: *Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum devorata eſt*, ait Pſalmus CVI, 27. Jeremias, XXV, 27: *Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite, neque ſurgatis a facie gladii, quem ego mittam inter vos. Cùmque noluerint accipere calicem de manu tuâ ut bibant, dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum: Bibentes bibetis*. Et Iſaias, XIX, 14, ita pingit terrorem & turbas Ægyptiorum, cùm in regionem eorum Nabuchodonoſor irrupit: *Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum, ſicut errat ebrius & vomens*.

℣. 10. MISCUIT VOBIS (propinabit (q), in vos effundet) DOMINUS SPIRITUM SOPORIS. Septuaginta (r): *Potavit vos Dominus ſpiritu compunctionis*, ſeu ſpiritu pervicaciæ & obfirmatæ mentis in malum, utì explicant S. Chryſoſtomus (s), Theodore-

(n) צריך Fortè והיה כאבק דק המון זריך (o) *Iſai.* XXVIII, 7, *& ſeq.*
(p) *Pſal.* X, 7; LXXIV, 9; *Iſai.* LI, 17; *Jerem.* XXV, 15; XLIX, 12; *Thren.* IV, 21; *Ezech.* XXIII, 31, 32, *&c.*
(q) נסך עליכם יהוה רוח תרדמה (r) Ὅτι πεπότικεν ὑμᾶς κύριος πνεύματι κατανύξεως.
(s) *Chryſoſt. in Rom.* XI, *Homil.* 19: Κατανυγῆναι γὰρ οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ τὸ ἐμπαγῆναί που, καὶ προσηλῶσθαι. Τὸ τοίνυν ἀνίατον τῆς γνώμης αὐτῶν, καὶ δυσμετάθετον δηλῶν, πνεῦμα κατανύξεως εἶπεν.

℣. 12. Et dabitur liber nescienti literas, diceturque ei: Lege; & respondebit: Nescio literas.

℣. 13. Et dixit Dominus: Eo quòd appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me, cor autem ejus longè est a me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis:

℣. 14. Ideò ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo: peribit enim sapientia a sapientibus ejus, & intellectus prudentium ejus abscondetur.

℣. 15. Væ qui profundi estis corde, ut a Domino abscondatis consilium: quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: Quis videt nos, & quis novit nos?

℣. 16. Perversa est hæc vestra cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo: Non fecisti me: & figmentum dicat fictori suo: Non intelligis.

COMMENTARIUS.

doretus & Oecumenius in Epistolam ad Romanos [t], ubi Apostolus sententiam hanc ex versione Septuaginta recitat. Sed Hebræus altum soporem potiùs exprimit (u).

PROPHETAS ET PRINCIPES VESTROS, QUI VIDENT VISIONES, OPERIET. Obscurâ caligine teget omnia, quæ revelabit Prophetis, & eorum oracula denso velamine obnubet. Ita erunt vobis, ut ignoti sermonis voces, ceu scriptum in libro sigillis munito clausum; nihil quidquam percipietis: *Erit vobis visio omnium sicut verba Libri signati*. Tunc autem jure meritò dicetur, non dari vobis nisi præceptum ad præceptum, nec monstrari nisi lineam ad lineam, nihilque nisi paulatim & singillatim detegi.

Certè Judæi nonnisi obscurissimè videbant ea, quæ Prophetæ sibi prædicebant, eorum excidium, captivitatem, reditum, reprobationem, electionem gentium, adventum futuri Reparatoris, divitis simul & pauperis, fortis pariter & infirmi, Dei & hominis, Regis & servi. Erant hæc Judæis *verba Libri signati*. Quo mentis vitio in iis quæ ad Jesum Christum & Christianam Religionem pertinent, hodie pariter laborant. Disertis quidem verbis exprimuntur hæc in sacris Libris; sed occupatæ præjudicatis opinionibus Judæorum mentes nihil percipiunt. Libros tenent, & legere jubentur. *Dicent: Lege istum; & respondebit: Non possum; signatus est enim*. Si quis hunc illorum Librum aperiens, explicet exhibeatque legendum, *Respondebit: Nescio literas*. Scripturas contrario planè sensu accipiunt, & apertissima quæque verba detorquent; voluntariam sibi cæcitatem inducunt; & perspicuâ irati Numinis ultione, quo plus legunt, eò minùs sacrorum Librorum sensum pervadunt.

℣. 13. TIMUERUNT ME MANDATO HOMINUM ET DOCTRINIS; cultus quem mihi impendunt, ex doctrinis & mandatis hominum petitur. Paria Judæis ætatis suæ Jesus Christus exprobravit (y). Hanc sententiam e versione Septuaginta Evangelistæ legunt (z); *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est a me. Sine causâ autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*. Hæc erat religio Judæorum ætatis Jesu Christi. Pro doctrinâ Sanctorum & Prophetarum, dogmata planè carnalia Scribæ & Pharisæi constituerant, & pro Dei mandatis, hominum præcepta, & petitas e Doctoribus suis traditiones objiciebant. Quam hîc Isaias pingit, illorum imago nulli meliùs quàm populo ætatis Jesu Christi congruit, uti ex Evangelio discimus; & post adventum Jesu Christi pervicax ea gens adeò depravationes suas in Scripturarum interpretatione corrigere non vult, ut novas in dies comminiscatur.

℣. 14. PERIBIT SAPIENTIA A SAPIENTIBUS. Jure Propheta hîc ceu ingens prodigium admiratur, quòd Sapientia peritura sit a sapientibus, & minimè vulgares mentes prudentiâ destituendæ sint. Inter argumenta nostræ Religionis non infimum locum tenet Judæorum in tantâ luce cæcitas, & in tantâ gratiarum ac beneficiorum copiâ reprobatio. Judæos ante adventum Jesu Christi inter tenebras errasse, non est cur miremur; ita enim institutus Providentiæ ordo postulabat: sed post ejus adventum, cùm in illo conciliata perspicuè consentent omnia, quæ inter se pugnantia priùs videbantur; cum impleta sint ad literam quæcumque figuratè in veteri Fœdere innuebantur; cùm obscurissima quæque oracula in lucem solemque prodierint; id porrò ænigma est, perinde atque obvoluta quæque vaticinia implicatum. Nihil magis sollicitè Scriptura monet, quàm terribilem hanc & magnam justi Numinis ultionem. Porrò cruce Jesu Christi Deus sapientium hominum sapientiam evertit, & prudentum prudentiam reprobavit [a]. Cùm in Judæam venit Sennacherib, sapiens quisque, mentes vulgaribus superiores, viri politicis artibus excultissimi, consilio destituti sunt.

℣. 15. VÆ QUI PROFUNDI ESTIS CORDE, UT A DOMINO ABSCONDATIS CONSILIUM. Hebræus ad verbum (b). *Væ profundantibus a Domino ad abscondendum consilium*. Qui profundâ dissimulatione consilia vestra tegitis, animumque sub turpis hypocrisis velo, quasi Dominum celaturi, tegitis. Verba facit ad eos, qui capite præcedenti, ℣. 15, gloriabantur: *Percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum; posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus*. Debile & inutile perfugium! ℣. 16. *Quasi si lutum contra figulum cogitet; & dicat opus factori suo:*

(t) *Rom.* 11, 8: *Dedit illis Dominus spiritum compunctionis*. (u) Græci fortasse duxerunt Κατανύξιν ex Κατανυστάζω, *Dormio, capite nuto*. (x) *Isai.* xxviii, 13. (y) *Matt.* xv, 8; *Marc.* vii, 6. (z) *Matt.* xv, 8, 9. *Ita hic*: Ἐγγίζει μοι ὁ λαὸς οὗτος τῷ στόματι αὐτῶν, καὶ ἐν τοῖς χείλεσί με τιμᾷ, ἡ δὲ καρδία αὐτῶν πόρρω ἀπέχει ἀπ' ἐμοῦ. Μάτην δὲ σέβονταί με, διδάσκοντες ἐντάλματα ἀνθρώπων, καὶ διδασκαλίας. (a) 1 *Cor.* 1, 18, 19: *Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est, iis autem qui salvi fiunt, id est nobis, Dei virtus est. Scriptum est enim: Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*. (b) חוי המעמיקים מיהוה לסתר עצה

℣. 17. Nonne adhuc in modico, & in brevi convertetur Libanus in Carmel, & Carmel in saltum reputabitur?

℣. 18. Et audient in die illâ surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt.

℣. 19. Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israël exultabunt:

℣. 20. Quoniam defecit, qui prævalebat: consummatus est illusor, & succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem,

℣. 21. Qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentem in portâ supplantabant, & declinaverunt frustra a justo.

℣. 22. Propter hoc, hæc dicit Dominus ad domum Jacob, qui redemit Abraham: Non modò confundetur Jacob, nec modò vultus ejus erubescet:

℣. 23. Sed cùm viderit filios suos, opera manuum mearum, in medio sui sanctificantes nomen meum, & sanctificabunt sanctum Jacob, & Deum Israël prædicabunt:

℣. 24. Et scient errantes spiritu intellectum, & mussitatores discent legem.

COMMENTARIUS.

sno: Non fecisti me; & figmentum dicat fictori suo: Non intelligis. Quàm inania fuerint consilia istorum, qui prudentissimos sese jactitabant, quique ex intimis sapientiæ recessibus meditationes suas promebant, *Profundi corde*, tunc perspicuum fuit, cùm Juda extrema passus est, dura & acerba Sennacheribo in Jerosolymam minitante.

℣. 17. Nonne in brevi convertetur Libanus in Carmel, et Carmel in saltum reputabitur? Tempus erit, cùm Libanus fertilitate Carmelo non cedet, & Carmelus, mons hodie fertilitate, culturâ & pulcritudine eximius, in tantam cadat sterilitatem & culturæ neglectum, quantâ hodie Libanus squallet. Carmelus est mons in Judæâ celebris. Jerosolyma, quæ antea territa dejectaque jacebat, erigetur in gloriam & fortunas: at Assyriorum exercitus, qui totum orbem terrebat, manu Omnipotentis delebitur.

Aliter: Num brevi temporis momento fiet, ut Carmelus redigatur in saltum & montem sterilitate horridum? ac vicissim Libanus continuè vestiatur arboribus fructum ferentibus & vineis? Id nunquam omnino fiet: sed ex me plus aliquid expectetis, volo. (℣℣. 18, 19) *Audient in die illâ surdi verba Libri; & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt. Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in Sancto Israël exultabunt.* Qui hodie circumfusâ mortis caligine tenentur ac mœrent, iis lucis radius affulgebit, ut in prosperitate rerumque affluentiâ gaudeant. Juda & Jerusalem lætitiâ cumulabuntur & felicitate. Oraculum hoc præ oculis habebat Jesus Christus iis verbis ad S. Joannis Baptistæ Discipulos (c): *Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* An exprimere luculentiùs potuit Isaias gentium ad Christi sacra vocationem? Porrò hac phrasi frequenter utitur, ut Judæorum e captivitate manumissionem significet; atque altiori sensu, humani generis per Jesum Christum redemptionem. Vide Isaiam XXXV, 5; XLII, 16, 18, 19.

℣. 20. Defecit qui prævalebat, consummatus est illusor, et succisi sunt omnes, qui vigilabant super iniquitatem. Principes Juda, de quibus superiùs (d), pravi Sacerdotes, mendaces Prophetæ, mentes vulgaribus terroribus superiores, qui abutebantur authoritate, divitiis, scientiâ, dignitatibus, ut populum opprimerent fallerentque, peribunt, & extremo excidio perdentur. Derisores, qui res quaslibet sanctissimas de ridiculo traducunt; perditi homines, qui palàm iniquitatem profitentur; & hujus fœcis homines, e cœtu viventium subducentur. Vacuum illorum locum, seligente Deo, occupabit populus simplex, mitis, humilis, fidelis, docilis, &c. Confecto Sennacheribi bello, Ezechias majore, quàm aliàs, studio operam dedit justitiæ & religioni in Judâ excolendæ.

℣. 21. Qui peccare faciebant homines in verbo; qui scilicet incautos trahebant ad crimen nequitiâ sermonum, seu verbis impiis & dissolutis. Vel, sermo est de Prophetis simulatis, qui mendaciis homines fallebant; vel denique de fictis Doctoribus, qui optimam doctrinam vitiabant traditionibus humanis, & pravis præceptorum Divinorum interpretationibus; quique sinceros Prophetas probro obruebant: *Arguentem in portâ supplantabant.*

Declinaverunt frustra a justo, qui multa causantur, ut a Justo declinent. Hebræus (e): *Declinare fecerunt Justum in confusione*, vel in inanitate; vel *jus ejus frustrantur*; sive, Removent Justum a regione suâ, agunt extorrem; vel: *Iniquè damnant.* Hanc interpretationem præ cæteris probamus.

℣. 22. Non modo confundetur Jacob; minimè fiet ut deinceps probro obruatur. Post deletum aperto Dei prodigio exercitum Sennacheribi, & post apertum adeò Divini patrocinii in Judam argumentum, pulso pavore & consternatione, lætior populo dies fulgebit; & majore, quàm antea, studio Divinum cultum Jacob sequetur; intuebiturque lætus filios operam rebus sacris dantes, intentosque ad nominis illius laudes, gratesque solemni ritu solvendas (f).

℣. 24. Scient errantes spiritu intellectum, et mussitatores discent legem. Qui haste-

(c) *Luc.* VII, 22. (d) *Isai.* XXVIII, 7, 22; & XXIX, 10. (e) ויטו בתהו צדיק 70: Ἐπλαγίασαν ἐν ἀδίκοις δίκαιον. (f) Vide infra XXX, 22.

hactenus a recto aberraverant, seditiosi, inquieti, increduli, indociles, rebelles, discent denique mites esse, pacifici, dociles, docti, prudentes; modesti. *Mussitatores* exponit Grotius de ariolis, excantatoribus, cæterisque, qui magicas superstitiones profitentur. Turpem hanc vitæ professionem deserentes, totos se in Domini famulatum tradent. Sed Hebræa vox (g) designat potiùs homines inquietos, quales olim Israëlitæ in deserto fuere, rei tam sæpè seditionis in Deum & Moysem. Septuaginta (h): *Mussitatores discent obedire, & linguæ balbutientes discent loqui pacem.* Ingenia hæc hominum inquieta & derisoria, quæ vaticinia in ludum vertunt, quæque omnes Domini minas parvipendunt (i), ad docilitatem, & facilitatem, qualis puerorum est, indolem suam formabunt.

CAPUT XXX.

Vaticinium in Judæos, qui ab Ægyptiis opem, frustra cessuram, implorant. Væ illis, qui aurem præbere Prophetis renuunt. Felicitas calamitatem ab Assyriis illatam reparans.

℣. 1. VÆ filii desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum.

℣. 2. Qui ambulatis, ut descendatis in Ægyptum, & os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbrâ Ægypti.

℣. 3. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam.

℣. 4. Erant enim in Tani principes tui, & nuntii tui usque ad Hanes pervenerunt.

℣. 5. Omnes confusi sunt super populo, qui eis prodesse non potuit: non fuerunt in auxilium & in aliquam utilitatem, sed in confusionem & in opprobrium.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VÆ, FILII DESERTORES, UT FACERETIS CONSILIUM, ET NON EX ME. Prosequitur hîc Propheta vaticinium, quod Capite XXIX inceptum, per Capita sequentia producitur. Quatuor autem hîc non obscurè distinguuntur. I, Judæos inconsulto Domino Ægyptiorum opem implorasse; II, auxilium Ægyptiorum in Assyrios irritum cessurum; & Judæos ab adversariis gravia passuros. III, tandem ipsorum hostes perituros; IV, his absolutis, Jerosolymam & Judæam serenæ pacis & prosperitatis tranquillitate fruituros. Hisce coloribus optimè exprimitur defectio Ezechiæ a Rege Assyriæ, illius cum Ægypto fœdus, Sennacheribi in Judæam expeditio, excreiiùs illius exitium, fuga Regis, ac deinde Regni Ezechiæ prosperitas.

Excutiendi jugi Assyriorum consilium Ezechias ultrò inconsulto Domino inivit; quâ in re ille prudentiæ humanæ leges consuluit, fœdus sibi & patrocinium ab Ægypto concilians (a). Id autem vitio illi vertit hîc Isaias. Justæ illi quidem & legitimæ suppetere poterant causæ denegandi tributum Assyriis; at modum, quo jus suum prosecutus est, nullâ causatione excusare poterat. Fiduciæ in Deum suæ aliquantulum defuit; & plus quàm pro rei merito hominum viribus fisus est. Sanctissimi quique viri non semper immunes sunt criminis, vel tunc cum ea, quæ sanctissimè meditati sunt, exequuntur.

ET ORDIREMINI TELAM, ET NON PER SPIRITUM MEUM; aggrederemini, quæ ego non dictavi. Hebræus (b): *Ad fundendum fusionem, & non spiritus meus.* Septuaginta (c): *Fecistis pacta, non per spiritum meum.*

℣. 2. AMBULATIS, UT DESCENDATIS IN ÆGYPTUM. Legationem suscipitis ad Regem Ægypti, postulaturi amicitias, fœdos, & certam spem auxiliorum. Acceditis muneribus onusti. ℣. 6 Hanc rem fusè narrant libri Regum (d), & non rarò innuunt Prophetæ.

℣. 3. ERIT VOBIS FORTITUDO PHARAONIS IN CONFUSIONEM. Opem spondebit; sed auxilia hæc nullo erunt vobis præsidio. Profectò si nemo præter Pharaonem obstitisset Sennacheribo, viribus illius cedere Ezechias coactus fuisset. Quin & non immeritò reputamus, Regem Assyriæ priùs bello lacessisse Ægyptum, quàm veniret in Judæam, Res autem Ægyptiacas in eum statum redegerat, ut suppetias fœderatis ferre non posset. Verba ad Judæos faciens Rabsaces, ajebat (e): *An speras in baculo arundineo, atque confracto Ægypto?*

℣. 4. ERANT IN TANI PRINCIPES TUI, ET NUNTII TUI USQUE AD HANES. Tanis, alio nomine *Zoan*, in Ægypto inferiori, celebris est urbs in Historiâ Sacrâ, ex prodigiis a Moyse ibi patratis (f). Tunc autem Isaiæ ætate universæ huic regioni ipsa præerat. Sermo est apud eumdem (g) de Principibus Taneos, Pharaoni a consiliis.

Hanes nuspiam alibi in totâ Scripturâ occurrit: collocatur autem a S. Hieronymo in extremita-

(g) ורגנים ילמדו לקח (h) Οἱ δὲ γογγύζοντες μαθήσονται ὑπακούειν, καὶ αἱ γλῶσσαι αἱ ψελλίζουσαι μαθήσονται λαλεῖν εἰρήνην. (i) Supra, XXVIII, 9, 10, 11. (a) Vide 4 *Reg.* XVIII, 20, 21: *In quo confidis ut audeas rebellare? an speras in baculo arundineo atque confracto Ægypto?*

(b) לנסך מסכה ולא רוחי (c) Καὶ συνθήκην, καὶ οὐ διὰ τοῦ πνεύματός μου. (d) 4 *Reg.* XVIII, 20. (e) *Ibid.* (f) *Psal.* LXXVII, 12. *Vide Num.* XIII, 23. (g) *Isai.* XIX, 11.

℣. 6. Onus jumentorum Austri. In terrâ tribulationis & angustiæ, leæna & leo ex eis, vipera & regulus volans, portantes super humeros jumentorum divitias suas, & super gibbum camelorum thesauros suos, ad populum qui eis prodesse non poterit.

℣. 7. Ægyptus enim frustra, & vanè auxiliabitur: ideò clamavi super hoc: Superbia tantùm est, quiesce.

COMMENTARIUS.

mitate Ægypti, planè oppositâ alteri, in qua Tanis jacet, id est, in finibus Æthiopiæ. Interpretes recentiores (h) miscendam censent cum *Taphne*, de qua non semel apud Jeremiam (i). Est autem Taphnes urbs eadem, ac *Daphne Pelusia*, de quibus Herodotus (k), non procul a Pelusio & Arabiâ. Sub Rege Psammiticho præsidium ibi militum adversùs irruptiones Arabum, & Syrorum in Ægyptum, collocatum erat.

Septuaginta hic [l] vocem *Hanes* non legerunt. Chaldæus habet *Taphnes*. Ezechias legatos Tanim misit ad Suam Regem Ægypti, & *Taphnas* ad Taracam Regem Chus. Id autem cum totâ narratione planè congruit. Nomine regionis Chus totus censebatur Nomus Arabiæ, porrigebaturque secundùm Nilum, & ad Erythræum.

℣. 6. ONUS JUMENTORUM AUSTRI: visio adversùs jumenta austri. Septuaginta (m): *Visio quadrupedum in deserto*. Prosequitur Isaias vaticinium præcedens. Inscriptio hæc minùs necessaria hic videtur, ac meritò suspicamur, Judæi alicujus additamentum esse. Hanc sibi licentiam interdum usurparunt librarii, ut inscriptiones suo marte Psalmis & Prophetis adderent (n). Chaldæus cum Interpretibus nonnullis (o), aliter quàm pro inscriptione accipiens, reddit: *Portant* seu portanda curant *jumentis suis munera in regionem austri*; in Arabiam, & in Ægyptum, regiones leonum, leænarum, viperarum, regulorumque volantium feraces. Constat utique, reliqua hujus vaticinii ferire Judæos, qui minùs propriè nomine *jumentorum austri* designantur. Nam illud constat, ea, quæ in hoc versiculo leguntur de leonibus, regulis, &c. nec ad Hebræos ipsos, nec ad eorum regionem, sed potiùs ad illam, quò munera ipsi deferebant, pertinere.

IN TERRA TRIBULATIONIS ET ANGUSTIÆ, LEÆNA, ET LEO EX EIS, VIPERA, ET REGULUS VOLANS. Legati tui, de quibus superiùs, ℣. 4, proficiscuntur in regionem angustiæ & servitutis; in Ægyptum nempe, cujus populum servum potiùs dicas quàm Regibus suis subditum; in Terram leonibus, leænis, viperis & regulis volantibus obsitam. Congruunt hæc omnia regioni, quam Scriptura frequenter appellat Æthiopiam, vel *regionem Chus*; id est, portioni illi Arabiæ petrææ, quæ contermina est Ægypto; vel illi parti Ægypti, quæ nuncupatur *Nomus Arabicus*. Ezechias postulaverat amicitiam non modò *Sua* Regis Ægypti, verùm etiam Tharacæ Regis Æthiopiæ. Quin & postremus hic Princeps copias duxit in Sennacheribum (p), cui cùm obviam occurreret Sennacheribus cum exercitu, irati Numinis ultione copiis suis spoliatus est.

Reguli volantes, de quibus hic Propheta, frequentissimi erant in eâ regione, turmatimque irruere consuevisse ex Arabiâ in Ægyptum, tradit Herodotus (q); qui & affirmat, ibes aves Ægyptiacas magnam eorum anguium cædem edere in ipsis Ægypti finibus, ac prohibere, ne tantâ saltem copiâ irrumpant in Ægyptum. Ea recitat Herodotus, quæ ipse oculis percepit, cùm ipse Buthum eam ob causam profectus sit, ubi innumeram ossium spinarumque eorum anguium ab ibibus interfectorum vidit. Testis est Ammianus Marcellinus (r), Ægyptum viperarum esse feracissimam. Leonum verò ingens erat copia in Ægypto locisque propinquis [r]. Porrò hæ omnes belluæ religiosissimo cultu ibidem consecrabantur.

PORTANTES SUPER HUMEROS JUMENTORUM DIVITIAS SUAS. Ezechias ingentibus muneribus Reges Ægypti & Chus in partes suas ut venirent, invitavit.

℣. 7. IDEO CLAMAVI SUPER HOC: SUPERBIA TANTUM EST: QUIESCE; ideò coactus sum clamare ad Israëlem: Nihil ibi nisi superbia: quiesce. Ingentium expectatione rerum spes tuas detinebit Ægyptus; vires suas inani verborum apparatu sub oculis tuis ponet: thrasonica sunt hæc: quiesce: vana spondent, inania, & fumum.

Hebræus (t): *Ideò vocavi illam* (Ægyptum) *Rahab: vanè auxiliabuntur*. Non semel nomen Rahab Ægypto datum legitur (u); & adhuc Delta appellatur *Rib* vel *Riph* (x), quæ vox sonat *pyrum*, vel superbiam. Nomen pyri inditum est ex figurâ regionis; superbiæ, ex arrogantiâ Ægypti. Hanc denominationem præ oculis habet Isaias inferiùs, LI, 9: *Induere fortitudine, brachium Domine, consurge, sicut in diebus antiquis. Numquid non tu percussisti superbum* (Rahab), *vulnerasti draconem* (Pharaonem.) Eodem sensu eam vocem usurpat Jobus, IX, 13: *Sub quo curvantur qui portant Orbem* (superbum); & alibi (y): *Prudentiâ ejus percussit superbum* (Heb. *Rahab*). Ita igitur Isaias ratiocinatur: Ægyptus inanem tibi opem spondebit; nec, si nisu aliquo conetur tibi auxiliari, id tibi quidquam proderit. Non immeritò nomen Rahab obtinet, cùm nonnisi inanitas sit, vanus

(h) *Hieronym. hic: Intelligimus ultimam juxta Æthiopias, & Blemmyas esse Ægypti civitatem.*
(i) *Jerem.* II, 16; & XLIII, 7, 8, 9; & XLIV, 1; & XLVI, 14. *Vide & Ezech.* XXX, 18.
(k) *Herodot. lib.* 2, *c.* 30. (l) 70. Ὅτι εἰσὶν ἐν Τάνει, ἀρχηγοὶ ἄγγελοι πονηροί.
(m) Ὅρασις τῶν τετραπόδων τῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ. *Heb.* משא בהמות נגב
(n) Vide Præfationem in Psalmos, & dicta superiùs in XXI, 13: *Onus in Arabiâ.*
(o) *Grot. Pisc. Tigur. Anglis.* (p) 4 *Reg.* XIX, 9. *Vide Isai.* XVIII, 1, & *seq.*
(q) *Herodot. lib.* 2, *c.* 5: Ἔστι δὲ χῶρος τῆς Ἀραβίης κατὰ Βουτοῦν πόλιν μάλιστά κῃ κείμενος, καὶ ἐς τοῦτο τὸ χωρίον ἦλθον πυνθανόμενος περὶ τῶν πτερωτῶν ὀφίων. Ἀπικόμενος δὲ εἶδον ὀστέα ὀφίων, καὶ ἀκάνθας πλήθεϊ μὲν ἀδύνατα ἀπηγήσασθαι. *Vide, si lubet, Joseph. Antiq. lib.* 2, *c.* 5; *Mela, lib.* 3; *Solin. c.* 32; *Lucan. lib.* 6; *Ammian. Marcell. lib.* 22; & *Comment. ad Num.* XXI, 6; & *Bochart. de anim. p.* 2, *lib.* 3, *c.* 13. (r) *Vide Ammian. lib.* 2.
(s) *Strabo, lib.* 7, & 16; & *Cicero de nat. Deor. lib.* 3. (t) לכן קראתי לזאת רהב הם שבת
(u) *Psal.* LXXXVI, 4: *Memor ero Rahab, & Babylonis; idest, Ægypti & Babylonis. Item Psal.* LXXXVIII, 11: *Humiliasti sicut vulneratum superbum. Hebr. Rahab, Ægyptum.*
(x) *Vide Boch. Geograph. parte* 1, *lib.* 1, *c.* 15. (y) *Job*, XXVI, 12. מתבונתו מחץ רהב

℣. 8. Nunc ergo ingressus scribe ei super buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die novissimo in testimonium usq; in æternum.

℣. 9. Populus enim ad iracundiam provocans est, & filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei.

℣. 10. Qui dicunt videntibus: Nolite videre; & aspicientibus: Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.

℣. 11. Auferte a me viam, declinate a me semitam, cesset a facie nostrâ sanctus Israël.

℣. 12. Propterea hæc dicit sanctus Israël: Pro eo quòd reprobastis verbum hoc, & sperastis in calumniâ, & in tumultu, & innixi estis super eo:

℣. 13. Propterea erit vobis iniquitas hæc sicut interruptio cadens, & requisita in muro excelso, quoniam subitò, dum non speratur, veniet contritio ejus.

℣. 14. Et comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione pervalidâ: & non invenietur de fragmentis ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de foveâ.

COMMENTARIUS.

vanus tumor & superbia, strepitus ingens, rei nihil. Homines sunt flocci; ad verbum, *quies*. Septuaginta (z): *Ægyptii inania, & vacua proderunt vobis. Annuntia ei: Quia vana consolatio vestra hæc*. Aquila nomen Rahab vertit *impetum* (a); Symmachus *turbationem*; Theodotion *latitudinem*.

℣. 8. NUNC INGRESSUS SCRIBE EI SUPER BUXUM. More veterum scribebatur olim in tabellis ligneis cerâ oblitis (b):

Vulgari buxo sordida cera fuit.

Hebræus (c): *Scribe in tabellis*. Interpretum plures oraculum hoc explicant de Judæorum descensu in Ægyptum simul cum Jeremia post captam Jerosolymam, rati, verba hæc ad Jeremiam dirigi. Sed plerique data censent ad Isaiam, quorum opinio meliùs cum hypothesi nostrâ convenit. Quandoquidem populus hic animo est adeò in malum obfirmato, ut nec minis nec querelis moveatur, & in proposito confugiendi ad Ægyptios maneat, scribe quæ fecisti ad illos verba, & refer illa diligenter in librum; nequando queri de te audeant, quasi illos non monueris, causenturque nescisse mala illa quæ sese manebant. Scriptum hoc tuum sit veluti testimonium adversùs illos, & perpetuum incredulitatis eorum monumentum.

℣. 9. FILII MENDACES, qui aliquando negaturi sunt, se meo nomine monitos fuisse de calamitatibus, quas in se ex eo fœdere provocavere; vel populus perfidus & perduellis. Mentiri usurpatur sæpe pro desciscere, datæ fidei deesse.

℣. 10. QUI DICUNT VIDENTIBUS: NOLITE VIDERE. Ne vaticinemini nisi quæ grata sunt. Ne objurgationibus vestris & minis pacem nostram turbetis; ne præceptis vestris severis durisque conscientias nostras inquietetis. Loquentes Prophetas inducit ex pravâ animi illorum habitudine, ut quàm absurda sit ipsorum sententia, meliùs intelligant, & salubri probro ad saniora revocentur. Vide Caput XXVIII, 15.

℣. 11. AUFERTE A ME VIAM; DECLINATE A ME SEMITAM; removete a nobis viam Dei, rectumque hunc tramitem aliò flectite. Quò magis temeraria sunt hæc & impia, eò aptiora sunt proposito Prophetæ, magisque scopum illius feriunt. Ne mihi ulteriùs objiciatis viam hanc præceptorum Dei, neve me in rectam viam exhortationibus revocetis; delectat enim me error meus, placetque licentia. Sermones vestri ne mihi crepent Deum Israëlis: *Cesset a nobis Sanctus Israël*; res nostras ne Deus Israëlis curet. Ad verbum (e): *Cessare facite a nostris faciebus Sanctum Israël*.

℣. 12. SPERASTIS IN CALUMNIA ET IN TUMULTU, ET INNIXI ESTIS SUPER EO. Hebræus (f): *Propterea sperastis in fraude* (in oppressione, in vi) *in injustitiâ* (in pervicaciâ, perversâ agendi ratione) *& innixi estis super eâ*. Septuaginta (g): *Quia sperastis in mendacio, & quia murmurasti, & fidens fuisti in verbo isto*. Animadvertere juvat, Prophetam exprobrare illis mendacium in Regem Assyriæ ac defectionem, ceu aliquid Deo invisum. Impiis licèt atque iniquis Principibus, defectio injuriam semper inferebat veritati, sinceritati, obsequio, & venerationi, quam nunquam non exigit Dei nomen, quod in jurejurando ac fœdere cum barbaris Principibus inito usurpatur.

℣. 13. ERIT VOBIS INIQUITAS HÆC, SICUT INTERRUPTIO CADENS, ET REQUISITA IN MURO EXCELSO; iniquitas hæc super vos cadet, uti altus paries, qui sponte dehiscens subitò ruit. Hebræus (h): *Propterea erit vobis iniquitas hæc* (peccati hujus pœna) *sicut ruptura cadens* (jamjam casu-

(z) Α'ιγύπτιοι μάταια ϰ̀ κενὰ ὠφελήσουσιν ὑμᾶς. Α'πάγγειλον αὐτοῖς, ὅτι ματαία ἡ παράκλησις ὑμῶν αὕτη. (a) רהב *Aqu.* Ο'ρμημα. *Sym.* Ταραχὴ. *Th.* Πλάτος. (b) *Propert. lib.* 3, *Eleg.* 32. *Vide & Prudent. Hymno de supplicio sancti Cassiani.* (c) כתבה על לוח 70: Γράψον ἐπὶ πυξίυ. *Sym.* Ε'πὶ πτυχὴ, *Super latissimam tabulam. Hieron. hic.* (d) *Hebræi apud Hieronym. Euseb. Hugo, Haymo, &c.* (e) השביתו מפנינו את קדוש ישראל 70. Α'φέλετε ἀφ' ἡμῶν τὸ λόγιον τῦ Ι'σραήλ. (f) הבטחו בעשק ונלוז ותשענו עליו (g) Καὶ ἠλπίσατε ἐπὶ ψεύδει, ϰ̀ ὅτι ἐγόγγυσας, ϰ̀ πεποιθὼς ἐγένυ ἐπὶ τῷ λόγῳ τύτῳ. (h) לכן יהיה לכם העון הזה כפרץ נפל נבעה בחומה נשגבה: אשר פתאום לפתע יבוא שברה

℣. 15. Quia hæc dicit Dominus Deus ſanctus Iſraël: Si revertami-
ni, & quieſcatis, ſalvi eritis: in ſilentio, & in ſpe erit fortitu-
do veſtra. Et noluiſtis:

℣. 16. Et dixiſtis: Nequaquam, ſed ad equos fugiemus: ideò fugie-
tis. Et ſuper veloces aſcendemus: ideò velociores erunt, qui
perſequentur vos.

℣. 17. Mille homines a facie terroris unius: & a facie terroris quin-
que fugietis, donec relinquamini quaſi malus navis in vertice
montis, & quaſi ſignum ſuper collem.

℣. 18. Propterea expectat Dominus, ut miſereatur veſtri: & ideò
exaltabitur parcens vobis: quia Deus judicii Dominus: beati
omnes, qui expectant eum.

℣. 19. Populus enim Sion habitabit in Jeruſalem: plorans nequa-
quam plorabis: miſerans miſerebitur tui: ad vocem clamoris tui
ſtatim ut audierit, reſpondebit tibi.

℣. 20. Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam brevem:
& non faciet avolare a te ultra doctorem tuum: & erunt oculi
tui videntes præceptorem tuum.

COMMENTARIUS.

caſtra) *quæ tumet in muro excelſo, cujus ſubitò ad momentum veniet confractio*. Septuaginta (i): *Propterea erit vobis peccatum hoc, ſicut murus decidens ſubitò civitatis munita capta, cujus repente adeſt ruina*. His verbis exprimitur malum aliquod præſens, plenum, inevitabile. Niſi Deus ingenti prorſus potentiæ ſuæ miraculo exercitum Sennacheribi perdidiſſet, quid Judææ accidiſſet? Vide ſimilem locutionem in Pſalmo LXI, 3.

℣. 15. SI REVERTAMINI ET QUIESCATIS, SALVI ERITIS. Niſi in Ægyptum proficiſcamini, & ſi fœdus cum Ægyptiis initum fregeritis, in regionem veſtram minimè provocabitis bellum, quod vobis minitor, & mala, quæ capiti veſtro imminent, vitabitis. Septuaginta (k): *Cùm reverſus ingemueris, tunc ſalvus eris*. Si seriò & ex animo ad Deum redieris, amariſque lacrymis flagitia tua expiaveris, Deus te viciſſim ea inimicis tuis liberum ſervabit.

℣. 16. DIXISTIS: NEQUAQUAM, SED AD EQUOS FUGIEMUS. Confugere ad Ægyptum, equorum feracem, ſtatuetis: ſcitote igitur futurum, ut coram hoſtibus veſtris in fugam vertamini.

Rabſaces Judæis eo nomine inſultans, quòd opem a Rege Ægypti poſtulaſſent, ajebat (l): *An ſperas in baculo arundineo atque confracto Ægypto, ſuper quem ſi incubuerit homo, comminutus ingredietur manum ejus, & perforabit eam? Sic eſt Pharao Rex Ægypti omnibus qui confidunt in ſe.... Nunc igitur tranſite ad Dominum meum Regem Aſſyriorum, & dabo vobis duo millia equorum, & videte an habere valeatis aſcenſores eorum*. Vide exordium capitis ſequentis: *Væ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis*, &c. Vertunt pleraque (m): *Super equum fugiemus; ideo fugietis; & ſuper levem* quadrigam, ſeu ſuper celeres equos *equitabimus. Ideo leviores erunt proſequentes vos*. Sed verſio, quam amplexi ſumus, pronior videtur. Conſtat enim, Prophetam proſequi expoſtulationes in Judæos, quòd confugerint ad Ægyptios, numero & generoſà equorum ſuorum indole, & quadrigarum multitudine ſuperbientes (n).

℣. 17. DONEC RELINQUAMINI QUASI MALUS IN VERTICE MONTIS. Qui naufragi ad litus rejiciuntur, id maximè curant, ut in litore vel in propinqui montis cacumine erigant malum navis, monumentum naufragii, & indicium, ut ſcopuli evitentur. Ita, ait S. Hieronymus (o), poſt commune veſtræ gentis excidium, pauci ſupererunt, calamitatis veſtræ monumenta, ut poſteros doceant, morigeros meis imperiis eſſe. Fortè etiam ſpectabat Propheta malos, vel ingentium arborum truncos, qui in montium culmine ſtatuebantur, ut cæteri de hoſtium adventu monerentur, vel in ſubità trepidatione ad arma vocarentur. Moris hujus mentionem ſæpe injiciunt Prophetæ (p). Tam arcto eritis hominum numero, quàm pauci ſunt mali in montium vertice, ad inditium aliquod erecti; longè proſpiciemini, & facilè numerabimini.

℣. 18. IDEO EXALTABITUR PARCENS VOBIS; gloriam ſuam vobis parcendo efferet. Cùm hoſtes furere pro arbitrio tamdiu paſſus fuerit, donec infirmitatem inopiamque veſtram & inanitatem auxilii e fœderatis accepti experiamini; tunc veſtri miſerebitur. Reſipiſcentibus vobis parcens, inſigne virium ſuarum ſpecimen dabit. Poſtquam eò redegerit Ezechiam, ut Dei opem imploret, qua ſine nihil valet homo, tunc ſuperbam Sennacheribi cervicem franget.

℣. 19. POPULUS SION HABITABIT IN JERUSALEM. Populus iſte territus, quippe qui nihil niſi captivitatem, exilium, mortem expectabat, omni liberatus metu, Jeroſolymæ quietus aget. Agitatum ejus animum Dominus pacabit, & lacrymas deterget: *Plorans nequaquam plorabis*.

℣. 20. DABIT VOBIS DOMINUS PANEM ARCTUM,
ET

(i) Διὰ τοῦτο ἔσαι ὑμῖν ἡ ἁμαρτία αὕτη, ὡς τεῖχος πῖπτον παραχρῆμα πόλεως ὀχυρᾶς ἑαλωκυίας, ἧς παραχρῆμα πάρεστι τὸ πτῶμα. (k) Ὅτ' ἂν ἀποστραφεὶς στενάξῃς, τότε σωθήσῃ. *Ita legit Origen. homil.* III, *in Levit. Cyprian. tract. de lapſis*; *Pacian. ep.* 3; *Fulgent. de fide ad Petr. S. Hieron. in Jerem.* 4, *& in Michæam, legit: Statim ut converſus fueris, ſalvus eris. Heb.* בשובה ונחת תושעון
(l) 4 *Reg.* XVIII, 23; *& Isai.* XXXVI, 8. (m) לא כי על סוס נסוס על כן תנוסון ועל קל נרכב על כן יקלו רדפיכם (n) *Deut.* XVII, 16. *Vide Grot. Forer. hic.* (o) *Hieron. & Euſeb. hic.*
(p) Vide *Isai.* XXXIII, 23: *Sic erit malus tuus, ut dilatare ſignum non queas*, Et ſupra, *Isai.* V, 26; L, 5; LI, 12.

℣. 21. Et aures tuæ audient verbum post tergum monentis : Hæc est via, ambulate in eâ : & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram.

℣. 22. Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea sicut immunditiam menstruatæ. Egredere, dices ei.

℣. 23. Et dabitur pluvia semini tuo, ubicumque seminaveris in terrâ : & panis frugum terræ erit uberrimus, & pinguis : pascetur in possessione tuâ in die illo agnus spatiosè :

℣. 24. Et tauri tui, & pulli asinorum, qui operantur terram, commistum migma comedent sicut in areâ ventilatum est.

℣. 25. Et erunt super omnem montem excelsum, & super omnem collem elevatum, rivi currentium aquarum, in die interfectionis multorum, cùm ceciderint turres.

COMMENTARIUS.

ET AQUAM ARCTAM ; Hebræus (q) : *Panem oppressionis, & aquam tribulationis* ; vel potiùs : Dabit vobis in escam angustias, & oppressionem in potum. Vel denique ex sensu Vulgatæ : Affliget vos caritate panis, & aquæ inopiâ. Regionem totam rerum omnium, quibus vita indiget, inopiâ tunc laborasse, cùm Sennacherib movit in Ezechiam, Isaias inferiùs innuit (r) : *Comede hoc anno quæ spontè nascuntur ; & in anno secundo pomis vescere ; in anno autem tertio seminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructus earum.* Quo anno Sennacherib vênit in Judæam, regionem totam vastavit. Qui proximè huic successit annus, Sabbathicus fuisse fertur, quo sementis & messis Lege interdicebantur. Tertio denique anno Propheta rerum ubertatem spondet. Vide inferius ℣. 23, qui apertè opinioni huic favere videtur ; & ℣. 30 Capitis XXXII.

ET NON FACIET AVOLARE A TE ULTRA DOCTOREM TUUM. Prophetæ & Doctores tui deinceps te docere non cessabunt. Probabile est, eo tempore, quo Sennacherib vastabat Judæam, mittebatque selectissimos Præfectos, ut Regi, genti, & Deo insultarent, tunc Isaiam cæterosque Prophetas siluisse. Ut populi sui infidelitatem puniret Deus, ab illo se quodammodo subduxerat ; nec Isaias quidquam locutus est, nisi cùm ab Ezechiâ per destinatos homines consultus fuit de minacibus iis literis, quas a Sennacheribo acceperat (s). Deinceps verò non defuturos Prophetas Doctoresque, Dominus hìc populo suo pollicetur ; addens simul futurum, ut ipsi mentem præbeant docilem, & aures faciles ad salutares doctrinas, suo nomine traditas. *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum ; & aures tuæ audient verbum post tergum monentis.*

℣. 22. CONTAMINABIS LAMINAS SCULPTILIUM ARGENTI TUI ; laminas argenteas Numinum tuorum inter profana rejicies. Ab ipso Regni sui exordio Ezechias Idololatriam everterat (t). At post pulsum insigni Dei beneficio Sennacheribum, Regis totiusque populi pius ardor magnopere crevit ; ut & illi pariter, qui hactenus animo fuerant in Idola propenso, rejicere illa & execrari ceu res vilissimas cœperint. Aurum argentumque, quo simulacra decorabantur, in res communes & profanas impenderunt.

ET VESTIMENTUM CONFLATILIS TUI. Hebræus (u) : *Et Ephod conflatilis tui.* Ephod hìc accipi potest sive pro veste Idoli, sive pro amiculo Sacerdotis. Septuaginta (x) : *Concides Idola deaurata.*

℣. 24. COMMISTUM MIGMA COMEDENT, SICUT IN AREA VENTILATUM EST. Non triticum cum paleâ vel stipulâ mistum, sed purum & mundum, quale ex areâ effertur, accipient. Non fiet deinceps, ut hordeo, siligine, purgamentisque cæteris, ope cribri a tritico secretis, bruta animalia pascantur ; sed triticum purum ex areâ accipient. Indicia sunt hæc pinguis ubertatis, & erga ipsas pecudes largissimæ profusionis.

Septuaginta (y) : *Comedent paleas commistas cum hordeo ventilato.* Purâ quidem putâque paleâ pro consueto more alebantur : deinceps paleâ cum hordeo mistâ vescentur. Hebræus (z) variè redditur : *Comedent misturam acidulam in areâ ventilatam*, & cribro purgatam. Ventilabatur triticum ventilabris, seu vannis pro consueto more purgabatur. *Migma acidulum* mistura est facilè frumenti cum sale vel aliâ re, quæ animalibus, præsertim dum æstas fervet, sapit. Notat Bochartus (a), apud Arabes appellari אלחמיץ *Al-Chamiz* acidulum, ex Hebræâ voce, quæ hìc legitur, migma illud quod datur camelis ad gustum acuendum, & præter consuetum pabulum, quod vocant אליהל *alichala*. Est autem *alichala* dulce quiddam, & veluti quotidianus illorum panis ; & *alchamiz* bellaria illorum sunt, uti Arabes ferunt. Vertunt alii (b) : *Comedent migma purum, sicut ventilatum est.* Alii (c) : *Comedent frumentum triticeum*, & purgatum *ad eorum escam.*

℣. 25. ERUNT SUPER OMNEM MONTEM . . . . RIVI CURRENTIUM AQUARUM IN DIE INTERFECTIONIS MULTORUM, CUM CECIDERINT TURRES. Tota regio Juda beatâ ubertate lætabitur. Plenam benedictionis suæ & imbrium largitatem effundet Deus in ipsos usque montes, postquam Sennacheribi exercitum Angeli vastatoris gladius deleverit ; & postquam supremi illius Duces, qui perinde erant ac turres & munitiones (d), eversi fuerint, & communi exitio interierint. Vide Caput XXXIII, 18.

℣. 26. ERIT

(q) נתן לכם אדני לחם צר ומים לחץ 70: Ἄρτον θλίψεως, ϗ ὕδωρ στενόν.
(r) *Isai.* XXXVII, 30; & 4 *Reg.* XIX, 29. (s) *Isai.* XXXVII, 21, 22, & *seq.* (t) 4 *Reg.* XVIII, 4.
(u) ואת אפדת מסכת זהבך (x) Τὰ περικεχρυσωμένα λεπτὰ ποιήσεις. (y) Φάγονται ἄχυρα πεποιημένα ἐν κριθῇ λελικμημένῃ. (z) בליל חמיץ יאכלו אשר זרה ברחת ובמזרה
(a) *Boch. de animal. sacr. parte* 1, *lib.* 2, *c.* 7. (b) *Mont. Pagn. Jun. Tremel.* (c) *Anglic. Vers.*
(d) *Heb.* בנפל מגדלים *Aqu.* Ἐν τῷ πτώσει μεγαλυνομένους. *Sym.* Μεγάλους. 70: Πολλούς.

℣. 26. Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ ejus sanaverit.

℣. 27. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor ejus, & gravis ad portandum: labia ejus repleta sunt indignatione, & lingua ejus quasi ignis devorans.

℣. 28. Spiritus ejus velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum, & frænum erroris, quod erat in maxillis populorum.

℣. 29. Canticum erit vobis sicut nox sanctificatæ solemnitatis, & lætitia cordis, sicut qui pergit cum tibiâ, ut intret in montem Domini ad fortem Israël.

COMMENTARIUS.

℣. 26. Erit lux lunæ sicut lux solis. Lux accipi solet pro rebus prosperis & felicibus (e). Post illud insigne & memorabile facinus, de quo nos in præsenti, fama nominis Ezechiæ longè se lateque diffudit; ut inter opulentissimos Asiæ Principes numeraretur. Babyloniorum Reges nihil antiquius habuerunt, quàm ut illius amicitiam quærerent (f); & vicinæ quælibet gentes verebantur Principem, cui evidens Numinis patrocinium favebat. Domum habebat rebus omnibus opibusque refertissimam; ut Regnum illius vivam Regni Messiæ imaginem exhiberet. Porrò sub Messia potissimùm spectare licuit lunam æquantem luce Solem; & cæteræque nobilissimæ locutiones plenam sui veritatem in Evangelii promulgatione obtinuerunt. Exoriens Sol justitiæ tenebras & caliginem depulit.

Lux Solis septempliciter. Chaldæus: *Lux solis futura est ut splendescat trecenties quadragies ter super lucem septem dierum.* Alii: *Septies sicut lux septem dierum*; idest, quadragies novies magis quàm vulgarium dierum lux. Vel planiùs: Septuplo major erit luce vulgarium dierum: Erit in *septuplum*; idest, uti lux septem dierum.

℣. 27. Ecce nomen Domini venit de longinquo. Nomen Domini hic (g) tantumdem valet ac Dominus ipse ejusque majestas. Vaticinatur hic Propheta Summi Judicis adventum supremâ judicii & ultionis die (h): *Ardens furor ejus & gravis ad portandum.* Cùm iram suam exercuit in Sennacheribum ejusque exercitum, tunc insigne infinitæ potentiæ & severitatis suæ specimen cunctis per orbem gentibus exhibuit. Luculenter exprimit Isaias libertatem, quam Deus gentibus neco Sennacheribi vendicavit iis verbis, ℣. 28: *Ad perdendum frænum erroris, quod erat in maxillis populorum.* Frænum erroris est iniquitas imperii illius, & sævitia, qua devictas gentes habebat, ac Idololatria, ad quam illas trahere conabatur.

℣. 28. Spiritus ejus velut torrens inundans. Ira illius similis est flumini tumenti & exundanti, cujus aquæ collo tenus auctæ, difficilè trajiciuntur: *Inundans usque ad medium colli.* Hebræus (i): *Spiritus ejus* (seu ventus) *velut torrens inundans: dimidium ejus usque ad collum.* Ad medium alvei nondum pervenienti, aquæ ad collum usque tumentis obsistent.

Ad perdendas gentes in nihilum, et frænum erroris, quod erat in maxillis populorum; ad perdendas delendasque gentes, frangendumque frænum erroris, quod populorum maxillas stringebat. Hebræus (k): *Ad projiciendum in ventum nationes in cribro vanitatis; ad versari faciendum frænum erroris in maxillis populorum.* Exsufflabit, disperdet Dominus gentes, ceu triticum in ventum aëremque projicitur: ita illos in orbe dissipabit, ut nuspiam appareant; singulas fræno coërcebit. Babylonios subjiciet Assyriis, Assyrios Chaldæis. Vicissim autem fræno coërcebit Tyrios & Ægyptios; quas pariter gentes conteret, & jugo submittet. Septuaginta (l): *Ut conturbet gentes super errore vano; & persequetur eos error, & capiet eos ad faciem ipsorum, ut resistere non possint.*

℣. 29. Canticum erit vobis, sicut nox sanctificatæ solemnitatis. Judæi festos dies a vesperis exordiebantur; & tribus per annum diebus solemnibus, cùm pro consueto more concursus fieret Jerosolymam, non ex universâ modò Judæâ, sed ab exteris etiam provinciis, credibile est, sonuisse omnia lætis carminibus, & gaudii significationibus, quæ in ipso festi exordio incepta, totâ nocte minimè cessarent. Opinantur nonnulli (m), designari hoc loco noctem Paschatis, qua colebatur memoria ejus noctis, qua primores Ægyptiorum gnati neci traditi fuerunt, & Hebræi e gladio Angeli vastatoris subducti.

In excidio exercitûs Sennacheribi grande adeò prodigium Judæis favit, ut vix quidquam alteri, quod in Ægypto olim editum est, cederet. Quamobrem gaudii significationes in Dei honorem exhibuerunt. Spectari a Prophetâ convivia, quibus dies Festi olim claudebantur, Grotius arbitratur. Tunc enim hilares cum amicis & familiâ epulæ habebantur, ac propinabatur *calix benedictionis*, qui per convivas circumferebatur. Sed rem hîc esse potiùs puto de nocte, qua festum inibatur; cui nostræ opinioni favent ea quæ proximè sequuntur: *Lætitia cordis sicut qui pergit cum tibiâ, ut intret in montem Domini ad fortem Israël.* Nihil tale quidem in lege præcipitur: credibile est tamen, eorum quæ ad significandum animi gaudium pertinerent, neglectum fuisse nihil ab iis, qui ad solemnia Domini confluerent (n); ratis præsertim, servire ita se Dei gloriæ, ejusque ta-

(e) *Job*, xvii, 12; *Psal.* xcvi, 11; *Isai.* lviii, 10; *Jerem.* xiii, 16; *Esther*, viii, 16; x, 6, *&c.*
(f) 4 *Reg.* xx, 12. (g) *Psal.* v, 12; vii, 18; viii, 2, 10, *& passim.*
(h) *Hieronym. hic*, *& Haymo*, *Adam. Lyr. Dionys.* (i) רוחו כנחל שטף עד צואר יחצה
(k) להנפה גוים בנפת שוא ורסן מתעה על לחיי עמים (l) Ταράξαι ἔθνη ἐπὶ πλανήσει ματαίᾳ, καὶ διώξεται αὐτοὺς πλάνησις, καὶ λήψεται αὐτοὺς κατὰ πρόσωπον αὐτῶν.
(m) *Hebr. Vatab. Forer.*
(o) *Vide Judic.* xxi, 19, 20, 21; *& Psalm.* cxxi, 1.

℣. 30. Et auditam faciet Dominus gloriam vocis suæ, & terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris, & flammâ ignis devorantis: allidet in turbine, & in lapide grandinis.

℣. 31. A voce enim Domini pavebit Assur virgâ percussus.

℣. 32. Et erit transitus virgæ fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis & citharis: & in bellis præcipuis expugnabit eos.

℣. 33. Præparata est enim ab heri Thopheth, a rege præparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta ejus ignis, & ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.

COMMENTARIUS.

citæ voluntati obtemperare.

℣. 30. ALLIDET IN TURBINE ET IN LAPIDE GRANDINIS. Clam designare videtur Propheta, Sennacheribi exercitum fulminibus ignibusque cœlestibus tactum, ac oppressum lapidibus, tamquam grandine ex alto cadentibus (o). Innuit alibi (p), exercitum mutuâ cæde, commissis inter se militibus, corruisse. In Libris Regum (q) excidium hoc Angelo Domini adscribitur; atque ambo hæc nullo negorio conciliantur. Exercitus centum octoginta quinque millium, e variis collectus gentibus, territusque subito ac divinitus immisso imbre, urgeri se hostilibus copiis facilè putat; nemo militum alterum agnoscit, nec loquentem intelligit: jussa Principis non deferuntur, terror panicus omnes occupat; hinc fuga; fugientesque lapsu improvisæ grandinis ruunt; alios sociorum gladius perimit, viam sibi per medios suorum ordines aperiunt; fulmina, nox, tonitrua, fulgura, grando, omnia ad perdendos miseros conjurant. Hæc omnia Dei Angelus moderatur & dirigit; ipse nimbum infert, auget terrorem, turbas spargit, prohibetque, ne alter alterum agnoscat. Nec desunt exempla in agminibus imperitis, quæ ex gentibus variæ indolis & sermonis coalescunt.

℣. 31. A VOCE DOMINI PAVEBIT ASSUR, VIRGA PERCUSSUS. Post terribilem adeò Numinis irati experientiam, Sennacherib in fugam vertitur: Dei vocem pavens contremiscit; & qui ante aliquot dies ipsi Israëlis Deo insultare ausus fuerat, nunc nudus & militibus destitutus in medio hostium discrimine positum se sentit. Reddi potest Hebræus (r): *Pavebit Assur ad strepitum tonitrui Dei, virgâ ejus percutietur*. Septuaginta (s): *Per vocem Domini superabuntur Assyrii plagâ, quâ percutiet eos.*

℣. 32. ET ERIT TRANSITUS VIRGÆ FUNDATUS, QUAM REQUIESCERE FACIET DOMINUS SUPER EUM IN TYMPANIS ET CITHARIS; quæ super illum transierit virga, stabilis erit; hanc enim Dominus diu super illum firmabit inter strepitum tympanorum lyrarumque. Assyrios cædet ictu non quidem levi & infirmo, sed profunda vulnera aperiet; toto vibrantis nisu percutiet, ut numquam in pristinam valetudinem restituantur. Porro tonitrua, fulmina, & fulgura quæ hostibus exitio erunt, Israëlitis perinde atque musica instrumenta, pavoris, timoris & incommodi nihil, voluptatis plurimum afferent. Hebræus ad verbum (t): *Et erit omnis transitus virga, quam requiescere faciet super eum* (super Assyrium) *in tympanis & in citharis, & in bellis*, scilicet, veluti bellicis instrumentis. Tonitrua, fulgura, grando, fulmina, terribilisque fragor agmen erunt Dei in excidium Assyriorum, & instrumenta musica ad ornamentum triumphi ejus, & ad populi sui voluptatem.

℣. 33. PRÆPARATA EST ENIM AB HERI TOPHETH, A REGE PRÆPARATA; seu potiùs (u): *Regi præparata*. Sunt qui Topheth dicant cloacam esse Jerosolymæ, in valle Hinnon, ad urbis meridiem, quam Ezechias paratam habuerit, quò projiceret cadavera Assyriorum, ab Angelo vastatore cæsorum. Flagrantes etiam rogos ibi nutriebat, quibus absumerentur cadavera, ne putrescentium sanies aërem vitiaret: *Nutrimenta ejus ignis, & ligna multa*. Porrò locum hunc parasse Ezechias dicitur, quippe quem Ethnicorum simulacris, ibidem igne crematis, in exordio Regni violaverat (x). Hæc opinio statuit, Assyriorum exercitum neci traditum fuisse prope Jerosolymam, quam arctâ obsidione stringeret. Repugnat id Isaiæ, qui Ezechiæ de Sennacheribo spondet (y): *Non intrabit civitatem hanc, non jaciet ibi sagittam, non occupabit eam clypeus, non mittet in circuitu ejus aggerem.*

Alii verò, & quidem potiori jure, affirmant, Isaiam præ oculis habuisse morem immolandi filios Moloc, in valle Topheth (z). Ferunt autem, intra æneum Numinis simulacrum, quod inane erat, & ante ipsum Numen ignem excitari consuevisse; deinde verò intra brachia simulacri constitutus infans, in victimam destinatus, absumebatur igne candentis metalli, sive flammis rogi coram illo positi. Ne verò ejulatus miseræ illius hostiæ præsentium aures ferirent, ingenti musicorum instrumentorum altè stridentium concentu omnia strepebant. Ita periit Sennacheribi exercitus inter Cœli fulmina & ignes, inter voces ululatusque terribiles, quos tonitruum fragor, & tam magnæ multitudinis clamores opprimere videbantur. Vide inferiùs, Caput XXXIII, 14, ubi sub imagine incensi rogi Propheta Assyriorum supplicium exhibet.

CA-

(o) Vide & *Isai.* VIII, 3. (p) *Isai.* IX, 5. (q) 4 *Reg.* XIX, 35; *&* *Isai.* XXXVII, 36.
(r) כי מקול יהוה יחת אשור בשבט יכה (s) Διὰ γὰρ φωνῆς κυρίου ἡττηθήσονται Ἀσσύριοι, τῇ πληγῇ ᾗ ἂν πατάξῃ αὐτούς. (t) והיה כל מעבר מטה מוסדה אשר יניח יהוה עליו בתפים ובכנורות ובמלחמות תנופה נלחם בם
(u) כי ערוך מאתמול תפתה גם הוא למלך הוכן (x) 4 *Reg.* XVIII, 4; 2 *Par.* XXIX, 16; XXX, 14. (y) *Isai.* XXXVII, 33: *Non intrabit civitatem hanc, non jaciet ibi sagittam, non occupabit eam clypeus, non mittet in circuitu ejus aggerem.*
(z) 2 *Par.* XXVIII, 3; *&* XXXIII, 6. *Vide & Jerem.* VII, 31; XIX, 6, 11, 12, 13, 14.

CAPUT XXXI.

Væ illis, qui pervicaci animo proficisci in Ægyptum volunt spretis Isaiæ minis. Assyriorum depressio.

℣. 1. VÆ qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis
sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia
multæ sunt: & super equitibus, quia prævalidi nimis: & non sunt
confisi super sanctum Israël, & Dominum non requisierunt.
℣. 2. Ipse autem sapiens adduxit malum, & verba sua non abstulit: & consurget contra domum pessimorum, & contra auxilium operantium iniquitatem.
℣. 3. Ægyptus, homo, & non Deus: & equi eorum caro, & non
spiritus: & Dominus inclinabit manum suam, & corruet auxiliator,
& cadet, cui præstatur auxilium, simulque omnes consumentur.
℣. 4. Quia hæc dicit Dominus ad me: Quomodo si rugiat leo,
& catulus leonis super prædam suam, cùm occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, & a multitudine eorum non pavebit: sic descendet Dominus exercituum,
ut prælietur super montem Sion, & super collem ejus.
℣. 5. Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Jerusalem, protegens & liberans, transiens & salvans.
℣. 6. Convertimini, sicut in profundum recesseratis, filii Israël.
℣. 7. In die enim illâ abjiciet vir idola argenti sui, & idola auri
sui, quæ fecerunt vobis manus vestræ in peccatum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VÆ QUI DESCENDUNT IN ÆGYPTUM, AD AUXILIUM, IN EQUIS SPERANTES. Prosequitur hîc minas in Judæos, Ægyptiorum opem adversùs Sennacheribum implorantes. Jam superiùs, XXX, 16, illis exprobraverat inanem illam, quam de equis curribusque Ægyptiorum conceperant, fiduciam; ajebant enim: *Ad equos fugiemus, & super veloces ascendemus.*

℣. 2. IPSE AUTEM SAPIENS ADDUXIT MALUM; Deus scilicet, utpote sapientissimus, quæ prædixerat mala in illos induxit. Nec diligentia, nec inanis prudentiæ vestræ consilia (a) Domini flagellum, quod timetis, a vestro capite avertent. Sapientiam vestram, quæcumque illa sit, Deus fallet; gravisque cadet super vos, super domos impiorum, *contra domum pessimorum*, & super eos, quorum opem speratis, *& contra auxilium operantium iniquitatem.* Sennacherib primò quidem invadet Ægyptum (b); deinde copias in vos ducet.

℣. 3. DOMINUS INCLINABIT MANUM SUAM, ET CORRUET AUXILIATOR; ET CADET (is) CUI PRÆSTATUR AUXILIUM. Phrasis hæc, *inclinabit manum suam*, mirè exprimit summam Numinis potentiam. Si manum ille reducat, Imperia statim cadunt; si verò manum inclinet, labascunt. Brevi temporis momento subducit se ab Ægypto & Judæâ; ambo statim in ruinam vergunt; nec restituuntur in pristinum, nisi admotâ manu Deus illis succurrat.

℣. 4. SIC DESCENDET DOMINUS, UT PRÆLIETUR SUPER MONTEM SION. Non congredietur ille quidem cum hoste intra Sionem; neque enim Sennacherib usque eò pervadet, neque urbem Jerosolymam stringet obsidione (c); sed Dominus, in loco & solio Majestatis suæ Sione considens, nullo negotio hostem delebit. *Quiescam*, ait (d), *& considerabo in loco meo.* Buccinarum mearum clangor aures feriet, aspicietur prælii signum, spectabitur ingens illa cædes, quam patravero.

℣. 5. SICUT AVES VOLANTES, SIC PROTEGET DOMINUS JERUSALEM; ita Deus Jerosolymam, ut avis pullos, proteget. Nullum illi incommodum afferet Sennacherib: minitabitur quidem, clamabit, convicia in Deum evomet; at post strepitum, ne telum quidem in urbem jaciet (e). Proteget Deus Jerosolymam, uti olim a gladio Angeli vastatoris in Ægypto populum defendit. Hanc interpretationem Hebræus ipse ferre videtur (f).

℣. 6. CONVERTIMINI, SICUT IN PROFUNDUM RECESSERATIS (g). Vestra ad Deum accessio adeò fidelis sit & constans, uti recessio pertinax fuit, & diuturna. Symmachus (h): *Pœnitentiam agite, sicut profundâ transgressione recessistis a Deo.* Septuaginta (i): *Convertimini, qui profundum consilium consultabatis, & iniquum, filii Israël.*

℣. 7. ABJICIET VIR IDOLA. Deleto Sennacheribi exercitu, quidquid reliquum erat idololatriæ in Juda, proscriptum penitus exterminatumque defecit. Vide superiùs, XXX, 21, 22.

(a) Vide supra, XXIX, 14, 15. (b) *Joseph. Antiq. lib.* X, *c.* 1; *& apud eum Beros. ibid. c.* 2. *Vide & Herodot. lib.* 2, *c.* 141. (c) 4 *Reg.* XIX, 32. (d) *Isai.* XVIII, 4. (e) *Isai.* XXXVII, 33.
(f) גנון והציל פסוח והמליט (g) שבו לאשר העמיקו סרה בני ישראל
(h) *Sym.* Μετανοήσατε ὡς ἐβαθύνατε παραβάσει, υἱοὶ Ἰσραήλ. (i) Ἐπιστράφητε, οἱ τὴν βαθεῖαν βουλὴν βουλευόμενοι καὶ ἄνομον, υἱοὶ Ἰσραήλ.

℣. 8. Et cadet Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non a facie gladii: & juvenes ejus vectigales erunt:

℣. 9. Et fortitudo ejus a terrore transibit, & pavebunt fugientes principes ejus: dixit Dominus, cujus ignis est in Sion, & caminus ejus in Jerusalem.

COMMENTARIUS.

℣. 8. CADAT ASSUR A GLADIO NON VIRI. Assyriorum copiæ peribunt, & neci tradentur; non hominum, sed Angeli gladio. Vide superiùs, xxx, 30.

ET FUGIET NON A FACIE GLADII (k). Exutus exercitu Sennacherib, in fugam versus, præceps Niniven redibit: sed mortem, quæ miserum opperitur, non vitabit: filiorum enim flagitio interficietur.

JUVENES EJUS VECTIGALES ERUNT. Ægrè admodum ex hoc loco literalis sensus elicitur, nisi putemus Assyrios per varias temporum successiones priùs Chaldæis, deinde Persis, denique Græcis vectigales fuisse. Alii aliter explicant. Septuaginta (l): *Juvenes autem erunt in cladem.* Chaldæus: *Robusti ejus in interitu erunt.* Hebræus ad verbum (m): *Juvenes ejus* (electi, milites) *liquescent.* Illorum animus terrore liquefient (n). Huic expositioni proximè sequens versiculus maximè favet.

℣. 9. ET FORTITUDO EJUS A TERRORE TRANSIBIT. Formidabilis ille Assyriorum exercitus, terrore correptus, dissipabitur & evanescet. Hebræus (o): *Et rupes ejus præ timore transibit.* Sennacherib, rupes illa, fortitudo & fulcrum populi sui, in tutum se recipiet ob timorem: *Et pavebunt fugientes Principes ejus.* Hebræus (p): *Et paventes Principes ejus transibunt a vexillo*; vel deserent signa; vel potiùs: Tanto corripientur pavore, ut vel fugam capere nequeant. Septuaginta (q): *Petrâ enim circumdabuntur quasi vallo & vincentur: qui autem fugerit, capietur.* Chaldæus: *Principes ejus terrore afficientur; & conterentur propter miraculum Principes ejus.*

CUJUS IGNIS EST IN SION, ET CAMINUS EJUS IN JERUSALEM; qui sedem, domicilium, altare, Templum suum Jerosolymis constituit (r). Locutio est ex hominum ingenio, quæ demittere infra dignitatem suam Dei majestatem videtur, ut meliùs sentiatur bonitas illius, validumque patrocinium, quod Jerosolymæ impertitur. Septuaginta (s): *Beatus qui habet in Sion semen, & domesticos in Jerusalem.* Chaldæus: *Dominus, cujus splendor est in Sion facientibus legem, & caminus ignis ardens in Jerusalem transgredientibus verbum ejus.* Vulgatæ interpretationem Aquila, Symmachus, & Theodotion tuentur.

CAPUT XXXII.

Justitia Regis, ejusque Ministrorum. Post annum & aliquot menses tumultus: deinde pax & felicitas.

℣. 1. ECce in justitiâ regnabit rex, & principes in judicio præerunt.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ECCE IN JUSTITIA REGNABIT REX; veniet Rex, qui justè regnet. Vulgò hæc accipiuntur (a) de Ezechia, qui regnum in æquitate & sapientiâ, præsertim post confectum Sennacheribi bellum moderatus est (b); qua in re vivam exhibuit imaginem Jesu Christi, Regis gloriæ, pacis & justitiæ. At hæc difficultate non caret interpretatio: nam Princeps promittitur in justitiâ regnaturus: hoc autem oraculum editum est duodecim ampliùs mensibus ante bellum Sennacheribi, quod prænunciatum creditur ℣. 10, &c. Tunc autem Ezechias decennale ampliùs regnum egerat. 2°, Mala illa, quæ in Judam prædicuntur, tantam erant illatura cladem, ut non agros modò (c) redactura essent in saltum, verùm etiam urbium domos in squallorem, ædes Principum in deserta, Jerusolymam in solitudinem, in qua onagri lascivirent, & quò greges ad pascua confluerent. Tanta autem desolatio non congruit, nisi calamitati, quæ post Jerosolymam a Chaldæis expugnatam subsecuta est. Profectò deinceps (d) prænunciat Isaias lapsum eversionemque Babylonis. 3° denique præposterum videbatur, novum hìc edi vaticinium de bello Sennacheribi, postquam idem fusè deductum fuit duobus præcedentibus Capitibus, quæ unam narrationis seriem cum tertio hoc Capite & sequenti facilè contexunt; & postquam in præcedentibus non semel descripsit cædem copiarum ejusdem Principis, fugam & mortem (e).

Commodè igitur ea, quæ hìc dicuntur de Principe justo, in Judâ regnaturo, accipiuntur de Josiâ Rege, cujus comperta est æquitas, virtus, religio. Post illius obitum, res Juda urbisque Jerosolymæ inclinatæ adeò sunt, ut post aliquot annos penitùs collaberentur, unà secum ruinâ

(k) *Heb.* ונס לו מפני חרב *Fugiet sibi a facie gladii.* Vulgata & Septuaginta legunt לא, *Non*, pro לו *Sibi*. (l) Οἱ δὲ νεανίσκοι ἔσονται ἥττημα. (m) ובחוריו למס יהיו (n) *Munst. Vat. Pisc. Vide Sanct. Cornel. Masius in Josue*, 11, 21. (o) וסלעו ממגור יעבור (p) וחתו מנס שריו (q) Πέτρᾳ γὰρ περιληφθήσονται ὡς χάρακι, καὶ ἡττηθήσονται, ὁ δὲ φεύγων ἁλώσεται. (r) אשר אור לו בציון ותנור לו בירושלים (s) Μακάριος, ὃς ἔχει ἐν Σιὼν σπέρμα, καὶ οἰκείους ἐν Ἱερουσαλήμ. (a) *D. Thom. Hugo, Gloss. Lyran. Vat. Pagn. Sanct. Cornel. Menoch. Tir. Grot.*; (b) *Isai.* xxx, 21, 22; xxxi, 7. (c) Vide ℣℣. 13, 14, 15. (d) ℣. 19 capitis xxxii, & ℣. 2 capitis xxxiii. (e) Cap. xxx, 30, 31, 32; & xxxi, 8, 9.

℣. 2. Et erit vir sicut qui absconditur a vento, & celat se a tempestate, sicut rivi aquarum in siti, & umbra petræ prominentis in terrâ desertâ.

℣. 3. Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auscultabunt.

℣. 4. Et cor stultorum intelliget scientiam, & lingua balborum velociter loquetur, & planè.

℣. 5. Non vocabitur ultra is, qui insipiens est, princeps: neque fraudulentus appellabitur major:

℣. 6. Stultus enim fatua loquetur, & cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam esurientis, & potum sitienti auferat.

COMMENTARIUS.

nâ trahentes Imperium, Urbem, ac Templum. Sententiæ huic nostræ unicum negotium facessit illud ℣. 10: *Post dies & annum vos conturbabimini*. Sed Hebræum hujus loci longam annorum successionem exprimere posse, Interpretum plures (f) arbitrantur. In tantâ rerum caligine datum est unicuique utramlibet viam inire, quarum utraque semper tendit in Jesum Christum, potissimum oraculi finem (g); quem pariter Ezechias æquè ac Josias per figuram expresserunt. Nos hìc communem de Ezechiâ interpretationem, quæ totum hoc Caput cum præcedenti in unam oraculi seriem jungit, sequemur.

IN JUSTITIA REGNABIT REX, ET PRINCIPES IN JUDICIO PRÆERUNT. Ab ipso Regni exordio Ezechias illustria dederat argumenta sui erga æquitatem & pietatem studii & ardoris (h); at post evidens Dei patrocinium, cæso exercitu Sennacheribi, illius æquitas novâ lucis accessione emicuit, translato etiam exemplo ad summos Regni Præfectos totumque Judam, qui superstitionis adhuc in regione perseverantis (i) reliquias penitus abjecere.

℣. 2. ET ERIT VIR SICUT QUI ABSCONDITUR A VENTO. Reddi potest Hebræus (k): *Erit quisque ceu ludibrium venti, & absconsus a tempestate*. Septuaginta (l): *Et erit homo occultans sermones suos, & abscondetur, sicut qui declinat ab aquâ, quæ impetu fertur*. Explicantur hæc a Theodoreto de Jesu Christo, qui vulgò Judæis verba faciebat per parabolas, unis tantummodò Apostolis latentem illarum sensum aperiens (m). Ezechias asylum se populo suo exhibuit, iræ Dei flagellum, jam terga illorum cædere paratum, coërcens. Conveniunt hæc pariter Josiæ.

SICUT RIVI AQUARUM IN SITI, ET UMBRA PETRÆ PROMINENTIS IN TERRA DESERTA; sole adustâ. Septuaginta (n) & Theodotion vocem *Zion*, quæ sonat locum siccum & aridum, de monte Sionis accipiunt: *Apparebit in Sion sicut fluvius currens inclytus in terrâ sitienti*. Hebræus (o): *Sicut rivi aquarum in siccitate, ut umbra petræ magnæ in lassitudine*. Haud alium se Ezechias populo exhibuit.

℣. 3. NON CALIGABUNT OCULI VIDENTIUM, ET AURES AUDIENTIUM DILIGENTER AUSCULTABUNT. Nemo surdus aut cæcus sponte erit. Docilem se unusquisque e populo præstabit, intentumque sermonibus sibi jussu Domini factis. Reddi potest (p): *Oculi videntium* (Prophetarum) *non caligabunt*. Divini Spiritûs afflatus deinceps non cessabit, nec Prophetæ secretis Dei monitis aures claudent. Vel: Qui Prophetarum simulatâ personâ ludunt, ulteriùs visionum suarum spectra non jactabunt, nec populus aures habebit, nisi ut Domini verba per illius Ministros delata excipiat. Septuaginta (q): *Nequaquam ultra erunt confidentes in hominibus, sed aures ad audiendum*, sive ad obediendum, *dabunt*. Confer Caput XXX, 20, 21.

℣. 4. COR STULTORUM INTELLIGET SCIENTIAM. Hebræus (r): *Cor præcipitatorum*, audacium, vecordium, *scientiam habebit ad intelligendum*. Septuaginta (s): *Cor infirmorum attendet auditui*.

℣. 5. NON VOCABITUR ULTRA IS, QUI INSIPIENS EST, PRINCEPS, NEC FRAUDULENTUS APPELLABITUR MAJOR. Hebræus (t). *Non vocabitur ultra stultus* (mendicus, homo nihili) non, inquam, vocabitur ultra *Princeps*, vel magnificus; *& tenaci non dicetur nobilis*, vel liberalis. Magnificentia & liberalitas laudes Principum sunt; utramque verò, ceu summorum virorum ornamenta, Scriptura commemorat. *Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur*, ait Christus (u). Septuaginta (x): *Nequaquam ultra dicetur stulto, ut Princeps sit; nec ultra dicent Ministri tui: Tace*. Confert opponitque Propheta Regnum Ezechiæ, vel Josiæ, quibus summa fuit a magnificentiâ, magnanimitate, & beneficentiâ laus, Regno Achaz, qui subjectum sibi populum oppresserat, ac privatorum æraria vectigalibus expilaverat. Vide ℣. 7. *Fraudulentus* hoc capite pro *avaro* usurpatur. Confer Proverbia, XXI, 27.

℣. 6. STULTUS ENIM FATUA LOQUETUR, &c. Habes hìc vivam stulti, seu vilissimi hominis, Principis qui illiberalia cogitat & sapit, imaginem. Idem recurrit hìc nomen נבל *Nabal*, quâ homo versiculo superiore scribitur futurum, ut ultra *non vocetur Princeps*, vel magnificus. Ita ℣. 7, כילי *Avarus* seu *fraudulentus* non ultra *liberalis* elogio donabitur; quippe qui pauperem & egenum siti & fame confici patitur. Stultus, *Nabal*, mendacio

(f) *Vatab. Jun. Tremel. Pisc. Menoch. Tir.*
(g) *Ita Patres passim, & Interpretes plerique*. (h) 4 *Reg.* XVIII, 3, 4. (i) *Isai.* XXX, 21, 22; XXXI, 6, 7.
(k) והיה איש כמחבא רוח וסתר זרם (l) Καὶ ἔσται ὁ ἄνθρωπος κρύπτων τοὺς λόγους αὐτοῦ, καὶ κρυβήσεται ὡς ἀφ' ὕδατος φερομένου. (m) *Matt.* XIII, 10, 13, 18. (n) Καὶ φανήσεται ἐν Σιὼν ὡς ποταμὸς φερόμενος ἔνδοξος ἐν γῇ διψώσῃ. (o) כפלגי מים בציון : כצל סלע כבד בארץ עיפה
(p) ולא תשעינה עיני ראים ואזני שמעים תקשבנה (q) Οὐκέτι ἔσονται πεποιθότες ἐπ' ἀνθρώποις, ἀλλὰ τὰ ὦτα δώσουσιν ἀκούειν. (r) לבב נמהרים יבין לדעת (s) Ἡ καρδία τῶν ἀσθενούντων προσέξει τοῦ ἀκούειν. (t) לא יקרא עוד לנבל נדיב ולכילי לא יאמר שוע (u) *Luc.* XXII, 25.
(x) Οὐκέτι μὴ εἴπωσι τῷ μωρῷ ἄρχειν, καὶ οὐκέτι μὴ εἴπωσιν οἱ ὑπηρέται σου, σίγα.

℣. 7. Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites, in sermone mendacii, cùm loqueretur pauper judicium.

℣. 8. Princeps verò ea, quæ digna sunt principe, cogitabit, & ipse super duces stabit.

℣. 9. Mulieres opulentæ, surgite, & audite vocem meam: filiæ confidentes, percipite auribus eloquium meum.

℣. 10. Post dies enim, & annum, vos conturbabimini confidentes: consummata est enim vindemia, collectio ultra non veniet.

℣. 11. Obstupescite opulentæ, conturbamini confidentes: exuite vos, & confundimini, accingite lumbos vestros.

℣. 12. Super ubera plangite, super regione desiderabili, super vineâ fertili.

℣. 13. Super humum populi mei spinæ & vepres ascendent: quantò magis super omnes domos gaudii civitatis exultantis?

COMMENTARIUS.

dacio & fucatâ Justitiæ simulatione pauperem & innocentem decipit. Omnia hæc ab ingenio magni Principis quàm longissimè abhorrent; nihil enim ille nisi liberale, sublime, æquum, & justum, in commodum & felicitatem populi, cogitat.

℣. 8. Princeps vero ea, quæ digna sunt principe, cogitabit, et ipse super Duces stabit. Hebræus [y]: *Princeps digna Principe consilia capiet; & ipse in consiliis suis stabit*. Congrua dignitati suæ consilia capiet, & rebus a se decretis insistet. Magnificentiam animo & manu exhibebit; cujusmodi se gesserunt Ezechias & Josias, quos hæc scribens Propheta fortasse respiciebat.

℣. 9. Mulieres opulentæ, surgite. Florentissimas Judææ Urbes alloquitur, quas sibi fingit sub imagine matrum vel regionis matronarum; minores verò Urbes & pagos *filias* appellat. Prædicere autem illis aggreditur, quæ Judææ imminent, calamitates.

℣. 10. Post dies et annum vos conturbabimini confidentes; id est, confidentia vestra in trepidationem vertetur post dies aliquot & annum. Hujus vaticinii epocha hæc est. Si hæc verba accipiantur de adventu Sennacheribi, ad quem Judæa universa cohorruit; componendum est oraculum cum Ezechiæ anno duodecimo; hujus enim anno quartodecimo Rex Assyriorum in Judæam venit (z). Si verò de Regno Josiæ explicentur, vertendus erit Hebræus (a): *Post dies ultra annum*, idest, post annos plures, *turbabimini*, &c. Utraque interpretatio suos habet assertores. Ab exordio hujus capitis nos priorem prætulimus. Septuaginta (b): *Per dies anni memoriam facite in dolore cum spe. Dies & annum* accipiunt quidam de tempore, quo Sennacheribi bellum productum est: bis ille venit in Judæam; primò e Ninive movens; secundò redux ab Ægypto.

Consummata est enim vindemia; collectio ultra non veniet; collectio scilicet frugum. Si ponamus, Isaiam verba hæc ad populum absolutâ vindemiâ fecisse, facilè locus exponitur in hanc sententiam: Proximo anno cessabit cum messe vindemia; veniens enim cum exercitu Sennacherib, regionem latè vastabit. Profectò Isaias paulò ante cædem exercitûs Assyrii monuit Ezechiam (c): *Comede hoc anno quæ reperesis; in secundo autem anno quæ sponte nascuntur* (is annus Sabbaticus fuisse creditur); *porrò in tertio anno seminate & metite, plantate vineas & comedite fructum earum*. Et ipse pariter Isaias superiùs indicaverat, magnâ annonæ caritate laboraturam fuisse regionem (d), nuncians futurum, ut Dominus daret illis panem arctum & aquam brevem. Malunt alii (e), nomen vindemiæ hic per tropum significare tempus ultionis Domini: Ultione tam severâ Dominus animadvertet, ut alteri ultioni locus non supersit: idque sub Nabuchodonosore impletum est. Prior interpretatio melior.

℣. 12. Super ubera plangite; super regione desiderabili. Hebræus (f): *Accingite super lumbos* (℣. 11) *propter ubera percussa, ob agros tuos pulcros, ob vineas tuas fertiles*. Mos olim obtinebat in luctibus, ut fœminæ nudum sinum plangerent; id quod extra luctum indecorum fuisset ac turpe (g). Aliter: Induimini vestibus lugubribus *ob agros afflictos* & suo more lugentes; *ob agros desiderabiles & vineas fertiles*. Apud Prophetas frequenter regiones, urbes, terra luctum & mœrorem agentes inducuntur (h).

℣. 13. Super humum populi mei spinæ et vepres ascendant: quanto magis super omnes domos gaudii? Difficilè hæc ad verbum congruunt cum tempore belli Sennacheribi, quod in commodum Judæorum cessit. At neque a vero abest, humum, quæ biennio inculta jacuit (i), malis herbis, spinis, & vepribus silvescere cœpisse. Post eversionem Jerosolymæ ex Nabuchodonosore, harum minarum veritas plus nimio se totam prodidit.

Hebræus (k) reddi potest: *Super humum populi mei spina & vepres ascendent; quia super omnes domos gladii civitatis exultantis*. Altero hujus loci membro verbum suppleot quidam in hanc sententiam: Spinæ omnes voluptatis domus occupabunt; vel, omnia loca, in quibus gaudium regnat, quæque voluptati destinantur, *erunt in luctu*. Aliter: *Vepres*

(y) ונדיב נדיבות יעץ והוא על נדיבות יקום (z) 4 *Reg.* XVIII, 23.
(a) ימים על שנה תרגזנה בטחות (b) Ἡμέρας ἐνιαυτοῦ μνείαν ποιήσασθε ἐν ὀδύνῃ μετ' ἐλπίδος. (c) 4 *Reg.* XIX, 29. (d) *Isai.* XXX, 20, 23. (e) *Hieronym. hic, Sanct. Cornel. &c.*
(f) על שדים ספדים על שדי חמד (g) *Vide Ezech.* XXIII, 34. *Herodot. lib.* 2, *c.* 84; *Diodor. lib.* 17. (h) *Vide infr. Isai.* XXXIII, 9; *&* XXIV, 4.
(i) Vide ℣. 10 hujus Capitis.
(k) על אדמת עמי קוץ שמיר תעלה : כי על כל בתי משוש קרית עליזה

℣. 14. Domus enim dimissa est, multitudo urbis relicta est, tenebræ & palpatio factæ sunt super speluncas usque in æternum. Gaudium onagrorum pascua gregum,

℣. 15. Donec effundatur super nos spiritus de excelso: & erit desertum in Carmel, & Carmel in saltum reputabitur.

℣. 16. Et habitabit in solitudine judicium, & justitia in Carmel sedebit.

℣. 17. Et erit opus justitiæ pax, & cultus justitiæ silentium, & securitas usque in sempiternum.

℣. 18. Et sedebit populus meus in pulcritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulentâ.

℣. 19. Grando autem in descensione saltûs, & humilitate humiliabitur civitas.

COMMENTARIUS.

Vepres & spinæ tegent solum populi mei; ignis (l) absumet *universas domos voluptatis urbis hujus exultantis*. Septuaginta (m) optimum sensum reddunt: *Terram populi mei spinæ & herba ascendent; & ex omni domo lætitia tolletur.*

℣. 14. DOMUS ENIM DIMISSA EST, MULTITUDO URBIS RELICTA EST, TENEBRÆ ET PALPATIO FACTÆ SUNT SUPER SPELUNCAS. Dicta hæc ad verbum non congruunt nisi tempori post captam a Nabuchodonosore vel Romanis Jerosolymam. Hebræus (n): *Palatium dejicietur, tumultus* (turba) *urbis cadet, turres & arces redigentur in speluncas*, vel in tuguria. Septuaginta (o): *Domus derelictæ divitias civitatis dimittent, & domus desiderii, & villæ speluncæ usque in sæculum, lætitia asinorum agrestium.* Chaldæus: *Domus Sanctuarii destructa est, multitudo Civitatum, quæ in eâ colebant, deserta est, domus fortitudinis nostræ & refugii nostri subfossa est & desolata, & vastata usque ad tempus.* Vaticinia hæc non obscurè evertendum a Nabuchodonosore Templum portendunt. Ad Sennacheribum verò si quis referenda censeat, dici potest, captis a Sennacheribo omnibus, quæ in agro jacebant, urbibus (p), splendidas aliquas ædes desertas fuisse, quas hostes igne & ruinis vastavere. Est denique, cur hyperbolicum aliquid in his Prophetæ phrasibus admittatur.

℣. 15. DONEC EFFUNDATUR SUPER NOS SPIRITUS DE EXCELSO; donec in novam vitam nos revocet ceu mortuos e sepulcris, vel tamquam ossa illa arida, Ezechieli per visum exhibita, quæ Deus spiritu immisso vitæ restituit (q): *Et ingressus est in ea spiritus, & vixerunt.* Familiarissimum est Scripturæ, publicas ingentesque calamitates pingere sub emblemate mortis, atque ab his malis liberationem sub resurrectionis nomine designare. Versiculus hic cum reliquis hujus Capitis, usque ad ℣. 19, prono & naturali sensu ad tempus adventûs Jesu Christi, & palam annunciati Evangelii refertur (r).

ERIT DESERTUM IN CARMEL. Quæ sterilitate cultuque luxuriant arva, ceu deserta squallebunt; & quæ hodie inculta & sterilia jacent, in tantam convertentur amœnitatem, ut fertilissimo Carmelo nihil cedant. Vide supra Caput XXIX, 17, ubi phrases hasce per figuram exprimere gentium ad fidem conversionem, & Judæorum reprobationem, animadvertimus. *Carmel* usurpatur etiam sæpè pro quocumque loco culto, fertili, & amœno; quam significationem hìc etiam retinere commodè potest. Post fusum Sennacheribum, alia fuit Judææ facies. Assyrius, hìc nomine Carmeli designatus, convertetur quodammodo in Libanum desertum, contemptum, neglectum; & Judæa, quæ hìc Libanus est, in Carmelum fertilem, jucundum, amœnum.

℣. 16. HABITABIT IN SOLITUDINE JUDICIUM, ET JUSTITIA IN CARMEL SEDEBIT. In hâc regione, olim desertâ & solitariâ, fertilitas & justitia germinabunt; tunc lætam Carmeli faciem induet, eritque terra benedictionis. Ezechiâ apud Judæos regnante, justitia, religio, pax, prosperitas regnabunt.

℣. 17. ERIT OPUS JUSTITIÆ PAX. Prosperitas, pax, ubertas e radice justitiæ pullulabunt. Populus beatâ felicitate fruetur, eo quòd justitiam colat.

CULTUS JUSTITIÆ SILENTIUM; silentium excolet justitiam; seu potiùs (s): *Silentium*, pax, requies, tranquillitas, *opus justitiæ erunt*; æquitas beatam quietem pariet. Septuaginta (t): *Obtinebit justitia requiem.*

℣. 18. SEDEBIT POPULUS MEUS IN PULCHRITUDINE PACIS. Hebræus (u): *Habitabit populus meus in habitaculo pacis*. Septuaginta [x]: *Habitabit populus ejus in civitate pacis*, Jerosolymâ. Chaldæus: *Habitabit in tabernaculis pacificè*, in ædibus & regione suâ.

℣. 19. GRANDO AUTEM IN DESCENSIONE SALTUS, ET HUMILITATE HUMILIABITUR CIVITAS. Dicta hæc accipiuntur de Babylone, seu potiùs Ninive, ubi Sennacherib regnabat. Judæorum captivitate perseverante, Babylonem priùs Darius Medus, deinde Cyrus subegit. Sub Josiæ regno, Nabopolassar & Astyages Niniven ceperunt. Hebræus (y): *Grandinabis usque ad dejectionem sylvæ*; vel, super cacumina sylvæ; super Libanum, de quo ℣. 15. Sive ex Vulgatâ: Cadet grando in descen-

(l) כי interdum significat ustionem, ignem. (m) Ἐν γῇ τοῦ λαοῦ μου ἄκανθα καὶ χόρτος ἀναβήσεται, καὶ ἐκ πάσης οἰκίας εὐφροσύνη ἀρθήσεται. (n) כי ארמון נטש המון עיר עזב עפל ובחן היה בעד מערות עד עולם משוש פראים וגו (o) Οἶκοι ἐγκαταλελειμμένοι πλοῦτον πόλεως ἀφήσουσι, καὶ οἴκους ἐπιθυμητούς. Καὶ ἔσονται αἱ κῶμαι σπήλαια ἕως τοῦ αἰῶνος, εὐφροσύνη ὄνων ἀγρίων.
(p) 4 Reg. XVIII, 13: *Ascendit Sennacherib ad universas civitates Juda munitas, & cepit eas.*
(q) *Ezech.* XXXVII, 10. *Vide Sanct. hic.* (r) *Cyrill. Procop. Theodoret. Euseb.*
(s) ועבדת הצדקה השקט (t) 70: Καὶ κρατήσει ἡ δικαιοσύνη ἀνάπαυσιν.
(u) ישב עמי בנוה שלום (x) Κατοικήσει ὁ λαὸς αὐτοῦ ἐν πόλει εἰρήνης.
(y) וברד ברדת היער ובשפלה תשפל העיר

℣. 20. Beati, qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis & asini.

COMMENTARIUS.

descensu saltûs; vel: Grandine pluisti in saltu (z); *& humiliasti civitatem*; sive, civitas humiliata est. Saptuaginta (§): *Grando si descenderit, non cadet super vos; & erunt qui inhabitant in sylvis fideates, sicut qui in campestri*. Vertere ego Hebræum malo: *Grando si ceciderit, cadet in saltu*, incultiaque locis; *& urbs in valle suâ, ubi jacet, stabit secura*.

℣. 20. BEATI QUI SEMINATIS SUPER OMNES AQUAS, IMMITTENTES PEDEM BOVIS ET ASINI; qui scilicet eò mittitis ad pascendum bovem & asinum; sive bovem asinumque eò ad colendum mittitis. Septuaginta: *Bos & asinus calcat*. Bene vobis vertet, ut seratis in agro pingui & irriguo, quem bos asinusque frequentant; in regione boum asinorumque feraci, cujus culturæ nihil adminiculi deest. Patres (*) bovis asinique nomine designari arbitrantur Judæos Ethnicosque, quorum illus, Judæos nempe, assuetos jugo Legis ferendo, apto emblemate exprimit bus, animal labori assuetum; Ethnicos verò exhibet asinus, animal liberum magis & indomitum. Uterque verò populus, Judæus Ethnicusque, ad fidem conversus, in aquis, pascuis, optimo solo, in Ecclesiâ Jesu Christi, habitat.

CAPUT XXXIII.

Vaticinium malorum imminentium Sennacheribo, ejusque copiis. Jerosolymæ post Sennacheribi fugam felicitas.

℣. 1. VÆ qui prædaris! nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne & ipse spernêris? cùm consummaveris deprædationem, deprædaberis: cùm fatigatus desieris contemnere, contemnêris.

℣. 2. Domine, miserere nostri: te enim expectavimus: esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis.

℣. 3. A voce angeli fugerunt populi, & ab exaltatione tuâ dispersæ sunt gentes.

℣. 4. Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus, velut cùm fossæ plenæ fuerint de eo.

COMMENTARIUS.

℣. 1. VÆ QUI PRÆDARIS! NONNE ET IPSE PRÆDABERIS? Inceptum præcedentibus Capitibus vaticinium Isaias prosequitur: ferit autem Sennacheribum (a). Quædam hìc tamen elucent, quæ planè conveniunt tempori Ecclesiæ a Jesu Christi constitutæ. Ecclesiæ hostes Sennacherib per typum exprimebat; Ezechias personam Jesu Christi agebat. Væ tibi, Princeps inique & crudelis, quem prædonem meliùs dicam, quàm triumphatorem (b). *Remotâ justitiâ, quid sunt Regna, nisi magna latrocinia?*

℣. 2. DOMINE, MISERERE NOSTRI, TE ENIM EXPECTAVIMUS; in te spem nostram collocavimus. Ita supplex Deum rogat Ezechias ejusque populus, quem Sennacheribus undique gravissimorum malorum minis premit.

ESTO BRACHIUM NOSTRUM IN MANE, celerem nobis opem affer, antequam nos penitus hostis evertat. Vel: *Esto brachium eorum in matutinis*, uti habet Hebræus (c), id est, *quotidie* (d). Septuaginta (e): *Factum est semen incredulorum in perditionem*.

℣. 3. A VOCE ANGELI FUGERUNT POPULI. Tonitruum & procellæ ab Angelo tuo excitatæ fragor (f) terrorem in exercitum Sennacheribi injecerunt; & gentes, quibus eæ copiæ constituebantur, in fugam versæ sunt: at tu cohibuisti fugientes fulminibus, igne, grandine, versisque in illos suis ipsorum armis (g), quibus omnes confecti sunt. Hebræus (h): *A voce multitudinis versi sunt populi in fugam*; sive a voce tumultûs. Judæi, quorum traditionem S. Hieronymus secutus est, arbitrantur, vocem *Hamon*, tumultus, vel multitudo, significare hìc Angelum Gabrielem, quem missum fuisse affirmant ad cædem exercitûs Sennacheribi edendam. Septuaginta (i) & Interpretes alii explicant hæc de terrore, qui illos corripuit, & strepitu quo perculsi sunt, ac de procellâ, quæ miseros stravit.

℣. 4. CONGREGABUNTUR SPOLIA VESTRA, SICUT COLLIGITUR BRUCHUS, VELUT CUM FOSSÆ PLENÆ FUERINT DE EO. Hebræa vox (k) sonat locustam, vel scarabæum, vel bruchum. In Oriente locustarum turmæ agros latè vastant, & cùm, stante

(z) ברדת duci potest ex רדה Dominari, ex ירד Descendere, vel ex *barad*, grandinare. ברדת grandinem sparsisti.
(§) Ἡ δὲ χάλαζα ἐὰν καταβῇ, οὐκ ἐφ' ὑμᾶς ἥξει. καὶ ἔσονται οἱ ἐνοικοῦντες ἐν τοῖς δρυμοῖς πεποιθότες, ὡς οἱ ἐν τῇ πεδινῇ. (*) *Clem. Alex. lib. 6 Strom. initio; Euseb. Theodoret. & Hieronym. hic, &c.* (a) *Ita Hebræi, Div. Thom. Lyr. Vatab. Emman. Sa, Paga. Forer. Men. Tir. Sanct. alii.*
(b) *Aug. lib. 4 de civit. c. 4.* (c) היה זרעם לבקרים (d) *Vatab. Chald. Sanct. Jun. Forer.*
(e) Ἐγενήθη τὸ σπέρμα τῶν ἀπειθούντων εἰς ἀπώλειαν. (f) Vide supra, *Isai.* XXX, 30.
(g) Vide *Isai.* IX, 5; & ℣. 4 hujus Capitis. (h) מקול המון נדדו עמים *Aqu. Th.* Ἀπὸ φωνῆς ὄχλου.
(i) Διὰ φωνὴν τοῦ φόβου σου ἐξέστησαν λαοί. (k) ואסף שללכם אסף החסיל

℣. 5. Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso: implevit Sion judicio & justitiâ.

℣. 6. Et erit fides in temporibus tuis: divitiæ salutis sapientia, & scientia: timor Domini ipse est thesaurus ejus.

℣. 7. Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amarè flebunt.

℣. 8. Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam, irritum factum est pactum, projecit civitates, non reputavit homines.

COMMENTARIUS.

flante vento rapiuntur in mare, locorum incolæ, ne fœtor mersarum locustarum, quas fluctus impellunt ad litora, aërem corrumpat, vel struem illarum cogunt in eodem litore, & igne subjecto cremant, vel intra paratas ingentes foveas sepeliunt. Id ubi fortè neglexerunt, accidit interdum, ut malis ingentibus integræ Provinciæ sæpè vastarentur.

Narrant Paulus Orosius (l) & S. Augustinus (m), P. Plautio Hipsæo, M. Fulvio Flacco Coss. locustarum in Africâ multitudinem prodigii similem fuisse; consumptis autem fructibus foliisque lignorum, ingenti atque inæstimabili nube in mare dicunt esse dejectam. Qua mortuâ redditâque litoribus, atque hinc aërem corrupto, tantam ortam pestilentiam dicunt, ut in solo Regno Massinissæ, Numidiâ scilicet, octingenta hominum millia periisse referantur, & multo amplius in terris litoribus proximis. Circa Carthaginem verò & Uticam ducenta ampliùs millia hominum periere. Uticæ autem ex triginta millibus militum, quæ ibi erant, decem remansisse confirmant, & mille & quingentos quotidie obiisse. Docet Forerius, in Africâ, in Oriente, ipsâque Hispaniâ locustas in acervos colligi, & aut foveis aut aquis occidi. Hunc morem spectat Homerus (n), ubi Trojanos ab Achille aquis Xanthi amnis mersos cum locustis comparat, quas ignis ob eas fugandas excitatus, in flumen præcipites agit.

Comparat hìc Propheta Sennacheribi exercitum, e centum octoginta quinque millibus conflatum, & unicâ nocte confectum, cum nube locustarum, quam ventus rapit in mare, & fluctuum æstus ad litora repellit. Humi conduntur, ne corruptarum sanie aërem inficiente, dira lues regionem corripiat. Meminit inferiùs manubiarum ex agmine conferto adeò & divite collectarum. Nudatis igitur cadaveribus, & igni traditis vestibus cruore sordidis & laceris (o), nuda corpora intra foveas projecta, vel in tumulos congesta sunt, utì rejectæ ad litora locustæ humi sepeliuntur, ne aëri noceant.

℣. 6. Et erit fides in temporibus tuis. Fiet tunc, regnante Ezechiâ, ut sinceritas, fidea, & justitia apud homines regnent; id quod altiori sensu sub Imperio Messiæ implendum erat.

Divitiæ salutis, sapientia et scientia: timor Domini ipse est thesaurus. Bona quæ pax & post terribilem hostem libertas partæ ferent, hæc erunt, sapientia, scientia, & timor Domini. Speranda sunt hæc sub felici Ezechiæ Imperio. Reddi potest Hebræus (p): *Ætate tuâ spectabitur veritas*, vel sinceritas, *divitiæ, salus, sapientia, scientia, timor Domini. Hæc ejus thesaurus* erunt. Hæc habebit Ezechias charissima & pretiosissima. Septuaginta (q) longè discrepant ab Hebræo & Vulgata: *In lege tradentur, in thesauris salus nostra; illic sapientia & scientia, & pietas erga Dominum: isti sunt thesauri sapientiæ.*

℣. 7. Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amare flebunt. Qui exteriùs sunt, illius excidium intuentes, clamabunt; & ad pacem procurandam legati, flebunt amarè. Qui in agro degebant Judæi, exitium regionis suæ intuentes, extra muros Urbis positi clamabant; & quos Ezechias miserat ad accipiendas a Sennacheribo pacis conditiones, redibant plorantes. Docet Scriptura, Ezechiam, cùm intellexisset, plerasque ditionis suæ urbes cessisse armis Assyrii (r), per legatos pacem postulasse, conditionibus, quas victor maluisset, acceptis.

Hebræus (s): *En Ariel eorum, clamabunt foris: nuncii pacis amarè flebunt.* Rabsacea, Thartan, & Rabsaris cum suis, insultantes Judæis, indicabant urbem ac Templum, dicentes: *En Ariel illorum*, Leo Dei, urbs, Templum, in quibus præsidium omne, spes & robur Judæorum situm est. Interea Eliacim, Sobna, & Joahe, quos Ezechias miserat, ut æqua responderent tribus hisce Sennacheribi legatis, flebant amarè. Auditis autem Assyriorum conviciis, redierunt ad Ezechiam, *scissis vestibus*, utì disertè asserit Scriptura (t), & cum reliquis luctûs mœrorisque significationibus.

Alii Hebræum reddunt (u): *Apparebo illis; Angeli pacis*, vel missi ad conciliandam pacem, *amarè flebant*. Septuaginta (x): *Ecce nunc in timore vestro ipsi timebunt; quos timebatis, clamabunt ad vos; Angeli mittentur amarè flentes, obsecrantes pacem.* Hebræum *Arelam*, vel, utì nos legimus, *Arielam*, *Ariel eorum*, designare Angelos, Judæi, quos recitat S. Hieronymus, arbitrantur; leguntque *Are-labem*.

℣. 8. Dissipatæ sunt viæ. Nemo audet sese in viam dare; neque enim regio secura est, obsi-

(l) *Paul. Oros. lib. 5 hist. c. 10.* (m) *Aug. lib. 3 de civit. c. 31.*
(n) *Iliad.* XXI; Ὡς δ' ὅθ' ὑπὸ ῥιπῆς πυρὸς ἀκρίδες ἠερέθονται
Φευγέμεναι ποταμόνδε, τὸ δὲ φλέγει ἀκάματον πῦρ
Ὄρμενον ἐξαίφνης, ταὶ δὲ πτώσσουσι καθ' ὕδωρ.
(o) *Isai.* IX, 5. (p) והיה אמונת עתיך חסן ישועת חכמת ודעת יראת יהוה היא אוצרו
(q) Ἐν νόμῳ παραδοθήσονται. Ἐν θησαυροῖς ἡ σωτηρία ἡμῶν. Ἐκεῖ σοφία, καὶ ἐπιστήμη, καὶ εὐσέβεια πρὸς τὸν Κύριον. Οὗτοί εἰσι θησαυροὶ τῆς δικαιοσύνης. (r) 4 *Reg.* XVIII, 14: *Misit Ezechias Rex Juda nuntios ad Regem Assyriorum in Lachis, dicens: Peccavi, recede a me: & omne quod imposueris mihi, feram. Indixit itaque Rex Assyriorum Regi Juda trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri.* (s) הן אראלם צעקו חצה מלאכי שלום מר יבכיון
(t) 4 *Reg.* XVIII, 27. . . . . 37; & *Isai.* XXXVI, 22. (u) *Aqu. Sym. & Theodot. apud Hieron.* Ἰδοὺ ὀφθήσομαι αὐτοῖς. (x) Ἰδοὺ δὲ ἐν φόβῳ ὑμῶν οὗτοι φοβηθήσονται. Οὓς ἐφοβεῖσθε, φοβηθήσονται ἀφ' ὑμῶν. Ἄγγελοι γὰρ ἀποσταλήσονται λαλοῦντες εἰρήνην, Πικρῶς κλαίοντες, παρακαλοῦντες εἰρήνην.

℣. 9. Luxit, & elanguit terra: confusus est Libanus, & obsorduit, & factus est Saron sicut desertum:& concussa est Basan,& Carmelus.

℣. 10. Nunc consurgam, dicit Dominus: nunc exaltabor, nunc sublevabor.

℣. 11. Concipietis ardorem, parietis stipulam, spiritus vester ut ignis vorabit vos.

℣. 12. Et erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur.

℣. 13. Audite, qui longè estis, quæ fecerim, & cognoscite vicini fortitudinem meam.

COMMENTARIUS.

obsidentibus vias hostibus. Hæc locutio persæpè usurpatur (y) pro regione in solitudinem redactâ, quam prædones impunè infestant.

Irritum factum est pactum. Petierat ab Ezechia trecenta argenti talenta, & auri triginta, ad reparandos sumptus belli, quod Ezechiæ causâ susceperat (z). Ut tantam argenti vim colligeret, Ezechias sacrum Regiumque ærarium exhausit. Quin & laminas aureas, quibus olim Templi fores vestierat, ob eam causam evulsit. Sennacherib, acceptâ pecuniâ, datæ fidei defuit, misitque duces suos in Jerosolymam, ut urbi Regique deditionem imperarent. Hunc rei eventum, hanc fidei fœderisque fractionem Isaias hoc vaticinio prosequitur.

Projecit civitates, non reputavit homines. Nihili quicquam facit, sive urbes captas, sive homines neci a se traditos, sive in captivitatem abductos; vel, non satis habet, urbes tenere ad securitatem, nec homines pro obsidibus; ad Regem & Urbem aspirat. Aliter: Urbes nostras evertit, & neminem veretur. Totum hunc versiculum ita reddunt Septuaginta (a): *Desolabuntur istorum viæ: cessavit timor gentium, & testamentum tollitur; & non reputantur homines.*

℣. 9. Luxit et elanguit terra. Regio tota vastata est & spoliata: hostis latè omnia depopulatus est: similem dicas viduæ mœrenti. Vide similes phrases in Isaiâ, XXIV, 4. *Luxit & defluxit terra*; & in Jeremiâ IV, 28: *Lugebit terra, & mœrebunt cœli desuper*; XII, 4: *Usquequo lugebit terra?* XIV, 2: *Luxit Judæa, & portæ ejus corruerunt.*

Confusus est Libanus, et obsorduit. Libanus ponitur hìc facilè pro Templo (b), sive pro Jerosolymâ (c), sive pro ædibus Regum Juda (d), sive pro Judæâ. Vide superius Caput XXIX, 17; XXXII, 15. Terrorem injecit Sennacherib in Urbem, in Templum, regionemque universam; quin & in ædes Ezechiæ. Vel planiùs accipienda sunt hæc de ipso Libani monte. Gloriatur inferiùs (e) Sennacherib: *Ego ascendi altitudinem montium, juga Libani. Et, succidam excelsa cedrorum ejus, & electas abietes illius, & introibo altitudinem summitatis illius (f).*

Factus est Saron sicut desertum. Saronem exhibere solet Scriptura ceu locum inter fertilissimos & amœnissimos. Hujus nominis Urbs erat in Basanitide trans Jordanem. Saron est etiam apud Eusebium [g] regio a Thabore ad Tiberiadem; docetque S. Hieronymus, agrum adjacentem Liddæ & Joppæ, vel qui porrigitur a Cæsareâ ad Joppen, eodem nomine censeri (h).

Concussa est Basan et Carmelus. Basan & Carmelus fructibus suis spoliati sunt. Basan jacebat in Galilæâ trans Jordanem, uti notant hìc Septuaginta (i), & S. Hieronymus agnoscit (k). Pertinebat ad Galilæam gentium. Mons Carmelus Mediterraneo imminebat; idem verò nomen sæpè usurpatur pro loco fertili & amœno.

℣. 10. Nunc consurgam, dicit Dominus. Postquam Assyrius ignem terroremque circumtulerit, me permittente; ubi hostis de suâ victoriâ superbus minora esse omnia, quàm ut sibi resistant, arbitrabitur; cùm populus meus angustiâ pressus, omni destitutus resurgendi spe, conatuum suorum imbecillitatem agnoverit; tunc exsurgam, exeramque virtutem meam, ne homo de se ipso glorietur, & discat spem in Omnipotente collocare.

℣. 11. Concipietis ardorem, parietis stipulam. Assyrios alloquitur. Similes estis homini, qui sitis ardorem ut compescat, aptum igni pabulum mittit ad stomachum, tum carbones, quibus flamma excitetur. Quæcumque agitis, omnia perinde sunt ac apta rogo vestro materies. Fiet demum, ut Omnipotens ignem materiæ huic subdat, vosque miserè ardeatis. Hebræus (l): *Concipietis stramen; parietis stipulam; spiritus vester, ignis comedet vos.* Septuaginta (m) longè adeò discrepant a Vulgatâ & Hebræo in toto ferme Isaiæ libro, ut nunquam discrimen totum sentiri queat; nisi totus ferè liber describatur; *Nunc videbitis, nunc confundemini. Vana erit fortitudo spiritûs vestri; ignis devorabit vos.*

℣. 12. Erunt populi quasi de incendio cinis; quasi cinis ex incendio residuus. Gentes, quibus exercitus Assyriorum constat, perinde erunt, ac superstites ex incendio reliquiæ; cinis, lapides combusti, titiones, ut neque ipsis militum spoliis omnibus uti victores queant (n). Hebræus (o): *Erunt populi veluti ignis furni calcarii.* Projicientur in ignem, ceu spinæ in fornacem calcariam. *Spinæ congregatæ igne comburentur.*

℣. 14. Con-

(y) *Vide Thren.* II, 4; *Sophon.* III, 6. (z) 4 *Reg.* XVIII, 14, 15. (a) Ἐρημωθήσονται γὰρ αἱ τούτων ὁδοί. πέπαυται ὁ φόβος τῶν ἐθνῶν. Καὶ ἡ διαθήκη αἴρεται. Καὶ οὐ μὴ λογίσθητε αὐτοὺς ἀνθρώπους. (b) *Zach.* XI, 1: *Aperi, Libane, portas tuas.* (c) *Ezech.* XVII, 3.
(d) 3 *Reg.* VII, 2: *Ædificavit domum saltûs Libani.* (e) *Isai.* XXXVII, 24. (f) 2 *Par.* V, 16.
(g) *Euseb. in locis.* (h) *Hieron. hic, & in locis Hebr.* (i) 70: Φανερὰ ἔσται ἡ Γαλιλαία, καὶ Κάρμηλος.
(k) *Hieronym. Pro Basan* LXX *Galilæam transtulerunt; Provinciam, pro uno loco Provincia.*
(l) תהרו חשש תלדו קש רוחכם אש תאכלכם (m) Νῦν ὄψεσθε, νῦν αἰσχυνθήσεσθε, ματαία ἔσται ἡ ἰσχὺς τοῦ πνεύματος ὑμῶν. Πῦρ ὑμᾶς κατέδεται.
(n) Vide supra, XXXIII, 4; & IX, 5.
(o) והיו עמים משרפות שיד

℣. 14. Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare ex vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?

℣. 15. Qui ambulat in justitiis, & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumniâ, & excutit manus suas ab omni munere: qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum:

℣. 16. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus: panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt.

℣. 17. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longè.

℣. 18. Cor tuum meditabitur timorem: ubi est literatus? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum?

COMMENTARIUS.

℣. 14. Conterriti sunt in Sion peccatores. Bona hæc parit justa Dei ultio in Assyrios. Impii Sione degentes, pervicaces, increduli, hypocritæ (p) mutuò exhortati sunt: *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Quis Deum adeo terribilem severumque non vereatur? Aspectus ignium paratorum exercitui Sennacheribi, ut de inferorum flammis seriò cogitent, facit. Exhibuit superiùs Propheta (q) Assyriorum supplicium sub imagine rogi ardentis, quo miseri cremandi erant.

℣. 15. Qui ambulat in justitiis, et loquitur veritatem; qui projicit avaritiam ex calumnia...... (℣. 16) Iste in excelsis habitabit; qui graditur justè, loquiturque syncerè; qui parta scelere bona execratur, hic in excelsis habitabit; hostium tela ex alto despiciet; injuriis impiorum invius erit, & ab ultione divinâ securus. Inter justos homines, æquitatem pietatemque colentes, Ezechias jure meritoque censebatur. Insultare illi Sennacherib, minis illum lacessere potuit; at eò pertingere, ubi is erat, prorsus nequivit; erat enim in edito, & præsentissimâ Dei ope protectus.

Qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, sanguinis voces. Hæc tripliciter exponuntur. Crudele & iniquum est, aurem non præbere vocibus sanguinis iniquè fusi, & exaudiri se postulantis. At carnem & sanguinem non audire, cùm jus redditur, rectam justitiæ lancem tenere, nullâ cujusquam ratione habitâ, æqui Judicis est. Denique sanguinis voces negligere, animi scilicet propensionem, quâ in ultionem, & in jus nobis reddendum ferimur, virtus est animi generosi & sublimis. E duabus hisce novissimis interpretationibus alterutram hic locus postulat.

Qui claudit oculos suos ne videat malum, ne probet; qui ne illius quidem aspectum ferre potest; qui malum execratur; qui nihil iniquum admittere sive in se, sive in cæteris novit.

℣. 16. Aquæ ejus fideles sunt, perennes. Aquæ e fonte, nunquam non fluentes.

℣. 17. Regem in decore suo videbunt oculi ejus. Dignus erit, qui ad Regem accedat, ad ejus aspectum admittatur; & coram illo stet in cœtu amicorum. Seu potiùs: Intuebuntur Regem suum, Ezechiam, Regiâ majestate spectabilem, gloriâ fulgentem, insidentemque solio magis magisque stabili post hostes fusos fugatosque.

Cernent terram de longe. Ulteriùs non fiet, ut intra urbes suas claudantur; neque viæ erunt obstructæ & inviæ (r); tutum iter viatoribus erit, quamvis ad remotissima loca peregrinentur. Aliter (s): Cernent dilatata regionis suæ pomeria, & ditionis suæ limites ultra veteres fines provectos. Reddi potest Hebræus (t): *Videbunt terram distantiarum*; regionem ingentem vastamque. Sunt qui prænunciari hîc ab Isaiâ censeant Legatos Regis Babylonis ad Ezechiam missos, ob receptam ab illo valetudinem gratulantis (u). Quibus id obtigit, ut in Jesum Christum crederent, illi hunc gloriæ Regem in Majestate suâ spectavere. Terram viventium, patriam suam e longinquo salutant (x).

℣. 18. Cor tuum meditabitur timorem. Ubi est literatus? ubi legis verba ponderans? &c. Vix Sennacherib primum Regionis limen attinget, propiùsque accedet Jerosolymam, terribile hoc metûs argumentum mentem vestram prorsus occupabit. Quâ sollicitudine anxii dicetis: Ubi nunc literati nostri sunt, &c. Hebræus (y): *Ubi Scriba*, ubi calculator, Arithmeticus, Rationarius, Geometra? *Ubi Ponderator*, qui Regii ærarii argentum ad pondus dat & accipit? *Ubi numerans turres*, Architecti, Artifices periti, sive ex Aquilâ, & Theodotione, *qui numerant Magnates*, Duces, copiarum præfectos? Vide superiùs, xxx, 25: *Cùm ceciderint turres*. Molestiis hisce curis quantociùs liberabimini; neque enim fiet ulteriùs, ut vestris oculis hostis obversetur: *Populum impudentem non videbis*. Septuaginta (z): *Anima vestra meditabitur timorem. Ubi Grammatici? Ubi Consiliatores? Ubi est qui numerat eos, qui nutriunt parvum & magnum?*

Alter etiam loco sensus dari potest. Non aliis occupabatur mens vestra, nisi tristibus molestisque cogitationibus. At ubi nunc Præfecti, qui censum copiarum scribunt (*Scriba*, Hebr. *Sopherim*)? Ubi Exactores illi, qui vectigalia colligunt, & ad pondus accipiunt? Ubi Geometræ, qui nume-rant

(p) *Isai.* xxxii, 6; xxxiii, 14, ... 22.
(q) *Isai.* xxx, 33: *Præparata est enim Topheth, a Rege præparata, profunda & dilatata: nutrimenta ejus ignis, & ligna multa.* (r) *Sup.* ℣. 8. (s) *Ita Vat. Grot. Anglic.*
(t) תראינה ארץ מרחקים (u) 4 *Reg.* xx, 12, 14. (x) *Heb.* 11, 13: *Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, & salutantes.*
(y) לבך יהגה אימה איה ספר איה שקל איה ספר את המגדלים *Aqu. Th.* Οἱ ἀριθμοῦντες τοὺς μεμεγαλυμμένους. (z) Ἡ ψυχὴ ὑμῶν μελετήσει φόβον. Ποῦ εἰσιν οἱ γραμματικοί; ποῦ εἰσιν οἱ συμβουλεύοντες; ποῦ ἐστιν ὁ ἀριθμῶν τοὺς συντρεφομένους μικρὸν καὶ μέγαν;

℣. 19. Populum impudentem non videbis, populum alti sermonis:
ita ut non possis intelligere disertitudinem linguæ ejus, in quo
nulla est sapientia.

℣. 20. Respice Sion civitatem solemnitatis nostræ: oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod
nequaquam transferri poterit: nec auferentur clavi ejus in
sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur:

℣. 21. Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster: locus
fluviorum rivi latissimi, & patentes, non transibit per eum navis remigum, neque trieris magna transgredietur eum.

℣. 22. Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse salvabit nos.

℣. 23. Laxati sunt funiculi tui, & non prævalebunt: sic erit malus tuus, ut dilatare signum non queas. Tunc dividentur spolia prædarum multarum: claudi diripient rapinam.

COMMENTARIUS.

rant turres, qui dimensiones & altitudines illarum ducunt ad calculum (a), ut scalas & machinas admoveant? Hæc simul omnia evanuerunt. Vel potius; Jucundum erit vobis animo percurrere singula præteriti terroris & periculorum argomenta, vobiscum reputantes dicetis: Ubi nunc tempus illud trepidationis & tumultûs, cùm nihil auribus insonaret, nisi ut caperentur arma, mœnia suffossa sarcirentur, speculatores & præsidia collocarentur, &c.

℣. 19. POPULUM IMPUDENTEM NON VIDEBIS, POPULUM ALTI SERMONIS; Assyrium nempe populum, ignoti Judæis sermonis. Ex libris Regum discimus [b], Jerosolymitanos Judæos ignorasse Syriacum, qui vernaculus erat Sennacheribo & Assyriis. *Populum impudentem*, qui nullo pudore, nullâ reverentiâ continetur, sed laxatis licentiæ frænis in scelera nefanda proruit. Hoc sensu accepta impudentia summum est iniquitatis culmen. Pudor, verecundia, & residuum aliquod studii illius, quo famam nomenque tuemur, novissima sunt claustra, quibus coërcentur ii, quos Dei amor ac timor, virtutis studium, & criminis horror jam non cohibent (c). Familiare est Scripturæ, impudentiam pro iniquitate usurpare. Antiochus Epiphanes (d) arguitur ceu *Rex impudens*. Judex iniquus in Evangelio (e) his coloribus pingitur: *Qui Deum non timebat, & hominem non reverebatur*. Interpretum plures vertunt (f): *Non videbis populum robustum*. Chaldæos describit Jeremias (g) ceu populos fortissimos, remotos, quorum sermonem Judas ignorabat. Ludovicus de Dieu (h): *Populum barbarum*, sermonis ignoti. Septuaginta (i): *Populum sine consilio*.

IN QUO NULLA EST SAPIENTIA. Qui nullum, præter pessimi animi propensionem, viæ ducem sequitur; qui nullam nisi voluntatis suæ legem agnoscit; qui caret educatione; cui nullus honestus sensus est aut humanitatis; ineptus ut rationis consilia excipiat; quem nec Religio, nec pietas, nec honestas tangit.

℣. 20. TABERNACULUM, QUOD NEQUAQUAM TRANSFERRI POTERIT. Clavi, quibus humi firmatur, quibus detinentur funes, solidi sunt adeò, ut commoveri nullâ vi queat. Stabit perpetuò, idest, diù florens atque integrum. Fuso fugatoque Sennacheribi exercitu, stabile imperium Jerosolymæ mansit, usque ad captam eversamque urbem a Nabuchodonosore, spatio scilicet annorum centum & viginti quinque. Si verò hæc de Ecclesiâ Jesu Christi explicentur, stabit illa, nullo temporis fine; quippe quæ ad sæculorum exitum usque perseverabit.

℣. 21. QUIA SOLUMMODO IBI MAGNIFICUS EST DOMINUS DEUS NOSTER. In urbe Jerosolymâ, & in medio populi specimen insigne potentiæ & magnitudinis suæ Deus exhibebit; reliquis Gentium nationibus Sennacheribi sævitiæ relictis. Permittet illi Syriam, Ægyptum, aliasque sanè multas Provincias. Vide 4 Regum, XXVIII, 34, 35. Septuaginta (k): *Quia nomen Domini magnum*.

LOCUS FLUVIORUM RIVI LATISSIMI; spatiabuntur amnes in alveis latissimis, &c. Est nobis Deus perinde atque amnis patens & rapidus, quem ne vastissimæ quidem naves trajiciant. Amnis erit navigiorum impatiens, qui trajici ab hostibus nequeat, ut nos aggrediantur. Amnis erit, inquam, fines regionis nostræ protegens, qui pro vallo erit contra hostium injurias.

℣. 23. LAXATI SUNT FUNICULI TUI, ET NON PRÆVALEBUNT; impares erunt, sive ut vento resistant, sive ut appensa vela sustineant. Sermo est ad Sennacheribum. In Jerosolymam, ceu bellica navis vento delata, rapiebaris; sed funes tui furenti procellæ resistere non valebunt.

SIC ERIT MALUS TUUS, UT DILATARE SIGNUM NON

(a) *Euripid. Phæniss.*
Ἐκλινος ἐπὶ προσβάσεις τεκμαίρεται
Πύργων, ἄνω τε καὶ κάτω τείχη μετρῶν.
Grot. hic.
(b) 4 *Reg.* XVIII, 26: *Precamur ut loquaris nobis servis tuis Syriacè, siquidem intelligimus hanc linguam, & non loquaris nobis Judaicè, audiente populo, qui est super murum.*
(c) *Plato in Protagora*: Θεὸς δείσας περὶ τῷ γένει ἀνθρώπων, μὴ ἀπόλοιτο πᾶν, δώρεται ἀνθρώποις αἰδῶ τε, καὶ δίκην ἵν' ἦεν πόλεων κοσμοί τε καὶ δεσμοὶ φιλίας συναγωγοί. (d) *Dan.* VIII, 23.
(e) *Luc.* XVIII, 2: (f) את עם נועז לא תראה *Pag. Mont. Vat. Jun. Castal.*
(g) *Jerem.* V, 15. גוי איתן (h) *Lud. de Dieu.* עם נועז pro עם לועז *Permutatis ex more* ל & נ *Exempla vide in Auctore.* (i) Ἄνευ, ᾧ οὐ συμβουλεύσατο. Legunt לא יועץ (k) Ὅτι τὸ ὄνομα Κυρίου μέγα. Legunt שם *Schem*, *nomen*, pro שם *Scham*, *ibi*.

℣. 24. Nec dicet vicinus: Elangui: populus, qui habitat in eâ, auferetur ab eo iniquitas.

COMMENTARIUS.

non quaas. Allegoriam ducit Propheta ex navigiis, quæ in scapham inutilem rediguntur, cùm vi tempestatis malus confractus est vel dejectus, & funes rupti. Exercitum tuum, o Sennacherib, perinde despiciet Ezechias & subjecta illi regio, ceu navim procellâ jactatam, cujus jam funes & malus disjecti sunt & confracti: *Et malus celeri saucius Africo*, ut ait Horatius. Hærebis immobilis, fluviumque qui Jerosolymam ambit, & pro vallo tuetur, trajicere non audebis. (℣. 21.) Curas omnes vertes ad fugam, cum residuis naufragii tui reliquiis. Hæc genuina est loci hujus interpretatio. Hebræus ad verbum (l): *Rudentes tui remissi sunt* (dejecti, evulsi) *non tenebunt rectam malum suam, non extendent vexillum*. Septuaginta (m): *Disrupti sunt funiculi tui, non prævaluerunt: malus tuus inclinatus est, non extendet vela, non elevabit signum*.

CLAUDI DIRIPIENT RAPINAM; tantum erit prædæ, ut vel claudis ipsis suppetat quod accipiant. Cæso Sennacheribi exercitu, certatim omnes convolarunt ad prædam, ut locupletissimis validissimi exercitûs spoliis ditarentur. Erant sanè plura, ex vestibus præsertim, quæ cùm in nullos usus verti possent, igne combusta fuerunt, vel unâ cum Assyriorum cadaveribus humi condita, uti superiùs animadvertimus (n). Sed plura etiam pretiosissima suppetebant, quæ ab avidis militibus raperentur, ceu aurum, argentum, metalla, arma, pecudes, &c.

℣. 24. NEC DICET VICINUS: ELANGUI. In collectione prædæ populus nequaquam fatigabitur. Vicini quique, quibus commodior multo est & diuturnior prædandi commoditas, lassitudinem non causabuntur, sed operi alacriter insistent, perinde ac ii qui novissimi venerunt. Vires illis suppeditabit Dominus, ut diutiùs laborem integri & infracti sustineant. Cùm in his rebus spolia inter populum ex æquo dividerentur, ad illa legenda venire omnes, rejectis segnium & inertium excusationibus, jubebantur. Si cessissent singulis ea, quæ quisque rapuisset, nullus fuisset aviditati modus; nemo valetudinem male affectam, nemo lassitudinem objecisset. Verti potest Hebræus (o): *Civis non dicet: Ægrotavi; populus enim habitans in eâ, eximetur a peccato*, sive a morbo, si *peccatum* pro peccati pœnâ accipiatur. Nullus morbus adeo tunc valebit, ut ægrotum intra Urbem contineat: certatim omnes ad colligenda spolia in castra convolabunt.

CAPUT XXXIV.

In Idumæam vaticinium.

℣. 1. Accedite, gentes, & audite, & populi attendite: audiat terra, & plenitudo ejus; orbis, & omne germen ejus.

℣. 2. Quia indignatio Domini super omnes gentes, & furor super universam militiam eorum: interfecit eos, & dedit eos in occisionem.

℣. 3. Interfecti eorum projicientur, & de cadaveribus eorum ascendet fœtor: tabescent montes a sanguine eorum.

℣. 4. Et tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur sicut liber cœli: & omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vineâ, & de ficu.

COMMENTARIUS.

℣. 1. ACCEDITE, GENTES, ET AUDITE. Denunciat Dominus, iracundiâ se in omnes gentes commotum esse; quam Numinis iram expressurus Isaias, sublimissimis & maximè gravibus verborum phrasibus utitur. Quamquam non meminit expresso nomine, nisi ultionis in Idumæos illatæ. Suspicamur autem, unum hîc idemque bellum designari, de quo superiùs, Capite XXI, 11, &c. cujus etiam meminit Amos, I, 11, 12, quod contigisse credimus, cùm Assaraddon Duces suos in Palæstinam misit (a). Bella hæc Idumaica longe alia sunt ab iis, quæ prædixere Abdias (b) & Jeremias (c), quæque gesta fuisse constat post paucos a captâ Jerosolymâ annos; longè etiam alia sunt a bello, quod Isaias Capite LXIII, ad Macchabæorum ætatem pertinente, prænunciat. Crudeliter Judæos fratres suos vexaverant Idumæi, dum Sennacheribi bellum fæviebat (d). Hujus sceleris merito omnia ea mala, de quibus modò, in caput suum provocarunt.

℣. 2. FUROR SUPER UNIVERSAM MILITIAM EORUM: INTERFECIT EOS, ET DEDIT EOS IN OCCISIONEM. Hebræus (e): *Furor super universum exercitum*, vel super universam pulcritudinem *eorum; devovebit anathemati, & dabit jugulationi*. Septuaginta (f): *Ira super numerum eorum, ad perdendos eos, & tradendos in occisionem*.

℣. 3. TABESCENT MONTES A SANGUINE EORUM. Hebræus (g): *Liquescent montes a sanguine eorum*. Fluet quodammodo humus montium, sanguine cæsorum irrigata. Septuaginta (h): *Rigabuntur montes a sanguine eorum*.

℣. 4. TABESCET OMNIS MILITIA CŒLORUM; terrore exarescet. Sydera consternabuntur. Hæc

sub

(l) נטשו חבליך בל יחזקו כן תרנם בל פרשו נס (m) Ἐῤῥάγησαν τὰ σχοινία σου, ὅτι οὐκ ἐνίσχυσεν. Ὁ ἱστός σου ἔκλινεν. Οὐ χαλάσει τὰ ἱστία, οὐκ ἀρεῖ σημεῖον. (n) *Isai.* IX, 5; & XXXIII, 4. (o) ובל יאמר שכן חליתי העם הישב בה נשא עון (a) *Isai.* XX, 1; & 2. *Par.* XXXIII, 11. (b) *Abdias* 1. (c) *Jerem.* XLIX. (d) *Amos*, I, 11, 12. (e) וחמה על כל צבאם החרימם נתנם לטבח (f) Καὶ ὀργὴ ἐπὶ τὸν ἀριθμὸν αὐτῶν, τοῦ ἀπολέσαι αὐτοὺς, καὶ παραδοῦναι αὐτοὺς εἰς σφαγήν. (g) ונמסו הרים מדמם (h) Καὶ βραχήσεται τὰ ὄρη ἀπὸ τοῦ αἵματος αὐτῶν.

℣. 5. Quoniam inebriatus est in cœlo gladius meus: ecce super Idumæam descender, & super populum interfectionis meæ, ad judicium.

℣. 6. Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe, de sanguine agnorum & hircorum, de sanguine medullatorum arietum: victima enim Domini in Bosra, & interfectio magna in terrâ Edom.

℣. 7. Et descendent unicornes cum eis, & tauri cum potentibus: inebriabitur terra eorum sanguine, & humus eorum adipe pinguium:

℣. 8. Quia dies ultionis Domini, annus retributionum judicii Sion.

COMMENTARIUS.

sub locutione hyperbolicâ calamitatem extremam intelligimus (i); quemadmodum Isaias (k) calamitatem Babylonis prædicens, *Stella Cæli*, ait, *& splendor earum non expandent lumen suum: obtenebratus est sol in ortu suo, & luna non splendebit in lumine suo.* Joël famem illam describens, quam locustarum nubes in Palæstinam invexit, *A facie ejus*, inquit (l), *contremuit terra, moti sunt Cæli; sol & luna obtenebrati sunt, & stellæ retraxerunt splendorem suum.* Ezechiel in vaticinio, quo ferit Ægyptum (m): *Operiam, cùm extinctus fueris, Cælum, & nigrescere faciam stellas ejus; solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum, &c.*

Complicabuntur sicut liber Coeli; ceu vetusta volumina, in quibus olim literæ exarabantur; quæ, cùm claudenda essent, convolvebantur, cùm tota scriptura in interiore paginâ conderetur. Jam non fiet, ut Cœli lætum, fulgidum, rutilantemque aspectum suum vobis exhibeant; sed clausi convolutique sese a vobis prohibebunt.

Comparatio Cœli cum libro seu volumine, in eam opinionem Veteres quosdam (n) duxit, ut Cœlos expansam esse libri membranam crederent, in qua singulorum fatum descriptum esset, legendum ab iis qui ignotas reliquis notas intelligerent. Origenes ex apocrypho quodam libro verba hæc Jacobi ad filios recitat: *Legite in tabulis Cœli quæcumque accideat vobis & filiis vestris.* Picus Mirandulanus (o), problematicâ quæstione propositâ, quæsivit, utrùm res omnes in Cœlo descriptæ exhibeantur, dum legere quis illas noverit. At nihil abhorret magis a sensu Prophetæ, quippe cui ea tantummodo mens fuit, ut indicaret, Cœlum tegendum esse densis nubibus, veluti expanso quodam velo, vel jucundo aspectu suo prohibiturum, ceu volumen complicatum, scripturam tegens.

℣. 5. Quoniam inebriatus est in Coelo gladius meus. Ultionis meæ exordium instituі in astris, sole, lunâ, & reliquâ Cœli militiâ, quam totam veluti gladio trucidavi; furoris mei gladium cruentavi, & veluti inebriavi, fuso eorum sanguine. Facilè harum locutionum hyperbole sentitur; uti & per hyperbolen Joël (p) locutus intelligitur: *Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini.* Sunt (q) qui per ea verba, *Inebriatus est in Cœlo gladius meus*, designari credant, consilium effuodendi sanguinis Idumæorum diu ante in Cœlo initum fuisse; quorum opinio omnium æquissima videtur. Alii verò (r) arbitrantur, Deum quodammodo gladium in Cœlo inebriasse cruore, quòd Angelos perduelles in inferna præcipites egerit. Quo phrasium mysterio ad sublimios aliud mens deducta, de supremâ Judicii die cogitat. Vide Apocalypsin, VI, 12, 13; Matthæum, XXIV, 29.

Ecce super Idumæam descendet. Impleta hæc fuisse constat, uti superiùs animadvertimus, cùm Assaraddon eam regionem armis lacessivit anno circiter quinto decimo, vel sexto & decimo Ezechiæ, atque post obitum Sennacheribi biennio circiter. Injuriam facilè a Sennacheribo acceptam ulturus Assaraddon, eam expeditionem suscepit; sed Domini hac in re consilium fuit, ut exigeret de Idumæis pœnas sævitiæ in Judæos fratres suos exercitæ novissimo bello sæviente.

℣. 6. Victima Domini in Bosra. Deus hostiam sibi paravit in Bosrâ; vel, grande convivium in Bosrâ constituit; mactaturus est victimas ingenti copiâ, ut lautas convivis epulas paret. In Bosrâ cœtus habendus est; cruentique ibi destinati sacrificii victimæ erunt Idumæi. Bosra inter maximas Idumææ Urbes recensebatur; de quâ nihil aliud referunt Eusebius & S. Hieronymus, nisi quòd urbs esset in montibus Idumææ. Frequentissimè in Libris Prophetarum recurrit (s).

℣. 7. Descendent unicornes cum eis. Non agnos tantummodo, hircos, & arietes, sed unicornes taurosque mactabit. De unicornibus vide quæ contulimus in Numeros, XXIII, 22. Unicornes taurique sunt Reges, Principes, & potentissimi Idumææ proceres. Septuaginta (t): *Concident potentes cum eis.*

Et tauri cum potentibus. Hebræus (u): *Juvenci cum tauris*; vituli cum tauris in ipso juventutis flore; Principes & Reges.

℣. 8. Annus retributionis judicii Sion; adest tempus, quo jus Sioni reddatur; tempus ulciscendi mala, ab Idumæis in Judæos illata (x). Idumæi, malè semper in Hebræos animati, nullis unquam occasioni defuerunt, siqua offerebatur, iræ & furori suo explendis opportuna. Sub Achaz (y) Judæam aggressi, cædibus omnia repleverunt, ingentemque e regione prædam egere. Credibile est, arma cum Sennacheribo junxisse in eâ, quam is adversùs Judam suscepit, expeditione. Sennacherib longam temporis moram in obsidendis urbibus Idumææ vicinis (z), Lachis, Lebnâ, Morasti, egit (a). Quo tempore Idumæi miseros Judæos nedum non exceperunt, verùm etiam hostili odio illos insectatos fuisse, discimus ex Amos I, 11, 12.

℣. 9. Con-

(i) *Sanct. hic, & alii ab eo citati.* (k) *Isai.* XIII. (l) *Joël.* II, 10. (m) *Ezech.* XXXII, 47.
(n) *Origen. apud Euseb. præpar. lib. 6, c. 11. Vide & Philocal. ejusd. c. 23; & tom. V in Joan. p. 77, & seq. & Procop. in Genes. 1, p. 29. Lege Huet. not. in tom. 3 Origen. in Genesim. Vide & D. Thom. Lyran.* (o) *Picus Mirandul. Heptapl. c. 4; & Astrolog. lib. 8, c. 5.*
(p) *Joël*, II, 31. (q) *Sanct. Jun. Piscat. Lyr. Vat. Forer.* (r) *Hieronym. hic, & alii.*
(s) *Amos*, I, 12; *Isai.* LXIII, 1. (t) Καὶ συμπεσοῦνται οἱ ἁδροὶ μετ' αὐτῶν. וירדו ראמים עמם
(u) ופרים עם אבירים (x) *Ita Lyr. Vat. Mont. Chald. Osor. Sanct.* (y) 2 *Par.* XXVIII, 17.
(z) 4 *Reg.* XVIII, 14, 17, XIX, 8. (a) Vide *Mich.* I, 14, 15, ubi de Maresâ, Achsib, & Odollam.

℣. 9. Et convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in sulphur: & erit terra ejus in picem ardentem.

℣. 10. Nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus: a generatione in generationem desolabitur, in sæcula sæculorum non erit transiens per eam.

℣. 11. Et possidebunt illam onocrotalus, & ericius: ibis, & corvus habitabunt in eâ: & extendetur super eam mensura, ut redigatur ad nihilum, & perpendiculum in desolationem.

℣. 12. Nobiles ejus non erunt ibi: regem potius invocabunt, & omnes principes ejus erunt in nihilum.

℣. 13. Et orientur in domibus ejus spinæ & urticæ, & paliurus in munitionibus ejus: & erit cubile draconum, & pascua struthionum.

COMMENTARIUS.

℣. 9. CONVERTANTUR TORRENTES EJUS IN PICEM. Aquæ illius lacui Sodomitico persimiles effectæ, putrescent, inficienturque sulphore & bitumine, ut potui penitus ineptæ fiot. Id quidem nunquam impletum omoino fuisse, facilè erodimus; at ad ejus oraculi veritatem satis erit, si Idumæâ desolatâ & derelictâ, aquæ neglectæ putruerint in eâ regione, cujus solum nitro & sulphure abundat, utì Itineraria docent, Innuitque Propheta iis verbis: *Convertentur torrentes ejus* (Edomi) *in picem, & humus ejus in sulphur*. Torrens Edom designat facilè torrentem Besor, qui ex Idumæâ ad meridiem Siceleg in mediterraneum devolvitur (b).

℣. 10. IN SEMPITERNUM ASCENDET FUMUS EJUS. Innuitur hisce ignis ille, quo arsit Sodoma, nempe cujos fumus perpetuus quodammodo supererat in crassis illis lethiferisque Maris Mortui exhalationibos (c): *Gravitate odoris accolis pestifer*.

IN SÆCULA SÆCULORUM NON ERIT TRANSIENS PER EAM. In tristem hunc rerum statum Idumæa non nisi post plurium sæcolorum successionem redacta foit. E malis enim, de quibus hîc Isaias, postea emersit. Sed multis a nostrâ ætate sæculis Idumæorum nomen penitus evanuit, & veteres Esau sedes adeò desertæ jacuerunt, ut nullus fermè incola ædes ibi suas stabiles habeat. Quidquid Idumæorum est, miseræ sunt Arabum reliquiæ, orbibus, rebus certâque sede carentes.

℣. 11. POSSIDEBUNT ILLAM ONOCROTALUS ET ERICIUS. Vocum Hebræarum significatio non satis explorata est Interpretibus; quamobrem a singulis temerè vertuntur. Prior vox ducitur e קאת *Kaath*, quæ vox sonat *vomere*; unde doctissimorum quorumdam Ioterpretum opinio nascitur, eâ designari pellicanum (d), quæ avis ostreis & piscibus testaceis pascitur, quos integros cum testis vorat; ac deinde testas, ubi calore stomachi fotæ expansæ foeriot, iterum vomit. Tum optima quæque seligit, oudumque piscem ex testâ eruit, ut eo vescatur. Alterum Hebræum nomen (e) nihilo compertius est; cujus conjecturas aliquas alibi (f) attulimus, ut demonstraremus, designari eo fortasse fibrum, castorem, quin etiam ferum anserem.

IBIS ET CORVUS HABITABUNT IN EA. Ibis avis est Ægypto peculiaris (g), ubi sacra olim fuit illius religio cultusque divinos, fortasse ob operam utiliter Ægypto impensam, cùm ea avis angues alatos, quotaoois ex Arabiâ in Ægyptum irrumpere tentaotes, voret. Est autem nigra avis, femoribus cruribusqoe similis grui, longissimo rostro & adunco, quo alatos angues aggreditur, Est etiam aliud Ibium genus, pedibus ad hominem accedens, capite totoque corpore gracillissimum, plumis album, sed in capite, collo, extremis alis, & tergo nigrum. Vox Hebræa ינשוף *Janeschoph* a Chaldæo redditur קפופין *Kiphuphin*, upopa; a Syro cycous; a Bocharto & Junio noctua (h). Radix, ex qua ducitor *Janeschoph*, tenebras sonat. Significationem Hebrææ vocis *Hereb* esse corvum, satis convenit inter omnes.

EXTENDETUR SUPER EAM MENSURA, UT REDIGATUR AD NIHILUM; dejicietur, *solo æquabitur*. *Cogitavit Dominus dissipare murum filiæ Sion*, ait Jeremias (i), *tetendit funiculum suum*. Author Libri quarti Regum (k): *Extendam super Jerusalem funiculum Samariæ*; ita Jerosolymam evertam, utì olim Samariam. David (l) *percussit Moab, & mensus est eos funiculo, coæquans terræ; mensus est autem duos funiculos; unum ad occidendum, & unum ad vivificandum*. Hebræus (m): *Extendita super eam funiculum tohu, & lapides bohu*. Ambæ hæ voces toho & bohu in Geoesis, 1, 2, usurpaotur, ut significetur chaos, confusa illa materiæ massa, antequam *fiat* illud Omnipotentis formam ordinemque, quem modò tenent, rebus daret. Usurpantor etiam ioterdum (n), ut miserum regionia vastatæ, eversæ, direptæ statum indicent. Septoaginta (o): *Immittetur super eam funiculus Geometriæ*, ut redigatur *in desertum, & satyri habitabunt in eâ*.

℣. 12. NOBILES EJUS NON ERUNT IBI: REGEM POTIUS INVOCABUNT. Hebræus ad verbum (p): *Vocavit Principes* vel heroas *suos*, *Heroas suos*, *& non ibi erant*; *vocavit Regem suum & Principes suos, erunt nihil*. Vel potiùs: *Vocarunt ad Regnum Heroas suos, & Principes eorum non erant*. Idumæa viduatam se Principibus & Regibus suis luxit; Regia illius stirps succisa vel dissipata est.

℣. 13. ERIT CUBILE DRACONUM, ET PASCUA STRUTHIONUM. Hebræum (q) *thannim*, quod S. Hiero-

(b) 1 *Reg.* XXX, 9, *& sequ.* (c) *Tacit. l.* 5 *hist. c.* 6.
(d) *Ælian. l.* 3, *c.* 20: Οἱ πελεκᾶνες ἐν τοῖς ποταμοῖς κόγχας περιχάνοντες, εἶτα καταπίνουσι. Ἔνδον δὲ, καὶ ἐν μυχῷ τῆς γαστρὸς ὑποθάλψαντες ἀνεμοῦσι. Καὶ τὰ μὲν ὄστρακα ἐκ τῆς ἀλέας διέστη ἀνεῳγότα(?) τῶν ἰχθύων. (e) קפד *Kippod.* (f) *Isai.* XIV, 21. (g) *Vide Herodot. lib.* 2, *c.* 75, 76.
(h) Vide *Levit.* XI, 17. (i) *Thren.* II, 8. (k) 4 *Reg.* XI, 13, 14. (l) 2 *Reg.* VIII, 2.
(m) ונטה עליה קו תהו ואבני בהו (n) *Vide Jerem.* IV, 23. והנה תהו ובהו
(o) Ἐπιβληθήσεται ἐπ' αὐτὴν σπαρτίον γεωμετρίας ἔρημον, καὶ ὀνοκένταυροι οἰκήσουσιν ἐν αὐτῇ.
(p) חריה ואין שם מלוכה יקראו : וכל שריה יהיו אפס
(q) והיתה נוה תנים חציר לבנות יענה

℣. 14. Et occurrent dæmonia onocentaris, & pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubavit lamia, & invênit sibi requiem.

℣. 15. Ibi habuit foveam ericius, & enutrivit catulos, & circumfôdit, & fovit in umbrâ ejus: illuc congregati sunt milvi, alter ad alterum.

℣. 16. Requirite diligenter in libro Domini, & legite: unum ex eis non defuit, alter alterum non quæsivit; quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, & spiritus ejus ipse congregavit ea.

COMMENTARIUS.

Hieronymus hìc vertit dracones, & Capite XIII, 22, *sirenes*, designare solet belluas marinas: quod autem hìc est *struthiones*, cycnos potiùs designat (r).

℣. 14. OCCURRENT DÆMONIA ONOCENTAURIS. Onocentauri monstra sunt fabulosa, ex homine & asino composita; ut corpore toto sint homines, femore & cruribus asini. Voces Hebræas expendimus alibi (s), animumque in eam sententiam inclinavimus, quæ designari eâ censet *piscatores*. *Piscatoribus* (Hebr. *Ziim*) *occurrent insulæ*: regio hæc tota inundabitur & desolabitur.

PILOSUS CLAMABIT ALTER AD ALTERUM; satyri se invicem clamoribus provocabunt. Hebræus (t): *Hircus clamabit ad socium suum*; contrariâ in ripâ vel diversis in insulis stantes, alter alterum clamando invitabit.

IBI CUBAVIT LAMIA, ET INVENIT SIBI REQUIEM. *Lamia*, quo nomine hìc designari sirenem censemus, est propriè spectrum nocturnum, pueros vorans. Hoc de lamiis putabant veteres. Diodoro Siculo (u) teste, *Lamia* Regina erat olim in Africa, formâ insignis; quæ ob amissos liberos, doloris vi in phrenesim cecidit. Illius ore in rictum feræ converso, e parentum manibus filios rapiens, sævissimè discerpebat. Hæc causa terroris infantibus. Sed apage fabulas.

Hebræa vox *Lilith*, ex Rabbinis (x), uxor fuit omnium prima Adami, quæ a marito diffidens, apertè illi significavit, nolle se ejus jussis obtemperare, quòd pari cum illo esset conditione, utpote ex unâ eâdemque humo formata. His dissidiis perseverantibus, intelligens Lilith futurum, ut nunquam pacificum haberet cùm marito contubernium, pronunciato nomine Jehovah, quod effari nefas est, continuò sublata in aërem est. Fugam uxoris ægrè ferente Adamo, Deus ad fugitivam revocandam misit tres Angelos, qui venire recusanti, centum quotidie filiorum ejus necem minitarentur. Assecuti sunt illam Angeli ad Mare Rubrum, quo loco Hebræi diù pòst illud transmisere; institeruntque ut rediret ad maritum: at Lilith constanter recusavit, maluitque centum quotidie filiorum suorum jacturam pati, quàm marito subdi. Ait enim, se conditam esse in supplicium & in mortem infantium vix editorum; puerorum nempe die octavâ post partum, puellarum die primâ & vigesimâ. Addebat tamen, siquidem liberam se abire tres illi Angeli paterentur, nulli se deinceps infanti, qui nomen illorum scriptum deferrent, malum aliquod illaturam. Quâ pollicitatione obstrictam in aëre liberam reliquerunt: ortus inde mos Judæorum, scripta in parvis quibusdam membranis nomina *Senoi*, *Sansenoi*, *Sammangeloph*, puerorum collo suspendendi, adversùs furorem Lilith amuleta. Sed hæc fabulas sapiunt magis quàm ea quæ de Lamiâ apud Profanos feruntur.

Chaldæus (y) cum Interpretibus nonnullis censet, *lilith* designare noctuam vel nocturnum aliquod animal, cùm *laila* sonet noctem. In Profanorum Theologiâ noctua avis est sacra Dianæ vel Lunæ, quam Arabes *Alilat* (z), Babylonii *Milittam* appellant. Porrò Alilat idem est ac *lilith* cum affixo.

℣. 15. IBI HABUIT FOVEAM ERICIUS. Hebræus (a): *Ibi nidificavit kippoz*; quam vocem alii vertunt *merulam*; alii alcedonem, vel noctuam, vel etiam testudinem. Bochartus (b) maluit anguem jaculum, qui a Græcis *acontias*, ab Arabibus *kipphasa* appellatur. Hebræum *kaphaz* sonat saltare; & anguis ille, de quo modò, arboribus insidens, insilit in transeuntes. Totus versiculus ita commodè redditur: *Kippoz ædificabit ibi*, vel ibi asylum habebit; *colliget ibi ova sua*, & *sub umbrâ illius fovebit*.

ILLUC CONGREGATI SUNT MILVI, ALTER AD ALTERUM. Hebræa vox (c) *Dajoth* sonat milvi fœminas. Septuaginta (d) reddunt cervos. Quæ hactenus deducta sunt, demonstrant miserum illum statum eversionis & solitudinis, quò Idumæa redigenda erant. Amant Prophetæ (e) similes descriptiones, quæ & optimis quibusque vetustis Scriptoribus sapiunt. Placent sæpè Homero (f) & Horatio (g):

Priami Paridisque busto
Insultet armenta, & catulos feræ
Celent inulta.

℣. 16. REQUIRITE DILIGENTER IN LIBRO DOMINI. Legite & expendite diligenter quæ dico; & cùm impleta fuerint, tunc rem ipsam cum scripto meo conferte; neque enim mendacii expostulari timeo. Securi de oraculorum suorum veritate Prophetæ, certas etiam temporis adscriptiones plerumque illis addebant; & postquam in plenâ popu-

---

(r) Vide nos in *Isai.* XIII.
(s) פגשו ציים את איים *Vide dicta ad c.* XIII, ℣. 21. (t) שעיר על רעהו יקרא
(u) *Diodor. Sicul. l.* XX, *p.* 754: Τῶν γὰρ γινομένων αὐτῇ παίδων ἁπάντων τελευτώντων, βαρυθυμήσασαν ἐπὶ τῷ πάθει, καὶ φθονοῦσαν ταῖς τῶν ἄλλων γυναικῶν εὐτεκνίαις κελεύειν ἐκ τῶν ἀγκαλῶν ἐξαρπάζεσθαι τὰ βρέφη, καὶ παραχρῆμα ἀποκτείνειν. (x) *Vide Buxtorf. Synag. Jud. c.* 2, *ex libro Benfira.* (y) *Heb.* שם הרגיעה לילית ומצאה לה מנוח *Chald.* תמן ישרין לילין
(z) *Herodot. lib.* 3, *c.* 8, *& lib.* 1, *c.* 131. (a) שמה קננה קפוז ותמלט ובקעה ודגרה בצלה
(b) *Bochart. de animal. parte* 2, *lib.* 3, *c.* 11. (c) שם נקבצו דיות אישה רעותה
(d) Ἐκεῖ ἔλαφοι συνήντησαν. (e) *Vide Isai.* XIII, 20, 21. 22; VII, 24; XXXII, 13, 14. *Sophon.* II, 14; *Apocal.* XVIII, 2.
(f) *Homer. in hymnis.*
Πουλύποδες δ' ἐν ἐμοὶ θαλάμους, φῶκαί τε μέλαιναι
Οἰκία ποιήσονται ἀκηδέα χήτεϊ λαῶν
(g) *Horat. lib.* 3 *Carmin. Ode* 3. *Idem in Epod. Ode* 16: *Habitandaque fana*
Apris relinquat, & edacibus lupis.

℣. 17. Et ipse misit eis sortem, & manus ejus divisit eam illis in mensuram: usque in æternum possidebunt eam, in generationem & generationem habitabunt in eâ.

COMMENTARIUS.

populi concione illa exposuissent, scriptis mandabant, quo commodiùs de veritate oraculorum certior quisque fieret. Idem disertissimis verbis mandat Dominus Isaiæ (h), occasione vaticinii in Jerosolymam.

Unum eis non defuit: alter alterum non quæsivit; nihil eorum quæ nuncio, fide destituetur; ne verbum quidem irritum cadet. Hebræus (i): *Una ex eis non defuit; nec altera alteram visitavit*. Fœmineum genus in Hebræo pro neutro ponitur. Singulis sua constitit vel constabit fides; nec unius eventus alterius veritati officiet: unius executio alteram urgebit; unius ejusdemque ætatis erunt omnia. Seu potiùs, relatis hisce ad feras, de quibus superiùs sermo fuit: *Nulla ex his feris deerit; altera alteram non quæret*: eò convenient omnes, ne unâ quidem exceptâ. Reliqua sermonis series hunc sensum expostulat.

℣. 17. Ipse misit eis sortem; ipse scilicet sortium jactu feris hisce destinata singulis pascua distribuet. Tota illis regio relicta est; Deus sibi curam hanc sumpsit, ut soli portionem singulis sortitò assignaret.

CAPUT XXXV.

Solatium & felicitas eorum qui in Servatorem credituri sunt.

℣. 1. Lætabitur deserta, & invia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium.

℣. 2. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans: gloria Libani data est ei, decor carmeli, & Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri.

℣. 3. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate.

℣. 4. Dicite pusillanimis: Confortamini, & nolite timere: ecce Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, & salvabit vos.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Lætabitur deserta et invia. In Capitibus xxx, xxxi, xxxii, & xxxiii Isaias longam texit malorum iliadem, quibus afficienda erat Jerosolyma, quòd fœdus composuisset cum Ægypto, unde Assyriorum bellum in se provocaverat. Capite autem xxxiv vaticinium exprimit malorum, quæ Idumæam manebant, quæ mala ex eo bello & in pœnam sævi simæ Idumæorum immanitatis orta sunt. Hic ad Jerosolymam sermonem iterum convertens, quodlibet solatii & felicitatis genus illi pollicetur. Sed vis & sublimitas propheticarum phrasium nos unà cum Interpretibus plerisque (a) ad altius aliquid rapiens, jubet de felicitate Ecclesiæ & gloriâ Christianorum ea explicari, quæ Judæi cæterique illis assentientes, intra Judææ & Jerosolymæ terrestris fines continent.

Deleto Sennacheribi exercitu, excussoque ex Judæorum cervicibus Assyriacæ servitutis jugo, quæ hactenus deserta & horrida squalluerat Judæa, in pristinum florem & gloriam, rerum potiente Ezechia, restituta est. Tanta erat tunc Urbium regionis illius pulcritudo, tantus incolarum numerus & religio, ut lilii instar & rosæ floreret. At tota hæc regionis venustas & gloria parum utique haberi poterat, si cum felicitate, quam Evangelii prædicatio Mundo contulit, compararetur. Gentes olim feræ, rudes, indomitæ, ethnicæ, superstitiosæ, subitâ conversione mites, humiles, patientes, doctæ, religiosæ effectæ sunt. Evangelicæ moralis doctrinæ sanctitas omni studio & diligentiâ culta, tantum valuit, ut alteram continuò rerum faciem in orbem induxerit.

℣. 2. Exultabit lætabunda et laudans. Septuaginta (b): *Exultabunt deserta Jordanis*. Hebræus (c): *Exultabit exultatione, & lætos hymnos cantabit*. Priores Jesu Christi Discipuli gaudium suum in testimonio conscientiæ, & in gloriâ tolerandi pro veritate mala, collocabant.

Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron. Terra Juda, nuda huc usque & spoliata, omnem Libani majestatem, omnem agri Saronitici fertilitatem, omnem Carmeli speciem referet. Spectandum se Dominus in medio populi sui, toto majestatis apparatu gloriosum, exhibebit: tunc autem regio universa velutì collatum sibi honorem intelligens, omnem opum suarum pompam explicabit: *Ipsi videbunt gloriam Domini*. Hujus vaticinii litera in adventu Jesu Christi impleta est.

℣. 3. Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. Vos, o Prophetæ Domini, nutantes populos confirmate, roborate vacillantem illorum spem, futurum denique ut grato Desiderati cunctis gentibus aspectu fruantur. Ubi mœremus, manus nostras labi veluti dissolutas sinimus: jejunio autem & mœrore genua labascunt:

Genua labant; gelidus concrevit frigore sanguis.

Cùm luctum agunt viri æquè & mulieres apud Turcas manibus pendulis incedunt. Reddi potest Hebræus (d): *Confirmamini manus languentes, confortamini genua labantia*.

℣. 4. Ecce Deus vester ultionem adducet

(h) *Isai. xxx, 8: Scribe ei super buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die novissimo in testimonium usque in æternum.* (i) אחת מהנה לא נעדרה אישה רעותה לא פקדו

(a) *D. Thom. Hugo, Sanct. & PP. passim.* (b) Ἀγαλλιάσεται ἡ ἔρημα τοῦ Ἰορδάνου.

(c) ותגל אף גילת ורנן (d) חזקו ידים רפות וברכים כשלות אמצו 70: Ἰσχύσατε, χεῖρες ἀνειμέναι, καὶ γόνατα παραλελυμένα, παρακαλέσατε.

℣. 5. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.

℣. 6. Tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum: quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine.

℣. 7. Et quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami & junci.

℣. 8. Et erit ibi semita & via, & via sancta vocabitur; non transibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam.

℣. 9. Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi: & ambulabunt, qui liberati fuerint.

℣. 10. Et redempti a Domino convertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorum; gaudium, & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

COMMENTARIUS.

CAT RETRIBUTIONIS; DEUS IPSE VENIET, ET SALVABIT NOS, Jesus Christus vênit *in ruinam & in resurrectionem multorum* (e); ultus est honorem Patris sui, sinistris illis interpretationibus, quibus Judæi Legem illius depravaverant, offensum: reparavit injuriam peccato Patri irrogatam, corpus & vitam suam in satisfactionem justitiæ illius tradens. Idcirco vênit ut servaret, & re ipsâ homines servavit, infinito Mortis & Sanguinis sui merito.

℣. 5. TUNC APERIENTUR OCULI CÆCORUM, ET AURES SURDORUM PATEBUNT. Mira hæc patravit Jesus Christus, nedum in auribus & oculis corporis (f), verùm etiam animæ. Adventûs sui argumentum dedit caepletam vaticinii hujus fidem, cùm Discipuli S. Joannis (g) ad illum venientes interrogarent, utrùm ipse esset Christus, tam multis retro sæculis expectatus.

℣. 6. QUIA SCISSÆ SUNT IN DESERTO AQUÆ. Loca regionis sterilissima fœcunda fient: ipsæ deserti rupes e sinu suo dabunt aquas, quibus arida loca irrigentur. Palæstina in Paradisum terrestrem convertetur. Hac allegoriâ exhibetur gratiarum & benedictionum ubertas, qua Jesus Christus terram locupletavit. Vel, Animi rupibus duriores conterentur, & in lacrymas doloris liquefient. Quæ sterilitate bonorum operum sylvescunt mentes, bonis deinde fructibus abundantes, ceu amœnos Dei hortos sese exhibebunt. Baptismus ceu fons locupletissimus erumpens e rupe, idest Jesu Christo, *Petra autem erat Christus* (h), innumeras penè gentes eluit & mundavit.

℣. 7. IN CUBILIBUS, IN QUIBUS PRIUS DRACONES HABITABANT, ORIETUR VIROR CALAMI ET JUNCI. Hebræus (i): *In habitaculo monstri marini, in loco cubitûs ejus, in atrio calami & junci, (℣. 8) erit ibi semita strata & via, & via sanctitatis vocabitur.* Loca arida & deserta, irrigua & pinguia fient; (℣. 8) quæque inundantibus aquis mersa transitum viatoribus negant, arescent, ut viam præbeant transeuntibus. Septuaginta (k): *Ibi lætitia avium, caula gregis pascentes in arundinibus; & ibi paludes. (℣. 8.) Erit ibi via munda, &c.*

℣. 8. VIA SANCTA VOCABITUR: NON TRANSIBIT PER EAM POLLUTUS. Ad sanctam urbem Templumque Domini deducens iter sanctum appellabitur. Extraneus nemo, Ethnicus, Idololatra, adversarius nemo obviam euntibus occurret. Judæi tantummodo & fideles pacifico gressu hanc viam frequentabunt, a legali maculâ, contactu hominis polluti, securi. Similis huic phrasis redit inferiùs, Capite LII, 1: *Non adjiciet ultra, ut pertranseat in te incircumcisus & immundus.* Nullus deinceps Assyrius, Chaldæus, Idololatra regionem peragrando polluet.

Vaticinii hujus plenam veritatem nunquam vidit Judæa, cujus viæ, uti cæterarum quarumcumque orbis regionum, omnibus indiscriminatim patebant, nemini sive impio, sive advenæ, sive impuro clausæ. At in sanctam Evangelii viam nec peccatores nec iniquos Jesus Christus aliter invitat, quàm ut reddat justos, & labe criminum eluat. Pollutos idcircò vocat, ut eapiet. Si quis ad Ecclesiam vênit, ibique perseverat, non ejurato crimine, nec mutatis pravis animi affectationibus, non idcircò tamen Ecclesia ejus sordibus inficitur, ejusque sanctimonia vitiatur: cùm eadem semper sit sponsa *non habens maculam neque rugam* (l). Evangelii veritas suos quidem adversarios sentire, & ad tempus iis obfuscari potest; potest & moralium ejus dogmatum sanctitas corrumpi fraude illius, qui mendacii & iniquitatis est artifex; nunquam tamen fiet, quin Jesus Christus via sit constans & sancta; veritas pura & labe carens; animæ vita, & spiritûs felicitas.

℣. 10. REDEMPTI A DOMINO CONVERTENTUR, ET VENIENT IN SION. Populus Assyriorum manibus liber, in Sion regredietur. Itineribus Sennacheribi armis impeditis, statas solemnesque visitationes ad Templum Domini populus intermiserat (m); sed Assyriis subductis, locus sanctus iterum frequentari cœpit.

CA-

(e) *Luc.* II, 34. (f) *Luc.* VII, 22: *Euntes renuntiate Joanni quæ audistis & vidistis; quia cæci vident, claudi ambulant, &c. Vide & Matt.* XI, 5.
(g) *Matt.* XI, 3, 4, 5. (h) 1 *Cor.* X, 4: *Bibebant autem de spirituali consequente eos petrâ, petra autem erat Christus.* (i) בנוה תנים רבצה חציר לקנה וגמא.
(k) Ἐκεῖ εὐφροσύνη ὀρνέων, ἔπαυλις ποιμνίων καλάμου καὶ ἕλη. (8.) Ἔσται ἐκεῖ ὁδὸς καθαρά.
(l) *Ephes.* V, 27. (m) *Isai.* XXXIII, 8.

CAPUT XXXVI.

Sennacherib arma in Judæam movet. Missus ad Ezechiam Rabsaces, superbâ & audaci oratione illum compellat.

℣. 1. ET factum est in quartodecimo anno regis Ezechiæ, ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes civitates Juda munitas, & cepit eas.

℣. 2. Et misit rex Assyriorum Rabsacen de Lachis in Jerusalem ad regem Ezechiam in manu gravi, & stetit in aquæductu piscinæ superioris in viâ Agri fullonis.

℣. 3. Et egressus est ad eum Eliacim filius Helciæ, qui erat super domum, & Sobna scriba, & Joahe filius Asaph a commentariis.

℣. 4. Et dixit ad eos Rabsaces: Dicite Ezechiæ: Hæc dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quæ est ista fiducia, qua confidis?

℣. 5. Aut quo consilio, vel fortitudine rebellare disponis? super quem habes fiduciam, quia recessisti a me?

℣. 6. Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Ægyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, & perforabit eam: sic Pharao rex Ægypti omnibus, qui confidunt in eo.

℣. 7. Quòd si responderis mihi: In Domino Deo nostro confidimus: nonne ipse est, cujus abstulit Ezechias excelsa & altaria, & dixit Judæ & Jerusalem: Coram altari isto adorabitis?

℣. 8. Et nunc trade te Domino meo regi Assyriorum, & dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere ascensores eorum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. IN QUARTODECIMO ANNO REGIS EZECHIÆ ASCENDIT SENNACHERIB REX ASSYRIORUM SUPER OMNES CIVITATES JUDA MUNITAS, ET CEPIT EAS; ut nulla fermè superesset Ezechiæ, nisi metropolis. Cùm totum hoc Caput prosequuti simus in Commentario ad quartum Regum, XVIII, 13, satis hîc ducimus, discrimina quædam inter Isaiam & Libros Regum adnotare. Isaias, sive alius, qui post ejus obitum Prophetæ hujus Lucubrationes recensuit, quatuor hîc Capita inseruit, exhibentia historiam rerum, quas Propheta præcedentibus Capitibus prædixerat; id quod utique locum habet Commentarii ad ea vaticinia. Tanta est autem horum Capitum cum quarto Regum affinitas, ut dissimulari non possit; exitus autem Capitis XXXVIII, 22, Isaiæ mancus est hîc; quæstioni enim ab Ezechiâ propositæ, responsum Prophetæ desideratur, quod legitur in quarto Regum, XX, 9. Itaque nemo prudens ambiget, quin ea quæ hîc legitur, historia aliunde deducta sit.

℣. 2. MISIT RABSACEN. Non priùs hæc gesta fuisse constat, quàm post confectam a Sennacheribo Ægypti expeditionem, & acceptam ex Ezechia pactam pecuniam, talentorum argenti centum, & auri triginta. Huic summæ conficiendæ Ezechias sacrum Regiumque ærarium exhauserat; quin & laminas aureas, quibus fores Templi induebantur, evulserat [a]. Id ab Authore hujus Capitis omissum est.

℣. 5. QUO CONSILIO VEL FORTITUDINE REBELLARE DISPONIS? Hebræus (b): *Dixi* (seu potiùs, *dixisti*) *verbum labiorum*, inanem vanumque sermonem effutiisti: Est mihi *consilium & fortitudo ad prælium. Nunc super quo sperasti, quia rebellasti contra me?* Vel potiùs: Conjurationem clam molitus es, vel consultasti; sed consilio opus est & viribus ad bellum. Quæ tanta confidentia tua est, ut a me descisceres? Septuaginta (c) a *Numquid in consilio & sermonibus labiorum prælium fit? & nunc super quem confidisti, quia inobediens es mihi?* Chaldæus: *Dixisti: Utique in loquelâ labiorum, in consilio, & in potentiâ faciam bellum, &c.*

℣. 8. TRADE TE DOMINO MEO. Præfectos Ezechiæ, tamquam Regem ipsum præsentem, alloquens Rabsaces, imperat ex Hebræo (d), ut *obsides tradat*, sive ut fidem juratus polliceatur Regi Assyriorum. S. Hieronymus in Regum libris [e] legit: *Transite ad Dominum meum.*

(a) 4 *Reg.* XVIII, 14, 15, 16.

(b) אמרתי אך דבר שפתים עצה וגבורה למלחמה עתה על מי בטחת כי מרדת בי In quarto Regum XVIII, 20, legitur אמרת dixisti, pro אמרתי Dixi. Itidem legunt S. Hieronymus, Chaldæus, Septuaginta, & quidam Hebræi Codices. (c) Μὴ ἐν βουλῇ ἢ ἐν λόγοις χειλέων παράταξις γίνεται; καὶ νῦν ἐπὶ τίνα πέποιθας, ὅτι ἀπειθεῖς μοι. (d) ועתה התערב נא Μίχθητε δὴ τῷ κυρίῳ μου.

(e) 4 *Reg.* XVIII, 23. ועתה התערב S. Hieronymus legit התעברו

℣. 9. Et quomodo ſuſtinebis faciem judicis unius loci ex ſervis domini mei minoribus? Quòd ſi confidis in Ægypto, in quadrigis, & in equitibus:

℣. 10. Et nunc numquid ſine Domino aſcendi ad terram iſtam, ut disperderem eam? Dominus dixit ad me: Aſcende ſuper terram iſtam, & disperde eam.

℣. 11. Et dixit Eliacim, & Sobna, & Joahe ad Rabſacen: Loquere ad ſervos tuos Syriâ linguâ: intelligimus enim: ne loquaris ad nos Judaicè in auribus populi, qui eſt ſuper murum.

℣. 12. Et dixit ad eos Rabſaces: Numquid ad dominum tuum, & ad te miſit me dominus meus, ut loquerer omnia verba iſta, & non potiùs ad viros, qui ſedent in muro, ut comedant ſtercora ſua, & bibant urinam pedum ſuorum vobiſcum?

℣. 13. Et ſtetit Rabſaces, & clamavit voce magnâ Judaicè, & dixit: Audite verba regis magni, regis Aſſyriorum.

℣. 14. Hæc dicit rex: Non ſeducat vos Ezechias, qui non poterit eruere vos.

℣. 15. Et non vobis tribuat fiduciam Ezechias ſuper Dominum, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur civitas iſta in manu regis Aſſyriorum.

℣. 16. Nolite audire Ezechiam: hæc enim dicit rex Aſſyriorum: Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, & comedite unuſquiſque vineam ſuam, & unusquisque ficum ſuam, & bibite unuſquisque aquam ciſternæ ſuæ,

℣. 17. Donec veniam, & tollam vos ad terram, quæ eſt ut terra veſtra, terram frumenti & vini, terram panum & vinearum.

℣. 18. Nec conturbet vos Ezechias, dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt dii gentium unuſquiſque terram ſuam de manu regis Aſſyriorum?

℣. 19. Ubi eſt deus Emath & Arphad? ubi eſt deus Sepharvaim? numquid liberaverunt Samariam de manu meâ?

℣. 20. Quis eſt ex omnibus diis terrarum iſtarum, qui eruerit terram ſuam de manu meâ, ut eruat Dominus Jeruſalem de manu meâ?

℣. 21. Et ſiluerunt, & non reſponderunt ei verbum. Mandaverat enim rex, dicens: Ne reſpondeatis ei.

℣. 22. Et ingreſſus eſt Eliacim filius Helciæ, qui erat ſuper domum, & Sobna ſcriba, & Joahe filius Aſaph a commentariis, ad Ezechiam ſciſſis veſtibus, & nuntiaverunt ei verba Rabſacis.

COMMENTARIUS.

℣. 9. QUOMODO SUSTINEBIS FACIEM JUDICIS UNIUS? Hebræus (f): *Quomodo ſuſtinebis faciem unius Præfecti ſervorum Domini mei minimorum?* Vocem *Pachat* S. Hieronymus Satrapam reddidit, 4 *Reg.* XVIII, 24.

℣. 21. ET SILUERUNT, ET NON RESPONDERUNT. Populus, qui in mœnibus erat, & tres Legati ſilentes audiebant. In libris Regum (g) legitur in ſingulari, populum ſiluiſſe, ut ne verbo quidem hiſcere auderet.

CA-

(f) איך תשיב את פני פחת אחר (g) 4 *Reg.* XVIII, 36.

CAPUT XXXVII.

Animo despondentem Ezechiam, Isaias confirmaturus, Dei opem pollicetur. Angelus Domini Sennacheribi exercitum cadit.

℣. 1. ET factum est, cùm audisset rex Ezechias, scidit vestimenta sua, & obvolutus est sacco, & intravit in domum Domini.

℣. 2. Et misit Eliacim, qui erat super domum, & Sobnam scribam, & seniores de sacerdotibus, opertos saccis ad Isaiam filium Amos prophetam,

℣. 3. Et dixerunt ad eum: Hæc dicit Ezechias: Dies tribulationis, & correptionis, & blasphemiæ, dies hæc: quia venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi.

℣. 4. Si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus ad blasphemandum Deum viventem, & exprobrandum sermonibus, quos audivit Dominus Deus tuus: leva ergo orationem pro reliquiis, quæ repertæ sunt.

℣. 5. Et venerunt servi regis Ezechiæ ad Isaiam.

℣. 6. Et dixit ad eos Isaias: Hæc dicetis domino vestro: Hæc dicit Dominus: Ne timeas a facie verborum, quæ audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me.

℣. 7. Ecce ego dabo ei spiritum, & audiet nuntium, & revertetur ad terram suam, & corruere eum faciam gladio in terrâ suâ.

℣. 8. Reversus est autem Rabsaces, & invênit regem Assyriorum prælantem adversùs Lobnam. Audierat enim, quia profectus esset de Lachis,

℣. 9. Et audivit de Tharacâ rege Æthiopiæ dicentes: Egressus est, ut pugnet contra te. Quod cùm audisset, misit nuntios ad Ezechiam, dicens:

℣. 10. Hæc dicetis Ezechiæ regi Judæ, loquentes: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens: Non dabitur Jerusalem in manu regis Assyriorum.

℣. 11. Ecce tu audisti omnia, quæ fecerunt reges Assyriorum omnibus terris, quas subverterunt, & tu poteris liberari?

℣. 12. Numquid eruerunt eos dii gentium, quos subverterunt patres mei, Gozam, & Haram, & Reseph, & filios Eden, qui erant in Thalassar?

℣. 13. Ubi est rex Emath, & rex Arphad, & rex urbis Sepharvaim, Ana, & Ava?

℣. 14. Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, & lêgit eos, & ascendit in domum Domini, & expandit eos Ezechias coram Domino.

℣. 15. Et oravit Ezechias ad Dominum, dicens:

℣. 16. Domine exercituum, Deus Israël, qui sedes super cherubim: tu es Deus solus omnium regnorum terræ, tu fecisti cœlum & terram.

COMMENTARIUS.

℣. 1. CUM AUDISSET REX EZECHIAS, SCIDIT VESTIMENTA SUA. Capitis hujus singula ferè verba cum quarto Regum, XIX, congruunt.

℣. 7. DABO EI SPIRITUM; immittam Spiritum in illum; vel malo Angelo permittam (a), cujus ministerio fiet, ut consilium mutet: sive, aliam

(a) *Hieronym.*

℣. 17. Inclina, Domine, aurem tuam, & audi: aperi, Domine, oculos tuos, & vide, & audi omnia verba Sennacherib, quæ misit ad blasphemandum Deum viventem.

℣. 18. Verè enim, Domine, desertas fecerunt reges Assyriorum terras, & regiones earum.

℣. 19. Et dederunt deos earum igni: non enim erant dii, sed opera manuum hominum, lignum, & lapis: & comminuerunt eos.

℣. 20. Et nunc, Domine Deus noster, salva nos de manu ejus: & cognoscant omnia regna terræ, quia tu es Dominus solus.

℣. 21. Et misit Isaias filius Amos ad Ezechiam, dicens: Hæc dicit Dominus Deus Israël, pro quibus rogasti me de Sennacherib rege Assyriorum:

℣. 22. Hoc est verbum, quod locutus est Dominus super eum: Despexit te, & subsannavit te, virgo filia Sion: post te caput movit filia Jerusalem.

℣. 23. Cui exprobrasti, & quem blasphemasti, & super quem exaltasti vocem, & elevasti altitudinem oculorum tuorum? Ad sanctum Israël.

℣. 24. In manu servorum tuorum exprobrasti Domino, & dixisti: In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium, juga Libani: & succîdam excelsa cedrorum ejus, & electas abietes illius, & introibo altitudinem summitatis ejus, saltum Carmeli ejus.

℣. 25. Ego fôdi, & bibi aquam, & exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum.

℣. 26. Numquid non audisti, quæ olim fecerim ei? ex diebus antiquis ego plasmavi illud: & nunc adduxi: & factum est in eradicationem collium compugnantium, & civitatum munitarum.

℣. 27. Habitatores earum breviatâ manu contremuerunt, & confusi sunt: facti sunt sicut fœnum agri, & gramen pascuæ, & herba tectorum, quæ exaruit, antequam maturesceret.

℣. 28. Habitationem tuam, & egressum tuum, & introitum tuum cognovi, & insaniam tuam contra me.

℣. 29. Cùm fureres adversùm me, superbia tua ascendit in aures meas: ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam venisti.

COMMENTARIUS.

aliam illi volontatem *(b)*, aliud consilium inspirabo; vel denique, inducam spiritum terroris in illum *(c)*, quo mentem occupante, aliud utique, quàm ut vos aggrediatur, cogitabit; vel denique, halitu oris mei exsufflabo illum. Confer 2 *Thessal.* II, 8.

℣. 25. SICCAVI VESTIGIO PEDIS MEI OMNES RIVOS AGGERUM. Hebræus ad verbum *(d)*: *Siccavi in plantâ pedum meorum omnes rivos Ægypti*. Per mediam Ægyptum mediosque illius torrentes viam mihi aperui; rivos illos siccavi, vel aquarum ejus tumorem adeò coërcui, ut humiles demissæque copiarum mearum vestigia lambant, tutumque illis transitum relinquant. Paria se præstiturum diu postea Nabuchodonosor gloriabatur *(e)*. Vide alias explicationes hujus loci in Commentario in Libros Regum *(f)*. Quam hic tradidimus, æquiorem censemus. Porrò Sennacherib bellum intulisse in Ægyptum, Scripturæ & Profanorum testimonia produnt. *Mazor*, quod hic reddimus Ægyptum, in hac significatione sæpiùs occurrit *(g)*.

℣. 29. PONAM CIRCULUM IN NARIBUS TUIS, ET FRÆNUM IN LABIIS TUIS; quemadmodum inseri solet annulus æneus naribus taurorum & boum *(h)*, & os equorum fræno coërcetur; ac denique

(b) *Piscat. Vat.* (c) *Lyran. Sanct. Cornel.*
(d) ואחרב בכף פעמי כל יאורי מצור (e) *Ezech.* XXX, 12: *Faciam alveos fluminum aridos.*
(f) 4 *Reg.* XIX, 24. (g) Vide supra *Isai.* XIX, 6: *Deficient flumina, attenuabuntur rivi aggerum.* *Heb.* יארי מצור *Mich.* VII, 12. למני אשור ועד מצור (h) *Theodoret. in Cant. Cantic. præf. p.* 991.

℣. 30. Tibi autem hoc erit ſignum: Comede hoc anno, quæ spontè naſcuntur, & in anno ſecundo pomis veſcere: in anno autem tertio ſeminate & metite, & plantate vineas, & comedite fructum earum.

℣. 31. Et mittet id, quod ſalvatum fuerit de domo Juda, & quod reliquum eſt, radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum:

℣. 32. Quia de Jeruſalem exibunt reliquiæ, & ſalvatio de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet iſtud.

℣. 33. Propterea hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum: Non intrabit civitatem hanc, & non jaciet ibi ſagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu ejus aggerem.

℣. 34. In viâ qua vênit, per eam revertetur, & civitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus.

℣. 35. Et protegam civitatem iſtam, ut ſalvem eam propter me, & propter David ſervum meum.

℣. 36. Egreſſus eſt autem Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Et ſurrexerunt manè, & ecce omnes, cadavera mortuorum.

℣. 37. Et egreſſus eſt, & abiit, & reverſus eſt Sennacherib rex Aſſyriorum, & habitavit in Ninive.

℣. 38. Et factum eſt, cùm adoraret in templo Neſroch deum ſuum, Adramelech & Saraſar filii ejus percuſſerunt eum gladio; fugeruntque in terram Ararat, & regnavit Aſarhaddon filius ejus pro eo.

COMMENTARIUS.

nique ut muli & boves camo inducto reguntur. Indocilium mancipiorum audaciam coriaceo camo interdum coërcitam habes apud Theodoretum *(i)*. Quin & ſimilis ſupplicii de hominibus liberis ſumoti exempla quædam in Hiſtoriâ occurrunt. Cambyſes produci ante ſe juſſit Psammenitum, Regem Ægypti, ejusque filium cum duobus millibus adoleſcentulis Ægyptiis ejusdem ætatis, cervice funibus alligatos, & ore frænatos *(k)*. Barbari hujus moris ſæpè meminit Scriptura. Ezechiel *(l)*: *Ecce ego ad te, Pharao, Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum... & ponam frænum in maxillis tuis.* Alibi *(m)*, ubi de Gog & Magog: *Circumagam te, & ponam frænum in maxillis tuis, &c.*

℣. 36. Et surrexerunt mane, et ecce omnes, cadavera mortuorum; ſurrexerunt incolæ Jeroſolymæ, ajunt Interpretum plures; qui cædem hanc Aſſyriorum coram Jeroſolymâ accidiſſe ſtatuunt. Sed hæc potiùs accipienda cenſemus de familiaribus Sennacheribi, qui mane ſurgentes, paſſim per caſtra militum cadavera offenderunt; hæc enim accidiſſe conſtat inter Lobnam & Peluſium, quò Sennacherib, procedens obviam Tharacæ Regi Æthiopiæ, pervenerat. Vulgata in libris Regum *(n)* fert Sennacheribo ipſi, mane ſurgenti, latam, ſuorum ſtragem occurriſſe. Sed Hebræus, Chaldæus, Septuaginta utrobique in plurali legunt.

CAPUT XXXVIII.

Morbus Ezechiæ, quo divinitus liberatur. Sol in horologio Achaz retro graditur: quamobrem Ezechias carmen euchariſticum pandit.

℣. 1. IN diebus illis ægrotavit Ezechias uſque ad mortem: & introivit ad eum Iſaias filius Amos propheta, & dixit ei: Hæc dicit Dominus: Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.

COMMENTARIUS.

℣. 1. In diebus illis ægrotavit Ezechias usque ad mortem. Totum Capitis hujus exordium, usque ad ℣. 9, paucis mutatis, quæ hìc adnotabimus, in quarto Regum, xx, legitur.

℣. 4. Fa-

(i) *Theodoret. hic*: Ἔδειξε δὲ αὐτὸν καὶ δουλικὴν ἔχοντα φύσιν· ἐπειδὴ γὰρ αὐτοὶ τοῖς οἰκέταις περιτιθέασι τοὺς ἐκ δερμάτων κημούς, εἰκότως ὡς οἰκέτῃ πονηρῷ ἠπείλησεν αὐτῷ τὸν κημὸν περιθήσειν.

(k) *Herodot. lib. 3, c. 14*: Τὸν παῖδα Ψαμμηνίτου ἐξέπεμπε μετ' ἄλλων Αἰγυπτίων δισχιλίων τὴν αὐτὴν ἡλικίαν ἐχόντων, τοὺς δ' αὐχένας κάλῳ δεδημένους ἦγον, καὶ τὰ στόματα ἐγκεχαλινωμένους.

(l) *Ezech.* XXIX, 4. (m) *Ezech.* XXXVIII, 4. (n) 4 *Reg.* XIX, 35. וישכימו בבקר

℣. 2. Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem, & oravit
ad Dominum,

℣. 3. Et dixit: Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo
ambulaverim coram te in veritate & corde perfecto, & quod
bonum est in oculis tuis fecerim. Et flevit Ezechias fletu magno.

℣. 4. Et factum est verbum Domini ad Isaiam, dicens:

℣. 5. Vade, & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus David pa-
tris tui: Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce
ego adjiciam super dies tuos quindecim annos:

℣. 6. Et de manu regis Assyriorum eruam te, & civitatem istam,
& protegam eam.

℣. 7. Hoc autem tibi erit signum a Domino, quia faciet Domi-
nus verbum hoc, quod locutus est.

℣. 8. Ecce ego reverti faciam umbram linearum, per quas descen-
derat in horologio Achaz in sole, retrorsum decem lineis. Et
reversus est sol decem lineis per gradus, quos descenderat.

℣. 9. Scriptura Ezechiæ regis Juda, cùm ægrotasset, & conva-
luisset de infirmitate suâ.

℣. 10. Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.
Quæsivi residuum annorum meorum.

COMMENTARIUS.

℣. 4. Factum est verbum Domini ad Isaiam. In quarto Regum legimus, Isaiam ab Ezechia recedentem, *antequam egrederetur mediam partem atrii* (a), revocatum fuisse a Domino, jussumque reverti ad regem, ut ea renunciaret quæ statim subduntur.

℣. 7. Hoc autem tibi erit signum. E Libris regum (b) discimus, Prophetam, spe factâ Ezechiæ valetudinis ab eo recuperandæ, libertatisque ex injuriis Assyriorum, continuò caricarum massam ulceri admovisse, statimque regem convaluisse, ut legitur inferiùs, ℣. 21. Ad cæteras verò, quibus se Propheta obstrinxerat, pollicitationes quod attinet, cùm Ezechias illum rogasset, quodnam datæ fidei pignus exhiberet? is prodigium, quod hìc legimus, dedit. Ezechiæ morbum incidisse in tempus illud, quo bellum Sennacheribi sæviebat, his argumentis demonstramus. Ezechias supra annos undetriginta non regnavit (c); cujus regni annos quatuordecim exegerat, quo tempore Sennacherib in illum movit (d). Post morbum, regnavit adhuc annis quindecim (e): ægrotavit igitur anno regni sui decimo quarto. Insuper spondet hìc Deus regi proximam e manu Regis Assyriorum, tunc infesti, liberationem.

℣. 8. Reverti faciam umbram linearum. De celebri hoc prodigio vide præfixam a nobis Libro quarto Regum Dissertationem.

℣. 9. Scriptura Ezechiæ, cum ægrotasset; Carmen Ezechiæ post morbum. Hebræus (f): *Scriptura Ezechiæ*. Septuaginta (g): *Oratio Ezechiæ*. Carmen hoc postulante Rege Isaiam scripsisse, Sanctii aliorumque nonnullorum conjectura est, quam probat styli elegantia & sententiarum sublimitas. Sed communis opinio Ezechiæ fœtum esse totum, & sententiis, phrasibus verbisque putat. Est autem ex eo vetustissimarum elucubrationum genere, quorum omne artificium versatur potiùs in nobilitate sententiarum, & phrasium vi, quàm in mensurâ, rithmo, numeroque verborum. Sex prioribus versiculis querelas suas, vi morbi expressas, recitat; quatuor verò succedentibus propriè ad agendas Deo gratias se componit.

℣. 10. Ego dixi: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. In summâ vi morbi dixi: Actum est de me; in ipso ætatis meæ flore pedem jam infero in sepulcrum, cùm vix exegerim dimidium ætatis curriculum, quæ vulgo mortalibus a naturâ datur. Octo tunc ætatis lustra Ezechias non superabat. Annum agebat quintum & vigesimum, cùm Regnum capessivit (h); ejusque Regni anno decimo quarto Sennacherib in Judæam venit (i); eodemque pariter anno is ægrotavit. Ætas hominum consueta ad septuaginta vel octoginta annos pervenit, teste Psalmistâ (k).

In medio vitæ curriculo, & ante impletos dies suos, vitæ cursum conficere, ulciscentis & irati Numinis argumentum esse, Hebræi opinantur; *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos*, ait Psalmista (l). Et (m): *Ne revoces me in dimidio dierum meorum*. Jeremias, XVII, 11: *Fecit divitias, & non in judicio; in dimidio dierum suorum derelinquet eas*.

Hebræus ita redditur (n): *Dixi in excisione dierum meorum* (o): *Vadam ad portas sepulcri*. Vix lethalis hic morbus me corripuit, continuò me in ipso sepulcri limine constitutum sensi. Aliter: *Dixi in silentio dierum meorum*. In ipso jam mortis discrimine luctans, & silentem mortis regionem ingressurus, actum esse de me intellexi, ut in sepulcrum sine liberis descenderem. Septuaginta (p): *Dixi*

(a) 4 *Reg.* XX, 4. (b) 4 *Reg.* XX, 7. (c) 4 *Reg.* XVIII, 2; *&* 2 *Par.* XXIX, 1.
(d) 4 *Reg.* XVIII, 13; *& Isai.* XXXVI, 1. (e) 4 *Reg.* XX, 6; *& Isai.* XXXVIII, 5.
(f) מכתב לחזקיהו (g) Προσευχὴ Ἐζεκίου. (h) 4 *Reg.* XVIII, 2. (i) *Ibid.* ℣. 13.
(k) *Psal.* LXXXIX, 10: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus octoginta anni, & ampliùs eorum labor & dolor*. (l) *Psal.* LIV, 28. (m) *Psal.* CI, 25.
(n) אני אמרתי בדמי ימי אלכה בשערי שאול (o) *Ita Mont. Vatab. Jun. Munst. &c.*
(p) Ἐγὼ εἶπα ἐν τῷ ὕψει τῶν ἡμερῶν μου, πορεύσομαι ἐν πύλαις ᾅδου. Legunt רמי pro דמי

℣. 11. Dixi : Non videbo Dominum Deum in terrâ viventium. Non aſpiciam hominem ultra, & habitatorem quietis.

℣. 12. Generatio mea ablata eſt, & convoluta eſt a me, quaſi tabernaculum paſtorum. Præciſa eſt velut a texente, vita mea: dum adhuc ordirer, ſuccîdit me: de mane uſque ad veſperam finies me.

℣. 13. Sperabam uſque ad mane: quaſi leo ſic contrivit omnia oſſa mea. De mane uſque ad veſperam finies me.

℣. 14. Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor ut columba. Attenuati ſunt oculi mei, ſuſpicientes in excelſum. Domine, vim patior, reſponde pro me.

COMMENTARIUS.

Dixi in excelſo dierum meorum: Vadam ad portas inferi. Excelſum dierum pro ipſo ætatis flore, plenoque juventutis robore commodè accipitur. Quo tempore ſpes fruendi vitâ ſuaviſſimè mihi blandiebatur, vitæ ſtamina Deus ſuccîdit. Vel, *excelſum dierum* eſt fortunarum felicitas. Cùm jucundiſſimi ac beatiſſimi fuerent dies, ſtatim ſepulcro proximum me ſenſi. Aquila, Symmachus, Theodotio (q): *In infirmitate & ſilentio dierum meorum.* Alii: *In ſanguine dierum meorum.* Portæ inferi hoc loco ſepulcrum ſunt. *Exaltas me de portis mortis*, inquit Propheta (r), *ut annuntiem omnes laudationes tuas.* Illas hoc ſenſu frequenter uſurpat Homerus (s): *Inviſus mihi eſt ceu porta inferi.* Euſebio & S. Hieronymo pius Princeps idcirco potiſſimùm gemuiſſe videtur, quòd nullos ſeſe relicturum liberos, Meſſiæ progenitores, metueret. Eo ſcilicet metu angebatur, ne ex avorum Meſſiæ numero excluderetur; quippe cui nullus adhuc eſſet filius, nondum orto Manaſſe.

Quæsivi (fruſtra) residuum annorum meorum. Hebræus (t): *Privatus ſum reſiduo annorum meorum* (u). Vitæ meæ dimidium mihi abſtulit Deus. Aliter: *Viſitatus ſum a Deo, in dimidia dierum meorum*, cùm adhuc multum vitæ mibi ſupereſſet; in ipſo ætatis flore rapior. Denique: *Vehementer optavi reliquum dierum meorum.* Quibus nunc exuor, dies meos vehementiſſimè cupio. Septuaginta (x): *Derelinquam annos qui reliqui ſunt.*

℣. 11. Dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viventium. Templum Domini deinceps non videbo; Dei opera jam non meditabor, neque feſtis illius diebus in hac vitâ præſens ero. *Terra viventium* hìc pro Cœleſti beatitudine uſurpari nequit; procul dubio enim ſperabat Ezechias futurum, ut Dei ſui aſpectu poſt hanc vitam frueretur.

Non aspiciam hominem ultra, et habitatorem quietis. Hebræus (y): *Non videbo hominem ultra, cum habitatoribus temporis*, vel ſæculi, ſeu quietis. Poſtremam hanc vocem negligunt Septuaginta (z): *Jam non videbo hominem cum habitatoribus.*

℣. 12. Generatio mea ablata est, et convoluta est a me, rapta eſt a me, quasi tabernaculum pastorum (a), quod convolvitur, ubi aufertur. Abſque liberis morior, meaque ſtirps me moriente perit. Nullus adhuc erat eo tempore Ezechiæ hæres; Manaſſes tertio pòſt anno editus eſt (b). Aliter: Vitæ meæ diuturnitas, meum in hac terrâ domicilium, inſtar tentorii, convolutum eſt. Septuaginta (c): *Reliqui cognationem meam, reliqui reſiduum vitæ meæ: periit & abiit a me, veluti deſtruens tentorium quod compegerat.*

Præcisa est velut a texente vita mea; dum adhuc ordirer, succidit me. Vix telam ordiri cœpi, defecit ſtamen; illud ſcilicet ſcidit Deus. Hebræus (d): *Præſcidi veluti textor vitam meam*, abrupi. Vitæ ſuæ diminutionem ſibi ipſi adſcribit, cùm hæc malorum genera criminis alicujus pœnam eſſe arbitraretur. Ita vulgo ſentiebant Judæi (e). *Macie* diuturni morbi *abripuit me* ex hac vitâ; vel, *ſcidit fila* ex textrinâ meâ. Pergit textoris allegoria. Vitæ meæ ſtamen ipſe rupi; vel, Deus ipſe tenuiſſima fila rupit.

De mane usque ad vesperam finies me. Telam abſolves, a mane ad veſperam; vel (f) me conficies, necabis a mane ad veſperam. Mecum ipſe reputavi: Unus hic ſupereſt meæ vitæ dies: unâ nocte ad ſepulcrum deferor.

℣. 13. Sperabam usque ad mane: quasi leo sic contrivit omnia ossa mea. Sperabam fore ut ad alterius diei initium pervenirem: at Deus leonis inſtar oſſa mea comminuit. Fruſtra ſpem animo alui futurum, ut matutinum alterius diei tempus aſpicerem: at ſpem abſtulit Deus; ceu leo enim, prædam vorans, oſſa mea contrivit; meque moneri per Prophetam juſſit, me hoc morbo periturum. *De mane uſque ad veſperam finies me.* Solem exorientem non intuebor: antequam redeat dies, periero. Ea hìc exhibet Ezechias, quæ per morbum mala patiebatur, aut funeſta animo agitabat. Sæviente dolorum vi, ſupremam ſemper ſibi horam inſtare arbitrabatur.

℣. 14. Sicut pullus hirundinis sic clamabo: meditabor ut columba. Inter doloris mei anguſtias, mortiſque terrores, voces ad te tollo, ceu hirundinis pullus, & inſtar columbæ ſuſpiria. Hebræus (g): *Sicut pullus gruis garriebam; gemebam ut columba.* Chaldæus & Symmachus (h): *Sicut columba incluſa*, capta, *ſic cantabo.* Aquila: *Sicut equus Agur.* Theodotio: *Sicut ſis agur.* Ultra-

(q) *Hieronym. hic.* (r) *Psal.* IX, 15. (s) *Homer.* Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσι. (t) פקדתי יתר שנותי (u) *Ita Pag. Mont. Jun. Piſc.* (x) Καταλείψω τὰ ἔτη τὰ ἐπίλοιπα. (y) לא אביט אדם עוד עם יושבי חדל (z) Οὐκέτι οὐ μὴ ἴδω ἄνθρωπον μετὰ κατοικούντων. (a) דורי נסע ונגלה מני כאהל רעי (b) Confer 4 *Reg.* XX, 6; & XXI, 1. (c) Ἐξέλιπον συγγένειάν μου, κατέλιπον τὸ λοιπὸν τῆς ζωῆς μου, ἐξῆλθε, καὶ ἀπῆλθεν ἀπ' ἐμοῦ, ὥσπερ ὁ καταλύων σκηνὴν πήξας. (d) קפדתי כארג חיי מדלה יבצעני 70: Τὸ πνεῦμά μου παρ' ἐμοὶ ἐγένετο ὡς ἱστὸς ἐρίθου ἐγγιζούσης ἐκτεμεῖν. (e) Vide infra ℣. 17. (f) מיום עד לילה תשלימני (g) כסוס עגור כן אצפצף אהגה כיונה (h) *Sym. apud Hieron. hic, quaſi legiſſet* מגור pro עגור

℣. 15. Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerit? Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.
℣. 16. Domine, si sic vivitur, & in talibus vita spiritûs mei: corripies me, & vivificabis me.

COMMENTARIUS.

Utraque hæc vox, *sis & agur*, apud Jeremiam etiam legitur (i), duplex avium genus significans. At quæ avium genera fuerint, disputatur. Recentioribus plerisque Interpretibus (k) prior vox gruem sonat, altera hirundinem. At Bochartus putat (l), *sus*, vel *sis* esse hirundinem, & *hagur* gruem. Id autem his argumentis probat. I, Prior vox a Veteribus pro hirundine usurpatur, nempe a Septuaginta, Theodotione, Symmacho, S. Hieronymo. II, Sonus ipse hujus vocis *sis* simillimus est voci, quam edit hirundo; & *Isis*, Ægyptiorum Dea, in hirundinem conversa narratur. III, Hirundo avis querula est, lugubre nonnihil canens. Quamobrem jure optimo Ezechias ait, se se instar hirundinis queri.

Agur eidem Bocharto ciconia videtur. I, Ex ipso nomine, quod si ita efferas, *chagur*, seu *ngagur*, proximum quid sonat voci gruis, altè stridenti. Nomina, quæ grui apud varias gentes aptantur, *kurkeja* apud Chaldæos, ab Arabibus *kurki*, Græcis *gerano*, Latinis *grui*, Germanis *cran*, ex ipsâ gruis voce ducta sunt per imitationem. II, Tradit Ezechias, sese non modò instar hirundinis gemuisse, verùm etiam clamasse instar gruis. Poëtæ interdum militum celeusma, sese invicem in prælio hortantium, cum gruis clamoribus comparant. Addit, Ezechiam suas ipsius querelas posse conferri cum gruis voce excubias agentis; quæ enim grus excubias agit, mitiori voce clamat. Sunt (m) qui hunc locum contrariâ planè sententiâ interpretentur. Beneficia tua ceu hirundo sive grus celebrabo; mecum ipse meditabor, utì turtur. At tota orationis series huic explicationi non favet.

ATTENUATI SUNT OCULI MEI, SUSPICIENTES IN EXCELSUM. Hebræus (n): *Exhausti sunt oculi mei*. Aliter: *Sublati erant oculi mei in excelsum*. Septuaginta cum sequentibus jungunt (o): *Defecerunt enim oculi mei, aspiciendo in excelsum cæli ad Dominum*.

DOMINE, VIM PATIOR, RESPONDE PRO ME: pro me vadem te exhibeto. Ita Hebræus sonat (p). Codices Latini plures (q) eodem etiam sensu legunt: *Sponde pro me*, non *responde*. Explicari etiam potest: Iniquè opprimor, o Deus, veluti a sævissimo exactore: fidejussor mihi esto. Mortem seu morbum sub sævissimi creditoris imagine exhibet.

℣. 15. QUID DICAM AUT QUID RESPONDEBIT MIHI, CUM IPSE FECERIT? non *fecerim*, utì Codices quidam ferunt. At quid queror? Quorsum cogitavi Deum rogare, utì fidem pro me daret, meque mortis potestate liberaret, veluti Divinæ voluntatis ministri morbus ac mors non essent? Quid ipse respondebit, cùm omnia illius nutu fiant? Vel ex Hebræo (r): *Quid dicam? Ipse imperavit, ipse fecit*. Meas ne ad ipsum querelas porrigam? Nonne ipse imperavit, ut me morbus aggrederetur, meque ad miserrimum hunc valetudinis statum redigeret? Quidam (s) ita interpretantur: Deus, mei loco fidejubeto. At quid ipse dico? Quid is mihi respondebit? Nonne quæ ipse postulavi præstitit, incolumitatem pollicitus per Prophetam? At prima hujus Carminis pars nonnisi questus Ezechiæ postulataque continere mihi videtur, cum is morbo maximè opprimeretur. In eo potissimùm totus occupatur, ut animi sui dolorem angoresque describat. Restitutam verò incolumitatem ℣. 17 narrare demum incipit.

RECOGITABO TIBI OMNES ANNOS MEOS IN AMARITUDINE ANIMÆ MEÆ. Vel: Omnes vitæ meæ annos in summo animi mei mœrore recensui. Hebræus (t): *Ægrè incedam omnibus annis meis in amaritudine animæ meæ*. Breve tempus vitæ quod superest, in luctu agam. Sive: Languidam vitam traxi in animæ meæ angustiis, per omnes vitæ meæ dies. Alii contrario sensu explicant: *Mente volvam omnibus vitæ meæ diebus* beneficium quo me prosecutus es. At quî addi huic sententiæ queant ea verba, *In amaritudine animæ meæ*? Dicendum erat, in hilaritate animæ meæ.

℣. 16. DOMINE, SI SIC VIVITUR, ET IN TALIBUS VITA SPIRITUS MEI, CORRIPIES ME ET VIVIFICABIS ME. Si, quod spopondi, omnes vitæ meæ annos in animi mœrore egero; si ita vixero, atque hæc assiduâ cogitatione meditatus fuero, denique futurum spero, ut aliquâ mei misericordiâ tangaris, meque post diuturna mala vitæ restituas. Meo luctu, meis supplicationibus, meoque dolore moveberis. Hebræum cum præcedentibus conjunctum, ita reddo (u): *Exegi omnes annos meos in animi mei mœrore. ℣. 16. Domine, ita vivitur, & in talibus vita spiritûs mei occupatur: tu mihi soporem induces, & me vitæ restitues. In pace & in rebus prosperis amara mihi est amaritudo*. Laboribus ærumnisque vita omnis mea mergitur. Ita communis hominum conditio fert, o Deus; neque cujusquam vita expers illius esse potest. Tu ad mortem ducis, tu vitam restituis; opprimis & levas; crucias & recreas. Assiduis nimirum vicibus vita hominum agitatur. Cùm omnia suavissimè mihi acciderent, inter hæc ipsa statim doloribus angoribusque oppressus jacui. Ita colligit quæ hactenus dixit, suosque questus ita claudit. At quorsum queror? Nonne horum author est Deus, sua de me consilia hoc modo complens? Nonne longa malorum series omnia vitæ meæ tempora comitata est; eaque communis hominum conditio semper fuit? Cùm hæc animo evolverem, misericordiæ tuæ beneficia expertus sum. ℣. 17.

℣. 17. Tu

(i) *Jerem.* VIII, 9. ותור וסים ועגיר שמרו את עת באנה *Vulg. Turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus adventûs sui*. 70: Τρυγὼν, καὶ χελιδὼν ἀγροῦ, στρουθία ἐφύλαξαν καιροὺς εἰσόδων αὐτῶν. *Chald.* שפנינא וכורכיא וסנוניתא *Turtur, & grus, & hirundo*. (k) *Pag. Munst. Buxtorf. Mercer. Rabb. Salom. & Kimchi*. (l) *Boch. de animal. sacr. parte 2. lib. 2, c. 10.*
(m) *Euseb. Cyrill. Theodoret. alii*. (n) דלו עיני למרום (o) 70: Ἐξέλιπον γάρ μου οἱ ὀφθαλμοὶ τοῦ βλέπειν με εἰς τὸ ὕψος τοῦ οὐρανοῦ πρὸς τὸν κύριον. (p) יהוה עשקה לי ערבני
(q) *Ita Bibl. Polyglott. Antuerp. & Pacif. Ita legunt Jansen. Forer. Mont. alii plures*.
(r) מה אדבר ואמר לי והוא עשה (s) *Chald. Grot. Jun. Pisc. Vatab. Hebræi*. *Ita & 70:* Ἀφείλατό μου τὴν ὀδύνην τῆς ψυχῆς, καὶ αὐτὸς ἐποίησε. (t) אדדה כל שנותי על מר נפשי Recentiores explicant אדדה pro *leniter, pedetentim incedam, quasi cogitabundus, & mœrens, vel nutitando caput quasi languidus, &c.* (u) אדני עליהם יחיו ולכל בהן חיי רוחי ותחלימני והחייני: (℣. 17.) הנה לשלום מר לי מר

℣. 17. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Tu autem eruisti animam meam, ut non periret: projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

℣. 18. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

℣. 19. Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.

℣. 20. Domine, salvum me fac, & psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

℣. 21. Et jussit Isaias ut tollerent massam de ficis, & cataplasmarent super vulnus, & sanaretur.

℣. 22. Et dixit Ezechias: Quod erit signum, quia ascendam in domum Domini?

COMMENTARIUS.

℣. 17. TU AUTEM ERUISTI ANIMAM MEAM, UT NON PERIRET; PROJECISTI POST TERGUM TUUM OMNIA PECCATA MEA. Tuam in me iram flagitia mea provocaverant (x): at nunc eorum oblitus, me in pristinam valetudinem revocasti. Vel, junctis hisce verbis cum præcedentibus: Vita hominum omnis mœror angorque est. Tu me, Deus, ad mortis fores deduxisti; idemque tu me revocasti, atque in vitam restituisti. Pietatis tuæ beneficio inter sævissimos animi cruciatus iterum pace, iterum tranquillitate fruor. *Eruisti animam meam ut non periret; projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.*

℣. 18. QUIA NON INFERNUS CONFITEBITUR TIBI, NEQUE MORS LAUDABIT TE. Te minimè celebrabunt qui in sepulcris jacent, & qui mortem oppetiere, laudes tuas minimè iterabunt. Hoc dicere videtur, idcircò sese in pristinam valetudinem a Deo esse revocatum, ut solemnes gratiarum actiones Deo ageret. Me, o Deus, ceu gloriæ tuæ monumentum, tuorumque prodigiorum testem, vivere voluisti. Nemo meliùs beneficiorum tuorum præstantiam commendare poterat, nemo gratum magis animum erga illa fert, æternisque ea laudibus prosequi paratum.

Hoc argumento frequenter utuntur Authores sacri, ut Divina beneficia erga viventes postulent (y). Te minimè celebrabunt mortui, at nos qui vivimus, tuaque beneficia experimur. Cæterùm ubi de mortuis agit, ea solummodò spectat, quæ cadavera in sepulcris patiuntur; atque ubi laudum meminit, eas laudes significat, quibus homines Deum prosequuntur. Minimè verò hic eas respicit, quibus Beati Deum in æternâ beatitudine celebrant, materiæ omnis expertes, atque a mortalibus rebus remoti.

NON EXPECTABUNT, QUI DESCENDUNT IN LACUM, VERITATEM TUAM. Qui in sepulcrum descenduntur, promissionum tuarum veritatem minimè expectabunt; quippe qui neque boni quidquam, neque mali mereri, tuarumque promissionum ac misericordiæ beneficia excipere, spectare, aut promereri queunt; qui denique minarum tuarum, tuæve misericordiæ veritatem præsentes non intuebuntur. Mortuorum hic meminit Ezechias inspectâ solius corporis conditione, uti superiùs animadvertimus.

℣. 19. PATER FILIIS NOTAM FACIET VERITATEM TUAM. Beneficia, quibus sese prosecutus es, filiis recitabit, tuarumque veritatum notitiam in feras nepotum ætates transmittet, ac tuarum promissionum veritatem aspiciet. Septuaginta (z): *Imposterum filios procreabo, qui annuntiabunt justitiam tuam.* Liberos sibi pollicetur; nullus enim adhuc illi erat; sibique blanditur futurum, ut Dei laudes illi celebrent. Manasses Ezechiæ filius, tertio post vaticinium anno editus in lucem est. Is statim paternæ expectationi ac spei male admodum respondit: at ipse illius ortus, vita, imperium luculenta satis argumenta erant, quibus Domini gloria & veritas celebrabantur.

Quidam sexti sæculi Scriptor (*), Ezechiæ Carmen explicans, ait, Ezechiam suæ conditionis oblitum, eò insaniæ devenisse, ut sese Messiam esse crederet, ac luculentissima pro communi hominum Reparatore oracula sibi arrogasse; quamobrem & se immortalem esse, ac hæredis non egere. Neglexerat ille, inquit hic, uxorem ducere ac liberos procreare, ut Davidicæ sobolis stirpem produceret. Blandiebatur huic ambitioni Sennacheribi cædes, qua centum & octoginta quinque Assyriorum millia periere. At denique in morbum lapsus, atque ex Isaia sese moriturum esse intelligens, se id non esse cognovit, quod arbitrabatur; auditisque ex Prophetâ iis verbis, *Et non vives*, conceptæ animo resurrectionis spem amisit; quare ad bonam frugem revocatus, animi sui sensa Carmine exposuit; elapsa flagitia fassus est, deque hærede relinquendo cogitavit, ductâ uxore; id quod nondum præstiterat. Hoc ipsum verò est quod hoc loco exprimit: Jam liberos habebo, justitiam tuam prædicaturos. Unde hæc hauserit Cosmas Monachus, ignoratur: at nobis nihil melius sonant, quàm quod pessimæ animadversiones, ex Judæis seu ex deterioribus multo fontibus derivatæ.

℣. 21. JUSSIT ISAIAS UT TOLLERANT MASSAM DE FICIS. Id actum est ante Carmen Ezechiæ. Vide nos in 4 *Reg.* XX, 7.

℣. 22. ET DIXIT EZECHIAS: QUOD ERIT SIGNUM? Datum huic interrogationi responsum legimus in 4 *Reg.* XX, 9. Hinc luculentissimè colligendum videtur, hæc capita, quæ ad Ezechiæ historiam pertinent, deinde addita esse, ut præcedentium vaticiniorum explicationi serviant. Quorsum enim narratur interrogatio, minimè additâ responsione? At ubi rei alicujus epilogum scribis, narrationem quovis in loco relinquere licet.

(x) Vide supra ℣. 12. (y) *Vide Psal.* VI, 6: *Quoniam non est in morte qui memor sit tui; in inferno autem quis confitebitur tibi? Et Psal.* CXIII, 17: *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum: sed nos qui vivimus, benedicimus Domino, ex hoc nunc & usque in sæculum.*

(z) 70: Ἀπὸ γὰρ τῆς σήμερον παιδία ποιήσω, ἃ ἀναγγελοῦσι τὴν δικαιοσύνην σου.

(*) *Cosmas Monachus Ægyptius, qui anno 535 scribebat, lib. 8 de mundo, p. 305.*

CAPUT XXXIX.

Babyloniorum Regis legati ad Ezechiam missis, ut recuperatam incolumitatem illi gratulentur. His Ezechias opum suarum pompam facit. Hujus ambitionis illum arguit Isaias; ac minitatur futurum, ut eadem ha opes Babylonem aliquando transferantur.

℣. 1. IN tempore illo misit Merodach-Baladan, filius Baladan, rex Babylonis, libros & munera ad Ezechiam: audierat enim, quòd ægrotasset, & convaluisset.
℣. 2. Lætatus est autem super eis Ezechias, & ostendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & unguenti optimi, & omnes apothecas supellectilis suæ, & universa quæ inventa sunt in thesauris ejus. Non fuit verbum, quod non ostenderet eis Ezechias in domo suâ, & in omni potestate suâ.
℣. 3. Introivit autem Isaias propheta ad Ezechiam regem, & dixit ei: Quid dixerunt viri isti, & unde venerunt ad te? Et dixit Ezechias: De terrâ longinquâ venerunt ad me, de Babylone.
℣. 4. Et dixit: Quid viderunt in domo tuâ? Et dixit Ezechias: Omnia, quæ in domo meâ sunt, viderunt: non fuit res, quam non ostenderim eis in thesauris meis.
℣. 5. Et dixit Isaias ad Ezechiam: Audi verbum Domini exercituum.
℣. 6. Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ in domo tuâ sunt, & quæ thesaurizaverunt patres tui, usque ad diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quidquam, dicit Dominus.
℣. 7. Et de filiis tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.
℣. 8. Et dixit Ezechias ad Isaiam: Bonum verbum Domini, quod locutus est. Et dixit: Fiat tantùm pax, & veritas in diebus meis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. MISIT MERODAC-BALADAN LIBROS ET MUNERA. Septuaginta (a): *Epistolas, legatos, & munera.* Nihil hic addendum occurrit iis quæ in quartum Librum Regum deduximus, capite XX, 12, &c. ubi eadem res iisdem in Hebræo verbis recitatur.

CAPUT XL.

Jerosolymam consolatur. Messiæ adventus, gloria, vires. Ethnicorum error. Hominum in Deo sperantium felicitas.

℣. 1. COnsolamini, consolamini, popule meus, dicit Deus vester.
℣. 2. Loquimini ad cor Jerusalem, & advocate eam: quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. CONSOLAMINI, CONSOLAMINI, POPULE MEUS. Israëlitarum fortunas, post magnam Babylonicam captivitatem futuras (a), tum hoc tum iis quæ sequuntur Capitibus Propheta describit. At non eâ potissimùm re occupatur: primò enim Messiæ adventum regnumque, Ecclesiæ institutionem, Gentium vocationem ad fidem respicit. In eo autem totus est, ut Hebraicæ Religionis veritatem, Ethnicæ superstitionis levitatem, Dei existentiam demonstret.

Hebræi, & veterum novorumque Interpretum plures post Septuaginta Senes [b] legunt: *Consolamini, consolamini populum meum.* Hebræus in hanc sententiam optimè verti potest (c): Prophetæ, *consolamini Jerosolymam (d)*; ipsaque sequentium rerum series huic explicationi favet. Mala quæ vaticinatus sum, te ne terreant, o Jerosolyma: nova jam ex me accipe.

℣. 2. LOQUIMINI AD COR JERUSALEM, ET ADVOCATE EAM, QUONIAM COMPLETA EST MALITIA EJUS,

(a) Ἐπιστολὰς καὶ πρέσβεις καὶ δῶρα. *Heb.* ספרים ומנחה (a) *D. Thom. Hugo, Sanct. & alii apud eumdem hic, n. 4, 5; Grot. Vatab.* (b) Παρακαλεῖτε, παρακαλεῖτε τὸν λαόν μου. *Ita legunt PP. Græci, & reliqui Interpretes; sed Edit. Complut.* Παρακαλεῖτε, παρακαλεῖτε, λαός μου.
(c) נחמו נחמו עמי יאמר אלהיכם (d) *Ita Chald. Grot. Vatab. Pagn.*

℣. 3. Vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.

℣. 4. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa, & aspera in vias planas.

℣. 5. Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quòd os Domini locutum est.

℣. 6. Vox dicentis: Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri.

℣. 7. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflavit in eo. Verè fœnum est populus:

℣. 8. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos: Verbum autem Domini nostri manet in æternum.

COMMENTARIUS.

ajus, illius infortunia desiere. Latini Codices bene multi legunt *militia ejus* pro *malitia*; idque magis cum Hebræo convenit [e], ferente *zebaah*, militia. *Loqui ad cor* est *solatium afferre* (f). Jucunda & meliora Jerosolymæ nunciate, confirmate labantem, ac dicite: Militiæ tuæ tempus absolutum est; veluti cùm missio exercitui datur, jubenturque singuli domum reverti. Septuaginta (g): *Sacerdotes, loquimini ad cor Jerusalem. Consolamini illam, quoniam impleta est humilitas ejus*; vel, illius dejectio, calamitatis tempus absolutum est; deleta sunt illius flagitia; diuturnam illius pœnitentiam excepit Deus. Vide Jeremiam, L, 20; & Threnos, IV, 22.

SUSCEPIT DE MANU DOMINI DUPLICIA PRO OMNIBUS PECCATIS SUIS, duplici supplicio expiavit: diuturnâ illius pœnitentiâ contentus est Deus. *Duplicia* hoc loco pro gravi diuturnâque expiatione usurpatur (h). Ita fert alio loco Isaias [i]: *Pro confusione vestrâ duplicè .... duplicia possidebunt*. Jeremias (k): *Reddam duplices iniquitates*. Et (l): *Duplici contritione contere eos*. Apocalypsis (m): *Duplicate duplicia, secundùm opera ejus*.

S. Cyrillus, Theodoretus, aliique ita interpretantur: Duplo severiùs multata est quàm illius flagitia mererentur; patris more, qui filium, quem cædere debuit, solaturus, testatur, sese invitum eâ severitate usum esse; at demum parcere, atque eò majoribus præmiis prosequuturum, quo severiùs animadvertit. Hæc explicatio fermè cum priore convenit, quippe quæ τὸ *duplicia* pro supplicio gravissimo, ac præter modum severo usurpat.

℣. 3. VOX CLAMANTIS IN DESERTO: PARATE VIAM DOMINI. Jubentem audio atque imperantem Gentibus, stratum iter Dei populo, e captivitate revertenti, parent. Dux populi Deus illum reducet. Iter Deo sternite: æquentur quæ aspera sunt, dejiciantur montes, valles obstruantur, &c. Ita doctissimi Interpretes historico sensu explicant (n). At prius illud, quod a Spiritu Sancto spectabatur, Divini Præcursoris, Joannis nempe Baptistæ, adventus erat, quippe qui se ipsum nuncupat *Vocem clamantis in deserto* (o)? *Parate viam Domini*. Is profectò Christo itinera stravit, animosque Judæorum ad Servatoris dogmata & sacra baptismo & prædicatione paravit.

℣. 4. OMNIS VALLIS EXALTABITUR, obstruetur. Vel per imperativum, obstruatur. Exercitu in regione asperâ, salebrosâ, inæquali proficiscente, præmittuntur qui vias sternant, lucos succidant, itinera dirigant (p). Verba sunt vocis in deserto clamantis. Eâdem fermè sub imagine reditum Israëlitarum e captivitate Babyloniçâ exhibent Prophetæ (q): *Exierunt abs te* (Jerosolymâ) *pedibus ducti ab inimicis: abducet autem illos Dominus ad te portatos in honorem sicut filios regni. Constituit enim Deus humiliare omnem montem excelsum, & rupes perennes, & convalles replere in æqualitatem terræ: ut ambulet Israël diligenter in honorem Dei. Obumbraverunt autem & sylvæ, & omne lignum suavitatis Israël mandato Dei*. Similes huic descriptiones passim legas in Isaia (r): *Ponam omnes montes meos in viam, & semitæ meæ exaltabuntur. Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab aquilone & mare, & isti de terrâ australi*. Et (s): *Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus in equis & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem*. Hæc omnia quàm commodissimè de Gentium vocatione ad Fidem explicantur.

℣. 5. REVELABITUR GLORIA DOMINI, ET VIDEBIT OMNIS CARO PARITER QUOD OS DOMINI LOCUTUM EST. Hæc ex parte completa sunt, reductis e captivitate Judæis. Ea gens, quæ ceu penitus eversa, & in alienâ regione veluti sepulcro condita habebatur, statim emersit, & in patriam rediit, manu Omnipotentis ducta. At plena horum verborum fides tunc stetit, cùm hominum Reparator novi solis instar omnibus terrarum gentibus, longâ nocte hactenus mersis, fulsit.

℣. 6. VOX DICENTIS: CLAMA .... OMNIS CARO FOENUM. Altera vox, Prophetæ auribus insonans. Clamare is jubetur, omnesque homines monere; *Omnis caro* ceu *fœnum* est, *& omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini* (ventus) *sufflavit in eo*. Quorsum hæc? Nempe ut ostendat, ingentium Imperiorum vires ac majestatem merum nihil Deo esse; præsertim verò Chaldaicum Imperium, totius Orientis terrorem, evertendum esse, uti fluit herba vento tacta, & flos sole adustus.

(e) דברו אל לב ירושלם וקראו עליה כי מלאה צבאה (f) *Vide Genes.* XXXIV, 3; *Ruth*, II, 13; 2 *Par.* XXXII, 7; *Osee*, II, 14. (g) Ἱερεῖς λαλήσατε εἰς τὴν καρδίαν Ἱερουσαλήμ. Παρακαλέσατε αὐτήν, ὅτι ἐπλήσθη ἡ ταπείνωσις αὐτῆς. (h) *Ita Origen. Homil.* XII *in Jerem. Ambros. in Psal.* CXVIII, *serm.* 29. *Forer. hic*, *Sanct. Pisc. Grot. Tirin. &c.* (i) *Isai.* LXI, 7. (k) *Jerem.* XVI, 18. (l) *Idem*, XVII, 18. (m) *Apoc.* XVIII, 6. (n) *Thomas*, *Hugo*, *Sanct. hic*, *Tolet. Maldon. Jansen. in Matt.* (o) *Matt.* III, 3; *Luc.* III, 4. (p) *Joseph. lib.* 3, *c.* 8, *de bello*: Ὁδοποιοὶ τά τε σκολιὰ τῆς λεωφόρου κατευθύνειν, καὶ χθαμαλοῦντα δύσβατα, καὶ τὰς ἐμποδίους ὕλας προανακόπτειν, *&c. Vide & Strabon. lib.* 5, *p.* 162. (q) *Baruch*, V, 6, 7, 8. (r) *Isai.* XLIX, 9, 10, 11, 12; & XLI, 17, 18, 19. (s) *Isai.* LXVI, 20.

℣. 9. Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion:
exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem:
exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda: Ecce Deus vester:
℣. 10. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus
dominabitur: ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo.
℣. 11. Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit, fœtas ipse portabit.
℣. 12. Quis mensus est pugillo aquas, & cœlos palmo ponderavit? quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in staterâ?
℣. 13. Quis adjuvit spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit, & ostendit illi?
℣. 14. Cum quo iniit consilium, & instruxit eum, & docuit eum semitam justitiæ, & erudivit eum scientiam, & viam prudentiæ ostendit illi?

COMMENTARIUS.

stus. Ex hujus Imperii exitio Judæorum felicitas oritura erat, reddituto illis libertatem Cyro, ubi certissimæ Dei promissiones ferebant: *Verbum autem Domini manet in æternum.*

Hebræus fœminino genere legit (t): *Super montem excelsam ascende, annunciatrix Sion: tolle vehementer vocem tuam, clamatrix Jerusalem.* Suum etiam Ecclesiasten Salomon a fœminei generis nomine exorditur (u): *Verba Concionatricis.* Hîc verò subdunt alii *vocem*, alii *animam*. Vox, quæ in Sion nuncias, sublimem in montem scande. Vide ℣℣. 3, & 6, quibus exhibetur vox clamans, vocis authore minimè significato.

℣. 9. Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas Sion. Prophetæ Domini, Sionis excubiæ (x), editum in montem evadite, quò longiùs clariùsque vestra vox sonet: proximam ipsarum restaurationem meo nomine urbibus Juda prædicite: venturum jamjam ad illas Deum nunciate. Idem ipse veniet, earumque imperium capesset, &c. Suavissimas hasce promissiones unus Christi adventus explevit; cujus felicitatis umbra e captivitate reditus fuit. Hebræus vetustique ex Græcis Interpretes fœminino genere ferunt (y): *Quæ evangelizas Sion:* Quæ nuncia Sionis es, felicesque ad illam nuncios affers.

℣. 10. Ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram illo. Magni Principis habitu accedit, opibus rebusque pretiosissimis onustus, amicos remuneraturus. Vel: Ceu Judex, unicuique ex gestorum merito redditurus. Sive: Instar patris familiâs, diurnam Operis mercedem distributuri. Diu laborastis, diu sub malorum pondere gemuistis: præmium laboribus jam affert Deus: Vide Jeremiam, xxxi, 16: *Est merces operi tuo.*

Primus Jesu Christi adventus munera solummodo ac beneficia hominibus attulit: at nihilo seciùs Simeonis ad Mariam loquentis oraculum explevit (z): *Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum.* Judæos, qui fidem suam suaque dogmata amplexi sunt, beneficiis cumulavit; cæteros in suâ cæcitate ac pervicaciâ destituit. Ethnicos, qui pronas veritati suæ aures mentemque adhibuerunt, ex errore tenebrisque reduxit: hostes verò ac refractarios severissimè puniit.

℣. 11. Sicut pastor gregem suum pascet. Bonum Pastorem, singulas oves agnoscentem, atque ab ovibus agnitum, sese nuncupat Christus (a). *Fœtas ipse portabit.* Hebræus (b): *Fœtas*, vel quæ mox peperere, *leniter deducet.* Septuaginta [c]: *In ventre habentes consolabitur.*

℣. 12. Quis mensus est pugillo aquas? Deum esse, ex ipsius virium prodigiis, nihilque esse gentium Deos, ex ipsorum levitate atque infirmitate demonstrare aggreditur. Aquila verterat (d): *Quis mensus est minimo digito aquas?* Hoc nimirum sensu fortasse locum intelligebat: Quis aquarum maris profunditatem minimo digito mensus est? Vel: Quis illarum pondus minimo manûs digito examinavit? Seu denique: Quis vastissimam illarum amplitudinem mensus est eo intervallo, quod inter pollicem minimumque manûs digitum est?

Et coelos palmo ponderavit? Quis illorum pondus porrectâ manu sustinuit? Hebræus (e): *Et Cœlos manu direxit*, stabilivit? Quis stabiles, ubi nunc sunt, fecit cœlos, manu regens, prohibensque, ne turbato ordine in antiquum chaos revertantur? Septuaginta (f): *Et cœlum spithamâ*, spatio inter pollicem & minimum manûs digitum expanso?

Quis appendit tribus digitis molem terræ. Hebræus (g): Quis mensus est *omnem pulverem terræ tertiâ parte mensuræ*, seu sextarii, sive tribus digitis? Hebræus ad verbum: *Tribus* (h). Septuaginta [i]: *Et omnem terram pugno?* Psalmo lxxix, 6, eadem vox, quæ hîc redditur *tribus digitis*, pro quadam mensurâ, fortasse *epha*, usurpatur.

℣. 13. Quis adjuvit spiritum Domini? Hebræus (k): *Quis direxit*, stabilivit, cognovit *spiritum*

(t) על הר גבוה עלי לך מבשרת ציון הרימי בכח קולך מבשרת ירושלם 70. Ἐπ' ὄρος ὑψηλὸν ἀνάβηθι ὁ εὐαγγελιζόμενος Σιών. (u) Eccle. i, 1, 12: *Verba Ecclesiastæ*, קהלת
(x) *Isai.* xxi, 5, 8; xxii, 6; lii, 8; lvii, 10; *Ezech.* iii, 17; xxxiii, 6, 7; *Jerem.* vi, 17; *Habac.* ii, 1; *Zach.* iii, 7. (y) מבשרת ציון *Aqu. Sym. Th.* Εὐαγγελιζομένη Σιών. (z) *Luc.* ii, 34.
(a) *Joan.* x, 14, *& seq.* (b) עלות ינהל (c) Ἐν γαστρὶ ἐχούσας παρακαλέσει.
(d) מי מדד בשעלו מים *Aquila translatit: Quis mensus est minimo digito aquas? Hoc enim* λιχανὸς *sonat, ut scilicet non totâ manu, sed parvo digito, quem vulgus gustatorem vocat, omnis aquarum vastitas ponderetur. Mss. legunt* λιχὸς, *quæ est mensura inter pollicem & indicem. Not. in nov. edit. Hieron.* (e) ושמים בזרת תכן (f) 70: Καὶ τὸν οὐρανὸν σπιθαμῇ.
(g) וכל בשליש עפר הארץ (h) *Hieron. hic: In Hebraico scriptum est* salis, *quem Symmachus* τρίτον, *Aquila* τρίσμον *interpretati sunt.* (i) 70: Καὶ πᾶσαν τὴν γῆν δρακί.
(k) מי תכן את רוח יהוה

℣. 15. Ecce gentes quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt: ecce insulæ quasi pulvis exiguus.

℣. 16. Et libanus non sufficiet ad succendendum, & animalia ejus non sufficient ad holocaustum.

℣. 17. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei.

℣. 18. Cui ergo similem fecisti Deum, aut quam imaginem ponetis ei?

℣. 19. Numquid sculptile conflavit faber? aut aurifex auro figuravit illud, & laminis argenteis argentarius?

℣. 20. Forte lignum & imputribile elegit: artifex sapiens quærit, quomodo statuat simulacrum, quod non moveatur.

℣. 21. Numquid non scitis? numquid non audistis? numquid non annuntiatum est vobis ab initio? numquid non intellexistis fundamenta terræ?

℣. 22. Qui sedet super gyrum terræ, & habitatores ejus sunt quasi locustæ: qui extendit velut nihilum cœlos, & expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum.

COMMENTARIUS.

ritum Domini? Septuaginta (l): *Quis cognovit spiritum*, mentem, cogitationem *Domini?* Ullus ne est, qui Deo in consiliis suis legem dicat, quem Deus deliberaturus consolat? Chaldæus: *Quis direxit Spiritum Sanctum in ore omnium Prophetarum?*

Quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi, quid illi gerendum sit? Hebræus ad verbum (m): *Et vir consilii ejus, indicavitque illi?* Vel: Quis Deum consilio juvare poterit? Seu denique: Cui consilia sua aperuit Deus? Symmachus apud S. Hieronymum: *Quis pervovit spiritum Domini? & virum consilii ejus quis ostendit ei?*

℣. 15. Ecce gentes quasi stilla situlæ, et quasi momentum stateræ reputatæ sunt. Nimirum tanti homo apud Deum est: hæc illius mensura. Si collecti unà homines nihilo majores unicâ aquæ guttâ sunt, quota guttæ hujus pars sum? Si scrupulo stateram leviter movente minores populi omnes sunt, quantula res inter tam multos fuero? quàm minima verò apud Deum?

Ecce insulæ quasi pulvis exiguus. Amplissimæ regiones, trans maris sitæ, insulæ quibus maria complentur, unica pulveris arenula sunt. Hebræus (n): Dissipabit *insulas ceu granum pulveris*. Ventilabit, uti pulvis vento rapitur. Septuaginta (o): *Et ut saliva reputabuntur*. Symmachus & Theodotio (p): *Sicut dak, quod cecidit*. Aquila: *Tenue projectum. Ajunt Hebræi*, teste S. Hieronymo, *ab Isaia significari tenuissimum pulverem, qui vento rapiante sæpè in oculos mittitur, sentitur potiùs quàm videtur. Minutissima ergo frusta pulveris & penè indivisibilia hoc verbo* (dak) *appellantur, quas forsitan Democritus cum suo Epicuro* atomos *vocat*.

℣. 18. Cui ergo similem fecistis Deum? Cùm hæc de Deo ex me audieritis, illum jam sub rei alicujus imagine, si fas est, exhibete. Cui verò similem efficietis?

℣. 19. Numquid sculptile conflavit faber, aut aurifex auro figuravit illud? Numinum simulacra quid nisi opera hominum sunt? Quis nesciat, multo illis meliorem esse, sapientiorem, vetustiorem, validioremque, qui ea finxit, cùm is veluti pater illorum sit (q)? Aliter: An aurarius faber aliusve Divinitatis imaginem fingat, vel fornace fusam, vel malleo ductam, vel aureis argenteisve laminis indutam? Hebræus (r): *Num sculptile conflabit faber? aut fusor aurum in laminas* seu bracteas *rediget, & aureas catenulas faciet?* Quotumvis fabri conentur, an Divinitatis imaginem exhibere queant, seu fuso metallo, sive in bracteas redacto, vel tenuissima in fila ope chalybeæ laminæ ducto, ut catenulas, torques, cingulos aliave ornamenta componant, quibus simulacrum vel ornetur, vel super basim firmetur?

℣. 20. Forte lignum et imputribile elegit artifex sapiens. Hebræus toto versiculo fert (s): *Pauper* (Hebr. *Hamsuchan*) qui sordidam avaritiam sectatur in *oblatione, lignum quod non putrescat, eligit. Artifex sapiens quæret* locum *preparare ei* simulacro, *ut non moveatur*, non nutet. *In Hebraico*, inquit hìc S. Hieronymus, *dicitur amsucan, quod genus est ligni imputribile, quo vel maximè idola fiunt*. Eodem modo interpretantur Septuaginta (t) & Chaldæus (u). At recentioribus aliter placet. Alii enim de inope accipiunt, cui cùm non satis divitiarum sit, ut argenteum Deum faciat, ligneum facit; alii pro inope usurpant, seu pro rerum oblatarum præfecto; vel de homine locuplete, cui amplus est census. Mihi magis placet de eo accipere, qui penu caret, qui magnis muneribus offerendis par esse nequit.

℣. 21. Numquid non intellexistis fundamenta terræ (x)? Nunquam ne didicistis, qua ratione terræ fundamenta constituta sint? An non docuit Deus, ea sese posuisse? Vel: Satis ne intellexistis, qua re terræ fundamenta nitantur?

℣. 22. Qui sedet super gyrum terræ, et ha-

(l) *Τίς ἔγνω νοῦν κυρίου*. (m) ואיש עצתו יודיענו
(n) הן איים כדק יטול (o) *Καὶ ὡς σίαλος λογισθήσονται*. Legunt רק *Rak*, sputum, pro *dak*, דק, minutum. (p) *Sym. & Theodot. ipsum ponentes Hebraicum*, sicut doc quod cecidit. *Pro quo Aquila*: *Λεπτὸν βαλλόμενον*. *Hieron. hic*. (q) *Vide Philon. de decem præceptis*. *Et Sap.* XIII, 11; & XIV, 8, & *sequ.* (r) הפסל נסך חרש וצרף בזהב ירקענו ורתקות זהב צורף
(s) המסכן תרומה עץ לא ירקב יבחר חרש חכם יבקש לו להכין פסל לא ימוט
(t) *Ξύλον γὰρ ἄσηπτον ἐκλέγεται τέκτων*. (u) בריאעא דלא אחיד ביה
(x) הלוא הבינותם מוסדות הארץ

℣. 23. Qui dat ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint: judices terræ velut inane fecit:

℣. 24. Et quidem neque plantatus, neque ſatus, neque radicatus in terrâ truncus eorum: repentè flavit in eos, & aruerunt, & turbo quaſi ſtipulam auferet eos.

℣. 25. Et cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, dicit Sanctus?

℣. 26. Levate in excelſum oculos veſtros, & videte, quis creavit hæc: qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat: præ multitudine fortitudinis & roboris, virtutisque ejus, neque unum reliquum fuit.

℣. 27. Quare dicis Jacob, & loqueris Iſraël: Abſcondita eſt via mea a Domino, & a Deo meo judicium meum tranſivit?

℣. 28. Numquid neſcis, aut non audiſti? Deus ſempiternus Dominus, qui creavit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit, nec eſt inveſtigatio ſapientiæ ejus.

℣. 29. Qui dat laſſo virtutem: & his, qui non ſunt, fortitudinem & robur multiplicat.

℣. 30. Deficient pueri & laborabunt, & juvenes in infirmitate cadent.

℣. 31. Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.

COMMENTARIUS.

HABITATORES EJUS SUNT QUASI LOCUSTÆ coram Deo. Homines terrarum incolæ, ſi cum orbis amplitudine comparentur, minores ſunt, quàm apud elephantum locuſta; noſque Deus ex alto cœlorum vertice velutì locuſtas, hunc materiæ globum peragrantes, deſpicit.

QUI EXTENDIT VELUT NIHILUM COELOS, ceu tenuiſſimum quid. Qui aërem ita pellucidum facit, quaſi nihil nos inter & aſtra porrigatur; vel, qui nullo labore, ac veluti ludens cœlos explicat. Hebræus (y): *Qui extendit velut nubem cœlos*, vel ceu telam, cortinam, pellem. Septuaginta (z), Syrus, Arabs: *Quaſi cameram*, fornicem, teſtudinem. Putabant Veteres, cœlum ſolidum atque in fornicis morem telluri imminere. Vide noſtram Diſſertationem de Mundi ſyſtemate juxta Hebræos.

℣. 23. QUI DAT SECRETORUM SCRUTATORES QUASI NON SINT. Qui rerum naturalium arcana tam ſollicitè ſcrutantur, eos penitus delet Deus. Hebræus (a): *Dans Proceres*, Principes, *ad nihilum*. Septuaginta (b): *Eò adigens principes, ut nulli præſint*; poteſtate ſpolians.

℣. 26. QUI EDUCIT IN NUMERO MILITIAM EORUM, ſiderum. Qui ſtellarum agmen inſtruit ac proficiſci jubet, more Imperatoris, exercitum ducentis, recenſentis, atque in numerato habentis. Non uno loco (c) Aſtra apud Divinos Libros militia Cœli appellantur, ac Deus ceu exercitûs ſiderum Imperator exhibetur.

NEQUE UNUM RELIQUUM FUIT. Ne unum quidem ex aſtris illum latet, aut illius viribus ac poteſtati ſubduci poteſt; nullumque illius imperiis repugnat.

℣. 27. QUARE DICIS, JACOB.... A DEO MEO JUDICIUM MEUM TRANSIIT? An negligit Deus æquum jus mihi reddere? Vel: Ignoratne Deus, quæ vitæ meæ ratio fuerit? *Judicium* frequenter pro vitæ inſtituto uſurpatur (d). Eadem ſententia eſt, quæ priori verſiculi parte fertur: *Abſcondita eſt via mea a Domino*. Res noſtras minimè curat Deus, quidve nos geramus ignorat (e).

℣. 29. QUI DAT LASSO VIRTUTEM, ET HIS QUI NON SUNT, FORTITUDINEM. Qui feſſos regit, deficientesque implet virtute. Septuaginta (f): *Qui dat eſurientibus*, (ſeu deficientibus) *fortitudinem, & non dolentibus mœrorem*. Eadem hæc ſententia elici ex Hebræo poteſt (g), ſi legas *nzabah*, pro *nzemah*. Infirmos regit, ac fortes dejicit Deus.

℣. 31. MUTABUNT FORTITUDINEM, ASSUMENT PENNAS UT AQUILÆ. Sunt (h) qui de virium reparatione interpretentur, quemadmodum aquilæ contingit, quæ mutatis pennis juveneſcere dicitur (i). Ita juſti in juventutem reſtituentur, novasque quodammodo vires & plumas recuperabunt. Alii tamen Vulgatæ ſuffragantur. Hebræus ad verbum (k): *Renovabunt*, mutabunt, *robur*; *proferent alas ut aquilæ*. Vide nos in Pſalmum CII, 5.

CA-

(y) הנוטה כדק שמים (z) Ο' στήσας ὡς καμάραν τὸν οὐρανόν.
(a) הנותן רוזנים לאין (b) Ο' διδοὺς ἄρχοντας εἰς οὐδὲν ἄρχειν.
(c) *Geneſ.* II, 1; *Deut.* XVII, 3; 4 *Reg.* XVII, 16; XXI, 3; XXIII, 4; *Iſai.* XXIV, 21; XXXIV, 4; *Jerem.* VIII, 2; XIX, 13; *Sophon.* I, 5; *Pſal.* CXLVI, 4: *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* (d) *Geneſ.* XL, 13; *Exod.* XXI, 9, 31; XXIX, 38, *& ſeqq. Joſue*, VI, 14; *Eccle.* VIII, 6, *&c.* (e) *Hieronym. hic.* (f) Διδοὺς τοῖς πεινῶσιν ἰσχὺν, καὶ τοῖς μὴ ὀδυνωμένοις λύπην.
(g) נתן ליעף כח ולאין אונים עצמה ירבה (h) *Vide Bochart. de animal. ſacr. parte* 2, *lib.* 2, *c.* 1; *Sanct. hic*; *Hieronym.* (i) *Vide Pſal.* CII, 5: *Renovabitur ut aquila juventus tua.*
(k) יחליפו כח יעלו אבר כנשרים

CAPUT XLI.

Infinita Dei virtutis argumenta. Justus ex Oriente vocatus. Jacobi redemptio. Numinum inanitas & infirmitas.

℣. 1. TAceant ad me insulæ, & Gentes mutent fortitudinem: accedant, & tunc loquantur, simul ad judicium propinquemus.

℣. 2. Quis suscitavit ab Oriente Justum, vocavit eum ut sequeretur se? dabit in conspectu ejus gentes, & Reges obtinebit: dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui ejus.

℣. 3. Persequetur eos, transibit in pace, semita in pedibus ejus non apparebit.

℣. 4. Quis hæc operatus est, & fecit, vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus, & novissimus ego sum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. TACEANT AD ME INSULÆ audiantque, ET GENTES MUTENT FORTITUDINEM, novas vires capiant. Sileant coram me & quiescant (a); intentisque auribus excipiant quæ pro me atque illorum probro dicturus sum: causam adversùs me gentes agant. Dicam alterutris invicem intendamus, atque, si locus excusationi est, respondeant iis quorum a me postulantur: *Simul ad judicium propinquemus. Insulæ* sunt populi trans mare siti, ii præsertim qui Ægæi insulas, & Asiæ minoris oras incolunt. Has frequenter alloquitur Isaias, earumque conversionem frequenter vaticinatur (b). Pergit in oratione, quam superiori capite, ℣. 12, instituit. Infinitas sui ipsius vires e rebus gestis probare, Numinumque inanitatem ex illorum infirmitate Deus ostendit.

℣. 2. QUIS SUSCITAVIT AB ORIENTE JUSTUM. Ambigitur, quis Justus sit a Deo ex oriente excitatus, jussusque se sequi. Græci, qui cum Septuaginta Interpretibus legunt (c), *Quis suscitavit de oriente justitiam?* passim de Jesu Christo, quem Deus in Judæâ exhibuit, interpretantur. Aliis (d) est Abraham, quem Deus e Mesopotamiâ in Judæam accersivit, cui omnes eæ notæ conveniunt, quas Propheta de Justo prædicat.

Sunt etiam (e) qui de Cyro explicent; idque nobis maximè probabile, & cum consequentibus nexum videtur. Idem hoc Justi nomine significatur hic, ℣. 10, describiturque ℣. 25 (f) & alibi. Proprio Cyri nomine exprimitur capite XLV, ex quo lux aliqua huic loco accedere potest. Isaias etiam capite XLVI, 11, Justum ex oriente venturum pollicetur, scilicet ex Perside, quæ certè orientalis Judææ fuit. Qui ad Abrahamum referunt, ægrè Victoris, populi Dei Liberatoris, ac gentium Domini nomina illi aptabunt; quæ quidem nomina in Justum a Scripturâ conferuntur, ipse verò Justus ceu luculentum perspicuumque Divinæ Omnipotentiæ argumentum exhibetur. Quamobrem ut laudes hasce in Abrahamo tueantur, plerique hæc verba ad Abrahami posteros referre coguntur.

DABIT IN CONSPECTU EJUS GENTES, ET REGES OBTINEBIT. Populos coram illo dejiciet, Regumque dominum faciet. Persas primùm in libertatem vindicavit Cyrus: tum in Lydiam cæterasque Asiæ provincias arma tulit; deinde Babylonem bello petiit: Asiam denique universam suo subjecit imperio, Regesque quamplurimos & subditos habuit & vectigales. Frequentibus autem, illustribus assiduisque adeò victoriis claruit, ut Dei ipsius munera habendæ sint.

DABIT QUASI PULVEREM GLADIO EJUS, hostes. Septuaginta (g): *Dabit in terram gladios eorum*, contrivit, comminuit. Reddi potest Hebræus (h): *Dabit ut pulverem gladium ejus, ut stipulam vento jactatam arcum ejus.* Quibus verbis fortasse innumera copiarum illius multitudo, atque incredibilis celeritas indicatur. Aliter: Ipse hostes suos *ceu gladii sui pulverem reddidit.* Nemo illius viribus magis obstitit, quàm pulvis, manu validissimâ dissipatus.

℣. 3. PERSEQUETUR EOS, TRANSIBIT IN PACE: SEMITA IN PEDIBUS EJUS NON APPAREBIT, nullum itineris sui vestigium relinquet. Quoties hostibus occurrit, illos fudit; totidemque victoriis claruit, quot bella suscepit: atque eâ quidem celeritate, ut humum pedibus tangere non videretur. Alexandri victorias narrans Daniel, eâdem phrasi utitur (i): *Ecce hircus caprarum veniebat ab Occidente, & non tangebat terram.* Cyri victoriæ aut magnitudine aut celeritate fermè Alexandrum æquavere.

Hebræus (k): *Persequetur eos, transibit in pace* (incolumis): *semitam in pedibus suis non ingredietur*; volare potiùs, quàm pedibus gradi videbitur. Vel: *Iter ingredietur, pedibus suis nondum antea tritum.* Septuaginta (l): *Persequetur eos, & transibit in pace viam pedum suorum.*

℣. 4. QUIS HÆC OPERATUS EST, VOCANS GENE-

(a) *Heb.* החרישו אלי *Aqu.* Κωφεύσατε, *Surda estote.* *Sym.* Δουλεύσατε, *Servite.* 70: Ἐγκαινίζεσθε, *Innovamini.* *Th.* Σιγήσατε, *Tacete.* (b) Vide *Isai.* XLII, 4; XLIX, 1; LI, 5; LX, 9.
(c) Τίς ἐξήγειρεν ἀπὸ ἀνατολῶν δικαιοσύνην. *Heb.* מי העיר ממזרח צדק *Euseb. Theodoret. Cyrill. Procop. Ita & Hieronym.* (d) *Ita Chald. & Hebræi apud Hieron. D. Thom. Hugo, Lyr. Vatab. Sa, Oros. Mont. Ferer. Sanct. Cornel. Grot. Jun. &c.* (e) *Ita Hugo, Adam. Pagn. not. Marginal. Castal. Cataker. Lud. de Dieu, Abenezra, Est.* (f) Vide & Cap. XLV, 8, 13; XLVI, 11, 13.
(g) Δώσει εἰς γῆν τὰς μαχαίρας αὐτῶν. *Heb.* יתן כעפר חרבו
(h) יתן כעפר חרבו כקש נדף קשתו (i) *Dan.* VIII, 5.
(k) ירדפם יעבור שלום ארח ברגליו לא יבוא (l) Καὶ διώξεται αὐτοὺς, καὶ διελεύσεται ἐν εἰρήνῃ τὴν ὁδὸν τῶν ποδῶν αὐτοῦ.

℣. 5. Viderunt insulæ, & timuerunt, extrema terræ obstupuerunt, appropinquaverunt, & accesserunt.

℣. 6. Unusquisque proximo suo auxiliabitur, & fratri suo dicet: Confortare.

℣. 7. Confortavit faber ærarius percutiens malleo, eum qui cudebat tunc temporis, dicens: Glutino bonum est: & confortavit eum clavis, ut non moveretur.

℣. 8. Et tu, Israël serve meus, Jacob quem elegi, semen Abraham amici mei,

℣. 9. In quo apprehendi te ab extremis terræ, & a longinquis ejus vocavi te, & dixi tibi: Servus meus es tu, elegi te, & non abjeci te.

℣. 10. Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines, quia ego Deus tuus: confortavi te, & auxiliatus sum tibi: & suscepit te dextera justi mei.

℣. 11. Ecce confundentur, & erubescent omnes, qui pugnant adversùm te: erunt quasi non sint, & peribunt viri, qui contradicunt tibi.

℣. 12. Quæres eos, & non invenies, viros rebelles tuos: erunt quasi non sint: & veluti consumptio, homines bellantes adversùm te.

COMMENTARIUS.

NERATIONES AB EXORDIO (m), tempore suo eos vocans, quos orituros initio præviderat? Quis homines novit, antequam in lucem edantur; vel ab ipso rerum exordio, de rebus singulis, de sæculis, hominum successionibus, ætatibusque decernit? An non ego? Hujus rei argumentum sunt Cyrus ab ipso excitandus, victoriæ ipsi Cyro concedendæ, mox recitatæ, gentesque illius imperio subjiciendæ; denique ipse illius ortus diù ante prænunciatus, dataque a Deo fides, futurum ut quæ ipsi promissa fuerant, explerentur.

EGO DOMINUS: PRIMUS ET NOVISSIMUS EGO SUM, principium & finis, alpha & omega, ut verbis Apocalypseos utar (n). Primus & novissimus sum, & æternum ero. Antequam quidquam esset, aut Deos commioisci homines inciperent, ego sum; idemque in æternam ætatum seriem deinceps ero, non secus atque ante sæculorum initium eram. Quamvis creatæ res omnes esse penitus desinant, ego absque illis existam. *Ego ipse sum*, idem alibi ait (o): *ante me non est formatus Deus, & post me non erit.* Et (p): *Ego primus & ego novissimus, & absque me non est Deus.* Hoc ego discrimine ab inanibus Diis secernor, quòd illi recentes sint, ac non diù futuri; at ego æternus sum, sæculis omnibus prior, semperque extiturus. Hoc argumento sæpe utitur Deus in hac oratione, qua, uti diximus, Divinitas ipsius adversùs Ethnicos demonstratur. *Deus principium, finem & media eorum omnium quæ sunt, continet*, inquit Plato (q).

℣. 5. VIDERUNT INSULÆ, ET TIMUERUNT.... APPROPINQUAVERUNT, ET ACCESSERUNT, fœdera junxerunt homines. Ubi mira virium mearum portenta, opesque, quibus Cyrum cumulavi, remotissimæ gentes intellexere, statim juncto fœdere arma illi viresque objicere, ac præceps illius victoriarum iter coërcere decreverunt. Babyloniorum Rex veritus, ne ferocissimi juvenis armis cedere cogeretur, in armorum societatem Crœsum, Regem totius Asiæ minoris opulentissimum, Cappadoces, Phryges, Cares, Paphlagones, Cilices, Jones accivit (r). Postremas hasce gentes Hebræi sub insulatum nomine complectebantur. *Ab his filiis Javan divisæ sunt Insulæ gentium*, ait Moyses (s).

℣. 7. CONFORTAVIT FABER ÆRARIUS, PERCUTIENS MALLEO, EUM QUI CUDEBAT TUNC TEMPORIS, DICENS: GLUTINO BONUM EST, bonum est gluten. Parabolæ genus est. Hæ scilicet gentes coivere, opificum instar, qui simulacrum aliquod junctâ operâ fingunt, variasque illius partes aut glutine aut clavis jungunt. Hebræus (t): *Et confortavit faber ferrarius aurificem*, seu fusorem, *polientem malleum percussione incudis, dicens: Ad juncturam bonum est illud; & firmavit opus suum clavis, ne moveatur.* His verbis Propheta mutuam gentium conspirationem ac fœdus in Cyrum significat. Similes duobus fabris sunt, idem metallum in unâ incude exercentibus, seseque mutuò hortantibus: En partes quæ optimè coëunt, atque ita nectuntur, ut nonquam sejungendæ sint. Eâdem ratione ii qui hoc fœdus junxere, tam multis illud viribus confirmavere, ut nunquam periturum putent. Verti etiam Hebræus potest: Additus est faber fusori, & metallum poliens illi qui metallum in incude percotit: mutuam opem consiliumque contulere, dixeruntque: Probè nectendæ clavisque firmandæ hæ partes sunt, ut unicum ex hisce corpus confletur, ipsæque nullo unquam tempore sejungantur.

℣. 8. ET TU, ISRAEL SERVE MEUS... SEMEN ABRAHAM AMICI MEI, (℣. 9) IN QUO APPREHENDI

(m) קרא הדורות מראש (n) *Apocal.* 1, 8: *Ego sum alpha, & omega.* Et XXII, 13: *Ego sum alpha, & omega, primus, & novissimus, principium, & finis.* (o) *Isai.* XLIII, 10. (p) *Isai.* XLIV, 6. (q) *Plato de legib.* Ὁ μὲν δὴ Θεὸς ἀρχὴν, ϗ τελευτὴν, ϗ μέσα τῶν ὄντων ἁπάντων ἔχων. (r) *Vide, si placet, Xenophont. lib.* 1 *institut. Cyri.* (s) *Genes.* X, 5. (t) ויחזק חרש את צורף מחליק פטיש את הולם פעם אומר לדבק טוב הוא ׃ ויחזקהו במסמרים לא ימוט

℣. 13. Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicensque tibi: Ne timeas, ego adjuvi te.

℣. 14. Noli timere, vermis Jacob, qui mortui estis ex Israël: ego auxiliatus sum tibi, dicit Dominus: & redemptor tuus sanctus Israël.

℣. 15. Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia: triturabis montes, & comminues: & colles quasi pulverem pones.

℣. 16. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo disperget eos: & tu exultabis in Domino, in sancto Israël lætaberis.

℣. 17. Egeni & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israël non derelinquam eos.

℣. 18. Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes: ponam desertum in stagna aquarum, & terram inviam in rivos aquarum.

℣. 19. Dabo in solitudine cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum olivæ: ponam in deserto abietem, ulmum, & buxum simul:

℣. 20. Ut videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc, & sanctus Israël creavit illud.

COMMENTARIUS.

DI TE AB EXTREMIS TERRÆ (*u*). (℣. 10) NE TIMEAS QUIA EGO TECUM SUM. Quantumvis tam multi in servum christumque meum, in Cyrum conspirent, tuâ te captivitate liberabo: te in libertatem vindicabit Cyrus, teque in patriam mittet. *Suscepit te dextera Justi mei*, hostesque tuos probro obruet. Ita sonant ℣℣. 9, 10, 11, 12. Hæc verba, *In quo apprehendi te ab extremis terræ*, Hebraica locutio sunt, significans (*x*): *Tu quem apprehendi*, &c.

℣. 14. NOLI TIMERE, VERMIS JACOB, QUI MORTUI ESTIS EX ISRAEL. Jacobi soboles, quæ similis vermi effecta es, omnium pedibus obnoxio, quamvis sepulcro condaris, vermium cibus, ne verearе: te in vitam restituam, tuoque te ab exilio & captivitate revocabo (*y*). Solent Prophetæ morbos, ærumnas, exilium, mortis & sepulcri nomine significare; eorumque malorum exitum resurrectionem, novum ortum, novamque in vitam revocationem nuncupant (*z*). Symmachus: *Ne metue, vermis Jacob, numerus Israël*. Hoc sensu Hebræus etiam usurpari potest.

℣. 15. EGO POSUI TE SICUT PLAUSTRUM TRITURANS NOVUM, HABENS ROSTRA SERRANTIA. Te similem efficiam novo plaustro, quo segetes teruntur: hostes tuos comminues, atque in pulverem rediges. *Triturabis montes & comminues, & colles quasi pulverem pones*. In ventum disperges, & quodammodò ventilabis, ceu triticum in areâ excussum ventilatur. Eadem pollicetur Michæas (*a*), de Judæis agens e captivitate revocatis. Uni Cambysis cædi & neci, quæ in Judæâ contigit (*b*), aptari posse hæc oracula nobis videntur. Optimè etiam spectari ex parte possunt bella Macchabaica, in Syriæ Reges gesta.

℣. 17. EGENI ET PAUPERES QUÆRUNT AQUAS, ET NON SUNT ... (℣. 18.) APERIAM IN SUPINIS COLLIBUS FLUMINA. Reduces Babylone Judæi in horridis aridisque desertis erunt, & aquis carebunt: me illi invocabunt, ego exaudiam; iisque e montium vertice fontes, atque in apertis agris scaturigines aquarum eliciam. Eamdem hanc rem promiserat supra, XXXV, 6: *Quia scissæ sunt in deserto aquæ, & torrentes in solitudine; & quæ erat arida, erit in stagnum, & sitiens in fontes aquarum*. Confer etiam XLIII, 20; XLVIII, 21; XLIX, 10.

℣. 19. DABO IN SOLITUDINE CEDRUM, ET SPINAM, ET MYRTUM, ET LIGNUM OLIVÆ. Redux e captivitate gens mea molestissimo solis æstu uretur: at omne arborum genus in deserto proferam, arbores odore suavissimas, quibus & umbræ & odoris solatium illi erectur. Simili prorsus promissione Judæos confirmat Baruch (*c*): *Obumbraverunt autem & sylvæ, & omne lignum suavitatis Israël, ex mandato Dei*. Spina, quæ hic apud Prophetam legitur, & in Hebræo *sitta* (*d*) appellatur, ipsum est lignum sethim, in Moyse notissimum, cujus usus frequens adeò in Tabernaculi constructione fuit. Hanc arborem in deserto nasci, & rhamno simillimam esse, S. Hieronymus tradit. Nodis caret, cariem ignorat, lignoque solidissimo est, ut cæteras & soliditate & nitore superet, ubi illud politum elaboratumque fuerit. Septuaginta pro *sitta* buxum reddidere; at Theodotio *spinam*; atque hunc sequutus est S. Hieronymus.

(*u*) מאציריה *Sym.* Ἐκ τῶν γωνιῶν αὐτῆς, ex angulis ejus. 70: Ἐκ τῶν σκοπιῶν αὐτῆς, a summitatibus ejus. (*x*) אשר החזקתיך מקצות הארץ 70: Οὗ ἀντελαβόμην ἀπ' ἄκρων τῆς γῆς. (*y*) *Thom. Hugo, Forer. Vatab. Mont. Adam. Sanct.* (*z*) *Isai.* IX, 2; *Ezech.* XXXVII, 12: *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris, & inducam vos in terram Israël. Vide Comment. in illud caput.* (*a*) *Mich.* IV, 13: *Surge & tritura, filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas, & comminues populos multos, & interficies Domino rapinas eorum.* (*b*) Vide nos in *Ezech.* XXXIX. (*c*) *Baruc*, V, 6, 7. Vide & *Isai.* LV, 13. (*d*) שטה. *Vide Hieronym. hic.*

℣. 21. Propè facite judicium vestrum, dicit Dominus: afferte, si quid fortè habetis, dixit rex Jacob.

℣. 22. Accedant, & nuntient nobis, quæcumque ventura sunt priora, quæ fuerunt, nuntiate: & ponemus cor nostrum, & sciemus novissima eorum, & quæ ventura sunt, indicate nobis.

℣. 23. Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dii estis vos. Bene quoque, aut malè, si potestis, facite: & loquamur, & videamus simul.

℣. 24. Ecce, vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo quod non est: abominatio est, qui elegit vos.

℣. 25. Suscitavi ab Aquilone, & veniet ab Ortu solis: vocabit nomen meum, & adducet magistratus quasi lutum, & velut plastes conculcans humum.

℣. 26. Quis annuntiavit ab exordio, ut sciamus, & a principio, ut dicamus: Justus es? non est neque annuntians, neque prædicens, neque audiens sermones vestros.

℣. 27. Primus ad Sion dicet: Ecce adsunt: & Jerusalem evangelistam dabo.

℣. 28. Et vidi, & non erat neque ex istis quisquam, qui iniret consilium, & interrogatus responderet verbum.

COMMENTARIUS.

Pro *olivâ* Hebræus fert *lignum pinguedinis*, oleosum. Quinque tantummodò lignorum genera ferunt hoc loco Septuaginta: cedrum, buxum, myrtum, cupressum, populum; Hebræus septem *(e)*, cedrum, sitta, myrtum, olivam, abietem, ulmum, buxum. Postrema hæc duo ligna Hebraicè dicuntur *tidhar* & *tassur*. Cùmque hæ voces semel tantummodo in Hebræo legantur, locus dubio est, utrùm ulmum & populum significent. Aquila & Symmachus: *Ulmum & buxum*. Harum natura incerta est.

℣. 21. Propa facite judicium vestrum, ad dicendam causam accedite, inquit Dominus. Gentes quæ Numina colitis *(f)*, quas arguere erroris, meamque Divinitatem docere argumentis volo, accedite, & causam pro vobis dicite.

Afferte si quid forte habetis. *Forte* hoc loco adverbium non est, sed nomen, Hebraico *hazumoth (g)* respondens, qua voce *vires* significantur. Validissima pro vobis argumenta.

℣. 23. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos. Justi mei ortum, meæque gentis libertatem mox prædixi. Loquimini jam, ac futurum aliquid, remotum, fortuitum, ex hominum voluntate pendens vaticinamini. Id si præstiteritis, vos vobis Deos esse fatebimur. Validissimum pro Dei Israëlis Divinitate argumentum illud est, quòd omnia ab æternis antea sæculis noverit, nihilque illius viribus arduum sit. Objicite jam, si licet, ejusdem roboris ac naturæ argumenta.

℣. 24. Ecce vos estis ex nihilo, et opus vestrum ex eo quod non est. Confirmatâ probatâque sui ipsius Divinitate, & causæ justitiâ, adversarios aggreditur Deus. Ex iis quæ non erant, atque ex chao ortum habuistis, ait ad Numina Deus, communemque cum materiâ originem; formam ac majestatem qua fulgetis, ex artifice. *Opus vestrum*, forma qua vos donavit artifex; vel superstitio, quæ vobis cultum vindicat; sive denique quicquid gerere potestis, promissiones, minæ, facta, nihil penitus sunt: ex nihilo orta, in nihilum desinunt.

Hebræus *(h)*: *Ecce vos ex nihilo, & opus vestrum viperâ deterius. Vir abominabilis elegit vos*: Merum nihil estis, viperâ perniciosiora. Væ vos colenti! Septuaginta *(i)*: *Quoniam unde estis vos? & unde opus vestrum? ex terrâ abominationum elegerunt vos.*

℣. 25. Suscitavi ab Aquilone, et veniet ab ortu solis, Cyrus nempe *(k)*, quem superiùs *(l)* sub nomine Justi indicavit, & sequenti statim versiculo iterum nominat. Ex oriente & septemtrione vocatur, quòd Perses simul & Medus foret Cyrus, Perses ex patre Cambyse, Medus ex matre Mandane, Astyagis filiâ. Quamobrem veteri oraculo appellatus est *mulus (m)*, utpote ex duplici hominum genere satus, seu duplicem in se gentem colligens. Persis & Media ad septemtrionalem Judææ orientem jacebant.

Adducet magistratus quasi lutum: pedibus teret, uti lutum figuli pedibus teritur. Ita Princeps Cyrus: illis absolutâ potestate imperabit.

℣. 26. Quis annuntiavit ab exordio.... ut dicamus..... Justus es? Nonne Deus ipse hæc vaticinatur, & luculentissimas hasce notas prædicit, quibus adeò Cyrus describitur, ut ubi accesserit, statim agnoscendus sit, digitoque innuendus a Judæis: Hic nimirum Justus est, quem vates promisere?

℣. 27. Primus ad Sion dicet: Ecce adsunt; et Jerusalem evangelistam, nuncium, dabo.

(e) אתן במדבר ארז שטה והדס ועץ שמן : אשים בערבה ברוש תדהר ותאשור
(f) Vide ℣. 1: *Simul ad judicium propinquemus*. (g) הגישו עצמותיכם 70: Ἤγγισαν αἱ βουλαὶ ὑμῶν. Legebant fortasse עצותיכם *Theodot.* Κραταιώματα ὑμῶν. *Apud Theodoret. hic.*
(h) הן אתם מאין ופעלכם מאפע תועבה יבחר בכם (i) Ὅτι πόθεν ἐστὲ ὑμεῖς; καὶ πόθεν ἡ ἐργασία ὑμῶν; ἐκ γῆς βδελύγματος ἐξελέξαντο ὑμᾶς. (k) *Thom. Lyr. Vat. Hugo, Sa, Pintus, Grot. Gatak. Rabb. Sal. Kimchi, Abenezra, &c.* (l) ℣. 2, & 10. (m) *Vide apud. Euseb. præpar. lib. 9, c. 41:* Ἥξει πέρσης ἡμίονος τοῖσι ὑμετέροισι δαίμοσι χρεώμενος συμμαχοῖσι.

℣. 29. Ecce omnes injusti, & vana opera eorum: ventus & inane simulacra eorum.

COMMENTARIUS.

DABO. Neqoe Numina neque illorum cultores quidquam temotum unquam vaticinari, meaque cnnfilia in iis ipsis quæ intuentur, agnnfcere potetunt. Hunc verficulum cum fuperinre jungere placet ad hunc mndum (n): Nemo ex vobis quidquam vel minimum prædixerit: *nemo audiit sermones vestros, nunciantes primùm Sioni: Ecce adsunt; idque Jerofolymæ nunciantes*. Si Dii eftis, qualea haberi vultis, vnces primi tnllite, & futurum aliquid Sioni vel Jerofolymæ vaticinamini. At frustra id ex vobis vestrisque vatibus postulatur. Deos gentium alloqui pergit.

CAPUT XLII.

Israelitarum Liberatoris dotes. Grates Deo aguntur, quòd in impios animadvertat, populumque cacitate & ærumnis liberet.

℣. 1. ECce fervus meus, fufcipiam eum: electus meus, complacuit fibi in illo anima mea: dedi fpiritum meum fuper eum, judicium gentibus proferet.

℣. 2. Non clamabit, nec accipiet perfonam, nec audietur vox ejus foris.

℣. 3. Calamum quaffatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium.

℣. 4. Non erit triftis, neque turbulentus, donec ponat in terrâ judicium: & legem ejus infulæ expectabunt.

COMMENTARIUS.

℣. 2. ECCE SERVUS MEUS, SUSCIPIAM EUM, tuebor. Hoc caput e præcedenti fequitur. Pergit Deus argumenta congerere adversùa gentium Deos, ut fuas ipfius vires fine carentes oftendat ex rebus geftia, revocato e tenebris, captivitate, laboribus populn. Mefsiam atque humani generis redemptionem luculentifsimè ionuit; quæque hîc de Israëlis Liberatore traduntur, hæc frequentez Evangeliftæ ad Jefum Chriftum tranftulere: quamobrem nullus dubin locua eft, quin ipfe Chriftus hac nratione propriè & ex ipfo verborum fnno fpectetur [a]. At fatendum etiam eft, quædam hîc effe, quæ ad Cyrum & Israëlis libertatem e Captivitate referri queant [b]. Attamen & Cyrus & libertaa nihil majus funt quàm umbræ aut figuræ, qoæ rei ipfiua veritatem potiùs juvant, pingendoque luculentiùs exemplari, ae rei, quam fignificant, veritati exhibendæ ferviunt.

Servi Patria æterni appellatio Jefu Chrifto convenit ex humanitate, qua *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus* (c), spontè peccati pœnas fubiit. S. Matthæus hunc locum laudans, & Jefu Chrifto aptans, paulò aliter recitat, quàm apud Hebræum & Septuaginta Interpretes legitur. Ita S. Matthæus (d): *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem: Ecce puer meus quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ. Ponam spiritum meum super eum, & judicium gentibus nuntiabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus: arundinem quassatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, donec ejiciat ad victoriam judicium. Et in nomine ejus gentes sperabunt.*

Septuaginta (e) locum explicant de Israëlitis (℣. 1): *Jacob puer meus* eft: *assumam eum*, protegam: *Israël electus meus* eft: *suscepit eum anima mea*, is mihi placuit. In Hexaplia Origenis duo hæc nomina, *Jacob & Israël*, obelo notabantur, ut difceres in Hebræo non haberi, ait Eufebius (f). *Dedi spiritum meum super eum: judicium*

(n) ℣. 27. אף אין שמע אמריכם ראשון לציון הנה הנם ולירושלים מבשר אתן

(a) *Ita Interpp. plerique omnes, tam antiqui, quàm recentes. Ita Chald. Rab. Abarbanel, Kimchi, &c.*

(b) Vide ℣℣. 6 & 7 hujoa Capitis, qui cum ℣℣. 2, 10, 25, 26, Capitia fuperinris, quns de Cyro explicavimus, conveniunt; & ℣℣. 16, 18, 19, 24, 27, junctos cum Capite XLIII, 1, 2, 8, &c. quibus reditus e Captivitate spectatur. Locum hunc de Cyro explicant Judæorum aliqui, & Interpretum Catholicnrum, inter quns Hugo Cardinalis in ℣. 6. (c) *Philipp.* II, 7.

(d) *Matt.* XII, 18: Ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ὃν ᾑρέτισα. Ὁ ἀγαπητός μου, εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. Θήσω τὸ πνεῦμά μου ἐπ' αὐτὸν, καὶ κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ. Οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κραυγάσει, οὐδὲ ἀκούσει τις ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ. Κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει, καὶ λίνον τυφόμενον οὐ σβέσει, ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν, καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι.

(e) 1, Ἰακὼβ, ὁ παῖς μου, ἀντιλήψομαι αὐτοῦ· Ἰσραὴλ ἐκλεκτός μου, προσεδέξατο αὐτὸν ἡ ψυχή μου. Ἔδωκα τὸ πνεῦμά μου ἐπ' αὐτὸν, κρίσιν τοῖς ἔθνεσι ἐξοίσει.

2, Οὐ κεκράξεται, οὐδὲ ἀνήσει, οὐδὲ ἀκουσθήσεται ἔξω ἡ φωνὴ αὐτοῦ.

3, Κάλαμον συντεθλασμένον οὐ συντρίψει, καὶ λίνον καπνιζόμενον οὐ σβέσει. Ἀλλὰ εἰς ἀλήθειαν ἐξοίσει κρίσιν.

4, Ἀναλάμψει, καὶ οὐ θραυσθήσεται, ἕως ἂν θῇ ἐπὶ τῆς γῆς κρίσιν, καὶ ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι.

(f) *Euseb. Demonstrat. lib.* IX.

℣. 5. Hæc dicit Dominus Deus, creans cœlos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex eâ: dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus eam.

℣. 6. Ego Dominus vocavi te in justitiâ, & apprehendi manum tuam, & servavi te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium:

℣. 7. Ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.

℣. 8. Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.

℣. 9. Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: nova quoque ego annuntio: antequam oriantur, audita vobis faciam.

℣. 10. Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ: qui descenditis in mare, & plenitudo ejus: insulæ, & habitatores earum.

COMMENTARIUS.

tium gentibus proferet. (℣. 2) *Non clamabit, neque dimittet* (scilicet, vel, non parcet, vel, animum non remittet, sive non deseret. Symmachus, non decipietur), *nec audietur foris vox ejus. Calamum fractum non conteret, & linum fumigans non extinguet: sed in veritate proferet judicium. Splendebit & non conteretur, donec ponat super terram judicium. Et in nomine ejus gentes sperabunt*. Cæteri Interpretes legebant, *in lege ejus*, inquit Eusebius in Psalmum LXXVII.

Hebræus etiam (g) aliter nonnihil quàm utraque hæc versio, redditur: *Ecce servus meus, innitar in eo* (Hebræorum Reges (h) amicissimis inniti solebant): *electus meus, delectatio animæ meæ. Dedi spiritum meum* (benevolentiam, amorem, solatium) *super eum. Judicium gentibus proferet*, illas moderabitur; absolutâ in illos authoritate gaudebit (℣. 2). *Non clamabit* immodestis aut contentiosis vocibus: suavi modestoque imperio populos moderabitur; *nullius studio rapietur*; vel, vocem non tollet; seu denique, superbiâ non efferretur, superbiam ore non præferet. Symmachus: *Non decipietur, nec audietur foris vox ejus*. (℣. 3) *Calamum fractum non conteret, & linum evanidum non extinguet*, sive, linum parum lucis præbens. Vox quæ in Hebræo legitur (i), de oculis infirmis, obscurè confusèque cernentibus, de luce dubiâ incertâque, vel prorsus obscurâ, minimè verò de absolutâ integrâque cæcitate usurpatur. *Ad veritatem judicium proferet*: integrâ fide & æquitate jus reddet. (℣. 4) *Non extinguet neque franget*; mite ac suave erga peccantes imperium geret; *donec ponat in terrâ judicium* & æquitatem; vel, *donec dejiciant judicium*, ejusque loco misericordiam constituerit. *Legem ejus insulæ*, gentes remotissimæ, *expectabunt*, ejusque imperio subjicientur. Nullâ hîc opus est explicatione, ut hanc descriptionem Jesu Christo, Patris deliciis, gentibus Desiderato, humani generis vindici, absolutissimæ mansuetudinis, modestiæ, æquitatis exemplari, qui ad peccantes, non ad pios vocandos sese venisse ait, convenire demonstremus.

℣. 5. CREANS COELOS, ET EXTENDENS EOS. Hebræus (k): *Creans Cœlos, & motus eorum* (l); Vel *creans Cœlos, & plantans eos* (m), defigens, statuens. Cœli apud Veteres solidi atque immoti esse putabantur.

℣. 6. VOCAVI TE IN JUSTITIA.... ET DEDI TE IN FOEDUS POPULI, IN LUCEM GENTIUM. Hæc verba propriè uni Jesu Christo conveniunt; unus enim ipse humanum genus cum Patre conciliavit; unus meruit qui in justitiâ vocaretur; unus denique vera gentium lux est. Impropriè referri ad Cyrum potest, qui superiori capite justus appellatur, Judæos captivitate solvit; & ipsis, aliisque gentibus ceu nova lux, inter exilii tenebras fulgens, apparuit.

℣. 7. UT APERIRES OCULOS CÆCORUM. Judæi Babylone captivi frequenter apud Prophetas, ac præsertim Isaiam, ceu mortua gens, cæsa, tenebris & carceris horrore mersa, exhibentur. At hæ locutiones, atque hæc captivitas umbra erant gravioris illius captivitatis, in quam humanum genus devenerat, quæque per Jesum Christum soluta est. Christus ipse in Evangelio monet [n], veram surdorum, cæcorum, mutorumque curationem, sui ipsius adventûs argumentum esse & indicium.

℣. 8. GLORIAM MEAM ALTERI NON DABO. Minimè patiar, Dei nomen & honores ab altero, præter me, usurpari. Deus sum gloriæ meæ studiosissimus (o), qui neminem dignitatis divinique cultûs participem fero. Christus Dei appellationem sibi arrogans (p), furti reus minimè est, quippe verè Deus, ac Patri omnino æqualis. At quælibet creata res, quæ supremam hanc dignitatem sibi vindicet, horrori est Deo, dignumque extremis suppliciis flagitium facit. Ita colligit quæ hactenus disputavit. Si unus ego sum Deus, cur alios agnoscitis? Neminem novi aut superiorem, aut parem.

℣. 9. QUÆ PRIMA FUERUNT, ECCE VENERUNT. Prima mea vaticinia expleta sunt: ne igitur vereamini, quin ultima expleantur. Eadem veritas, quam in iis, quæ veteres Prophetæ meo nomine prædixerunt, animadvertistis, pignus fidei eorum sit, quæ nunc prænuncio: *Nova quoque ego annuntio*.

℣. 10. CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM. Nu-

(g) 1. הן עבדי אתמך בו בחירי רצתה נפשי · נתתי רוחי עליו : משפט לגוים יוציא
2. לא יצעק ולא ישא ולא ישמיע בחוץ קולו
3. קנה רצוץ לא ישבור ופשתה כהה לא יכבנה לאמת יוציא משפט
4. לא יכהה ולא ירוץ עד ישים בארץ משפט : ולתורתו איים ייחלו

(h) 4 *Reg.* VII, 2; & V, 18. (i) כהה *Genes.* XXVII, 1; *Deut.* XXXIV, 7; 1 *Reg.* III, 2, 13; *Job*, XVII, 7; *Zach.* XI, 17. *Aquila & Theodot. Non obscurabit, & non curret, donec ponat in terrâ judicium. Apud Hieron.* (k) בורא השמים ונוטיהם (l) *Vide Psal.* XCVIII, 1.
(m) 70: Ὁ ποιήσας τὸν οὐρανὸν, καὶ πήξας αὐτόν. (n) *Luc.* VII, 22. (o) *Exod.* XX, 5; & XXXIV, 14.
(p) *Philipp.* II, 6: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.*

℣. 11. Sublevetur desertum, & civitates ejus: in domibus habitabit Cedar: laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt.
℣. 12. Ponent Domino gloriam, & laudem ejus in insulis nuntiabunt.
℣. 13. Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir præliator suscitabit zelum: vociferabitur, & clamabit: super inimicos suos confortabitur.
℣. 14. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar; dissipabo, & absorbebo simul.
℣. 15. Desertos faciam montes & colles, & omne gramen eorum exsiccabo: & ponam flumina in insulas, & stagna arefaciam.
℣. 16. Et ducam cæcos in viam, quam nesciunt: & in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta: hæc verba feci eis, & non dereliqui eos.
℣. 17. Conversi sunt retrorsum: confundantur confusione, qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili: Vos dii nostri.
℣. 18. Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum.

COMMENTARIUS.

Numinum, eorumque cultûs falsitate atque inanitate demonstratâ, populum hortatur, ut enchatisticum sibi carmen dicant, ob magnificas libertatis promissiones, quas illis exhibet. Ad hunc modum pleraque vaticinia claudit Isaias, carmine scilicet. Hæ porrò promissiones, atque hæc vaticinia, Judææ amica, validissimum argumentum sunt, quo adversùs Ethnicos usus est.

QUI DESCENDITIS IN MARE, ET PLENITUDO EJUS. Septuaginta (q): *Qui descenditis in mare, & navigatis illud*. Navis plenitudo ii sunt, qui iter in navi faciunt, vectores, nautæ, & nautica turba (r).

℣. 11. IN DOMIBUS HABITABIT CEDAR. Cedareni, seu Saraceni vagum incertumque vitæ genus deinceps non sequentur, neque sub tentoriis agent: certæ illis stabilesque domus, sedes urbesque, quemadmodum cæteris gentibus, erunt. Nomine *Cedar* significare videtur Judæos, in eam regionem translatos. Judæorum in Cedar captivorum querelas in Psalmis (s) legimus. Profectò intelligendum non est, homines genere Cedarenos urbes domosque unquam ædificasse, aut a vetere vivendi instituto discessisse; sed de Judæis explicandum est, qui in eâ regione exules, Nomadum vitam ibi agebant, in Palæstinam & avitas urbes aliquando reversuri; vel de Ethnicis denique convertendis, atque in Ecclesiam colligendis.

Cedarenos, sive Arabiæ desertæ incolas, idem quod olim vitæ institutum, nullis certis sedibus, adhuc servare compertum est (t). Nullæ illis urbes, nulla oppida aut pagi: nunquam fermè domos subeunt, & certè nunquam in domibus noctem agunt; turpique infamiæ notâ inustum putant, qui somnum sub tectis ceperit. Qui id egerit, si regio genere est, omnem regni spem amittit; si in magistratu, statim privatur, nunquam recuperaturus. Fabros cæmentarios & lignarios, ac nautas horrori habent; putantque, hujusmodi hominum genus animâ carere, cùm rerum inutilissimarum causâ vitâ periclitentur. Navim nunquam ascendunt, & quovis tempore vitam in agris degunt secundùm amnes fontesque, modò pascua inveniant. Neque æstûs, neque frigoris incommoda unquam sentiunt; per æstatem enim in Armeniam, Mesopotamiam, seu Chaldæam, per hiemem in Palæstinam, Arabiam, Syriam secedunt. Hæc Cedarenorum vita.

LAUDATA HABITATORES PETRÆ, quæ Arabiæ Petrææ Metropolis est. Hujus regionis incolæ laudes Deo dicent, ubi e montium suorum cacumine prodigia in populi sui commodum a Deo patrata prospexerint. Palæstina, deserta olim inculta que, in pristinam dignitatem revocabitur; atque spectatâ mirabili eâ rerum conversione, Omnipotentis manum in eâ re agnoscere finitimi cogentur.

℣. 13. SICUT VIR PRÆLIATOR SUSCITABIT ZELUM; iram excitabit, ceu miles in prælium proficiscens; seu vindictam atque furorem in adversarios expergefaciet. Chaldæorum superbiam, qui, Dei hæreditate direptâ, populum oppressere, dejicier.

℣. 14. TACUI SEMPER. Sævitiam vestram, injurias, ærumnasque, quibus populum meum oppressistis, silens vidi: fatigata jam est patientia: loquar, animum levabo, meamque iram in vos effundam. Cyrum statui, meam in vos vindictam severissimè prosequuturum.

℣. 15. PONAM FLUMINA IN INSULAS, ET STAGNA AREFACIAM. Id planè in Babylonis obsidione gestum est; Cyrus enim derivato in fossas Euphrate, alveum arefecit (u); agrosque olim ubertimos sub aquis mersit, & suavissimos fontes exhausit (x).

℣. 16. DUCAM CÆCOS IN VIAM. Populum e captivitate, sub qua veluti in tenebris cæcus gemit, revocabo (y), atque in justitiæ viam, meæque legis exercitium reducam. Hæc penitus expleta sunt, ubi Christus Evangelii lucem in orbe diffudit, ac reverà oculorum usum cæcis, & aurium surdis restituit (z).

℣. 18. SURDI AUDITE. Judæos alloquitur, ver-

(q) Καταβαίνοντες εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ πλέοντες αὐτήν. *Heb.* יורדי הים ומלאו (r) *Grot. hic*: Πληρώματα *pro vectoribus etiam apud Thucididem videmus, lib. 7, ut ibi notat Scoliastes. Et apud Suidam*, πληρώματα, *exponuntur* οἱ ἐπιβάται. (s) *Psal.* CXIX, 5: *Habitavi cum habitantibus Cedar*. (t) *Roger. lib.* 2, *c.* 5, 1, *p.* 233. (u) *Herodot. lib.* 1, *c.* 191: Τὸν γὰρ ποταμὸν διώρυχι εἰς τὴν λίμνην ἐοῦσαν ἕλος, τὸ ἀρχαῖον ῥέεθρον διαβατὸν εἶναι ἐποίησε, ὑπονοστήσαντος τοῦ ποταμοῦ.
(x) *Vide supra*, *Isai.* XI, 1, 19, 20, 21; & XXI, 1. (y) *Isai.* XXIX, 18; XXXV, 5; XLIII, 8.
(z) *Luc.* VII, 22.

℣. 5. Hæc dicit Dominus Deus, creans cœlos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex eâ: dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus eam.

℣. 6. Ego Dominus vocavi te in justitiâ, & apprehendi manum tuam, & servavi te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium:

℣. 7. Ut aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris.

℣. 8. Ego Dominus, hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.

℣. 9. Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: nova quoque ego annuntio: antequam oriantur, audita vobis faciam.

℣. 10. Cantate Domino canticum novum, laus ejus ab extremis terræ: qui descenditis in mare, & plenitudo ejus: insulæ, & habitatores earum.

COMMENTARIUS.

cium gentibus proferet. (℣. 2) *Non clamabit, neque dimittet* (scilicet, vel, non parcet, vel, animum non remittet, sive non deseret. Symmachus, non decipietur), *nec audietur foris vox ejus. Calamum fractum non conteret, & linum fumigans non extinguet: sed in veritate proferet judicium. Splendebit & non conteretur, donec ponat super terram judicium. Et in nomine ejus gentes sperabunt*. Cæteri Interpretes legebant, *in lege ejus*, inquit Eusebius in Psalmum LXXVII.

Hebræus etiam (g) aliter nonnihil quàm utraque hæc versio, redditur: *Ecce servus meus, innitar in eo* (Hebræorum Reges (h) amicissimis inniti solebant): *electus meus, delectatio animæ meæ. Dedi spiritum meum* (benevolentiam, amorem, solatium) *super eum. Judicium gentibus proferet*, illas moderabitur; absolutâ in illos authoritate gaudebit (℣. 2). *Non clamabit* immodestis aut contentiosis vocibus: suavi modestoque imperio populos moderabitur; *nullius studio capietur*; vel, vocem non tollet; seu denique, superbiâ non efferretur, superbiam ore non præferet. Symmachus: *Non decipietur, nec audietur foris vox ejus*. (℣. 3) *Calamum fractum non conteret, & linum evanidum non extinguet*, sive, linum parum lucis præbens. Vox quæ in Hebræo legitur (i), de oculis infirmis, obscurè confusèque cernentibus, de luce dubiâ incertâque, vel prorsus obscurâ, minimè verò de absolutâ integrâque cæcitate usurpatur. *Ad veritatem judicium proferet*: integrâ fide & æquitate jus reddet. (℣. 4) *Non extinguet neque franget*; mite ac suave erga peccantes imperium geret; *donec ponat in terrâ judicium* & æquitatem; vel, *donec dejiciat judicium*, ejusque loco misericordiam constituerit. *Legem ejus insulæ*, gentes remotissimæ, *expectabunt*, ejusque imperio subjicientur. Nullâ hîc opus est explicatione, ut hanc descriptionem Jesu Christo, Patris deliciis, gentibus Desiderato, humani generis vindici, absolutissimæ mansuetudinis, modestiæ, æquitatis exemplari, qui ad peccantes, non ad pios vocandos sese venisse ait, convenire demonstremus.

℣. 5. CREANS COELOS, ET EXTENDENS EOS. Hebræus (k): *Creans Cœlos, & motas eorum* (l); Vel *creans Cœlos, & plantans eos* (m), defigens, statuens. Cœli apud Veteres solidi atque immoti esse putabantur.

℣. 6. VOCAVI TE IN JUSTITIA.... ET DEDI TE IN FOEDUS POPULI, IN LUCEM GENTIUM. Hæc verba propriè uni Jesu Christo conveniunt; unus enim ipse humanum genus cum Patre conciliavit; unus meruit qui in justitiâ vocaretur; unus denique vera gentium lux est. Impropriè referri ad Cyrum potest, qui superiori capite justus appellatur, Judæos captivitate solvit; & ipsis, aliisque gentibus ceu nova lux, inter exilii tenebras fulgens, apparuit.

℣. 7. UT APERIRES OCULOS CÆCORUM. Judæi Babylone captivi frequenter apud Prophetas, ac præsertim Isaiam, ceu mortua gens, cæca, tenebris & carceris horrore mersa, exhibentur. At hæ loeotiones, atque hæc captivitas umbra erant gravioris illius captivitatis, in quam humanum genus devenerat, quæque per Jesum Christum soluta est. Christus ipse in Evangelio monet [n], veram surdorum, cæcorum, mutorumque curationem, sui ipsius adventûs argumentum esse & indicium.

℣. 8. GLORIAM MEAM ALTERI NON DABO. Minimè patiar, Dei nomen & honores ab altero, præter me, usurpari. Deus sum gloriæ meæ studiosissimus (o), qui neminem dignitatis divinique cultûs participem fero. Christus Dei appellationem sibi arrogans (p), furti reus minimè est, quippe verè Deus, ac Patri omnino æqualis. At quælibet creata res, quæ supremam hanc dignitatem sibi vindicet, horrori est Deo, dignumque extremis suppliciis flagitium facit. Ita colligit quæ hactenus disputavit. Si unus ego sum Deus, cur alios agnoscitis? Neminem novi aut superiorem, aut parem.

℣. 9. QUÆ PRIMA FUERUNT, ECCE VENERUNT. Prima mea vaticinia expleta sunt: ne igitur vereamini, quin ultima expleantur. Eadem veritas, quam in iis, quæ veteres Prophetæ meo nomine prædixerunt, animadvertistis, pignus fidei eorum sit, quæ nunc prænuncio: *Nova quoque ego annuntio*.

℣. 10. CANTATE DOMINO CANTICUM NOVUM. Nu-

(g) 1. הן עבדי אתמך בו בחירי רצתה נפשי · נתתי רוחי עליו : משפט לגוים יוציא
2. לא יצעק ולא ישא ולא ישמיע בחוץ קולו
3. קנה רצוץ לא ישבור ופשתה כהה לא יכבנה לאמת יוציא משפט
4. לא יכהה ולא ירוץ עד ישים בארץ משפט : ולתורתו איים ייחלו

(h) 4 *Reg.* VII, 2; & V, 18. (i) כהה *Genes.* XXVII, 1; *Deut.* XXXIV, 7; 1 *Reg.* III, 2, 13; *Job*, XVII, 7; *Zach.* XI, 17. *Aquila & Theodot. Non obscurabit, & non carebit, donec ponat in terrâ judicium. Apud Hieron.* (k) בורא השמים ונוטיהם (l) *Vide Psal.* XCVIII, 1.
(m) 70: Ὁ ποιήσας τὸν οὐρανὸν, καὶ πήξας αὐτόν. (n) *Luc.* VII, 22. (o) *Exod.* XX, 5; & XXXIV, 14.
(p) *Philipp.* II, 6: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.*

℣. 11. Sublevetur desertum, & civitates ejus: in domibus habitabit Cedar: laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt.

℣. 12. Ponent Domino gloriam, & laudem ejus in insulis nuntiabunt.

℣. 13. Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir prælíator suscitabit zelum: vociferabitur, & clamabit: super inimicos suos confortabitur.

℣. 14. Tacui semper, silui, patiens fui, sicut parturiens loquar; dissipabo, & absorbebo simul.

℣. 15. Desertos faciam montes & colles, & omne gramen eorum exsiccabo: & ponam flumina in insulas, & stagna arefaciam.

℣. 16. Et ducam cæcos in viam, quam nesciunt: & in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam: ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta: hæc verba feci eis, & non dereliqui eos.

℣. 17. Conversi sunt retrorsum: confundantur confusione, qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili: Vos dii nostri.

℣. 18. Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum.

COMMENTARIUS.

Numinum, eorumque cultûs falsitate atque inanitate demonstratâ, populum hortatur, ut eucharisticum sibi carmen dicant, ob magnificas libertatis promissiones, quas illis exhibet. Ad hunc modum pleraque vaticinia claudit Isaias, carmine scilicet. Hæ porrò promissiones, atque hæc vaticinia, Judææ amica, validissimum argumentum sunt, quo adversùs Ethnicos usus est.

QUI DESCENDITIS IN MARE, ET PLENITUDO EJUS. Septuaginta (q): *Qui descenditis in mare, & navigatis illud*. Navis plenitudo ii sunt, qui iter in navi faciunt, vectores, nautæ, & nautica turba (r).

℣. 11. IN DOMIBUS HABITABIT CEDAR. Cedareni, seu Saraceni vagum incertumque vitæ genus deinceps non sequentur, neque sub tentoriis agent: certæ illis stabilesque domus, sedes urbesque, quemadmodum cæteris gentibus, erunt. Nomine *Cedar* significare videtur Judæos, in eam regionem translatos. Judæorum in Cedar captivorum querelas in Psalmis (s) legimus. Profectò intelligendum non est, homines genere Cedarenos urbes domosque unquam ædificasse, aut a vetere vivendi instituto discessisse; sed de Judæis explicandum est, qui in eâ regione exules, Nomadum vitam ibi agebant, in Palæstinam & avitas urbes aliquando reversuri; vel de Ethnicis denique convertendis, atque in Ecclesiam colligendis.

Cedarenos, sive Arabiæ desertæ incolas, idem quod olim vitæ institutum, nullis certis sedibus, adhuc servare compertum est (t). Nullæ illis urbes, nulla oppida aut pagi: nunquam fermè domos subeunt, & certè nunquam in domibus noctem agunt; turpique infamiæ notâ inustum putant, qui somnum sub tectis ceperit. Qui id egerit, si regio genere est, omnem regni spem amittit; si in magistratu, statim privatur, nunquam recuperaturus. Fabros cæmentarios & lignarios, ac nautas horrori habent; putantque, hujusmodi hominum genus animâ carere, cùm rerum inutilissimarum causâ vitâ periclitentur. Navim nunquam ascendunt, & quovis tempore vitam in agris degunt secundùm amnes fontesque, modò pascua inveniant. Neque æstûs, neque frigoris incommoda unquam sentiunt; per æstatem enim in Armeniam, Mesopotamiam, seu Chaldæam, per hiemem in Palæstinam, Arabiam, Syriam secedunt. Hæc Cedarenorum vita.

LAUDATE HABITATORES PETRÆ, quæ Arabiæ Petrææ Metropolis est. Hujus regionis incolæ laudes Deo dicent, ubi e montium suorum cacumine prodigia in populi sui commodum a Deo patrata prospexerint. Palæstina, deserta olim incultaque, in pristinam dignitatem revocabitur; atque spectatâ mirabili eâ rerum conversione, Omnipotentis manum in eâ re agnoscere finitimi cogentur.

℣. 13. SICUT VIR PRÆLIATOR SUSCITABIT ZELUM; iram excitabit, ceu miles in prælium proficiscens; seu vindictam atque furorem in adversarios expergefaciet. Chaldæorum superbiam, qui, Dei hæreditate direptâ, populum oppressere, dejiciet.

℣. 14. TACUI SEMPER. Sævitiam vestram, injurias, ærumnasque, quibus populum meum oppressistis, silens vidi: fatigata jam est patientia: loquar, animum levabo, meamque iram in vos effundam. Cyrum statui, meam in vos vindictam severissimè prosequuturum.

℣. 15. PONAM FLUMINA IN INSULAS, ET STAGNA ARESACIAM. Id planè in Babylonis obsidione gestum est; Cyrus enim derivato in fossas Euphrate, alveum arefecit (u); agrosque olim uberrimos sub aquis mersit, & suavissimos fontes exhausit (x).

℣. 16. DUCAM CÆCOS IN VIAM. Populum e captivitate, sub qua veluti in tenebris cæcus gemit, revocabo (y), atque in justitiæ viam, meæque legis exercitium reducam. Hæc penitus expleta sunt, ubi Christus Evangelii lucem in orbe diffudit, ac reverà oculorum usum cæcis, & aurium surdis restituit (z).

℣. 18. SURDI AUDITE. Judæos alloquitur, ver-

(q) Καταβαίνοντες εἰς τὴν θάλασσαν, καὶ πλέοντες αὐτήν. *Heb.* יורדי הים ומלאו (r) *Grot. hic*: Πληρώματα *pro vectoribus etiam apud Thucididem videmus, lib. 7, ut ibi notat Scoliastes. Et apud Suidam*, πληρώματα, *exponuntur* οἱ ἐπιβάται. (s) *Psal.* CXIX, 5: *Habitavi cum habitantibus Cedar.* (t) *Roger. lib.* 1, *c.* 5, 1, *p.* 233. (u) *Herodot. lib.* 1, *c.* 191: Τὸν γὰρ ποταμὸν διώρυχι ἐς τὴν λίμνην ἐοῦσαν ἕλος, τὸ ἀρχαῖον ῥέεθρον διαβατὸν εἶναι ἐποίησε, ὑπονοστήσαντος τοῦ ποταμοῦ.
(x) *Vide supra, Isai.* XI, 1, 19, 20, 21; *&* XXI, 1. (y) *Isai.* XXIX, 18; XXXV, 5; XLIII, 8.
(z) *Luc.* VII, 21.

ỳ. 19. Quis cæcus, nisi servus meus? & surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? quis cæcus, nisi qui venumdatus est? & quis cæcus, nisi servus Domini?

ỳ. 20. Qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies?

ỳ. 21. Et Dominus voluit, ut sanctificaret eum, & magnificaret legem, & extolleret.

ỳ. 22. Ipse autem populus direptus, & vastatus: laqueus juvenum omnes, & in domibus carcerum absconditi sunt: facti sunt in rapinam, nec est qui eruat: in direptionem, nec est qui dicat: Redde.

ỳ. 23. Quis est in vobis, qui audiat hoc, attendat, & auscultet futura?

ỳ. 24. Quis dedit in direptionem Jacob, & Israël vastantibus? nonne Dominus ipse, cui peccavimus? Et noluerunt in viis ejus ambulare, & non audierunt legem ejus.

ỳ. 25. Et effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum, & combussit eum in circuitu, & non cognovit: & succendit eum, & non intellexit.

COMMENTARIUS.

verbis suis pervicaces, monitorumque Propheticorum contemptores. Ita accipi jubent ea quæ sequuntur. (ỳ. 19) *Quis cæcus nisi servus meus? Et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi?* Voluntaria hæc cæcitas calamitates, versiculo 22 & sequentibus descriptas, in Judæos provocavit.

ỳ. 19. QUIS CÆCUS NISI QUI VENUMDATUS EST, totum sese peccato dedit? Hebræus (a): *Quis cæcus sicut perfectus*; sive, ut populus meus, quem perfectum esse decebat? Aliter: *Quis cæcus, sicut is, qui beneficiis cumulatus est?* Alii vertunt: *Quis cæcus sicut fœderatus* Dei populus? Mahumetistæ se appellant *Mussulmannos*, nempe Fideles, quæ vox ex eâdem radice oritur ac hujus loci *Mesullam*. Septuaginta (b): *Quis cæcus sicut qui recessit?* Vel, ex optimis Editionibus: *Excæcati sunt servi Dei*. Symmachus: *Quis cæcus, ut perfectus? Et surdus ut servus meus?*

ỳ. 22. LAQUEUS JUVENUM OMNES, ET IN DOMIBUS CARCERUM ABSCONDITI SUNT. Hebræus (c): *Populus vinctus est in foraminibus, & in carceribus conditus*. Aliter: Adolescentes ipsorum catenis onerati, & clausi carcere sunt. Septuaginta (d): *Laqueus enim in cubilibus ubique, & in domibus simul, in quibus absconderunt*. Judæorum conditionem describit per ea bella, quibus agitati sunt, eamque, in qua per captivitatem gemnere; insidiis undique petiti, catenis onusti, innumerisque incommodis obnoxii.

CAPUT XLIII.

Fidelem populum solatur. Infinitæ Dei virtutis argumenta. Populum Deus captivitate liberat. Dei beneficia prorsus gratuita.

ỳ. 1. ET nunc hæc dicit Dominus creans te, Jacob, & formans te, Israël: Noli timere, quia redêmi te, & vocavi te nomine tuo: meus es tu.

COMMENTARIUS.

ỳ. 2. NOLI TIMERE, QUIA REDEMI TE. Pergit oratio, capite XL, 12, instituta, qua Deus ex rebus erga populum gestis sui ipsius Divinitatem demonstrat. Superiori Capite sub finem dixerat, Israëlem in hostium potestatem traditum fuisse, raptumque in exilium, ut ipsorum pervicacia & cæcitas puniretur. Hîc Israëlem jubet nullo metu angi, cùm Deus ipsum ærumnis eripere decreverit, viresque infinitas omnibus latè hominibus exhibere, patratis in suæ gentis liberatione prodigiis (a); adeò ut gens tota vivum Divinitatis suæ argumentum futura sit. Vide ỳ. 10: *Vos testes mei, &c.*

VOCAVI TE NOMINE TUO: MEUS ES TU. Te êmi, ceu servum herus: nomen indidi, uti meo. Servis nomina herus dat, liberis pater. Hanc locutionem frequenter usurpant Prophetæ, præsertim Isaias (b).

ỳ. 2. CUM

(a) מי עור כמשלם (b) 70 *Edit. Rom.* Καὶ ἐτυφλώθησαν οἱ δοῦλοι τοῦ Θεοῦ. *Sed alii Codd. & Procop. addunt*: Τίς τυφλὸς, ὡς ὁ ἀπεσχημένος; *Hieron. Quis cæcus nisi qui recepit? fortè, recessit.*

(c) הפח בחורים כלם ובבתי כלאים החבאו

(d) Ἡ γὰρ παγὶς ἐν τοῖς ταμιείοις πανταχοῦ, καὶ ἐν οἴκοις ἅμα, ὅπου ἔκρυψαν αὐτούς.

(a) *Vide Thom. Hugon. Pagn. Oser. Sanct.*

(b) *Isai.* XL, 26; XLV, 3, 4; XLIX, 5; LXI, 15.

℣. 2. Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cùm ambulaveris in igne, non comburêris, & flamma non ardebit in te:

℣. 3. Quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israël salvator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, & Saba pro te.

℣. 4. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & gloriosus: ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro animâ tuâ.

℣. 5. Noli timere, quia ego tecum sum: ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te.

℣. 6. Dicam Aquiloni, Da: & Austro: Noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.

℣. 7. Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, formavi eum, & feci eum.

℣. 8. Educ foras populum cæcum, & oculos habentem: surdum, & aures ei sunt.

COMMENTARIUS.

℣. 2. CUM TRANSIERIS PER AQUAS, TECUM ERO. In mediis licèt aquis flammisve sis, te inde reducam; modò spem omnem in me colloces, teque meum esse memineris.

℣. 3. DEDI PROPITIATIONEM TUAM ÆGYPTUM, ÆTHIOPIAM ET SABA PRO TE; uti herus tres servos ob unius libertatem exhibet. Ægyptum, Æthiopiam & regionem Saba reliqui; æquè in potestate hostium sunt: cæteris neglectis, te unum redêmi. Dici propriè nequit Deus Ægyptios & Æthiopes Assyriis & Chaldæis dedisse, ut servaret Hebræos; hos enim iisdem saltem malis atque cæteras gentes obvoluros fuisse, compertum est: at non eâdem sollicitudine cæteros prosecutus est Deus, qua Hebræos, quamvis eæ gentes & numero & viribus longè hos superarent.

Alii (c) interpretantur: Assyriorum vires, Jerosolymam jam jam aggressuras, aliò converti, objectis Ægypti & Tharacæ Æthiopum seu Chuschim Regis exercitibus. Ita Judæos e præsenti atque imminenti discrimine subduxi. Forerius: In gratiam tui vicinos tuos Ægyptios & Æthiopes mitis modis divexavi, ut eorum exemplo timere inciperes, ac resipisceres. Paria fermè legas *Isai*. XLV, 14; *Jerem*. X, 24, 25; XXX, 11; *Prov*. XI, 8; XXI, 18; *Psal*. LXXVIII, 5.

Pro Æthiopiâ Hebræus legit *Chus*, quæ regio est in extremo ad meridiem angulo, & in orâ orientali Maris Rubri, olim ad Nilum usque porrecta. Saba fortasse sunt Sabæi, Arabiæ felicis incolæ, vel ex Grotio, incolæ Meroës. Septuaginta cæterique ex Græcis Interpretes ferunt *Syenen* pro *Saba*. Porrò Syene supra Thebas est, Ægypti superioris Metropolis, & in finibus Æthiopum (d). Aliqua legimus in eâdem hac oratione inferiùs, XLV, 14, ex quibus lux aliqua huic loco accedit: *Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ*, regionis Chus, *& Sabaim*, Sabæi, *viri sublimes*, proceri, *ad te transibunt, &c.* Hi coram te, o Cyre, procumbent, tecumque Deum esse fatebuntur. Tibi servient illi, eosque tu retinebis, ut incommodum, Imperio tuo ex Judæorum reditu accessurum, reparent. Cyro paruerunt Ægyptii, Chuschim, Sabæi; deinde in patriam missi, uti prædixerat Ezechiel, XXIX, 11, quadragesimo post exilium anno, aliquo post Judæorum libertatem tempore, quamvis Persarum imperio minimè liberi.

℣. 4. EX QUO HONORABILIS FACTUS ES IN OCULIS MEIS, EGO DILEXI TE. Postquam liberâ gloriosâque electione te in gentem meam accepi, amoris virtutisque meæ argumenta tibi exhibere nunquam cessavi.

DABO HOMINES PRO TE. Assyrios Chaldæis ac Medis, Babylonios Chaldæis dabo, utrosque autem Cyro. Hic injurias tuas vindicabit, teque in libertatem restituet (e).

℣. 5. AB ORIENTE ADDUCAM SEMEN TUUM. Judæos e Babyloniâ & Assyriâ, quæ ad orientem & meridiem jacent, reducam: ex Ægypto, quæ ad meridiem est, & ab Insulis ac transmarinis regionibus, ad occidentem sitis, revocabo. Id sub Cyro impletum est, deinde sub Dario Hystaspis filio, Alexandro Magno, ejusque successoribus. Nedum Tribus Juda & Benjamin, verùm etiam decem reliquæ Israëlis, in Judæam rediere; quamobrem Jesu Christi ætate, ac diu etiam antea Judæa ita frequens cultaque erat, uti olim fuerat.

℣. 7. ET OMNEM QUI INVOCAT NOMEN MEUM, IN GLORIAM MEAM CREAVI EUM. Hebræus (f): *Omnes qui vocantur nomine meo, in gloriam meam creavi eos*. Populum meum, quem omnes sub appellatione populi Dei novere, captivitate liberavi: creavi, elegi, finxi, gloriæ meæ causâ, ut illum omnibus latè hominibus justitiæ, bonitatis ac virtutis meæ exemplum exhiberem; sive misericordiâ erga illum utar, sive ex justitiæ legibus severissimè illum puniam.

℣. 8. EDUC FORAS POPULUM CÆCUM ET OCULOS HABENTEM. Pessimos Israëlitas, qui oculos non habent ut videant, neque aures ut audiant, quique ea, quæ per Prophetas illis nunciavi, percipere renuunt, & cæci spontè fiunt, abs te arceto. Expellito jam, novaque in te mala ab iis provocari ne patiare. Aliter (g): *Adducito populum cæcum, & mei beneficio oculorum usum accipiet; & surdum, & auditum restituam*. Adsit gens omnis, supremamque mihi potestatem esse testentur. Vel: Producito cæcos, quibus visum reddidi, & surdos quibus auditum; Israëlitas, quos e captivitate reduxi, malisque gravissimis liberavi; iique virium mearum prodigia celebrent. Vel denique: Ethnici convocentur: accedant hi qui sponte cæci & surdi fiunt, quibus oculi & aures

(c) *Sanct. Grot. Jun. Menoch. Tir. Vatab.* (d) *Strab. lib.* 17, *p.* 572; *Plin. lib.* V, *c.* 9.
(e) *Vide Theodoret. & Grot. hic.* (f) כל הנקרא בשמי ולכבודי בראתיו
(g) הוציא עם עור ועינים יש : וחרשים ואזנים למו

℣. 9. Omnes gentes congregatæ sunt simul, & collectæ sunt tribus:
quis in vobis annuntiet istud, & quæ prima sunt, audire nos faciet? dent testes eorum, & justificentur, & audiant, & dicant: Verè.
℣. 10. Vos testes mei, dicit Dominus, & servus meus, quem elegi:
ut sciatis, & credatis mihi, & intelligatis, quia ego ipse sum. Ante me non est formatus Deus, & post me non erit.
℣. 11. Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me salvator.
℣. 12. Ego annuntiavi, & salvavi: auditum feci, & non fuit in vobis alienus: vos testes mei, dicit Dominus, & ego Deus.
℣. 13. Et ab initio ego ipse, & non est qui de manu meâ eruat: operabor, & quis avertet illud?
℣. 14. Hæc dicit Dominus redemptor vester, sanctus Israël: Propter vos misi in Babylonem, & detraxi vectes universos, & Chaldæos in navibus suis gloriantes.
℣. 15. Ego Dominus sanctus vester, creans Israël, rex vester.
℣. 16. Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus semitam.
℣. 17. Qui eduxit quadrigam & equum, agmen & robustum: simul obdormierunt, nec resurgent: contriti sunt quasi linum, & extincti sunt
℣. 18. Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini.
℣. 19. Ecce ego facio nova, & nunc orientur: utique cognoscetis ea: ponam in deserto viam, & in invio flumina.

COMMENTARIUS.

aures frustra sunt, cùm iis non utantur; meisque accusationibus respondeant. Postrema hæc interpretatio cum versiculo sequenti optimè nectitur.

℣. 9. OMNES GENTES CONGREGATÆ SUNT... QUIS IN VOBIS ANNUNTIET ISTUD?... DENT TESTES EORUM, ET JUSTIFICENTUR, suaque vaticinia vera esse re demonstrent. Ethnicos provocat Deus, superiore versiculo nomine cæcorum surdorumque significatos, ut par aliquod prædictis vaticinium de futuris populi sui rebus proferant. Adsint jam, futura nuncient; tum audientur, & respondebitur: Vera loquimini. Judicii ac litis inter se atque Ethnicos formam ubique servat.

℣. 10. VOS TESTES MEI. Hebræos alloquitur. Nullum, præter vos, Divinitatis virtutisque meæ argumentum volo. Ex iis ipsis, quæ vestri causâ egi, memet erentis rebus infinito intervallo superiorem invictè probo. Ita S. Augustinus (h) ex Ecclesiæ Christi institutione, Christianæ Religionis veritatem ostendit. Nimirum hoc præstantissimum omnium prodigium est.

℣. 12. AUDITUM FECI; ET NON FUIT IN VOBIS ALIENUS Deus. Futura non ex alienis Numinibus didicistis. Cùm ego loquerer, nullum præter me Deum agnoscebatis; aut certè ii, qui vos meo nomine alloquebantur, alienos Deos minimè consuluere. Aliter: Unus vos allocutus sum, nullusque inter vos alieno ex genere fuit. Prior tamen explicatio cæterarum optima.

℣. 14. PROPTER VOS MISI Cyrum IN BABYLONEM, ET DETRAXI VECTES UNIVERSOS, ET CHALDÆOS IN NAVIBUS SUIS GLORIANTES. Ut libertatem vobis vindicem, & sævitiam, qua Chaldæi vos exagitavere, ulciscar, Cyrum in illos mittam, a quo capientur urbes, portæ, vectes ac seræ evellentur, everteturque Imperium Chaldæorum, qui navibus, amne, negotiatione gloriabantur; Tigris enim & Euphrates prope Babylonem juncto amne fluentes, vicinusque urbi Sinus Persicus celebre in eâ emporium effecerant.

Reddi potest Hebræus (i): *Vestrî gratiâ misi in Babylonem, eamque everti. Fugient omnes, & Chaldæorum clamor in navibus eorum* auditur. Septuaginta (k): *Propter vos mittam in Babylonem, & omnes in fugam vertam, & Chaldæi in navibus vincientur.* Persas & Medos in Babylonem mittam, explicat S. Hieronymus, atque inde incolas ejiciam. Chaldæi, qui vos duxere captivos, ipsi vincientur, transque Mare Caspium in alienas regiones deferentur.

℣. 16. QUI DEDIT IN MARI VIAM, ET IN AQUIS TORRENTIBUS SEMITAM, cùm Israëlitæ Erythræum sub Moyse, & Jordanem sub Josue transirent.

℣. 17. QUI EDUXIT QUADRIGAM ET EQUUM. Passus est, Pharaonem temerè Erythræum cum exercitu subire, ut Hebræos prosequeretur; eumque cum suis mersit.

℣. 19. ECCE EGO FACIO NOVA.... PONAM IN DESERTO VIAM. Judæorum Babylone captivorum gratiâ iterum prodigia patrabo, quæ causâ illorum gessi, quos ab Ægyptiacâ servitute revocavi; stratum illis ac lene iter in solitudine parabo, ac tellurem dehiscere jubebo, ut aquas illis sufficeret. Vide quæ supra diximus (l).

℣. 20. GLO-

(h) *Aug. de civit. lib.* 22, *c.* 6, 7, 8.

(i) למענכם שלחתי בבלה והורדתי בריחים כלם וכשדים באניות רנתם

(k) Ἕνεκεν ὑμῶν ἀποστελῶ εἰς Βαβυλῶνα, καὶ ἐπεγερῶ φεύγοντας πάντας, καὶ Χαλδαῖοι ἐν πλοίοις δεθήσονται. Theodotio vertit בריחים *Fortes*. 70: *Fugientes*. S. Hieronymus, *Vectes*.

(l) *Isai.* XI, 16; *&* XXXV, 7, 8; *&* XL, 3, 4; XLV, 13; XLIX, 9, 10, 11.

℣. 20. Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones: quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo meo, electo meo.

℣. 21. Populum istum formavi mihi, laudem meam narrabit.

℣. 22. Non me invocasti, Jacob, nec laborasti in me, Israël.

℣. 23. Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me: non te servire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure.

℣. 24. Non emisti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriasti me. Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.

℣. 25. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.

℣. 26. Reduc me in memoriam, & judicemur simul: narra si quid habes, ut justificeris.

℣. 27. Pater tuus primus peccavit, & interpretes tui prævaricati sunt in me.

COMMENTARIUS.

℣. 20. Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones. Hebræus (m): *Glorificabit me bestia agri*, feræ, *cete*, *& filia jaanah*, *quia dedi in deserto aquas*. *Filia jaanah* fortasse cygni sunt, uti probare conati sumus supra, XIII, 21. Septuaginta (n): *Benedicent mihi bestia agri*, *sirenes*, *& filia struthionum*. Nunquam omnino Arabiam desertam, ut Hebræorum sitim Babylone redeuntium levaret, aquis fluxisse compertum est, aut subsedisse montes, vallesve obstructas fuisse: satis tamen harum promissionum veritas servatur, ubi tam faciles viæ fuerint populo, quem Deus tuebatur, quàm si tota earumdem vis propriè completa esset.

Messia inter homines nato, absoluta earumpromissionum veritas penitus exoleta est, stratâ a Jesu Christo omnibus populis viâ, qua ad veram sui patriam reverterentur; additâque reditionis facilitate tum ipsius exemplo, tum gratiarum & luminum copiâ, qua is mentes animosque emmulavit. Ipse fontem aquæ vivæ sese in deserto præbuit, quò feræ sitim levaturæ accesserunt. Ferocissimæ gentes feritatem exuêre, vix salutaribus Baptismi aquis mersæ.

℣. 22. Non invocasti me, Jacob... (℣. 23) Non obtulisti mihi arietem holocausti. Neque rerum a te bene gestarum, neque munerum tuorum causâ tam multa in tui commodum prodigia patravi, sed sponte, mei unius meæque gloriæ gratiâ. Neque tuæ me preces moverunt, neque tua sacrificia me impulerunt, ut misericordiâ tecum uterer. Cùm in alienâ regione exulares, sacra mihi facere non poteras; nulla etiam ex te postulavi, nullum thus nullamque oblationem. *Non servire te feci in oblatione*, *nec laborem tibi præbui in thure*. Confer hunc versiculum & sequentes cum capite XLIX, 1, 2, &c. & cum ℣℣. 16, 17, &c. ubi pariter testatur Deus, Judæos a se liberatos esse unius misericordiæ suæ causâ, utque nominis sui gloriam augeret, non ut illorum merito obsequeretur. Vide & XLVIII, 9. Id enim maximè studet Deus, ut quid sibi debeant, illi cognoscant.

℣. 24. Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis. Hunc locum opponito alteri, ℣. 23: *Non te servire feci in oblatione*, *nec laborem tibi præbui in thure*. At tu flagitiis tuis me coëgisti quodammodo tibi ceu servum obsequi: arroganter me habuisti, tuisque sceleribus gravissimam mihi molestiam exhibuisti. Nullum a te servitutis genus expetivi: at tu me tibi servire, tuaque flagitia pati voluisti. At iterum scias volo, me tibi nihil debere, ac mei unius gratiâ parcere. (℣. 25) *Ego sum ipse*, *qui deleo iniquitates tuas propter me*.

℣. 26. Et judicemur simul, causam utrimque agamus. Frequenter apud Scripturam (o) Deus, infinitæ animi sui lenitati indulgens, ut hominem iniquitatum scelerumque suorum arguat, in jus quodammodo venire adversùs illum, rerumque a se gestarum rationem consiliumque coram homine explicare non rennit; causam dicere, ac se purgare paratus, si fieri unquam potuisset, ut iniquum aliquid erga populum gereret.

℣. 27. Pater tuus primus peccavit, scilicet, vel primus pater tuus, vel pater tuus, antequam cæteri, peccavit. Nonnulli (p) de Adamo explicant, qui primus peccati reus, illud ipsum in homines induxit, ubi contumax in Dei legem fuit. At Judæorum ne magis pater Adam fuit, quàm cæterorum? Alii (q) de Abrahamo, gentis Judaicæ authore, intelligunt. Quid verò is peccaverit, quæritur. In eo peccasse putat S. Hieronymus, cùm pollicenti Deo futurum, ut & ipsi & ipsius posteris Chanaanitidis imperium traderetur (r), non satis credere visus est, quippe qui veluti fluctuans hærensque responderit: *Domine Deus*, *unde scire possum*, *quòd possessurus sim eam?* Aliis tunc peccasse videtur, cùm Saram sibi uxorem esse negavit (s).

Probabilius tamen multo est, hoc loco illud tempus spectari, quod Abrahami vocationi præcessit. Eo enim tempore Numinum superstitionem, non secus ac Thare Abrahami pater, sequebatur (t). *Trans fluvium* (Euphratem) *habitaverunt patres vestri ab initio*, *Thare pater Abraham*, *& Na-*

(m) תכבדני חית השדה תנים ובנות יענה (n) Εὐλογήσου με τὰ θηρία τοῦ ἀγροῦ, σειρῆνες, καὶ θυγατέρες στρουθῶν. (o) *Isai.* XLI, 21; *Osee*, IV, 1; *Mich.* VI, 2; *Isai.* V, 3; *Ezech.* XX, 35. (p) *Lyr. Pisc. Belgic. Calov.* (q) *Hieron. Forer. Sanct. Cornel. alii plures.* (r) *Genes.* XV, 8. (s) *Genes.* XII, 21; & XX, 2. (t) *Josue*, XXIV, 2.

℣. 28. Et contaminavi principes sanctos, dedi ad interneccionem Jacob, & Israël in blasphemiam.

COMMENTARIUS.

ebor, ajebat ad Israëlitas Josue; *servieruntque Diis alienis*. Hanc sententiam non omnibus æquè probari scio, & plurimos (u) ægerrimè eò trahi, ut Abrahamum ullo unquam tempore implicitum fuisse superstitione fateantur. Nullus certè Scripturæ locus apertè id vitio dat Abrahamo. Quin potiùs ex secundo Esdræ libro, IX, 6, apud Vulgatam, Abraham ante vocationem dici videtur constantissimus Divinæ Unitatis assertor, & idcirco igne damnatus, quòd obsequium Diis exhibere detrectaverit: *Domine Deus, qui elegisti Abraham, & eduxisti eum de igne Chaldæorum, & invenisti cor ejus fidele coram te*. Quamobrem hic locus de Nachore, vel Thare, non de Abrahamo, intelligendus esse nonnullis videtur. Quidam hæc verba ad Jeroboamum referunt, primum Idololatriæ authorem apud Israëlitas; alii ad Achaz, inter cæteros Reges Juda impiissimum; alii denique ad Manassem, Ezechiæ filium & successorem.

Hæc tamen argumenta, & horum Scriptorum authoritas minimè nos movent, ut a sententiâ, quæ hîc Abrahamum videt, recedamus. Abraham enim procul dubio Hebræorum pater, author & radix est. *Attendite ad Abraham patrem vestrum*, inquit Isaias, LI, 2, *& ad Saram, quæ peperit vos*. *Pater noster Abraham est*, ajebant Judæi (x). *Si filii Abrahæ estis*, respondit Jesus, *opera Abrahæ facite*. Tum (y): *Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, & gavisus est*. Illum paternâ superstitione implicitum fuisse, satis ex ipsâ illius vocatione colligi videtur. Si tota Thare familia Deo fidem professa est, Deumque puro religiosoque obsequio coluit, quorsum sejungendus erat Abraham, solusque in alienam regionem vocandus? Huic opinioni suffragari S. Augustinus (z), aliique ex Patribus (a), & Rabbini quidam (b) videntur. Hanc apertè secuti sunt Serarius, Masius, Montanus in Josue, Genebrardus in Chronologiâ, Mendoza (c), Leonardus Coquæus (d), Sanctius in hunc locum, Tirinus, Cornelius a Lapide, aliique.

INTERPRETES TUI PRÆVARICATI SUNT IN ME. Moyses & Aaron, meæ voluntatis interpretes, ac vos inter & me fœderia sequestri, vocibus meis ad aquas contradictionis sese morigeros non exhibuere (e). Quamobrem non illorum virtuti, sed meæ clementiæ prorsus gratuitæ debetis quicquid aut estis ipsi, aut ego in vestri commodum egi. Hebræa vox (f) *Melizim* a Septuaginta (g) *Principes*, ab aliis *legati* redditur.

℣. 28. CONTAMINAVI PRINCIPES SANCTOS. Principum Sanctuarii immunditiam ego detexi: ceu impuros habui, ac severissimè punii, veluti eos, qui Sanctuarii mei religionem violavere. Nadabum fortasse innuit & Abiu, quos, cùm thuribulum profano igne instructum attulissent, egressus e loco sancto ignis voravit (h). Alii (i) de Moyse & Aarone interpretantur, quos Deus promissâ regione arcuit exclusitque eo nomine, quòd aliquâ in re non satis obtemperaverint, firmamque fidem non exhibuerint. Septuaginta (k): *Et profanaverunt Principes sancta mea*.

DEDI AD INTERNECIONEM JACOB, ET ISRAEL IN BLASPHEMIAM, opprobrium. Hos ego Chaldæis dedi, ac trahendos in captivitatem turpissimamque servitutem reliqui. Hebræus (l): *Dedi in anathema Jacob, & Israël in convicia*. Palæstina, carissima mihi regio, in solitudinem redacta est, ceu tellus anathemati devota; & Israël, gens tam multis a me beneficiis affecta, gentium opprobrium est. Id verò vos ne terreat. Extinctam stirpem in vitam restituam; aridamque & sterilem hanc terram pristinâ fertilitate donabo. Vide proximum Caput, quod ex præsenti sequitur.

CAPUT XLIV.

Jacob in pristinas rerum fortunas restituetur. Divinitas Dei Israëlitarum aliis argumentis ostenditur. Idolorum inanitas: eorum qui Idola faciunt, insania.

℣. 1. ET nunc audi, Jacob serve meus, & Israël, quem elegi:

COMMENTARIUS.

V. 1. ET NUNC AUDI, JACOB. Pergit Capitis superioris oratio, cujus unicum propositum est, ut Dei Judæorum Divinitas e rebus gestis, & Numinum inanitas ex ipsorum infirmitate & inutilitate demonstretur. Postquam Capite alii docuit, suæ unius misericordiæ beneficio Abrahami genus inter cæteras terrarum gentes a se electum fuisse; neque ab Abrahamo, seu Moyse aut Aarone, vel Israëlis Principibus populove quicquam gestum esse, quo id beneficium promererentur; denique Jacobi sobolem debitæ fidei adeò defuisse, ut anathemate ferienda esset, risùsque ac pro-

(u) *Hieron. quæst. Hebr. in Genes. & plures alii ex eo; Tost. in c. 24 Josue, q. 6; Cajet. & Carthus. ibid.* (x) *Joan.* VIII, 39. (y) *Ibid.* ℣. 56, *&c.*
(z) *Aug. lib.* XVI *de Civit. c.* 12: *Una igitur Thare domus erat, de qua natus est Abraham, in qua verus Dei cultus . . . quamvis & ipsa, sicut jam manifestior Dei populus in Ægypto, ita in Mesopotamiâ servisse diis alienis, Jesu Nave testante, referatur.* (a) *Vide Ephrem, ser. 2 de Pœnitentiâ; Cedren. Compend. hist.* (b) *Rab. Moses Maimon. & Gedolias, apud Serar. in c. ult. Josue, q.* 25. *Item Rab. Joan. & Hanina apud Genebr. Chronologia an.* 2049. (c) *Quæstion. quodlibet. qu. 7, expositivâ.*
(d) *In lib.* XVI, *c.* 22, *D. Aug. de Civit.* (e) *Num.* XX, 9, 10, 11, 12; *Psal.* LXXVII, 23.
(f) מליציך פשעו בי (g) Οἱ ἄρχοντες ὑμῶν ἠνόμησαν εἰς ἐμέ. (h) *Levit.* X, 1, 2.
(i) *Forer. Vat. Sanct. Menoch. Tyr. &c.*
(k) Καὶ ἐμίαναν οἱ ἄρχοντες τὰ ἅγιά μου. *Heb.* ואחלל שרי קדש
(l) ואתנה לחרם יעקוב וישראל לגדופים

℣. 2. Hæc dicit Dominus faciens, & formans te ab utero, auxiliator tuus: noli timere, serve meus Jacob, & Rectissime quem elegi.
℣. 3. Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.
℣. 4. Et germinabunt inter herbas, quasi salices juxta præterfluentes aquas.
℣. 5. Iste dicet, Domini ego sum: & ille vocabit in nomine Jacob, & hic scribet manu suâ, Domino: & in nomine Israël assimilabitur.
℣. 6. Hæc dicit Dominus rex Israël, & redemptor ejus Dominus exercituum: Ego primus, & ego novissimus, & absque me non est Deus.
℣. 7. Quis similis mei? vocet, & annuntiet: & ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum: ventura & quæ futura sunt, annuntient eis.
℣. 8. Nolite timere, neque conturbemini: ex tunc audire te feci, & annuntiavi: vos estis testes mei. Numquid est Deus absque me, & formator, quem ego non noverim?

COMMENTARIUS.

probri argumentum inter omnes terrarum populos relinquenda; hoc loco addit, iis quæ præteriere neglectis, dissimulatisque populi flagitiis, certissima infinitæ virtutis & clementiæ argumenta sese illis exhibiturum, suâ illis e captivitate reductis, regione in veterem dignitatem, omnibus denique Judæorum rebus in pristinam felicitatem restitutis.

℣. 2. NOLI TIMERE, SERVE MEUS JACOB, ET RECTISSIME (Israël) QUEM ELEGI. Israëlem Scriptura interdum (a) *Ieshurun* nominat (b), voce diminutivâ ex Israël, quasi diceret, parvulum Israëlem (c). Septuaginta (d): *Ne timeas, fili mi Jacob, & dilecte Israël, quem elegi.*

℣. 3. EFFUNDAM ENIM AQUAS SUPER SITIENTEM agrum. Suam fertilitatem regioni Jacobi restituam, aquis illam rigans. Terram hanc anathemati devotam (e), ac fermè desertam, omnino convertam, locumque deliciarum efficiam, &c.

EFFUNDAM SPIRITUM MEUM SUPER SEMEN TUUM. Radicem fermè extinctam, in captivitate mortuam oppressamque (f), in vitam revocabo. His denique verbis ad primum Spiritûs Sancti propositum, scilicet ad Christi Ecclesiam, relatis: Novum spiritum, vitæ, luminis, pietatis, gratiarum, precumque in illam effundam, omnibusque spiritûs mei donis cumulabo.

℣. 5. ISTE DICET: DOMINI EGO SUM; ET ILLE VOCABIT IN NOMINE JACOB, Jacobi appellatione gloriabitur. Honori sibi ducent, quòd servorum meorum meique populi nomine distinguantur. Inter scelera, quibus olim universa Judææ regio inundabatur, probro habebatur mei cultus atque religio. Judæum sese dicere unusquisque verebatur inter gentes, quibus despecta & invisa gens Judæorum erat: at mox illorum animos mentesque convertam, ac deinceps gloriosa ducetur gentis meæ appellatio, & filiorum Israëlis nomen sibi quisque honoris causâ arrogabit. *Hic scribet in manu suâ; Domino* sum, Israëlita sum (g), quemadmodum olim milites Imperatoris nomen in manu scriptum habebant (h); & alter *in nomine Israël assimilabitur*; vel ex Hebræo (i), *insigniet se, & tamquam titulum honorificum assumet sibi nomen Israëlita.* Id prorsus expletum est in *Israële Dei*, in iis qui Israël spiritu sunt, apud Christianos.

℣. 6. EGO PRIMUS ET EGO NOVISSIMUS. Æternus sum, principii & finis expers, alter planè a Diis, qui hominum opera sunt, caduca non secùs atque ipsorum authores. Vide supra, *Isai.* XLI, 4.

℣. 7. EX QUO CONSTITUI POPULUM ANTIQUUM: VENTURA ET QUÆ FUTURA SUNT, ANNUNTIENT EIS. Quæ ab ipso rerum exordio populi mei constituendi causâ egi, ordine explicet; quæ futura sunt ac deinceps agenda, prædicat. Hebræus (k): *Nuntiet, atque ordine disponat* quæ gesta sunt, *postquam constitui populum sæculi, & futura, & quæ ventura sunt.* Insana illorum Numina quicquid aut gestum aut gerendum est, nuncient, atque ordine exponant ea quæ ab origine gentium inter homines acta sunt, & quæ deinceps agenda.

℣. 8. EX TUNC AUDIRE TE FECI... VOS ESTIS TESTES MEI. Testes adhibet Deus Judæos, ut suam ipsius Divinitatem demonstret. Ea ipsa quæ erga po-

(a) *Deut.* XXXIII, 5: *Et erit apud rectissimum Rex. Et* 26: *Non est Deus alius, ut Deus rectissimi.* (b) וישרון בחרתי בו (c) *Grot. hic*, ישרון, *idest*, Ἰσραηλίδιον, *quomodo filiolis alloqui solemus. Vide Deut.* XXXII, 15. (d) Μὴ φοβοῦ παῖς μου Ἰακὼβ, καὶ ὁ ἠγαπημένος Ἰσραὴλ, ὃν ἐξελεξάμην. *Cæteri* Εὐθύτατον, *seu* εὐθὴ, *idest, rectissimum & rectum interpretati sunt. Hieron. hic.* (e) *Sup. c.* XLIII, 28. (f) *Vide sup.* 12, 2; XLI, 14; *& Ezech.* XLII, *per totum, maximè* ℣. 12. (g) וזה יכתב ידו ליהוה 70: Ἕτερος ἐπιγράψει τῇ χειρὶ αὐτοῦ, τοῦ Θεοῦ εἰμι, καὶ ἐπὶ ὀνόματι Ἰσραὴλ βοήσεται. (h) *Veget. lib.* 2, *c.* 5: *Victuris in cute punctis milites scripti, & matriculis inserti, jurare solent. Vide Godescalc. in hunc locum Vegetii. Aëtius medicus apud Lips. lib.* 5, *dialog.* 9, *de milit. Rom. Stigmata vocant quæ in facie, aut aliâ parte corporis inscribuntur, qualia sunt militum in manibus. Ambros. orat. funeb. in Valentinianum obit. Charactere Domini inscribuntur etiam servuli, & nomine Imperatoris signantur milites. Vide Sanct. & Grot. hic.* (i) ובשם ישראל יכנה (k) יגידה ויערכה לי משומי עם עולם ואותיות ואשר תבאנה יגידו למו 70: Ἑτοιμασάτω μοι ἀφ' οὗ ἐποίησα ἄνθρωπον εἰς τὸν αἰῶνα, καὶ τὰ ἐπερχόμενα πρὸ τοῦ ἐλθεῖν ἀναγγειλάτωσαν ὑμῖν.

℣. 9. Plastæ idoli omnes nihil sunt, & amantissima eorum non proderunt eis, ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, ut confundantur.

℣. 10. Quis formavit Deum, & sculptile conflavit ad nihil utile?

℣. 11. Ecce omnes participes ejus confundentur: fabri enim sunt ex hominibus: convenient omnes, stabunt, & pavebunt, & confundentur simul.

℣. 12. Faber ferrarius limâ operatus est: in prunis, & in malleis formavit illud, & operatus est in brachio fortitudinis suæ: esuriet, & deficiet, non bibet aquam, & lassescet.

℣. 13. Artifex lignarius extendit normam, formavit illud in runcinâ: fecit illud in angularibus, & in circino tornavit illud: & fecit imaginem viri quasi speciosum hominem habitantem in domo.

℣. 14. Succîdit cedros, tulit ilicem, & quercum, quæ steterat inter ligna saltûs: plantavit pinum, quam pluvia nutrivit.

℣. 15. Et facta est hominibus in focum: sumpsit ex eis, & calefactus est: & succendit, & coxit panes: de reliquo autem operatus est deum, & adoravit: fecit sculptile, & curvatus est ante illud.

℣. 16. Medium ejus combussit igni, & de medio ejus carnes comêdit: coxit pulmentum, & saturatus est, & calefactus est, & dixit: Vah calefactus sum, vidi focum.

℣. 17. Reliquum autem ejus deum fecit, & sculptile sibi: curvatur ante illud, & adorat illud, & obsecrat, dicens: Libera me, quia Deus meus es tu.

COMMENTARIUS.

populum gessit, testatur Deus, ut gravissimam hanc veritatem probet. Ipsa profectò Judaicæ Religionis historia validissimum est argumentum, quo ipsius Religionis, ac Dei Israëlis veritas ostendatur. Luculentissimas Divinitatis notas præsefert ea Religio, quibus frustra repugnes: at eadem simul docet, sese nihil esse nobilius, quàm perfectioris multoque nobilioris Religionis, sibi successuræ, præparationem; Christianæ scilicet, cujus institutionis & conservationis narratio perspicuas maximè & certas Divinitatis suæ notas exhibet (l). Animadvertendum porrò est, priorum temporum historiam Ethnicis fermè ignotam fuisse, in Sacris Judæorum Libris solummodò servatam, cùm illos provocet Deos, ut ea narrent, quæ a primorum hominum initio contigere: *Ex quo constitui mibi populum antiquum.*

Numquid est formator, quem ego non noverim? Quis Dei nomen, præter me, me præsente sibi arroget? *Nosse* hoc loco est, dominio in rem aliquam uti, illam possidere, de illâ decernere. *Cognovi omnia volatilia Cœli* (m): dominos volucrum sum. Deus *cognovit figmentum nostrum*, hominum naturam (n): de hominibus absolutâ potestate decernit: cognovit Deus *sessionem hominum & resurrectionem* (o), absolutâ voluntate iis imperat. Contra verò, *non cognoscere*, est aliquid a se alienum habere. *Populus quem non cognovi, servivit mihi* (p), ignota gens, a me aliena, nullo mihi nomine juncta. *Malignum non cognoscebam* (q), prorsus negligebam. Nullus igitur cùm Deus sit, nullusque Creator, quem Deus minimè noverit, nullus est qui sub illius imperio ac potestate non censeatur: nullus igitur, præter ipsum, Deus est; esse enim Deus nequit is qui ab altero pendet, illoque est minor.

℣. 9. Plastæ idoli omnes nihil sunt.... ipsi sunt testes eorum. Quemadmodum Religionis meæ veritas ex ipsâ gente, ceu luculentissimo certissimoque indicio demonstratur, ita simulacrorum Deorumque artifices illorum inanitatem arguunt. Quid illa essent, antequam Dii fierent, & qua ratione nobilissimam eam dignitatem consecuta sint, ipsi novere. Denique Deorum horumce infirmitatem suo ipsorum periculo experiuntur, extremâ inopiâ malisque oppressi, quibus subduci ab inanibus hisce Diis nequeunt.

℣. 11. Convenient omnes, stabunt, et pavebunt, et confundentur. Coram in jus veniant, causam pro se dicant, probroque obruantur, dum Deos suos vident.

℣. 12. Faber ferrarius lima operatus est: in prunis et malleis formavit illud. Hebræus planè aliter vertitur (r): *Faber ferrarius ferrum expolit*, seu limam vel dolabram capit. At proprium fabri ferrarii instrumentum dolabra non est. Ex Jeremia *maazad* (s) securis esse videtur. Quamobrem ita vertendum erat: *Faber ferrarius, securim elaboraturus, carbone operatur, & malleis illam format brachio fortitudinis suæ*, totis viribus. *Si fame laboret, ita ut deficiant vires, non dabit illi aquam Deus suus, & penitus deficiet.* Remotam solummodo simulacri causam hic memorat Propheta, soliusque fabri ferrarii meminit, securim conficientis, qua arbor, simulacri materies, cædatur. De sculptore agit ℣. 13.

℣. 13. Faber lignarius extendit normam. Hebræus (t): *Tendit funiculum*, ut signet, quo usque

(l) *Aug. de Civit. lib.* XVIII, *c.* 5, 7, 8. (m) *Psal.* XLIX, 11. (n) *Psal.* CII, 14. (o) *Psal.* CXXXVIII, 2. (p) *Psal.* XVII, 44. (q) *Psal.* C, 4. (r) חרש ברזל מעצד ופעל בפחם ובמקבות יצרהו (s) *Jerem.* X, 3: *Lignum de saltu præcidit, opus manûs artificis in asciâ. Heb.* במעצד (t) חרש עצים נטה קו

℣. 18. Nescierunt, neque intellexerunt: obliti enim sunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde suo.

℣. 19. Non recogitant in mente suâ, neque cognoscunt, neque sentiunt, ut dicant: Medietatem ejus combussi igni, & coxi super carbones ejus panes: coxi carnes, & comêdi, & de reliquo ejus idolum faciam? ante truncum ligni procidam?

℣. 20. Pars ejus cinis est: cor insipiens adoravit illud, & non liberavit animam suam, neque dicet: Fortè mendacium est in dexterâ meâ.

℣. 21. Memento horum, Jacob & Israël, quoniam servus meus es tu, formavi te, servus meus es tu, Israël, ne obliviscaris mei.

℣. 22. Delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua: revertere ad me, quoniam redêmi te.

℣. 23. Laudate cœli, quoniam misericordiam fecit Dominus: jubilate extrema terræ, resonate montes laudationem, saltus, & omne lignum ejus: quoniam redêmit Dominus Jacob, & Israël gloriabitur.

℣. 24. Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex utero: Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.

℣. 25. Irrita faciens signa divinorum, & ariolos in furorem vertens. Convertens sapientes retrorsum: & scientiam eorum stultam faciens.

℣. 26. Suscitans verbum servi sui, & consilium nuntiorum suorum complens. Qui dico Jerusalem: Habitaberis; & civitatibus Juda: Ædificabimini, & deserta ejus suscitabo.

COMMENTARIUS.

usque cædendum sit lignum.

FORMAVIT ILLUD IN RUNCINA. Utrùm Hebræa vox *sered* (u) runcinam significet, disputatur. Plerique Interpretum ajunt, significare funiculum, quem fabri lignarii rubricâ vel atro colore inficiunt, ac supra lignum tendunt, ut partem ligni secandam notent. Septuaginta (x) de carbone, quo faber prima simulacri lineamenta pingit in ligno, explicant. Chaldæos de perpendiculo, quo utitur faber, ut trabs mox secanda justo in æquilibrio collocetur.

FECIT ILLUD IN ANGULARIIS, normâ. Sunt qui Hebræum reddant (y): *Fecit illud securi*. Alii: In angulo domûs illud fingit. Vulgatæ Versio cum septuaginta Interpretibus, imò cum Aquilâ convenit, atque omnium optima videtur. Chaldæus: *Dolat illud dolabris*. Septuaginta Editionis Romanæ (z) solùm legunt: Sculptor, seu *faber, eligens lignum, statuit illud in mensurâ, fecit illud in angulis*.

IN CIRCINO TORNAVIT ILLUD. Quamquam propria Hebraicæ vocis *mechugah* significatio (a) ignoratur, explicari tamen solet de circino. *Tornare* apud Latinos non semper sonat, torno elaborare; frequenter enim *tornata opera* pro *sculptis, cælatis* usurpantur. Septuaginta (b): *Glutine composuit illud*.

ET FECIT IMAGINEM VIRI. En hominem e ligni frustis; mox Deum ex homine ligneo. Sculptoris arbitrio Deus fit, ac Divinitate induitur lignum, e quo vel scamnum vel scabellum æquè fingi poterat (c):

Cum faber incertus, scamnum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum.

℣. 18. OBLITI SUNT, NE VIDEANT OCULI EORUM. Pictos oculos habent, adeò ut liberam videndi facultatem non habeant. Hebræus (d): *Non intellexerunt*, oculos sese gerere, spissâ albugine impeditos, vel calce oblitos, ut videre non possint. Septuaginta (e): *Obscurati sunt, ne videant oculis suis*.

℣. 20. FORTE MENDACIUM EST IN DEXTERA MEA. Fallor ne, dum manuum mearum opus Deum esse puto. Vel: An mentior, dum Deum hoc esse ajo? Num integrâ fide id loquor? Nonne artis meæ opus esse scio?

℣. 22. REVERTERE AD ME, QUONIAM REDEMI TE. In patriam revertere: criminum tuorum obliviscor, tuâ te servitute redimo, atque e captivitate, sub qua tam diù gemis, reduco. Hæc verba optimè Jesu Christo conveniunt, Judæos Ethnicosque ad se vocanti, quippe quos ipse redêmit. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos*, inquit in Evangelio Christus (f).

℣. 25. ARIOLOS IN FUROREM VERTENS. Hebræus (g): *Divinos insanire faciet*, mentem animumque perturbans, eosque insanire patiens; ut eorum verba sibi non constent, nullaque ipsis fides inter homines habeatur.

℣. 26. SUSCITANS VERBUM SERVI SUI. Prophetarum meo nomine loquentium verba ego expleo, eorumque vaticinia ad exitum duco: *Consilium*

(u) יתארהו בשרד (x) 70: Ἐμόρφωσεν αὐτὸ ἐν παραγραφίδι. (y) יעשהו במקצעות (z) Ἐποίησεν αὐτὸ ἐν παραγωνίσκοις. (a) במחוגה יתארהו (b) Ἐν κόλλῃ ἐρρύθμισεν αὐτό. *Compl. & S. Cyrill.* ἐν κόλλαι, quæ vox reddita est, circinus. At non satis scio, quo loco κόλλαι hoc sensu usurpetur; neque satis didici, utrùm Græca vox sit. (c) *Horat. Ser. lib. 1, sat. 8.*
(d) לא יבינו כי טח מראות עיניהם (e) Ὅτι ἀπημαυρώθησαν τοῦ βλέπειν τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτῶν.
(f) *Matt. xi, 26.* (g) וקסמים יהולל

℣. 27. Qui dico profundo: Desolare, & flumina tua arefaciam.

℣. 28. Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jerusalem: Ædificaberis; & Templo: Fundaberis.

COMMENTARIUS.

filium nuntiorum suorum complent. Hæc de Jesu Christo explicantur, cujus promissa falli nequeunt, qui testatus est (*h*), cœlos terramque esse peritura, minimè verò ea, quæ ipse pronunciavit.

℣. 27. Qui dico profundo: Desolare, scilicet, Exhaurire. Qui impero, & Babylonem (*i*), urbem opulentissimam, inter aquas sitam, appellatamque *desertum maris* (*k*), everto. Quæ sequuntur, huic explicationi favent: *Flumina tua arefaciam.* Id certè implevit Cyrus, cùm Babylonem obsidione cingeret (*l*).

℣. 28. Qui dico Cyro: Pastor meus es. Huc usque verorum Prophetarum oracula perveniunt, ut ipsa hominum nomina explicent, toto ampliùs sæculo (*m*) ante quàm in lucem ederetur is, cujus operâ usurus est Deus, ut libertatem populo suo vindicet. Hoc profectò luculentissimum argumentum est, quo Religionis veritas, supremumque Dei in res creatas dominium, & absoluta illius in causas liberas, intactâ libertate, potestas demonstratur; studiosissima denique Dei solicitudo in populum, & certissima illius promissionum fides. Josiæ ortum diù ante prædictum, ejusque nomen, longo antea tempore, quàm is nasceretur, prænunciatum, in Libris Regum [*n*] jam vidimus. Prædicta etiam ante utriusque ortum S. Joannis Baptistæ & Jesu Christi nomina legimus. At de duobus hisce postremis, res aliquanto aliter sese habet; horum enim nomina ipsis illorum parentibus nunciata sunt: at Cyri parentes vaticinia Isaiæ prorsus ignorabant; uniusque Providentiæ ductu factum est, ut illi filium hoc nomine donarent, quin divinis erga filium consiliis se servire animadverterent. Idem fermè de Josia dicito. Amon profectò norat Hominis Dei vaticinium, quo Principis cujusdam, Josiæ nomine, ortus prædicebatur: at minimè norat Amon, hujusmodi Principem sibi filium fore.

Pastoris nomen, quo Deus Cyrum donat, regiam illius dignitatem, optimique regis laudes in eo fore demonstrabat. Principes Pastorum nomine apud Veteres appellabantur: idque frequenter usurpat Homerus (*o*). Nemo dignior Cyro eo nomine fuit. Consuetum erat illius effatum, eadem officia Principi communia esse & Pastori [*p*]; eumdemque, ceu populi patrem, extinctum flevere (*q*). Cyri virtutes admirans Crœsus, illum ajebat e Diis ortum esse (*r*), ex communi apud Veteres opinione, qui Reges Deorum Filios, seu Jovis Alumnos nuncupabant (*s*). *Cyrus* apud Persas solem significat [*t*]. Reddunt Septuaginta (*u*): *Dicens Cyro ut sapiat, & omnes voluntates meas faciat.* Chaldæus: *Qui dico Cyro, dandum ei Regnum &c.* Hoc vaticinium Cyro Judæi exhibuerunt; idemque Cyrus legem scribens, qua Judæos in libertatem vindicavit, fatetur, totius orbis imperium sese ex Israëlis Deo accepisse, ipsoque nomine per Vates se esse prænunciatum, prædictumque futurum, ut Templum Jerosolymis Deo conderet (*x*).

CAPUT XLV.

Cyri victoria; Messiæ ortus; nova pro Judaicæ Religionis veritate argumenta.

℣. 1. HÆC dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, & dorsa regum vertam, & aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HÆC dicit Dominus Christo meo Cyro. Jam de Cyro egit Capite superiori, illumque Pastorem suum, suorumque consiliorum ac decretorum executorem appellavit (*a*). Pergit hic Cyri expeditiones describere; illumque *Christi sui*, Regis ac Ministri appellatione distinguit, quem ipse elegit, ut illius operâ libertas populi compleatur. *Ungere*, apud Scripturam interdum absolutè est, aliquem ad nobilissimum gravissimumque aliquod facinus eligere ac destinare (*b*). Lapidem Bethel Jacob unctione dedicavit (*c*). Omnia Tabernaculi utensilia Moyses inunxit, qua die Tabernaculum dedicavit (*d*). Elias Elisæum oleo liniit [*e*]. Veteres Patriarchæ (*f*), omnesque Christiani, quibus Spiritûs Sancti virtus insedit (*g*), *Christi Domini* appellantur. Elegerat

(h) *Matt.* XXIV, 35. (i) *Theodor. Hieron. Sanct. Grot. Menoc. Pisc. &c.* (k) *Isai.* XXI, 1. (l) *Herodot. lib.* 1, *c.* 191. (m) Mihi creditur hoc vaticinium cæde Sennacheribi posterius, editumque annis circiter 150 ante ortum Cyri. (n) 3 *Reg.* XIII, 2: *Ecce filius nascetur domui David, Josias nomine, & immolabit super te Sacerdotes excelsorum.* (o) *Iliad.* B: Ὣς φάτο νεικείων Ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν. (p) *Xenophon, Cyropæd. lib.* 8. (q) *Vide Herod. lib.* 3, *c.* 89. (r) *Apud Xenoph. lib.* 7 *Cyropæd.* (s) *Diogenes, apud Dionem, Orat.* 4 *de Regno.* (t) *Ita Ctesias, & Plutarch. in Artaxerxe.* (u) Ὁ λέγων Κύρῳ φρονεῖν, καὶ πάντα τὰ θελήματά μου ποιήσει. *Heb.* האמר לכורש רעי וכל חפצי ישלים Legunt רעי pro רעי (x) *Joseph. Antiq. lib.* XI, *c.* 1: Ἐπεί με ὁ Θεὸς ὁ μέγιστος τῆς οἰκουμένης ἀπέδειξε βασιλέα, πείθομαι τοῦτον εἶναι ὃν τὸ τῶν Ἰσραηλιτῶν ἔθνος προσκυνεῖ. καὶ γὰρ τοὐμὸν προεῖπεν ὄνομα διὰ τῶν προφητῶν, καὶ ὅτι τὸν ναὸν αὐτοῦ οἰκοδομήσω ἐν Ἱεροσολύμοις.

(a) *Isai.* XLIV, 28. (b) *Theodoret. hic*: Χριστοὺς ἡ θεία γραφὴ προσαγορεύει οὐ μόνον τοὺς χριομένους, ἀλλὰ καὶ τοὺς εἴς τινα χρείαν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τῶν ὅλων ἀφοριζομένους. (c) *Genes.* XXVIII, 18. (d) *Exod.* XL, 9; *Num.* VI, 7, 10. (e) 3 *Reg.* XIX, 16. (f) *Psal.* CIV, 15; 1 *Par.* XVI, 22. (g) 2 *Cor.* I, 21; 1 *Joan.* II, 20.

℣. 2. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo: portas æreas
conteram, & vectes ferreos confringam.
℣. 3. Et dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum:
ut scias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israël.
℣. 4. Propter servum meum Jacob, & Israël electum meum, &
vocavi te nomine tuo: assimilavi te, & non cognovisti me.
℣. 5. Ego Dominus, & non est amplius: extra me non est Deus:
accinxi te, & non cognovisti me.
℣. 6. Ut sciant hi, qui ab ortu solis, & qui ab occidente, quo-
niam absque me non est. Ego Dominus, & non est alter,

COMMENTARIUS.

gerat Cyrum Deus, ut Chaldæorum Imperium everteret, Judæos captivitate liberaret, Persicum Imperium conderet, Dei vindictam in ipsius hostes persequeretur, Dei laudes ac decora celebraret. Idem ipse grandibus iis rebus, quas gesturus erat, Dei ope protectus, qui eum diu antequam in lucem ederetur, & prædixerat, & de suo nomine appellaverat, perspicua erat Divinitatis demonstratio.

Septuaginta (h) in nostris Codicibus similem Hebræo & Vulgatæ sententiam ferunt. At alteram olim tulisse videntur, cùm apud Veteres quosdam legamus (i): *Sic dicit Dominus Christo meo Domino*. Porrò illi legebant *Kyrio*, non *Kyro*. Quem in locum ita scribit S. Hieronymus: *Scio in hoc Capitulo non solùm Latinorum, sed & Græcorum plurimos vehementer errare, existimantium scriptum esse: Sic dicit Dominus Christo meo Domino*. Cyrus quodammodo Messiam ceu figura & imago referebat. Hic tamen locus propriè de Cyro explicandus est.

Dorsa Regum vertam. Hebræus (k): *Latera Regum dissolvam*, vel *aperiam*; sive, *lumbos Regum comminuam*; infirmos reddam (l); vel, *exarmabo*, balteos illorum ensesque auferam. Lydorum, Assyriorum, Chaldæorumque, & alia plurima Regna evertit Cyrus. Nihil denique aggressus est, quod felicissimè non expleverit, teste Herodoto, *lib.* 1, *cap.* 204.

℣. 2. Portas æreas conteram, et vectes ferreos confringam. Tradam tibi Babylonem, cui centum æreæ portæ erant, æreique postes & superum limen, utì narrat Herodotus (m); qui & addit, captam esse a Cyro Babylonem subductis ab alveo aquis Euphratis, inductisque in urbem per alveum, unde fluvius abscesserat, copiis. Quas, pergit Herodotus, Babylonii, si factum Cyri priùs aut audissent, aut sensissent, haud dubiè ingredi non permisissent, sed pessimo exitio affecissent. Nam obseratis omnibus, quæ ad flumen ferunt, portulis, conscensisque septis, ipsi pro ripis stantes, illos progressos veluti in caveâ excepissent.

℣. 3. Dabo tibi thesauros absconditos. Incredibilem opum vim collegit Cyrus ex iis victoriis, quibus claruit. Crœsum superavit, opulentissimum ætatis suæ Regem, cujus opes in proverbium abierunt: Babylonem obtinuit, quò Chaldæorum Reges totius Orientis thesauros coëgerant. Teste Plinio (n), *Cyrus, devictâ Asiâ, pondo XXXIV millia invenerat, præter vasa aurea, aurumque factum, & in eo folia ac platanum vitemque. Quâ victoriâ argenti quingenta millia talentorum reportavit, & craterem Semiramidis, cujus pondus quindecim talenta colligebat. Talentum autem Ægyptium pondo LXXX capere, Varro tradit*. Porrò hoc talenti genus libras turonicas bis mille, sexcentas & octoginta octo valebat. Quòd si aureum fuisse putas, illius valor eâ proportione multiplicandus est, quæ inter unum & quatuordecim est. Paraphrastes Chaldæus in Librum Esther (o) tradit: *Cyrus, quando vastavit Babyloniam, fodit in latere Euphratis, & invenit ibi sexcentas & octoginta hydrias æneas, plenas auro optimo, & lapidibus pretiosis, & margaritis, & gemmis*.

℣. 4. Vocavi te nomine tuo: assimilavi (designavi) te, et non cognovisti me. Vel, Cyri nomen tibi ego indidi, Christi mei figuram te effeci; me tamen minime agnovisti: vel, his te beneficiis cumulavi, antequam me ipse cognosceres. *Vocare aliquem nomine suo*, apud Hebræos est, illum muneri alicui addicere. *Vocavi ex nomine Beseleel filium Uri* (p). Beseleelem elegi, ut Tabernaculi mei res ipse conficeret. Isaias (q): *Dominus ab utero vocavit me; de ventre matris meæ recordatus est nominis mei*, vel nomen mihi indidit; huic me muneri, quo apud populum fungor, addixit. Verbum *assimilare*, quo alibi usus jam est S. Hieronymus (r) pro, aliquid honoris loco accipere aut dare, eamdem hoc loco significationem servat: Illustre tibi nomen dedi. Cyrus solem significat, utì animadvertimus. Alterum antea illi nomen erat, a bubulci uxore, ipsius nutrice, datum (s).

Asserit hic Deus, sese a Cyro agnitum non fuisse; certò enim Cyrus, necdum antequam Judæos nosset, ex quibus sacrorum Librorum operes suas multò antea prædictas] ac luculentissimè descriptas didicit, victorias suas sese Deo debere fassus est; verùm etiam postquam hac Dei notitiâ instructus est, res est incertissima, utrùm eam, quam Deo debebat, gloriam cultumque detulerit. Fatetus ille quidem in eâ Lege, quam pro Judæis tulit: *Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus*-

(h) 70: Οὕτω λέγει Κύριος ὁ Θεὸς τῷ Χριστῷ μου Κύρῳ. *Hebr.* כה אמר יהוה למשיחו לכורש
(i) *Barnab. Epist. Catholicâ, p.* 47: Λέγει οὕτως Ἡσαΐας. Εἶπε Κύριος τῷ Χριστῷ μου Κυρίῳ, οὗ ἐκράτησα τῆς δεξιᾶς αὐτοῦ. *Sed antiquus Interpres Latinus: Iterum dicit Isaias: Sic dicit Dominus Christo meo Domino; & ita legunt Tertull. advers. Judæos, c.* 7; *Cyprian. de testimoniis, lib.* 1; *Nyssen. in testimon. de adventu Christi in carne, & ad Judæos; Author tract. contra quinque hæres. c.* 7, *in Appendice tom.* 8 *nov. edit. S. Aug.*
(k) ומתני מלכים אפתח (l) 70: Καὶ ἰσχὺν βασιλέων διαῤῥήξω. (m) *Herod. lib.* 1, *c.* 179: Πύλαι δὲ ἐνεστᾶσι πέριξ τοῦ τείχεος ἑκατὸν, χάλκεαι πᾶσαι, καὶ σταθμοί τε, καὶ ὑπέρθυρα ὡσαύτως.
(n) *Plin. lib.* XXXIII, 3. (o) *Targum in Esther, initio Mss. in Bibl. Complut. citat. a Sanctio, hic, n.* 8.
(p) *Exod.* XXXI, 2. (q) *Isai.* XLIX, 1. (r) *Isai.* XLIV, 5: *In nomine Israël assimilabitur*.
(s) *Herodot. lib.* 1, *c.* 113: Παραλαβοῦσα ἔτρεφε ἡ γυνὴ τοῦ βουκόλου, οὔνομα ἄλλο κού τι, καὶ οὐ Κῦρον θεμένη.

℣. 7. Formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum: ego Dominus faciens omnia hæc.

℣. 8. Rorate, cœli, desuper, & nubes pluant justum: aperiatur terra, & germinet salvatorem: & justitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum.

℣. 9. Væ qui contradicit fictori suo, testa de Samiis terræ: numquid dicet lutum figulo suo: Quid facis, & opus tuum absque manibus est?

℣. 10. Væ qui dicit patri: Quid generas? & mulieri: Quid parturis?

℣. 11. Hæc dicit Dominus, Sanctus Israël, plastes ejus: Ventura interrogate me, super filios meos, & super opus manuum mearum mandate mihi.

COMMENTARIUS.

mus (t): at num idcirco, relictâ Persarum Religione ad Judæorum sacra transivit? Optimum ac religiosum Principem appellant ex Profanis Historici: at Herodotus (u) illum eò usque ambitionis ac insaniæ devenisse testatur, ut sese majus homine aliquid esse censeret. Felices illius expeditionum exitus illum in eam ambitionem impulerant, ut nihil esse crederet, quod a se fieri non posset. Sacra & vota, quæ Cyrus Persarum Diis faciebat, narrantur. Omnipotentis manum ipse etiam agnoverat Nabuchodonosor (x); at neque errores neque superstitionem reliquit. Profanis Philosophis uterque similes, qui (y) *cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, &c.* Cyrus ipse, qui Judæos in libertatem restituerat, Templique Domino iterum condendi potestatem fecerat, hanc non multo post revocavit. Vide 1 *Esdr.* IV, 5.

℣. 7. FORMANS LUCEM, ET CREANS TENEBRAS. Idem bonorum malorumque author est: illa efficit, hæc permittit; recreat & affligit; evertit ac restituit: Nabuchodonosorem producit, ut ingratum populum puniat, duràque servitute excruciet: Cyrum profert, ut libertatem reddat: Alterum justitiæ, alterum misericordiæ instrumentum (z). Lux & tenebræ hoc loco eadem res sunt atque statim mox pax & malum: *Faciens pacem, & creans malum.*

℣. 8. RORATE, COELI, DESUPER, ET NUBES PLUANT JUSTUM. Messiam tuum (a), qui Justus antonomasticè est, Justitiæ totius fontem & exemplar, o Deus, mitte, ut populum tuum peccati servitute liberet. *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Redemptor tam diu expectatus jam festinet. Impatiens Prophetarum, Justorumque Veteris Testamenti hominum Servatoris adventum vehementissimè optantium, desiderium his verbis exprimitur. Oblatâ Cyri & Babylonicæ Captivitatis occasione, sermo inducitur de Messiâ. Servatoris figura Cyrus fuit, qui hujus orationis initio (b), tum etiam infra, sub Justi appellatione significatur. Babylonica Judæorum captivitas imago erat durissimæ illius servitutis, quâ genus omne humanum sub Dæmonis ac mortis jugo tenebatur. Raro Scriptura rem a figurâ sejungit. Captivorum Babylone Judæorum vota, Cyri vindicis sui ortum a Deo postulantium, leves erant eorum votorum imagines, quibus Justi omnes Messiæ ortum sollicitabant. Hebræus (c): *Monate, cœli, desuper, & summa ætheris stillent justitiam.* Septuaginta (d): *Lætetur Cœlum desuper, & nubes spargant justitiam*, ceu imbrem.

EGO DOMINUS CREAVI EUM, protuli, oriri jussi, produxi. Verbum in æternitate genui, illud deinde in tempore e Virginis sinu effusum in terras est. Cyrum statui, captivitatem Juda expleturum, veluti præcursorem, atque hujus gentium omnium Servatoris imaginem.

℣. 9. VÆ QUI CONTRADICIT FICTORI SUO, TESTA DE SAMIIS TERRÆ, cùm nonnisi lutum sit. Samia vasa celeberrima inter veteres erant (e). At Hebræus solùm legit: *Testa e testis terra.* Vel (f): *O qui jurgaris in conditorem tuum! Testa*, litigans, jurgans *in figulos terra.* Arguuntur hîc Idolorum cultores, quos Deus in jus vocavit, suorumque Numinum vilitatem docuit. Illos hîc alloquitur, Divinitate suâ multis argumentis probatâ, suamque illis cæcitatem animumque ingratissimum exprobrat. Lutea vasa vilissima, cur adversùs conditorem fictoremque vestrum jurgamini? An victas luculentissimæ veritati manus non dabitis, meque adhuc agnoscere cunctamini? Nullum ne conviciis in me meaque opera finem facietis? *Numquid dicit lutum figulo suo: Quid facis? Et opus suum absque manibus est?*

Hebræus (g): *Operi tuo non sunt manus.* Quæ polliceris, facere non potes; vel, *vas tuum ansis caret*: me male finxisti: vas inutile sum. Aliter: An lutum figulo dicet: *Quid facis? hoc opus facere non poteris.* Totum hunc versiculum ita reddunt Septuaginta (h): *Quid melius feci, quàm lutum figuli? Numquid arans arabit terram totâ die? Numquid dicet lutum figulo: Quid facis, quoniam non operaris? nec habes manus?*

℣. 11. VENTURA INTERROGATE ME, SUPER FILIOS

(t) 1 *Esdr.* I, 2. (u) *Herodot. lib.* 1, *c.* 204: Πρῶτον μὲν ἡ γένεσις τὸ δοκέειν πλέον τι εἶναι τῦ ἀνθρώπυ. Δεύτερον δὲ, ἡ εὐτυχίη ἡ κατὰ τὰς πολέμυς γενομένη. Ὅκη γὰρ ἰθύσειε στρατεύεσθαι Κῦρος, ἀμήχανον ἦν ἐκεῖνο τὸ ἔθνος διαφυγέειν. *Idem lib.* 1, *c.* 126: Αὐτός τε γὰρ δοκέω θείη τύχη γεγονὼς, τάδε εἰς χεῖρας ἄγεσθαι. (x) *Dan.* II, 47: *Verè Deus vester Deus Deorum est, & Dominus Regum.* Et *Dan.* III, 99, 100: *Placuit ergo mihi prædicare signa ejus, quia magna sunt; & mirabilia ejus, quia fortia: & regnum ejus regnum sempiternum, &c.* Et IV, 31, & *sequ.* (y) *Rom.* I, 21. (z) *Ita Theodoret. Hieron.* (a) *Ita Patres & Interpp. passim; & Ecclesia frequenter in Officio Ecclesiastico tempore Adventûs.* (b) *Isa.* XLI, 2, 10, 25. (c) הרעיפו שמים ממעל ושחקים יזלו צדק (d) Εὐφρανθήτω ὁ ὀρανὸς ἄνωθεν, καὶ αἱ νεφέλαι ῥανάτωσαν δικαιοσύνην. (e) *Plin. lib.* XXXV, 12: *Samia etiamnum in esculentis laudantur.* (f) הוי רב את יצרו חרש את חרשי אדמה (g) ופעלך אין ידים לו (h) Τί ἐποίησα βέλτιον πηλὸν κεραμέως; μὴ ὁ ἀροτριῶν ἀροτριάσει τὴν γῆν ὅλην τὴν ἡμέραν; μὴ ἐρεῖ ὁ πηλὸς τῷ κεραμεῖ, τί ποιεῖς ὅτι οὐκ ἐργάζῃ, οὐδὲ ἔχεις χεῖρας;

℣. 12. Ego feci terram, & hominem super eam creavi ego: manus
meæ tetenderunt cœlos, & omni militiæ eorum mandavi.
℣. 13. Ego suscitavi eum ad justitiam, & omnes vias ejus dirigam:
ipse ædificabit civitatem meam, & captivitatem meam dimittet,
non in pretio, neq; in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum.
℣. 14. Hæc dicit Dominus: Labor Ægypti, & negotiatio Æthio-
piæ, & Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt: Post
te ambulabunt, vincti manicis pergent: & te adorabunt, teque
deprecabuntur: Tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus.

COMMENTARIUS.

FILIOS MEOS. Pergit adversùs superstitiosos Numinum cultores. Si de meis viribus adhuc dubitatis, me ipsum interrogate, quid olim populo meo eventurum sit. Vel mutatis Hebraicis punctis: Me rogate, quid futurum sit aliquando: aliquid de populo meo meisque rebus imperate: leges mihi date: jubete, me ex certis legibus agere, aut prohibete, ne ea quæ ego decrevi, expleam: jam intelligetis, quæ vobis vires sint, & quæ mihi. Seu denique: De futuris rebus ex me quærite: aliquid imperate ex iis, quæ ad populum meum pertinent: probate, prodigia flagitate.

℣. 12. OMNI MILITIÆ EORUM MANDAVI. Hujus orationis initio dixerat (*i*), totius cœlorum exercitûs censum penès Deum esse, ipsumque exercitum eo jubente proficisci; & (*k*) ab illo puniri, atque ubi voluerit, terrore & consternatione misceri. Cùm hæc & similia legerent veterum quidam (*l*), veluti Origenes, astra animata esse putaverunt. Noctem Describens Tibullus, ait:

. . . . . *Matrisque sequuntur*
Currum lascivo sidera fulva pede.

℣. 13. SUSCITAVI EUM AD JUSTITIAM, ET OMNES VIAS EJUS DIRIGAM; IPSE ÆDIFICABIT CIVITATEM MEAM, &c. Hæc propriè ad Cyrum spectant. Hunc statuit Deus, ut justitiam exerceat, suæque ultionis minister sit in Chaldæos cæterosque, quorum flagitiis Dei furor provocatus fuerat; utque æquum jus illis redderet, qui tyrannico imperio opprimebantur. Is *Justi* appellatione distinguitur superius (*m*). Sanè illius modestiam & æquitatem profani Scriptores commendant [*n*]. Deus *direxit omnes vias ejus*, vel, uti propriè sonat Hebræus, mirificos planè ceptorum omnium successus dedit. Adeò autem felix omnium expeditionum exitus illi esse solebat, ut nihil jam esse crederet, quod a se soperari non posset. *Ipse ædificavit civitatem Domini* (*o*), latâ lege, ut singulis Judæis, si vellent, in patriam redire, ibique sedes figere, ac Templum condere liceret. Captivum denique populum nullâ mercede, nullis muneribus, nullo pretio dimisit: *Captivitatem meam dimittet, non in pretio, nec in muneribus.*

℣. 14. LABOR ÆGYPTI, ET NEGOTIATIO ÆTHIOPIÆ, ET SABAIM VIRI SUBLIMES, AD TE TRANSIBUNT. Duplex huic loco explicatio adhiberi solet. Ægyptus, Æthiopia, & Saba sese tibi dedent, o Cyre: vinctisque manibus coram te procumbent, ac fatebuntur: Tecum Deus est, nullusque est præter illum Deus. Vide supra XLIII, 3: *Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, & Saba pro te.* Hi servos sese Cyro dabunt; idque præmium erit humanitatis, quâ is usus est erga Judæos.

Aliter: Ægyptus, Æthiopia, Saba Jerosolymam confluent, ac fatebuntur, apud te solummodo veram religionem, & Deum esse. Id porro tunc impletum est, cùm Ethnici Christianæ Religioni nomina dedere; ferocissimæ enim gentes, & maximè supestitiosæ certatim agnovere, non nisi apud Christi Ecclesiam veri numinis notitiam cultumque servari; ibique solummodo Jesum Christum occurrere, Deum absconditum, Deum Israëlis, Servatorem. (℣. 15.) *Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël, Salvator.* Certè Ægypti regionum Chus, & Saba imperium Israëlitæ nunquam obtinuere; neque unquam eæ gentes supplicum habitu, vinctis post terga manibus, coram Judæis procumbere, Dominumque, Deum Israëlis inter illos agnoscere visæ sunt.

At Cyrus Ægypto, regionibus Chus & Saba potitus est; maximèque probabile est, eas gentes sine armis Cyro cessisse. Arabia, & regio Saba sub Cyro fuisse videntur ex Xenophonte (*p*), cùm Cyrus Præfectum eò Megabyzum miserit. Illi etiam parebant Ægyptus, & regio Chus Ægypto juncta, in extremo Erythræi angulo ad meridiem, cùm iisdem Regnis, quibus Nabuchodonosor, imperaret. Xenophon in Proœmio Libri *de Cyropædiâ*, & octavo ejusdem Operis libro, asserit, sive uti certum ponit, hæc regna illi obtemperasse.

Prædixerant Ezechiel (*q*) & Jeremias (*r*) fore ut Ægyptus alienis Principibus annorum quadraginta spatio obtemperaret; quo elapso, captivos in patriam reversuros. Id verò aliquot annis post Cyri initia contigit (*s*). Nunquam tamen absolutâ libertate gavisæ sunt, quamquam in patriam missæ, Ægyptus, Chus, & Saba, Regibusque Persarum, non secus atque antea, deinceps paruerunt.

Negotiatio Æthiopiæ, seu regionis *Chus*, Madianitas significat, mercaturam exercentes, ipsâ Jacobi ætate hac arte celebres, cùm Josephus Madianitis mercatoribus, e Galaad venientibus, venumdatus fuerit (*t*). Quædam Madianitarum gens ad

(i) *Isai.* XL, 26: *Qui educit in numero militiam eorum, & omnes ex nomine vocat.* (k) *Isai.* XXIV, 21; & XXXIV, 2. (l) *Vide Hieron. hic.* (m) *Isai.* XLI, 2, 8, 25; & *sup.* XLV, 8. (n) Vide nos in ℣. 28 cap. XLIV. *Herodot. lib. 3, c. 89:* Λέγουσι Πέρσαι ὡς Δαρεῖος μὲν ἦν κάπηλος, Καμβύσης δὲ δεσπότης, Κῦρος δὲ πατήρ .... ὅτι ἤπιός τε, καὶ ἀγαθά σφι πάντα ἐμηχανήσατο. (o) 2 *Esdr.* I, 3: *Quis est in vobis de omni populo ejus? sit Deus illius cum ipso: ascendat in Jerusalem quæ est in Judæâ, & ædificet domum Domini Dei Israël.* (p) *Xenophon. Cyropæd. lib. 7, & 8.* (q) *Ezech.* XXIX, 11: *Non pertransibit eam pes hominis, & non habitabitur quadraginta annis.* (r) *Jerem.* XLVI, 26: *Dabo eas in manus Nabuchodonosor Regis Babylonis, & in manus servorum ejus, & post habitabitur, &c.* (s) *Vide Usser. ad an. M. 3473; & Sanct. hic.* Nos in Ezechielem diximus, XXIX, 11, id contigisse tertio vel quarto Cyri Babylone regnantis anno, circa annum Mundi 3470.
(t) *Genes.* XXXVII, 28.

℣. 15. Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſraël, Salvator.

℣. 16. Confuſi ſunt, & erubuerunt omnes: ſimul abierunt in confuſionem fabricatores errorum.

℣. 17. Iſraël ſalvatus eſt in Domino ſalute æternâ: non confundemini, & non erubeſcetis uſque in ſæculum ſæculi.

℣. 18. Quia hæc dicit Dominus creans cœlos, ipſe Deus formans terram, & faciens eam, ipſe plaſtes ejus: non in vanum creavit eam, ut habitaretur, formavit eam: ego Dominus, & non eſt alius.

℣. 19. Non in abſcondito locutus ſum in loco terræ tenebroſo: non dixi ſemini Jacob: Fruſtra quærite me: ego Dominus loquens juſtitiam, annuncians recta.

℣. 20. Congregamini, & venite, & accedite ſimul, qui ſalvati eſtis ex Gentibus: neſcierunt qui levant lignum ſculpturæ ſuæ; & rogant Deum non ſalvantem.

COMMENTARIUS.

ad Mare mortuum erat; qui tamen hic innuuntur, ad orientem Erythræi ſedes habebant, regionem ſcilicet Chus, uti putamus, atque e Moyſe didiciſſe nobis vidamur, cùm iis Sephoram uxorem ſuam Chuſitidem appellet (u).

Sabæis additur elogium hominum *procerorum*, ſive ad verbum, *virorum menſura* (x). Hos profectò inter cæteros Arabes corporis proceritate atque elegantiâ præſtare, teſtis eſt Agatharcides (y). Chaldæus: *Sabai, viri negotiationis*.

℣. 15. VERE TU ES DEUS ABSCONDITUS, DEUS ISRAEL, SALVATOR. Hæc verba omnino congruunt Jeſu Chriſto, Deo ſub ſacræ humanitatis velo, ſub ſervi & peccatoris formâ abſcondito, Deo Servatori ac Liberatori, Deo Iſraëlis, nedum ex carne Iſraëlis, ſed ſpiritu; rerum omnium creatarum Deo, at eorum præſertim, qui ipſum fatentur & colunt. Jungi hæc verba cum præcedentibus poſſunt: Ægyptii, Chus & Saba coram te procumbent, tecumque Deum eſſe fatebuntur, ac nullum eſſe, præter illum qui te tuetur, Deum. (℣. 15) Ita, Domine, tu ille es, quem hactenus ignoravimus Deum; Deus Iſraëlis es, qui populum tuum captivitate ſolviſti. Hanc confeſſionem ea prodigia expreſſerunt, quæ Deus populi ſui gratiâ patravit. Aptiùs tamen de Chriſto, cujus imago leviſſima erat Cyrus, explicatur.

℣. 16. CONFUSI SUNT FABRICATORES ERRORUM. Hebræus (z): *Pudore affecti ſunt fabricatores Idolorum*, ſeu pudore afficientur, ubi Iſraëlem perpetuam in libertatem vindicatum aſpexerint. (℣. 17) *Iſraël ſalvatus eſt a Domino ſalute æternâ*. Quæ verba explicari etiam queunt de ſalute, Chriſtianis a Chriſto comparatâ. Qui pervicaci animo errorem ac ſuperſtitionem relinquere detrectaverunt, probro obruentur, ubi Fideles æternâ in gloriâ collocatos viderint.

℣. 18. NON IN VANUM CREAVIT EAM. Hebræus (a): *Non ut informem materiæ maſſam creavit illam*. Terram ſuâ in permiſtione rerumque confuſione, in quâ condita eſt (b), relinquere poterat: formâ illam, iiſque ornamentis, quæ oculis obverſantur, inſtruere placuit: illam ſcilicet noſtrum in uſum condidit, commodaſque & jucundas nobis in eâ ſedes paravit: *Ut habitaretur, formavit eam*.

℣. 19. NON IN ABSCONDITO LOCUTUS SUM, IN LOCO TERRÆ TENEBROSO, ubi plerumque ſolabant Oracula. Loca montibus & antris horrida oraculis maximè abundabant, quòd vel Diabolus ipſe, mendacii ac tenebrarum parens, hæc loca amaret, quò faciliùs credulos falleret; vel oraculorum Sacerdotes eo antrorum horrore & obſequio, quod eæ tenebræ movebant, ad conſulentes decipiendos commodè uterentur.

Verba, quibus ea oracula edebantur, nunquam non ambigua erant, incerta, falſa, fallacia; vel ſi quando, ſimplicibus conjecturis innixa, verum ferebant, alius errorum fons erant. At veri Dei vaticinia res planè remotiſſimas, nulloque nexu cum præſentibus junctas prædicebant; quamobrem eas neque Diabolus noſſe antea poterat, neque hominum quilibet, quamvis acerrimo ingenio judicioque inſtructiſſimus. Illa neque ambiguis neque fallacibus verbis efferebantur; adeò ut nihilo luculentiùs narrari a nobis elapsâ expletâque illorum fide, poſſent, quàm a Prophetis explicata ſunt diutiſſimè antequam explerentur. Prophetarum voces non obſcurus aliquis regionis angulus, aut pauci teſtes inter antri alicujus horrorem excepere; ſed audiente populo, coram Regibus gentiſque Principibus, ac potentiſſimis ſapientiſſimiſque Prophetæ vaticinabantur. Quò autem major foret vaticiniorum fides, ea ſcripto exarabant, additâque temporis notâ, in vulgus edebant. Ipſum interdum diem annumque, quo res eventura erat, & hominum nomina, quorum operâ explenda erant vaticinia, prænunciabant. Hæc profectò ea ſunt, quibus Prophetarum oracula ab Ethnicorum dolis artibuſque ſecernebantur.

NON DIXI SEMINI JACOB FRUSTRA: QUÆRITE ME. Vel: Non dixi ſemini Jacob: Nullâ mercede aut præmii ſpe me quærite. Id ſanè imperare poteram pro abſolutâ in res a me creatas poteſtate; ſatiſque præmii gloriæque Iſraëli eſſe debuiſſet, ubi & ſervitute & cultu mihi obtemperaſſet. Eo munere functus, quid ex me flagitare jure poteſt? Nonne inutilis adhuc ſervus eſt? Attamen præmia pollicitus ſum, cùm ſimul legem illi ſeriberem, & promiſſis ſteti. Aliud igitur hic habes diſcrimen inter mei cultum cæterorumque Deorum. Nullum illis jus eſt ut obſequium ex te quærant; nulla poteſtas, ut obſequii præmia reddant.

℣. 20. ACCEDITE SIMUL QUI SALVATI ESTIS EX GENTIBUS. Iſraëlitæ, quos ego e profanarum gentium medio eduxi, ac Babylone ſevocavi, teſtes

(u) *Num.* XII, 1. (x) סבאים אנשי מדה 70: Οἱ Σαβαεὶμ ἄνδρες ὑψηλοί. (y) *Agatharcid. lib.* 5, c. 50: Τὰ σώματα ἔτι τῶν κατοικούντων ἀξιολογώτερα. (z) בושו חרשי צירים 70: Ἐγκαινίζεσθε πρός με νῆσοι. Legunt חרשי איים (a) לא תהו בראה *Non creavit illam tohu*. (b) *Geneſ.* I, 2. והארץ היתה תהו ובהו *Et terra erat tohu, & bohu*. (c) *Heb.* VI, 13.

℣. 21. Annuntiate, & venite, & consiliamini simul: quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc prædixit illud? numquid non ego Dominus, & non est ultra Deus absque me? Deus justus, & salvans non est præter me.

℣. 22. Convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non est alius.

℣. 23. In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, & non revertetur: Quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua.

℣. 24. Ergo in Domino, dicet: Meæ sunt justitiæ, & imperium: ad eum venient, & confundentur omnes, qui repugnant ei.

℣. 25. In Domino justificabitur, & laudabitur omne semen Israël.

COMMENTARIUS.

tester ego vos eorum volo quæ de profanis Diis loquor. *Qui levant signum sculpturæ suæ*, illudque vel humeris vel in curru circumferunt, satis ne sani sunt? *Nescierunt qui levant signum sculpturæ suæ*.

℣. 21. ANNUNTIATE ET VENITE. Gens mea, quam captivitate liberavi, accedite jam, veritatis testes. Quis hæc prædixit? An non ego? Propheta, vel Deus ipse hic loquens, auditorem rapit ad ea tempora, quæ captivitatem consecuta sunt: eumque interrogat & alloquitur, quasi ea quæ prædicta fuerunt, jam præsens viderit. Tu horum testis er. Nonne hæc ego prædixeram? *Quis auditum fecit hoc ab initio? Numquid non ego Dominus?*

℣. 23. IN MEMETIPSO JURAVI, EGREDIETUR DE ORE MEO JUSTITIÆ VERBUM. *Quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum* Deus (c). *Verbum justitiæ* profert, certum, constans, verum (d), nunquam irritum futurum: *Non revertetur*.

QUIA MIHI CURVABITUR OMNE GENU, ET JURABIT OMNIS LINGUA. Quodlibet hominum genus me colet, venerabitur, supremamque meam justitiam & absolutam potestatem agnoscet, cùm me veritatis testem jurando adhibuerit. Jusjurandum actus Religionis est, quo ita colitur Deus, ubi cum obsequio, justitiâ & veritate nominatur, uti injuriâ afficitur, si hæc eadem absint. Imperat populo suo Deus, ut jusjurandum per sui ipsius nomen nuncupet (e); pejerare vetat (f), aut frustra (g), vel ex profanorum Numinum nomine jurare (h). Nihil luculentius afferri potest, quàm hic locus pro Gentium conversione, cùm sub ipsis omnium oculis expleta sit, ac magis magisque in dies compleatur. Recentiores quidam Interpretes reddunt: *Propter me curvabitur omne genu*: omnia quæ in lucem eduntur, mea sunt. Apud Æthiopes, fœminæ in genua procumbenter pariunt (i), ac rarò utuntur obstetrice. Idem Judæorum fœminis mos fuisse, ex quibusdam Scripturæ locis (k) videtur.

℣. 24. ERGO IN DOMINO DICET: MEÆ SUNT JUSTITIÆ, ET IMPERIUM. Omnes ubique gentes, ad Deum conversæ, quicquid sibi justitiæ aut virium est, a Domino sese accepisse fatebuntur. Vel: Tunc agnoscet Cyrus, justitiam viresque suas, atque Judicis in populos, Regisque in totius orbis homines dignitatem, mero Dei beneficio a se haberi. Id sanè Cyrus in lege pro Judæis latâ profitetur (l): *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cœli & terræ, & ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæâ, &c.*

CAPUT XLVI.

Confracta Babyloniorum Numina. Horum cultores probro affecti. Revocantur Israelitæ. Avis ex Oriente profectura, ut Israelem redimat.

℣. 1. Confractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulacra eorum bestiis, & jumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem.

COMMENTARIUS.

℣. 1. CONFRACTUS EST BEL. Eadem hic oratio producitur, quæ Capite superiori, eumdem in finem desinens, ut scilicet Deor eorumque asseclas probro afficiat, Deique Israëlitarum Divinitatem, veritatemque illius Religionis probet. Israëlitarum e captivitate Babylonicâ libertatem mox prosecutus est Propheta: hic Numinum ejus regionis exitium & ruinam vaticinatur. Chaldæi, non secùs ac Ethnicorum plerique, simulacra venerabantur, iisque Templa dedicaverant. Belluas etiam quasdam, quas ceu Numina suspiciebant, religioso cultu prosequebantur; veluti

(d) *Grot. hic, Tirin. Anglic. Lud. de Dieu.* (e) *Deut.* VI, 13: *Per nomen illius jurabis.* (f) *Levit.* XIX, 12: *Non perjurabis in nomine meo.* (g) *Exod.* XX, 7: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* (h) *Exod.* XXIII, 13: *Per nomen externorum Deorum non jurabis.* (i) *Ludolf. hist. Æthiop. lib.* 1, *c.* 14. (k) 1 *Reg.* IV, 19: *Uxor Phinees prægnans erat, vicinaque partui, & audito nuntio quòd . . . mortuus esset vir suus, incurvavit se, & peperit. Vide Exod.* 1, 19. (l) 2 *Esdr.* 1, 2.

℣. 15. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israël, Salvator.

℣. 16. Confusi sunt, & erubuerunt omnes: simul abierunt in confusionem fabricatores errorum.

℣. 17. Israël salvatus est in Domino salute æternâ: non confundemini, & non erubescetis usque in sæculum sæculi.

℣. 18. Quia hæc dicit Dominus creans cœlos, ipse Deus formans terram, & faciens eam, ipse plastes ejus: non in vanum creavit eam, ut habitaretur, formavit eam: ego Dominus, & non est alius.

℣. 19. Non in abscondito locutus sum in loco terræ tenebroso: non dixi semini Jacob: Frustra quærite me: ego Dominus loquens justitiam, annuncians recta.

℣. 20. Congregamini, & venite, & accedite simul, qui salvati estis ex Gentibus: nescierunt qui levant lignum sculpturæ suæ; & rogant Deum non salvantem.

COMMENTARIUS.

ad Mare mortuum erat; qui tamen hîc innuuntur, ad orientem Erythræi sedes habebant, regionem scilicet Chus, utì putamus, atque e Moyse didicisse nobis videmur, cùm iis Sephoram uxorem suam Chusitidem appellet (u).

Sabæis additur elogium hominum *procerorum*, sive ad verbum, *virorum mensura* (x). Hos profectò inter cæteros Arabes corporis proceritate atque elegantiâ præstare, testis est Agatharcides (y). Chaldæus: *Sabai, viri negotiationis*.

℣. 15. Verè tu es Deus absconditus, Deus Israel, Salvator. Hæc verba omnino congruunt Jesu Christo, Deo sub sacræ humanitatis velo, sub servi & peccatoris formâ abscondito, Deo Servatori ac Liberatori, Deo Israëlis, nedum ex carne Israëlis, sed spiritu; rerum omnium creatarum Deo, at eorum præsertim, qui ipsum fatentur & colunt. Jungi hæc verba cum præcedentibus possunt: Ægyptii, Chus & Saba coram te procumbent, tecumque Deum esse fatebuntur, ac nullum esse, præter illum qui te tuetur, Deum. (℣. 15) Ita, Domine, tu ille es, quem hactenus ignoravimus Deum; Deus Israëlis es, qui populum tuum captivitate solvisti. Hanc confessionem ea prodigia expresserunt, quæ Deus populi sui gratiâ patravit. Aptiùs tamen de Christo, cujus imago levissima erat Cyrus, explicatur.

℣. 16. Confusi sunt fabricatores errorum. Hebræus (z): *Pudore affecti sunt fabricatores Idolorum*, seu pudore afficientur, ubi Israëlem perpetuam in libertatem vindicatum aspexerint. (℣. 17) *Israël salvatus est a Domino salute æternâ*. Quæ verba explicari etiam queunt de salute, Christianis a Christo comparatâ. Qui pervicaci animo errorem ac superstitionem relinquere detrectaverunt, probro obruentur, ubi Fideles æternâ in gloriâ collocatos viderint.

℣. 18. Non in vanum creavit eam. Hebræus (a): *Non ut informem materiæ massam creavit illam*. Terram suâ in permistione rerumque confusione, in quâ condita est (b), relinquere poterat: formâ illam, iisque ornamentis, quæ oculis obversantur, instruere placuit: illam scilicet nostrum in usum condidit, commodasque & jucundas nobis in eâ sedes paravit: *Ut habitaretur, formavit eam*.

℣. 19. Non in abscondito locutus sum, in loco terræ tenebroso, utì plerumque solebant Oracula. Loca montibus & antris horrida oraculis maximè abundabant, quòd vel Diabolus ipse, mendacii ac tenebrarum parens, hæc loca amaret, quò faciliùs credulos falleret; vel oraculorum Sacerdotes eo antrorum horrore & obsequio, quod ex tenebræ movebant, ad consulentes decipiendos commodè uterentur.

Verba, quibus ea oracula edebantur, nunquam non ambigua erant, incerta, falsa, fallacia; vel si quando, simplicibus conjecturis innixa, verum ferebant, alius errorum fons erant. At veri Dei vaticinia res planè remotissimas, nulloque nexo cum præsentibus junctas prædicebant; quamobrem eas neque Diabolus nosse antea poterat, neque hominum quilibet, quamvis acerrimo ingenio judicioque instructissimus. Illa neque ambiguis neque fallacibus verbis efferebantur; adeò ut nihilo luculentiùs narrari a nobis elapsâ expletâque illorum fide, possent, quàm a Prophetis explicata sunt distinctissimè antequam explerentur. Prophetarum voces non obscurus aliquis regionis angulus, aut pauci testes inter antri alicujus horrorem excepere; sed audiente populo, coram Regibus gentisque Principibus, ac potentissimis sapientissimisque Prophetæ vaticinabantur. Quò autem major foret vaticiniorum fides, ea scripto exarabant, additâque temporis notâ, in vulgus edebant. Ipsum interdum diem annumque, quo res eventura erat, & hominum nomina, quorum operâ explenda erant vaticinia, prænunciabant. Hæc profectò ea sunt, quibus Prophetarum oracula ab Ethnicorum dolis artibusque secernebantur.

Non dixi semini Jacob frustra: Quærite me. Vel: Non dixi semini Jacob: Nullâ mercede aut præmii spe me quærite. Id sanè imperare poteram pro absolutâ in res a me creatas potestate; satisque præmii gloriæque Israëli esse debuisset, ubi & servitute & cultu mihi obtemperasset. Eo munere functus, quid ex me flagitare jure potest? Nonne inutilis adhuc servus est? Attamen præmia pollicitus sum, cùm simul legem illi scriberem, & promissis steti. Aliud igitur hîc habes discrimen inter mei cultum cæterorumque Deorum. Nullum illis jus est ut obsequium ex te quærant; nulla potestas, ut obsequiis præmia reddant.

℣. 20. Accedite simul qui salvati estis ex Gentibus. Israëlitæ, quos ego e profanarum gentium medio eduxi, ac Babylone revocavi, testes

(u) Num. xii, 1. (x) סבאים אנשי מדה 70: Οἱ σαβαεὶμ ἄνδρες ὑψηλοί. (y) Agatharcid. lib. 5, c. 50: Τὰ σώματα ἔσι τῶν κατοικούντων ἀξιολογώτερα. (z) בושו חרשי צירים 70: Ἐγκαινίζεσθε πρός με νῆσοι. Legunt חדשו איים (a) לא תהו בראה Non creavit illam tohu. (b) Genes. 1, 2. והארץ היתה תהו ובהו Et terra erat tohu, & bohu. (c) Heb. vi, 13.

℣. 21. Annuntiate, & venite, & consiliamini simul: quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc prædixit illud? numquid non ego Dominus, & non est ultra Deus absque me? Deus justus, & salvans non est præter me.

℣. 22. Convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non est alius.

℣. 23. In memetipso juravi, egredietur de ore meo justitiæ verbum, & non revertetur: Quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua.

℣. 24. Ergo in Domino, dicet: Meæ sunt justitiæ, & imperium: ad eum venient, & confundentur omnes, qui repugnant ei.

℣. 25. In Domino justificabitur, & laudabitur omne semen Israël.

COMMENTARIUS.

testes ego vos eorum volo quæ de profanis Diis loquor. *Qui levant signum sculpturæ suæ*, illudque vel humeris vel in curru circumferunt, satis ne sani sunt? *Nescierunt qui levant signum sculpturæ suæ.*

℣. 21. ANNUNTIATE ET VENITE. Gens mea, quam captivitate liberavi, accedite jam, veritatis testes. Quis hæc prædixit? An non ego? Propheta, vel Deus ipse hîc loquens, auditorem rapit ad ea tempora, quæ captivitatem consecuta sunt; eumque interrogat & alloquitur, quasi ea quæ prædicta fuerunt, jam præsens viderit. Tu horum testis es. Nonne hæc ego prædixeram? *Quis auditum fecit hoc ab initio? Numquid non ego Dominus?*

℣. 23. IN MEMETIPSO JURAVI, EGREDIETUR DE ORE MEO JUSTITIÆ VERBUM. *Quoniam neminem habuit, per quem juraret, majorem, juravit per semetipsum* Deus (c). *Verbum justitiæ* profert, certum, constans, verum (d), nunquam irritum futurum: *Non revertetur.*

QUIA MIHI CURVABITUR OMNE GENU, ET JURABIT OMNIS LINGUA. Quodlibet hominum genus me colet, venerabitur, supremamque meam justitiam & absolutam potestatem agnoscet, cùm me veritatis testem jurando adhibuerit. Jusjurandum actus Religionis est, quo ita colitur Deus, ubi cum obsequio, justitiâ & veritate nominatur, ubi injuriâ afficitur, si hæc eadem absint. Imperat populo suo Deus, ut jusjurandum per sui ipsius nomen nuncupet (e); pejerare vetat (f), aut frustra (g), vel ex profanorum Numinum nomine jurare (h). Nihil luculentius afferri potest, quàm hic locus pro Gentium conversione, cùm sub ipsis omnium oculis expleta sit, ac magis magisque in dies compleatur. Recentiores quidam Interpretes reddunt: *Propter me curvabitur omne genu*; omnia quæ in lucem eduntur, mea sunt. Apud Æthiopes, fœminæ in genua procumbentes pariunt (i), ac rarò utuntur obstetrice. Idem Judæorum fœminis mos fuisse, ex quibusdam Scripturæ locis (k) videtur.

℣. 24. ERGO IN DOMINO DICET: MEÆ SUNT JUSTITIÆ, ET IMPERIUM. Omnes ubique gentes, ad Deum conversæ, quicquid sibi justitiæ aut virium est, a Domino sese accepisse fatebuntur. Vel: Tunc agnoscet Cyrus, justitiam viresque suas, atque Judicis in populos, Regisque in totius orbis homines dignitatem, mero Dei beneficio a se haberi. Id sanè Cyrus in lege pro Judæis latâ profitetur (l): *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cæli & terræ, & ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæâ, &c.*

CAPUT XLVI.

Confracta Babyloniorum Numina. Horum cultores probro affecti. Revocantur Israëlitæ. Avis ex Oriente profectura, ut Israelem redimat.

℣. 1. CONfractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulacra eorum bestiis, & jumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem.

COMMENTARIUS.

℣. 1. CONFRACTUS EST BEL. Eadem hîc oratio producitur, quæ Capite superiori, eumdem in finem desinens, ut scilicet Deos eorumque asseclas probro afficiat, Deique Israëlitarum Divinitatem, veritatemque illius Religionis probet. Israëlitarum e captivitate Babylonicâ libertatem mox prosecutus est Propheta; hîc Numinum ejus regionis exitium & ruinam vaticinatur. Chaldæi, non secùs ac Ethnicorum plerique, simulacra venerabantur, iisque Templa dedicaverant. Belluas etiam quasdam, quas ceu Numina suspiciebant, religioso cultu prosequebantur; veluti

(d) *Grot. hic, Tirin. Anglic. Lud. de Dieu.* (e) *Deut.* VI, 13: *Per nomen illius jurabis.* (f) *Levit.* XIX, 12: *Non perjurabis in nomine meo.* (g) *Exod.* XX, 7: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* (h) *Exod.* XXIII, 13: *Per nomen externorum Deorum non jurabis.* (i) *Ludolf. hist. Æthiop. lib.* I, *c.* 14. (k) I *Reg.* IV, 19: *Uxor Phinees pregnans erat, vicinaque partui, & audito nuntio quod* . . . *mortuus esset vir suus, incurvavit se, & peperit. Vide Exod.* I, 19. (l) I *Esdr.* I, 2.

℣. 2. Contabuerunt, & contrita sunt simul: non potuerunt salvare portantem, & anima eorum in captivitatem ibit.

COMMENTARIUS.

uti Draconem, quem Daniel Babylone necavit (a). Neque minor erat Persarum superstitio aut error, quamquam Templis simulacrisque carebant. Numina illis erant elementa, ignis præsertim, aqua, tellus, venti. Solem etiam lunamque venerabantur (b). Sacra faciebant in locis puris editisque, minimè verò in Templis.

Everso Chaldæorum Imperio, Cyrus belli lege tum in homines tum in Numina Babyloniorum dominium usurpavit; ita enim ætatis mores ferebant. *Tot de Diis, quot de hominibus triumphi*, ait Tertullianus in Apologetico. Ubi homines aut victi erant aut victores, horum conditionem Dii sequebantur. In triumphum vel captivitatem rapiebantur, non secus atque cultores; eorumque imaginem metalla, opesque Templorum, Victori manubiarum nomine cedebant. Beli igitur & Nabo simulacra Cyrus rapuit fregitque, ut aurum argentumque in alios usus converteret. Hæc de Cyro minimè tradunt Historici; at Cambyses Templa Ægypti (c), & Xerxes Græciæ fana (d) everterunt, Deorum honorem ulturi, quos Græci & Ægyptii male sano consilio domibus clauderent: *Quòd parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent esse patentia ac libera; quorumque hic mundus omnis Templum esset & domus. Cicer. lib. 2 de Legib.*

Templum, sive sepulcrum Beli, Babylone conditum, Xerxes evertit, cum cæteris Babyloniorum fanis, eaque spoliavit, cùm ex infelici in Græcos expeditione reverteretur (e). Jovem apud Chaldæos Belum appellari, docent Profani (f). Is vetus Chaldæorum Rex erat, cui honores divini decreti sunt, impositumque tumulo Templum splendidissimum, cujus descriptionem prosequitur Herodotus (g). Eusebius, S. Hieronymus (h) aliique plures Saturnum fuisse censent, cui cruenta & sæva adeò sacra fiebant, ut nedum homines bello captos, verùm etiam liberos suos illi mactarent. Alii Solem fuisse malunt. Optimis argumentis probat Seldenus (i) fuisse Martem; medium scilicet quiddam inter Saturnum & Martem Græcorum; at reverà neutrum. Vetustior fortasse Beli cultus erat Babylone, quàm ipsa Græcorum Religio; probabile enim admodum est, ipsum fuisse Nemrodum, primum Babylonium Regem, in Scripturâ notissimum.

CONTRITUS EST NABO. Vox *Nabo*, propriè sumpta, Oraculum significat. Maximè autem verisimile est, ipsum esse Belum; quamobrem duplici hoc membro Isaiam unum idemque Numen significasse: *Confractus est Bel, contritus est Nabo*. Eamdem rem in eodem orationis membro, variis vocibus, quæ idem significent, repetere solent Hebræi. Chaldæis oracula in Beli fano reddebantur; imò in ipso sacello, vertici turris, seu Templi Beli insidente, uti dicere videtur Herodotus; quo sacello singulis diebus vespere fœmina aliqua sedulò includebatur, ibi noctem actura (k). Nomen *Nebo* seu Nabo in plerisque Babyloniorum Principibus sonat: Nabonassarus seu Nabopolassarus, Nabonidus, Nabuchodonosor, Nabuzardan, Nabuzesban, &c. Septuaginta (l) pro *Nabo* habent *Dagon*, fortasse oscitantiæ causâ; vel ob alteram apud illorum Codices lectionem, ferentem Dagon; seu denique ob eam rem, quòd *Odacon* sive Oannes, Numen eâdem formâ præditum, quâ Dagon apud Philisthinos, idem esset Nebo. Vide nostram Dissertationem de Numinibus Philisthinorum.

FACTA SUNT SIMULACRA EORUM BESTIIS ET JUMENTIS. Babyloniorum Numina jumentis & equis imposita sunt; confracta enim, inter cæteras superatæ regionis manubias ablata sunt (m). *Signa ablata, & cætera facta, quæ captis urbibus solent.* Reddi Hebræus potest (n): *Habita sunt abominationes eorum ut bestia & jumenta.* Ridicula eorum Numina vendita sunt, distributa, dissipata, direpta, ceu solent armenta. Satis virium illis non fuit, ut sese tuerentur, atque ab injuriâ vindicarent. Aliter: *Fuerunt simulacra eorum ut bestia.* Vivas quasdam bestias colebant Babylonici (o), uti vidimus. At ex Barucho (p) & Herodoto (q) colligi posse videtur, humanam illis plerumque formam fuisse.

ONERA VESTRA GRAVI PONDERE, USQUE AD LASSITUDINEM. Dii, quos in sacris ferebatis, quorum pondere fermè opprimebamini. Deos Chaldæi humeris gerebant: *Sine pedibus in humeris portantur*, ait Baruch (r). In hujusmodi Deorum sacris Profani sub Deorum, quos gerebant, pondere sese opprimi simulabant (s); rude enim & credulum vulgus, Numen ipsum insolito pondere certius præsentiæ suæ argumentum exhibere. Nec deerant fovendæ insanissimæ credulitati Sacerdotes.

℣. 2. NON POTUERUNT SALVARE PORTANTEM; ET ANIMA EORUM IN CAPTIVITATEM IBIT (t). Dii, seu Deorum cultores capti sunt ab hoste. Numinis insani simulacrum Mystam suum servare non potuit; ipsumque, quantum est, *anima ejus*, in captivitatem discessit: vivum quodammodo invitumque hostis cepit, duxitque captivum. Amara in Ethnicos ironia. Nullam esse animam simulacro, nescit nemo: at fortè esse putabant ii, qui simulacra venerabantur. Totus etiam versiculus de Ethnicis explicari potest: Simul fracti eversique sunt: Deos, quos solemni pompâ circumferebant, servare non poterunt: *Non poterunt servare onus suum: anima eorum in captivitatem ibit*; ipsi cum charissimis ac pretiosissimis rebus captivi ducentur. ℣. 3. Do-

(a) Dan. XIV, 22, 23.
(b) *Strabo, lib. 15, p. 513*: Πέρσαι τοίνυν ἀγάλματα μὲν καὶ βωμοὺς οὐχ ἱδρύονται· θύουσι δὲ ἐν ὑψηλῷ τόπῳ, τὸν οὐρανὸν ἡγούμενοι Δία· τιμῶσι δὲ καὶ ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν, καὶ σελήνην καὶ ἀφροδίτην, καὶ πῦρ, καὶ γῆν, καὶ ἀνέμους, καὶ ὕδωρ. Θύουσι δὲ ἐν καθαρῷ τόπῳ, κατευξάμενοι, καὶ παραστησάμενοι τὸ ἱερεῖον ἐστεμμένον. *Ita Herodot. lib. 1, c. 131.* (c) *Herodot. lib. 3, c. 29, & 37; & Diodor. Sicul. lib. 2, p. 30.* (d) *Herod. lib. VIII, c. 109; & Diodor. lib. 6; Æschyl. in Persis.* (e) *Arian. lib. 7.* (f) *Diodor. lib. 2, p. 69*: Χαλκᾶς εἰκόνας Νίνου, καὶ Σεμιράμιδος, καὶ τῶν ὑπάρχων, ἔτι δὲ Διὸς, ὃν καλοῦσι Βαβυλώνιοι Βῆλον. *Ita & Herodot.* (g) *Herodot. lib. 1, c. 181, & sequ.*
(h) *Hieron. hic: Bel, quem Græci Belum, Latini Saturnum vocant; cujus tanta fuit apud veteres Religio, ut ei non solùm humanas hostias captivorum, ignobiliumque mortalium, sed & suos liberos immolarent. Ita & Theodoret. &c.* (i) *Selden. de Diis Syr. Syntagm. 2, c. 1.*
(k) *Herodot. lib. 1, c. 181.* (l) *Heb.* קרס נבו 70: Συνετρίβη Δαγών. (m) *Caj. Flumin. orat. pro M. Fulvio, apud Grot. hic.* (n) היו עצביהם לחיה ולבהמה (o) *Dan. XIV, 22.*
(p) *Baruc, VI, 12, 13, 14.* (q) *Herodot. lib. 1, c. 181, 182, & sequ.* (r) *Baruc, VI, 25.*
(s) *Ita Cyrill. hic.* (t) לא יכלו מלט משא ונפשם בשבי הלכה

℣. 3. Audite me, domus Jacob, & omne residuum domus Israël,
qui portamini a meo utero, qui gestamini a meâ vulvâ.
℣. 4. Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego porta-
bo: ego feci, & ego feram: ego portabo, & salvabo.
℣. 5. Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fe-
cistis similem?
℣. 6. Qui confertis aurum de sacculo, & argentum staterâ pon-
deratis: conducentes aurificem, ut faciat deum: & procidunt,
& adorant.
℣. 7. Portant illum in humeris gestantes, & ponentes in loco suo:
& stabit, ac de loco suo non movebitur; sed & cùm clamaverint
ad eum, non audiet: de tribulatione non salvabit eos.
℣. 8. Mementote istud, & confundamini: redite prævaricatores
ad cor.
℣. 9. Recordamini prioris sæculi, quoniam ego sum Deus, & non
est ultra Deus, nec est similis mei:
℣. 10. Annuntians ab exordio novissimum, & ab initio, quæ nec-
dum facta sunt, dicens: Consilium meum stabit, & omnis vo-
luntas mea fiet.
℣. 11. Vocans ab Oriente avem, & de terrâ longinquâ virum vo-
luntatis meæ, & locutus sum, & adducam illud: creavi, & fa-
ciam illud.
℣. 12. Audite me duro corde, qui longè estis a justitiâ.

COMMENTARIUS.

℣. 3. DOMUS JACOB, ET OMNE RESIDUUM DOMUS ISRAEL. Juda & Benjamin, ex quibus Regnum Juda componitur; Israëlitæ e decem Tribubus, qui Samaritici Regni exitio superfuistis; miserrimæ populi olim florentis reliquiæ. *Qui portamini a meo utero, qui gestamini a meâ vulvâ*; quos ego sinu gero, & usque ad senectutem geram. Aliter ego planè me gero ac Numina, quorum ego mox memini, quæ necesse est hominum humeris gestari, quæque neque tueri neque servare illos queunt, a quibus ipsa geruntur.

Geos mea, quorsum hæc cæcitas, ingratique animi contumacia, ut me corporeis imaginibus fingere audeatis? (℣. 5) *Cui assimilastis me, & adæquastis*? Cui me similem fecistis? Quis vobis occurrat, qui me satis aptè repræsentet? (℣. 6) *Qui confertis aurum de sacculo, & argentum staterâ ponderatis, conducentes aurificem, ut faciat Deum*. Judæos atque Ethnicos arguit, qui corporeis imaginibus carere non poterant, unumque Deum cujuslibet materiæ expertem colere nesciebant. Qua me sub imagine fingetis, si memet oculis exhibere conamini? Israëlis Deus, ut eâ libidine populum spoliaret, id maximoperè studebat, ut nullius corporis sub imagine fingi sese pateretur (u). *Accessistis ad radices montis* Sinai, *qui ardebat usque ad Cœlum; erantque in eo tenebræ, & nubes, & caligo. Locutusque est Dominus ad vos de medio ignis: vocem verborum ejus audistis, & formam penitus non vidistis*.

QUI PORTAMINI A MEO UTERO (x), quos sinu gero, ab ipso vestrûm exordio & ortu. Nunquam vos gestare cessavi, ceu gnatum mater, aut nutrix alumnum; & *usque ad canos ego portabo*. Legendum videbatur apud Vulgatam: *Qui portamini a me ab utero; qui gestamini a me a vulvâ*.

℣. 6. QUI CONFERTIS AURUM DE SACCULO, ET ARGENTUM STATERA PONDERATIS. Hebræus (y): *Qui profunditis aurum e marsupio, & in trutinâ expenditis argentum*. Veteres innuit trutinas, quibus aurum argentumque ad pondus expendebant. Nostrâ adhuc ætate Sinenses parvâ trutinâ utuntur eborneâ, ut aurum ad pondus exhibeant. Isaiæ ætate cusi numismatis usum nondum obtinuisse credimus; quamobrem argentum pro mercibus ad pondus dabatur.

℣. 8. MEMENTOTE ISTUD, ET CONFUNDAMINI. Hebræus (z): *Mementote hujus rei, & fortes estote*. Constanter decernite ad me reverti, Deorumque superstitionem aversari. Septuaginta (a): *Mementote horum, & ingemiscite*.

℣. 11. VOCANS AB ORIENTE AVEM. Hanc avem alii Jesum Christum, alii Darium seu Cyrum interpretantur. Quæ sequuntur, ex ipso verborum

(u) *Deut.* IV, 11, 12. (x) העמסים מני בטן 70: Καὶ αἰρόμενοι ἐκ κοιλίας. (y) הזלים זהב מכים וכסף בקנה ישקלו (z) זכרו זאת והתאששו (a) Μνήσθητε ταῦτα, καὶ στενάξατε. (b) *Sup.* XLI, 2. (c) *Ita Hieron. ad finem Capit. Sanct. hic.* (d) *Xenoph. lib. 7 Cyropæd.* Ἦν δὲ αὐτῷ τὸ σημεῖον, ἀετὸς χρυσοῦς ἐπὶ δόρατος μακροῦ ἀνατεταμένος, καὶ νῦν δὲ ἔτι τοῦτο τὸ σημεῖον τῷ Περσῶν βασιλεῖ διαμένει. (e) *Isai.* XLI, 3. (f) *Psal.* XVIII, 6, 7: *Exultavit ut gigas ad currendam viam; a summo Cœlo egressio ejus.* (g) *Malach.* IV, 2: *Orietur vobis timentibus nomen meum, sol justitiæ, & sanitas in pennis ejus.* (h) *Deut.* XXXII, 11: *Sicut Aquila provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans.* (i) *Isai.* XLI, 2, 10, 25; LI, 5. *Vide Hieron. in hunc locum.*

(a) *Exod.* XI, 5: *Usque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam.*

℣. 13. Propè feci justitiam meam, non elongabitur, & salus mea non morabitur. Dabo in Sion salutem, & in Israël gloriam meam.

COMMENTARIUS.

horum sono eò ducere videntur, ut de Cyro explicanda sint. Is ex Oriente proficiscitur (b), e remotissimâ regione, ex intimâ Perside, ut Israëli libertatem, Sioni salutem restituat (c). Cyri celeritas sub avis nomine aptissimè significatur. Aquilam expansis alis in oblongâ hastâ Cyrus sibi præferri jubebat, ut suæ in castris præsentiæ signum daret (d). Hunc deinde morem cæteri post illum Persarum Reges servavere. Cyri adventum describens Propheta, illum ceu heroëm exhibet, eâ celeritate gradientem, ut pedibus humum tangere non videatur (e): *Semita in pedibus ejus non apparebit*. Qua in re Divini hominum Reparatoris figuram exhibuit, summo e Cœlo, giganteis gradibus (f), profectò, ut gentem suam redimeret. Sanè Christus ita inter homines apparuit uti sol justitiæ, salutem alis ferens (g). Denique ceu aquila pullos gerens, eosque ad volatum provocans (h), ita nos ille ad sese extulit, justitiæque ac virtutis iter edocuit.

℣. 13. PROPE FECI JUSTITIAM MEAM. Proximum jam tempus est, quo missurus sum meam justitiam, Cyrum scilicet, qui frequenter (i) in hoc vaticinio *Justus*, Divinæque, tum Chaldæorum hostium suorum exitio, tum Israëlitarum commodo, justitiæ minister appellatur. Is quamprimùm accessurus est, libertatemque Jacobo redditurus: *Dabo in Sion salutem, & in Israël gloriam meam*. Israël in patriam restituetur, nec jam gentium opprobrium erit. Vide caput XLI, 5: *Prope est Justus meus*. At plenam horum vaticiniorum fidem nonnisi in Jesu Christo ejusque Ecclesiâ, procul dubio est.

CAPUT XLVII.

Babyloniorum dejectio & probrum, superbia, sævitia, & superstitionis causâ.

℣. 1. DEscende, sede in pulvere, virgo filia Babylon, sede in terrâ: non est solium filiæ Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis, & tenera.

℣. 2. Tolle molam, & mole farinam: denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina.

℣. 3. Revelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum: ultionem capiam, & non resistet mihi homo.

℣. 4. Redemptor noster, Dominus exercituum nomen illius, sanctus Israël.

℣. 5. Sede tacens, & intra in tenebras, filia Chaldæorum: quia non vocaberis ultra domina regnorum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. DESCENDE, SEDE IN PULVERE, VIRGO FILIA BABYLON. Superba urbs, e solio descende, humi atque in pulvere considito, ceu lugens: solium tuum periit. *Non est ultra solium filiæ Chaldæorum*. Imperium Chaldæorum Cyrus evertit. Sequuntur hæc ex præcedentibus vaticiniis, quæ omnino ad Babylonis excidium, & Judæorum libertatem pertinent.

℣. 2. TOLLE MOLAM, MOLE FARINAM; *quod est duræ captivitatis, & extremæ servitutis indicium*, addit hic S. Hieronymus. Moyses, ut ancillarum vilissimam significet, eam dicit *quæ est ad molam* (a). Christus etiam (b) de ancillis loquitur, aliquo in loco clausis, ut molam torqueant. Hujus moris meminit Homerus (c).

DENUDA TURPITUDINEM TUAM. Barbari parum adeò servorum ancillarumque pudori parcebant, ut frequenter nudos detractisque vestibus exponerent (d). Nonnulli (e) vertunt Hebræum (f): *Depone velum tuum*. Alii (g): *Dissolve cincinnos tuos*. Hebraicas voces S. Hieronymus in Cantico reddit (h): *Id quod intrinsecus latet*. Septuaginta (i): *Silentium tuum*; id quod dici pudor vetat.

DISCOOPERI HUMERUM, REVELA CRURA, TRANSI FLUMINA: Verba militum victorum sunt ad Babylonicas fœminas, quas cogunt amnem tranare, in remotam regionem abducendas. Hebræus aliter vertitur (k): *Detege pedes*, talos, crura (Hebraica vox *schobel*, cùm uno hoc in loco legatur, incertæ significationis est); *detege coxam, transi flumina*. Septuaginta (l): *Denuda canos, discooperi crura, transi flumina*.

℣. 5. SEDE TACENS, ET INTRA IN TENEBRAS. Sepulcrum & mors silentii ac tenebrarum nomine signi-

(b) *Matt.* XXIV, 41: *Duæ molentes in molâ*. (c) *Homer. Odyss.* XX:
Πλησίον ἔνθ' ἄρα οἱ μύλαι εἵατο ποιμένι λαῶν·
Τῇσι δὲ δώδεκα πᾶσαι ἐπεῤῥώοντο γυναῖκες,
Ἄλφιτα τεύχουσαι, καὶ ἄλειαρ, μυελὸν ἀνδρῶν.
(d) *Isai.* III, 17: *Dominus crinem earum nudabit*. Et XX, 4: *Sic minabit Rex Assyriorum captivitatem Ægypti, & captivitatem Æthiopiæ juvenum & senum, nudam & discalceatam, discoopertis natibus, &c.* (e) 70: Ἀποκάλυψαι τὸ κατακάλυμμά σου. *Ita Syr. Arab. Vat. alii*.
(f) גלי צמתך *Aquil.* Σμμματίχ. *Theodot.* Σμμτέχ. *Sym.* Τὴν σιώπησίν σου. (g) *Pag. Mont. Jun. Tremel. Pisc. Tig. Cast. &c.* (h) *Cant.* IV, 1, 3. (i) *Vide 70 in Cant.* IV, 1, 3.
(k) השפי שבל גלי שוק עברי נהרות (l) Ἀνακάλυψαι τὰς πολιάς, ἀποκάλυψαι τὰς κνήμας, διάβηθι ποταμούς.

℣. 6. Iratus ſum ſuper populum meum, contaminavi hæreditatem meam, & dedi eos in manu tuâ: non poſuiſti eis miſericordias: ſuper ſenem aggravaſti jugum tuum valdè.

℣. 7. Et dixiſti: In ſempiternum ero domina: non poſuiſti hæc ſuper cor tuum, neque recordata es noviſſimi tui.

℣. 8. Et nunc audi hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo: Ego ſum, & non eſt præter me amplius: non ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem.

℣. 9. Venient tibi duo hæc ſubitò in die unâ, ſterilitas & viduitas: univerſa venerunt ſuper te, propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem.

℣. 10. Et fiduciam habuiſti in malitiâ tuâ, & dixiſti: Non eſt, qui videat me. Sapientia tua, & ſcientia tua hæc decepit te. Et dixiſti in corde tuo: Ego ſum, & præter me non eſt altera.

℣. 11. Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum ejus: & irruet ſuper te calamitas, quam non poteris expiare: veniet ſuper te repentè miſeria, quam neſcies.

℣. 12. Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laboraſti ab adoleſcentiâ tuâ, ſi fortè quid proſit tibi, aut ſi poſſis fieri fortior.

℣. 13. Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum: ſtent, & ſalvent te augures cœli, qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, ut ex eis annuntiarent ventura tibi.

COMMENTARIUS.

ſignificantur. Vide Pſalmos XCIII, 17; CXIII, 26; 2 *Reg.* II, 9.

℣. 6. CONTAMINAVI (m) HÆREDITATEM MEAM, averſatus ſum, abjeci, reliqui ceu impurum aliquid; vel impuram pronunciaveram, tibique permiſeram, ut illius ſcelera expiarem. At tu libidini tuæ obſequuta es, nullumque modum ſervaſti erga gentem, quæ nullius in te criminis rea habebatur. Tuam potiùs vindictam proſecuta es, quàm meæ voluntati obtemperaveris.

℣. 8. EGO SUM, ET NON EST PRÆTER ME AMPLIUS. Nulla jam urbs eſt, nullum Imperium, quod de principatu mecum certet. Prima totius terrarum orbis civitas ſum, nullaque par mihi eſt. Arrogantiſſima ſanè oratio, quæ certum exitium jam imminere demonſtrat (n): *Ante ruinam exaltatur ſpiritus.*

℣. 9. VENIENT TIBI DUO HÆC SUBITO IN DIE UNA: STERILITAS ET VIDUITAS. Regio tua diripietur, tuique cives in necem vel captivitatem tradentur. Sive: Unâ ſtatim die filios & virum amittes; populum & Regem. Imperio exuêris, liberosque tuos coram te necatos intueberis.

PROPTER MULTITUDINEM MALEFICIORUM TUORUM, ET PROPTER DURITIAM INCANTATORUM TUORUM VEHEMENTEM. Chaldæi & Babylonii divinationi, incantationibus, & cuilibet ſortium ac ſuperſtitionum generi magnoperè ſtuduerunt, teſtibus Danielo (o), Ezechiele (p), & Profanis (q). Veneficos Propheta ſævitiæ & inhumanitatis arguit; ſive ſub horum appellatione Principes Babyloniorum, Nabuchodonoſorem, Balthaſarum, Evilmerodachum, ſævitiâ infames, ſignificet; ſive Magos, qui Regibus hiſce a conſiliis erant, eosque ad ſævitiam, armaque cæteris gentibus inferenda hortabantur. Denique reddi poteſt (r): *Ob multitudinem præſtigiorum tuorum, & propter copiam Magorum tuorum.* Vide ℣. 12.

℣. 11. VENIET SUPER TE REPENTE MISERIA, QUAM NESCIES. Magicæ artes, rerumque futurarum cognitio, quibus inſaniſſimè gloriaris, malis tibi imminentibus te minimè ſubducent; ea enim neque antea noſti, neque prævidiſti, neque prædixiſti, eaque non occupabis aut fugies. Tu, tuâque ingens Magorum tuorum numerus provocamini, ut imminentium malorum tempus prædicatis, aut jamjam illapſura avertatis (℣. 12). *Sta cum incantatoribus tuis, ſi fortè quid proſit tibi.* Hæc profectò abſolutas Omnipotentis vires, & magicarum, cæterarumque artium, quæ curioſitati ſerviunt, & Diaboli ope utuntur, infirmitatem oſtendunt.

℣. 13. AUGURES COELI, QUI CONTEMPLABANTUR SIDERA, ET SUPPUTABANT MENSES, ut ex iis vaticinia diſcant, accedant jam, teque tueantur. Duplex hîc Magorum ſive Augurum genus innuit Iſaias (s). I, Aſtronomos, qui ex Planetarum conjunctione, & ſiderum aſpectu futura ſeſe vaticinari ajunt. II, eos, qui ex variâ dierum menſiumque compoſitione, ſive ſortium ſive alterius artis

(m) הלאתי נחלתי ſimilem phraſim vide ſupra, XLIII, 28; & *Levit.* XIII, 11, 20, &c. (n) *Prov.* XVI, 18. (o) *Dan.* I, 20; II, 2; V, 7, &c. (p) *Ezech.* XXI, 21. (q) *Tull. lib.* 2 *de Divinat. Diodor. Sicul. lib.* 3; *Tacit. Annal.* 6; *Horat. lib.* 1, *Ode* 11: *Nec Babylonios tentâris numeros, &c. Vide Stanley Philoſoph. Caldaic. ſect.* 2, *c.* 26. (r) ברב כשפיך בעצמת חבריך מאד 70: Ἐν τῇ φαρμακείᾳ σου, ἐν τῇ ἰσχύϊ τῶν ἐπαοιδῶν σου σφόδρα. (s) הברי שמים החזים בכוכבים מודיעים לחדשים מאשר יבאו עליך

℣. 14. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos: non liberabunt animam suam de manu flammæ: non sunt prunæ, quibus calefiant, nec focus, ut sedeant ad eum.

℣. 15. Sic facta sunt tibi, in quibuscunque laboraveras: negotiatores tui ab adolescentiâ tuâ, unusquisque in viâ suâ erraverunt: non est, qui salvet te.

COMMENTARIUS.

artis ope, apta rebus agendis tempora inepiave pronunciant. Ita Aman Judæorum cædem ad mensem Adar rejecerat (t), quòd ita sortes joberent. Magorum hujus loci nomina in Daniele non leguntur. Daniel enim propriis Chaldæorum nominibus illos designat, Isaias generico & communi.

℣. 14. NON SUNT PRUNÆ, QUIBUS CALAFIANT, NEC FOCUS, UT SEDEANT AO EUM. Hæc mala, quæ illis minitor, id flammarum ignisque genus aunt, quibus ad membra fovenda uti queant, vel focus, circa quem otiosi sedeant; sed vorax ignis, ardens focus, qoo crementur. Spectare videtur Isaias ritum, quo *Ausis & Omanus*, Cappadocom Dii, coluntur, a Strabone descriptum (u): *Suut & Pyratheia septu quadum ingentiu, in quorum medio ara est. In eâ magi & cinerem multum & ignem perennem servunt; & eò quotidie ingressi, imprecutiones faciunt, per horam unte ignem virgarum fasciculum tenentes, pileis infulis veluti ex utrâque parte dependentibus, adeò ut vittu labiu contegunt ac malus.* Neque ego inficias iverim, *Pyratheia* Templorum genus esse, Persis peculiare; at æquè asserit Strabo, ritus hosce in Templis Anaidis & Omani, veterum Regionis Numinum, servari consuevisse, quamvis alia planè esset eorum Templorum Religio, quippe cùm nulla essent Persis Numinum simulacra, & Omanus solemni pompâ circumferretur, uti Noster docet. Hic igitur loci hujus sensus est: Ignis, quem in vos mitto, ex eo non est ignium genere, qui apud vos colontur, aut circa quos membra fovetis; sed bellicus ignis, quo voremini.

℣. 15. NEGOTIATORES TUI AB ADOLESCENTIA TUA, UNUSQUISQUE IN VIA SUA ERRAVERUNT. Babylonis situs, amplitudo, opulentissimi totius Orientis Reges, qui sedem in eâ urbe fixerant, totius Asiæ mercatores Babylonem acciverant. Aquarum & mercimonii, quibus Babylon abundabat, frequenter memioere Scriptura (x) & Profani (y).

CAPUT XLVIII.

Judæi arguuntur. Idolorum inanitas. Judæi e captivitate reduces. Cyrus mittitur, ut eos in libertatem vindicet. Felicitas, qua Judæi fruituri erant, si religiosiùs fidem Deo servassent.

℣. 1. Audite hæc, domus Jacob, qui vocamini nomine Israël, & de aquis Juda existis, qui juratis in nomine Domini, & Dei Israël recordamini non in veritate, neque in justitiâ.

℣. 2. De civitate enim sanctâ vocati sunt, & super Deum Israël constabiliti sunt. Dominus exercituum nomen ejus.

℣. 3. Priora ex tunc annunciavi, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea: repente operatus sum, & venerunt.

COMMENTARIUS.

℣. 1. AUDITE HÆC, DOMUS JACOB... QUI DE AQUIS JUDA EXISTIS. Aquæ Juda sunt Judæ posteri, soboles (a). Balaam de Israële agens (b), ajebat: *Fluet aqua de situlâ ejus, & semen illius erit in aquas multas.* Sapiens, ut Discipulum ab adulterio & libidine arceat, *Bibe*, inquit (c), *aquam de cisternâ tuâ & fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras.* Et (d): *Aquæ furtivæ dulciores sunt.* Vetita furtivaque voluptas suavior est.

QUI JURATIS IN NOMINE DOMINI... ET NON IN VERITATE. Satis ipsi profitemini, vos Dei servitio addictos esse, ipsumque Dominum agnoscere, cùm jusjurandum ejus nomine nuncupatis: cùm verò veritatem justitiamque, falso jurantes, violetis, sacramenta vestra injuriæ, non religionis loco is babet.

℣. 2. DE CIVITATE SANCTA VOCATI SUNT (e). Urbis sanctæ, scilicet Jerosolymæ, civium incolarumque appellationem usurpant. Jerosolyma, a Salomonis ætate, deinceps urbs sancta vulgo appellata est (f).

℣. 3. REPENTE OPERATUS SUM, ET VENERUNT. Statim hæc ego patravi, vosque ipsi peracta vidistis.

(t) *Esther*, III, *Missa est sors in urnam coram Aman, quo die, & quo mense gens Judæorum deberet interfici: & exivit mensis duodecimus, qui vocatur Adar.* (u) *Strabo*, *lib.* 15, *p.* 504. Ἔστι δὲ καὶ τὰ πυραιθεῖα σηκοί τινες ἀξιόλογοι· ἐν δὲ τούτοις μέσοις βωμὸς, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς, καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ μάγοι. Καθ' ἡμέραν δὲ εἰσιόντες, ἐπᾴδουσιν ὥραν σχεδὸν, πρὸ τοῦ πυρὸς τὴν δέσμην τῶν ῥάβδων ἔχοντες. (x) *Isai.* XIII, 20, 21; & XXI, 1.
(y) *Diodor. Sicul. lib.* 2, *p.* 72: Τίγρις καὶ Εὐφράτης μεγάλοι ὄντες, καὶ συχνὴν χώραν ἔχοντες, καὶ διαπορευόμενοι, πολλὰς ἀφορμὰς παρέχονται τοῖς ἐμπορικῇ χρωμένοις ἐργασίᾳ. Διὸ καὶ συμβαίνει τοὺς παραποταμίους τόπους πλήρεις ὑπάρχειν ἐμπορίων εὐδαιμόνων, καὶ μεγάλα συμβαλλομένων πρὸς τὴν τῆς Βαβυλωνίας ἐπιφάνειαν. *Vide Plin. lib.* 6, *c.* 26. (a) *Hieron. hic: De aquis Juda existis*, σεμνοτέρως *aquas vocans pro semine.* (b) *Num.* XXIV, 7. (c) *Prov.* V, 15, 16. (d) *Prov.* IX, 17.
(e) מעיר הקדש נקראו (f) *Dan.* III, 28; *Eccli.* XXIV, 15; 2 *Macc.* I, 12; III, 1; *Matt.* IV, 5; XXVII, 53.

℣. 4. Scivi enim, quia durus es tu, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ærea.

℣. 5. Prædixi tibi ex tunc: antequam venirent, indicavi tibi, ne fortè diceres: Idola mea fecerunt hæc, & sculptilia mea, & conflatilia mandaverunt ista.

℣. 6. Quæ audisti, vide omnia: vos autem num annunciastis? Audita feci tibi nova ex tunc: & conservata sunt, quæ nescis:

℣. 7. Nunc creata sunt, & non ex tunc: & ante diem, & non audisti ea, ne fortè dicas: Ecce ego cognovi ea.

COMMENTARIUS.

distit. Nemo certè me accusaverit, ea quæ prædixi, & jam impleta sunt, molimina esse diuturno studio parata, quæ ex naturali minorum caussarum fluxu oriantur; quemadmodum fermè eclypsis, nimbus, terræmotus, fames ex cœli, siderum, telluris, temporum naturâ prædicuntur; sive ubi quisque victoriam cædemve prævidet, ubi exercitus aliquis numero, peritiâ, alacritate, ducibus melior alterum iisdem rebus inferiorem aggreditur. Hæc ego prædixi, neglectis hominum voluntatibus, quorum operâ deinde usus sum; Cyri ortum, antequam ipsi illius parentes in lucem ederentur; Babylonis, & Imperii Chaldaici excidium, antequam Babylon rea eorum criminum esset, quibus ea calamitas in illius caput provocanda erat, ipsumque Chaldæorum Imperium staret; Populi mei captivitatem inter Babylonios, ejusque reditum in patriam, quo tempore nulla ejus rei spes fulgebat, imò contraria esse omnia videbantur. Improvisa sunt quæ ego vaticinor, ac præparatione non egent; quæque ego prænunciavi, statim evenient, præter omnium expectationem, ut nullus excusationis locus iis sit, qui credere detrectaverint.

℣. 4. NERVUS FERREUS CERVIX TUA, ET FRONS TUA ÆREA. Acres vividæque locutiones, quibus indocilis, arrogans, impudens impii mens significatur: rigens & inflexa cervix, impatiens jugi; frons ærea, dura, impudens ac ruboris nescia. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum*, ait ad Ezechielem Deus (g). *Ut adamantem & ut silicem dedi faciem tuam*. Jeremias (h): *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere*. Cicero in Pisonem: *Os suum ferreum Senatûs convitio verberari noluisti*.

℣. 6. QUÆ AUDISTI, VIDE OMNIA: VOS AUTEM NUM ANNUNTIASTIS? Judæos alloquitur, quos veluti e captivitate reversos spectat; eosque veluti hujus eventûs testes affatur: Quæ ego prædixi, ipsi cernitis. Ipsi ne prædixistis? Id ne futurum esse credebatis? An unquam ausi fuissetis id eventurum asserere? Incredibilem ne adeò mirificamque rem fieri posse videbatis? Vide ℣. 3.

AUDITA TIBI FECI NOVA EX TUNC: ET CONSERVATA SUNT QUÆ NESCIS. Non omnia Vatibus meis aperui: adhuc aperienda supersunt. Hebræus toto versiculo fert (i): *Audisti hæc omnia; & vos numquid annunciastis? Audire te feci nova*, ignota vaticinia, *& conservata* penès me, *& non intellexisti ea*. Judæos obstinationis & indocilitatis mox arguit; jam objicit stoliditatem. (℣. 5) Hæc longo ab hinc tempore nunciavi, ne ex Numinibus gesta esse crederes. (℣. 6) Hæc ego tibi prædixi, tu ea auribus excepisti, at minimè assecutus es mente. Tu ea non prædixisti. Tibi ego vetera & ignota prædixi, quæ neque scires, neque scire posses. Meam igitur veritatem admirare, mihique uni deberi vaticinium fatere, nullamque eorum partem vel ex te vel ex Diis tuis pendere. Sequitur

℣. 7. NUNC CREATA SUNT, ET NON EX TUNC: ET ANTE DIEM, (antea non erant) ET NON AUDISTI EA; NE FORTE DICAS: ECCE COGNOVI EA, hæc ego noveram. Vel: Ista ego feci, & quæ tibi nunciaveram, meâ unius virtute complevi; neque hæc priùs facere volui, ut tu ipse meliùs nosses; cùmque ea quæ elapsa sunt, minùs animum movent, te ea cernere ac sentire volui. Si Ægyptiacam servitutem tibi objicerem, diceres: Hoc jam diu novi, neque eâ re jam moveor. At novam penitus rem, tibi patribusque tuis inauditam doceo, libertatem, quam Cyrus regioni tuæ allaturus est. Hoc profectò neque noveras, neque præsenseras. (℣. 8) *Neque audisti, neque cognovisti, neque ex tunc aperta est auris tua*. Id tu nihilo seciùs ignorabas, quàm si aurium usu careres, auresque tuæ penitus apertæ non forent. Res denique adeò nova est, ut vix modò gesta sit.

Hæc locutio, *Neque ex tunc aperta est auris tua*, significat, vel aurium vitium, vel aliquid aliud, quo impeditur auditus. De se ipso loquens Isaias (k), ait: *Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico*. Quamobrem Theodoretus hæc verba de obedientiâ interpretatur: Hoc tu neque nosti, neque intellexisti, neque adhuc mihi obtemperasti. Tradit alibi Scriptura (l): *Dominus revelaverat auriculam Samuelis*, ut Saulem agnosceret, veluti cùm quis aliquid alteri in aurem dicit. Iisdem verbis utitur David, de se ipso agens (m): *Tu, Domine, revelasti auriculam servi tui, ut ædificares ei domum*, ut illum moneres innumeros illi posteros te daturum. Job (n): *Quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit* Deus *aures virorum, & erudiens eos, instruit disciplinâ*. Hoc igitur velle hic locus videtur, nullam hactenus Israëlitis cognitionem earum rerum fuisse, quas deinde spectavere. Profectò Isaias omnium primus Babylonicam captivitatem ejusque exitum luculentis adeò verbis prædixit, ut nemo deinceps quidquam apertius de eâ tradiderit. Porrò hæc orationis perspicuitas apud Isaiam sedulò animadvertenda est, ut vaticiniorum ac Religionis veritas, & Judæi pervicaces atque extranei refellantur.

(g) *Ezech.* III, 8. (h) *Jerem.* III, 3. (i) שמעת חזה (*Forte* הזה) כלה ואתם הלוא תגידו השמעתיך הדשות מעתה ונצרות ולא ידעתם 70: Ἠκέσατε πάντα, καὶ ὑμεῖς ἐκ ἔγνωτε, ἀλλὰ καὶ ἀκουστά σοι ἐποίησα τὰ καινὰ ἀπὸ τοῦ νῦν ἃ μέλλει γίνεσθαι. (k) *Isai*, L, 5.

(l) I *Reg.* IX, 15.

(m) I *Par.* XVII, 25.

(n) *Job*, XXXIII, 16.

℣. 8. Neque audisti, neque cognovisti, neque ex tunc aperta est auris tua: scio enim, quia prævaricans prævaricaberis, & transgressorem ex utero vocavi te.

℣. 9. Propter nomen meum longè faciam furorem meum: & laude meâ infrænabo te, ne intereas.

℣. 10. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum: elegi te in camino paupertatis.

℣. 11. Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer: & gloriam meam alteri non dabo.

℣. 12. Audi me, Jacob, & Israël quem ego voco: ego ipse, ego primus, & ego novissimus.

℣. 13. Manus quoque mea fundavit terram, & dextera mea mensa est cœlos: ego vocabo eos, & stabunt simul.

COMMENTARIUS.

℣. 8. SCIO ENIM QUIA PRÆVARICANS PRÆVARICABARIS. Scio certoque prævideo futurum, ut flagitiis tuis mala hæc omnia, quæ tibi minitatus sum, in te provocentur, tuique animi pervicacia id efficiat, ut his cautionibus aliquando uti necesse sit, quibus infidelitas tua convincatur, tuaque nequitia & superbia infirmetur. Omnes hîc impios incredulosque Deus in Judæis alloquitur. Nemo certè est, qui quantumvis religionis expers, si sedato tranquilloque animo hanc Isaiæ orationem a Capite XL legerit, Dei unius ac Religionis veritatem non videat, unicâ hac ratione spectatâ, quam frequentibus adeò argumentis firmavit: Unum scilicet esse Deum posse, qui futuras remotasque res noverit, neglectâ secundarum causarum connexione; atque ab unâ ipsius manu prodigia patrari.

℣. 9. PROPTER NOMEN MEUM LONGE FACIAM FUROREM MEUM: ET LAUDE MEA (gloriæ meæ causâ) INFRÆNABO TE, NE INTEREAS; te traham instar feræ. Reddi etiam potest: Furorem meum abs te arcebo, teque laudibus meis indulgere cogam, ne pereas. Ad verbum (o): *Laude meâ injiciam frænum tibi; tam multis te beneficiis cumulabo, ut velis nolensque, me amare, me commendare cogaris.* Suavissima profectò libertatis injuria, quam Deus populo minitatur. Aliter: *Laudem meam obsignabo tibi, ne intereas.* Gloriæ meæ partem perire patiar, severitati, quam provocastis, parcens, potiusquàm vos penitus deleam.

Vel: *Laudis mea causâ obsignabo te, ne intereas.* Tutum te adversùs furoris mei vim efficiam; teque perpetuæ laudis argumentum habebo. Alii: *Nominis mei causâ, iram meam coërcebo*; ad verbum, *spiritum meum*: vel nares meas claudam, & iram meam continebo gloriæ meæ gratiâ, ne omnino pereatis. Septuaginta (p): *Propter nomen meum ostendam tibi furorem meum, & gloriosa mea* molimina, ultionis meæ conatus, sive, quidquid maximè gloriosum mihi est, *inferam super te, ut non te interficiam.*

℣. 10. EXCOXI TE, SED NON QUASI ARGENTUM: ELEGI (purgavi) TE IN CAMINO PAUPERTATIS. Argentum eatenus igne purgatur, ut quicquid impurum in eo est, secernatur. Hac certè severitate Deus populum non exercuit; quamvis enim illum in paupertatis & malorum fornace concluserit, tamen tam diu illum non excruciavit, ut quâlibet labe aut adulterinâ mistione purgare voluerit; fermè enim delendus erat, assiduoque fornacis igne cremandus. Misertus igitur Israëlitarum Deus, illos ab exilio reduxit, atque in patriam revocavit.

℣. 11. PROPTER ME FACIAM, UT NON BLASPHEMER. Vel: Gloriam meam tuâ libertate quæsivi, ne Profani probrum nominis mei majestati inferant, meque infirmitatis accusent, quasi te liberare nequiverim. Hujus rei unius causâ te penitus non delevi, atque e paupertatis fornace reduxi, quamquam nondum ita purgatum, uti labes tuæ postulabant. Septuaginta (q): *Ecce vendidi te, non propter argentum: erui autem te de fornace paupertatis.* Te Chaldæis tradidi, non quæstûs causâ; nihil ex iis pro te accepi: meam solummodo gloriam, meæque justitiæ reparationem quæsivi. Te captivitate liberavi, nullius cupiditatis gratiâ, meamque gloriam solummodo quærens, ne quâ re quisquam glorietur.

GLORIAM MEAM ALTERI NON DABO, ET LAUDEM MEAM SCULPTILIBUS, simulacris, addit idem alibi (r). Nunquam fiet, ut inanibus Diis cessisse dicar, meamque gentem in eorum Principum potestate reliquisse, qui felices armorum suorum exitus Diis se debere arbitrantur: quamobrem ipsis invitis te captivitate liberabo, eosque cogam fateri, me universis rebus imperare, nullumque esse meæ potestati finem.

℣. 12. ISRAEL, QUEM EGO VOCO, vel, cui nomen ego do, qui meus est; sive, qui de meo nomine appellatur, populus Jehovah.

℣. 13. DEXTERA MEA MENSA EST COELOS. Hebræus (s): *Dextera mea palmo mensa est Cœlos.* Cœlorum amplitudinem manûs meæ palmo mensus sum; iidemque cum manu meâ comparati, palmi amplitudinem non superant. Septuaginta (t): *Dextera mea firmavit Cœlum.*

VOCABO EOS, Cœlos, iique mihi obtemperabunt. Hos ego testes appellabo, eosque in judicium traham. Plures ab Hebræis Cœlos agnosci (u), alibi animadvertimus.

℣. 14. CON-

(o) למען שמי אאריך אפי והתלתי אחטם לך לבלתי אכריתך (p) Ἕνεκεν τοῦ ἐμοῦ ὀνόματος δείξω σοι τὸν θυμόν μου, καὶ τὰ ἔνδοξά μου ἐπάξω ἐπὶ σὲ, ἵνα μὴ ἐξολοθρεύσω σε.
(q) הנה צרפתיך ולא בכסף בחרתיך בכור עני 70: Ἰδοὺ πέπρακά σε, οὐχ ἕνεκεν ἀργυρίου· ἐξειλάμην σε ἐκ καμίνου πτωχείας.
(r) *Isai.* XLII, 8. (s) וימיני טפחה שמים
(t) Ἡ δεξιά μου ἐστερέωσε τὸν οὐρανόν. (u) 3 *Reg.* VIII, 27: *Si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt; quantò magis domus hæc quam ædificavi? Vide & 2 Cor.* XII, 2: *Raptum usque ad tertium cœlum.*

℣. 14. Congregamini omnes vos, & audite: quis de eis annunciavit hæc? Dominus dilexit eum, faciet voluntatem suam in Babylone, & brachium suum in Chaldæis.

℣. 15. Ego, ego locutus sum, & vocavi eum: adduxi eum, & directa est via ejus.

℣. 16. Accedite ad me, & audite hoc; non a principio in abscondito locutus sum: ex tempore, antequam fieret, ibi eram: & nunc Dominus Deus misit me, & spiritus ejus.

℣. 17. Hæc dicit Dominus redemptor tuus sanctus Israël: Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in viâ, quâ ambulas.

℣. 18. Utinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumen pax tua, & justitia tua sicut gurgites maris.

℣. 19. Et fuisset quasi arena semen tuum, & stirps uteri tui, ut lapilli ejus: non interisset, & non fuisset attritum nomen ejus a facie meâ.

℣. 20. Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis, in voce exultationis annunciate: auditum facite hoc, & efferte illud usque ad extrema terræ. Dicite: Redemit Dominus servum suum Jacob.

℣. 21. Non sitierunt in deserto, cùm educeret eos: aquam de petrâ produxit eis, & scidit petram, & fluxerunt aquæ.

℣. 22. Non est pax impiis, dicit Dominus.

COMMENTARIUS.

℣. 14. CONGREGAMINI OMNES VOS, ET AUDITE: QUIS DE EIS ANNUNCIAVIT HÆC? Idola iterum & Idolalatræ provocantur. Ullus ne ex iis est, qoi simile quidpiam iis, qoæ ego de Cyro, prædixerit? Hunc ego amavi: *Dominus dilexit eum* (x); atque elegi meorum in Babylonem & Chaldæos consiliorum executurem. Hic versiculus, & qui proximè sequitur, de Messiâ, per Cyrum repræsentato, intelligendus est.

℣. 16. NON A PRINCIPIO IN ABSCONDITO LOCUTUS SUM; EX TEMPORE, ANTEQUAM FIERET, IBI ERAM (cùm hæc decernerentur, antequam fierent, aderam); ET NUNC DOMINUS DEUS MISIT ME, ET SPIRITUS EJUS. Hæc verba ex ipso verborum sono uni Jesu Christo convenire, nemini dubium esse potest. Isaias profectò gloriari non poterat, sese initio adfuisse, cùm Deus Cyrum in populi libertatem mittere decerneret. Æternus non erat Isaias, uti æternum erat de Babylonico exitio, & Cyri fortunis decretum.

Patres (y) etiam de Jesu Christo interpretantur, Divinæque Trinitatis mysterium in his verbis vident: Deum Israëlis, a quo Jesus Christus per Spiritum Sanctum mittitur. At minimè spretâ hac explicatione, quam eo obsequio excipimus, quo par est erga Patres sanctissimos uti, non desunt Interpretes (z), qui de Isaiâ explicent, profitente, sese nihil clam prædixisse, sed palam ea semper nunciasse, quæ sibi Deus aperuit; sese quodammodò præsentem adfuisse iis, quæ de Babylonis excidio vaticinatur, eaque mentis oculis spectasse, antequam fierent; denique legati ad populum munere fungi, seque Divino Spiritu afflari, & ad loquendum cogi.

℣. 18. FACTA FUISSET QUASI FLUMEN PAX TUA. Pax, rerum copia, atque omne bonorum genus regionem tuam inondassent, amnis instar cùm aggeres superat. Nobilis grandisque comparatio, quâ frequenter utitur Isaias. Ita capite LXVI, 12: *Declinabo super eam quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium*. Psalmus XLV, 5: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei*. Et Psalmus XXXV, 9: *Inebriabuntur ab ubertate domûs tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*.

℣. 19. NON INTERIISSET, ET NON FUISSET ATTRITUM NOMEN EJUS. Utrùm ne Israëlis nomen interierat? an Israëlis memoria eo tempore coram Deo desierat? Nunne nobilissimæ promissiones, quibus Isaias populum confirmaverat, planè contrarium evincunt? Fortasse igitur futuram Judæorum reprobationem innuit, quam ipsorum flagitia, & præsertim iniquissima Jesu Christi, Ethnicorum manibus traditi, mors promeruerant.

℣. 21. NON SITIERUNT IN DESERTO, CUM EDUCERET EOS. Vel: Cùm illos e captivitate Babylonicâ reduxerit, illos in deserto minimè cruciabit. Vetera prodigia, si necesse fuerit, olim a Moyse in deserto patrata, cùm ab Ægypto proficiscerentur, iterum in illorum gratiam faciet: si aquis egeat populus, aquas e rupe eliciet; ingentibus fluviis imperabit, ut illos sequantur; illus arborum umbris proteget, &c. Quæ multoties promiserat (α), hîc iterum pollicetur, futurum scilicet, ut reditus e captivitate Babylonicâ suavis jucundusque illis sit, neque siti, neque itinerum incommodo obnoxiis, &c. Cave hæc vaticinia ex ipso verborum sono intelligas (β). Commodè autem hic locus de Ethnicorum Judæorumque ad Christi fidem conversione explicatur.

℣. 22. NON EST PAX IMPIIS, vera felicitas, prosperitas, gaudium (γ), inquiunt Septuaginta, Ita

(x) *Ita Theodoret. Cyrill. Hieron. Interpp. passim.*

(y) *Aug. Chrysost. homil. 3 de Spiritu sancto; Athanas. Eusеb. Basil. Nyssen. Thom. Procop. Haimo, Hugo, Dionys. Lyran. Glossa Interlin. Vide Leon. Castr. & Galatin. l. 2, c. 3.*

(z) *Chald. Hieron. Theodoret. Vat. Forer. Sanct. Cornel, Grot. alii.* (α) *Isai,* XXXV, 6; XLI, 17, 18; XLIII, 20; XLIX, 10. (β) *Hieronym. Cyrill. Procop. Thom. Sanct. Grot. alii.*

(γ) Οὐκ ἔστι χαίρειν τοῖς ἀσεβέσι. *Heb.* אין שלום לרשעים

Ita claudit ea quæ hactenus dixit. Quæ pollicitus sum, ad impios minimè pertinent. Judæi in scelere pervicaces & increduli beneficiis hisce, quæ ego genti meæ promitto, minimè fruentur: deserentur enim & reprobabuntur. Vide ℣. 19. Sive de Chaldæis: Chaldæorum prosperitas ac felicitas brevissimo temporis spatio florebunt, & statim cadent. Iis, quibus illorum superbia fovetur, & quibus gloriabantur, carebunt.

CAPUT XLIX.

Messiæ vocatio, munus, gloria. Sion se derelictam luget. Illam solatur Deus; eademque in meliorem rerum statum restituetur: at illius hostes peribunt.

℣. 1. AUdite, Insulæ, & attendite populi de longe: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei.
℣. 2. Et posuit os meum quasi gladium acutum: in umbrâ manûs suæ protexit me, & posuit me sicut sagittam electam: in pharetrâ suâ abscondit me.
℣. 3. Et dixit mihi: Servus meus es tu, Israël, quia in te gloriabor.

COMMENTARIUS.

℣. 1. AUDITE, INSULÆ: DOMINUS AB UTERO VOCAVIT ME. Novam hîc orationem instituit, usque ad caput LVI, 9. Remotissimæ gentes accedite, & prodigia, quibus me prosequi voluit Deus, accipite. Verba Messiæ sunt, non Judæos modò, verùm omnes terrarum populos alloquentis. Ita Patres & Interpretes vulgò explicant. Consentiunt hac in re Judæi (a). Aliquos hujus Capitis locos S. Paulus (b) ad Jesum Christum refert; quamobrem ab hac explicatione recedere, religio est; cùm præsertim ipsa vaticinii perspicuitas, & apertissima singularum partium cum Jesu Christo, Deo & homine, humani generis Reparatore connexio illi faveat.

Nonnulli ex Interpretibus (c) censent, Jesum Christum hîc a Prophetâ exhiberi sub Cyri imagine, cui sanè aliqua hujus Capitis verba conveniunt. Aliis (d) ipsemet Isaias exhiberi videtur, ceu Jesu Christi figura. In Ecclesiastico S. Joannis Baptistæ Officio, hæc verba ipsi Præcursori accommodantur. Bonâ tamen fide fatendum est, nobiliores esse hujus Capitis sententias, quàm ut Cyro, Isaiæ, ipsique Joanni Baptistæ conveniant, aut alteri, præterquàm Jesu Christo, aptari queant, uti statim docebimus.

Cyrum Deus ab utero, sive, uti fert Hebræus (e), *a ventre* vocavit, scilicet ab initio, diu antea quàm in lucem ederetur, ipsumque proprio nomine designavit (f). Isaiam ad vaticinii munus, antequam is nasceretur, idem ipse Deus elegit; quemadmodum Jeremiam ex ipso matris sinu ad idem munus accersivit (g); Paulum in Apostoli ministerium, cùm adhuc matris utero clauderetur (h); Joannem Baptistam Prophetam ac Præcursorem esse jussit, cùm nondum in lucem venisset (i). At Christi ortum, ipsumque illius nomen Matri sanctissimæ Angelus prædixerat, nedum antequam e sinu Matris prodiret, verùm etiam mortalibus membris in matris ventre indueretur; quæque de ipso prædicta sunt, is fide ita integrâ explevit, ut Prophetarum oracula multo superaverit (k). Eadem, quæ hîc, verba leguntur capite LI, ℣. 16, ubi luculentiùs etiam Messiam innuunt.

℣. 2. POSUIT OS MEUM QUASI GLADIUM ACUTUM. Dei Verbum S. Paulus cum gladio utrinque acuto comparat, cujus acies intus fodit, penetrat, secat ac dividit (l): *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti; & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs: compagum quoque & medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis.*

Spirituali hoc ense, suo singuli modo, Prophetæ, Apostoli, Divinique verbi Præcones utuntur: unus tamen illi robur & efficacitatem dat Christus, eâ vi feriens, ut ad animum usque perveniat. Nisi opem ipse ferat, aërem cædimus, aut cymbalum tinniens percutimus, ut Apostoli verbis utar. Cyrus oris sui sermone, ceu acuto ense, Judæos in libertatem restituit; eorumque vincula abrupit: vera tamen & constans libertas ex uno Jesu Christo expectanda est. Oris sui spiritu is aliquando eversurus est impium, ac neci traditurus (m). Idem ipse in Apocalypsi (n), veluti gladium utrâque parte acutum ore tenens, exhibetur.

SUB UMBRA MANUS SUÆ PROTEXIT ME. Facilè intelligimus, Cyrum, Isaiam, & Joannem Baptistam validissimâ Dei manu fuisse protectos; unique Deo robur omne omnemque virtutem debuisse: at Jesum Christum peculiari patrocinio tutatus est Deus, ceu filium charissimum Pater, atque jucundissimum amoris sui argumentum.

℣. 3. SERVUS MEUS ES TU, ISRAEL; QUIA IN TE GLORIABOR. Hoc de Cyro ægrè explicatur; satis tamen aptè de Isaiâ, & Joanne Baptistâ, cùm ipsi Israël essent sive Israëlitæ, ac Dei gloriam oratione & vitæ sanctimoniâ promoverint. Jesus Chri-

(a) *Hebb. in Bereschit Rabba, in Genes.* XLI, 41. (b) *Act.* XIII, 47: *Posui te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Ex Isai.* XLIX, 6; *&* 2 *Cor.* VI, 2: *Tempore accepto exaudivi te, &c. Ex Isai.* XLIX, 8. (c) *Hugo Cardinal. Vide & Cornel. & Sanct. n.* 2, 4, 16, 19, *& sequ.* (d) *Grotius hîc.* (e) יהוה מבטן קראני (f) *Isai.* XLIV, 28; XLV, 1.
(g) *Jerem.* I, 5: *Priusquam te formarem in utero, novi te.* (h) *Galat.* I, 15: *Qui me segregavit ex utero matris meæ.* (i) *Luc.* I, 11, 12, 13. (k) *Luc.* c, 31, 32; *Matt.* I, 21. (l) *Heb.* IV, 12.
(m) 2 *Thessal.* II, 8: *Revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.*
(n) *Apoc.* I, 16: *Et de ore ejus gladius utrâque parte acutus.*

℣. 4. Et ego dixi: In vacuum laboravi, ſine cauſâ, & vanè forti-
tudinem meam conſumpſi: ergo judicium meum cum Domino,
& opus meum cum Deo meo.
℣. 5. Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero ſervum ſibi,
ut reducam Jacob ad eum, & Israël non congregabitur: & glo-
rificatus ſum in oculis Domini, & Deus meus factus eſt for-
titudo mea.
℣. 6. Et dixit: Parum eſt, ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas tribus
Jacob, & fæces Israël convertendas. Ecce dedi te in lucem
gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.
℣. 7. Hæc dicit Dominus redemptor Israël, ſanctus ejus, ad con-
temptibilem animam, ad abominatam gentem, ad ſervum do-
minorum: Reges videbunt, & conſurgent principes, & adora-
bunt propter Dominum, quia fidelis eſt, & ſanctum Israël, qui
elegit te.
℣. 8. Hæc dicit Dominus: In tempore placito exaudivi te, & in
die ſalutis auxiliatus ſum tui: & ſervavi te, & dedi te in fœdus
populi, ut ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas:

COMMENTARIUS.

Chriſtus, ex eâdem, quâ illi, origine ſatus, ac Dei Patris ſervus, quâ parte homo erat, injuriam Divinitati per peccatum irrogatam reparavit, atque infinitam Deo gloriam ſuâ ipſius morte, & Eccleſiæ inſtitutione vindicavit, verosque in ſpiritu & veritate cultores comparavit. Ita etiam explicari poteſt: *Dixit mihi* Dominus: *Dic Israëli: Servus meus es, in te gloriabor, &c.* Ita imperat Isaiæ Deus, ut Israëlitis ſuo nomine hæc nunciet. Quæ ſequuntur, huic explicationi favent.

℣. 4. Et ego dixi: In vacuum laboravi. Queritur Iſaias, monita ſua infelici exitu cadere, minimoque melioris vitæ ſtudio Judæos labori ſuo reſpondere. At illud ſibi ſolatio eſſe ait, quòd Judicem habeat Deum, qui & optimam voluntatem & laborem præmio afficiet: *Ergo judicium meum cum Domino.* Eâdem de re queri poterat Chriſtus. Queſtus hoſce frequenter apud Prophetas iterat (o), & in Evangelio (p). At non idcirco ab opere ceſſat, conſtantique animo ad finem usque perſeverat, præmii, rectiſſimique ex æquo Judice judicii ſecurus: *Opus meum cum Deo meo.*

℣. 5. Ut reducam Jacob ad eum; at Israel non congregabitur, ad eum non accedet. Iſaias Divinusque Præcurſor fruſtra laboravere, ut Jacobum ad Dominum reducerent: at ea gens pervicax & incredula perſtitit: ipſi tamen juſto laboris ſui præmio minimè caruerunt: *Ego autem glorificatus ſum in oculis Domini.* Verba facit ad Judæos Chriſtus, Apoſtolos mittit: at infidelis perverſaque gens animum obfirmat, & aures claudit. Denique Israëlis flagitia merentur, ut is in pervicacis animi cæcitate relinquatur. Divini tamen Reparatoris labores minimè fruſtra ceſſere: aliena enim gens eo beneficio, quod Jacob neglexit, cumulatur: Gentium populus in eam hæreditatem admittitur, ex quâ legitimus hæres, Synagoga excludi ob flagitia debuit; ipſumque Dei nomen, quod vix in extremo terrarum angulo audiebatur, jam in omnibus mundi plagis agnoſcitur, auditur atque adoratur (q): *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.*

Hebræus (r), uti apud Judæorum Codices legitur, neglectis Maſſoretarum correctionibus, æquè cum Vulgatâ fert: Te condidi, *ut reduceres Jacob; & Israël non congregabitur;* vel non revertetur. Ita legerant verteruntque Theodotio & Symmachus. At Septuaginta (s) contrario ſenſu legebant: *Formavit me Dominus* ſervum ſibi, *ut congregarem Jacob ad eum & Israël. Congregabor & glorificabor coram Domino.* Aquila: *Ut reducam Jacob ad eum, & Israël ei congregabitur.* Recentioribus Interpretibus Judaicæ correctiones placent; quamobrem in Textu legunt: *Ut colligatur ei Jacob, & Israël ei congregetur.* Sequens verſiculus favere huic lectioni videtur: *Ut ſis mihi ſervus ad ſuſcitandas Tribus Jacob, & fæces Israël convertendas.* Cæterùm nulla hinc Hebræis arma adversùs nos ſuppeditantur; nulloque incommodo carere hoc loco poſſumus, quo Judæorum reprobatio oſtenditur; cùm innumeri planè alii ſuppetant, ut ſileas, illam ipsâ re luculentiſſimè demonſtrari.

℣. 6. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ. Jubet hæc Apoſtolus (t) propriè accipi de Jeſu Chriſto, verâ Gentium luce, quas in Eccleſiam excepit, & Evangelium per legatos docuit. Gentium lucem ſe eſſe, ſatis aſſeruit, cùm Apoſtolis imperaret (u): *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti.* Certè hic locus ipſi Iſaiæ non convenit, niſi ex parte, impropriòque ſenſu, utpote illi, qui inter primos Meſſiæ Evangeliſtas fuit.

℣. 7. Hæc dicit Dominus, Redemptor Israel, ad contemptibilem animam, populo ſuo, hactenus gentium odio, genti captivæ (x). Quid verò? *Reges te videbunt, & conſurgent Principes,* tibi aſſurgent. Priſtinam in dignitatem quamprimùm

(o) *Isai.* LXV, 2: *Expandi manus meas quotidie ad populum incredulum, &c. Confer Rom.* X, 20.
(p) *Matt.* XVII, 16; *Marc.* IX, 18: *O generatio incredula quandiu apud vos ero? &c.*
(q) *Psal.* II, 8. (r) לשובב יעקוב אליו וישראל לא יאסף (s) 70: Τοῦ συναγαγεῖν τὸν Ἰακὼβ πρὸς αὐτὸν καὶ Ἰσραήλ. Συναχθήσομαι, καὶ δοξασθήσομαι. (t) *Act.* XIII, 40. (u) *Matt.* XXVIII, 19.
(x) *Quidam apud Hieron. hic, Thom. Hugo, Chald.*

℣. 9. Ut diceres his, qui vincti sunt: Exite; & his, qui in tenebris: Revelamini. Super vias paſcentur, & in omnibus planis paſcua eorum.

℣. 10. Non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus, & ſol: quia miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.

℣. 11. Et ponam omnes montes meos in viam, & ſemitæ meæ exaltabuntur.

℣. 12. Ecce iſti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & iſti de terrâ Auſtrali.

℣. 13. Laudate cœli, & exulta terra, jubilate montes laudem: quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, & pauperum ſuorum miſerebitur.

℣. 14. Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei.

℣. 15. Numquid oblivisci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui.

COMMENTARIUS.

mûm reſtituta, libertate fruêris: te intuebuntur Principes, teque plurimi habebunt & colent. Vix Cyrus amicum Judæis animum exhibuit, illus magni facere & vereri cœperunt Reges Principesque, Cyri familiares. Daniel apud Nabuchodonoſorem, Balthaſarum & Darium; Mardochæus apud Aſſuerum, aliter Darium Hyſtaspis filium, primis Regni Magiſtratibus functi ſunt, Regumque amicitiam & benevolentiam genti compararunt.

De Cyro etiam explicari hic locus poteſt, quippe qui Perſis imperans, gentibus olim obſcuris contemptisque, & imperio Medorum obnoxiis, peculiari Numinis beneficio eam dignitatem conſecutus eſt, ut Reges Principesque coram illo ſtare, ſtratisque humi corporibus illum venerari cogerentur. Hunc elegit Deus, *ut ſuſcitaret terram*, Israëlitas in patriam mitteret, *& poſſideret hareditates diſſipatas*, diſſipatam hæreditatem illis reſtitueret; *ut diceret his qui vincti ſunt, Exite; & his qui in tenebris, Revelamini*, Lucem inſuemini. Huic explicationi magnoperè ſavent ea quæ ſequuntur.

Qui de Isaiâ interpretantur (y), his non deſunt rationes ſuæ ſatis probabiles. Prophetam a populo, cui gravia erant ejus monita, contemptum, pius Ezechias honoribus & obſequiis proſecutus eſt, præſertim poſt bellum Sennacheribi, quod Isaias luculentis adeò verbis deſcripſerat, cujus exitum ita perſpicuè nunciàrat; qui reſtitutam Regi incolumitatem prædixerat, converſique ſolis prodigium exhibuerat. Prophetæ vota exaudiit Deus, ipſique dedit, ut ſuaviſſimo Meſſiæ aspectu e longinquo frueretur, ſub alterius rei imagine, minoris quidem, ſed Judæis graviſſimæ, libertatis ſcilicet e captivitate. Hunc produxit Deus, ut felicem populi reditum in patriam, a Cyro implendum, nunciaret.

Denique Jeſus Chriſtus, quo in uno abſolutiſſimè colligebantur omnia, quæ Cyrus, Isaias, Joannes Baptiſta ex parte poſſidebant; verus Israëlis Liberator, unicus humani generis Redemptor, Gentium ſpes & lumen; Jeſus Chriſtus, inquam, prorſus explevit ea quæ primus ex parte geſſit, alter ſub vaticiniorum ambagibus & involucris prædixit, tertius denique propiùs quidem ſpectavit, at penitus impleta videre non potuit. Divinum hunc Reparatorem, qui inter homines vermi ſimilis, vir dolorum, genti ſuæ odioſus, fratribus inviſus, a Diſcipulis derelictus, ac demum in cruce ſuspenſus apparuit, potentiſſimi Principes Regesque non multo pòſt coluere. Is populi reconciliator, novique Fœderis ſequeſter fuit: *Dedi te in fœdus populi*; ut populum Deo carum in patriam atque in æterna Tabernacula revocaret: *Ut ſuſcitares terram*; ipſumque in veterem hæreditatem induceret, in Æternitatis ſcilicet poſſeſſionem, cujus aditum ſuis ipſius cruciatibus ærumnisque reſeravit: *Ut ſuſcitares hareditates diſſipatas, &c.*

℣. 9. Ut diceres his qui vincti sunt: Exite. Captivitas Babylonica optimè cum carcere & ſepulcro, ſordium ac putredinis pleno, comparatur. At hæc carceris comparatio, quantumvis acerrima, non ſatis exhibet miſerrimam hominum conditionem, quâ univerſum hominum genus, ante Reparatoris adventum, tenebras inter, ſcelera, flagitia, mortemque tenebatur. Judæorum Babylone captivorum vota gemitusque leviſſimæ imagines ſunt impatientium vividorumque deſideriorum, quibus Veteres Patriarchæ in Abrahami ſinu tam multis ab hinc ſæculis Servatoris adventum ſollicitabant, ferendamque ab eo libertatem præſtolabantur.

Super vias pascantur, et in omnibus planis pascua eorum. Hæc ad verbum nonniſi Judæis Babylone revertentibus conveniunt. Nihil illis in itinere deerit. Quemadmodum grex in omnium rerum copiâ, quibuslibet in itineribus campisque paſcua invenient. Quæ ſequuntur, non uno in loco promiſſa Israëlitis fuere (a).

℣. 10. Ad fontes aquarum potabit eos. Hebræus legit: *Ad ſcaturigines aquarum ducet eos*, humeris geret. Reddiderat fortaiſſe S. Hieronymus, *portabit*: at mutavere librarii, ſcripſeruntque, *potabit* (b).

℣. 12. Ecce ipsi de longe venient. Poſt Cyrum

(y) *Grotius hic.* (z) *Ita Cyrill. Hieron. Procop. Euſeb. Demonſt. lib. 2, c. 22, Haimo, Forer. Sa. Jun. Piſc. Caſt. Lud. de Dieu, Sanct. alii paſſim.* (a) Confer ℣℣. 10 & 11 hujus capitis cum *Isai.* XL, 4; XLI, 57, 58, 19; XLVI, 20, *&c. Baruc.* V, 6, 7, 8. (b) *Vide Hieron. in Comment. hic, in nov. edit.*

℣. 16. Ecce in manibus meis descripsi te; muri tui coram oculis meis semper.

℣. 17. Venerunt structores tui: destruentes te, & dissipantes, a te exibunt.

℣. 18. Leva in circuitu oculos tuos, & vide; omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: vivo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis tibi eos quasi sponsa.

℣. 19. Quia deserta tua, & solitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ, nunc angusta erunt præ habitatoribus, & longè fugabuntur, qui absorbebant te.

℣. 20. Adhuc dicent in auribus tuis filii sterilitatis tuæ: Angustus est mihi locus, fac spatium mihi, ut habitem.

℣. 21. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata, & captiva: & istos quis enutrivit? ego destituta, & sola: & isti ubi erant?

℣. 22. Hæc dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo signum meum. Et afferent filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros portabunt.

COMMENTARIUS.

Cyrum, innumeri ex Judæis & Israëlitis, in omnes terræ angulos priùs dissipati, in patriam convenere. Lege nostram Dissertationem de reditu decem Tribuum. Hebræi undique ita collecti, Gentium vocationem concursumque ad Christi Ecclesiam constituendam, significabant. Hebræus (c): *Ecce isti ex Aquilone & mari*, ex Mediterranei Insulis; *& isti e terrâ Sinim*. Postremo hoc nomine alii Ægyptum (d), in quâ *Sin* urbs erat, quam nos *Pelusium* dicimus; vel Arabiam, montis Sinai causâ, in Arabiâ jacentis, ad Judææ meridiem (e); Septuaginta (f) de Perside interpretantur. Cæteri Græcorum Interpretes nomen *Sinim*, nullâ ex parte mutatum, servavere. Recentiores quidam (g) *Sinas* esse putaverunt: huic tamen opinioni & argumenta desunt, & stipulatores.

℣. 16. ECCE IN MANIBUS MEIS DESCRIPSI TE. Stigmata quædam manibus inscribunt Orientales, quibus aliquid ipsis jucundum exhibetur. Hunc morem a Prophetâ spectatum animadvertimus supra, XLIV, 5: *Hic scribet manu suâ: Domino*. Erant olim, qui profani alicujus Dii, quem maximè venerarentur, stigmate sese inurerent, veluti hederæ folio, ut Liberum Patrem significarent. Asserit Lucianus (h), communi gentis more Assyrios characteribus notisque compungi, hos in volâ, alios in cervice. Nostrâ etiam ætate Christiani plures, qui sacra loca religionis causâ invisunt, Crucis signum manui inscribunt, incisâ ope cujusdam instrumenti cute, impletisque nigrâ quadam materiâ vulneribus. Morem hunc spectat hoc loco Deus. Dicere videntur Septuaginta (i), Deum ipsum manibus suis imaginem Jerosolymæ inscripsisse, ne unquam ipsius oblivio obreperet. Satis tamen erat, si vel monogrammon, vel aliam quamlibet notam inscriberet.

℣. 17. VENERUNT STRUCTORES TUI: DESTRUENTES ET DISSIPANTES A TE EXIBUNT. Judæi, Jerosolymam iterum condituri, cum Zorobabele, Esdrâ & Nehemiâ revertentur; inspectâque Principum erga Judæos benevolentiâ, horum hostes, Babylonii, Sanaballat, Tobias Ammonites, aliique qui Templum urbemque everterant, vel qui conabantur ne restitueretur, fugient atque elabentur. Septuaginta (k): *Et brevi ædificaberis a quibus destructa fueras; & qui dissipaverunt, egredientur ex te*. Te evertêre Chaldæi; Chaldæorum successores restaurabunt; iidemque illi, qui in tui exitium laboraverint, tuæ restaurationi manum operamque admovere cogentur. Vide Caput LX, 10: *Ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi*. Vaticinium res ipsa probavit (l). Hebræus (m) priori explicationi magis favet: *Festinabunt filii tui, vel structores tui: demolientes te & destruentes te, a te exibunt*.

℣. 19. ANGUSTA ERUNT PRÆ HABITATORIBUS. A captivitatis exitu ad Christum usque, tam multis aucta est incolis Judæa, ut nullo unquam tempore aut populo aut opibus magis floruerit. Post Macchabæorum ætatem, urbs magnopere crevit, teste Josepho (n).

℣. 20. ADHUC DICENT: ANGUSTUS EST MIHI LOCUS; quemadmodum Ephraimitæ olim apud Josue querebantur (o): *Quare dedisti mihi possessionem sortis unius, cùm sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus?*

℣. 22. LEVABO AD GENTES MANUM MEAM, velutì cùm quis hominem longè remotum nutu & voce compellat. Ita populo meo annuam, ut ad me e gentium medio, inter quas errat, revertatur.

(c) הנה אלה מצפון ומים ואלה מארץ סינים
(d) *Ita Jonath. Rab. Salom. Kimchi, Abenezra, Jun. Grot. Forer. Drus. Pisc. Bochart.*
(e) *Hieron. hic.* (f) 70: Ἄλλοι δὲ ἐκ γῆς Περσῶν. (g) *Vide Hieron. hic.* (h) *Lucian. de Deâ Syrâ.* Vide nos in *Levit.* XIX, 28. (i) 70: Ἰδοὺ ἐπὶ τῶν χειρῶν μου ἐζωγράφηκά σου τὰ τείχη, καὶ ἐνώπιόν μου εἶ διαπαντός. (k) Καὶ ταχὺ οἰκοδομηθήσῃ ὑφ' ὧν καθῃρέθης, καὶ οἱ ἐρημώσαντές σε, ἐξελεύσονται ἐκ σοῦ. (l) Vide 1 *Esdr.* VI, 9, 10, 13; & VII, 20, 21, 22, 23, &c.
(m) מהרו בניך מהרסיך ומחריביך ממך יצאו (n) *Joseph. lib. 5 de Bello, c. 6.*
(o) *Josue*, XVII, 24.

℣. 23. Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. Et scies, quia ego Dominus, super quo non confundentur, qui expectant eum.

℣. 24. Numquid tolletur a forti prædâ? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit?

℣. 25. Quia hæc dicit Dominus: Equidem & captivitas a forti tolletur: & quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur. Eos verò, qui judicaverunt te, ego judicabo; & filios tuos ego salvabo.

℣. 26. Et cibabo hostes tuos carnibus suis: & quasi musto, sanguine suo inebriabuntur: & sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, & redemptor tuus fortis Jacob.

COMMENTARIUS.

tur. Signnm meum in editis locis erigam [p], ut eos revocem, qui neque voces audire, neque manûs nutum percipere quiverint. Gentibus imperabo, ut *afferant filios tuos in ulnis, & filias tuas super humeros*, ut mater filium. Fœminæ apud Syrins *non brachiis, occidentalium more, sed humeris, divaricatis tibiis, impositos* filios *circumferunt* (q).

℣. 23. Erunt Reges nutritii tui. Eodem sensu Isaias ait infra, LX, 16: o Juda, *suges lac gentium, & mamillâ regum lactaberis*; ut Regum filius nutrièris. Jam e Regum Libris didicimus (r), Regibus Juda & Israëlis solemne fuisse, ut liberos nobilissimis Regni Proceribus alendos traderent. Persarum & Ægyptiorum Reges, Alexander Macedo, & qui illum consecuti sunt Reges, innumeris beneficiis honoribusque Judæos cumulavere. At si Ecclesiam Christianam, quò nobilissima hæc promissa potissimùm spectant, intuearis, ea planè integrâque fide impleta intelliges; præsertim verò postquàm Imperatores Regesque ac Principes illius Fidem ac Religionem amplexi, summâ liberalitate Christiana Templa opibus bonisque locupletaverunt (s).

℣. 24. Numquid tollatur a forti præda? Prædam ne, quam tenet, e validissimi hominis manu rapies? Nequaquam. At ego, inquit Deus, gentem meam, quam Chaldæi captivam duxere, ex illorum potestate subducam; usurpatas illorum exuvias reddere cogam; ut vel inviti vasa pretiosissima, quæ e Templo rapuere, restituant. (℣. 25) *Equidem & captivitas a forti tolletur*, &c. Hebræus (t): *Numquid tolletur a forti captura? & an captivitas justi evadet*, eripietur? Quis militi auferat ea quæ justo bello cepit, bonoque jure tenet? At ego, ait Dominus, raptis exuviis milites spoliabo, & validissimo cuilibet ea quæ cepit, eripiam: *Et quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur.*

Septuaginta (u): *Num quis ex gigante accipiet spolia? & si captus fuerit quis injustè, servabitur?* Hi fortasse offensi eâ voce *Justi*, quæ hoc loco legitur, *injustum* pro *justo* posuerunt. S. Cyrillus cum interrogatione legit: *Et qui injustè captus est, servabitur?* Symmachus: *Captivitas fortis auferetur*: captivi, quos fortis abduxerit in libertatem, restituentur; *& rapina horribilis*, inimici, *salva erit*; res ab inimico raptæ, eruentur. Prior explicatio cæteri præstat. *Præda justi* est id, quod justo bello capitur. Jesus Christus Fortem armatum armis, viribus, opibus exuit (x).

℣. 25. Eos qui judicavaaunt te, ego judicabo. Babylonios, Judices tuos, meæ in te ultionis ministros, severissimè multabo. Hebræus (y): *Cum eo qui litigat tecum, ego litigabo*; causam tuam agam, te tuebor, ceu patronus.

℣. 26. Cibabo hostes tuos carnibus suis. Gentes hæ, quæ in tui exitium conspiravere, Chaldæi, Assyrii, Babylonii, sævissimâ seditione scindentur, ita ut mutuam in cædem arma capiant, & mutuis vulneribus cadant. Chaldaici Imperii exitio bella & domesticæ seditiones præcessere. Evilmerodachum Meriglissor occîdit, si Beroso fides (z). Balthasar eâdem nocte, quâ sacra Dominici Templi vasa profanavit, cæsus est (α). Docet Xenophon (β), hunc ipsum Babyloniæ Regem a Gabatâ & Gobriâ, qui olim inter illius familiares fuerant, ac deinde fractâ fide ad Cyrum cum exercitu transierant, urbem ingressis, fuisse interfectum (γ). Ita Babyloniorum manus in seipsos versæ sunt, hostilibus odiis sævientes, ita ut fratrom carnibus Babylonii alerentur, & illorum cruore sitim extinguerent.

CA-

(p) *Vide sup.* v, 26. (q) *Cotovic. iter Syr. c.* 14. (r) 4 *Reg.* x, 1, *&c.*
(s) Vide Eusebium in hunc locum. (t) היקח מגבור מלקוח : ואם שבי צדיק ימלט
(u) οἱ ο΄ Μὴ λήψεταί τις παρὰ γίγαντος σκῦλα; καὶ ἐὰν αἰχμαλωτευθῇ τις ἀδίκως, σωθήσεται;
(x) *Luc.* XI, 21. (y) ואת יריבך אנכי אריב (z) *Apud Joseph. lib.* 1 *contra Appion.*
(α) *Daniel.* v, 30. (β) *Xenophon, lib.* 4 *&* 5 *Cyropæd.* (γ) *Idem lib.* 7 *Cyropæd.*

CAPUT L.

Synagoga repudium, ob illius flagitia. Messias injuriis omnibus obnoxius. Mina in eos, qui pronas Messiæ aures non prabuere.

℣. 1. HÆc dicit Dominus: Quis est hic liber repudii matris vestræ, quo dimisi eam? aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimisi matrem vestram.

℣. 2. Quia veni, & non erat vir: vocavi, & non erat, qui audiret. Numquid abbreviata & parvula facta est manus mea, ut non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione meâ desertum faciam mare, ponam flumina in siccum: computrescent pisces sine aquâ, & morientur in siti.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUIS EST LIBER REPUDII MATRIS VESTRÆ. Damnari nequit is, qui Caput hoc de Captivitate Babylonicâ interpretatur (a), utpote cùm per eam captivitatem populus Juda ita exulaverit, uti uxor, cui maritus repudium dixerit. At maxima Interpretum pars (b) de Synagogâ explicat, quæ cùm pervicax & incredula esse nunquam desierit, post Christi obitum penitus reprobata est. Profectò ipsum repudii nomen huic explicationi favet; Lege enim cautum est (c), nequis uxorem antea repudiatam, ac deinde alteri nuptam, vel repudiato vel mortuo altero marito, iterum in thorum revocet; quippe quæ tunc impura odiosaque censetur. Fateamur tamen oportet, has repudii leges a Deo, ut ita dicam, violari, ubi de populo agitur. *Si dimiserit vir uxorem suam*, inquit Jeremias (d), *& recedens ab eo, duxerit virum alterum; numquid revertetur ad eam ultra? numquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, & non avertam faciem meam a vobis, dicit Dominus.*

Sodomæ & Jerosolymæ flagitia sub imagine uxoris, a viro discedentis, ut turpissimas libidines sequatur, non uno in loco pingit Ezechiel (e): hæc tamen minimè faciunt, quin ipse veniam illis polliceatur, ubi diuturnâ molestâque captivitate illas purgaverit.

His, quæ de repudio Synagogæ dicuntur, quaLibet ex parte spectatis, sive de Babylonicâ Judæorum captivitate, sive de illorum reprobatione, post Jesu Christi obitum, illa explicentur, illud certè constat, Dei connubium cum Abrahami sobole ita solutum non fuisse, ut omnino in omnem deinceps ætatem cessaverit; & suum utraque finem esse habitura (f). Annos septuaginta producta est captivitas; & Judæi, qui nunc vinctis clausisque oculis cæci sunt, denique ad Dominum revertentur, cùm quem clavis fixêre, cognoscent, & in Christi Ecclesiam, Ethnicis jam admissis, excipientur (g).

AUT QUIS EST CREDITOR, CUI VENDIDI VOS? Nedum eo loco vos habeo, quo repudiatam uxorem, verùm etiam quo liberos alteri datos venditosque. Liberos vendere, aut creditori pro ære alieno dare, fas olim fuisse parentibus, neminem latet. Docent id Moyses (h), Regum Libri (i), & Evangelium (k). Alibi ostendimus (l), apud cæteras etiam gentes eumdem, qui apud Judæos obtinebat, morem viguisse. Servitutis liberorum a parentibus venditorum tempus Magnus Constantinus latâ lege definiit; eosque post certum tempus redimere, illis fas esse voluit (m). Parentum, liberos vendentium, & creditorum, publicam ex iis auctionem, ob paterna debita, facientium, sævitiam acriter arguit S. Ambrosius (n). Contrarium adeò humanitati usum Christiana Religio nondum aboleverat. Ut ad Prophetam redeamus, Deus populum ita interrogat: Nostis ne, cur ego matrem vestram dato repudio ejecerim, vosque creditori vendiderim? Vestra nimirum impietas fecit, ut vos venderem; vestraque flagitia ad matris vestræ repudium me impulerunt. Vos ipsi me coëgistis, extremo huic supplicio manum admovere.

℣. 2. QUIA VENI, ET NON ERAT VIR. Ad domûs meæ fores accessi, eamque penitus desertam invêni. Alios scilicet amatores quæsivit sponsa; me reliquerunt filii, atque a me penitus discessere. *Vocavi, & non erat qui responderet.* Quo tempore populum extremis suppliciis afficere decrevit Deus, vel sub Nabuchodonosore, vel sub Vespasiano, scelera ad extremos impietatis fines pervenerant: Prophetarum voces minimè excipiebantur, ac Domini Sacerdotes, Domûs illius custodes, scelere inquinabantur. Nonne igitur satis

(a) *Hieron. Thom. Haimo, Hugo.* (b) *Cyrill. Procop. Theodoret. Euseb. Demonstr. lib. 2, c. 34, Adam. Dionys. &c.* (c) *Deut.* XXIV, 3, 4: *Cùmque egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo suâ, vel certè mortuus fuerit: non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est & abominabilis facta est coram Domino.* (d) *Jerem.* III, 1.... 12. (e) *Ezech.* XVI, & XXIII. (f) *Rom.* XI, 25: *Numquid Dominus repulit populum suum? absit.... non repulit Deus plebem suam quam præscivit.* (g) *Rom.* XI, 25: *Cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israël salvus fieret.* (h) *Exod.* XXI, 7: *Si quis vendiderit filiam suam in famulam, non egredietur, sicut ancillæ exire consueverunt.* (i) 4 Reg. IV, 1. (k) *Matt.* XVIII, 25: *Cùm non haberet unde redderet, jussit eum Dominus ejus venumdari, & uxorem ejus, & filios.* (l) Comment. in 4 Reg. IV, 1. (m) *L. 2, de Patribus qui filios distraxerunt, l. 4, c. tit. 43.* (n) *Ambros. de Tobiâ, c. 8: Vidi ego miserabile spectaculum, liberos pro paterno debito in auctionem deduci, & teneri calamitatis hæredes, qui non essent participes successionis.* Et infra: *Vendit plerumque, & pater liberos auctoritate generationis, sed non voce pietatis.*

℣. 3. Induam cœlos tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorum.

℣. 4. Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt, verbo: erigit manè, manè erigit mihi aurem, ut audiam quaſi magiſtrum.

℣. 5. Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorſum non abii.

℣. 6. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.

℣. 7. Dominus Deus auxiliator meus, ideò non ſum confuſus: ideò poſui faciem meam ut petram duriſſimam, & ſcio, quoniam non confundar.

COMMENTARIUS.

tis juſta illi cauſa fuit, ut ſponſam repudiaret, taleſque filios venderet?

NUMQUID ABBREVIATA EST MANUS MEA? Mea ne infirmitas, aut virium inopia in cauſâ fuere, ut vos Chaldæi & Romani opprimerent, veſtrâque e regione abducerent? Qui olim Erythræum areſeci, & Jordanis curſum coërcui, harum gentium vires frangere non poteram? *Ecce in increpatione meâ deſertum faciam mare, ponam flumina in ſiccum?* Quòd ſi hæc facere olim potui, cur modò nequeam? An brevior mihi aut infirmior vis eſt? Veſtrâ vos captivitate liberare non potero, qui inducere in captivitatem potui? Confer locum Iſaiæ XI, 56; Zachariæ X, 10, 11; Pſalmi LXV, 6.

℣. 3. INDUAM COELOS TENEBRIS. An nitidiſſimos dies in tenebras vertere, ipſumque cœlum nubibus denſiſſimis obvolvere nequeo? Hæc ſi facere in cœlo queo, cur minora in terris agere non valebo? Cur veſtrâ vos e captivitate revocare non queam?

℣. 4. DOMINUS DEDIT MIHI LINGUAM ERUDITAM. Narrat hic Iſaias, veluti de ſe ipſo agens, mala, & inimicitias, quas paſſus eſt ab Judæis Meſſias. *Dominus*, inquit, *dedit mihi linguam eruditam*. Divinam profectò ſermonis elegantiam, ſententiarum ſublimitatem & eloquentiam nemo in Iſaiâ non ſentit: at hæ penitùs cadunt, ſi cum vitæ verbis (o), quibus melleum Jeſu Chriſti os abundabat, comparentur. Ipſi illius hoſtes fateri cogebantur, neminem unquam ſuavi adeò dicendi vi valuiſſe (p). Nemo unquam majori ſapientiâ, vi, ſuavitate, aut efficaciâ diſſeruit, ut animos mœrore oppreſſos ſularetur: *Ut ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt, verbo*. Quoties innumera hominum turba, cibo potuque neglectis, ipſum per deſerta ſecuti ſunt, ut illum audirent, quamvis præceps mortis diſcrimen ex fame immineret? Septuaginta (q): *Dominus, Dominus dedit mihi linguam diſciplinæ*, eruditam, *ut ſciam, quando oporteat loqui verbum*. Hebræus (r): *Dominus Deus dedit mihi linguam eruditorum, ut ſciam loqui opportunè laſſo verbum*.

ERIGIT MANE, MANE ERIGIT MIHI AUREM, ut illum veluti herum ſervus audiam. *Aurem vellere* eſt monere, docere (s):

Cùm canerem Reges & prælia, Cynthius aurem
Vellit, & admonuit.

Pſalmiſta Meſſiam loquentem inducens (t): *Holocauſtum &* victimam *pro peccato non poſtulaſti, aures autem perfeciſti*, vel, ut habet Hebræus, *perforaſti mihi*, ut tua juſſa exciperem, addit Chaldæus. Eadem planè ſententia, quæ ſequenti verſiculo legitur: *Dominus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico*. Similem ſuperiùs vidimus (u).

℣. 6. CORPUS MEUM DEDI PERCUTIENTIBUS, ET GENAS MEAS VELLENTIBUS. Hæc in Chriſti Paſſione planè impleta ſunt; is enim ita ſeſe carnificum poteſtati dedit, ceu innoxiam victimam, agnumque minimè dolentem, ubi vellere ſuo exuitur, atque ad lanienam ducitur. Cui barba vellitur, is probro graviſſimo affici dicitur (x). Horatius:

. . . . *Vellunt tibi barbam*
Laſcivi pueri.

FACIEM MEAM NON AVERTI AB INCREPANTIBUS, ET CONSPUENTIBUS IN ME. Ex Evangelio diſcimus (y), Chriſtum monuiſſe Apoſtolos, ſeſe ſupremâ demum vice Jeroſolymam proficiſci, eoſque in ipſo completa inſpecturos ea quæ vates prædixerant: *Tradetur enim*, inquit, *Filius hominis gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur, & poſtquam flagellaverint, occident eum*. Hæc planè a Judæis & Romanis geſta eſſe, nemo ignorat (z). Contemptum odiumque erga alios luculentiùs ſignificare non poſſumus, quàm illius ore ſputis fœdato: ea enim ſumma injuriarum eſt. *Abominantur me*, ait Jobus (a), *& longè fugiunt a me, & faciem meam conſpuere non verentur*. Lege latâ permittit Moyſes (b), ut relicta ſine liberis uxor, viro mortuo, viri fratrem ore conſpuat, ubi is ſeſe ducere nolit, fratria nomen excitaturus. Id verò æternum erat illius viri dedecus, & nota turpiſſima. Septuaginta nonnihil ab Hebræo recedunt (c): *Dorſum meum dedi ad flagella, & genas meas ad alapas; faciem meam non averti a confuſione ſputorum*. Alapas & ſputa narrat S. Matthæus (d), Chriſti Paſſionem deſcribens.

℣. 7. IDEO POSUI FACIEM MEAM UT PETRAM DU-

(o) *Joan.* VI, 69. *Verba vitæ æternæ habes.*

(p) *Joan.* VII, 46: *Numquam ſic locutus eſt homo.* (q) Κύριος, κύριος δίδωσί μοι γλῶσσαν παιδείας, τοῦ γνῶναι ἡνίκα δεῖ εἰπεῖν λόγον. (r) ארני יהוה נתן לי לשון למורים לדעת לעות את יעף דבר (s) *Vergil. Eclog.* 6, *initio.* (t) *Pſal.* XXXIX, 7, 8. (u) *Iſai.* XLVIII, 8: *Neque ex tunc aperta eſt auris tua.* (x) *Perſius Satyr.* 1, *v. penul. Si cynico barbam petulans nonaria vellat.* Et *Satyr.* 2, *v.* 28: *Idcirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam Jupiter.* (y) *Luc.* XVIII, 31, 32. (z) *Matt.* XVI, 67. (a) Vide *Job*, XXX, 10. (b) *Deut.* XXV, 9. (c) Τὸν νῶτόν μου δέδωκα εἰς μάστιγας, τὰς δὲ σιαγόνας μου εἰς ῥαπίσματα. Τὸ δὲ πρόσωπόν μου οὐκ ἀπέστρεψα ἀπὸ αἰσχύνης ἐμπτυσμάτων. (d) *Matt.* XXVI, 67: *Tunc exspuerunt in faciem ejus, & colaphis eum ceciderunt; alii autem palmas in faciem ejus dederunt.*

℣. 8. Juxta est, qui justificat me, quis contradicet mihi? stemus simul: quis est adversarius meus? accedat ad me.

℣. 9. Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis est, qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos.

℣. 10. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi sui? qui ambulavit in tenebris, & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.

℣. 11. Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, & in flammis, quas succendistis: de manu meâ factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.

COMMENTARIUS.

DURISSIMAM: ET SCIO QUIA NON CONFUNDAR. Adversùs plagas & probra obdurui: quicquid hostibus meis libuit, injurias, accusationes, calumnias tuli, quin erubescerem, aut declinarem: memet ceu rupem immobilem, murumque æneum illis opposui. Divinæ opis promissionibus fretus, nihil vereor, neque me quarumlibet injuriarum pudebit. Hæc omnia Jesu Christo conveniunt, qui Judæorum flagitia increpuit, & Pharisæos acerrimè arguit, illorum ambitionem iramque minimè veritus, quamvis ipsorum odia, & animus nequissimus illum minimè laterent.

℣. 8. JUXTA EST QUI JUSTIFICAT ME; QUIS CONTRADICAT MIHI? Judicio jam accuser, damner, calumniis obruar: meus mihi Judex favet; meam ille innocentiam & justitiam novit; me opprimi non patietur. Fiduciam ac tranquillitatem, quâ Christi animus coram Judicibus firmabatur, hæc verba describunt.

℣. 10. QUIS EX VOBIS TIMENS DOMINUM, AUDIENS VOCEM SERVI SUI? Ita Discipulos alloquitur Christus. Qui Deum veremini, measque voces excipitis, impiorum minis ne terreamini; constantem in Deo fiduciam habete, nihilque vobis exitium creabit. Vos Deus inter maxima discrimina tuebitur, inter umbras densissimas ducet, atque ab hostibus sævissimis proteget. At cæteri, qui minas meas spernunt, meisque verbis fidem non habent, ignem sibi exitialem excitant (℣. 11): *Ecce vos omnes accendentes ignem*, &c. Ignis futor Divinus est; Romanorum arma in Judæos, quæ aliquot a Christi nece annis illos voravere. Contemptus, quo incredula Judæorum gens Isaiæ vaticinia neglexere, imago illius est, quo humani generis Reparatorem prosecutura erat; utì Nabuchodonosoris bello Romanum ceu vaticinio & præsagio, significabat.

℣. 11. IN DOLORIBUS DORMIETIS, vel moriemini. Igne, quem ipsi excitastis, conflagrabitis.

CAPUT LI.

Sionem consolatur Deus: prope est Justus ac Liberator: Justorum felicitas perennis futura. Justi Sionem revertentur, & ira calicem ulteriùs non bibent, iis propinandum, qui Dei populum oppresserint.

℣. 1. Audite me, qui sequimini quod justum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram, unde excisi estis, & ad cavernam laci, de quâ præcisi estis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. AUDITE ME, QUI SEQUIMINI QUOD JUSTUM EST. Hoc e superiori Capite sequitur; illo enim Propheta impiis minitatur ignem, quem ipsi in sui ipsorum exitium excitabant (a): hoc Justos solatur, iisque proximum malorum exitum pollicetur. Aliquid certè Captivitate Babylonicâ nobilius, sublimius, graviusque a Prophetâ spectari videtur; humani scilicet generis per Christum reparatio. At facilè etiam noscitur, nobilissimam hanc rem veluti sub allegoriæ involucris tegere, libertatis scilicet Judæorum, & Cyri imagine. Hæc involucra sunt & figuræ: res ipsa, primumque vaticinii argumentum & propositum sunt Christus & Ecclesia, quæ sub iis imaginibus exhibentur.

ATTENDITE AD PETRAM, UNDE EXCISI ESTIS, ET AD CAVERNAM LACI, DE QUA PRÆCISI ESTIS. Ut a cisternæ allegoriâ minimè discederet, dicendum erat: *E quâ eruti estis*. At Hebræus legit (b): *Aspicite ad petram, unde eruti estis, & ad perforationem laci, unde excisi estis*. Septuaginta (c): *Inspicite in solidam petram, quam excidistis, & in foveam laci, quam fodistis*. Hebræi quidam: *Aspicite ad petram, unde ducti estis, & malleum, quo excisi estis*. Rupes Sara, malleus Abraham. At vulgo pro rupe, unde ortum habuere Judæi, Abraham illorum author; & pro cisternâ, ex quâ eruti sunt, Sara eorum mater intelligitur. Duplex hîc allegoria est: altera ex lapicidinâ, quæ lapides ædificationi aptos fert; altera ex cisternâ aquis ubere. Utraque verò, authore S. Hieronymo, Abrahami & Saræ sterilita-

(a) Vide ℣℣. 10, & 11 Capitis L. (b) הביטו אל צור חצבתם ואל מקבת בור נקרתם
(c) Ἐμβλέψατε εἰς τὴν στερεὰν πέτραν, ἣν ἐλατομήσατε. Καὶ εἰς τὸν βόθυνον τοῦ λάκκου, ὃν ὠρύξατε.

℣. 2. Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos: quia unum vocavi eum, & benedixi ei & multiplicavi eum.

℣. 3. Consolabitur ergo Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas ejus: & ponet desertum ejus quasi delicias, & solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium, & lætitia invenietur in eâ, gratiarum actio, & vox laudis.

℣. 4. Attendite ad me, popule meus, & tribus mea me audite: quia lex a me exiet, & judicium meum in lucem populorum requiescet.

℣. 5. Propè est justus meus, egressus est salvator meus, & brachia mea populos judicabunt: me insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt.

℣. 6. Levate in cœlum oculos vestros, & videte sub terrâ deorsum: quia cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores ejus sicut hæc interibunt: Salus autem mea in sempiternum erit, & justitia mea non deficiet.

COMMENTARIUS.

litatem significat. Hunc spectare videbatur S. Joannes Baptista, cùm Judæos alloquens, & nemoris rupes innuens, diceret (d): *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Satis Deo virtutis est, ut novam lapicidinam erect, novumque sibi populum statuat, generi tuo alienum, sed Abrahamo fide & justitiâ similem. Judæ posteros eum aquis comparatos, superiùs vidimus (e): *Vos qui existis de aquis Juda.*

℣. 2. UNUM VOCAVI EUM, ET BENEDIXI EI, ET MULTIPLICAVI EUM. Is solus erat, genere, fortunis, præsidio ac defensione carens; eumque florentis atque opulentissimæ gentis patrem effeci. Hoc exemplo utitur, ut infinitam sui ipsius virtutem demonstret, & ea quæ populo pollicetur, constantissima fore doceat. Cùm hæc pro Abrahamo fecerim, quid jam viribus meis majus fuerit? Si ex viro sene, liberis carente, sterilique anu florentissimam gentem elicui, an Judæ reliquias pristinam in felicitatem restituere, captivitate liberare, ac mirum prorsus in modum augere non potero?

℣. 3. CONSOLABITUR OMNES RUINAS EJUS: illam restituet, versasque illius domos instaurabit. Hebræus & Septuaginta (f): *Consolatus sum omnia deserta ejus*, novos illuc colonos mittam.

Solitudinem ejus quasi hortum Domini. Hebræus (g): *Desertum ejus quasi Eden*, quasi provinciam, sive hortum Eden, terrestrem Paradisum.

℣. 4. POPULE MEUS, ET TRIBUS MEA, ME AUDITE. Dei verba sunt. Stirps Juda, gens mea, Tribus, quam unam post Israëlis seditionem mihi servavi. Hebræus (h): *Popule meus, & natio mea.* Septuaginta (i): *Audite me, populus meus: & reges ad me auribus attendite.* Theodotio: *Popule meus, & genus meum;* Symmachus: *Popule meus, & gens mea.*

LEX A ME EXIET, ET JUDICIUM MEUM IN LUCEM POPULORUM REQUIESCET. Cyri legem vulgari jubebo, quâ quibuslibet captivis gentibus reditus in patriam permittitur. Vel: Legem meam peregrinis gentibus manifestam efficiam, meaque judicia, & prodigia, olim a me electæ gentis commodo patrata, in omnibus terrarum plagis notissima erunt, ac prædicabuntur. Id profectò, ex parte tamen, post captivitatem contigit, præsertim redditis Græcè Scripturis; at integerrimâ fide impletum est post Christum, vulgato inter homines Evangelio. Hebræus (k): *Lex a me exibit, & judicium meum*, justitiam, ceu novum *jubar, momento proferam.*

℣. 5. PROPE EST JUSTUS MEUS: EGRESSUS EST SALVATOR MEUS; Christus Jesus, verè Justus, verè Servator; viventium Judex ac mortuorum; hominum omnium Redemptor. Hunc sensum omnes æquè Interpretes amplectuntur. Hujus figura Cyrus fuit, qui non uno apud Isaiam loco Justus ac Redemptor appellatur (l). Ultricem Dei justitiam in populos is exercuit, & Judam captivitate liberavit. Idem *brachium Domini* est, gentes judicans, & evertens Principes (m). Horum vaticiniorum fidem confirmant Imperii Chaldaici excidium, aliorumque regnorum eversio per Cyrum, opem ferente Deo: *Brachia mea populos judicabunt.*

ME INSULÆ EXPECTABUNT, ET BRACHIUM MEUM SUSTINEBUNT, seu vires meas, Liberatorem a me missum, meoque robore instructum præstolabuntur. Gentium expectatio, Omnipotentis virtus & brachium Christus fuit: omnes ipse homines Diaboli tyrannide liberavit, omnesque hominum spes ipse complevit. Cyrus etiam *Domini brachium* dici potest, Divinæque ultionis minister in Chaldæos cæterosque, qui viribus suis ad innocentium oppressionem utebantur. Idem Insularum, remotissimarumque regionum expectatio fuit, quippe quas sævissimorum Principum tyrannide solvit, ac paterno potiùs, quàm herili imperio in illas usus est. Imperii illius suavitatem, mutuamque populorum benevolentiam Veteres (n) prodidere. Jones, quos Scriptura communi Insularum nomine complectitur, legatos ad Cyrum miserunt, sese illi ultro dedentes iisdem conditionibus, quas Crœsi subditis, a se superatis, dedit (o).

℣. 6. COELI SICUT FUMUS LIQUESCENT, ET TER-

(d) *Matt.* III, 9. (e) *Isai.* XLVIII, 1. (f) נחם כל חרבותיה 70: Παρεκάλεσα πάντα τὰ ἔρημα αὐτῆς. (g) מדברה כעדן 70: Τὰ ἔρημα αὐτῆς ὡς παράδεισον. (h) עמי ולאמי אלי האזינו (i) Ἀκούσατέ μου λαός μου, καὶ οἱ βασιλεῖς, πρός με ἐνωτίσασθε. *Pro tribu quam nos interpretati sumus, Theodotio genus; Symmachus gentem transtulerunt. Hieron.* (k) כי תורה מאתי תצא ומשפטי לאור עמים ארגיע (l) *Isai.* XLI, 2: *Quis suscitavit ab oriente justum? Vide &* ℣. 20; *&* LV, 8; LXII, 2. (m) *Vide Thom. & Hugon. & Grot. hic.* (n) *Xenophon. Cyropæd. lib.* 8; *Herodot. lib.* 3. *c.* 89. (o) *Herodot. lib.* 1, 141: Ἴωνες δὲ καὶ Αἰολέες ἔπεμπον ἀγγέλους ἐς Σάρδις παρὰ Κῦρον, ἐθέλοντες ἐπὶ τοῖσι αὐτοῖσι εἶναι, τοῖσι καὶ Κροίσῳ ἦσαν κατήκοοι.

℣. 7. Audite me, qui scitis justum, populus meus, lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis.

℣. 8. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: & sicut lanam, sic devorabit eos tinea: Salus autem mea in sempiternum erit, & justitia mea in generationes generationum.

℣. 9. Consurge, consurge; induere fortitudinem, brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem?

℣. 10. Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis: qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati?

℣. 11. Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, & venient in Sion laudantes; & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor, & gemitus.

℣. 12. Ego, ego ipse consolabor vos: quis tu, ut timeres ab homine mortali, & a filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet?

℣. 13. Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos, & fundavit terram: & formidasti jugiter totâ die a facie furoris ejus, qui te tribulabat, & paraverat ad perdendum: ubi nunc est furor tribulantis?

℣. 14. Citò veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet usque ad internecionem, nec deficiet panis ejus.

COMMENTARIUS.

TERRA SICUT VESTIMENTUM ATTERETUR .... SALUS AUTEM MEA IN SEMPITERNUM ERIT. Hæc si de libertate, Judæis per Cyrum vindicatâ, usurpentur, rebus ipsis multo majora esse, nemo non videt; salus enim a Cyro Judæis allata, neque æterna fuit, neque magnoperè diuturna. Quamvis ab ipso Zorobabelis reditu usque ad Jerosolymæ excidium sub Tito annos numeres, sexcentos non superant. At saluti, a Jesu Christo Fidelibus suis comparatæ, nullus est aut temporis terminus aut virtutis. Tametsi Cœlum ac Tellus esse desinant, quæ ego pollicitus sum, minimè cadent. *Cœlum ac terra transibunt*, ait Christus, *verba autem mea non præteribunt* (p). Hebræus (q): *Quoniam Cœli quasi fumus evanescent, & terra sicut vestimentum veterascet*. Vel: Cœli deterentur ut sal, instar fumi; vel, in fumum abibunt, utì sal aquâ solvitur (r). Septuaginta (s): *Cœlum ut fumus firmabitur, terra verò utì vestis veterascet*. Cœlum nibilo firmius Cœlo erit, &c.

℣. 7. AUDITE ME, QUI SCITIS JUSTUM, qui justitiam nostis. Ita propriè sonat Hebræus (t). In ℣. 5, ea verba, quæ apud nos ita leguntur, *Prope est Justus meus*, apud Hebræum sonant: *Prope est Justitia*. Septuaginta (u) reddunt hic: *Audite me, qui scitis judicium*.

℣. 9. NUMQUID NON TU PERCUSSISTI SUPERBUM, VULNERASTI DRACONEM? Communi consensu Interpretes de Pharaone, aquis Erythræi merso, explicant. Hebræus (x): *Nonne tu*, o brachium Domini, *excidisti Rahab, vulnerasti magnum piscem?* Nomine *Rahab* inferior potissimùm Ægyptus significatur, utì vidimus (y), vel *superbus*, epitheton Ægyptiorum Regi apprimè conveniens. Idem etiam sub appellatione *draconis magni* (z) designatur; neque ex Interpretibus desunt, qui *Pharaonis* nomine crocodilum significari putent. Crocodilus certè pro Ægypti hieroglyphico usurpabatur. Eâdem phrasi utitur Jobus (a), ut rem eamdem indicet.

℣. 10. NUMQUID NON TU SICCASTI MARE; ut viam populo tuo, quem Pharao a tergo urgebat, aperires?

℣. 11. NUNC QUI REDEMPTI SUNT A DOMINO, REVERTENTUR. Judæi, nunc Babylone captivi, in patriam revertentur, quemadmodum olim Israëlitæ inter Divinæ virtutis prodigia ex Ægypto reversi sunt.

℣. 12. QUIS TU, UT TIMERES AB HOMINE MORTALI? Dei populum alloquitur. Quid ex mortali homine metuendum tibi erat? Quem usque ad finem nocuisset Nabuchodonosor, nisi tu Conditoris tui, quem unum vereri debueras, memoriam amisisses? (℣. 13) *Et oblitus es Domini Factoris tui*. Ideirco igitur te ipse in sævissimi hostis ac durissimi Principis potestatem dedit, qui te assiduis terroribus agitavit: *Formidasti jugiter totâ die a facie furoris ejus*.

℣. 13. UBI NUNC EST FUROR TRIBULANTIS? Quid actum de Nabuchodonosore est, nequissimo superbissimoque Principe, qui tam multis vos malis ærumnisque affecit? Prorsus evanuit, ipsaque illius soboles desiit, eversoque ipsius Imperio, hostes regnant: qui opprimebantur, aurâ liberiore fruuntur; & qui superbè imperio abutebantur, infirmosque opprimebant, extrema vicissim mala patiuntur.

℣. 14. CITO VENIAT GRADIENS AD APERIENDUM:

(p) *Matt.* XXIV, 35. (q) כי שמים כעשן נמלחו והארץ כבגד תבלה
(r) *Aqu.* Μελυθήσονται. *Symmach.* Ἀλώσονται. *Apud Hieron.* (s) 70: Ὀυρανὸς ὡς καπνὸς ἐςερεώθη, ἡ δὲ γῆ ὡς ἱμάτιον παλαιωθήσεται. (t) שמעו אלי ידעי צדק (u) Ἀκούσατέ μου οἱ εἰδότες κρίσιν.
(x) הלוא את היא המחצבת רהב מחוללת תנים (y) *Vide Psal.* LXXXVI, 4: *Memor ero Rahab, & Babylonis*. *Et Isai.* XXX, 7. (z) *Vide Ezech.* XXIX, 3: *Ecce ego ad te, Pharao Rex Ægypti, draco magne, &c. Psal.* LXXIII, 13; LXXXVIII, 31; *Isai.* XXVII, 1; *Job*, XXVI, 12. (a) *Job*, XXVI, 12: *In fortitudine illius repentè maria congregata sunt, & prudentia ejus percussit superbum*.

℣. 15. Ego autem ſum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumeſcunt fluctus ejus: Dominus exercituum nomen meum.

℣. 16. Poſui verba mea in ore tuo, & in umbrâ manûs meæ protexi te, ut plantes cœlos, & fundes terram; & dicas ad Sion: Populus meus es tu.

℣. 17. Elevare, elevare, conſurge, Jeruſalem, quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ ejus: uſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti, & potaſti uſque ad fæces.

℣. 18. Non eſt qui ſuſtentet eam ex omnibus filiis, quos genuit: & non eſt qui apprehendat manum ejus: ex omnibus filiis, quos enutrivit.

℣. 19. Duo ſunt quæ occurrerunt tibi: quis contriſtabitur ſuper te? vaſtitas, & contritio, & fames, & gladius: quis conſolabitur te?

COMMENTARIUS.

DUM: is qui carceres reclusurus eſt, quamprimùm veniet. Cyrus, ex quo libertas vos manet (b), non diù morabitur. Hebræus (c): *Veniens seu turbo ad aperiendum, feſtinat.* Septuaginta (d): *Ut in ſalva ſiat, non ſtabit*; vel, niſi ſalva facta fueris, &c.

NON INTERFICIET USQUE AD INTERNECIONEM; NEC DEFICIET PANIS EJUS. Victoriæ ſuæ fructus inconſideratâ ſævitiâ vel ſeveritate non perdet: hoſtes ſervabit, ut ſubditos ac ſervos habeat; neque illius molimina ob annonæ penuriam non evertentur. Is quippe non erit Cyrus, qui ferro, igne, cædibus omnia vaſtet; neque ex eorum numero, qui obvia quælibet diripiunt, evertunt, diſſipant, cædunt; qui inſtar incendii omnia vorantis, Provincias diſcurrunt, nihilque intactum relinquunt. Neque temerariam eorum Principum virtutem imitabitur, qui magnas res modicâ annonâ & apparatu aggrediuntur. Cyrum deſcribunt Hiſtorici modeſtum, cautum, ſapientiſſimum, nunquam fortunâ abuſum, qui ſuorum animos, cæterorumque a ſe devictorum voluntates ſibi devinxerit.

℣. 16. POSUI VERBA MEA IN ORE TUO, ET IN UMBRA MANUS MEÆ PROTEXI TE. Similem huic locutionem legimus ſupra, XLIX, 1, 2; eamque tum Jeſu Chriſto, tum Iſaiæ, Cyro, Joanni Baptiſtæ convenire: at unius Chriſti fuiſſe, univerſam illius amplitudinem aſſequi atque complere.

UT PLANTES COELOS, ET FUNDES TERRAM, ET DICAS AD SION: POPULUS MEUS ES. Poſuit Cœlos Chriſtus, inſtitutâ Eccleſiâ, quæ paſſim in Evangeliis Regnum Cœlorum appellatur; collatâ Fidelibus adoptionis gratiâ, iiſdemque & cœleſti civitate, & Divinâ familiaritate donatis (e); myſteriis Cœleſtis Regni homini explicatis (f); æternâ beatitudine nobis Deo æternùm fruituris comparatâ. Novos denique cœlos novamque terram condidit (g), totiusque terrarum orbis faciem Evangelicâ prædicatione convertit; quæ enim nequam gens erat, nihil niſi terrena & tenebras ſciens, illam ipſam ſanctam, puram, eruditam effecit, cujus contubernium, & conſuetudo in Cœlo eſt (h). Is novum cum eâ gente fœdus feriit, ac veriſſimè Sioni dixit: *Populus meus es.*

Hæc genuina eſt hujus loci explicatio. Quid enim Cyrus unquam geſſit, quod his accederet? Libertatem Judæis reſtituit; novos quodammodo cœlos novamque terram illis exhibuit, ubi illos ærumnis & captivitate liberavit; nitidiorem illis ſolem, auramque ſuaviorem dedit; eximiam illos in regionem miſit, melle & lacte manantem; at quanta hæc ſunt, ſi cum iis, quæ Chriſtus hominum gratiâ geſſit, comparentur? Phraſibus quantumlibet acerrimis ac ſublimibus utere, ut beneficium a Cyro Judæis collatum ſignifices: multò illud inferius futurum eſt veriſſimis atque ampliſſimis beneficiis, quibus homines univerſos J. Chriſtus naſcens moriensque cumulavit.

℣. 17. ELEVARE, CONSURGE, JERUSALEM, QUÆ BIBISTI DE MANU DOMINI CALICEM. Jeroſolymam exhibet ceu mortuum hominem, quem ipſe in vitam a ſepulcro revocat, vel ſomno ſepultum, lethiferæque ac ſoporiferæ potionis vi in ebrietatem reſolutum. Jeroſolymam igitur excitat, ſpondetque futurum, ut ex eo calice, cujus vel ipſas fæces hauſit, deinceps non bibat. Sua Babyloni ſors acceſſit; (℣. 23) illique calix jam jam propinandus eſt, quo ad ebrietatem uſque proluetur. Paſſim legas apud Scripturam ſententias, ex quibus diſcimus, familiarem eſſe Sacris Scriptoribus calicis imaginem, quâ pœnas ſignificent, quibus eos punit Deus, qui Divinam ultionem flagitiis provocavere (i).

℣. 19. DUO SUNT QUÆ OCCURRERUNT TIBI... VASTITAS ET CONTRITIO, (excidium) FAMES ET GLADIUS. Quatuor mala, quæ reverâ duo tantummodò ſunt. Bellum & fames vaſtitatem & excidium pariunt. Rei cauſa ab ipsâ re ſejungenda non eſt. Jeroſolyma certè, cùm ſupremâ Nabuchodonoſoris obſidione premeretur, omnia famis mala perpeſſa eſt; eaque Jeremias vividis adeò coloribus deſcribit, ut legentes horreant (k). Pueri fame ac ſiti languentes, nemine aut panem aut aquam exhibente. Locupletiſſimi, & qui inter delicias vixerant, iis cibis uti coacti ſunt, quos horret natura. Qui cædibus ſuperfuerant, mortuorum felicitati invidebant. Matres ipſæ laniatis coctisque liberorum carnibus in cibos uſæ ſunt. Belli furor nunquam crudeliùs ſæviit. Cæſis iis, qui vim inferre aut armis uti poterant, urbs ipſa incendio abſumpta eſt: neque Templi Religio bellicum furorem coërcuit: Regio genere orti in necem dati: ipſe demum Rex, ſpectato liberorum ſupplicio, oculis orbatus, & cum miſeris populi reliquiis in captivitatem ductus eſt. Tot inter mala, nemo Jeroſolymæ calamitatem vel lacrymis proſecutus eſt, vel ſolatium miſeræ adhibuit. Urbs ipſa ſupplicii ſui magnitudinem queri auſa non eſt; ipſius enim mala ſuorum flagi-

(b) *Vide Thom. Hugon. Cardin. Pagn. Menoch. Tirin.* (c) מהר צעה להפתח (d) Ἐὰν γὰρ τῷ σώζεσθαί σε οὐ στήσεται. (e) *Epheſ.* II, 19. (f) *Matt.* XIII, 11. (g) *Iſai.* LXV, 17; LXVI, 22; 2 *Petr.* III, 13; & *Apocalypſ.* XXI, 1. (h) *Philipp.* III, 20. (i) Vide *Pſal.* X, 7; LXXIV, 9; *Jerem.* XXV, 15, 17; XLIX, 12; *Thren.* IV, 21; *Ezech.* XXIII, 31, 32; *Habac.* II, 16; *Matt.* XX, 22; XXVI, 39, &c. (k) *Thren.* IV, 3, 4, 5, 8, 9, 10.

℣. 20. Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium via-
rum, sicut oryx illaqueatus: pleni indignatione Domini, incre-
patione Dei tui.
℣. 21. Idcircò audi hoc paupercula, & ebria non a vino.
℣. 22. Hæc dicit dominator tuus Dominus, & Deus tuus, qui pu-
gnabit pro populo suo: Ecce tuli de manu tuâ calicem soporis,
fundum calicis indignationis meæ, non adjicies, ut bibas illum ultra.
℣. 23. Et ponam illum in manu eorum, qui te humiliaverunt, &
dixerunt animæ tuæ: Incurvare, ut transeamus: & posuisti ut
terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.

COMMENTARIUS.

gltiorum gravitate superabantur.

℣. 20. FILII TUI PROJECTI SUNT. Extremam Jerosolymæ calamitatem iisdem fermè verbis describit Jeremias (l). Pueri fame consumpti in triviis expirabant, ceu gladio cæsi; & qui e matrum uberibus pendebant, in ipso parentum sinu aoimam efflabant.

SICUT ORYX ILLAQUEATUS. Quod Hebræis *tho* (m), Græcis est *oryx*, testibus Aquilâ (n), Theodotione (o), Septuaginta (p) in Deuteronomio, optimisque Interpretibus. Est autem oryx ferus bos, a Priscis descriptus. At nullam nostrâ ætate feram novimus, cui eæ ootæ conveniant, quæ de oryge feruntur; ûnum scilicet cornu mediâ in fronte situm, villi ad caput versi, satisque virium, ut cum leonibus ac tigribus pugnet. Oryx apud Ægyptios caniculæ ortum sternutatiooibus præsagire putabatur (q). Plura de oryge adduntur, quæ illud obtinent, ut oryx inter fabulas censeatur. Hoc saltem communi consensu creditur, plerasque hujusmodi notas mera esse vulgi commenta. Scribunt nonnulli, Hebraicam vocem *tho* quoddam lupi genus significare, quod Græcis & Latinis *thos* appellatur. Communibus lupis longius est, breviori crure, cursu pernicissimum (r); venatu & rapto vivens; homini adeò amicum, ut illi blandiatur, ubi occurrat, ipsumque a cæteris feris defendens, si noceant. Septuaginta (s): *Sicut beta semicocta*. Quemadmodum beta, solis æstu caduca, ita tu viribus, robore, virtute carebas. Chaldæus (t): *Quasi laguncula confracta*.

℣. 21. EBRIA, NON A VINO, sed Divini furoris calice, absynthio, amaritudine.

℣. 23. PONAM ILLUM IN MANU EORUM, QUI TE HUMILIAVERUNT. Bibendum jam Babyloniis est: tu satis bibisti. Calicem propinabit Cyrus, eosque ad fœces usque haurire coget.

DIXERUNT ANIMÆ TUÆ: INCURVARE UT TRANSEAMUS. Potestate suâ fortasse abusi fuerant Chaldæorum Reges, superatisque a se Priocipibus ceu scabello utebantur, vel miseros coram procumbere cogebant, ut super strata illorum corpora graderentur. Alia supersunt hujus sævitiæ exempla, præter hunc locum, qui non satis rem probat, solamque fortasse in Chaldæis Regibus animi præparationem demonstrat, quamvis re non expleverint. Quicquid sit, res inter Orientalium Reges exemplo non caret, cùm victi Reges a victoribus ita indigoè habiti fuerint. Imperavit Josue, ut populus quinque Regum a se devictorum colla, post celeberrimam victoriam ad Gabaonem, pedibus calcaret (u). Pollicetur Messiæ Deus futurum, ut suos illi hostes ceu pedum scabella subjiciat (x). Sesostris, Ægyptiorum Rex curru, quem superati a se Reges traherent, vehebatur (y).

CAPUT LII.

Sionem solatur. Hæc e captivitate & Assyriorum injuriis liberatur. Israelis Liberatorem laudibus prosequitur.

℣. 1. Consurge, consurge, induere fortitudine tuâ, Sion, in-
duere vestimentis gloriæ tuæ, Jerusalem, civitas sancti:
quia non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus,
& immundus.
℣. 2. Excutere de pulvere, consurge: sede, Jerusalem: solve vin-
cula colli tui, captiva filia Sion.

COMMENTARIUS.

℣. 1. INDUERE VESTIMENTIS GLORIÆ TUÆ .... QUIA NON ADJICIET ULTRA UT PERTRANSEAT PER TE INCIRCUMCISUS ET IMMUNDUS. Capitis superioris orationem prosequitur, & Jerosolymæ

(l) *Thren.* II, 50, 21, 22.
(m) כתוא מכמר (n) *Aqu.* Ὡς ὄρυξ ἠμφιβληστρευμένον, vel, συνειλημμένον. (o) *Theodot.* Ὡς ὄρυξ ἐν ἀμφιβλήστρῳ. (p) *Deut.* XIV, 5. (q) *Vide Ælian. lib.* 7, *c.* 8. (r) *Plin. lib.* 8, *c.* 34; *Aristot. lib.* 2 *hist. c.* 17; *Ælian. &c.* (s) 70: Ὡς σεῦτλον ἡμίεφθον. Ait S. Hieronymus, Syriacè *Thoretso*, significare betam. Profectò legitur in Talmud *Terad* תרד, seu *Therid* תריד pro betâ. *Boch. de animal. part.* 5, *lib.* 3, *c.* 28. (t) כמורקי מצרן (u) *Josue*, X, 24. (x) *Psal.* CIX, 1.
(y) *Diodor. lib.* 1, *p.* 37: Ὁπότε δὲ πρὸς ἱερὸν, ἢ πόλιν προσιέναι μέλλοι, τοὺς ἵππους ἀπὸ τοῦ τεθρίππου λύων ὑπεζεύγνυεν ἀντὶ τούτων κατὰ τέτταρα τοὺς βασιλεῖς, καὶ τοὺς ἄλλους ἡγεμόνας.

℣. 3. Quia hæc dicit Dominus : Gratis venumdati estis, & sine argento redimemini.

℣. 4. Quia hæc dicit Dominus Deus : in Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi, & Assur absque ullâ causâ calumniatus est eum.

℣. 5. Et nunc quid mihi est hìc, dicit Dominus, quoniam ablatus est populus meus gratis ? Dominatores ejus iniquè agunt, dicit Dominus, & jugiter totâ die nomen meum blasphematur.

COMMENTARIUS.

mæ felicitatem, post reditum e captivitate (a), & nobilissima ipsius reditûs adjuncta describit. *Jerusalem urbs Sancti*, quæ locus es a Deo in sedem electus, in quâ suum ipse Templum statuit, jam gaude, aptisque hilaritati vestibus induere : nullus deinceps advena, qui olim te armis, tuamque regionem excursionibus vastavere, turbabit. Hæc de antiquis Judæ hostibus, Assyriorum scilicet, Chaldæorum, Syrorum, Ægyptiorumque Regibus intelligenda sunt. Incircumcisæ impuræque bujusmodi gentes deinceps te non affligent : superba hæc Regna perierunt, nulloque jam tempore ab exitio respirabunt. Nullus profectò in posterum Assyriorum aut Chaldæorum Rex Judæos oppressere. Si quas Judæa ab Ægyptiorum Syrorumque Regibus, Magni Alexandri successoribus, injurias passa est, eas Græcis debuit ; ii enim ipsi Reges Græci erant, alii planè a prioribus, qui ex Ægypto & Syriâ ortum duxerant. Quin & mala atque ærumnæ, quæ Judam per Græcos exagitavere, ab iis magnopere superantur, quæ ab antiquis hostibus tulit. Simile quid jam promiserat Isaias, cùm diceret (b) : *Erit ibi* (Jerosolymis) *semita & via, & via sancta vocabitur : non transibit per eam pollutus*. Nemo deinceps Religioni vestræ operam dantibus molestiam vobis creabit ; neque aut advenarum commercio, aut Numinum profanorum communione violabimini.

Cave tamen hæc ita intelligas, ut absolutissimè impleta esse putes. Solutis captivitate Babylonicâ Judæis, illorum regio miserrimum belli theatrum persæpe fuit. Hanc & incircumcisi homines & impuri frequentarunt, & imperio subdiderunt ; at non idem fuit dominationis modus. Superstitione deinceps abstinuit Judas, puram Religionem exercuit, diuturnâ pace gavisus est, hostesque mitiores habuit ; si tamen unum Antiochum Epiphanem excipias, cujus furor non diu sæviit, felicemque Judæis exitum habuit. Si de Jesu Christi Ecclesiâ interpreteris, nihilo fermè minor difficultas obstabit. Hanc sæculi Principes exagitavere, lacerant seditiones, hæreses inquinant, pessimorum Christianorum flagitia maculis aspergunt : at adversariorum odia illam a veræ Fidei constantiâ non dejecerunt ; intra illam nullus hæresi est locus ; ipsam fugiunt schismata, ab eâque discedunt ; eademque nec scelus nec libidinem probat, aut patitur, aut dissimulat. Pura semper ac minimè violata in filiorum fide alumnorumque moribus viget, quamvis Diaboli artes, hominumque nequitia & libido obnitantur.

℣. 3. GRATIS VENUMDATI ESTIS, ET SINE ARGENTO REDIMEMINI. Vos Nabuchodonosor nullâ lucri aut reipublicæ causâ, sed ut libidini insanæque ulciscendi cupiditati indulgeret, captivos iniquissimè abduxit ; quà ex re nihil nisi incommodum, & census publici detrimentum retulit, cum amplissimæ ubertimæque regionis vectigalia amiserit. Deinde Cyrus inconsultâ pariter ratione ductus, atque ex humanæ prudentiæ legibus, in desertam squallentemque regionem mittit, vosque ex iis sedibus pellit, ubi constituto rerum vestrarum statu, utiles Imperio esse cœpistis, ut in eam regionem iterum transferat, quæ nonnisi post diuturni temporis moram pristinæ felicitati restitui nequeat. Quamobrem ita parum utilis Cyro est vester in patriam reditus, ut Nabuchodonosori discessio. Igitur fateamini necesse est, meo unius beneficio libertatem recuperasse, quemadmodum mei furoris causâ amisistis. Absoluto in vos ego utor imperio. Si Chaldæis vendidi, id minimi illis stetit ; si per Cyrum redimo, id nullios utilitatis Cyro est. Utrumque meo arbitrio, meoque compendio agitur. Mei estis vos, mei sunt ipsi ; meæque voluntatis ministri sunt, sive fortunas, sive calamitates inserant. Nihil illi mihi detulerunt, ut vos emerent ; nihil reddo, ut redimamini.

℣. 4. IN ÆGYPTUM DESCENDIT POPULUS MEUS IN PRINCIPIO, UT COLONUS ESSET IBI ; ET ASSUR SINE CAUSA CALUMNIATUS EST EUM, vi oppressit. Sunt (c) qui censeant, Assur hoc loco esse Pharaonem, Ægyptiorum Regem, qui Hebræos in Ægypto iniquissimâ vi oppressit. Putant alii (d), esse Teglathphalassarum, Salmanasarum, Sennacheribum, Assyriorum Reges, quorum sub armis, probabili nullâ ex causâ, decem Israëlitarum Tribus, & ipsum Judæ Regnum gemuere. Nobis videtur esse Nabuchodonosor, Assyriorum Rex, eorumque Regum successor, qui supremum in Regno Juda dominium usurpaverant. Ita verò disputat Propheta.

Ægyptii, quos gravibus adeò suppliciis affeci, quòd populum meum afflixerint, multò levioribus, quàm Chaldæi, criminibus tenebantur. Aliqua saltem illis causa erat, ut Jacobum servitute opprimerent. Is advena erat, in Ægyptum profectus, nullo in alienam regionem, sibi a Deo minimè promissam, jure fruens. Quamobrem Ægyptii indigenæ aliquid saltem causari poterant, si Hebræos vel ad servitutem vel ad fugam adigerent ; cùm præsertim hi adeò crevissent, ut formidabiles esse inciperent. At *Assur*, Salmanasar, Sennacherib, Nabuchodonosor quid afferre potuerunt, ut Judæorum regionem bono jure aggressi esse, bello sævissimo gentem exagitasse, suis e sedibus expulisse, oppressisse vectigalibus, catenis onerasse, & captivam abduxisse crederentur ? *Assur sine causâ calumniatus est eum*. Sancitum cum Achaz fœdus fregit Teglathphalassar (e) ; datam Ezechiæ fidem Sennacherib violavit (f) ; Nabuchodonosor Judæus vi oppressit ; ac nihilo meliori jure in Regnum Juda fruebatur, quàm majores sui, qui usurpaverant.

℣. 5. QUID MIHI EST HIC ? Jam quid agendum mihi est, cùm gens mea in captivitate, nullo jure, nullâque de causâ gemat ? Chaldæis ne par-

(a) *Ita D. Thom. Hugo, Peg. Sanct.* (b) *Isai.* xxxv, 8. (c) *Cajet. Emman. Sa, Forer. Menoc, Tir.* (d) *Adam. Grot.* (e) *2 Par.* xxviii, 20. (f) *4 Reg.* xviii, 14...... 37, *& seq.*

℣. 6. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illâ: quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.
℣. 7. Quàm pulcri super montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem; annunciantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion: Regnabit Deus tuus.
℣. 8. Vox speculatorum tuorum levaverunt vocem, simul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt, cùm converterit Dominus Sion.
℣. 9. Gaudete, & laudate simul deserta Jerusalem: quia consolatus est Dominus populum suum, redemit Jerusalem.
℣. 10. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.
℣. 11. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio ejus, mundamini, qui fertis vasa Domini.

COMMENTARIUS.

parcam, cùm iniquis ideò injuriis sævierint? Quòd si Ægyptios duris adeò suppliciis exagitavi, quid in Assur agendum est?

JUGITER TOTA DIE NOMEN MEUM BLASPHEMATUR, tum a Chaldæis, qui potestati meæ illudere videntur, dum gentis meæ calamitatibus insultant; tum ab Judæis parum religiosis, qui inter ærumnas ipsi sese interrogant: Ubi jam gentis nostræ Deus? ubi illius æquitas, ubi virtus? Denique ab exteris, quibus crudelium hujusmodi dominorum felicitas labendi occasio est; non secùs atque calamitas populi, qui meus esse dicitur, quem perspicuis adeò benevolentiæ argumentis prosecutus sum.

DOMINATORES INIQUE AGUNT. Hebræus (g): *Dominatores ejus illum ululare cogunt*. Sævissimis illum injuriis vexant. Septuaginta (h): *Admiramini, & ululate*.

℣. 6. EGO IPSE QUI LOQUEBAR, ECCE ADSUM. Libertatem denique præsens ipse affero, utì per Prophetas pollicebar. Hæc verba Jesu Christi, qui verus est Deus verusque Liberator, a Prophetis promissus descriptusque, adventum propriè significant. Ego ipse, qui per Prophetas loquebar, qui tam multis antea sæculis nunciari, & figuris atque imaginibus exhiberi volui: *Ego ipse qui loquebar, ecce adsum*. Quis jam hæc verba Cyro tribuere audeat? Deus est qui loquitur.

℣. 7. QUAM PULCRI SUNT SUPER MONTES PEDES ANNUNCIANTIS ET PRÆDICANTIS PACEM! Quàm jucundus ac suavis Princeps pacis, Divinus hominum servator, proximam nobis libertatem, futuramque felicitatem nuncians! Quàm optatus venit! Quàm decorè graditur! Super montium vertices accedentem intueor ceu victorem, qui pleno majestatis gradu incedit, ac meliorem fortunam pollicetur. Aptissimè etiam hæc verba de Apostolis explicantur, qui Evangelium in omnes terrarum plagas tulere, quorum viæ, solaribus similes, nitidæ ac fulgentes erant, omnibusque ad quos ii mittebantur, amicæ. Prophetis denique eadem aptantur, Christi adventum nunciantibus, ac legatorum ad Sionem munere functis, ut faustissimo illam nuncio recrearent.

℣. 8. VOX SPECULATORUM TUORUM. Jerosolymam exhibet sub urbis imagine hostium armis obsessæ cinctæque, quæ opem ex alienis regionibus præstolans, speculatores in montium jugis statuit, ut inspiciant, quà ex parte sperata auxilia afferantur. Tuos, Jerosolyma, speculatores jam audio, lætis vocibus te monentes, nuncium pacis, de quo superior Versus, venientem prospici. En, illum oculis vident, ejusque alacritatem, & gressuum majestatem admirantur: *Quàm pulcri pedes prædicantis pacem!* Speculatores ipsi Prophetæ sunt, quos persæpe Scriptura hoc nomine donat (i). Nuncius accedens, est Christus; quo in terris nascente, Angeli conceptis vocibus Deo gloriam, pacem hominibus nunciavere (k).

OCULO AD OCULUM VIDEBUNT (l), CUM CONVERTERIT DOMINUS SION, vel e captivitate in pristinum fortunæ splendorem revocaverit. Illius reditum ita perspicuè intuebuntur, utì ea quæ ipsis oculis percipiuntur. Nihil luculentiùs apud Prophetas legitur, quàm Sionis reditus, ipsiusque reditûs sub imagine Servatoris adventus, hominumque Redemptio. Septuaginta (m): *Oculi ad oculos videbunt, quando misertus fuerit Dominus Sion*.

℣. 10. PARAVIT DOMINUS BRACHIUM SANCTUM SUUM IN OCULIS OMNIUM GENTIUM. Quodnam Domini brachium sit, coram omnibus terrarum populis paratum, non divinamus. Satis tamen intelligimus, aliud esse non posse, præter Christum, Patris vires ac virtutem, de quo Maria Virgo cecinit (n). *Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui*. Reddi Hebræus potest (o): *Denudavit Dominus brachium Sancti sui*; quæ interpretatio cum eâ, quam mox exposuimus, convenit. *Brachium* est Domini salus, quam universus orbis aspexit: *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri*. Nullum hominum latuit libertas, a Deo per Christum genti suæ comparata; uniusque populi in potestate fuit oblatâ per Dei Præcones fortunâ uti.

℣. 11. EXITE INDE: POLLUTUM NOLITE TANGERE: MUNDAMINI QUI FERTIS VASA DOMINI. Qui Babylone egredimini (p), ac reddita a Cyro (q) sacra vasa defertis, labem omnem vitate, sacrumque depositum eo, quo par est, obsequio gerite: aptè illa velis obvolvite, neque nuda tangite, ac nonnisi probè purgati humeros oneri supponite.

(g) משלו יהילילו *Theodot. Ululabant. Aqu. Flebunt. Hieron. hic.* (h) 70: Θαυμάζετε καὶ ὀλολύζετε. (i) *Isai.* XXI, 8; *Abac.* II, 1; *Zach.* III, 7. (k) *Luc.* II, 14: *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* (l) עין בעין יראו בשוב יהוה ציון (m) Ὅτι ὀφθαλμοὶ πρὸς ὀφθαλμοὺς ὄψονται ἡνίκα ἂν ἐλεήσῃ κύριος τὴν Σιών. (n) *Luc.* I, 51. *Vide & Isai.* LI, 9; LIII, 1. (o) חשף יהוה את זרוע קדשו (p) *Ita Heb. apud Hieron. Thom. Hugo, & Grot.* (q) 1 *Esdr.* I, 7, 8: *Rex quoque Cyrus protulit vasa Templi Domini, quæ tulerat Nabuchodonosor de Jerusalem.... & annumeravit ea Sassabasar Principi Juda.*

℣. 12. Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fugâ properabitis: præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Israël.
℣. 13. Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valdè.
℣. 14. Sicut obstupuerunt super te multi, sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, & forma ejus inter filios hominum.

COMMENTARIUS.

Quam a Levitis, sacra vasa in Deserto gestantibus, curam & observantiam exigeret Deus, lege in Numeris (r).

℣. 12. QUONIAM NON IN TUMULTU EXIBITIS... PRÆCEDET ENIM VOS DOMINUS, uti olim consuevit, cùm majores vestri ex Ægypto proficiscerentor. Instructis ordinibus egressi sunt (s), veluti in prælium parati: ita fermè vos Babylone redibitis. Agmen ducet Deus, vobisque ipse dux erit ac protector; ejusque præsentiæ pignus sacra Templi vasa vobis erunt, quæ Jerosolymam referetis. Eumdem hunc reditum alibi (t) Isaias ceu quoddam triumphi genus exhibet, comitantibus ubique inter vastissima & horrida deserta prodigiis.

℣. 13. ECCE INTELLIGET SERVUS MEUS, EXALTABITUR, ET ELEVABITUR. Sepositâ prorsus figurâ, Propheta ad rem transit: neque jam Cyrum, Messiæ imaginem, aut Babylonicæ captivitatis exitum, veluti humanæ redemptionis symbolum; sed Christum Jesum hic & sequenti Capite adeò perspicuè spectat, ut illius verba nemini aptari queant, quamvis nonnisi ot figora usurpetur. Frustra Rabbini Jeremiam, Josiam, Zorobabelem, Esdram hoc loco designari ajunt: doceant jam, quâ ex parte hoc illis vaticinium conveniat. Quicquid illi conentur, neminem omnino in Veteri Testamento invenient, qui eodem simul tempore tantum majestatis, amplitudinis atque virtutis, tantum infirmitatis, dejectionis & ærumnarum in se ipso collegerit, quantum in Jesu Christo conspicitur. Despectus minimique habitus inter cæteros homo, Principum terror atque admiratio, omniumque gentium salus efficitur. An hæ Josiæ, Jeremiæ, Zorobabelis aut Esdræ notæ sunt? Quamobrem nulla adhoc certa Synagogæ sententia in hac re fuit: nimis enim multas in sententiis, in mutuom exitium conspirantibus, turbas experitur.

Qui de Israëlitis generatim explicant (u), nondum inter se consentiunt, ac maximè arduas difficultates in itinere inveniunt (x). Unica tantùm sententia, quæ de Messiâ interpretatur, sibi ipsi constat, nullamque difficultatem patitur. Rabbini Veteres (y), ac nonnulli e Recentioribus, verborum perspicuitate convicti, veritati resistere ausi non sunt, ac vix perlectis hujus loci verbis manus dedêre. At mirum profectò est, Grotium (z) aliâ prorsus viâ incessisse, atque hæc de Jeremiâ explicaile, cùm tam multis Novi Fœderis testimoniis eò ducamur, ut de Jesu Christo ea expunamus. Gravem etiam Religioni injuriam infert Grotius, dum Prophetarum oracula suo prorsus arbitrio interpretatur: quamobrem doctissimi e nostris Interpretes propositam a Grotio explicandi rationem damnavere. Non injuriâ dixerim, Grotii Commentaria in Vetus Testamentum pluris habita esse, quàm mereantur; ablatisque iis quæ vel inutilia sunt, vel præter sem., aut luculenter noxia, futurum ut ad multo minorem molem reducantur. Ingens illius fama & profana eruditio quam sacris miscet, nomen illius lucubrationibus fecere.

Jesus Christus passim apud Scripturam Dei *servus* dicitur; neque naturali Dei Filii atque hominum Reparatoris dignitati nocet hæc appellatio, quam ipse spontè subiit (a). Idem intelligendi virtute abundat, utpote qui Patris Sapientia est, Lux mundi, æterna Veritas. Magnus sublimisque inter cæteras res creatas est, nomenque quibuslibet nominibus longè nobilius accepit, quod Angelis, hominibus ac Diabolo venerationi est ac terrori (b).

℣. 14. SICUT OBSTUPUERUNT SUPER TE MULTI, SIC INGLORIUS ERIT INTER VIROS ASPECTUS EJUS. Jesum Christum, quem Judæi mirati sunt, ubi gloriæ suæ jubare fulsit, vix sese ille sponte dejecit, neglectui & contemptui habuere. Cùm animo ea evolverent, quæ de Messiâ, ejusque potestate, Imperio, gloriâ Vates prædixere, Messiæ personam in Christo agnoscere detrectavere, cùm illum inter ærumnas ac mala, formâque minimè spectatâ indutum intuerentur; quamvis utrumque Vates æquè prædixerint, & omnipotentem hominum vindicem, & virum contemptui & doloribus obnoxium. Ea solummodo in Jesu Christo contemplati sunt, quæ contemptum peperere, neglectis omnino & gloriâ & prodigiis, & Filii Dei dignitate, quibus supra omnem rerum creatarum cœtum efferebatur.

Hebræus hujus loci duplicem explicationem patitur (c): *Quemadmodum obstupuerunt, te inspecto, multi; sic corruptus est aspectus ejus magis quàm vir esse videretur, & forma ejus, ultra quàm hominis forma corrumpi queat*; vel: Illius decor & forma a filiis hominum corrupta est. Supplicia, quibus ipse cruciatus est, hominem formâ carentem horridumque reddidere. Septuaginta (d): *Sicut stupebunt super te multi; sic ingloria erit spe-*

(r) *Num.* III, 6, 7, *& seq.* IV, 5, 6, *& seq.* 15: *Cùm involverint Aaron, & filii ejus Sanctuarium, & omnia vasa ejus in commotione castrorum, tunc intrabunt filii Caath, ut portent involuta, & non tangent vasa Sanctuarii, ne moriantur.* (s) *Exod.* XIII, 18: *Armati ascenderunt.*
(t) *Isai.* XL, 3, 4; XLIX, 9, 10; XLI, 17, LXVI, 20; *Baruch*, V, 6, 7, 8.
(u) *Ita Rabb. pleique recentiores Lipman. Nizzachon Vetus. Moses Alschech in Isai. Kimchi, Abenezra. Abravanel. Isaac. Munimen Fidei.* (x) *Vide Huls. Theolog. Judaic. lib.* 5, *p.* 2, *& Martin. Gejer. Messia mors, sepultura, & resurrect. ex Isai.* LIII, 8, 9, 10. (y) *Jonath. Chald. & alii in Tanchuma, & Siphre. Vide lib. Jalkuth, & Pesichta.* (z) Grotius explicat hic de Jeremiâ, & in Libro de Religione Christianâ, asserit, intelligi de alio non posse præter Messiam. Cur secum ipse pugnat. *Grot. lib.* 5, *n.* 19. *de verit. Religion.* (a) *Philipp.* II, 7: *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* (b) *Philipp.* II, 10: *Propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu, omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.* (c) כאשר שממו עליך רבים כן משחת מאיש מראהו ותארו מבני אדם
(d) Ὃν τρόπον ἐκστήσονται ἐπὶ σὲ πολλοί, οὕτως ἀδοξήσει ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τὸ εἶδός σου, καὶ ἡ δόξα σου ἀπὸ υἱῶν ἀνθρώπων.

℣. 15. Iste asperget gentes multas, super ipsum continebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, viderunt; & qui non audierunt, contemplati sunt.

COMMENTARIUS.

species tua, & gloria tua a filiis hominum. Vide nostram Dissertationem de Jesu Christi formâ.

℣. 15. Iste asperget gentes multas. Verbi sui, suorumque beneficiorum rorem in omnes gentes effundet, ejusque Chrismatis virtus in multus manabit. Cùm ipse Dei Christus atque Unctus sit, benedictionis & gratiarum fons in omnes latè gentes erit. Illius quippe sanguis in omnium hominum caput fluet.

Super ipsum continebunt Reges os suum, silebunt, veluti homines eum obseqoio audientes. Christi verba & Evangelium hominum Principes audivere, summâque religione exceperunt. Quàm multi adhuc Reges in silentio, eoque corporia statu, qui obsequium indicet, manu quodammodo ori impositâ, audiunt? Sacra volumina, sacrosque Evangelii Ministros quanti habuere, & quantopere venerati sunt nobilissimi Christianorum Principes, qui a Magno Constantino ad nos usque floruerunt?

Quibus non est narratum de eo, viderunt. Profanæ gentes, quas Prophetæ non docuere, nihil de Messiâ cogitantes, quæ illius expectatione non movebantur, ipsum & intuitæ sunt & excepere, exclusis etiam Judæis, ad quos Prophetæ mittebantur. Reddi Hebræus potest (e): *Quia quod narratum non fuerat eis, viderunt; & quod non audierant, intellexerunt*. Spectatis Apostolorum prodigiis, iisque intellectis, quæ Christus patrârat, auditisque illius Institutionibus ac præceptis planè Divinis, quæ nondum norant, aut intellexerant, in admirationem rapti, Christi fidem avidissimè amplexi sunt.

CAPUT LIII.

Sequitur vaticinium de Messiæ ortu, ærumnis, passione, obitu, sepulturâ. Ejusdem gloria & erectio. Ingens credentium in eum multitudo.

℣. 1. Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est?

℣. 2. Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terrâ sitienti: non est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus, & desideravimus eum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Septuaginta (a): *Domine, quis credidit auditui nostro*, orationi nostræ? Queruntur cum Deo Prophetæ sive Apostoli, tam paucos esse, qui fidem sibi loquentibus habeant. *Cùm tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*, inquiunt Evangelistæ (b), *Ut sermo Isaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit auditui nostro? Non omnes obediunt Evangelio*, ait Apostolus (c); *Isaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro?* Jungi potest hic versiculus cum superiori Capite in hanc sententiam: stupebunt Principes, ubi Messiæ prodigia aspexerint. Quis fidem habere iis quæ nos ipsi nunciavimus; aut virtutis ipsius prodigia, quorum præcones fuimus, sibi in animum inducere potuisset?

℣. 2. Et ascendet quasi virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti. Coram Domino seu populo surget Messias, ceu stirps aut surculus ex aridâ & sitienti humo prodiens. Divinum hominum Reparatorem Scriptura passim eum surculo comparat (d): Arens humus, ex quâ oritur, fœcunda est Mariæ parentis virginitas (e). Septuaginta (f): *Annuntiavimus quasi parvulus in conspectu ejus; sicut radix in terrâ sitienti*, aridâ. Theodotio (g): *Ascendet sicut lactens coram eo*. Aquila (h): *Prædicabitur sicut alumnus ad mammam ante faciem ejus; quasi radix de terrâ inaccessâ*. Hebræus ad verbum fert (i): *Ut lactens*, sive ut surculus tener, qui succum attrahit sugitque stipitis aut radicis.

Non est species ei, neque decor. Hæc verba a plerisque inter Christi Passionis tempus definiuntur; quo tempore is in eum malorum dolorumque atque ærumnarum cumulum devenerat, ut omnem oris speciem amiserit. Cruore, sudore, sputis madens, virgis membra laceratus, fustibus contusus, macer, exhausto sanguine languens; pallens livensque; tristis obrutusque mœrore. Alii sunt non pauci, qui toto mortalis vitæ curriculo Jesum nullâ oris formâ, aut corporis

(e) כי אשר לא ספר להם ראו ואשר לא שמעו התבננו

(a) Κύριε, τίς ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν; (b) *Vide Joan.* XII, 38. (c) *Rom.* X, 16.

(d) *Isai.* XI, 1: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. Vide & Jerem.* XXXIII, 15; & XXIII, 5; & *Isai.* IV, 2; & *Zach.* III, 8; VI, 12, *ubi Vulg. habet Oriens. Heb.* צמח *Germen.* (e) *Origen. homil.* 17 *in Genes. Theodoret. & Hieron. hic; Euseb. lib.* 8 *demonst. c.* 1; *Procop. Cyrill. alii passim.* (f) Ἀνηγγείλαμεν ὡς παιδίον ἐναντίον αὐτοῦ, ὡς ῥίζα ἐν γῇ διψώσῃ. Codices quidem legunt πεδίον, ager, pro παιδίον, parvulus. S. Cyrillus: Ὡς ἀγρὸς ἐνανθής, καὶ καρποφόρος. (g) Καὶ ἀναβήσεται ὡς θηλάζων ἐνώπιον αὐτοῦ.

(h) Καὶ ἀναφυήσεται ὡς τιτθιζόμενον εἰς πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ ὡς ῥίζα ἀπὸ γῆς ἀβάτου.

(i) ויעל כיונק לפניו

℣. 3. Despectum, & novissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem; & quasi absconditus vultus ejus, & despectus, unde nec reputavimus eum.

℣. 4. Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit: & nos putavimus eum quasi leprosum, & percussum a Deo, & humiliatum.

COMMENTARIUS.

ris majestate claruisse. Hac de re integrâ Dissertatione disputavimus.

VIDIMUS EUM, ET NON ERAT ASPECTUS, ET DESIDERAVIMUS EUM (k): illum inspeximus, nullaque oris illius species fuit, vel sibi similis non erat, cumque non agnovimus: illum in ipso frustra quæsivimus. Reddunt alii (l): Illum aspeximus: at ille idem agnosci non poterat, nullasque ex illius ore illecebras sensimus: *Et non desideravimus eum*. Particulam negantem addunt e superiori membro, communi Hebræorum more (m).

℣. 3. DESPECTUM, ET NOVISSIMUM VIRORUM, VIRUM DOLORUM, ET SCIENTEM INFIRMITATEM. Quicquid e Christi gestis narratur, humillimam, obscurissimam, ac maximè ærumnosam illius vitam describit. In stabulo natus, odio obnoxius, ad necem quæsitus, cùm vix lucem aspexisset: cruento circumcisionis ritu initiatus, fugere, atque in alienam regionem se recipere coactus, cùm adhuc inter matris ulnas infans gestaretur (n); parentibus obtemperans, in ignobili oppido, inope familiâ, humili durâque arte exercitatus. Ubi prædicationem inter homines instituit, quàm multis undique odiis, laboribus, vigiliis, fame, itineribus, defatigationibus exagitatus est? His coronidem passio omnium acerbissima, ac turpissima mors addidit. Cùm hæc passus sit, quàm verè dicitur vir dolorum, & quodlibet genus infirmitatis expertus? *Non habemus Pontificem*, inquit Paulus (o), *qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato.*

Hebræus (p): Vidimus *despectum, & separatum*, rejectum *ab hominibus* (vel, hominum abjectissimum, qui quodammodo homo sive inter homines esse desiit); *virum dolorum, & familiarem ægritudini*; hominem qui ærumnosam infirmamque semper vitam egit doloribus morbisque obsitus. Septuaginta (q): *Sed species ejus inhonorata*, nihil decoris ore spirans; *deficiens a filiis hominum*, qui homine minor videtur; *homo in plagâ positus, & sciens ferre infirmitatem.*

QUASI ABSCONDITUS VULTUS EJUS, ET DESPECTUS: UNDE NEC REPUTAVIMUS EUM, illum non agnovimus. Similis homini pudore obruto, seu leproso, qui os veste contegit (r), nec prodire in hominum conspectum audet; quamobrem illum non agnovimus. Sive (s): Illum nos ceu odiosum aliquid, & rem quam aversamur, habuimus; eumque minimi fecimus. Is profectò Servatoris habitus fuit inter Passionis ærumnas, totoque mortalis vitæ curriculo; nos exemplo docens, animo mites humilesque esse, nosque ipsos aspernari, nostrorumque flagitiorum probra coram Deo præferre.

℣. 4. VERE LANGUORES NOSTROS IPSE TULIT, ET DOLORES NOSTROS IPSE PORTAVIT. Aptavit sibi Corpus languoribus nostris obnoxium, nostrorumque criminum, quæ morbi humanitatis sunt, pœnam in Passione tulit (t): *Peccata nostra ipse pertulit in Corpore suo super lignum*, ait S. Petrus (u). Hunc locum aliter interpretari videtur S. Matthæus (x); narratis enim morbis, quos a rogantibus ejecit, subdit: *Ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam: Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portavit*, scilicet, uti nonnullis Interpretum (y) placet, morbos nostros sustulit, dissipavit, curavit. Prior tamen interpretatio, quæ de peccatis explicat, communior est, magisque probatur. Nostra tulit Christus flagitia, nostris se morbis, ex peccato ortis, induens; scelera nostra suâ ipsius morte destruxit; morbos, quibus corpora affliguntur, ex peccato prognatos, curavit (z).

ET NOS PUTAVIMUS EUM QUASI LEPROSUM, ET PERCUSSUM A DEO, ET HUMILIATUM. Superiùs docuit, Messiam inter homines stetisse, ore velatum (℣. 3): *Quasi absconditus vultus ejus*; quibus verbis leprosus describitur, velato capite incedens (a). Hìc luculentioribus verbis utitur. Illum leproso similem vidimus inter Passionis suæ supplicia, postquam cæsus est flagris, & in cruce pependit. Lepra morbus a Deo inflictus existimabatur: *Percussum a Deo*. Eo affecta est Maria, Moysis Soror, cùm seditiosum aliquid in fratrem obmurmurasset (b); tum Azarias, thus in Sancto cremare ausus (c); denique Giezi, acceptâ ex Naamano pecuniâ (d). Hebræus (e): *Nos reputavimus eum plagis Dei affectum & percussum, atque afflictum*, sive *humiliatum*. Plaga Dei est morbus a Deo immissus, maximum malum, incommodum maximè perniciosum. Legunt nonnulli: Nos putavimus eum quasi Deum plagis affectum afflictumque. Profectò, teste Payvâ (f), plures ex Africâ Judæi, patriâ, fortunis bonisque relictis, Christianam Religionem amplexi sunt, totius Capitis hujus perspicuitate persuasi, atque hujus præsertim loci: *Deum percussum & humiliatum*; idque ipsimet Payvæ fatebantur. Septuaginta (g): *Et nos reputavimus esse illum in labore, & in plagâ sub Deo*, plagis a Deo affectum, *& in afflictione*. Pro *plagis affectum*, Symmachus & Aquila (h) ferunt

(k) ונראהו ולא מראה ונחמדהו (l) *Salmeron, Castrius, Sanct. alii.* (m) *Vide Genes.* II, 5; *Deut.* XXXIII, 6; *Psal.* IX, 19; XLIII, 19; *Prov.* XXX, 3, *&c.* (n) *Joan.* XII, 34. (o) *Hebr.* IV, 15.
(p) נבזה וחדל אישים איש מכאבות וידוע חלי (q) Ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτοῦ ἄτιμον, καὶ ἐκλεῖπον παρὰ υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, ἄνθρωπος ἐν πληγῇ ὤν, καὶ εἰδὼς φέρειν μαλακίαν.
(r) *Levit.* XIII, 45: *Leprosus habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, &c.*
(s) וכמסתר פנים נבזה ולא חשבנהו (t) *Ita Patres passim, & Interpp. plerique,*
(u) 1 *Petri*, II, 24. (x) *Matt.* VIII, 15.
(y) *Ita Forer. hic; Cajet. in Matt.* VIII.
(z) *Vide si placet, Sanct. hic.* (a) *Levit.* XIII, 45. (b) *Num.* XII, 10. (c) 4 *Reg.* XV, 5.
(d) 4 *Reg.* V, 27. (e) ואנחנו חשבנהו נגוע מכה אלהים ומענה (f) *Payva, lib.* 4 *defens. Trid. fidei non longè ab initio; Sanct. hic.*
(g) Καὶ ἡμεῖς ἐλογισάμεθα εἶναι αὐτὸν ἐν πόνῳ, καὶ ἐν πληγῇ ὑπὸ Θεοῦ, καὶ ἐν κακώσει.
(h) *Sym.* Ἐν ἁφῇ ὄντα. *Aqu.* Ἀφήμμενον. *Theodot. Flagellatum. Hieron.*

℣. 5. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attri-
tus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum,
& livore ejus sanati sumus.
℣. 6. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam
declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.
℣. 7. Oblatus est, quia ipse voluit, & non aperuit os suum: sicut
ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se
obmutescet, & non aperiet os suum.
℣. 8. De angustiâ, & de judicio sublatus est: generationem ejus
quis enarrabit? quia abscissus est de terrâ viventium: propter
scelus populi mei percussi eum.

COMMENTARIUS.

runt *leprosum*, uti Vulgata.

℣. 5. Ipsa autem vulneratus est propter iniquitates nostras. Eamdem rem variis verborum circuitionibus iterat Propheta; summa enim Religionis in eo sita erat, ut probè omnes intelligerent futurum, ut Messias obnoxius suppliciis esset, minimè tamen scelerum suorum causâ, cùm ipse sanctitatis & innocentiæ exemplar futurus esset, sed eorum gratiâ, quibus homines tenebantur. Volens libensque ipse se tradidit, ac Patri satisfecit, supplicium amplexus, quod nostris criminibus debebatur. Nostra expiationis victima ipse effectus est.

Disciplina pacis nostræ super eum, et livore ejus sanati sumus. Nostræ reconciliationis pœnam ipse accepit; sumptâque nostræ obligationis syngraphâ, illam cruci affixit, ut Pauli verbis utar (i), eam deleturus, debitamque pœnam sanguinis sui pretio Patri soluturus. Hebræus (k) ita reddi potest: *Castigatio retributionum* [punitionum] *nostrarum super eum, & livoribus ejus sanati sumus*. Supplicia, quæ nos manebant, ipse sponte subiit. Septuaginta (l): *Institutio*, vel pœna *pacis nostra super eum: vibicibus illius nos sanati sumus*,

℣. 6. Omnes nos quasi oves erravimus. Idcirco boni Pastoris appellationem frequenter adeò Jesus Christus usurpat, ut nos suum ipsius gregem ovesque esse discamus, ipsumque optimi Pastoris more venisse, ut ab errore, quo ferebamur, ad ovile reducat. *Sicut pastor, gregem suum pascet*, inquit Isaias, xl, 11: *in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit, & fœtas ipse portabit*. Et Christus (m): *Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis .... ego cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ; & animam meam pono pro ovibus meis*. Similem etiam Pastori se esse ait (n), montes peragrans, ut perditam ovem quærat, unâque illâ inventâ sibi magis gratulari, quàm novem & nonaginta cæteris, totum gregem componentibus, gaudeat.

Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Iniquitas hic pro iniquitatis pœnâ usurpatur. Nostrorum scelerum pœnas Dei Filius tulit, suâque morte expiavit. Nullius unquam criminis aut doli reus, inter impios scelestosque recensitus est, ut infra dicemus. Majore vi Septuaginta (o): *Dominus tradidit illum iniquitatibus nostris*; quasi ipsa hominum crimina carnifices fuerint, quorum in potestatem datus sit Christus, ab ipsis excruciandus. Hebræus (p): *Dominus occurrere*, vel invadere *fecit in eum iniquitatem omnium nostrûm*.

℣. 7. Oblatus est, quia ipsa voluit. Mala hæc subiit sponte ac volens, & beneficâ erga nos voluntate: ultro sese obtulit. *Holocaustum, &* victimam *pro peccato non postulasti*, requisti; hæc enim eâ virtute non erant, quæ satis justitiæ tuæ, peccatis provocatæ, facerent, aut te ad misericordiam flecterent. *Tunc dixi: Ecce, venio*, tuam exequi voluntatem paratus (q). Hebræus (r): *Oblatus est, & audivit*, obtemperavit, ceu victima ad aram ducta, non recedens reluctansque aut fugiens. *Observatum est a sacrificantibus*, scribit Macrobius (s), *ut si hostia, quæ ad aras duceretur, fuisset vehementiùs reluctata, ostendissetque se invitam altaribus admoveri, amoveretur: quia invito Deo offerri eam putabant. Quæ verò stetisset oblata, hanc volenti Numini dari existimabant.*

Nec rauco taurus cessavit flebile ad aras
Immugire sono; pressamque ad colla bipennem
Incertâ cervice ferens, Altaria liquit (t).

Id verò monstri infelicisque portenti loco habebatur.

Utrùm in bestiarum sacrificiis superstitiones hasce servarent Hebræi, ignoratur. At ubi victima ultro se ipsam offert, nibilo minoris faciendæ sunt proba voluntas ac libertas, quàm ubi quis alienam victimam sistat. Victimam non bonâ mente, avaro animo aut invito oblatam, quæ optima rerùm non sit, denique Caini sacrificia, respuit Deus. Dei Filius unâ & Sacerdos & victima est, & is qui victimam ducit: nihil in holocausto desiderari vult. Totum se ac libenter offert, nullâ parte sibi servatâ. Reddi etiam potest Hebræus: Coactus est solvere, tamquam ab exactore; nullaque debiti pars illi remissa est, & afflictus est, sive humiliatus. Septuaginta (u): *Et ipse propter afflictionem*, quâ cruciabatur, *non aperuit os suum*.

℣. 8. De angustia et de judicio sublatus est: inter supplicia vitam obiit, a Judicibus damnatus; vel: Ex iniquâ oppressione judicioque subductus est, ut in gloriam resurrectione veheretur (x). Denique: Post innumera supplicia, judiciumque iniquissimum, neci traditus est. Hebræus (y): *De clausurâ*, carcere, dolore, oppressione, *& de judicio sublatus est*. Septuaginta (z):

In

(i) *Coloss.* ii, 14: *Delens quod adversùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* (k) מוסר שלומינו עליו ובחברתו נרפא לנו (l) Παιδεία εἰρήνης ἡμῶν ἐπ' αὐτόν, τῷ μώλωπι αὐτοῦ ἡμεῖς ἰάθημεν. (m) *Joan.* x, 11 ... 14. (n) *Matt.* xviii, 12, 13; *Luc.* xv, 4, 6. (o) Κύριος παρέδωκεν αὐτὸν ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν. (p) ויהוה הפגיע בו את עון כלנו (q) *Psal.* xxxix, 7. (r) נגש והוא נענה ולא יפתח פיו (s) *Lib.* 3 *Saturn. c.* 5. (t) *Silius Italic. l.* 5. (u) Καὶ αὐτὸς διὰ τὸ κεκακῶσθαι, οὐκ ἀνοίγει τὸ στόμα αὐτοῦ. (x) *Ita Hieron. Lyran. Interlin.* (y) מעצר וממשפט לקח
(z) Ἐν τῇ ταπεινώσει ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη.

℣. 9. Et dabit impios pro sepulturâ, & divitem pro morte suâ:
eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.
℣. 10. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate: si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur.

COMMENTARIUS.

In humilitate judicium ejus sublatum est; vel, iniquo judicio in ipsum lato levatus est. Deleta est Judicum sententia per gloriam Resurrectionis. Hæc explicatio maximè probabilis videtur. Hunc locum Eunucho Reginæ Candacis explicavit Philippus Diaconos (*a*), eumque ex Versione septuaginta Interpretum recitavit.

Generationem ejus quis enarrabit? Quovis sensu *generationis* nomen usurpes, Christi generatio enarrari nequit; sive æternam & ineffabilem e sinu Patris intelligas; sive incarnationem, sive incomprehensam Divinitatis cum humanitate conjunctionem, duplicis nimirum extremi, quæ maximè omnium inter se distant, infinitæ sublimitatis summæque humilitatis; vel humanam e Virginis utero nativitatem; vel actam in terris ab eo vitam, atque omnia, quæ ipse vivens egit. *Generationis* enim appellatio interdum pro ætate, vitâ, sobole, posteris accipitur [*b*]. Postremo etiam hoc sensu, Christi generatio explicari nequit, Ecclesiæ institutio, mirificum illius incrementum, Christi erga illam amor, mira illius regendæ ratio, beneficia quibus illam cumulat, sollicitudo quâ tuetur. Denique, Christi generationem ad novum vitæ genus, prodigiosam resurrectionem, cui alterius nativitatis nomen convenit (*c*), vitamque planè divinam, quam is in Cœlo agit (*d*), quis valeat enarrare? Singulos hosce sensus *generationis* nomen admittit, ubi de Christo explicetur; nihilque in iis est nisi prodigii plenum, & ineffabile.

Quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussi (*e*) eum. Violentâ nece raptus est, ut omnium hominum flagitia expiaret. Si cum superioribus jungas, ita explicabis: *Generationem ejus quis enarrabit, quia abscissus est e numero viventium?* Quis illius posterorum meminerit, cùm absque liberis obierit? At ex eo potissimùm mirifica est Jesu Christi posteritas, cùm in Cruce moriens filios procreârit. Censuere illius hostes futurum, ut ipsius memoriam penitus delerent, ac nomen opprimerent, ubi turpissimâ violentâque nece illum rapuissent: at eâ ipsâ ex re longè gloriosissimus, sublimissimus ac celeberrimus fuit, cùm innumeros illustresque posteros ediderit. Similem se frumenti grano esse ait, quod mori necesse est, ut fructum ferat (*f*). Asserit hic Propheta, illum *abscissum esse* ex viventium terrâ, quemadmodum arbor ex humo suâ vellitur: id verò minimè prohibiturum, quin fructum ferat. Addit, *propter scelus populi percussum esse* (*g*); vel, uti habent Septuaginta (*h*), *ab iniquitatibus populi actum esse in mortem*. Symmachus (*i*): *Ob injustitiam populi mei plaga eis*, plagis affecti sunt. Theodotio (*k*): *Ob prævaricationem populi mei tetigit eos*.

℣. 9. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua, eo quod iniquitatem non fecerit. Judæos, iniquissimæ Christi mortis authores, Deus severissimè puniit; Sacerdotes, Scribas, Pharisæos, *divitum* nomine hic designatos, multabit, illatæque Christo necis scelus super ipsos expiabit: illos quippe Romanis tradet (*l*), qui urbem ac Templum evertent, ipsos e patriâ ejicient, nullâque melioris fortunæ spe perdent. Profectò cujusnam alterius criminis rei erant Judæi, cùm suprema ea calamitas gentem universam oppressit? An superstitiosam Numinum Religionem sequebantur? an flagitia ipsi naturæ odiosa? an Divinarum legum contemptum? an ritus alienos? Quis verò nesciat, nunquam majori Legum suarum studio, superstitionis horrore, rituum suorum observatione Judæos, quàm eo tempore, claruisse? Attamen cùm ita se haberent, nunquam graviùs in illos Deus animadvertit.

Aliud igitur inter ipsos scelus fuit, quo odiosi Deo efficiebantur; atque illud certè Messiæ mors erat, Justi cruor, quem ipsi in sua & filiorum capita provocaverant. (*m*) Varias patitur Hebræus explicationes (*n*): *Et dabit cum impiis sepulturam ejus, & cum divite in morte ejus*. Christus unà cum impiis cruci inter geminos latrones affixus est; post obitum verò, in hominis locupletis, Josephi ab Arimathæâ, sepulcro conditus est: *Joseph, homo dives ab Arimathæa* (*o*). Aliter: *Dedit cum impiis sepulcrum ejus, & cum divite post mortem ejus*. In Josephi, locupletis Arimathææ civis, tumulo sepultus est; ipsumque tumulum impii, Romani milites, custodierunt. Denique: *Dedit inter impios sepulcrum ejus, & excelsa ejus cum divite*. Excelsa ejus situm sepulcri indicant, locumque ubi positus est in monte Calvariæ.

At postremæ interpretationes exquisitiores æquo sunt: quamobrem locus ita intelligi potest: Deus Pater impios illi pro sepulturâ dabit, & divites pro morte. *Impios*, nempe Ethnicos, ad fidem ducet (*p*), & *divites*, Judæos, seu *divitem*, singulari numero, ut minimum horum numerum, qui Christo nomina daturi sunt, significet. Ecclesia ex utrisque conflata, mortis ac sepulturæ ipsius Messiæ merces ac fructus futura est. ℣. 10 huic explicationi plurimum favet: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*.

℣. 10. Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Quamvis innocens foret, hominum flagi-

(a) *Act.* VIII, 33. (b) *Genes.* X, 1; XVII, 7, 9, 12; *Exod.* XII, 14; XVI, 31.
(c) *Act.* XIII, 33: *Resuscitans Jesum, sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* (d) *Rom.* VI, 9, 10: *Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit Deo.* (e) *Aliàs, percussit eum, aut percussit eos. Ita Hieron. in Comment. & Mss. in nov. Edit. Hieron. p.* 537. (f) *Joan.* XII, 24: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.*
(g) מפשע עמי נגע למו (h) Ἀπὸ τῶν ἀνομιῶν τοῦ λαοῦ μου ἤχθη εἰς θάνατον.
(i) *Sym.* Διὰ τὴν ἀδικίαν τοῦ λαοῦ μου πληγὴ αὐτοῖς. (k) *Theodot.* Ἀπὸ ἀθεσίας τοῦ λαοῦ μου ἥψατο αὐτῶν. *Ex Prosop. Hieron. in Comment. legit ex 70: Percussit eos.* (l) *Ita Hieron. Cyrill. alii PP. Vide Sanct. n.* 55. (m) *Matt.* XXVII, 25. *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros.*
(n) יתן את רשעים קברו ואת עשיר במותיו : על לא חמס עשה (o) *Matt.* XXVII, 57.
(p) *Ita Hieron. 2 explic. Haimo. Dionys. Adam, alii.*

℣. 11. Pro eo, quòd laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur: in scientiâ suâ justificabit, ipse justus, servus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.

℣. 12. Ideò dispertiam ei plurimos, & fortium dividet spolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est: & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.

COMMENTARIUS.

flagitia illius Passione expiari voluit. Septuaginta (q): *Et Dominus vult mundare eum a plagâ.* Hebræus (r): *Et Dominus beneplacitum habuit conterere eum infirmitate*, morbo, doloribus.

SI POSUERIT PRO PECCATO ANIMAM SUAM, VIDEBIT SEMEN LONGÆVUM. Cùm sese ob humani generis redemptionem tradere, mortemque subire voluerit, omnes eos, quorum causâ sese dedit, suos effecit; omnesque latè homines in servorum filiorumque illius numerum cooptati sunt. Hos Dei filiorum dignitatis participes facit, comparatâ illis adoptione. Caput ac Princeps est Ecclesiæ Christianæ, cui alia societas nulla par aut numero aut sanctimoniâ fuit, aut perennitate, cùm futura sit æterna, nullæque illam vires aut eversuræ aut deleturæ sint. Septuaginta ex Romanâ Editione (s): *Si dederitis pro peccato, anima vestra videbit semen longævum.* Si crimen pœnitentiâ elueritis (t), Judæi, Jesu Christi interfectores, si victimam pro peccato mactaveritis, longa vos sequetur posteritas, æternaque beatitudo. Si ad Jesum Christum convertamini, dignosque vos effeceritis, quos Jesu Christi Sanguis proluat, ejusque Baptismo capita subdideritis, vos ipsi vivetis, & ingens posterorum series vobis supererit.

VOLUNTAS DOMINI IN MANU EJUS DIRIGETUR, eo moderante, felicissimè explebitur. Dei voluntatem Christus in nobilissimo humanæ Redemptionis opere absolutissimè implevit. Omnes ipse ad salutem vocavit; gratiæ dona & salutis adminicula singulis paravit; mortem denique omnium causâ oppetiit. Æterna Dei consilia, quàm latè patent, executus est. Septuaginta (u): *Et vult Dominus in manu ipsius.* Quicquid ille gessit, Deo placet. Hebræus verti potest (x): *Probat Deus manum ipsius*, ejus gesta; *felicem exitum sortietur.*

℣. 11. VIDEBIT ET SATURABITUR. Laborum suorum fructus videbit, & saturabitur. *Videbit Ecclesias toto orbe consurgere, & earum saturabitur fide*, inquit S. Hieronymus. Eamdem sententiam repetit Propheta sequenti versiculo: *Ideò dispertiam ei plurimos, &c.*

IN SCIENTIA SUA JUSTIFICABIT, IPSE JUSTUS, SERVUS MEUS MULTOS. Hæc explicatione non egent. Christi Doctrina innumeros homines qualibet ætate, omnesque inter gentes justos reddidit.

℣. 12. IDEO DISPERTIAM (dabo) EI PLURIMOS. Judæos atque Ethnicos hæreditatis nomine obtinebit. Illius Ecclesia toto orbe diffundetur. *Postula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*, ait ad Filium Pater (y).

ET FORTIUM DIVIDET SPOLIA. Fortem armatum, de quo Evangelium (z), superabit, vinculis coërcebit, spoliabit: mortis & Diaboli imperium evertet. Judæorum, electione suâ nimis gloriantium, superbiam fregit. Hebræus reddi potest (*): *Et cum potentibus dividet spolia.* Spoliis ex hoste raptis illos locupletabit. Potentium nomine Apostolos & Discipulos intellige, quorum gloria Imperatorum omnium gloriam longè superavit, & opes Regum potentissimorum gazas vicêre, cùm in omnes terrarum plagas lucem, pacem, felicitatem, Religionem, pietatem intulerint; & errorem, superstitionem, peccatum, sævissimos orbis tyrannos, ejecerint. Cùm tot tantisque bonis omnes orbis partes cumulaverint, nedum inopiam non sensere, verùm etiam infinitos in Æternitatem thesauros sibi compararunt.

CUM INIQUIS DEPUTATUS EST; geminos inter latrones cruci affixus, cum Barabba comparatus, appellatusque a Dæmone obsessus possessusque, belluo, impiorum amicus, insanus, seditiosus.

ET PRO TRANSGRESSORIBUS ORAVIT; pro Judæis scilicet incredulis, pro adversariis, iisque a quibus & cruce affectus est & irrisus. Quid luculentius narraret Evangelista?

CAPUT LIV.

Jerosolymæ restitutio: incolarum frequentia: imperii amplitudo. Dei fœdus cum Jerosolymâ: structuræ illius magnificentia: irriti hostium conatus.

℣. 1. LAuda, sterilis, quæ non paris: decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum, dicit Dominus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. LAUDA, STERILIS, QUÆ NON PARIS: DECANTA LAUDEM, ET HINNI, QUÆ NON PARIEBAS. Ad verbum (a): *Cane sterilis, quæ non paris: vocifera*, ede *hilares voces, & hinni, quæ partûs dolores jam non sentis.* Sub Jerosolymæ, post Babylonicam captivitatem restitutæ imagine

(q) Καὶ κύριος βούλεται καθαρίσαι αὐτὸν τῆς πληγῆς. *Ita & Chald.* (r) ויהוה חפץ דכאו החלי (s) Ἐὰν δῶτε περὶ ἁμαρτίας, ἡ ψυχὴ ὑμῶν ὄψεται σπέρμα μακρόβιον. *Ita Hieron. Cyrill. Theodoret.* (t) *Ita Theodoret.* (u) Καὶ βούλεται κύριος ἐν χειρὶ αὐτοῦ. (x) חפץ יהוה בידו יצלח (y) *Psal.* II, 8. (z) *Luc.* XI, 22. (*) ואת עצומים יחלק שלל (a) רני עקרה לא ילדה פצחי רנה וצהלי לא חלה 70: Εὐφράνθητι στεῖρα ἡ οὐ τίκτουσα, ῥῆξον καὶ βόησον ἡ οὐκ ὠδίνουσα. *Sym. Lætare, sterilis, quæ non peperisti: Gaude in exaltatione, & hinni, quæ non parturisti.* Γάνυσον ἐν ἀγαλλιάσει, καὶ χρεμέτισον. *Aqu.* Κελάδει αἴνεσιν, καὶ χρεμέτισον. *Theodot.* Ῥῆξον εὐφροσύνην, καὶ τέρπου. *Ex Prosop.*

℣. 2. Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende; ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clavos tuos consolida.

℣. 3. Ad dexteram enim, & ad lævam penetrabis: & semen tuum gentes hæreditabit, & civitates desertas inhabitabit.

℣. 4. Noli timere, quia non confundêris, neque erubesces: Non enim te pudebit, quia confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, & opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis ampliùs.

℣. 5. Quia dominabitur tui, qui fecit te, Dominus exercituum nomen ejus: & redemptor tuus sanctus Israël, Deus omnis terræ vocabitur.

℣. 6. Quia, ut mulierem derelictam, & mœrentem spiritu vocavit te Dominus, & uxorem ab adolescentiâ abjectam, dixit Deus tuus.

COMMENTARIUS.

gine (b), Propheta Christianæ Ecclesiæ institutionem & progressus describit. Iis autem hîc utitur verbis, quæ partim uni Ecclesiæ ad verbum conveniant; partim cum Jerosolymæ restauratione congruant. Toto Captivitatis tempore, Synagoga similis erat sterili ac repudiatæ uxori (c), penès quam nullum erat publicum Religionis exercitium, quæque ab ipso Numinis aspectu abjecta esse videbatur. At longè major illi posteritas promittitur quàm ea, quâ ante repudium atque sterilitatem fruebatur.

Christi Ecclesia, ex Ethnicis ad fidem conversis conflata, pluribus ab hinc sæculis similis erat *uxori ab adolescentiâ abjectæ*, fœminæ bonorum operum sterili, quæ Deum suum minimè norat, & ab ipso quodammodò non agnoscebatur: at Christo mortuo, in veteris Sponsi & Creatoris sui amicitiam revocata est; in illius domum excepta, & filiis multò magis aucta, quàm Synagoga, quam Deus & sponsam elegerat, & semper penès sese habuerat: *Multi filii desertæ, magis quàm ejus quæ habet virum* (d).

℣. 2. Dilata locum tentorii tui; et pelles tabernaculorum tuorum extende. Multò quàm antea frequentior familia tibi futura est: locum para & filiis & advenis ad te accessuris (e). Hæc verba non satis aptè Synagogæ congruunt; quæ quantumvis filiis post captivitatem floruerit, omnes tamen undique filios minimè recuperavit, omnesque penitus Tribus in varia orbis loca dissipatas ad sese non collegit. Advenas autem ad Judæorum sacra conversos, ex monumentis quæ supersunt, magno numero non fuisse intelligimus.

At Ecclesia Christiana, quæ statim parvo Judæorum numero ad fidem suam conversorum coaluit, deinde adeò crevit, advenarum ad illam coëuntium concursu, ut horum turba primorum ex Judæis Fidelium multitudinem quàm longissimo intervallo superaverit, conversarumque Gentium copia illos absorbuerit. Olim tentoria e pellibus confici consuevisse constat, quas pelles ope funium, fixis humi sudibus alligatorum, sustentabant. Frequens erat tentoriorum usus apud Judæos finitimosque. Tentorii comparatione passim utitur Isaias (f).

℣. 3. Ad dexteram et ad lævam penetrabis; et semen tuum gentes hæreditabit. Jerosolyma & Juda *ad dexteram & ad lævam* fines prorogavere: ad septemtrionem scilicet, qui lævæ nomine; & ad meridiem, qui dexteræ appellatione significantur. Intra veteres terminos sese non continuit Juda; atque in cæterarum Tribuum ditionem provectus, Idumæam ad meridiem occupavit (g). Jerosolyma nunquam ampliori mœnium ambitu cincta est, quippe quem Asmonæi ad septemtrionem amplissimâ accessione auxerunt (h); ac paulo ante quàm penitus everteretur, suburbium, quod ad septemtrionem coaluerat, intra mœnia claudere meditabantur (i). Hæc tamen si conferas cum Ecclesiæ Christianæ incrementis, amplitudine, filiorum numero, nihilo, ut ita dicam, majora sunt, quàm punctum cum universæ terræ ambitu comparatum.

℣. 4. Non confunderis, neque erubesces. Ne verearis futurum ut præterita probra tibi objiciantur, aut repudium sive sterilitas tibi vitio detur. Fides, quam viro servabis, tuaque deinde fœcunditas probris hisce oblivionem inducent. *Confusionis adolescentiæ tuæ*, absque liberis actæ, *oblivisceris*; tuæque viduitatis opprobrium ex animo tuo cadet. Hæc verba tum Synagogæ, tum Ecclesiæ Gentium æquè congruunt; Jerosolymæ post reditum ac restaurationem; atque Ethnicis, postquam Christi fidem amplexi sunt.

℣. 5. Dominabitur tui qui fecit te. Hebræus (k): *Viri tui erunt qui fecerunt te.* Aliquod fortasse mysterium sub plurali hac locutione latet, ut duas hîc uxores a Domino spectari, Propheta significet; Synagogam scilicet, certo solùm tempore perseveraturam; & Gentium Ecclesiam, cui perennitas æterna debetur. Vel fortè alludit ad Baalim, profanos Deos, quos olim Synagoga venerabatur. *Baalim tui erit Creator tuus.* Unus tibi erit Deus is qui te condidit. Vel denique, simplici magis explicatione: Qui te fecit, is tibi Maritus & Dominus erit (l). Maritus apud Scripturam uxoris dominus appellatur (m).

℣. 6. Quia ut mulierem derelictam et mœrentem spiritu, vocavit te Dominus. Cùm derelicta & mœrens esses, tui misertus, te olim repudiatam revocavit; vel, neglecto priore repudio, te accepit ceu fœminam mœrore, & repudii opprobrio obrutam, marito, domicilio, domino carentem. Captiva Babylone Synagoga in similem fermè conditionem devenerat (n). Cavebat Lex, nequis repudiatam uxorem iterum in tho-

(b) *Chald. Thom. Hugo, Pagn. Grot.* (c) *Isai.* L, 1; *infra* ℣. 4, 6, 7; XLIX, 21. (d) *Vide Hieron. Cyrill. Procop. alios passim.* (e) Infra, ℣. 25. (f) *Isai.* XXXIII, 20; XLIX, 20; XXXII, 18. (g) *Joseph. Antiq. lib.* XIII, *c.* 17. (h) *Joseph. de Bello, lib.* 5, *c.* 6, *in Lat. p.* 912. (i) *Joseph. ibidem p.* 913. (k) כי בעליך עשיך (l) *70:* Ὅτι κύριος ὁ ποιῶν σε. *Ita Chald.* (m) 1 *Petr.* III, 6: *Sic Sara obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans. Vide Genes.* XVIII, 12: *Postquam consenui, & Dominus meus vetulus est. Et Judic.* XIX, 26; *Et Exod.* XXI, 3..... 22. (n) Vide *Isai.* L, 2.

℣. 7. Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus
magnis congregabo te.
℣. 8. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper
a te, & in misericordiâ sempiternâ misertus sum tui; dixit re-
demptor tuus Dominus.
℣. 9. Sicut in diebus Noë istud mihi est, cui juravi, ne inducerem
aquas Noë ultra supra terram: sic juravi, ut non irascar tibi,
& non increpem te.
℣. 10. Montes enim commovebuntur, & colles contremiscent: mi-
sericordia autem mea non recedet a te, & fœdus pacis meæ non
movebitur: dixit miserator tuus Dominus.
℣. 11. Paupercula tempestate convulsâ, absque ulla consolatione.
Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in
sapphiris.
℣. 12. Et ponam jaspidem propugnacula tua: & portas tuas in la-
pides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles.

COMMENTARIUS.

thorum adscisceret, ubi hæc alteri viro nupsisset, quamvis aut altero viro mortuo, aut ab illo repudiatam (o). Hac lege erga populum uti noluit Deus: præteritorum oblitus, benevolentiæ suæ morem gessit.

Addit Deus, id quod animadversione dignum est, populum suum similem fuisse *uxori, quam ab adolescentiâ duxerat*, ac deinde repudiarat. Ardenti adeò constantique amore, benevolentiâ & fide te prosecutus sum, uti maritus uxorem, quam ab adolescentiâ duxit (p), primisque amoris sui conatibus deperiit: tu ipse animi tui vitio & perfidiâ impulisti, ut te derelinquerem. At quantumvis perfidum abjectumque te iterum quærere atque in fidem accipere non abhorrui. Ex hoc ipso, quòd *uxor ab adolescentiâ* fuerit, uxoris crimen augetur.

℣. 7. AD PUNCTUM, IN MODICO DERELIQUI TE, brevi Babylonicæ captivitatis tempore; at deinde te nunquam relicturus accipiam: uberrimo misericordiæ & clementiæ beneficio brevissimum severitatis elapsæ tempus reparabo: magnâ te misericordiâ revocabo: *In miserationibus magnis congregabo te.*

℣. 9. SICUT IN DIEBUS NOE ISTUD MIHI EST, &c. Malorum alluvione te obrui: at mox tecum inibo fœdus illi simile, quod cum Noëmo post diluvium sanxi; æternum fœdus, æternamque fidem, futurum scilicet ut simili alluvione nunquam in posterum terras obruam; cujus fidei pignus iridem dedi (q). Frustra conantur Judæi hujus promissionis fidem sibi datam arrogare; si enim propriè usurpetur, illos spectare nequaquam potest. Babylonica gentis dispersio & captivitas momento diuturnior non fuit, si cum eâ comparetur, quæ Christi obitum, & Jerosolymæ excidium per Romanos consecuta est, cui nullus adhuc finis est.

At si de Christianâ Ecclesiâ interpreteris, adamussim congruit. Invitis Diaboli conatibus, Infidelium odiis, Hæreticorum & Schismaticorum nequitiâ, malorum Christianorum flagitiis, eorumque vitiis, quos Ecclesiæ faces & columnas esse decebat, post septem ac decem sæculorum curriculum adhuc viget, æternumque vigebit, immobili ac firmissimo lapide innixa, ex Divinæ hujus promissionis fide, accedente Christi authoritate, dicentis (r): *Super petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.*

℣. 10. MONTES COMMOVEBUNTUR.... MISERICORDIA AUTEM MEA NON RECEDET A TE. Similem huic locutionem vide supra, LI, 6; & confer *Matth.* v, 18; & xxiv, 35. Nihil hac comparatione nobilius: Montes potiùs quatientur, quàm mea promissa deficiant.

℣. 11. STERNAM PER ORDINEM LAPIDES TUOS. Ego ædificii tui, cùm restauraberis, architectum agam. Singulos lapides suo ordine in mœnibus tuis distribuam. Hebræus (s): *Ecce ego sedere faciam in stibio (t) lapides tuos*, veluti fundamento. Stibium fossile metallum est, scoriæ argenti simile, nitido alboque colore. Igne difficilè solvitur, faciliùs aquâ. Eo potissimùm utebantur Veteres, ut oculos fuco linirent, quo ater oculis color inducebatur, & palpebræ ampliores efficiebantur (u). Communis adhuc illius usus est apud Orientales, tum fœminas, tum viros; idemque apud Scripturam luculentissimè legitur (x). Hinc verò discimus, stibio Principum ædes ornari consuevisse, atque inter gemmas haberi, cùm a Prophetâ cum sapphiris cæterisque gemmis jungatur: *Sternam in stibio lapides tuos, & fundabo te in sapphiris.* Allegoricæ locutiones sunt. Simillimis planè coloribus novam Jerosolymam, seu Christianam Ecclesiam describit S. Joannes (y).

℣. 12. PONAM JASPIDEM PROPUGNACULA TUA. Hebræus aliter vertitur (z): *Ponam cadcod fenestras tuas.* Chaldæus: *Ponam in margaritas ligna tua.* Syrus: *Ædificaturus parietes tuos lapidibus jaspidis.* Plerique e recentioribus Interpretes: *Ponam chrystallum fenestras tuas.* Apud Ezechielem, xxvii, 16, ubi etiam legitur *chodchod*, Septuaginta & Vulgata ipsam Hebraicam vocem retinuere. Symmachus *carchedonium* habet.

(o) *Deut.* xxiv, 3, 4. (p) Vide *Prov.* v, 18; *Jerem.* II, 2; *Ezech.* xvi, 22; xxiii, 3; *Malach.* II, 14, 15. (q) *Genes.* ix, 13. (r) *Matt.* xvi, 18. (s) הנה אנכי מרביץ בפוך אבניך ויסדתיך בספירים (t) *Ita Græci, præter 70: Sym.* Ἰδοὺ ἐγὼ συντίθημι στίμμιν τοὺς λίθους σου. *Th.* Ἰδοὺ ἐγὼ ἐμβαλῶ ἐν στίμμι τοὺς λίθους σου. *Aqu.* Καλλύνω ἐν στίμμι τοὺς λίθους σου. 70: Ἑτοιμάζω σοι ἄνθρακα τὸν λίθον σου. *carbunculum.* (u) *Vide Plin. lib.* 33, *c.* 6. (x) 4 *Reg.* IX, 30; *Jerem.* IV, 30; *Ezech.* XXIII, 40. (y) *Apoc.* xxi, 19. (z) שמתי כדכד שמשתיך

ỳ. 13. Universos filios tuos doctos a Domino; & multitudinem pacis filiis tuis.

ỳ. 14. Et in justitiâ fundaberis: recede procul a calumniâ, quia non timebis; & a pavore, quia non appropinquabit tibi.

ỳ. 15. Ecce accola veniet, qui non erat mecum: advena quondam tuus adjungetur tibi.

ỳ. 16. Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus suum, & ego creavi interfectorem ad disperdendum.

ỳ. 17. Omne vas, quod fictum est contra te, non dirigetur: & omnem linguam resistentem tibi in judicio, judicabis. Hæc est hæreditas servorum Domini, & justitia eorum apud me, dicit Dominus.

COMMENTARIUS.

Portas tuas in lapides sculptos, variis sculpturæ ornamentis distinctos (a). Hebræus (b): *Portas tuas in lapides ekdach*. Postremæ hujus vocis vim ignorant Interpretes. Septuaginta (c) *chrystallum*; plerique recentiorum, *lapides flammantes*, veluti carbunculum; Chaldæus, *lapides perfectionis* (d) interpretantur.

Terminos tuos in lapides desiderabiles, pulcherrimos, electos, pretiosos. Hebræus (e): *Omnem terminum tuum ex lapidibus desiderii*, seu, *beneplaciti*. Hoc dicere videtur, nonnisi lapides pretiosos in totâ circum regione agroque urbis futuros. Septuaginta (f): *Et murum tuum lapides electos*.

ỳ. 13. Universos filios tuos doctos a Domino. Majestatem ita dejiciet Deus, ut magister illis esse non abhorreat. Id profectò nostri causâ egit Christus; idque ipsius ætate impletum est. *Est scriptum in Prophetis*, inquit ipse (g): *Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audivit a Patre & didicit, venit ad me*. Jeremias (h): *Hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos, dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: Et ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebunt ultrà vir proximum, & vir fratrem suum dicens, Cognoscite Dominum. Omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum*.

ỳ. 14. Recede procul a calumnia, quia non timebis. Tutus eris ab injuriâ, quin unquam illam verearis. Ex hostibus, qui te injuriis, & calumniis oppressere, nihil tibi timendum erit. Teglathphalassarum, Sennacheribum, Nabuchodonosorem, iniquissimis te judiciis lacessentes, causasque nectentes, ut te perdant, jam non intueberis. Cuthæi, cæterique finitimi, nascenti fortunæ invidentes, te Cyro ejusque familiaribus suspectum facere conabuntur (i): Res illi aliquandiu feliciter cedet: At demùm mala illorum consilia dissipabo: Innocentiam tuam manifestam omnibus faciam, omnisque illorum nequitia in ipsos cadet (k). Hæc verba nullo negotio de Ecclesiâ explicantur.

ỳ. 15. Ecce accola veniet, qui non erat mecum. Nullo apud Historicos monumento discimus, Ethnicos, a Babylonicæ captivitatis tempore usque ad Jesu Christi ætatem, numero satis magno ad Judæorum sacra transiisse. Id porrò argumento est, vaticinia, quæ passim advenas certatim conventuros, daturosque nomina inter Dei populum docent, de Ethnicis Christi fidem amplexis esse explicanda. Hoc nisi serves, Prophetarum oracula penitus expleta minimè demonstrabis. Reddi etiam potest totus hic Versiculus ex Hebræo (l): *Ecce advena, qui accolet* inter tuos, *injussu meo. Quis advena peregrinabitur in te? coram te cadet*. Putat Grotius, hoc loco significari Sanaballat ejusque socios, qui sociam Judæis opem conferre voluere, cùm templum (m), & urbs (n) restaurarentur. At melius redditur: *Ecce venient proselyti*, vel advenæ, *qui ex gente meâ non sunt. Quinam sunt hi advenæ in te? Hæreditatis tuæ tecum parte fruentur* (o).

ỳ. 16. Ecce ego creavi fabrum sufflantem in igne prunas, &c. Fabri arma conflantis, & militis armis utentis æquè Dominus sum. Ego bellum moveo, ego compesco, ubi videtur. Reddi potest Hebræus (p): *Ecce ego creavi fabrum, sufflantem in igne prunam, & invenire docui*, vel protuli, *instrumenta in opus suum*. Vel: *Ecce ego creavi fabrum, sufflantem in igne prunas, & producentem arma in opus suum: Et ego creavi vastatorem ad delendum*. Septuaginta (q): *Ecce ego creavi te, non ut ærarius sufflans prunas in igne, & proferens instrumenta in usum*. Te ego ex nihilo condidi, solius sermonis mei adminiculo, nullius instrumenti aut rei ope.

CA-

(a) *Sym.* λίθοις γλυφαῖς. *Aqu.* λίθοις τρυπανισμοῦ.
(b) ושעריך לאבני אקדח (c) Καὶ τὰς πύλας σου λίθους κρυστάλλου. (d) לאבני גמר
(e) וגבוליך אבני חפץ (f) Τὸν περίβολόν σου λίθους ἐκλεκτούς. (g) *Joan.* VI, 45. (h) *Jerem.* XXXI, 33.
(i) 1. *Esdr.* IV, 5. *Conduxerant autem adversùs eos consiliatores, ut destruerent consilium eorum omnibus diebus Cyri Regis, & usque ad regnum Darii, &c.* (k) 1. *Esdr.* VI, 1, 2, *& sequ.*
(l) הן גור יגור אפס מאותי: מי גר אתך עליך יפול (m) 1. *Esdr.* IV, 2.
(n) 2. *Esdr.* II, 19; & IV, 1, 2; VI, 1, 2. (o) נפל significat interdum hæredem veluti, *Genes.* XXV, 9; *Num.* XXXIV, 2; *Josue*, XIII, 6; XXIII, 4; *Isai.* XXXIV, 17.
(p) הן אנכי בראתי חרש נפח באש פחם ומוציא כלי למעשהו ואנכי בראתי משחית לחבל (q) Ἰδοὺ ἐγὼ ἔκτισά σε οὐχ ὡς χαλκεὺς φυσῶν ἐν πυρὶ ἄνθρακας, καὶ ἐκφέρων σκεῦος εἰς ἔργον,

CAPUT LV.

Omnes ad fidem atque ad pœnitentiam vocantur. Misericors Deus, ac promissorum constantissimus executor. Beati qui ad Deum revertuntur.

℣. 1. OMnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite: venite, emite absque argento, & absque ullâ commutatione vinum, & lac.
℣. 2. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra.
℣. 3. Inclinate aurem vestram, & venite ad me: audite, & vivet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles.
℣. 4. Ecce testem populis dedi eum, ducem, ac præceptorem gentibus.

COMMENTARIUS.

℣. 1. OMNES SITIENTES VENITE AD AQUAS. Hebræus (a): *Omnis sitiens, ite ad aquas.* Continuatur sermo, capite L, ℣. 4 inceptus, de Messiâ, ejusque Ecclesiæ institutione agens, sub imagine gentis Judaicæ Babylone reversæ, atque Jerosolymæ restitutæ. Utraque hæc reverâ contigerunt; at interdum ceu de figurâ, sublimius aliquid spectante, de iis loquuntur Prophetæ. Vocantur hic omnes, qui siti premuntur, ut potum veniant, vino, lacte, aquâ uberrimè satiandi. His porrò verbis potissimùm spectantur captivi Babylone Judæi, diuturnâ durissimâque in captivitate, rerumque omnium inopiâ gementes. Plenâ deinceps omnium copiâ fruemini, in quâ nihil penitus deerit ex iis, quæ non modò ad corpus, verùm etiam ad animum pertinent. Vinum, lac, & aqua, quæ vobis a me exhibentur, imagines bonorum sunt, quibus ego vos cumulabo, & scientiæ salutis, quâ animus vester, me propinante madebit (b).

Sua ipsius dogmata cum fonte in vitam æternam saliente, Christus comparat (c). Sitientes vocat, ut certatim confluant (d), seseque docentem audiant. Apud Occidentalium Ecclesias, fidelibus mox baptismate initiatis, olim vinum & mel propinabatur, ceu imagines, Jesu Christi doctrinam exhibentes: quo ritu hic locus, quem versamus, spectabatur (e). Apud alios verò porrigebatur lac & mel, ex alio Isaiæ loco (f), ubi Messias butyrum & mel comesturus dicitur, donec bona a malis secernere norit. Cùm rara sit apud Palæstinos aqua, atque incredibilis æstus, mirum non est, si sitientes ad aquas vocentur. Narrant, solere adhuc Turcas quibusdam in locis ingentes urnas aquâ plenas ad viarum capita statuere, ut viatorum sitis levetur (g). Septuaginta (h) pro *vino & lacte*, legunt *vinum & adipem*.

Absque argento & absque ullâ commutatione. Olim mercatura rerum permutatione exercebatur; dabaturque ad pondus argentum (i), cùm nondum cudi soleret, uti deinceps fieri consuevit.

℣. 3. FERIAM VOBISCUM PACTUM SEMPITERNUM, MISERICORDIAS DAVID FIDELES, scilicet, ut misericordiam Davidi promissam, stabilem certamque efficiam. Vel: Æternum fœdus vobiscum faciam, vosque constanti adeo misericordiâ prosequar, quali usus sum erga Davidem. Septuaginta (k): *Constituam vobis testamentum æternum, sancta David fidelia*; Et Davidis Sanctuarium stabile firmumque futurum est. Cultum ac religionem, quam David constanter adeo defendit atque servavit, inter vos statuam. Denique *sancta David fidelia* fortasse significant firmum atque irrevocabile fœdus, a Deo cum Davide initum, quo Davidi promittebatur futurum ut nunquam illum misericordiâ prosequi desinat Deus (l): *In æternum servabo illi misericordiam meam, & testamentum meum fidele ipsi.* Hunc locum S. Paulus (m) ex versione Septuaginta Interpretum recitat, ut Christi resurrectionem probet; eâ enim reverâ tota hujus promissionis fides, & fœderis perfectio explebatur. Quamobrem ipsum fœdus æternitatem adeptum est, cùm ad christianam Ecclesiam, bonorum Davidi promissorum hæredem transierit.

℣. 4. ECCE TESTEM POPULIS DEDI EUM. Divinorum prodigiorum testis, ac beneficiorum scopus David fuit. Toto vitæ suæ curriculo divina erga se beneficia celebrare is nunquam destitit. *Diligam te, Domine, in fortitudine meâ: Dominus firmamentum meum & refugium meum & liberator meus* &c. inquit idem initio ejus Psalmi (n), quo divinam erga se misericordiam canit. At sub Davidis nomine, Messias hic intelligendus est (o), *qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ*; qui quolibet vitæ suæ tempore veritatem prædicavit; Cujus testimonium certissimum est (p), quippe qui ipsa est veritas (q). Ipse novi fœderis sequester (r), pignusque certitudinis earum rerum, quas Deus hominibus promisit.

(a) הוי כל צמא לכו למים (b) *Ita Chald. Sanct. Grot. alii.* (c) *Joan.* IV, 14. (d) *Joan.* VII, 37. (e) *Hieronym. hic.* (f) *Isai.* VII, 15. (g) *Bellon. lib.* 2, *c.* 74, *Observation.* (h) Ἀγοράσατε ἄνευ ἀργυρίου, καὶ τιμῆς, οἶνον καὶ στέαρ. *Heb.* יין וחלב (i) ℣. *sequenti*: *Quare appenditis argentum vestrum, &c. Jerem.* XXXII, 9, 20: *Appendi argentum in staterâ.* (k) Διαθήσομαι ὑμῖν διαθήκην αἰώνιον, τὰ ὅσια Δαυὶδ τὰ πιστά. חסדי דוד הנאמנים (l) *Psal.* LXXXVIII, 29.
(m) *Act.* XIII, 34: *Quòd autem suscitavit eum a mortuis, ampliùs jam non reversurum in corruptionem, ita dixit: quia dabo vobis sancta David fidelia.* (n) *Psal.* XVII, 2, 2. (o) *Apocalyps.* I, 5. (p) *Joan.* VIII, 14. (q) *Joan.* XIV, 6. (r) *Heb.* IX, 15.

℣. 5. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis: & Gentes, quæ te
non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum
tuum, & Sanctum Israël, quia glorificavit te.
℣. 6. Quærite Dominum, dum inveniri potest: invocate eum,
dum propè est.
℣. 7. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes
suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus; & ad
Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.
℣. 8. Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ: neque
viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus.
℣. 9. Quia sicut exaltantur cœli a terrâ, sic exaltatæ sunt viæ meæ
a viis vestris, & cogitationes meæ a cogitationibus vestris.
℣. 10. Et quomodo descendit imber, & nix de cœlo, & illuc ultra
non revertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & ger-
minare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti.
℣. 11. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non
revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, &
prosperabitur in his, ad quæ misi illud.
℣. 12. Quia in lætitiâ egrediemini, & in pace deducemini: mon-
tes, & colles cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna
regionis plaudent manu.

COMMENTARIUS.

misit. Grotius de Jeremiâ explicat, repugnante omnium Interpretum consenso, ipsâque textûs perspicuitate, quæ nullam nisi de Jesu Christo interpretationem patitur.

℣. 5. GENTEM, QUAM NESCIEBAS, VOCABIS. Ethnici, gens tibi ignota atque aliena, tibi obtemperabunt. Illos tu vocabis: illi audient ac sequentur. Hoc post Evangelii prædicationem expletum novimus. Septuaginta (s): *Gentes quæ non noverunt te, invocabunt te*, de nomine tuo appellabuntur.

℣. 6. QUÆRITE DOMINUM, DUM INVENIRI POTEST. Judæa gens, quantociùs ad Dominum confugite: dum prope est, invocate. Fiet aliquando, ut averso a vobis ore, ad Gentes convertatur, easque ad se vocet. Septuaginta (t): *Quærite Dominum, & cùm inveneritis, invocate*. Confer *Joan.* XII, 35: *Adhuc modicum lumen in vobis est: ambulate dum lucem habetis.*

℣. 9. SICUT EXALTANTUR COELI A TERRA, SIC EXALTATÆ SUNT VIÆ MEÆ A VIIS VESTRIS. Si resipiscere optatis, ab institutâ vivendi ratione recedite; meæ enim viæ, meaque consilia eo intervallo superiora vestris sunt, quo terris Cœlum. Universâ morum emendatione opus est, si resipiscere ex animo optatis. Aliter: Viæ vestræ a meis penitus absunt. Vos vindictam, injurias, iram sectamini; ego clementiam, misericordiam, lenitatem amo. Parcere tam ego cupio, quàm vos ulcisci. Absolutâ igitur integrâque fiduciâ ad me revertimini, nullusque vobis obrepat metus, ne scelerum vestrorum immanitas ingentem nimis veniæ aggerem objiciat. Solam animorum morumque mutationem postulo.

℣. 10. QUOMODO DESCENDIT IMBER ET NIX DE COELO, ET ILLUC ULTRA NON REVERTITUR...

(℣. 11) SIC ERIT VERBUM MEUM, QUOD EGREDIETUR DE ORE MEO: NON REVERTETUR AD ME VACUUM. Ne verearis unquam futurum, ut data tibi a me fides absolutæ reconciliationis, irrita cadat; aut ego similis homini sim, pollicenti, fidemque minimè servanti. Imber & nix in Cœlum priùs revertentur, quàm meus sermo effectu careat. Par erit promissionum mearum magnitudini fides; tuique unius culpæ debebitur, nisi illarum exitum intuearis. Imber est in terram cadens: ne animum adversùs illum claudas, neque illi resistas animi obstinatione, malâve habitudine; ac suavem illius vim procul dubio experieris. Aliter: Data tibi a me fides proximæ libertatis e captivitate Babylonicâ, sub quâ tam diu gemis, fixa atque irrevocabilis est. Nix & imber in aërem, ex quo cecidere, potiùs revertentur, quàm data a me fides irrita cadat.

℣. 12. IN LÆTITIA EGREDIEMINI, ac veluti ovantes, Babylone, & felici itinere Jerosolymam venietis: *Et cum pace ducemini*. Dux ego vester ero (u), totoque itinere vos a malis tuebor. Vobis revertentibus alienæ gentes quibuslibet in rebus favebunt (x).

MONTES ET COLLES CANTABUNT CORAM VOBIS LAUDEM. Vaticinatur alibi (y) Isaias futurum, ut dejiciantur montes, vallesque obstruantur, ut facile Hebræis iter sternant. At cæteris in locis, quemadmodum hîc, hilares voces lætaque carmina edituros pollicetur (z). Tropicæ loquendi formæ, apud Scripturam frequentes, quas optimè Scriptores imitati sunt, ubi res stili sublimitatem, nobilesque sententias postulabat (a).

Ipsi lætitiâ montes ad sidera jactant,
Intonsi montes, ipsæ jam carmina rupes,
Ipsa sonant arbusta, Deus, Deus ille, Menalca.

℣. 13. PRO

(s) הן גוי לא תדע הקרא 70: Ἰδοὺ ἔθνη ἃ οὐκ ᾔδεισαν, ἐπικαλέσονταί σε.
(t) Ζητήσατε τὸν κύριον, καὶ ἐν τῷ εὑρίσκειν αὐτὸν ἐπικαλέσασθε. *Heb.* דרשו יהוה בהמצאו קראהו
(u) *Isai.* LII, 12. (x) *Vide sup.* XLIX, 22.
(y) *Isai.* XL, 4; XLIX, 11. (z) *Isai.* XLIV, 23; XLIX, 12, 13.
(a) *Virgil*, *Eclog.* V.

℣. 13. Pro saliuncâ ascendet abies, & pro urticâ crescet myrthus: & erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.

COMMENTARIUS.

℣. 13. Pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrthus. Deserta loca, quibus iter habituri estis, olim saliuncæ solummodo & urticæ feracia, abietes myrthosque ferent, ut ab ardenti solis æstu vos umbris protegant. Similes superiùs (b) locutiones animadvertere licuit, ubi de Judæis Babylone revertentibus loquebatur.

Hebræus (c) aliter planè redditur; quamobrem facilè intelligas, verùm loci significationem a Judæis ignorari. *Pro spinâ*, dumis, rubo, *ascendet abies; & pro spinâ*, urticâ, hyssopo (d), *nascetur myrthus*, sive ulmus. Septoaginta (e): *Pro inutili frutice, ascendet cupressus; & pro* herbâ *conyzâ, ascendet myrthus*. *Conyza*, seu cunila, vulgò pulicaria, herba est maximè amara, & teterrimo odore. *Stoibe*, quam nos *inutilem fruticem* reddidimus, propriè herba est tenuis ac flaccida, quâ olim cubilia & pulvini implebantur. Utrùm autem Hebræa vox *bannazuz* hoc significet, ignoratur, cùm illam Aquila & Theodotio *conyzam* reddiderint (f). Chaldæus allegoricè interpretatur: *Pro impiis consurgent justi, & pro peccatoribus consurgent timentes peccatum*.

Erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur. Hebræus (g). *Ut hæc*, libertas vestra, & prodigia, quæ eo tempore fient, *fiat gloria Domino, & in signum æternum*, quod *non succidetur*.

CAPUT LVI.

Illorum felicitas, qui Dei præceptis obtemperaverint. Advena & Eunuchus inter Dei populum excepti. Convicia in Jerosolymæ Pastores atque Custodes, cæcos, canes mutos, &c.

℣. 1. HÆc dicit Dominus: Custodite judicium, & facite justitiam: quia juxta est salus mea ut veniat, & justitia mea ut reveletur.

℣. 2. Beatus vir, qui facit hoc, & filius hominis, qui apprehendet istud: custodiens sabbathum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum.

℣. 3. Et non dicat filius advenæ, qui adhæret Domino, dicens: Separatione dividet me Dominus a populo suo: Et non dicat eunuchus: Ecce ego lignum aridum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Custodite judicium, et facite justitiam: quia juxta est salus mea ut veniat, et justitia mea ut reveletur; vel, quia mittendus a me servator prope est, mecumque Justus quantociùs exhibebitur. Justus hic & Servator ipse est Jesus Christus, uti sæpiùs animadversum est: Salus & Justitia beneficia sunt, quæ Christus oriens moriensque nobis comparavit. Horum figura fuere Cyrus (a) atque ex Captivitate Babylonicâ libertas. Propheta, ut populum ad felicitatem in fine Capitis superioris prænunciatam paret, hìc illum hortatur, ut justitiam & æquitatem exerceat, Divinisque Præceptis obsequatur. Septuaginta (b): *Juxta est salutare meum ut adveniat, & misericordia mea ut reveletur*. Hebræa vox *zadicha*, quam cæteri Interpretes *justitiam* reddunt, a Septuaginta plerumque *misericordiam* transfertur.

℣. 2. Custodiens sabbatum. Jubent hæc verba oraculum de Judæis propriè explicari. *Sabbatham* pro quibuslibet Judæorum Festis usurpatur.

℣. 3. Non dicat filius advenæ... Separatione dividet me Dominus a populo suo. Communes cum Israële sedes me habere, suamque ipsius Religionem ac ritus amplecti non patietur. Israëlem Dominus a cæteris gentibus, ceu muro impenetrabili, secrevit. Cæteris exclusis, fœdus cum Abrahami posteris sanxit (c). Dividens hic paries aliquando destruetur (d), nullaque deinceps erit inter advenam & Judæum divisio. Qui Dei legem servaverit, is in Dei hæreditatem excipietur: (℣. 6) *Filios advenæ qui adhærent Domino, ut colant eum...* (℣. 7) *Adducam eos in montem sanctum meum, &c.*

Ante captivitatem, nemo excludebatur ex advenis, qui nomen inter Judæos dare voluissent. Sanxerat solummodò Moyses, ne Eunuchi, nothi, Ammonitæ & Moabitæ admittarentur. Idumæos, & Ægyptios, post tertiam denique generationem, in Domini cœtum excipi jubet (e). Alibi imperat (f): *Si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circumcidetur*

(b) *Isai.* XLI, 19. (c) תחת הנעצוץ יעלה ברוש : תחת הסרפד יעלה הדס (d) *Ita Syr.*
(e) Ἀντὶ τοιβῆς ἀναβήσεται κυπάρισσος, ἀντὶ δὲ τῆς κονύζης, ἀναβήσεται μυρσίνη.
(f) *Vide Hieron. hic.* (g) והיה ליהוה לשם לאות עולם לא יכרת 70: Καὶ ἔσται κύριος εἰς ὄνομα, καὶ εἰς σημεῖον αἰώνιον, καὶ οὐκ ἐκλείψει. (a) *Vide Isai.* XLV, 2, 10.
(b) Ἤγγικεν τὸ σωτήριόν μου παραγίνεσθαι, καὶ τὸ ἔλεός μου, ἀποκαλυφθῆναι.
(c) *Heb.* II, 16; *Act.* XIV, 15; *Amos*, III, 2: *Tantummodò vos cognovi ex omnibus cognationibus terræ. Vide & Psal.* LXXV, 2. (d) *Ephes.* II, 14: *Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, &c.* (e) *Vide Deut.* XXIII, 1, 2, 3, 7, 8. (f) *Exod.* XII, 48.

℣. 4. Quia hæc dicit Dominus eunuchis : Qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum :

℣. 5. Dabo eis in domo meâ, & in muris meis locum, & nomen melius a filiis, & filiabus. Nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.

℣. 6. Et filios advenæ, qui adhærent Domino, ut colant eum, & diligant nomen ejus, ut sint ei in servos : omnem custodientem sabbatum ne polluat illud, & tenentem fœdus meum :

℣. 7. Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ : holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo : quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.

COMMENTARIUS.

detur prius omne masculinum ejus. Nullus denique locus unquam dubio fuit, quin salutis aditus unicuique patuerit, dum ad Deum converti, ejusque Legem ac ritus amplecti vellet. Cùm hactenus Judæi intra regionis suæ fines sese religiosiùs continuissent, minimumque cum alienis commercium exercerent, Dei Legem electamque gentem Ethnici fermè ignorabant; ipsique Judæi, sive odio, sive neglectu, sive contemptu communes cum cæteris res habere noluerunt.

Elapsâ Captivitate, proselytos excipere, ac religionis loco ducere cœperunt, si proselytos quærerent, & undique aucuparentur, teste Jesu Christo (g) : *Circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum; & cùm factus fuerit, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos*. Mosaica Lex tunc Græcè legi cœpit : Ethnici mores & originem didicere gentis, quam peculiaribus adeò atque insignibus notis illustrem ubique inveniebant. Tunc etiam extranei, Templi Jerosolymitani sanctitatem plurimi facientes, eò frequenter confluere, & sacra facere inceperunt. Nec defuere (h) qui spontè Sabbatum, variosque Judaicæ Religionis ritus servarent. Ita sapientissimâ Providentiæ lege, paulatim Deus Ethnicos parabat, ut ad fœdus suum excipiendum accederent; veteresque simultates Judæos inter atque Ethnicos auferebat. Denique integra hujusmodi oraculorum fides, de Gentium vocatione, post Christi obitum expleta est. Tunc demum fores illis patuere, penitusque ablatum est discrimen, quo gentes ab Judæis sejungebantur. Id verò per gradus quodammodo actum est. Ut Judæorum, nihil nisi carnalia agnoscentium, mens detineretur, necesse fuit, ut inchoata quædam imperfectaque Gentium conversio ante Servatoris adventum illis exhiberetur, quò faciliùs ad absolutam perfectamque, futuram deinde post Evangelii prædicationem, pararentur.

ET NON DICAT EUNUCHUS : ECCE LIGNUM ARIDUM. Lege cautum erat (i) : *Non intrabit Eunuchus Ecclesiam Domini*. Sterilitas quoddam maledicti genus apud Israëlitas habebatur (k); sterilesque homines ceu stirpes inutiles, lignumque mortuum reputabantur. Eadem fermè erat cæterarum gentium opinio. Quid nocui, querebatur Hermotimus cum Panionio (l), *quoniam pro viro fecisti ut nihil essem?* Odiosa hæc discrimina in Novo fœdere nulla erunt; suaque Cœlestis Regni pars Eunucho, non secùs atque cæteris, erit (m). Nedum nullum erit sterilitati, virginitati, & continentiæ sponte servatæ dedecus, verùm etiam ipsæ magno in pretio habebuntur : bonorum operum feraces erunt, quâ fœcunditate carnalis sterilitatis probrum abundè reparabunt. Fructum, nisi in tempus, certè in æternitatem ferent. Firmiore illos gloriâ, ampliore ac diuturniore famâ, quàm ex innumeris posteris orturâ, cumulabit a *Dabo eis locum & nomen melius a filiis & filiabus; nomen sempiternum dabo eis*. Neque solùm ex Israëlis cœtu non excludentur, verùm etiam *dabo eis in domo meâ, & in muris meis locum, &c.*

Daniel (n) sociique, quamvis eunuchi, nobilissimum inter gentis proceres locum obtinuere, eorumque nomen adhuc meritis laudibus celebratur (o). Docet Author Sapientiæ (p); ante ipsam Jesu Christi ætatem, nullum fuisse continentiæ, & eunuchis dedecus, ubi virtus & constans Divinæ Legis obsequium in iis eluceret : *Felix sterilis & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum, cùm Deus piorum animas visitaverit; & spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversùs Deum nequissima; dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in Templo Dei acceptissima*. At in Novo potissimùm fœdere Eunuchi & cœlibes promissis hîc bonis fruentur.

℣. 7. DOMUS MEA, DOMUS ORATIONIS VOCABITUR CUNCTIS POPULIS. Non unis modò Judæis Templum erit, uti ante captivitatem fuit. Omnes undique terrarum populi eò confluent, vota & sacra facturi. Nullo penitus monumento discimus, ante captivitatem Ethnicos intra septa Templi fuisse admissos, ut orarent : nullus ibi locus eorum usui destinatus; partemque Religionis suæ habebant Judæi, profanos Templo excludere. At captivitas atque extraneorum servitus, quâ post captivitatem premi non desiere, illos mitiores effecit. Supremis hisce temporibus quoddam in Templo septum animadvertitur, cujus aditu Ethnici non prohibebantur (q). Aliquas etiam e Profanis

(g) *Matt.* xxiii, 15. (h) *Vide Horat. lib.* 1, *sat.* 9; *Pers. sat.* 5; *Joseph. contra Appion. lib.* 2; *Philo de opificio mundi, lib.* 2; *de vitâ Moys. Euseb. præp. lib.* xiii, *c.* 12. (i) *Deut.* xxiii, 1.
(k) *Isai.* iv, 1; *Deut.* vii, 14: *Non erit apud te sterilis utriusque sexûs*. Hæc verba a multis ita accipiuntur, veluti aliquid vetent, seu maledicant. Vide S. Hieronymum hic, eadem verba recitantem, quasi ferant : *Maledictus sterilis qui non facit semen in Israël*.
(l) *Apud Herodot. lib.* 8, *c.* 106: Ὅ τι με ἀντ' ἀνδρὸς ἐποίησας τὸ μηδὲν εἶναι.
(m) *Matt.* xix: *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Vide & 1 Cor.* vii, 32, 34, 37. (n) *Vide ad Dan.* i, 3. (o) *Theodoret. hic.* (p) *Sap.* iii, 13, 14.
(q) *Joseph. lib.* 6 *de bello, c.* 6, *in Lat. in Græco* 17, *p.* 916.

℣. 8. Ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israël: Adhuc congregabo ad eum congregatos ejus.

℣. 9. Omnes bestiæ agri venite ad devorandum, universæ bestiæ saltus.

℣. 10. Speculatores ejus cæci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia.

℣. 11. Et canes impudentissimi nescierunt saturitatem: ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam: omnes in viam suam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam suam, a summo usque ad novissimum.

℣. 12. Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras, & multò ampliùs.

COMMENTARIUS.

fanis, Principes Proceresque, intra Sacerdotum atrium excepere, soliosque Sancti & Sanctuarii ingressu arcuere. Alexander Magnus (r), Ptolemæus Physcon (s), & Heliodorus (t) usque ad Holocaustorum Aram, Sacerdotibus minimè repugnantibus, pervenere. Vis solummodò Physconi adhibita est, cùm is intra sacrum Locum, profanis inaccessum, pedem inferre auderet (u).

℣. 8. AIT DOMINUS, QUI CONGREGAT DISPERSOS ISRAEL: ADHUC CONGREGABO AD EUM CONGREGATOS EJUS. Ita claudit longam orationem, a Capite L, ℣. 4, institutam. Non modò Judam, verùm etiam Israëlem congregabit Deus; unàque illis conjunget extraneos, qui ad eorum sacra accedere voluerint, quemadmodum in superioribus dixit.

℣. 9. OMNES BESTIÆ AGRI, VENITE AD DEVORANDUM. Novam hîc orationem exorditur, usque ad Caput LXI productam, quâ flagitia, iniquitates, superstitiones Juda narrat, quibus sceleribus coactus ac provocatus Deus, populum hostium potestati dabit. Sub finem verò pollicetur, novum se fœdus cum ipsis initurum, eosque in patriam revocaturum. Hæc oracula ex verborum sono unis Judæis, captivitate Babylonicâ prioribus conveniunt. Numinum superstitio, cujus arguuntur, Judæis Jesu Christo coævis minimè congruit; quamobrem mala, quæ hîc nunciantur, ea sunt quæ per Nabuchodonosorem & Chaldæos illis contigere. At in ætatis suæ Judæis, quos pingit Isaias, luculentissimè descriptos videas Scribas ac Pharisæos, Christi ætate viventes; ut optimè his aptari queant ea quæ de illis narrat Propheta; unam enim idololatriam si excipias, cætera congruunt: scelera, objurgationes, minæ, calamitates; mutato nomine iidem sunt.

Bestia agri, Judæorum hostes, Idumæi, Philisthini, Moabitæ, Ammonitæ, Chaldæi, regionem Juda depopulatum confluite. Vel: Romani, Syri, Arabes, collectæ gentes, ex quibus Romanorum exercitus coalescit, Jerosolymam invadite; impiam gentem cædite, delete, evertite. Feras ad cædem frequenter vocant Prophetæ (x), ubi Deus in scelestum aliquem populum animadversurus dicitur. Agens de Jerosolymæ excidio per Romanos Zacharias (y), asserit futurum, ut gentes universas in illam colligat Deus. Cæteri Prophetæ similem fermè descriptionem exercitûs Nabuchodonosoris, Jerosolymam obsidentis, habent.

℣. 10. SPECULATORES EJUS CÆCI OMNES. Prophetæ vulgò speculatores Israëlis appellantur (z). Eadem appellatio Sacerdotibus, Magistratibus, populi Doctoribus convenit. Quo tempore Deus per Nabuchodonosorem in Jerosolymam animadvertit, omnes Juda Prophetæ, præter Jeremiam, universique Sacerdotes profundissimo somno ac stupore occupabantur. Nemo imminens periculum monere, flectendæque Numinis iræ vias docere populum studebat. Patheticum profectò eâ de re questum agit Jeremias (α): *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent: viderunt autem tibi assumptiones falsas.* Nihilo minor erat Jesu Christi ætate cæcitas. Quàm sæpè Christus ipse Doctoribus ac Pharisæis cæcitatem pravitatemque exprobrat?

VIDENTES VANA. Hebræus (β): *Videntes*, seu phantasiis & vanis imaginationibus acti.

℣. 12. VENITE, SUMAMUS VINUM. Ita sese hortantur falsi Prophetæ, canes muti, impudentes, gulosi, insatiabiles, quorum omnis cura est, vino madere, & opes cumulare. Hujusmodi ætatis suæ Prophetarum, & speculatorum Israëlis descriptio, quam prosequitur Isaias, Scribis & Pharisæis optimè congruit; turpissimis nempe simulatoribus, qui sub diuturnarum precum specie, viduarum domos vorabant (γ) suâque in inertiâ lautè vivebant. Hunc versiculum omittunt Septuaginta (δ); isque ex Theodotione additus est illorum Versioni.

(r) *Antiq. lib.* XI, *c. ult.* (s) *Joseph. lib.* 2 *contra Appion. & lib.* 3 *Macchab.* (t) 2 *Macc.* III, 23. (u) 3 *Macc.* 5.
(x) *Isai.* XVIII, 6; *Jerem.* XII, 9; XXXIV, 20; *Ezech.* XXIX, 5; XXXII, 4; XXXIX, 17. (y) *Zach.* XIV, 2.
(z) *Jerem.* VI, 17; *Ezech.* III, 17; & XXXIII, 2, 6, 7. (α) *Jerem. Thren.* II, 14.
(β) *Heb.* הזים *Aqu.* Φανταζόμενοι. (γ) *Matt.* XXIII, 14. (δ) *Vide Hieron. hic, & Nobil. in Edit. Rom. Edit. Complut.* Δεῦτε, λάβωμεν οἶνον, καὶ οἰνοφλυγήσωμεν μέθην· καὶ ἔσται τοιαύτη ἡμέρα αὔριον μεγάλη μᾶλλον σφόδρα.

CAPUT LVII.

Justi mors. Judæi Numinum cultu vitiati arguuntur. Populus e captivitate redux. Væ impiis.

℣. 1. JUstus perit, & non est qui recogitet in corde suo : & viri misericordiæ colliguntur, quia non est qui intelligat : a facie enim malitiæ collectus est justus.

℣. 2. Veniat pax : requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione suâ.

℣. 3. Vos autem accedite huc filii auguratricis; semen adulteri, & fornicariæ.

℣. 4. Super quem lusistis? super quem dilatastis os, & ejecistis linguam? numquid non vos filii scelesti, semen mendax?

℣. 5. Qui consolamini in Diis subter omne lignum frondosum, immolantes parvulos in torrentibus, subter eminentes petras?

COMMENTARIUS.

℣. 1. JUSTUS PERIT, ET NON EST QUI RECOGITET IN CORDE SUO. Pergit Isaias arguere Israëlis speculatores, quos veluti canes mutos, hominesque ebriosos reprehendit. Pereuntem intuentur Justum, & negligunt. Quos elegit Deus ut cæteros tuerentur, docerent, arguerent, ii singula hæc munera aspernantur; Justum opprimi patiuntur (a), quin opem ferant atque defendant. *Justum* hic plerique Interpretum (b) Jesum Christum accipiunt; verique simillimum est, hunc primò spectatum esse a Prophetâ, quamvis minimè primum ipse textus exhibeat. Grotius de Josiâ; alii de Ezechiâ; alii de ipso Isaiâ interpretantur. Nobis prior explicatio magis placet.

VIRI MISERICORDIÆ COLLIGUNTUR, e viventium numero, vel in sepulcrum, inter majores. *Colligi* plerumque pro *mori* usurpatur (c). Septuaginta (d) : *Viri justi tolluntur*.

A FACIE MALITIÆ COLLECTUS EST JUSTUS; ablatus est, ut hujus sæculi malorum immunis esset; vel ut hujus sæculi scelus ignoraret, ne illo inficeretur. Sive : Impiorum vi & nequitiâ ablatus est. Seu : Raptus est, antequam calamitas irrueret. Communibus patriæ infortuniis illum obvolvi passus non est Deus. Ita Josias subductus est e viventium censu, ne patriæ mala intueretur, quemadmodum vates Holda prædixerat (e). Pereuntes Justos intuemini, quin ulla vos pietas moveat, ac fortè etiam reos necis illorum vos ipsi efficitis vel injuriis ultro illatis, vel opis ferendæ neglectu; atque illud planè non animadvertitis, tum vestrâ ipsorum calamitate, tum illorum felicitate illos a Deo rapi. Horum misericordiæ hominum societate vos exuit, quorum probitate, severissimâ ultionis die coërceri Divinus furor poterat; iisque felicitatem & quietem comparat, quibus in corruptâ regione, ac mox iræ suæ plagis obnoxiâ, frui nequibant.

℣. 2. VENIAT PAX : REQUIESCAT IN CUBILI SUO, QUI AMBULAVIT IN DIRECTIONE SUA, qui rectâ mente graditur. Vel, ex Hebræo (f) : *Veniet pax, requiescet in cubili suo qui ambulavit in rectitudine suâ*; sive in pacem, in sepulcrum succedet. Justus in pace quiescet, cum patribus suis dormiet, inquit Scriptura : animam efflabit in cubili suo, in quietis suæ loco, in sepulcro requiescet. Id verò minimi faciunt profani, mentes humanarum rerum fulgore occupatæ. Impiis mors summum malorum est; Justis, quies, felicitas. Diuturnâ pace gavisus est Josias, atque in majorum sepulcro conditus, uti Holda prædixerat (g).

℣. 3. VOS AUTEM ACCEDITE HUC, FILII AUGURATRICIS. Diem Judæis dicit, ac pro merito arroganter alloquitur. Veneficæ mulieris, divinatricis, pythonissæ filii; vitiata stirps, soboles maledicto obnoxia, damnatæ Deoque invisæ matris filii. Reddi Hebræus potest (h) : *Vos accedite huc, filii inquitatis*; quem sensum secuti sunt Chaldæus & Septuaginta (i).

℣. 4. SUPER QUEM LUSISTIS? SUPER QUEM DILATASTIS OS, ET EJECISTIS LINGUAM? Vulgares atque indecori insultantis & contemnentis gestus, iis fermè similes, quos optimè Persius ita describit (k) :

O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis albas,
Nec lingua, quantum sitiat canis appula, tantum.

Os *aperire* super aliquem, est illum illudere, addito spernentis gestu, *Dilataverunt super me os suum* hostes mei, inquit Propheta (l). *Ei qui revelat mysteria, & ambulat fraudulenter, & dilatat labia sua, ne commisceraris*, ait Sapiens (m). Linguam proferre, gestus est insultantis, vulgo communis. Hac descriptione narrari credas injurias ac probra, quibus Judæi Christum toto Passionis tempore affecere; atque hæc inspexisse videtur Propheta. Superbis impiorum irrisionibus atque conviciis Pii justique homines ac Prophetæ nunquam non obnoxii fuere.

℣. 5. QUI CONSOLAMINI IN DIIS, SUBTER OMNE

(a) *Chald. Thom. Pint. Sa, Sanct. Adam. Forer.*
(b) *Hieron. Theodoret. Cyrill. Procop. Haimo, Dionys. Hugo, Lyr.*
(c) אנשי חסד נאספים *Vide Genes.* XXV, 8; XXXV, 29; XLIX, 29; 1 *Reg.* XV, 6; *Job.* XXVII; *Psal.* XXXI, 10, *Sophon.* I, 2. (d) Ἄνδρες δίκαιοι αἴρονται. (e) 4 *Reg.* XXII, 20. *Colligam te ad patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus sum*,
(f) יבוא שלום ינוחו על משכבותם הלך נכחו 70. Ἔσται ἐν εἰρήνῃ ἡ ταφὴ αὐτοῦ, ἦρται ἐκ μέσου. (g) 4 *Reg.* XXII, 20. (h) אתם קרבו הנה בני עננה
(i) Ὑμεῖς δὲ προσαγάγετε ὧδε, υἱοὶ ἄνομοι. *Ita & Grot. Sym. Auguratricem vertit. Theodot. Oneua, ut in Hebr.* (k) *Pers. Satyr.* 1. *Vide & Gellium, lib.* IX, *c.* 13: *Gallus irridere capit, atque linguam exertare.* (l) *Psal.* XXXIV, 21. (m) *Prov.* XX, 19.

℣. 6. In partibus torrentis pars tua; hæc est sors tua: & ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium, numquid super his non indignabor?

℣. 7. Super montem excelsum, & sublimem posuisti cubile tuum, & illuc ascendisti, ut immolares hostias.

℣. 8. Et post ostium, & retrò postem posuisti memoriale tuum: quia juxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum: dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus: dilexisti stratum eorum manu apertâ.

COMMENTARIUS.

OMNE LIGNUM FRONDOSUM. Reddi Hebræus potest (n): *Qui incalescitis in Diis, &c.* qui turpissimam venerem sectamini (o); quolibet ebrietatis & libidinum genere inquinamini. Septuaginta (p): *Qui vocatis idola;* vel, qui consolamini apud idola; qui illorum opem vobismetipsis frustra spondetis. Qui de turpibus flagitiis explicant, quibus luci Diis sacri infames erant, ea loquuntur, quæ cæteri majore numero probant. Verti potest: Qui impuris ignibus ardetis in lucis, sub frondosis arboribus.

IMMOLANTES PARVULOS IN TORRENTIBUS, SUBTER EMINENTES PETRAS. Mos mactandi Numinibus liberos impios adeò ac ferus est, ut nisi & Sacri & Profani Scriptores uno assensu testarentur, ægrè in animum induci posset, integras fuisse gentes, quibus ille magna Religionis pars haberetur. Chananæi, quos Deus coram Hebræis delevit, tum his tum aliis pluribus regionem omnem infecerant (q). Ritum servavere Phœnices, seeumque in Colonias detulerunt. Postquam Hebræi finitimorum superstitiones amplecti cœperunt, illorum sævitiam humanarum victimarum mactatione, libidines verò turpissimis scortationibus imitati sunt: adeò pronæ in malum mentes insanâ Religione maloque exemplo vitiantur. Addit Propheta, impium hoc sacrorum genus *in torrentibus*, seu (r) imis *vallibus*, & *subter eminentes petras*, rupes longè porrectas ac profundos specus exerceri. *Si quis specus saxis exesis montem suspendit, animum Religione implet*, ait Seneca. Nitentem solis ac diei aspectum hoc religionis genus fugiebat. Docet Scriptura, hujusmodi sacra in valle Tophet, sive Hennon, prope Jerosolymam, exerceri consuevisse (s). Specuum horror, & vallium profunditas inhumanis hisce sacrificiis magis opportuna, quàm diei fulgor, & aperta loca, censebantur.

℣. 6. IN PARTIBUS TORRENTIS PARS TUA. Cadaver tuum insepultum projicietur, ut corvis torrentium exponatur. Locus, quò totius Jerosolymæ sordes congerebantur, ad torrentem Cedron fuisse dicitur, qui torrens vallem Hennon seu Tophet, ubi humanæ hostiæ Moloch Deo mactabantur, perfluebat.

Corvi torrentis ii sunt, qui circa urbes, in vallibus, & ad torrentes morantur, projectaque cadavera persequuntur (t). Quàm latâ cæde sævierint Chaldæi, ac diù pòst Romani, cùm Jerosolymam obsiderent, neminem latet. Legit Hebræus (u): *In lævibus* ac politis *torrentis* lapidibus *pars tua, illi*, inquam, *illi sors tua*. Inter hos tu *sepulturâ asinorum* donaberis (x), cùm eos lapides frequenter libaminibus victimarumque tuarum cruore irrigaveris: *Et ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium.*

Dicere videtur Propheta (y), ipsos torrentis lapides sacrificiis victimisque cultos fuisse. Quantoperè insanierit erga lapides rupesque veterum superstitio, satis constat (z). Fuere qui impolitos lapides, quos vel lapsos cœlo crederent, vel antiquitas sua venerabiles faceret, cultu prosequerentur. Unicum Numinis sui simulacrum Arabibus fuisse ajunt, lapidem rudem. Helagabalus Deus aliud nihil erat, quàm quoddam terminis genus. *Terminus* Deus eadem fermè res fuit. Bætylia, imitatione lapidis ab Jacobo in Bethel dedicati, erecta, celeberrima sunt. Informium lapidum meminit Arnobius, quos ipse, antequam nomen Christo daret, cum cæteris oleo linibat ac venerabatur. Cùm nimia siccitas esset, Romani Augures petram quamdam, quæ *Lapis Manalis* appellabatur, trahebant (a). Igitur quid vetat, quin similem Judæis superstitionem fuisse credas erga lapides torrentium, ubi liberos mactabant? Lege latâ cavet Moyses (b), ne insignes lapides, aut superstitiosa monumenta in regione dedicent Hebræi: *Nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terrâ vestrâ.* Quamobrem Isaiæ locus vel ad verbum accipi potest, vel eo sensu explicari, quem primo loco dedimus.

℣. 7. SUPER MONTEM EXCELSUM ET SUBLIMEM POSUISTI CUBILE TUUM. Ceu meretrix pudore carens, ac neminem verita, cubile tuum in edito loco, omnibus conspicuum statuisti. Idololatriæ scelus passim fermè apud Scripturam sub prostitutionis & adulterii nomine exhibetur. Profana Numina populi pestes sunt, Templa libidinis loca; ibi enim turpissima libido impunè exercebatur, eademque frequenter magna profanæ Religionis pars erat. Numinum fana, & edita loca, apud Sacros Scriptores notissima, in lucis & montium cacuminibus stabant. Ibi corruptus in libidinem populus cubile collocaverat.

℣. 8. POST OSTIUM, ET RETRO POSTEM POSUISTI MEMORIALE TUUM, sacrilegiorum tuorum monumenta. Lares ac Penates posuisti, ait S. Hieronymus, ac plurimi post illum Interpretes. Con-

(n) הנחמים באלים תחת כל עץ רענן (o) *Vat. Grot. Pisc. alii.*
(p) Οἱ παρακαλοῦντες ἐπὶ τὰ εἴδωλα ὑπὸ δένδρα δασέα.
(q) *Sap.* XII, 3, 4, 5: *Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quorum odibilia opera sibi faciebant per medicamina, & sacrificia injusta, filiorum suorum necatores sine misericordiâ, & comestores viscerum hominum, &c. Deut.* XII, 31. (r) *Hebr.* בנחלים 70: Ἐν ταῖς φάραγξι. (s) 4 *Reg.* XXIII, 10: *Contaminavit quoque Tophet, quod est in convalle filii Hennon, ut nemo consecraret filium suum, aut filiam per ignem Moloc.* (t) 3 *Reg.* XVII, 5, 6; *Prov.* XXX, 17: *Oculum qui subsannat patrem, effodiant illum corvi de torrentibus.*
(u) בחלקי נחל חלקך הם הם גורלך (x) *Jerem.* XXII, 19: *Sepulturâ asini sepelietur.*
(y) גם להם שפכת נסך 70: Τούτοις ἀνήνεγκας θυσίας, *&c. Ita & Chald.*
(z) Vide nos in Genesim, XXVIII, 18, 19. (a) *Servius ad Æneid.* 3. (b) *Levit.* XXVI, 1.

℣. 9. Et ornasti te regio unguento, & multiplicasti pigmenta tua. Misisti legatos tuos procul, & humiliata es usque ad inferos.

℣. 10. In multitudine viæ tuæ laborasti: non dixisti: Quiescam: vitam manus tuæ invenisti, propterea non rogasti.

COMMENTARIUS.

Consuetus Larium seu Penatum locus apud Profanos propylæa domorum erant (c). Raræ erant Romæ domus, apud quas hæc superstitionis vestigia non cernerentur, S. Hieronymi ætate (d). Ibi Tutelæ Deæ simulacrum erat, cereis ac lucernis cultum, cui domûs custodia commendabatur. Laribus addebatur canis, quo illorum vigilantia in ædium foribus custodiendis significaretur. Janum forium custodem, ac Triviam earumdem præsidem Latini venerabantur (e); *Apollinem janitorem* Græci, cui sacra faciebant in aris ante fores constitutis, veluti Deo ingressûs atque exitûs præsidi (f). Spiritu ingressus Templum Ezechiel, post illius fores in quodam Templi atrio *simulacrum zelotypiæ*, fortasse Adonidem, sacris ibi donatum, aspexit (g). Maniæ Deæ, Larium matris, effigiem pro foribus suspendebant Romani, ut mala familiis imminentia averterent (h).

Non satis scimus, quod Numinis genus Hebræi post fores colerent: at fortasse simile aliquid iis fuit, quæ mox apud Græcos & Romanos vidimus; & ex iis quæ sequuntur, capitibus LXV, 11, & LXVI, 57, Hecaten seu Triviam fuisse colligimus. Ut hoc flagitium occuparet Deus, jusserat domorum postibus inscribi præcepta, quæ ipse populo dedit (i). At hæc sanctio, non secus ac cæteræ plures, male servata est. Pius Josias aras ante fores ædium Josue, Principis, seu nobilissimi Jerosolymæ Magistratûs, sitas evertit (k). Profanas aras in foris & ante ædium fores statui jussit Antiochus Epiphanes, ut Judæos thus Diis cremare cogeret (l).

Juxta me discooperuisti, et suscepisti adulterum. Intra Templum ipsum, me viro tuo spectante, aras dedicasti, & alienos Deos venerata es. Eò usque impudentiæ progressus est Achaz, ut profanam aram, exemplo alterius, quam Damasci viderat, constructam in sacro Loco, remoto Holocaustorum altari, veritus non fuerit (m). Impudentior multò Manasses duplex atrium aris Militiæ Cœli dedicatis implevit (n). Hujus flagitii Judæos arguit Jeremias (o): *Posuerunt Idola sua in domo, in quâ invocatum est nomen meum.* Distinctè magis hæc scelera describit Ezechiel (p). Quælibet simulacrorum genera in Templo depicta stabant, atque innumera ibi flagitia patrabantur. Equos Soli sacros abstulit Josias (q). Hoc porrò est, quod ab Isaia dicitur adulterium in ipso viri thalamo, & prope virum perpetratum.

Dilatasti cubile tuum. Templa & simulacra multiplicasti. Deo ac viro tuo minimè contenta, alios quæsivisti. Vide Ezechielem, XVI, 23, &c. ubi omnia Judæorum flagitia reducto velo demonstrat. Agens alibi Isaias (r) de extremâ rerum inopiâ, quâ premente amicus opem amico ferre non poterit, contrariâ planè locutione utitur: *Coangustatum est stratum, ita ut alter decidat*: angustus est lectus: duos non capit.

Dilexisti stratum eorum manu aperta (s), turpe illorum cubile, pudoris nescia, amasti. Vel, ex aliis: Amatores quæsisti, apertâque manu vocasti, ac muneribus allexisti (t). *Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis*, inquit Ezechiel, XVI, 32. At non satis apta verbis videtur hæc explicatio. Vertunt alii: Turpem cum amatoribus voluptatem secuta es quibuslibet in locis quæ vidisti, vel quibuslibet in locis illos videris; vel denique, omnibus iis in locis, quæ superstitionis tuæ exercitio parasti. *Manus* apud Hebræos frequenter *locum* seu spatium (u) significat; *videre* autem pro *sentire* usurpatur.

℣. 9. Et ornasti te regio unguento: te onguento linisti, ut Regi placeres. Latini quidam Codices legunt, *Regis unguento*; at genuina lectio est quam sequitur Vulgata. Rex, de quo Isaias, fortasse est Moloch, sive Sol, Cœli Rex; vel Rex Assyriorum, Chaldæorumve, aut Ægyptiorum, quorum amicitiam ac patrocinium flagitasti. *Melec* & *Moloc* Hebraicè Regem significat. Hebræi alienarum gentium consuetudine patrios mores corruperant. Ut illorum amicitias & fœdus sibi compararent ac tuerentur, profanos ritus imitati sunt, & Religionem excepere. Achaz Teglathphalassarum accivit, ut sibi opem ferret; Ezechias Ægypti Regem; Sedecias, supremus Judæ Rex secreta etiam cum Ægyptio fœdera inierat: hæc verò molesta Deo accidebant; quamobrem ipse queritur, populum suum sese fuco linisse, ut Regi placeret.

Hebræus (x): *Et progressa es ad Regem cum unguento, & multiplicasti pigmenta tua; & misisti legatos tuos quàm longissimè, & dejecta es usque ad inferos*, sepulcrum. Hæc omnia in ea recidunt, quæ de flagitatâ a Judæorum Regibus alienorum Principum ope diximus (y). Ut sese caros iis facerent, Judæi fuco & unguentis gentem universam proluêre; cultum scilicet ac Religionem corrupere; vel, pretiosissima quælibet tum unguenta tum balsama dono illis detulere: quamobrem extremis calamitatibus oppressi sunt. Gloriæ suæ studiosissimus est Deus: unus ipse gentis suæ Rex, vir, præsidium esse vult.

℣. 10. In multitudine viæ tuæ laborasti, nec dixisti: Quiescam. Cùm alienorum opem, quam invocasti, & Numinum, quæ insanissimè vene-

(c) Baudelot, utilite des voyages, t. 2, qu. *& Pignor. de servis. p.* 218, 219.
(d) *Hieron. hic: In singulis insulis domibusque Tutelæ simulacrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem ædium isto appellant nomine, ut tam intrantes, quàm exeuntes domos suas inoliti semper commoneantur erroris.* (e) *Macrob. lib.* 1 *Saturn. c.* 9. (f) *Idem ibid. Apud Græcos Apollo colitur, qui* Θυραῖος *vocatur; ejusque aras ante fores suas celebrant, ipsum exitûs, & introitûs demonstrantes potentem.* (g) *Ezech.* VIII, 5: *Ecce ab aquilone portæ altaris idolum zeli in ipso introitu.*
(h) *Macrob. Saturn. lib.* 5, *c.* 7: *Factumque est ut effigies Maniæ suspensæ pro singulorum foribus, periculum si quod immineret familiis, expiarent.* (i) *Deut.* VI, 9; XI, 20.
(k) 4 *Reg.* XXIII, 8: *Destruxit aras portarum in introitu ostii Josue Principis civitatis.*
(l) 1 *Macc.* 1, 58. (m) 4 *Reg.* XVI, 10, 11, 12. (n) 4 *Reg.* XXI, 4. (o) *Jerem.* XXXIV, 15.
(p) *Ezech.* VIII, 3, 5, 10, 16. (q) 4 *Reg.* XXIII, 11. (r) *Isai.* XXVIII, 20.
(s) אהבת משכבם יד חזית 70: Ἠγάπησας τοὺς κοιμωμένους μετὰ σοῦ. (t) *Menoch. Tirin.*
(u) *Vide Deut.* XXIII, 12; *Isai.* XXII, 18; XXXIII, 21; LVI, 5; *Psal.* CIII, 25.
(x) ותשרי למלך בשמן ותרבי רקחיך (y) *Theodoret. hic, Grot. Vat. Pisc.*

℣. 11. Pro quo sollicita timuisti, quia mentita es, & mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo? quia ego tacens, & quasi non videns, & mei oblita es.

℣. 12. Ego annunciabo justitiam tuam; & opera tua non proderunt tibi.

℣. 13. Cùm clamaveris, liberent te congregati tui, & omnes eos auferet ventus, tollet aura: Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, & possidebit montem sanctum meum.

℣. 14. Et dicam: Viam facite, præbete iter, declinate de semitâ, auferte offendicula de viâ populi mei.

℣. 15. Quia hæc dicit Excelsus, & sublimis habitans æternitatem: & sanctum nomen ejus in excelso, & in sancto habitans, & cum contrito, & humili spiritu: ut vivificet spiritum humilium, & vivificet cor contritorum.

℣. 16. Non enim in sempiternum litigabo, neque usque ad finem irascar: quia spiritus a facie meâ egredietur, & flatus ego faciam.

COMMENTARIUS.

venerata es, vires inanissimas esse intellexeris, unum illod, quod tibi faciendum erat, non agnovisti: oecesse fuit, ut ad me reverterêris, malasque consuetudines, adeò tibi noxias, imò & experimento fatales, desereres. Judæi ad supremum usque spiritum in scelere pervicaces perseverarunt, sive cùm capta est a Nabuchodonosore Jerosolyma, sive cùm a Romanis eversa: *Non dixisti: Quiescam.*

Vitam manus tuæ invenisti, propterea non rogasti. Tibi me nullius momenti esse censuisti, ac sperasti fore, ut absque meâ ope & alimoniam & præsidium nanciscereris; animum pervicaciùs obfirmasti, atque ad me reverti noluisti: at quamprimùm intelliges, utrùm inutilis tibi sim. Hebræus (z): *Vitam manus tua invenisti, propterea non ægrotasti.* Quemadmodum meretrix, quæ uberem annonam flagitio comparat, ad virum regredi neglexisti: erroris tui minimè pœnituit.

℣. 11. Pro quo sollicita timuisti? Cùm hostis ad portas esset, teque ope carentem sentires, cur tantopere formidasti? Quid timebas, cùm me verita non fueris, ac tam facilè me deserere ausa sis? Quò jam abiit arrogantia, superbia, impudentia? Ubi defensores tui? En ne contemptu abjiciendus eram, meumque fœdus insolenter adeò pedibus calcandum fuit, cùm errores tuos dissimulaverim, meque in silentio continuerim, quasi nihil ego viderem?

℣. 12. Ego autem annuntiabo justitiam tuam; at opera tua non proderunt tibi. Terra omnis intelliget, utrùm justitiam agendo sectata sis, meque jure contempseris. Extraneas gentes tibi judices dabo; eæque meorum questuum testes erunt. *Justitia* ἀντιφραστικῶς pro *injustitiâ* usurpatur.

℣. 13. Cum clamaveris, liberent te congregati tui, quos tu collegisti. Assyriorum, Ægyptiorumque ac cæterorum Reges, quorum opem olim implorasti, & viribus te penitus credidisti; te illi jam tueantur, ubi ego te afflixero, tuque sub manûs meæ capiti tuo incumbentis pondere gemueris.

Omnes eos auferet ventus. Quid Achazo profuit postulata Regis Assyriorum amicitia? Is nedum opem postulanti non attulit, verùm etiam oppressit ac spoliavit (a). Quàm utilis Ezechiæ fuit Ægyptus, ab ipso accita? Inundante Ezechiæ ditionem Sennacheribo, an Ægyptius illum discrimini eripuit? An verò utilior Sedeciæ supremo Regi Juda, & Osee ultimo Israëlis Regi fuit? Nonne ipsa Ægyptus præda Sennacheribo & Nabuchodonosori data est?

℣. 14. Et dicam; Viam facite... auferte offendicula de via populi mei. Hactenus descripsit Isaias mala, quæ impios manent, vanas illorum spes, irritosque conatus: hîc verò Justorum felicitatem narrat. Hos Deus ab exilio revocabit: rectas facilesque vias illis sternet; quæ edita sunt, dejiciet, & humilia eriget: bonis denique illos cumulabit. Hanc ipsam sententiam variis phrasibus passim in superioribus expressit.

℣. 15. Ut vivificet spiritum humilium, hos consoletur, animos illorum confirmet, ipsosque e captivitate & exilio revocet. Sæpè jam animadvertimus, tropicas hujusmodi locutiones Prophetis esse familiares: in vitam restituere, animam reddere, vitam afferre, pro sanare, consolari, injuriæ subducere, &c.

℣. 16. Non enim in sempiternum litigabo. In posterum jam non jurgabor, *in sæculum non disceptabo* (b); non arguam semper: cædam, evertam, destruam. Jam diu vates mei vestrorum vos scelerum arguunt; ultionis tempus statim erumpet, instar procellæ seu turbinis omnia dissipantis (c): *Spiritus a facie meâ egredietur, & flatus ego faciam.* Postrema tamen hæc verba plerumque alio sensu explicantur (d): Cum hominibus semper non jurgabor: in vilem adeò rem singulis diebus non irascar; illius enim vita ex me denique pendet, ipsique ego animam dedi: diuturnam adeò veniam tamque longas animadversiones non meretur: jam feriam & deseram: vagus erit ac fugitivus, instar Cain: *Percussi eum & abscondi; & indignatus sum, & abiit vagus, &c.* Eamdem fermè sententiam in Genesi legimus (e). Sentiens denique Deus, extremam esse homi-
nis

(z) חית ידך מצאת על כן לא הלית 70. Ὅτι ἔπραξας ταῦτα, διὰ τοῦτο οὐ κατεδεήθης μου σύ, *Quia fecisti ista, propterea non rogasti me tu. Aqu.* Οὐκ ἠσθένησας.
(a) 2 *Par.* xxviii, 20, 21. (b) כי לא לעולם אריב (c) *Ita Hugo, & alii nonnulli.*
(d) כי רוח מלפני יעמוף ונשמות אני עשיתי (e) *Genes.* vi, 3.

℣. 17. Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus sum, & percussi eum: abscondi a te faciem meam, & indignatus sum: & abiit vagus in viâ cordis sui.

℣. 18. Vias ejus vidi, & sanavi eum, & reduxi eum, & reddidi consolationes ipsi, & lugentibus ejus.

℣. 19. Creavi fructum labiorum pacem: pacem ei qui longè est, & qui propè, dixit Dominus, & sanavi eum.

℣. 20. Impii autem quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem, & lutum.

℣. 21. Non est pax impiis, dicit Dominus Deus.

COMMENTARIUS.

nis corruptionem, omnesque illius vias in vitium ruere, ait: *Non litigabit spiritus meus perpetuò cum homine, eo quia caro est; eruntque dies illius centum viginti anni.* Fessus objurgando sum exhortandoque, ut vitæ institutum mutet: supremum jam consilium cepi, ut intra centum ac viginti annorum spatium hominem deleam. Sunt (f) qui in his verbis, *Spiritus a facie meâ egredietur*, Divinum Spiritum a Patre procedentem videant. At ægrè probaveris, propriam hanc esse hujus loci significationem; atque inter varias Catholicorum de hoc loco sententias, hic locus non satis validè adversùs Hebræos & Hæreticos torquetur.

℣. 17. ABSCONDI, ET INDIGNATUS SUM (iratus me ab illo subduxi); ET ABIIT VAGUS IN VIA CORDIS SUI, animi sui libidines sectatus est. Os ab illo averti, ac terga converti: iratus illum aspexi, animique sui cupiditatibus illum deserui; parentis instar, qui indocilis ac desperatæ emendationis filii licentiâ fatigatus, suâ illum in potestate relictum, a se ejicit. Pœnam hanc populo minitatur Deus per Moysen (g): Filiorum filiarumque suarum flagitia intuens Deus, ait: *Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo novissima eorum*, quid illis eventurum sit, inspiciam: *gens enim perversa est, & infideles filii.* Psalmista (h): *Et non audivit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi. Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Formidabilem profectò extremamque ex Divino furore animadversionem in impium, cùm is faciem ab eo avertit, suisque illum in flagitiis deserit. Hinc fit, ut Propheta frequentibus & enixis adeò votis Deum sollicitet, ne os a sese avertat (i).

℣. 18. VIAS EJUS VIDI, ET SANAVI EUM. Illius denique calamitatum ærumnarumque misericordiâ me moveri passus sum; illum captivitatis malis, ærumnis & mœrore oppressum intuens, sanavi, solatium adhibui, revocavi; vel, certo libertatis suæ nuncio illum recreari jussi.

℣. 19. CREAVI FRUCTUM LABIORUM PACEM: PACEM EI QUI LONGÈ EST, ET QUI PROPE. Pacem, felicitatem, libertatem, atque omne fortunarum genus per Prophetas pollicitus illis sum: hanc ego pacem & iis qui prope sunt, & qui absunt, nunciari jussi. Duo hujus pacis tempora innuere videtur; alterum jam imminens, scilicet post Babylonicam Captivitatem; alterum remotius, cùm nempe Angeli Christo in terris nascente pacem prædicavere (k). Alia etiam explicatio addi potest: *Creabo fructum labiorum*: nova carminum laudisque argumenta populo meo exhibebo: tam multis illum bonis cumulabo, ut nonnisi pacis verba undique resonatura sint. Omnes undique, & prope & longè, in suavissimas hasce voces erumpent: Pax, pax: omnia feliciter cedunt: absolutâ tranquillitate fortunâque gaudemus.

℣. 20. REDUNDANT FLUCTUS EJUS IN CONCULCATIONEM ET LUTUM. Impii similes fluctibus sunt, qui in turbidam cœnosamque spumam ad litus erumpunt. Ad verbum (l): *Et impellunt aquæ ejus limum & cœnum*; vel, *ejiciunt aquæ ejus spumam & lutum.* Impii ea tantùm agunt, quæ inutilia æternitati sunt; quæque illi gerunt, movent, conantur, in spumam & limum desinunt. Pulcherrima & aptissima est comparatio.

℣. 21. NON EST PAX IMPIIS, DICIT DOMINUS. Septuaginta (m): *Non est gaudium impiis, dixit Dominus Deus.* Quæ mox pollicitus sum, impiis non debentur. Illos ego secernam, & quietem, quam ipsi sibi spondent, turbabo. Inter ipsas illorum fortunas, in mediâ illorum felicitate ac superbiâ, illos molestiâ obruam: suavissimas illorum voluptates amarissimis mistionibus vitiabo. Vermis illorum mentes animosque rodens, non morietur; & importuna conscientiæ vox, quâ terrentur, non opprimetur. At justus inter gravissima discrimina tranquillus aget (n).

Non enim gaza, neque consularis
Summovet lictor miseros tumultus
Mentis, & curas laqueata circum
Tecta volantes.

CA-

(f) *Tertull. lib. de animâ, c. 11; Iren. lib. 5, c. 12. Vide & Aug. de Genes. ad Lit. lib. 7, c. 14; Hieron. hic, Haimo, &c.* (g) *Deut.* xxxii, 20. *Vide &* xxxi, 17, 18. (h) *Psal.* lxxx, 12, 13.
(i) *Psal.* xii, 1; xxi, 25; xxvi, 9; xxix, 8; xxx, 17; xliii, 24, *& passim.* (k) *Luc.* ii, 13, 14.
(l) ויגרשו מימיו רפש וטיט (m) אין שלום אמר אלהי לרשעים 70: Οὐκ ἔστι χαίρειν τοῖς ἀσεβέσι, λέγει κύριος ὁ Θεός. (n) *Horat. lib.* 2, *Ode* 16.

CAPUT LVIII.

Simulata Judæorum religio damnatur. Vitia, quibus illorum jejunia inficiuntur. Qua pietate celebrandum ſit Sabbathum. Præmia Sabbathum religioſe colentibus parata.

℣. 1. CLama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.

℣. 2. Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt: quaſi gens, quæ juſtitiam fecerit, & judicium Dei ſui non dereliquerit: rogant me judicia juſtitiæ: appropinquare Deo volunt.

℣. 3. Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? humiliavimus animas noſtras, & neſciſti? Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis.

COMMENTARIUS.

℣. 1. CLAMA, NE CESSES. Hebræus (a): *Clama in gutture*. Septuaginta (b): *Clama in fortitudine*. Hoc caput cum præcedentibus continuatur; pergit enim Propheta flagitia Regni Juda objurgare. Propheticæ tamen minæ captivitatis tempus, vel ætatem captivitate poſteriorem, potiùs quàm ipſius Prophetæ, ſpectant. Jejunia, de quibus agit Iſaias, & quorum vitia inſectatur, ea fortaſſe ſunt, quæ illi per captivitatem exercebant, vel poſt captivitatem, quæ etiam, eodem fermè ſenſu, perſequitur Zacharias (c). Præmium religioſis monitorum ſuorum amatoribus promiſſum ad reditum ex eâdem captivitate, atque in everſas olim urbes Juda reſtitutionem reſpicit (d).

℣. 2. ME ETENIM DE DIE IN DIEM QUÆRUNT, ET SCIRE VIAS MEAS VOLUNT. Mala quædam eſt quærendi Deum ratio, ipſi Deo odioſa; cùm ſcilicet Deum animo non ſimplici, ſimulatâque pietate quæris, putaſque poſſe illum ſolâ pietatis ſpecie, falſæque virtutis exercitio decipi; vel, cùm inani curioſitate actus, illius conſilia ſcrutari, arcana pervadere, deque ſecretis mentis illius receſſibus ferre ſententiam audes. Qui Deum ita quærunt, gloriæ illius fulgore opprimentur (e): *Qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloriâ*. Denique qui Deum quærunt, turpiſſimæ cupiditatis causâ, ut ſatis animo ſuo faciant, ut hominum exiſtimationem aucupentur, atque illum ſuperſtitioſis ritibus, confictâque ad arbitrium religione colunt, hi nunquam Deum invenient: ſe ſe illis ſubducet Deus, terga illis dabit, quæque illi ſpecioſiſſima geſſiſſe videbuntur, abominabitur.

ROGANT ME JUDICIA JUSTITIÆ; ET APPROPINQUARE DEO VOLUNT. Juſtitiæ meæ inſtitutum arguere non verentur, meque quodammodo in jus vocant, ut ea, quæ erga illos geſſi, allatis rationibus purgem. *Appropinquare* interdum eſt jurgari, diſceptare, in jus vocare, certare. Hebræus ad verbum (f): *Appropinquationem Dei volunt*. De me, ceu de iniquo Judice, queſtus agunt, meque accuſant, quòd ipſorum jejunia ac bene geſta non intuear, preceſque non exaudiam. Hoc ipſum eſt, quod inferiùs, ℣. 3, ajunt: *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? &c.*

℣. 3. ECCE IN DIE JEJUNII VESTRI INVENITUR VOLUNTAS VESTRA. Judæi Babylone captivi quædam jejunia inſtituerant, quibus urbis ſuæ ac Templi excidium flerent, ab iiſque aliquo poſt ſolutam Captivitatem tempore non receſſerunt; conſulueruntque Zachariam, utrùm prorogandaulteriùs eſſent jejunia. Hic poſtulatis reſpondere negligens (g), eadem illis exprobrat, quæ hîc Iſaias: *Cùm jejunaretis & plangeretis in quinto & ſeptimo* (menſe) *per hos ſeptuaginta annos, numquid jejunium jejunaſtis mihi? & cùm comediſtis & bibiſtis, numquid non vobis comediſtis & vobiſmetipſis bibiſtis? Numquid non ſunt verba, quæ locutus eſt Dominus in manu Prophetarum priorum, cùm adhuc Jeruſalem habitaretur?* Ad hunc Iſaiæ locum certè alludit. Sequitur: *Judicium verum judicate; & miſericordiam & miſerationes facite unuſquiſque cum fratre ſuo. Et viduam, & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari: & malum vir fratri ſuo non cogitet in corde ſuo*. Hæc cum ſequentibus congruunt.

Duo igitur mala queritur hîc Deus, quibus vitiabantur jejunia & cætera pœnitentiæ opera, quibus Judæi Divinum furorem placare conabantur. Alterum, quòd ſuam ipſorum voluntatem ſequerentur, atque omnia ipſorum opera ex arbitrio, ac nedum non jubente, verùm etiam non conſulto Deo, atque ut ſuæ ipſorum voluntati ſatisfacerent, ſuſcepta eſſent. Porrò hæc voluntas ſubjectionis impatiens rerum optimè geſtarum meritum omne vitiat. Jubet Deus, cultum quem illi impendimus, ac religionem, quâ illum proſequimur, ad legum ſuarum normam dirigi, noſtræque ſubjectionis atque obedientiæ notis diſtingui. Primum, quod a nobis poſtulat Deus, noſtræ voluntatis ſacrificium eſt. Noſtris ille fortunis, noſtriſque oblationibus non eget: animum poſcit ac ſubjectionem. Alterum vitium, quo jejunia & afflictio Judæorum inutilia Deoque injucunda efficiebantur, ſævitia eſt erga fratres, atque ingens nimis erga fortunas amor, jurgia, nimiſque acres aſſiduæque diſceptationes. Hæc mox videbimus.

OMNES

(a) קראבגרון (b) Ἀναβόησον ἐν ἰσχύϊ. (c) *Zach.* VII. 5, 6, 9; VIII, 16, 17, 19, 20.
(d) Vide ℣℣. 11, 12. Vide & Commentaria S. Thomæ, Forerii, Vatabli, Clarii, Sanctii hîc.
(e) *Prov.* XXV, 27. (f) קרבת אלהים יחפצון
קרבת uſurpatur pro pugnare ſeu diſceptare. Vide *Psal.* XXVI, 2; *Isai.* V, 19; XLI, 1, 21; LVII, 3; *Malach.* III, 5. (g) *Zach.* VII, 2, 3, *& ſequ.*

℣. 4. Ecce ad lites, & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite jejunare ſicut usque ad hanc diem, ut audiatur in excelso clamor veſter.

℣. 5. Numquid tale eſt jejunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? numquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum, & cinerem ſternere? numquid iſtud vocabis jejunium, & diem acceptabilem Domino?

℣. 6. Nonne hoc eſt magis jejunium, quod elegi? diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes; dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe.

COMMENTARIUS.

Omnes creditores vestros repetitis. An nefas eſt, quæ nobis debentur, repetere? Id verò iniquum ne eſt? Minimè id quidem; neque quod juſtum eſt, damnat Deus. At *oſtendit non eſſe abſque periculo repetere pauperem, qui ſolvendo non ſit*, inquit S. Hieronymus (h). Sævitiam eorum damnat, qui veſtem, inſtrumenta, resque maximè neceſſarias pauperi auferunt; Lege luculentiſſimè repugnante, quæ veſpere reddi jubet pauperi veſtem, quâ ille per noctem tegi queat (i). Denique *qui miſeretur pauperis, Deo fœnerat* (k): *e contrario qui repetit non habentem, Deo facit violentiam*, ait S. Hieronymus.

Quæ ſequuntur, ſatis oſtendunt, non ipſam creditoris exactionem a Deo damnari, ſed ſævitiam, injuriam, vim, quâ creditor debitorem poſtulat, exigit, cogit. Hebræus (l): *Et omnes debitores veſtros* abſque miſericordiâ *cogitis*, eos quos veluti in vinculis habetis; vel, quos ærumnis opprimitis. Sive: *Omnes labores veſtros*, bona veſtra, debita ſæviſſimè *confectamini*; ſeu, *labores veſtros*, ſervorum operarumque labores. Septuaginta (m): *Omnes ſubjectos vobis affligitis*. Symmachus & Theodotio: *Debitores veſtros*. Chaldæus & Syrus: *Affertis cuncta idola veſtra*, ſervatis, relinquere detrectatis. Profana Numina frequenter *dolores* ſeu labores nominantur. Ita Hebræam hujus loci vocem (n) explicant Interpretes. Aptiores tamen ac veriores videntur priores interpretationes.

℣. 4. Ecce ad lites et ad contentiones jejunatis. Qui vos litem fratribus intentantes, & in jus rapientes ſacris jejunio diebus viderit, is certè vos agere jejunia cenſebit, ut locum tempusque jurgandi accipiatis (o). Qui jejunium celebrabant, cibos ſolummodò poſt ſolis occaſum capiebant (p); cùmque laboribus occupari eâ die non poſſent, totam litibus apud Judices inſumebant. Sacros jejunio dies litibus deſtinabant. Olim apud Chriſtianos fora ſilebant iis diebus, quibus jejunium, & pœnitentia exercebantur (q); nulluſque niſi precibus & pietatis exercitationibus locus erat.

Percutitis pugno impie. Ad verbum (r): *Ad percutiendum pugno impiè*; ut inſanorum more pugnetis, vel ut jus veſtrum vi uſurpetis, exagitatis injuriâ debitoribus atque infirmis, qui vim contra ferre nequeunt. Septuaginta (s): *Percutitis pugnis humilem*. Habes in Evangelio creditorem, qui raptum collo debitorem, ſeſe ſuffocaturum minitatur (t). Hinc diſcis ſæviſſimæ gentis morem.

Nolite jejunare, ut non audiatur in excelso clamor vester. Si idcirco jejunia celebratis, ut lites & certamina confectemini, a jejunio abſtinete. Vel: Si ſacris jejunio diebus fratres opprimitis, eoſque tam altè vociferari cogitis, ut ego clamores audiam, nulla vos agere jejunia malo.

℣. 5. Numquid contorquere quasi circulum caput suum? An jejunium in eâ re ſitum eſt, ut circulum quis capite deſcribat, dejectâ cervice? Judæi pietatem ſimulantes, ridiculam quamdam corporis infirmitatem languoremque præſeferebant; & quaſi caput ſuſtinere non poſſent, ex utràque parte pendulum projiciebant. Hebræus (u): *Num ad incurvandum ſicut juncum*, qui quolibet vento torquetur vertiturque, *caput ſuum*? vel, *ut hamum* (x), ſive *ut collare* (y). An vult Deus eò usque produci jejunia, ut quis deficiat, & caput ſuſtinere non valeat? Judæos ætatis ſuæ arguit Chriſtus quæſiti palloris languoriſque, veluti qui magna jejunia celebrent (z): *Exterminant facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes*. Jubet verò Diſcipulos, cùm jejunant, faciem lavare, & unguentis prolui, ut ſuperbiam omnem atque jactantiam fugiant.

℣. 6. Dissolve colligationes impietatis: solve fasciculos deprimentes. Frange impia vincula: oppreſſos oneribus leva. Syngraphas iniquiſſimas & fœnori ſervientes abjice (a): inopes, quos in vinculis habes, ſolve. Chaldæus: *Solvite colligationes ſcripturarum judicii depravati*, vel ſententiæ per injuriam extortæ. Hebræus (b): *Solvite nervos*, vincula *jugi*, *& remittite contritos*, afflictos, *liberos*. Inopes, ſervos, mercenarios locupletibus ſubjectos comparat cum beſtiis ſub jugum datis. Hortatur ut illos jugo levent, libe-

(h) *Hieronym. hic.*

(i) *Deut.* XXIV, 12: *Non pernoctabit apud te pignus, ſed ſtatim reddes ei ante ſolis occaſum, ut dormiens in veſtimento ſuo, benedicat tibi, &c.* (k) *Prov.* XIX, 17: *Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis.* (l) וכל עצביכם תנגשו (m) Πάντας τοὺς ὑποχειρίους ὑμῶν νύσσετε.

(n) עצבים pro Idolis. 1 *Reg.* XXXI, 9; 2 *Reg.* V, 21; *&* 1 *Par.* X, 9; *&* 2 *Par.* XXIV, 18; *& Psal.* CV, 36, 38; CXV, 4; CXXXV, 15; *Isai.* X, 10; XLVI, 1; XLVIII, 5, *& paſſim.*

(o) *Ita Thom. Hugo.* (p) *Hieron. in Jovinian. lib.* 2. (q) *Theodulph. Conſtitut. Concil. Meld. an.* 845; *Nicolai I Statuta, &c.* (r) להכות באגרוף רשע (s) Τύπτετε πυγμαῖς ταπεινόν.

(t) *Matt.* XVIII, 28: *Invênit unum de conſervis ſuis, qui debebat ei centum denarios, & tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conſervus ejus rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: ille autem noluit, ſed abiit, & miſit eum in carcerem.*

(u) הלכף כאגמון ראשו 70: Οὐδ' ἂν κάμψῃς ὡς κρίκον τὸν τράχηλόν σου. (x) *Ita Syr. & Tig.*

(y) *Chald. Arab.* (z) *Matt.* VI, 16. (a) *Ita Theodoret. Forer. Tir. Menoch.*

(b) התר אגדות מוטה ושלח רצוצים חפשים

℣. 7. Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam: cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.

℣. 8. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citiùs orietur, & anteibit faciem tuam justitia tua, & gloria Domini colliget te.

℣. 9. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adsum, si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui, quod non prodest.

COMMENTARIUS.

liberosque remittant; vel saltem ex parte levent, ceu jumenta labore oppressa, vel jugo læsa. Septuaginta (c): *Solve omnem colligaturam iniquitatis, & dissolve obligationes violentorum contractuum.*

℣. 7. FRANGA ESURIANTI PANAM TUUM. Ad verbum (d): *Nonne frangere esurienti panem tuum?* Nonne potiùs volui, ut panem tuum cum inope frangeres, tuaque cum illo communicares? Tenui utebantus pane Hebræi; quamobrem rarò secabant cultro, sed plerumque frangebant, uti nos offas. Sexcenti Scripturæ loci hunc morem probant; eumdemque adhuc apud Orientales describunt Itineraria.

CARNAM TUAM NE DASPEXARIS, fratres, propinquos. *Caro & frater noster est*, ajebat de Josepho Judas (e). *Os meum es & caro mea*, loquit Laban ad Jacobum sororis suæ filium (f). Septuaginta (g): *Domesticos seminis tui ne despexeris.*

℣. 8. TUNC ERUMPET QUASI MANE LUMEN TUUM, ut aurora, vel sol oriens. Familiaris est Sacris Anthoribus hæc locutio (h), ut absolutissimam rerum prosperitatem significent. Lumine gaudiom & felicitas designantur, præsettim quæ ærumnis, mœrori, oppressioni, tenebrarum appellatione indicatis, succedunt. Veteres quidam Interpretes (i) lumen hoc loco Christum Jesum explicant, qui inter homines ceu sol mediis in tenebris sulsit, ac de se ipso testatus est (k): *Ego sum lux mundi*; & apud Malachiam (l) dicitur *sol Justitiæ*. Prior interpretatio literæ servit.

ET SANITAS TUA CITIUS ORIETUR. Hebræus (m): *Et medela tua citò germinabit.* Liber quantociùs labotibus tuis etis. Consilia mea si sequutus fueris, felicissimam rerum tuarum conversionem intueberis. Mala omnia apud Hebræos *morborum* nomine significantor; eorumque malorum exitus *sanitas* appellatus. Tropos illi & comparationes magnoperè amant. Septuaginta cum Vulgatâ conveniunt (n): *Sanitates tua citò orientur.* At cùm illorum Codices non satis accuratè descripti fuerint, locum pravæ lectioni fecerunt, a pluribus Veterum probatæ, qui *vestes* pro *sanitates* legebant. Aquila (o): *Cicatrix vulneris tui citò obducetur.* S. Hieronymus frequenter Hebræam vocem reddit *cicatricem* (p); ac perpauci sunt Scripturarum loci, qui hanc significationem commodè non admittant.

GLORIA DOMINI COLLIGET TE (q), tuebitur, proteget. Colligere interdum usurpatus pto, excipere sepulcro. Ubi nos Dei gloria morte collegerit, felix & coram ipso pretiosa mors sit, necesse est. Post vitam bene gestam, quid superest, nisi illud cupias, ut a Deo colligatis, atque in ipsâ illius gloriâ colloceris? Reditus etiam e captivitate significatur hoc verbo *Colligere*. Gloriam suam proferet Deus, vobis in unum collectis, atque e captivitate reductis. Aliter: Gloria Domini te proteget; *circumdabit te (r)*; te tuebitur. Denique: *Justitia Domini præcedet te, & gloria Domini agmen tuum claudet*; eos colliget, qui ultimum agmen tenent; extremam aciem ducet; quemadmodum Deus populi dux in deserto fuit (s). Israëli pro Imperatore erat, ejusque Angelus ac nubes viam docebant; quòd si hostis vim illaturus accederet, Deus populum umbrâ protegebat, cùm medius inter populum & hostem staret. Ita in Erythræi transitu gestum est, ubi Pharao Hebræos aggressus est (t). Hanc in deserto sollicitudinem ab Isaiâ spectari, satis patet; atque hæc optima est hujus loci explicatio (u).

℣. 9. SI ABSTULERIS DA MEDIO TUI CATENAM. Hebræus (x): *Si abstuleris de medio tui jugum*, quo debitores, inopes, servos opprimis. Eadem vox est, quæ *colligationes* vertitur ℣. 6. Septuaginta similites (y): *Si abstuleris a te colligationem.*

ET DASIARIS AXTENDARE DIGITUM, ET LOQUI QUOD NON PRODEST, fratres tuos digito indicare, conviciisque & scommatibus insectari, de sidiculo traducere, & maledictis lacerare; frequenter enim *vanitas* (z) pro mendacio usurpatur. Chaldæus: *Si abstuleris de medio tui corruptelam judicii, nutus digitorum, & verba rapinæ*, extorsiones, malas parandarum opum artes. Digito indicare, gestus insultantis est, nostrâ etiam ætate vulgaris. Hujus meminere Satyrarum Scriptores, tamquam vulgo usurpati. Juvenalis, Satyrâ x:

. . . . . . Cùm fortuna ipse minaci
Mandaret laqueum, mediumque ostenderet unguem.

Persius, Satyrâ II:

Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat.

Insanum & apostatam hominem desctibit Sapiens (a), os torquentem, annuentem oculis, quatientem pede humum, & digitis loquentem. Hunc lo-

(c) Λύε πάντα σύνδεσμον ἀδικίας, διάλυε στραγγαλίας βιαίων συναλλαγμάτων.
(d) הלא פרס לרעב לחמך (e) *Genes.* XXXVII, 27.
(f) *Genes.* XXIX, 14. (g) Ἀπὸ τῶν οἰκείων τοῦ σπέρματός σου, οὐχ ὑπερόψει.
(h) *Isai.* VIII, 20; *Osee*, VI, 4; XIII, 3; & 2 *Reg.* XXIII, 4. (i) *Hieron. hic.*
(k) *Joan.* I, 8, 9. (l) *Malach.* IV, 2. (m) וארכתך מהרה תצמח
(n) Καὶ τὰ ἰαματά σου ταχὺ ἀνατελεῖ. *Quid. Codd.* ἱμάτια. *Ita legunt vetus Interpres epist. Barnabæ, etsi textus Græcus nunc habeat* ἱματια. *Tertull. de resurrect. carnis*, c. 27. *Cyprian. ser. de Eleemos. initio. Et Libel. de Oratione Dominicâ; Interpres Latinus Chrysost. homil.* 55, *in c.* 26. *Matt. Aug. serm. olim* 272, *de tempore, nunc* 275, *Append.* (o) *Hieron.* (p) 2 *Par.* XXIV, 23: *Obducebatur cicatrix. Ita &* תעל ארוכה 2 *Esdr.* IV, 7; *Jerem.* XXX, 17; XXXVIII, 6.
(q) כבד יהוה יאספך (s) 70: Ἡ δόξα τοῦ Θεοῦ περιστελεῖ σε. (s) *Exod.* XIII, 21.
(t) *Exod.* XIV, 19. (u) *Ita Jun. Tremel. Angl. Pisc. Grot.* (x) אם תסיר מתוכך מוטה
(y) Ἐὰν ἀφέλῃς ἀπὸ σοῦ σύνδεσμον. (z) שלח אצבע ודבר און (a) *Prov.* VI, 12.

℣. 10. Cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam
repleveris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt
sicut meridies.
℣. 11. Et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splen-
doribus animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus
irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.
℣. 12. Et ædificabuntur in te deserta sæculorum : fundamenta ge-
nerationis & generationis suscitabis : & vocaberis ædificator
sepium, avertens semitas in quietem.
℣. 13. Si averteris a sabbatho pedem tuum, facere voluntatem tuam
in die sancto meo, & vocaveris sabbathum delicatum, & sanctum
Domini gloriosum, & glorificaveris eum, dum non facis vias
tuas, & non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem.

COMMENTARIUS.

locum multi (b) explicant de manuum motu, gestuque minaci duorum hominum ità fervescentium, qui cùm animi motus cohibere nequeant, invicem minitantur, digitosque seu manum alter alteri ostendunt, quasi oculos vicissim effossuri. Septuaginta (c) : *Si abstuleris manuum impositionem, & verbum murmurationis.* Sunt qui (d) priorem e duabus hisce vocibus ita usurpent pro inauguratione Ministrorum Templi; alii pro alienæ rei usurpatione, seu vi, quæ erga cæteros exercetur. Græci tamen Interpretes (e) & S. Hieronymus uno consensu explicant de digito porrecto sive minitantis gestu, sive insultantis.

℣. 10. CUM EFFUDERIS ESURIENTI ANIMAM TUAM (si opem inopi effuso animo attuleris), ET ANIMAM AFFLICTAM REPLEVERIS solatio. Si fratrum labores sentis, veramque illis misericordiam suavibus lenibusque verbis, allatâque ope ostendis, Jubet Deus nos erga fratres affici, vividâ tamen, constanti, firmâque charitate.

℣. 11. IMPLEBIT SPLENDORIBUS ANIMAM TUAM, ET OSSA TUA LIBERABIT. Hebræus (f) : *Et satiabit in siccitate animam tuam, & ossa tua impinguabit*, medullâ conficiet; vel, firmabit, armabit. Septuaginta (g) : *Implebêris sicut desiderat anima tua, & ossa tua pinguescent.* Chaldæus : *Satiabit animam tuam in annis siccitatis, & corpus tuum vivificabit in vitam æternam.* Alexandrini Codices, teste S. Hieronymo, ante hunc versiculum hæc verba legebant : *Et adhuc in te erit laus mea semper & in fine : & ossa tua, quasi herba orientur, & pinguescent, & hæreditate possidebunt in generatione generationum.* Aliquid simile fert Codex Alexandrinus manu exaratus, cujus variæ lectiones in Polyglottis Londinensibus exhibentur ; post ea enim verba ℣. 11, e Septuaginta, *Et erunt ossa tua, sicut hortus ebrius, & sicut fons, cui non defecit aqua*, addit : *Et ossa tua velut herba germinabunt, & pinguescent, & hæreditabunt generationes generationum.* Hinc hujus Alexandrini Codicis vetustatem disce. Animadvertit S. Hieronymus, hanc additionem notandam esse obelo, neque in emendatissimis Septuaginta Interpretum Codicibus legi.

℣. 12. ÆDIFICABUNTUR IN TE DESERTA SÆCULORUM. Loca, quæ longâ sæculorum serie squaluerunt, ædificiis a te implebuntur. Babylonicos captivus alloqui videtur. Ea nimirum ædificia, quæ tam longo a tempore suis sub ruinis latebant, denique restaurabuntur (h), si fide integrâ servaveris, quæ tibi imperat Deus. Cùm eam conditionem non expleverint Judæi, mirum non est, si tam multa post sæcula dissipati atque a patriâ extortes vagentur; quæque ipsorum genti promissa sunt, ad alios transierint, atque in Christianâ Ecclesiâ æterna ea fundamenta cernantur, quæ Deus pollicitus est Israëli : *Fundamenta generationis & generationis suscitabis.*

VOCABERIS ÆDIFICATOR SEPIUM, AVERTENS SEMITAS IN QUIETEM, viis & itineribus quietem restituens. Hebræus (i) : *Et vocaberis ruinæ* seu fracturæ *restaurator, restituens semitis quietem.* Urbes eversas, dejectaque mœnia restitues, ac latrones fugabis, a quibus itinera periculis plena, & viæ desertæ efficiebantur. Septuaginta : *Vocaberis ædificator sepium*, seu maceriarum, quibus horti clauduntur, *& lapides qui in medio viarum jacent, removebis.*

℣. 13. SI AVERTERIS A SABBATHO PEDEM TUUM, FACERE VOLUNTATEM TUAM IN DIE SANCTO MEO. Vel : Si ab itinere agendo abstinueris, ut tuæ voluntati obsequaris ; si pessimum morem deseras iter agendi, ac negotiis vacandi ipso Sabbathi die (k). Vel : Si pedem a voluntate tuâ Sabbatho explendâ removeris ; si ab hoc abstinueris, atque aliud iter, aliosque mores susceperis. *Sabbathi* nomine omnia Judæorum festa intelliguntur.

ET VOCAVERIS SABBATHUM DOMINI DELICATUM, ET SANCTUM DOMINI GLORIOSUM. Si sabbathum pro suavissimæ quietis die habueris, diem sanctum ac Domino gloriosum. Si servandam festis diebus & Sabbatho quietem ceu gravem molestamque sanctionem non habueris, quamvis eâ sanctione jubearis negotiis quibuslibet vacare, servique ac familiares tui labore eximantur, id quod tibi detrimenti loco habetur, non secùs atque impii apud Amosum homines, qui frequentibus nimium festis annum dividi querebantur (l) : *Quomodo transibit mensis* (Neomenia), *& venum dabimus merces ; & sabbathum, & aperiemus frumentum?* Jubet Deus, festos dies ceu suavissimæ quieti & hilaritati destinatos haberi ; eam verò hilaritatem esse oportere non corpori blandientem & illiberalem, sed quæ menti animoque conveniat, atque in

(b) *Forer. Drus. Thom. Sa, Sanct. &c.* (c) Ἐὰν ἀφέλῃς ἀπὸ σοῦ χειροτονίαν, καὶ ῥῆμα γογγυσμοῦ. (d) *Plerique apud Hieron.* (e) *Cyrill. Procop. Theodoret.*
(f) והשביע בצחצחות נפשך ועצמותיך יחליץ (g) Καὶ ἐμπλησθήσῃ καθάπερ ἐπιθυμεῖ ἡ ψυχή σου, καὶ τὰ ὀστᾶ σου πιανθήσεται. (h) *Thom. Vat. Clar. Forer. Hebræi apud Hieronym.*
(i) וקרא לך גדר פרץ משובב נתיבות לשבת 70: Κληθήσῃ οἰκοδόμος φραγμῶν, καὶ τοὺς τρίβους τοὺς ἀναμέσον τῶν τρίβων παύσεις. (k) *Sanct. Grot. Menoch. Tir. &c.* (l) *Amos, VIII, 5.*

℣. 14. Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Jacob patris tui; os enim Domini locutum est.

COMMENTARIUS.

in Deum feratur (m); quæ non in vile otium tantummodò desinat, sed hominem a terrenarum rerum tumultibus secretum, totum Deo occupet, ut mira illius opera commendet, magnitudinem admiretur, scrutetur legem; denique totus Deo vacet, atque suavem esse Deum videat (n): *Vacate & videte, quoniam suavis est Dominus*. Ingens profectò Judæis Babylone captivis sabbathi negligendi periculum, cùm inter inopiæ angustias, & Profanorum flagitia vitam agerent.

Dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua, ut loquaris sermonem. Sabbathi religionem ita coli ac servari jubet Deus; I, subjectâ illi oblatâque, ceu sacrificio, voluntate; II, vitatis inanibus verbis, mendacio, obtrectatione, calumniâ; religiosâ erga Deum subjectione, cultuque illi exhibito iis legibus, quas ipse præscripsit, præter superstitionem erroremque, servatâque cum fratribus pace. Hebræus (o): *Et ipsum* (sabbathum) *colueris, dum non sequeris vias tuas, non invenitur voluntas tua, & loqueris verbum*. Vias tuas, malasque animi tui habitudines ne sequare; quæ cæteris & communibus diebus agere soles, Sabbatho ne agas; neque satis animo tuo facere in eâ re studeas, dum ultro citroque concursas, ac temerariam superstitiosamque religionem sectaris: denique, cave linguæ custodiam adhibeas, pravosque sermones ne loquaris. Vel, ex Grotio: *Sed loquendo sermonem* Dei, Divinæ Legis meditationi operam dando. Inter potissima verorum Israëlitarum officia censebatur Divinæ Legis studium diebus religioni & quieti dedicatis. Babylonicæ Captivitatis tempore, Judæi in Sacerdotis aut Prophetæ alicujus ædes colligebantur, ut Legis lectionem exercerent.

℣. 14. Sustollam te super altitudines terræ. Chananitidem Moyses *excelsam terram* nominat: *Constituit eum super excelsam terram* (p); quòd vel situs ipse, multo sublimior Ægypto & Babyloniâ, atque alluvionibus minimè obnoxius, non parvæ regionis laus esse videretur; vel excelsa regionis loca & montes, in quibus tutum erat incolis adversùs hostes, bello imminente, perfugium, advenis propè inaccessum facerent; vel denique, quòd *altitudo terræ* ipsius præstantiam & opulentiam hoc loco significet (q). Gentem suam procul dubio Deus in sublimi regione Ægypto relictâ, constituit, iterumque reduces e captivitate Babylonicâ ibi collocavit.

CAPUT LIX.

Judæorum flagitia, quæ Dei munificentiam erga ipsos avertunt. Horum criminum confessio. Servatoris adventus, qui gratuito planè beneficio homines in se confidentes liberaturus, iramque in populi hostes exerciturus venit.

℣. 1. Ecce non est abbreviata manus Domini, ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus, ut non exaudiat:
℣. 2. Sed iniquitates vestræ diviserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus a vobis, ne exaudiret.
℣. 3. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate: labia vestra locuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur.
℣. 4. Non est, qui invocet justitiam, neque est qui judicet verè: sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates: & conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.

COMMENTARIUS.

℣. 1. Ecce non est abbreviata manus Domini. Superiori Capite, Isaias varia Judæis captivis vitia exprobraverat; veluti Sabbathi servandi incuriam, iniquitatem, sævitiam, atque in fratres injuriam. Susannæ historia satis docet, quàm multis gens tota flagitiis inquinaretur. Pergit hìc Propheta Judæos captivos arguere, nunciatque, suis illorum criminibus Divinam in ipsos munificentiam impediri, murumque æneum inter Deum ac gentem ab ipsis erectum esse Judæis, ab suis ipsis, ubi voluerint, destruendum; tum demum intellecturos, utrùm Dei manus minuatur munificentiâ instruatur, ejusque aures illorum precibus obstopuerint; utrùm is faciles aures præbere, opemque afferre ipsis queat.

℣. 2. Iniquitates vestræ diviserunt inter vos et inter Deum. Ingens chaos (a), profundam abyssum, invictum murum inter vos & Deum flagitiorum magnitudine statuistis. Vel, ut verbis Jeremiæ utar (b): *Opposuisti nubem, ne transeat oratio*, ne clamores vestri cœlum feriant.

℣. 4. Non est qui invocet justitiam, neque

(m) *Theodoret.* Τρύφημα ὡς σωματικῶν πόνων ἀπηλλαγμένα. (n) *Psal.* XLV, 11.
(o) וכבדתו מעשות דרכיך ממצוא חפצך ודבר דבר (p) *Deut.* XXXII, 13.
(q) 70: Ἀνεβίβασέ σε ἐπὶ τὰ ἀγαθὰ τῆς γῆς. (a) *Luc.* XVI, 26. (b) *Thren.* III, 44.

℣. 5. Ova aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt: qui comederit de ovis eorum, morietur: & quod confotum est, erumpet in regulum.

℣. 6. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus suis: opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.

℣. 7. Pedes eorum ad malum currunt, & festinant, ut effundant sanguinem innocentem: cogitationes eorum cogitationes inutiles: vastitas, & contritio in viis eorum.

℣. 8. Viam pacis nescierunt, & non est judicium in gressibus eorum. Semitæ eorum incurvatæ sunt eis: omnis, qui calcat in eis, ignorat pacem.

COMMENTARIUS.

QUI EST QUI JUDICET VERE. Hebræos iniquitatis & injuriæ in præcedentibus satis multum arguit. Hebræus (c): *Nemo est clamans in justitiâ, neque judicatus in veritate.* Vel: Nemo justè fratrem in jus vocat; nullusque est æquus judex iis qui litem agunt. Dies alteri iniquè apud Judices dicitur, & iniquam sententiam fert judex. Aliter: Nemo audet injustitiam queri, aut iniquos Judices arguere. Denique: Nemo fratrem arguit injustitiæ, & nemo æquum judicium fert. Septuaginta (d): *Nemo loquitur justa, & non est judicium verum.* Chaldæus: *Non est qui oret in veritate, nec qui judicet in fide.*

SED CONFIDUNT IN NIHILO, ET LOQUUNTUR VANITATES. Si hoc membrum superiori opponas; communem utriusque explicationem tenebis. *Nemo est qui voces tollat ad* Deum *justum; & nemo æquam sententiam fert: fiduciam collocant* in Diis inanibus, qui nihil sunt præter perversitatem, confusionem, ipsum *nihil*, & meram *vanitatem*, mendacium (e), *loquuntur.* Septuaginta (f): *Fidunt in vanis, & loquuntur inania.*

CONCEPERUNT LABOREM, ET PEPERERUNT INIQUITATEM. Vulgaris locutio, sacris Authoribus familiaris (g). Duplex illi sensus est: I, Perniciosa alteri consilia molitus est impius: noxam illi inferre, sive illum perdere meditatus est, *concepit laborem*, seu *dolorem*; ac denique iniquitatem peperit, mala consilia explevit (h). II, Noxia alteri decrevit apud se ipsum impius, artes scrutatus est, ut illum evertat, ac denique per summum scelus deliberata exequutus est. Viperis similes, quæ nunquam catulos edunt, nisi suo ipsarum detrimento & dolore, cùm illi nascentes parentis latera perrumpant (i). Impiorum studia, ut fratres perdant, eò tandem desinunt, ut multo infelicissimi fiant ipsi, quàm ii quos superasse videntur: sibi enim ipsis mortem inferunt, dum aliis nocere student.

℣. 5. OVA ASPIDUM RUPERUNT, ET TELAS ARANEÆ TEXUERUNT. Duplicem simul comparationem affert hîc Isaias; alteram ex ovis aspidum comedenti lethiferis, funestisque excludenti, cùm angues ex iis prodeuntes statim ipsum feriant: *Qui comederit de ovis eorum, morietur; & quod confotum est, erumpet in regulum.* Araneæ tela inutilis omnino est, & inanis labor. Ita qui cæteris nocere studet, sibi ipsi nocet: virus sibi parat, & necem infert: ipsius flagitium, aspidis ovo simile, lethale facienti est, & ob ea, quæ inde oriuntur, mala fatale. Omnia illius molimina telæ aranei sunt; inanis, inutilis labor, fructu & merito carens. Septuaginta (k): *Ova aspidum fregerunt, & telas araneæ texunt; & qui de ovis eorum comedere voluerit, frangens, infœcundum reperit, & in eo regulum;* vel, ovum putridum, cibo ineptum, & regulo fœtum.

Chaldæus: *Ecce, sicut qui ova aspidum disrumpunt, & similes sunt telis, quas aranea texit: qui comederit de ovis eorum, morietur; & calefiunt, & educunt aspides volantes.* Hebræus (l): *Comedens de ovis eorum, morietur; & siquis spargat*, disseminet, *educet viperam.* Cave credas, fieri ex naturæ legibus posse, ut aspidis ovum viperam ferat: ova parit aspis, non secùs atque angues cæteri: vipera vivos in lucem catulos edit. Hoc non vult Propheta; sed illud solummodò, futurum scilicet, ut malum ovum pejorem anguem ferat. Res deterior causâ erit. Tibi magis noces, quàm fratri. Non satis convenit, utrùm Hebræa vox *ziphoni* aspidem significet. Nonnulli (m) *regulum*, alii (n) *viperam* vertunt. Verius certè foret, viperam e viperæ ovo, quàm viperam ex ovo aspidis nasci. Adde, quòd aspis perniciosior viperâ est: quamobrem, si hanc versionem sequaris, explicationem priore loco propositam tueri nequis.

℣. 6. OPUS INIQUITATIS ERIT IN MANIBUS EORUM. Vel, Iniquitatis, *rapina* (o) suæ pœnas luent.

℣. 7. COGITATIONES INUTILES, vel ex Hebræo (p), *cogitationes vanitatis*, mendacii, iniquitatis. Septuaginta (q): *Cogitationes amentium.*

℣. 8. VIAM PACIS NESCIERUNT; NON EST JUDICIUM IN GRESSIBUS EORUM. Unicuique molesti sunt: morosi, turbulenti, inquieti, æquitate ac sinceritate carentes. Aliter: Nullum unquam felicitatis genus, pacem nullam assequentur. Minimè patietur Deus, ut iniqua illorum molimina felici exitu claudantur, aut iniquitatis suæ fructum quieti sentiant. Confer Psalmum XIII, 3, ubi eadem fermè, quæ hîc, & superiori versiculo, verba leguntur.

SEMITÆ EJUS INCURVATÆ SUNT EIS. Obliquas sibi

(c) אין קרא בצדק ואין נשפט באמונה (d) Οὐδεὶς λαλεῖ δίκαια, οὐδὲ ἔστι κρίσις ἀληθινή.
(e) בטוח על תהו ידבר שוא (f) Πεποίθασιν ἐπὶ ματαίοις, καὶ λαλοῦσι κενά.
(g) *Psal.* VII, 15; *Mich.* II, 1; *Psal.* X, 7; LV, 11. (h) *Ita Cyrill. Thom. Forer. Sa.*
(i) *Plin. lib.* 10, *c.* 62: *Cateræ (viperæ) tarditatis impatientes, perrumpunt latera, occisâ parente.*
(k) Ὠὰ ἀσπίδων ἔῤῥηξαν, καὶ ἱστὸν ἀράχνης ὑφαίνουσι, καὶ ὁ μέλλων τῶν ὠῶν αὐτῶν φαγεῖν, συντρίψας οὔριον, εὗρεν καὶ ἐν αὐτῷ βασιλίσκον. (l) ביצי צפעוני בקעו וקורי עכביש יארגו האוכל מביציהם ימות והזורה תבקע אפעה (m) *Mont. Tigur. Pisc. Lyr.* (n) *Arab. Castal, Aquila.*
(o) פעל חמס בכפיהם (p) מחשבות און (q) Διαλογισμοὶ ἀφρόνων.

℣. 9. Propter hoc elongatum est judicium a nobis, & non apprehendet nos justitia: expectavimus lucem, & ecce tenebræ; splendorem, & in tenebris ambulavimus.

℣. 10. Palpavimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectavimus: impegimus meridie quasi in tenebris, in caliginosis quasi mortui.

℣. 11. Rugiemus quasi ursi omnes, & quasi columbæ meditantes gememus: expectavimus judicium, & non est: salutem, & elongata est a nobis.

℣. 12. Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ coram te, & peccata nostra responderunt nobis, quia scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognovimus,

COMMENTARIUS.

sibi vias struxere. Vel: Omnes illorum viæ ex obliquo sunt. Quicquid molientur, infelicissimè cedet. Apud Hebræos, rectæ viæ res prosperas, obliquæ difficilesque adversas significant. Cùm Deum rogas, ut rectâ te viâ ducat, hoc postulas, ut felicem inceptis a te rebus exitum largiator (r). Suas ipsi vias obliquas difficilesque flagitiis faciunt impii, constantique pace nunquam fruuntur. *Non est pax impiis* (s); vel, ut idem Isaias hîc subdit: *Omnis qui calcat in eis, ignorat pacem.* Passim testatur Deus, invisissimos sibi eos esse, qui ex obliquo gradiuntur, qui vias minimè rectas tenent (t). Hoc hominum genus inter insigniter malos, sedulò vitandos, numerat Sapiens (u). Horum vias vepribus obsitas esse ait (x), eosque procul dubio casuros, & in obliquis semitis perituros (y).

℣. 9. Elongatum est judicium a nobis. Hoc fatentur impii. Ita planè est: neque æquitatem, neque justitiam exercuimus. Quamobrem *expectavimus lucem, & ecce tenebræ.* Ut hunc sensum sequaris, vertendum est ex Hebræo (z): *Quoniam longè recessit judicium a nobis, & non pervenit ad nos justitia, expectavimus lucem, & ecce tenebræ.* Si placeat reddere, *Propter hoc elongatum est judicium a nobis*, judicium & justitiam pro vindictâ, defensione, præsidio usurpes, necesse erit. Idcircò nos Deus ultus non est ex inimicis. Hæc explicatio cum iis, quæ sequuntur, optimè componitur. Eadem loquendi forma legitur ℣℣. 11, & 12; atque hunc sensum optimi Interpretum probant (a). *Judicium* passim pro vindictâ usurpatur (b), tum eâ, quam Deus in nos, tum eâ, quam nostri causâ in hostes exercet. Septuaginta legunt: *Propterea recessit judicium ab eis, & non apprehendet eos justitia.*

Expectavimus lucem, et ecce tenebræ. Frequenter animadvertimus, lucem pro rebus prosperis, tenebras pro adversis rebus, malis, captivitate &c. usurpari. Sperabamus fore, ut nostris jejuniis malisque commotus, opem denique afferret Deus: at ex iis, quæ tu, o Isaia, vaticinaris, optimè intelligimus, nihil nobis, nisi assiduam malorum seriem, esse expectandum.

℣. 10. Impegimus meridie quasi in tenebris. Uno consensu Interpretes hæc verba de Judæis Christo recentioribus explicant. Formidabili justitiæ suæ consilio permittit Deus, ut gens undique obsita iis fulgoribus, qui tum in Veteris tum in Novi Fœderis voluminibus, & in Christi prodigiis gestisque micant, cùm Christus Jesus omnia Prophetarum oracula in se uno absolutissimè expleverit, nondum lucem videat; ac veluti meridie cæcutiens, palpando gradiatur, & ea quæ cæteri sensu bene valentes, oculosque ad lucem aperientes cernunt, ipsa minimè percipiat. Si ad Babylonicos captivos referas, dicito, illos in eâ, quâ premebantur, captivitate rerumque omnium angustiâ, similes fuisse cæco, qui oculorum usu adeò caret, ut vel minimum jubar plenâ meridie non intueatur; vel mortuo, inter sepulcri tenebras condito: *In caliginosis quasi mortui.*

℣. 11. Rugiemus quasi ursi omnes. Leonum propriè rugitus est; at usurpari etiam de ursorum ululatu potest, cùm illi aut vulnere affecti sunt, aut catulis viduati. Hebræa vox (c) non modò de ursis, verùm etiam de canum latratu, turturum gemitu, viscerum sono, fluctuum fremitu usurpatur. Ursus, ubi irascitur, horrendum ululat. Illud a Latinis dicitur *sævire* (d). Miserrimam Judæorum conditionem, quos dereliquit Deus, & desperatio agitat, cum urso sæviente comparat Isaias. Septuaginta: *Quasi morientes gement. Quasi ursus & quasi columba, pariter ambulabunt.*

Expectavimus judicium, et non est. Sperabamus fore, ut arma caperet Deus, nostras ex hostibus injurias persequuturus. Vide ℣. 9.

℣. 12. Peccata nostra responderunt nobis, adversùm nos testantur; voces tollunt, nosque apud Deum accusant. Respondere alicui interdum usurpatur pro adversarium alteri se præbere, apud Judices accusare (e). Septuaginta (f): *Peccata nostra restiterunt nobis.*

℣. 13. Pec-

(r) *Genes.* xxiv, 40; *Deut.* xxviii, 29; *Josue*, i, 8; *Job*, iv, 10; *Judic*, xii, 8; *Psal.* v, 9, *& passim.*
(s) *Isai.* lvii, 21. (t) *Psal.* xvii, 27; *Prov.* xi, 20, xvii, 20; xxii, 5; xxviii, 18. (u) *Prov.* ii, 15.
(x) *Prov.* xxii, 5. (y) *Ibid.* xxviii, 18. (z) על כן רחק משפט ממנו ולא השיגנו צדקה
Particula על כן, seu לכן, sæpè usurpatur pro *Quoniam, quandoquidem.*
(a) *Vatab. Grot. Pisc. Anglic. Forer.*
(b) *Vide Exod.* vii, 4; xii, 12; *Num.* xxxiii, 4; *Ezech.* xiv, 21; xvi, 38; xx, 4.
(c) נהמה כדבים *Vide Psal.* lviii, 7, 15; *Jerem.* xxxi, 20; *Psal.* xlv, 4; *Cant.* v, 4; *Isai.* xvi, 11; li, 15. (d) *Virgil. Æneid.* 7: *Atque in præsepibus ursi sævire, &c.* *Appian. de ursâ*: Σμερδαλέην βρυχῶ. *Horat. Ode* 16: *Nec vespertinus circumgemit ursus ovile.*
(e) *Isai.* iii: *Agnitio vultûs eorum respondit eis. Vide & Jerem.* xiv, 7: *Si iniquitates nostræ responderint nobis.* (f) חטאותינו ענתה בנו 70: Αἱ ἁμαρτίαι ἡμῶν ἀντέστησαν ἡμῖν.

℣. 13. Peccare, & mentiri contra Dominum: & aversi sumus, ne iremus post tergum Dei nostri, ut loqueremur calumniam, & transgressionem: concepimus, & locuti sumus de corde verba mendacii.

℣. 14. Et conversum est retrorsum judicium, & justitia longè stetit: quia corruit in plateâ veritas, & æquitas non potuit ingredi.

℣. 15. Et facta est veritas in oblivionem: & qui recessit a malo, prædæ patuit: & vidit Dominus, & malum apparuit in oculis ejus, quia non est judicium.

℣. 16. Et vidit, quia non est vir: & aporiatus est, quia non est, qui occurrat: & salvavit sibi brachium suum, & justitia ejus ipsa confirmavit eum.

℣. 17. Indutus est justitiâ ut loricâ, & galea salutis in capite ejus: indutus est vestimentis ultionis, & opertus est quasi pallio zeli.

℣. 18. Sicut ad vindictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis: insulis vicem reddet.

℣. 19. Et timebunt, qui ab occidente, nomen Domini; & qui ab ortu solis, gloriam ejus: cùm venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Domini cogit:

COMMENTARIUS.

℣. 13. Peccare et mentiri contra Dominum. Cùm in Deum peccaverimus ac mentiti simus, a Deo defecerimus, datamque illi fidem fregerimus, ejusque mandata violaverimus.

℣. 14. Corruit in platea veritas; in iis locis, obi fides bona servanda potissimùm erat; in foris, ubi merces venduntur, atque habentur cœtus, ut de publicis rebus consulatur, & integrum jus reddatur. Forum plerumque prope urbis portas erat; ibique jus reddebatur. Lapsâ veritate, æquum est, ut justitia minimè succedat: *Æquitas non potuit ingredi;* quippe quæ absque veritate esse nequit: ubi nulla veritas, ibi nulla æquitas est (g): *Veritas de terrâ orta est, & justitia de cœlo prospexit.*

℣. 16. Vidit quia non est vir, et aporiatus est, quia non est qui occurrat. Neminem vidit expertem criminis; doluitque, quòd nemn occurreret, a quo ipse coërceretur; patri similis, qui filium castigaturus, sese impediri & coërceri cupit; vel Imperatori, qui suppetias fœderatis afferens, solus adversùs hostium vim relinquitur, nemine arma simul movente. Hebræus (h): *Vidit quòd non est vir: obstupuit, quòd non est qui intercedat*; Septuaginta (i), *quòd non erat qui defenderet.* Post hæc, quis non credat Deum eò desiturum, ut populum suum penitus deserat, deleatque cùm nemo ex iis fuerit, qui ad illum accesserit, illius iram cohibiturus? Imò aliter sese res habet.

Populum eò adigit Propheta, ut fateantur, nihil in ipso esse, quod Divinam existimationem mereatur, totâque in gente esse neminem, qui Divinum furorem sedare, ac sese ceu aggerem adversùs Judæorum flagitia objicere queat. Ait denique, Deum se ipso tantùm consulto deliberare, atque ex sese argumenta bene populo faciendi, ipsumque tuendi accipere: *Salvavit sibi brachium suum, & justitia ejus ipsa confirmavit eum.* Solus adversùm Judæ flagitia stetit, quæ tot exercitûs sese ipsi objecerant: at una ipsius clementia & misericordia illum confirmavit armavitque, ut hujusmodi crimina deleret, quæ ceu muro insuperabili Deum a populo separabant (k); sævissimosque hostes, sibi resistere ausos, frangeret.

Simili fermè locutione inferiùs utitur Isaias (l), fortissimum Imperatorem inducens, hostes suos nullius ope fugantem, unâ ipsius virtute, justoque furore instructum. Hostes, de quibus hîc Isaias, primùm intellige Judæ flagitia, tum homines gentis inimicos, Chaldæos cæterosque, quos eadem gens sceleribus provocaverat. Populi peccata primùm dimittit Deus, tum externos hostes superat; nihil enim ex his timendum est, si nullus hostis animos occupet: *Nulla nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas.*

℣. 17. Indutus est justitia ut lorica. Ultricem justitiam intelligit, suam in hostes iram suamque indignationem. Ii quos Deus malis affligit, quantumvis odio in illum insanientes, nihil in illo invenient, quod integerrimæ justitiæ modum excedat. Nullus illis locus est illum arguendi, a quo affliguntur: illum æquitas undique protegit ceu lorica.

Galea salutis in capite ejus, galea, quæ hostium ictus arcet. Hoc locutionum genere nedum illud ostenditur, Deum hostium suorum ictibus feriri non posse, verùm etiam nihil omnino esse, quod illi resistere queat.

℣. 18. Insulis vicem reddet, ex merito eum Insulis aget. Insularum nomine tum ipsas Insulas, tum Provincias Hebræis trans mare positas intellige; populos denique alienos, atque ab Judæâ remotos. Quos omnino hostes innuat Propheta, certò dici nequit. Censent nonnulli, de Divinâ in omnes universè Judæorum hostes animadversione agere Isaiam. Ubi irasci cœperit, nulla illi gens obsistere poterit. *Insulæ, qui ab occidente, & qui ab ortu solis* (℣. 19), sub eo cadent.

℣. 19. Cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit, impellit. Sejungenda est vox *violentus* a fluvio, ac redden-dum

(g) *Psal.* LXXXIV, 12. (h) וירא כי אין איש וישתומם כי אין מפגיע
(i) Ὅτι οὐκ ἦν ἀντιληψόμενος. (k) *Sup. c.* LIX, 2. (l) *Isai.* LXIII, 4, 5.

℣. 20. Et venerit Sion redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus.

℣. 21. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, amodò, & usque in ſempiternum.

COMMENTARIUS.

dum eſt: Cùm hoſtis, *violentus*, inſtar fluminis venerit. Hoſtium exercitus frequenter comparantur cum amnibus aggeres ſuperantibus (m), violentisque alluvionibus, in agros irrumpentibus, qui omnia latè evertunt, populantur. Miſſus eſt a Deo Cyrus ceu torrens, qui omnia Aſiæ Imperia vorticibus ac fluctibus obvolvit. Hebræus (n) aliter planè redditur: *Cùm venerit, veluti fluvius, hoſtis, Spiritus Domini erexerit vexillum ei.* Cyrus Aſiam univerſam amnis inſtar inundabit: vexilli ſeu vexilliferi loco Spiritus Domini erit. Quàm ſublimis nobilisque comparatio! Ut victoriarum Cyri celeritas ſignificaretur, quid nobilius dici potuit, quàm quòd futurum ſit ut ipſe Dei Spiritus vexillum exercitui præferat? Aliter: *Cùm venerit tamquam fluvius arctatus*, alveo clauſus, *Domini flatus ſignum illi erit*, ſeu vexillum. Amnis anguſto alveo clauſus, pernicior eſt atque altior, ubi præſertim validus illum ventus impulerit, a quo vehementiùs urgetur. Is planè Cyrus erit, quem in conſequentibus *Redemptorem Sionis* nuncupat.

Si de Chriſto Jeſu interpreteris, dicito, illum ſtatâ animadverſionis ſuæ die in Jeroſolymam irruiſſe, violenti amnis more, quem venti quodammodo alis ferunt, cùm, eo jubente, eam urbem Romani obſidione cinxerunt. Septuaginta (o): *Veniet quaſi fluvius violentus, ira a Domino: veniet cum furore.* Chaldæus, Syrus, aliique de hoſtibus Hebræorum, Judam occupaturis, violenti fluminis more, at demum a Dei Spiritu, vel ipſo jubente frangendis fugandisque, interpretantur. Aquila (p): *Quaſi flumen anguſtum* (alveo clauſum): *Spiritus Domini ſignaculum ejus*, vel, ſub illius ſignis proficiſcitur. Symmachus (q): *Veniet tamquam fluvius premens*, ſeu vaſtans: *Spiritus Domini urget, & veniet.* Theodotio (r): *Veniet tamquam amnis obſeſſor, Spiritus Domini ſignatus eſt in eo.*

℣. 20. Et venerit Sion (Sioni) redemptor. Cùm Sionis Redemptor, ſub rapidi hujus amnis imagine deſignatus, venerit, ut Sionem redimat, & Judam malis, quibus opprimitur, liberet. Cyrum intelligere creditur Isaias (s), & ſub Cyri figurâ, Chriſtum Jeſum, verum Sionis Servatorem. Hunc locum S. Paulus recitat ex verſione Septuaginta, ubi docet, ſub mundi exitum Judæos in Eccleſiam conventuros, promiſſumque gentis Servatorem Chriſtum Jeſum agnituros. Ita ferunt Septuaginta (t): *Et veniet e Sion Liberator, & avertet iniquitates ab Jacob. Et hoc eis erit a me fœdus: Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non deficient de ore tuo.* Partem ſolummodò hujus ſententiæ recitat S. Paulus. Myſterium vos doceo, inquit Apoſtolus (u), nempe Iſraëlis cæcitatem ad certum usque tempus perſeveraturam, donec plenus gentium numerus ingreſſus fuerit. Tunc Iſraël omnis ſalvus fiet, ſicut ſcriptum eſt: *Veniet ex Sion qui eripiat & avertat impietatem a Jacob. Et hoc illis a me teſtamentum*, ſeu fœdus, *cùm abſtulero peccata eorum.* Babylonicæ Captivitatis exitus per Cyrum, & Judæorum reditus in patriam, imagines erant, quibus Judæorum converſio ad Chriſti fidem ſignificabantur, quemadmodum non uno loco docuimus.

℣. 21. Spiritus meus qui est in te, et verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo. Promiſſa hæc, atque hoc fœdus unam Jeſu Chriſti Eccleſiam ſpectant, penès quam illius dogmatum atque Spiritûs depoſitum ſervatur, illius virtute, qui ſolemni jurejurando futurum illi promiſit, ut ad extremum usque ſæculorum finem ipſe eum eâ perſeveret: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, usque ad conſummationem ſæculi* (x). Neminem profectò eſſe puto mentis parum adeò ſanæ, qui ſublimes adeò gravesque promiſſiones ad Synagogam ſpectare, implet asque in eâ eſſe arbitretur. Quis enim non videat, illam Dei Spiritu penitus deſtitui? Sacros ipſa Libros fert, legit, evolvit; at arcanum illorum ſenſum minimè aſſequitur: veluti obſignatus illi eſt liber: quamobrem veriſſimè dixeris, Deum ſuo illam verbo ſpoliaſſe, cùm ſpiritum ſuum illi abſtulit. Duobus ab hinc annorum millibus Prophetam nullum peperit, gentisque penſ tus reprobatæ, animique ſui cupiditatibus relictæ imaginem præfert.

CA-

(m) *Isai.* VIII, 7, 8: *Adducet Dominus aquas fluminis fortes, & multas, Regem Aſſyriorum.* *Jerem.* XLVI, 7; XLVII, 2; *Dan.* XI, 10; *Ezech.* XXVI, 10, &c. (n) כי יבא כנהר צר רוח יהוה נססה בו
(o) Ἥξει γὰρ ὡς ποταμὸς βίαιος ἡ ὀργὴ παρὰ κυρίου, ἥξει μετὰ θυμοῦ.
(p) *Hieron. idem.* Ἐλεύσεται ὡς ποταμὸς, πνεῦμα κυρίου σύσσημον ἑαυτῷ. (q) *Sym.* Ἥξει ὡς ποταμὸς θλίβων, τὸ πνεῦμα κυρίου ἐπείγει, καὶ ἥξει. (r) *Theodot.* Ἥξει γὰρ ὡς ποταμὸς πολιορκητής. Πνεῦμα κυρίου ἐσημειώθη ἐν αὐτῷ. (s) *S. Thom. Hugo, Sanct. Grot.*
(t) Καὶ ἥξει ἀπὸ Σιὼν ὁ ῥυόμενος, καὶ ἀποστρέψει ἀσεβείας ἀπὸ Ἰακώβ. (21.) Καὶ αὕτη αὐτοῖς ἡ παρ' ἐμοῦ διαθήκη. Τὸ πνεῦμα τὸ ἐμὸν, ὅ ἐστιν ἐπί σοι, καὶ τὰ ῥήματά μου, &c. (u) *Rom.* XI, 26, 27: Αὕτη αὐτοῖς παρ' ἐμοῦ διαθήκη, ὅταν ἀφέλωμαι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν. (x) *Matt.* XXVIII, 20.

CAPUT LX.

Jerosolymæ triumphus, cùm illius salus advenerit. Populi ad illam undique confluentes. Opes quibus quodammodo obruetur Cœlestis Jerosolyma gloria æternumque lumen futurus est Dominus.

℣. 1. SUrge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est.

℣. 2. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria ejus in te videbitur.

℣. 3. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortûs tui.

℣. 4. Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi: filii tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent.

℣. 5. Tunc videbis, & afflues: & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conversa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.

COMMENTARIUS.

℣. 1. SURGE, ILLUMINARE, JERUSALEM, QUIA VENIT LUMEN TUUM. Sequuntur Domini promissiones erga Jerosolymam, ejus fœderis nomine, de quo sub finem superioris Capitis egit. Terrestrem Jerosolymam alloquitur, quâ parte Cœlestem Jerosolymam (a) ipsamque Jesu Christi Ecclesiam significat; & inter pauca, quæ propriè uni Jerosolymæ Judæorum metropoli, a Nabuchodonosore eversæ, ac post captivitatem restauratæ, conveniunt (b), innumeræ exhibentur notæ, quæ Ecclesiam & cœlestem Jerosolymam adeò perspicuè indicant, ut alteri aptari nequeant. Jerosolymæ *lumen* est illius felicitas ac restauratio, oppressioni, doloribus, tenebris, inter quas hactenus squalluerat, opposita. Hebræus, vetus S. Hieronymi versio, pluresque vetustissimi Codices non habent *Jerusalem*; at ferunt Septuaginta, neque deleta est a Vulgatâ, quòd fortasse ante S. Hieronymi ætatem legi soleret.

GLORIA DOMINI SUPER TE ORTA EST. Majestatem suam, virtutem, misericordiam erga te perspicuam exhibuit Deus: fulgidi solis instar ortus est, ut te inter tenebras, quibus obruebaris, illustret. Vel: Gloria Domini, insolita, Divina, super te fulsit. Christus Jesus, Patris gloria & splendor, inter homines ortus est, ut salutem nobis afferret.

℣. 2. ECCE TENEBRÆ OPERIENT TERRAM.... SUPER TE AUTEM ORIETUR DOMINUS. Cæteris terrarum populis inter calamitates & mala gementibus, tu illius clementiam ac misericordiam experieris. Cyro, Dario Hystaspis, & Artaxerxe regnantibus, perspicuâ Dei ope protegêris; aliis interim populis malorum alluvione obrutis, atque inter oppressionis tenebras sortis suæ infelicitatem flentibus. Universo terrarum orbe inter ignorantiæ & superstitionis umbras versante, Christus Jesus in Judæâ micat, ac cœlestis doctrinæ jubare illam perfundit.

℣. 3. AMBULABUNT GENTES IN LUMINE TUO, ET REGES IN SPLENDORE ORTUS TUI. Hic locus ad unum Jesu Christi adventum pertinet. Alienæ gentes, & gentium Reges ad fulgorem, qui Apostolorum prædicatione fundebatur, confluxere, ac divini hujus luminis jubar religiosè sectati sunt. Magi, qui syderis, Christo nascente statim orti, fulgore acciti, ipsum in Bethleem venerati sunt, primitiæ fuere gentium, quæ affulgente salutis Evangelio, certatim ad Ecclesiam conventuræ erant.

℣. 4. LEVA IN CIRCUITU OCULOS TUOS, ET VIDE: OMNES ISTI CONGREGATI SUNT, VENERUNT TIBI. Mira profectò orationis figura. Jerosolymam exhibet ceu matrem mœrore obrutam atque humi sedentem, quæ filiorum jacturam deflet. Surge, inquit Propheta: oculos circum undique verte: itinera populis certatim ad te confluentibus referta vide: his iterum frequentaberis: novos incolas intuere. Judæos significat ac Israëlitas Babylone reduces; & sublimiori sensu, Ethnicos, Jesu Christi Ecclesiam ingressos.

FILII TUI DE LONGE VENIENT, ET FILIÆ TUÆ DE LATERE SURGENT. S. Hieronymus legit, *De latere sugent*; juxta te filiæ tuæ erunt, tuisque ab uberibus pendebunt. Hanc lectionem ferunt vetustissimi Codices manu exarati, & Editiones nonnullæ (c). Reddi potest Hebræus (d): *Filii tui e longinquo venient, & filiæ tuæ ad latus tuum nutrientur*; vel constanter lateri eorum, a quibus reducentur, hærebunt; vel denique, ad latera tua restituentur. Quàm primùm iterum ædificaberis, atque incolis frequentaberis, Jerosolyma; tuæque filiæ, cæteræ urbes Juda, iterum restaurabuntur, atque incolis complebuntur. Septuaginta (e): *Ecce venerunt filii tui de longè, & filiæ tuæ super humeros portabuntur.*

℣. 5. TUNC VIDEBIS, ET AFFLUES, &c. Hanc incolarum affluentiam tunc intueberis; ac mens tua obstupescet, & gaudio dilatabitur. Septuaginta (f): *Tunc videbis, & timebis, & stupebis corde.* S. Hieronymus in Græco legit: *Tunc videbis & gaudebis; timebis & stupebis.* Hebræus (g): *Tunc videbis, & illuminaberis*, seu micabis, vel bonorum omnium copiâ affluces; *& pavebis, & dila-*

(a) *Vide Theodoret. ad ℣. 20, 21; Thom. Hugo, Sanct.* (b) Vide ℣. 9, 10, 14.
(c) *Vide Bibl. Complut. Antuerp. Parif. Jaii, nov. Edit. Hieron. nott. Mariani, & Martianai.*
(d) בניך מרחוק יבאו ובנותיך על צד תאמנה (e) Ἰδὲ ἥκασι πάντες οἱ υἱοί σου μακρόθεν, καὶ αἱ θυγατέρες σου ἐπ' ὤμων ἀρθήσονται. (f) Τότε ὄψῃ, καὶ φοβηθήσῃ, καὶ ἐκστήσῃ τῇ καρδίᾳ.
(g) אז תראי ונהרת ופחד ורחב לבבך

℣. 6. Inundatio camelorum operiet te, dromedarii Madian, & Epha: omnes de Sabâ venient, aurum, & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.

℣. 7. Omne pecus Cedar congregabitur tibi: arietes Nabajoth ministrabunt tibi: offerentur super placabili altari meo, & domum majestatis meæ glorificabo.

℣. 8. Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?

℣. 9. Me enim insulæ expectant, & naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longè: argentum eorum, & aurum eorum cum eis, nomini Domini Dei tui, & sancto Israël, quia glorificavit te.

COMMENTARIUS.

dilatabitur cor tuum. Aliter: *Tunc pavebis, & splendebis: terreberis, & gaudia affluet.* Duobus utriusque animi affectibus, qui pugnare videntur, eodem tempore occupaberis; metum simul & gaudium senties; quemadmodum iis usu venit, qui insperatam felicitatem, spe majorem, subitò consequuntur: verentur, ne mentis ludibrium sit: omnia timent; tum immodicum in gaudium erumpunt. Ita piæ mulieres Christum Jesum vitæ restitutum intellexerunt, *cum timore & gaudio magno* (*Matth.* XXVIII, 8) misto timori gaudio.

QUANDO CONVERSA FUERIT AD TE MULTITUDO MARIS (maris opes), FORTITUDO GENTIUM VENERIT TIBI. *Maris* nomine maritimas gentes, sive Judæis occidentales, intellige. *Fortitudo gentium* sunt gentium opes, bona, agmina, populi. Transmarinas gentes litoribus suis appulsas, ut in eâ regione sedes figerent, nunquam vidit Judæa. Maritimis opibus, navigatione, mercimoniis ultro citroque vehendis Hebræi nunquam delectati sunt. Nulla unquam integra gens ad Judæos accessit, ut illorum Imperii, Religionis, rerumque communione frueretur. Hæc tamen ipsa in Christianâ Ecclesiâ luculentissimè apparuerunt. Septuaginta (h): *Quoniam transferentur in te divitiæ maris, & gentium, & populorum.*

℣. 6. INUNDATIO CAMELORUM OPERIET TE: DROMEDARII MADIAN ET EPHA. Notissimi sunt apud Arabes cameli, præsertim verò apud Madianitas (i), quos in orientali Maris Rubri orâ collocamus (k). Madian, Abrahami ex Cethurâ filius erat (l): Epha filius Madiani (m). Sunt qui Madianitas in orientali Maris mortui orâ collocent; atque ultro nos fatemur, aliquos e Madiani posteris ibi sedem habuisse. Epha in Arabiâ Petræâ domicilium collocaverat, fortasse juxta Madianitas. Hebræa vox *bikar* (n), quæ hîc *dromedarii* vertitur, cameli pullum, recenter sarcinæ subjectum (o), significat. Septuaginta (p): *Venient ad te greges camelorum, & operient te cameli Madian & Gaphar.*

OMNES DE SABA VENIENT, AURUM ET THUS DEFERENTES. Regio Saba, in Arabiâ Felici, opibus & thure nobilissima (q):

India mittit ebur, molles sua thura Sabæi.

At quo tempore id expletum est? Nunquam certè apud Judæos; nunquam enim Madianitæ & Sabæi camelos egêre Jerosolymam, aurum & thura ferentes. At olim Arabes Christianæ Religioni nomina dedêre; quicquid optimum ac maximè pretiosum ipsis fuerat, Christo Jesu consecrarunt.

℣. 7. OMNE PECUS CEDAR CONGREGABITUR TIBI: ARIETES NABAJOTH MINISTRABUNT TIBI. Ex Cedar & Nabajoth, posteris Ismaëlis, filii Abrahami ex Agare, Cedareni, seu Cedræi, & Nabathæi (r). Hi Arabiam desertam frequentabant: Nullæ illis urbes, oppida, domus, aut sedes certa. Carrus & tentorium consueta illis erant domicilia; opes pecora, quæ magno numero alebant (s). Omnes Arabiæ desertæ opes hîc pollicetur Jerosolymæ Isaias. Id porrò nonnisi de gentium conversione ad fidem intelligi nequit.

OFFERENTUR SUPER PLACABILI ALTARI MEO, altari expiationis, ubi hostias pro peccato, movendæ misericordiæ destinatas, excipio. Hebræus (t): *Offerentur holocausta super hostiam acceptam altaris mei.* Vel: Offerentur ceu res sponte atque ultro contributæ, quasi holocausta mihi acceptissima, in altari meo. Septuaginta (u): *Afferentur acceptabilia super altare meum.*

℣. 8. QUI SUNT ISTI, QUI UT NUBES VOLANT, ET QUASI COLUMBÆ AD FENESTRAS SUAS? Hi, qui e remotis adeò plagis ad te confluunt, quosque veluti nubem longè positam, seu columbarum gregem citissimè volantium, ut columbaria repetant, vides; filii tui sunt, ad te redeuntes (x). His accedunt magno numero alieni, undique confluentes, ut illis jungantur. Septuaginta (y): *Quinam isti*, qui *ut nubes volant, & sicut columbæ cum pullis ad me?* Reddi potest Hebræus: *Sicut columbæ in foraminibus*, nidis, *suis*. Aquila transtulerat: *Sicut columba ad cataractas suas* (z); atque hæc certè est maximè communis Hebrææ vocis *Arubotb* (a) significatio. Hunc tamen sensum hoc loco non patitur, nisi reddas: *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & sicut columbæ* volatu feruntur *ad cataractas cœli*, editissimas nubes. Sublimissimo interdum volatu gaudent columbæ.

℣. 9. ME INSULÆ EXPECTANT; ET NAVES MARIS IN PRINCIPIO, UT ADDUCANT FILIOS TUOS DE LON-

(h) Ὅτι μεταβαλεῖ εἰς σὲ πλοῦτος θαλάσσης, καὶ ἐθνῶν, καὶ λαῶν. *Heb.* כי יהפך עליך המון ים חיל גוים יבאו לך multitudo maris, robur, seu opes gentium. (i) *Judic.* VI, 5; VII, 12. (k) *Eusib. & Hieron. in locis.* (l) *Genes.* XXV, 2. (m) *Ibid.* ℣. 4. (n) בכרי מדין ועיפה (o) *Vide Boch. de animal. sacr. parte* 1, *lib.* 2, *c.* 2. (p) Ἥξουσί σοι ἀγέλαι καμήλων, καὶ καλύψουσί σε κάμηλοι Μαδιὰμ καὶ Γαιφάρ. (q) *Virgil. Georgic.* 2. (r) *Plin. lib.* V, *c.* 11: *Hic Arabes junguntur ab oriente Canmelni, a meridie Cedrni, qui deinde ambo Nabathæis. Vide, si placet, Cellar. lib.* 3, *c.* 14 *Geograph. antiq.* (s) *Hieronym. hic: Nabajoth unus est filiorum Ismaël; ex quorum nominibus (Cedar, & Nabajoth) solitudo appellatur; quæ frugum inops, plena est pecorum. Vide Ezech.* XXVII, 21. (t) יעלו על רצון מזבחי (u) Ἀνενεχθήσεται δεκτὰ ἐπὶ τὸ θυσιαστήριόν μου. (x) *Chald. Grot.* (y) Καὶ ὡσεὶ περιστεραὶ σὺν νεοσσοῖς. *Heb.* וכיונים אל ארבותיהם (z) *Vide Hieron. hic.* (a) *Genes.* VII, 11: הארבות השמים *Item Genes.* VIII, 2; *& 4 Reg.* VII, 19; *Isai.* XXIV, 18; *Malach.* III, 10.

℣. 10. Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi: in indignatione enim meâ percuſſi te: & in reconciliatione meâ miſertus ſum tui.

℣. 11. Et aperientur portæ tuæ jugiter: die, ac nocte non claudentur, ut afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur.

℣. 12. Gens enim, & regnum, quod non ſervierit tibi, peribit: & Gentes ſolitudine vaſtabuntur.

℣. 13. Gloria Libani ad te veniet, abies & buxus & pinus ſimul, ad ornandum locum ſanctificationis meæ; & locum pedum meorum glorificabo.

℣. 14. Et venient ad te curvi filii eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te civitatem Domini, Sion ſancti Iſraël.

℣. 15. Pro eo quòd fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat, qui per te tranſiret, ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generationem, & generationem:

COMMENTARIUS.

LONGE. Remotius aliquid ſpectat hîc Iſaias, quàm Babylonicam captivitatem. Nullæ circâ Babyloniam erant inſulæ, aut naves, mare nullum, ut Hebræi claſſibus inde veherentur. Gentium igitur converſionem innuit, quæ ad Eccleſiam ex omnibus terrarum plagis confluxêre. Hebræus ita reddi poteſt (b): *Quoniam in me Iim*, ſeu Inſularum incolæ, *ſperant; & naves Tharſis præſertim* (vel, *ab initio*) *ut reducant filios tuos de longe*. Alienæ gentes, Mercatores, qui longas navigationes agunt, jam diu præſtolantur; ut illud expleam quod promiſi, futurum ſcilicet, ut Iſraëlem in patriam reſtituam. Remotæ gentes tunc confluent, & aurum argentumque Jeroſolymam afferent: *Argentum eorum & aurum eorum cum eis*. Hebræum, ſi hoc ſenſu accipias, propriè interpretari potes de Judæis Babylone reverſis, deque muneribus, quæ ad Templum, poſtquam reſtitutum eſt, extranei detulerunt. Sublimiori ſenſu, de converſione gentium, opibusque Eccleſiæ collatis explicatur.

℣. 10. ÆDIFICABUNT FILII PEREGRINORUM MUROS TUOS. Cyrus poteſtatem Judæis fecit, ut Templum Jeroſolymitanum reſtituerent, atque in priſtinas ſedes reverterentur (c). Eam poteſtatem, ſub Cyro & Cambyſe aliquandiu revocatam, confirmavit Darius Hyſtaspis, & ampliorem effecit (d). Artaxerxes denique Nehemiam remiſit, factâ mœnium Jeroſolymæ reſtituendorum, addendarumque urbi portarum poteſtate (e). Ita verum eſt, nobiliſſimam eam urbem ab extraneis fuiſſe ædificatam, illique *Reges miniſtraſſe*, ſeu ſervorum more illi ſerviiſſe; ita enim non uno in loco ſcriptura loquitur (f); cùm illius reſtaurationem & conceſſerint, & ope juverint, ſuppeditatâ lignorum materie, quâ opus erat (g). Chriſti Eccleſiam alieni pariter condidere, gentes ad Chriſtiana ſacra converſæ.

℣. 11. APERIENTUR PORTÆ TUÆ JUGITER. Nullum exteriùs hoſtem vereberis: undique ſecurè vives. Vel: Advenarum ad te confluentium copia tam ingens erit, ut portæ tuæ diu noctuque patêre cogantur, venientes exceptura. Ultro citroque frequentari portæ nunquam deſinent. Hæc deſcriptio Chriſti Eccleſiam mirè exprimit, quæ patentibus ſemper ulnis venientes ac redeuntes excipit.

℣. 12. GENS ET REGNUM, QUOD NON SERVIERIT TIBI, PERIBIT. Quantumvis amplum facias Judæorum Imperium, a Macchabæis, qui libertatem regioni vindicarunt, usque ad extremum Jeroſolymæ excidium, ea quæ hîc dicuntur, illi prorſus tribui nequeunt. Erigenda mens eſt ad Chriſti Eccleſiam, extra quam nulla eſt ſalus. Miſeros, qui Eccleſiam matris & Reginæ loco excipere detrectant. Moriens Chriſtus abſolutum in univerſos terrarum homines imperium adeptus eſt; quippe quos illius pedibus ſubjecit Pater (h).

℣. 13. GLORIA LIBANI AD TE VENIET: ABIES ET BUXUS ET PINUS. Gloria Libani cedrus eſt, arbor pulcherrima, pretioſiſſima, ingentibusque ac magnificis ædificiis maximè idonea. Satis certa non eſt ſignificatio Hebræarum vocum, quas Vulgata reddit abietem, buxum, pinum. At illud certò conſtat, cedros & pulcherrimas Libani arbores in Templi reſtaurationem adhibitas eſſe, poſt captivitatem (i). Reddunt Septuaginta: Cupreſſum, pinum, & cedrum. Tres Hebræas voces ſervavit Theodotio; primamque ſolummodò tranſtulit Aquila *abietem*.

℣. 14. VENIENT AD TE CURVI FILII EORUM, QUI HUMILIAVERUNT TE. Similia huic oracula ſuperiùs vidimus (k), quibus pollicetur Deus futurum, ut eos ipſos, qui everterant, Jeroſolymam reſtituere cogat; externas gentes jubeat populum ſuum ulnis humeriſque in patriam referre; Reges illi nutritios det, ejusque hoſtes coram ipſo procumbere compellat. Promiſſiones haſce ſi de terreſtri Jeroſolymâ explices, impleta eſſe ægrè demonſtrabis; at difficultas perit, ſi ad Chriſtum Jeſum & Eccleſiam referas. Ethnici, qui primos Chriſti fideles odiis exagitarunt, errorem agnoſcentes, coram illis procubuere, ut Baptiſmatis beneficium, & aliquam in illorum precibus meritiſque partem impetrarent.

℣. 15. PONAM TE IN SUPERBIAM SÆCULORUM. In eâ te gloriâ conſtituam, quæ nunquam peritura

(b) כי לי איים יקוו ואניות תרשיש בראשנה להביא בניך מרחוק (c) 1 Eſdr. I, 3. (d) 1 Eſdr. VI, 3, & ſequ. (e) 2 Eſdr. II, 5, 8, & ſequ. III, IV. (f) Vide Iſai. LXI, 5; & XLIX: 22, 23.
(g) 2 Eſdr. II, 8. (h) Hebr. II, 8: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. In eo enim quod omnia ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectum ei.* (i) 1 Eſdr. III, 7: *Ut deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Joppe, juxta quod præceperat Cyrus.* (k) Vide Iſai. XLIX, 17, 22, 23; & LI, 23. *Confer Zach.* II, 9.

℣. 16. Et suges lac Gentium, & mamillâ regum lactaberis: & scies, quia ego Dominus salvans te, & redemptor tuus fortis Jacob.

℣. 17. Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum: & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum: & ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos justitiam.

℣. 18. Non audietur ultra iniquitas in terrâ tuâ, vastitas, & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & portas tuas laudatio.

℣. 19. Non erit tibi ampliùs sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.

℣. 20. Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctûs tui.

℣. 21. Populus autem tuus omnes justi, in perpetuum hæreditabunt terram, germen plantationis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum.

℣. 22. Minimus erit in mille, & parvulus in gentem fortissimam: ego Dominus in tempore ejus subitò faciam istud.

COMMENTARIUS.

tura sit. Ad verbum (l): *Ponam te in celsitudinem sæculi*. In gloriam, imperium, amplitudinem nunquam cessaturam extollêris; urbs totius orbis nobilissima fies. Septuaginta (m): *Constituam te exultationem æternam*, æternum populo tuo lætitiæ argumentum.

℣. 16. SUGES LAC GENTIUM, ET MAMILLA REGUM LACTABERIS. Hoc superiùs dixerat (n): *Erunt Reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ.* Eâ sollicitudine, & copiâ, iisque deliciis nutriêmini, quâ Regum ac Reginarum liberi.

℣. 17. PONAM VISITATIONEM TUAM PACEM, ET PRÆPOSITOS TUOS JUSTITIAM. Pax in te regnet, efficiam, tibique ipsa æquitas præsit. Vel: Te ego visitabo, & felicissimam reddam, tuosque Principes æquitate instruam. Principum tuorum laus erit æquitas; teque ego jam non visitabo, ut malis affligam, sed ut bonis cumulem, teque in constantissimâ tranquillitate constituam. Denique (o): Pacificos Principes, & æquissimos Moderatores Dominosque tibi largiar. Postrema hæc explicatio maximè omnium simplex videtur, & cum Hebræo maximè conveniens. Septuaginta (p): *Dabo principes tuos in pace, & moderatores tuos* (vigiles, Episcopos) *in justitiâ*. Putat S. Hieronymus, non sine arcano Divinæ Providentiæ consilio *Episcopi* nomen a Græcis Interpretibus hoc loco usurpatum fuisse, quasi præsenserint, Ecclesiæ Principes olim ita fuisse appellandos, ac præcipuas Episcopi laudes innuere voluerint: *In quo Scripturæ sanctæ admiranda majestas, quòd Principes futuros Ecclesiæ episcopos nominavit, quorum omnis visitatio in pace est, & vocabulum dignitatis in justitiâ.*

℣. 18. NON AUDIETUR ULTRA IN TERRA TUA INIQUITAS. Frustra hunc locum de Judæorum Regiâ explicare conaris; cùm nemo nesciat, post captivitatem, non secùs atque antea, iniquitatem, infirmorum oppressionem, rapinas debacchatas esse Jerosolymis. Non semel illius cives hostium injuriis obnoxii fuere; &, si idololatriam excipias, cætera flagitia & superstitio universam latè regionem nihilo seciùs quàm antea, post captivitatem occupaverunt. Ex nostris Interpretibus, alii de Jesu Christi Ecclesiâ, columnâ veritatis, & pacis regno, explicant; alii de Cœlesti Jerosolymâ (q), ubi constantissima pax æternum regnat, nullo turbarum, rapinæ, iniquitatis, oppressionis metu, quibus malis Ecclesia in terris militans nunquam carebit, dum ex hominibus morti, peccato & vicissitudini obnoxiis coalescet.

℣. 19. NON ERIT TIBI AMPLIUS SOL AD LUCENDUM. Naturalis hujus solis beneficio non egebis, cùm nullæ jam tenebræ futuræ sint quæ dissipentur. Christus ipse lux tua erit, ait S. Joannes in Apocalypsi, ubi hunc Isaiæ locum descripsisse videtur (r). Cœlestis Jerosolyma, inquit, *non eget sole, neque lunâ, ut luceant in eâ: nam claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus.*

℣. 22. MINIMUS ERIT IN MILLE. Apostolorum & Christi Discipulorum minimus mille homines ad Christi sacra conversos ad Ecclesiam trahet, seu totidem victoriarum trophæa futuros. Vel, servatâ superioris versiculi comparatione: Minima stirps, minimumque germen mille surculos feret. Vel: Qui minimus virtute ac dignitate est, mille hominum Princeps erit, urbemque mille hominibus frequentatam moderabitur; apud Hebræos enim urbes nomine aliquo insignes, *urbes millium* appellabantur. Ita Michæas de Bethlehem oppido agens, inquit (s): *Et tu, Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in millibus Juda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël.* Postremus hic locus de terrestri Jerosolymâ, seu militante Ecclesiâ aptiùs quàm de triumphante intelligitur.

(l) שמתיך לגאון עולם (m) Θήσω σε ἀγαλλίαμα αἰώνιον. (n) *Isai.* XLIX, 23.
(o) ושמתי פקדתך שלום ונגשיך צדקה (p) Δώσω τοὺς ἄρχοντάς σου ἐν εἰρήνῃ, καὶ τοὺς ἐπισκόπους σου ἐν δικαιοσύνῃ. *Clem. Rom. Ep. ad Corinth. legit*: Καταστήσω τοὺς ἐπισκόπους αὐτῶν ἐν δικαιοσύνῃ, καὶ τοὺς διακόνους αὐτῶν ἐν πίστει. (q) *Vide Theodoret. hic, Hieron. Cyrill. Sanct. alios.*
(r) *Apocal.* XVIII, 23; XXI, 23; XXII, 5. (s) *Mich.* V, 2.

CAPUT LXI.

Messiæ Ministerium & officium. Ethnicorum conversio. Evangelici Pracones. Ecclesiæ felicitas.

℣. 1. SPiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem:

℣. 2. Ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro: ut consolarer omnes lugentes:

COMMENTARIUS.

℣. 1. SPIRITUS DOMINI SUPER ME. Novam hic orationem institui, nullo nexu cum superiore junctam, censemus. Intelligi autem de Isaiâ potest, de se ipso agente (a), ac monente Judæos, se missum a Deo esse, ut futuram e captivitate libertatem illis nunciet. At sub Isaiæ imagine inspiciendus est Christus, qui Propheticam descriptionem sibi ipsi accommodavit (b), ac multo verius Divinum hoc Exemplar in se ipso exhibet, quàm Isaias. Similem omnino rem habes capite XLIX Isaiæ, ubi Messiam vividis maximè coloribus pingit, cùm de se uno agere videatur. Fatentur etiam nostrâ ætate Judæi, hoc loco Messiam spectari. Chaldæus de Isaiâ interpretatur.

Spiritus Domini super me, &c. Hebræus toto versiculo ad verbum fert (c): *Spiritus Domini Dei super me: idcirco unxit Dominus me ad evangelizandum afflictis* (mansuetis, modestis, humilibus): *misit me ad obligandum* vulnera *contritum corde* doloris vi; *ad prædicandum captivis libertatem, & vinctis apertionem carceris.* Septuaginta (d): *Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, ut fausta nunciem pauperibus; misit me ut medear contritis corde, prædicem captivis remissionem, & cæcis visum.* Narrat S. Lucas (e), Christo Synagogam Nazareth ingresso, exhibito Isaiæ volumine, apertoque eum Prophetæ locum occurrisse, ubi vaticinatur Propheta: *Spiritus Domini super me*, & cætera iisdem verbis, quibus apud Septuaginta Interpretes leguntur, præter pauca quæ in fine addidit, explicationis gratiâ: *Dimittere confractos in remissionem.* Lectis hisce Isaiæ verbis, complicatoque volumine ac restituto, sedens coram popolo universo ait: *Hodie impleta est hæc Scriptura in auribus vestris.* Profectò paulo antea Christus ad Joannem secùs Jordanem veniens, illapsu oculis hominum perspicuo Spiritum Sanctum excepit (f), a quo & unctus & missus est, ut bona pauperibus afflictisque prædicaret. Cùmque Joannes Baptista in carcere clausus, ac ne suo ipsius ore testimonium Jesu Christo exhiberet, prohibitus, suis ipsum Discipulis notum facere cuperet, atque idcirco ad Jesum misisset, jussos rogare, quis ille esset, utrum Christus; Jesus respondere iis quæ rogabantur, negligens, ait (g): *Euntes renunciate Joanni quæ vidistis & audistis: Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur*, evangelium pauperibus nunciatur. Postremum hoc munus tale est, quod Messiam esse demonstraret, cùm illud tam multis in locis Prophetæ prædixerint (h). Eam verò in rem magnoperè incubuisse Christus videtur, ut omnibus latè hominibus illud perspicuum faceret, electis inter maximè inopes Discipulis, commendatâ ubique tum exemplo tum verbis paupertate; denique majori benevolentiâ inopes prosequens, quàm locupletes. Opes etiam gratiæ, & Fidei lux maturiùs, celeriùs uberiùsque hominibus spiritu pauperibus, simplicibus, animo humilibus mitibusque, quàm locupletibus, magnatibus, doctis potentibusque collatæ sunt. Hinc etiam fit, ut S. Paulus fateatur (i): *Non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.*

℣. 2. UT PRÆDICAREM ANNUM PLACABILEM DOMINO; ut annum reconciliationis cum Domino nunciarem. Electus peculiari consilio Isaias a Deo est, ut felices libertatis e captivitate nuncios ad Judam ferat. Pleraque illius vaticinia huc spectant; atque is nunquam illius obliviscitur; cùmque celeberrima ea libertas imago alterius fuerit, quam morte suâ Christus universo hominum generi comparavit, electus a Deo est Isaias ceu Filii sui prædicator, luculentis adeò perspicuisque indiciis demonstrandi, ut interdum illi ipsi, qui Christum consecuti sunt, nihilo luculentiora tradiderint. *Annus reconciliationis*, annus Jubilæi tempus Judæorum Babylone revertentium significat; annum, quem luculentis adeò verbis indicat Jeremias (k), & acribus adeo votis captiva gens præstolata est; annum, quo Deus cum populo conciliandus erat, novumque fœdus instituendum; at annum ejus reconciliationis, quæ imago erat alterius, quam Christus hominibus nunciavit, homines cum Patre morte suâ concilians, novumque fœdus, cujus sequester ipse est, suo ipsius sanguine obsignans.

ET DIEM ULTIONIS DEO NOSTRO (l). Libertatem Judæ vaticinans Isaias, Chaldæorum, Babylonio-

(a) *Ita Thom. Hugo, Maldonat. in Luc. IV, not. 52; Grot.* (b) *Luc. IV, 18. . . . . 21.*
(c) רוח אדני יהוה עלי יען משח יהוה אותי לבשר ענוים שלחני לחבש לנשברי לב לקרא לשבוים דרור ולאסורים פקח קוח
(d) 70: Πνεῦμα κυρίου ἐπ' ἐμὲ, οὗ εἵνεκεν ἔχρισέν με εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς, ἀπέσταλκέ με ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τῇ καρδίᾳ, κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν. Καὶ καλέσαι ἐνιαυτὸν κυρίου δεκτόν. (e) *Luc. IV, 18:* Πνεῦμα κυρίου ἐπ' ἐμὲ, οὗ εἵνεκεν ἔχρισέ με, εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέ με, ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν, κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, κηρύξαι ἐνιαυτὸν κυρίου δεκτόν.
(f) *Joan. I, 32; Matt. III, 16, Marc. I, 10; Luc. III, 22.* (g) *Luc. VII, 22.*
(h) *Isai. XI, 4, Sophon. III, 12; Zach. XI, 7.* (i) *1 Cor. I, 26; 27.* (k) *Jerem. XXV, 11, 12.*
(l) ויום נקם 70: ἡμέραν ἀνταποδόσεως.

℣. 3. Ut ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris: & vocabuntur in eâ fortes justitiæ, plantatio Domini ad glorificandum.

℣. 4. Et ædificabunt deserta a sæculo, & ruinas antiquas erigent, & instaurabunt civitates desertas, dissipatas in generationem, & generationem.

℣. 5. Et stabunt alieni, & pascent pecora vestra: & filii peregrinorum, agricolæ, & vinitores vestri erunt.

℣. 6. Vos autem sacerdotes Domini vocabimini: Ministri Dei nostri, dicetur vobis: Fortitudinem Gentium comedetis, & in gloriâ earum superbietis.

COMMENTARIUS.

loniorum, cæterorumque populi hostium exitium ubique prædicit. Idem Cyrus, qui Dei populum captivitate liberaturus erat, Chaldæorum Imperium erat eversorus, Divinique furoris in ipsius hostes instrumentum futurus.

℣. 3. UT PONEREM LUGENTIBUS SION, ET DAREM EIS CORONAM PRO CINERE. Plures Latini Codices legunt: *Ut ponerem fortitudinem*; alii, *consolationem lugentibus Sion*. At Bibliorum Censores ea verba *consolationem*, vel *fortitudinem*, abstulerunt. Profectò Hebræus solummodò fert (m): *Ad ponendum lugentibus Sion, ad dandum eis gloriam pro cinere*. Septuaginta (n): *Ut detur lugentibus Sion gloria eis pro cinere*. Denique, ut illos captivitate educerem, atque in libertatem vindicarem. Unum hoc significant allegoriæ, quas hìc legimus.

VOCABUNTUR IN EA FORTES JUSTITIÆ. Superiori Capite (o) ait, Deum Jerosolymæ daturum pacificos Principes, & æquissimos Moderatores: eamdem hìc sententiam repetit. Jerosolymæ Proceres æquitate clarebunt. Altera tamen ex Hebræo sententia elici potest (p): *Ut vocentur arbores justitiæ, plantatio Domini; ut vos gloriâ cumulem*. Quæ verba luculentissimè ad superiora referuntur (q): *Germen plantationis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum* me.

℣. 4. ET ÆDIFICABUNT DESERTA A SÆCULO, loca jam diu deserta ædibus complebunt. Hanc ipsam rem prædixit superiùs, LVIII, 12: *Ædificabuntur in te deserta sæculorum: fundamenta generationis & generationis suscitabis: & vocaberis ædificator sepium*, seu parietum. Hoc ad amussim expletum est post Babylonicam Captivitatem; ac post Jesu Christi obitum, Apostoli Ecclesiæ fundamenta inter Ethnicos jacere cœperunt, veluti in solum incultum, & ruinis a longâ ætate occupatum.

℣. 5. STABUNT ALIENI, ET PASCENT PECORA VESTRA. Non semel docuit Isaias, alienas gentes Hebræis subjectas fore & servituras (r): eamdem hìc sententiam luculentissimis verbis repetit. Hoc decus Jerosolymæ accessisse dici potest, postquam Philisthini (s), Samaritani (t), & Idumæi (u) armis ab Judâ Macchabæo fracti, vectigales illis fuere. Gentes ad Christi fidem conversæ, Ecclesiæ ministri, servi & familiares effectæ sunt. Statim ex eo advenarum numero selecti sunt Episcopi ac Sacerdotes, ut Ecclesiis moderarentur, atque in colendâ Domini vineâ domoque laborarent: *Agricolæ & vinitores vestri erunt*.

℣. 6. VOS AUTEM SACERDOTES DOMINI VOCABIMINI. Honore, copiâ rerum, quiete beatâ gloriosâque fruemini, ceu Domini Sacerdotes. Colendâ humo in posterum non laborabitis: alieni erunt, qui eo munere vestri loco fungantur. Unicum vobis negotium deinceps erit, Dei laudes prosequi, illique servitutem exhibere, integrâ animi tranquillitate, quemadmodum Dei Israëlis Ministros decet. Apud Hebræos, summo in honore Sacerdotes habebantur. Ut beneficii magnitudinem, quo Deus ipsos prosequebatur, cùm in populi sui locum eligeret, Israëlitis ostenderet Moyses, nihil augustius affert, quàm quòd (x): *Eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens sancta*. Atque ut nobilissimum vitæ genus significet, quo Davidis liberi utebantur, ipsos *Sacerdotes* fuisse tradit Scriptura. Humilibus illi ac laboriosis operis minimè occupabantur: dignâ Principum ac Sacerdotum majestate vivebant.

Quæ hìc pollicetur Isaias, nunquam in Judæis expleta fuere. Post reditum e captivitate, nihilo seciùs quàm antea, operarum quæ corpore exercentur, expertes non erant. Quærenda igitur harum promissionum veritas apud Christi Jesu Ecclesiam est, cujus subditi Sacerdotibus similes sunt, quippe Sacerdotii Jesu Christi, acceptæque in Confirmatione Divini Spiritûs unctionis participes; ac denique Baptismatis & Fidei causâ. Quamobrem Apostoli Christianorum dignitatem passim ex eo commendant, quòd Sacerdotes Regesque per illam efficiantur (y): *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta*. Et S. Joannes (z): *Dilexit nos, & lavit nos in sanguine suo, & fecit nos regnum & Sacerdotes*. Et alibi: *Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo, & fecisti nos Deo Regnum & Sacerdotes*.

FORTITUDINEM GENTIUM COMEDETIS, ET IN GLORIAM EORUM SUPERBIETIS. Superioris promissionis pars est. Ea verò propriè intelligi de Judæis nequit, quippe qui frequenter præda hostium fuere: at si de Christi Ecclesiâ interpreteris, illam Ethnicorum opibus locupletatam fuisse, nullo negotio demonstrabis. Postquam aliquo tempore inter rerum angustias, infirmitates & injurias fuit, quicquid inter Ethnicos nobilissimum ac præ-

(m) לשום לאבלי ציון לתת להם פאר תחת אפר (n) Δοθῆναι τοῖς πενθοῦσι Σιὼν δόξαν ἀντὶ σποδοῦ. (o) *Isai.* LX, 17: *Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos justitiam*. (p) קרא להם אלי הצדק מטע יהוה להתפאר (q) *Isai.* LX, 21: *Germen plantationis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum*. נצר מטעי מעשה ידי להתפאר (r) *Isai.* LX, 10; XLIX, 22, 23. (s) 1 *Macc.* XV, 28, 29. (t) 4 *Macchab.* & *Joseph. Antiq.* lib. 13, c. 18. (u) *Joseph. Antiq.* lib. 13, c. 17. (x) *Exod.* XIX, 6. (y) 1 *Petr.* II, 9. (z) *Apoc.* I, 6.

℣. 7. Pro confusione vestrâ duplici, & rubore, laudabunt partem suam: propter hoc in terrâ suâ duplicia possidebunt, lætitia sempiterna erit eis.

℣. 8. Quia ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto: & dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis.

℣. 9. Et scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.

COMMENTARIUS.

præstantissimum fuit opibus, sapientiâ, eruditione, statim illam inundavit: omnibus Gentium spoliis locupletata est, suamque in gloriam convertit ea quibus Judæi atque Ethnici maximè gloriabantur: ex illis enim Divina Veteris Testamenti volumina excepit, sibique debitæ hæreditatis nomine arrogavit; humanis verò Philosophiæ cognitionibus ita usa est, ut Dei gloriæ, Religionis splendori servirent.

℣. 7. PRO CONFUSIONE VESTRA DUPLICI, ET RUBORE, LAUDABUNT PARTEM SUAM. Vetus captivitatis probrum obliti, gloriam omnem in hæreditate suâ invenient. Ea hæreditas instar omnium illis erit, additoque bonorum fœnore mala, quæ passi sunt Babylone, reparabit. Quæ verò hæreditas est, quæ tam amplam illis gloriam pariet? Ipse scilicet Deus, & felicitatis author & libertatis. Vel, ipsa illorum regio, in quâ tam altâ pace, tam uberi bonorum omnium copiâ, tamque absoluto in hostes & extraneos imperio fruentur, ut nihili omnino facturi sint mala præterita, veterisque inter Chaldæos servitutis probrum, ubi ea cum præsenti patriæ felicitate comparaverint. *Duplex confusio* seu probrum est, probrum maximum, ut alibi (a) pœna duplex, duplex peccatum, duplex calamitas.

Hebræum ita reddunt nonnulli (b): *Pro confusione vestrâ duplex* præmium referetis; *& pro rubore*, quo obruti estis, *laudabitis* (ad verbum, laudabunt) *partem vestram*. Quæ verba in eamdem sententiam recidunt. Iis qui de Judæorum hæreditate apud ipsorum patriam interpretantur, favent ea quæ sequuntur: *Propter hoc in terrâ suâ duplicia possidebunt*. Sublimiori sensu, Judæi atque Ethnici, ad Christi sacra conversi, beatissimos sese habuisse dicuntur, ubi innumeros in infidelitate ac superstitione relictos inspexere. Jucundarum ac suavium rerum loco habuere injurias, odia, ærumnas; seseque felicissimos existimavere, ubi aliquid nominis Jesu Christi causâ paterentur (c).

℣. 8. QUIA EGO DOMINUS DILIGENS JUDICIUM, ET ODIO HABENS RAPINAM IN HOLOCAUSTO, holocausta e raptis rebus parata. Perspicua satis sententia est. Quis enim non videat, Deo, cùm summa æquitas ipse sit, probari non posse sacrificia ex iniquitate, ac victimas vi & furto ablatas? Id porrò ipsimet Ethnici, solâ ratione duce, luculentissimè agnovere (d): at cum totâ orationis serie nectatur, non satis apparet. Malo igitur sensum Septuaginta Interpretum sequi (e): *Ego enim sum Dominus, qui amo justitiam, & odi rapinam ex iniquitate*; iniquitatem, quæ raptis aliorum rebus patratur. Hanc explicationem patitur Hebræus (f); eamque secuti sunt Grotius, & Ludovicus de Dieu.

Chaldæus: *Ego Dominus diligens judicium; abominabilis est coram me falsitas & violentia*. Caussam affert, cur in hostes Juda gentesque alienas animadversurus sit. Hos ego cogam greges vestros pascere, vobisque pro vinitoribus atque agricolis esse, (℣. 5) vobis interim suavissimâ pace fruentibus; (℣. 6) pati enim nullo modo possum ærumnas, quibus vos illi exagitavere, & furorem odi, quo regionem vestram invaserunt.

ET DABO OPUS EORUM IN VERITATE, ET FOEDUS PERPETUUM FERIAM EIS. Vel: Mercedem, quam merentur, integrâ fide illis reddam: vel, stabilem mercedem, ac minimè perituram largiar. *Opus* apud Isaiam non uno in loco pro mercede usurpatur (g). *Veritas* pro fidelitate, constantiâ, perseverantiâ frequenter accipitur. *Fœdus perpetuum* ad Christianos potissimum spectat. Institutor novi Fœderis Christus Jesus, author etiam æternæ illius durationis est. Fœdus, quod Nehemias atque Esdras renovavere (h), non diù stetit; instauratumque est sub Macchabæis: at post Templi excidium, Dei fœdus cum Judæis initum adhuc perseverare quis dixerit? Nonne ipsi fœdus abjecere, neci dato ipso Divino fœderis sequestro, qui primum fœdus, tam sæpè ab iis violatum, instauraturus atque absoluturus venerat?

℣. 9. OMNES QUI VIDERINT EOS, COGNOSCENT ILLOS, QUIA ISTI SUNT SEMEN, CUI BENEDIXIT DOMINUS. Num has notas Judæi præseferunt? an potiùs reprobatæ invisæque Deo gentis vestigia? Quàm multis verò ab hinc sæculis? At Ecclesia Christiana ubique stat, ubique floret, novisque in dies incrementis augetur. Quàm insignia & mirifica Divinæ erga se benevolentiæ argumenta, prorsus innumera qualibet ætate experta est? Nonne invictum omnipotentis benevolentiæ argumentum illud est, quòd cùm Dæmonis nequitia, & hostium exteriorum vires, quales sunt Ethnici, Hæretici, Schismatici, & familiarium domesticorumque inimicorum artes, quales sunt pessimi Christiani, & lupi sub ovium pelle latentes, undique illam petant, ipsa tamen adhuc vigeat floreatque?

℣. 10. GAU-

(a) *Vide Isai.* XL, 2: *Jerem.* XVI, 18; XVII, 18.

(b) החת בשתכם משנה וכלמה ירנו חלקם (c) *Act.* V, 41: *Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati. Rom.* V, 3: *Gloriamur in tribulationibus.* 2 *Cor.* XI, XII; *Galat.* VI, 14. (d) *Porphyr. de abstinent. lib.* 2; *& Theophrast. apud Euseb. lib.* 4, *c.* 14: Ὅσιος δὲ οὐδεὶς ὃς ἐκ τῶν ἀλλοτρίων ἀποδίδωσι χάριτας, κἂν κηρίον λάβῃ, κἂν φύλλ' μὴ ἐκ θέλοντος. (e) Ἐγὼ γάρ εἰμι κύριος ὁ ἀγαπῶν δικαιοσύνην, καὶ μισῶν ἁρπάγματα ἐξ ἀδικίας. (f) כי אני יהוה אהב משפט שנא גזל בעולה Ducunt ex עול, *Havel*; non ex עלה, *Halah*. (g) *Isai.* XXVIII, 11: 2L, 10: *Ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo.* LXII, 11.

(h) 2 *Esdr.* IX, 37, 38.

℣. 10. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis; & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum coronâ, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.

℣. 11. Sicut enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat; sic Dominus Deus germinabit justitiam & laudem coram universis gentibus.

COMMENTARIUS.

℣. 10. GAUDENS GAUDEBO IN DOMINO. Verba Jerosolymæ sunt, vel Ecclesiæ, gratias Deo agentis ob beneficia, quibus affecta ab eo est, quippe in Sponsam electa, spiritualibus donis cumulatissimè ornata, innumeràque sobole locupletata.

QUASI SPONSUM DECORATUM CORONA, ET QUASI SPONSAM ORNATAM MONILIBUS SUIS. Hebræus (i): *Indutus est ornamentis suis ut Sacerdos, & quasi sponsa ornata est mundo suo*. Sponsus nobilissimâ ditissimâque veste amictus est, veluti in sacris maximè solemnibus Pontifex; ipsaque Jerosolyma pretiosissimo cultu seu Sponsa sese induit. S. Joannes (k) Ecclesiam sub novæ Jerosolymæ appellatione describit iisdem fermè colotibus, quos hîc exhibet Isaias. Hanc ille Cœlo labentem, cultam ornatamque conspexit, sponsæ similem, cui comes Sponsus adhæret.

℣. 11. GERMINABIT JUSTITIAM ET LAUDEM CORAM UNIVERSIS GENTIBUS. Omnes terrarum populi severitatem intuebuntur, quâ in Hebræos omnesque hostes suos animadvertet; ejusque laudibus omnia personabunt. Id præsertim post Christi adventum contigit. Christiana Ecclesia, ex Ethnicis ad Fidem conversis coalescens, nullo non tempore percurrendis Dei laudibus, colendâ illius justitiâ, & Lege servandâ occupatur. Hic locus Ethnicorum conversionem clam pollicetur, cùm prædicat futurum, ut inspectâ Jerosolymæ gloriâ & felicitate, Dei laudes publicè prosequantur.

CAPUT LXII.

Pergit Isaias Jerosolymæ seu Ecclesiæ felicitatem, ubi illius Servator venerit, commendare. Jerosolyma Dei Sponsa dicetur, bonisque cumulabitur: nullus in illam hosti aditus: ea demum urbs Deo chara appellanda est.

℣. 1. PRopter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, & salvator ejus ut lampas accendatur.

℣. 2. Et videbunt Gentes justum tuum, & cuncti reges inclytum tuum, & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit.

COMMENTARIUS.

℣. 1. PROPTER SION NON TACEBO.... DONEC EGREDIATUR UT SPLENDOR JUSTUS EJUS, ET SALVATOR EJUS UT LAMPAS ACCENDATUR. Isaias, cùm se Prophetam esse intelligat, omnino huic rei addictum, ut Messiæ, & Israëlitarum Liberatoris adventum nunciet (a), testatur, se nunquam vaticinari cessaturum, aut omnino quieturum, nisi illum intueatur; sive illum prædicare non desiturum, dum vita superstes fuerit. Pergit hoc Capite, quemadmodum in superioribus, de Christo agere, deque Christi Ecclesiâ, sub Cyri & Jerosolymæ imaginibus. Cyrus, *Justus Domini* (b), Judæ Liberator (c), Servator Sionis, Christum ceu figurâ exhibet. Jerosolyma, olim repudiata, invisa, derelicta, ac deinde in charissimam Sponsam electa, Christi Ecclesiam significat, Servatoris delicias. Res multo sublimissimas designant hæc verba, quàm ut Synagogæ accommodari queant; at si ad Christianam Ecclesiam referas, nihil habent, quod modum excedat. Hæc denique figuræ, & rei per figuram exhibitæ explicatio ubique invenitur; atque hoc est vaticiniorum omnium caput.

℣. 2. VIDEBUNT GENTES JUSTUM TUUM. Gentium terror & admiratio Cyrus fuit. Quæ verò gens illud in Cyro admirata est, quod Cyrus ipse beneficio Judæorum gessit, aut illum ceu gentis Deo charæ Liberatorem suspexit? Hæc decora patum adeò apud homines micuere, & Cyri gloriam apud Ethnicos adeò parum auxere, ut Profanorum nemo illorum meminerit. At Christus Jesus, postquam esse inter homines cœpit, mortem oppetiit, ac prædicantibus Apostolis terras suo nomine implevit, in quo terrarum angulo ignotus fuit? Nullus certè natalium fulgor, aut victoriarum magnitudo, sive terreni Imperii amplitudo famam decusque nominis illius auxere; sed illa, quâ fulgebat, Justitiæ ipsius, verorumque Israëlitarum salutis appellatio.

VOCABITUR TIBI NOMEN NOVUM, QUOD OS Do-

(i) כחתן יכהן פאר וככלה תעדה כליה (k) *Apoc.* XXI, 2. (a) *Vide sup. Isai.* LXI, 1, 2.
(b) *Isai.* XLI, 2: *Quis suscitavit ab oriente justum?* XLV, 8; LI, 5. (c) *Isai.* XLV, 8; LI, 5: *Propè est justus meus, egressus est salvator meus.*

℣. 3. Et erit corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.

℣. 4. Non vocaberis ultrà Derelicta: & terra tua non vocabitur ampliùs Desolata: sed vocaberis Voluntas mea in eâ, & terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te: & terra tua inhabitabitur.

℣. 5. Habitabit enim juvenis cum virgine, & habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.

℣. 6. Super muros tuos, Jerusalem, constitui custodes, totâ die, & totâ nocte in perpetuum non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis,

COMMENTARIUS.

DOMINI NOMINABIT. Vocari apud Hebræos idem sonat ac *esse*. Deinceps nulla jam erit vetus illa Jerosolyma, ingrata urbs, infidelis, Deo invisa, derelicta, hostiumque furori causâ criminum tradita: nova erit Jerosolyma, quæ Jesu Christi Ecclesia dicetur, Sanctorum omniumque Fidelium Cœtus, Sponsa charissima. Nemo jam Judæos ceu gentem electam ac Deo charam objiciet: unis deinceps Christianis erit nobilissima hæc appellatio *(d)*.

℣. 3. ET ERIS CORONA GLORIÆ IN MANU DOMINI. Utrùm manu geritur corona, seu diadema, an capite? Ut huic objectioni respondeant, ajunt aliqui, Sponsum manu gerere coronam, ut illius præstantiam contempletur; alii, ut illam aut Sponsæ, aut suo ipsius capiti imponat. Sunt qui animadvertant, quibusdam in rebus coronam manu geri consuevisse: ita in Olympicis certaminibus, cùm duplex corona reportaretur, altera manu, altera capite gestabatur *(e)*. Placet nonnullis, coronam universè pro quolibet ornamenti genere usurpari, pro armillis, monilibus, &c. Quidam docent, τὸ *in manu Domini* idem omnino significare, ac *super Dominum*. Denique futura dicitur Jerosolyma corona gloriæ, rerum prosperitate gloriâque cumulanda *manu Domini*, unico illius benevolentiæ & gratiæ beneficio *(f)*. Neque hanc explicationem respuit Hebræus *(g)*. Chaldæus: *Et eris corona lætitiæ coram Domino, & diadema laudis coram Deo tuo.*

℣. 4. NON VOCABERIS ULTRA DERELICTA. Jerosolyma, toto captivitatis tempore, similis repudiatæ fuit; at redeuntem Deus, mitissimi instar viri, iterum excepit. Ubi de iis loquitur, quæ erga populum egit, frequenter hac utitur comparatione Deus. At his Prophetæ verbis illam non spectari, illud omnino documento est, quòd Propheta Sponsæ pollicetur futurum, ut ipsam Deus iterum excipiat, ipsaque in posterum repudiata minimè appelletur: *Non vocaberis ultra derelicta*; cùm Synagogam, post Christi obitum, iterum derelictam fuisse nemo non videat. Profectò quid repudiatæ uxoris infelicitatem vividiùs, quàm præsens Judæorum conditio, exhibeat? At Christiana Ecclesia, ex conversis ad Fidem Ethnicis coalescens, similis Sponsæ est, quæ post diuturnum divortii exilium, in pristinum viri amorem constantissimè revocata est. Isaiæ igitur promissiones propriè ad Christianos pertinent.

ET TERRA TUA INHABITABITUR. Hebræus *(i)*: *Et terra tua maritata* erit: dominum habebit, seu virum: repudiatæ ac derelictæ similis jam non erit.

℣. 5. HABITABIT ENIM JUVENIS CUM VIRGINE, ET HABITABUNT IN TE FILII TUI. Filii tui tibi adhærebunt, *maritabuntur tibi*, ut omnem Hebræi vim exprimas *(k)*; non secus atque juvenis maritus puellam uxorem amat. Judæi Babylone reduces, sese cum Jerosolymâ patriâque junxerunt eâ amoris vi, quâ novus maritus novam nuptam accipit.

GAUDEBIT SPONSUS SUPER SPONSAM, ET GAUDEBIT SUPER TE DEUS TUUS. Quemadmodum Sponsi gaudium & solatium sponsa est, ita Deus Jerosolymâ delectabitur. Hanc ipse ceu Sponsam accipiet; ipsaque integram adeò fidem illi servabit, ut nunquam ab eo deinceps repudianda sit. Hic locus Christianæ Ecclesiæ tantummodò convenit, quæ integrâ semper fide ac virginitate, Sponso nunquam non subdita hærensque, nunquam ab eo avellitur, aut ab ipso penitus destituitur.

℣. 6. SUPER MUROS TUOS, JERUSALEM, CONSTITUI CUSTODES: TOTA DIE ET TOTA NOCTE IN PERPETUUM NON TACEBUNT. Israëlis Prophetas non uno in loco Domini excubias appellatos legimus *(l)*, ab excubiarum similitudine, quæ in turribus editisque locis, belli tempore, collocabantur, ut hostium molimina prospicerent *(m)*. Porrò ne excubitores obdormiscerent, alter ad alterum identidem clamare, & clamantibus respondere jubebantur. Hoc spectat Propheta, cùm ait, excubitores, quos ipse super mœnia Sionis positurus est, minimè dormituros, totâque die ac nocte clamare non cessaturos.

In Templo Jerosolymitano, ubi leges militaribus similes Levitæ servabant, Interpretum plures eumdem morem vidisse sibi videntur. Forium custodes invicem clamabant respondebantque *(n)*: *Ecce nunc benedicite Dominum, qui statis in domo Domini in noctibus. Extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum.* Respondebat alter: *Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit Cœlum & Terram.* Minitatur apud Malachiam *(o)* Deus fore ut Sacerdotes, Divini cultûs minimè studiosos, puniat, *& succidat vigilantem & respondentem*

(d) *Ita Ignat. ad Magnes. Theodoret. & Hieron. hic.* (e) *Vide Sueton. in Nerone, c. 25.* (f) *Grot. Sanct. Gataк. alii.* (g) והית עטרת תפארת ביד יהוה (h) *Isai.* L, 1: *Quis est liber repudii matris vestræ quo dimisi eam? Vide &* LIV, 6; LX. 15, *&c.* (i) וארצך תבעל Καὶ ἡ γῆ σου οἰκηθήσεται. (k) כי יבעל בחור בתולה יבעלוך בניך Ὃν τρόπον εὐφρανθήσεται νυμφίος ἐπὶ νύμφῃ, οὕτως εὐφρανθήσεται κύριος ἐπὶ σοί. *Super sponsam, idest, de sponsâ, propter sponsam, in sponsâ, cum sponsâ.* (l) *Ezech.* XXXIII, 5; *Habac.* II, 1, *Zach.* III, 7. (m) *Isai.* XXI, 8, 11, 52; *Jerem.* LI, 12, *&c.* 2 *Reg.* XVIII, 24; *&* 4 *Reg.* IX, 17. (n) Vide *Psal.* CXXXIII, 2, 3, 4. (o) *Malach.* II, 12.

℣. 7. Et ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Jerusalem laudem in terrâ.
℣. 8. Juravit Dominus in dexterâ suâ, & in brachio fortitudinis
suæ. Si dedero triticum tuum ultrà cibum inimicis tuis: & si
biberint filii alieni vinum tuum, in quo laborasti.
℣. 9. Quia qui congregant illud, comedent, & laudabunt Dominum: & qui comportant illud, bibent in atriis sanctis meis.
℣. 10. Transite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & elevate signum ad populos.
℣. 11. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion: Ecce salvator tuus venit: ecce merces ejus cum eo,
& opus ejus coram illo.
℣. 12. Et vocabunt eos, Populus sanctus, redempti a Domino. Tu
autem vocaberis: Quæsita civitas, & non derelicta.

COMMENTARIUS.

tem de tentoriis Jacob, & offerentem munus Domino exercituum. Porrò sub excubiarum, Jerosolymis vigilantium, appellatione, Prophetas ac Domini Sacerdotes, populum instituentes, hostiumque consilia & molimina monentes, intelligere possumus.

At si vera hujus vaticinii explicatio hæc est, in Judæis nunquam absolutè impletum fuisse, quis non videat? Prophetarum series apud ipsos desiit in Malachiâ, diu ante Macchabæos. Variæ Religionis hæreses, quæ post eam ætatem inter ipsos ortæ sunt, profectò neque reipublicæ, neque Religionis felicitati favere potuerunt. Funestus frequenter exitus turbarum fuit, quas illæ in populo excitaverunt. Denique hæc omnia pluribus ab hinc sæculis desiere. Nulli per his mille ampliùs annos Prophetæ, Templum nullum, nulla sacrificia, nullus Religionis Princeps, denique nullæ Israëlis excubiæ septingentis ab hinc annis ultra millenos. Christiana igitur & Catholica Ecclesia quærenda est, ut nunquam intermissam Pastorum, Episcoporum, Excubitorum Jerosolymæ, die ac nocte nunquam tacentium, ab Apostolis ad nostra usque tempora, seriem invenias. Excubias hasce nonnulli Veteres Angelos Ecclesiarum præsides interpretantur (p).

℣. 7. QUI REMINISCIMINI DOMINI, NE TACEATIS. Hebræus (q): *Qui facitis ut reminiscatur Dominus, ne sileatis.* Vos qui unâ hac re assiduè occupamini, ut populi necessitates Deo narretis, ejusque in memoriam revocetis, gloriosum adeò atque utile studium ne intermittite. Sive: Quibus id muneris incumbit, ut populum doceatis ea, quæ is Deo debet, hujus ne unquam obliviscimini, eaque ipsa in illius memoriam revocare ne desinatis. At prior explicatio probabilior est, ob ea quæ sequuntur: *Qui facitis ut reminiscatur Deus* promissorum *clamare ne cessetis, donec stabiliat, & donec ponat Jerusalem laudem* (laudum argumentum) *in terrâ.* Hæc verba eos præsertim spectant, quibus apud Christianam Ecclesiam unicum negotium est, Divinæ Legis studium atque exercitium, ejusque laudum in publicis Ecclesiæ Officiis celebratio. Clament illi opus est diu noctuque, ac nunquam desinant, donec Ecclesiam stabiliverit, hostibusque illam invadentibus undique superatis, victricem reddiderit Deus.

℣. 8. JURAVIT DOMINUS IN DEXTERA SUA; elatâ manu, ut ipse Deus alibi ait (r): *Levabo ad cœlum manum meam, & dicam: Vivo ego in æternum*; vel per æternitatem meam juro. Jusjurandum per manum suam, sive elatâ manu nuncupatum, maximè omnium inviolabile est. Nihil magis sacrum apud Persas in pollicitationibus habebatur, quàm dexteræ porrectio (s). Ubi coram non possent, per alios mittebant, datâ his manu, quo ritu par obligatio habebatur. Darius mox expiraturus, vulneribusque confectus, dexteram Polycrati dedit, jussitque ad Alexandrum deferre, atque orare, ne mortem suam inultam esse pateretur (t).

SI DEDERO TRITICUM TUUM ULTRA CIBUM INIMICIS TUIS. Impleta hujus oraculi fides nonnisi apud Christianam Ecclesiam quærenda est. Hujus bona, opes, panis, annona, ea non sunt, quæ rapere hostis queat. Opus quippe foret, ut Fidem, Spem, Charitatem, Deum ipsum, paratamque amicis felicitatem ipsi auferre posset.

℣. 10. TRANSITE, TRANSITE PER PORTAS; PRÆPARATE VIAM POPULO. Alienæ gentes, portis egredimini, populo meo occurrite, itinera parate, vias sternite, lapides removete, ut commodior profectio illis sit. *Elevate signum ad populos*; signum erigite, quo populi convenire jubeantur; constituant illi, ut duces sese illis præbeant, ferendisque in illorum patriam liberis bonisque opem exhibeant. Pares non semel locutiones vidimus (u), quæ facilem, commodum tutumque Israëlitarum Babylone reditum significant; & sublimiori sensu, Gentium conversionem, ingressumque in Christi Ecclesiam vaticinantur.

℣. 11. ECCE SALVATOR TUUS VENIT; ECCE MERCES EJUS CUM EO. Ad verbum (x): *Ecce Jesus tuus venit: merces ejus cum eo; & opus ejus coram eo. Jesus* servatorem significat; *opus* interdum pro mercede ponitur (y). Servator tuus venit, ut operis tui mercedem tibi largiatur. Malorum tuorum finis denique accessit. Quemadmodum servus diei finem, atque accipiendæ mercedis tempus acri desiderio præstolatur; ita tu captivitatis exitum enixè optasti. Libertatis tuæ auctor venit, mercedem secum ferens. Lacrymas cobibe: proxima libertas est. Vide Isai. XL, 10; & Jerem. XXXI, 16: *Est merces operi tuo, &c.*

(p) *Vide Hieron. & Theodoret, hic; Bernard. ser. 4 Dedicat. Eccles.* (q) המזכירים את יהוה אל דמי לכם
(r) *Deut.* XXXII, 40. (s) *Diodor. Sicul. Biblioth. lib.* 18: Ἡ πίστις αὕτη βεβαιοτάτη παρὰ τοῖς Πέρσαις.
(t) *Plutarch. in Alex.* Ἀλεξάνδρῳ ταύτην δίδωμι τὴν δεξιὰν διὰ σοῦ. (u) *Isai.* XL, 4: *Erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Vide &* LVII, 14; *&* XLIX, 11; LV, 12; *&* XLIX, 22, 23.
(x) הנה ישעך בא הנה שכרו אתו ופעלתו לפניו (y) Vide *Isai.* XXVIII, 21; XL, 10; XLII 12; XLI, 8.

Cyrus aliquâ ex parte Redemptor & servator Israëlis est. Armatus venit, ut eos, qui vim contra ferre auderent, dejiceret; & lenitate atque æquitate instructus erga eos, qui obtemperarent. At salus ac Libertas Judæ a Cyro comparata, bona longè minora sunt, quàm ut eas laudes mereator, quibus Scriptura hîc & alibi ubique populi Servatorem prosequitur. Mera Jesu Christi figura Cyrus erat, a Divini exemplaris præstantiâ ita absens, quemadmodum a terrâ Cœlum, & picta res a verâ, Confer *Zach.* 12, 9.

CAPUT LXIII.

Imperator ex Idumæa victor rediens, cruore madidus. Dei laudes celebrat, & vetera prodigia, in Israelis gratiam patrata, iterum retractat. Peccata populi confitetur, queriturque, hostes suos populi imperium usurpasse, ac Dei Templum pedibus conculcare.

℣. 1. QUis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosrâ?
iste formosus in stolâ suâ: gradiens in multitudine for-
titudinis suæ. Ego, qui loquor justitiam, & propugna-
tor sum ad salvandum.
℣. 2. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta
tua sicut calcantium in torculari?
℣. 3. Torcular calcavi solus, & de Gentibus non est vir mecum:
calcavi eos in furore meo, & conculcavi eos in irâ meâ: &
aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia in-
dumenta mea inquinavi.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUIS EST ISTE QUI VENIT DE EDOM, TINCTIS VESTIBUS DE BOSRA? Tum hoc tum sequenti Capite quoddam Epinicii genus canitur Hebræi cujusdam Imperatoris, qui Idumæos & Bosram, urbem in vetere Idumæâ notissimam, inter Esdrai, Ramoth & Philadelphiam, bello petens, victor evasit. Is animo ea beneficia recolens, quibus olim Deus Israëlem prosequutus est, & præsentia populi flagitia intuens, iræ illius in servos suos æquitatem agnoscit; & sequenti Capite Deum rogat, ut opem illis afferat, illorum scelera obliviscatur, neve ferat, ut Jerosolyma & Templum diutiùs in potestate Gentium sint, & alienorum pedibus proterantur. His notis Judas Macchabæus nullo negotio designatur (a), prudens æquè, fortis ac pius Imperator; is bellum Bosræ & Idumæis intulit (b); eodemque anno, Dei cultum in Templo, a Græcis profanato & partim everso, restituit. Quod hic proponimus, in duplicis hujus Capitis Commentario fusiùs explicabimus.

Spirituali ac tropico sensu, prima Capitis LXIII pars, usque ad ℣. 7 de Christi Ascensione (c) accipitur. Gloriæ illius jubar mirati, invicem rogant Angeli: Quis ille est, cruore madens, ac majestate undique fulgens? Eâdem fermè sententiâ, atque in Psalmis (d) eædem beatæ Mentes flagitant: Quis hic Rex gloriæ est, qui Cœli fores sibi patere jubet? *Attollite portas, Principes, vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*, &c.

EGO QUI LOQUOR JUSTITIAM, ET PROPUGNATOR SUM AD SALVANDUM. Justitiâ, pietate, fortitudine nunquam non claruit Judas Macchabæus. Mortuum nobilissimo hoc elogio prosecutus est populus (e): *Quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat populum Israël*. Nobilissima is fuit Christi Jesu imago; ac nemo meliùs, quàm Judas, Servatoris munus, a Christo gestum, exhibuit.

℣. 3. TORCULAR CALCAVI SOLUS, ET DE GENTIBUS NON EST VIR MECUM. Judas cum modicâ suorum manu, nullâ alienorum ope, omnibus Syriæ ac finitimarum Judææ gentium, quæ Judæos oderant, viribus lacessitus, traditâ sibi a Deo virtute (f) instructus, hostes aggreditur, fugat, pedibus calcat, uti uva prælo calcatur. Familiaris est Scriptoribus Sacris locutio, ut vindictam, cædem, cruorem significent. Scribit Jeremias (g), Deum *calcasse torcular virgini filiæ Sion*; scilicet in illam severissimè animadvertisse. S. Joannes (h) Angelum inducit, imperantem, ut agatur vindemia, & uva in Divini furoris torcular colligatur. Calcato torculari, cruor usque ad equorum phaleras fluxit, stadiorum sexcentorum spatio. Servatoris Passionem Patres (i) sub imagine prælî exhibent; ipsumque Christum sub racemi calcati atque comminuti figurâ. Hic tamen locus aptiùs intelligitur de ultione, quâ ipse hostes, incredulos, impios, idolorum cultores & prosequutus est & prosequetur.

℣. 4. DIES

(a) *Ita Grot. ad hunc locum. Vide & Hugon. Card. hic.*
(b) 1 *Macc.* v, 3, 4; & 2 *Macc.* x, 16; & *Joseph. Antiq. lib.* xII, *c.* 15.
(c) *Theodoret. Cyrill. Hieronym. Origen. t.* 9 *in Joan. August. alii plures e recentioribus.*
(d) *Psal.* xxIII, 7, 9. (e) 1 *Macc.* IX, 21. (f) 2 *Macc.* xv, 15: *Extendisse autem Jeremiam dexteram, & dedisse Judæ gladium aureum, dicentem: Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israël.*
(g) *Thren.* 1, 15. (h) *Apocal.* xIV, 19, 20.
(i) *Vide Origen. tract.* 9 *in Joan. Tertull. lib.* 4 *contra Marcion. c.* 40; *Cyrill. hic; Cyprian. lib.* 2, *ep.* 3; *alii passim.*

℣. 4. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meæ
venit.
℣. 5. Circumspexi, & non erat auxiliator; quæsivi, & non fuit,
qui adjuvaret: & salvavit mihi brachium meum, & indignatio
mea ipsa auxiliata est mihi.
℣. 6. Et conculcavi populos in furore meo, & inebriavi eos in
indignatione meâ, & detraxi in terram virtutem eorum.
℣. 7. Miserationum Domini recordabor, & laudem Domini super
multitudinem bonorum domui Israël, quæ largitus est eis secun-
dùm indulgentiam suam, & secundùm multitudinem misericor-
diarum suarum.
℣. 8. Et dixit: Verumtamen populus meus est; filii non negantes:
& factus est eis salvator.
℣. 9. In omni tribulatione eorum non est tribulatus, & angelus fa-
ciei ejus salvavit eos: in dilectione suâ & in indulgentiâ suâ ipse
redemit eos, & portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus sæculi.

COMMENTARIUS.

℣. 4. DIES ENIM ULTIONIS IN CORDE MEO: ANNUS REDEMPTIONIS MEÆ VENIT. Vel: Ulcisci jam diù decreveram: ultionis agendæ tempus denique accessit. Perfidiam atque injurias, quibus Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, cæterique populi mei hostes populum exagitavere, animo evolvebam (k); fratres meos ærumnis, quibus opprimebantur eripere, atque in libertatem vindicare, dejectis illorum hostibus, jam diu meditabar; opem ferente Deo, hæc felicissimè exolevi.

℣. 5. CIRCUMSPEXI, ET NON ERAT AUXILIATOR... ET SALVAVIT MIHI BRACHIUM MEUM. Cùm nullam ex hominibus opem mihi expectandam intelligerem, omnesque populos, qui circa erant, mihi esse inimicissimos, denique deliberavi, meque robore armavi. Vide similem locutionem Capite LIX, 15, 16: *Vidit quia non est vir, & aporiatus est, quia non est qui occurrat; & salvavit sibi brachium suum, & justitia ejus ipsa confirmavit eum.* Hoc porrò est, robur ex infirmitate haurire, ac spei argumenta in ipsâ causæ justitiâ invenire.

℣. 6. INEBRIAVI EOS IN INDIGNATIONE MEA: furoris mei calicem illis ad feces usque propinavi; iræ meæ vino illos prolui. Familiaris apud Scripturam locutio (l), quam si explices, illius vim minuis.

℣. 7. MISERATIONUM DOMINI RECORDABOR. Non satis convenit, cujus censenda sint hæc verba. Quidam Isaiæ tribuunt, qui ex rerum ab eo Imperatore gestarum narratione, vetusta prodigia, olim a Deo in populi gratiam patrata, enumerat. Putat S. Hieronymus, ipsum esse populum Juda, Dei beneficia agnoscentem, suaque deinde flagitia, patrataque scelera confitentem, quibus Divinus furor provocatus est. Nobis idem ipse Imperator esse videtur, loqui pergens, causasque narrans, cur bellum susceperit, firmamque spem quam animo foveat. Inter gentis meæ mala, omnibus in nos conspirantibus, vetusta tua beneficia, o Deus, excolui; eaque meditans, animum robore ac spe compleri expertus sum. Vide 1 Macch. XVI, 10, 11.

℣. 8. ET DIXI: VERUMTAMEN POPULUS MEUS EST; FILII NON NEGANTES, quos non pudet patris. Macchabæorum ætate docuit Deus, quantâ Judæos benevolentiâ prosequeretur, cùm illos & patrocinio & ope protegeret. Hæc profectò gens mea est: ipsi me Deum Patremque fatentur: spurii non sunt aut infideles: meo nomine distinguuntur, eosque e filiorum censu expungere nequeo. Aliter (m): gens mea sunt; ac spero futurum, ut non mentiantur, aut degeneres sint, vel me abjiciant. Patris instar loquitur Deus, erranti filio parcentis, quòd morigerum magis, ac sapientiorem fore confidat.

℣. 9. IN OMNI TRIBULATIONE EORUM NON EST TRIBULATUS; ET ANGELUS FACIEI EJUS SALVAVIT EOS. Varias hic locus explicationes admittit. Sunt qui cum præcedentibus jungant: Dominus *factus est eis Salvator* (℣. 8) *in omni tribulatione eorum. Non est fatigatus* bene illis facere; *& Angelus coram illius facie stans, salvavit eos.* Alii Hebræum vertunt (n): *In omni angustiâ eorum nullus erat inimicus; at Angelus faciei ejus servavit eum.* Septuaginta (o): *Factus est illis in salutem* (℣. 8) *ex omni tribulatione eorum. Non legatus neque Angelus, sed ipse Dominus salvavit eos.* Alii aliter Hebræum legunt (p): *In omni tribulatione eorum ipsi angustia fuit*, ipse doluit, seu misertus est; *& Angelus faciei ejus servavit eos.* Denique verti potest: In omnibus malis quibus afflicti sunt, eos ipse non afflixit, &c.

Singulas hasce interpretationes probare possumus. Sævitiam, quâ Hebræi in Ægypto vexati sunt, cernens, misericordiâ motus est Deus; sævitiam nunquam probavit, neque populi curam unquam reliquit: Angelum misit, qui ex Ægypto eductis, dux in deserto fuit. Aliter: Misertus est malorum, quæ in itinere per desertum passi sunt, ducemque illis Angelum dedit (q): *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat*

(k) Vide 1 *Macc.* V, per totum Caput. (l) *Psal.* LXXIV, 9; *Isai.* LI, 12, 17; *Jerem.* XXV, 15, 17 XLIX, 12; *Thren.* IV, 21; *Ezech.* XXIII, 31, 32, *& passim.*

(m) ויאמר אך עמי המה בנים לא ישקרו 70: Τέκνα ἃ μὴ ἀθετήσωσι.

(n) בכל צרתם לא צר ומלאך פניו הושיעם (o) Ἐγένετο αὐτοῖς εἰς σωτηρίαν. (℣. 8.) Καὶ πάσης θλίψεως αὐτῶν. Οὐ πρέσβυς, οὐδὲ ἄγγελος, ἀλλὰ αὐτὸς ὁ κύριος ἔσωσεν αὐτούς.

(p) Legunt לו, *ipsi*, pro לא, *non.*

(q) *Exod.* XXIII, 20, 23.

℣. 10. Ipsi autem ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt spiritum sancti ejus: & conversus est eis in inimicum, & ipse debellavit eos.

℣. 11. Et recordatus est dierum sæculi, Moysis, & populi sui: Ubi est, qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? ubi est qui posuit in medio ejus spiritum sancti sui?

℣. 12. Qui eduxit ad dexteram Moysen brachio majestatis suæ, qui scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum.

℣. 13. Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem.

℣. 14. Quasi animal in campo descendens, spiritus Domini ductor ejus fuit: sic adduxisti populum tuum, ut faceres tibi nomen gloriæ.

COMMENTARIUS.

in viâ, & introducat in locum, quem preparavi. Observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cùm peccaveris, & est nomen meum in illo. Angelus faciei (r) est primi ordinis Angelus, ex iis, qui Dei solio semper adsunt; quemadmodum apud homines, ii qui proximè adsunt Principi, maximè gloriosi habentur ac dignitate conspicui.

℣. 10. Ipsi autem afflixerunt Spiritum Sancti ejus, Moysis, servi Dei, Sancti, Prophetæ, hominum mitissimi (s). Ardua res esset, si narrare aggredereris, quàm sæpè Hebræi Moysem provocaverint, atque ab illo desciverint: at duo inter cæteras causæ in Scripturâ narrantur, quibus illi Dominum provocarunt, ejusque furorem in populum excitaverunt; alteram, cùm populus seditionem movit, reversis Exploratoribus, qui ad Chanaanitidem explorandam missi fuerant (t); cujus seditionis causâ sententiam in universos homines tulit Deus, ut in deserto perirent, totisque triginta novem seu quadraginta annis ingressum in promissionis Terram retardavit: alteram, cùm populus ad aquas contradictionis questus est, offensusque illorum in fidelitate Moyses, fiduciâ nutare visus est (u), & a beatissimæ regionis possessione exclusus. Hoc præsertim tempore Moysis animus turbatus est afflictusque (x): *Et irritaverunt eum ad aquas contradictionis, & vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbaverunt spiritum ejus.*

Conversus est eis in inimicum. Aliud cum ipsis agendi institutum iniit. Assiduis illorum seditionibus coactus, illos severissimè puniit, uti mox vidimus.

℣. 11. Et recordatus est dierum sæculi, Moysis, &c. Judas Macchabæus, mala intuens, quibus fratres sui ab Antiocho Epiphane affligebantur, & injurias, quibus illos Græci exagitabant, veteris erga populum Dei misericordiæ recordatus est, patratsque a Deo erga Moysem prodigia mente recoluit.

Ubi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? Ubi nunc Deus, qui facilem Erythræi transitum populo fecit, unàque populi Ducibus Moysi & Aaroni, cæterisque ordinum Principibus, ceu exercitui in prælium instructo? Brevior ne effecta est illius manus, illiusve brachium robore suo destitutum est? Cur validissimam illius opem non experimur? Hebræus (y): *Ubi est qui eduxit eos de mari, pastores gregis sui?* Septuaginta (z): *Qui eduxit e mari pastorem ovium?* Chaldæus: *Ubi est, qui ascendere fecit eos de mari? Ubi est qui duxit eos per solitudinem, sicut pastor oves suas? Deduxisti sicut oves populum tuum in manu Moysi & Aaron*, inquit Psalmista (a).

Ubi est, qui posuit in medio ejus spiritum sancti sui? Qui populi ducem statuit Moysem, Sancto Spiritu plenum (b)? Vel: Qui oraculum, Spiritum Sanctum suum inter illos posuit, ut illorum profectionem moderaretur? *Spiritum tuum bonum dedisse, qui doceret eos*, inquit Nehemias (c). Sanctum hunc Spiritum, qui ducem ac doctorem, postulat Propheta (d): *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Chaldæus de Prophetiæ spiritu explicat, quo Deus populi sui Prophetas instruxit; negato cæteris gentibus beneficio. Hebræus fert (e): *Spiritum sanctitatis suæ.*

℣. 12. Qui eduxit ad dexteram Moysen, manu Moysem duxit, brachio majestatis suæ. Moysem manu semper duxit Deus; virtutis suæ depositum, datâ illi prodigiorum potestate, penès ipsum reliquit; denique, maximum omnipotentiæ suæ prodigium illum effecit, cùm tot ac tanta per illum patraverit.

Qui scidit aquas ante eos. Malo ita reddere: *Qui rupem aperuit, ut aquas iis daret* (f): cùm de Erythræi transfretatione superiore versiculo egerit. Hebræa vox de humo vel rupe hiscente usurpatur; agensque de rupibus Isaias (g), Moyse jubente in solitudine hiscentibus, ut aquas populo præberent, eâdem hac locutione utitur: *Aquæ scissæ sunt in deserto.*

℣. 13. Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem. Descriptionem transfretationis Erythræi per Hebræos, Sapientiæ Scriptor ex hoc loco hausisse videtur (h): *Ex aquâ quæ ante erat, terra arida apparuit; & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio: tamquam equi depaverunt escam, & tamquam agni exultaverunt, &c.*

℣. 14. Descendens Spiritus Domini, ductor ejus fuit, Deus ipse, vel Dei Angelus, seu nubes, sive roboris & fortitudinis Spiritus, sese ducem Hebræis exhibuit, eâque constantiâ instruxit, ut apertos vertices subirent. Poëtico orationis

(r) *Zach.* I, 10, 11; *Job*, XII, 15; *Apoc.* IV, 4; III, 5. (s) *Num.* XII, 3: *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines.* (t) *Num.* XIV, 29, 30. (u) *Num.* XX, 3, 4 . . . 11, 12. (x) *Psal.* CV, 33.
(y) איה המעלם מים את רעי צאינו (z) Οʼ ἀναβάσας ἐκ γῆς τὸν ποιμένα τῶν προβάτων.
(a) *Psal.* LXXVI, 21. (b) *Num.* XI, 27. (c) 2 *Esdr.* IX, 20. (d) *Psal.* CXLII, 10.
(e) *Ita & ℣. hic.* רוח קדשו (f) *Exod.* XVII, 6, 7; *Num.* XX, 8, 10; *Psal.* LXXVII, 15, 16; CIV, 41.
(g) כי נבקעו במדבר מים *Isai.* XXXV, 6. Quæ verba idem sonant ac altera *Isai.* XLVIII, 21. יבקע צור ויזבו מים (h) *Sap.* XIX, 7, 8.

℣. 15. Attende de cœlo, & vide de habitaculo sancto tuo, & gloriæ tuæ: ubi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum? super me continuerunt se.

℣. 16. Tu enim pater noster; & Abraham nescivit nos, & Israël ignoravit nos: Tu, Domine, pater noster, redemptor noster, a sæculo nomen tuum.

℣. 17. Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis: indurasti cor nostrum, ne timeremus te? convertere propter servos tuos, tribus hæreditatis tuæ.

℣. 18. Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum: hostes nostri conculcaverunt sanctificationem tuam.

℣. 19. Facti sumus quasi in principio, cùm non dominareris nostri, neque invocaretur nomen tuum super nos.

COMMENTARIUS.

tionis genere exaratum est hoc Caput. Constantiam, quâ populum firmavit Deus, Propheta significaturus, tropicè ait, Deum ipsum se dedisse populo ducem, primumque in apertum alveum descendisse.

℣. 15. Ubi est zelus tuus? Hoc ipsum dicebat Macchabæus Judas, cùm gentis suæ mala conspiceret. Eamdem fermè orationem in Macchabæis *(i)* legimus, cùm Judas, & qui cum Judâ erant, Templi frequentandi potestate carentes, Maspham convenêre, ut jejunia & preces agerent, Deumque flagitarent, ne diutiùs Templum in Ethnicorum potestate relinqueret.

℣. 16. Tu enim pater noster; et Abraham nescivit nos. Potiori certè jure, quàm Abraham aut Israël, pater noster es: horum enim ope semel tantummodo in vitam editi sumus; tu toties vitam impertitus es, quoties periculis malisque nos subduxisti. Aliter: Pater gentis nostræ Abraham, cùm esse desierit, opem afferre jam nequit: unus tu, o Deus, superes, ex quo sperare opem liceat. Denique, nos Abraham, ceu degeneres filios, nullam imaginis suæ similitudinem præferentes, abjecit: at tu, Deus, non deseres, nosque, quamvis filiorum appellatione indignissimos, ceu filios amplectêris.

℣. 17. Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis? indurasti cor nostrum, ne timeremus te? Ita omnes hominum vices Deo authori tribuere solent Hebræi, ut vel flagitia ipsa ex eo repetere videantur: cæterùm eadem ipsis erat, quæ nobis, sententia. Judas Macchabæus de iis e gente suâ hominibus queritur, qui Ethnicorum cultum ritusque amplexi sunt. Vide 1 *Macch.* 1, 12, 13, *&c.* Cur a viis tuis nos errare passus es, mentesque nostras ita obdurescere, ut penitus tui oblivisceremur? Noras, Deus, quæ nostra infirmitas, & quàm altè tui oblivisci atque obdurescere queamus. Cur mala consilia non evertebas? cur malam voluntatis propensionem objecto aggere non coërcebas? Cur nostra flagitia tam diù dissimulasti? aut salubribus pœnis crescentia non cohibuisti *(k)*? Diuturna patientia, quâ nos tulisti, contumaciam quodammodo nobis peperit. Impunes semper fore speravimus, cùm tam diu te dissimulare videremus. Ita erga nos agis, ac Medicus qui ægrum in mortem ruere patitur, ne illi molestiam pariat. Non eo obdurasti, quòd malum & contumacem animum dederis; sed quòd ea misericordiæ dona, quibus indigni eramus, quæque minimè merebamur, impertitus non fueris *(l)*: *Non impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam; quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur.*

℣. 18. Quasi nihilum possederunt populum sanctum tuum. Nos ita possident, utì nullius pretii rem, quam planè spernimus, & obliviscimur. Quòd regionem nostram acquisiverint, id levissimæ rei loco habent: nihili illis steterit acquisivisse. Neglectissima gens Antiocho Epiphani habebantur Judæi, quorum Religionem, nemine repugnante, sese mutaturum sperabat. Ita infirmos in iis, quæ ad Religionem pertinent, futuros putabat, utì in cæteris fuerant. *Quasi nihilum* ab aliquibus explicatur de brevi tempore, mensibus scilicet duobus & quadraginta, quo Antiochus Epiphanes in Judæos sæviit.

Conculcaverunt sanctificationem tuam. Sanctuarium ingressus Antiochus Epiphanes, aureum altare & Candelabrum, Mensam panum propositionis, & cætera aurea vasa, quæ in Templo erant, abstulit *(m)*. Pejora his addidit; non diu enim pòst, Jovis Olympii simulacrum in Altari holocaustorum dedicavit, immundasque victimas, Judæis vetitas, illi mactari jussit *(n)*. Denique Judas Macchabæus in eâ oratione, quâ ad Maspham Deo supplicavit, queritur *(o)*: *Sancta tua conculcata sunt, & contaminata sunt.*

℣. 19. Facti sumus quasi in principio, cum non dominareris nostri. Qui ærumnas, inter quas a te relicti sumus, inspexerit, is certè putabit, nos tibi esse alienos, utì eramus, cùm inter

---

(i) 1 *Macc.* III, 50, *&* 51. *Sancta tua conculcata sunt, & contaminata sunt, & sacerdotes tui facti sunt in luctum, & in humilitatem; & ecce nationes convenerunt adversùm nos, ut nos disperdant. Tu scis quæ cogitant in nos. Quomodo poterimus resistere ante faciem eorum, nisi tu Deus adjuves nos?* (k) *Theodoret. hic*: Ἐπὶ πλεῖον, φησὶν, ἐμακροθύμησας, ὁρῶν αὐτοὺς παρανομοῦντας, οὐκ ἐπαίδευσας. Ἐντεῦθεν ἀντίτυπον καρδίαν ἐσχηκότες, τὴν εὐθεῖαν ὁδὸν καταλελοίπαμεν. Ἡ πολλή σου μακροθυμία ταύτην ἡμῖν εἰργάσατο τὴν ἀναίδειαν· ἐπειδὴ γὰρ παρανομοῦντας οὐκ ἠνείχου κολάζειν, ἐπεμείναμεν παρανομοῦντες. *Hieron. hic*: *Non quòd Deus erroris causa sit & duritia, sed quia illius patientia nostram expectantis salutem, non corripit delinquentes, causa erroris duritiaque videatur.* (l) *Aug. ep. 194 ad Sixt. n. 14.* (m) 1 *Macc.* I, 23: *Intravit in sanctificationem cum superbiâ, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, &c.* (n) *Ibid.* ℣. 49: *Jussit coinquinari sancta, & sanctum populum Israël. Et* ℣. 57: *Ædificavit Rex Antiochus abominandum idolum desolationis super altare Dei, &c.* (o) 1 *Macc.* III, 45, 51.

inter cæteras gentes misceremur, nullâ prorsus notâ conspicui, nullâque Religione, quâ tui diceremur. Templo caremus, Duce, Principe, patriâ, præsidio; quid a cæteris gentibus prorsus Deo alienis, ejusque benevolentiâ destitutis, nos secernit? Reddi Hebræus potest (p): *Fuimus a sæculo*, diu subjecti populo, *cui non es dominatus, super quem invocatum non est nomen tuum*, qui populi tui appellatione nunquam distinctus est; Sub alienorum imperio diù gemuimus, primùm sub Assyriis, deinde sub Chaldæis, tum Persis, mox Græcis, Cur denique libertatem non affers? *Utinam dirumperes Cœlos, & descenderes!* Cap. XIV. Quamvis Templum occupasset Judas Macchabæus atque purgasset, arcem adhuc tenebant Græci, totique regioni imperabant.

CAPUT LXIV.

Deum orat, ut opem ferat populo. Dei misericordia erga ipsum invocantes. Confessio flagitiorum Juda, ejusque malorum descriptio.

℣. 1. UTinam dirumperes cœlos, & descenderes: a facie tuâ montes defluerent.

℣. 2. Sicut exustio ignis tabescerent; aquæ arderent igni, ut notum fieret nomen tuum inimicis tuis: a facie tuâ gentes turbarentur.

℣. 3. Cùm feceris mirabilia, non sustinebimus: descendisti, & a facie tuâ montes defluxerunt.

℣. 4. A sæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti expectantibus te.

COMMENTARIUS.

℣. 1. UTINAM DIRUMPERES COELOS, ET DESCENDERES! Sequitur oratio superiori Capite incepta. Postquam Judas miserrimum gentis suæ statum Deo exposuit, flagitat, ut ad opem illi ferendam denique accedat. Ubique autem ad ea alludit, quæ descendente in Sinai verticem Domino contigerunt. Utinam cœlos scinderes, opemque nobis ferens descenderes! Eadem nunc prodigia intueremur, quæ olim in Sinai claruerunt, cùm gloriâ & majestate circumdatus in illius vertice adfuisti: fluerent montes, & instar ceræ coram te, atque uti nix ad ignem, liquescerent (a): *A facie tuâ montes defluerent*. Hic locus, & qui sequuntur, ad primum, vel etiam ad secundum Servatoris adventum aptissimè referuntur.

℣. 2. SICUT EXUSTIO IGNIS TABESCERENT; AQUÆ ARDERENT IGNI. Coram te montes fluerent, & consumerentur, uti liquidæ res, & igni aptæ, flammis dissipantur. Ipsamet aqua, quæ naturæ suæ vi ignem extinguit, & cum ipso sibi inimico nunquam non pugnat, in flammas verteretur, & arderet. Consueto more non caderent imbres, sed ignei. Duo hæc Capita, LXIII, & LXIV Carmen eucharisticum continere, poëticâ & figuratâ oratione exaratum, jam animadvertimus. Legimus in Exodo (b), Deum in igneâ nube apparuisse. Hinc fit, ut Isaias scribat futurum, ut imbres nonnisi ignem ferant, si Deus nunc appareat. Hebræus (c): *Sicut ardente igne ex ramalibus, aquas ebullire facit vis ignis*. Chaldæus: *Cùm misisti iram tuam sicut ignem, arsit mare, aquas lambuit ignis*. Septuaginta (d): *Ut cera ab igne liquescit; ita & comburet ignis iræ tuæ adversarios*.

℣. 3. CUM FECERIS MIRABILIA, NON SUSTINEBIMUS: dicere cogemur, uti olim Israëlitæ, cùm Dei majestatem in Sinai intuerentur (e): *Loquere tu nobis, Moyses, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur* (f). Cur mortis & incendii discrimini objiciamur? Si enim Dei nostri vocem audierimus, moriamur, &c. Ita, o Deus, si opem nobis laturus venis, inter mala, quibus opprimimur, qui fieri poterit, ut majestatis tuæ jubar sustineamus.

Hebræus (g) reddi potest: *Cùm mira faceres, te non expectabamus: descendisti, & coram te montes defluxerunt*. liquefacti sunt. Opem minimè expectatam ex improviso sensimus; gloriam tuam nobis coram exhibuisti, hostesque nostros dissipatos vidimus, ceu nivem sole liquatam ac dissipatam. Judæis inter hostes undique afflictis, ope ac præsidio destitutis, minimè omnium sperantibus, continuò Judas Macchabæus ejusque fratres affulsere, novæ lucis instar, reddentis diem, tenebrasque dissipantis, quibus omnia latè occupabantur. Ipsa Dei manus dux facinorum fuit, atque illos ubique victoria secuta est.

℣. 4. A SÆCULO NON AUDIERUNT.... OCULUS NON VIDIT, DEUS, ABSQUE TE, QUÆ PRÆPARASTI EXPECTANTIBUS TE. Nulla unquam improvisa magis aut insolita rerum conversio spectata est, quàm ea quâ Deus Judæorum fortunas mutavit, sub Macchabæis. Oppressa fermè gens, præsidio, armis, arce, Principe carens, statim surgit, iteratis victoriis continuo cursu relatis; manifestamque opem ferente Deo, Judas hostium terror fuit, ac mirâ prorsus felicitate patriæ res fortunasque restituit.

Hic locus volgò de ineffabili atque incomprehensibili Beatorum in Cœlo felicitate explicatur. Hunc recitat S. Paulus (h), ut sapientiæ sublimitatem ac præstantiam commendet, quam Deus in Christi Jesu Incarnationis ac Passionis mysterio exhi-

(p) היינו מעולם לא משלת בם לא נקרא שמך עליהם

(a) *Judic.* V, 4, 5: *Montes fluxerunt a facie Domini; & Sinai, a facie Domini Dei Israël*. *Psal.* LXVII, 8, 9.
(b) *Exod.* XIX, 16: *Ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem*. . . . 18: *Totus autem mons Sinai fumabat, eò quòd descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus de eo, tamquam de fornace*.
(c) כקדח אש המסים מים תבעה אש (d) Ὡς κηρὸς ἀπὸ πυρὸς τήκεται, καὶ κατακαύσει πῦρ τοὺς ὑπεναντίους. (e) *Exod.* XX, 18, 19. (f) *Deut.* V, 24, 25.
(g) בעשותך נוראות לא נקוה: ירדת מפניך הרים נזלו (h) 1 *Cor.* II, 7.

℣. 5. Occurristi lætanti, & facienti justitiam: in viis tuis recordabuntur tui: ecce tu iratus es, & peccavimus: in ipsis fuimus semper, & salvabimur.

℣. 6. Et facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ, universæ justitiæ nostræ: & cecidimus quasi folium universi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos.

℣. 7. Non est, qui invocet nomen tuum; qui consurgat, & teneat te: abscondisti faciem tuam a nobis, & allisisti nos in manu iniquitatis nostræ.

COMMENTARIUS.

exhibuit: *Loquimur*, inquit, *Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram, quam nemo Principum hujus sæculi cognovit; si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Sed sicut scriptum est: Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Scribens Apostolus, *iis qui diligunt illum*, pro, *expectantibus te*, ab Hebræo & Septuaginta Interpretibus discrepat. Hi enim ferunt (i): *A sæculo non audivimus, neque oculi nostri viderunt Deum præter te, & opera tua, quæ facies expectantibus misericordiam* tuam.

℣. 5. Occurristi lætanti, et facienti justitiam, vel hilariter justitiam exercenti, omnesque animi delicias in eo collocanti, ut officio accuratè fungatur. Venisti, o Deus, opem populo ferens, servoque tuo Judæ Macchabæo, brevem numerum ducens fidelium Judæorum, integram Religioni fidem servantium, tuæque Legis studiosorum, quemadmodum in Macchabæis legimus (k): *Det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem corde magno & animo volenti.* Septuaginta (l): *Occurret expectantibus justitiam.* Dei misericordia justitiam exercentibus occurret. Duo hæc nunquam sejunguntur. Nunquam enim Dei misericordia absque justitiâ est, neque justitia sine misericordiâ, inquit Theodoretus (m). Quamobrem expectantibus, & justitiam exercentibus, misericordiam misit.

Ecce tu iratus es, at nos peccavimus. In ipsis (peccatis) fuimus semper; at salvabimur. Postquam nobis irasceris, nova semper in flagitia ruimus. Ubi peccare incepimus, tu os a nobis avertisti; cùmque in nostrâ ipsorum potestate relicti, cupiditatum nostrarum pondus sectati sumus, e crimine in crimen descendimus; indocilis veluti durusque discipulus, qui a magistro ipsius culpâ relictus, deterior in dies efficitur (n). Ita cùm tu, o Deus, a nobis secesseris, penitus periimus. At quantumvis ingens sit flagitiorum numerus, spem adhuc animo fovemus, fore ut tuâ, o Deus, ope ab extremis, quibus opprimimur, angustiis elabamur. S. Hieronymus ita in hunc locum scribit: *Ordo præposterus: non quia tu iratus es, nos peccavimus: sed quia peccavimus, tu iratus es. Et quia peccavimus, nobis iratus es; Domine; propterea erravimus, & rectam reliquimus viam.*

Hebræus verti aliter potest (o): *Esse tu iratus es, & peccati pœnas luimus a diuturno tempore; & servati sumus* a te. Iram tuam jam diù merebamur; eamque in tam multis, quibus agitabamur, malis experti sumus? at denique misericordiæ tuæ recordatus, nos liberasti. *Peccare* apud Hebræos pro punire, vel peccati pœnas luere, interdum sumi, nemo ignorat (p). Aliter: Iratus es, quòd a longo tempore peccaverimus: id tamen minimè prohibet, quin tu mero misericordiæ tuæ beneficio nos serves. Septuaginta (q): *Ecce tu iratus es, & nos peccavimus: idcirco erravimus.*

℣. 6. Quasi immundus, leprosus, ait Grotius. Vide *Levit.* XIII, 45.

Quasi pannus menstruatæ, omnes justitiæ nostræ. Nonnulli Hebræi reddunt (r), *ut pannus mulieris parientis*; alii, ut pannus laceratus, abjectus, impurus; Grotius, ut *pittacium*, quod pustulis imponi, ac deinde abjici solet. Hoc sumus ipsi, si severè a te expendamur. Tales erant Alcimus, Menelaus, cæterique Israëlis desertores.

℣. 7. Non est qui invocat nomen tuum, qui consurgat et teneat te, iram tuam coërceat, te & impium intercedat, manum tuam cohibeat, ne fulmina jaculeris, utì olim non rarò Moyses (s), Aaron (t), Phinees (u), Levitæ (x), David (y), Josias (z), Jeremias (a). *Væ Prophetis insipientibus*, clamat Ezechiel (b). *Non ascendistis ex adverso*, non intercessistis, *neque opposuistis murum pro domo Israël, ut staretis in prælio*, qui pro Israële non pugnastis, *in die Domini*. Imperator hìc loquens, superiùs monuit (c), neminem sibi occurrisse, qui ad comparandam populo libertatem sibi esset auxilio.

Allisisti nos in manu iniquitatis nostræ, sub flagitiorum nostrorum pondere. Hebræus (d): *Liquescere fecisti nos in manu iniquitatis nostræ*, ceu debitorem, qui in creditoris, omnia sapientis haurientisque, potestatem datus, tabescit, magisque inops in dies efficitur. Septuaginta (e): *Tradidisti nos propter peccata nostra.*

℣. 8. Pa-

(i) Ἀπὸ αἰῶνος οὐκ ἠκούσαμεν, οὐδὲ οἱ ὀφθαλμοὶ ἡμῶν εἶδον Θεὸν πλὴν σοῦ, καὶ τὰ ἔργα σου, ἃ ποιήσεις τοῖς ὑπομένουσι ἔλεον. (k) 2 *Macc.* I, 3. (l) Συναντήσεται τοῖς ὑπομένουσι δίκαιον.
(m) *Theodoret. hic*: Οὔτε γὰρ ἔλεος τοῦ Θεοῦ ἄκριτος, οὐδὲ ἡ κρίσις ἀνάλεος. Διάτοι τοῦτο τοῖς ὑπομένουσι, καὶ τοῖς ποιοῦσι τὸ δίκαιον, τὴν τοῦ ἐλέου χορηγίαν συνέζευξεν. (n) *Theodoret. hic.*
(o) הן אתה קצפת ונחטא בהם עולם ונושע (p) *Genes.* XXXI, 39; XLIII, 9; *Exod.* V, 16; XXIX, 14, *&c.* (q) Ἰδοὺ σὺ ὠργίσθης, καὶ ἡμεῖς ἡμάρτομεν, διὰ τοῦτο ἐπλανήθημεν.
(r) *Heb.* וכבגד עדים כל צדקותינו 70: Ὡς ῥάκος ἀποκαθημένης ἡ δικαιοσύνη ἡμῶν. *Ut pannus mulieris sedentis, idest, vel parientis, vel sedentis impura, ut Rachel. Genes.* XXXI, 35. *Sym.* Κυοῦν. *Aqu.* Μαρτυριῶν, *hoc est testimoniorum, quando sanguis in primo coitu maritali virginis approbatur. Hieron. hic. Vide Deut.* XXII, 15, *&c.* (s) *Exod.* XXXII, 31. (t) *Num.* XVI, 45.
(u) *Num.* XXV, 7, 8; *& Psal.* CV, 30. (x) *Exod.* XXXII, 27, 28; *Deut.* XXXIII, 9.
(y) 2 *Reg.* XXIV, 17. (z) 4 *Reg.* XXII, 15. (a) *Jerem.* VII, 15. (b) *Ezech.* XIII, 5. (c) *Isai.* LXIII, 5.
(d) ותמוגנו ביד עונינו (e) Παρέδωκας ἡμᾶς διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν.

℣. 8. Et nunc, Domine, pater noster es tu, nos verò lutum: & fictor noster es tu, & opera manuum tuarum omnes nos.

℣. 9. Ne irascaris, Domine, satis, & ne ultra memineris iniquitatis nostræ: ecce respice, populus tuus omnes nos.

℣. 10. Civitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Jerusalem desolata est.

℣. 11. Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.

℣. 12. Numquid super his continebis te, Domine, tacebis, & affliges nos vehementer?

COMMENTARIUS.

℣. 8. PATER NOSTER ES TU, NOS VERO LUTUM: ET FICTOR NOSTER ES TU, ET OPERA MANUUM TUARUM OMNES NOS. Luculentiùs Hebræus: *Es nunc pater noster tu: nos lutum, & finxisti nos*, uti lutea vasa figulus. *Opus manûs tuæ omnes nos.*

℣. 9. NE IRASCARIS, DOMINE, SATIS. Hebræus (f): *Ne irascaris, Domine, usque valde.* Ne omnem iræ tuæ severitatem in nos exeras; parce. Iram tuam in finem usque ne proroges: gentis tuæ denique miserere.

℣. 10. CIVITAS SANCTI TUI, vel sanctitatis tuæ, sancta urbs tua, sanctuarii tui civitas, FACTA EST DESERTA. Veri Dei Religionem evertere apud Judæos impiè moliens Antiochus Epiphanes (g), vectigalium Præfectum eò misit, qui omnes Jerosolymæ cives armis aggressus, urbem incendit ac diripuit, domos evertit, mœnia dejecit, arcemque in monte Sion condidit, relictâ illius præsidio impiorum manu, qui violatâ innumeris flagitiis Templi sanctitate, Judæos illius ingressu prohibebant: quamobrem desertum jacuit Templum: *Sanctificatio ejus desolata est.* Eaque fuit Templi profanatio, ut cùm, triennio pòst, Judas Macchabæus accederet Templum purgaturus ab iis, quæ Ethnici indignissimè in eo gesserant, profanatum Altare, exustas Templi fores, eversa conclavia, plenaque virgultis & dumis atria, veluti saltum, montemve desertum invenerit (h). Hoc ita perspicuè describit hoc loco Isaias, veluti cum Judâ Macchabæo vixerit, ex quo accuratissimam habemus malorum descriptionem, quæ Templum & Jerosolymam suâ ætate afflixerunt.

CAPUT LXV.

Ethnicorum conversio. Reprobatio Judæorum. Horum Idololatria & superstitio. Fidelium felicitas.

℣. 1. QUæsierunt me, qui antè non interrogabant: invenerunt, qui non quæsierunt me. Dixi: Ecce ego, ecce ego ad gentem, quæ non invocabat nomen meum.

COMMENTARIUS.

℣. 1. QUÆSIERUNT ME, QUI ANTE NON INTERROGABANT. Plerique hoc Caput cum superiore continuant, cùm contineri eo censeant Dei verba ad religiosos questus precesque mox recitatas. Hæc Dei responsio ad Judæorum reprobationem, futuramque gentium conversionem pertinet. Duplex hoc argumentum luculentissimè hoc loco exprimitur. Cùm verò Prophetæ ubi de rebus longè remotis vaticinantur, propinquiori aliquo argumento audientium animos detinere soleant (a); hinc fit, ut Deus præsentem arguat Judæorum idololatriam, ac cætera flagitia, quibus eâ ætate populus inquinabatur. Spectare autem videtur ea, quæ sub Macchabæis contigêre; cujus ætatis bella & ærumnas consecuta est institutio Christianæ Ecclesiæ, quæ apud Prophetam hoc loco Jerosolyma nuncupatur. Bella extremasque calamitates Judæis minitatur; horum exitum prædicit, atque Jerosolymæ restaurationem: novum populum, novum Sacerdotium pollicetur, sublimibus adeò nobilibusque sententiis, ut de Jerosolymâ post captivitatem Babylonicam, deque Judæis in patriam reversis explicari nequeant. Aliam urbem, aliumque populum intelligi necesse est; Christianam Ecclesiam, gentemque Christianam, alienam scilicet gentem, quæ antequam Evangelii præcones intelligeret, Deum agnoscere negligens, denique ad ipsum conversa est. Hunc locum S. Paulus de Gentium conversione interpretatur, cùm legat (b): *Inventus sum a non quærentibus me: palam apparui iis, qui me non interrogabant.* Septuaginta (c): *Manifestus factus sum non quærentibus me: inventus sum a non interrogantibus me.*

℣. 2. Ex-

(f) אל תקצף יהוה עד מאד

(g) 1 *Macc.* I, 31, 32, 33, *& seq. Irruit super civitatem repentè, & percussit eam plagâ magnâ, & perdidit populum multum ex Israël, & accepit spolia civitatis, & succendit eam igni, & destruxit domos ejus, & muros ejus in circuitu, &c.* (h) 1 *Macc.* IV, 38: *Viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & in atriis virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus, & pastophoria diruta. Vide & Joseph. Antiq. lib.* XII, *c.* 7; *&* XI.

(a) *Vide Hieron. in Isai.* XXXVII; *Rupert. præfat. in Osee; Ribera, Prælud. in* XII *Prophetas.*

(b) *Rom.* X, 20. (c) Ἐμφανὴς ἐγενήθην τοῖς ἐμὲ μὴ ζητοῦσιν. Εὑρέθην τοῖς ἐμὲ μὴ ἐπερωτῶσιν. *Heb.* נדרשתי ללא שאלו נמצאתי ללא בקשני

℣. 2. Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum, qui graditur in viâ non bonâ post cogitationes suas.

℣. 3. Populus, qui ad iracundiam provocat me ante faciem meam semper: qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres:

℣. 4. Qui habitant in sepulcris: & in delubris idolorum dormiunt: qui comedunt carnem suillam, & jus profanum in vasis eorum.

℣. 5. Qui dicunt: Recede a me, non appropinques mihi, quia immundus es: isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens totâ die.

COMMENTARIUS.

℣. 2. Expandi manus meas tota dia (d) ad populum incredulum, ad gentem Judæam, verbis meis semper repugnantem, meisque jussionibus contumacem, debitoque ab officio recedentem. Idem etiam S. Paulus hæc verba de Judæis explicat (e): *Ad Israël autem dicit: Totâ die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem*; Hebræus (f), *ad populum rebellem*, desertorem, aberrantem, contumacem.

℣. 3. Qui immolant in hortis, et sacrificant super lateres, qui vel in hortis tectisque aras habent. Quæ Numina in hortis colerentur, neminem latet, ea scilicet, quibus nihil impudentius turpiusve apud Profanos erat; Venus, Adonis, Priapus. Super lateres seu tecta, soli potissimùm, lunæ, & Astris, seu militiæ Cœli sacra fiebant. Sunt qui laterum nomine cespititias aras intelligant, opere tumultuario in hortis constructas Diis, quorum Religio in hortis exercebatur. Alii lateritias aras accipiunt. Putat Grotius, significari ab Isaiâ *lapides insignes*, qui in triviis dedicabantur, ac superstitiosâ religione colebantur, quorum usu Moyses interdicit (g). Fortè etiam thus super laterem coram sepulcris cremabatur; fermè uti parva quædam munera Diis Manibus apud Græcos Romanosque offerri solebant (h):

Est honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.
Parva petunt Manes . . . .
Tegula porrectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges, parvaque mica salis.

Quæ deinde sequuntur, magnoperè huic conjecturæ favent; statim enim mentio inducitur tumulorum, quos superstitiosi frequentabant. Ajunt Septuaginta (i): *Adolent incensum super lateres dæmonibus, qui non sunt*, fortasse Diis inferis.

℣. 4. Qui habitant in sepulcris, et in delubris idolorum dormiunt. Sunt qui censeant, sepulcra & Idolorum delubra unam eamdemque rem hoc loco significare; quippe olim Deorum delubra nonnisi veteris alicujus Regis aut Herois sepulcra erant (k). In his delubris, ait S. Hieronymus (l), *stratis pellibus hostiarum incubare solitè erant, ut somniis futura cognoscerent. Quod in fano Æsculapii usque hodie error celebrat Ethnicorum, multorumque aliorum*. Virgilius (m):

. . . . . Cæsarum ovium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit.
Multa modis simulacra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Colloquio.

Morem hunc Judæis ignotum non fuisse, docet Strabo (n), cùm scribat, eas gentes in Templo dormire consuevisse, ut prophetica somnia exciperent & pro se & pro aliis; at bona somnia iis tantùm offerri, qui castè ac justè viverent, cæteris nihil sperandum.

Asserunt alii, duplex superstitionis genus planè diversum hoc loco innui; alterum, cùm sepulcra frequentarentur, exercendæ necromantiæ causâ, evocandarumque animarum, ut futura discerentur; alterum, cùm nox in Templo agebatur, ut bona ibi somnia viderentur, vel turpissima libido exerceretur: *Nam quo non prostat fœmina Templo?* inquit Juvenalis, ut nocturnos ritus, & iniquissima sacra faciat.

Frequens est apud Profanos Scriptores (o) mos veneficorum, Manes in tumulis excitantium, ut arcanas ignotasque res nossent. Nonnulli denique arbitrantur, absolutè Judæos argui a Prophetâ, quòd ad quælibet indiscriminatim sepulcra accedant, vel mortuos intra urbes domosque tumulo condant, spretâ lege, quæ ab eo sordium genere interdicebat. Reddi potest Hebræus (p): *Manent in sepulcris, & noctem agunt in monumentis*, in desertis locis, vel in specubus, uti vertunt Septuaginta (q), Syrus & Arabs; quamobrem unam eamdemque rem his vocibus significari, dicendum est. In specubus noctem agunt, ubi sepulcra sunt, ut bona somnia, sperataque insanissimè vaticinia videant. Ita interpretantur Septuaginta, S. Cyrillus, Theodoretus, aliique plures.

Qui comedunt carnem suillam, et jus profanum in vasis eorum. Judæos suillâ interdici (r), neminem latet. Porrò ipsi ab eâ abstinebant eâ religione, ut suem venerari, a Profanis crederentur (s): *Et porcinum Numen adorat*. At hi, quos arguit Isaias, eâ religione minimè deterrebantur, quin iis carnibus indiscriminatim, non secùs ac reliquis, uterentur, coctarumque carnium jus in lancibus apponerent. Septuaginta (t): *Comedentes carnem suillam, & jus hostiarum; inquinata omnia vasa eorum*.

℣. 5. Qui dicunt: Recede a me, quia im-

mun-

(d) *Heb.* כל היום *70:* Ὅλην τὴν ἡμέραν. *Aq. & Sym.* Πᾶσαν ἡμέραν, omni die, *apud Theodoret. in Rom.* x, 21. (e) *Rom.* x, 21. (f) על עם סרר (g) *Levit.* xxvi: *Nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terrâ vestrâ, ut adoretis eum. Vide & Num.* xxxiii, 52: *Confringite titulos, & statuas comminuite.* (h) *Ovid. Fast.* x. (i) Θυμιῶσιν ἐπὶ ταῖς πλίνθοις τοῖς δαιμονίοις, ἃ οὐκ ἔστιν.
(k) *Vide Clem. Alex. Euseb. alios.* (l) *Hieron. hic.* (m) *Æneid.* vii. (n) *Strab. lib.* 16, *p.* 523. Ἐγκοιμᾶσθαι δὲ καὶ αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἄλλους τοὺς εὐονείρους· καὶ προσδοκᾶν δεῖν παρὰ τοῦ Θεοῦ, καὶ δῶρον ἀεί τι, καὶ σημεῖον τοὺς σωφρόνως ζῶντας, καὶ μετὰ δικαιοσύνης, τοὺς δ' ἄλλους μὴ προσδοκᾶν. (o) *Ovid. Ep. Hypsiphiles: Per tumulos errat sparsis discincta capillis,*
Certaque de tepidis colligit ossa rogis.
Lucan. lib. 6. Pharsal. Horat. Epodon, Od. 7; Apul. lib. 2 Metes.
(p) הישבים בקברים ובנצורים ילינו (q) Καὶ ἐν τοῖς μνήμασι, ἐν τοῖς σπηλαίοις κοιμῶνται δι' ἐνύπνια. (r) *Levit.* xi, 7: *Et sus qui cùm ungulam dividat, non ruminat.* (s) *Petron. Satyric.*
(t) Οἱ ἔσθοντες κρέας ὕειον, καὶ ζωμὸν θυσιῶν, μεμολυμμένα πάντα τὰ σκεύη αὐτῶν.

℣. 6. Ecce scriptum est coram me: non tacebo, sed reddam, & retribuam in sinu eorum.

℣. 7. Iniquitates vestras, & iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus, qui sacrificaverunt super montes, & super colles exprobraverunt mihi, & remetiar opus eorum primum in sinu eorum.

℣. 8. Hæc dicit Dominus: Quomodo si inveniatur granum in botro, & dicatur: Ne dissipes illud, quoniam benedictio est; sic faciam propter servos meos, ut non disperdam totum.

℣. 9. Et educam de Jacob semen, & de Judâ possidentem montes meos: & hæreditabunt eam electi mei, & servi mei habitabunt ibi.

COMMENTARIUS.

MUNDUS ES. Qui, cùm turpibus adeò sordibus, inter specuum & sepulcrorum tenebras, & usu carnium, immundarumque carnium jure sese inquinaverint, insigni simulatione haberi volunt Legis studiosissimi, perque compita incedentes a nemine tangi volunt, clamantque, ubi quis occurrat: Cave accedas, ne me impurum tangendo facias. En Pharisæorum Judæorumque pietatem simulantium descriptionem; dealbatis sepulcris similium (u), lupisque ovium pelle indutis (x), ut ait Christus.

ISTI FUMUS ERUNT IN FURORE MEO, IGNIS ARDENS TOTA DIE. Furoris mei die illos in fumum redigam: in ignem nunquam extinguendum illos projiciam (y); justissimum illorum supplicium, qui totius vitæ curriculo inanissimum humanæ æstimationis fumum sectati sunt. Hebræus (z): *Isti fumus erunt in naso meo*, vel in ore meo: *ignis ardens totâ die*. Iræ sedem Hebræi nasum constituunt (a). Me provocare non cessant, iramque ad os vocare. Assidua fumi causa naso meo sunt: ignis sunt totâ die ardens ac fumans. Similes interdum locutiones usurpant Profani (b):

Collectumque premens volvit sub naribus ignem.

Et Martialis:

. . . . . Rabido nec perditus ore
Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.

℣. 6. ECCE SCRIPTUM EST CORAM ME (peccatum eorum): NON TACEBO. Hæc in libris meis exarata sunt: accuratissimè descripta servo: ea non obliviscar, non dissimulabo: exprobrabo & puniam: *Non tacebo, sed reddam, & retribuam in sinu eorum*, sinum illorum bis complebo: tam multa congeram, ut ferendo lassescant, veluti cùm quis aliquid in sinum vel saccum nullâ mensurâ injicit, quantum capiunt (c): *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum*, inquit Christus (d). Hæc bonorum mensura penès alteram vitam futura est; hæc, alio sensu, mensura malorum. Infinita illis felicitas; his æterna supplicia.

℣. 7. SUPER COLLES EXPROBRAVERUNT MIHI, me injuriâ affecerunt, sacris in eorum vertice, me invito, factis, veluti insultantes, meque coram Templo tuo irritaturi. Hebræus ad verbum (e): *Super colles probro affecerunt me*. Duplex erat excelsorum genus: alterum Diis profanis sacrum, alterum vero Deo: vetitum utrumque & malum, præsertim verò inanibus Diis dedicatum; quippe cùm iis locis turpissima flagitia exercerentur, teste Regum historiâ. Quamobrem nihil magis probrosum nomini Divino esse poterat, si dicere fas est, quàm ubi gens, quæ populi Dei appellatione gloriabatur, turpissima ea sacra frequentaret, eorumque flagitiorum particeps haberetur.

℣. 8. QUOMODO SI INVENIATUR GRANUM IN BOTRO, ET DICATUR: NE DISSIPES ILLUD, QUONIAM BENEDICTIO EST; SIC FACIAM PROPTER SERVOS MEOS, NE DISPERDAM TOTUM. Similes botro estis prorsus vitiato corruptoque, in quo unicum solummodò acinum invenio vitii expertem. Toti ne racemo parcam unius acini gratiâ, an bonum acinum cum malis perdam? Minimè id quidem. Malos perdam, bonum servabo. Punietur Israël, dissipabitur, proscribetur, ageturque captivus: at servi mei gratiâ, quem in universâ cæterorum corruptelâ purum nactus sum, omnino Israëlem non perdam: aliquem hominum numerum servabo, in patriam rediturum. Vel, si de Christi Jesu ætate explices: Gens universa gravissimo omnium scelere tenebatur, cùm omnes in Justi necem conspiraverint, ejusque sanguinem in caput suum imprecati sint. Penitus a Deo destitui debebant; at veterum Patriarcharum causâ paucorumque Justorum qui Christo Jesu crediderant, ob factas priscis Patriarchis promissiones, ipsiusque Christi orationem, qua is in cruce pendens Patri pro ipsorum salute supplicavit, Deus mero misericordiæ suæ beneficio, aliquam illorum partem servavit, quam ad fidem reduxit; & non minimum etiam illorum numerum seposuit, ad sese reversurum, antequam supremus sæculorum finis accedat, ubi gentium plenitudo in Ecclesiam ingressa fuerit (f). Apud Hebræum legi potest (g): *Faciam propter servos meorum*, vel *servi mei causâ*. Alteram lectionem secuti sunt Septuaginta (h); quæ meliùs convenire videtur cum *uno acino*, quem Deus in toto racemo integrum ac minimè vitiatum invênit. Hæc locutio, *Quoniam benedictio est*, significare potest, servandum esse hunc acinum, ut Deo offeratur (i); vel quòd munus sit Divinæ benedictionis, minimè passæ, ut superstes hic acinus cum cæteris vitiaretur; vel denique (k), quòd hic acinus cibo aptus sit. Solent Hebræi *benedictionis* nomine appellare omnia, quæ in cibum adhibentur. Ita dicitur, mittere benedictionem, dare benedictionem, accipere benedictionem (l) pro munere universè accepto ex fructibus, vel eduliis.

℣. 9. POSSIDENTEM MONTES MEOS, Chananitidem,

(u) *Matt.* XXIII, 27. (x) *Matt.* VII, 15. (y) *Theodoret. alii passim.* (z) אלה עשן באפי אש יקדת כל היום (a) *Deut.* XXIX, 20, 27; 1 *Reg.* XXII, 9; *Job*, IV, 9; *Psal.* II, 12, *& passim.* (b) *Virgil. Georgic.* 3. (c) Confer *Jerem.* XXXII, 18: *Qui reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum.* *Psal.* LXXVIII, 12: *Redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum.* (d) *Luc.* VI, 38. (e) על הגבעות חרפני 70: Ἐπὶ τῶν βουνῶν ὠνείδισάν με. (f) *Rom.* XI, 25. (g) אעשה למען עברי לבלתי השחית הכל (h) Ἕνεκεν τοῦ δουλεύοντός μοι. (i) *Theodoret.* (k) *Grot. Anglic.* (l) *Genes.* XXXIII, 11; *Deut.* XXXIII, 16; 1 *Reg.* XXV, 27; XXX, 20.

℣. 10. Et erunt campestria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum, populo meo, qui requisierunt me.

℣. 11. Et vos, qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis Fortunæ mensam, & libatis super eam.

COMMENTARIUS.

tidem, uberrimam regionem, cujus montes fœcundissimi; regionem montibus asperam, vini, olei, mellis, fructuum & pascuorum feracibus. *Videbo*, ajebat Moyses (m), *montem istum eximium & Libanum*. Et alibi (n): *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, Domine*. Judæi certè, e captivitate reversi, Palæstinam iterum obtinuerunt: at hæc in figurâ ipsis contingebant; ipse enim reditus adventum Servatoris, & eorum felicitatem, qui credituri erant ipsi, designabat.

℣. 10. Erunt campestria in caulas gregum. Hebræus: *Erit Saron in habitaculum pecoris*. Saron pro agro uberi, & pascuorum feraci usurpari videtur. Varias Palæstinæ regiones eo nomine donabant Hebræi, veluti eam quæ circa Liddam, Joppen, & Jamniam jacet (o); vel, ut ait Eusebius, agrum qui a Cæsareâ Palæstinæ ad Joppen usque porrigitur (p). Saronis etiam appellatione distinguebatur ingens Esdrelonis planities, aliter magnus Campus, & vallis Jezrahel; ac demum quædam Basanitidis pars, trans Jordanem. Apud Itineraria id etiam nominis adscribitur agro inter Ecdippum ac Ptolemaidem. In Veteri Testamento (q) Saronis nomen agro Basan, trans Jordanem, potissimùm dari mihi videtur. Septuaginta (r): *Erunt in nemore ovilia gregum*.

Et vallis Achor in cubile armentorum. Vel: Multa boum præsepia in eâ valle numerabuntur. Vallis Achor circa Jerichuntem erat; eaque nomen acceperat ex miserrimo Achan, ibi lapidibus obruto, quòd in Jerichuntis excidio aliquid surripuisset (s). Uberrima erat vallis. Pollicetur Osee (t) Israëlitis fore, ut cùm ipsi e captivitate reversi fuerint, vallis Achor ipsorum spes recreet, uberrimas messes ferens.

℣. 11. Qui ponitis fortunæ mensam, et libatis super eam. Hebræus (u): *Qui struitis* ipsi *Gad mensam, & impletis Meni libationes*; seu pocula impletis, in obsequium Meni effundenda. Quid sint Gad & Meni, quæritur. Aliqua jam disputavimus in Commentario ad Genesim, xxx, 11, validisque argumentis docuimus, *Gad* solem esse, & *Meni* lunam. Uterque verò bonæ fortunæ præerant; & iis, quorum nativitas sub alterutrius horoscopo contingebat, constans fortuna futura esse credebatur. Notior est *Meni*, quàm *Gad*; eàque Lunam significari, communis fermè opinio est. Si quæras, quo ritu duo hæc Numina colerentur; apud Demosthenem (x) lego, bonæ fortunæ causâ sacra fieri consuevisse Apollini *viarum Præsidi*, Latonæ, Dianæ; impositosque mensis vini crateres, ad viarum capita, ut placarentur; crematosque suffitus, ductas choreas, delatasque coronas. *Apollo* idem est sol & *Gad*; *Diana*, eadem est *Meni* & Luna. Favet etiam luculentissimè Aristophanes (y), mulierem in Cerealibus inducens munera deferentem, ac vota facientem Cereri & Proserpinæ, ut bonam fortunam largiantur. Huic comes ancilla est, cistam ferens, in eàque placentam, Deæ offerendam. Proserpinam ipsam esse lunam, nemo ignorat. Sacra, quæ Athenis Proserpinæ fiebant, bonæ fortunæ causâ, eadem sunt, quæ hîc a Prophetâ arguuntur.

Conviviorum quorumdam, quæ Lunæ sive Hecatæ in triviis struebantur, frequenter meminere Profani (z). Parva hæc solemnia in Neomeniis agebantur. Locupletes pauca quædam edulia vespere exponebant, Hecates obsequio. Hecatea cœna in proverbium abierit, pro cœnâ levissimâ. Hæc rapiebant pauperes, eaque lunam comedisse ajebant. Accusat Cononem Demosthenes (a), quòd *Hecatæa*, seu cœnam Hecatæ paratam, comederit. Narrat hîc S. Hieronymus: *Est autem in cunctis urbibus, & maximè in Ægypto, & in Alexandriâ, Idololatriæ vetus consuetudo, ut ultimo die anni & mensis eorum, qui extremus est, ponant mensam refertam varii generis epulis, & poculum mulso mistum, vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auspicantes*. In Armeniâ præsertim, finitimisque regionibus Meni colebatur, sub Amani, sive Arimani appellatione. Hunc alii solem esse ajunt; alii lunam. Scribit Strabo (b), Anani, qui idem est *Meni*, Templum sacrum fuisse Anaidi, seu Dianæ, & Anandrato. Meminit alibi (c) Templi *Menos*, scilicet Mensis, Lunæ sacri. Eo autem obsequio id Numinis apud Reges habebatur, ut solemne jusjurandum, quod *Regis jusjurandum* dicebatur, *fortuna Regis*, seu *Men-Pharnacis*, vetusti earum gentium Regis, appellaretur. Alia erant plura Menos Templa, Lunæ dedicata, veluti in Albanis, in Phrygiâ, & Menos fanum in loco cognomine, & Ascæi, apud An-

(m) *Deut.* III, 25. (n) *Exod.* XV, 27. (o) *Hieronym. hic*. (p) *Euseb. in locis*. *Vide Act.* IX, 35. (q) *Vide* 1 *Par.* V, 16; XXVII, 29; *Isai.* XXXIII, 9. (r) 70: Ἔσονται ἐν τῷ δρυμῷ ἐπαύλεις ποιμνίων. (s) *Josue*, VII, 24. (t) *Osee*, II, 15: *Dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam spem*. (u) הערכים לגד שלחן והממלאים למני ממסך (x) *Demosth. contra Midiam*: Περὶ τύχης ἀγαθῆς Ἀπόλλωνι ἀγυιεῖ, Λατοῖ, Ἀρτέμιδι, καὶ κατ' ἀγυιὰς κρατῆρας ἱστάναι, καὶ χορούς, καὶ στεφανηφορεῖν κατὰ τὰ πάτρια. *Vide & advers. Macartat. p.* 667: Περὶ τύχης ἀγαθῆς, Ἀπόλλωνι ἀγυιεῖ, Λατοῖ, Ἀρτέμιδι, καὶ τὰς ἀγυιὰς κνισῆν, καὶ κρατῆρας ἱστάναι, &c. (y) *Aristoph.* Θεσμοφοριαζούσαις.

Ἀλλ' ὦ περικαλλὴ Θεσμοφόρω, δέξασθέ με.
Ἀγαθῇ τύχῃ.
Ὦ Θρᾷττα τὴν κίστην κάθελ', ἆτ' ἔξελε
Τὸ πόπανον, ὅπως λαβοῦσα θύσω ταῖν θεαῖν.

Scoliast. Bourdin. ibid. Τοῖς ποπάνοις καὶ πλακουντίοις ἔθος εἶχον αἱ γυναῖκες θεσμοφοριάζουσαι ταῖς θεαῖς προσθύειν, τοῦ εὐπραγεῖν καὶ εὐτυχεῖν. (z) *Aristophan. in Pluto*. Πλουτοῦντας δεῖπνον κατὰ μῆνα προσάγειν.

Τοὺς δὲ πένητας τῶν ἀνθρώπων ἁρπάζειν πρὶν καταθεῖναι.

(a) *Demosth. contra Conon.* Ἑκαταῖα κατεσθίειν. *Vide & Athenæum, lib.* 7, *c.* 21, *p.* 325. (b) *Strabo, lib.* 12, *p.* 352: Τὸ τῆς Ἀναΐτιδος, καὶ τὸ τῶν συμβώμων θεῶν ἱερὸν ἱδρύσαντο Ὠμανοῦ, καὶ Ἀναδάτου Περσικῶν δαιμόνων. (c) *Strabo, lib.* 12, *p.* 383: Ἔχει δὲ καὶ τὸ ἱερὸν μηνὸς.... Ἐτίμησαν δὲ οἱ βασιλεῖς τὸ ἱερὸν τοῦτο οὕτως εἰς ὑπερβολήν, ὥστε τὸν βασιλικὸν καλούμενον ὅρκον τοῦτον ἀπέφηναν, τύχην βασιλέως, καὶ μῆνα Φαρνάκου. Ἔστι δὲ τοῦτο καὶ σελήνης τὸ ἱερόν, &c.

℣. 12. Numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis: pro eo quòd vocavi, & non respondistis: locutus sum, & non audistis: & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui, elegistis.

℣. 13. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce servi mei comedent, & vos esurietis: ecce servi mei bibent, & vos sitietis:

℣. 14. Ecce servi mei lætabuntur, & vos confundemini: Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritûs ululabitis.

℣. 15. Et dimittetis nomen vestrum in juramentum electis meis: & interficiet te Dominus Deus, & servos suos vocabit nomine alio.

℣. 16. In quo, qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen: & qui jurat in terrâ, jurabit in Deo amen; quia oblivioni traditæ sunt angustiæ priores, & quia absconditæ sunt ab oculis meis.

COMMENTARIUS.

Antiochiam Pisidiæ, & quod in agro Antiocheno Syriæ. Scribit Cleomedes (d), Lunam appellari *Mena*, dum crescere incipit, & similis est τῷ sigma C. Apud Armenos ac Phryges sub virili formâ & nomine colebatur, utì optimè norunt Antiquitatis studiosi. Fusè docet Bynæus, Lunam apud veteres Græcos fuisse *Meni* appellatam. *De Calceo Hebr. lib. 1, cap. 9, art. 10.* At apocryphus Liber de Petri Prædicatione (e), Hebræos arguit, quòd Angelos, Lunam & Meni, ceu res planè distinctas, venerarentur.

Plutarchus (f), aliique Veterum plures asserunt, *Arimanum*, seu *Arimanem* Persis fuisse malum Dæmonem, seu mali principium; bonum verò Dæmonem, & boni authorem, *Oromasdum*. Hæc pugnare videntur cum iis, quæ mox posuimus. At quis nesciat, Profanos Diis suis, mox utì bonis amicisque, statim verò utì malis ac noxiis, sacra facere consuevisse? Fortasse Judæi, cùm mensas Gad, & Meni instruerent, illud volebant, ut illorum iram a se averterent, ac benevolentiam promererentur. Deus Gad notissimus erat in Mesopotamiâ, Armeniæ proximâ, cùm Lia, Jacobi uxor, filium ex hujus nomine appellarit (g).

Septuaginta (h) reddunt: *Parantes Dæmoni mensam, & implentes fortunæ potionem.* Chaldæus de Numinibus universè accipit. Syrus sub *Gad* & *Meni* nominibus bonam fortunam intelligit. Grotio *Gad* significare videtur fortunam, sive bonam sive malam, sed sæpiùs bonam, inter Hebræos, Chaldæos, Arabes. Symmachus alio sensu interpretatur τὸ *Meni*; *Libatis absque me*, me inconsulto, imò & invito. Hoc superstitionis genus usque ad Babylonicam captivitatem apud Judæos perseveravit. Hujus meminit non uno in loco Jeremias (i); ac tradit, illos & placentas & libationes Reginæ Cœli offerre consuevisse.

℣. 12. Numerabo vos in gladio. In Hebræo lusus verborum est inter *Meni*, & *Maniti*, numerabo. Cùm vos sacra *Meni faciatis*, ego vos recensebo, ut gladio secem; omnes morti destinavi, nemine excepto.

℣. 13. Ecce servi mei comedent, et vos esurietis. Hoc omnino tunc impletum est, cùm Christus Ethnicis aditum in Ecclesiam reseravit. Hi beatissimam bonorum omnium copiam ibi invenêre, expletis abundè omnibus animi desideriis; cùm Judæi, qui oblatos sibi sanctissimos cibos abjecerunt, sibi ipsis relicti, & canum instar fame rabidi, nihil inveniant, quo satientur: *Famem patientur ut canes, & circuibunt civitatem* (k).

℣. 15. Dimittetis nomen vestrum in juramentum, imprecandi formulam, electis meis. Ita olim imprecabuntur: Similis Judæi fias: te deserat Deus, utì gentem illam miserrimam destituit; vel, ita in me animadvertat Deus, ut in Hebræos, si fidei defuero. Septuaginta (l): *Relinquetis nomen vestrum in satietatem electorum meorum.* Molesta illis fiet de rebus vestris sermocinatio: vestri memoriam odio ac fastidio habebunt (m). At veteres Interpretes Græci Hebræum (n) eo modo transtulerunt, quo Vulgata.

Interficiet te Dominus, et servos suos vocabit nomine alio. Peribunt Judæi, & a fœdere excludentur; electaque soboles, ac nova Domini gens nomine Christianorum donabitur. Judæorum appellatio veros Numinis cultores minimè significabit.

℣. 16. In quo qui benedictus est super terram, benedicetur in Deo amen, in Deo veritatis. Quemadmodum ex Judæorum nomine malè imprecandi forma; ita bene precandi verba ex servorum meorum appellatione accipietur. Ubi quis bene alteri dixerit, ita precabitur: *Benedicat tibi Dominus veritatis*, promissa integerrimâ fide servans, & consilia non mutans, *utì benedixit Christianis*, servis morigeris, quibus ex ipso Dei ore *nomen novum* accessit. *Amen* Hebraicè veritatem, fidelitatem fidemque significat.

Et qui jurat in terra, jurabit in Deo amen. Nulla unquam Idolorum Deorumve mentio, ubi quis jusjurandum nuncupaverit: unus veritatis Deus pro teste adhibebitur; ipse unus agnoscetur Deus: nulla deinceps cultûs divisio, quæ tum Baalia & Melchom, tum Dei nomine jurare docebat (o): *Jurant in Domino, & jurant in Melchom.* ℣. 17. Ego

(d) *Cleomed. lib. 5 Meteor.*

(e) *Apud Origen. tom. 14 in Joan.* (f) *Plut. de Iside, & Osiride. Ita Laërt. Poëm. lib. de vitis Philosoph. ex Dinonis hist. 5; Arist. lib. 1 de Philosophiâ; Hermipp. lib. 1 de Magis, &c.* (g) *Genes. xxx, 11.*

(h) Ἑτοιμάζοντες τῷ δαίμονι τράπεζαν, καὶ πληροῦντες τῇ τύχῃ κέρασμα. (i) Vide Comment. in Jeremiam vii, 18; & xliv, 17, 18. (k) *Psal. lviii, 7, 15.* (l) Καταλείψετε τὸ ὄνομα ὑμῶν εἰς πλησμονὴν τοῖς ἐκλεκτοῖς μου. (m) *Hieron. Quod in his dici solet, quorum odiosa est recordatio, & memoria, & qui usque ad satietatem nauseamque venerunt.* (n) והנחתי שמכם לשבועה (o) *Sophon. 1, 5.*

℣. 17. Ecce enim ego creo cœlos novos, & terram novam: & non
erunt in memoriâ priora, & non ascendent super cor.
℣. 18. Sed gaudebitis, & exultabitis usque in sempiternum, in his,
quæ ego creo: quia ecce ego creo Jerusalem exultationem, &
populum ejus gaudium.
℣. 19. Et exultabo in Jerusalem, & gaudebo in populo meo: & non
audietur in eo ultra vox fletûs, & vox clamoris.
℣. 20. Non erit ibi ampliùs infans dierum, & senex, qui non impleat
dies suos: quoniam puer centum annorum morietur, & pecca-
tor centum annorum maledictus erit.
℣. 21. Et ædificabunt domos, & habitabunt: & plantabunt vineas,
& comedent fructus earum.

COMMENTARIUS.

℣. 17 EGO CREO COELOS NOVOS ET TERRAM NOVAM. Plures explicationes admittunt hæc verba. I, Sub sæculorum exitum novos Cœlos novamque terram Electorum suorum causâ condet Deus. Ita vulgo Veteres, totaque sensit Ecclesia, fore ut elapso certo annorum numero, quem plures ad sex millia a condito orbe definiunt (p), Deus orbem igne purget, novosque quodammodo cœlos novamque terram condat. At Veterum nonnulli (q), rudem nimis hujus loci explicationem sectati, post mundi exitum mille annos somniati sunt, quorum spatio terra incolis frequentanda sit, ipsique incolæ deliciis, corporisque voluptatibus fruituri. Sententiam hanc quoad mille annorum spatium, corporisque voluptatea damnavit Ecclesia, jussitque nobiliora & puriora sentire de Christi Regno, in Cœlis futuro, non in terris, vitâque omni felicitatis, gloriæ ac deliciarum genere affluente, at spiritualibus, omnique materiæ mistione secretis.

II. Reversis Babylone Judæis novos quodammodo Cœlos novamque terram condidit, novam terræ faciem, novamque ubertatem largiens. Ingrata olim tellus, sterilis, deserta, squallens, cultores deinde passa est atque habitatores. Cœlum exuli miseroque populo nubilum ac tenebrosum, Judæorum votis precibusque clausum, ac denique æneo simile, suaves telluti pluvias imbresque denegans, statim patuit, imbres roremque dedit: populi vota Deus audiit, glomeratæque in Hebræos tenebræ, in faustissimum diem conversæ sunt (r). III denique, Orto inter homines Christo, auditâque Apostolorum prædicatione, Cœlum novum novaque tellus apparuit (s), versis in toto orbe rebus. Ethnici, qui profundâ vitiorum, ignorantiæ & mortis nocte mersi tam diu jacueraot, Evangelico jubari oculos aperuère: terra sceleribus & idololatriæ umbris obruta, sub inferorum potestate & peccati imperio gemens, nedum bonorum operum sterilis, verùm etiam quorumlibet flagitiorum miserrimè ferax, versâ facie, fulgida esse cœpit, libera & fœcunda. Postrema hæc explicatio maximè omnium probabilis est, ac Prophetæ promissionem optimè implet. Confer hunc ℣. cum Capite LXVI, 22.

℣. 20. NON ERIT IBI AMPLIUS INFANS DIERUM, ET SENEX QUI NON IMPLEAT DIES SUOS. Pueri nondum pueritiâ egressi non morientur, neque senes, antequam perfectam felicemque senectutem assequantur. Pueri in ipsâ pueritiâ non rapientur morte, neque viri in ipso ætatis flore deficient. Præcox in medio vitæ curriculo mors in veteri Lege maledicti loco habebatur. *Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos*, inquit Psalmista (t). Minitatus Deus fore, ut impiorum dies corripiat, diuturnam vitam iis, qui integrâ fide Legem servaverint, pollicetur (u). Hæc promissa ad Christianos pertinent sublimiori sensu, quàm ipsa Textûs litera menti exhibeat. Senectus aut juventus non ex dierum numero, sed ex sapientiâ & vitæ sanctitate censetur. Præmium, quod expectamus, non certo annorum numero in terris acto, sed æternâ in Cœlo felicitate continetur. Christus denarium singulis, qui in vineâ suâ laboraverint, largiri vult, quamvis par laboria tempus singulis non fuerit (x).

PUER CENTUM ANNORUM MORIETUR, ET PECCATOR CENTUM ANNORUM MALEDICTUS ERIT. Hæc verba cum præcedentibus jungito. Nullus in posterum seu vir seu puer præcoci morte rapietur. Qui post centum annorum vitam obierit, juvenis adhuc obiisse censebitur; ipsique impii, quos Deus iratus punierit, atque e viventium censu abstulerit, antequam ætatis suæ fines attingent, eâ ætate minores non morientur. Denique, ita diu vivent, ut qui centenarius morietur, puer moriatur (y). Cumque centenarius senex peccaverit, ita illi maledicent, uti puero bimulo maledicitur, qui multorum annorum virum nequitiâ æquet.

Aliter: Pueri in ipsâ pueritiâ non morientur, sed ad longam perfectamque ætatem, ad annos centum pervenient. Quòd si centum annorum vir peccaverit, maledicto subjicietur atque multabitur. Nulla illius ætatis ratio habebitur. Vel: Qui puerorum innocentiam moriens referet, ita habebitur, præmioque donabitur, quasi centum annis vixerit: at impius, quamvis centum annorum vitam exegerit, execrationi erit, ejusque mors supplicii & maledicti loco reputabitur. Diuturna ipsius vita minimè illi proderit: nunquam non præcoci & infelici morte rapietur. Animadvertit Theodoretus, puerum hîc absolutè pro homine usurpari; & centum annos pro æternitate. Æqua esit sors justo & impio, si tempus & diuturnitatem spectes: uterque immortalis erit: utriusque merces & supplicium fine carebunt. Censent Judæi, cùm advenerit Messias, hominibus vitam ita diuturnam fore, uti ante diluvium fuit; quemadmo-

(p) *Hebræi, & Patres, Justin. Lactant. Hieron. Aug.* (q) *Chiliastæ, seu Millenarii, de quibus Hieron. & alii passim.* (r) *Grotius, & alii quidam hic. Vide* ℣. 18: *Ecce ego creo Jerusalem exultationem, & populum ejus gaudium, &c.* (s) *Theodoret. Hieronym. Sanct. Menoch. Tir. alii passim.*
(t) *Psal.* LIV, 28. (u) *Vide Exod.* XX, 12; *Baruc*, III, 14; *Psal.* XC, 16; *Deut.* IV, 1, 4; VI, 2; *Psal.* LIV, 24, *&c.* (x) *Matt.* XX, 10 ... 13. (y) *Castal. Jonathan, & Kimchi, & Rab. Salom. in Lud. de Dieu. Vide* ℣. 22: *Secundùm dies ligni, erunt dies populi mei.*

℣. 22. Non ædificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedet: secundùm enim dies ligni erunt dies populi mei, & opera manuum eorum inveterabunt.

℣. 23. Electi mei non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbatione: quia semen benedictorum Domini est, & nepotes eorum cum eis.

℣. 24. Eritque antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam.

℣. 25. Lupus & agnus pascentur simul, leo & bos comedent paleas: & serpenti pulvis panis ejus: non nocebunt, neque occident in omni monte sancto meo, dicit Dominus.

COMMENTARIUS.

admodum aureæ ætatis hominibus, a Poëtis descriptæ, quos longæva mater jam centenarios, pueros adhuc nequitiæ nescios, nutriebat (z). Hæc de Christianorum statu apud Ecclesiam explicanda sunt; fieri enim omnino nequit, ut homines ad primorum Patriarcharum ætatem unquam redeant.

℣. 22. Secundum dies ligni erunt dies populi mei, vita quercubus par, cedris, cæterisque arboribus, quæ diù vivunt. Chaldæus, Septuaginta, & Hebræorum nonnulli censent, *arborem* hoc loco vitæ arborem esse intelligendam, de qua Genesis; eam scilicet arborem, quæ vitam Adamo allatura fuerat, si is vetito fructu abstinuisset (a): *Sicut dies ligni vitæ, erunt dies populi mei*. Justos frequenter comparat Scriptura (b) cum arboribus secùs aquas satis.

Opera manuum eorum inveterabunt, diu vivent. Hebræus (c): *Et opera manuum suarum consument electi mei*. Hæc verba cum præcedentibus junge. Domos struent servi mei, vineas serent, iisque fruentur. Ita diu vivent, uti arbores quas ipsi serent: *Secundùm dies ligni erunt dies populi mei*; ac tamdiù erunt, ut commodè iis fruantur, suaque ipsorum opera domosque senescentes inspiciant. Hic illos dolor non anget, quòd recentes aliis relinquant. Chaldæus & Hebræus cum hoc versiculo jungunt binas voces, *Electi mei*, quas Vulgata & Septuaginta ad sequentem referunt.

℣. 23. Neque generabunt in conturbatione. Hebræus (d): *Non gignent ad conturbationem*, seu dolorem; Chaldæus, *ad mortem*. Diuturnam agent filii illorum, uti parentes, vitam. Septuaginta & Syrus (e): *Non gignent in maledictionem*. Hæc illis causa doloris non erit, ut filios videant belli calamitatibus, pesti, &c. obnoxios. Hic locus explicari de Baptismo potest, quo Ecclesia filios abluit: sinceri enim solatii locus parentibus est, ubi præcox mors illos sæculi nequitiæ subduxerit; quippe quos æternâ felicitate fruituros sciant.

℣. 25. Lupus et agnus pascentur simul. Hæc locutio nonnisi tropico sensu intelligi potest. Apud Ecclesiam Christianam absolutissima consensio cernitur Caput inter & membra, Pastores ovesque. Alienæ gentes, nullo nexu, nullâque consuetudine junctæ, Fidei & Charitatis vinculo nectuntur, novam in iisdem aquis vitam acquirunt. Agni Carne & Sanguine in eâdem mensâ vescuntur, eadem sentiunt, eadem bona præstolantur. Feræ gentes, indomitæ, barbaræ, quæ hominum terror fuerant, naturam quodammodò exuunt, statim ac Jesu Christi tectum subeunt. Quos lupos diceres, Divino prorsus præstigio instar ovium mitescunt. Cùm S. Paulus furens ceu leo Damascum proficisceretur, movente illius animum Christo, agno mitior efficitur. Hæc porrò sunt portenta, quæ a Christi Evangelio patrantur.

Serpenti pulvis panis ejus. Lethifero morsu necem non afferent: pulvere nutrientur, vel rebus in pulvere inventis, ex Creatoris sententiâ in angues pronunciatâ (f), qua die tentatus est Adam: *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Maledicta, minas ac supplicia, quibus ab ipso rerum initio damnatus est, potissimùm post Servatoris necem expertus est Diabolus, cujus imago anguis fuit; quippe qui eversum imperium, fractas vires, comminutum caput senserit. Adhoc suadère, sibilare, minitari potest: mordêre, nisi volentes ac temerè accedentes, nequit. Post Christi obitum, majores nobis sunt vires, uberior gratia, validiora remedia, magisque præsentia. Confer hujus Capitis finem cum Capite XI, 6, 7, 8, ubi eadem fermè verba leguntur.

CA-

(z) *Hesiod. opera, & dies*:
Α'λλ' ἑκατὸν μὲν παῖς ἔτεα παρὰ μητέρι κεδνῇ
Ε'τρέφετ' ἀτάλλων μέγα νήπιος ᾧ ἐνὶ οἴκῳ.

(a) *Heb.* כי כימי העץ ימי עמי *Sicut dies ligni dies populi mei*. 70: Κατὰ τὰς ἡμέρας τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, ἔσονται αἱ ἡμέραι τοῦ λαοῦ μου. *Chald.* כיומי אילן חייא יומי עמי (b) *Num.* XXIV, 6, 7; *Jerem.* XVIII, 8, 9; *Psal.* I, 3. (c) ומעשי ידיהם יבלו בחירי (d) לא ילדו לבהלה
(e) Οὐ τεκνοποιήσουσιν εἰς κατάραν. (f) *Genes.* III, 14.

CAPUT LXVI.

Judaicorum sacrificiorum utilitas. Judaici Templi abjectio, ipsiusque gentis reprobatio. Altera gens eligitur mitis humilisque: bona huic promissa. Ethnici ad fidem vocati. Novæ Jerosolymæ felicitas. Dei animadversio in hostes suos, in malos Judæos. Israelitæ Jerosolymam reduces. Novum Sacerdotium. Deum venerabitur omnis caro.

℣. 1. HÆC dicit Dominus: Cœlum sedes mea, terra autem
scabellum pedum meorum: quæ est ista domus, quam
ædificabitis mihi? & quis est iste locus quietis meæ?
℣. 2. Omnia hæc manus mea fecit, & facta sunt universa ista, dicit Dominus: ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum,
& contritum spiritu, & trementem sermones meos?
℣. 3. Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum: qui mactat
pecus, quasi qui excerebret canem: qui offert oblationem, quasi
qui sanguinem suillum offerat: qui recordatur thuris, quasi qui
benedicat idolo. Hæc omnia elegerunt in viis suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est.

COMMENTARIUS.

℣. 1. HÆC DICIT DOMINUS: COELUM SEDES MEA. Pergit eadem oratio. Ad nonnulla hîc respicit Isaias, de quibus mox capite LXV egit; veluti Judæorum Idololatriam & flagitia (a), Cœlos novos novamque terram populo suo promissam (b). Postquam electorum felicitatem in novâ Jerosolymâ, in quam ipsos restituet, nobilissimâ descriptione prosequutus est Deus, docet hîc, non omnibus indiscriminatim Hebræis bonas promissiones edi. Vitia, quæ illorum cultum inquinant, prosequitur; ipsos idololatriæ arguit; ac denique iterum Justos Electosque alloquens, quæ illis pollicitus olim fuerat, denuo confirmat, atque addit nova. Gentium vocationem, novum Sacerdotium, Ecclesiæ Christianæ institutionem luculentissimâ oratione prosequitur: at ita, ut ad reditum e Captivitate ubique spectet, populi expectationem excitans, ipsamque figuram a re per figuram exhibitâ penitus non removens.

QUÆ EST ISTA DOMUS, QUAM ÆDIFICABITIS MIHI? Anticipato gaudio gestitis, quòd e Captivitate reduces novum mihi Templum conditurі estis. Ea me promissio me quàm multum movet? majora volo. Lapideum Templum, cruenta sacrificia, opulenta munera, ea porrò non sunt, quæ ipse cupio. Tellos universa mihi Templum est, & sedes Cœlum. Religionem vestram fastidio, odi sacrificia. Cùm bovem immolatis, id perinde est ac si hominem mactaveritis. Cur verò? Scilicet, vestrâ religione vestrisque sacrificiis vestram ipsorum voluntatem vestrumque ingenium, non me quæritis: (℣. 3) *Hæc omnia elegerunt in viis suis*. Quid igitur postulo, quidve mihi placiturum est? Scilicet illum ego intueor, qui sibi ipsi pauper humilisque animo est, qui animo dolens dejectusque ad me accedit: *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum?* (℣. 2) Hæc ego in Electis meis esse jubeo; atque his omnia ea pollicitus sum, quæ intellexistis. Frustra igitur Judæi Templo, sacrificiis, & exteriori cultu gloriabantur: hæc a se rejecta esse testatur Deus (c), ut novos sibi cultores, in spiritu & veritate adorantes (d), parantesque sibi in suis ipsorum mentibus Templum labe carens, donisque Sancti Spiritùs ornatum (e), compararet.

℣. 2. AD QUEM RESPICIAM, NISI AD PAUPERCULUM ET CONTRITUM SPIRITU? Nihil apud Scripturam frequentius gravissimâ hac sententiâ. Superbiam atque arrogantiam in homine Deus ferre non potest. Nihil magis illi molestum est, quàm si debitam uni Deo gloriam homo sibi arroget: *Gloriam meam alteri non dabo*. Illud ubique studiosissimè curat Deus, ut noverit ac sentiat homo, sese Deo subjici, ac rem esse maximè infirmam, & merum nihil. Hinc fit, ut sese Deum zelotem non semel nuncupet. Humilis nostræ paupertatis, nuditatis atque infirmitatis coram Deo confessio magis ipsum movet, ejusque benevolentiam magis provocat, quàm ingens virtus, diuturnaque & magna obsequia, si profundâ animi humilitate destituantur.

℣. 3. QUI IMMOLAT BOVEM, QUASI QUI INTERFICIAT VIRUM. Si desit hæc animi præparatio, quam dixi, vestris ego sacrificiis non modò non placor, verùm etiam ad iracundiam provocor. Mactati bovis sacrificium, si comes illi sit superbia & arrogantia, atque idcirco fiat, ut vestræ voluntati morem geratis, mihi perinde est atque homicidium. Septuaginta (f): *Impius mactans mihi vitulum, quasi qui percutit hominem.*

Ad-

(a) Confer *Isai.* LXV, 4, & 12, cum LXVI, 5, & 17. (b) Confer *Isai.* LXV, 17, cum LXVI, 22.
(c) *Vide & Jerem.* VII, 4: *Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est, &c. Act.* VII, 48, 49; & XXVII, 24. (d) *Joan.* IV, 23, 24: *Neque in monte hoc, neque in Jerosolymis adorabitis patrem.... Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu, & veritate.* (e) 1 *Cor.* III, 16, 17: *Nescitis quia Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis.... Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.*
(f) Ὁ ἄνομος ὁ θύων μοι μόσχον, ὡς ὁ τύπτων ἄνδρα. *Heb.* שוחט השור מכה איש

℣. 4. Unde & ego eligam illusiones eorum: & quæ timebant, adducam eis: quia vocavi, & non erat, qui responderet: locutus sum, & non audierunt: feceruntque malum in oculis meis, & quæ nolui, elegerunt.

℣. 5. Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum ejus: dixerunt fratres vestri odientes vos, & abjicientes propter nomen meum: glorificetur Dominus, & videbimus in lætitiâ vestrâ: ipsi autem confundentur.

℣. 6. Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis.

COMMENTARIUS.

Addunt hi eam vocem *Impius*.

Qui recordatur thuris, quasi qui benedicat Idolo. Reddi potest Hebræus (g): *Qui adolet thus in recordationem coram Domino*, ut sui memoriam apud Dominum renovet, vel, ut suum illi obsequium gratumque animum testetur, *quasi qui benedicat iniquitati*, vanitati, Idôlo, mendacio. Apud Scripturam passim dicitur, thus, cæsarumque in Altari victimarum & libationum odor signum esse, quo sacrificantis memoria apud Deum revocabatur (h). Humanæ sunt loquendi formæ, sed quæ rem mirè exprimant, & multitudinis ingenio accommodatissimæ; quasi Deus odores sentiat, rebusque sensui obnoxiis ab oblivione excitetur. Septuaginta (i): *Qui dat thus in memoriale, quasi blasphemus*.

Hæc omnia elegerunt in viis suis. Hæc ex arbitrio ipsorum sunt. Dum hæc faciunt, uni huic rei solummodò student, ut suæ, non meæ voluntati morem gerant. Neque tamen flagitia sua reliquerunt: *In abominationibus suis anima eorum delectata est*; censueruntque, me vanâ religionis specie decipi posse, suamque ipsorum idololatriam dissimulaturum, dum victimas mihi mactarent. At fieri non potest, ut hoc religionis genus, atque hic animus in contrarias adeò partes divisus, mihi placeat. Hæc eadem non semel exprobraverat Isaias (k).

℣. 4. Unde et ego eligam illusiones eorum, illis illudam, et quæ timebant, adducam eis. Vel: Cùm voluntati suæ obsequi voluerint, ego vicissim supplicia eligam, quæ pessimi ipsorum mores promerentur: meam in ipsos voluntatem exercebo, malis quæ ipsi verentur, immissis. Hebræus (l): *Etiam ego eligam in operibus eorum, & terrores eorum adducam eis*. Septuaginta (m): *Et ego eligam probra eorum, & peccata eorum retribuam eis*.

Quia vocavi, et non erat qui responderet. Frustra conatus sum vos ad officium revocare: terga mihi dedistis. Vide supra, lxv, 12.

℣. 5. Dixerunt fratres vestri odientes vos... Glorificetur Dominus; et videbimus in lætitia vestra. Idumæi, Ismaëlitæ, Judæi increduli, qui contumaciter vivunt, spretis promissionibus ac minis, insultantes vobis amicis meis, Fidelibus, Electis, dicunt: Quæ jam diu vobis pollicitus est, exequatur Deus: stet iterum Jerosolyma: libertas denuo & rerum copia vobis floreat: simul gaudebimus. Hæc vobiscum loquuntur. At denique probro obruentur: inspicient, neque gaudebunt: *Ipsi autem confundentur*.

Hic locus ad prima Ecclesiæ Christianæ tempora referri potest. Judæi, qui humilem in Christo Jesu personam, inopiam, ærumnas solummodo viderant; despectissimas hominibus notas in Apostolis animadverterant; primisque in Fidelibus nonnisi hostium odia & injurias inveniebant, arrogantissimè postulabant: Ubi jam Messiæ vestri regnum? Ubi pax, prosperitas, gloria, quas ipse Discipulis per Prophetas pollicitus est? Ubi de hostibus victoriæ? Ubi dignitas, vitæ diuturnitas, opes, &c. Has tamen irrisiones gravissima statim pœna consequuta est. Crematum destructumque est Templum, eversa incensaque Jerosolyma: Judæa gens dissipata, excidio tradita, penitus deleta, Christianâ interim Religione triumphos de hostibus undique referente, ac super Synagogæ ruinas surgente. Seu bona polliceatur Deus, seu mala minitetur, plerumque festinus ac præceps exitus illa non sequitur: at implentur demum, suâque fide nunquam falluntur. Septuaginta ab Hebræo recedunt (n): *Dicite fratribus vestris, odio habentibus vos, & abominantibus: ut nomen Domini glorificetur, & appareat in lætitiâ eorum; & illi confundentur*.

℣. 6. Vox populi de civitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem. Arrogans ea gens aliquando coërcebitur. Clamores questusque audio infelicis populi, quem fames, sitis, bellum, mala denum extrema in ipsâ illius urbe opprimunt. Jerosolymam externi hostes foris, intus domestici, longè deterrimi, multoque perniciosissimi obsident & diripiunt. Dei ulciscentis voces audio, e Templo clamantis, ac domum tot flagitiis violatam relinquentis.

Hæc integerrimâ fide impleta sunt, in supremâ Jerosolymæ per Romanos obsidione (o). Quàm multis enim indiciis, mirificis prorsus & inauditis, significavit Hebræis Deus, sese statim ab iis excessurum, atque omne iræ suæ pondus in ipsos inclinaturum. Ignes in cœlo visi, armatæ phalanges per nubes discurrere, cometes in cœlo toto anni spatio ardère. Subita lux circa Templum horâ noctis nonâ, horæ dimidiæ spatio, per Festum Paschatis, circumfusa. Janua interioris sacrarii orienti obversa, quæ tota ærea, & immensi ponderis erat, & quæ sub vesperam vix ab hominibus viginti claudebatur, & vectibus ferro munitis sustentata erat, pessulos verò altissimè in saxeum

(g) מזכיר לבנה מברך און (h) *Vide Levit.* ii, 2, 9, 16. הקטיר הכהן את אזכרתה *Ita & Levit.* vi, 15. ריח ניחח אזכרתה ליהוה *& passim*. (i) Ὁ διδοὺς λίβανον εἰς μνημόσυνον, ὡς βλάσφημος. (k) *Isai.* i, 11, *& seq. Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus. Plenus sum, &c. Isai.* lviii, 3: *Quare jejunavimus, & non aspexisti? Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra, &c.* (l) גם אני אבחר בתעלליהם ומגורתם אביא להם
(m) Καὶ ἐγὼ ἐκλέξομαι ἐμπαίγματα αὐτῶν, καὶ τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν ἀνταποδώσω αὐτοῖς.
(n) Εἴπατε ἀδελφοῖς ὑμῶν τοῖς μισοῦσιν ὑμᾶς, καὶ βδελυσσομένοις, ἵνα τὸ ὄνομα κυρίου δοξασθῇ, &c.
(o) *Joseph. de bello Judæorum*, lib. 7, c, 12, *in Lat.* Κεφαλ. λα, *In Græco*.

℣. 7. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus
ejus, peperit masculum.
℣. 8. Quis audivit umquam tale? & quis vidit huic simile? num-
quid parturiet terra in die unâ? aut parietur gens simul; quia
parturivit, & peperit Sion filios suos?
℣. 9. Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, di-
cit Dominus? si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis
ero, ait Dominus Deus tuus?
℣. 10. Lætamini cum Jerusalem, & exultate in eâ, omnes qui dili-
gitis eam: gaudete cum eâ gaudio universi, qui lugetis super eam.

COMMENTARIUS.

xeum limen ex uno perpetuo lapide demissos habebat, visa est nocte circa horam sextam spontè patefacta. Quod Templi custodes, cùm ad Prætorem cucurrissent, ei indicarunt; ille verò, ubi ascenderat, ægrè eam claudere potuit. Illud verò maximè omnium Judæos terruit, quòd ipso Pentecostes die, Sacerdotes noctu Templum ingressi ad obeunda ex more ministeria, primùm quidem motum ac strepitum se exaodisse dixerunt, tum deinde vocem quasi confertæ multitudinis simul clamantis: Migremus hinc. Jesus quidam, Anani filius, vir plebejus & rosticus, quadriennio priusquam bellom esset exortum, adhuc pacatâ civitate, & rerum omnium copiâ abundante, cùm ad festum venisset, quò tabernacula in honorem Dei defigi ab omnibus mos est, juxta Templom repente exclamare cœpit: Vox ab oriente, vox ab occaso, vox a quatuor veotis; vox in Jerosolymam & Templum; vox in Sponsos & in Sponsas, vox in oniversum populum. Idque noctu & interdiu clamitans, omnes civitatis vicos circuibat. Nonnulli verò ex primoribus populi, diritatem ominis ægrè ferentes, hominem corripuerunt, multisqoe verberibus affecére. At ille nec pro se quicquam locutus, nec eos qui ipsum verberabant, privatim deprecatus, eadem, quæ priùs verba inclamare non destitit. Ad præsidem Romanum ductus, atque ab eo ad ossium usque denudationem laniatus, nec preces, nec lacrymas ullas effudit. Neque quemquam civium adibat, neque alloqui visus est; neque verò cuiquam imprecatus est, cùm in dies singulos vapularet, neque cibum impartienti bene dicebat. Maximè in solemnitatibus vociferabatur; idque cùm annos septem & quinque menses fecisset, neque voce raucus erat factus, neque delassabatur. Denique in mœnibus quadam die obambolans, iterum, Væ væ civitati & Templo & populo, voce altâ clamabat. Ubi autem ad extremum adjecit, Væ etiam mihi, lapide ex balistâ excusso ictus periit. Narrat etiam hæc prodigia Tacitus (p), fortasse ex Josepho motuatus. Meliorem Isaiæ verbis Commentarium dare non possumus, quàm recitatam ex Judæo Scriptore narrationem, qui Divinam in populom suum ultionem præsens vidit.

℣. 7. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus ejus, peperit masculum. Peperit Sion, antequam partûa dolores sentiret; marem edidit, antequam pariendi tempus accesserit. Quæ sequuntur, satis docent, hic agi de editis a Sione filiis. Explicari queunt, quamvis improprio sensu, hæc verba de Judæis Babylone reversis. Ad verbum, & primo, qui legen-

ti occurrit, sensu oraculum ad Christianos pertinet. Ingentis populi mater effecta est Sion, nullos pariendi dolores experta. Synagoga, minimè sentiens, Christianam Ecclesiam edidit. Christus Jesus legem apud Judæos promulgavit; Apostoli & Jesu Christi Discipuli, ex Judæis orti, Evangelii lumen in universas terrarùm plagas detulere: Ecclesia, quæ in ipso sui initio minima videbatur, adeò populis aucta est, ut gentes florentissimas æquaverit.

℣. 8. Numquid pariet terra in die una? aut parietur gens simul? Vel (q): *Terra* (gens) integra *num unâ die edita est?* integra *natio* uno nixu *simul nasci potest?* Qui fieri potuit, ut Sion tam multos filios, minimè sentiens, ederet? Profectò quid majori admiratione dignum est, quàm Ecclesiæ Christianæ ortus? Quod majus prodigium, quàm Ethnicorum conversio? quàm quod piscatores duodecim, indocti homines, rudes, scientiâ, viribus, natalium splendore, hominum existimatione, fortunis carentes, terram universam ad disciplinæ leges revocare, hominibus, libidinem, voluptates, licentiam sequi assuetis, mysteria ratione minimè pervia, Deum cruce damnatum, Religionem severissimam, despectam, arduam, ærumnas solummodò, injurias, mortemque pollicentem, omnemque spem in futuræ vitæ bonis, majoribusque sensuum cognitione voluptatibus collocantem, probare, aggrediantor? Quàm mirum porrò est, eam Religionem breviore quàm sæculi unius spatio, adeò asseclis auctam esse, atque in omnes fermè terrarum partes diffusam; invitisque carnis, humanæ rationis, mundi, Diaboli, atque hostium conatibus, nedum tam longo sæculorum spatio stetisse, verùm etiam ita crevisse, atque in varias Universi partes in dies diffundi?

℣. 9. Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? Quid ita insperatam copiosamque productionem miraris, quæ meum opus est? Ipse respondet Deus, ingentem adeò felicemque filiorum numerum suæ potiùs omnipotentiæ opera, quàm Sionis fœtos esse. Reddi Hebræus potest (r): *An ego ad os, ad rupturam matricis adducam puerum, & non emittam? An ego qui cæteros pario*, fœcunditatem cæteris largior, *non pariam*, seu *sterilis ero*? Septuaginta: *Ego dedo expectationem hanc, & non recordata es mei, dicit Dominus. Nonne ego parientem & sterilem feci, dixit Deus tuus?*

℣. 10. Lætamini cum Jerusalem, et exultate in ea, omnes qui diligitis eam. Novam sobolem, de qua mox egit, alloquitur, novum po-

(p) *Tacit. histor. lib. 5: Evenerant prodigia, quæ neque hostiis, neque votis piare fas habet gens superstitioni obnoxia, religionibus adversa. Visa per cælum concurrere acies, rutilantia arma, & subito nubium igne collucère templum, expansæ repentè delubri fores, & audita major humanâ vox, excedere Deos. Simul ingens motus excedentium.* (q) היוחל ארץ ביום אחד אם יולד גוי פעם אחת
(r) האני אשביר ולא אוליד יאמר יהוה אם אני המוליד ועצרתי

℣. 11. Ut sugatis, & repleamini ab ubere consolationis ejus: ut mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimodâ gloriâ ejus.

℣. 12. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.

℣. 13. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Jerusalem consolabimini.

℣. 14. Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt: & cognoscetur manus Domini servis ejus, & indignabitur inimicis suis.

℣. 15. Quia ecce Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ ejus: reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flammâ ignis.

℣. 16. Quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem: & multiplicabuntur interfecti a Domino.

COMMENTARIUS.

populum a quo Jerosolyma frequentatur. Deinque, sub ænigmate gentis Judaicæ captivitate solutæ, atque in patriam restitutæ, felicitatem describit Fidelium, qui in Christi Ecclesiam cooptati sunt (s). Jerosolymitani cives, gaudete; & qui illius calamitate doletis, ejusque mala deploratis, meliora, imò faustissima, quæ vobis nuncio, intelligite: *Gaudete cum eâ universi qui lugetis super eam.*

℣. 11. Ut sugatis, et repleamini ab ubere consolationis ejus. Jerosolymæ gratulemini, & lac sugite, quo illa filios alit. Jerosolymæ filii, quos illa felici adeò & fœcundo partu edidit, gaudete; futurum enim est, ut lac suavitatis, qua illa obruitur, longo haustu sugatis. Christiani olim hominibus mox baptismo initiatis lac & mel porrigebant, revocantes eo ritu in memoriam vaticinia, quæ Christi gratiarum suavitatem sub lactis & mellis nomine exprimunt. Vide e. g. Isaiam, vii, 22: *Nutriet homo vaccam boum, & duas oves, & præ ubertate lactis comedet butyrum.* Et capite lv, 1: *Venite, emite absque ullâ commutatione vinum & lac.* Et lx, 16: *Suges lac gentium, & mamillâ Regum lactaberis.* Quid lactis & uberum nomine intelligat, explicat Propheta sequenti versiculo; copiam scilicet, pacem, felicitatem, quibus abundavit Jerosolyma, & bona, quæ illuc a gentibus conferentur. Ea verò nuncupat *gloriam gentium.*

Ut deliciis affluatis ab omnimoda gloria ejus. Hebræus aliter transfertur (t): *Deliciis affluatis ob splendorem*, magnificentiam, copiam *gloriæ ejus.* Septuaginta (u): *Delectabimini ab introitu gloriæ ejus.* Chaldæus: *Ut inebriemini de vino gloriæ ejus.* Symmachus: *A pinguedine gloriæ ejus.* Theodotion: *A multitudine gloriæ ejus.* Nulla invenitur radix Hebraicæ vocis *Ziz.*

℣. 12. Ad ubera portabimini, et super genua blandientur vobis. Vos leniter ulnis gestabunt, ceu pueros adhuc tenellos, nondum a lacte depulsos; vobis super genua positis blandientur, veluti pueris gradiendo imparibus. Totam hujus oraculi veritatem implevit S. Paulus, ad Corinthios scribens (x): *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis.* Et ad Hebræos (y): *Facti estis, quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Et S. Petrus (z) Fideles hortatur, ut lac concupiscant, ceu mox geniti infantes, nequitiæ ignari.

℣. 14. Ossa vestra quasi herba germinabunt. E captivitate reduces, in vitam quodammodò restituemini; novam vitam habebitis, novumque spiritum ducetis, ceu mortui sepulcro egressi (a). Similis est novæ nativitati Baptismus: novæ instar vitæ est Christianæ Legis professio: cùm ex aquis Baptismi egredimur, in novam quodammodo vitam cum Christo resurgimus. Denique supremâ die, cùm omnes e morte revocabimur, *ossa nostra* verissimè *quasi herba germinabunt*, cùm novam virtutem, vitamque minimè perituram acquisitura sint.

Cognoscetur manus Domini servis ejus, et indignabitur inimicis suis. Luculentissima virium suarum documenta exhibuit Deus, cùm populum e captivitate præter spem reduceret, eo prorsus tempore quo Prophetæ id futurum prædixerunt. Cùm Cyrum suâ ipsius virtute instrueret, Chaldæos dejecit, qui Dominum flagitiis, maloque traditæ sibi a Deo potestatis usu provocaverant. Quàm multa verò ex Dei manu prodigia, cùm Christiana Ecclesia institueretur? Quàm multa portenta, per Jesum Christum, Apostolos, primosque Christianos patrata? Quàm gravis in Judæos, Ecclesiæ hostes, & eos qui qualibet ætate in Ecclesiam debacchati sunt, animadversio? Denique sub exitum sæculorum, quæ in cœlo terrisque signa, quive in impios damnatosque Dei furor, quæ pœna? Extremæ huic diei mirè conveniunt ℣℣. 15 & 16: *Dominus in igne veniet, & quasi turbo quadriga ejus, reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flammâ ignis. Quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio suo ad omnem carnem.* Quæ loquendi formæ referri ad Cyrum in Chaldæos sævientem, aut ad Romanorum arma in Judæos nequeunt, nisi tropico sensu, ac definito.

℣. 17. Qui

(s) *Vide Sanct. hic.* (t) התענגתם מזיו כבודה
(u) Τρυφήσητε ἀπὸ εἰσόδου δόξης αὐτῆς. Legunt זיז *pestis.* Si legas זין, reddi potest: Delectabimini escâ gloriæ. S. Hieronymus secutus est Aquilam, qui in Ps. cxxix, 14, traostulit שדי זיז παντοδαπὴν χώραν. Vide S. Hieronymum hic. (x) 1 *Cor.* iii, 2. (y) *Heb.* v, 12, 13. (z) 1 *Petr.* ii, 2. (a) *Sanct. hic, Chald. Grot.*

℣. 17. Qui sanctificabantur, & mundos se putabant in hortis post januam intrinsecùs: qui comedebant carnem suillam, & abominationem, & murem, simul consumentur, dicit Dominus.

COMMENTARIUS.

℣. 17. QUI SANCTIFICABANTUR, AT MUNDOS SE PUTABANT IN HORTIS, POST JANUAM INTRINSECUS. Judæi plerumque vel in horto, vel in atrio pollubrum aliquod, seu vas aquâ plenum babent, ubi sese legalibus sordibus abluebant. S. Hieronymus (b), aliique Interpretes plures censent, illos a Prophetâ inanissimæ illius fiduciæ argui, qua hujusmodi balnea lotionesque frequentabant, quasi iis elui possent crimina, quibus ipsi inquinabantur; cùm idcireò solummodò instituta fuerint, ut legales quasdam externasque labes abluerent: quam etiam superstitionem Profanis exprobrant Patres, turpissima flagitia modicâ aquâ deleri arbitrantibus: *Aquis tinguntur, idque se in regenerationem & impunitatem perjuriorum suorum agere præsumunt*, inquit Tertullianus (c). *Pende veteres, quisquis se bomicidio infecerat, purgatrice aquâ se expiabat*. Vidimus superiùs (d) Judæos adulteria Profanorum imitatos, cùm illi sacra Veneri & Adonidi in hortis facerent. Turpissima hæc flagitia aquis abstergi putabant; eodemque tempore suem, murem, ac res impurissimas in cibum adhibebant: *Qui comedunt carnem suillam, & abominationem, aut murem.*

Latini Codices manu exarati plures legunt *post unam*, pro *post januam*; atque ita certè transtulerat S. Hieronymus (e), utì ex illius Commentario constat. Locum huic mendo, in Codices S. Hieronymi lapso, ubi legitur *post januam*, dedisse videntur Septuaginta, cùm reddiderint (f): *Qui purificantur & mundantur in hortos, & in liminibus comedentes carnem porcinam*. At Hebræus habet (g): *Sanctificantes se, & purificantes se juxta hortos, post unum*, vel *unum in medio*. Duplex hîc damnatur superstitio: altera, cùm sacra in hortis fierent, inaoibusque lotionibus sanctitas corpori induceretur, utì diximos; vel etiam homines Profanis Diis, bortorum præsidibus, scilicet libidinum Deæ, consecrarentur. Vox, quæ reddita est *sanctificare*, usurpatur etiam pro *consecrari*; totoque Oriente passim occurrebant homines, turpissimo Numioi libidinum præsidi, quod in lucis seu hortis colebatur, consecrati. Horum meminit jam Isaiaa, LXV, 3: *Qui immolant in bortis*.

Alterum superstitionis genus est sequi, seu *venerari Unam*, Lunam scilicet, vel *Hecaten*; quæ certè vox loculentissimè oritur ex *Achat*, seu *Echat*, *Hecate*, quæ superiùs dicitur *Meni* (h). *Qui struitis mensam Gad, & libatis Meni*. Mensæ in triviis Hecatæ struebantur. Scribit Hesychius (i), apud Babylonios Junonem appellatam esse *Ada*, quæ vox simillima est bis, *Achuta*, vel *Acada*, quæ voces idem sunt atque *Achat*, Qui legunt *Achad*, Unua, pro *Achat*, Una, de sole interpretantur, *Adad* sive *Adod* apud Syros appellato (k). Scribit Isaias, Judæos ablui consuevisse *post Achat, in medio*; id quod obscuram sententiam reddit. Cùm verò capite LVIII, 8, dixerit, hoc Numen ab Hebræis post fores collocari consuevisse, *Post ostium, & retro postem posuisti memoriale tuum*, minimè ambigimus, quin idem illis exprobret hîc sacrificia, quæ in capite viæ, sive in domûs suæ atrio buic Numini facerent, post fores intra domum collocato. Legimus in quarto Regum Libro, XXIII, 8, *aras portarum* juxta ædes Josue, Principis inter Jerosolymitanos.

Chaldæus: *Qui sese lustrant in hortis Idolorum, turba post turbam*. Syrus, Symmachus, ac Theodotion eadem fermè versionem servant. Porrò ita ferunt Symmachus ac Theodotion apud S. Hieronymum: *Qui sanctificamini & lustramini in hortis alter post alteram, inter eos qui comedunt carnem suillam*. Nonnulli Recentiores: *Qui lustrantur post arborem*, arborem scilicet insignem & sacram; alii, *post fontem*, vel post hunc fontem. Arboris vel fontis nomen, quod in Hebræo omittitur, supplent.

QUI COMEDEBANT CARNEM SUILLAM, AT ABOMINATIONEM, ET MURAM, omnes simul interibunt. Sus & mus Lege impuri censebantur (l). Hoc animantium genus, earumque carnes morigeris Israëlitis horrori erant. At impii gloriabantur, sese vetitis per Legem rebus uti, sanctissimosque ritus pessundare. Varia olim murium genera in cibum usurpabantor. S. Heronymus de gliribus explicat; eumque plures sequuntur (m). Apud Romanos, in locupletissimorum mensis glires apponebantur; atque inter eupedias delicatissimis erant: gliresque altiles in vivariis servabantur (n). Eo autem luxuriæ ventum est, ut latis legibus coërcendus esset glirium usus (o), utì avium pisciumque peregrinorum. Sunt adhue nostrâ ætate, quibus magno in pretio sunt glires, eosque ceu eupedias quærunt.

Discrepat a S. Hieronymo Bochartus (p), de murium bujus loci naturâ differens. Docet verò, muris genus, *achar* appellatum, agrestem murem esse, qoo adhuc uno utuntur Arabes. Sunt qui putent, superstitiosos hosce homines murem in lustrationis usum adhibuisse. Teste S. Clemente Alexandrino (q), Phryges murem, cui nomen *smyntho*, venerabantur. Magi apud Persas (r) *animalium cunctorum talpas maximè mirantur: nullis aquè credunt extis: nullum Religionis capacius judicant animal*. Mihi tamen probatur, mures in cibum usurpatos fuisse ab Hebræis: id quod Pro-

phe-

(b) *Hieron. Sanct. Tir. alii.* (c) *Tertull. lib. de Baptismo, c. 5.* (d) *Isai. LXV, 3: Qui immolant in bortis. Et Is. 1, 29. Erubescetis super bortis, &c.* (e) Vide novam S. Hieronymi Editionem, t. 1, pag. 551. Quamvis eo loco asserat Editionis Author, manuscriptos Commentariorum Codices S. Hieronymi in Isaiam ferre, *post unum*, in ipsâ editione impressum est, *post januam*. Quod certè mendum impressoris est. (f) Οἱ ἁγνιζόμενοι, καὶ καθαριζόμενοι εἰς τὰς κήπους, καὶ ἐν τοῖς προθύροις ἔσθοντες κρέας ὕειον. (g) המתקדשים והמטהרים על הגנות אחר אחת בתוך seu אחר אחד, ut habet Textus. (h) *Isai. LXV, 11.* (i) *Hesych.* Ἀδὰ Βαβυλωνίων, ἡ Ἥρα. (k) *Vide Philon. Bibl. apud Euseb. Præparat. & Macrob. Saturn. lib. 5, c. 23: Accipe quid Assyrii (seu potiùs Syri) de Solis potentia opinentur; Deo enim, quem summam maximamque venerantur, Adad nomen dederunt. Ejus nominis interpretatio significat, Unus. Vide Grot. hic, ex Scaligero in fragm. Græca, & Voss. de Idololatr. lib. 2, c. 6.* (l) *Levit. 11, 7, & 29.* (m) *Vide Hugon. Thom. Grot. Sanct. &c.* (n) *Varro de re Rusticâ, lib. 3, c. 15.* (o) *Plin. lib. 36, c. 1: Extant censoriæ leges glandia in canis, gliresque, & alia dicta minora apponi vetantes.* (p) *Boch. de animal. sacr. parte 1, lib. 3, c. 34.* (q) *Clem. Alex. in* Προτρεπτ. *p.* 25: Πολέμων δὲ τοὺς ἀμφὶ τὴν Τρῳάδα κατοικοῦντας ἱστορεῖ, τοὺς ἐπιχωρίους μῦς, οὓς σμίνθους καλοῦσι, θρησκεύειν.

℣. 18. Ego autem opera eorum & cogitationes eorum venio ut congregem cum omnibus gentibus, & linguis: & venient, & videbunt gloriam meam.

℣. 19. Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes, in mare, in Africam, & Lydiam tendentes sagittam; in Italiam, & Græciam, ad insulas longè, ad eos, qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam gentibus,

COMMENTARIUS.

phetæ convicia satis provocabat.

℣. 18. Ego autem opera eorum et cogitationes eorum venio ut congregem cum omnibus gentibus, ut ea coram me in judicio sistam, & ex merito puniam. Colligere, congregare, cogere sæpissimè usurpatur pro dare neei, damnare, in jus vocare, ad sepolcrum ducere. Hîc autem sedulò animadvertenda est ea locutio, *venio ut congregem opera eorum & cogitationes eorum;* quasi hæc animâ sensuque instruerentur. At Prophetæ, itemque Poëtæ vividas, acres audacesque locutiones amant. Ea quæ sensu & animâ carent, ita usurpant, quasi vitâ, sensu, cognoscendi facultate utantur: tellurem, montes, urbes alloquuntur: denique nihil penès illos est mortuum atque inanimum. Hominum flagitia coram Deo sistuntur: in authores clamant: terra omnis in illos conspirat ac pugnat. Quid hoc sit, optimè intelligitur. Ut naturalem huic orationi sensum tribuas, satis est, si pro impii operibus ipsum impium ponas.

Ut impropriam, quam ajunt, locutionem auferant Interpretes, criminum scilicet in jus vocatorum, collectorumque ante Dei solium imaginem, varia pro arbitrio supplent; veluti (r): Opera eorum novi, & mala illorum consilia scio; quamobrem eo congregatum omnes gentes, ut gloriæ meæ jubar illis exhibeam. Aliter, junctis iis quæ præcessere: Comedont carnem suillam, murem, imporosque animantes: omnia illorum gesta novi: quamobrem gentes omnes collectum eo, ut mea ex his Ecclesia coalescat. Vel (s): Vestra ne flagitia & scelera diutiùs patiar? Non feram. Gentes omnes denique simul cogam, ut gloria mea coram ipsis fulgeat. Hebræus simpliciore sententiâ reddi potest (u): *Et ego opera eorum & mala consilia eorum congregabo;* congregabo, inquam, *omnes gentes & linguas: & venient, & videbunt gloriam meam. Congregare* duplici sensu hic usurpatur; I, ut Judæorum scelera puniantur [x]; II, ut profanæ gentes in Ecclesiam congregentur, Divinorumque prodigiorum & ultionis testes fiant.

℣. 19. Et ponam in eis signum, et mittam ex eis qui salvati fuerint, ad gentes, in mare, &c. Cùm flagitia omnes universè Judæos adeo non occupaverint, ut non modicus eorum numerus sit, qui scelere carent, justos secernam ac servabo, ut nova per eos gens colligatur. Vexillo meo instructos in omnes universi plagas mittam, ut populos colligant, quibus nomen meum nunquam insonuerit, eosque Jerosolymam, ceu Domino munus, adducant. Hi ex Judææ excidio clapsi, Apostoli sunt, & Jesu Christi Discipuli, qui Servatoris Crucem manu, ut ita dicam, ferentes, ceu vexillum, & Cœlorum Regni Evangelium, Christumque Crucifixum ubique prædicantes, innumeras gentes in singulis terrarum plagis ad Christi sacra conversas, Jerosolymam, ad Ecclesiam nempe Christianam, veluti munus, ac fidei suæ tributum, atque oblationem Deo suavem, adduxêre. Quæ toto deinde versiculo sequuntur, luculenter adeò vocationi Gentium favent, ut Sanctos ipse Paulus nihil apertius locuturus fuisse videatur.

Hæc locutio (y), *Ponam in eis signum*, vexillum inter illos erigam; vel, statuam signum inter eos; sive, ponam in eis, seu super eos, signum, non unam patitur explicationem, puta: Notam illis inuram, ex qua mei esse inter cæteros agnoscentur. Characteres hujusmodi militibus servisque inscribi solebant, ut a cæteris secernerentur. Aliter: Illis in manus dabo signum, vexillum meum, meam potestatem, prodigiorum virtutem, quæ certissima est Divinæ missionis nota, ubi cum Doctrinæ veritate jungatur. Denique: Meo illos sub signo colligam: meas veluti acies in omnes terrarum plagas mittam, ut Electos meos congregent.

Ad gentes, in mare, in Africam, in Lydiam, tendentes sagittam. Codices tum manuscripti tum editi plures legunt, *tenentes sagittam*, pro *tendentes sagittam*. At postrema lectio servanda est. Hebræus (z): *Ad gentes, Tharsis, & Phul, & Lud, trahentes arcum*, vel tendentes arcum. *Tharsis* Cilices significat; *Phul* fortasse *Philarum* incolas, in Thebaide, in finibus Æthiopiæ, supra catarracten minorem ac *Sienen*, centum a Siene stadiis [a]. Græci legunt *Phud* seu *Phut*, quæ postrema vox, in Jeremiâ, XLVI, 9, & Ezechiele, L, 5, occurrens, quamdam Africæ regionem significat in Mauritaniâ, ubi & amnis Phut, & ejusdem nominis Provincia cognoscitur (b).

Lud Lydii sunt in Asiâ minori, ex Interpretibus pleriaque. Bocharto censentur Æthiopes; iidem, ait ipse, qui Ludim in Genesi, X, 13, inter posteros Mizraim. Æthiopum sagittandi peritia toti Antiquitati notissima est. Denique cùm *Phul* idem sit ac *Phila*, juxta Æthiopiam, *Lud* certè vicinam illi gentem significare videtur, veluti Æthiopes. Assensum hæc argumenta non extorquent. Si *Phut* pro *Phul* legere placeat, ipsumque Phut in Mauritaniâ collocare, nullo etiam negotio *Lud* in eâ regione expiscabimur, cùm in Mauritaniâ Tingitanâ amnis *Laud* fluat, & in Mauritaniâ Cæsarianâ urbs *Laudia* celebretur. Quis verò tantis in tenebris, longâque adeò in vetustate veritatem eruat? Pro *tendentes arcum*, Septuaginta legunt,

(r) *Plin. lib. 30, c. 3.* (s) 70: Κἀγὼ τὰ ἔργα αὐτῶν, καὶ τὸν λογισμὸν αὐτῶν ἐπίσταμαι, καὶ ἐγὼ ἔρχομαι συναγαγεῖν πάντα τὰ ἔθνη, *&c. Ita Interpp. passim. Chald. Coram me manifesta sunt, &c. Edit. Rom. non legit:* Ἐπίσταμαι. (t) *Vide Ludov. de Dieu.* (u) ואנכי מעשיהם ומחשבותיהם באה לקבץ את כל הגוים ולשונים ובאו וראו את כבודי (x) Vide ℣. 24: *Egredientur & videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me.* (y) ושמתי בהם אות (z) אל הגוים תרשיש פול ולוד משכי קשת (a) *Vide Strabon. lib. 17; Heliodor. lib. 8 Æthiopic. Boch. Phaleg, lib. 4, c. 26.* (b) *Hieronym. hic. Tabula Agathodam legit, Phuth.*

℣. 20. Et adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Domino, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem sanctum meum Jerusalem, dicit Dominus; quomodo si inferant filii Israël munus in vase mundo in domum Domini.

℣. 21. Et assumam ex eis in Sacerdotes, & Levitas, dicit Dominus.

℣. 22. Quia sicut cœli novi, & terra nova, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus: sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum.

COMMENTARIUS.

gunt, *Mosoch*, ob propinquitatem vocis *maschei*, tendentes.

In Italiam. Hebræa vox תובל *Thubal*, quam Septuaginta scribunt Θοβὲλ, seu Φοβὲλ, nonnullis Italiam, aliis Hispaniam, sive Iberiam veterem, vel Iberiam ad Mare Caspium, seu Thibarenos significare videtur. Varias hac de re sententias, earumque momenta vide apud nos in Genesim, x, 2.

Græciam, ad Insulas. Hebræus (c): *Et Javan Insularum longinquarum*. Ex Javan orti sunt Joniæ populi, & Insularum Ægæi. Arbitror, insularum nomine apud Scripturam plerumque intelligi Insulas Mediterranei, præsertim Ægæi, & Asiæ minoris oras. Nimii sunt, qui omnes universè maritimas oras Hebræorum sermone insulas appellari putant. Hujus vocis notio non multò amplior est, quàm diximus.

℣. 20. Adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus. Dixit mox, gentes Jerosolymam ducendas, esse advenas e Phul, Lud, Javan, Tharsis, quibus ignotum est Dei nomen, Dei gloriam nunquam intuitas; hic verò, Judæos alloquens, ait has esse illorum fratres: *Adducent fratres vestros*. Qui hæc sibi constent? Fieri certè non poterat, nisi Religione mutatâ, ut remotæ adeò gentes, ignotæque, atque operum Domini ignaræ, fidelium Judæorum fratres effici possent. Novum igitur ac certissimum hic argumentum est Gentium vocationis, futuræque illarum conversionis.

In lecticis et in mulis et in carrucis. Hebræus (d): *In lecticis*, opertis carris, *in mulis, & in dromedariis*, sive carrucis. Bochartus (e) *dromedariis* favet, & nonnulli cum eo Rabbini. Hebræa vox *carcaroth* oritur ex radice, quæ saltare significat. Arabes interdum camelum robustum appellant *carh*. Reddunt Septuaginta, *Rhedas*. Chaldæus: *In laudibus*. Huic assentitur Rabbi Salomon. Vera hujus vocis, non secus atque aliarum quarumdam, significatio ignorari, constanter dicenda est. Modus qui hic describitur, eas gentes ad Dominum reducendi, veritatis & gratiæ suavitatem fortesque illecebras ostendit, mentem illustrantis, validèque & jucundè moventis illorum animos qui credituri sunt, atque ad vitam eligendi, quibus fidei donum largietur Deus.

Quomodo si inferant filii Israel munus in vase mundo in domum Domini. Puto hic spectari Israëlitarum morem, ad Templum ritè deferentium in splendidis comptisque canistris fructuum primitias. Id verò solemni pompâ agebatur; unusquisque enim, ipso Rege minimè excepto, agrorum vinearumque suarum primitias in capite gestabat. Cùm Sacerdotibus offerrentur, quædam precum & benedictionis formula addebatur; atque ita censebantur obsequium præstare Deo, rerum omnium Authori, supremoque Israëlis Principi (f). Solent adhuc Orientales munera tributorumque pecunias ad Principem solemni pompâ deferre; longis scilicet ordinibus mulorum, camelorumque & equorum, curruum, stipatorum, &c. Ita Credentium primitiæ ad Dominum eum pompâ ducentur, ceu gratiæ victricis trophæa, & eucharisticæ suavesque in Ecclesiâ oblationes. *Debemus gratias agere Deo semper pro vobis, fratres dilecti a Deo*, inquit S. Paulus (g), *quòd elegerit vos Deus primitias in salutem, in sanctificationem spiritûs.*

℣. 21. Et assumam ex eis in Sacerdotes et Levitas. En Legis novæ Sacerdotium luculentissimè significatum, excluso Levitico. Nulla deinceps futura est familiæ distinctio; nullæ Aaronicæ stirpis prærogativæ. Inter extraneos ad sua sacra conversos, atque ad Ecclesiam doctos, eliget Deus homines, Sacerdotio suo dignos. Miserè hic torquentur Judæi, ut ita hunc locum interpretentur, uti veteri Sacerdotio minimè noceat. Quamobrem ajunt, iis vocibus, *Assumam ex eis*, significari Sacerdotes ac Levitas, olim dispersos, tum e captivitate reversos. Hæc dispersio, inquiunt, hoc exilium, hæc proscriptio illorum dignitati minimè nocebit: jure postliminii in omnia Sacerdotii jura restituentur. Reddunt alii (h): Ex eis eligam ministros, Sacerdotibus servientes: at hæc versio penitus ipsi Textui contraria est; atque ex totâ orationis serie satis colligitur, hic de Gentibus ad Dei nomen vocatis & ad Ecclesiam ductis agi: denique verba facit hoc loco Isaias de Legis novæ Sacerdotio, non eo quidem, quod propriè nonnisi imago Sacerdotii est, quo Christiani omnes fruuntur (i), *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium*, sed de verâ propriâque Sacerdotii dignitate, cùm e Fidelium numero eligendos asserat Sacerdotes.

℣. 22. Quia sicut Cœli novi, et terra nova... sic stabit semen vestrum, et nomen vestrum. Christianorum nomen, Jesu Christi Ecclesia tamdiu erunt, quamdiù mundus. Novi Cœli, novaque tellus nihil sunt præter Evangelicam doctrinam (k), fidem in Christum, mirificamque rerum conversionem, quam Christus inter homines induxit. Horum omnium par & reciproca est diuturnitas; Ecclesia super Jesu Christi doctrinam condita est, atque in unâ erga illius doctrinam fide, ejusque virtutum imitatione & exercitio. Dogmata hæc & promissa, atque hæ veritates cùm æterna sint & mutationi minimè obnoxia, illius æternitatis & constantiæ particeps ipsa Ecclesia est. Adde Jesu Christi promissionem, opemque validissimam, quibus inferorum vires, & nequissimorum hominum conatus ab Ecclesiâ avertuntur (l): *Et portæ inferi non prævalebunt adversùs*

(c) ויון האיים הרחקים (d) בצבים ובפרדים ובכרכרות (e) *Boch. de anim. sacr. parte* 1, *lib.* 2, *c.* 4. (f) *Deut.* xxvi, 4, 5. (g) 2 *Thess.* ii, 12. (h) וגם מהם אקח לכהנים 70: *Καὶ ἀπ' αὐτῶν λήψομαι ἐμοὶ ἱερεῖς καὶ Λευίτας.* (i) 1 *Petr.* ii, 9; *Apoc.* i, 6; & xx, 6.
(k) Vide supra, lxv, 17. (l) *Matt.* xvi, 18.

℣. 23. Et erit mensis ex mense, & sabbathum ex sabbatho: veniet omnis caro, ut adoret coram facie meâ, dicit Dominus.

℣. 24. Et egredientur, & videbunt cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt usque ad satietatem visionis omni carni.

COMMENTARIUS.

versùs eam. Expleto etiam sæculorum fine, Ecclesia in Cœlo perseverabit.

℣. 23. ET ARIT MENSIS EX MANSA, AT SABBATHUM AA SAABATHO. Omnes in posterum gentes coram me procumbent, meque in Templo venerabuntur, nedum ter quotannis, ex Legis sanctione (m), singulisque Neomeniis, verùm etiam singulis sabbathis. Frequentior multo est apud Jesu Christi Ecclesiam sacrificiorum usus, rerumque Divinorum communio, quàm solerent Judæi ad Templum convenire, & solemnia Religionis officia exercere. Justus illis erat excusationi locus, unius in totâ regione Templi distantia, quod singulis profectò hebdomadis seu mensibus adiri non poterat: quamobrem illos hujus rei non arguit Deus, quamvis unum solummodò Templum esse voluerit, ut labentes in superstitionem animos illorum detineret.

Hoc Isaiæ vaticiniom confirmat Malachias (n), verbisque multo luculentioribus exprimit, tradens: *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus Deus exercituum*. Grotius de Ethnicis interpretatur, oratum in Templum solutâ captivitate venturis, atque in subdiale gentium coituris, ut Deum venerarentur, non tantùm singulis mensibus, sed quaque hebdomade. Id tamen nunquam Ethnici præstitêre, antequam Evangelii nomen acciperent.

℣. 24. ET EGRADIENTUR, AT VIDABUNT CADAVERA VIRORUM, QUI PRÆVARICATI SUNT IN MA. Intuentes Christiani ea, quæ inter Ethnicos & Infideles contingunt, severissimam ultionem admirabuntur, qua Deus animadvertet tum in Judæos, destructo Templo, eversâ urbe, totâque gente vastatâ; tum in Ecclesiæ hostes, quorum plerosque mira prorsus & sonora supplicia consecuta sunt.

VERMIS AORUM NON MORIATUR, ET IGNIS EORUM NON AXTINGUETUR. Domini hostium cadavera projicientur, vel in agro insepulta relinquentur: vermium cibus erunt, & flammis tradentur, ut cadaverum fœtor & pestis vitetur. Miserabilem sanè descriptionem prosequitur Josephus (o) cædis, qua intra Jerosolymam & circa ipsam sævitum est, in supremâ ejus urbis obsidione, & eorum, qui fame & mœrore perierunt intra infelicissimæ urbis mœnia, quæ ingens cadaverum sepulcrum dici poterant; cùm mortuorum numerus multo major quàm vivorum fuerit; eosque ipsos qui superstites fuere, robur animusque & facultas sepeliendi mortuos defecerit.

Putant nonnulli, spectari hoc loco ab Isaiâ morem inter Judæos servatum. Locus, quo Jerosolymæ sordes & morticina congerebantur, erat vallis Thophet (p), vel Hinnon, ad urbis meridiem. Ne autem sordium fœtor pestem aëri induceret, æternos in eâ valle ignis nutriebatur, quo putrescentia cadavera cremarentur. Porrò asserit futurum Propheta, ut vermis, quo cadavera hostium Domini vorabuntur, nunquam moriatur, & ignis, quo ardebunt, nunquam extinguatur; scilicet ita ingens sit mortuorum numerus, ut nunquam desit vermibus quod vorent, igni quod urat. Vel, ut Christus ipse hunc locum explicat, ubi ad illum alludit (q): Conscientiæ morsus damnatos lanians, & ignis illos vorans, nunquam cessabunt. Æternâ illi desperatione cruciabuntur, & acerrimus illos dolor feriet, dum sese summo bono carentes, æternisque cruciatibus addictos senserint in igne, qui nunquam extinguendus ipsos cremabit.

ET ARUNT USQUA AO SATIATATAM VISIONIS OMNI CARNI. Omnium hominom obtutibus exponentur, qui ipsorum suppliciis oculos satiabunt. Vel: Omnibus hominibus horrori erunt. Conspici absque horrore ac dolore non poterunt. Ad verbum (r): *Erunt nausea omni carni*. Fœtorem minimè ferendum exhalabunt. Res adeo visu horribilis erunt, ut nemo illorum aspectum laturus sit. Septuaginta (s): *Erunt in visionem omni carni*. Nemo illos non horrebit atque abominabitur. Chaldæus: *Erunt impii judicati in gehennâ, donec dicant super eos justi: satis vidimus*. Sævissimus damnatorum dolor is erit, quòd totâ æternitate odiosum creatis omnibus rebus spectaculum futuri sint, horrori, indignationi & contemptui ab illis habiti, ceu victimæ, quas Dei furor æquissimâ severitate cædit.

Accedat lacrymis odium, dignusque putêris,
Ut mala, cùm tuleris plurima, plura feras (t).

(m) *Exod.* XXIII, 14: *Deut.* XVI, 6.

(n) *Malach.* I, 11. (o) *Joseph. De bello*, *lib.* 6, *cap.* 16. (p) *Isai.* XXX, 33. *Praparata est ab heri Tophet a Rege, praparata, profunda, & dilatata. Nutrimenta ejus ignis, & ligna multa. Vide & Jerem.* VII, 31, 32; & XIX, 6, 11, 12, & *seq.* (q) *Marc.* IX, 43, 45, 47: *Mitti in Gehennam ignis inextinguibilis, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

(r) והיו דראון לכל בשר (s) 70: Ἔσονται εἰς ὅρασιν πάσῃ σαρκί. (t) *Ovid. in Ibin.*

Finis Commentarii in Isaiam.

INDEX

Rerum ac verborum, quæ in Ecclesiaste, Cantico Canticorum, Sapientiâ, Ecclesiastico, Isaiâ continentur.

A

Aaron, ad Summi Sacerdotis dignitatem evehitur 454. Divinisque beneficiis cumulatur *ibid.* Familiæ ejus supra Leviticas privilegia *ibid.* Intercessione sua Hebræos in deserto agentes incendio liberat 202. Quo sensu Propheta appellatur 481.

Abarim, mons trans Jordanem, in Tribu Ruben 99.

Abdolonymus. Sidonis Rex creatur 300.

Abel, nomen loci trans Jordanem, vini præstantia celebris 105.

Abimelech, nothus Gedeonis, criminibus & sævitie invisus 459.

Abraham. Turri Babelicæ coætaneus ab Auctore Sapientiæ constitui videtur 208. In medio gentium ope Sapientiæ protectus, putum se tuetur 160. Utrum Idola coluerit *ibid.* Quam fortiter obedierit in sacrificio Isaaci *ibid.* Utrùm ante vocationem Idola coluerit 706. Insigni elogio a Scriptura donatur 458. Quæ gentes ab illo descenderint *ibid.*

Acceptio personarum mala 267.

Accusatio, dexteram rei tenebat 150.

Acerra, odorariæ, super pectus pendentes ferebantur 103. Anaglyphis & sculpturis ornabantur *ibid.*

Acervus lapidum, congerebatur super tumulos eorum, quorum memoria erat odiosa 346.

Acharis, ingratus, inelegans, molestus, &c. 403.

Achaz, Rex Juda obsidionem Regum Syriæ & Israelis Jerosolymis sustinet 561. Cogit illos reducere copias 553. At illi iterum redeunt 562. Prædicit illi Isaias futurum, ut illorum molimina frustra cadant 563. Phacee Rex Israelis commisso prælio illum vincit *ibid.* & Rasin Syriæ Rex ditionem illius vastat *ibid.* Signum aliquod poscere a Domino jussus, renuit 564. Cur, *ibid.* Spondet illi Isaias Dei nomine signum de Emmanuele, e Virgine parente nascituro *ibid.* Mittit Achaz opem imploraturus a Teglathphalassaro in Reges Syriæ & Israelis 585. Quod illi misere eventurum Isaias prædicit 566, 567, 570. Argenti vim magnam Teglathphalassaro solvit, & vectigalis illi efficitur 566, 569. Teglathphalassar ditionem illius vastat *ibid.* Achaz mandat Uriæ summo Sacerdoti, ut æneum altare in Templo ad exemplum Altaris Damasceni constituat 568. Regni ejus diuturnitas 533.

Achi, arundo in ripa Nili crescens; qua etiam nomine quicquid viride in locis palustribus proveniens universè designatur 615.

Achor. Vallis circa Jerichuntem 285.

Achu, Hebraice est locus irriguus 594.

Acquirere cor est acquirere sapientiam 479.

Adam in perfecto æquilibrio inter bonum & malum creatur 310. Quid gratiæ obtinuerit *ibid.* Adami peccatum 36. Ne iterum caderet, & a primo lapsu ut surgeret, fecit Sapientia 258. Prædestinatorum omnium primus est *ibid.* A S. Clemente Alexandrino, & Origene inter Prophetas cooptatur 482.

Adama Urbs olim in Pentapoli celebris, quæ cœlesti igne unà cum Sodoma flagravit 603.

Ades vel *Pluto*, Rex Inferni 525.

Adonis Numen Ægyptiorum 281, & Madianitarum, idem ac *Beelphegor* 122.

Adversa res, noctis & tenebrarum nomine designatæ 172. Forti animo ferendæ sunt 256, 257, 334. Quid nobis inde ostendunt 256.

Adulteria apud Profanos communia. Quæ mala ex illis proveniant 187.

Adulterium morte puniros apud Hebræos 359, 442. Experimentum aquæ amaræ in illos, qui suspicionem fidei adulterio corruptæ creant 448.

Ædes Salomonis Jerusolymis, domus saltus Libani appellantur 11.

Ædificare domum patrum suorum, est liberos procreare 83. Ædificare domum alicujus, est dare illi liberos 162.

Ægyptii remotissima antiquitate gloriantur 503, 625. Populos lineæ appellantur 622. Inferioris Ægypti incolæ nulla cultura humum exarcent *ibid.* Imperii illorum, qua parte cum rebus Hebraicis connexum est, historia 582. De Ægyptiorum captivitate sub Sargone Rege Assyriorum vaticinia, & mala quæ illis ab eodem Rege manebant 625. Ægyptii caput condebant, relicta in mento barba 622. Munera ad Templum Jerosolymitanum mittunt 623. Quàm insanè superstitiosi 541. De illorum ad fidem Jesu Christi conversione vaticinia 618. Idololatriæ apud illos antiquitas 212. De religione Ægyptiorum quàm falsa narrent Porphyrius & Theophrastus *ibid.* Bestias, quas consecraverant, Deo agente infestas sibi experiuntur 174, 191, &c. 194, &c. Quàm inhumani in Hebræos 203. Totam Hebræorum gentem perdere conati sunt 196, &c. 200, &c. Malis plagisque a Deo afficiuntur 178. Terrentur spectris, inter densissimas tenebras oculis illorum obversantibus 195, &c. Cædes primorum natu Ægyptiorum gladio Angeli exterminatoris 200. Agnoscunt, Hebræos populum Dei esse 208. Urgent Hebræos, quò citius exeant Ægypto, egressosque insectantur ut perdant; sed ipsi aquis mersi pereunt 203, 204. Funeris Ægyptiorum descriptio apud Herodotum 55. Ægyptiorum superstitio cùm se vinctos coram Deo suo in argumentum servitutis exhibent 877.

Ægyptus. Ægypti varii Nomi seu Præfecturæ & Toparchiæ 613. Interdum nomine Rahab Ægyptus designatur 660. Isaiæ in Ægyptum minæ, quonam tempore impletæ 558. Idolorum Ægypti eversio, ad tempus fugæ Christi in Ægyptum a vetustis quibusdam Patribus refertur 624. Ingens Judæorum numerus in Ægypto 617. Sennacheribus infestis armis Ægyptum aggreditur sub Sethone 623. Jugo liberatus; ab Assaradone vastatur 630. Ægyptiorum ad fidem Evangelii conversio 613, & Religionis in ea progressus 618. Ægypti Idololatria omnium vetustissima 211. Prima Ægypti Numina, Isis & Osiris 256. Rari imbres in Ægypto quibusdam anni temporibus & locis 193. Medicina ibi in honore, & suus morbis singulis Medicus peculiaris 223, 224.

Ælam Persidem designet 621.

Ælamita Regi Assyriorum subjecta gens 626.

Ænigmata, Salomonis ætate familiarissima erant 283.

Ærumna mortalium 431. Quanta justis sint ærumnæ in hoc sæculo 258. Quantulæ illæ sint, cum præmii in Cœlo destinati magnitudine comparatæ 246.

Aer bonis pravisque Angelis obsitus est, juxta Philonem 214.

Ætas flebilis, est ætas nubilis 373. Ætatis hominis diuturnitas 334.

Æthiopes minium æstimabant plurimi; eodemque se & Deorum simulacra inficiebant 283. Isaiæ in Æthiopes minæ 620.

Affectiones animi instabiles & inquietæ spiritum dissipant 150.

Agallim. Vide *Gallim*.

Agarai vel *Saraceni*, baptizandos se tradebant, ut nativum fœtorem detergerent 549.

Agele, utrum loci nomen sit 602.

Ager Fullonis orientalis Jerosolymæ ad fontem Siloen 627.

Agnus dominator terræ, Messias est 603.

Agnus Paschalis. Agni illius cruore superliminaria domorum linientes Hebræi, Angelum mortis evadunt illæsi 200. Convivium Agni Paschalis carminibus & hymnis celebrabatur, *ibid.*

Agricultura occupatio erat veterum Patriarcharum, & Conditorum Urbium & Imperiorum 281.

Agur nomen gruis apud Hebræos 688.

Aiah, avis genus; utrum idem ac vultur an pica 594.

Ajath, nomen urbis, ejusdem fortè cum Hai, urbe apud Josue celebri 581.

Akiba obvium habet hominem, qui jamdudum decesserat. Fabellæ hujus narratio 335.

Alilat, nomen Lunæ apud Arabes 678.

Allegoria. Leges allegoriæ, juxta Origenem 492. Allegoriarum exempla in utroque Testamento 491. Allegoriarum usum ante Philonem obtinuisse apud Hebræos, argumentis demonstratur *ibid.* Quem etiam morem ex majorum suorum imitatione Therapeutæ retinuerunt; & Patres ex Apostolis acceperunt *ibid.*

Alma, Hebræa vox claosam sonans, puellis in Scriptura aptatur 63, 520. Propriè & genuinè de *Virgine* dicitur 520. Quamquam abusione quadam interdum de adolescentula quacumque usurpatur 516, 520. Sermonis Prophetici connexio ad significandam *virginem* ducit 517.

Aloe, arbor Indica, ad octo vel decem pedes assurgens, nonnullis apta usibus, describitur 80.

Altaria erigere extra Jerosolymam interdictum erat Judæis 816. Altare Holocaustorum *Aries* appellabatur 654.

Amanus, Mons inter Ciliciam & Syriam medius, ubi potissimum Galbanum gignitur 87, 362.

Amanus vel *Arimanus*, Numen Armenorum, & gentium finitimarum, idem ac *Mens* 785.

Amaxitus, urbs in Troade, ubi *mus* colebatur 542.

Ambrosia, pro Manna posita 206. Cibus erat Deorum, ex Profanis *ibid.*

Ambulare coram viventibus est, in societate vivere 28.

Amici.

Amicitia. Amicitiæ varii gradus 273. Præcepta ad amicitiam utilia 338. & seq. Amicitia petanda est ex virtute, charitate, religione, & optima de amico opinione 273, 275, 276. Leges inviolabiles amicitiæ 333. In amicitiis illæ suavissimæ sunt, quæ vetustissimæ 292.

Amicus, cum res prosperè cedunt, non facile agnoscitur 607. Amico debetur fidelitas 353, 354, 376. Veteres amici sanctè retinendi sunt 292. Quænam mentis arcana Amico committenda non sint 274. Ne amicorum ingens sit turba, Sapientes monent *ibid.* Multos habuit amicos Ecclesiastes; sed quo sensu *ibid.* Numerus amicorum ingens, perinde ac polygamia infamis est apud Scythas *ibid.* Amicorum periculum faciendum est *ibid.* 275. Simulati amici indicia 274. Ita amandi sunt amici, ac si futurum tandem sit, ut odio habeantur 275. Amicum sincerum veneratione prosequi oportet *ibid.* Nihil dulcius, nihil validius optimo amico *ibid.* In amico nihil diligito nisi virtutem, sapientiam, pietatem 275. Ibi tantummodo sincera est amicitia; ubi probitas est & pietas *ibid.* & 276. Amicus optimus donum est Dei 276. Veri & simulati amici imago 424. Amici peccata quomodo reprehendenda & arguenda 338. Simulati amici artificia 309.

Ammon, Ægyptiorum Numen, sub arietis imagine cultum 197.

Ammaalta a Rege Juda desciscentes, a Joathano filio Oziæ ad officium revocentur 514.

Amor carnalis tyrannidem exercet in eos, quibus dominatur 104.

Amor Divinus quanta vi polleat, & quàm mira præstet 96, 104. Amor Sapientiæ suadetur 155. Amor vini & mulierum Sapientes ipsos perdit 336.

Amos Propheta, quo tempore munus suum inceperit 496, 563.

Amos pater Isaiæ, a Propheta ejusdem nominis planè diversus 496.

Anacharsis stupebat, quòd homines sponte & animo non iniquo navigationi se committerent 183.

Anat Persarum Numen 710.

Analemma, Græca vox, sonans ædificium sublime 470.

Anathoth, urbs Judææ, prope Jerosolymam ad Septentrionem, Jeremiæ Patria 583.

Angeli. Cultus Angelis impensus 220. Angelorum nomen non rarò Sacerdotibus dabatur 35. Utrum Dominus ad homines puniendos Angelorum malorum ministerio tantummodo utatur 430. Angeli singuli singulis gentibus, provinciis, urbibus, &c. assignati 507.

Angelus exterminator primores natu Ægyptiorum trucidans poeticè describitur 201, 202. Angelus Custos 35. Angelus faciei, Angelus est inter primores, &c. Angelus Domini, fortè Propheta est 481. Angelus exterminator exercitus Sennacheribi, utrùm unus esset ex probis, an ex improbis 522. Variæ & diversæ ultionis minister creditur 522. Opinio Judæorum de illo. Censent nihil habuisse in gentem suam potestatis 524. De Angelo mortis quid Judæi sentiant seu, 523. Angelum mortis præsidem, animam educentem e corpore, seu inaitam, seu volantem, agnoscunt Hebræi. Quid præstet Angelus mortis, sive in ipso hominis interitu, sive post decessum, juxta Rabbinos 130.

Anima. Utrum hominum animæ ab animabus brutorum differant 19. Animæ natura 56. A corpore soluta ad Creatorem suum revertitur 15. Varietis hujus notio quædam Paganis illuxit *ibid.* Immortalitas ejus perspicuè expressa 215. Impugnata e licentiosis 140. Inter animam sensu tantummodo vigentem & rationalem discrimen 141. Utrum ab ipso mundi exordio omnes simul animæ creatæ sint 265. Utrum ex æquo omnes agilitate & intelligentia valeant *ibid.* Duo animarum genera distinguens Plato, alterum quidem illabi in corpora, alterum a corpore abhorrere censet 114. Animarum præexistentia, *ibid.* Opinio Philosophorum de animabus a Cœlo in corpora labentibus 120. Cultus animabus Principum impensus post mortem *ibid.* Opinio ex Veteribus communis, animam ignem quemdam esse 141. Iter animæ fortè significat ejus desideria & spes 28. Dogma de animarum Immortalitate semper valuit 137. Animam a spiritu distinguere Daniel videtur *ibid.* Dogmatis de animarum immortalitate primi Authores *ibid.* Argumenta ejus rei Scriptura suppeditet *ibid.* Ubi animæ subeant judicium, ex Rabbinorum sententia 130. Animarum per visum sese exhibentium exempla in Scriptura, quomodo a Rabbinis accipiantur 129. Felicitas animæ in Paradiso juxta Hebræos; & pœnæ apud inferos, juxta illos 130, 131. Purgatorium animarum 135. Metempsychosis 133. Juxta Thalmudistas integro anno peregrant in Terra, antequam transferantur in Cœlum 134.

Anni numeri sunt pauci anni 126.

Annus Lunaris. Hebræi post Captivitatem Lunaribus tantummodo annis utebantur 445.

Annuli. Fœminæ apud Syros & Indos in singulis ferè digitis annulos gestabant 547.

Annulus Sponsalitius. Moris hujus vetustas 65.

Antichristus. Locus clare docens exitum Antichristi 585.

Antiochus Epiphanes veri Dei religionem evertere molitur 785. Quæ in Judæam mala intulerit *ibid.* Templum diripit, & in sacro holocaustorum Altari Jovem Olympium constituens, immunda illi sacrificia offerri jubet 770. Ejus furor in Judæos tribus annis & dimidio sævit *ibid.*

Antipodes. De illis opinio, ceu periculosa & absurda, ab Antiquis rejecta est 246.

Anubis, Profanorum Numen, quod canis imaginem referebat 197.

Apapis Rex Ægypti 613.

Aperire os suum sapientiæ, est illi insultare 752.

Apes. Veteres olim Apibus mentem rationis capacem & Divini spiritus portionem quemdam tribuebant 500.

Aphiriva, Hebraica vox, sonans thalamum, lecticam, & selliam gestatoriam 83.

Apis, Ægyptium Numen, tauri imagine depictum 197. Est etiam vir idem ac *Osiris* Rex Ægypti, medicinæ inventor 223.

Aporia, defectus, imbecillitas, paupertas, vel etiam, juxta nonnullos, ambiguitas 475.

Aqua loco quæcumque humanitas interdum designant 50. Aquas olim pro Numine colebant Profani 182. Aquas Moyses e silice deserti in commodum Hebræorum eduxit 174. Aquæ etiam usurpantur pro generatione & posteritate 220. Aquæ Juda *ibid.* Aquæ Siloes domum Davidis designent 569. Aquæ superiores, quæ firmamento incumbunt, quid sint 843.

Aquila juventam reparat 604.

Ar, vel *Areopolis*, alitter *Rabbath-Moab*, metropolis Moabitarum ad torrentem Arnon 601. A Profanis *Carac-Moab* appellatus *ibid.* Eadem pariter dicta est *Kir* vel *Kirharesseth*, vel *Karsathares*, *ibid.* Alia est ejusdem nominis urbs, eidem torrenti adjacens 614.

Arabes Straitæ, qui & *Cedareni*, sive *Cedra*, & Beduini appellantur. Sedes habent incertas, nec nisi sub pellibus habitant 72, 593.

Aram, Hebræis Syria est 619.

Araxes, amnis e montibus Armeniæ fluens in mare Caspium 365.

Arbaces in Sardanapalum conspirans, Medis libertatem procurat 508.

Arca Noe, quæ & *contemptibile lignum* appellata est, totius generis humani spem gerebat 569. Navis fuit omnium instructissima & vastissima 184.

Arcana inviolabilia esse oportet 376. Linguæ amissione multabatur apud Ægyptios, qui arcana proderet *ibid.*

Arcana Providentiæ curiosius scrutanda non sunt, & intra res manifestas continere cogitationes nostras decet 601.

Argentum. Mos argentum appendendi in commerciis. Argenti cusi usus issia ætate nondum obtinuerat 717.

Ariel est Leo Dei 633. Est etiam nomen Urbis, quæ & Areopolis appellatur 603. Ita pariter nuncupata fuit Jerosolyme; uti & altare Holocaustorum apud Ezechielem 654. Duo Ariel Moab forte geminas Urbes *Ar* ad torrentem Arnon designant 603.

Arelitis, Provincia est in regione Moabitica 603.

Aries usurpatur interdum pro Principe 604.

Arislas, divinus, nomen est interdum in bonam partem acceptum, pro viro intelligentia & experientia exculto 542.

Archis, mitra erat argentea in figuram coni, mulierum Syriacarum & Arabicarum ornamentum 546.

Aroer, Urbs in veteri ditione Moabitica ad Arnon 607.

Arphad, utrum insula sit & urbs *Aradus* ad Mediterraneum, seu potiùs Raphanæ 579.

Artaxerxes, Nehemiam iterum mittit in Judæam, facta illi potestate restituendi Templum Jerosolymitanum 768.

Artes Sapientiæ nomine designantur 306.

Aspalathus, arbuscula spinosa, grati odoris, quæ ad aloen propius accedit 361.

Aspides apud Ægyptios colebantur, & in destinatis domibus alebantur 172.

Assaradon Idumæam ingenti clade vastat 676.

Assidæi, uir pius, pro gentilem Israelita ponitur 450. Idem nomen olim datum fuit Patriarchis & priscis illis viris Sanctis *ibid.*

Assimilare est, titulum honoris & illustre quoddam cognomen &c. in alterum conferre 721.

Assyria non rarò pro Syria usurpatur 619.

Assyrii imperium habuerunt, a Nino filio Beli primo constitutum: quamdiu illud floruerit 504.

Astra ex opinione Veterum animæ instruuntur 220. Unde opinio illa petita sit 641. Cultus Profani argumenta fuerunt omnium vetustissima 224. Quo tempore sub hominum nominibus coli cœperint *ibid.*

Astutia sæpè in bonam partem, pro sapientia scilicet, usurpatur 378.

Atribita, populi inferioris Ægypti in Nomo cognomine murem araneum colebant 541.

Atrium gentium, a Simone II Summo Sacerdote, filio Oniæ, conditum 472.

Atrium Sacerdotum in Templo Jerosolymitano patebat cunctis Israelitis, cum victimas ad altare ducerent 578.

Avara Urbs Arabiæ Petrææ, utrùm ipsa sit urbs Oronaim 601.

Avaritia genus est idololatriæ 296.

Avarus graphicè describitur 142. Designatur sub nomine mali oculi 301, 302. Timet, ne benefaciat proximo 315. Nihil boni nisi moriens agere, vetere proverbio dicebatur 315. Nihil detestabilius avaro 296. Avari ingenium *ibid.* & 314, &c. Avari in summa rerum copia indigentissimi omnium sunt 374. Avarus a Profanis designatur sub nomine Tantali, qui in mediis aquis sitit 303. Infelix avari conditio 27. Avarus semper eget 66. Imago avari apud Salomonem 21, 27.

Author Ecclesiastæ. Qui mens ejus fuerit, cùm summo odio prosequi se duas gentes dicit 475. Doctrinæ ejus elogium 479.

Author Libri Sapientiæ, cur Salomonis nomen sibi adsciscat 307. Quod sibi Operis sui institutum potissimum proposue-

fuerit *ibid.* Sapientiam, ejusque potentiam & commode magnificè describit *ibid.* Quid senserit de animæ immortalitate, hominis lapsu, Judicio, futuris alterius vitæ pœnis ac præmiis 109. Utrum divinam obtinuerit authoritatem hic Liber nonnulli dubitarunt 108. Quid hisce respondari possit *ibid.* &c. de stylo hujus Authoris animadversiones 106. Phrases quasdam a Profanis mutuatur *ibid.* Frequentissimè Scripturæ sententias ex Versione Septuaginta recitat 110. Authores Catholici plures hunc Librum Salomoni vindicarunt 111. In hanc opinionem difficultates 112. S. Augustinus aliter sensit 113. Libri hujus Author alius est a Philone Judæo 117. Unde contrariam opinionem desumpserint Authores quidam veteres & recentiores 113. Nihil certi de Authore hujus libri afferunt Patres 117. In antiquitatem illius animadversiones *ibid.* Errores, quos illi tribuit Calvinus, de origine Idololatriæ 118.

Azotus, Ægypti Urbs, ab Assaradone obsidetur 639.

Azothus Urbs celebris Philisthæorum 600.

B

BAal Hamon, nomen est loci. Utrum idem cum *Engaddi* ad mare mortuum, vel cum *Hamon* in Tribu Nephtali, vel cum Baal Maon trans Jordanem 105.

Baal-Meon, nomen loci trans Jordanem inter Jezer & Abel, cujus vina celebrantur *ibid.*

Baal Salisa, Urbs est, regioni Moabitidæ proxime 602.

Babylon condita est a Nemrodo, aucta a Belo 611, 633. Urbis hujus situs 593, &c. Appellatur desertum maris, & cur 593, 822, 825. De ejus calamitate & excidio vaticinia 580, 612, 625, 646. Dario Medo, Cyro & Dario filio Hystaspis capitur 589. Mœnibus spoliatur 590, ab Assaradone 624. Dejectio & opprobrium Babylonis, in pœnam criminum 718. Idola illius a Cyro avertuntur 715, 716. Excidium urbis lateoto Imperio Macedonum 593. Alexander Magnus restituendæ illius consilium agitabat 590.

Babylonii. Prædicuntur illis mala, quæ passuri erant sub Regibus Persidis 588. Subduntur Medis & Persis *ibid.* Studium illorum erga divinationem, excantationes, & id generis veneficia 716. Vinculis alligatos in signum servitutis coram Diis suis se exhibebant 272.

Barchonitæ sævissimos ritus exercebant. Crudas carnes vorabant 176.

Bacchus apud gentes nonnullas veluti medicinæ primus author colebatur 324. Utrum ipse sit Nemrod *ibid.*

Baculus panis ponitur pro vita fulcro 542. Conterere baculum panis est ad inopiam redigere *ibid.*

Balista, machina erat obsidionalis, cui Dei furor in impios similis dicitur 253.

Balsamum commune erat olim in Judæa, quo illum Regina Saba tulit, juxta Josephum 362. Describitur *ibid.* Ab Ezechiele sub nomine *Pannag* designatur *ibid.* Qua arte succus exprimitur *ibid.*

Balthasar Rex Chaldæorum neci traditur, qua nocte vasa Templi sacra profanavit. Utrum sepulturæ honorem obtinuerit 597.

Baptismus a Judæis aliisque gentibus nonnullis præoretur, ut corpus nativo quodam fœtore liberaret 549.

Baptizati. Mos Ecclesiarum Occidentalium, mel & vinum propinandi Neophytis, unde cœperit 88, 565, 737.

Basan pagus trans Jordanem in Galilæa Gentium 672.

Basiliscus ictu oculorum, vel halitu oris lethum inferre a Priscis afferitur 600.

Bath-Rabbim, fortè ipsa est Rebbath, seu Rabbath Ammon 99.

Bathus, mensura pintarum unde triginta cum pinta dimidio, hemisextario, octava pintæ parte, & ampliùs aliquento 554.

Bedaini vel *Arabes Scenitæ*. Vide *Arabes Scenitæ*.

Beelphegor, Moabitarum Numen in Nabo cultum 601. Colebatur & a Madianitis: idem erat Adonis 122.

Beelzebub, Numen Chananæorum & Philisthæorum 170, 519.

Beer-Elim, putei Principum 603.

Bellum & pax duæ sunt voces, quæ ad significandum bonorum & malorum quodcumque genus usurpantur 187.

Belus, vetus Babyloniæ Rex, idem facilè ac Nemrod apud Chaldæos, Babylone cultus 715, 716. Simulacrum illius a Cyro aufertur *ibid.* Templum verò a Xerxe evertitur *ibid.*

Benedictio accipitur pro munere & oblatione adulium 784.

Benedictiones parentum super filios pronis auribus Cœlum exaudit 160.

Benedictiones nuptiales apud Hebræos, quàm antiquæ 69.

Berosh, utrùm designat Cypressi genus illud, quod *beata* appellatur 75.

Ben-sira, Judæus Author in dogmatibus suis cum Authore Libri Ecclesiastici mirè congruit 208. Utrum Author sit ejusdem Libri *ibid.* Nepotem Jeremiæ illum constituunt Judæi *ibid.* Cur ab Hebræis a Canone Scripturarum Liber ille rejicetur *ibid.*

Besor torrens est ex Idumæa in Mediterraneum fluens 677.

Beth-Agla urbs Moabitidi vicina 602.

Bethbara, vel *Betabara*, urbs Moabitide 602.

Bether, quid 82. Utrum montes Bethar iidem sint cum montibus Bethoron *ibid.* Eusebius nomen Bether de Bethorone usurpat *ibid.*

Beth nemra, Urbs Moabitide ad mare mortuum, utrùm ipsa sit Nemra vel Nemri 603. Eadem est ac Nemra vel Nemrim *ibid.*

Bethora, nomen a Josepho Bethoroni Inferiori datum 82.

Bethoron Inferior Urbs Jerosolymæ vicina 82. Nomen *Bethoron* in Libris Regum obtinet; Eusebio est *Bether*; Josepho *Bethora*, in itinerario *Bether*, *ibid.*

Bet-phegor, Urbs Moabitica 602.

Bethsimoth Urbs Moabitica *ibid.*

Beusthem, vox est Hebræa, sonans fructus ingrati odoris, vel saporis 552, 553.

Bethzaleth, quid significet, ignoratur 76.

Bechre, Hebraicè est pullus Cameli 767.

Blasphemia morte punitur apud Hebræos 356.

Bona hujus mundi. Rectus illorum usus faciendus est 316.

Bonum pro pulchro usurpatur 442.

Bosra, urbs in veteri ditione Edom, inter Edrai, Ramoth, & Philadelphiam 774.

Bozra, Urbs in montanis Idumææ 676.

Bruta. Hominum vitia, natura brutorum sunt 298.

Bruta. Veteres Hebræi ut phrasium quarumdam Scripturæ consuetudine animam esse quamdam in sanguine residentem, quæ hominibus æquè ac Brutis sit communis 266.

Bruta, cupressi genus, cedri odore, firmitate, pulchritudine, sed humilius 75.

Butastis, Urbs Ægypti 618.

C

CAdes, Urbs Arabiæ Petrææ, quæ & *Cades-Barne* 361.

Cadmus a Phœnicibus, ceu primus apud illos inventor Medicinæ, cultus, Moysis contaneus 324.

Cades exercitus Sennacherib ibi prodigiose 521. Ubi potissimùm contigerit: Certè non in obsidione Jerosolymæ 524.

Cœlibatus nota erat probri apud Israelitas 550.

Calum. Hoc nomine appellabatur Sanctuarium, Dei sedes 367. Ex veterum quorumdam opinione Cœlum inscriptum est literis perspicuis, scriptum exhibentibus fatum singulorum 676. Cœlos plures agnoscunt Hebræi 712. Quid de Cœlorum forma senserint Hebræi veteresque Philosophi 242, &c. Tres cœlos, inæquali spatio sublimes, agnoscunt 242.

Cæremoniæ Ecclesiæ multo honore & obsequio habendæ sunt 85.

Cain a sapientia recessit, cùm fratrem suum interfecit 168. Posteri scelus patris & exemplum secuti, diluvium in homines provocarunt 169.

Calamus aromaticus, arundo est grati odoris in Palæstina & Arabia frequentissima, quæ apud nostros pharmacopolas venditur 89.

Calamus Ægyptius, qui & *Achi* appellatur, in varios usus valet 615.

Calane, Urbs a Nemrodo paulò post diluvium condita, utrum ipsa sit Ctesiphon ad Euphratem 579.

Caleb, filius Jephone, insigni elogio a Scriptura celebratur 459. Unus fuit ex legatis fidelibus, quos Moyses ad inspiciendam terram promissionis misit *ibid.*

Caligæ Senatorum Romanorum 546. Caligæ mulierum Tyriarum, & Assyriacarum 544. Veterum caligarum alia genera *ibid.* &c. Caligæ mulierum Palæstinarum 546.

Calix designat non rarò in Scriptura punitionem 735.

Calix benedictionis, calix est convivalis, quo diebus festis utuntur Judæi, & per singulos convivas circumferunt 65.

Calvinus errores de origine Idololatriæ ausu planè temerario Authori Sapientiæ tribuit 118.

Calumnia vel ipsum Sapientem conturbat 31.

Cambyses idem est ac Og sive Holofernes 644.

Cambyses pater Cyri 698.

Camillus mimo illitus triumphavit 183.

Canis animal impurum apud Hebræos 310. Sæpè in Scriptura impurum hominem designat *ibid.*

Canopus, Numen Ægypti 610.

Cantica in usum festorum dierum & funerum apud Hebræos 551.

Canticum Canticorum significat inter Cantica pulcherrimum & eximium: quod autem sic inscribitur, unicum est inter Cantica Salomonis, quod ad nos usque pervenerit 58. Sunt ex Rabbinis, qui illud tribuunt Isaiæ; sed Christiani, & Judæi vulgo Salomoni vindicant *ibid.* De tempore & occasione scriptæ Lucubrationis, varii varia *ibid.* Probabile est, occasionem illius scribendi dedisse connubium Salomonis cum filia Pharaonis, non autem cum fœmina Tyria, seu cum puella Jerosolymitana, sive cum Abisag Sunamitide *ibid.* E variis Lucubratiunculis componitur 59. Error eorum qui unum hoc esse carmen in actione & personis autumarunt 59. Animadversiones, quæ totius operis schema in lucem producunt *ibid.* Septem ibi noctes septemque dies non obscurè distinguuntur *ibid.* Totam ibi nuptialem cæremoniam se deprehendisse, Sanctius censet 60. Potissimus Carminis hujus scopus est connubium Christi cum mortali hominum natura, simul & cum Ecclesia, & cum Anima singulorum justorum *ibid.* Nonnisi per summam impietatem totus liber exponitur ad verbum de connubio Salomonis 60; uti & absurdum est, literali hoc sensu rejecto, unicum spirituale retinere *ibid.* Utriusque sensus conjunctionem Ecclesia semper probavit 62. Libri hujus lectionem non priùs quàm ad trigesimum ætatis annum permissam sibi ducunt Hebræi, ut neque Doctores ipsi id sibi permissum esse illum ætatis annum censeant, teste

Sermone 60. Quæ mentis & animi preparatio ad ejus lectionem conferenda sit *ibid.* Sanctum Sanctorum a Judæis appellatur *ibid.* Canonicam ejus auctoritatem Judæi æquè & Catholicæ Ecclesia suspiciunt 61. Rejiciebatur olim a Theodoro Mopsuesteno, & nunc ab Anabaptistis & Rabbinorum nonnullis *ibid.* Quam absurdam licentiam sibi in hunc Librum Grotius permittat, *ibid.* In stylum illius, tropos & similitudines animadversiones 62. Cantici hujus Versionem ex Symmacho repetendam censet Du Pinis *ibid.* Versiones periculosæ hoc postremo sæculo adornatæ *ibid.* Paraphrasis Chaldaica in Canticum *ibid.*

Capilli in funeribus cædebantur 549. Fœminæ olim norunt artem capillos quocumque mallent colore pingendi 545. Id pariter apud gentes quasdam, viris etiam, familiare fuit 85, 100. Solemne erat pariter fœminis capillos serto ligare citra, ex quo aureas argenteasque catenulas suspendebant *ibid.* Aureo pulvere comam olim inspargebant milites Prætoriani Salomonis 93. Homeri ætate, viri crines aureis filis intexebant 93.

Capra Galaad pleræque tondebantur, & ex tonsis pilis crassiores panni conficiebantur 85. Capræ Lycio & pulchritudine & crispanti catillo celebrabantur: iis autem galericuli comati fœminarum confici solebant *ibid.* Vellere erant nigro, cui similis esse dicitur sponsæ cæsaries *ibid.*

Captivitas Babylonica ab Isaia omnium primo prædicitur 728. Sub Chaldæis Judæi servitutem non serviebant 595.

Captivi nudi venum exponuntur apud Orientales 681.

Cantus solemnibus conviviis plerumque adjungebatur 200.

Carat Moba, nomen est apud Profanos datum Urbi Ar, vel Areopoli, metropoli Moabitarum 602.

Cartaroth, vox est Hebraica ignotæ significationis 705.

Cereth, Hebraice vox, quæ crumenam designare potest, sed melius accipitur de cintu, & zona ample 548.

Caros Græce est palma 534. Hebraice crocus 80.

Carote, Græcum nomen dactyli a palme 534.

Carmel usurpatus de loco quocumque culto, fœcundo, amœno 609, 672. Est etiam nomen montis in Judæa celebris 678.

Carmel, seu *Carmil*, pro purpura 100.

Castitas quid a nobis exigat 201.

Cedar, regio Arabiæ Petrææ ad meridiem Nabathæorum, Idumææ vicina, cui proximum imminens exitium Propheta prædicit 685.

Cedareni, populi Arabiæ desertæ novum & singulare vitæ genus sectantes 701. Noti erant apud Veteres sub nomine Arabum Scenitarum vel Cedræorum 72.

Cedrus omnium arborum procerissima & solidissima erat 363. Nonnullæ adhuc supersunt in Libano, qua parte Tripoli imminet *ibid.* Appellatur autem cedrus gloriæ Libani 768.

Ceræ faces veteri more deferebantur accensæ in tradendis sepulturæ cadaveribus 217. Quam vetus in Ecclesia mos *ibid.* Hunc Judæi quibusdam in locis imitantur *ibid.*

Cervi. Cervis eam inesse trahendi angues in cuniculos suos, ibique illos interficiendi ac vorandi sine veneni periculo, Veteres opinabantur 78.

Cethim, Macedonia est 610.

Chalazei. Utrum vox hæc urbem Eluxem designet 605.

Chalasim designare potest exteriores vestes seu femoralia, qualibus adhuc orientales fœminæ utuntur 147.

Chaldæi. Chaldæorum imperium condidit Nabopolassar inter Judæos regnante Isaia 519. Imperii illius historia 507. Chaldæi superstitionibus & sortilegiis quibusque deditissimi erant 710. Corpora condiebant balsamo 596.

Cham, Filius Noe, quem Idololatriæ, magiæ & aliarum pessimarum artium authorem primum quidam agnoscunt: utrum idem fuerit cum Zoroastre, viro apud Veteres celeberrimo ter, 122.

Chemar, Hebraicè est vinum rubrum 532.

Chanaan, filius Cham, Deorum cultum Phœnicibus & Chananæis posteris suis, juxta quorumdam opinionem, commendavit 121, 122.

Chananæi, genus hominum ab ipsa origine maledicto obnoxium 177. Obstinati erant in malo, & disciplinæ impatientes *ibid.* Peccata Chananæorum: quomodo a Deo habiti fuerint 176. Humanis victimis Diis litabant *ibid.* Deus immittit exercitum vesparum, ut ea avitis sedibus illos expelleret 177. Muscas & alia ejus generis reptilia colentes, certis illis in perniciem suam experiuntur 179. Eorum mala, qui primis flagelli Divini ictibus restiterunt 180. Dei Hebræorum circa agnoscere coguntur *ibid.* Deus illos anathemati subjicit ac perdit *ibid.*

Characteres, militum & mancipiorum corporibus impressi 704.

Charasib, Hebraicè est arare, moliri, excogitare 581.

Charcamis, vel *Charchemisa* alio nomine *Circasium*, Urbs ad Euphratem 579.

Charitas erga omnes indiscriminatim exercenda 33, 30. Hoc est Evangelii institutum 358.

Chasch-Baz nomen filii, qui Isaiæ promittitur, *Velociter spolia detrahe*. Signum erat imminentis regnorum Syriæ & Israelis excidii 569, 569. Longè alius erat ab Emmanuele 568.

Chereb, vox Hebræa, variæ significationis 568.

Chesil; Hebraice est Orion, quem Astronomi *cor scorpionis* appellant 501. Designat etiam oceasum 592.

Chetem, Hebraice vertitur a nonnullis gemma; quamquam aurum significare credimus 594.

Chetem Ophir, aurum Ophireticum, in Scriptura notissimum, idem atque aurum Phaz 502.

Chirurgia olim a medicis exercebatur 533.

Choa, mensuræ vini exhauriendæ ab iis qui præmium victoris referebant in conviviis quibusdam Bacchicis, appellatis proinde *choes* 355.

Chochma, Hebraicè est, Sapientia 277.

Chomer, mensura æquans decem batbos, vel decem Epha 554.

Chorea, apud Orientales superabant licentia & turpitudine 201.

Christiani. Christianæ professionis quanta dignitas 771. Ad sacerdotii & Regiæ dignitatis Jesu Christi participationem admittuntur *ibid.*

Chus. Hujus nominis Provinciæ sunt multæ duo.

Chusan-Rasathaim, Mesopotamiæ Rex, ignotus omnino est vetustis Scriptoribus 503.

Chuschim. Hujus nominis certa sunt gentes 610.

Chutæi in Samaritidem transferuntur; & quando 506.

Cicero Divinos honores Tulliolæ filiæ suæ, perinde ac Numini, procurat 124, 125.

Cinnamomum, Arabiæ arbuscula, gratissimi odoris, cortice, utrum a Cinnamomo nostrate, *Cannella*, differat 89.

Cinnirea Græcè est lyra vetus 488.

Cinnor, musicum instrumentum grave & lugubre 606.

Cithium Urbs in Insula Cypro clara 610.

Clamor. Prima infantium vox est 159. Clamant autem A, E de Adamo & Eva querentes *ibid.* Cur nascentes ejulent, *ibid.*

Classis nulla apud Judæos fuisse videtur 187.

Clavis, authoritatis indicium 620.

Cœmeterium, a Judæis viventium domus appellatur 279.

Cognoscere Deum, perfecta justitia est 188. Quomodo Deus a nobis cognoscendus. Utrum satis sit illum cognoscere sola & sterili contemplatione *ibid.*

Collectio sententiarum, ab Authoribus sacris adornata 401.

Colligere ponitur interdum pro necare, in jus vocare, vocare, excipere in sepulcrum 758, 759.

Collum sponsæ comparatur turri clypeis munitæ; turri Davidicæ 86.

Color capillorum sponsæ, utrùm niger, an flavus, purpureusve 85.

Columna lucis Hebræorum in deserto 199.

Columba albis pictumque pennis vestiuntur in Syria & Italia 91. Docentur epistolas ferre, quod adhuc obtinet apud Ægyptios 446.

Commoda eorum, qui metuunt Dominum, & religiosè illi serviunt 251. 298, 300, 406, 434.

Complere manus Sacerdotis, est illum initiare 455.

Confessio peccatorum, apud Judæos periculosè ægrotantes 213. Confessionis illius forma *ibid.*

Connubium. Usus connubii certis quibusdam anni temporibus in Ecclesia vetatur 27. Fideles hortatur Apostolus, ut ab usu conjugii abstinentes, vacent orationi *ibid.* Libertate conjugii tantummodo utendum est, ut liberi procreentur *ibid.* Quomodo se gererent apud Lacedæmones novi sponsi erga sponsas 50. Sponsas tota nuptiarum hebdomada ne videre quidem, nisi raptim & caute, permittebantur *ibid.* 51. Idem pariter mos, primis saltem ab inito connubio diebus, obtinebat apud Hebræos 59.

Connubium Hebræorum. Connubia poscebant sponsorum parentes, nec se invicem videre sponsis fas erat 63. Sponsalia diu præcedere solebant connubii solemnitatem *ibid.* Filias pater, cui potissimùm mallet, nuptum dabat *ibid.* Sponsaliorum conciliandorum varii ritus 64. Liberæ conjugii ante nuptiarum celebrationem interdicte erat *ibid.* Siqua sponsa vitiari se pateretur, adulterii rea habebatur *ibid.* Sponsus sponsam emebat, soluta dote, datisque muneribus Patri & Fratribus sponsæ *ibid.* Sponsaliorum cæremoniæ, & variæ in eam rem animadversiones 65. De annulo, quem sponsus nuptæ dabat; moris hujus vetustas, & utrum ad ipsam connubii naturam pertineat 66. Coronæ nuptiales utriusque sponsi *ibid.* 83. Nuptialis cæremonia saltem ad septem dies prorogabatur; & ne religione quidem sabbathi intermittebatur 66. Paranymphus convivio præerat, idemque loco sponsi principem convivii illius agebat 67. Paranymphus iste, ex veteri traditione, unus erat e Sacerdotibus *ibid.* Juvenum comitatus accedebat sponso tota hebdomade nuptiali *ibid.* 70. Puellæ comites sponsæ dabantur 67. Quo ritu sponsa ad sponsum duceretur, post nuptiarum dies *ibid.* Formulæ benedictionum, quæ recitabantur, antequam sponsi in thalamum deducerentur: quænam illæ, & quàm antiquæ 69. Diebus Festis & Sabbatis nec nuptias nec sponsalia inire licet 66. Connubia olim & nunc etiam apud Hebræos maturè satis ineuntur 264. Felicitas optimi connubii 368, 371.

Connubium Jesu Christi cum Ecclesia, in Cantico Canticorum descriptum 60.

Conscientia. Malæ conscientiæ terror 197. Quomodo conscientia excutienda sit 333.

Consolari est, est oblectamentum aliquod animo cetitum admittere 389.

Consolari super hostibus suis, valet interdum ultione in hostibus exercita capere solatium 336.

Contemptus divitiarum 169.

Contemptus gratiarum Domini, quàm fatalis impiis 270.

Conversio gentium ad fidem Christi 586, 628, 657, 669, 714, 767, 771, 773, 784, &c. 790, &c. 794, &c.

Conversio non sine ingenti periculo differtur 275.

Convivia. Mos conviviorum die filiorum natalitio, & qua die a lacte pelluntur 30. Convivia funebria *ibid.* Con-

viviis

vivis tamquam non musici concentus deerant 305. Leges convivalis officii 302. Rex convivii vel sorte, vel conviarum suffragio delectus, quid haberet muneris 305. Honores illi impensi *ibid.* Ad cohibendam conviviorum luxuriam magistratus destinabatur. Læta ibi & utilia proponebantur *ibid.* Convivis adhibebatur spectra quædam, mortis simulacrum referentia 417, 618.

Convivia Sacrificiorum. Eò vocabantur pauperes, ex lege 286.

Convivia. Ritus discumbendi in mensa apud Hebræos 192. Mores veterum in Conviviis 315. Veteres Hebræi in dapibus quid amarent 231. Quod panis genus adhiberent; & quo arte illum conficerent *ibid.* Dapum condimenta 230. Vini usus non communis *ibid.* Utrùm musicos instrumentorum & vocum concentus amarent *ibid.* Hora prandii. Honestissimus locus 232, 233. Rex convivii, qui singula disponeret, & mensæ præesset 233. Benedictio cibi & potus 234. Manuum lotio ante cibum *ibid.* Habitus corporis & modestia in mensa *ibid.* Post cibum quid agant *ibid.* Gratiarum actio *ibid.* Caro simul & pisces in eodem convivio interdicti *ibid.* Dei laudes ante & post cibum apud Judæos 307, & apud Christianos 308. Descriptio convivii Therapeutarum die hebdomadis septima 307. Mos perniciosus gentium quarumdam cogendi ad potum convivas 305. Persæ Græcique strenuissimo potatori præmium dabant 156. Potator quisque strenuissimus buccina provocabatur *ibid.* Justum Cibum noctis vespere Hebræi capiebant 154.

Convivium Agni Paschalis inter carmina & hymnos eucharisticos agebatur 200, 201.

Convivium vini, est hilare convivium, vino abundans 306.

Cor pro sapientia & intelligentia ponitur. Acquirere cor est adipisci sapientiam, &c. 478, 479.

Cornu gloria vel potentia 479.

Corona nuptialis, veteri more apud Hebræos obtinebat 44, 83. Mos iste apud alias etiam Gentes perseverat *ibid.*

Corpus perinde ac sepulcrum animæ habendum est: estetiam omnium primus animæ morbus; & spiritum humi deprimit 167.

Correctio Fraterna sæpè exerceri non potest 288. Quomodo utilis efficiatur 340, 350. Stultus illam contemnit 351. Quid a nobis exigat 138, 340.

Corycus. Urbs Ciliciæ ex optimo, quem fert, croco celebris 80.

Canbel, nigri pigmenti genus est, quo Palæstini oculos & supercilia inficiunt 145.

Crapula vini, & malus mulierum usus offendicula sunt hominis periculosissima 336. Imago hominis huic libidini deditи *ibid.*

Creatio, quàm digna sit Dei Sapientia 325. Prava Epicureorum de creatione opinio *ibid.* Utrum res creatæ aliæ post alias conditæ sint 330. Creatio viri & mulieris 326.

Creator. Creatoris potentia, & opera planè stupenda 442, &c. 347, 400, 431. Is ab hominibus ignoratur 189; at sese per creatas res ipse prodit 191.

Creatæ res ab ipsa origine perfectæ 139. Earum ruina a primo & potentissimo Creatoris proposito abhorret 140. Totidem sunt præcones, Creatorem nunciantes 181. Quanto periculo felicitatem suam homo in illis collocat 190. Inconstantia & vicissitudines rerum creatarum 5. Creaturæ sese in impium armant 153.

Crœsus a Cyro vincitur 696.

Crocodylus, Symbolum vel hieroglyphicum Ægypti 713.

Cronos, Saturnus, utrùm ipse sit Noa 221.

Ctesiphon, Urbs ad Euphratem, utrum eadem sit Calanne quam condidit Nemrod 579.

Cupressus, arbor numquam non virens, ramis & foliis ab imo pede ad summum usque culmen vestita 75.

Curiosorum studium. Quanto cum periculo Providentiæ arcana curiosius vestigantur 265.

Currus. Mos erat olim ut equæ potiùs quàm equi curribus jungerentur 71.

Cyaxares, Cyri patruus, utrùm idem sit Darius Medus 589.

Cycnus in pullos suos quàm sævus 504.

Cymbalum, æneum instrumentum pileoli figuram referens 594. Quomodo pulsetur *ibid.*

Cyniras, utrum Trojani belli ætate viveret 223. Templum Veneri sacrum in monte Libano excitavit *ibid.*

Cyprus, arbuscula est malo punico non altior, foliis ad olivam accedens flore albo & grati odoris, cujus exsiccata folia flavum pulverem reddunt, quo utuntur Turcæ & Ægyptii ad pingendos ungues; & fœminæ manus, capillorum & corporis partem tingunt 75.

Cyrus filius Cambysis, Imperii Persarum conditor 500. Designatur sub nomine Justi 695, & Pastoris Israelis 710. A Prophetis prædicitur *ibid.* Victoriæ illius & triumphi 696, 705, 710. Crœsum vincit 718. Quanto favore a Domino protectus 726. Magnæ illius opes 713. Præclara illius animi ornamenta 730, 731. Babylone occupata, mœnia illius evertit, tributisque & vectigalibus Babylonios submittit: solvit imperium Chaldæorum Babylone, direptaque idolorum simulacra confringit 726. Liberos Judæos pronunciat, augetque facultates Templi Domini restituendi 713. Utrùm ad cultum Domini se transtulerit 721, 722. In stultam illam de se persuasionem incidit, esse se aliquid homine superius *ibid.*

Cythara vetus nostræ, quam dicimus, Harpa similis erat 205.

D

DÆdalus, utrùm omnium primus Numinum simulacra dedicaverit 123.

Dæmones. De lapsu Dæmonum veteres Profani Scriptores nescio quid subodorati sunt 507. Origenis ejusque asseclarum opinio de futura Dæmonum liberatione 737. Hanc tamen Ecclesia proscribit, damnet Scriptura *ibid.* Quæ causa fuerit invidiæ Dæmonis in primum Hominem 144, 145. Dæmonibus authoribus morbos omnes incurabiles Hebræi tribuunt 226. Dæmones sex & triginta singulis corporis humani partibus præsidentes, Ægyptii agnoscunt 227.

Damascus, urbs, cujus mala, & eversio per Sennacheribum prædicuntur 607. Postquam in potestatem Teglathphalassaris incidit, Regibus caruit *ibid.* Quoties eversa fuit *ibid.*

Daniel Babylonem sub Nabuchodonosore transfertur 545. Spiritu vaticinandi afflatus *ibid.* A Judæis e Prophetarum censu expungitur 482, 486. Sed ab Ecclesia in eorum cœtum admittitur *ibid.* Vaticiniorum illius argumentum primum sunt imperiorum vices, & Ecclesiæ institutio 482. Daniel animam a spiritu distinguere videtur 126, 127. Cur non inter Hagiographos ab Hebræis recensentur 470.

Dapes illatæ super tumulos defunctorum. Moris hujus vetustas cujus aliquid supererat in Africa, ætate S. Augustini 188.

Dare locum est, aliquem obsequio & existimatione prosequi 338.

Dare panem lapidosum est, dare aliquid illiberaliter 333.

Darius Medus, Babylonem Balthasari eripiens, utrum unus idemque sit cum Cyaxare patruo Cyri 589.

David. Bellica illius virtus & robur 461. Victoriæ illius de Philisthæis 461. Solida illius pietas *ibid.* Studium erga cultum Domini & majestatem sacrarum cæremoniarum *ibid.* Constituit Musicos cantores & musicam in divinis celebrandis *ibid.* Spem illi facit Deus futurum ut Rex potentissimus ex ipsius stirpe oriatur *ibid.* Utrum capillos haberet rubros an flavos 85. Cur a censu Prophetarum a Judæis excludatur 485.

Decem pro numero indefinito ponuntur 12.

Decem menses, periodus erat a Priscis definita, qua mater fœtum in ventre detineret, antequam illum ederet 258.

Decimatio variè exponitur 561.

Defensio pro ultione ponitur 464.

Delon, vel *Delosis*, Græcè est oraculum, quod Summus Sacerdos ante pectus gerebat 399.

Dentes sponsæ comparantur cum gregibus ovium consertarum tonsarumque 85. Designant eos qui ad baptismum se conferentes, innocentiam acquirunt *ibid.*

Derisores vel amici ipsis nocent 400.

Deserta universè pro loco quolibet inculto 447.

Desertum maris pro Babylone 622.

Desideria effrænata quàm periculosè admittuntur 337.

Desiderium Sapientiæ est Sapientiæ initium, & ad regnum cœleste deducit 356.

Detractio qua diligentia vitanda sit 339.

Detractor. Detractoris imago 272, 309. Comparatur cum angue, qui virus instillat in venas illius quem mordet 42. Deo & homini invisus 278.

Dextera valet interdum opera bona 45.

Deus Sapientiæ Author 351. Hanc ille in Spiritu Sancto produxit *ibid.* Ipsa pariter solus illam novit *ibid.* Dei altas & manus altissimè omnia pervadentes 323. Opera illius omnem intelligendi vim superant 331. Quanta fuerit sapientiæ in creatione Mundi 325. Ordinem inter creaturas suas planè admirabilem constituit *ibid.* Utrùm Deus eodem temporis articulo omnia simul condiderit 330, 331. Utrum hominem ad imaginem suam condiderit 326. Mortalem, post admissum ab illo peccatum, reddidit *ibid.* Infinita illius erga peccatorem misericordia 329, 338, 333. Vigil illius cura in Israelem 328. Largitur illi sapientiam mentemque perspicacem 327. Depositum legis vitæ illi committit: fœdus cum illo conciliat *ibid.* Rependit singulis pro operum merito 323. Curas providentiæ suæ latè expandit *ibid.* Non punit nisi ut parcat 301. Quo sensu mortis author dicatur *ibid.* Bona & mala ex ipso, sed aliter atque aliter *ibid.* Deus peccati author non est 320. Hominem creavit planè liberum erga bonum & malum *ibid.* Deo nihil occultum est 328. Mira illius erga peccantes patientia 270. Cor impii caligine glomerante obvolvi, ut magis magisque aberret, Deus patitur 263. Pœnitentibus dat reditum in viam Justitiæ 329, 331. Duplex illius in deducendis hominibus providentia 401. Potentia illius in naturam insignis 445, &c. Soli humiles Deum verè colunt 301. Principum superborum solia evertit 297. Humiles extollit *ibid.* 302. Opera sua scrutari curiosiùs vetat 265. Cor nostrum magno pretio sibi vel emit 557. Qui illum metuunt, parati sunt omnia, quæ ille voluerit, pati 258. Morigeros erga mandata sua numquam deficit 257. Misericordia illius erga peccantes *ibid.* Quo eam ille deserat *ibid.* Amicos & servos suos ærumnis probat 255. Quam periculosè peccando in manum Dei incidimus 258. Dei nomen summa veneratione Judæi prosequuntur 186. Quam cautè de Deo loquendum est. Deum existere, naturalibus & perspicuis argumentis demonstratur 110. Dogma de singularitate Numinis id efficit, ut certa constituantur impiorum punitio, & justorum remuneratio 39. Deus judicando nullius personam respicit 154. Pater est & Judex pusillorum & magnorum *ibid.* Magnitudo, justitia, potentia Dei 175. Creatas a se res amat, & nihil odit eorum, quæ in illis posuit *ibid.*

ibid. Qui ejus amor creatas res omnibus absolutas numeris reddit *ibid.* Punit pater & Deus 176. Potentia illius a Justitia non sejungitur 178. Judicia sua ea lenitudine prosequitur, quæ decet Dominum temporis & vicissitudinis rerum *ibid.* Placidus & animo sedatus in ultionem exsurgit 178. Misericordia illius justitiam æquat *ibid.* Nemo jure de illo queri potest *ibid.* Utrum immeritum damnare possit *ibid.* Varia illius providentia erga suos & erga ceteros 178, 171, 190, 303, &c. Summum illius imperium in vitam & in mortem 303. E manibus illius nemo subducitur *ibid.* Opera illius semper manent inviolata 18. Justum æquè & iniquum judicabit 29. Promissio infidelis & stulta æquè Deo invisa est 54. Quæri se velit Deus animi simplicitate 537.

Deus nomen est Jesu Christo in Isaia datum 574. Illud autem dolo malo hic omiserunt Aquila & Theodotion 575. Varietas Septuaginta in hunc locum, difficilè admittit expositionem *ibid.*

Diadema Summi Sacerdotis scriptum *Dei* nomen exhibebat 203.

Dies Domini est tempus ultionis ejus 591.

Dies esuriei. Ecclesia olim diebus illis exercitium fori interdicebat 758. Judæi pallorem emendicatum & corporis languorem diebus illis simulant: contrà verò Jesus mandat Discipulis, ut iis diebus faciem lavent *ibid.*

Dies Judicii semper menti præsens habendus est; cujus cogitationis summa est utilitas 334.

Dies mortis, quia incertus, sollicitos in sui expectatione nos detineat, opus est 272.

Dies natalis filiorum inter convivia & gaudii significationes celebratum 30. Contrarius planè usus apud gentes quasdam vigens, apud quas summo luctu traducebatur *ibid.*

Dies numeri pro tempore brevissimo, vel raris admodum diebus, usurpatur 51. 326.

Diaphoron vel *Adiaphoron*, Græcè usurpatur pro pecunia 448.

Dibon vel *Dimon*, alio nomine *Dibon Gad*, urbs Moabitica ad Arnon 603.

Digitum ori imponere est servare silentium 372.

Dii, omnium primi quinam apud Græcos fuerint 124. Dii Veterum recentissimi sunt, quippe quorum ætas & origo non latet 185. Cur a pronunciandis idolorum nominibus Judæi abstineant 187. Numina domestica Profanorum in atrio domorum collocari solebant 753. Numina devictarum gentium fœde habebantur a victoribus 728. Numina in hortis culta 783, 793.

Dimon vel *Dibon*. Vide *Dibon*.

Diorix, Græcè ramus fluvii est; rivus, a nonnullis accipitur de flumine Arane 363.

Discipulus Sapientiæ quanta ex illa commoda referat 266, 318.

Disputationes, quàm inanes 20. Ne temerè illis te immisceas 301. Fomes sunt & argumenta peccati 379.

Divinitas. Argumenta divinitatis ubique tota ea se natura sufficit 581.

Divinitas Jesu Christi non obscurè in Isaia exprimitur 574.

Divitiæ. Studium quo divites prosequimur 313. Periculosa est cum illis societas 310.

Divitiæ in Veteri Testamento perinde habebantur ac larga Dei benedictio 253, 256, 303. Divitiæ bonæ sunt illi, qui puro est animo 313. Usus legitimus divitiarum 86, 314. Quam inutiles & periculosæ 260, 300. In iniquitate, fraude, violentia locantos implicant 300. Iniquorum divitiæ quàm inutiles 433. Occasio sunt lapsus & peccati 287, 304. Hominem mortalem ad malum impellunt 300, 391. Ne divitiis fidas 260, &c. Divitiis impii ne invideas 292. Dogma mundi hoc est, ut colligendarum opum nullus sit modus 290. Causa sunt mœroris possessoribus 26. Quàm utiles, si cum sapientia conjungantur 32. In tumulum una cum eorum illustrium cadaveribus, pro illorum dignitate, inferebantur 308.

Divortium in lege Moysis permissum, vel toleratum 284. Suadetur, cum res est de muliere prostituta 371.

Dod, veluti synonimum ponitur *Jedid*, dilectus 151.

Dolores, pro idolis positi 256. Aliquando etiam pro criminibus 263.

Dolosi sæpe in laqueum incidunt, quem aliis parant 377.

Domini, quomodo se gerere debeant erga servos 405, &c.

Domus David designatur sub nomine aquarum Siloes 569.

Domus impiorum, alienis sumptibus ædificata 146.

Domus saltus Libani, nomen erat Regiarum ædium, quas Salomon Jerosolymæ excitavit 15.

Domus viventium. Vide *Cœmeterium*.

Bonæ quædam otis comitate condienda sunt 333, 342.

Donum Dei, Justis fixum & stabile permanet 303.

Donum prophetiæ in homine mœrore affecto nihil agere Veteres opinabantur 389.

Dudaim, fructus est quem faciliùs esse credimus malum citreum sive aureum, quam Mandragoram 101.

Duma, urbs Idumææ vicies mille passibus ab Eleutheropoli, cujus excidii malum imminens prædicitur 624.

E

EBrietas pro Dei furentis vindicta ponitur 615.

Ebrietas, quàm perniciosa 305.

Ecclesia, fons est signatus, hortusque clausus Schismaticis, Hæreticis, Infidelibus, Judæis 88. Flores ejus & fructus justi sunt, & pii quique Christiani 89. E Jesu Christo robur omne, authoritatem, gloriam ac dotes omnes accipit 102; 105. Virtutum suarum odorem optimum longè latèque spargit 82. Preces illius, perinde ac thymiama, coram solio Altissimi suave, olent *ibid.* In una Ecclesia Christiana Jesus Christus legitimos sibi filios æterni Regni hæredes gignit *ibid.* Jesus Christus morti se illius gratia tradens, Baptismate illam mundavit, & cumulavit gloria 70. Institutiones charitatis, quibus Deus illam format 77. Dies Passionis Jesu Christi, ipsa est dies connubii illius cum Ecclesia 83. Ecclesiæ preces nunquam impetratione carent 90, &c. Nunquam Ecclesia caruit bonis operibus, & fructibus Sponso suo dignis 105. Designatur Ecclesia sub nomine novæ Jerosolymæ 773. Undique ad illam populorum concursus fit 538. Ecclesiæ institutio 789, &c. 791, &c. 794, &c. dignitas, & magnitudo *ibid.* Quàm magna Jesus Christus Ecclesiæ suæ pollicitus sit 630, 765. Progressus ejus planè mirabiles & stupendi 744, 760, 791 &c. Patrocinium, quo Dominus Ecclesiam suam tuetur 772, &c. Ministri ejus Evangelici 771. Amor constans erga Sponsum Christum 774. Series non interrupta Pastorum ejus & Episcoporum ab Apostolis 775. Imagines malorum, quæ passa est, & triumphorum ejus 173.

Ecclesiæ Christianæ, Turris David nuncupatur 86. Prærogativæ, quibus Synagogam superet 105. Hanc Jesus Christus appellat Sponsam suam, dilectam, Columbam formosam 79. Quam illiberalis esset orc antequam in sponsam a Jesu Christo eligeretur, 78. Vicissim autem ex eo fœdere in formosissimam & supra ceteras sponsas absolutissimam transivit 78. Pulcritudo tamen illius tota intus & in animo continetur 71, 98. Sollicitudo intuendi præsentem sponsum 73. Fides illius, gemitus, pudor ex uno hoc fonte, studio nempe & constanti erga sponsum amore, profluunt 74. Ornamenta illius sunt illi collata cœlitus beneficia *ibid.* Poema Jesu Christi sponsi sui imaginem describit 71. 92, 93.

Ecclesia, altera alteri substituetur 97.

Ecclesiastes. Liber est diu post Proverbia exaratus, quem Salomonis confessionem quidam habent 59. Utrum Libri hujus V. 11, Capitis XII, in dubium revocet opinionem, quæ Salomonem Capitis hujus Authorem docet 57. Nisi huic Libro postrema conclusio addita fuisset, nunquam Veteres in Canonem recepturos illum fuisse censent Judæi 2, 57.

Ecclesiasticus, Liber, cur ita appellatus 207. A Græcis appellatur, *Sapientia Jesu filii Sirach*, vel tantum: *Sapientia Sirach*; vel *Panaretos Jesu filii Sirach*. Quin & interdum sub nomine *Sapientiæ Salomonis*, *ibid.* Hebraicum ejus Codicem cum inscriptione *Parabolarum* vidit S. Hieronymus *ibid.* 210. Continet præcepta, omnibus vitæ conditionibus utilia 207. A Salomone authore planè abjudicandus est *ibid.* 209. Opinio tutior Jesu Sirachidæ illum tribuit; in cujus patrocinium argumenta & Patres afferuntur 208. Hebraicum Archetypum, vel potiùs Syriacum hujus Libri, intercidit 210. Versiones illius Græca & Latina: illam dedit Jesus Nepos Authoris *ibid.* 208; cujus orationis genus asperum est ac salebrosum 210. Posterioris verò Author ignoratur, ignoratur & ætas. Plures in ea additiones animadvertuntur. Certè ad prima Ecclesiæ sæcula pertinet 210, 211. Interpres Libri Sapientiæ idem esse potest Author hujus versionis 211. Ecclesiasticum in Canonem suum Hebræi non recipiunt *ibid.* Semper tamen Canonicus habitus est laudatusque ab Ecclesiis Orientis & Occidentis 181, 212. Cur illum e Canone Scripturarum ablegaverint Judæi 208. De Tempore scripti Operis variæ sententiæ 209. Opinio communior refert ad ætatem, qua Antiochus Epiphanes Judæos exagitavit 209. Exaratus est in Ægypto liber *ibid.* Utrum postremum hujus caput Authorem habeat Jesum Sirachidem, Authoris nepotem 476. Conjectura Grotii refutata *ibid.* Cujus sint authoritatis geminæ præfationes hujus Libri, Latina scilicet & Græca 211.

Ephodath non Hebrææ linguæ significationis 745.

Eclypses seu prodigia cœlestia a Judæis reputantur 163, 344.

Educatio, &c. Liberos educandi præcepta 385, &c.

El, Hebraicè est *Deus*. Utrum fortem interdum significet 575.

Eleale, Urbs Amorrhæorum, tribus leucis ab Hesebone 602.

Eleazar, filius & successor Aaronis in summo Sacerdotio 457.

Eleemosyna, si cum pœnitentia & charitate jungatur, redimit peccata 264. Genus est secundi baptismatis *ibid.* Pauperi debetur 264. Qui eleemosinam largitur, ipsius in se Dei imaginem imitatur 265. Quàm utilis largitori 383, &c. Pro illo enim e sinu pauperis clamat ad Dominum *ibid.* Commercium quoddam inter Deum & hominem fovet 320. In dandis eleemosynis delectum habeto 306. Sed non semper huic servias *ibid.* 307. Quo sensu monuerit Scriptura, ne suscipiamus peccatorem *ibid.* Eleemosina pro quocumque pietatis & misericordiæ opere usurpatur 320.

Elevare faciem alicujus, est aliquem probro liberare, vel beneficium illi conferre 545.

Eliacim. Summus Sacerdos, Helciæ summi Sacerdotis filius, Regiæ domus œconomus sub Ezechia 630. Ab eodem Rege exauthoratur *ibid.* Manasse in captivitate detento, Regiis vicibus Jerosolymæ fungebatur, ob & cultum Domini constituit *ibid.* Sub illo Judithæ historia contigit *ibid.*

Elias. Pius illius ardor & constantia elogio Scripturæ celebratur 464. Neci tradit, palam spectante populo, Pseudoprophetas Baal 465. Traditio Judæorum, ferens, puerum illum victitasse non lacte sed igne 464. Ignem e Cœlo ter deducit 465. Exitium Achabi, Jezabelis, Ochosiæ, Jorami &c. prænun-

prænunciat *ibid.* Quot Prophetas solertia sua & præceptis instituerit *ibid.* Subitò raptus, evanescit *ibid.* & 466. Quem in locum translatus sit, ignoratur. Venturum illum in exitu seculorum, communis Judæorum & Christianorum sententia docet 465. 466.

Elisæus, dignus Eliæ successor, quàm intrepidus & constans animo 456. Quàm multis prodigiis claruerit *ibid.* Quo sensu prophetasse dicatur post mortem *ibid.*

Elisæus Rabbinus. Fabella illius de Purgatorio 535.

Elogium Patriarcharum & Virorum magni nominis apud Judæos 449. &c. 452. &c.

Elohim accipitur & de viris Principibus & de Numinibus Profanis 578.

Elusa Urbs Arabiæ Petrææ Idumæam & Erythræum versùs dos.

Emath Urbs ad Orontem, ab Emesa non diversa 575.

Emesa. Vide *Emath*.

Emmanuel, idest, *nobiscum Deus* 565. Ortus illius e Virgine parente, Achazo prænunciatur *ibid.* 494. Dotes illius eximiæ 564. 573. &c. Ad verbum nonnisi in Jesu Christo impletus *ibid.* 565. Ex obliquo autem ferunt puerum ex Isaia procreandum, qui est Emmanuel typus Jesu Christi 565. Est eorem planè alius a *Chasch-bas*, filio Isaiæ 588.

Engaddi, celebris est locus balsamo & palmis 75. 105. 3d8.

Enos, filius Seth, utrùm Idololatriam invexerit primus 185.

Epagoge pro rebus tristibus, improvisis &c. 369.

Epha mensura pintarum undetriginta, cum hemipinta, hemisextario & pinta octave parte 554.

Epha, filius Madian, Arabiæ Petrææ incola 767.

Ephod, Hebraicè est vestis humeros tegens, communis Sacerdotibus, & Levitis. Cujus figura 454.

Ephraim pro Regno decem Tribuum usurpatus 562.

Epicuræi credunt, mundum ex una parte perfici, ex altera veterascere 325. Quid senserint de vita & morte hominis 241. Animæ immortalitatem, & providentiam negabant *ibid.* Docebant, hominem & reliqua omnia mundi casu prodiisse 318. Superstitionem verò & metum invexisse Deos *ibid.*

Epithalamium vespertinum & matutinum canebantur ad fores sponsæ recens nuptæ 77.

Epithaphia qualia inscribant Hebræi nostrates 219. Veteres nulla scribebant *ibid.*

Equa pro equis olim cursibus jungebantur 73. Sponsæ in Cantico comparatur cum equa, quæ comparatio usque humilis est, nec probrosa *ibid.*

Equi. Olim equorum ungulæ ferro non muniebantur 557.

Error unà cum peccato creatur quo sensu dicatur 302.

Eruditi, pietate & religione carentes, perniciosi sunt omnibus, societati, Reipublicæ, Ecclesiæ 553.

Esoure. Arabicè sunt armillæ 54d.

Evangelium e Synagoga originem ducit 538.

Eucharistia. In convivio hoc divino reficit nos magnificè, nosque sponsus animarum nostrarum amore ebrios facit 90.

Evergetes, cognomen est Ptolemæi III, & Ptolemæi VII, Regum Ægypti 550.

Evilmerodach, Rex Chaldæorum, filius & successor Nabuchodonosoris, breve tenet regnum, necique traditur a Neriglissore, juxta Berosum 598.

Eunuchi, apud Hebræos, a Sacerdotio cæterisque muneribus & dignitatibus excludebantur 147. 750.

Euphrates designari solet sub nomine fluvii 569.

Examen conscientiæ gratos nos facit Deo 333.

Expectatio pro metu accepta 508.

Exprobratio in Sacerdotes, Judices, Doctores, Pseudo prophetas, qui populi errores fovent 555.

Ezechias, Rex Juda, idololatriam & impietatem e ditione sua pellit 537. Vaticinia de prosperitate Regni illius post fusum Sennacheribum 537. 663. 666. 668. Fama Ezechiæ 662. Elogium Ezechiæ in Scriptura 588. Sub eo Rege Israel & Judas in unam cultus societatem coivesunt *ibid.* 667. Ægyptiorum opem in Assyrios invocat 858. Qua de re illum Isaias acriter arguit *ibid.* 668. 664. &c. Rabsaces unus e Præfectis Sennacheribi, superba oratione illum arguit 681. 682. Quamobrem animo consternatur 683. Isaiam consulit *ibid.* Eoque spondente auxilium Domini sperat, & de interitu Sennacheribi oraculum accipit *ibid.* 685. Ezechiæ morbus *ibid.* Deo supplicat 686. Quindecim annorum vitam Isaias illi pollicetur *ibid.* Cujus promissionis Prophetæ signum exhibet recessu solis in horologio Achaz *ibid.* Carmen eucharisticum canit Ezechias 687. &c. Scriptor quidam comminiscitur, Ezechiam ante morbum Messiam se & immortalem reputasse 689. Thesauros suos ostentat Legatis 690. Quamobrem domus suæ eversionem, Isaia prædicente, decretam esse intelligit *ibid.*

Ezechiel Propheta, a Nabuchodonosore captivus Babylonem ducitur 543.

F

Facies pro qualibet re, quæ alteri exhibetur 308. Para faciei *ibid.*

Fama. Bonæ famæ quantæ sint commoda 438. Sapiens illam plurimi æstimat, ceu bonum, quod virtutem comitatur *ibid.* Fama nominis multò præstantior pretiosissimo quoque unguento 89.

Famuli prudentis ingenuis hominibus præstant 593.

Fasciculus egenti est crumena plena nummis &c. 381.

Fastinatio rerum hujus mundi 550.

Femininum genus pro communi, & interdum pro masculino apud Judæos usurpatur 4.

Fenestra vitris in Palæstina non muniebantur 78.

Ferula, arbuscula est, fœniculo similis 362.

Festa qua religione agenda sint 760. 761.

Festa Chœarum apud Græcos, ebrietatis erant certamina, quibus nomen inditum est ex mensura, a strenuissimo inter potatores exhaurienda 55d. Potatores autem buccina invitabantur, proposito iis præmium victoris utre vini *ibid.*

Festa Judæorum, a pervigiliis ducebantur 663.

Figulus ex eodem luto vasa elegantissima & vilissima conficit 280.

Filiæ dicuntur vici, urbes minores 669.

Filia Janah, seu *Janim*, palustrium avium genus; utrùm cygni 594.

Filii a parentibus venditi, ut creditoribus pretium solveretur, qui mos etiam apud Christianos aliquandiu invaluit 789. Ad filiorum institutionem præcepta 386. &c. Filii præmium sunt pietatis parentum 858. Officia Filiorum erga Parentes *ibid.* 385. Quæ cura senes parentes foveant, oportet 260. Qui parentes deserit, filius infamis est, & maledictus Deo 265. Qui parentem honorat filius, diuturnam vitam prorogabit 259. Posteritas illius benedictionibus cumulabitur 260. Væ filiis, quibus parentes maledixere *ibid.* Mala filii institutio patri illius invidiam creat *ibid.*

Filii alieni pro gentibus exteris ponuntur 539.

Filii Deorum apud veteres erant Reges & Principes 710.

Filii Sapientiæ sunt Justi 258.

Filius terræ, quid sit 257.

Finis Sapientiæ. In fine Sapientis quodnam Dei consilium sit 250.

Firmamentum. Variæ de illo ejusque natura, veterum Judæorum & Christianorum opiniones 242. Solidissima materie constare, Hebræi olim sentiebant *ibid.* Exhibet illud Scriptura ceu concameratum fornicem utraque extremitate terræ ultra Oceanum positæ incumbentem *ibid.* Quid sint aquæ super firmamentum 243.

Fluvii olim religiosè colti ab Antiquis 280. 281. De eorum origine opiniones variæ 6.

Fluvii Chus, sunt Nili rami 610.

Fluvius antonomasticè est Euphrates 569.

Fœdus Israelitarum cum Deo, quoties renovatum 303.

Fœnus pro mero purinque mutuo 481.

Fœtor Judæorum aliam habet causam, quam Dei in illos punitionem 549. Quænam causa illa sit *ibid.* Aliis etiam gentibus communis est *ibid.*

Fœtus. Quid de illo Veteres opinati fuerint 257.

Fons Gihon, Occidentalis Hierosolymæ, piscinæ inferior appellatus 627.

Fons signatus Salomonis, creditur falsò is esse, qui item per ea loca habentibus monstratur prope Bethlehem quater mille & quingentis passibus 88.

Fons Siloe ad orientem Jerosolymæ, prope agrum fullonis 627.

Fontes. De fontium origine opiniones variæ, cum sententia Salomonis conciliatæ 6. Fontes nomine oculorum ab Hebræis appellari 90.

Fons aureus, mirabilis scilicet, &c. 91.

Forma corporis Jesu Christi: varia in utramque partem argumenta 125. &c.

Forma corporis sæpè est exitiosa 84.

Forma Sponsæ symbolum est pulcritudinis animæ Christianæ & Ecclesiæ 84.

Fortis Domini est ipse fortitudinis vir 647.

Fortuna, ejusque vices 334.

Frater pro viro accipitur 105.

Fraudulentus pro avaro 667.

Frustus ad ripam maris nati, pessimi sunt 369. 370. Fructus terræ alendo homini impares sunt, nisi efficax Dei voluntas accesserit 105.

Framentum, qua arte a Priscis excuteretur 653.

Fulgura & fulmina designantur nomine sagittarum Domini 844.

Funera cum gaudii significationibus apud gentes quasdam celebrabantur 30. Convivia in funeribus *ibid.*

Funera Hebræorum, quibus ritibus agerentur, non satis docet Scriptura: cujus tamen silentio abundè occurrunt Rabbini 813. Quas Leges illi in eam rem præscribant *ibid.* Mos celebrandi funera ad concentum instrumentorum, qui mos apud Profanos invaluit 817. Defuncti adversarios a funeribus excludunt Rabbini *ibid.* Funera Regum apud Hebræos magnifica 814. Condebantur autem sepulcro cum Regibus sceptrum & diadema *ibid.*

G

Gaba, Urbs, eadem ac Gabaath, ubi sedem habebat Saul, duabus leucis a Jerosolyma 583.

Gad Numen, idem facillè ac Sol 785. Cultus ejus *ibid.*

Galaad, Regio est gregibus & pascuis opima, capellis aptissima 84. quæ tondebantur ut oves, quarum e villis panni crassiores conficiebantur 85.

Galbanum, succus erat arbusculæ, in Syria potissimùm ad montem Amanum crescentis 3d8. Arbuscula illa figura ad ferulam accedebat *ibid.*

Galgal, Urbs prope Jerichuntem 583.

Galilaea. De praedicatione Jesu Christi in Galilaea vaticinium 575. Inter primas fuit, quae Evangelium acceperint *ibid.*

Gallim, vel *Agallim*. Urbs Moabitica octo millibus passuum ab Areopoli ad Meridiem 603. Alia erat ejusdem nominis urbs in Judaea, an eadem cum Palgait, prope Jerichuntem 583.

Garizim Templum, quod sibi dedicerunt Samaritani; qui & affirmabant non alibi rite res sacras agi posse 475.

Gihon amnis, cum Arane melius quam cum Nilo miscendus 375.

Gemmae pendentes e fronte, ornamenta erant quaedam, vel circuli aurei, quae e superiori fronte ad nasum usque mulierum in Palaestina pendebant 547.

Gemma nasi apud mulieres Syras & Judaeas 547.

Gena Sponsae cum malo punico comparata, & Christianarum Virginum symbolum 86.

Generatio usurpatur interdum pro aetate, vita, seu posteritate 742.

Gens numeri sunt sat admodum populi 581.

Gentes. Conversio Gentium ad fidem Christi 586, &c. 638, 637, 650, 714, 750, 770, 771, 773, 785, 780, 794.

Gentes Chazaeam pro Hebraeis 535.

Germani vinctos sese entem Numinibus suis in signum servitutis offerebant 277.

Germen Domini pro Zorobabele 130.

Gibbor, Hebraicè est vir robustus, strenuus, gigas 548.

Gigantes pro hominibus violentis & saevis 642.

Gigantes ante Diluvium, puniti 358.

Gilaion, Hebraicè designat volumen, & alia quaedam 548.

Gith, alio nomine Nigella, vel papaver nigrum 652.

Githbal, idem ac Cyprii, seu potius Phtilisthaei 505.

Gloria, pro divitiis 456.

Gloriae Justorum post mortem 550.

Gratia. Variae ejus vices in Justis & peccatoribus 303. Quàm periculosè despicitur 570. Gratia hominis innocentis planè alia ab illa, quae peccatori confertur 310. 320.

Gratia omnibus necessaria adversus Pelagianos asseritur 515.

Gratius quid senserit de Authore & Libro Sapientiae 157. Quantam sibi permittat licentiam in expositione Cantici Canticorum 16. Methodus ejus periculosa in Prophetarum interpretatione 738. Conjecturae illius refutatae 476, 477. Audacia Grotii *ibid.* & 209.

H

Haccharath, vox Hebraea, semel in Bibliis occurrens, quid significare possit 546.

Haeretici valide sacramenta administrant 404. Quibus Scripturae locis abuterentur contrariae sententiae assertores *ibid.* 407.

Hai, urbs in Josua celebris 583.

Halma, Hebraicè est *abscondita*; dabatur autem hoc nomen puellis innuptis 441.

Hammitaphath, designare potest palliolum muliebre, seu velum, quo caput obnubunt, cum prodeunt 547, 548.

Hammitphachoth, velum amplissimum, vestibus omnibus mulierum impositum 548.

Haman, locus in Tribu Nephthali, circa Phoeniciam 605.

Hanes, urbs Aegypti, utrùm eadem cum Taphna, proxima Pelusio & Arabiae 658.

Hannet-phesh, Hebraicè, utrùm sit vas pectinosum, liquore plenum, vel torques 546.

Happerim, Hebraicè, capitis ornamentum est, mulierum aeque & virorum: quid rei sit 546, 547.

Haraleth, Hebraea vox, designans capitis ornamentum quoddam muliebre 546.

Hardidim. ornamentum muliebre, pallium, seu velum 548.

Harpocrates, Deus silentii apud Profanos, cujus imago digitum ori impositum ferens pingebatur 272.

Haschibschim. Hebraicè, vox semel tantùm in Bibliis occurrens, parum notae significationis, & varie reddita 546.

Hasetoth, armillae 546.

Hasidim designat Assidaeos; quod sibi nomen adsciverant Hebraei, praesertim post captivitatem 357.

Haskischurim, Hebraicè, est vitta seu vinculum 547.

Hatzadoth, motus, agitatio, quo fortè exprimebatur strepitus, quem dabant annuli, mulierum cruribus inserti 547.

Hatzaiphoth, vitta ambiens caput mulierum 548.

Hebraei, soli inter omnes servavere depositum verae religionis ante adventum Christi, 162. Utrùm in Aegypto idola coluerint 203. Conabantur Aegyptii pueros masculos Hebraeorum perdere 196. &c. 200, &c. Hebraei sanguine Agni Paschalis tingunt limina domorum, ut Angelum exterminatorem ab illis avertant 200. Egressus illorum ab Aegypto; & per medium Erythraeum transitus prodigiosus *ibid.* 203, &c. Lucis columna praeeunte per desertum deducuntur 190. In deserto a Domino desciscunt 201. Purox Dei in perduelles; qui ne pereant, Aaron intercedit 203. Puniuntur in deserto morsu anguium venenatorum 205. Ira Dei defervescit, vulneratosque sanat aspectu aenei anguis *ibid.* Qui hujus curationis modus *ibid.* Utrum in manna saporem quisque suum, quem maximè volabat, senserit 204.

Hebraei satis mature conjugio se jungebant 63. Peccat adolescens, juxta Rabbinos, si conjugium differat ultra annos aetatis decem & octo *ibid.* Quàm probrosa esset apud eas gentes virginitas *ibid.* Connubia apud illos postulabantur e parentibus filiis minimè conscilis *ibid.* Reliqua vide V. *Connubia*.

Hebraei diebus festis fenestras suas ungere solebant 91. Vestes eorum familiares erant tunica & pallium 42. Tota corpora lavabantur, nec erat inter illos discrimen nobilis e plebeio 48. Utrum crederent terram rotundam esse figurae, quam circumiens Sol ambiret 6. Adhibebant saepè foemininum genus pro communi, quin & interdum pro masculino, 4. Elogia virorum magni nominis apud Hebraeos. Vide Elogia. De resurrectione quid crederent 459. Quantam adhiberent curam ut a Republica sua eliminarent artes perniciosas, optimisque moribus noxias 425. Rarecas scientiae parum curabant Hebraei ante regnum Graecorum in Asia 426. Quae cum suprema mortuis officia, omnes quidem, sed praesertim plurimus quisque, impenderant 223. Quo ritu eluerent maculam tacto cadavere vel ejus sepulcro relictam *ibid.* Cadavera condiebant 225. Utrum apud illos obtinuerit mos condiendi cadavera sepeliendi. Usus Medicinae apud Hebraeos; modus & ratio curandi 225. Quantae essent in re medica peritiae 230. Quid de foetu opinarentur *ibid.* Incurabiles morbos ad Daemonem referebant 226, 257. Si novum aliquid per visum spectassent, mortem sibi astutum ominabantur 229. Dissertatio de re cibaria illorum 836. Vide *Convivium*. Quo panis genere uterentur 831. Locus in convivio honestissimus 833. Hora convivii *ibid.* Carnis & piscis usu interdicunt Rabbini in eodem convivio 835; & usu lactis cum carne, & usu sanguinis religiosè abstinent *ibid.* Quarum pecudum usus illis permittatur 836. Vinum non bibunt, nisi ipsi confecerint 837. Quam superstitionem sperant ne Itali Judaei *ibid.* Terram & montes aquis superstruunt; sub illis vero inferos dejiciunt 538. 230, &c. Animae immortalitatem perpetuò docuerunt 157. Agnoscebant Angelum praesidem mortis, animam a corpore seu vi seu invitatione educentem 550. Natura animae, & status post mortem, juxta Hebraeos 225, &c. Affinitas sententiarum inter Profanos & Hebraeos, de anima 536. Appellantur interdum e Prophetis *genus Chazaon*, *filii Amorrhaeorum*, *populus Sodomae* 535. Conspectus historiae eorum, a Davide adusque captivitatem Babylonicam 503.

Hebraei superstitiones profanas imitabantur 517, 538, 540, 703. Aberrantis populi hujus imago 537, &c. Minae Prophetarum in illos 536, 537. Consuetudinem plus nimio arctam cum Aegypto habent 617, 658, 630. Quod illis exprobrant Prophetae *ibid.* Vae illis qui Prophetis praebere aures renuunt 660. Rediguntur ad calamitatem extremam a Nabuchodonosore. Plerique captivi Babylonem transferuntur 542. Criminibus fuit indigni se Divina ope praebuerunt 706. Regressus a captivitate Babylonica 581, 595, &c. 640, 645, 690, 703, &c. 706, &c. 736, 743, &c. 791, &c. Perseverantia captivitate Babylonica, iisdem juribus, quibus caeteri Regi subjecti, fruebantur 505. Illorum plures reditum in Judaeam detrectabant *ibid.* Ingens eorum numerus sedem fixit in Aegypto, ubi & a Philadelpho plura obtinuerunt, & Templa plura erexerunt 617, 618. Prohibebantur, ne erigant Altaria Domino extra Jerosolymam *ibid.* Unde Profani accusationem in illos de adoratione suis struxerint 781. Obduratio, & reprobatio eorum post Jesu Christi adventum 560, 656, 720. &c. 785, &c. 789, &c. Sacrificia illorum inania 789. A Prophetarum lectione elicent sunt 490. Quibus argumentis a Patribus convincuntur 493. Traditio Judaeorum de sensu Prophetarum *ibid.* Quid crederent de loco natali Messiae, & origine e stirpe David *ibid.* Nequitia & obstinatio Judaeorum adversus perspicuitatem Prophetarum, &c. *ibid.* Quibus armis impugnandi sint 494. De ortu Messiae quid credant 513, 119. Quomodo explicent oraculum Isaiae de Messia *ibid.* Systema illorum nullis argumentis defendi potest 119. Jejunia illorum Deus odio habet 717. Quonam jejunia illa *ibid.* Diebus illis infirmitatem & languorem simulabant: quo nomine illos Jesus Christus arguit 758. Praetoris eorum variae causae. Vide *Fator*. Judaei in tres vel quatuor Sectas distinguuntur 484. Futura illorum conversio in exitu saeculorum 651, 466, 784. Desiderio procurandi sibi in Palaestina sepulchra, jam inde a dispersione, tenentur 818, 819. Credunt enim nullam sibi futuram in resurrectione partem, nisi ibi sepeliantur *ibid.* In senectute plures ires ad aggrediuntur *ibid.* Fabella de circumvolutione cadaverum usque in Terram Sanctam *ibid.* Judaeos solos resurrecturos dicunt *ibid.* Criminum suorum exomologesim faciunt, cùm periculosè aegrotant 213. Formulae confessionis hujus, ordine alphabetico digestae pro indoctis & rudibus *ibid.* Articuli fidei, de quibus interrogantur *ibid.* Amicus aegroti preces pro illo fusurus, ad Synagogam se confert *ibid.* Quid sibi commodi sperent cum funeribus virorum proborum adsunt 213. Mos osculandi morituros *ibid.* Cur intueri in faciem mortui non audeant *ibid.* Ritus servandi erga mortuos 214. Quid causae afferant de facibus, quas mortuis accendunt 814. Sepeliendi ritus 815. Pompa funebris 216. In deducendis ad tumulum cadaveribus, musica instrumenta 217. Alicubi adhuc huic pompae accedunt taedae ardentes 217. Preces pro mortuo, cum funus ad coemeterium pervenit 220. Mortui necessarios studiosè solantur 221. Fabella de cruciatibus, quibus Angelus mortis afficit in sepulcris defunctos 215. Ritus lugendi mortuos 613, &c. 225, 222. Alii ritus in funeribus 215. Quomodo luctum agerent publicum pro defunctis clarioribus 212. Persuasum habent, Israelitas omnes participes fore saeculi futuri, idest, beatitudinis 216. Purgatorii genus quoddam admittunt, primo statim anno a morte alicujus 135. Credebant inferos, Purgatorium, Paradisum 231. Odium illorum in Samaritanos 475. Ultionem sibi permissam reputant 368. Nequitia illorum & dolus malus in rebus nostrae Religionis 220.

Hecate, Luna, Numen profanum 785. Convivia in honorem Hecatae *ibid.*

He-

Heliopolis, sive Urbs Solis, inter Nilum & Erythræum 617, 618.

Henoc reliquis omnibus viris illustribus veteris Testamenti a Scriptura præfertur 470. Decora illius illustria *ibid.* Utrum translatum fuerit in Cœlum, an tantummodò in Paradisum terrestrem 451. Adhuc vivit, venturus postrema Judicii die, ut in Antichristum pugnet *ibid.* Ejus vaticinium. Aliquid ex eo superest in Epistola Sancti Jude 482.

Hermes, seu Mercurius Trismegistus, medicinæ primus author a multis veterum statuitur; idemque censendus est cum Thauto Ægyptio, qui fortè ipse est Chanaan filius Cham 121.

Hermon, mons, qui unà cum montibus Sanir Trachonitidem ab Arabia deserta distinguit 87.

Hesebon, urbs celebris trans Jordanem, ad radices Abarim in Tribu Ruben 99. Fuit olim Metropolis Amorrhæorum ad radices Phasga 602. Lacus Hesebon duobus stadiis in latitudinem porrigebatur *ibid.*

Hesiodus Homero penè coævus 123. Quid statuerit de origine profanorum Numinum *ibid.*

Hircanus devictis Idumæis circumcisionem imperat 588.

Historia Ægyptiorum cum sacra conciliata 623.

Historia Hebræorum ab historia profana illustrata 503.

Holofernes idem est atque Cambyses, sub Leviathani nomine designatus 735.

Homines Linea fuit Ægyptii 611.

Homo creatus immortalis, & ad imaginem Dei 144. Dæmon illum traxit in peccatum spoliavitque immortalitate & innocentia *ibid.* 35, 36, 140. Rerum hujus Mundi inanitas ex hominis peccato fluxit 4. Frustra laborat, frustra se torquet 5. Quàm multis erroribus sit obnoxius *ibid.* 8. Omnia illi difficultatibus sunt obsita *ibid.* Quàm angusta sit mente 17, 38. 40. 51, 440. Frustra & inaniter speculatur 20, 40. Perfecta est libertate ad bonum & malum 319, &c. Discrimen gratiæ hominis peccantis & innocentis *ibid.* Potestas illi in pecudes collata 127. Mens, ingenii acumen, & discernendi facultas 318. Præcepta vivendi ac Legis vitæ depositum a Deo accipit 327. Fœdus ejus cum Deo 328. Creatus ad imaginem Dei 326. Mortalem se peccando effecit *ibid.* Ætas hominis quàm diuturna 332. Misera omnium conditio 431. Quid agat homo in rebus prosperis & adversis 334. Comparatio, qua Salomon hominem cum pecude confert 29. Quo sensu dixerit, homini nihil inesse supra pecudes *ibid.* Dubitatio Salomonis de animo immortalitate *ibid.* Hominem e sanguine concreto formatum asserunt Veteres, 157. Nescit utrum amore an odio dignus sit 40. Qui sibi exitus futurus sit, ignorat 43. Cor hominis nihil replet, nisi solius Dei possessio 13. Nemo est hominum peccati expers 34. Excusant plerumque homines errorem suum, seculi depravationem accusantes 31.

Homo Dei Prophetam designat 481.

Homo Misericordia est homo pius, quem Dei timor totum pervadit 459.

Homo numeri, pro parva hominum manu 21, 326.

Homerus quid de statu animæ post mortem senserit 125.

Honestus pro divite; honestas pro divitiis 310, 363.

Honor pro mercede 283, 419.

Honorare pro alere 299.

Honorare Parentes est rependere illis quidquid filius potest & debet 258, 257. Qui Parentem honorat, vivet diu 259.

Hophra, a profanis Apries dictus, Ægypti Rex, suppetias mittit Jerosolymam in Nabuchodonosorem 511.

Hora prandii nullæ erant certæ apud Hebræos aliasque gentes 49. Intemperantis erat cibum capere ante meridiem *ibid.*

Hortus conclusus Salomonis, idem esse fertur, qui hodie monstratur peregrinis, sub ipsis Jerosolymæ mœnibus 88.

Hospes. Mos lavandi pedes hospitibus, in Scriptura & veteris monasticis Regulis commendatur; quin & apud Profanos laudatus 91.

Humiles. Humilium oratio Cœlos penetrat 400. Qui verè est humilis, animo est in periculis & rebus adversis constanti 318. Deum soli humiles honorant 261. Quo major, eò & humilior esto *ibid.* In eo delectatur Deus, ut humiles extollat 207. 302.

Humilitas. In humilitate Christianorum perfectio est 261. Eadem nostræ humilitatis, & nostræ exaltationis mensura est *ibid.* Veteres Pagani illam ignorarunt; neque enim est in vera Religione posita est *ibid.* Humilitas in rebus adversis, & in iis quæ in præsenti vita patimur 255, &c.

Hyacinthus. Color hyacinthinus idem est qui & purpureus, violaceus satur 85.

Hyæna, bellua vorax, figura & magnitudine lupi 312. Describitur *ibid.*

Hyperbola Prophetis familiares 533.

Hypocrisis hominibus æquè ac Deo invisa 255.

Hypocritæ describuntur 339, 340.

I

Jaaneh. Filiæ Jaanah sunt aves palustres, feræ, lugubres, clamorosæ 594. cycni fortasse *ibid.*

Jeanim. Vide *Janaah*.

Jacob, Sapientia duce, in Mesopotamiam se contulit, fratris iram declinaturus 870. Sapientiæ pariter ope divitias sibi in ea regione peperit plurimas *ibid.* Per sapientiam, Labani vim illæsus evadit; ac per illam pariter, de Angelo victoriam retulit 871.

Jamsjhoph, Hebraicè est upupa, vel noctua, vel cycnus 877.

Jasub, filius Isaie 565.

Javan pater Jonum, & incolarum Ægæi 705.

Jaza, Urbs in extremis finibus Moabitarum, ad Mare mortuum 602.

Jazer locus trans Jordanem, cujus vina celebrantur 105.

Ibis, avis peculiaris Ægypto, quæ angues vorat 677. Inter Numina Ægypti cooptatus *ibid.* Descriptio illius. Duplicis est generis *ibid.*

Idola quàm inania 182, 185. Astra idola fuere omnium vetustissima 181. Idola varii generis *ibid.* Variæ de idolis Profanorum sententiæ 182. Operis elegantia venerationem idolo conciliabat 183. Idolorum imbecillitas *ibid.* 184, 190. Pejurans punire non valent 187. Authoribus suis longè inferiora sunt 191. Quàm absurda sit res Idola colere *ibid.* Designantur sub nomine doloris 718. Quarti seculi traditione ferebatus, Idola Ægypti, Jesu Christo ad veniente, corruisse 613. Idola Babylonis eversa 715, 720. Idolum Zelotis pin idem facilè Adonis 714.

Idololatræ probro obruti 716. Dei in illos ultio 540, &c. In erroribus suis inexcusabiles 182. Varia Idololatrarum genera *ibid.* Ineptum illorum studium in delectu materiæ, ex qua idola conficiant 182. Quàm stulti, dum sensu carentem materiam colunt *ibid.* Imago Idololatrarum stultè errantium 189. Id merentur, ut in errore suo e Deo relinquantur 189.

Idololatria, fons omnium criminum & vitiorum 190. Vetustas ejus 121, 124. Quis primus ejus Author 121. Ubi potissimum nata 121. Idololatriæ varia genera, & eorum origo 118, 119, &c. 124. Quæ omnium vetustissima 119. 120. Quas sibi fabulas de illa finxerint Profanorum doctissimi; qui irrito conatu absurditatem ejus tegere moliti sunt 119. Quid de ejus origine Patres senserint 120, 121. Astrorum cultus Idololatria est omnium vetustissima 120. Quàm nova habenda sit, si cum vera Religione comparetur 185. Quid dilatandæ Idololatriæ contulerit 124. Communis fuit apud Judæos ante captivitatem Babylonicam, non verò post illam 189. Idololatriæ inanitas 694, 708. In ditionem Juda invecta 539. Sub Ezechie Rege eliminata 537. Latè diffunditur in Regnum decem Tribuum, præsertim sub ejus Regibus postremis 530. Quousque in Ægypto creverit 540, 541. Morte puniebatur apud Hebræos 357.

Idumæa. Vaticinium malorum, quibus illa oppressa est post expeditionem Sennacheribi in Judæos 673. Ab Assaraddbon diripitur 623. A multis seculis penitus excisa 677.

Idumæi malis ab Assaraddone affecti 666. Mala illorum simultas & odium in Judæos *ibid.* Sub Hircano, Hebræorum jugum & circumcisionem subire coacti sunt 588.

Jechonias Rex Juda, Regno a Nabuchodonosore spoliatur 543.

Jechonias, Rex Juda, Joakimi filius, octo annorum puer Rex creatus, tribus tantummodò mensibus & diebus decem regnum tenuit *ibid.*

Jehovah, nomen est nullis creatis rebus aptandum; quod ne pronunciare quidem Judæi audent 286.

Jejunia. Exercitium fori diebus esurialibus olim in Ecclesia interdicebatur 758. Cur Judæorum jejunia Deo essent invisa *ibid.*

Jeremias, Gentium Propheta est 481. Ab ipsis Chaldæis veneratione habitus 544.

Jeroboam, filius Nabat, in Roboamum conspirat 463. Regnum decem tribuum, quæ a Juda secesserunt, instituit, & primus illud tenet *ibid.* Imago Jeroboami in Scriptura 464.

Jerusalem nomine civitatis sanctæ designatus 565. Appellatur vallis visionis 625. Incrementum illius post Macchabæos 727. Designatus sub nomine Arielis 654. Minæ Dei in illam 542, &c. Calamitatum ejus descriptio *ibid.* &c. Obsidetur a Rasin Rege Syriæ & Phacee Rege Israelis 562. Ambo tamen solvere obsidionem coguntur 563. Vaticinia in Jerosolymam 625, &c. Ruinæ illius ex Chaldæis oraculum 634, &c. 638, &c. Restauratio illius sub Nehemia 640, &c. Capitur primum a Nabuchodonosore 548. 545. 724. Optimates illius Babylonem ducuntur 542. Descriptio superbiæ & luxuriæ mulierum Jerusolymitanarum 545. Jerusalem sub imagine meretricis exhibetur 536. Vitiorum illius descriptio *ibid.* Vaticinium de ejus felicitate, soluta captivitate 702. 706, 707, 715, 716. &c. 743, &c. 766, 770, 773. Incolarum ejus multitudino, Imperii amplitudo *ibid.* Descriptio fortunæ & gloriæ illius, postquam ad Deum reversa fuerit 538, &c. 550, &c. 561. E sordibus suis sub Ezechia purgatur 537. Appellatur Civitas Justi, fidelis *ibid.* Nova & inusitata portenta, quæ postremam ejus obsidionem sub Romanis præcesserunt 700, 701.

Jesus Christus, germen Domini appellatur 550. Item lapis angularis 650. De ortu illius vaticinia 554, 573, 584, 690, &c. 699, 700, 731. Ad Inferos descensus prædicitur 573. Mira illius decora 574. Virtus & potestas *ibid.* divinitas perspicuè illi asserta 575. Veterum quorundam Græcorum Interpretum, qui hunc locum omisere, fides parum sincera *ibid.* Jesus Christus præcipuus est vaticiniorum scopus 489, &c. Prophetiæ ad Jesum Christum variè referuntur 493. &c. Jesus Christus exhibitus in præsepio inter bovem, & asinum medius. Unde nata hæc opinio, & quando 534. De prædicatione illius in Galilæa oraculum 574, &c. deque ejus Imperio 575. Fuga illius in Ægyptum; qua occasione corruisse regionis illius idola, traditio seculi quarti fert 613. Vocatio illius, munera, gloria 744. Lumen est gentium 735. Vita illius laboriosa & humilis 739, 740. Ministerium illius & munera 770. Venit liberatum illos, qui in se sperant 765, &c. Liberator Israelis appellatur 699. Quo sensu Patris Æterni servus appellatus *ibid.* Mitis est, humilis, justus 700. Passio illius, 730, 739, &c.

&c. 248, &c. Imperium in mortem 630. Verus est sponsus Cantici Canticorum 70. Lac præbet debilibus, vinum cibumque solidum fortibus 71. Ecclesiam Sponsam, dilectam, columbam appellat 79. Connubium illius cum Ecclesia describitur 70, &c. Initum est illud ea die, qua passionem suam subiit, & qua dia hominum naturam induit, cum illa inivit connubium 83. Epitalamium ipsi canit Ecclesia sponsa, & anima quælibet pura ac fidelis 71. Amor, quo animæ in Divinum hunc sponsum rapiuntur ibid. Quot cœlestibus gratiis Christus donet Ecclesiam suam, sponsas, Amicos & famulos suos 74. Sponsus est castus, nonnisi in secessu & clam se communicans 81, 102. Bonus odor Jesu Christi, comparatur cum pretiosissimis quibusque unguentis, ex ejus sinu prodit, scilicet e Scripturarum Divinarum sinu, & late se per Orbem diffudit 70. Thalamus Jesu Christi est sinus B. Virginis, vel Crux, vel anima fidelis 71. Habitat autem Jesus in sinu Ecclesiæ sponsæ suæ, in sinu animæ fidelis, in Sacramento altarium nostrorum 71. Admirabilis ejus convivii, nempe Eucharistiæ, descriptio 90. Furoris Judaici in Jesum Christum descriptio 243, &c. Insons licèt, sontis more punitur 178. E cruce pendens amoris sui ultima argumenta exhibet Ecclesiæ 200. Mundavit illam Baptismo, & gloria cumulavit 79, 87. Præcepta charitatis, quibus Ecclesiam suam format 77. Quantam sponsarum suarum fidem & diligentiam exigat; quippe qui totum sibi & indivisum amorem vindicat 73. Obedientiam poscit studiosam & promptam 72. In cor hominum per gratiæ & spiritus sui operationem insinuat ibid. Inter delicias, & mollis vitæ commoda quæri non vult 81. Ante Evangelium S. Matthæi, vel ex Fidelibus ipsis plures, utrùm Messias ille esset, ambigebant 518. Promissiones & fœdus, quibus Ecclesiæ suæ se obstringit 765. Ultio illius in Jerosolymam 764. De forma Jesu Christi dissertatio 535.

Jesus filius Josedechi, Summus Sacerdos, post solutam captivitatem Babylonicam 479. Templum restituit sub Zorobabele ibid.

Jesus filius Sirach, ex sententia magis communi & probata Libri Ecclesiastici Author, utrùm cum Bensira miscendus sit 107, 208. Qua ætate vixerit 209. Opus adornavit in Ægypto, quo sævientem furorem Antiochi Epiphanis declinavit 210. Oratio ejus ad Deum, agens illi gratias, quòd eo servante multa pericula evaserit 207, 476, &c. Plures vitæ suæ vices narrat 475, &c. Sacerdos e stirpe Jesu filii Josedechi a Genebrardo constituitur; sed nullo fundamento 204. S. Augustino olim succurrit, Authorem illum esse Libri Sapientiæ & Ecclesiastici 122, 123.

Jesus, interpres Libri Ecclesiastici 208. Vivebat sub Ptolemæo Evergete II Ægypti Rege 210.

Jezer, Hebraicè est figmentum, & decretum 640.

Ignis apud gentes quosdam cultus est usus 429. A Persis omnibus cultui habitus 380.

Ignis inferni, utrùm metaphoricus, an verus. Variæ Patrum & Theologorum in hac re sententiæ 282.

Immortalitas animæ disertè traditur in Libro Sapientiæ 107, 223. Quæ sibi objiciat Salomon in hoc argumento 19. Dogma est nunquam non traditum. Quis primus ejus Author 227. Argumenta immortalitatem probantia ex Scriptura ibid.

Imperia justitiæ, pietati, veritati innitantur necesse est 394, 395.

Imperium Ægyptiorum, qua parte ad res Judaicas attinet 512.

Imperium Assyriorum a Nino filio Beli constitutum quamdiu floruerit 504, &c. Series Regum ibid.

Imperium Chaldæorum a Nabopolassaro, ætate Josiæ Regis Juda 507, 557.

Imperium Medorum. Ejus initia, & diuturnitas. Arbaces veluti primus ejus Author habetur 508.

Imperium Persarum a Cyro filio Cambysis conditum 509.

Impii majoribus nostræ Religionis veritatibus non tanguntur 200. Quam impudenter de illis loquatur ibid. Impii negantes animarum immortalitatem, totamque beatitudinem suam collocantes in fruitione rerum quæ subjacent sensibus 240. Punitio illorum in hac vita. In via iniquitatis fatigantur 151. Nomen eorum e mundo delebitur 437. Divitiæ illorum quàm inutiles 430.

Imprecationes Scripturæ oracula sunt rerum futurarum 411. Imprecationes Parentum fatales sunt filiis: quod & exemplis demonstratur 440.

Imprudentia nunquam non deest in multiloquio 83, 84. Quot ex illa mala 45.

Impudentia, idololatriæ initium 185.

Incarnatio, dies est nuptiarum Jesu Christi cum hominum natura 83.

Indurare aliquem, stylo Scripturæ est, pronunciare, illum esse obduratum 561.

Infantes utrùm respirandi usu fruantur in sinu matris 358. Via nati apud Romanos in nuda humo exponebantur ibid. Intra primos quadraginta dies ab ortu oculorum usu carent ibid. Qui nec diu post ortum rident ibid. Dies natalis inter convivia & festa celebrantur 30. Mos contrarius apud gentes nonnullas invaluit ibid. Victitabant lacte, & melle 585.

Inferi pro sepulcro 315.

Infernus, quo nomine in Scriptura designetur 131. Inferorum supplicia in utroque Testamento descripta ibid. Somnium de Inferno ejusque suppliciis Armeni cujusdam, nomine Er 332. Rabbini quid doceant ibid. In imo Abyssi collocatur ab Hebræis & priscis Philosophis. Quid senserint Patres 330. Utrum in Inferno ignis rei pta sit & vermes, diffident Patres & Theologi. Utra sententiæ melior sit 280. Infernus tenebrarum nomine designatur 199.

Infrunitus est propriè stultus, impos sui 315, 303.

Ingrati animi vitium, ceu crimen apud Persas puniebatur 384.

Ingratus in Deum spe sua decipitur 296.

Iniquitates impiorum condemnant illos apud Dominum 250.

Injuria. Illarum remissione peccatorum nostrorum veniam impetramus 378.

Inspiratio. Quæ Deo familiarior esset ratio communicandi sese Prophetatis 483.

Institutio. Si quis doceri amat, ille sapientiæ originem nactus est 276, 278.

Insula non semper maritimam regionem in Scriptura designat 221. Insulæ etiam appellantur non rarò Provinciæ transmarinæ 764. Quin & ita nuncupari solent Insulæ Mediterranei & Asiæ minoris oræ 795.

Interrogare pro puerre, in Libro Sapientiæ & Ecclesiastici 244, 273, 124, 316.

Invidus mali oculi nomine designatur 392. Ad Sapientiæ participationem non admittitur ibid.

Invidia animam pessimè afficit 389.

Invocare. *Invocetur nomen tuum super nos*; idest, duc nos in uxores 63, 78.

Joachaz filius Josiæ Regis Juda, a populo salutatus in Regem, tribus tantummodò mensibus regnavit 541.

Joakim, Rex Juda, alter filius Josiæ, undecim annis regnavit 543.

Joathan, filius Osiæ Regis Juda. Ammonitas rebelles armis lacessit 534. Regno ejus labente, copiæ Syriorum & Israelitarum ditionem ejus excurrunt ibid.

Joathan, Rex Juda, sexdecim annis regnavit 533.

Joex, Hebraicè est vir a consiliis, & non consilium petens 171.

Joseph protractus est ope sapientiæ ab invidia fratrum; eademque sapientia conante, accepit sceptrum supremamque in Ægypto authoritatem 170.

Josephus, Historicus Judæus, animas corporeas esse statuit 226.

Josias, Rex Juda, vitam agit sanctam & innoxiam; quem nullius criminis reum agit Scriptura 468. Regnum capessivit anno ætatis suæ octavo ibid. Quanto studio rectam disciplinam & Religionem in ditione sua promoverit ibid. Impietatem totis viribus aggressus est, sustulitque loca edita cum erectis ibi altaribus 468. Reliquit regni sui alterum post alterum successores liberos tres 543. Elogium pietatis & justitiæ ejus 666, 688.

Josue filius Nun, vel Jesus filius Nave, juxta Græcos 457. Successor Moysi in spiritu prophetiæ, & in regimine populi ibid. Bellica & morali virtute illustris 458. Typum in se Jesu Christi gerit ibid.

Isaias. Inter quatuor majores prophetas primus, e Tribu Juda, & Regia Davidis stirpe, filius Amos, alterius a Propheta ejusdem nominis 496. Quo tempore munus suum cœperit ibid. &c. 557. Vaticiniorum epochæ 496, &c. Argumenta varia ibid. &c. quandiu Prophetam egerit 497. Ut intelligantur ejus oracula, regulæ 498. Pleraque ex illis pertinent ad regnum Juda & Jerosolymam 533. Luculentiùs de Jesu Christo, quàm cæteri Prophetæ, loquitur ibid. Vaticinia sua non exaravit, nisi ad exitum vitæ suæ ibid. Utrum inscriptio Libri illius ad ipsum pertineat ibid. Visio Isaiæ quo anno mortuus est Ozias Rex 557, &c. Vidit in spiritu Dominum, toto majestatis suæ gloria fulgentem ibid. De numero Seraphim, quos per visum spectavit, disputatur 558. Omnium primus est, qui Babylonicam captivitatem, & ab illa reditum prædixerit 721. De vita, missione sua & ærumnis a se toleratis plura narrat 499. Imago illius apud Authorem Ecclesiastici ibid. Dominus pollicetur illi filium, nomine Chasib-Baz 568. Vaticinii sui testes adhibet ibid. Quam disertè Jesum Christum prædicat 737, 730, 770. Describit Judæorum vitia & licentiam 534, &c. Prædicit obsidionem Jerosolymæ sub Regibus Syriæ & Israelis, cum rebus Juda præesset Achaz 563, &c. Oraculum hoc posterius est præcedente annis septemdecim ibid. Hortatur Acharum, ne metuat Reges Syriæ & Israelis, qui in ditionem suam irruperant 563. Mortem eorumdem Principum, eorumque Regnorum ruinam prædicit 563. Difficultates de tempora, quo oraculum hoc impletum est 563, 564. Pollicetur Achazo prodigium de Virginem Emmanuelem paritura 564. Quæ gravia manebant Acharum ob quæsitam Theglathphalassari opem, prædicit 566, 567, 570. Incedit nudus, nudisque pedibus, eo emblemate docens Ægyptiorum sub Rege Assyriæ captivitatem 620. Utrum nuditas hæc ad verbum accipienda sit ibid. Mittitur a Domino ad Ezechiam in lecto decumbentem, sanitatem ejus ominaturus 683. Quindecim alios vitæ annos promittit 686. 462. Promissioni suæ fidem conciliat recessu solis in horologio 686. Exprobrat Ezechiæ inanem ipsius ambitionem, quòd opes suas legatis Regis Babyloniæ ostenderit: quamobrem thesauros illos rapiendos esse prædicit 690. Consultus ab Ezechia de Sennacheribo, mortem hujus & exdem exercitus illius prænunciat 683, 688. Oracula Isaiæ in Babylonem 589, 622, &c. In Jerosolymam 625, &c 635, &c. Calamitatem Jerosolymæ ex Nabuchodonosore prænunciat 548, &c. Describit luxum & inanem pompam mulierum Jerosolymitanarum 546, &c. Qua ratione concilientur ea, quæ narrat de criminibus Juda sub Ozia & Joathano, cum elogio Scripturæ, quo pietatem & felicitatem horum Principum commendat 534. Excidium Regni Israelis prædicit 575, &c. & calamitates ac ruinam Moabitarum 501. Isaias donari meritò potest elogio Prophetæ miserationum Domini 482. Ejus erudi-

ditio & eloquentia 499, 730. Puritate sermonis & sententiarum sublimitate cum Demosthene comparatur 500. Quæ scripta ipsi adscribantur, præter Librum Prophetiæ ibid. De genere mortis ejus, Hebræorum traditio; quam & Patres sequuntur 498. Locus sepulturæ 499. Author Cantici Canticorum a Rabbinis nonnullis constituitur 58.

Induti alba, apud Hebræos sunt proceres, magnates 42.

Istha Gemurah, Hebraicè, est uxor perfecta 69. Quo nomine Hebræi nunquam appellant sponsam, nisi cum in thalamum introierit ibid.

Isis, Ægypti Regina, utrùm prima medicinam excogitaverit 883. Invocatur ceu Numen ægrotantibus propitium ibid.

Israel pars est Dei. Fœdus illius cum Deo, a quo & beneficiis cumulatur 318. Comparatur sæpè in Scriptura cum planta seu vinea, ex Ægypto in Chananæitidem translata 247. Israel etiam appellatur a Prophetis populus Juda post translatas decem Tribus trans Jordanem 581.

Israelita decem Tribuum, cum Juda in Domini cultum coivere 608.

Ira diligenter vitanda 31. Ira etiam appellatur severitas & optimum quodcumque studium 30.

Ira Dei, qua in re ab ira hominum differat, 578. Dei ira in impios 553.

Juda totum se idololatriæ superstitionibus dedit 539, &c. Quo supplicio a Deo punitur sit 542, &c. Comparatur cum vinea, quæ cùm lambruscas tantummodò ferat, a Deo deseritur 551. Reditus Judæ ad Dominum post captivitatem 565. In veterem felicitatem restituitur ibid. & 582.

Juda designat etiam decem Tribus post translationem earum trans Euphratem 588.

Judæa designatur sub generico nomine Terræ, vel Universæ Terræ 634. Dicta etiam Terra viventium 687. Cur insulæ nomen obtineat 688. Quantum floruerit sub Ezechia post fusum exercitum Sennacheribi 679, &c. Turbarum ejus & captivitatis sub Chaldæis vaticinium 634, & liberationis 640. Felicitas illius post solutam captivitatem Babylonicam 727, &c. 766, 769, 771, &c.

Judæi. Vide *Hebræi*.

Judas Machabæus insigni elogio ab Isaia laudatur 776. Victoriæ ejus de Idumæis ibid. Populum suum omnium hostium oppressione liberat ibid. 780.

Judex sæpè ponitur pro Rege 166, 167, 894. Judici planè necessaria est Sapientia ibid. Quantam vim afferant munera menti & animo Judicum 345. Quæ illis dotes necessariæ sint 270. Patrocinium pauperum & Orphanorum suscipiant 863. Qua veneratione sententiæ ab illis prolatæ excipiendæ sint 280.

Judicia. Ne properè judices 301.

Judicia Dei, quomodo in impios animadvertant 378. Puniit illos iisdem rebus quibus usi sunt ad peccandum 379. Judicia Domini profunda & incomprehensibilia 196. Severum judicium in illos, qui alios judicant 154.

Judicium qualenam Deus in animas exerceat, juxta Hebræos 150. Judicium Minois & Rhadamanti apud inferos, typus est judicii Dei in animas hominum corpore solutas 139.

Judicium supremum ab Isaia describitur 614. &c. Quæ ratio a nobis tunc Deo Judici reddenda sit 57. Descriptio Judicii quod probis & improbis tunc reddetur 151.

Judicium pro ultione 763. Pro authoritate, potestate &c. 459.

Juno a Babyloniis *Ada* appellatur 793.

Jupiter Ammon, utrum ipse sit Cham, pater Mesraim, Regni Ægyptiaci conditor 883.

Jurare in vanum est jurare temerè, falsò jurare 356.

Jurare fidem Regi, officium a populis præstitum 37.

Jurare in dextera, vel manum tollendo, est religiosissimus jurandi actus 775.

Jusjurandum. Jurandi modus apud Hebræos & Persas 72. Certum esse nequit apud Profanos 187.

Jusjurandum apud Veteres quæstionis genus homini libero habebatur 356. Facilis nimium jurandi usus ab Ethnicorum sapientissimis damnatus ibid.

Justitia divitiis omnibus præferenda Animæ sanitas est 387. In rebus humanis justitia ne nimis urgeatur 33.

Justus. Præsentiam Justi pati impii non possunt 143. Imago Justi ærumnis oppressi, qui Jesu Christi typum gerit ibid. Alia imago hominis Justi molestias tolerantis, ex Philosophis Ethnicorum expressa 148. Justus e medio impiorum summo Dei beneficio eruitur 149. Brevi licet vivat, diuturnæ tamen vitæ stadium perficit 150. Justus mortuus superstites vivos impios damnat ibid. In impios insurgit ibid. Felicitas ejus & gloria 152, 153. Justi in hoc mundo probantur & coronantur in altero 145, 255, 256. Judicabunt gentes 146. Animæ justorum in manu Dei sunt 145. Felicitas illorum æterna nomine pacis designatur ibid. Justi judicabuntur 155. Judicium securi & sine metu opperiuntur ibid. Justi regnabunt in Cœlo 156. Totos se Dei voluntati committunt 156, 158. Quæ ab illo accipiunt beneficia, æterna felicitate complentur 302, &c. Appellantur filii Sapientiæ 258. Obedientia & amor erga Deum 259. Nemo hominum justus absolutè est coram Deo 270.

Juvenis. Justus juvenis admodum moritur, ne vitiatur 150.

K

KAnah, Hebraicè est possidere, acquirere, 274.

Karcat hares. Urbs, eadem ac *Rabbath-Moab*, vel *Areopolis* Metropolis Moabitarum 601. Appellatur & *Karioth* vel *Kariat-Moab* ibid.

Kezach, vox Hebræa, parum nota 451.

Keppod, vox Hebræa parum notæ significationis, quæ variè redditur 599.

Kir Regio in Media, ad litus maris Caspii sub imperio Assyriorum 626.

Kir vel *Kir-hareset*, urbs, eadem ac *Rabbath Moab*, Regia Moabitarum, quæ & Kariat hares, Karioth & Kariath Moab 601.

Kir-haresith, murus figuli, Metropolis Moabitarum 605. Appellatur *murus coctis lateris*, ibid.

Kabcieth, Hebraicè est concionans vel congregans, &c. additur semper masculino generi præterquam semel in uno loco 4.

L

LAbia sponsa, quàm pulcra. Evangelii Sacros Præcones significant 86.

Labores non placata nihil valent 301.

Lacedæmones quid exigerent ab adolescentibus recens nuptis, quoad sponsas, certo quodam temporis spatio post initum connubium 59, 80.

Lachis Urbs in Judæa, 584.

Lacryma pœnitentium voluptatibus vitæ hujus dulciores sunt 90.

Laisa Urbs, est eadem ac Lesem, propè Bethel; vel fortè ipsa est Bethel 581.

Lamia, Spectrum, quod noctu apparens pueros voret 678.

Lapides erecti super tumulos impiorum 345. Lapides, quibus Divini honores impendebantur 753.

Lapis angularis nonnisi Jesum Christum designare potest 450.

Lapis rudis, malè dolatur, ob vetustatem divinis honoribus cultus, 282.

Lapis probationis, lapis erat Lapis, quibus vires hominum probabantur; vel lapis ingentis pretii, vel lapis lydius 275, 277.

Laud, ampnis in Mauritania Tingitana 790.

Laudia, Urbs Mauritaniæ Cæsariensis 794.

Lelis convivales, utrùm Salomonis ætate obtinerent, incertum est 74.

Lectus Nuptialis Salomonis describitur 83.

Lehabim, populi Libyæ in Africa 591.

Lepra perinde habebatur ac morbus a Deo immissus 224, 724. Jesus Christus Messiam se esse lepræ curatione probat 855. Lepræ varia genera ibid.

Leprosi. Expiandi leprosos post eorum valetudinem, ritus 566.

Lesem, urbs Judææ, propè Bethel, 581.

Leviathan tortuosus, *Leviathan vectis*, Cambysem facilè designat, 644.

Levitæ nihil erant majus quàm meri simplicesque Cantores 450. Levitæ Dei spiritu afflati ibid. 481.

Lex Judæorum parum nota erat exteris ante captivitatem Babylonicam 200.

Libanus pro Templo vel Jerosolyma, vel Judæa 572. Interdum etiam pro Regiis ædibus Salomonis, Jerosolymæ constructis ibid.

Liber Sapientiæ, apud Græcos, *Sapientia Salamonis* 107. Interdum *Panaretos* dicitur, idest virtutum thesaurus. Tribuitur nequis Salomoni, ibid. Epitome sententiarum & axiomatum Salomonis est ibid. Indignus certè non est Sapientia Salomonis 111. Quod Authoris propositum 107, &c. Cur Salomonis nomen mutuetur ibid. Hominem a Sapientia ad felicitatis & gloriæ culmen evehi docet; eamque ab homine, etiam postquam peccaverit, Dei ope obtineri posse; qua Sapientiæ absent, ea ex ipso homine oriri, qui labe carens, innoxius, immortalis conditus est 107. Quæ de Sapientiæ natura, viribus, prodigiis prædicat, ea uni divinitati conveniunt ibid. Originale peccatum, primique hominis lapsum & pœnitentiam perspicuè docet 108. Eorum sententiam avertit, qui animæ immortalitatem, judicium, infernum, & alterius vitæ supplicia & præmia esse negabant 107, 109, 113. Absurdam, ineptamque demonstrat Ethnicorum Religionem 555. Quæ objiciuntur ab iis, qui Scripturam esse arcum, ipsumque librum Canonicum esse negant 105, 107. His respondetur 111. Græcus Codex pro Archetypo hic habendus est, primum enim Hebraicè scriptus non fuisse liber videtur 109, 110, 117. Hunc librum novere Judæi 110. Phrases habet aliquas e Profanis, ac præsertim ex Platone derivatas fert 109, 110. In illius Orationis genus animadversiones ibid. Scripturæ Sacræ locus ex versione Septuaginta recitat 110. Versio Latina, quam habemus, vetus vulgata est, Sancto Hieronymo vetustior ibid. Hujus libri Authoritas non uno consensu Ecclesiarum semper excepta est ibid. Neque desunt, qui hunc librum adhuc rejiciant ibid. Sunt qui scriptum a Philone Judæo putent 113, &c. hunc Judæi nunquam in Canonem acceperunt 110. Utrum notus Judæis esset ante Christum ibid. Argumenta, quibus Canonicus esse Liber demonstratur, adversariorum argumentis opposita 110, &c. Aliquos ex hoc Libro locos, in veritatis præsidium, Apostoli & Patres recitavere 110, 113. Illum absolutè non rejiciunt Rabbini 111, Conjecturæ de tempore & loco, quibus exaratus est 116. Scriptum putat Grotius Hebraicè ab homine Hebræo, post Esdram, & ante Simonis Pontificatum 117. Grotii sententia refellitur, ibid. Cornelii a Lapide conjectura de Causa, cur is liber Philoni tribuatur ibid. Hujus authorem S. Augustinus olim Jesum Sirachidem esse arbitratus est 112. Argumenta, quæ hujus libri finem periisse suadent 106.

Liberales appellari solent Principes in Scriptura 663.

Libertas hominis in bonum & malum 319, 320.

Liberum arbitrium se solo absque gratia agere potest plane nihil 254.

Libri inscripti nomine eorum, qui in illis loquentes inducuntur 112. Ingens eorum numerus impedimento est solidis scientiis & optimis quibusque studiis 57.

Libri Judæorum parum noti exteris ante captivitatem Babylonicam 200.

Libri Legis & Prophetarum Græcè redditi diu antequam Interpres Ecclesiastici Versionem suam adornaret 251.

Libri Sapientiales appellabantur Libri Salomoni adscripti, qui & generico Sapientiæ Salomonis nomine a Patribus laudantur 507.

Licentiosi, qui summum bonum constituunt in voluptatibus hujus vitæ, & animarum immortalitatem negant 140.

Ligare argentum vernaculo Hebræorum stylo est, in crumena pecuniam condere 381.

Lignum aquas amaras corrigit 420. Olim a Veteribus in fundamentis ædificiorum ligna constituebantur 352.

Lignum quod in Idolum absurdissimè ab Idololatris convertitur 182. Lignum illud, ex quo Idolum fit, Deus maledicto exsecratur 185.

Lilia in Palæstina communia sunt, ubi lilia vallium cæteris præstant 76. Duplicis sunt generis, alba & rubra 94.

Lilith, prima Adami uxor, juxta Rabbinos 678.

Lingua. Quam perniciosum sit linguæ peccatum 388. Lingua maledica turbas planè innumeras ciet 380.

Locustæ arva latè vastant in Oriente 670, 671.

Loqui ad cor, est solari aliquem 690.

Loth ope Sapientiæ ex incendio Sodomæ servatur 169. Justi elogio donatur *ibid.*

Lotio pedum officium erat charitatis erga hospites, quod tantopere commendant non Scriptura modò, sed & veteres Monachorum Regulæ, cujus etiam usus apud Paganos obtinuit 98.

Lucifer est Diabolus, ex veterum plurimorum Patrum sententia 596. Qua arte pararet sibi cum altissimo similitudinem 134.

Luctus Hebræorum ad septem plerumque dies prorogabatur 651. Quid in luctu decernant Rabbini *ibid.* Ritus in luctibus 186. In luctu funebri situs 411. Quamdiu duraret & quo ritu ageretur apud Judæos 428, & 212, &c. Mos cædendi comam in luctibus 540. Alii lugendi ritus 601, 602, 630, 668, 670. Gentes quædam die natali lugebant 30. Luctus Ægyptiorum, juxta Herodotum 55.

Lud populi erant Lydii, in Asia minori, vel juxta Bochartum, Ludim populi Æthiopiæ 704.

Luith, urbs Moabitica, inter Ar & Segor 602.

Lumen vultus Domini sunt ejus gratia, favor & beneficia 524.

Luna anima & mente instructa olim ab Antiquis censebatur 243. A Profanis plerisque olim cultu religioso donabatur 181.

Luna cornua apud Turcas etiam nunc etiam commendantur 546.

Lunulæ aureæ quid ornamenti essent apud Veteres 546.

Lux gaudium & prosperitatem designat 573, 683.

Lux æterna, quam Deus in homine constituit 365.

Lycia. Vide *Capra Lycia*.

Lycurgus, Spartanorum Legislator, leges suas tanquam Apollinis Delphici oracula obtrusit 487.

M

Machmas, urbs non procul ab Hai, Bethel & Gabaa 583.

Macula tactu cadavera vel sepulcro relatæ, quo ritu eluendæ 212, 213. Tacto cadavere Ethnici alicujus, non induci docent Rabbini 213.

Madian filius Abrahami ex Cethura 767. Regio est etiam ad litus occidentale Erithræi *ibid.*

Madmena, urbs, eadem ac *Medemena*, jacens in plaga maximè meridionali Judææ prope Siceleg 581.

Magi qui Jesum Christum adorarunt ex Ethnicis omnium primi ad fidem conversi sunt 766.

Magi Pharaonis veris Moysis prodigiis præstigia opponunt 273. Aspectu prodigiorum Moysis terrore correpti sunt 273, 282.

Magia adversus corporis incommoda, ab aliis, & a Judæis pariter adhibita 226. Superstitiosas artes adhibebant Veteres ut malas Magiæ vires coercerent 547.

Magistratus quàm periculose ambiuntur 280. Hos quæri a viris probis nonnisi in extremo rerum eventu, Plato permittit *ibid.* Magistratibus obsequium debetur 40, 438.

Magron, urbs Gabaæ vicina 583.

Mahanaim, urbs trans Jordanem, cujus cœtus & choræ celebrantur 98.

Malagma fomentum est quoddam, quo resoluti humores parantur, ut ex abscessu, vel apostemate extrudantur 593.

Mali. Societas illorum vitanda 372, &c. Quas ob causas fugienda sit ea societas 376, &c. Pœna illorum inevitabilis 377. Stulti appellantur 23. Sacrificia illorum a Deo rejiciuntur *ibid.* Patientia Domini abutuntur, quæ sæpe illis occasio est negandi Providentiam & Religionem 30, 41, 42. Justorum præsentiam ferre non possunt 143. De morte Justi quàm stulte sentiant 145. Prosperitatem malorum intuentes Justi Veteris Testamenti, animo malè afficiebantur 33, 39, 40, 41. In hoc sæculo puniuntur 147. Posteritas eorum maledicta est *ibid.* Flagitia & scelera illorum describuntur, 140, &c. Supplicia in altera vita 184. Si Deus esse creditur, continuò & futuram impiorum punitionem credere necesse est 39. In altera vita Justos intuentes, desperatione & probro extremo corripiuntur 181.

Malus, pro deformi 448.

Mambres unus ex Magis Ægyptiis, qui Moysi restiterunt 201.

Mamillæ Sponsæ, comparatæ duobus hinnulis capreæ designant utrumque Testamentum 86.

Manasses, Rex Juda, Ezechiæ successor, Princeps impius 457. Captivus ab exercitu Assaraddonis catenatusque trahitur Babylonem 625, 626.

Mandata Dei colloquiorum nostrorum argumentum sint 293. Illorum felicitas, qui Dei præceptis obtemperant 740.

Mandragora, genus est fructus 101.

Manes, oblatis muneribus apud Græcos Romanosque colebantur 783.

Mania, mater Deorum Larium apud Romanos 754. Liminibus domorum suspendebatur ad averruncanda mala *ibid.*

Manna, cur Angelorum esca, & panis Cœlestis dictum 194. Dicitur & ambrosia 206. Quomodo variis gustibus sese accommodaret. Utrum aliquid e mannæ natura mutaretur 194, &c. Cur ante solem exortum colligendum 195. Designatur nomine nivis & glaciei 193. Igne coquebatur, & parabatur in escam Hebræis *ibid.* Qua arte in cibum pararetur *ibid.* & 216. Persimile erat pruinæ vel rori in glaciem concreto 195. De illo aliter Author Sapientiæ, aliter Moyses loquuntur *ibid.*

Mare originem esse & causam omnium fontium, amnium, &c. Hebræi & veteres Philosophi opinabantur 6, 240, 246. Quid de terminis maris statuerent 240, 241. Navigandi artem Dei Providentia homines docuit 183. Pericula navigationis, & stultitia illorum, qui sine causa mari se committunt *ibid.* Mare olim veteres Pagani coluerunt 182. Maris nomine designantur sæpe populi Jerosolymæ occidentales 635; & interdum regiones maritimæ *ibid.* Mare etiam dicitur ingens quarumque aquarum collectio 610.

Mare Mortuum solo maligno, malos fructus ferente cingitur 169.

Mare Rubrum in imo fundo fert arbores & nemora, juxta Plinium 204.

Maritus quomodo se gerere debeat cum uxore 390, &c.

Marsi, Italiæ populi, arte incantandi angues celebrantur. Utrum artes illæ naturales essent an superstitiosæ 308.

Medaba, mons Moabiticus, Phasgæ vicinus 602.

Medemena. Vide *Madmena*.

Medi. Imperii Medorum exordia ab Arbace 508.

Medici Ægyptii in curandis ægrotis præcepta quædam sequi jubebantur 224. Singulis morbis sui erant Medici peculiares *ibid.*

Medicina. Origo medicinæ, ex Hebræis 413. Ad ipsum Deum refertur *ibid.* Cœleste donum esse Profani arbitrabantur *ibid.* Quàm vetus ejus usus & quantus honor apud Ægyptios *ibid.* Inventæ medicinæ honorem quidam Mercurio Trismegisto, alii Osiridi, Isidi, Apidi tribuunt *ibid.* Usus ejus apud Hebræos. Quid rei esset medicina apud illos 414. Viri amplissimi medicinam exercuisse apud illos Græcosque videntur 419. Longa ætate a Chirurgia non distinguebatur 414, 410. Quando in Europa cœperit 419. Omnis medicina e Deo 410. A meris putitqua Magis alicubi exercebatur 416.

Medicus. Qui Medicum, is & Principem agere potest 541. Annua pensio Medicis, ceu publicæ utilitati servientibus, solvebatur 419. Nimius Medicorum numerus sæpe perniciosus *ibid.* Honor illis debitus *ibid.* Inter Deos olim a Profanis Medici adlegebantur 413.

Medium in omnibus tenendum est 33. Ne sapiens sis plus quàm necesse est, quid sit hoc *ibid.*

Megalopolis, urbs olim celebris in Arcadia 503.

Mendaces societati invisi 344. Furem esse præstat quàm mendacem *ibid.* Deturbabuntur in stagnum ignis & ardentis sulphuris, juxta Apocalypsim 281.

Mendacium absolutè, nulla exceptione, lex Dei vetat 281. Veteres quidam Philosophi, & Patrum nonnulli in rebus quibusdam licitum esse autumarunt *ibid.* Mendacium nota est turpis homini ingenuo; vitiumque servile appellat Aristoteles 344. Mortem infert animæ 139. Vanitatis nomine designatur 759.

Mendicantes infames erant apud Lacedæmones; eosdemque, quicumque tandem fuerint, ex urbe pelli, Magistratuum curæ Plato committit 436.

Mendicitas ceu Dei maledictum a Judæis habebatur 435.

Meni, idem erat Numen quod Diana vel Luna 785. Quo ritu coleretur *ibid.* Armeniæ erat *Amanus* vel *Artimanus ibid.* Regibus potissimum erat in honore *ibid.* Templa illi variis in locis dicata *ibid.* & 788.

Menisci, Græcè est lunula vel armillæ 546.

Mentiri, designat sæpe desciscere, datæ fidei deesse &c. 660.

Meretrices, plerumque velatæ prodeunt 73.

Merodach Baladan, Rex Babylonis, mittit cum muneribus gratulatum Ezechiæ receptam ab illo valetudinem 690.

Merops idem ac Phoronæus. Vide *Phoronæus*.

Messias. De ortu ejus oracula 578, 584, 600, 602, 764, 765. Spiritus plenitudine abundabit. Justitia ejus & gloria 581, &c. Appellatur Agnus, terræ dominator. Vocatio Messiæ 604. Munera & gloria 714, &c. Dotes ejus mirabiles recensentur 600, &c. Oracula de illo 604, &c. 712, &c. 717, &c. 730. &c. Ortus ex Virgine parente prænunciatus iis verbis: *Ecce Virgo concipiet* 513, &c. Oraculi hujus explicationes variæ *ibid.* Totum ad Messiam Patres retulerunt *ibid.* Judæi ad Ezechiam vel ad filium Isaiæ, 514. In sensu literali, vel ex ipsa Judæorum sententia, relationem tamen ad Messiam non excludit 515.

Sunt

sunt in illo quædam, quæ præter Messiam, nemini congruunt 517. Methodus Patrum in ejus oraculi expositione 516. De ortu Messiæ quid sentiant Judæi 510, &c. Nasciturum e Virgine, quidam ex illis negarunt *ibid.* His arguendis minus valet argumentum ex iis verbis, *Ecce Virgo*, &c. petitum *ibid.* Ad sacrè credendum parati erant Judæi, ætate Jesu Christi & Apostoli 514. Argumentis e Scriptura hæc veritas probatur 517. In sententiam Ecclesiæ, quæ hunc locum de Messia explicat, objectiones 515.

Metalla, Idolis conficiendis destinata, Deus execratur 185.

Metempsychosis opinio erat vulgaris apud Judæos, ætate Jesu Christi: quamquam nihil est in Scriptura errori huic favens 133, 134.

Mesraim, filius Cham, Regni Ægyptiaci primus author, utrùm ipse sit Jupiter Ammon 183.

Milites, olim Imperatorum nomen involâ manus scribabant 907. Characteres illorum corporibus inussi, ut a ceteris secernerentur 794.

Milites invalidi, apud Romanos domo certoque in reliquum vitæ stipendio donati 373.

Millenarii, quibus documentis dogma suum edstruant 787.

Minare pro ducere, usitatum est etiam apud Latinos probatissimos Scriptores 586.

Minium plurimi æstimabant Veteres; pingebantque illo Deorum ora; & Camillus minio subsicatus triumphavit 182, 183.

Minos, quas scripsit Cretensibus Leges, eum Jovis per novem annos expendisse gloriabatur 487.

Misericordia. Felices qui illam proximo impendunt 381.

Misericordia Dei, 258. Quàm periculosè in peccandi liberiùs causam vertitur 270. Qua ratione nos ea dignos præbeamus *ibid.* Non rarò est impiis occasio ruinæ 30.

Miscere vinum est, vinum potare 556.

Missis ligni & lapidis in vetustis ædificiis 350.

Mitra Latinè est vittæ caput obnubens zona 455.

Moab, Regio finitima, & portio Arabiæ desertæ 604.

Moabitæ vectigales erant Regibus Juda & Israelis 604. Quid vel essent ea tributa *ibid.* Defectio eorum, Achabo rerum potiente. Negant utrique Regi tributa *ibid.* Iterum ab Ezechia subiguntur *ibid.* &c. De excidio illorum oracula 608, &c. 639. In quas angustias redacti fuerint 601, &c. 604, &c.

Mœris, lacus Ægyptius, proventus ditissimos Regium in ærarium conferebat 617.

Moloc Numen antiquum & sævum ætate Moysis 822. Cui pueris illi litabatur 664.

Mons Amana, inter Ciliciam & Syriam 87.

Mons Hermon, trans Jordanem 101.

Mons Testamenti, Templum est Domini, depositum Tabularum Fœderis servans 507.

Mons visionis. Vide *Moria*.

Montes Bether non alii fuere præter montes Bethoron 81.

Montes Galaad, trans Jordanem, & in finibus Arabiæ desertæ 84.

Montes Libani Phœniciam a Syria distinguunt 87. Turris est ibi celebris, quam vel Itineraria ipsa commemorant; cui nasum dilectæ suæ Sponsus comparat 99, 100.

Montes Phasga, vel *Abarim*, trans Jordanem, in sorte Ruben 99.

Montes Sanir & Hermon, nomina sunt duarum partium unius & perpetui montium jugi, Thraconitidem ab Arabia distinguentis 87.

Morbi in pœnam criminis inflicti olim censebantur 224, 410, 420. Morborum curatio remediis magicis & incantationibus 226, &c. Morbi incurabiles e Dæmonibus inducti, ex Hebræorum sententia 227. Causa morborum ex vitiata ossium natura 230. Morbus usurpatur pro quocumque genere malorum, calamitatum, periculorum, &c. 710. Morbi designantur nomine peccati 560.

Moria post Abrahami ætatem mons visionis appellatus 485.

Morientes. Vetus mos osculandi morientes, quasi extrema suspiria colligerentur 423.

Mors per peccatum introducta est in mundum 130, 140, 144. Dies mortis commodior est Justis quàm dies nativitatis 19. Quibus de causis mors ab homine Christiano desideranda sit 20. Mors impiorum inglorie & turpis 150. Exitus illorum apparatus tristis *ibid.* Mos gentium quarumdam gaudendi, cum quis moreretur 30. Subiti mortis casus tribuebantur, virorum quidem, jaculis Apollinis; mulierum verò, Dianæ 101. Nemo se felicem ante mortem eradat 304. Extrema illa dies e mente nunquam excidat. Meditationis hujus utilitas 286, 315. Quo sensu Deus mortis author esse dicatur 302. In Profanorum conviviis mortis imagine delata 427.

Mortui. Mos cæcorum ardentium ante cadaver defuncti 224. Lotio cadaveris per mulieres apud Judæos & Profanos vetustissima *ibid.* Discrimen conditionis in feretris servatum *ibid.* &c. Mos defuncti cadaver splendidissimis vestibus induendi, a Gamaliele Doctore abrogatus *ibid.* Cadaver antequam sepulcro inferretur, palam exponebatur 225. Qui ritus Judæorum esset in sepeliendo 226, &c. Defuncti adversarii a funere excludebantur, juxta Rabbinos *ibid.* Intueri mortuum, vetitum sibi esse Judæi censebant 223. Solemni osculo defunctos dimittebant olim veteres Christiani, & ipsi pariter Sacerdotes; eumque morem abrogavit Concilium Antissiodorense *ibid.* Publicè aliàs defuncti lugebantur 222. Pompæ funebris descriptio 226. Delatio cadaveris ad sepulcrum inter musicos instrumentorum concentus & carmina 227. Utrum apud Hebræos cadavera cremarentur 219. Precum super mortuos formula 219. Vetus mos elogiis mortuos celebrandi 220. Epitaphiorum apud Hebræos formulæ 219. Nullas sepulcrales inscriptiones Veteres Judæi apponebant *ibid.* Mos imponendi vinum & carnes sepulcris 222.

Mortui. Formula benedictionis pro iis qui piam & religiosam mortem obierunt 459. Fabella Judæorum de circumvolutione cadaverum suorum usque in Terram Sanctam 459. Quæ mortuis inferri tormenta ab Angelo mortis credantur ab Hebræis, & partim a Turcis 551. Lugendi in viis publicis mortuos consuetudo 55. Mos inferendi in sepulcra, unà cum cadaveribus, divitias pro defunctorum conditione 508.

Moyses, aquis expositus est a parentibus, ut ab Ægyptiorum perquisitionibus servaretur 174. Prodigiis in Ægypto claret, confunditque inanem sapientiam Magorum 106, &c. Præstigiis Magorum vera miracula opponit 173. Insigni elogio e Scriptura celebratur 452, 453. Quanto Dei favore & beneficiis affectus fuerit 453. Memoria illius in benedictione omnium sæculorum 452. prodigiis stupendus, 453. Artis medicæ peritus 523.

Mulieres. Nequitia mulieris, iniquitas est consummata 369. Nihil est perniciosius ira mulieris *ibid.* Primum peccandi instrumentum mulier fuit 370. Iniquitas hominis, ex muliere *ibid.* Omne cum mulieribus commercium periculosum est 292. Eidem cum viris ceteris convivio mulieres plerumque non aderant *ibid.* Lex Romuli permittebat, adulterii pœna animadverti in mulierem vinosam; quod plurimis exemplis obtinuisse olim docetur 372. Proba mulier donum est planè cœleste *ibid.* Descriptio mulieris castæ & probæ 373. Portio est divinitus concessa viris Deum timentibus *ibid.* Imago mulieris improbæ zelotypæ, vino deditæ 378. Mulieris fortis descriptio 350. Qui Deo carus est, laqueos prostitutæ vitabit 35. Mulierem morte ipsa amariorem esse, Salomonis effatum est *ibid.* Ignis, mare, & mulier tria sunt vitæ mala, vetus parœmia est *ibid.* Quomodo accipiendum sit illud Sapientis, inter mulieres omnes ne unicam quidem se reperisse 15.

Mulieres Palæstinæ oculis & superciliis atrum colorem ope stibii inducebant 545; quem morem adhuc servant *ibid.* Capillos arte tingebant *ibid.* Jerosolymitanarum mulierum luxum describit Isaias 545, &c. Calcei, atque alia Turcicarum, Syriarum, aliarumque mulierum ornamenta *ibid.* &c.

Mulieres Orientales capillos colore inficiunt 85. Romanæ matronæ viridi nucis cortice aurum colorem comæ inducunt *ibid.* Orientales fœminæ brachia & pectus stigmate inurunt, pictis pro libito floribus aut imaginibus 103.

Multitudo sapientum totius orbis est salus 156.

Mundus creatur 838. In Mosaica narratione singuli Philosophi suam sententiam vident *ibid.* Varia Profanorum systemata *ibid.* De Mundi Authore quæ sententiarum dissidia *ibid.* Vide *Epicurei*.

Mundus. Quàm inanis mundi gloria, & quæ in eo continentur 4, 12, 13, 26, &c. Ablato crimine & hominis vitio, nihil inane in mundo esset 4. Certissima novitatis suæ argumenta præfert 7. Plures mundos hoc, quem videmus, vetustiores fuisse censuit Origenes *ibid.* Rerum humanarum vices *ibid.* &c. Quo sensu verum sit, nihil esse in mundo novum 7, 18. Vices assiduæ 16, &c. 22. Theatrum quoddam est ubi quisque personam suam agit 258. Universi totius figura in vestibus Pontificis 203. Ordo in universo servatus, cum præstantissima musica comparatur 205.

Munera integram Judicum fidem quatiunt 345.

Munera in Templis dedicata, aliquando venerationi habita sunt 182.

Murenula, aurea catena, fistulis seu annulis argenteis intermista, ex murenæ piscis similitudine 74, 547.

Mures, nobilissimi obsonii loco habebantur apud Veteres 703. Mures a Phrygibus coluntur *ibid.*

Musac, Hebraicè, est velum ante fores expansum 686. Interdum est porticus, seu locus tectus 687. *Musac Sabbathi*, *ibid.*

Muscæ in hostes Domini missæ 174. Exercituum muscis fugatorum exempla 177.

Myrrha, gummi genus, ex arbore spinosa manans, in Arabia 74. *Myrrha transiens*, pro myrrha selectissima, eximia, &c. 94. Duplex myrrhæ genus; alterum sponte fluens, alterum inciso arboris cortice 363. Primum est præstantissimum *ibid.*

Myrrhis, arboris nomen, uteri vapores coercens 77.

Myrthus, arbuscula 74.

N

N*Abathai*, Populi Arabiæ desertæ, Ismaelis posteri 767.

Nabi, Hebraicè, homo afflatus, Dei nomine loquens 482.

Nabuchodonosor Jerosolymam capit, Judæ Regnum diripit, ingentemque captivorum numerum abducit 542. Apud Prophetas, sub aquilæ imagine exhibetur 557. Nabuchodonosoris cadaver sepulcro ejectum, comminiscuntur Rabbini 508.

Nachon appellatur mons Domini, ut significetur area Nachon, prope ædes Obededomi 538.

Nahar Kadischa, amnis sanctus; Palæstinæ amnis, a Libano fluens 89.

Nardus, arbor Indica, unicam fistulam pariens, longam ac tenuem, quæ in plures spicas dispescitur, ex quibus unguentum exprimitur 74, 89.

Nathan, Propheta, Davidis ætate florens, ad Davidem adulterii cum Bethsabea arguendum missus 461. Is Salomonem Regia unctione inauguravit *ibid.*

Natura, effusæ in homines Divinæ Sapientiæ partem ha-

habunca 162.

Natruitas Messia ex Virgine, ab Isaia his verbis prædicitur, *Ecce virgo concipiet*. Variæ hujus vaticinii applicationes 513, &c. Vide *Messias*.

Nativitas hominum communis post menses decem five annum 157. Variæ sententiæ de tempore, quo puer in ventre geritur *ibid*. Filiorum ortus conviviis, aliisque hilaritatis indiciis 29, apud quasdam tamen gentes luctu celebrabatur 30, 358.

Natura humana, promissum Liberatorem votis ac desideriis sollicitat 70.

Naves Tharsis, naves diuturnæ navigationi pares 540.

Navigationis pericula. Quàm insani, qui, nulla re cogente, navigant, suumque iter Idolis commendant 183. Navigationis inventio *ibid*. 184.

Neba, seu *Nabo*, Caldæorum Numen, utrùm Belus 716.

Nebo, urbs & mons in Moabitide 601.

Necessitas pœnitentiæ 258.

Nechao, seu *Nechos*, Ægypti Rex, Psammitichi successor, armis in Israel illatis notus 613.

Nectar, Hebraicè est rec sulsta, odora persusa res. Nectaris conficiendi ars *ibid*. Præstantissimum erat Babylonicum *ibid*. Utrum nectar idem sit ac *vinum medicatum*, *vinum myrrhatum*, *vinum turis*, *ibid*.

Negligentia, etiam in rebus minimis, perniciosa, 336.

Nehemias. Hunc commendat Scriptura, ob mœnia Jerosolymæ restituta 470.

Nemrim, urbs Moabitidis, ad Mare Mortuum, Segori septemtrionalis 603. Eadem ac *Nemra*, seu *Beth Nemra*, *ibid*.

Nemrod, vulgo Idololatriæ inventor habetur 181.

Nephthalis, Tribus quæ inter primas Evangelium excepit, Judaicarumque traditionum jugum abjecit 572.

Nilus, Ægypti amnis, Ægyptum fœcundam alluvionibus facit 615. *Oceanus* ab Ægyptiis dicitur deo. Nili aquas Moyses in sanguinem vertit 172.

Ninive, celebris Assyriorum urbs 504.

Ninus, Beli filius, imperii Assyriorum conditor 122, 504. Quamdiu regnaverit *ibid*. Huic succedit Semiramis uxor *ibid*. Idololatriæ author esse nequit 122.

Ninus junior, Assyriorum & Ninives Rex, idem ac Theglathphalassar 505.

Nobe, Urbs Sacerdotalis, Jerosolymæ vicina 583.

Noe. Elogium Noemi apud scripturam 458. Fœdus cum Noe sancit Deus, illique futurum pollicetur, ut communi diluvio in posterum homines non pereant *ibid*. Primus navigationis inventor est 183.

Nomen viri super fœminam invocatum, significat fœminam in uxorem ductam 63, 75.

Nomina inanium Deorum Hebræi efferre verentur 187.

Noph, seu Memphis, vetus ac celeberrima Ægypti urbs 616.

Nothi, a Sacris Ecclesiæ Ordinibus exclusi 147. Hos etiam Profani a mysteriis arcebant, *ibid*.

Nox, significat res adversas, calamitates 572.

Nuditas, in picturis & simulacris, quam noxia menti & animo sit 189.

Numerus. Dies numeri, homines numeri, sunt pauci dies, pauci homines, &c. 326.

Nuptiæ apud Hebræos saltem septem diebus producebantur 59, 66, 67. Quàm modestè, & cautè Sponsus per eos dies Sponsam inviseret 59, 80, 81. Nuptiarum solemnitas apud Romanos 92.

O

OBductum, pro rebus asperis 369.

Obedientia, victimis præstantior 13.

Oblivio injuriarum, ab Ecclesiastico impetratur 305. Apud ipsos Ethnicos plurimi habita *ibid*.

Obsequium senibus debitum 307. Obsequium filiorum erga parentes 358, 359.

Ochim. Quid hæc vox significet, ignoratur 593. Juncos forcessa, & arundines designat 594.

Oculi pro animæ desideriis 48.

Oculi sponsæ describuntur 75, 83.

Oculus nequam pro invido, avaro, livido 308.

Odacon, sive *Oannes* profanum numen 715.

Oded Propheta impetrat libertatem Captivis, quos Phacee, Rex Israelis superato Achazo Rege Juda deduxerant 563.

Officium in conviviis servandum 301, 301, 306, 430.

Og, idem atque Cambyses, sive Holofernes 944. Leviathani nomine designatur *ibid*. Sævus ac violentus Princeps *ibid*.

Omanus, nomen apud Persas 720.

On, Ægypti urbs, inter Nilum, & Erythræum 618. Utrum eadem sit Heliopolis *ibid*.

Onias, Oniæ tertii Pontificis Judæorum filius, in Ægyptum secedit, ibique templum Deo condit 617. 618.

Onion, Urbs Ægypti, ad Nilum sita 618, itemque Templum ejus nominis, quod non unicum erat in Ægypto Judæis *ibid*.

Onocentaurus, fabulosa bellua, ex homine & asino 678.

Onyx, sive unguis odoratus, piscis testa purpuræ similis 368.

Opera. Operum bonitas propria voluntate vitiatur 757.

Opera Dei curiosius vestiganda non sunt 261. Contentus esto iis quæ ipse docuit *ibid*. Opera Dei incomprehensibilia 331.

Opus pro mercede 722, 771.

Oracula, plerumque in montium specubus collocata 714. Diis quibusdam adscripta 487. Diaboli, seu Sacerdotum fraudes erant 187, 714.

Oratio Solem prævertere debet 305.

Oratio Salomonis, sapientiam postulantis 266.

Oratio assidua esse debet 334. Qua ratione parandus sit ad orationem animus *ibid*. Oratio adversùs superbiam, malum Linguæ usum, gulam, impudicitiam 354, 355. Quo sensu dicat Ecclesiasticus, iterandum non esse in oratione 281. Confusio orationis nostræ vitia *ibid*.

Oratio ante & post convivium 306, 308. Oratio pauperis ad Deum usque fertur 338. Oratio Authoris Ecclesiastici ob gentis suæ calamitates 410. &c.

Oriens pro Zorobabele 550.

Orientales stigmata, & characteres aliquot corporis parti inurunt 727.

Origenes injuria fortasse damnatus, quòd nimis Allegorias secutus sit, Regulæ, quas ille hac de re tradit 492. Origenis opinio de salute Dæmonum, ac damnatorum 637, ab Ecclesia proscripta, & Scripturæ contraria *ibid*. Scripturæ locus qui Origeni persuasit plures fuisse mundos antequam hic quam occupamus existeret 7.

Origo Sapientiæ 356, ex Deo nascitur 161. Qui sapientiam amat, Deum amat 356.

Origo Idololatriæ. Varii hujus criminis fontes 118, &c. 140, 185, 186.

Orix, ferus Bos, sævusque, de quo Veteres 735. Inter fabulosa proscriptus *ibid*.

Ornamenta Pontificis Judæorum 454. Mulierum apud veteres ab Isaia descripta 536.

Oronaim, Urbs Moabitica prope Segor 602.

Osculari manum, officium servorum 382.

Osculum. Vide *Mortui*.

Osiris, Ægypti Rex, idem ac Apis, Medicinæ author habitus 223. Diu ante Moysen floruit, ab Ægyptiis divinis honoribus cultus 223.

Ostracine. Ægypti urbs, prope Rhinocoruram 618.

Ozias, Pietatis, & Regni prosperitate commendatus 534. Qua ratione concilientur ea, quæ ab Isaia narrantur de calamitatibus & flagitiis Juda, eo regnante *ibid*. Duos & quinquaginta in regno annos egit 533.

P

PAgani. Cum Hebræis consentiunt de animæ immortalitate 336. Quàm errant, dum astra, elementa, cæterasque res creatas colunt 180. Variæ Ethnicorum Philosophorum sententiæ de origine Idololatriæ 118, 121.

Palæstina Vitrorum usu ad fenestras caret 78.

Palathus, aridorum ficuum massa 368.

Palma. Palmæ maris & fœminæ descriptio 93. Fœmina nihil fert, nisi prope marem sata *ibid*.

Panaretos, Græcè omnium virtutum collectio, seu liber præcepta serens ob quodlibet virtutum genus 107, 207. Hoc nomine veteres librum Sapientiæ nuncupavere 107. *Panaretos Jesu Filii Sirach* est Liber Ecclesiastici 207.

Panis pro frumento 50, quolibet ciborum & obsoniorum genere 304. Judæi panem frangunt, non secant 759; quam etiam morem servant Orientales *ibid*.

Panis Cœli, manna 224. 206.

Panis oculi nequam, panis avari 315.

Panis lapidosus, donum illiberali animo datum 333.

Panag, apud Ezechielem, balsamum 362.

Pannus caprarum villis 85.

Parabola pro carmina lugubri, Poeticis tropis & verbis exarato 506.

Parabola. Parabolarum amor & studium apud veteres Hebræos, Persas, &c. 425, &c. Quantopere a priscis amarentur 278. Pro moralibus, ac sententiosis orationibus 425.

Paradisus ab Judæis agnitus, & Hortus Eden nuncupatus 222. Hortus fructiferarum arborum Paradisus dicebatur 11.

Paranymphi, apud Hebræos 67. Quæ horum officia *ibid*. Nuptiali convivio præerant *ibid*. 8 Sacerdotum numero, juxta veterum traditionem, eligebantur *ibid*.

Parentes, quid in filiorum institutione sequi debeant 386. Apud veteres, Numinum propitiorum loco habiti 260. Quantopere filiorum institutioni studere debeant 284, 310. Parentum benedictio in filios bona omnia in illos provocat 259, 260; & imprecationes calamitatum origo sunt 260. Licebat olim parentibus filios vendere, atque in servitutem dare 259.

Parthenos Græcè frequenter pro puella etiam nupta usurpatur 517.

Partus humanus. Variæ hac de re sententiæ 157, 338.

Parvuli. Erga parvulos ultèr misericordia Dei 334.

Passio Jesu Christi 739. Passionis Jesu Christi dies ea est, qua ipse cum Ecclesia fœdus iniit 83.

Pastor pro Rege, Principe, &c. 710.

Pathures, seu *Patros*, Nomus Ægypti in Thebaide, idem ac Phethros 585.

Patientia Domini erga peccantes, quàm periculosè negligatur 270.

Pater filium in Altari consecrans, Idololatriæ origo 185.

Patres familias quid erga uxorem, filios, servos agere debeant 301. Filios vendere, & creditoribus pro ære alieno dare poterant 280. Hic mos aliquandiù etiam inter Christianos obtinuit *ibid*.

Patres Ecclesiæ. Privatæ aliquorum sententiæ ab omnium consensu secernendæ sunt; hic enim traditionem constantem

facit,

facit, atque inviolabilem illorum authoritatem 401. Petrum Methodus adversus Paganos & Judæos disputantium.

Patriarcha. Elogium quo Scriptura Patriarchas prosequitur 449, &c. Christi Domini appellantur 710. Horum nomina in gemmis quibus constabat Pontificis Rationale sculpta erant 201.

Paulina. Matrona Romana a Decio decepta sub Anubidis imagine 187.

Pauper, gloriam suam in Dei timore habet 309. Sapientia pauperem gloriosum facit illumque inter proceres collocat 300. Pauperis & locupletis comparatio 310. Is divitum societatem fugiat *ibid.* &c. Pauper contemnitus 313. Pauperis oratio ad Deum fertur 346. Eleemosyna in sinu pauperis efficax est apud Deum oratio 383. Qui pauperi illudit, ipsi Deo illudit 281. Quæ superflua locupletibus sunt, pauperibus debentur 264. Qui necessarias illi res dare negat, necis illius reus fit *ibid.* Pauperem contemptu & irrisione ne provocaveris 264. Pauperis imprecationes clamoresque audit Deus 265. Qui paupere orante aures claudit, clamabit ipse, nec audietus *ibid.* Pauper superbus odio est 367.

Paupertas frequenter in flagitia trahit 374.

Pax omnia bonorum genera significat 436.

Pax pro felici piorum statu in altera vita 145, 146, 149.

Peccata interdum usurpatus, pro, luere peccati pœnas 635, 781.

Peccator. Nullus illi locus excusationi ex Deo est 319. Resipiscendi tempus impio dat Deus *ibid.* 332. Infinita erga peccantem Dei misericordia 330, &c. Error ac tenebræ una cum impio creatæ, quid hoc sit 308. Utrum majora ex Adamo mala referant *ibid.* Dei gratia abutuntur 303. Dei laus in ore impii minimè speciosa 310. Impii opibus ne invideto 302, 303. Quo sensu doceat Scriptor sacer, opem non esse ferendam impio 307.

Peccatum. Peccati descriptio, & eorum quæ a peccato oriuntur 345, 346. Peccatum pœnitentia non abolitum, in alterum peccatum trahit 262, 263. Dimissum jam peccatum adhuc metuendum est 270. Peccati author esse nequit Deus 319, sed permittit *ibid.* Neminem in iis angustiis collocat, ut peccare necesse sit 321. Peccata eleemosynis redempta 263.

Peccatum pro pœna peccati, ægritudine, morbo, &c. 760.

Peccatum originis luculentissime traditum 268. Peccatum si auferas, nihil in mundo inane est 4. Qui in uno peccat, multa bona perdit 44. Id quo sensu intelligendum sit *ibid.*

Peccatum ignorantiæ pro quolibet peccato in fratres 378, 379.

Pecus. Pecudes a multis cultæ Numinum loco 191, 716; præsertim apud Ægyptios, interdum etiam apud Hebræos 174, 540, 541.

Pecus solicitè curandum 884.

Peregrinatio quàm utilis 405, &c.

Periculum qui amat, in illo peribit 282.

Perjurium apud Ethnicos frequens 187, 188. Unus Deus punire perjurium potest *ibid.*

Persæ, nulla Templa nullasque aras habebant 716. Quæ Persarum Numina *ibid.* Illorum Imperii historia, a Cyro illius conditore 509, &c.

Persecutiones Ecclesiæ, per æstus meridianos significatæ 73.

Personæ SS. Trinitatis. Primæ & secundæ Personarum distinctio luculenter expressa 477.

Pervigilia flagitiosissima, quæ ab Ethnicis celebrabantur antequam mysteriis initiarentur 187.

Petigil, Hebraicè, cinguli genus pretiosissimum, quo in rebus prosperis utebantur 549.

Petra, Arabiæ Petrææ Metropolis 701.

Phacee, Filius Romeliæ, Rex Israelis, Hierosolymam obsidet cum Rasin, & copias reducere cogitur 562. In Regnum Juda cum Syris secundo ingrediens, bellum cum Achaz committit, & victor est 563. Samariam redit cum ingenti captivorum numero, quos, hortante Oded Propheta, liberos mittit *ibid.* Clades, quam Theglatphalassar Samariæ infert 565. Pleræque ejus Tribus trans Euphratem missæ *ibid.* Ab Osee successore suo interficitur *ibid.*

Phantasmata natura Sapienti nota 163.

Pharao, ad verbum Crocodilum significat, ex quorumdam sententia 713.

Pharisæi Metempsychosin docebant 833.

Pharpharot, Hebraice Talpæ 541.

Phasga, Mons Regionis Amorrhæorum 602.

Phasis. Celebris in Colchide amnis 364.

Phaturites, Vide *Phetros*.

Phetros, Nomus Ægypti alio nomine *Pathures*, seu *Patros*, Pilain *Phaturites* in Thebaide 583.

Phetrusim, Populi Phetros 583.

Philadelphia eadem ac *Rabbath Ammon* Regia Ammonitarum, Heseboni proxima ad Septentrionem 90.

Phile Regio Thebaidis, in finibus Æthiopiæ centum a Siene stadiis 704.

Philistæi, *Belzebub* Deum muscam colebant 170.

Philo Judæus, primo Ecclesiæ sæculo florebat 110, 113. Plura scripsit. Scripturæ locos omnes per allegoriam explicat *ibid.* Utrum Christianus, & S. Petri amicus fuerit *ibid.* Elogia quibus illum Veteres prosequuntur *ibid.* Sunt qui illum libri Sapientiæ authorem faciant 110, 113, &c. Hujus sententiæ fundamenta 113, 114, &c. cui tamen obstat Judaicæ religionis professio 116. Illius sententiæ & axiomata ipsi tantum communia cum Authore Sapientiæ non sunt 112; interdum etiam ab eo discrepat *ibid.* Alia argumenta quæ illum Sapientiæ authorem non esse docent 116. Utrùm tres fuerint Scriptores, Philonis nomine distincti 113. Primus allegoriarum author penès Judæos non est Philo 493. Quid de Metempsychosi senserit 835. Animam sentientem a rationali distinguit 126.

Philopator, Ægypti Rex, Antiochum magnum superat 472. Jerosolymam venit, Templum invisurus, Deoque gratias acturus *ibid.* Illum ab ingressu Sanctuarii prohibet Simon Pontifex *ibid.* 474, 475.

Philosophi Ethnicorum humilitatem ignoravere 262.

Phinees, Eleazari filius & Successor in Pontificatu 437.

Phison, idem ac Phasis, amnis in Colchide 364.

Phoreion Græcè, cursus, lectica, sella gestatoria 83.

Phoroneus, seu Merops, primus, ex Arnobio, qui Templa in Ægypto dedicaverit 883. Abrahami ætate floruit *ibid.*

Phryges. Utrum Idololatria apud Phryges cœperit 183.

Phud, seu *Phut*, Africæ Regio in Mauritania. Amnis ejusdem nominis apud eas gentes 794.

Phul, Rex Ninive, regnante apud Israelitas Manahem 505. Utrum Sardanapali pater, an ipse sit Sardanapalus *ibid.*

Physcon, cognomen Ptolemæi VII Regis Ægypti, alio etiam nomine *Evergeta* 450.

Pictor nullus in Trojana obsidione 189.

Pictura fallax ars 180. Picturam in tabulis propriè non proscribit Moyses. Utrum illius ætate in usu fuerit dubitatus *ibid.* Olim pictura lineis tantum constabat, nulla colorum varietate *ibid.* Hæc ars apud Sycionios, vel Corinthios inventa *ibid.*

Pietas. Absque pietate, homo frustra laborat 301.

Pila seu *Bulla*, quam Romani adversus fascinationem e filo suum collo suspendebant. Ingenui Bulla aurea seu argentea, cæteri coriacea distinguebantur 547.

Pisces anguium nomine apud Hebræos significati 644.

Plagæ Ægypti 191, &c. 195. &c. Utrum quarundam ex his narratio, quam author Sapientiæ prosequitur, Mosaicæ narrationi repugnet 149. Plaga Domini, mala, a Deo immissa, mala ingentia 740.

Plato, Probum virum ærumnis affectum describit 144. Quantopere ejus dogmata veteres Græci, ipsique etiam Hebræi suspicerent 117.

Poderis, Pallium Pontificis Judæorum lineum colore Hyacinthino describitur 201. Mysticæ imagines, quæ Poderem & cætera ornamenta distinguebant 201, 203. Utrum ea voce significentur universè Pontificis pallium, tunica, Ephod & Rationale *ibid.*

Pœna Inferorum ex Hebræis 138.

Pœna impiorum in altera vita 158.

Pœnitentia necessitas 157.

Pœnitentes. Pœnitentiæ tempus illis largitur Deus 329. Pœnitentium lacrymæ suaviores sunt, quàm omnes hujus vitæ voluptates 90.

Politica. Politicæ artis arcana pervadit Sapiens 164.

Polygamia, apud Hebræos tolerata 371. Dissidiorum origo *ibid.* &c.

Porphyrius, profanus Philosophus, novum idololatriæ commentum excogitat, quo profanæ Religionis absurda tegebantur 119.

Portæ Inferi pro portis mortis vel sepulcri 593, 686.

Portis faciei 391.

Potentia Dei, infinita in res creatas 193, 445, &c.

Potentia hominis, frequenter iniquitatis ipsius origo 178.

Potentes potenter cruciabuntur 153.

Potentes hominum, obsequia habendi sunt 48, 50.

Præcepta Domini, sapiens integra fide servat. Felices qui illis obtemperant 37.

Præcones Evangelici, quibus animi ornamentis clarere debeant 86.

Præexistentia animarum 123, &c.

Præparatio, ante orationem necessaria 334.

Præparare usurpatur pro confirmare 256. Animam parare ad tentationem, est, firmum adversus tentationes se efficere *ibid.* 258.

Preces ceu vivæ mulieres exhibentur 265.

Primitiæ frugum ad Templum delatæ solemni pompa, & Sacerdotibus exhibitæ, additis quibusdam precandi formulis 795.

Principes orationis sapientia, respondendi prudentia, & Legum æquitate clarere debent 201. Divinæ potestatis depositum penès se habeant *ibid.* Bonus Princeps, optimum Dei donum 204. Boni Principis laudes 293. Nihil gloriosius Principe impune læso 295. Principum superborum sedes evertit Deus 207.

Principes Sodomorum, Principes Juda 535. Prodigia a Moyse patrata, Ægyptios terrent, & Ioannem Magorum sapientiam confundit 106, 197.

Promissio infidelis & infensa æquè Deo odiosa 24.

Propheta. Propriè is est qui futura prædicit, & universè homo Deo afflatus, & Dei nomine loquens 481.

Prophetæ. Horum familiæ vivæ quodammodo erant vaticinia, itemque eorum gesta 571, 620, 621. Videntes ab Hebræis & Profanis nuncupabantur 481. Plerumque Homines Dei, interdum Angeli Domini dicebantur *ibid.* Variæ rationes, quibus sese Deus illis exhibebat 481. communior tamen erat inspiratio *ibid.* Triplex Prophetarum genus; Novæ legis Prophetæ secundum post Apostolos locum occupant; Hi verò librorum Canonicorum Scriptores sunt *ibid.* Prophetarum successio apud Hebræos 482, 483, nunquam intermissa usque ad captivitatem. Eorum nomina atque ætas qua floruerunt. Tres & septuaginta

Prophetas, & Decem Prophetides recenset S. Epiphanius 483. In Prophetarum censu collocantur Hebræi plerosque Judices qui in genta clasierunt ibid. Ingens Prophetarum Authoritas penes Judæos 484. Vita inops & laboriosa atque ab hominum consuetudine segregata ibid. Communem cum discipulis vitam agebant. Non omnes æquè continentiam sectati sunt. Legem explanabant sese consulentibus. Ac te divinæ legis studium, quo æstuebant, ingentia illis discrimine creabat 485, 488. Plures violente morte sublati sunt 485. Natura opus erat ad id munus apta, si Rabbinis credimus ibid. Prophetarum studia, & munera 486. Non semper afflabantur 486, 489. Furor, quo ipsi agebantur alius erat, quam quo Prophetarum vates insaniebant 486. Sui compotes nunquam non erant, & optimè norant quæ vaticinabantur 486, 489. Vaticinia sua scripto tradebant, legebantque interdum publicè 487, edicto anni, & diei nota ibid. Sinceritatis & veritatis indicia, quæ in Prophetis micant ibid. 485. Orationis illorum sublimitas ac dignitas humanam industriam penitus omnem superant ibid. Minimè parata dictabant, linguam movente Spiritu Sancto ibid. Pius illorum ardor in Pseudo Prophetas, qui oracula sua scripto tradere nunquam ausi sunt ibid. Quàm necessarii Judæis essent Prophetæ 488. Quibus indiciis noscerentur deceptores ibid. Cur nostra ætate Judei per quàm raro seu nunquam Prophetas legant 490. Prophetæ interdum aliorum Prophetarum verba recitant 487. Frequenter Hyperboles amant 515. Frequenter a Prophetis fieri dicuntur ea, quæ facienda nunciantur 560. Adam inter Prophetas a quibusdam numeratur 483. Prophetarum cœtus, quorum caput, & supremus moderator Elias 465. Elogium quo Scripturæ Prophetas prosequitur 467. &c. Jacobi Robur & gloria, populique salus fuere 470. Ea frequenter, iis tribuit Scriptura, quæ ab illis prædicuntur 465. Profanum vatem S. Paulus Prophetam nominat 481.

Propheta apud Profanos erant fanorum Sacerdotes ibid. Quanti facerent Prophetas Rabbini ibid. 482.

Prophetiæ certissimum veræ Religionis argumentum 486, 486, ab ipso mundi exordio esse cœpit 482. Ante Moysen, verbo tenus solummodo erat ibid. vera Prophetiæ vis nonnisi a Deo esse potest 486. Quæ veræ Prophetiæ indicia 486, 487. Veritatis notæ, quibus veteris testamenti vaticinia distinguuntur 488. Omnino expleta esse, ipsi Christianorum hostes infensissimi fatentur 487. Eorum veritatis argumenta 488. Quibus notis vere Prophetia e ficte distinguetur 488, 489. Perspicuitas & obscurities Prophetiarum 489. Varius earum sensus 489, 491, 492. Primum vaticiniorum argumentum est Christus Jesus, ad quem aliqua directè, aliqua ex obliquo referuntur 489, &c. Prophetarum oracula legere verentur Nostræ ætatis Judæi 490. Quam periculose res sit unicum in Prophetarum oraculis sensum agnoscere 490, 491. Oracula quæ ad Christum spectant non semper duplicem sensum admittunt 491, 492. Argumenta, quibus usi sunt Patres, ut Prophetarum veritatem Ethnicis probent 493, &c. Argumenta quæ in Judæos intorquent 494. Prophetiæ donum ex ipsa hominis natura, studiis, aliisque exterioribus causis pendere docent Rabbini 485. Quæ obesse putantur Prophetiæ ibid. Hæc neque animi intentionem neque studium excludit 485, 486. Vitæ, morumque sanctitatem & preces exigit ibid. Patrum Methodus in explicandis Prophetis 493, &c. Hujusmodi Oraculorum explicatio magnoperè pendet ab Historia gentium, quibus cum Hebræi consuetudinem habuerunt 503.

Prophetia Christum & Ecclesiam spectantes 538, 550. 575, 735, &c. 736, &c. 739, &c. 743, &c. Prophetiæ ad Messiam spectantes 584, &c. 603, &c. 800, &c. Prophetia ad Christi Prædicationem in Galilæa pertinentes 572, &c. Prophetiæ in Jerosolymam 542, &c. 626, &c. Quo tempore expleta sit harum fides 542. Prædictio Judææ per Chaldæos vastandæ 634. Prophetia de Jerosolymæ obsidione sub Regibus Syriæ & Israelis 562. Præcedente posterior septem & decem annis 561. Prophetia in Moab, 601, &c. In Damascum 607, &c. In Babylonem, Regionem Cædar, & Arabiam 589, &c. 612, &c. In Ægyptum 613, &c. quæ ad primum Achazi annum pertinet 614. In Æthiopes 609, &c. In Tyrum 620, &c. In Judæos Ægyptiorum opem implorantes, 638, &c. In Sennacheribum, ejusque exercitum 663, &c. 670, &c. Idumæam 675, &c. Quo tempore impleta fuerit ibid.

Prophetia, quæ neque ad dogmata, neque ad Religionis fundamenta pertinent 491. Prophetia de Supremo Judicio 632, &c.

Prophetia Isaiæ pleræque Christum directè spectant 533. Quo tempore Isaias id munus inceperit ibid. 557, 558. Ad Ezechiem usque producuntur 533. Utrum inscriptio Libri Isaiæ ex ipso Isaia sit, an ex Esdra ibid. Qua ratione concilientur ea quæ Isaias de turbis Juda narrat, regnantibus Osia & Joathano, cum iis quæ de horum Principum pietate ac felicitate tradit Scriptura 531.

Prophetare, futura prædicere, præterita narrare, vel remotissime 481, interdum etiam significat malo spiritu violenter agi, canere, choreas agere, instrumenta pulsare, explanare scripturas, verba facere in Ecclesia, interdum etiam prodigia patrare ibid.

Proscripti igni & aqua interdicuntur 320.

Prosperitas. Quid agendum in rebus prosperis sit 334. Impiorum prosperitatem ne optaveris 33, 39, 43, 392, 303. Lucis nomine significatur 572.

Prostitutio pars Ethnicæ Religionis erat 287, & in ipsis interdum templis exercebatur ibid.

Providentia Dei in omnes homines porrecta 154, &c. Quàm perniciosum sit negare esse Dei providentiam 24. Omnia cursis suis illa complectitur 323. Impiorum objectiones in Providentiam 324.

Psammiticus Ægypti Rex, quatuor & quinquaginta annis regnavit 613. Qua arte Imperium adeptus 613.

Psylli, Africæ Populi, artis incantandi angues periti 308. Quæ horum præstantia esset 300.

Puella nomine *Alma* apud Hebræos nuncupatæ 63, 441, 519, 520. Hæredes esse non poterant apud Hebræos, si fratres haberent 630. Abscondita in parentum domo vivebant, unde illis nomen *Alma* 441.

Ptolemæus Philopator Ægypti Rex, Hebræos damnat, ut pedibus Elephantum conterantur 209.

Ptolemæus III, & *Ptolemæus* VII Ægypti Reges cognomento Evergetæ. Postremo additum est nomen Physconi 230. Quandiu regnaverit, literas amat ibid.

Ptolemæus Lagi filius ingentem Judæorum numerum in Ægyptum ducit 617.

Purgatorium ex Hebræis. Hi Purgatorium censent idem esse ac Infernum, magno tamen discrimine inter utriusque loci incolas 131. Fabulæ quas hac de re narrant 135, 136. Eum qui præcipua fidei suæ capita, a Rabbinis indicata servaverit, diuturnius unico anno in Purgatorio supplicium non subire 222.

Pyræthya Templi genus apud Persas, ubi æternus ignis nutritur 720.

Q

QUadriga Aminadab, Proverbii loco usurpata pro Quadrigis velocissimis 97.

Quærere sapientiam absolutæ prudentiæ est 511.

Quærere pro invenire 439.

R

RAbbah, seu *Rabbath Ammon* alio nomine Philadelphia, Ammonitarum Regia, Heseboni Septentrionalis & vicina 99.

Rabbath Moab, aliter Areopolis Metropolis Ammonitarum, ad torrentem Arnon 601. Dicta etiam *Carer Moba* a Profanis, eadem ac *Kir*, vel *Kirhareseth*, seu *Keriatbares*, vel *Karior*, seu *Kariath-Moab*, ibid.

Rabbini, quid de inferis doceant 132. Cùm Metempsychosim tueantur, ajunt fieri posse, ut unicus homo duas, vel tres animas habeat 138.

Rabsaces, Sennacheribi Præfectus, ad Ezechiam mittitur. Arroganti oratione ministros Ezechiæ alloquitur 682, &c.

Rahab, interdum Ægyptum significat 659, præsertim verò Inferiorem 733.

Rakiah, Hebræa vox, quæ *firmamentum*, significat. Metalli laminam malleo ductam 241.

Rama Judææ Urbs quindecim passuum millibus a Jerosolyma, Nomen pluribus Judææ urbibus commune 583.

Raphaim, Veteres Palæstinæ Gigantas 608. Medicos etiam significare potest 632. Vallis hujus nominis Jerosolymæ Meridionalis 608.

Rasin, Syriæ Rex. Jerosolymam obsidet, eum Israelis Rege, cupiens reducere cogitur 562, &c. A Theglathphelassaro interficitur, ejusque populus in Regionem Kir transfertur 565.

Rationale seu *Pectorale*, Pannus quadratus erat ex auro, hyacintho, purpura textus, insertis duodecim gemmis, nomina duodecim tribuum insculpta ferentibus 403, 445.

Recordatio supremæ diei quàm utilis 334, 378.

Reditus, Judæorum e captivitate Babylonica 562, 585, 640, &c. 544, &c. 690, &c. 705, &c. 712, &c. 735, &c. 743, &c. 755.

Reges præsertim alloquitur Author Sapientiæ 114. Necessaria est Regibus sapientia 154, 156. Judicium in Reges a Deo exercendum 154. Sapientiæ ope Regnum optimè administrant, veram gloriam sibi comparant, & nomen illustre adipiscuntur 164. Regem esse decet optimum Principem, bonumque militem ibid. Similis Angelo Dei esse in populo debet 169. Populus ita haberi a Rege debet, ceu Dei filii 167. Sapiens Rex populi præsidium est 157. Quàm caute de Regibus loquendum 49, 50. Fidem Regibus jurabant Populi 37.

Reges Hebræorum Agricultura & rei familiaris administratione occupabantur 51.

Reges Orientis tentoria habent splendidissimis Occidentalium ædibus nihilo inferiora 75.

Reges ab Hebræis appellantur ii, qui supremis dignitatibus ornantur 171. Justos exhibet Scriptura, ceu totidem in Cœlo Reges 558.

Reges, filii Deorum, Pastores, & Jovis alumni dicebantur 210.

Reges Assyriorum. In hos minæ Isaiæ 570.

Reges Ægyptiorum. Horum Regum historia 613.

Reges Juda & Israelis, liberos nutriendos dabant nobilissimi Regni proceribus 728.

Reges Persarum, Divinos sibi honores arrogabant 507.

Reges convivarum vel sorte vel convivarum electione creari 305.

Regnum Judâ, ab exercitibus Syriæ & Israelis, regnantibus Achaz & Ezechia vastatum 534, &c. Hoc Regnum invasere, sub Joathano, Ammonitæ, Moabitæ, &c. ibid. Quid de hujus Regni turbis, sub Osia, & Joathano, narret Propheta ibid. &c. Supremorum illius Regum inertia & Religionis contemptus, quodlibet malorum genus subiit 543, Præsertim verò sub Manassa 627, &c. Dei animadversio in Regnum Juda 618. Futura illius felicitas sub Ezechia prædicitur 538, 539. Ezechias Regnum liberat tributo, quod Assyriis pendebatur a Teglathphalassa-

Jessaei ætate, & Idololatriæ, & impietate 537. Jus, quod Ninivitarum, & Babyloniorum Reges in id Regnum usurpaverunt 460. qua re niteretur ibid. A Chaldæis vastatum 434. 435.

Regnum decem Tribuum, penitus in idololatriam mersum præsertim sub postremis Regibus 539. Hujus excidium prædicit Isaias 553. 568. 570. 576. A Salmanassaro eversum, sexto Ezechiæ anno 589. Populum omnem trans Euphratem mittit Salmanasar 576.

Regnum Damasci, evertendum prædicitur 563. 569. Fides Oraculo stat 564. 565.

Religio. Sanctissima Religionis dogmata impiorum animos non movent 190. Hebræis fermè unis Vera Religionis depositum, ante Christum, creditum est 254.

Religio. Qui vetus illius cultus sit 335. 336.

Rephaim, gigantes in Inferis clausi 597.

Reprehensio, Quid jungendum cum reprehensione sit, ut utilis sit reprehensio 30. Sapientis objurgatio magis amanda est, quàm insani adulatio ibid.

Respiciens Principibus opus est, ubi illi Religionem, veritatem æquitatemque aggrediantur, 268. Qua ratione id præstandum sit ibid.

Respectus pro præmio & resurrectione 146.

Resurrectio. Locus probans Resurrectionis fidem penès veteres Hebræos 459.

Retrogradatio solis sub Ezechia 686.

Risus immodicus, insaniæ indicium 30. 348. Risum stulti describit Salomon 30. Risum sapientem non decet ibid.

Risus pro nimia lenitate, quæ aliorum peccata dissimulantur 30.

Rizphah Hebraicè est calculus candens 560.

Roboam: Salomonis Filius, & successor 463. Ab ipso illius exordio, decem Tribus ab eo desciscentes Jeroboamo obtemperaverunt 463. 464.

Rosa Jericho: Describitur 362.

Rosch Hebraicè caput 369.

Ruth Moabitis, qua loco orta 604.

S

S*Aba*, Regio Arabiæ felicis, opibus & thure celebris 703. 707.

Sabacon, Æthiopum Rex, Ægyptum invadit, ibique quinquaginta annis regnat 613.

Sabæi, homines totius Arabiæ præstantissimi corporis proceritate & forma 714.

Sabama, urbs, Hesebon vicina, vineis nobilissima 605.

Sabbatum. Qua Religione servandum 750. 761.

Sabbatum pro quibuslibet Hebræorum festis 749. 760. Sabbato Judæi, neque sponsalia, neque connubia celebrant 66.

Sacci sunt vestes asperæ, crassæ, lugubres 602. Romanis Saga ibid.

Sacerdotes quo obsequio colendi 285. Destituendi non sunt ibid. Unicus Sacerdotum census apud Hebræos erant decimæ & populi oblationes 456. Quæ pars Sacrificiorum, & mercium Sacerdotibus deberetur 285. 456. De votorum Religione sententiam ferebant 85. Nomine Angelorum Domini designantur ibid.

Sacerdotium novæ Legis, instituitur 789. 791.

Sacramenta Novæ legis validè ab Hæreticis conferuntur 404. Locus quo adversarii abutebantur 404. 407.

Sacrificia legis veteris, Deus permittebat potius quàm Hebræis imperaret 535. Deo odiosa si interioribus animi ornamentis carerent ibid. Inutilia Judæorum Sacrificia 789. &c. victimæ in Templo Jerosolymitano e Peregrinis mactata post cædem Sennacheribi 538.

Sacrificia, qua animi præparatione offerenda sint 85.

Sacrificia ex humanis victimis in Chananæitide communia 276. 187.

Sacrificia Nocturna, Cereri, Cybeli, Proserpinæ 187.

Sacrificia. Jubet Lex, pauperes ad Sacrificiorum convivia vocari 286. Quibus animi præparationibus opus sit ad Sacrificia 408. Jungenda sacrificiis Eleemosyna & opera Misericordiæ 286. Victimarum cruor ad basim, & vicum fundebatur in ignem quo adeps cremabatur 474.

Sacrificia pacifica. In his Sacrificiis delectissima tantum victimæ partes offerebantur 461. Offerri a quolibet Sacerdote poterant 473. Quò offerrentur ibid. &c.

Sacrificium pro peccata quo ritu fieret 472.

Sadai, unum ex Dei nominibus, derivatum e radice quæ sonat vastare, destruere, &c. 581.

Sadda, & *Saddoth*, varia horum nominum significationes 12.

Sadmoth, Hebraicè agri culti 605.

Saducæi animam ratione præditam existere non negabant, sed esse immortalem 157.

Sagitta Domini, fulmina 153. 244.

Sagum, lugubris vestis apud Romanos 602.

Salisa, forte loci nomen 602.

Salmanasar, Assyriorum Rex, Theglathphelassari successor 576. Samariam obsidet & capit, eversoque Israelis Regno, populum trans Euphratem mittit ibid.

Salomon. Felix Salomonis ortus, optimum corporis temperamentum, sanctissima institutio 165. Ecclesiasten sese nuncupat, quæ vox significat eum qui congregat, ad populum concionatur 4. Facundiam a Deo accipit 160. Quàm latè porrigeretur Salomonis scientia ibid. Authoritas, quam Sapientiæ fama illi conciliavit 164. Salomonis oratio, ut Sapientiam impetraret 166. &c. Facundia & fama 164. Rex in seneclem creatus, sapientiam solummodo a Deo postulat 158. 159. Vera sapientia aliquandiu caruit, 162. Illius studium atque amor erga sapientiam ibid. Naturæ opera scrutatur, quæque a se vestigari queunt, minimè negligit 7. 9. Rerum creatarum inanitatem, vicissitudines, inconstantiam describit 4. 5. 7. 9. Ipsas hominum scientias meram inanitatem, atque animi labores esse, unamque pietatem plurimi faciendam fatetur 7. &c. Verum bonum vitæque suavitatem in sensuum voluptatibus quærit 10. Regni sui gloriam, immensas sui ipsius opes, ædium suarum magnificentiam, servorum numerum, quæsitasque voluptates describit 10. 11. &c. At hæc demum inania & mendacia esse fatetur 13. Animum ad sapientiam convertit ibid. Sapientiæ ope, industriam, rei familiaris curam, laborem, &c. intelligit, quibus bona comparantur 14. 15. &c. Hoc etiam studium inane atque inutile experitur ibid. Duas ob causas tranquillum bonorum hujus vitæ usum huic sapientiæ præfert, mortem scilicet, quæ sapientem ac laboriosum hominem æquè ac insanum inertemque rapit; atque ambiguitatem, utrum dignus hæres consecuturus sit 13. 14. Impios denique monet futurum, ut coram Judice Deo omnium vitæ errorum, quæsitarumque voluptatum rationem reddant 17. Dei timorem hominibus suadet 51. 57. ejusque præceptorum observationem 57. Divinumque Judicium illis minitatur ibid. Utrum nullum esse putaverit inter hominum ac bestiarum animas discrimen 19. Utrùm de animæ immortalitate dubitaverit 19. 55. Quid de Salomonis forma tradat Scriptura 75. Utrum ullos e Pharaonis filia liberos procreaverit ibid. Amplissimus Salomonis census, 88. Thalamus Salomonis describitur 82. 83. Uxores mille habuit Salomon, Reginas septingentas, trecentas concubinas 96. Utrùm Author Libri Sapientiæ sit 110. 111. Argumenta in contrarium 111, &c. Scriptorum a Salomone Carminum numerus 58. Cantici Canticorum author e Judæis & Christianis uno consensu habetur ibid. Hoc scripsisse videtur in nuptiis filiæ Salomonis ibid. Elogium quo Scriptura Salomonem prosequitur 462. Mira Salomonis sapientia ibid. Magna nominis illius fama 463. Immodici voluptatum amoris illum arguit Scriptura ibid. Sunt qui censeant, illum e liberis aliquem Molocho immolasse ibid.

Saltus Libani, armamentarium Salomonis 587.

Samaria gloria Israelis nuncupatur 60. Ejus excidium prædicitur ibid. Illam obsidet Salmanasar & capit 576.

Samaritani Judæis infensi, 475. Ajebant, nefas esse sacra facere extra montem Garizim ibid. Post Samariæ excidium, Sichimitarum nomine designantur ibid.

Samuel Propheta novam imperii formam Hebræis dedit 459. Postremus inter Judices Israelis ibid. Quæ bona ex illius regimine Hebræis accesserint ibid. Victoriam ex Philisthæis e Deo impetrat 460. Mitissimum, justissimum, innocuum populus prædicat ibid. Moritur Samuel; tum a Pythonissa evocatus, sese videndum Sauli exhibet ibid.

Sanchoniathon, Scriptor a Porphyrio confictus 122. Phœnicum Theologia illi tribuitur 122.

Sanctificare, pro parare 338. 453. 500.

Sanctius totum nuptiarum ritum in Cantico Canticorum se videre putat 60.

Sanguis. Moyses Nili aquas in sanguinem vertit 273.

Sanir, montes Trachonitidem ab Arabia deserta sejungentes 87.

Sanitas, pro malorum, calamitatum, omniumque ærumnarum cultu 750.

Sapiens, Sapientis hominis descriptio 37. Præcipua Sapientis officia duo sunt, Deum vereri, illique obsequi, Regem colere, atque obtemperare ibid. Honores fugit, & ipsum sequuntur honores 160. Modestus, cautusque est ibid. Quàm multa ipse noverit. Aeris mutationes prævidet, ænigmata explicat, causasque rerum quæ in natura fiunt prosequitur 163, &c. Eadem sapientis origo est ac cæterorum 157. Sapientiam postulans, impetravit 158. 159. Sapientis cor est in dextera illius; scilicet rebus benè gestis occupatur 48. Ingens sapientium numerus salus mundi est 156. Discrimen inter Sapientem & stultum 28. Æterna erit sapientis vita ibid. Sapientis hominis descriptio 417. &c. Ejus studia 425. 426. Amabilem se in verbis reddit Sapiens 388 344. Qualibet in vices paratus est Sapiens 304. Os sapientis in corde ipsius 340.

Sapientia nunc divinitatis attributum, nunc Verbum a Patre genitum, nunc Sapientiam hominibus a Deo datam significat 251.

Sapientia ante res omnes creata. Semper apud Deum fuit. Infinita illius vires & intelligendi facultas 251. Sapientiæ origo & Radix in Cœlo Deoque ipso est 250. Unus illam planè assequitur Altissimus, & in Spiritu Sancto creavit. In omnibus Dei operibus micat sapientia, quæ mater quodammodo & filia est amoris, quo Deus nos prosequitur 251. Quantopere amabilis sit Sapientia 253. Vera scientiæ optimæque disciplinæ, & timoris Domini origo est. Ipsa peccatum pellit 254. Eorum felicitas, qui Sapientiæ obediunt 255. 318. illos enim in rebus adversis ac periculis protegit 266. Sese quærentibus obvia fit, 277. Stola gloriæ est 278. Sanctos & justos facit 358. Pauperes ad dignitatem evehit, atque inter Proceres collocat 300. Vera Sapientiæ character 350. 360. Sapientiæ origo, elogium, opera, sedes, sublimitas, imperium ibid. Jacobum hæreditatis loco elegit 361.

Sapientia pro Religione, pietate, Dei timore 109.

Sapientia. Naturæ Sapientiæ, ejusque vires & prodigia describuntur. Divini Splendoris effluvium est, ac Dei solio semper adest. Per Sapientiam Deus hominem condidit 107, 154. Deo

814. Deo omnia creanti somes adfuit 166. Originis illius gloria 263. Quàm multa norit Sapientia, quantæ illius illecebræ & venustas 262, &c. Quò utque pervadat ibid. Veras illa divitias largitus 263. Divitiarum hujus vitæ contemptum suadet. Justos peritos & virtute præditos efficit eos, a quibus ipsa possidetur. Problemata & ænigmata rimatur ibid. Infinitæ illius vires. Radius divinæ virtutis est 261, omnesque in gentes afflanditur 262. Vera Sapientia in Hebræorum gente planè omnis clauditur ibid. Non mutatur & finem nescit ibid. Justos omnes quovis tempore docuit duxitque: Adamum servavis illique dedit ut a lapsu surgeret 168. Dei munus est omnis illius ope obtinendum. Orationibus impetranda est 263. Quanta sapientiæ profunditas ægrè vestiganda 34. Sub matris imagine pissimè ac prudentissimè exhibetus 269. Josephum in Ægypto tuetur 178. Jacobum adversus Esau & Labanum protegit 170, 171. Ipsa Hebræos Ægyptiaca servitute liberavit, Moysis animum occupavit, ac robore instruit ut Regibus resistaret 171. Dux Hebræorum in deserto fuit 171. Vera Sapientia est Dei timor 338, &c. Fructus timoris Dei est 347. Veræ simulatæque Sapientiæ indicia ibid. Optima spes senectutis est 367. Constantes quærenda est 267, &c. Mater casti amoris est 363. Deliciis cumulat eos a quibus possidetur ibid. Per Justitiam acquiritur 854. Ardua quæ in via sapientiæ occurrunt 260, 267. Mirifici Sapientiæ fructus 365, 366. Falsa Sapientia Deo & hominibus execrabilis 339. Sapientia indocilis amara 376. Lapidi Lydio compacata 276, 277. Supremo Judici quasi a Consiliis adest 166. Sapientia si careant, nihil pecitus sunt Principes 874. Ejus Elogium. Felicitas quam sese possidentibus comparat 260, 262. Omnibus hujus vitæ bonis præstantior est 33, 34, 44, 153. 354, 359, 360. Sese cupientes prævertit 155. Modestiam docet & continentiam 160. Vitam integitur sese possidenti 38. Pars Sapientia est, errores & insaniam hominum nosse 9. Quo sensu dicat Salomon in multa Sapientia multam esse dolendi causam ibid.

Sapientia nunc pro Increato Verbo, nunc pro Sapientia hominibus e Deo data usurpatus 262

Sapientia hominum mera est apud Deum insania 45.

Sapientia pro solertia, industria, utilibusque disciplinis 22.

Sapientia Salomonis nomen est quo Patres Libros Salomoni adscriptas universe nuncupant 207.

Sapientia Jesu filii Sirach, vel Sapientia Sirach est liber Ecclesiastici 207.

Sapientia. Vide *Liber Sapientiæ*.

Sarak, sive *Sorek*, flavus 635; vel sericum ex quorumdam sententia ibid.

Sargon, Assyriorum Rex, idem atque Assaraddon, Sennacheribi filius & successor 619. Arma in Ægyptum, & in regionem Chus movet 819, 920. 6as. Ingens clades ab eo illata ibid.

Saron, orbs in Basanitide, trans Jordanem 672, 785. Item, nomen agri a Thabore ad Tiberiadem, & alterius circa Joppen & Liddam ibid.

Saron, Hebraicè universè usurpatur pro agro fertili 76. Quatuor hujus nominis agri in Judæa ibid. Illorum situs ibid.

Sarug. Thare avus, & septimus post Noemum, idololatriæ inventor, ex quibusdam Patribus 125.

Schalechetb, aditus Regiarum ædium in Templum Domini 562.

Schek, Hebraicè humerus 585.

Scientia, prudenti viro aureum ornamentum 348. Sapientia si careat, superbos facit scientia 251. Quo major scientia, major est animi cruciatus 9.

Scientia humana inanissimæ 180. Duo harum extrema sunt, quæ se invicem tangunt; naturalis ignorantia, in qua nascimur; & eruditorum ignorantia, qui cum omnia vestigaverint, nihil sciunt 8.

Scriba, dignitatis nomen apud Hebræos 804.

Scriptores sacri plerumque vulgi opinionibus orationem accommodant 837, 842. Philosophica ex his solatia quærenda non est ibid.

Scriptura. Allegoricas Scripturæ interpretationes probant exempla Jesu Christi & Apostolorum, 403. Quid vitandum in Scripturarum explicatione 490, 491. Varii Scripturarum sensus ibid.

Sear-Iasub, primus Isaiæ filius 578, significat, *Reliquum redibit*, ibid.

Sechar. Vide *Sicer*.

Sedecias, Juda Rex, Jechoniæ patruus, & tertius Josiæ filius 543.

Sedinim, Hebraicè, vestis quæ tunicæ imponebatur 548.

Segor, urbs in Moabitide 602. Una e quinque urbibus cœlesti igne damnatis, & Lothi causa, qui eò successit, servata 469, 602. Cur appelletur vacca trimula ibid.

Sehorim, Hebraicè, hirci seu capræ 594.

Sekar, vinum a palmis 832.

Seleucia, urbs ad Tigrim sita, a Seleuco Nicanore condita 390.

Sem, utrùm & ipse Turri Babelicæ manum admoverit 169.

Semadar, Hebraicè, uvarum vitis sit, ita appellata ex loco, ubi provenit 79.

Semiramis, Nini uxor, viro succedit in Assyriorum imperio 504, regnumque duobus & quadraginta annis tenet ibid.

Senectus, venerabilis, non annorum numero, sed morum probitate 349. Optima senectutis spes sapientia 367.

Senes obsequio habendi 287, 395. Ex his discenda est sapientia 288. Perfecta experientia senum corona 367.

Sennabar, Regio celebris ex turri Babelica ibi condita 587.

Sennacherib, Assyriorum Rex, Salmanasari successor 579. Isaiæ minæ in Sennacheribum 612, &c. Quo tempore is Ægyptum invaserit 613. Vaticinium calamitatis, qua Sennacherib, ejusque exercitus opprimendi erant 663, 665, 670. In Regionem Juda ingreditur 573, 574, 584. Opibus suis superbit, Deumque ipsum conviciis insectatur 683. Illius copiarum cædes 655, 683. Quis Angelus cædis minister, bonus an malus 521. Cædis modus, locusque 521, &c. Certum est hanc sub mœnibus Jerosolymæ non contigisse 124. Ejus copiarum cædes 580, 582, 663, 666. Sennacheribi copias intimus ignis absumpsit, ex Rabbinorum sententia 580. Moritur, a Filiis interfectus 685. Utrum idem ac Sargon 620. Veria ejus nominis ibid.

Sententia a sacris Scriptoribus collectæ 402.

Septentrio, plerumque Chaldæam vel Assyriam significat 600.

Septenum pro pluries 379.

Sepulcra, olim apud Hebræos Epitaphio carebant 819. Verus mos ferendi carnes vinumque ad sepulcra 881. 286. Diù apud Christianos servatus 286.

Sepulcra Judæorum in Palæstina 218. Maximè commoda in agris erant, cætera in rupibus &c. ibid. Sepulcra Regum Judæ intra Jerosolymam erant & in hortis Regiis 819. Sepulcra lapidibus obruta in probri indicium 340.

Sepulcrum Inferni nomine significatum 355; & postrorum Inferi appellatione 686. Opes in Sepulcra congerebantur pro dignitate mortuorum 598. Hebræorum Sepulcra maximè simplicia 618.

Sepulcrum Jesu Christi, a peregrinis obsequio habitum 586. Munera quibus locupletatum est a Christianis Principibus ibid.

Sepultura a Barbaris quibusdam gentibus neglecta erat, Quo studio ab Hebræis curata ibid. 883. Hoc munere pilssimi quique occupabantur 282. Sepulturæ loca apud Hebræos omnino certa non erant 218, 810.

Sequi Deum, præstantissimam Priscorum Sapientum sententia, quam ab Apollinis oraculo pronunciatam putavere 458.

Seraphim, non tantùm in sexto Isaiæ capite occurrens 558. Significat verò ardentes sive urentes. In primo Angelorum ordine collocantur supra Cherubim. Seraphim, quos Isaias circa Dei solium in spiritu vidit, humana forma instruebantur ut Cherubim Ezechielis ibid.

Serikoth ex *Sarak*, vel *Sorek*, sericum significat 635, 636.

Sermones non opportuni cum musica in luctu comparantur 350.

Serpens æneus, in deserto erectus, ut signum salutis Hebræis esset 192. Qua virtute Hebræos ab anguibus ictos sanaret ibid. Subita hæc sanitas Dei promissiones in memoriam revocabat ibid.

Serpentes lethiferi, a quibus Hebræi in Ægypto feriebantur 192.

Serpentes alati, in Arabia & Ægypto communes 659. Quo arte anguium ictus curarent Marsi Psylli, aliæque gentes 309, Theriaca adversus anguium ictus ibid.

Serpens a spina hominis mortui nascens juxta veterum sententiam. Quæ hujus sententiæ origo 206.

Serpens vetus, piscis genus, Zygæna 644.

Serpens. Hoc nomine appellabatur quoddam torquium genus, quòd exuvias anguis colore imitarentur 546.

Serpens hoc nomine quodlibet piscis genus ab Hebræis appellatur 643.

Servi, quomodo alendi 403. Servis Judæis restituenda erat libertas anno Sabbatico, & Jubilæi 284, 11. Vetabat lex, ne servi vacuis manibus semitterentur 284. Nudi venum exponebantur 622; id quod adhuc in oriente servatur ibid. Servi Hebræi perpetui servire cogi non poterant, nisi sponte libertate cessissent 505.

Servus prudens ingenuo præstantior.

Seth, Adami filius, Christi loco habitus ab Hæreticis Sethianis, qui ex hac vita raptum instar Henochi asserebant 471.

Sethon, Vulcani Sacerdos, Ægypti Rex post Anysim 613. Victoriæ quibus claruit ibid. Quo tempore regnaverit ibid.

Shir, Hebraicè, Canticum 30.

Sicer, vel *Sicera*, quodlibet potionis genus, ebrietatem inducentis, seu vinum e palmis, familiare adhuc orientalibus 554.

Sichar, sicera, seu vinum e palmis 635.

Sichem, Chutæorum Regia, post Samariæ excidium 475.

Sichor, aqua turbida. Nili nomen 631.

Sicli argentei. Eorum valor 105.

Sida, Phœnicia fœmina, quam Sanchoniathon hymnorum & musices authorem facit 22.

Signa in montibus ac turribus erecta, quibus palam in agro populus de hostium irruptione monebatur 55d.

Signum Crucis, manui insculptum, ex privata quorumdam Christianorum Religione, sacra loca peragrantium 727.

Silentium. Dogmata de silentio 340. Quæ sit silentii laus 341.

Silentium pro quiete 447.

Silentium quandoque pro sepulcro & morte 718.

Simira, seu *Thaximira*, Phœnicia urbs 80.

Simon, Oniæ filius, Pontifex, cognomine Justus, ob pietem 471. Nobilis descriptio pacifici Sacrificii coram Philopatore Ægypti Rege ab eo oblati 471, 472, 473. Qua constantia Philopatori restiterit in Sanctuarium ingredi conanti 471, 474. Diuturno & felici usus est imperio 471. Curam omnem eò vertit, ut Domini Templum ornaret, ac restauraret 471, 478, urbemque munitionibus firmaret ibid. Quam gloriam sapientissima Pontificatus administratione sibi compararit 478.

Simi-

Sinistra malum significet 45.

Sinnim, terra Sinnim, pro Ægypto, vel Arabia seu Perside 727.

Sion, mons trans Jordanem, inter montes Hermon 365.

Sir, olla 30.

Sirim, spinæ 30.

Sitta, Hebraicè ligna Cethia 697.

Sminthus, murium genus quos Phryges adorabant 701.

Sobna, a Secretis Ezechiæ & Regiæ domus Oeconomus sub Manasse 626, 628. Captivus Babylonem ductus 626.

Sochen, Hebraicè, ærarii præfectus, sive oeconomus apud Reges 628.

Sobrietas. Ejus commoda 392.

Societas Superiorum Principum, & locupletium, periculosa 310. Societatis commoda 81.

Sodoma populus interdum apud Prophetas fuat Hebræi 575.

Sol, omnia videt, auditque, ajebant Poetæ 358. Ab Hebræis anima & intellectu instructus putatur 243. Quid de illius cursu doceat Scriptura 243 Quid de Solis motu sentirent veteres 5, 244. Mundi anima est, ex Poetis 6. Diurnum solis cursum, & annuum iter optimè inter se distinguit Salomon 5. Utrum putarent Hebræi, solem circa terram agi *ibid.* Nobilissimum erat inter veterum Deos numen 281. Rectò agitur 686.

Solitudo. Christus in solitudine hominem docet, sua illi mysteria aperit, & beneficia impertitur 201.

Somnium. Inanis somniorum observatio 25, 404. Quàm perniciosum sit fidem habere somniis 404, 405. Vera falsaque somnia *ibid.* Pactatum commenta de duplici somniorum genere 404, 405. Prophetica somnia agnoscito, quæ vera non esse nequeunt *ibid.* Hujusmodi somniorum exempla *ibid.*

Somnia a Diis missa, quæ superstitione cierentur 183.

Sophia, Græcè, Sapientia. Alludit ad Hebræam vocem *Zophunah*, abscondita, vel ad *Zophes*, caligo 177.

Sorek, non vitem aut regionem, sed vini colorem significat 552. Opponitur alteri Chamar, quod est Rubrum *ibid.* Vallis Sorek, in Samsonis Historia celebris *ibid.*

Soror, nomen, quo apud Scripturam & Profanos uxor significatur 88, 102.

Spectra terribilia, quæ oculis Ægyptiorum obversabantur, utrùm vera essent 306.

Speculatores sunt Prophetæ 737.

Speculum æneum quo veteres utebantur 308.

Spes impii, similis lanæ, quam ventus ensert 252; Similis spumæ, vento *ibid.*

Spiritus pro animæ habitibus 138. Spiritus mansuetudinis, Sapientiæ, consilii, fortitudinis &c. *ibid.*

Spiritus pro ira & vindicta &c. 46. Spiritus interdum usurpatur pro hominis anima 176.

Spiritus qui ex quorundam veterum sententia scientiis & artibus præest 138.

Spiritus Dei vel *Spiritus Sanctus* pro Sapientia usurpatus 266. Divinæ illius proprietates 262. Cæteros spiritus subtilitate superat. Vapor est virtutis Dei, & illius claritatis emanatio *ibid.* &c. Prophetas variis rationibus afflanat 482, plerumque inspirando *ibid.* Interdum per impios locutus est 485, 488, 489.

Spiritus pro naturali cujuslibet rei virtute 430.

Spiritus Prophetiæ in homine tristi non residet 389.

Spolia justa, quæ justo bello capiuntur 728.

Sponsa. Novæ nuptæ tangenda tradebantur ignis & aqua in nuptiis 320.

Sponsa Cantici. Sponsæ venustatem cum equæ forma comparat Salomon. Hujus comparationis exempla 73. Qui color capillorum Sponsæ 85.

Sponsa solemni pompa in sponsi domum ad nuptias deducebatur 67, 68, 82. Vide Dissertationem de connubiis Hebræorum 63, &c.

Sponsa Jesu Christi, animæ castæ, & fideles, Divini Sponsi amore flagrantes 71. Quo animi ardore sponsum exorent ut sese beneficiis cumulet *ibid.* Quàm fidas sibi esse velit Sponsas Christus 73. Harum ornamenta sunt gratiæ divinitùs collatæ 74. Sponsum libentissimè in solitudinem sequuntur 201. ibi sese illis suaque dona impertitur 82. Nihil magis illa decet quàm modestia, silentium, recessus, pudicitia, sermonis continentia 84. Sponsi signum in corde & brachiis ferre debent 203. Harum sedes, e Jerosolyma emissis est 82.

Sponsalitia oppignerationes diebus festis & Sabbato apud Judæos non agunturi, &c. Vide Dissertationem de Connubiis Hebræorum 64, &c.

Sponsus apud Hebræos Sponsam emit, dotem sponsæ dat, Sponsæque patri ac fratribus munera 64. Lacedæmonum & Hebræorum usus erga Sponsas primis nuptiarum diebus 50. Quibus Sponsas nonnisi furtim, cauteque intervisebant 59, 80, 81.

Sponsus Cantici, Sponsam nonnisi noctu adit 91. Jesu Christi figura est 70. Duo Sponsi ubera sunt duo testamenta *ibid.* Bonus Odor quem exhalant, toto orbe diffunditur *ibid.* Divini Sponsi nomen unguento pretiosissimo simile est *ibid.* Castæ fidelesque animæ, ejus amore flagrant 71. Amici Sponsi sunt Apostoli, variique fideles *ibid.* Sponsi amicorumque convivium est Divina Eucharistia 90. Divini hujus convivii suavitas *ibid.*

Sponsio temeraria perniciosissima 384.

Stacte Græcè Myrrha sponte fluens ex arboris cortice non inciso 362.

Stella ab Ethnicis cultæ 180.

Sterilitas apud Hebræos maledicti genus habebatur 550, 750.

Stibium Sal fossile argentea spumæ simile, quo olim oculo pingebant 745. Eo adhuc utuntur Orientales *ibid.*

Stigmata quæ orientales corpori inurunt 103, 722.

Stimuli conscientiæ, quibus impius post mortem cruciatur inutiles 151.

Stola, talaris vestis, viris & fœminis in Oriente communis, Romanis verò matronis peculiaris 414.

Storax pinguis & odorus liquor: Arbor cotoneo malo similis 362.

Studium, animi labor est & molestissima occupatio, quam Deus homini dedit 2, 8.

Studium sapientiæ cupiditate vacuum esse debet, constanterque coli 272.

Studia inutilia, perniciosa, & impia 40, 261.

Stultus, stulti descriptio 45, 48, 348. Cor stulti in sinistra illius, scilicet malum solummodò cogitat 45. Stulti risum describit sapiens 30. Cum vase constacto undique diffluente comparatur 347. Frustra docetur 351. Pessimæ stulti conditiones 342. &c. Verbum Sapiens in ora stulti ingratum 341. Consuetudinem cum stultis fuge 351. Infinitus stultorum numerus 8, quid pro stultis intelligendum sit *ibid.*

Stultus pro impio 23, pro otioso & inerte 22. Hos describit Salomon *ibid.*

Sua Ægypti Rex 650.

Summus Sacerdos. Præcipua illius ornamenta 454. &c. Ii solummodo in Templo, maximèque solemnibus diebus utebatur 455. Summi Sacerdotis Pontificiis vestibus ornati majestas 473. Unius Summi Sacerdotis erat populo benè precari per solemnes dies 455, 456. Ingens Pontificis Authoritas in civilibus rebus 456.

Superbi, plerumque disciplinam renuunt 283. frequentes homines maximè impii eo nomine appellantur *ibid.* Sua illos in obstinatione relinquit *ibid.* Superborum societas perniciosa 309, 310. Superborum memoriam abolet Deus 297.

Superbia, cum homine creata non est 297. Sollicitè vitanda 298. Deo & hominibus odiosa 805. Scelerum omnium principium & origo est 297. Divina in illam animadversio *ibid.*

Suphis Ægypti Rex, e videntium numero 682.

Supplicia impiorum in altera vita disertissimè tradita in vetustis Hebræorum libris 184.

Supplicia idololatrarum, falsorumque Numinum. Idolum, Idoli cultor, & falsum numen in ignem injicientur 185.

Sur seu *sis*, Hebraicè hirundo 687, 688.

Susurrones in hominum cœtu odiosissimi 272, 893, Deo invisi 272 Horum natura *ibid.*

Sycomorus in Palæstina communis, quæ plerumque domus tegebantur 576.

Syene, Ægypti superioris Regia in finibus Æthiopiæ 703.

Symbola, pars, quam unusquisque ad convivium conferebat 201.

Symmachus. Hunc versionis Cantici Canticorum authorem putat Du Bos 63.

Synagoga hujus figura est Salomonis vinea 205. Quanto inferior Ecclesia Jesu Christi *ibid.* ob flagitia reprobatur 729. Quid ipsa sit post Jesu Christi obitum 553.

Systema Mundi ex veterum Hebræorum sententia 237. &c. Simile alteri, quod veteres Philosophi & Patres commenti sunt 245.

Systrum. Instrumentorum Ægyptiis familiare describitur 620.

T

TAled, pannus quadratus apud Hebræos 62. Eo utuntur in nuptiis *ibid.*

Talenta Ægyptia, illorum pondus, & valor 718.

Talpa. His utuntur Magi dum futura prædicunt 548, 793.

Tannim, monstra marina 77. &c.

Taphna, urbs Ægyptia, prope Pelusium & Arabiam 659.

Taximera seu *Simira*, Phœniciæ urbs 80.

Templa in Ægypto condita ab Hebræis 628. Horum celeberrimum est Onion *ibid.*

Templa Deorum olim nonnisi Regum aut Heroum sepulcra erant 781. Superstitiosus mos cubandi in Templis, ut futura e somniis noscerentur *ibid.*

Templum Domini. A Salomone conditum; ingentem in conditore sapientiam postulabat 167.

Templum Jerosolymitanum, in Jugo montis Moriah conditum 538. Mons Testamenti dicitur 597. Post captivitatem, atrium in Templo fuit extraneis destinatum 750. Eo confluunt advenæ, sacra facturi, post cædem Sennacharibi 538. &c. 750. impiis Idolorum altaribus profanatum 754. Appellatur magna domus 474. Altero Septo Templum cinxit Simon II, quod atrium gentium appellabatur 472.

Tempestates anni ex Hebræorum sententia 160.

Tenebræ Ægypti per tres dies productæ 205. Internæ tenebræ appellantur 308. Una ex plagis, quibus Deus Ægyptum ferit 290. Aliqua harum tenebrarum adjuncta, quæ Moyses omisit 307.

Tenebræ sunt ærumnæ, res adversæ 572.

Tentationes, quæ in Dei via occurrunt 356. Has patienter, ac fortiter superato *ibid.* oratione, vigilantia, humilitate.

Tentoria, plerumque e pellibus 72. Regum Orientalium tentoria, splendidissimas Occidentalium ædes æquant *ibid.*

Terebinthus, arbuscula lentisco similis, cortice & ligno describitur 363.

Terra, immobilis 239, 240. Communis apud veteres opinio, terram in aere suspensam fluctuare *ibid.* Constitutam putant

tant Hebræi super aquas & immobilem *ibid.* 245. Quid de illius figura & quiete censerent 240. Quid veteres Geographi *ibid.* Eadem ferme Profanorum erat sententia quæ Judæorum 245.

Terra frequenter est Judæa 634.

Terra excelsa est Chananitis 761.

Terra Juda dicitur terra Emmanuelis 570.

Terra viventium, Judæa 687.

Testamentum vetus & novum duo sponsæ ubera sunt 56.

Testamentum est Dei Lex 324. vel sententia, quam Deus in homines pronunciaturus est *ibid.*

Thanis sive *Tsan*, urbs inferioris Ægypti Mosaicis prodigiis clara 658.

Thanaim, anguis, ingens piscis, monstrum marinum 594.

Tharaca, Æthiopum Rex 659. Suppetias Ezechiæ fert adversus Sennacheribum 609, 612.

Tharsis, urbs. eadem quæ *Tharsus* in Cilicia 140. Naves Tharsis, pro navibus longæ navigationis patientibus *ibid.*

Tharsis gemma, quam plerique Chrysolithum putant 94.

Thartan Magistratus Nomen apud Reges Assyriæ 610.

Thautus, Ægyptius. Idem ac Mercurius, qui a Consiliis erat Crono, sive Saturno, vel Noemo, medicinæ authori, uti quidam ajunt. utrum idem sit Chanaan, Chami filius 433.

Theglathphalassar, Assyriorum Rex, Achazo libertatem offert e Regibus Syriæ & Israelis. Damasci Regnum evertit, pluresque Israelis Tribus trans Euphratem mittit 561, 566. Tum Regnum Juda diripit, ipsumque Achazum vectigalem facit 566, 569.

Theodorus Mopsuestenus. Ejus Commentarium in Canticum Canticorum a Concilio Constantinopolitano II. damnatum 60, 61. Totum enim ad verbum explicabat de Salomonis connubio cum filia Salomonis. Canonicum esse negabat *ibid.* Quid de hoc Cantico sentiret *ibid.*

Theria, Græce significat quodlibet ferarum genus, seu venenatorem angulum 308.

Theriace, Pharmacum adversus venenatarum belluarum morsus, ita appellatum ex viperarum Carnibus, quibus constat 308.

Thersa Urbs Metropolis in Tribu Ephraim, antequam Samaria conderetur; dicta *Thersa*, seu *Thersa* ob loci jucunditatem 95.

Tho, Hebraicè lupi genus, Græcis & Latinis Thos, describitur 715.

Thubal significat vel Italiam, vel Hispaniam, vel Iberiam, ad Mare Caspium 725.

Timor Dei, quæ bona afferat 38, 39.

Timor Domini Sapientiam, pietatem, Dei amorem significat 272. Una cum fidelibus, e Parentum sinu creatus est 253. Sapientiæ initium, plenitudo & corona est 253, 254. Veræ scientiæ fons 253. Nobilissimæ illius laudes 252, 253, 298. Elogium timoris Domini 368. Principium amoris Dei est *ibid.* supremaque Sapientia 338.

Timor Sapiens nunquam timore caret *ibid.*

Tobias, inter Prophetas recenseri potest 483. Diu ante Danielem scripsit *ibid.*

Tohu, & *Bohu*. Voces, quæ Regionis direptæ statum describunt 677.

Tonitru apud Hebræos veluti res natura major habetur 544. Vox Domini ab iis nuncupatur *ibid.*

Tophet, Vallis hujus nominis ad Meridiem Jerosolymæ, eadem ac Hinnon 795. Locus erat quò Urbis sordes congerebantur *ibid.* Humana ibi puerorum sacrificia Molocho fiebant 664.

Torcular, pro lacu, ubi vinum continetur 152.

Tornare non semper significat, aliquid torno ducere, sed interdum pro sculpere, cælare, usurpatur 702.

Tornatile opus est opus probè elaboratum 99.

Torques, inter mundi muliebris descriptiones 536. Varia Torquium genera *ibid.* Quædam Orientales fœminæ torques circa os & genas ferunt 74.

Torrens Besor ex Idumæa in Mediterraneum influens 677.

Torrens Edom, utrum idem ac *Torrens Besor* *ibid.*

Trachonitis, seu Regio Msoaffe, ab Arabia deserta mediis montibus Sanir & Hermon sejuncta 87.

Transitus Erythræi prodigiosus 204.

Tribus Zabulon, *Nephtali*, *Ruben*, & *Gad* a Teglatphalassaro vastatæ, & trans Euphratem ductæ 565, 573.

Trituratio frumenti apud veteres, qua arte fieret 652.

Trivia. Dea forium præses 754.

Tuba. Tubis uni Sacerdotes clangere poterant 474.

Turris Babel utrum ad Calanne condita 570.

Turris clypeis ornata. Hujus operis vetustas 86.

Turris Talphioth, quid sit *ibid.*

Turris David, Christi Ecclesia est. Collum sponsæ huic Turri comparatur *ibid.*

Typus, raro apud Scripturam a re significata sejungitur 718, 713.

Tyrannus, nomen olim non odiosum 115, 309.

Tyrii, victores sub Salmanasaro 631, a Nabuchodonosore victi, & trans Euphratem delati *ibid.*

Tyrus, Regionis cognominis Metropolis, Chananæorum, seu Phœnicum urbs a Sidoniis condita. Quàm vetus sit 631. Ejus excidium prædicitur 613, ejusque restauratio 630.

V

VAllis Hinnon, prope Jerosolymam, quem in ... destinata 282.

Vallis visionis, Jerosolyma 625.

Vanitas rerum humanarum 3, 4, 12, 15. &c. ex hominis vanitate & peccato orta 4.

Vanitas idolorum 590.

Vanitas Vanitatum, omnium rerum vanissima 4.

Vanitas pro mendacio 759.

Vas pro armis, & bellicis instrumentis 424, 445.

Velata, pro meretrice 73.

Ventus, a Priscis Ethnicis divino honore donatus 180.

Verbum Domini ceu vivens animatumque exhibetur, e Cœlo missum ab Omnipotente, ut ipsius Dei nomine agat 103. 201. A Sapiente describitur *ibid.* Ejus vires & effecta 191, 101. Idem Deus est, vel Angelus Dei virtute instructus 201. Omnia sanat 102, 193. Eos qui Domino credunt, tuetur 195. Verbum pro voluntate usurpatur *ibid.*

Verbum. Ubi multa sunt verba, deest prudentia 24. Verbo probatur homo 376. Verbum lene dono melius 333. Amicos comparat, & inimicos mitigat 373.

Verbum mortis, utrum blasphemia, an Idololatria, an calumnia 357.

Verbum Dei, fons sapientiæ 151. Dei sermo est, vel ipse Deus *ibid.*

Verbum pro sapientia, pietate, Spiritu Sancto 152.

Verbum pro re 357.

Veritas pro fidelitate, perseverantia 771.

Veritas pro justitia, virtute, &c. 375.

Veritas defendenda est vitæ dispendio 267.

Vermes inferni, utrum materiales 282.

Vestes, quibus indui opus est ante Religionis exercitium 42. Hebræorum vestes, tunica & pallium *ibid.*

Vespa in Chananæos missæ. Hujus rei causa 377.

Vestes Summi Sacerdotis, utrum generico *poderis* nomine significari queant 203. Mysteria, quæ in iis vestibus contineri putantur 202, 203. Universum exhibent *ibid.* Vide *Patriarcha*, &c.

Via sceleris magis ardua quàm virtutis 251.

Via impiorum lata & spatiosa 347.

Viæ rectæ sunt res prosperæ 763.

Vicissitudines rerum humanarum 16, &c. 23, 316, 317, 334.

Victima. Quid in victimis quærendum esset 409. Ethnicorum superstitio, ac fortè etiam Judæorum de victimis ex ara fugientibus, vel ægrè ad aram accedentibus 741. Humanæ victimæ Diis mactatæ apud Chananæos, Phœnices, frequenter etiam Judæos Idololatriam sequutos 753.

Videntes. Vide *Propheta*.

Videre, pro frui 28.

Videre aurum, pro vivere 807.

Vindicta, apud Judæos permissa, ipsi Legis menti contraria 367, 378. Dei vindicta in eos sævit, qui vindictam amant *ibid.*

Vindicta Dei in Idololatras 540.

Vinea trifera 552. Aliæ bifera *ibid.*

Vineæ apud Palæstinos Gallicis similes 554. Optimarum vinearum pretium erant sicli mille 105. Vineam nuncupant Hebræi quemlibet agrum fruticibus satum 75.

Vinea Domini, Domus Israelis 513.

Vinum apud Poetas *flos Liberi Patris* 478. Leges de usu vini 304. Vinum cum modo haustum hilaritas animi est 305.

Vinum percolari solebat, antequam in mensa apponeretur 638.

Vinum rectitudinis, eximium, omnibus numeris absolutum, vitio carens 78.

Vinum conditum, utrum sit vinum myrrhatum, vel thuris, seu nectar Veterum 102. Hujus vini usus; & parandi ars. In Oriente, Græcia, Italia hoc vini genus plurimi habebatur *ibid.* Loca servando vino addicta, apud Veteres 77.

Vinum in Oriente proveniens, crassum 101. Vinum loqui faciens labia dormientium, ait Salomon 101.

Vinum e palmis, qua arte paretur. Commune est adhuc Orientalibus potio 554. Utrùm idem sit Sechan Hebræorum *ibid.*

Vir misericordiæ, universè est vir pius, Dei timore plenus 459.

Vir Dei est Propheta 481.

Viri lineæ, Ægyptii 711.

Viri numeri, pauci viri 11, 326.

Virata. pro forti, generosa 380.

Virginitas apud Hebræos probrosa 63.

Virginitas Deiparæ ab Isaia prædicta 583, &c. Arcano Divinæ Providentiæ consilio hoc Judæos aliquandiu latuit 588.

Virgo interdum pro puella nupta usurpatur 520.

Virtus pro opibus 455. & pro vi 538.

Visio. Vide *Videre*.

Visitare, per opem ferre. punire 143.

Visitatio & *respectus* significant Dei beneficium, Justos ex hac vita educentis 510.

Visitatio Domini, dies ultionis est 578.

Vita hominis umbra est: peregrini more transit 150, ceu avis fugiens 152; ceu spiculum in aere vibratum *ibid.* Quo sensu ludus dici queat 190. Dii dederunt vitam, tamquam pecuniam, inquit Cicero 189.

Vita futura. Scripturæ loci, ex quibus futura vita, seu feli-

felicitas æterna demonstratur 130, 131.
Vita pro fortunis, rebusque vitæ necessariis 384.
Vitra in usum fenestrarum non erant apud Palæstinos 78.
Vitulamina, propagines. S. Augustini animadversio in hanc vocem 148.
Una, pro Luna, profano Numine. Ejus cultus 703.
Ungere, pro aligata, alicui muneri addicere 781.
Unctio. Varia unctionum genera apud veteres 92.
Unguentum. Frequens unguentorum usus apud Veteres 48, 72, 92.
Vocari significat interdum esse 774. Vocare aliquem nomine suo, est, aliquam alicui muneri addicere 213.
Voluptas sub meretricis imagine exhibetur 148.
Vota Deo nuncupata, integerrima fide implenda 24. Melius est nulla nuncupare, quàm nuncupata negligere *ibid.* Quàm periculosa res sit, temere voto sese obligare *ibid.* De votis ferre sententiam, Sacerdotis erat 75. Sacrificia illa imperata, qui vota implere obliti fuissent *ibid.* Temerè vota ne facias 334. Qui vota violat, Deo injuriam irrogat *ibid.*
Vox Domini, tonitru, apud Hebræos 244.
Urbes obsidendi mos vetus 655.
Urias, Propheta, diu post Isaiam floruit 568.
Urias, Pontifex, jubente Achazo, æneam aram in Templo collocat, Damascenæ similem 568.
Urim & Thummim, veritatis oraculum, responsa dans Pontifici 455.
Vulpes, in Palæstina frequentissimæ 80.
Uxor Loth, in statuam salis versa. Hujus monumentum adhuc stabat, cùm Author Libri Sapientiæ scriberet 170.
Uxor adolescentiæ est uxor, quam quis adhuc adolescens duxit 63.

Z

Z*Aakah*, clamor 553.
Zabulon, inter primas Judæorum Tribus, quæ Evangelii lucem exceperit, & Judaicarum traditionum jugum abjecerit 572.
Zacharias, Barachiæ filius, quem Isaias testem adhibuit futuræ filii sui nativitatis 568. Quis ille sit, ignoratur. Certè Zacharias, inter Prophetas Minores undecimus, esse nequit *ibid.*
Zamath. Variæ hujus vocis significationes 84.
Zanaph, Hebraicè, obvolvere, volutare 548.
Zedakah; Hebraicè, justitia 553.
Zelare, pro odio habere, irasci alicui 139.
Zelus, vel ira Dei in impios 153.
Ziim, quid hæc vox significat, ignoratur 693. Probabile est, gentem aliquam significare *ibid.*
Zilzal, Hebraicè *sistrum* 620.
Ziu, Hebræis locus aridus 667.
Ziphoni, Hebræa vox, quæ variè redditur 763.
Zoon. Vide Thanis.
Zophos, Græcè, caligo 277.
Zopuiah, Hebraicè, abscondita. Allusio vocis *Sophia*, Sapientia, cum *Zopuiah* 177.
Zoroaster, Magus celebris, inter medicinæ inventores 224. Utrùm ipse sit Cham Noemi filius nec. Risus dicitur, cum in lucem ederetur *ibid.*
Zorobabel sub nomine Germinis Domini & Orientis designatus 550.
Zugos, Græcè, libram significat 381.
Zuzim, numisma Hebræorum, octo solidis nostri numismatis æstimatum, ex Rabbinis 64.

Finis Indicis rerum & Verborum.